3-a-3-12

CHRISTOPHORI

DE ORTEGA

DE TRINITATE,

NEC NON,

DE INCARNATIONE.

TRACTATVS DVO.

MADE IN SPAIN

R. P. CHRISTOPHORI

DE ORTEGA

DE TRINITATE,

NEC NON,

INCARNATIONE.

TRACTATVS DVO.

A-1998

R. P. CHRISTOPHORI

DE ORTEGA

SANCLEMENTINI,

E SOCIETATE IESV

QVONDAM IN PROVINCIA TOLETANA THEOLOGIÆ
Scholasticæ publici Professoris; eiusdem demùm Facultatis Præfecti, atque apud
Regium Sanctæ, Supremæ, & Generalis Inquisitionis Senatum
à Theologicis Censuris.

TRACTATVS DVO,

DE

TRINITATE,

Nec non,

INCARNATIONE.

Controuersiarum Dogmaticarum & Scholasticarum opus Sanctæ Inquisitionis Censoribus, & Scholasticis Theologis perutile. Iuncto quadruplici Indice.

NVNC PRIMVM PRODIT IN LVCEM.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

LVGDVNI,
Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEOR. REMEVS.
M. DC. LXII.
CVM PERMISSV S.

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO
Domino, ac Reuerendiſsimo Patri Euerardo Nidhardo, è Societate Ieſu, Generali Hiſpaniarū fidei quæſitori, Marianæ Auſtriacæ earumdem Reginæ à confeſsionibus, Catholico Regi Carolo Secundo à Conſilijs ſtatus, & vniuerſalis Monarchiæ Gubernationis, ſuus in Chriſto addictiſsimus ſeruus Chriſtophorus de Ortega Societatis Iesv.

D. C. Q.

PVS qualecumque hoc (Pater Excellentiſsimè) materia, Authore, ac ſuis reliquis, tuo, non tam ſe vltro ſiſtit, quam naſcitur patrocinio. Totum enim eſt de altiſſimo vtroque fidei myſterio explicando, atque tuendo: vt materiæ iure te vnum Catholicæ Hiſpaniarum fidei generalem quæſitorem lumen, & columen aueat, habeatque Mecænatem. Et quamuis ex ampliſſimo hoc munere tuo ſatis ad id iuris in alijs haberet; ardenti rurſus tuo gentilitio, & quaſi hæreditario fidei zelo Sacra omnigena litteratura adeò exculto, & contra Hæreſes armato debebatur. Germane auſpicatiſſimum dedit Nidhardorum familia ad Imperiales plagas, vltra memoriam nobilitate celebris, antiquitatis ſenio florens, multoque Gentilium Imaginum fumo clariſſima; vt antiqua eius ſtemmata, cum Illuſtrium Imperij familiarum reliquis Auguſtæ ad ſeruata, ſæpèque, ac demum ex dieta Ratisbonenſi à Ferdinando Tertio honorificentiſſimis priuilegijs aucta, teſtantur. Tyrolem conſtantis Fidei Catholicæ laude, ſemper Illuſtrem diu ante Lutherum ortum Deo prouidente translata, graſſaturis poſt hæreſum flammis prærepta Fidei orthodoxæ tutelæ, & inſtaurationi ſeruabatur. Cum enim Lutheri errore Germania ferè ambureretur tota, maiorique ex parte flagraret, ac ſuperiores Auſtriæ hæreditarias Ferdinandi Secundi, Prouincias flammæ peruaderent, probatiſſimæ in Deum, Eccleſiam, & Imperium Fidei, militiaque ſtrenuum virum Parentem tuum Dominum Ioannem Nidhardum Commiſſarij generalis munere multis militum copijs Præfectum ad extinguendam, ferro etiam, & Hæreticorum ſanguine hæreſim eò idem Imperator immiſit. Quot, quamtaque ibi fortiter, & induſtriè pro fide Catholica geſſerit Hæreticorum in illum (nouercali amplius) odium teſtatur. Horum armis, tunc validioribus, inſidijs, manibuſque diuinitus ereptus, Paſau ſe recepit. Verſaque inde, hominis odio, in rem familiarem Hæreticorum rabies, totam, etiam vaſſallorum eius, diripuit, ac deuaſtauit: vt non præclarè ſolum actis; ſed fortiter etiam pro fide paſſis, Catholiciſſimus Parentis tui animus omnibus innoteſceret.

Splendorem hunc tali, tantoque parente ſatus, quaſi natalitijs ipſis receptum, adeò ipſe auxiſti, vt prole ille ſua amplius, quam tu ipſo progenitore, poſſet meritò gloriari. In expeditione cõtra Hæreticos memorata, nec dum ſeptemdecim annos natus. Zeli paterni, & periculorum ipſe comes Hæreticos armis viriliter vrgere, deterrere ab hæreſi, ex meticuloſa adhuc ætate, minis, familiaribus, vt locus dabatur, colloquijs, & adhortationibus ad Catholiciſmum de mulcere,

ac in Fide instruere. Videre erat Ephebum Doctorem Fidei armatum, & militem catechismum. Mox Lutheranos libros conquirere, atque ad publicas rapere flammas; auspicato, ex tunc, genesis Fidei, quæstoris præsagio, vel potuis genij pientissimi naturali ferè in auguratione. Ob inde maior in te, quam in Patrem Hæreticorum furor exarsit: à quibus, dum seruentius in cautiori ætate Fidei Catholicæ ageres partes, deprehensus, capite damnaris: vt humi collo tenus defossus globis in cerebrum terrestri rotatu iactatis truci ludo enectus, ipsorum immanitati ludicrum oblectamentum, cœlo vero grauissimæ iucunditatis præberes spectaculum. Martyrio id vnum defuit tuo: quod, scilicèt, Deipara, gnara quantum pro sua immaculata Conceptione futurum militem perderet, executioni miraculosè intercessit indeque ereptum, in votis ardentissimis tuis voluit Martyrium contineri. Nec id genus mortis, quam adeo optabas, discrimine perterritus statim in exercitu Catholico contra Hæreticos Protestantes nomen dedisti, vbi vsque ad annum 1629. strenuè, nec sine honoribus militasti.

Sed enim tuum, hunc Catholicum contra hæreses zelum alio ductare, alijsque armis instruere Dei prouidentia disposuit. Eodem quippè anno litterarum studijs (militiæ contra Hæreticos alteri) in amplissima academia Grazensi, ad scriptus, à Grammaticæ rudimentis subtile ingenium ex colere cæpisti; felici ad eo progressu, vt Philosophiam, & Theologiam, quæ ad Scholas, & controuersias spectat, ius item Canonicum publicus in eadem Academia professor ingenti plausu, laudeque docueris. Inde factum: vt cum alijs octo consummatis Academiarum Germaniæ professoribus emeritis Cæsari Ferdinando Tertio, pro Augustorum filiorum Magistro, & confessario designando propositus, electus ab ipso fueris. Igitur, vt Generalis quæsitoris fidei dignitas abesset, hoc nostrũ de præcipuis fidei mysterijs opus Catholicissimum animum tuum, tot Sacrarum litterarum munimentis aduersus hæreses instructum iure suo patronum repoſceret amplissimum.

Nec minus operis Author, ad patrocinium, hoc iuris habet. Est quippè professione, & litteraria, & Religiosa Socius; animo verò cliens, seruusque obsequentissimus: qui te Societatis nostræ alumno quantum illa virtutum tuarum. (Maximè, obstinatæ, vltra quartum votum, debitamque Regiæ munificientiæ obseruantiam, electioni tuæ renitentiæ) exemplis profecerit non ignorat. Reliqua verò huiusce operis ea certè sunt, quæ his mysterijs Theologicè tuendis, & explicandis de nostro posuimus, reique tantæ tractatum per exiguum subinde fecerint, & abiectum. Eo tamen imprimis nomine tantũ exigit Mecœnatem, vt quod ipsi præ ingenij nostri tenuitate magnitudinis, glorieque deerat, de tuo vbertim habeat, & mutuetur: tuaque celsitudine, ac splendore, quidquid in Tantillo opere abiectum fuerit dispareat, quidquid obscurum clarescat. Illud igitur gratè ob inde suscipere, benigneque fouere, suauis genij tui pietas fuerit, nõpostrema. Vale. Excellentissimè Pater, & vsque vale.

Excellentiæ vestræ.

Addictiss. cliens, & obsequentiss. in Domino seruus

Christophorus de Ortega.

BIBLIOPOLÆ AD LECTOREM DE TYPORVM ERRATIS VTILIS MONITIO.

TYpographi, & Correctoris in elaboratissimo, & singulari hoc opere, cũ Lugduno abesset, cudendo incuria redeuntem coegit, vt errata nonnulla, quæ sensum dictionum, vndecumque turbare non satis docti facile possent, præfigerem; missis alijs, quibus non ita sensus turbaretur. Ratus ex stylì (quantum res Scholastica patitur) elegantia eos defectus Typographo, non vero Latinæ etiam linguæ, peritissimo Anthori à Lectoribus tribuendos. Ergo P. margina-lis paginam (vt ad errata deprehendenda sit Lectori recursus facilior) C. columnam, N. numerum, L. lineam, D. delenda, leg. quæ eorum loco legenda, A. quod dictioni addendum. prol. Prologum. disp. Disputationem, q. Quæstionem designant.

PAg. 1. prol. cõtr. subsistentia, l. *substantia.*
p. 4. c. 1. n. 5. lin. 3. à persona, l. *personã.*
c. 2. n. 2 lin. 10. positum, l. *positiuum.*
p. 8. c. 2. lin. 4. neque, l. *negat*, n. 4. lin. 38. suppositò, l. *suppositio.*
p. 10. c. 2. lin. 4. extrinsecos se, l. *extrin secus è.*
p. 11. c. 1. n. 6. lin. 40. plerumque, l. *plenumque*, c. 2. n. 8. lin. 5. finẽ, l. *semen.*
p. 23. col. 1. n. 5. lin. 11. credenti, l. *discredenti.*
p. 27. c. 2. lin. 21. negatæ, l. *negat.*
p. 30. c. 1. n. 2. lin. 18. respicit, l. *respuit.*
p. 32. c. 1. lin. 12. laben, l. *lubens*, c. 2. lin. 19. eorum, a. *nomine.*
p. 33. error numeri paginar. ad 39. inclusiuè.
p. 38. c. 1. lin 2. dæmonem, l. *dæmon*, c. 2. n. 3. lin. 1. formam, l. *summam.*
p. 39. c. 1. l. 2. fine indiuiduũ, a. *esse illud*
p. 40. c. 1. lin. 13. habita, l. *qui habitat.*
c. 2. n. 3. lin. 21. vnita, l. *vnica.*
p. 44. c. 1. n. 5. lin. 18. accipit à Patre, l. *accipit non à Patre*, n. 6. lin. 2. excluditur, l. *includitur.*
p. 45. col. 2. n. 4. lin. 8. maior, l. *minor.*
p. 51. col. 1. lin. 10. superior, l. *suspicor*, n. 3. lin. 20. dictam, l. *distinctam.*
p. 55. col. 2. lin. 3. essentiæ, & naturæ, l. *essentia, & natura*, n. 2. lin. 41. obiectiuè, l. *adiectiuè.*
p. 56. col. 1. n. 4. lin. 23. d. *habente*, c. 2. n. 2. lin. 17. sunt, l. *sum.*
p. 57. c. 1. n. 4. lin. 12. naturã, l. *naturæ.*
p. 58. col. 2. n. 3. lin. 1. actu, l. *astu.*
p. 59. col. 2. n. 8. lin. 3. d. *à qui*, ad *erratur* inclusiuè.
p. 71. c. 1. lin. 11. homousion, l. *homæusion*, n. 3. lin. 14. idem lin. 18. visia, l. *vsia*, c. 2. n. 2. lin. 2. accipi, l. *accepi.*
p. 72. col. 2. lin. 19. est, l. *ast.*
p. 75. col. 1. n. 5. lin. 13. generationũ, l. *generatiuum.*
p. 79. c. 2. n. 3. lin. 28. aliquas, l. *quibus.*
p. 81. c. 1. prol. q. lin. 58. agamus, l. *agamur.*
p. 82. col. 1. n. 1. lin. 11. generationem, l. *generatio non.*
p. 83. col. 1. n. 5. lin. 13. quo imaginæ, l. *coimaginatæ.*
p. 87. col. 1. lin. 26. quia, l. *quin.*
p. 89. col. 2. n. 6. lin. 22. substantia, l. *substantiam.*
p. 97. col. 1. n. 7. lin. 21. intentionalé, a. *qua.*
p. 99. c. 2. prol. q. lin. 8. eæ omnes, l. *eis omnibus.*
p. 101. col. 2. n. 2. lin. 16. nam, l. *non.*
p. 102. col. 1. n. 6. lin. 6. extra, l. *& extrà*, lin. 13. repræsentatio, l. *repræsentationem.*
p. 112. col. 2. n. 4. lin. 15. ex, l. *extra.*
p. 116. col. 2. n. 3. lin. 22. indiuiduo, l. *indiuidui.*
p. 122. col. 1. lin. 29. essentia, a. *desiceret essentia.*
p. 125. col. 2. n. 4. lin. 11. processione procedit, l. *processioni præcedit*, n. 5. lin. 30. demonstrationem, l. *denominationem.*
p. 128. col. 1. n. 2. lin. 10. *vel*, d. ad *valet* inclusiuè.
p. 129. col. 2. lin. 33. existere, a. *quin.*
p. 135. col. 1. n. 1. lin. 16. voluntatem, l. *veritatem.*
p. 138. col. 1. n. 2. lin. 6. ignoscendi, l. *ignascendi*, col. 2. lin. 11. bonitatẽ, l. *bonitatum.*
p. 142. col. 1. prol. q. l. 16. incredibilitas, l. *increabilitas.*
p. 143. col. 2. n. 4. lin. 16. personalitas, l. *personalitates*, lin. 17. impossibiles, l. *impassibiles.*
p. 145. col. 1. lin. 6. putabãt, l. *putabat.*
p. 148. col. 2. n. 5. lin. 7. sistentias, a. *nec persona.*
p. 150. col. 2. n. 3. lin. 12. prædicatis, l. *prædictis*, lin. 29. constitutione, l. *constitui ne*, lin. 4. differentiam, l. *differentia*, & aliam, l. *alia.*
p. 151. col. 1. n. 4. lin. 42. improbatur, l. *inde probatur.*
p. 153. c. 2. n. 3. lin. 9. tum, l. *impetum.*
p. 155. col. 2. lin. 1. ex, a. *Dei*, n. 1. lin. 16. in communicationem, l. *communicationem.*
p. 157. col. 2. n. 6. lin. 12. extremorum, a. *distinctio.*
p. 159. col. 1. n. 5. lin. 18. & 19. minus, l. *munus.*
p. 167. col. 1. n. 4. lin. 15. hos, l. *has*, lin. 25. procedens, l. *præcedens.*
p. 169. col. 1. n. 4. lin. 17. vocatione, l. *vocatione*, c. 2. n. 1. lin. 11. proprietatem, l. *proprietatum.*
p. 170. c. 2. n. 5. lin 5. constitutum, l. *constitutiuum*, distinctum, l. *distinctiuum*, lin. 36. videri, l. *rideri.*
p. 176. c 2. n. 3. l. 20. vnde, l. *nec vnde.*
p. 181. c. 2. n. 2. lin. 22. debet, l. *dabat.* Numerus paginarum reperitur post paginam 184. iterum pag. 179.
p. 179. c. 1. n. 1. l. 26. essentia, l. *scientia*
p. 180. col. 2. lin. 11. &, l. *vt.*
p. 181. col. 1. n. 5. lin. 6. quod, l. *quo*, lin. penult. quia, l. *quin.*
p. 182. col. 2. n. 4. lin. 16. sub, l. *suo.*
p. 183. col. 1. n. 7. lin. 11. nunquam, l. *vnquam.*
p. 185. c. 2. l. 30 vt, l. *vi*, n. 1. lin. 11. essentia, l. *scientia*, idem n. 2. lin. 10.
p. 186. c. 2. n. 1. lin. 1. habitu, l. *habitu.*
p. 187. c. 2. n. 4. lin. 14. conseruetur, l. *congruenter*, lin. 24. spiritum, l. *spiritus*, lin. 40. spiritu, l. *spiritus.*
p. 189. c. 2. n. 2. lin. 6. filium, l. *alium.*
p. 190. c. 2. n. 5. lin. 20. qua non, l. *non qua.*
p. 191. col. 2. n. 4. lin. 14. decipiens, l. *recipiens.*
p. 196. col. 1. n. 4. lin. 25. insurgere, l. *inungere.*
p. 197. col. 1. lin. 4. ast, l. *est*, lin. 26. sequantur, l. *sequuntur.*
p. 198. col. 1. n. 2. lin. 31. fuit, l. *suis*, c. 2. n. 5. lin. 31. admittant, l. *admittunt.*
p. 200. col. 2. n. 4. lin. 13. ignoscendi, l. *ignascendi.*
p. 205. c. 1. l. 12. in abcedétes, l. *in ascendentes*, n. 3. lin. 9. quam, l. *quare.*
p. 206. col. 1. n. 6. lin. 2. est, l. *ast*, c. 2. n. 2. lin. 28. a. d.
p. 209. col. 1. n. 5. lin. 15. & 16. exequatur, l. *exæquatur*, c. 2. n. 3. li. 23. cõpellatur, l. *compleatur.*
p. 212. c. 1. n. 7 l. 22. increauit, l. *increpauit*, c. 2. n. 8. lin. 16. facie, l. *faciẽs.*
p. 213. c. 1. n. 2. lin. 5. egisse, l. *eguisse.*
p. 216. c. 1. n. 2. l. 18, confirmatur, l. *cõsumatur*, c. 2. n. 3. l. 22. Patrẽ, l. *Patre.*
n. 4. lin. 12. ignoscendi, l. *ignascendi.*
p. 224. c. 1. n. 3. lin. 5. quæ identificantur, d. vsque ad similia lineæ 6. & dele etiam totam lineam 8.
p. 225. c. 2. n. 2. l. 3. proprio, l. *impropriо*
p. 228. c. 1. n. 3. l. 16. extrinsecũ, a. *vt*, c. 2. n. 4. lin. pen. admittat, l. *amittat.*
p. 229. col. 1. n. 1. lin. 23. mittente, a. *neganerat.*
p. 230. c. 1. n. 4. lin. 9 accidat, l. *aiebat*, c. 2. n. 5. lin. 50. exiui, a. *& veni: & ostendens, quid esset à Deo exiui.*
p. 232. c. 2. n. 1. lin. 27. solum, l. *solem.*
p. 234. col. 2. n. 6. lin. penult. realem, a. *moralem.*
p. 235. col. 2. lin. 27. coniunxerit, l. *coniuxerit.*
p. 239. col. 2. lin. 5. ipsa, l. *ipse.*
p. 240. col. 2. n. 5. lin. 12. natura, a. *repugnat procedere, mitti.*
p. 243. col. 2 n. 3. lin. 23. subiectum, a. *significatur.*
p. 245. col. 1. n. 4. lin. 29 *cum*, d. vsque ad singularis inclusiuè.
p. 246. col. 1. n. 3. lin. 24. *non*, d. n. 4. lin. 9 procedit, l *præcedit.*
p. 255. col. 1. lin. 16. cum, a. *non*, c. 2. lin. 28. vterque, a. *non*, n. 4. lin. 23. fuaserit, l. *suus erit.*
p. 256. col. 2. n. 3. lin. 24. enim, a. *si adiectiuè.*
p. 260. col. 1. n. 3. lin 11. Trinit. a. c. 10. *n. 9. probo ex Boet. de Trinit.*
p. 267. est pagina 265. & vsque ad paginam 80. & in paginarum numerus emendandus.
p. 272 col. 2. lin. 1. pollet, l. *tollet*, l. 21. spidis, l. *spinis*, c. 2. n. 3. lin. 26. alienam, l. *alaum*, lin. vlt. res leuit, l. *replebit*, n. 4. lin. 4. lapis, l. *alapis.*
p. 274. col. 1. n. 1. lin. 9. idem, l. *itidem*, c. 2. lin. 1. dici, l. *diu*, n. 3. lin. 21. initiantem, l. *inhiantem*, lin. 27. parit, l. *prurit*, lin. 28. atque, a. *ne.*
p. 276. c. 1. n. 4. lin. 7. ac non, l. *ac nũc*, lin. 11. gentibus, l. *hæreticis*, col. 2. n. 6. lin. 15. excitatæ, l. *exsiccatæ.*
p. 279 col. 1. lin 24. Tsedecolamin, l. *Tsedec colamin*, col. 2. n. 1. lin. 16. mouet, l. *moneat.*
p. 281. c. 1. lin. 21 ædificiũ, a. *solius tẽpli*, lin. 35. ædificauit, l. *ædificabit.*
p. 282. c 1. n. 1. l. 50. ignaros, l *gnaros*, c 2. n. 3. lin. 30 priori, l *posteriori.*
p. 287. c. 1. l. 34. eædem, l. *cædẽ*, lin. 54. non, d. c 2. n 3. lin. 31. & naturæ, d.
p. 290. col. 1. n. 5. lin. 6. cognostici, l. *gnostici.*
p. 291. col. 1. lin. 35. dimeritæ, a. *apud*, c. 2. n. 4. lin. 4. quotquot, a. *vnam.*
p. 292. col. 1. n. 2. lin. 17. Areophalos, l. *Acephalos.*
p. 295. col. 1. lin. 2. alia, l. *aliam*, n. 6. lin. pen. alere, a. *nihil.*
p. 306. c. 2. n. 5. lin. 22. vaione, l. *vnione.*
p. 310. col. 1. lin. 1. in, a *non*, col. 2. lin. 32. &, l. *vt.*
p. 311. col. 2. lin. 22. huic, a. *non.*
p. 312. col. 1. n. 1. lin. 4. fine, habeam, l. *habebam*, col. 2. lin. 6. subiectiuũ, l. *subiectum.*
p. 315. c. 2. n. 4. lin. 33. Nec, l. *Hæc.*
p. 316. c. 2. n. 1. l. 12. intentũ, l. *interitum*, lin. 28. gaiẽtiæ, l *gainitæ*, l. 32. ephtartodicitis, l. *ephtartorditis*, li. 37. Phmartholatræ, l. *Phtartolatræ.*
p. 317. c. 1. lin. 33. ingcnitus, l. *ingcnitus*, lin. 36. constantini, l. *constanti.*
p. 323. c. 2. prol. controu. lin. 6. intelligentia, l. *indigentia.*
p. 325. c. 1. n 4. l. 28. certãda, l. *seruãda.*
p. 326. c. 1. l. 8. cõquiri, l. *cõquerì*, l. 16. cunctis minutatio, l. *cuiusvis minutulo.*
p. 327. c. 2. n. 1. l. 12. damnũ, l. *obiectũ*, lin. 23. satis, d. *fiat*, lin. 29. teneatur, a. *quia*, lin. 30. oblatum, l. *ablatum.*
p. 329. col. 1. n. 6. lin. 42. neminẽ, l. *nemo non*, col. 2. n. 7. lin. 27. *à loco*, d. ad vsque *exhiberi* inclusiuè.
p. 330. col. 1. lin. 7. iustitiæ, a. *satisfactio*, c. 2. n. 10. lin. 23. verique, l. *vtique*, lin. 30. obligari, a *non posse.*
p 332. c. 1. n. 2. l. 60. existẽtia, l. *exsistẽtia*, lin. 65. incarnatio, a. *non*, col. 2. lin. 32. vnumcumque, l *vnumque.*
p. 333. col. 1. ab *id* lineæ penult. fine inchoatur numerus 2.
p. 337. c. 1. l. 19. respicit, l. *recipit*, n. 3. lin. 7. quia, l. *cuia*, li. 25, alteris, l. *alteri*, col. 2. lin. 8. quæ ius, l. *quæuis*, n. 4. lin. 22. videt, l. *debet.*
p. 338. col. 1. lin. 24. iure, l. *iure*, lin. 27. sed, l. *&*, col. 2. n. 7. lin. 17. exigit, l. *exigi*, lin. 32. dicendum, l. *dicendus*, lin. 35. mortales, l. *mortale.*
p. 339. c. 1. prol. q. lin. 14. an proin, l. *ac proinde*, n. 1. l. 10. Panneg. l. *Bannes*, col. 2. n. 2. lin. 11. dominico, a. *fe.*
p. 340. c. 1. lin. 3. pendẽs, l. *independẽs*, lin. 15. fit, l. *nõfit*, n. 3. l. 25. vel, l. *nec ad*, c. 2. lin. 9. facta, a. *at hæc*, lin. 42. eiùsque, l. *iùsque*, l. 49. circa, l *citra.*
p. 369. col. 1. lin. 22. indignitas, l. *dignitas*, col. 2. n. 2. lin. 5. neque, l. *vt.*
p. 370. col. 1. lin. 2. satisfactionis, l. *satisfactoris.*
p. 372. c. 1. n. 1. lin. 13. alioquin, a. *nec.*
p. 373. c. 2. n. 7. lin. 45. meũ, l. *nucum*, n. 8. lin. 6. sunt, l. *sicut*, vni, l. *vnius.*
p. 374. col. 1. lin. vlt. amicitia, l. *inimicitia*, col. 2. lin. 15. errorem, l. *robur*, col. 2. n. 11. lin. 2. suspirer, l. *suspicer.*
p. 375. col. 1. l. 22. significatiua, l. *dignificatiua*, n. 1. l. 28. defendendæ, a. *ratione*, col. 2. n. 2. lin. 31. minimè, l. *minus*, lin. 34. Patres, a. *cum.*
p. 376. col. 1. n 3. lin. 24. tolleret, a. *quia*, col. 2. lin. 22. autẽ, a. *non*, n. 8. lin. 12. intenta, l. *incerta.*
p. 377. col. 1. lin. 4. absurdum, a. *de potentia absoluta admissum*, col. 2. n. 2. lin. 4. opus, a. *incarnatione.*
p. 379. c. 2. n. 2. l. 12. inducat, l. *pugnat.*
p. 385. col. 1. n. 5. lin. 8. non, l. *nos*, titul. 2. q. reprobationis, l. *reparationis.*
p. 388. col. 2. n. 1. li. 27. positiuo, l. *permissiuo.*
p. 389. col. 1. n. 2. lin. 19. Adæ, a. *cum hac ex parte antecedentis incompossibile*, n. 3. lin. 6. solum, a. *quare*, n. 4. lin. 9. intentio, l. *intentione.*
p. 390. c. 1. n. 3. l. 40. diuinitus, l. *diuinitas*, n. 4. l. 9 prius, a *vel* c 2. l. 1. impossibile, l. *possilile*, l. 10. impetu

tia,l.*impotentia*,n.5.lin.5.præſcindentia,l *præcedentia*.
p.391.col.1.n.2. lin.12. futurum, a. *vt*,lin.11.*quia*,d.
p.392.col.2.lin.4. fine quibus, l.*ſine cperibus*.
p.398.col.1.n.3.lin.3. exceſſus, l.*exciſſus*,col.2.lin.3.ſaluare,l. *ſaluari*, n.2.lin.vlt.procedere, l.*præcedere*
p.399.col.1.lin.6.illa,l.*illam*, lin.35. qua,l.*quare*.
p.400.c.2.n.3.lin.3. mutua, a.*diſiecit*.
p.401.col.1.n.7.lin.5. primum, a.*poſtea*, lin.11. tollendis remedio, l. *toilendi è medio*.
p.402.c.1.l.7.cæterũ,l.*cæterorũ*, c.2. prol.q.l.10.de ignatia,l.*Dei gratia*
p.403.col.1.n.1. lin.30. identificata, a.*non ſatisfaciamus*.
p.405.col.2.n 3. lin 20.poſſet,a.*non*, l.25. veniſſet,l.*viciſſet*.
p.406.c.2.n.6 l.24.ad phyſicandum, l.*phyſicam ad peccandum*,lin.41. in Marianæ,l.*Marianæ immunitatis*.
p.407.col.1.n.1.lin.38. callidiſsimus, l.*lucidiſsimus*.
p.408.c.2.l.13.relatione,l.*reuelatione*
p.412.c.2.l.2.potuiſſe,l.*non potuiſſe*.
p.416.c.1.n.1.l.6.animis, l.*vnionis*.
p.417.c.1.l.13.nõ,d.l.17.ſe,l.*te*,c.2. prol.q l.9.ſiquidé,l.*non quidẽ*,l.15. meritis,l.*meruerit*,n.2.l.6.ſi,l *non*.
p.418.c.1.lin.4.humanitatis, a.*ergo*, n.3.l.33.ſi, l.*non*, c.2.l.2.ſi,d.l.15. corpore,a.*operatur*, n 5.l.24.præuiſiui,l.*præuiſiui*,l 26.cura,l.*vera*.
p.419.c.1.n.2.l.27.quæ, l.*cum*,l.28. equi,l.*æquè*,col.2.lin.4. infinitum, l.*intrinſecum*,lin.26. contrahatur, a.*nequeat*.
p.421.col.1.n.1. lin.2. condigno,l. *congruo*,col.2.n.4.lin.28. opera,a. *meritum congruum*.
p.422.c.1.n.1.l.8.reſpondenter,l.*dependenter*,l.2 1,dignificet,a.*nequit*, c.2.n.3.lin.11.habet,a.*dignificari*, n.4.lin.2.verbo,a.*nequit*.
p.423.col.2.lin.21.qui, l.*quia*,n.3.li. 15.prudentia,l.*prouidentia*.
p.424.c.1.n.5.l.9.mũdi,l.*meritdi*,c 2. l.13.conquuturos,l.*conſecuturos*.
p.425.col.1.n.1.lin.14.muneri,l.*mereri*,col.2.lin.6.ec Dei,l.*nec Dei*,n. 3.lin.1.initium,l.*meritum*.
p.426.col.2.n.1 lin.23.nutu,l.*metu*.
p.427.col.1.n.1.lin.5.aiunt,a.*non*,lin. 17.hymno,l.*ethymo*.
p.428.c.1.n.5.l.22. euenit, l *euincit*, n.1.l.7.eruendo,l.*cruento*,lin.9 benedicũtur,l.*benedicentur*,l.14.iſtorum,l.*iterum*,lin.17.ſui,l.*tui*,col.2 n.2.lin.9.vox,l.*vix*,n.3.lin 17.cũctus,l. *euentus*.
p.429.col.1.n.5.lin.15.non,d.
p.430.c.1.l.7.ad,l.*da*,n.4.lin.6. ſanitatem,l.*ſanctitatẽ*,c.2.l.6.elicient, l.*elucent*,n.1.lin.4.omnia,l.*enim*.
p.438.col.1.n.1.lin.23.ſed,a.*peridiomatum communicationem*.
p.441.col.2.n.2.lin.24.licet,a.*non*.
p.442.col.1.n.1.fine,a.*ſenſum*, col.2. n 4.lin.25.nunquam,a.*non*,n.5.lin. 5.complacui,l.*placui*,lin.18. magnifica,l.*à magnifica*.
p.443.col 1.prol.q.lin.11.excerptio, l.*excerptim*.
p.444.col.2.n.2.lin.26.alioqui,d.
p.446.col.1.lin.24.æqua,l.*ex qua*.
p.448.col.2.lin.15.init. adoptatur,l. *adaptatur*,n 3 lin.8.quis, l.*quia*,li. [illegible]
p.452.col.2.n.4.li.8.ægro,l.*de agro*, lin.56.vt,l.*&*.
p.453.c.2.n.2. l.44.oſtendit dæmon, l.*oſtẽdat dæmoni*,lin.46. Dei,*l eius*.
p.455.col.1.n.3.lin.15. tamen,a.*non*.
p.456.col.1.li.15.vocatione,l.*vacatione*,lin.20.init.eſt,l.*aſt*, col.2.li. 20.communicatio,l.*comminatio*.
p.457.col.1.n.1.lin.13.per oratione, l.*per oratione*,col.2.n.3.lin 17.nõ, l.*nos*,lin.10.propter,l.*præter*.
p.462.col.1.n.2 lin.9.quod,l.*quo*.
p.463.col.1.n.5.lin.6. immediatè, l. *mediatè*.
p.464.c.1.l.11.diuerſus,l.*diſcurſus*.
p.467.col.2.n.3.lin.18. Maximin. l. *Maximus*.
p.470.col.1.n.2.lin.7.eſt,a.*non*, l.23. quod, l *quoad*.
p.471.col.2.n.4.li.31. creata, a.*cum*.
p.472.col 1.n.1.lin.7.incompoſsibilem,l.*incomprehenſibilem*.
p.473 col.1.n.5.l.9.entitatem, l.*idẽtitatem*,col.2.n.2.lin.4. ſe,l.*ſæpe*.
p.474.col.1.lin.14.caro,l.*& caro*,n. 4.lin.3.ſe,d.
p.477.col.2.n.1.lin.9.Reus,l.*Deus*.
p.478.c.1.n.2.l.21.quæſtio,l *quæſito*, n.3.lin.23.Chriſtus,l.*Chriſtis*,c.2. n.1.l.11.ſignificanda,l *dignificãda*.
p.479.c.1.n.2.l.23.peruenit,l.*præuenit*,c.2.n.1.lin.5.different, l.*diffic*.
p.480.c.1.n.2.lin.17.audaciter,l.*audacter*,c.2.n.5.lin.2.vero,l *voco*,n. 6.lin.11.repugna,l.*repugnate*.
p.482.c.1.n.2.l.12.ſãctificatur,a.*vi*.
p.483.col.1.n.1. lin.26. infinitum,l. *ſinitum*.
p.485.c.1.n.1.l.19.dubitando, l.*dubitabundo*,c.2.l pen.ac,l.*ãre*.
p.487.c.1.li.5.Deum,l.in *Deum*,n.1. l.20.differentia,l.*indifferentia*.
p.488.col.1.l.8. ſcientiam, l.*ſententiam*,c.2.n.3.lin.pen.Chriſti,a.*cui*. p.489.col.1.lin 18. dependenter,l. *independenter*.
p.498 col.2.n.3. lin.23. diſſentienti, l.*diſſentiri*.
p.499.col.2.n.2.lin. 20. ſecundum, a. *humanam*.
p.500.col.1.n.4.lin.14.&, l.*eſt*,l 17 imperfectioris,l.*perfectioris*,col.2. n.2.lin.8.neutrum,l *ad neutrum*.
p.503.col.1.n.4 lin.10. quibus, d.ad aliud *quibus* incluſiuè.
p.504.col.2.lin.16.habitualiter, l.*nõ habitualiter*.
p.505.col.1.lin.7. virificum, l.*viuificum*, lin.40.profecta, l *profectu*, c. 2.n.4.lin.26.de,l.*vt de*.
p.506.col.2.n.4 lin.16. fratré putas, l.*vel ex errore fratrẽ putantis*,prol. controu.lin.13.hanc,a.*de*.
p.507.col.1.n.1.lin.8. conſpiratio,l. *conſpirato*.
p.510.col.2.n.4.lin.19. obſeruandũ, l.*abſurdum*.
p.511.col.2.n.6.lin.9. fateor, l.*nego*, lin.11.nego,l.*fateor*.
p.514.col.2.n.1.lin.21.ſed nõ,d.*non*.
p.516.col.1.n.5. lin.4. ſupernaturalis,l.*naturalis*.
p.517.col.2.n.1.lin.20.non,d.n.2.li. 25.poteſt,l *poſſunt*.
p.521.col.1.lin.6.præterea, l.*præter*.
p.522.col.2.n.1.lin.31.ſolum,a.*non*.
p.527.col.2.n.4.lin.35. perfectionẽ, l.*poſſeſsionem*,lin.46. negans, l.*negant*,n.5.lin.21.de,l *&*.
p.528.col.1.n.1.lin.10.docet quam, l.*docet quin*.
p.531.col.2.n.5 lin.17.atque,l.*æquè*, *ac quod*.
[illegible] col.1.n.1. lin.18. fumigauit,l. *fumigabit*.
p.534.c.1.n.5.l.14.quare, l.*qua*,n.1. lin.13.vero,a.*triſtitiam*,li.21.ſuo, a.*vi*,c.2.n.2.lin.2 ſimul,l *ſi ſimul*.
p.537.col.2.lin.9.de eo,l.*Deo*.
p.538.c.1.n.1.l.19.quiſquis,l.*quis*,li. 38.humanitas,l.*humanitatis*,l.39. Chriſtus,l.*Chriſtis*,c.2 l.5. ſciẽtijs l.*ſentẽtijs*,n.3.l.3.illam,l *nonillam*.
p.540.col.1.lin.6.& col.2.n.1.lin.1. & 19. intentio, l *intenſio*, lin.29. poſſe, l.*non poſſe*.
p.543.col.1.n.2.lin.11.gratiam,l.*ad gratiam*, lin.26.infinita,l.*finita*.
p.548.col.2.n.4.lin.19. ſtricto, l.*non ſtricto*,lin.27.motia,l.*motio*.
p.549.c.1.n.6.lin.33.ad illis, l.*illius*, lin.34.admitteretur,l *amitteretur*, lin.36.cuius,l.*cuuus*,l 37.admittitur,l.*amittitur*,& ibi,ac lin.40.diſputationis,l.*deſperationis*.
p.550.col.1.lin.3.neque,l.*æquè*,l.5. temperantiæ,l.*intemperantiæ*.
p.551.col.2 n.4.lin.9. *non ſecundũ*,d.
p.558,col.1.n.4.lin.20. Nab, l.Naz, col.2 n.2.lin.19. res, l.*re*, lin.25. maleſuadet,l.*maleſuadis*.
p.559.c.1.n.4.l.1.Ioan,l.*Ioar*,l.12.monet,l.*rõ eſt*,n.5.lin.21.quia, l.*quin*.
p.560.c.1.l.32 qui hæc,l.*cui hac*,c.2. n.5.l.15.complura adeo,l.*cũplura à Deo*,lin.16.finitum,a. & *infinitũ*.
p.562 c.1.prol.q.l.7.ornaretur,l.*onaretur*,c.2.n.2.l.26 luop,l.*Lugo*.
p.563.col 2.n.1.lin.7 & 14.viſione,l. *viſio non*,lin.11.atqui,l.*at*,*quæ*.
p.564.col.2.n.3.lin.29.inferior, l.*ſuperior*,n.4.lin. 2.extra,l.*orto*,li.12. ob,l.*ad*,lin.33.Dei,l.*ei*, col.1. lin. 3.Bernol,l.*Bernal*.
p.567.col.1.n.6 li.6.videat,l.*rideat*, lin.24.feſtinante,l *feſtimane*.
p.568.col.1.lin.28 Bruiz,l.*Ruiz*,col. 2.lin.10.præmium,l *meritum*.
p.569.col.1.n.1.lin.35 ei,l.*non*.
p.570.col.1.n 5.lin.15.licere,l.*elicere*,c.2.n.1.li.penult. cuius, l.*huius*.
p.571.c.1.n.3.lin.5.eſt,l.*aſt*,n.4.li.5. ergo,a.*nec*,c.2.lin.29. diſiunctã,l. *diſiũctim*,alteri eius,l.*alterius*,l 38 admittendi,l *omittendi*,l.41.diſſolutum,l.*diſſonum*,col.1.n.1.lin.12. afferẽtia,l.*afferrent*,lin.16.noluiſſe,l *percaluiſſe*,col.2. n.3. lin.28. opponi,l.*apponi*.
p.571.col.2 n 2. lin.34. emptionem, l.*motionem*.
p.574.c 1.n.5.l.6.fuiſſe,a.*ob demerita*.
p.575.c.1.n.3.l pen pretiũ,l *præmiũ*, c.2 n.6.lin 10.non dari,l *notari*.
p.577.col.2.n.3.lin.24.libertas, l.*liberalitas*.
p.579.col.2.n.2. lin.15. qualitate, l. *æqualitate*.
p.580.col.1.n.6.lin.1.eruditi, l.*exudari*,lin. 28.ſuras,l.*curas*.
p.581.col.2.lin.5.quæ,l.*qua*, li.6.voluntas,l.*voluntatem*,lin.7.opus, a. *non*,abet,d.
p.582.col.2.n.4.lin 12.ferè,l.*fore*.
p.583.c.1.n.5.l.3.eſſentialis,l.*accidẽtalis*,li.19.reſignationis,l.*deſignationis*,n.2.lin.4.Rap.l.*Rup*.c.2.lin. 5.limeen,l.*Simeon*,ep.l.*exp*.lin.11. Amalaraus, l. *Amalaricus*, lin.19. impetrationem, l.*& impetratione*.
p.584.c.2.n.2.l.14.matrim l.*Maxim*. n.3.lin.8 Chryſoſt.l.*ſcio Chryſoſt*.
p.585.col.1.li.8. vindicaturum, l.*iudicaturum*.
p.586.c.2.n.2.lin.20.infert, l.*influit*.
p.588.col.1.lin.12, moueret, a.*expectet*,col.2.lin.28,quamquã, l.*quã*.
p.594.col.1.lin.18.auctores,l.*auctiones*,n.5.li.30.contrahendi, l.*cõtrahenti*,c.2.n.7.li.10.horis, l.*choris*.
p.595.col.1.n.8.lin.9.ergo,l.*ego*.
p.596.col.1.lin.5 vita,l.*data*.
p.598.c.1.li.46.diuinitatis, l.*diuinationis*,prol.q.l 4.nemine, l *nomine*.
p.600.col.1.n.3.lin.6.obſtat,l.*cõſtat*.
p.601.col.1.lin.2.præferri,l.*referri*.
p.602.col.1.lin.4.quæ, l.*que*, lin.38. ad,l.*ab*.
p.604.col.1.lin.26.ſed, l. *de*, lin.33. quæ,l.*qua*.
p.608.col.1.n.5.lin.9.è ſua, l.*& ſua*, lin.10.Aug d lin.37.ſequebantur, *iuxta*,col.2.n.2. lin.10. perpetrarunt,l.*perpetrantibus*.
p.609.col.1.lin.9.duri,d.
p.610.col.1.n.3.lin.26.citatur, l.*vitatur*,col.2.lin.7.conuerſus,l.*concurſus*,titul.certam.1.à Deo,l.*ideo*.
p.613.col.1.n.4.lin.5.atrius,l *acrius*, lin.penult.à Deo,l.*adeo*.
p.614.col.2.n.3.l.17.Nathan, l.*Mathan*,lin.10.Nathar,l.*Mathat*, lin. 20.fiſcos,l.*filios*.
p.617.col.1.lin.3. duobus, a.*fratribus*,n.2.lin.20.Matt.l.*Machab*.
p.618.c.1.l.4.diſparationis,l.*diſputationis*,c.2.n.4.lin.13.ducit,a.*que*.
p.619.col.2.prol.q. veteribus, a.*qui*, n.1.lin.1.eſt, a.*Chriſtum*.
p.621.col.1.lin.5.iuſsit,l.*vixit*,col.2. n.1.fine,tenere,l.*non tenere*.
p.624.col.1.lin.18.licitus, l.*illicitus*.
p.626.col.2 lin.9.ſi,l *ſiue*, l.17.æternæ,l.*eterne*,lin.31.vera,l.*vero*.
p.629.c.1.l.7. thymiamus, l.*thymiama*,n.2.l.40.fin.ſanctifico,l.*ſacrifico*,l.41.officio,l.offero, c 2.n.4.li. 26.ſacrificatoria,l.*ſatisfactoria*,li. 34.ſanctificationẽ,l.*ſatisfactionẽ*.
p.630.c.1.n.2.lin.22.corrumpatur,l. *corrumpetur*,c.2.l.2.amore,l *omne*.
p.631.col.1. lin.1.genus, a.*requirit*, lin.10.circa,l.*citra*,lin.34.veràmque,a.*propitiationem*.
p.638.c.1.n.2.l.13.afferre,l.*auferre*.
p.640.c.2.n 4.lin. 24.morem,l.*mortẽ*.
p.642.c.2.prol.q.lin.6.amat, l.*emat*.
p.650.col.1.n.2.lin.11.denominationem,l.*dominationem*.
p.652.c.2.fin.iudiciorũ, l.*iudiciariũ*.
p.654.c.1.li.12.iudicium, l.*iudium*.
p.659. col.2.n.3. lin.17. propriè,l. *propria*,lin.35.ac, l.*ad*, n.4. lin.5. longè,a.*antea*.
p.660.c.2.n.2.l.8.animus,a.*colitur*.
p.662.col.2.n.1.lin.4. tamen, a.*non*, n.2.lin.27.vnita,l.*vnitæ*.
p.663.c.2.n.2.l.22.videat,l.*rideat*.
p.664.col.1.n.3.li.4.quia,l.*quin*,c.2. n.2.lin.17.metia,l.*etiam*.
p.666.c.2.lin.19. Petrus eſt,a.*homo*,l. 17.humanus,a.*negans Deũ,propriè humanum*,col.1.prol.q.lin.1.communicatio,l.*communicationem*.
p.671.col.2. lin.1. de, d.n.3. lin.11. acceptatione,l.*exceptione*.
p.673.col.1.lin.11.ſicut,l.*ſecus*.
p.675. col.2. prol.q.lin.5. materiali, l.*naturali*.
p.676 col.2.n.5. lin.22. videamur, l. *rideamur*.
p.680.col.1.n.2.lin.4.notare, l.*notave*,lin.5.pronomen,l.*pronomine*.
p.683.c.1.l.3.ſic,l.*ſit*,lin.6. in rem, l. *in recto*,li.12.deitatem, a.*vrgentẽ*.
p.684.col.1.lin.5.vero,l.*verè*,lin.22. vocans, l.*vacans*.
p.688.col.1.n.4.ſub fin.militibus, l. *millibus*.
p.690 c 1.n.4.l 5. perfectis,l.*perfectis*.
p.692.col.1.n.1.lin.6.nomen,l.*ea*.

LECTORI.

HAbes, ſtudioſe Lector, librum, nec de amicorum precibus ſtolidè, nec de Superiorum obedientia ſuperbe cuſum. Multum enim artificioſa diffidentia de ſcriptis confidunt ſuis, qui eis pro bono publico euulgandis, non attentam modo, ſed & intentam obedientiam profitentur. Nec ſatis cordatè tantum amicis tribuitur, vt eorum precibus in publicum detur, quod luce indignum iudicatur. Cum enim amicorum preces cartham non emendent: qui eis ſolummodo victi; ſcripta euulgant ſua amicorum rogatu; & ſe & illos diffamaſſe teſtantur. Quid ni mentiantur, ſtolidius? Nos igitur (quibus, nec tantus ingenij faſtus, vt ad huius noſtræ opellæ euulgationem ſuperiorum ſperaremus præcepta: nec tantus noſtræ famæ neglectus, mentiſve ſtupor, vt ſacris amicitiæ aris, & noſtra, & amicorum ignominia litandum putaremus: nec tanta in veritatem irreuerentia, vt lectorum beneuolentiam mendacio captare animus eſſet) labores hoſce prælo, aliorumque iudicio ſubdere animo concepimus, quia, nec prorſus, & nobis indignos, & lectoribus inutiles fore iudicauimus. Obſtirmauerunt animum iudicij huius nouem annis (quos totus de Horatiano illo notiſſimo: *Nonum conditur in annum*, operi emendando, ac perficiendo impendimus) tentata ſæpe, ac toties repetita conſtantia: cum iam à nouitate opus frigeſceret, quieſcerent recentis cogitatus pruritus, ac proprij adinuenti illecebræ, lenociniaque declinaſſent: Sapientium inſuper hominum, quorum doctrinam in pretio habebamus, non precabunda quidem, ſed nec precaria ſuffragia: demum ſuperiorum, quos penes, & noſtri, & religionis famæ cura erat, nullis artibus extorta cudendi facultas. Atque hæc quidem omnibus ad lucubrationes cordatè edendas ſcriptoribus ſatis fuere; tranſcriptoribus autem diuturna noſtra meditatio ſupereſt: niſi ad laboris ſupputationem veniat ſtudium alienum. In opere moliendo, perficiendoque ſolius veri indagandi viguit amor: ſimplici ingenuæque veritatis ſtudium exarſit. Nec libro incubui, calamumve arripui, quin Deum, luminum Patrem, totiuſque ſapientiæ authorem veritatis lucem enixe oraſſem. Syncero huic veritatis amori, qui *talibus hoſtiis*, qua veritas eſt, *promeretur Deus*, annuit fortaſſe; non nouitatis, & dicendi, quæ ex priſcis ſapientibus dixerit nemo ſtudio facillimo: cum nihil ſapientibus dictu longius ſit, quam, quod ineptius, atque à ratione ſanè remotius eſt, & nouitatis ſtudioſis propinquius. Neque verò cenſeri ex illis velim, qui nouitatis prætextu difficiles ſe præbent veritati. Ex nouis enim vetera, non autem ex falſis vera temporum fieri tractu poſſunt. Cumque vetus nihil inueniatur, quod priusnon, quam poſt modum exuit, nouitatem induerit: verendum quidem eſt, ne dum nimio antiquitatis amore nouitatem refellimus improbemus, quæ ex ipſa naſcitur, vetuſtatem. Non ergo eo ſolum nomine deſpiciendæ ſententiæ, quod iuniores, prætextatéque ſint; ſi tamen eis fundamentis nitantur, vt quam puericiæ veſtem accepere, fecerint triumphi. Et nos igitur aliquid inferenda ſententia audere poſſumus primi: ita vero, vt iure non videamur fore poſtremi. Veterum itaque opiniones nouis, nouitiiſque rationibus tentandæ ſunt: vt appareat demum, ſuæne, quod tandiu ſteterint, debeant firmitati? An noſtræ deſidiæ? Non tamen, niſi vrgente ratione, ab eis abſcedendum. Nouimus enim quid primis debeatur, quid canis ſententiæ: multumque differre mouerit Theologiam Doctor, an promouerit? Ideireo odi peſſimè eorum genium, an morem? Qui ex contentione cum magnis viris, præſertim antiquioribus ſuſcepta gloriam captant: cum ſint ipſi per ſe inglorij: nihilque in aciem diſputationis afferant præter aduerſandi ſtudium viribus deſtitutum, cor audacia, & petulantia armatum, rationem prorſus inermem, longeque imparem auſibus conatum. Indè

Horatius in arte Poëtica

Ad Hebr. 13. num. 6.

Pueritiæ, & triumphus apud Romanos in prætexta agebantur.

R. P. Chriſtoph. de Ortega de Trinit. ẽ illis

illis in aliarum à ſuis opinionum authores ad manum dicteria, atque ad calamum cenſurarum profluuia, quibus plurium ſæculi huiuſce ſcriptorum exundant carthæ : dum ferro ſibi cum ſcriptoribus aliis agendum putant, eaque omnino prælo paranda, quæ prælio inſeſi, haud dubio politioris ſæculi, vbi calamus pro ſtylo eſt. Nobis autem, & priſcos Doctores (quorum ſcilicet lucubrationibus, ea etiam debemus, quibus illos quandoque impugnamus) reuereri, alienaſque ſententias honorare amor ſemper fuit. Ideò fere omnes Scholaſticorum opiniones grauibus cenſuris ab aliis notatas (ſunt autem in rebus hiſce quamplures) ex attenta genuina, ac ſyncera teſtimoniorum, quibus damnari videbantur, interpretatione ab eiuſmodi notis vindicamus, vt propria cuiuſque ſede oſtendemus. Nec niſi in vnam, vel alteram cenſuris inuehimur : grauem doctamque Gabrielis Vaſquez modeſtiam ſecuti, qui, vt Theologis reliquis eruditior, eo fuit in aliorum ſententiis notandis moderatior : nimirum facto hoc ſuo oſtendens frequentes alienarum opinionum cenſores minus eruditos eſſe oportere. Sic Videas Theologaſtros vulgares, qui, ne, vnius quidem, Patris librum, niſi fortè ex inſcriptione, norunt, ſolumque vnum, vel alterum truncatum Scripturæ teſtimonium è ſudata carthula, ignotique lectoris codiculo, ſono tenus, atque in fide, vt aiunt, parentum didicerunt, ſub ignorantiæ ſuæ noctem animoſe Doctoribus aliis grauibus oblatrare cenſuris. Sed vero nocturnos canum latratus non animoſitatis effectum eſſe, ſed meros iam pridem docebat Ariſtoteles Quoad operis huius materiam attinet ex his omnibus, quæ de Trinitate, & incarnatione hactenus à Patribus, & ſcholaſticis obiter adhuc, vel ſunt diſputata, vel dicta, per otium diſputatis conſtat : vt qui integrum legat, nullum ex priſcis ſiue ſcholaſticis, ſiue controuerſiſtis, aliud de rebus hiſce iure deſideret : ne illud quidem ingens, atque eximium noſtri Didaci Ruiz de Montoya : ex quo, ne vnum fere, teſtimonium omiſimus : licet grauioribus, ac difficilioribus noſtras, & textui, & intento Patrum fortaſſe accommodatiores interpretationes ſubiiciamus. Neque tamen : quam poſſem multis prælum grauaui : gnarus firmiorum corporum eſſe digerere omnia, nec, ſi in rudiora incidant alimenta, egerere pauca. Non enim eos, qui ſtruunt, vt artifices commendes, ſed, qui conſtruunt : lima denique, aut ferramentum quodpiam non polit, quin detrahat : vt quantum materiæ perdit augeat ſplendoris. Quoad methodum ſpectat in tot examinãdis difficultatibus id in primis curaui, vt nihil implexum, complexum, æquiuocumve, ſed ſimplex categoricum, præmiſſaque quæſtionibus ſingulis tituli explicatione dilucidum, & vniuocum proponerem : ne opinionum amphibologiis, ac difficultatum ſubterfugiis locus ſupereſſet vllus : ſed bonis potius, quæ fuerint, deciſionibus lectoris animus quieſceret ; malis vero decipi non poſſet : mallem enim, quam apertè non intelligi, apertè conuinci. Earum item difficultatum, ex quibus aliarum deciſio, vel exacta pendet intelligentia, examen præcedit : ne pluribus mens ſimul intenderet, anxieve pendula circa concluſionis firmitatem hæſitaret, vel tandem, magnam partem, ſententias noſtras crederet, quam ſciret. Idcirco exactam de ſubſiſtentia diſputationem totius operis, in quo frequens de illa ſermo neceſſariò futurus proœmium fecimus. Aliorum opiniones ſeorſim proponimus expendimus, atque à fundamentis fideliter, qua potuimus, relatis impetimus : nec malas eorum ſolutiones fingimus, vt benè impugnemus ; imò eis tuendis de noſtro ſæpe nonnulla ſubiicimus. Multa ibi ad res haſce argumentum ſeges : atque ad alias Philoſophicas, & Theologicas diſputationes ſemina non pauca. Eis vero, qui noſtram ſolum doctrinam, vel noſſe adeant, vel defendere, ſeorſim etiam certaminibus quæſtionis cuiuſque poſtremis poſuimus fundatam, atque ab oppoſitionibus aſſertam. Quoad ſcribendi ingenuitatem : nihil, quod alterius, etiam ignoti Recentioris ſit nobis arrogamus ; ſed ex aliis nos diciſſe expreſsè fatemur. *Ingenui enim* (Senior Plinius aiebat) *ac plene pudoris animi eſt fateri per quos profeceris.* Nec video cur eum pigeat, qui deplorati prorſus ingenij non ſit, proprios ſententiarum parentes aperire. An quæ vbere, atque eleganti cingitur prole alterius premat fœcunditatem ? Procul illi pudoris, liuioriſque cauſæ, qui bonos, vel comitari, vel anteire ſperat, meliores ſequi. Si de doctrinæ noſtræ ſchola dubitas, omnium diſcipulus ſum, nullius iuratus, niſi vero ſimilioris : ac enim, ſi qua, ad veritatem, quo tendimus, ibitur. Æquè ideo noſtros, atque externos, vbi mihi recedere à veroſimiliori viſi ſunt, impugno : æquè item extraneos, ac proprios, cum propius ad verum acceſſiſſe videntur, lubens Magiſtros ſequor. Vna ſiquidem mihi, dum ſcribo, religio cum illis omnibus eſt, qui vbiuis veritatem profitentur. Philoſophiam Theologiæ, vt par eſt, ancillari feci non inuitam : Sponte enim ſua philoſophia noſtra ad fidei, & Theologiæ dogmata venit. Quo effectum eſt, vt in tantis, tamque abditis myſteriis ratio, nec horreat, nec hæreat : nevè, vt in nonnullis ſcriptis deprehendi, quidquid

Plin. in proœm. hiſtor. nat.

quidquid legitur credendum ſit : pluribuſque myſteriis mentem diſcurſus theologici onerent, quam fides ipſa, quam explicant : quaſi in myſteriis ipſis pauca haberet homo, quæ crederet. Curauimus igitur, vt Philoſophia myſteriorum difficultates, non augeat, ſed euacuet : fidemque non obſcuret, ſed illuſtret : mutuoque fœnore maiorem firmitatem, authoritatemque recipiat ex certis illis quibus explicandis, confirmandiſque concordat. Sed verò diſputationes Theologicas iam pridem ab effœminatis, & mollibus philoſophicis argutiis ad Theologicum robur attenta, atque indefeſſa Scripturæ, Patrum, & Conciliorum Lectione, acrique iudicio à noſtro Gabriele Vaſquez ; primum, deinde à Didaco Ruiz reuocatas, atque iterum (proh dolor!) Sophiſticis argumentatiunculis, pauciſque, & perfunctoriè expenſis teſtimoniis Patrum ab aliis in alios, quaſi per manus, nullo diſcrimine datis nulloque examine acceptis ſuſque deque agitatas ſeria, diſtentaque Patrum, & Conciliorum meditatione, atque interpretatione ſolidè, ac viriliter tranſigimus. Sed ſciſciteris cur ſecundum tunc Theologiæ noſtræ tomum non ſuo loco ædamus poſt primum? Concilium crede, non caſum. Antiquior Tomi primi labor eſt, vti ex principiis Theologicis, quibus hoc vtimur tomo, facilè patebit : ſecretiori tamen repoſitus loco, quam vnde fures effodiant, & furentur ; huius verò tomi controuerſiæ publice è Cathedra dictatæ : & in quibus edendis ab aliis, qui plus iuſto, & libito noſtro alienas cogitationes præſtis honorant, poſſemus præueniri. Demum Lectorum in ſtudendo facultati, voluptati, vtilitatique conſulentes, præter hanc præfatiunculam, totius operis, & rationem, & compendiarium indicem his, qui ex prologo ſolùm diſcere amant, accommodatiſſimum, quinque alios adiecimus Primum controuerſiarum, Diſputationum, Quæſtionum, Certaminum, & concluſionum. Secundùm teſtimoniorum ſcripturæ, quæ, vel obiter, vel ex profeſſo explicantur. Tertium rerum, & verborum. Quartum eorum quæ aliis, ſiue Philoſophicis, ſiue Theologicis diſputationibus inſeruire poſſunt. Quintum inconſequentiarum, quas in aliorum doctrinis variis deprehendimus : quo facilè quiuis contra cuiuſuis ſcholæ ſectarios ad hominem valeat arguere nulloque labore in theſibus, ſiue propugnandis ſiue oppugnandis inconſequentias notet, vt euitet ; vel impugnet, vel certè earum cohærentiam melius nobis inueniat. Hæc habui (ſtudioſe Lector) quæ tibi offerrem, ac publicæ, vt opto, fidei horum myſteriorum, Eccleſiæque vtilitati impenderem forte non aſſecutus. Tamen non erit illaudata voluntas. Præſertim, cum quidquid in rebus tantis errauerit mens, & melioti tuo, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ certiſſimo iudicio, correctionique ſubmittat. Vale, & vſque. Vale.

CENSVRA.

Del P. Sebastian Yzquierdo, Lector de Theologia y Calificador de la suprema.

NOn solum probabile, sed verum mihi est, personas diuinas nostro modo concipiendi, seu metaphysicè proprietatibus ex suo conceptu absolutis constitui constitutione primaria, vt sentit Author huius quæstionis. Moueor (præterquam in ea propositis satis doctè) quia vbicumque nos concipimus *producere*, aut *produci* non possumus non concipere *posse producere*, aut *produci*, & *subiectum*, quod potest producere, aut produci, vt tres conceptus obiectiuè præcisos: ex quibus *subiectum* primarius, & absolutus conceptus est: posse autem (qui & actus primus, siue potentia) secundus conceptus est, & respectiuus ad tertium, qui est actus secundus productionis, aut actiuæ, aut passiuæ: actus autem secundus productionis etiam est conceptus respectiuus, aut ad terminum productum, si est productio actiua; aut ad principium producens, si est productio passiua. Cum igitur in Deo *subiectum* (formaliter, siue ex conceptu suo omnino absolutum, vt ab aliis conceptibus præcisum) potens producere, aut produci ad intra, non fit essentia sola, vt constat, nequit non esse quoddam constitutum ex ipsa essentia, & proprietate personali ex suo conceptu absoluta. Persona igitur in primo illo signo, vbi concipitur, vt subiectum, quod per potentiam sibi ratione nostra adiectam, denique per actum secundum tali potentiæ seu actui primo respondentem, etiam ratione nostra adiectum redditur potens producere, aut potens produci, vt producens que, vel producta, nequit non prioritate quadam rationis, atque adeo constitutione sic primaria per absolutam proprietatem concipi constituta. Quæ quidem proprietas, tum fundamentaliter respectiua, quatenus fundat duos sequentes conceptus formaliter respectiuos actus primi, & secundi, tum realiter adæquatè identificata cum talibus actibus est. Quo quæcumque possunt opponi facile diluuntur. Ita censeo saluo, &c. In Collegio Matritensi Societatis Iesu, die 21. Iulij anno 1652.

SEBASTIANVS YZQVIERDO.

CENSVRAM hanc approbarunt & eisubscripserunt, R.R.PP. Agustin de Castro, Francisco Ruiz, Padro de Biuero, Manuel Pardo, Ioseph Spuches, Diego Iello, Iuan de Valencuela, Ioseph Garniço, Gaspar de Ribadeneyra, Mathæo de Moya, Lucas Guadin, Andres Mendo, Ioseph de Villemayor, Diego de Fuente Hurtado, Pedro de Ouiedo, Luis de Riuas, Antonio Perlas, Ambrosio de Peñalosa.

FRANCISCVS.

FRANCISCVS DE MONTEMAYOR Societatis IESV, in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Goswino Nickel Præposito Generali, facultatem facio, vt duo Tractatus alter de Trinitate, & alter de Incarnatione Verbi Dei, à P. CHRISTOPHORO DE ORTEGA Theologo Societatis IESV conscripti, & Grauium, Doctorúmque Hominum eiusdem Societatis iudicio approbati, Typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti, in nostro Collegio Imperiali die 15. Mensis Septembr. anni 1652.

FRANCISCVS DE MONTEMAYOR.

APPROBATIO.

EVERENDI P. Christophori de Ortega Sanclementini è Societate IESV, Tractatus duo, quorum vnus de Trinitate, alter de Incarnatione nedum sine obice imò cum laude, & vtilitate prodire possunt Actum Lugduni hac die quinta Octobris anni Domini millesimi sexcentissimi sexagesimi-tertij, per me Doctorem infra scriptum Parisiensem.

P. IOANN. ROBE'

Ego quoque idem censeo F. Cyrillus Morel, eiusdem facultatis Doctor Theologus, nec non Carmeli Lugdunensis Prior.

Consensus Vicarij Generalis.

IISA Doctorum Approbatione typis mandari permittimus, hunc supra dictum Librum R. Patris Christophori de Ortega de Trinitate, & Incarnatione. Lugduni sexta Octobris millesimi sexcentesimi sexagesimi-tertij.

DENEVVILLE Vic. Gener.

LICENTIA.

NOn intercedo Regis causa ne liber cuius Titulus est. *R. P. Christophori de Ortega Sanclementini è societate IESV, Tractatus Duo de Trinitate, & Incarnatione.* Imprimatur; & in lucem edatur ab Horatio Boissat, & Georgio Remeus huiusce ciuitatis Bibliopolis cum prohibitionibus aliis omnibus in hoc casu fieri solitis. Lugduni die 6. Octobris 1663.

VIDAVD.

IAT iuxta consensum Procuratoris Regij, die septima Octobris 1663.

DE SEVE.

INDEX

INDEX

DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, Certaminum, & Controuersiarum de Trinitate, & de Incarnatione.

NVMERVS PAGINAM INDICAT.

DISPVT. PROOEMIALIS.

DE subsistentiæ, ac personalitatis essentia, p.1
QVÆST. I. De occasione distinctionis subsistentiæ, & personalitatis à natura dignoscendæ, ac de suppositi, & personæ definitione. ibid.
CERTAM. I. Subsistentiæ hypostasis voces, earùmque vsurpatio. ibid.
II. Hypostasis ad personam restrictio atque vtriusque definitio. p.3
QVÆST. II. Quidnam subsistentia supra naturam singularem addat? p.4
CERTAM. I. Priscorum hac de re opiniones confutatę. ibid.
II. Celebris, & vulgatissimæ opinionis recentiorum confutatio. p.5
III. Cardinalis de Lugo impugnatus, p.6
IV. Petri Vuadingo, & Augustini Bernal. opinatio subuertitur. p.17
V. Proprium, ac verum ex Patribus, & scholasticis subsistentiæ, & personalitatis iudicium. p.9
VI. Obiectionum solutio. p.12
QVÆST. III. De subiecto subsistentiæ, & personalitatis, ciusque diuisibilitate. p.13
CERTAM. I. Partes indiuidui substantialis subsistentiam non habent. ibid.
II. Subsistentia pro materiali quandoque diuisibilis est, pro formali semper. p.14
QVÆST. IV. De necessitate, oppositione, atque efficienti causa subsistentiæ. p.15
CERTAM. I. De necessitate, & oppositione subsistentiæ propriæ cum aliena. ibid.
II. De oppositione subsistentiarum alienarum, atque efficienti causa subsistentiæ. p.16

CONTROVERSIA VNICA.

DE Trinitate. p.17

DISPVTATIO I.

DE notitia huius mysterij. p.17
QVÆST. I. Quidnam intellectus creatus intra naturalem, & abstractiuam effectuum cognitionem de Trinitate assequi possit. p.18
CERTAM. I. Demonstrari non posse à creato intellectu ex effectis vllis Trinitatem. ibid.
II. Argumenta soluta. p.19
III. Athanasius atque Anselmus luce donantur. p.20
QVÆST. II. An intellectus lumine fidei, & reuelationis adiutus possit Trinitatem inferre? p.21.
CERTAM. I. Fides Trinitatis nequit iuuare formaliter, vt præmissa ad assentiendum Trinitati; secus fides vnius personæ ad assentindum alteri certò licet, non euidenter. ibid.
II. Statuitur de intellectu adiuto reuelatione, & fide, vt obiectis. p.22
QVÆST. III An ex creatis naturalibus intuitiuè visis possit euidenter Trinitas demonstrari. p.24
CERTAM. I. Opiniones, atque ad decisionem notata. ibid.
II. Negatiuè decidetur quæstio. ibid.
QVÆST. IV. Quid intellectus creatus inferret ex visione triplicis vnionis hypostaticæ ad tres personas. p.26
CERT. I. Aliorum placita atque pro nostro obseruationes. ibid.
II. Neque ex visione trium vnionum hypostaticarum ad tres personas Trinitas inferretur. p.27.
III. Obiectionibus occurritur, p.28
QVÆST. V. Quid ex intuitione reflexa visionis De intellectus creatusi de Trinitate cognosceret. p.28
CERT. I. Doctorum iudicia atque proprij principia ponuntur. p.29
II. Nostra sententia statuitur. ibid.
III. Argumenta aduersa instinguntur. p.30

DISPV-

DISPVTATIO II.

DE Mysterio Trinitatis ab hæresibus vindicando. p.32
QVÆST. I. An Trinitas personarum sit in Diuinis. ibid.
CERT. I Instructa errorum contra personarum Trinitatem acies proponitur. ibid.
II. Ex veteri Testamento Personarum Trinitas ostenditur. p.33
III. Ex nouo Testamento firmius adhuc trium Personarum distinctio statuitur. p.46
IV. Distinctionis personarum magnitudo taxatur. p.48
V. Oppositionum occasione conceptus negatiuus Trinitatis personarum statuitur. p.40
QVÆST. II. De tertio conceptu Trinitatis, nempè producentium, & procedentium p.42
CERT. I. Hæreses circa hoc punctum recensentur. ibid.
II Pater à quo, & Filius, qui ab eo procedat. in diuinis statuuntur. p.43
III. Ex maioritate Patris respectu Filij clarioribus scripturę locis eadem veritas monstratur. p.44
IV. Spiritus Sancti à Patre, & Filio processio de fide est. p.46
V. Ex Conciliis, & Patribus processio Spiritus Sancti à Filio stabilitur, numerúsque processionum statuitur. p.47
VI. Instructa aduersariorum argumenta. p.49
QVÆST. III. An Personæ præcedentes à producentibus pendeant, & causentur strictè? p.50
CERT. I. A Personis producentibus rigorosa dependentia ablegatur. ibid.
II. Producentes Personæ non causant propriè, neque procedentes causantur. p.52
III. Aliorum rationes impugnatæ. p.53
IV Propriæ, & germanæ, pro hac veritate rationis vindicatio. p.55
V. Eadem veritas ab hæreticorum tricis extricatur. p.56
QVÆST. IV. De vltimo conceptu Trinitatis nempè identitate Personarum in natura p.58
CERT. I. Errorum hac super re summa. ibid.
II. Diuinitas Filij contra errorem Arianum statuitur. p.60
III. Spiritus sancti diuinitas contra Vbicum, & Asseclas de fide monstratur. p.63
IV. Filij, & Spiritus sancti Diuinitas communibus vtrique argumentis ostenditur. p.64
V. Diuinitatem Filij, Spiritus sancti, & Patris ex æquo diuisam non esse contra Peratas monstratur. p.66
VI. Personarum consubstantialitas siue identitas in natura contra vltimum errorem adstruitur. p.68
VII. Ex voce *Homousion* eadem veritas confirmatur. p.70
VIII. Ab obiectionibus præfata dogmata vindicantur. p.71
QVÆST. V. An Personarum identitas in natura euidenti alicui rationis principio contradicat. p.73
CERT. I. Rei difficultas aliorúmque solutiones confutatæ, ibid.
II. Propria & germana difficultatis solutio, sophismata omnia solidæ doctrinæ applicatio. p.74

DISPVTATIO III.

DE liberioribus circa processiones difficultatibus. p.76
QVÆST. I. An diuinæ processiones per naturam sint? an per intellectum, & voluntatem. ibid.
CERT. I Filij processio per solum intellectum est. ibid.
II. Spiritus sancti processio per voluntatem statuitur atque vtraque conclusio confirmatur. p.78.
III. Satisfit aliorum Argumentis. p.79
QVÆST. II. Quare Filij tantum processio generatio sit. p.81
CERT. I. Spiritum sanctum, nec genitum esse, neque eius processionem generationem de fide est. ibid.
II. Strictæ generationis explicatione emicat propositæ quæstionis difficultas. p.82
III. Thomistarum euasio prima, *ex vi processionis* desumpta præcluditur. p.84
IV. Secunda acutior ex vi processionis euasio intercipitur. p.88
V. Speciosi Recentium Complutensium, & Salmantinorum difficultatis componendæ modi reuelluntur. p.91
VI. Secunda Persona Filius est, eiusque processio generatio, quia fœcunda ad intra euadit secus tertia. p.94
VII. Aduersa argumenta eneruantur p.96
QVÆST. III. Sint ne vitales, & liberæ processiones diuinæ. p.97
CERT. I Vitalitas diuinarum processionum statuitur. ibid.
II. In nullo sensu processiones diuinæ liberæ sunt. p.98
QVÆST. IV. Quonam processiones ab essentialibus actibus differant? p.96
CERTAM. I. Scotus & Recentiores impugnati. ibid.
II. Henricus, & Valentia notionalem ab essentiali cognitione ex æquo distinguentes confutantur. p.101
III. Communis & vera sententia, actus rationales ex essentialibus, & Personalitatibus constituens, illustratur. p.102
QVÆST. V. An processiones actiuæ à passiuis distinguantur? p.104
CERTAMEN I. Nil censura dignum præstant, qui actiuas à passiuis processionibus realiter non distinguunt ibid.
II. Processiones actiuas reipsa cum passiuis, & cum Personis producentibus identificari probabile est; oppositum probabilius. p.105

DISPV-

DISPVTATIO IV.

DE potentiis, & principiis proceſſionum p. 106
QVÆST I. Sit ne ratio principij, & potentiæ Phyſicæ notionalis in diuinis. ibid.
CERT. I. Potentia Phyſica, & realis reſpectu actiuarum etiam proceſſionum aſſeritur. p. 107
II. Satisfit aduerſariorum argumentis. p.108
QVÆST. II. Quid ſit formaliter potentia phyſica notionalis. p.110
CERT. I. Perſonalitatem ſolam potentiam notionalem non eſſe cùm ferè omnibus euincitur. ibid.
II. Neque eſſentia ſola eſt notionalis potentia, ſeu principium *quo* diuinarum proceſſionum, ſed, vt coniuncta cum producentium perſonalitatibus. p.112
III. Quo modo, & formalitate perſonalitas producentis potentiam notionalem cum eſſentia conſtituat? p.113
QVÆST. III. Quotuplex ſit Potentia ſeu principium notionale. p.115
CERT. I. Principium ſperatiuum abſolutè dictum vnicum in diuinis eſſe. ibid.
II. Pater, & Filius ſunt vnum principium *quod* Spiritus ſancti; licèt Catholicis liberum ſit aliter cenſere. p.116
QVÆST. IV. An potentia generandi, & ſpirandi omnibus perſonis conueniat. p.117
CERT. I. Potentia generatiua, & ſpiratiua malè in tribus perſonis aſſeritur à nonnullis ibid.
II. Potentia notionalis communis tribus perſonis Non eſt. p.118

DISPVTATIO V.

DE obiectis, & terminis diuinarum Proceſſionum. p.119
QVÆST. I. An verbum ex omnium diuinorum cognitione per ſe quarto modo procedat. ibid.
CERT. I. Ex alicuius obiecti cognitione verbum procedere contra Thomiſtas euincitur. ibid.
II. Aliorum opiniones ad hominem confutantur. p.120.
III. Eſſentia ſola obiectum per ſe quarto modo cognitionis, qua Verbum procedit, aſſeritur, & vindicatur. p.121
QVÆST. II. An Verbum procedat per ſe quarto modo ex cognitione creaturarum. p.123
CERT. I. Non procedit per ſe quarto modo Verbum è poſſibilium cognitione. ibid.
II. Nullam creaturam futuram eſſe obiectum per ſe quarto modo proceſſionis Verbi p.124
QVÆST. III. De termino formali diuinarum proceſſionum. p.126
CERT. I. Aliorum ſententiæ. ibid.
I. Tertia Gotfredi ſententia aliter probata nobis probatior. p.127

DISPVTATIO. VI.

DE prædicatis quæ multiplicantur in diuinis. p.127
QVÆT. I. An ratio Entis Metaphyſici pro perſonarum pluralitate multiplicetur in diuinis? ibid.
CERT. I. In ſola eſſentia dari prædicatum entis ſubſtantiui Metaphyſici ab authoritate probatur. p.128
II. Ab abſurdis oppoſitæ concluſionis eadem veritas roboratur. p.130
III. Rationibus à priori eadem veritas fulcitur. p.131
IV. Obiectis occurritur. p.132
QVÆST. II. An veritas multiplicetur in Trinitate. p.134
CERT. I. Noſtræ negatiuæ, concluſionis probatio leuis. ibid.
II. Noſtræ negatiuæ concluſionis probationes ſolidiores. p.135
QVÆST. III. An bonitas, & perfectio pro perſonarum numero multiplicetur in Trinitate. p.136
CERT. I. Bonitatis diuiſiones, definitiones atque ad deciſionem notata. ibid.
II. Aliorum placita. p.137
III. De perſonalitatibus præciſis concluſiones noſtræ. p.138
IV. De perſonis concluſiones aliæ. ibid.
V. Sexta & vltima concluſio dogmatica illuſtratur graui antecedentium concluſionum diſputationis huius confirmatione. p.139
VI. Obiectionibus occurritur. p.140
QVÆST. IV. Vtrùm multiplicetur vnitas in Trinitate. p.141
CERT. I. Aliorum opiniones, atque ad decidendum notata. ibid.
II. An pro perſonarum numero negatiua attributa multiplicentur in diuinis. p.142
CERT. I. Non multiplicantur infinitas, & inuiſibilitas in Trinitate. ibid.
II. De reliquis attributis negatiuis. p.143

DISPVTATIO VII.

DE perſonalitatum, ac relationum diuinarum numero, ac diſtinctione inter ſe ſe p.144
QVÆST. I. Sint ne tres hypoſtaſes ſubſiſtentiæ, ac perſonalitates in Trinitate admittendæ. ibid.
CERT. I. Hypoſtaſes plures aliquando malè audiebant apud Patres, ſemper autem apud hæreticos diuerſis tamen de cauſis. ibid.
II. Patres reliqui conſtanter tres hypoſtaſes, & perſonas admiſerunt. p.145
III. Temerè vt minimum, vnica tantum ſubſiſtentia naturæ diuinæ comes ab ſcholaſticis nonnullis aſſentitur. p.147
QVÆST II. An detur ſubſiſtentia communis in Trinitate. p.147
CERT. I. Subſiſtentia communis Phyſicè perſonis præter perſonales, & proprias abſque fundamento aſſignatur in diuinis. ibid.
II. Neque in diuinis eſt ſubſiſtentia logicè, imò neque analogicè communis. p.149
QVÆST. III. De relationum diuinarum eſſentia numero; ac definitione. p.150
CERT. I. Exiſtentia relationum vtriuſque generis in diuinis ſtatuitur. ibid.
II. Numerus, & diffinitio relationum generis vtriuſque. p.151
III. Oppoſitionibus occurritur. p.152

DISPVTATIO VIII.

DE diſtinctione eſſentiæ, & perſonalitatum p.152
QVÆST. I. An perſonalitates, & eſſentia realiter inter ſe diſtinguantur? p.153
CERT. I. Hæreticorum, & Gilberti atque Durandi errores. ibid.
II. Oppoſita veritatis dogmatica eſt atque authoritate fulcitur. ibid.
III. Bernardi rationibus error præfatus reuincitur atque oppoſitum dogma euincitur. p.154
IV. Veritatis eiuſdem rationes aliæ, & in aduerſam, & Authores cęſoria animaduerſio. p.155
QVÆST. II An perſonalitates ab eſſentia aliquatenus independenter ab intellectu diſtinguantur. p.156
CERT. I. Diſtinctio formalis ex natura rei ab intellectu independens admitti in perſonalitatibus, & eſſentia minimè poteſt. p.157
II. Realis actualis virtualis diſtinctio perſonalitatis ab eſſentia exploditur. p.158
QVÆST. III. An eſſentia & perſonalitates ratione ſaltem diſtinguantur? p.159
CERT. I. Dantur inter eſſentiam, & perſonalitates diſtinctio rationis ratiocinata, ſeu cum fundamento in re. ibid.
II. Veritatis eiuſdem rationes, & corollaria. p.160
QVÆST. IV. An eſſentia, & perſonalitas formaliter ex æquo differant? An potius mutuò vel non mutuò altera in formalitate includatur alterius, p.161
CERT. I. Ex æquo perſonalitas, & eſſentia differunt: nec ſe mutuò, vel non mutuò includunt. ibid.
II. Secunda noſtræ ſententiæ pars de inclusionis non mutuæ excluſione probatur. p.162
III. Ab obiectis noſtra ſententia communis vindicatur. p.163

DISPVTATIO IX.

DE Perſonarum conſtitutione, ac diſtinctione. p. 164
QVÆT. I. Abſolutiſne? an relatiuis Perſonæ conſtituantur. ibid.
CERT. I. Scholaſticorum opiniones. ibid.
II. Relationibus prædicamentalibus vel tranſcendentalibus non conſtituuntur diuinæ Perſonæ. p.166
III. Proprietates perſonales quibus perſonæ atomæ, & ſingulares conſtituuntur prorſus abſolutæ formaliter ſunt. p.168
IV. Authoritatum ſono tenus aduerſantium, aliarumque oppoſitionum ſolutio. p.169

QVÆST. II. An conſtitutiuum idemmet Perſonarum formale diſtinctiuum ſit in diuinis. p.171
CERT. I. Aliorum opiniones confutatę. ibid.
II. Iiſdem realiter formaliter, quibus conſtituntur Perſonas Diuinas diſtingui, Patrum authoritate probatur. p.173
III. Ex Anſelmo, & ratione eadem veritas ſtabilitur. ibid.
IV. Difficultatis præcipuæ, imò vnicæ ſolutio, atque in Scotiſtas, & Scholaſticos animaduerſio.. p.174
QVÆST. III. An Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio, & ſi non procederet ab illo. p.176
CERT. I. Vtilis quæſtionis ſenſus reiectis inutilibus ſtatuitur. ibid.
II. Si à Filio non procederet, non diſtingueretur Spiritus Sanctus ab illo. ibid.

DISPVTATIO X.

DE propriis & appropriatis ſingularum Perſonarum. p. 177
QVÆST. I. De Patris proprietatibus aliis à iam explicatis. ibid.
CERTAM. I. Innaſcibilitas vera eſt proprietas Patris, bene Ingeniti voce explicata. p.178
II. Innaſcibilitatis conceptus malè à multis explicatur. p.179
III. Magni mei Magiſtri Didaci Daza Innaſcibilitatis conceptus noſtra etiam opella illuſtratus. p.181
IV. Fontalis origo, & principium Deitatis, ac totius Trinitatis imò, & creaturarum omnium, Patris proprietas eſt. p.182
QVÆST. II. An proprium filij ſit eſſe Verbum. p.183
CERT. I. Stricta Verbi oratio propria & notionali Filij ex Scriptura, & Patribus ſtatuitur. ibid.
II. Ratione à priori ex Verbi definitione eadem veritas ſuadetur. p.179
III. Statuitur quis quibus, quæque Verbo loquatur in Diuinis. p.180
QVÆST. III. An ratio imaginis notionalis ſit, ac perſonalis Filio? p.181
CERT. I. Filius perſonaliter imago ex Patribus, & Scriptura Catholicè probatur. ibid.
II. Pro vera Theologia veritatis huius ratione notata. p.183
III. Veritatis Catholicæ ratio, & vindicatio. p.185
QVÆST. VI. De propriis Spiritus Sancti. p.186
CERT. I. Spiritus S. ratio propria, ac perſonalis eſt perſonæ tertiæ. ibid.
II. Spiritus S. notionaliter eſt amor. p.188
III. Ratio doni, ſiue eſſedonum perſonale Spiritus S. eſt. p.189
IV Contra rationem doni Spiritus S. obiectiones cæteræ ſolutæ. p.191
QVÆST. II. De appropriatis cuique Perſonarum Trinitatis. p.192
CERT. I. Appropriationis communium rationes & materia aſſignantur. ibid.
II. Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui ſancto appropriantur. ibid.
III. Communium attributorum appropriationes aliæ. p.194
IV. Operationes ad extra communium appropriationes. p.195

QVÆST. VI. De Metaphoricis Personarum nominibus. ibid.
CERT. I. Metaphorica Personarum nomina animata. ibid.
II. Metaphorica personarum nomina inanimata. p.196

DISPVTATIO XI.

DE Diuinis nominibus. p.197
QVÆT. I. An sint notiones in Diuinis ibid.
CERT. I. Dantur notiones in Diuinis à Patribus. ibid.
II. Veritatis eiusdem notiones reliquæ. p.198
QVÆST. II An notio ab stricta proprietate differat. p.199
CERT. I. Omnis notio proprietas formalissimè est. p.200
II. Motionis & proprietatis formalitas rationis est, sed non eadem vtriusque, ibid.
QVÆST. III. De numero notionum. p.201
CERT. I. Quinarius notionum numerus statuitur. ibid.
II. Notiones quinario numero minimè excedunt. p.202
III. Contra conclusionem vltimam obiectiones reliquæ, neque omnes leues solutæ. p.203

DISPVTATIO XII.

DE Personarum comparatione quoad intrinseca. p.204
QVÆST. I. De Personarum circuminsessione. ibid.
CERT. I. Circuminsessio Diuinarum Personarum, siue vnius in aliis existentia statuitur. ibid
II. Aliorum de circuminsessionis essentia opiniones confutatæ. p.205
III. Circuminsessio stat in identitate Personarum in natura. p.206
IV. Circuminsessionis relatio immediatè afficit. & Personalitates. p.207
QVÆST. II. De Personarum in communibus æqualitate. p.208
CERT. I. Persona quæuis cæteris omnipotentia, & operatione est æqualis. ibid.
II. Patres instrumenti, ac ministri creationis voces in filio, & Spiritu Sancto execrantur. p.109
III. Validè alterum hæreticorum fundamentum contra ipsos regeritur. p.210
IV. Haud segnius ex altero fundamento suo hæreticos impugno. p.211
V. Vltimum hæreticorum fundamentum regeritur. p.222
QVÆST. III. An, quoue pacto, Filius, & Spiritus S. requirantur ad creaturas producendas. p.213
CERT. I. Per se requiruntur ad creaturarum productionem. p.214
II. Specialia pro Spiritu Sancto argumenta, & obiectionum solutiones. p.215
QVÆST. IV. De Personarum æqualitate, quoad personalia. p.216
CERT. I. Quæuis persona cuiuis ex aliis personaliter æqualis est. ibid.
II. Persona quæuis tium perfectionem etiam personaliter exæquat p.217
III. Insuperabilis in aliorum principiis difficultas. p.218
QVÆST. V. De relatione æqualitatis Personarum. p.217
CERT. I. Catholica Personarum similitudo atque de vtraque relatione sententiæ. ibid.
II. Nostra sententia variis conclusionibus datur. p.220
III. Obiectionibus solutis sententia illustratur, ac de affinibus relationibus statuitur. p.221
QVÆST. VI. An Personæ producentes reali prioritate procedentibus præcedant? p.222
CERTAM. I. Doctorum sententiæ. ibid.
II. Nostra affirmatiua, & communis sententia authoritate probatur. p.223
III. Theologica Patrum ratio nostris solum principiis apta datur. ibid.
IV. Alterius obiectionis occasione prioritas inter origines ipsas examinatur. p.224
QVÆST. VII. An diuinæ personæ, se & alia aliis, seu per alias diligant, vel intelligant. p.225
CERTAM. I. Varij opinandi modi reiiciuntur. ibid.
II. Nostrum de præfatis propositionibus iudicium. p.226

DISPVTATIO XIII.

DE Personarum missione. p.227
QVÆST. I. De existentia, essentia, & affectionibus missionis Diuinarum Personarum.
CERT. I. Missio propriè, nec solum metaphoricè diuinarum Personarum statuitur. p.228
II. De essentia missionis diuinarum Personarum sententiæ. p.229
III. Nostrum de essentia missionis iudicium. ibid.
IV. Obiectiones; & corollaria. p.231
QVÆST. II. De missionis diuinæ diuisionibus. p.232.
CERTAM. I. Generaliores missionum species enumerantur. ibid.
II. Missiones visibiles hactenus factæ examinantur. p.233
QVÆST. III. De iis per quæ persona missa inuisibiliter mittatur. p.234
CERTAM. I. Per gratiam, & Dei visionem mittitur atque aduenit Persona missa. p.235
II. An fine, spe, aliisque gratiis gratis datis aliisque naturalibus donis persona diuina absolutè ad Personam creatam mittatur, & adueniat? p.236
III. De iis ad quos facta est inuisibilis Missio. p.238
QVÆST. VI. De terminis missionis diuinarum Personarum. ibid.
CERT. I. Terminus à quo Persona mittens statuitur. p.239
II. De termino *qui* seu Persona missa. p.240
III. De termino *cui* missionis, siue *eo*, cui Persona mittitur. p.241

DISPVTATIO XIV.

DE modis loquendi in rebus Trinitatis. p.242
QVÆST. I. De Concretorum significatione. ibid.
CERT. I. De recto, & obliquo significato nominum concretorum, & aliorum sententię. ibid.
II. Nostra & verior sententia. p.243
III. Regulæ dignoscendi quando substantiua concreta adiectiuè, adiectiua verò substantiuè à Patribus, & Scholasticis sumantur. p.244.
QVÆST. II. An, quouè sensu verum sit, *Hic Deus, est hic Deus.* p.245
CERTAM. I. An *Hic Deus* significet aliquid Personis aliquo genere prius ibid.
II. Veritas propositionis: *Hic Deus., est hic Deus.* Examinatur. p.246
QVÆST. III. De veritate huius propositionis. *Deus*, vel, *hic Deus generat Deum*, vel *hunc Deum*, & similium p.247
CERT. I. Veritas & proprietas eius propositionis statuitur. ibid.
II. Sit ne falsa hæc propositio: *Deus*, vel, *hic Deus non generat.* p.249
III. *Essentia*, vel, *generatur*, vel, *generat*, errori, vt minimum, propositio proxima est. p.250
IV. Obiectionum, occasione statuitur essentiam propriè communicari non autem communicare. p.251
QVÆST. IV. Quæ concreta singulariter, quæ pluraliter in diuinis enuntientur. p.252
CERT. I. Aliorum sententiæ. ibid.
II Nostra ac verior sententia, p.253
QVÆST. V. An distinctio, quæ ex Personalitatibus prouenit nominibus, *Alius*, *Alter*, & numeralibus solùm masculinè, & quæ ex natura neutrè solùm & quare significari queat. p.254
CERT. I. Personarum distinctio mascula eorum nominum terminatione explicanda, naturarum vero natura. p.254
II. Ex rigore, & proprietate sermonis ea prouenit diuersitas contra nonnullos. p.256
QVÆST. VI. Quibus vocibus Personarum distinctio, & pluralitas asseri debeat. p.257
CERT. I. De vocibus pluralitatis, & distinctionis, & differentiæ, earúmque concretis. ibid.
II. De reliquis nominibus. p.258
QVÆST. VII. Sit ne numerus in Trinitate admittendus. p.259
CERT. I. Aliorum sententiæ, ac nostræ conclusiones. ibid.
II. De muneri ratione, & realitate in diuinis statuitur. p.261
III. Obiectionibus occurritur, vbi triplex, & triplicitas à diuinis relegatur. p.263

CONTROVERSIÆ.

DE Deo Incarnato, siue de Diuini Verbi Incarnatione. p.267

CONTROVERSIA I.

DE excellentia Incarnationis. p.267

DISPVTATIO I.

DE existentia Incarnationis vniuersim sumptæ. ibid.
QVÆST. I. De possibilitate assumptionis vnius creaturæ ab alia vel à Deo. ibid.
CERT. I. Substantia quæuis creata potest assumi ab alia, vel à Deo. ibid.
II. Substantiæ partes, imò & accidentia ad vnionem cum persona, vel natura diuina, aut, cteata assumi possunt. p.269
QVÆST. II. Incarnationis mysterium contra gentes euincitur. p.270
CERT. I. Sybillinorum oraculorum expressa pro hoc mysterio testimonia. ibid.
II. E reliquis Sybillarum libris pro eodem mysterio testimonia. p.272
III. Alia quædam Sybillarum ad rem eandem testimonia, singula Sybillis singulis nominatim attributa excerpim ab oraculorum libris. p.273
IV. Argumenta reliqua pro hoc mysterio perstringuntur. p.274
QVÆST. III. De Messiæ per Verbi Incarnationem aduentu contra Iudæam perfidiam. p. 265
CERT. I. Efficacia plura contra Iudæos de aduentu Messiæ in Iesu ortu testimonia. ibid.
II. Hebdomadarum Danielis initium stolide, & negatur à Rabbinis, & assignatur ab aliis. p.279
III. Hebdomadum initium statuitur p.282
IV. De terminis Hebdomadatum. p.283
V. Reliquorum explicatio, & omnium conclusio. p.286
QVÆST. IV. Incarnationis existentia contra Hæreticos. p.289
CERT. I. Errores circa naturarum pluralitatem in Christo. ibid.
II Errores circa naturam assumptam, & personam assumentem. p.290
III. Errores contra pluralitatem naturarum Christi Domini confutantur. p.292
IV. Errores ex parte naturæ assumptæ, & assumentis confutantur. p.293

DISPVTATIO II.

DE vnionis hypostaticæ immediatis terminis ordine & natura. p.296
QVÆST. I. An humanitas assumpta à verbo fuerit vnione sui indiuisibili, an diuisibili eorum, quibus essentialiter constat. ibid.

CERT. I. Sola vnione diuisibili compacta ex vnionibus partium, quibus essentialiter constat, humanitas vnita Verbo, assumptaque ab eo fuit. ibid.
II. Vnio etiam partium humanitatis in se assumptæ ad vnionem cum Verbo monstratur. p.298
QVÆST. II. An corpus per animam à Verbo assumptum fuerit, atque anima per mentem? p.299.
CERTAM. I. Aliorum sententiæ confutantur. ibid.
II. Nostra sententia, & germana illius locutionis Patrum explicatio. p.300
QVÆST. III. An Verbum partes etiam integrales omnes in perpetuum assumpserit? p.302
CERT. I. Aliorum sententiæ proponuntur: ibid.
II Nostrum de sanguine, & humoribus iudicium: p.303
III De capillis, & vnguibus statuitur, atque ab obiectionibus conclusiones liberantur. p.305
QVÆST. IV. De termino formali, & immediato vnionis hypostaticæ ex parte assumentis. p.305
CERT. I. Tres opiniones Theologorum confutatæ. ibid.
II. Marsilij sententia ex nostris principiis explicata diffenditur. p.306
III. Communis sententia defenditur p.308
QVÆST. V. De vnionis hypostaticæ natura, & subiecto. ibid.
CERT. I. Aliorum sententiæ nonnullæ confutatę.
II. Vnionis natura explicatur. p.310
III. Obiectionum occasione explicatur amplius vnionis hypostaticæ natura, & subiectum. p.312.
IV. Postremæ obiectionis occasione Christi compositio examinatur. p.314

DISPVTATIO III.

DE Physicis Humanitatis à Verbo assumptæ qualitatibus. p.316
QVÆST. I. De Physica Humanitatis passibilitate ibid.
CERT. I. Christi Humanitas Physice passibilis ex fide est. ibid.
II. An passiones præfatæ humanitatis Christi necessariæ fuerint, seu violentæ, an voluntariæ, seu naturales in se vel in causa? p.318
QVÆST. II. De naturali Christi mortalitate. p.319
CERT. I. Humanitas Christi mortalis naturaliter fuit. ibid.
II. Intrinsecæ causæ mortis in humanitate Christi. p.320.
QVÆST. III. De perfectionibus naturalibus corporis Christi Domini p.322
CERT. I. Perfectissimum temperamentum, & perfectiones naturales illud consequentes Christi corpus habuit. ibid.
II. Obiectionibus occurritur, p.323

CONTROVERSIA II.

DE necessitate Incarnationis. p.323

DISPVTATIO. I.

DE necessitate Incarnationis, ex titulis vniuersalioribus, & ad satisfactionem pro peccato de iustitiæ rigore. p.324
QVÆST. I. An ex intentione glorificandi hominem lapsum necessaria Incarnatio fuerit. ibid.
CERT. I. Dolorum placita, & prima nostra conclusio ibid.
II. Conclusiones reliquæ. p.325
QVÆST. II. An ad satisfactionem ex iustitia negatiua pro peccato necessaria Incarnatio fuerit. p.327
CERTAM. I. Pro quæst. decisione notata. ibid.
II. Negatiua conclusio probatur. p.331
III. Eadem conclusio ex aliis capitibus probatur. p.333
IV. De necessitate Incarnationis ad satisfactionem de rigore iustitiæ vindicatiuæ conclusio altera, & obiectionum solutiones dantur. p.336.
QVÆST. III. Fuerit ne Incarnatio necessaria ad satisfactionem ex iustitia positiua pro peccato. p.339
CERT. I. Negatiuæ conclusionis probatio, atque aliquorum solutiones reuinctæ. ibid.
II. Ripaldæ, ac recentiorum Salmantinorum euasiones præcluduntur. p.341
III. Parodoxa, & sophistica duorum simul circa rem eandem dominij in solidum solutio exploditur. p.342
IV. Eius & aliorum argumentorum solutiones firmiores. p.344

DISPVTATIO II.

DE necessitate passiua Incarnationis ad satisfactionem ratione infinitatis malitiæ, vel offensæ mortalis. p.345
QVÆST. I. An mortalis malitia, vel offensa finita sit, an infinita? ibid.
CERT. I. Qui infinitatem adstruunt referuntur: & qui ex eis finitatem malitiæ recognoscunt, offensæ vero infinitatem, refelluntur. ibid.
II. Malitia offensaque mortalis finita monstratur. p.347
III. Difficultates aduersas emollio. p.348
QVÆST. II. Quo pacto æternitas pœnæ mortali respondens iusta esse positiue possit. p.350
CERT. I. Rei difficultas, & aliorum solutiones. ibid.
II Pro nostra, ac vera sententia notationes aliquas statuo. p.351
III. Æternitas pœnæ ob lethale malitiæ finitæ ex iustitia vindicatiua naturali esse singulariter ostenditur. p.352

IV Corollaria præcedentis doctrinæ p.353
QVÆST. III. An data offensæ mortalis infinitate ad eius satisfactionem exhibendam necessaria Incarnatio fuerit? ibid.
CERT. I. Si in mortali sit offensa, aut malitia infinita absolutè satisfactio Christi superabundans non fuit contra Patrum, & Ecclesiæ sensum vel non fuit necessaria. p.354
II. Si infinitas offensæ mortalis stet, vt ab eius, authoribus asseritur, ad eius satisfactionem Incarnatio necessaria non fuit, quia fuit insufficiens. p.355
III. Posita adhuc infinitate offensæ, & æqualitate satisfactionis Christi, Incarnatio ad satisfactionem pro mortali necessaria minimè foret. p.356

DISPVTATIO III.

DE aliis rationibus, ob quas necessaria iudicabatur Incarnatio ad satisfactionem æqualem pro mortali, & si huius offensa, & malitia finitæ sint. p.357
QVÆT. I. An offensæ, licet finitæ magnitudo ad sui satisfactionem necessariò exigat personę diuinæ Incarnationem. ibid.
CERT. I. Affirmatiuæ Authores, & aliquorum inconsequentiæ. ibid.
II. Offensæ finitæ magnitudo Incarnationis necessitatem abolet non exposcit. p.358
III. Celebri nostri Vasquez argumento eadem probatur conclusio. p.359
IV. Vltimum Recentiorũ effugiũ pręcluditur. ibid.
QVÆST. II An ratione magnitudinis malitiæ finitæ mortalis ad eius satisfactionem requiratur necessario Incarnatio? p.362
CERT. I. Non est minor bonitas, & æstimabilitas, contritionis, quam malitia, & æstimabilitas peccati in suo genere, quod contritio multis titulis debita sit, peccatum vero indebitum. ibid.
II. Nec quia minus meretur, quam demerearur mortale, minus bona est contritio, minusque in suo genere æstimabilis, quam mortale. p.364
III. Alia pro impossibilitate satisfactionis à pura creatura pro mortali diluuntur. p.366
QVÆST. III. An ad satisfactionem pro toto debito obiectiuo mortalis necessaria Incarnatio fuerit? p.367
CERT. I. Celebris nostri Vasquez opinio à nonnullis difficultatibus hactenus appositis facile expeditur. ibid.
II. Quousque aliæ difficiliores obiectiones contra Vasquez processerint? p.369
III. Vt pro grauis peccatoris debito obiectiuo satisfieret necessaria absolute non fuit Incarnatio. p.372
IV. Præcipuæ difficultati de necessitate Incarnat. ad satisfactionem pro nostris peccatis à ratione, & Patribus sit satis. p.375
QVÆST. IV. de necessitate Incarnationis pro veniali, & quouis commisso cum ignorantia inuincibili offensæ Dei soluendo. p.377
CERTAM. I. Aliorum super vtroque placita. ibid.
II. Veræ, & communis sententiæ probatio altera Soarij examinatur. p.378
III. Nostri Vasquez probatio altera propugnatur. p.379
IV. Conclusio probationum, & impugnationum eneruatio. p.380

CONTROVERSIA III.

DE causis extrinsecis Incarnationis. p.381

DISPVTATIO I.

DE fine, & occasione Incarnationis. ibid.
QVÆST. I. Quisnam Deo Incarnationis decernendæ adæquatus extitit finis? ibid.
CERT. I. Qui negent, quique asserant reparationem à peccato Incarnationis finem extitisse. ibid.
II. Hominum à peccatis omnibus reparatio Incarnationis decernendæ Deo extitit finis. p.382
III. Omnium & cuiusuis ex assignatis peccatis reparatio finis intrinsecè adæquatus Incarnationis Deo illam decernenti extitit. p.383
IV. Peccatorum prædictorum reparatio finis Incarnationis adæquatus fuit etiam extrinsece. p.384.
QVÆST. II. An Incarnatio ob præfatum reparationis finem ante præuisum peccatum decerni potuerit. p.385
CERT. I. Aliorum opiniones, ac discursus recentiorum electionis extrinsecæ ex Ripalda desumptus confutatur à priori. ibid.
II. Ab absurdis electio hæc extrinseca atque ab inutilitate ad rem præsentem exploditur p. 386
III. Soarij, atque Recentium sententia altius, singulariusque à nobis fundata arridet. p.387
QVÆST. III. Potuerit ne Incarnatio decerni ob finem nostræ reparationis efficacirer intentum ante, vel saltem post peccatum præuisum: p.388.
CERT. I. Ex intentione efficaci prorsus absolutâ nostræ reparationis à peccato nequiuit decerni Incarnatio ante præuisum peccatum. ibid.
II. Neque ex intentione efficaci reparationis per merita Christi post præuisum peccatum decerni Incarnatio potuit. p.389
III. Vero similiores solutiones præclusæ p.390
IV. De intentione efficaci conditio nata conclusiones reliquæ. p.392
QVÆST. IV. An Adamo, vel quouis alio homine non peccante Christus ex vi præsentis decreti veniret? p.393
CERT. I. Adamo non peccante Christus non veniret. ibid.
II. Deficientibus aliquorum originalibus Christus non veniret. p.394
III De reliquis originalibus, atque actualibus statuitur, an deficientibus Christus veniret: p.395

DISPVTATIO II.

DE ordine diuinorum decretorum circa existentiam Christi, Adami, atque hominum cæterorum, vbi de Beatæ Virginis à debito etiam originalis culpę immunitate. p.396

QVÆST. I. Vtra in diuino decreto præcesserit: Christi, an aliorum hominum existentia? ibid.

CERT. I. Duplex opinio variè ab Authoribus fundata reiicitur. ibid.

II. Duplex alia opinio reiecta. ibid.

III. Propria sententia. p.398

IV. Obiectis aduersantium opinionum occurritur. p.399

V. Vltima obiectio enervatur. p.401

QVÆST. II. De Mariæ Dei, hominumque Parentis ab originalis debito immunitate. p.402

CERT. I. Ad decisionem notata. p.403

II. Mariana à debito originalis immunitas ab authoritate fundatur. p.405

III. Bernardus & Thomas nostræ sententiæ nomen dedere. p.407

IV. Pro eadem conclusione Rationes, arduæque difficultatis aliorum imbelles solutiones. p.411

V. Solidior ratio, eiusque & conclusionis vindicatio. p.412

DISPVTATIO III.

DE causa Physica, & meritoria, siue actiua, & exactiua Incarnationis. p.414

QVÆST. I. An Christus vnionem hypostaticam, siue adæquatè, siue inadæquatè fuerit de facto promeritus? ibid.

CERT. I. Nullatenus Christus operibus humanitatis vnionem hypostaticam defacto, & promeritus adæquatæ. p.415

II. Neque meritum vnionis hypostaticæ inadæquatè sumptæ in Christi adfuit humanitate. p.416

QVÆST. II. Potueritne Christus Incarnationis substantiam, siue vnionem hypostaticam absolutè promereri. p.417

CERT. I. Sententia duplex de merito vnionis hypostaticæ suæ Incarnationis adæquatæ sumptæ ab humanitate; atque imbelles vtriusque probationes. ibid.

II. Vrgentior alia Patris Vasquez ratio examinatur. p.418

III Eadem negatiua sententia efficacius probata nobis etiam arridet absolutè. p.421

IV Potuit absolutè Christus operibus animæ priori naturæ vnitæ corporis vnionem ad verbum poromereri de condigno secus de congruo. p.422

QVÆST. III. De merito Patrum erga vnionem hypostaticam humanitatis, seu Incarnationis substantiam. p.423

CERT. I. De facto antiquorum Patrum nemo vnionis hypostaticæ, siue Incarnationis substantiam fuit promeritus, neque in ordinaria prouidentia potuit. ibid.

II In alia prouidentia potuerunt Patres substantiam Incarnationis mereri de congruo, ac fortasse de condigno. p.425

QVÆST. IV. In Christi progenitores tales suo quisque gradu, esse promeriti fuerint aliasque Incarnationis circunstantias? p.426

CERT. I. Meruit suam Deipara Christi maternitatem. ibid.

II Meritum Mariæ erga Christi maternitatem condignum fuit. p.427

III. Progenitores Christi reliqui tales esse sunt promeriti atque eorum aliqui de condigno, sicut & alias Incarnationis circumstantias. p.428

QVÆST. V. De causa Physica dispositiua, & efficiente Incarnationis. p.429

CERT. I. Nulla fuit ad vnionem hypostaticam dispositio, esse tamen aliqua potuit. ibid.

II. Solus Deus trinus communi concursu causa efficiens vnionis hypostaticæ fuit. p.430

CONTROVERSIA IV.

DE intrinsecis Incarnationis effectibus p.431

DISPVTATIO. I.

DE filiatione Christi. ibid.

QVÆST. I. De Felicis, Elipandi errore, ac de Concilij Francofordiensis, & epistolæ Adriani authoritate. ibid.

CERT. I. Coniecturis, ac testimoniis proprius Felicis, atque Elipandi error apetitur. ibid.

II. Humanitatis Christi adeptionē Felicis, & Elipandi errorem fuisse, & denegationē naturalis filiationis clarius ex Elipandi, Beati, & Heterij scriptis ostenditur. p.433

III. Concilij Francofordiensis, & epistolæ Adriani authoritas contra nonnullos stabilitur. p.435

QVÆST. II. An Christus, quia hic homo, siue secundum humanitatem reipsa filius naturalis Dei sit? p.436

CERTAM. I. Christus, qua homo, siue secundum humanitatem filius Dei naturalis de fide est. p.437

II. Vlterior conclusionis eiusdem ab authoritate probatio. p.438

QVÆST. III. Ratio Theologica formalis filiationis naturalis Dei in Christo, qua homine. p.439.

CERT. I. Rei difficultas, variæque aliorum solutiones confutatæ. ibid.

II. Vera dogmaticæ huius veritatis Theologica ratio. p.440

III. Cuiusnam personæ Trinitatis Christus, qua homo filius sit. p.442

QVÆST. IV. Sitne Christus, quatenus homo, vel sic homo formaliter sumptus filius Dei naturalis. p.443

CERT. I. Notata aliquot, & faciliores ea de re conclusiones. ibid.

II. De hoc homine adiectiue sumpto, & substantiue ex arbitraria significatione disputantium. p.444

QVÆST

QVÆST. V. An Christus, qua homo, vel secundum humanitatem sit Deus adoptus filius? p.445.

CERTAM. I. Aliorum placita proponuntur. ibid.

II. Christum, neque secundum humanitatem, vel quatenus hominem adoptiuum Dei filium esse de fide est. p.447

III. De fide est humanitatem Christi adoptatam non esse vbi futiles vtriusque impugnationes, & probationes aliquorum reiicio. p.448.

DISPVTATIO II.

DE seruitute subiectione, ac minoritate Christi, qua hominis aspectu Dei. p.449

QVÆST. I. De Christi, qua huius etiam hominis seruitute respectu Dei. ibid.

CERT. I. Christus, qua hic homo, siue secundum humanitatem seruus propriè Dei non est, nec dici sine fidei iniuria potest? ibid.

II. Rationibus Adriani, Francofordiensis, aliorumque Patrum eadem veritas monstratur. p.451

III. Oppositionibus obuiatur. p.453

QVÆST. II. de minoritate, & subiectione Christi respectu Dei p.454

CERT. I. De minoritate, & subiectione Bassalatus. ibid.

II. De subiectione Christi respectu Dei. p.455

QVÆST. III. Quænam præcepta Christus à Deo habuerit? p.457

CERT. I. Præcepta naturalia omnia habuit Christus quahomo non tamen obeundæ mortis pro hominibus aliter non redimendis. ibid.

II. Christus obeundæ pro hominibus mortis præceptum positiuum diuinum habuit. p.458

III. De multis aliis præcepta diuina Christus habuit, qua homo, non de omnibus, quæ gessit, dum viueret. p.460

DISPVTATIO III.

AN diuina alia humanitati Christi suos formales effectus communicent? p.461

QVÆST. I. An humanitas Christi per diuinam, seu Verbi existentiam existat? ibid.

CERT. I. Thomistarum sententia præfundamentorum debilitate subruit; ac S. Thom. ac Thomistarum imposturis vindicatur. ibid.

II. Ex communibus Theologicis etiam veterum Thomistarum principiis opposita, & communis sententia statuitur. p.463

III Ex vniuersalioribus, principiis existentia humanitatis per existentiam Verbi confutatur p.465

QVÆST. II. An sola volitione, atque intellectione diuinis Christi humanitas voluerit formaliter, & intellexerit? p.467

CERT. I. Monothelitarum error, eiusque patroni exactè recensentur, ab eoque liberatur Honorius. ibid.

II. Monothelismus confutatus, ac difficilis Laterranensis locus illustratus. p.469

QVÆST. III. An humanitas Christi licet non solis actibus tamen intellectus, & voluntatis diuinæ intelligat, & amet de facto? an saltem possit. p.470

CERT. I. Christi humanitas amore, & intellectione diuinis, nec intellexit vsquam, neque amauit. ibid.

II. Impossibile est humanitatem Christi actibus diuinis intelligere vel amare. p.472

QVÆST. IV. An diuina attributa non vitalia suos formales effectus humanitati Christi communicent. p.473

CERT. I. Vbiquistarum error, & fundamenta ibid.

II. Vbiquistarum error confutatur. p.474

III. Nec denominatiue humanitas est Deus, immensa, vel omnipotens. p.476

DISPVTATIO. IV.

DE sanctificatione humanitatis Christi vi vnionis hypostaticæ. p.477

QVÆST. I. An humanitas Christi vi vnionis formaliter sanctificetur? ibid.

CERT. I. Vi vnionis hypostaticæ humanitas Christi formaliter sanctificatur. ibid.

II A ratione eadem conclusio suadetur. p.478

QVÆST. II. Quonam vi vnionis hypostaticæ humanitas Christi formaliter sanctificetur? p.479

CERT. I. Varia doctorum placita, & conclusiones communiores. ibid.

II Negatiuæ duæ conclusiones statuuntur. p.481

III. Duæ aliæ conclusiones negatiuæ. p.482

QVÆST. III. Quousque humanitas Christi vnionis vi formaliter sanctificetur. ibid.

CERT. I. Humanitas vi vnionis infinite, & sancta tamen æque amabilis, ac ipse Deus p.483

II. Rationibus eadem secunda conclusio monstratur. p.484

DISPVTATIO V.

DE impeccabilitate humanitatis Christi. p.485

QVÆST. I. An Christi humanitas vi vnionis hypostaticæ sit consequenter impeccabilis? ibid.

CERTAMEN I. Humanitas Christi non peccauit, sed & consequenter peccare minimè potuit. ibid.

II. Eadem conclusio à ratione probatur. p486

QVÆST. II. Fuerit ne vi vnionis hypostaticæ humanitas Christi antecedenter impeccabilis. p.487

CERT. I. Difficultatis punctum, & conclusio affirmans authoritate probata. ibid

II. Aliorum pro humanitatis antecedenti impeccabilitate rationes. imbelles. p.488

III. Rationes alias Doctorum conuellō. p.489

IV. Propriæ, solidioresque meditationes pro antecedenti humanitatis Christi impeccabilitate. p.491

QVÆST. III. An vnio hypostatica semel habita sit deinceps peccato inamissibilis? p.493

CERT.

CERT. I. Vnionis inamissibilitas per peccatum ex Patribus fundatur, male verò à non nullis ex ratione. ibid.
II Recentiores Complutenses irrito hac in re, & inconsequenter laborant. ibid.
III. Solidiores ex nostris principiis probationes. ibid.
QVÆST. IV. Pugnetne vnio cum peccato originali habituali, & reatu humanitatis, quæ vnioni præextitisset? p.495
CERT. I. Pugnet contraditoriè vnio cum vtroque peccato, sed non ob aliquorum rationes. ibid.
II. Firmius probatur vnionis cum originali, & & habituali repugnantia, ac de opinione cum reatu statuitur. p.496
QVÆST. V. An Christi humanitas vi vnionis hypostaticæ ad opera consilij ita fuerit prædeterminata, vt ea, neque antecedenter potuerit omittere? p.498
CERT. I. Ad opera consilij formaliter, & in actu secundo sumpta fuit humanitas Christi determinata antecedenter. ibid.
II. Operibus consilij materialiter, & in actu primo sumptis potuit humanitas Christi absolutè dissentiri. p.499
QVÆST. VI. An voluntas Christi fuerit in omnibus conformis diuinæ? an in aliquo contraria? p.500
CERT. I. Voluntas humana Christi fuit in omnibus conformis diuinæ, nec potuit in aliquo ipsi contrariari. ibid.
II. Nulla efficax voluntas humanitas Christi effectu caruit. p.501
QVÆST. VII. An vi vnionis hypostaticæ peccati fomes fuerit in humanitate Christi extinctus? an ligatus? an viuus, & solutus? p.502
CERT. I. Quid fomes, quidque eius ligatio, & extinctio sint statuitur. ibid.
II. Quibusnam fomes peccati, vel extinguatur, ve ligetur statuitur. p.503
III. In Christi humanitate peccati fomes viuus nec fuit, nec esse potuit. p.504
IV. Corollarium de Christi tentationibus. p.505

CONTROVERSIA V.

DE effectibus, siue perfectionibus humanitati Christi vnionis titulo datis. p.506

DISPVTATIO I.

DE scientia creata humanitatis Christi. p.507
QVÆST. I. De scientia beata humanitatis Christi Domini. ibid.
CERT. I. Visio beata Christi animæ à conceptionis initio, vt non erroneè, ac hæretice, non sine temeritate negabitur. ibid.
II. Obiecta quæ Christi anima in Verbo viderit, taxantur. p.508
III. Vidit Christus in verbo infinita existentia Syncategorematicè, non categorematicè virtute tamen finita. p.510
QVÆST. II. De scientia per se infusa humanitatis Christi Domini. p.512
CERTAM. I. Scientiam per se infusam animæ adfuisse Christi concors Theologorum sententia est. ibid.
II. Obiectorum naturalium futurorum non fuit scientia per se infusa, secus cõditionatorum, & possibilium secundum eos status præcisè. p.513.
III. Deus nullatenus, est obiectum scientiæ per se infusæ Christi. p.514
IV. Argumenta aduersantia diluuntur. p.515
QVÆST. III. de principio scientiæ per se infusæ humanitatis Christi. p.516
QVÆST. I. Phantasia, & habitus ad hanc scientiam non influunt. ibid.
II. Requiritur ex parte principij supernaturalis specie ad hanc scientiam. p.517
III. De huius speciei physica entitate. p.418
IV. De huius speciei vsu. p.519
QVÆST. VI. de scientia infusa per accidens humanitatis Christi. q.520
CERT. I. De scientia clarè naturalium obiectorum per accidens infusa Christo. ibid.
II. Scientia obscura similis nostræ per accidens infusa Christi humanitati minimè adfuit. p.521
QVÆST. V. De scientia per se infusa fidei humanitatis Christi. p.522
CERT. I. Fidei actus in humanitate Christi fuit absolutè possibilis. ibid.
II. De facto fuit actus fidei in Cgristo circa reuelata saltem plura. p.525
QVÆST. VI. De scientia humanitatis Christi acquisita nostræque simili. p.524
CERT. I. Humanitas Christi propriis experimentis scientiam nostræ similem acquisiuit. ibid.
II. Nullam scientiam disciplina; & doctrina paratam Christus Dominus habuit. p.525

DISPVTATIO II.

DE iis, quæ scientia Christi, siue in intellectu, siue in voluntate impediri posse videbuntur. p.526
QVÆST. I. fuerit ne, esse ve potuerit in humanitate Christi ignorantia, aut error. ibid.
CERT. I. Priuatiuam etiam ignorantiam habere absolutè potuit Christus: ast minimè habuit. ibid.
II. Nullus error in Christi humanitate fuit esse ve potentia absoluta potuit. p.528
QVÆST. II. de Christi Domini admiratione, & risu, p.521.
CERTAM. I. Nusquam in Christo Domino fuit admiratio vera. ibid.
II. Nec potuit Christi humanitas de aliquo mirari. p.530
QVÆST. III. De Christi Domini timore. ibid.
CERT. I. In Christi voluntate rationali fuit mortis, & passionis timor, ac de aliorum scandalo dolor. ibid.
II. Quæ timorem, ac dolorem Christi impugnant exarmantur. p.532
QVÆST. IV. De Christi Domini tristitia. p.533
CERT. I. Rei difficultas vtraque, & secundæ Doctorum aliquorum solutiones confutatæ ibid.
II. Aliorum solutiones reiicio. p.534
III. Solida difficultatum contra tristitiam Christi solutio, atque eius propugnatio. p.535

DISPVTATIO III.

DE gratia habituali humanitatis Christi. p.536
QVÆST. I. Fuerit ne in Christi humanitate habituali gratia? ibid.
CERTAM. I. Nihil pro gratia habituali humanitatis Christi ex scriptura, Patribus, aut fide est firmum. ibid.
II. Negatiua sententia non temeraria, sed Patribus forte conformior. p.538
QVÆST. II. Num gratia habitualis Christi fuerit intensiue infinita? p.539
CERT. I. Negatiua vera conclusio male à nonnullis probatur. ibid.
II. Neglecta hactenus S. Thom. ratio, atque huius conclusionis vnica illustratur. p.540
QVÆST. III. Habueritne Christus gratiam maximam possibilem? p.541
CERT. I. Christus gratia habituali plenus ex suppositione solum fuit. ibid.
II. Circa magnitudinem gratiæ Christi opiniones, & conclusio prima. p.542
III. Summam gratiam absolute possibilem Christus non habuit. p.543
QVÆST. IV. De tempore & causis gratiæ Christi, vbi de eius augmento. ibid.
CERT. I. Tempus, & efficiens gratiæ huius statuitur. ibid.
II. Gratia Christi decursu temporis, nec maior fuit, nec esse potuit. p.544

DISPVTATIO IV.

DE virtutibus, & donis Spiritus S. humanitati Christi datis. p.546
CERT. I. De virtutibus Theologicis animæ Christi deque piæ affectionis virtute ibid.
CERT. I. Circa spem suæ gloriæ conclusiones, ibid.
II De spe Christi conclusiones reliquæ. p.547
III. De habitibus charitatis, & piæ affectionis. p.549
QVÆST. II De virtutibus moralibus humanitatis Christi. p.550
CERT. I. Christi humanitas actus virtutum moralium & etiam pœnitentię quoad substantiam exercuit, secus virtutum moralium supernaturalium. ibid.
II. De habitibus virtutum moralium humanitatis Christi. p.551
QVÆST. III. De donis, gratiisque gratis datis Spiritus sancti Christi humanitati collatis p.552
CERT. I. Habuit septem Spiritus sancti dona. ibid.
II. De dono timoris. ibid.
III. De gratiis gratis datis humanitatis Christi. p.555.

CONTROV. VI.

DE merito, & satisfactione Christi Domini p.557

DISPVTATIO I.

DE meriti Christi magnitudine, subiecto, tempore, & modo. ibid.
QVÆST. I. An merita Christi fuerint infinita, ibid.
CERT. I. Merita de se infiniti valoris esse certum est contra nonnullos Thomistas, & Scoticos. ibid.
II. Aliorum de principio infinitè dignificante opera Christi opiniones confutatæ. p.558
III. Nostra Vasquez sententia probata, & propugnata. p.559
IV. Obiectiones reliquas expedio. p.561
QVÆST. II. An in Christi amore erga Deum meritum fuerit? p.562
CERT. I. Meritum amoris Dei in Christo male ab aliquibus defenditur. ibid
II. Amore Dei Christus de facto fuit promeritus. p.263
QVÆST. III. An in præceptis Christo operibus libertas ac meritum fuerit? p.565
CERT. I. Aliquorum fuga præocupatur. p.566
II. Aliorum solutiones directæ confutantur. p.567
III Duplex componendæ difficultatis modus antiquus instauratur. p. 569
IV. Pro vrgentiori casu mediato nostra peculiaris fundatur. p.570
QVÆST. IV Quonam meriti genere Christus Dominus fuerit promeritus. p.572
CERT. I. Meritorum per modum pretij, & solutionis inuentor, sequaces, & explicatio, quæ hactenus fuit. ibid.
II. Merita hæc Patribus, & Conciliis videntur aduersari, & Semipelagianismum redolere. p.573
III. Merita hæc, etiam non absolutè futura præmiari absolutè possunt, & cum Semipelagianis demeritis videri ab Augustino. p.574
IV. Absurda contra hanc opinionem nonnulla. p. 575
V. Absurda cætera, quæ quia male à Doctoribus huius sententiæ soluuntur, eam censetur confutare. p.577
VI. Rationibus à priori eadem sententia confutatur. p.578
VII. A fundamentis eadem opinio subuertitur. p.579
QVÆST. V. Quonam tempore, designatis actibus, & meritis Christus promeritus fuerit. p.580
CERT. I. De vitæ tempore ad mortem vsque exclusiuè conclusiones. ibid.
II. A mortis tempore inclusiuè nihil suis actibus promeruit Christus. p. 582
III Obiectionis de oratione Christi in cælis solutio. p.583

DISPVTATIO II.

DE his, quæ sibi, & aliis Christus de facto est promeritus? p.584
QVÆST. I. Quidnam sibi Christus promeruit. ibid.
CERT. I. De facilioribus affirmatiua quæstionis decisio. ibid.
II. De essentiali gloria animæ, siue visione beata. p.586
III. De merito vnionis hypostaticæ. p.588
QVÆST. II. Quidnam Angelis Christus fuerit promeritus? p.590
CERT. I. Certa quædam, & circa primam gratiam aliorum iudicia. ibid.
II. Angelis primorum Parentum custodibus, ac pauculis eorum tentatoribus dæmonibus primam gratiam Christus non meruit; at meruit Angelis cunctis essentialē etiam gloriā. p.591
III Angelis, dæmonibus reliquis primam gratiam Christus meruit. p.592
QVÆST. III. Quid Adamo, reliquisque hominibus Christus fuerit promeritus? p. 595
CERT. I. Omnem lapsi Adami hominumque gratiam saluti æternæ quoquo modo proficuam Christi meritis deberi fides Catholica est. ibid.
II. Eiusdem veritatis rationes Theologicæ, & obiectionum solutiones. p.597
QVÆST. IV. Quo pacto Christus antecessoribus durationе hominibus gratiam fuerit promeritus? p.598
CERT. I. Difficultatum hac in re leuiorum proportio, & enodatio. ibid.
II. Vltima, eaque grauior difficultas eleuatur. p.599
QVÆST. V. Quo pacto Christus gratiam, quæ de facto ipsius existentiæ natura præcessisse videtur, Progenitoribus fuerit promeritus? p.600
CERT. I. Aliorum solutiones reiectæ. ibid.
II. Solutiones ex præcedentia accidentaria meritorum Christi ad progenitorum gratiam, & refelluntur. p.602
III. Recentiorum Murcianorum pro eadem solutione de remoto principio meditationes alias reiicio. p.603
IV. Herize, atque Lugo solutiones confutantur. p.605
V. Nostra, eaque solida difficultatis huius compositio p.606
QVÆST. VI. De gratiæ datæ crucifigentibus, & aliis, ne in eius mortem confluerent. p.608
CERT. I. Aliorum solutiones reuincuntur. ibid.
II. Nostra, eaque solidior propositæ difficultatis satisfactio. 609

DISPVTATIO III

DE Christi Domini satisfactione. p.610
QVÆST. I. Quonam Christus pro omnibus satisfecerit. ibid.
CERT. I. Meritis suis Christus Dominus pro omnibus satisfecit superabundanter; ast nostra ideo opera non exclusit. ibid.
II. Re etiam oblata Christus pro omnium peccatis superabundanter satisfecit. p.612
QVÆST. II Ex qua virtute Christus satisfecerit? p.613
CERT. I. Re oblata Christus ex nulla virtute satisfecit formaliter, secus materialiter. ibid.
II. Statuitur ex qua virtute Christus meritoriè satisfecerit? p.614

CONTROV. VII

DE honorariis Christi, qua hominis dignitatibus. p.615

DISPVTATIO I.

DE regno, & dominio hominis Christi in creata reliqua. ibid.
QVÆST. I. habuerit ne homo Christus speciale Iudæorum regnum, iusvè aliquod ad illud. ibid.
CERT. I. Naturalis Christi ex Dauide per Mariam propagatio constat ex Lucæ genealogia. p.614
II Nullatenus Iudaicum regnum Christo homini competebat. p.616
QVÆST. II An Christus regnum vniuersale humanum habuerit, iusvè ad illud p.618
CERT. I. Negatiua conclusio stabilitur. ibid.
II Obiectionum solutiones, vbi homo Christus ab omni humano Vasallatu liber ostenditur. p.619.
QVÆST. III. An homo Christus vniuersale aliud excellentius humano regnum habuerit. ibd.
CERT. I. Communis ac nostra affirmatiua sententia. ibid.
II. Obiecta soluta, & doctrinæ præfatæ consectaria. p.620
QVÆST. IV De dominio humanitatis Christi. p.621
CERT. I. Christi humanitas in omnia creata humano superius dominium habuit. ibid.
II Nullius rei dominium purè humanum, seu bassum humanitas Christi habuit p.623

DISPVTATIO II.

DE sacerdotio Christi. p.624
QVÆST. I. An Christus propriè sacerdos fuerit. ibid.
CERT. I. Christi sacerdotium adstruitur. ibid.
II Sola Christi humanitas est sacerdotij ipsius subiectum. p.625
III. Sacerdotij Christi forma diuinitas fuit. p.627
IV. Humanitas Christi, quæ Sacerdos, hostia, seu sacrificium, templum, & altare fuit. p.628.
QVÆST. II. De qualitatibus Sacerdotij Christi, eiusque similitudine cum veteribus aliis. q.630
CERT. I. Qualitates sacerdotij Christi, præcipue regia eius spiritualis potestas. ibid.
II. Sacerdotij Christi cum veteribus similitudo expenditur. ibid.

III. Imago Sacerdotij Christi in Sacerdotio Melchisedech illustratur. p.633
QVÆST. III. De æternitate Sacerdotij Christi. p.634
CERT. I. Æternitatem Sacerdotij Christi impropriè summi, perperam existimarunt nonnulli. ibid.
II. Propria Sacerdotij Christi æternitas, est non solum effectu, sed in ipso. p.636
QVÆST. IV. De Christi sacrificio, eiusque effectu. p.637
CERTAM. I. Verumque sacrificium, & sui corporis, & agni paschalis obtulit Christus. ibid.
II. Cruenti Sacrificij Christi effectus discutitur. p.638

DISPVTATIO III.

DE Christo Domino mediatore, ac Redemptore. p.639
QVÆSTIO I. De dignitate mediatoris p. 640
CERT. I. Mediatoris munia omnia Christus obiuit. ibid.
II. De subiecto mediatoris in Christo Domino. ibid.
III. De forma mediatoris in Christo. p.641
QVÆST. II. De Christo Redemptore. p.642
CERT. I. Christi, qua Redemptoris dignitas, forma, & subiectum. ibid.
II. At qua seruitute, & captiuitate nos redemerit Christus, statuitur. p.643
III. Quinam redempti à Christo Domino fuerint. p.644

DISPVTATIO IV.

DE dignitate capitis in Christo Domino. p.645.
QVÆST. I. An sola capitis ratio Christo Domino conueniat. ibid.
CERT. I. Capitalis dignitas Christi Catholice adstruitur. ibid.
II. Christus solus non est aliud Ecclesiæ membrum, neque absolute illius membrum dici potest. p. 646
QVÆST. II. De forma, & subiecto capitis in Christo. p.647
CERT. I. Capitalis dignitatis Christi forma statuitur. ibid.
II. Capitalis dignitatis Christi Domini subiectum. p.648
QVÆST. III. An totius adæquatæ Ecclesiæ caput Christus existat? p.649
CERT. I. Ecclesiæ totius hominum Christus est caput. ibid.
II. Christus secundum humanitatem, etiam plurium Angelorum caput. p.650
III. Quomodo Christus, qua homo cæterarum creaturarum caput existat? p.651

DISPVTATIO V.

DE iudiciaria Christi potestate. p.651
QVÆST. I. An Christo Domino competat iudiciaria dignitas, & potestas. ibid.
CERT. I. Affirmatiua conclusio dogmatica est. p.652
II. Rationibus Theologicis & obiectionum solutione eadem veritas stabilitur. p.653
QVÆST. II. De subditis eiusmodi iudiciariæ potestatis humanitatis Christi. p.654
CERT. I. Aliorum opiniones. ibid.
II. Nostræ sententiæ conclusiones. ibid.
QVÆST. III. De actibus iudiciariæ potestatis humanitatis Christi. p.655
CERTAM. I. Iudicium vniuersale statuitur. ibid
II. Iudicia particularia statuuntur. p.656
III Iudicia particularia plura, non tamen omnia sunt à Christi humanitate. p.657

DISPVT. VI

DE adoratione, & cultu debito humanitati Christi. p.658
QVÆST. I. Definitane hactenus fuerit adoratio latriæ humanitati Christi exhibenda. p.659
CERT. I. Doctorum placita, & historię fundamenta ponuntur. ibid.
II. Oppositionibus occurritur. p.660
QVÆST. II. Possit ne Christi humanitas adorari adoratione latriæ? p.661
CERTAM. I. Negatiua sententia stabilitur. ibid.
II. Eiusdem veritatis vlterior probatio consistit, communis alia nutat, & corollaria quædam statuuntur. p.662
QVÆST. III Possitne Christi humanitas aliunde inferiori cultu adorari? p.663
CERTAM. I. Aliorum placita proponuntur. ibid.
II. Vasquez sententia verior probatur. p. 664

CONTROV. VIII

DE modis ritè, rectèque loquendi de Incarnatione. p. 666.

DISPVT. I.

DE idiomatum communicatione. ibid.
QVÆST. I. an, & penes quæ sit idiomatum in Christo communicatio. ibid.
CERT. I. Negantes communicationem idiomatum explosi, atque ex parte vindicatus Durandus. ibid.
II. Communicatio idiomatum in Christo etiam quoad reliqua est de fide. p. 667
QVÆST. II. possitnè idiomatum communicatio abstractis nominibus exerceri. p. 668

CERT. I. Abstracta vnius naturæ de abstractis alterius nequeunt per idiomatum communicationem prædicari. ibid.
II. Neque per abstractum ex parte alterius tantum extremi potest esse idiomatum communicatio. p. 669
QVÆST. III. De ratione Theologica propriæ & veræ communicationis idiomatum per nomina concreta. p. 670
CERT. I. Aliquorum rationes confutatæ. ibid.
II. Sententia hæc suadetur, ac propugnatur. p. 671
III. Argumento à ratione fit satis. p. 672
QVÆST. IV. Pro quo in propositionibus communicationis idiomatum supponatur *Homo*, & *Deus*. p. 673
CERT. I. Supponuntur pro personis omnibus suis suppositione determinata, Deus, & homo. p. 674
II. Aliorum argumenta eleuantur. ibid.
QVÆST. V. de eorum propositionum qualitate. p. 675
CERT. I. Sunt propositiones per accidens, & in contingenti materia. ibid.
II. *Christus, Emmanuel, Iesus est Deus* sunt propositiones per se, vbi vtrisque assignatur prædicabile. p. 677

DISPVTATIO. II.

DE propositionibus nonnullis communicationis idiomatum. p. 678
QVÆST. I. Liceátne idiomatum communicatio particulis reduplicatiuis. ibid.
CERT. I. Reduplicatiuorum exacta acceptio. ibid.
II. De reduplicatiuis reduplicatiuè acceptis conclusiones. p. 779
III. De reduplicatiuis specificatiuè acceptis conclusiones. ibid.
QVÆST. II. Dicinè Christus, vel etiam Deus possit per communicationem idiomatum creatura. p. 681
CERT. I. Veritas eius propositionis adstruitur. ibid.
II. Difficultates eius conclusionis complanantur. ibid.
QVÆST. III. An Deus, & Verbum incœpit esse per idiomatum communicationem dici possit. p. 682
CERT. I. Veritas primæ propositionis, eiúsque sensus statuitur. ibid.
II. *Deus, Verbum, Dei Filus incœpit esse*, verè in sensu proprio dicentur, sed cautè ob scandalum. p. 683
III. Deus incœpit esse per communicationem idiomatum enunciatur. p. 684

DISPVTAT. III.

DE reliquis modis loquendi in materia de Incarnatione. p. 685
QVÆST. I. An verè, & propriè, assumpsisse hominem dicatur Deus. ibid.
CERT. I. Nonnulla pro disputationis libertate, & expeditione prænotantur. ibid.
II. Eius propositionis veritas in proprio Theologico sensu Augustini, & plurium Scholasticorum authoritate fulcitur. p. 686
III. Proprius verúsque Theologicus sensus eiusdem propositionis aliorum Patrum testimoniis illustratur. p. 687
IV. Firmiora adhuc Conciliorum pro eadem propositione fulcra. p. 688
V. Fundamenta quæ vnicum verum Theologicum, imò dogmaticum eius propositionis sensum esse suadent expenduntur. p. 689
VI. Pro eadem propositione efficax ratio Theologica. p. 690
VII. Euasionum, & obiectionum præclusione firmiora videntur præfata fundamenta perstare. p. 692

INDEX

INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ in duas partes distributus propter tractatuum diuisionem.

PARS PRIMA

COMPLECTITVR LOCA QVÆ inueniuntur in tractatu vnicæ controuersiæ de Trinitate.

EX GENESI.

CAP. I. FACIAMVS hominem, ad imaginem, & similitudinẽ nostram. Controu. vnic. d. 2. quæst. 1. cert. 2. nu. 3. p. 44. eadem, controuersia d. 14. quæst. 1. cert. 3. numero 6. p. 245. ead. d. 10. quæst. 2. cert. 3. n. 1. p. 180. & n. 4. p. 181
Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, controuersia vnica, d. 10. q. 5. cert. 4. n. 2. p. 195
In principio creauit Deus cœlum, &c. contr. vnic. d. 2. q. 1. cer. 2 n. 1. p. 33
Dixitque Deus &c. contr. vnic. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 8. p. 66
Fiat lux, fiat firmamentum, contr. vnic. d. 12. q. 2. cert. 3. n. 2. p. 210
Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. cont. vnic. d. 12. q. 2. cert. 3. n. 3. p. 210
II. Adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, controu. vnic. d. 13. qu. 3. cert. 1. n. 3. p. 235
III. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, cont. vnic. d. 2. qu. 1. cert. 2. n. 4. p. 44
IV. Possedi hominem per Deum. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 6. p. 47
XI. Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, & diuisit eos. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 2. n. 6. p. 44. cad. d. 10. q. 2. cer. 3. n. 1. p. 180. & n. 4. p. 181
XIX. Quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 2. num. 6. p. 45
Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino. ibid.
XXXII. Vidi Dominum facie ad faciem, cont. vn. d. 13. q. 2. cert. 2. n. 3. p. 234
XXXV. Apparuit ei Deus. cont. vn. d. 14. q. 1. cert. 3. n. 4. p. 245
L. Fratres Ioseph mandauerunt ei. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 8. n. 3. p. 72

EX EXODO.

CAP. III. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 2. n 8. p. 45
Ego sum qui sum. cont. 1. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 7. p. 62. ead. d. 6. q. 1. cert. 1. n. 7. p. 129
Qui est qui misit me ad vos. ibid.
IV. Mitte quẽ missurus es, & emitte Agnum dominationẽ terræ, &c. cont. vn. d. 13. q. 1. c. 3. n. 8. p. 231
VIII. Digitus Dei est hic. cont. vn. d. 10. q. 6. cert. 1. n. 3. p. 196
XV. Adiutor, & protector factus est. mihi in salutem. cont. vn. d. 2. q. 3. cert. 5. n. 6. p. 57
XXIII. Est nomen meum in illo. cont. 1. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 2. p. 61

EX LEVITICO.

CAP. XVI. Ne omni tempore ingrediatur ad Sanctuarium quod est intra velum coram propitiatorio. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 3. n. 4. p. 64

EX DEVTERONOMIO.

CAP. VI. Dñus Deus tuus Deus vnus est. cont. 1. d. 2. q. 1. cert. 2. n. 4. p. 44. & n. 8. p. 45. cad. d. 2. q. 4. cert. 5. n. 8. p. 68
IX. Tabulas lapideas scripsit digito Dei. controu. vnic. d. 10. q. 6. cert. 1. n. 3. p. 196

Index

EX LIB. NVMERORVM.

CAP. V. Spiritus Zelotypiæ. cont. vn. disp. 10. q.4.cert.1.n.1. p.186

EX IOSVE

CAP. XXIV. Deus sanctus est. cont. vn. d. 14 q.1.cert.3.n.6. p.245

EX LIB. IVDIC.

CAP. III. Cœpit Spiritus Domini esse cum eo, &c. cont. vn. disputatione 2.q. 4. cert. 3. n.2. p.63.

XIV. Iruit itaque in eum Spiritus Domini,cont. vn.disputatione 2. quæstione 2.certamine 3. n. 2.p.63. eadem disputatione 13.q.3.cert.2.n. 3. p.237.

XVI. Nesciens quod recessisset ab eo Dominus. cont. vn. disputatione 2. quæstione 2. certam. 3.num.2. p.63

EX I. REGVM.

CAP. II. Non est alius extra te. cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. certamine 2. numero 7. p.62.

VIII. Nisi credideritis quia ego sum. ibid.

XIII Vt credatis quia ego sum. ibid.

XVII. Homo videt in facie, Dominus autem intuetur cor. cont. vn. disputatione 2.q.4. cert. 4.num.4. p.65

EX II REGVM.

CAP. XXIII. Spiritus Domini loquutus est per me & sermo eius per linguam meam. dixit, &c. cont. vn. disputatione 2.quæstione 4. cert. 3. n.4. p.63

EX III. REGVM

CAP. VIII. Tu solus nosti omnia corda filiorum hominis,cont.vn.d.2.q.4.cert.4.n.4. p.65

EX PARAL.

CAP. XVII. Tu Domine factus es Deus eius. cont. vn.d.2.q.5.cert.5.n.6. p.56

EX IVDITH.

CAP. XVI. Misit Spiritum tuum, & creata sunt. cont.vn.d.2.q.4.cert.4.n.8. p.66

EX IOB.

CAP. III. Ipse solus est.cont.vn.d. 2. q. 4. cert. 2. num.7. p.62

IX. Præcepit soli, vt oriretur. cont. vn. d.2.q. 4. cert.8.n.3. p.72

X. Manus tuæ Domine fecerunt me, cont. vn. d. 12.q.3.cert.2.n.2. p.215

XII. In spiritu vniuersæ carnis hominis, cont. vnd.2.q.4.cert.4.n.8. p.66
Spiritus eius ornauit cœlos. ibid.

XIV. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? nonne tu qui solus es ? cont.vn. disputatione 2.cert.4.n.5 p.65

XXXIII. Spiritus Domini fecit me, & spiraculum omnipotentiæ viuificauit me. cont. vn.d.2. cert.4.n.8.p.66 eadem, d. 12.q.3.cert.2.n. 2. p. 215. eadem,d.10.q.4,cert.1.n.4. p.188
Ipse solus est.cont.vn.d.6.q.1.cert.1.n.7.p.129
Semel loquitur Deus. cont.vn.disputatione 10. q.2.cert.3.n.2. p.180

XXVII. Donec supetest habitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis. cont. vn.d. 10. q. 6. cert.2.n.3.p.197.eadem,d.10.q.4.ceert.1.nn. 4. p.188.

EX PSALMIS.

CAP. II. Spiritus Domini.con.vn.d.2.q.1.cert.2. n.1. p.33
Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. ego hodie genui te.cont.vn.d.2.q.2.cert.3.n.6.p.46. eadem,d.10 q.2.cert.2.n.6.p.46.eadem,d. 10. q. 2. cert.2.n.6. p.180

III. Verbo Domini cœli firmati sunt. cont. vn.d. 10.q.2.cert.3.n.6. p.181

VII. Scrutans corda, & renes Deus. cont.vn. d. 2.q.4.cert.4.n.4. p.65

VIII. Minuisti eum paulominus ab Angelis.cont. vnic.d.2.q.4.cert.8.n.4. p.72

IX. Sperent in te,qui nouerunt nomen tuum.cont. vnic.d.3.q.2.cert.4.n.5. p.89

XI. In corde & corde locuti sunt.cont.vn.d. 3.q. 1.cert.3.n.7. p.80

XIII. Non est salus ipsi in Deo eius.cont.vn.d.2. q. 1.cert.3.n.6. p.47
Dixit insipiens in corde suo non est Deus.cont. vn.d.3.q.1.cert,3.n.7. p.80

XV. Dominus pars hæreditatis meæ. cont. vn. d.10.q.4.cert.3.n. 5. p.190

XVII. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo. cont. vnic.d.2.q.1.cert.3.n.6. p.47

XVIII. Opera manuum eius annunciat firmamentum.cont.vn.d.32.q.3.cert.2.n.2. p.215

XXI. Apud te laus mea.cont.vn. d. 2.q. 1.c. 3. n. 1. p.46.

XXXII. Verbo Domini cœli firmati sunt,& Spiritu oris eius, omnis virtus eorum. cont. vn.d. 2.q. 1.cert.2.n.2.p.33. eadem,d.2.q.3.cert. 5. n. 7. p.58.ead.d.2.q. 4. n.9.p.66.ead.d.3.q.1.cert. 1.n.4. p.187
Et Spiritu eius oris omnis virtus eorum, cont. vn.d.3.q.1.c. 1.n.6.p.77.& d.10.q.4.cert.1.n. 2. p.195.

XXXIX. In capite libri scriptum est de me,vt facerem voluntatem tuam,cont.vn.d.2.q. 1. cert. 2.n.1. p.33
Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. cont.vn.d.2.q.4.cert.8.n.2. p.71
In manus tuas commendo Spiritum meum, cont.vn.d.10.q.4.cert.1.n.1. p.186

XLI. Apud me oratio Deo. cont.vn.d.2.q.1.cert. 3.n.1. p.46

XLIV. Sedes tua Deus in seculum seculi &c.cont. vn.d.2.q.1.c.1.n.4.p.44.&d.2.q.1.c.2.n.7. p.45
Ad Filium autem thronus tuus Deus in seculum seculi. cont.vn.d.2.q.4.cert.2.n.5. p.61
Canticum pro debito cont.vn.d.2.q. 4. cert.4. num.6. p.67
Eructauit cor meum verbum bonum, cont. vn. d.3.q.1.cert.3.n.7. p.80
Ipse præcepit, & creata sunt. cont.vn.d.12.q. 2. cert.1.n.4. p.208

Redde

Locorum S. Scripturæ.

L. Redde mihi lætitiam.cont. vnic. d. 2.q.1.cert. 2.num.2. p.33
Cor mundum crea in me Deus,cont.vn. disputatione 2.quæstione 3. certamine.5 numero 5. p.57.
Spiritus principalis Spiritus recti,&c. cont.vn. disputatione 10. quæstione 4. cert. 1. num. 2. p.187

LXVI. Benedicat.nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, cont.vn. disputatione 2.quæst.1. cert.2.n.8. p.45

LXVII. Qui habitare facit vnius moris in domo, cont. vn.disputatio. 2. quæst.1,cert.4. n. 6. p.40.

LXXI. Qui facit mirabilia solus, cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. certam. 4. numero 2. p.64
Faciens mirabilia tu es Deus solus ibid.

LXXIII. Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam,de medio sinu tuo. cont.vn. disputatione 10. quæstione 6. certam. 1. numero 2. p.195.

LXXV. Aufert Spiritum Principum. cont. vn. disputatione 10. quæstione 4. certam.1. num. 1. p.186.

LXXXI. Dij estis vos. cont. vn. disputatione 2. q.4.cett.2.n.1. p.60

XCVII. Saluabit sibi, dextera eius & brachium sanctum eius. cont.vn disputatione 10.q.6.cert. 1.num.2.p.195.

CI. Opera manuum tuarum sunt cœli. cont. vn. disputatione 12. quæstione 3. cert.2. num. 2. p.215.

CII. Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. cont. vnd.10.q.4. cert.1. n.1. p.195

CIII. Qui facit Angelos suos Spiritus & ministros suos. cont. vn. disputatione 10. quæst.4. certam.1.numero 1. p.186. & disputatione 12. q. 2.cert.2.n.3. p 209

CIV. Memor fuit in sæculum testamenti sui. cont.vn. disputatione. 2. quæst.4 cert.8. num.3. p.72.

CVI. Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. cont.vn. disputatione 10. quæstione 2. certam.1.numero 7. p.184.
Neque herba, neque malagma sanauit eos sed tuus Domine sermo qui sanat omnia. ibid.

CVII. Saluum fac dextera tua. cont. vn. disputatione 10. quæstione 6. certam. 1. numero 2. p.195.

CIX. Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. cont. vn. disputat. 2. quæstione 1. cert. 2.n.6.p.45. ead. disputatione 2. q.4. cert. 2.n.2. p.61.
Tecum principium. cont. vn.disp.12.q.3. cert. 5.n.5. p.213

CXVII. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. cont. vn. disputat. 10.q. 6.cert.1.n.2. p.175
Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis.cont.vn. disp.2. q. 4. cert.2.n.2. p.61

CXXXV. Qui facit mirabilia magna solus. cont. vn.d.2.q.4.cert.2.n.2. p.64

CXXXVIII. Quo ibo à Spiritu tuo, &c. cont. vn. disput.2.q.4.cert.3.n.3.p.63.eadem,disp.10. quæst.3.cert.1.num.5.p.182.& disp.10.q.6.cert. 2.n.2. p.197.

CXLI. Portio mea in terra viuentium. cont.1.d 10.q.4.cert.3.n.5. p.190

CXLII. Spiritus tuus bonus deducet me.cont.vn. d.2.q.4.c.3.n.4. p.63

EX PROVERBIIS.

CAP. III. Ne sis sapiens apud temetipsum. cont. vn.d.2.q.1.cert.3.n.1. p.46

VIII. Dominus creauit me.cont.vn.d. 2.q.3.cert.5. n.1. p.56
Antequam quidquam facetet à principio.cont. vn.disp.2.q.3.cert.5.n.3. p.57
Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. ibid.&d. 3.q.1.cert.1.n.5. p.77
Creauit me, &c. cont.vn.d.10.q.5.cert.4.nu.1. p.195
Ante omnes colles ego parturiebar. ibid.
Quando præparabat cœlos aderam. cont. vn.d. 10.q.2.cert.2.n.5. p.208

XV. Longe est. Dominus ab impiis.cont.1. d.13. q.3.cert.2.n.4. p.237

XXX. Quod non est alius, aut quod nomen Filij eius. cont.vn.disp.2.q.2.cert.3.n. 6.p.46. & d.1.q.1.cert.1.n.3. p.18

EX ECCLESIAST.

CAP. I. Prior omnium creata est sapientia. cont. vn.d.2.q.3.cert.5.n.1.p.56.ead.d.2.q.4.cert.4.n. 1. p. 64 & d.3.cert.1.n.5. p.77
Vnus est altissimus Creator omnipotens. cont. vn.d.12.q.2.cert.3.n.3. p.210

II. Vt sequi possit regem factorem suum.cont.vn. d.2.q.1.cert.2.n.4. p.44

XV. Longè abest à superbia & dolo. cont.vn.d. 13.q.3.cert.2.n.4. p.237

XXIV. Ex ore altissimi primogenita ante omnem creaturam. cont. vn. d.2.q.2.cert.3.n.6.p.46.eadem,d.2.q.3.cert.5.n.3.p.57.ead d.3.q.1.cert.1. n.5.p.77.& disp.10.q.5.cert.2.n.2. p.195
Ab initio, & ante sæcula creata sum.cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. certam. 4. num.1. p.64.
Primogenitum in multis, fratribus, ante omnem creaturam. cont. vn. disputatione 2. q. 4. cert.5.n.6. p.68
Ego iam concepta eram. ibid.
Dixit mihi Creator omnium,& qui creauit me. cont.vn.disp.10.q.5.cert.4.nu.1.p. 195. & disp. 12.q.1.cert.1.n.1. p.204
In habitatione sancta coram ipso ministraui, cont.vn. d. 12.q. 2.cert.1.n.2. p.208

EX SAP.

CAP. I. Iam maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.cont.vn.d.13.q.3.cert.2.n.4. p.237
Spiritus Domini replenit orbem terræ. cont.vn. disputatione 2. quæstione 4. cert.3. numero 3. p.63.
Spiritus enim Domini disciplinæ effugit dictum. cont. vn.disputatione 13. quæstione 3. cert. 2. n. 4. p.237

VII Emanatio claritatis omnipotentis Dei candor est lucis æternæ.cont.vn.d.2.q.4.cert.4.n.7. p.66
Speculum sine macula, imago bonitatis illius. cont. vn. d.10.q.3.cert.1.n.2.p.181.& d. 10. q. 3.cert. 2 n.2. p.184

VIII. Nondum erant Abyssi, & ego iam concepta eram. cont. vn. disp. 2. q. 2. cert. 3. num. 3. p. 46.
Ante omnes colles ego parturiebar. ibid.
Omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo à regalibus sedibus venit. cont. vn. d. 12. q. 2. cert. 1. n. 7. p. 184
IX. Est tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, &c. cont. vn. disput. 12. quæst. 2. cert. 3. nu. 5. p. 209
XVIII. Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. cont. vn disp. 2. q. 2. cert. 2. n. 6. p. 44

EX PROPHETIA ISAIÆ.

CAP. V. Cantabo dilecto meo. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 5. num. 6. p. 67
VI. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. cont. vn. disput. 2. quæst. 1. cert. 2. numero 5. p. 44
VII. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. cont. vn. disp. 2. q. 4. cert. 2. n. 2. p. 61
IX. Vocabitur nomen eius Deus fortis. cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. cert. 2. numero 2. ibid.
Audi Philosophe Dominum eum prædicatum, non autem ministrum. contr. vn. disp. 10. q. 2. cert. 2. n. 1. p. 209
XI. Spiritus sapientiæ, & intellectus, cont. vn. disputatione 10. quæstione 4. cert. 1. num. 1. p. 186.
XIX. Disrumpetur Spiritus Ægypti. cont. vn. disp. 10. q. 4. cert. 1. n. 1. ibid.
XXVIII. Manda remanda. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 8. n. 3 p. 72
XXIX. Miscuit vobis Dominum Spiritum soporis cont. vn. disputatione 10. quæst. 4. cert. 1. num. 1. p. 186
XXX. Ordinemini talem, & non per Spiritum meum, cont. vn. disputatione 2. quæst. 1. cert. 3. num. 6. p. 47
XLII. Ponam Spiritum meum super eum, cont. vn. disputatione. 2. quæstione 4. cert. 3. num. 5. p. 64
XLIII. Non est absque me. Saluator. cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. cert. 4. num 7. p. 66.
XLIV. Ego sum Dominus extendens cœlos, stabiliens terram, nullus mecum. cont. vn. disput. 2 q. 4. cert. 4. n. 8. ibid.
& disp. 12. q. 2. cert. 3. n. 4. p. 210
XLV. Tantum in te est Deus, & non est Deus absque te, &c. cont. vn. disputatione 2. q. 1. cert. 5. nu. 1. p. 40. & cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 2. numero 4. p. 61. & disputatione 12. q. 1. cert. 1. num. 1. p. 204
Et Saluans non est præter me, cont. vn. disp. 2. q. 4. cert. 4. nu. 7. p. 66
Et non Deus præter te, cont. vn. disputat. 2. quæstione quarta, certamine 8. numero primo. p. 71.
XLVIII. Mitti à Spiritu sancto. cont. vn. disputatione 3. quæstione 12. certamine 2. num. 2. p. 43.
Ex tempore antequam fierent ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius. cont. vn. disputatione 2. q. 2. certamine 2. numero primo p. 43. eadem disputatione 2. quæstione 1. certameni 2. numero 7. p. 45. & disputatione secunda; quæstione 4. certamine, 3 numero 5. p. 64
LIII. Et brachium Domini cui reuelatum est, cont. vn. disputat, 10. quæstione 6. certamine 1. numero 2. p. 196
Domine sublime est brachium tuum, & nescierunt. ibid.
LXI. Spiritus sanctus super me: eo quod vnxerit me: Euangelizare pauperibus misit me, cont. vn. disputatione 2. quæstio. 4. certamine 3. n. 5. p. 64.
Dominus misit me, & Spiritus eius, cont. vn. disputatione 13. quæstione 4. certamine 1. n. 3. p. 239.
LXIII. Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi, cont. vn. disputatione 12. q. 2. certamine 1. num. 3. p. 208
Manus meas fecit hæc omnia, cont. vn. disputatione 10. quæstione 6. certameni 1. num. 2. p. 196.
Qui generationem cæteris tribuo sterilis ero, cont. vn. disputatione 2. quæst. 2. cert. 3. num. 6. p. 46.

EX IEREMIA.

CAP. I. Antequam exires de vulua sanctificaui te. cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. cert. 4. num. 5. p. 65
X. Non est tuis similis pars Iacob: qui enim formauit omnia ipse est. cont. vn. disputat. 10. q. 4. cert. 3. n. 5. p. 190
XVII. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda. cont. vn. disputatione. 2. q. 4. cert. 4. n. 4. p. 65
XXIII. Si stetissent in hypostasi mea, d. procem. q. 1. cert. 1. nu. 3. p. 2
XXXI. Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël, &c. cont. vn. disp. 2. q. 4. cert. 3. n. 4. p. 64.

EX BARVCH.

CAP. III. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius. cont. vn. disputatione 14. q. 5. cert. 2. num. 2. p. 256

EX EZECHIELE.

CAP. I. Vbi erat Spiritus illuc gradiebantur, cont. vn. disputatione 10. quæstione 4. cert. 1. n. 3. p. 187.

EX OSEE.

CAP. I. Saluabo eos in Domino Deo suo. cont. vn. disputatione 2. quæstione 1. cert. 2. num. 7. p. 45.

EX IOHELE.

CAP. II. In diebus illis effundam de Spiritu meo super omnem carnem. cont. vn. disputatione 13. quæstione tertia, numero quarto. p. 238.

EX

EX AMOS.

CAP. IV. Ego Dominus formans tonitruum, & creans spiritum. controu. vnic. disput. 2. q. 3. cert. 5. n. 7. p. 58

EX MICHÆA.

CAP. V. Egressus eius ab initio à diebus æternitatis. controu. vnica, disputat. 2. quæstione 2. cert. 2. n. 6. p. 44. & d. 13. q. 1. cert. 3. num. 2. p. 230

EX ABACVCH.

CAP. III. Posuit in eo dilectionem robustam. controu. vnica, disp. 3. quæst. 1. cert. 3. n. 7. p. 80

EX ZACHARIA.

CAP. II. Habitabo in medio tui Dominus, &c. cont. vnic. disp. 2. q. 2. cert. 2. numer. 1. p. 43. ead. disput. 2. quæst. 1. certam. 2. numero 7. p. 45
Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. controu. vnic. disputatione 13. quæst. 3. cert. 1. num. 3. p. 235
Dixit Dominus ad Satan: & increpet Dominus in te Satan, &c. controu. vnic. disp. 2. quæst. 1. cert. 2. num. 7. p. 45

EX MALACHIA.

CAP. V. Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit ideo & ipse locus particeps factus est populi malorum. controu. vnic. disputatione 13. quæstione 4. certam. 3. num. 4. p. 241

EX MACHAB. II.

CAP. I. Deus omnium creator, contr. vn. disputatione 12. quæst 2. certam. 3. n. 3. p. 210

EX EVANGELIO S. MATTH.

CAP. I. Inuenta est in vtero habens de Spiritu S. cont. vnic. d. 2. q. 4. cert. 3. n. 5. p. 64
Quod enim in ea natum est de Spiritu S. est. Ibid. & cont. vnic. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 6. p. 47
III. Ille vos baptizabit in Spiritu S. cont. vnic. d. 2. q. 4. cert. 4. nqm. 6. p. 65. & d. 10. q. 6. cert. 2. num. 4. p. 197
Hic est filius meus dilectus. contr. vnic. disp. 2. q. 4. cert. 5. n. 6. p. 64
IV. Ductus est à Spiritu in desertum. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 3. n. 5. ibid.
V Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. controu. vnic. disput. 2. q. 4. cert. 6. num. 7. p. 70
VI. Pater vester cœlestis pascit illa. cont. vn. d. 12. q. 2. cert. 3. n. 3. p. 210
VIII. Imperauit ventis, & mari. controu. vnic. d. 12. q. 2. cert. 4. n. 7. p. 212.
X. Vnus illorum nec cadit super terram sine Patre vestro: sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt, controu. vnic. disp. 12. q. 2. cert. 3. n. 3. p. 210
XI. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. controu. vnic. disput. 2. quæst. 2. cert. 2. numero 1. p. 43. ibid. n. 2. p. 44. ibid. cert. 4. num. 5. p. 47 eadem controu. disp. 6. q. 1. cert. 1. nu. 7. p. 129. & diput. 12. q. 4. cert. 1. n. 5. p. 217
Nemo nouit Filium nisi Pater, & cui voluerit Filius reuelare. controu. vnic. disp. 1. quæst. 1. cert. 1. num. 2. p. 18. & disp. 2. quæst. 4. cert. 8. num. 1. p. 71
Si Patrem familias Belzebub vocauerunt. controuersia vnica, disput. 10. quæst. 6. certam. 1. num. 5. p. 191
XII. Si ergo in Spiritu Dei eiicio Dæmonia, controuers. vnic. disput. 10. quæst. 6. cert. 1. num. 3. p. 196
XVI. Tu es Christus Filius Dei viui, controu. vnic. d 2. q. 2. cert. 3. n. 6. p. 46. eadem disp. 2. q. 2. cert. 5. n. 1. p. 66. eadem d. 10. q. 5. cert. 3. num. 3. p. 194. & disp. 14. quæst. 2. cert. 1. num. 4. p. 246.
Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus. controu. vnic. disput. 1. quæst. 1. cert. 1. num. 3. p. 18
XVIII. Data est mihi omnis potestas, controu. vnic. d. 2. q. 2. cert. 2. n. 5. p. 44
XX. De die illa, &c. controu. vnic. d. 2. qu. 4. cert. 8. n. 1. p. 71.
Insufflauit, & dixit accipite Spiritum. controu. vnic. disput. 10. quæst. 4. cert. 1. n. 4. p. 187. & num. 5. p. 188
XXI. Quia Dominus his opus habet. controu. vn. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 2. p. 61
XXII. Ex vtero ante luciferum genui te. contr. vnica, disputatione 2. quæstion. 2. certam. 3. num. 6. p. 46
XXIV. Nemo scit nisi solus Pater, controu. vnic. disputat. 12. quæstione 4. certam. 1. num. 5. p. 217
XXVIII. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &c. controu. vnic. disput. 2. quæst. 2. cert. 4. num. 2. p. 46. eadem disput. 2. quæst. 4. cert. 4. num. 6. p. 66. ead. d. 2. quæst. 5. cert. 6. numer. 3. p. 69. & disput. 10. quæst. 4. cert. 1. n. 2. p. 187

EX EVANGELIO S. MARCI.

CAP. I. Erat omnis ciuitas ad ianuam. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 3. p. 65
Ductus est à Spiritu in desertum. controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certam. 3. num. 5. p. 64
II. Vt autem sciatis: quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. contr. vnic. disputat. 2. quæst. 4. certam. 4. num. 5. p. 65
Remittuntur tibi peccata tua. ibid.
VII. Misit digitos suos in auriculas. controu. vnic. disput. 10. quæst. 6. certam. 1. num. 5. p. 196
IX. Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi. controuersia vnica, disp. 12. quæst. 2. certam. 4. num. 7. p. 212
Quocumque loco intrabat. contr. vnic. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 3. p. 65
Virtus ex illo exibat, & sanabat omnes. ibid.
XII. Ipse Dauid in Spiritu sancto dicit. contr. vnic. d. 2. q. 4. cert. 3. n. 4. p. 63
Adhuc habens vnum filium charissimum cont.

vnic. d. 2. q. 4. cert. 5. num. 1. p. 66
XVI. Et Dominus quidem Iesus. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 2. p. 61

EX EVANGELIO S. LVCÆ.

CAP. I. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius. controu. vnic. d. 2. q. 4. cert. 3. n. 4. p. 63
Spiritus S. superueniet inte, cont. vnic. d. 2. q. 4. cert. 3. n. 5. p. 64
Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, controu. vnic. disput. 2. q. 4. cert. 4. num. 5. p. 65
Spiritus Altissimi obumbrabit tibi. contr. vn. d. 10. q. 5. cert. 2 n. 5. p. 190
IV. Regressus est Iesus virtute Spiritus in Galileam, controu. vnic. disput. 10. quæst. 5. cert. 2. num. 5. p. 193
Increauit Dæmonium. cont. vn. d. 12. q. 2. cert. 4. num. 7. p. 212
Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. cont. vnic. disput. 13. q. 4. cert. 1. num. 4. p. 239
X. Domine etiam Dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. controu. vnic. disp. 2. q. 4. cert. 4. num. 5. p. 65
XVIII. Apud se orabat. con. vn. d. 2. qu. 1. cert. 3. num. 1. p. 46
XX. Mittam filium meum dilectum. cont. vnic. d. 2 q 4. cert. 5. n. 6. p. 67
XXIV. Quoad vsque induamini virtute ex alto. controu. vnic. disput. 10. quæst. 5. cert. 2. num. 5. p. 193
Manete in ciuitate, quoad vsque induam in virtute ex alto. controu. vnic. disput. 10. q. 4. cert. 4. n. 2. p. 195

EX EVANGELIO S. IOAN.

CAP. I. Gloriam quasi vnigeniti Filij Dei. controu. vnic. disput. 2. quæst. 2. cert. 3. nu. 6. p. 46. eadem disputat. 2. quæst. 4. cert. 5. num. 4. p. 67
Dedit eis potestatem filios Dei fieri. ibid.
Vnigenitus qui est in sinu Patris. cont. vnic. d. 2. q. 2. cert. 3. n. 6. p. 46
Pater diligit filium suum. ibid.
Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret. ibid.
Quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. ibid.
Pater clarifica filium tuum. ibid.
Omnia per ipsum facta sunt, &c. cont. vnic. d. 1. q. 1. cert. 3. n. 3. p. 21. eadem, disput. 2. q. 1. cert. 3. nu. 4. p. 47. eadem, disput. 10. quæst. 5. cert. 4. n. 1. p. 195. ead. disput. 12. quæst. 2. cert. 3. num. 1. p. 210. & disput. 13. quæst. 2. cert. 1. num. 2. p. 232. eadem, disp. 2. quæst. 3. cert. 5. n. 7. p. 58
In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. num. 1. p. 46. ead. d. 2. q. 4. cert. 2. num. 4. p. 61. ead. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 7. p. 61. ead. disput. 2. quæst. 4. cert. 4. num. 1. p. 64. ead. disp. 3. quæst. 1. cert. 1. num. 4. p. 77. eadem disput. 10. quæst. 2. cert. 1. num. 3. p. 177. ead. disput. 10. q. 3. certam. 1. num. 3. p. 183. ead. disput. 14. q. 2. cert. 1. n. 4. p. 246. & d. 10. q. 5. cert. 3. n. 3. p. 194
Quod factum est in ipso vita erat. cont. vnic. disput. 12. quæst. 1. cert. 2. numer. 2. p. 205. eadem disputatione 2. q. 3. cert. 5. n. 5. p. 57. & d. 10. q. 5. cert. 3. n. 4. p. 194
Et vita erat lux hominum. cont. vnic. d. 10. q. 5. certam. 3. n. 4. ibid.
Hic est qui baptizat in Spiritu S. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 6. p. 65
Hoc erat in principio apud Deum. controuers. vnic. d. 10. quæst. 2. cert. 1. n. 2. p. 177
Post me venturus est, qui ante me factus est. controuersia vnica, disput. 2. quæst. 3. cert. 5. num. 1. p. 56
Omnia per ipsum facta sunt. ibid.
Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 6. p. 65
Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. cont. vn. d. 6. q. 1. cert. 1. n. 5. p. 129
Mundus per ipsum factus est. cont. vn. d. 12. q. 2. cert. 2. n. 2. p. 209
Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem. controu. vnic. disput. 13. q. 1. cert. 1. num. 6. p. 229
Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. cont. vnic. disput. 13. quæst. 3. cert. 1. num. 2. p. 235
De plenitudine eius omnes accepimus. cont. vn. d. 12. q. 2. cert. 3. n. 1. p. 210
II. Eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei nõ erat, vt quis testimonium perhiberet de homine. controu. vnic. disput. 2. q. 4. certam. 4. num. 4. p. 65
III. Spiritus vbi vult spirat, &c. cont. vnic. d. 10. q. 4. cert. 1. n. 3. p. 187. ead. d. 12. q. 2. cert. 4. num. 8. p. 212
Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. cont. vnic. d. 2. q. 2. cert. 2. num. 1. p. 43
Quod natum est ex Spiritu. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 6. p. 47
In hoc cognouimus Charitatem Dei, quia ille pro nobis animam suam posuit. cont. vnic. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 4. p. 61
Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto. controu. vnic. disput. 2. q. 4. certam. 4. num. 6. p. 65
Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. controu. vnic. disput. 2. quæst. 4. certam. 4. num. 7. p. 66
Non misit Deus Filium suum. cont. vn. d. 10. q. 5. cert. 3. n. 3. p. 194
Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur, &c. cont. vn. d. 13. q. 3. cert. 3. n. 1. p. 238
IV. Filium suum vnigenitum misit in mundum. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 5. n. 4. p. 67
Vnigenitus qui est in sinu Patris, &c. ibid.
Vt Filium suum vnigenitum daret. ibid.
Deus in nobis manet. cont. vnic. d. 2. q. 1. cert. 3. num. 6. p. 47
Spiritus est Deus. cont. vnic. d. 2. q. 4. cert. 3. num. 1. p. 63
V. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt. cont. vn. disput. 2. quæst. 1. certam. 3. n. 8. p. 48. ead. d. 2. q. 4, cert. 6. n. 5. p. 69. ead. d. 8. q. 1. cert. 2. num. 4. p. 154. & d. 10. q. 4. cert. 2. num. 2. p. 187
Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem

Patrem qui misit illum. cont. vnic. disput. 2. q. 2. cert. 2. n. 1. p. 43
Voluntatem eius qui misit me. ibid.
Omne iudicium dedit Filio. ibid.
Dedit Filio vitam habere in semetipso. num. 4. ibid.
Ego viuo propter Patrem. ibid.
Alius est qui testimonium perhibet de me. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 3. p. 46
Pater meus, & Spiritus S. cont. vn. d. 3. q. 1. cert. 1. num. 4. p. 77
Æqualem se faciens Deo. cont. vn. d. 2. q. 3. cert. 5. num. 6. p. 58
Ego habeo testimonium maius Ioanne; opera enim quæ dedit mihi Pater, vt perficiam, ea ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me. controuersia vnica, disput. 2. quæst. 4. cert. 4. n. 5. p. 65
Non potest Filius à se facere. cont. vn. d. 12. q. 2. cert. 1. n. 4. p. 208
Pater meus vsque modo operatur. cont. vn. d. 12. q. 2. cert. 3. n. 3. p. 210
Non posse à se facere quidquam, sed solum quę viderit patrẽ facientẽ hæc ipsum similiter facere. controuersia vnica, disputatione 12. q. 2. cert. 4. num. 1. p. 211
Pater testimonium perhibet de me, neque vocem, &c. controu. vnic. disp. 10. q. 3. cert. 1. num. 7. p. 183
VI. Hunc Patet signauit Deus. cont. vn. d. 10. q. 3. cert. 1. n. 7. ibid.
Ego viuo propter Patrem. cont. vn. d. 2. quæst. 2. cert. 2. n. 4. p. 43
Sciebat ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis esset traditurus eum. controuersia vnica, disputatione 2. quæstione 4. certam. 4. num. 4. p. 65
VII. Mea doctrina non est mea, sed eius, &c. controuersia vnica, disputatione 2. quæst. 2. cert. 2. n. 1. p. 43
Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. cont. vn. d. 10. q. 4. certam. 3. num. 1. p. 189
Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat clarificatus. cont. vn. d. 13. quæst. 3. cert. 3. num. 3. p. 238
VIII. Ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater ipse mihi mandatum dedit. cont. vn. d. 2. q. 2. cert. 1. num. 2. p. 43
Alium Paracletum dabit vobis. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 5. p. 46
In lege vestra scriptum est: quia duorum hominum testimonium verum est, &c. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 8. p. 48
Quem te ipsum facis, &c. cont. vn. d. 2. q. 3. cert. 5. n. 6. p. 58
Scio enim & sermonem eius seruo. controuersia vnica, disputatione 10. quæstione 2. certam. 2. num. 6. p. 180
Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur. controu. vnic. disput. 12. quæst. 2. cert. 4. num. 1. p. 211
X. Ego, & Pater vnum sumus. controu. vnic. disput. 2. quæst. 1. certam. 3. num. 1. p. 40. ead. disput. 2. quæst. 4. cert. 4. n. 6. p. 69. ead. d. 12. q. 4. cert. 1. num. 4. p. 216. ead. d. 12. q. 1. cert. 3. num. 1. p. 206
Si mihi non creditis operibus credite, &c. ibid.
Ego in Patre, & Pater in me est. controuersia vnica disputatione 2. quæstione 4. certamine 3. numer. 1. p. 66. eadem, disput. 12. q. 1. cert. 1. num. 1. p. 204
Quod dedit mihi Pater maius omnibus est. controuersia vnica, disputatione 2. q. 2. cert. 2. num. 1. p. 43
Opera quæ ego facio in nomine Patis mei, hæc testimonium perhibent de me. controuersia vnica, disputatione 2. quæstione 4. certamine 4. num. 3. p. 65
Hoc mandatum accepi à Patre meo. cont. vn. d. 2. q. 4. cer. 8. n. 2. p. 71
Qui me misit mandatum mihi dedit. ibid.
Nemo potest rapere de manu Patris mei. controuers. vnic. disp. 2. q. 6. certam. 1. n. 2. p. 196
Non rapiet eas quisquam de manu mea. ibid.
XI. Nemo nouit Filium nisi Pater, & cui voluerit Filius reuelare. controu. vnic. d. 1. q. 1. cert. 1. num. 2. p. 18
Ego autem sciebam, quia semper me audis. cõtrouersia vnica, disputatione 2. quæst. 4. cert. 4. num. 3. p. 73
XII. Qui credit in me, &c. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 7. p. 62
Sicut dixit mihi Pater, loquor. cont. 1. d. 2. q. 4. cert. 8. n. 3. p. 72
XIII. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus controuersia vnica, disputatione 2. quæst. 2. cert. 2. nu. 1. p. 65
Scio quia à Deo exiuit. ibid. n. 6. p. 44
Vos vocatis me Magister, & Dñus, & benedicitis: sum etenim. cont. vn. d. 2 q. 4. cert. 2. n. 2. p. 16
Scio quos elegerim. cont. vn. d. 2. q. 4. certam. 4. num. 4. p. 65
Amodo dico vobis, priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis. cont. vnic. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 4. p. 65
Probate Spiritus, an ex Deo sint. controuersia vnica, disput. 10. q. 4. certam. 1. n. 1. p. 186
Sicut Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. cont. vnic. d. 10. q. 4. cert. 3. num. 3. p. 190
XIV. Alium Paracletum dabit vobis. controu. vnic. disput. 2. quæst. 1. cert. 3. num. 3. p. 46. ead. disput. 10. q. 4. cert. 3. n. 2. p. 189. & d. 14. q. 5. cert. 1. n. 1. p. 254
Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. cont. vnic. disput. 2. q. 2. cert. 4. n. p. 46 num. 2. p. 46
Si autem abiero mittam eum ad vos. ibid.
Quem mittet Pater in nomine meo. ibid.
Ego in Patre, & Pater in me est. controuersia vnica, disputatione 2. q. 1. cert. 3. n. 1. p. 40
Pater maior me est. cont. vn. d. 2. q. 2. certam. 3. num. 1. p. 44
Spiritus veritatis qui à Patre procedit. controuersia vnica, disputatione 2. quæst. 2. cert. 4. num. 2. p. 46
Ille me clarificabit quia de meo accipiet. controu. vnic. disputatione 2. quæst. 2. certam. 5. num. 1. p. 47
Creditis in Deum, & in me credite. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 2. num. 7. p. 62
Vt cognoscant te solum verum Deum. controuersia vnic, disputatione 2. quæstione 4. cert. 8. num. 1. p. 71
Ille vos docebit omnia, &c. cont. vnic. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 6. p. 77
Verbum quod audistis non est meum. cont. vnic. d. 10. q. 2. cert. 2. n. 6. p. 180

Qui vidit me, videt, & patrem meum, cont. vn. disputatione 10. quæstione 3. cert. 1. num. 6. p. 183.
Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, cont. vn. d. 10. q. 4. cert. 3. numero 5. p. 190. & d. 13. q. 1. cert. 1. n. 5. p. 228
Ego sum via, veritas & vita, cont. vn. disputatione 10. quæstione 5. certam. 3. numero 4 p. 194.
Qui diligit me sermonẽ meum seruabit, & pater meus diliget eum & ad eum veniemus, cont. vn. d. 13. q. 3. cert. 2. n. 2. p. 235
XV. Hæc locutus sum vobis, & cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dico vobis, cont. vn. disputatione 2. quæst. 4 cert. 4. nu. 4. p. 65
Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo num. 5. ibid.
Ille testimonium perhibebit de me, cont. vn. disputatione 2. quæstione 1. certam. 3. num. 8. p. 48
Quæcumque audiui à patre nota sunt vobis, cont. vnic. disputatione 10. quæst. 2. cert. 1. n. 2. p. 183
XVI. Omnia quæ habet pater mea sunt, cont. vn. disputatione 2. q. 2. certam. 3. numero 2. p. 46. eadem, disputatione 2. quæstione 2. certam. 4. num 5. p. 47. eadem, disputatione 2. quæstione 4. cert. 6. numero 3. p. 69. eadem, disputatione 6. quæstione 5. certam. 1. numero 7. p. 129. eadem, disputatione 11. quæstione 2. certam. 1. numero 1. p. 200. & disputatione. 12. q. 2. cert. 5. n. 3. p. 213
Exiuit à patre, cont. vn. disput. 2. q. 2 cert. 2. n. 6. p. 44.
Credistis quia à Deo exiuit. ibid.
Credimus quia à Deo exiisti. ibid.
Docebit vos omnem virtutem, cont. vn. disputatione 3. quæstione 1. certam. 1. numero 6. p. 77
De meo accipiet, cont. vn. disputatione 2. q. 2. certam. 3. numero 2. p. 46. eadem, disputat. 2. quæstione 1. certam. 3. numero 6. p. 47. & disputatione 12. quæstione 2. cert. 3. numero 1. p. 210
Non enim loquetur à semetipso, &c. cont. vn. disputatione 2. quæstione 2. certam. 3. num. 2. p. 46. eadem, disputatione 2. quæstione 4. cert. 8. numero 3. p. 72. eadem, disputatione 10 cert. 3. numero 1. p. 180. & disp. 12. q. 2. cert. 5. nu. 3. p. 218
XVII. Cognouerunt verè, quia à te exiui, cont. vn. disputatione 2. quæstione 2. certam. 2. num. 6. p. 44
Manifestaui nomen tuum hominibus, cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. certam. 3. num. 3. p. 67
Vt sint vnum sicut & nos, cont. vn. disp. 2. q. 4. cert. 4. num. 6. p. 70. & disput. 14. q. 5. cert. 1. n. 5. p. 255
Et ipsi in nobis vnum sint, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 4. num. 6. p. 70
Sermo tuus veritas est, cont. vn. d. 2 q. 2. c. 1. n. 8. p. 184.
Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt, cont. vn. disputatione 12. quæstione 4. cert. 1. numero 5. p. 217
XIX. Inclinato capite tradidit spiritum, cont. vnic. disputatione 10. quæstione 4. cert. 1. num. 1. p. 186
XX. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c. cont. vn. disputat. 2. q. 4. cert. 4. n. 5. p. 65. eadem, disputatione 10. quæstione 5. cert. 4. numero 2. p. 195. & disputatione 13. quæst. 3. certam. 2 num. 3. p. 237
Insufflauit & dixit accipite Spiritum Sanctum, cont. vn. disputatione. 2. quæst. 2. cert. 4. num. 4. p. 47
Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, &c. cont. vn. diputatione 2. quæst. 4. cert. 6. n. 6. p. 72
XXI. Nec ipsum arbitror mundum accipere posse, cont. vn. disputat. 2. quæst. 4. certam. 4. num. 3. p. 65.

EX ACTIBVS APOSTOLORVM

CAP. I. Accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos, cont. vn. disputatione 10. q. 5. c. 2. n. 5. p. 193. ead. d. 10. q. 5. cert. 4. n. 2. p. 195. disp. 3. q. 1. cert. 1. num. 4. p. 235
Et Dominus quidem Iesus, cont. vn. disputatione 10. quæstio. 5. cert. 3. n. 4. p. 194
Vos autem baptizamini Spiritu Sancto, cont. vn. disputatione 10. quæstione 6. cert. 2. num. 4. p. 197
II. Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, cont. vn. d. 2. quæstione 4. cert. 2. nu 6. p. 65
Baptizetur vnusquisque vestrum, & accipietis donum Spiritus, cont. vn. d. 10. q. 4. cert. 5. n. 2. p. 189
Promissione Spiritus Sancti accepta à patre effudit, cont. vn. disputatione 2. q. 2 cert. 4. nu. 2. p. 46
Dominum, & Christum ipsum fecit Deus, cont. vn. disputatione 2. quæstione 3. cert. 5. n. 6. p. 57
Ecclesiam Deus quam acquisiuit sanguine suo, cont. vn. disp. 2. quæstione 4. cert. 2. numero 4. p. 61.
Ego scrutans corda, cont. vnic. d. 2. q. 4. cert. 4. num. 4. p. 65
Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, cont. vn. disputatione 10. q. 6. cert. 2. n. 4. p. 197.
III. Renouationis Spiritus Sancti quem effudit in nos abundè per Iesum Christum, cont. vnic disputatione 2. quæstione 2. certam. 4. num. 2. p. 46.
In nomine Iesu Christi Nazareni surge, cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. certamine. 4 nu. 3. p. 65.
V. Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? non est mentitus hominibus, sed Deo, cont. vn. disputatione 2. quæst. 5. cert. 3. num. 3. p. 63
VIII. Nondum enim in quemquam illorum venerat. cont. vn. disputatione 13. quæst. 3. cert. 3. num. 3. p. 158
X. Hic est Dominus omnium. cont. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certam. 2. numero. 2. p. 61.
Dixit Spiritus Petro: vade ad eos, cont. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certam. 4. num. 8. p. 66.
Quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute, cont. vn. disputatione 10. quæst. 5. cert. 2. n. 5. p. 193
XIII. Dixit Spiritus Sanctus segregate mihi Saülem & Bernabam., controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certam. 4. numero 8. p. 66.
XV. Visum est Spiritui Sancto, & nobis. ibid.
XX. Spiritus Sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, cont. vn. disput. 2. quæstione. 4. cert. 3. nu. 4. p. 63
Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, cont. vn. disp. 2. q. 4. cert. 4. n. 8. p 66
XXVIII. Bene Spiritus Sanctus loquutus est per Isaiam Prophetam dicens vade, &c. cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. cert. 3. numero 4. p. 63.

EX EPISTOLA PAVLI
ad Romanos.

CAP. I. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, cont. vn. disputatione 1. quæstione 2. cert. 3. num. 1. p. 20
Potest etiam sempiterna virtus eius intelligi filius eius, per quem facta sunt omnia, cont. vn. disputatione 1. quæst. 1. certam. 3. numero 4. p. 21.
IV. Spiritus sanctus suscitauit Christum à mortuis, cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. cert. 3. n. 5. p. 64
Si autem Spiritus eius, qui suscitauit Christum à mortuis habitat in vobis, viuificabit corpora vestra per Spiritum Sanctum habitantem, in vobis, cont. vn. disput. 2. q. 4. cert 4. numero 2. ibid.
Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certam. 4. num. 5. p. 65. eadem, disputatione 3. quæstione 1. certam. 2. numero 1. p. 78. & disputatione 10. quæst. 4. certam. 2. numero 2. & certam. 3. numer. 2. p. 189
VI. Spiritus surrexit à mortuis per gloriam patris, cont. vn. disputatione 2. quæst. 1. cert. 3. num. 6. p. 47
VIII. Propter inhabitantem spiritum eius in vobis, cont. vn. disputatione 2. quæstione 2. cert. 1. nu. 2. p. 42
Si quis Spiritum Christi non habet, cont. vn. disputatione 2. quæstione 2. certam. 4. numer. 2. p. 46.
Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, controuers. vnic. disputatione 2. quæstione quarta, certamine 4. numero quinto. p. 65.
Vt sit ipse primogenitus, contr. vnic. disputatione 3. quæstione 2. certamine 1. numero 3. p. 82
Si autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, controuers. vnic. disputatione 3. quæstione 2. certam. 5. numero 3. p. 94.
Quos præscisuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, cont. vn d. 10. q. 3. cert. 1. n. 2. p. 181
Si quis Spiritum Christi non habet, &c. cont. vn. d. 10. q. 4. cert. 1. n. 1. p. 187

Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei controuers. vn. disputatione 10. q. 4. cert. 1. num. 3. ibid.
IX. Qui est super omnia benedictus, controu. vn. disputatione 2. quæstione 3. cert. 5. num. 7. p. 58
Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, contr. vn. disputatione 2. q. 4. cert. 2. n. 7. p. 62
XI. Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria, controuers. vn. disp. 2. quæstione 1. certam. 3. num. 4. p. 46. ead. disputatione 10. quæstione 5. certam. 4. num. 1. p. 195. & disputatione 12. q. 2. cert. 3. num. 1. p. 210.
XIV. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Scriptus est enim &c. controuers. vn. disputatione 2. quæstione 4. cert. 2. num. 5. p. 61.
Quia mihi flectetur omne genu, controuers vnic. disputatione 2. quæstione 4. certam. 4. num. 1. p. 64
Iustitia & pax in Spiritu sancto, controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 4. cert. 4. n. 5. p. 65.
Quis prior dedit illi, cont. vn. d. 12. q. 16. cert. 1. n. 3. p. 222
XV. In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti, controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certam. 4. numer. 2. p. 64.

EX EPIST. PRIMA PAVLI
ad Corinthios.

CAP. I. Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius, controu. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. numero 6. p. 47. eadem, disputatione 10. q. 5. certam. 3. n. 3. p. 144. & disputatio. 12. q. 2. cert. 3. n. 1. p. 210
Expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui &c. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 2. n. 8 p. 45
Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 1. p. 64
Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, cont. vn. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 5. p. 77
Deus per quem vocati estis in societatem filij eius, disputatione vn. q. 2. cert. 1. n. 4. p. 246
II. Quæ sunt Dei nemo nouit nisi Spiritus Dei. controuers. vnic. disputatione 1. quæstione 1. certam. 1. n. 2. p. 18. & d. 2. q. 4. cert. 4. n. 1. p. 71
Quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis qui est in eo: ita quæ sunt &c. cont. vn. disputatione 10. quæstione 4. cert. 1. num. 3. p. 187. & disputatione 12. quæst. 1 cert. 1. nu. 1. p. 204.
Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei quis enim hominum scit, &c. controu. vn. disp. 2. quæstione 4. cert. 4. n. 4. p. 65. & d. 10. q. 5. cert. 3. n. 2. p. 194
Nobis reuelabit Deus per Spiritum sanctum, cont. vn. disput. 2. q. 1. cert. 3. n. 6. p. 47
Spiritum qui ex Deo est, cont. vn. d. 2. q. 2. cert. 1. num. 2. p. 42
Nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 7. p. 66
Nos autem sensum Christi habemus, cont. vn. disp. 10. q. 6. cert. 2. n. 2. p. 169

III. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 3. num. 1. p. 63
Dominus autem spiritus est, & vbi spiritus Domini ibi libertas, cont. vn. disp. 2. q. 2. cert. 4. n. 8. p. 212
Diuisiones gratiarum sunt idem autem Spiritus Sanctus, controu. vn. disputatione 12. q. 6. cert. 1. n. 3. p. 222
V Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, controu. vn. d. 2. q. 4. cert. 8. n. 4. p. 72
VI. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, &c. controu. vnic. disputatione 2. quæstione 4. cert. 3. num. 1. p. 63
Si autem quæ membra sunt Christi templum est Spiritus Sancti, non est creatura Spiritus sanctus. ibid.
An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, cont. vn. d. 13. q. 3. cert. 1. num. 2. p. 235
Vos estis templum Dei viui, &c. ibid.
Qui autem adhæret Domino vnus spiritus est. num. 8. ibid.
Iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi & in Spiritu sancto, controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certamine 4. numero 5 p. 65
Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificatis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & spiritu Dei, cont. vn. disputatione 2. q. 4. cert. 4 n. 6. p. 66
VIII. Nobis vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum, controu. vn. disputatione 2. quæstione 2. certam. 3. num. 5. p. 47. eadem, disputatione 2. quæstione 4. certam. 2. numero 2. p 61. ead. disp. 2. quæst. 4. certam 5. numero 8. & p. 68. & disputatione 12. q. 2. cert. 3. n. 1. p. 210
XI. Caput Christi Deus, cont. vn. disputatione 2. q. 2. cert. 3 n. 1. p. 44
XII. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult, cont. vn. disputatione 10. quæstione 4. cert. 3. num. 5. p. 190. & disputatione 12. quæst. 2. cert. 4. n. 8. p. 212
Per Spiritum sanctum datus sermo sapientiæ, cont. vn. disputatione 2. quæst. 1. cert. 3. num. 6. p. 47.
Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus diuisiones, &c. controuers. vnic. disputatione 10. quæstione 5. certamine 3. numero 3. p. 194.
Radix est vnitatis diuidens propria vnicuique prout vult, cont. vnic. disputatione 10. quæst. 6. cert. 1. n. 5. p. 196
Diserctio spirituum, cont. vn. d. 10. q. 4. cert. 1. num. 1. p. 186
XIV. Cadens in faciem adorabit eum pronuncians quod verè Deus in vobis sit, cont. vnic. d. 2. q. 4. cert. 3. n. 4. p. 63
XV. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, cont. vn. d. 2 q. 1. cert. 2. n. 6 p 45. & eadem, q. 4. cert. 8. n. 2. p. 71
XVI. Dicitur gratia Domini nostri Iesu Christi, & Charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti, cont. vn. d. 10. q. 5. cert. 3. n. 3. p. 194

EX EPISTOLA SECVNDA
Pauli ad Corinthios,

CAP. II. Christi bonus odor summus, cont. vn. d. 10. q. 6. certam. 2. n. 3. p. 197
III. Littera occidit, Spiritus autem viuificat, cont. vnic. disputatione 10. quæst. 4. cert. 1. numero 1. p. 186.
Dominus autem spiritus est, & vbi spiritus ibi libertas, cont. vn. d. 12. quæst. 2. certam. 4. nu. 8. p. 242
IV. Deus huius sæculi, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 1. p. 60
Qui est imago Dei, cont. vn. disputatione 10. quæstione 3. certam. 1. num. 2. p. 181. & d. 10. q. 3. cert. 2. n. 2. p. 184

EX EPISTOLA D. PAVLI
ad Galatas.

CAP. I. Non ab hominibus neque per hominem sed per Iesum Christum, ad Deum Patrem, cont. vn. disputatione 2. q. 4. cert. 2. numero 7. p. 62.
III. Qui tribuit vobis Spiritum, cont. vn. d. 3. q. 4 cert 1. n. 7. p. 240
IV. Misit Deus Spiritum filij sui, cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 1. numero 2. p. 33. ead. disputatione 2. q. 2. cert. 4. nu. 2. p. 46. ead. disp. 10. quæstione 4. cert. 1. n. 2. p. 187. & disputatione 10. q. 5. cert. 3. n. 3. p. 194
Misit Deus filium suum, cont. vn. d. 2. q. 2. cert. 2. n. 1. p. 43
Si Filius & hæres per Deum, cont. vnic. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 6. p. 47

EX EPIST. PAVLI
ad Ephesios.

CAP. I. Instaurare omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, cont. vn. d. 10. q. 4. c. 1. n. 1. p. 195
Signati estis spiritu promissionis sancto, cont. vn. d. 10. q. 6. cert. 2. n. 3. p. 197
II. Creati in Christo Iesu in operibus bonis, cont. vn. d. 2. q. 3. cert. 5. n. 5. p. 57
Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, cont. vn. d. 10. q. 5. c. 3. n. 3. p. 194
III. Ex quo omnis paternitas in cœlis, cont. vn. d. 1. q. 1 cert. 1. n. 3. p. 198
IV. Vnum corpus, & vnus spiritus, vnus Deus & pater omnium, cont. vn. d. 2. q. 1. c. 3. n. 5. p. 47
Ex quo totum corpus. ibid.
Crescamus in ipso. ibid.
Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 6. p. 66
V. Sacramentum hoc magnum est, ergo autem dico in Christo, & in Ecclesia, cont. vn. d. 13. q. 3. cert. 1. n. 3. p. 235

EX EPIST. PAVLI
ad Philippenses.

CAP. II. Non rapinam arbitratus est, &c. cont. vn. d. 2. q. 3. cert. 5. n. 7. p. 58
In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, &c. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 1. p. 64
III. Quorum Deus venter est. Et gloria in confessione ipsorum, cont. vn. disputatione 2. q. 4. cert. 2. n. 1. p. 60

EX EPISTOLA PAVLI
ad Colloſſenſes.

CAP. I. In ipso condita sunt vniuersa, controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 1. cert. 3. num. 6. p. 47
In ipso creata sunt, & omnia in ipso constant. ibid.
Imago Dei inuisibilis, controuers. vnic. disputatione 10. quæstione 3. certam. 1. numero 2. p. 181
Qui est imago Dei, controuers. vnic. disputatione 13. quæstione 2. certamine 2. numero 3. p. 234
II. Ex quo totum corpus per iunctas &c. contr. vnic. disputatione 12. quæstione 2. cert. 3. n. 1. p. 210.

EX EPISTOLA PAVLI
ad Theſſaloniſ.

CAP. III. Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei & patientia Christi, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 3. n. 1. p. 63
II. In Deo patre nostro, cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. num. 6. p. 63. p. 47

EX EPISTOLA PRIMA
Pauli ad Timotheum.

CAP. I. Regi sæculorum immortali, & inuisibili, cont. vn. d. 6. q. 4. cert. 1. n. 5. p. 142
VI. Qui solus habet immortalitatem, cont. vn. d. 10. q. 5. cert. 3. n. 1. p. 194
Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, cont. vn. disputatione. 6. q. 5. cert. 1. nu. 5. p. 142.
Qui solus habet immortalitatem, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 8. n. 1. p. 71

EX EPISTOLA SECVNDA
Pauli ad Timotheum.

CAP. I. Custodi per Spiritum Sanctum, cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 6. p. 47

EX EPISTOLA PAVLI.
ad Titum.

CAP. I. Dabit Dominus inuenire à Domino misericordiam, cont. vn. d. 2. quæst. 1. certam. 2. n. 7. p. 45
II. Serui Dominis subditi sint, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 8. n. 4. p. 72
Apparuit gratia Dei, cont. vn. disputatione 13. q. 2. cert. 2. n. 6. p. 234
III. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei &c. cont. vn. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 8. p. 48
Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, cont. vn. d. 2. q. 4. cont. 4. n 6. p. 66

EX EPISTOLA PAVLI
ad Hebraos.

CAP. I. Figura substantiæ seu hypostasis disput. procem. q. 1. cert. 1. n. 3. p. 2. ead. d. 10. quæst. 3.
R. P. Christoph. de Ortega de Trin. & Incarn.

certamine 1. numero 2. p. 181
Portans omnia verbo virtutis suæ, cont. vn. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 4. p. 77. & d. 10. q. 2. certam. 3. nu. 1. p. 180.
Cui enim Angelorum dixit filius meus es tu, cont. vn. disputatione 2. quæst. 2. cert. 3. num. 6. p. 46
Tanto melior Angelis effectus, cont. vn. d. 2. q. 3. cert. 5. n. 6. p. 57.
Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei, cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 4. n. 1. p. 64.
Omnes sunt administratorij spiritus, cont. vn. d. 10. q. 4. cert. 1. n. 1. p. 186
II. Distributiones Spiritus Sancti, cont. vn. disp. 2. q. 4. cert. 4. n. 2. p. 64
Constante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus & Spiritus Sancti distributionibus. cont. vn. disputatio. 10. quæstion. 4. cert. 3. n. 5 p. 190
III. Si tamen initium substantiæ eius, d. procem. q. 1. cert. 1. numero 3. p. 2
Pontificem. Confessionis nostræ Iesum qui fidelis est ei qui fecit illum, cont. vn. disp. 2. q. 3. cert. 5. n. 6. p. 57
Quapropter sicut dixit Spiritus Sanctus hodie si vocem eius audieritis, &c. cont. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certam. 3. num. 4. p. 63
IV. Viuus est enim sermo Dei & efficax, cont. vn. disp. 10. q. 2. cert. 1. n. 8. p. 184. & disp. 10. q. 5. cert. 3. num. 2. p. 194
IX Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit, cont. vn. disp. 2. q. 1. cert. 3. n. 6. p. 47. & disp. 2. quæst. 4. cert. 3. numer. 5. p. 64
Hoc significante Spiritu sancto nondum prolatum esse sanctorum viam, &c. cont. vn. d. 2. q. 4. cert. 3. n. 4. p. 63
XI Fides dicitur sperandarum rerum substantia, disp. procem. quæstione. 1. certam. 1. numero. 3. p. 2
De ossibus suis mandauit, cont. vnic. d. 2. q. 4. cert. 8. n. 3. p. 72

EX EPISTOLA
Iacobi.

CAP. I. Voluntatem enim genuit nos verbo veritatis, cont. vn. d. 2. q. 4. certamine 5. numer. 4. p. 67

EX EPISTOLA PRIMA
Petri.

CAP. I. Scrutans in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi prænuncians eas, &c. cont. vn. disputatione 2. q. 4. cert. 4. numer. 4. p. 65

EX EPISTOLA SECVNDA
Petri.

CAP. I. Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certamine 3. numero 4. p. 63

Index

EX EPISTOLA PRIMA Ioannis.

CAP. IV. De spiritu suo dedit nobis, cont. vn. disputatione 2. quæstione 2. certam. 4. num. 2. p.46.
Filium suum vnigenitum misit in mundum, contr. vn. disputatione 2. quæstione 2. cert. 3. num. 6. ibib.
Vt Simus in vero filio eius. ibid.
Si testimonium hominum accipimus testimonium Dei maius est, controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certamine 4. numer. 8. p.66.
Charitas ex Deo est, controuers. vnic. disputatione 3. quæstione 1. certamine 2. n. 1. p.78
Charitas Deus est. ibid.
Qui manet in charitate in Deo manet. ibid.
In hoc agnouimus, quoniam in eo manemus & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. ibid.

V. Tres sunt qui testimonium dant. &c. cont. vn. disputatione 10. quæstione 2. certam. 1. num. 4. p.184.

EX EPISTOLA IVDÆ.

Solum Dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes, controuers. vn. disputatione 2. quæstione 4. certam. 2. numero 2. p.61.

EX APOCALYPSI IOANNIS.

CAP. I. IV. & VIII. Qui est qui erat, & qui venturus est, controuers. vnic. disputatione 2. quæstione 4. certamine 2. numero 7. p. 62. & disputatione 2. quæstione 4. certam. 4. num. 1. p.64.
XVII. & XIX. Dominus dominantium, cont. vn. disputatione 2. quæstione 4. certam. 2. num. 2. p.61

PARS

PARS SECVNDA
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ quibus vtimur in tractatu controuersiarum de Incarnatione.

EX GENESI.

CAP. I. IACIAMVS hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, contr. 3. d. 2. q. 2. cert. 4. n. 3. p.400
II. Et erunt duo in carne vna, contr. 7. disputat. 1. q. 1. cert. 1. num. 6. p.616
III. Puluis es, & in puluerem reuerteris, contr. 1. disputatione 3. quæstione 2. certam. 2. nu. 5. p.321.
XIV. Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi benedixit ei &c. & dedit ei decimas ex omnibus. contr. 7. disputatione 2. q. 2. cert. 2. n. 3. p.631. & n. 5. &. 7. p.632
XX. Postquam eduxit me Deus *Hæbræa* declinare me fecerunt *Elohin*. contr. 8. d. 1. q. 3. cert. 3. num. 3. p.673
XXII. Nunc cognoui, quod timeas Deum, cont. 5. disputatione 1. quæstione 1. cert. 2. numer. 3. p.509
Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo &c. contt. 3. disputatione 3. quæst. 4. cert. 3. n. 1. p. 428.
XXXV. Apparuit ei Deus *Hebræa* apparuerunt ei *Elohin* idest dij, contr. 8. disputatione 1. q. 3. cert. 3. n. 3. p.673
XXXVII. Descendam ad filium meum Ioseph gens in infernum, cont. 1. disputatione 1. q. 3. cert. 1. num. 3. p.275
XLIX. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec Dux de fæmore eius, donec veniat, qui mittendus est. ibid. nu. 1. p.275

EX LIBRO EXODI

CAP. VII. Ecce constitui te Deum Pharaonis, contr. 4. disputatione 5. quæstione 5. cert. 2. n. 1. p.499.
XXVI. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum, est controuers. 4. disputatione 2. quæstione 3. cert. 3. numero 6. p.461.

EX DEVTERONOMIO

CAP. V. Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius, contr. 7. disputatione 3. q. 1. cert. 1. n. 2. p.604
XVIII. Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris, contr. 5. disp. 4. q. 3. cert. 3. n. 4. p.556.
XXIX. Non dedit tibi Dominus cor intelligens, contr. 4. d. 3. quæstione 4. certam. 1. numero 3. p.474
XXXII. Roborentur in ipso omnes filij Dei contr. 5. disput. 1. quæstione 6. cert. 2. numero 2. p.526.

EX LIBRO NVMERORVM.

CAP. XXIV. Et erit omnis terra possessio eius, contr. 7. disputatione 1. quæstione. 3. cert. 1. n. 1. p.619

EX LIB. I. REGVM.

CAP. I. Et ascendebat vir ille statutis diebus, cont. 7. disputatione 2. quæstione 1. cert. 4. num. 1. p.623.
Dedit tibi cor sapiens, contr. 4. d. 3. q. 4. cert. 1. n. 3. p.474

EX LIB. II. REGVM.

CAP. VII. Stabiliam thronum eius, contr. 3. d. 3. q. 4. cert. 3. n. 1. p.428
Iuit Deus, vt redimeret eam. *Habræa* iuerunt *Elohin* Dij contr. 8. disp. 1. quæst. 3. cert. 3. n. 3. p.673

EX LIB. ESTHER.

CAP. XV. Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est, contr. 3. d. 2. q. 2. cert. 2. nu. 5. p.406.

EX LIB. IOB.

CAP. VI. Vtinam appenderentur iniquitates meæ & calamitas, quam patior in statera, quas arena maris hæc grauior appareret, contr. 6. d. 1. q. 1. cert. 1. n. 2. p.557
XXII. Quid prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua, controu. 2. disputatione 1. quæst. 2. cert. 2. nu. 3. p.332.
XXVI. Columnæ cœli contremiscunt, contr. 5. disputatione 4. quæstione 3. cert. 2. num. 3. p.555.
XXXV. Si peccaueris, quid ei nocebis? &

si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ quid facies. contr.2.d.1.q.2.cert.2.n.3. p. 332

EX LIBRO PSALMORVM.

PSAL. II. Postula me, dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, & terminos terræ, : reges eos.contr.6. d.2.q.1.cert.1.n.4.p. 585. & contr. 7. d.1.q.1. cert. 2. n. 3.p 617. & q. 2.cert.1.n.4. p. 618
Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.cont. 7.d.1.q. 1. cert.2.n.3 p. 617.& disp. 2. q. 2.cert. 1. num 2. p.630
Et nunc Reges intelligite, erudimini,qui iudicatis terram:seruite Dño in timore, & exultate ei cum tremore? Apprehendite disciplinam,&c. controu. 7. disput. 1. quæst. 1. certam. 2. n. 3. p. 617
III. Ego dormiui, & somnum cæpi, & exurrexi, quoniam Dominus susc epit me. controu. 1. disputaione 1. quæstione 3. certam. 1. num. 3. p. 275
IV. Ascendisti in altum, cæpisti captiuitatem, dedisti dona hominibus.contr.1.d.1.q.3.certam. 1. num.3. p.276.
VI. Et in siti mea potauerunt me aceto. cont. 1 d.3.q.1.cert.1.n.2. p. 317
VIII. Minuisti eum paulò minus ab Angelis. controu. 3. disput. 3. quæst. 1. certam. 1. nu.1. p. 415
Omnia subiecisti sub pedibus eius. controu. 4. disp. 2. q. 1. cert. 1. n.7. p.451. & cont.7. d.1. q.3.cert.1.n.1. p. 619
Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem contr. 5. disp. 1.quæst.6.certam. 2. num.2. p. 526
XI Propter miseriam inopum, & gemitum Pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. controu. 3. disput. 3. quæst. 4. certam. 3. num. 5. p. 429
XV. Non derelinques animam meam in inferno, Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, controu. 1. disput. 1. quæst. 3.certam. 1. num. 3.p. 275. & disput.3. quæst. 2. cert. 2. num. 5. p. 321
Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. contr. 2.d.1.quæst.2. certam. 2. nu. 3. p. 332
XVII. Circundederunt me dolores mortis,dolores inferni circundederunt me. cont.1.d. 3. q.1. cert.1.n.3. p. 317
XVIII. Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi. cont. 5.d.4.q.3.certam.2.nu.3. p.555
XXI. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. cont.5.d.2.q.3.cert.2.n.4. p.532
XXIII. Attollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ.cont. 6. d. 2. q. 1. cert. 1. num.1. p. 584
XXX. Defecit in dolore vita mea.cont.1.d.3.q. 1.cert.1.n.3. p.317
XXXIX. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus. volui, &c. controu .4. disput. 2. quæst. 3 certam. 2. num.1. p. 458
Sacrificium,& oblationem noluisti,aures autem, &c. controu. 7. disput. 2. quæst. 1. certam. 4. numer. 2. p. 629. & quæst. 4. cert. 1. num. 1. p. 637
XL. Homo pacis meæ qui edebat panes meos, mecum magnificauit super me supplantationem, vbi pro argenteorum numero in proditorem maledictiones feruntur.cont.1.d.1.q.3. cert.1.n.2. p.275
XLIV. Dilexisti iustitiam, & odisti inquitatem. cont. 3. disput. 3.q. 1. certam. 2.nu.4. p.416
XLVIII. Comparatus est iumentis. contr. 3. d.2.q.1.cert.4.n.6. p. 401
LXVIII. Super dolorem vulnerum meorum addiderunt controuers. 1. disputat. 3. quæst. 1. cert. 1. n. 3. p. 317
LXXXI. Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit,qui consolaretur,& non inueni. ibid.
LXXXIII. Cor meum,& caro mea exultauerunt in Deum viuum.cont.4. disp.5. q. 7. certam. 2. num. 5. p. 504
LXXXVIII. Zelus domus tuę comedit me.cont. 6.d.2.q.5.cert.5.n.3. p. 607
XCIII. Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit. controu. 2. d. 2. q. 2. cert. 3. num.2. p. 352
XCIV. Regnabit à ligno Deus. controuersia 1. disputatione 1. quæstione 3. certam. 1. numer. 3. p. 275
CIX. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. controu. 6. d. 2. q.1.cert. 1. nu. 1. p. 584
Dixit Dominus Domino meo &c. controuers. 7. disputatione 1.quæstione 1. certam. 2. n. 2. p.617
Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. controuersia 7.disputatione 2. quæst. 1.cert. 1. num. 4.p.625.& cert.3. nu. 5. p. 628
CXVIII. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. controu. 6. d. 2. q.5.cert.5.n.3. p. 607
CXXIX. Copiosa apud eum redemptio. controuersia 6. disputatione 1. quæstione 1. cert.1. num.2. p.557
CXXXI. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. controu.7. disput. 2. quæst. 2.cert. 1. n.2. p. 630
Iurauit Dominus Dauid veritatem. controu.3. disputat. 3. quæstione 4. certam. 3. numero 1. p.428
CLVIII. Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.controuersia 6. disputatione 2. quæstione 5. certamine 5. num. 3. p.607

EX LIB. PROVERBIORVM.

PSAL. VIII. Per me Reges regnant. controuersia 7. disput. 1. quæst. 3. certam. 1. nu. 1. p. 619
Dominus possedit in initio viarum suarum. controuersia 3. disputatione 2.quæst. 1. cert. 4. num.1. p.399

EX LIB. ECCLESIASTICI.

PSAL. XV. De propitiato peccato noli esse sine metu cont.2.d.3.q.4.cert.1.n.2. p.377
XXIV. Penetrabo in inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes,& illuminabo omnes sperantes in Domino.cont.1.d.1.q.3.cert. 1. num. 3. p. 276

EX

EX LIB. ECCLESIASTES.

CAP. XI. Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique iuxta vias suas, & in fine hominis denudatio operum illius.cont.7.d.5.q. 3.cert.2.n.3. p.657

EX LIB. SAPIENTIÆ.

CAP. II. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus eum, quæ ventura sunt illi, & nouissima illius, si enim verus est filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus nostris : contumelia, & tormento interrogemus eum, vt sciamus reverentiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. controuersia 1. disputatione 1. quæstione 3. cert. 1. num.2. p.275
XII. Quis tibi imputauit, si perierit nationes, quas tu fecisti. contr. 2. disput. 1. quæst. 1.cert. 1. n.6. p. 325

EX LIB. CANTICORVM.

CAP. I. Oleum effusum nomen tuum. controu. 5. disputatione 3. quæstione 1. certamine 1. num. 4. p.537
V. Abiecerunt legem Domini, & eloquium Sancti Israël blasphemarunt, ideo iratus est furor Domini in populum suum,& percussit eum, & contribati sunt montes : facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. contr.1.d.1.q.3. cert. 5.n.5. p. 288
VI. Et missus est ad me vnus de Seraphim.controuersia 4. disputatione 4. quæstione 2.cert.1. num. 3. p. 480
VII. Antequam puer sciat reprobare malum, & eligere bonum. controu. 5. d.1.q 6. cert.1.n. 2. p. 524
Vt sciat puer reprobare malum, & eligere bonum. controu. 5. disp. 3.quæst. 4.cert. 2. nu. 4. p. 545
VIII. Antequam Puer sciat vocare patrem, & Matrem auferetur fortitudo Damasci. controuersia 5. d. 1. quæstione 6. certamine 1. nu. 2. p. 524
IX. Factus est principatus eius super humerum eius.controu. 1. disput. 1. quæst. 3.cert. 1. n. 3. p. 275
XI. Requiescet super eum Spiritus Domini,Spiritus sapientiæ, & intellectus; Spiritus consilij, & fortitudinis; Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.cont.5.d. 4.q.3.cert.2.n.1. p.552
XIV. Ecce seruus meus suscipiam eum. con.4. d. 2. q.1.cert.3.n.2. p. 451
XVI. Emitte agnum dominatorem terræ. controuersia 3.disputatione 3. quæstione 4. cert.3. num. 3. p.428
XXV. Confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles; quia posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam domum alienorum,vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificabitur, super hoc laudabit te populus fortis,ciuitas gentium robustarum timebit te. cont.1.d. 1. q.3. cert. 5. num. 5. p. 288
XXVII. Mittam in Sion lapidem probatum, & ponam iudicium in pondere. cont.7.d.5.q.1. cert. 1.nu.2. p. 652
XXXIII. Dominus legifer noster. cont.7.d.2. q. 2.cert.1.n.4. p. 630
XXXV. Deus ipse veniet, & saluabit nos : tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet, sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.cont. 1.d.1. q. 3.cert. 1.n. 2. p. 275
XL. Vox clamantis in deserto parate viam Domini. controu. 1. disput. 1. q. 3. cert. 1. nu. 1. ibid.
XLII. Gloriam meam alteri non dabo,& laudem meam sculptilibus. contr. 2. disputat. 1. q. 2. cert. 4.n.3. p. 357
Non erit tristis, neque turbulentus donec ponat in terra iudicium. cont.5.d.2.q.4.cert.1.n.1. p. 533
XLV. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.controu.3. disputatione 3.qu.4.cert.3.n.5. p. 429
XLIX. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendus.Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ;contr.1.d.1.qu. 3.art.1.n.3. p.276
LIII. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum. controu. 1. disput. 1.q. 3.cert. 1. nu.3. p. 275. & d. 3. q.1.cert.1. n. 5. p. 317. controuersia 4. disput. 2. qu.3. cert. 1. n.2. p.457.& controu. 6. præf. p. 557.& cont. 7. d. 2. q. 4. cert. 1. n.1.p.637.& cert. 2. nu. 7. p 639
Virum dolorum, & scientem infirmitatem.controuersia 1. disputatione 3.quæst. 1.cert. 1.n.3. p. 317
Verè languores nostros ipse tulit,& dolores nostros ipse portauit. ibid.
LIV. Oblatus est quia ipse voluit. cont. 7. d.2. q. 1.cert. 4.n.2. p.629
LXI. Spiritus Dñi super me, ad annunciandum mansuetis, misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis remissionem. controuersia 1. disput. 1. q. 3. certam. 1. num. 2. p. 275
LXIII. Quis est iste, qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra. contr. 6. d.2.q.1. cert.1. n. 1. p. 584.
LXVI. Mittam ex eis, qui saluati fuerint ad gentes in Africam, & Lydiam, in Italiam, & Græciam,ad insulas longè;ad eos,qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annunciabunt gloriam meam gentibus, & de cunctis gentibus adducent donum Dei.cont. 1. d. 1. q.3. cert. 1.n. 3. p. 276

EX PROPHETIA IEREMIÆ.

CAP. I. Prophetam in gentibus dedi te. contr. 5. disputatione 4. quæst. 3. certam. 3. num. 4. p. 556
XI. Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam : cogitauerunt super me consilia dicentes, venite, &c.controu.1. disp. 1. quæst. 3. cert.1.n.2. p.275
XXVII. Prauum est cor hominis, & inscrutabile, qui cognoscet illud? Ego Dñus scrutans corda,& probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam. cont.7.d.5.q.1.cert.2.n.4. p.653

Scribe

XXII. Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non properabitur neque enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda. controuersia 7. disputatione 1. qu. 1. cert. 2. n. 2. p. 617

XXXI. Mulier circumdabit virum. cont. 5. d. 2 q. 1. cert. 1. n. 4. p. 527

Dabo legem meam in cordibus eorum. contr. 7. d. 2. q. 2. cert. 1. n. 4. p. 630

EX THRENIS IEREMIÆ.

CAP. I. O vos omnes qui transitis per viam attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. controu. 1. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 3. p. 317

EX PROPHETIA EZECHIELIS.

CAP. XVIII. Si auerterit se iustus, &c. cont. 3. d. 3. q. 3. cert. 1. n. 6. p. 424

XXXI. Aufer cidarim, tolle coronam, donec veniat cuius est studium. contr. 7. disp. 1. q. 1. cert. 2. num. 3. p. 617. & d. 2. q. 2. cert. 1. n. 2. p. 630

XXXVI. Auferam tibi cor lapideum. cont. 4. d. 3. q. 4. cert. 1. n. 3. p. 474

EX PROPHETIA DANIELIS.

CAP. II. In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur. contr. 7. d. 2. q. 2. cert. 1. n. 2. p. 630

VII. Dedit ei potestatem, & honorem, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Ibi Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c. & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem, honorem, & regnum. controu. 7. disp. 5. q. 1. cert. 1. num. 4. p. 653

IX. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt, &c. cont. 1. d. 1. q. 3. cert. 1. n. 5. p. 276. ac tota deinceps quæstione, vbi exacta prophetiæ huius explicatio, & cont. 3. d. 3. q. 4. certam. 3. num. 5. p. 429

EX PROPHETIA OSEÆ.

CAP. I. Voca nomen eius, non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non vester Deus. controu. 1. disput. 1. quæst. 3. cert. 5. num. 1. p. 286

EX PROPHETIA AMOS.

CAP. IX. Occidet vobis Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in medio luminis. controuersia 1. disputatione 1. quæstione 3. cert. 1. n. 2. p. 275

EX PROPHETIA MICHEÆ.

CAP. II. Ascendet pandens iter eos. controuersia 1. disputat. 1. quæstione 3. certamine 1. num. 3. p. 276

V. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. controuersia 1. disputatione 1. q. 3. certam. 1. num. 1. p. 275

EX PROPHETIA HABACVCH.

CAP. III. In salutem cum Christo tuo. controu. 7. disputatione 2. quæstione 1. certam. 3. num. 3. p. 628

EX PROPHETIA AGGÆI.

CAP. II. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum, & mare, & aridam, & mouebo gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria. controu. vnic. disput. 1. quæst. 3. cert. 1. nu. 1. p. 275

EX PROPHETIA ZACHARIÆ.

CAP. IX. Exulta satis filia Sion? Iubila filia Hierusalem? Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum asinæ. cont. 1. d. 1. q. 3. cert. 1. n. 2. p. 275.

Tu quoque in sanguine testamenti educes vinctos de lacu, in quo non est aqua. cont. 1. d. 1. q. 3. cert. 1. n. 3. p. 276

XI. Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. controu. 1. disput. 1. quæst. 3. cert. 1. num. 2. p. 275

EX PROPHETIA MALACHIÆ.

CAP. I. Ab ortu solis vsque ad occasum. controuersia 7. disputatione 1. q. 2. cert. 1. num. 1. p. 618

Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæretis, & Angelum testamenti, quem vos vultis. controuersia 1. disputatione 1. quæst. 3. certam. 1. num. 1. p. 275

EX EVANGELIO MATTHÆI.

CAP. I. Liber generationis Iesu Christi, Filij Dauid, Filij Abraham. cont. 7. d. 1. q. 1. cert. 1. num. 5. p. 615

III. Hic est filius meus dilectus. cont. 5. d. 1. q. 1. cert. 1. n. 3. p. 508

IV. Non tentabis Dominum Deum tuum. controuersia 4. disputatione 2. quæst. 1. cert. 3. n. 2. p. 451

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. ibid.

V. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam. controu. 5. d. 2. quæst. 3. cert. 5. num. 4. p. 531

VIII. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. controu. 5. disp. 1. quæst. 6. certam. 1. num. 4. p. 525

IX. Ipsi diffamauerunt eum. cont. 4. d. 5. q. 6. cert. 1. n. 5. p. 501

Videntes autem timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. contro. 5. disp. 4. quæst. 3. certam. 2. num. 3. p. 555

Videns

Videns Iesus fidem eorum, ait Paraclytico remittuntur tibi peccata tua. contr. 6. d. 3. q. 1. cert. 1. num. 4. p. 611

X. Etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. controu. 4. disput. 2. q. 3. cert. 3. nu. 5. p. 461

XI. Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, Pauperes Euangelizantur. contr. 1. d. 1. q. 3. cert. 1. n. 2. p. 275

Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ. controu. 4. disput. 2. quæst. 1. cert. 3. num. 2. p. 451

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo nouit. Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. controu. 4. disp. 5. q. 5. cert. 2. num. 2. p. 499

XIII. Tunc mittet Filius hominis Angelos suos. controu. 7. disput. 5. quæst. 1. cert. 1. n. 4. p. 652

XVI. Quem dicunt homines esse Filium hominis. controu. 4. disput. 1. quæst. 5. cert. 2. n. 2. p. 447

Tu es Christus filius Dei viui. controuersia 4. disputat. 1. quæstione 2. certam. 2. nu. 1. p. 438. & quæstione 5. certam. 2. numero 2. p. 447

Caro, & sanguis non reuelauit tibi. contr. 1. d. 2. quæst. 3. cert. 1. n. 1. p. 303

Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. controu. 7. disput. 2. quæst. 2. certam. 1. nu. 3. p. 630

Et tibi dabo claues regni cælorum controu. 7. d. 1. q. 3. cert. 2. num. 1. p. 620. & d. 2. q. 2. cert. 1. num. 3. p. 630

Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in cœlis. controuersia 7. disputatione 2. certamine 1. numero 3. p. 630

Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua. controu. 7. d. 5. q. 1. cert. 1. num. 4. p. 652

XVII. Si habueritis fidem, sicut granum synapis. controu. 4. d. 2. quæst. 3. certam. 3. num. 5. p. 461

Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade &c. contro. 7. d. 1. q. 2. cert. 2. num. 3. p. 619.

XVIII. Væ mundo à scandalis. cont. 5. d. 2. q. 3. cert. 1. n. 2. p. 531

Et Lucæ 19. Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. controuersia 3. disputatione 1. quæstione 1. cert. 2. num. 1. p. 382. & cont. 6. disput. 2. quæst. 3. certam. 2. nu. 1. p. 597

XIX. Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. controuersia 7. disputatione 1. quæstione 4. cert. 2. n. 5. p. 624

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. ibid.

XXI. Quia Dominus his opus habet. cont. 7. d. 1. q. 4. cert. 1. n. 5. p. 622

Ecce Rex tuus venit. cont. 7. d. 1. q. 1. cert. 3. n. 1. p. 616

R. P. Christoph. de Ortega de Trinit. & Incarn.

XXII. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. ibid. q. 2. cert. 2. n. 5. p. 619

XXVI. Væ autem homini illi. controuersia 5. disputatione 2. quæstione 3. certam. 1. num. 1. p. 531

Omnes vos scandalum patiemini in me. ibid.

Tristis est anima mea vsque ad mortem. ibidem num. 5. & controu. 6. disputatione 2. q. 5. cert. 5. num. 3. p. 607

Non sicut ego volo, sed sicut tu. controuersia 4. disputatione 5. quæstione 6. certam. 1. n. 3. p. 501

Transfer Calicem istum à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. ibid.

Fiat voluntas tua. ibid. n. 1. p. 500

An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum. controuersia 4. d. 2. q. 3. cert. 2. n. 5. p. 460. & contr. 6. d. 1. q. 3. cert. 1. n. 1. p. 566

XXVII. Et Marci 15. Deus meus, vt quid dereliquisti me. controuersia 4. disputatione 5. q. 1. cert. 1. n. 1. p. 485

Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. num. 2. ibid.

XXVIII. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. controu. 4. disput. 2. q. 3. cert. 1. num. 4. p. 458. & disput. 3. q. 4. cert. 1. num. 1. p. 473. & controu. 6. disput. 1. qu. 3. cert. 3. num. 3. p. 583. & controuersia 7. disputat. 1. præfat. p. 613. & disputatione 1. quæstione 3. certam. 1. num. 2. p. 620. & d. 2. q. 2. cert. 1. num. 2. p. 630

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. contr. 7. d. 2. q. 2. cert. 1. numer. 3. p. 630

Docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis. n. 4. ibid.

EX EVANGELIO MARCI.

CAP. VII. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant. cont. 4. d. 5. qu. 6. cert. 1. n. 5. p. 501

Ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. ibid.

XIII. Neque Filius, nisi Pater. contr. 5. disp. 2. q. 1. cert. 2. n. 3. p. 509

EX EVANGELIO LVCÆ.

CAP. I. Vocabitur Altissimi Filius. controu. 4. disputatione 1. quæstione 5. certam. 2. num. 2. p. 447

Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. controuersia 5. disputatione 3. q. 3. cert. 1. n. 3. p. 541

Replera est Spiritu S. Elisabeth. ibid.

Et Regni eius non erit finis. controuersia 4. disputatione 2. quæstione 2. certamine 2. numer. 2. p. 456

Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. controuersia 4. disputatione 5. q. 1. cert. 1. n. 1. p. 485

Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius. controuersia 3. disputatione 3. quæstione 4. certamine 3. num. 1. p. 428. & controuersia 7. disputatione 1. quæstione 1. certamine 2. nu-

mero 2. p. 617. & disputatione 2. q. 2. cert. 1. num. 2. p. 630
Quod enim ex te nascetur sanctum. controu. 3. disput. 3. quæst. 5. cert. 1. num. 4. p. 430. & controuersia 4. disp. 1. quæst. 5. cert. 2. num. 2. p. 447. & d. 4. qu. 1. præfat. p. 477. & contr. 5. d. 3. q. 1. cert. 1. num. 3. p. 537
Beata quæ credidisti. controuersia 3. disputatione 3. quæstione 4. certamine 1. numero 2. p. 426
II. Puer autem crescebat sapientia. controuersia 1. disput. 1. quæstione 4. certam. 4. num. 4. p. 294. & controu. 5. disput. 1. quæst. 6. cert. 1. num. 3. p. 525
Gratia Dei erat in illo. cont. 4. disp. 4. q. 1. cert. 1. num. 4. p. 478. & contr. 5. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 3. p. 537
Et Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines. controu. 5. d. 1. q. 6. cert. 1. num. 3. p. 525. & d. 3. q. 4. cert. 2. n. 4. p. 545
III. Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph. controu. 7. d. 1. q. 1. cert. 1. n. 6. p. 615
Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathath, qui fuit Leui, qui fuit Melchi. &c. controu. 7. d. 1. q. 1. cert. 1. n. 6. p. 616
Qui fuit Adam, qui fuit Dei. ibid.
VI. Elegit duodecim ex ipsis, quos, & Apostolos nominauit. controu. 7. disp. 2. q. 2. cert. 1. n. 3. p. 630
VII. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. controu. 2. disp. 2. quæst. 1. certam. 2. num. 2. p. 347
Propheta magnus surrexit in nobis. controu. 5. disputatione 4. quæstione 3. certamine 3. n. 4. p. 556
XII. Qua hora non putatis filius hominis veniet. controu. 7. disputatione 5. quæst. 1. cert. 1. num. 4. p. 653
XIV. Qui non renunciat omnibus, quæ possidet non potest meus esse discipulus. controu. 7. disputatione 1. quæstione 4. certamine 2. n. 5. p. 624
XVII. Quis vestrum habens seruum arantem, & pascentem, &c. controu. 4. disput. 2. q. 1. cert. 2. num. 4. p. 452
Cum feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. contr. 1. d. 1. q. 2. cert. 2. n. 3. p. 332
XIX. Nolumus hunc regnare super nos. contr. 1. disputatione 1. quæstione 3. cert. 5. num. 1. p. 286
In sanguine meo, qui pro vobis effundetur. controuersia 6. disputatione 3. quæst. 1. cert. 2. num. 1. p. 612
Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. controu. 6. disputatione 2. quæst. 4. cert. 2. n. 4. p. 600
Apparuit ei Angelus de cœlo, confortans eum, & factus in agonia prolixius orabat. controu. 5. disputatione 1. quæstione 6. certamine 2. n. 1. p. 525
XIV. Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet. controu. 1. d 1. qu. 4. cert. 4. num 2. p. 294
Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam cont. 1. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 4. p. 317. d. 2. q. 1. cert. 1. n. 1. p. 584. cont. 7. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 7. p. 639
De Iesu Nazareno qui fuit vir Propheta. contr. 5. d. 4. q. 3. cert. 3. n. 4. p. 556

EX EVANGELIO IOANNIS.

CAP. I. Ego vox clamantis in deserto, sicut dixit Isaias Propheta. cont. 1. d. 1. q. 3. cert. 1. n. 1. p. 275
In propria venit, & sui eum non receperunt. cont. 1. d. 1. q. 3. cert. 5. n. 1. p. 286. & contr. 7. d. 1. q. 2. cert. 1. n. 4. p. 618
Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. cont. 5. d. 2. q. 1. cert. 1. n. 1. p. 507. & d. 3. q. 1. cert. 1. n. 3. p. 537
Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. cont. 5. d. 1. q. 6. cert. 2. n. 4. p. 526
Verbum caro factum est. cont. 8. d. 1. q. 1. cert. 1. num. 4. p. 667
Lex data per Moysem gratia, & veritas per Iesum Christum. contr. 7. d. 2. q. 2. cert. 1. n. 4. p. 630. & controu. 5. disput. 3. quæst. 1. cert. 1. num. 3. p. 537
Hic erat, quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat, & de plenitudine eius omnes accepimus. controu. 5. disputatione 3. quæstione 3. certamine 1. nu. 2. p. 541
II. Quod signum ostendis nobis, quia hæc facio. controuersia 7. disput. 2. quæst. 1. cert. 3. num. 1. p. 627
III. Nemo Ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. controu. 1. disput. 1. quæst. 4. certam. 4. num. 1. p. 293. controu. 8. disput. 1. quæst. 1. cert. 2. n. 3. 668
Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat. controuersia 2. d. 1. q. 1. cert. 1. num. 6. p. 325. & controuersia 3. disp. 1. quæst. 1. cert. 2. num. 1. p. 382
Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto. controuersia 7. disput. 2. quæst. 2. cert. 1. num. 3. p. 630
Mandatum meum do vobis. n. 4. ibid.
Non misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. contr. 7. disputatione 5. quæstione 3. certam. 3. n. 5. p. 658
IV. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me. controuersia 4. d. 5. q. 6. cert. 1. n. 1. p. 500
Domine vt video Propheta es tu, controuers. 5. disputatione 4. quæstione 3. certamine. 3. n. 4. p. 556
Non potest à se facere quidquam. controuers. 3. disputatione 3. quæst. 5. certam. 2. numero 3. p. 431.
Omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est, controuers. 4. disputatione 2. quæstione 3. certamine 1. numero 4. p. 458. & contr. 7. disputatione 2. quæstione 2. certamine 1. num. 2. p. 630. & disputatione 5. quæstione 1 præfat. p. 651. & certamine 1. numero 2. p. 652. & quæstione 2. certamine 2. num. 4. p. 655.
Et cap. 6. & 8. Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. controuersia 4. disputatione 5. quæstione 6. cert. 1. num. 1. p. 500
VI. Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. con

trou. 4. disput. 2. quæst. 3. cert. 3. num. 6. p. 461
Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum. cont. 7. d. 2. q. 2. cert. 3. num. 3. p. 633
VII. Non ascendo ad diem festum istum. cont. 3. disp. 1. quæst. 4. certam. 1. num. 4. & 5. p. 393
VIII. Priusquam Abraham fieret ego sum. controu. 8. disput. 1. quæst. 1. certam. 2. num. 3. p. 393
IX. Dic discipulus illius sis, nos Moysis discipuli sumus. controu. 1. disp. 1. q. 3. cert. 5. nu. 1. p. 286
Me oportet operari opera illius, qui misit me, donec dies est, veniet nox in qua nemo potest operari. controu. 6. d. 1. q. 5. cert. 2. n. 2. p. 582
X. Potestatem habeo ponendi animam meam; & iterum sumendi eam. controu. 1. d. 1. q. 4. cert. 4. num. 3. p. 294
Hoc mandatum accepi à Patre meo. cont. 4. d. 2. q. 3. cert. 2. n. 1. & num. 2. p. 458. cert. 3. n. 1. p. 460.
Si autem illos dixit Deos, &c. contr. 4. d. 4. q. 1. cert. 1. n. 1. & 5. p. 478
Anima mea turbata est. contr. 4. d. 2. q. 3. cert. 2. num. 4. p. 459
Quem Pater sanctificauit &c. controuersia 5. disputatione 3. quæstione 1. certam. 1. num. 3. p. 537
Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. controuersia 7. disput. 2. q. 1. cert. 2. n. 6. p. 626
XI. Infremuit Spiritu, & turbauit semetipsum. controuersia 5. disput. 2. quæst. 3. cert. 1. n. 3. p. 531
XII. Ex me ipso non sum locutus. controuersia 4. disputatione 2. quæstione 3. cert. 3. num. 1. p. 460
Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. controu. 6. disput. 2. quæst. 4. certam. 1. n. 2. p. 598. & controu. 7. disp. 3. q. 2. cert. 2. nu. 1. p. 644
Si quis audierit verba mea, & non custodierit ea, ego non iudico eum. contr. 7. d. 5. q. 3. cert. 3. num 1. p. 658
Nemo eam tollit à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam: propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam. contr. 7. d. 2. quæst. 1. cert. 2. num. 6 p. 627. & cert. 4. n. 2. p. 629. & q. 4. cert. 2. n. 7. p. 639
Saluifica me ex hac hora, & clarifica filium tuum, controu. 7. disput. 2. q. 4. cert. 2. num. 4. p. 638
XIII. Si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea. Sicut ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. cont. 7. d. 2. q. 2. cer. 1. n. 4. p. 630
Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus suas. controu. 6. disp. 1. quæst. 5. cert. 3. n. 3. p. 583
Sciens Iesus, quia venit hora eius. cont. 6. d. 2. q. 6. cert. 2. num. 3. p. 610. & cont. 7. d. 2. q. 4. cert. 1. n. 1. p. 637
XIV. Eo parare vobis locum. cont. 1. d. 1. q. 3. cert. 1. n. 3. p. 679
Tristis est anima mea. contr. 1. d. 1. q. 4. cert. 3. num. 1. p. 292
Pater maior me est. controu. 4. disp. 2. quæst. 2. cert. 1. n. 1. p. 292. contr. 5. disp. 3. q. 4. cert. 2. num. 4. p. 454
Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. controu. 4. disput. 2. q. 2. cert. 1. n. 3. p. 455
Sicut mandatum dedit mihi Pater, Sic facio. ibidem, quæstione 3. certamine 2. numero 1. p. 458
A me ipso non loquor, verba quæ ego loquor non sunt mea, sed ejus qui misit me. controuersia 5. disputatione 1. quæst. 5. cert. 2. num. 3. p. 524
Si diligitis me mandata mea seruate. controuersia 7. disput. 2. quæst. 2. certam. 1. numer. 4. p. 630
XV. Omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis. controu. 5. disp. 1. quæst. 5. cert. 2. nu. 3. p. 524
XVII. Pro eis sanctifico me ipsum. contr. 7. d. 2. q. 1. cert. 4. num. 2. p. 629. & quæst. 4. cert. 2. n. 5. p. 639
Venit hora clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. contr. 7. d. 2. q. 4. cert. 2. num. 4. p. 638
XVIII. Regnum meum non est de hoc mundo. contr. 7. d. 1. q. 1. cert. 2. num. 4. p. 617. & & q. 2. cert. 1. n. 3. p. 618
XIX Non habemus Regem, nisi Cæsarem. controuersia 1. disputatione 1. quæstione 3. cert. 5. num. 1. p. 286. & cont. 7. d. 1. q. 1. cert. 2. n. 3. p. 617
Qui me tradidit tibi maius peccatum habet. controuersia 2. disputatione 2. quæstione 1. cert. 2. num. 2. p. 347
XX. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum. & Deum vestrum. controuersia 4. disp. 2. q. 2. certam. 3. num. 2. p. 451. controu. 5. disput. 1. quæst. 6. certam. 1. nu. 4. p. 525
Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis. &c. controu. 7. d. 2. q. 2. cert. 1. n. 3. p. 630
Qua Iesus est Christus Filius Dei. controuersia 8. disputatione 1. quæstione 1. certam. 1. num. 4. 667
XXI. Pasce oues meas. controu. 7. disput. 1. q. 3. cert. 2. n. 1. p. 620

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

CAP. I. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. contr. 7. disputatione 1. quæstione 1. certamine 2. num. 4. p. 617
X. Præcepit nos prædicare populo, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. controu. 7. disput. 5. q. 1. cert. 1. num. 4. p. 652
XII. Non veni, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. cont. 7. d. 5. q. 3. cert. 3. n. 5. p. 658
XVI. Non permisit Spiritus Iesu. n. 3. ibid.
XVII. Inquo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. contr. 7. d. 5. q. 1. cert. 1. n. 4. p. 651
XX. Ecclesiam quam acquisiuit sanguine suo. cont. 7. d. 2. q. 1. cert. 2. n. 5. p. 626

Index

EX EPISTOLA PAVLI ad Romanos.

CAP. I. Locutus est nobis in filio quem constituit hæredem vniuersorum controuers. 4. d.1.q.3.cert.1. num.4. p.440

III. Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. controu. 6. disputatione 2. quæstione 3. certam. 1.nu.2 p.595.

Redemptos esse per fidem in sanguine ipsius, controuers. 6. disputatione 3. quæstione 1.cert. 2.n.1. p.612

Quem proposuit Deus propitiationē per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, controuers.6.disputatione 2.quæst.4.cert.1.n.1. p.598

IV. Et qui operatur merces, imputatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum,cont. 2. d.1.q.3.cert.4.n.3. p.344

Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. controuers.7. disputatione 5. q.1.certam.2.n.4. p. 653

V. Commendat autem charitatem suam Deus, quoniam, adhuc impij essemus, Christus pro nobis mortuus est, contr.2. disputatione1.q.1. cert. 1. num.6. p.325

Sicut per vnius in obedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi, contr.4.d.2.q.3. cert. 2.num.3. p.459

Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum: multo magis gratia Dei, & donum in gratia hominis Iesu Christi in plures abundauit, cont. 6. d.2. q.3. cert.1.num.2. p.565.

VIII. Proprio filio suo non pepercit.controuers. 4. disputatione 1. q.2. certamine 2. numero. 1. p.437.

Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater, contr.4.d.2.q. 1. certam.1. n. 6. p.451

Vocauit nos vocatione sancta sua, vt essemus sancti. controuers. 6. disputatione 1. q.4.cert.2. num.1. p.573

Qui est ad dexteram Dei, qui interpellat pro nobis. ibid. quæstione 5. certamine.3. numer. 1. p. 583.

Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. quoniam & ipsa liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, controuers. 7. disputatione 4.q. 3. cert. 3. n.3. p.651

Si ergo filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, ibid. d.1. præfat. p.613

In die, cum iudicabit Dominus occulta hominum per Iesum Christum, controuers. 7. disputatione 5. quæstione 1. certam. 2. numero 4. p.653.

XIV. In hoc mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur, controuers. 7. disputatione 1. quæstione 3. certam. 2. nu.2. p.620.

EX EPISTOLA PRIMA Pauli ad Corinthios.

CAP. II. Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, controuers. 3. disputatione 1. quæstione 1. certamine 4. numero 5. p. 385

Adam non est seductus: mulier autem seducta est. contr.6. disputatione 2. quæstione 3.cert.2. n.1. p.597

Si enim cognouissent numquam Dominum gloriæ crucifixissent, controuers. 8. disputatione 1. quæstione 1. certamine 2. numero 3. p.668

IV. Si nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei, controuers. 7. disputatione 2. quæstione 2.certam. 1. numero 3. p.630

VI. Empti enim estis pretio magno, controuers. 7. disputatione 3. quæstione 2.certam. 1.nu.1. p. 642. & controu.6. d.1.q.1.certam.1. num.2. p.557.

VII. Nescitis, quia Angelos iudicabimus. contr. 7. disputatione 5. quæstione 2.certamine 2.n. 1. p.654

XII. Diuisiones operationes sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus, controuers. 4. disputatione 3. q. 2.certamine. 1. numero. 4. p.468.

Vos estis corpus Christi, & membra de membro, controuers.7.disputatione 4. q.1.certam. 2.n.4 p.647

XIII. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei, controuers. 4. disputatione 2. quæstione 1. certamine 3. numero 2. p.45

Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est, controuers. 5. disputatione 1. quæstione 5. certamine 1. numero 2. p.522

Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.ibi. certam.2. numero 4. p.524

Nunc cognosco exparte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum, cum venerit,quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est. ibid.

XV. Cum autem subiecta fuerint illi omnia tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus, controuers. 4. disputatione 2. quæstione 2. certamine 2. numero 2. p. 456. & controuers. 7. disputatione 1. quæstione 3. certamine 1. numero 1. p.619

Primus homo de terra terrenus secundus homo de cælo cælestis, controuers. 1. disputatione 1. quæstione 4. certamine 4. numero.1. p.193

Oportet illuminate, donec ponat omnes inimicos subpedibus eius, controuers. 4. disputatione 2. quæstione 2. certamine 2. numero 1. p.456

Omnia subiecit sub pedibus eius, controuers. 7. disputatione 1. quæstione 2. certamine 1.numero 1. p.618

EX

Locorum S. Scripturæ.

EX EPISTOLA SECVNDA Pauli ad Corinthios.

CAP. III. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi,contr. 7. disputat. 2.q.1.cert.2.num.5. p. 626

V. Pro nobis peccatum fecit, controu. 4. disputatione 5. quæstione 1.cert.1. num.2.p.485.& controuers. 5. disputatione 1.q.1.certamine 2. n.5. p.509

Scimus quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis,controuers.7. disputatione 5. q.3.cert.2. num.3. p.657

XIII. Hæc scribo abiens, vt non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi, controuers. 7. disputatione 2. q.2. cert.1.n.3. p.630

EX EPISTOLA PAVLI ad Galatas.

CAP. III. Lex propter trangressores posita est, controuers. 4. disput. 2.q.2.certam. 2. num. 4. p. 456

Data est lex per Angelos in manum mediatoris, controuers. 7. disputatione 3. q.1. certam. 1. num.3. p.640

V. Mediator autem vnius non est.um.1. ibid.

EX EPISTOLA PAVLI ad Ephesios.

CAP. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, controuers. 3. disputatione 1.q.1. cert. 4. num.2.q.384. disputatione 3. q.3.cert. 1. num. 2. p.423.& controu.6.d.1.q.4.certam.2.num.2. p.573

Proposuit Deus instaurare omnia in Christo, controuers. 6. disputatione 2. q. 2. certamine 2. n.1. p.590

In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, contr.6.d.2. q. 3. cert. 1. n. 2. p.595. & disputatione 3. quæstione 1.certam.2. num. 1. p.612

Benedixit nos Deus omni benedictione in cœlestibus in Christo, controu. 6. d.2.q. 3. cert. 1. n.4. p.596

Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, controuers. 7. disputatione 4.quæst.3.cert.2.numero 2. p.650

II. Creari nos in operibus boni in Christo Iesu, controuers.6. disputatione 2. q.3. cert. 1.nu. 4. p.596

IV. Veritatem facientes in charitate crescatis in illo per omnia, qui est caput Christus, contr. 6. disputatione 2. quæstione 3. cert.1. num.3. p.596

Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, controuers.7. d. 2.q.2.cert.1.n.3. p.630

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos,cont. 7. disputatione 2. q. 2. certamine 1. numero 2. p.630.

Qui descendit ipse est, qui ascendit, controu. 8. disputatione 1. quæstione 1. cert. 2. num.3. p. 668

V. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam, controuers.7. disputatione2. q. 1.cert. 4.n.1. p.628

Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, contr. 7. d.4.q. 2. certam. 2. num. 2. p.648.

VI. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, controu.1.d.2.q.3. certamine 2. num.1. p.303

EX EPISTOLA PAVLI ad Philippenses.

CAP. II. Et omni lingua confiteantur, controu. 4. disputatione 2. quæstione 1. certam. 1. nu.7. p.451.

Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, contr.4.disputatione 2.q.3.certam. 2. numero 3. & 4. p.459. q.5.cert. 2. numero 2. p.582. & disputatione 2.q.1. cert.1.n.1.p.584. & controu. 7. disputatione 2. q.4. certamine 2. num. 7. p.639

Potestas eius potestas æterna, controuers. 4. disputatione 3. quæstione 4. certamine 1. nu.1. p.473

Et donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, controu. 6. disputatione 2. quæstione 1. cert. 1. num.2. p.584

EX EPISTOLA PAVLI. ad Colloſſenſes

CAP. I. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, controuers.7. disputatione 3.q. 2. cert. 2. num. 1. p.644

II. In quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter,controu.4. disputatione 3. q. 4. certam.1. n.1.p.473.& controu.5.disputatione 1.q.1.cert. 1. num.1. p.507

Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis, controu. 7.d.4.q.3.cert.2. num.2. p.650

In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, contr.5. d.1.q.1.cert.1.n.1. p.507

Vos cum mortui essetis & *vsque ad* expolians principatus, controuers.6. disputatione 2.q. 3. cert.1.n.2. p.595

Delens, quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis sustulit de medio affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans in semetipso, controuers. 6. disputatione 2. q. 4. cert. 1. numero 2. p. 598

EX EPISTOLA PRIMA Pauli ad Timotheum.

CAP. I. Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere. con. 3. d.1. q.1 .cert.2.n.1. p.382.

Misericordiam consecutus sum, vt sim fidelis, controuers. 6. disputatione 1. q. 4. certamine 2. num. 2. p.573

Iusto lex posita non est, controuers. 4. disputatione 2. quæstione 2. certamine 2. numero 4. p.456.

EX EPIST. SECVNDA
Pauli ad Timotheum.

CAP. I. Vocauit non vocatione ſua ſancta non ſecundum opera noſtra, controuerſ. 6. diſputatione 2. quæſtione 1. certamine 3. numero 4. p.596

II. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddit mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, cont. 2. diſputatione 1. quæſtione 3. certamine 4. num.3. p.344

EX EPISTOLA PAVLI
ad Titum.

CAP. III. Qui ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit, controu. 2.d.1.q.1. certamine 1. num.6. p.325

EX EPISTOLA PAVLI
ad Hebræos.

CAP. I. Olim Deus loquens Patribus in Prophetis nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem &c. controuerſ. 4. diſputatione, 1. quæſtione quinta, certamine. 2. numero 1. p.447

Quem conſtituit hæredem vniuerſorum, contr. 6. diſputatione 1.q.1.certamine 4. numero 4. p.562

Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, controuerſ.7. diſputatione 4. quæſtione 3. cert. 2. numero 4. p.650.

II. Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ, controuerſ. 7. diſputatione 3. certamine 1. num.1. p.619

Nunc autem nec dum videmus omnia ſubiecta ei. ibid.

Qui modico, quam Angeli, minoratus eſt propter paſſionem ſuam gloria, & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. ibid.

Ieſum propter paſſionem ſuam gloria, & honore cotonatum, controuerſ. 6. diſputatione ſecunda, quæſtione 1. certamine 1. numero 1. p.584.

Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem ibidem, quæſtione 2. certamine 1. numero 1. p. 590

Decebat authorem ſalutis per paſſionem conſummari, controuerſ. 1. diſputatione tertia, quæſtione prima, certamine 1. numero quarto. p.317

Quia ergo pueri communicauerunt carni, & ſanguine, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, controuerſ. 1. diſputatione 2. q.3.cert. 2. n. 2. p.303

Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, controuerſ. 1. diſputatione 1. quæſtione 1. certamine 1. nu.2. p.270

Debuit per omnia fratribus aſſimilare, vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex, ad eum & repropitiaret delicta populis, in eo enim in quo paſſus eſt ipſe, &c. controuerſ. 1. diſputatione 3. quæſtione 1. certamine 1. numero 4. p.317.

In eo enim, in quo paſſus eſt, & tentatus potens, & iis qui tentantur auxiliari. controuerſ. 1.diſputatione 1. quæſtione 4. certamine 4.numero 3. p.294

III Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, controuerſ. 7. diſputatione 2. quæſtione 1. certamine 1. numero 4. p.625.

Moyſes quidem tanquam famulis fidelis fuit in in tota domo eius, Chriſtus vero tanquam filius fuit in domo ſua, controuerſ 4. diſputatione 2. quæſtione 1. certamine 1. numero 4. p. 450

Amplioris gloriæ præ Moyſi, &c. ibid. & cert. 2. numero 3. p.452. & q.3. certamine 3. numero 6. p.461

IV. Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris tentatum per omnia, &c. cont.5. diſputatione 1.q. 6.cert. 1. numero 2. p.524

Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, cont.4. diſputatione 5.q.1.cert.1.n.2. p.485

V. Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in his, quæ ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed, qui vocatur à Deo nunquam Aaron, controu. 7. diſputatione 2. quæſt. 1. certamine 1. nu.2. p.624.

Didicit ex his, quæ paſſus eſt, controuerſ. 1. diſputatione 3. quæſtione 1. certamine 1. numero 4. p.317

Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, controu.7.d.2.q.4. cert. 2. numero 4. p.638

VI. Non eſt iniuſtus Dominus, vt obliuiſcatur operis veſtri, contr.2.d.1.q. 3.cert.4.numero 3. p. 344

Vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus ſecundum ordinem Melchiſedech, controuerſ.7.d.2.q.3.cert.2.n.4 p.636

Ieſu ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum. ibid.

VII. Hic enim Melchiſedech Rex Salem Sacerdos Dei ſummi, controu.7.d.2.q.2.cert. 2. n.5. p.632

Melchiſedech ſine Patre, ſine matre, ſine geneologia, ibid.n.2. p.631

Neque initium dierum, neque finem vitæ habens aſſimilatus filio Dei manet ſacerdos in æternum, ibidem, certamine 3. numero 1. p.633.

Qui non ſecundum legem carnalis mandati factus eſt, ſed ſecundum virtutem indiſſolubilis vitæ, controuerſ. 7. diſputatione 2.q.3. cert.2. num.2. p.636

Plures facti ſunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium vnde, & ſaluare in perpetuum poteſt, controuerſ. 7. diſputatione 2.quæſtione 2. certamine 3. numero 1. p. 633.& quæſtione 3. præfat. p. 634. & certamine 2. numero 2. p.636

Hic autem eo quod maneat in æternum ſempiternum habet ſacerdotium, controu. 7. diſputatione 2. quæſtione 1. certamine 1.numero 4. p.625

Semper viuens ad interpellandum pro nobis, contr.6. diſputatione 1.quæſtione 5.certamine 3. numero 1.p.583. & controuerſ. 7. diſputatione 2. quæſtione 3. certamine 2. numero 1. p.636

Talis enim decebat, vt nobis eſſet pontifex ſanctus innocens, controuerſ. 7. diſputatione 2 quæſtione 1. certamine 1. numero 4. pag. 625. & quæſtione 4. certamine 1. numero. 2. p.637

Segregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, controuerſ. 4.diſputatione 5. q. 1. cert. 1. numero 2. p.485

Hoc enim ſemel ſemetipſum offerendo, contr. 4. diſputatione 2. quæſt. 1.certam. 2. num. 4. p.452

VIII. Talem habemus Pontificem, qui concedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod finxit Dominus, & non homo, controuerſ. 7. diſputatione 2. quæſtione 3. certamine 2. numero 4. p.636

Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur, controuerſ. 7. diſputatione 2. quæſtione 1. certamine 1. numero 2. pag.625.& certamine quarto, numero ſecundo. p.629

IX. Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, controuerſ. 7. diſputatione 2. quæſtione 1. certamine 1. numero quarto, pag.625. & quæſtione quarta, certamine primo, numero 2. p.637

Statutum eſt hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium, controuerſ. 7.d. 5. q. 3.cert.2. num.1. p.656

Vmbram habens lex futurorum bonorum non ipſam imaginem rerum per ſingulos annos &c. ibid. diſputat. 2. q. 4. certamine 2. numero 2. p.638.

Sacrificium, & oblationem noluiſti aures autem perfeciſti mihi, controuerſ. 2. diſputatione 1. quæſtione 3. certamine 4.numero 2. p.344 & controuerſ. 6. diſputatione 1. quæſtione 5. cert. 1. n.1. p.580

In qua voluntate ſanctificati ſumus, controuerſ. 5. diſputatione 1. quæſtione 2. certamine 1. num. 4. p.513

Vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos, atque vnam pro peccatis offerens hoſtiam, &c. controuerſ. 6. diſputatione 1. quæſtione 5. certamine 1. numero 5. p. 581. & certamine 2. numero 2. p. 582. & diſputatione 2. quæſtione 5. certamine 4. numero 1. p.605

XII Qui proprio ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, controuerſ. 2. diſputatione 1. quæſtione 3. cert. 4.n.2.p.344.& cont.5.d.2.q.4.cert.1.n.3. p.53

Non enim acceſſiſtis ad acceſſibilem ignem &c. ſed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, & iudicem omnium Deum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, controuerſ. 7. diſput.3. q.1.cert.1. n.3. p.640

XIII. Quorum animalium infertur ſanguis pro peccato, horum corpora cremantur extra caſtra; ita Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum extra portam paſſus eſt, ibid. diſputatione 2. quæſtione 4. certamine 1. nu.1. p.637.

Extra portam paſſus eſt, controuerſ. 1.diſputatione 3. quæſtione 1. certamine 1. numero 4. p.317

Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus, controuerſ.7.diſputatione 2. quæſtione 1. cert. 1. numero 1. p.624

EX EPISTOLA
Iacobi.

CAP. I. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, controuerſ. 5. diſputatione 1. quæſtione 1. certamine primo, numero tertio. p. 508

EX EPISTOLA PRIMA
Petri.

CAP. I Qui peccatum non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius, controuerſ. 4. diſputatione 5. quæſtione 1. certamine 1. numero 2 p.485.

Non corruptibilibus auro, & argento, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati redempti, controuerſ. 6. diſputatione 3. quæſtione 1. certam. 2. n. 1. p.612

II Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam totius mundi, controuerſ. 6.diſp.1.q. 1.cert.2. num.2 p.557

Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. controuerſ. 1. diſputatione 1. quæſtione 4. certamine tertio, numero primo, p.292

Vos autem genus electum regale ſacerdotum, controuerſ. 7. diſputatione 2. q.1. certam. 1. num.1. p.624

IV. Chriſto igitur in carne paſſo, controuerſ. 1. diſputatione 1. quæſtione 4. certamine 3. numero 1. pag. 292. & diſputatione tertia, quæſtione prima, certamine 1. num. quarto. p.317

EX EPISTOLA SECVNDA
Petri.

CAP. I. Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapſa ad eum huiuſcemodi magnificat gloria hic eſt filius meus dilectus, &c. controuerſ. 4.diſputatione 1. quæſtione 2. cert.2.n.2. p.438

Per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, controu.4. diſputatione 4. cert. 1. num.1. p.478

Sed habetis firmiorem propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, controuerſ. 5. diſputatione 1. quæſtione 5. certamine 1. num. 5. p. 523.

CAP. II. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed radentibus, inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari, controuerſ. 7. diſputatione quinta, quæſtione ſecunda, certamine 2. numero 2. p.655

EX EPISTOLA PRIMA Ioannis.

CAP. I. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus ipsi non seducimus, & veritas in nobis non est, controuers. 2. disputatione 3. q.4. cert. 1. n.3. p.377

Deum nemo non vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse narrabit, controuers. 5. disputatione 1. quæstione 1. cert.1. num.1. p.507.

III Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, cont.6. disputatione 1. q. 5. cert. 3. num. 1. p.583

IV. Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, contr.4.d. 5.q.1.certam.1.num.3. p.485

EX APOCALYPSI IOANNIS

CAP. I. Princeps regum terræ, controu. 7. disputatione 1. quæstione 3. certamine 1. numero 3. p.618

V. Dignus est agnus, qui occisus est &c. contr. 3. disputatione 3. quæstione 1.certam. 5. numero 2.p.417. & controuers. 5.disputatione 1. quæstione 6. certamine secunda, numero 1. p.526

Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, controuers. 7.disputatione 2. quæstione 1.cert. 1. num.1. p.624

XII. Missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ibid.

Bestia, & Pseudo cruciabantur die, ac nocte in sæcula sæculorum, controuers. 7. disputatione 5. quæstione 2. certamine 2. numero 2. p.655.

XIII. Agnus occisus ab origine mundi, contr. 6. disputatione 2. quæstione 4. certamine 1.numero 1. p. 598

XVIII. Quantum delectata est in deliciis suis, tantum, &c. controuers. 2.disp. 2. q.2.cert. 2. num.3. p.355

XIX. In fœmore &c. Rex. Regum, Dominus dominantium, controuers. 7. disputatione 1. quæstione 4. certamine 1. numero primo. p.621.

DISPV

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

DE SVBSISTENTIAE, AC PERSONALITATIS Essentia.

VTRIVSQVE Mysterij tomo hoc nostro examinandi exacta notitia, exactam etiam subsistentiæ, & personalitatis notitiam supponit. Cùm enim personæ tres, vnáque essentia, & subsistentia in Trinitatis Mysterio tenendæ Catholicè sint; Contrà verò in Mysterio Incarnationis vna persona, dupléxque natura dogmaticè asserenda: quid subsistentia, & personalitas sit, quóve ab indiuidua natura substantiali differat præmittere necesse fuit, vt vtriusque Mysterij inconcussæ, atque inconfusæ veritates Catholicæ persistant. Et quamuis res hæc apud Physicos, & Metaphysicos sæpè disputetur; nescio an sede hîc propriori? Etenim, cum ex duplicis huius Mysterij veritatibus reuelatis, atque ex iis, quæ pro illis ab hæreticorum oppugnatione vindicandis, Patres & Concilia docuerunt, subsistentiæ, ac personalitatis ratio præcipuè indaganda sit, commodius in hac Theologiæ parte quàm in Philosophia, vtriusque, & à natura distinctio, & essentia statuetur. Itaque præambula hac disputatione quidquid de subsistentia, & personalitate dubitari potest à capite, vt aiunt, ad calcen definietur. Primò igitur distinctionis inter naturam, & subsistentiam, dignoscendæ occasionem aperiemus, atque suppositi, & personæ definitiones dabimus. Secundò quid suppositum, vel persona supra naturam substantialem addat exactè discutiemus. Tertiò subsistentiæ, & personalitatis subiectum examinabimus. Quartò de necessitate subsistentiæ, déque eius cum alia, siue propria, siue aliena, oppositione, ac de causa ipsius efficienti statuemus.

QVÆSTIO PRIMA.

De occasione distinctionis subsistentiæ, & personalitatis à natura dignoscendæ, ac de suppositi, & personæ definitione.

RES hæc tota ex controuersiis Patrum cum Nestorio, & Eutychete statuenda erit. Sed oportet primò subsistentiæ, & hypostasis voces, earúmque, & etymologiam & acceptiones propriàs explicare.

CERTAMEN I.

Subsistentiæ, & hypostasis voces, earúmque vsurpatio.

1 PRæmittere oportet statum controuersiæ Patrum cum Nestorio, & Eutychete: quæ certe in eo primum non fuit, an persona ab indiuidua natura rationali differret? Sed an in Christo duplex inconfusa natura perseueraret. Nam ex vnione physica vtriusque nullatenus vtramque naturam inconfusam perseuerare posse vterque supponebat. Inde Euthyches Monachus, Præsbyter, & Constantinopolitanus Archimandrita, vt à suo Episcopo Nestorio (cuius errori in Concilio Ephesino restiterat) discederet, vnionem Verbi physicam cum humanitate admittens carnem à Verbo assumptam in Deum conuersam asserebat tandem in Concilio Constantinopol. eius verò assectæ ex vtraque natura tertiam vnionis beneficio conflari, neutra scilicet in se manente, aiebant; vt refertur in edicto fidei Iustiniani Imperatoris tom.2. Concilior. Ex eis autem nonnulli, licet vtramque naturam manere docuerint, mixtam tamen & confusam intelligebant: quemadmodum in mixtione corporum euenire plures censent. Ita refertur in actis Concilij ..... generalis. Nestorius verò cum suis vnionem physicam Verbi ad humanitatem assumptam negabat, solumque moralem assumptionem ipsius per vnionem affectiuam ad humanitatem admittebat.

2 E contra Patres initio solum contendebant vnionem physicam Verbi ad humanitatem in Christo fuisse sine naturarum confusione: eámque à Nestorio admitti, vt pax Ecclesiæ foret, optabat Cyrillus in actis Conc.Ephes. & scriptis ad Imperatorem, & Reginas. Postmodum verò disputationum successu, cùm Patres vnam tantùm in Christo personam recognoscerent, Nestorius, & Euthiches eodem assumpto principio pro suo quisque errore Patres vexabant: nempe quòd natura rationalis singularis idem prorsus, quod suppositum & persona esset. Hinc Eutyches pro se arguebat. Natura singularis nihilo à persona differt: sed persona vnica tantùm est in Christo per vos: ergo vnica tantum in Christo est rationalis natura. Nestorius contrà sic pro suo errore discurrebat. Per vos est duplex natura rationalis in Christo: ergo & duplex persona:

R.P.Christoph.de Ortega, de Deo Vno & Trino.

quandoquidem hæc ab indiuidua rationali natura non differt. His argumentatiunculis Patres constanter negabant idem esse personam atque naturam rationalem singularem: vt videre est in Ioanne Maxentio dial.1. Anastas.in Duce viæ c.6. Leont. Rustico Diacono tom.6. Bibliot. disp. contra Acephalos, Theodoro Episc. Carisiensi tom.9. Epiphan. Diacono tom.3. Concil. Synod.7. gener. act.6. §.*Nequaquam*, Basil. epist.43. de different. vsiæ, & hypostasis, Theodor. dial.1.*immutabilis* column.1. Nyssen. de differ. essentiæ, & hypostasis initio: ac demum in Concilio Ephesino canone 3. definitur non mansisse in Christo duas subsistentias, sed vnicam tantùm.

3 Porrò subsistentia, seu suppositum in tota sua latitudine à Græcis accommodato vocabulo, *hypostasis* dicta est. Quæ vox essentiam quandoque significat: vt ad Hebr.1.*Figura substantiæ*, seu *hypostasis* essentiam intelligunt Concilium Ephes. & Athanas. orat.5. contra Arrian. sub initium, aliisque locis sic etiam explicans illud Hierem.23. *Si stetissent in hypostasi mea*: sicut, & Epiphanius hæresi 69. sol. penult. Marius Vict. lib. de *homo vsio* recipiendo sub initium tomo 4. Bibl. Concil. Sardic. quà Catholicum, epist. synod.3. longè à medio, aliisque Patres. Quandoque subsistentia veram, nec apparentem solum, rei existentiam denotat apud Arist. lib. de mundo ad Alexandrum, apud Leont. de sectis scholæ sect.7. post initium tomo 4. Bibliot. Dionys. de diuin. nom. Nonnumquam accidens etiam significat: vt ad Hebr.3. Gratiam, illis verbis: *Si tamen initium substantiæ eius.* Vbi originalis habet *hypostasis*. & cap.11. *Fides dicitur sperandarum substantia*, seu *hypostasis rerum.* Quæ omnia, aliáque plura accidentia hypostasis ab Apostolo dicta sunt. Adde tandem apud Irenæum Grammaticum in suo Dictionario, & apud Sozomenum 5. Hist. Eccles. cap.11. hypostasim à medicis pro rerum fluidarum sedimento vsurpatam esse.

4 Primus igitur hypostasis pro suppositio vsurpator egreditur Hispanus Hosius Cordubensis ab Imperatore Constantino Alexandrinam synodum contra Arrium missus. In qua, & in Nizæna, vt inutilis, & indigna ea vocis acceptio reiecta scribitur à Nicephoro 10. Histor. cap.15. fortè, quia in sua rigorosa significatione naturam potius subsistantialem, quàm suppositum significare videbatur: vt docent Epiphanius, Marius Victor. & Hieron. ad locum citatum Hierem. & hic quidem refert pro se Septuaginta interpretes ibi, & Theodotionem: quibus consonare videntur Concil. Sardicense citatum, Liberius Papa, epist. ad Athanas. post expositionem fidei Athanasij in noua editione Conciliorum. August.5. de Trinit. cap.8. circa fin. & lib.7. cap.4. init. Cyrill. epist.3. ad Nestor. anathematismo 3. tomo 1. Concilij Ephesin. cap.14. circa finem, Fulgentius de Incarn. & gratia prædictum anathematismum vertens, & tandem Philosophi omnes tempore Socratis, & Nicephori. Idcirco grauissimi Patres tres hypostases in Trinitate exhorrebant, ne tres substantias in Trinitate crederentur asserere. Hi vero sunt Paulinus Thesal. Acatius Vehor. Episcopi, Hieron. epist.57. ad Damasum. med. ac locis proximè datis Augustinus. Cæterùm Patres omnes hypostasim tandem pro subsistentia, & suppositio accipientes in Christo Domino hypostasim vnam, duas autem substantias, & naturas professi sunt: contrà verò in Trinitate naturam, & substantiam vnam, tres verò hypostases, suppositas, & personas planè admiserunt, vt ex dicendis infrà constabit apertè. Et de Cyrillo quidem constat ex Rustico Diacono disp. contra Acephalos, vbi plurima eius loca ad rem hanc inducit. Insuper ex Anathematismo 3. & 4. vbi hypostasim pro persona expresè accepit. In loco autem oppositio solum curat damnare Nestorium, qui vnionem physicam, & realem inter Verbum, & Christi humanitatem negabat.

5 Sed age iam: videamus quanto iure, & proprietate hypostasis subsistentiam, siue suppositum, & personam significet. Illa enim omnia, quæ hypostasi significari quandoque retulimus, analogata sunt minus præcipua indiuidui substantialis, seu personæ, quæ rigidè, & propriè hypostasi significatur, vt singula expendentes ostendemus. Sed prius tamen aliqua breuiter ex Patribus referemus, quibus ratio, ob quam primariò suppositum, & persona hypostasi significetur, elegans, & perspicua traditur. Boëtius de duabus naturis longè à principio sic ait: *Ideo hypostases Græci indiuiduas substantias vocauerunt, quoniam cæteris subsunt: & quibusdam, quasi accidentibus suppositæ, subiectæque sunt.* Elegantius adhuc Nizetas lib.2. cap.25. *Quæ indiuidua Peripatetici vocare solent, ea Doctoribus scholasticis placuit appellare hypostases. Hypostases verò dictæ sunt, quia in his genera, & species, quæ circumscripta non sunt, quasi pedem figunt.* Vtriusque ergo ratio est: Indiuiduum substantiale propriissimè esse, & dici hypostasim, seu suppositum: quia hypostasis significat fundamentum, quod existit in se, & quo reliqua sustentantur: cùm autem indiuiduum substantiale in nullo sit metaphysicè, vt genus, & species, neque physicè, vt accidentia: atque insuper species, & genera in ipso sint, pedemque metaphysicè figant; accidentia verò ipsi physicè insint, fit planè, vt hypostasis propriissimè de indiuiduo substantiali dicatur. Inde etiam constat cur per analogiam existentia, essentia, & substantia hypostases dicantur: quia scilicet passionum, & accidentium, ac reliquorum, quæ ipsis aduenient fundamenta sunt. Fides item, & gratia ita appellantur, quia nimirum ipsis spiritualis, & supernaturalis vita tanquam fundamentis innititur. De fluidorum sedimento constat hypostasim dici ob eandem rationem.

6 Quod de nouitate vocis ex priscis, eisque deteriores, iuniores hæretici oblatrant, leuis est ponderis. Tum quia post mille trigentos annos, à quibus recepta apud Patres, & Ecclesiam ea vox fuit, plus iusto exuit nouitatem: tum etiam quia cùm res significata noua non fuerit, non est vocis nouitas simpliciter, quam Apostol.2. ad Timothæum condemnat. Sed neque à Nizena Synodo reprobata fuit: cum in hoc sensu ea voce synodus vtatur, vt constat ex eius Symbolo apud Cyrill. 1. Dialogor. de Trinit. Synodus etiam Alexandrina, cui præfuit Athan. *Vsiam*, seu subsistantiam, & *hypostasim* alio, & alio sensu vsurpandas ait. Eamque vocem amplectuntur Epiphan. Marius Victor. & Hieron. ad locum Hierem. ad Sabellij hæresim confutandam teste Rufino lib.1. cap.15. qui est liber 10. Histor. Ecclesiasticæ Eusebij, Sozomenus 5. historiæ cap.11. relato in tripartita lib.6. cap.10. fine. Teste denique Nicephoro suprà citato. Vnde, quod hic aiebat, hypostasim, nempè hoc nostro sensu, reiectam ab Alexandrina Synodo fuisse, & indignam habitam à Nizena, de suo temere addidit iuxta aliquorum sententiam, qui in Alexandrina Synodo eam initio respuerunt. Quanta verò necessitas distinctionis inter vsiam, & hypostasim fuerit, notata videtur ab Aristot. vel eius coëtaneo authore libri de mundo ad Alexandrum, qui inter Aristotelicos extat, vt refert Ruiz de Trinit disp.31. sect.2. n.6. Imo & nota tum vult à Paulo epist. ad Hebr. eiusque commentatore Græco, qui vel Sanctus Lucas, vel Sanctus Clemens existimatur. Insuper à Dionysio 1. de diuin. nom. ante med. aiente: *Trinitatem propter tris hypostaton*, &c. post med. *Propter principalium personarum*; & rursùs, *vnaquæque personarum* Græcè habetur *Hypostaseon*. De huius vocis in Ecclesia antiquitate legatur Nyssenus lib. de hoc argumento, Basil. epist.43. licet autem hypostasis vocem ex Græcis Patribus videantur refugisse aliquando Dionys. Damasc. de Decret.1. institut.c.1. meliusque *prosopon* dici docuerint: ideo fuit, quia nec Deum substantiam dici volebant, sed supersubstantiam: ne accidentibus subesse (à quo subsistantia primitus dicta est) Deus putaretur: eodémque metu hypostasim renuebant Boëtius, & Anselm. Augustinus verò 5. de Trinit. c.8. fine, & c.9. eam recusauit, quia subsistantiam in vsu frequentiori significare arbitrabatur: libro autem 6. cap.8. liberum Græcis hypostasis vsum relinquit pro persona: quam aptius tamen ab eis *prosopon* dicendam ait à Boëtio lib. de duabus naturis longè ab initio edoctus. atque ex illis

illis sic loquuntur Magist. in 1. d.23. cap. *quod enim*, & S. Thom.1.p.q.29.art.3. eorumque commentatores eadem de causa vocem hanc detractare visus, & Hieronymus. Qui tamen cap.9 epist.17. de expositione fidei ad Damasum, alias c.4. epist.9. subiuit his, eam admittit. *Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est, personas, vel, vt Græci exprimunt, hypostases, hoc est, subsistentias constetemur.*

CERTAMEN II.

Hypostasis ad personam restrictio, atque vtriusque definitio.

1 Ex dictis constat hypostasim in sua stricta significatione supposita omnia substantialia, etiam irrationalia comprehendere. Quo sensu Damasc. 2. de decretis primæ institut. aiebat: *Singuli boues hypostases sunt.* Tamen ad rationalis naturæ suppositum significandum ex aliorum omnium Patrum vsu restricta ea vox fuit, vt notauit Boët. lib. de duabus naturis vers. med. cuius restrictionis rationem his verbis assignat: *Quare autem de irrationalibus animalibus Græcus hypostasim, non dicat, sicut nos de eisdem subsistentiæ nomen prædicamus, hæc est ratio: quoniam nomen hoc meliori applicatum est.* Nempe excellentiori suppositio. Quam rationem explicans S. Thomas ait: Maiorem excellentiâ suppositi rationalis in eo esse: quod non solũ per se in essendo sit, sed etiam in operando: quia nimirum rationalia indiuidua non aguntur naturæ, aut alterius cuiusmodi necessitate, sicut irrationalia; sed seipsa agunt, ac per se se ad operandũ determinant, cũ dominio scilicet suarũ operationum. Id quod pro vera subsistentiæ, & personalitatis explicatione accuratè obseruandum est. Vnde fit ex Patrum vsu hypostasim idem significare, quod latinè persona. Significat autem hæc vox non quodcumque suppositum, subsistentiámve quamuis, sed tantum rationalis naturæ; quidquid temerè, nec nimium ab errore distans Grammaticus Valla neget 6. elegantiarum cap.34. Traducta autem vox *persona*, fuit teste Boët. lib. de duabus naturis longe ab initio: *Ex iis personis, quæ in cõmœdiis, tragœdiisque eos, quorum interest, personas representabant.* Comedij enim eorum, quos agebant larbis faciebusque pictis, quæ propriissimè personæ, seu *prosopa* latinè dicuntur, tecti vehementius grandiori voce personabant, qua forte de causa Matth.22. & 2. Corinth.1. persona pro facie vsurpatur. Inde procurator clientis persona quam in iure representat, cuiusque nomine litem agit, dici consueuit. Sic Hispane: *Pedro por persona de Iuan mi procurador, parexcoy digo, &c.* Et rursus: *Juan como Procurador de Pedro mi parte y en su nombre.* Quia scilicet Procurator litigatorem representat: hic autem actionum, quæ in lite, etiam sua, fiunt regimen, & dominium non apud se, sed apud procuratorem habet in iure.

2 Opportunè ad rem hanc aduocabitur acuta Petri VVadingo obseruatio disputat.4. de Incarnatione dubio 2. §.5. num.37. vbi refert egregia hæc Paschasij verba secundo de Spiritu sancto cap.4. *In Christo personæ personam consumpsit, quia persona res iuris est.* Ex quo peruetusto, & doctissimo Patre sæpe à Gregorio Magno citato rationem desumpsit Francfordiense Concilium. Arguentis siquidem hæretico nil indiuiduæ naturæ humanæ, ac proinde neque humanæ personæ potuisse à persona verbi vnita ipsi in Christo consumi: quia subsistantia indiuidua per vnionem ad aliam indiuiduam subsistantiam destrui nequit: quare duas in Christo esse personas, æquè, atque duas naturas, sic respondet Concilium: *In Deo homine gemina subsistantia, sed non gemina persona est: quia persona personam consumere potest; subsistantia vero subsistantiam non potest: Siquidem persona res iuris est subsistantia res naturæ.* Neque audiendus est Bernal disputat.13. de Incarnatione sectio 1. §.1. Illud: *res iuris*, explicans de iure & debito naturali,

R.P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

quo substantialis modus per citatis substantiæ debeatur. Siquidem, quæ ita naturæ iure debentur res sunt, & dicuntur naturæ. Secundo: quia si modus ille substantia, & substantialis sit, licet naturæ debitus non consumetur per vnionem alterius ad ipsum iuxta Concilij, & Paschasij approbatam rationem: quod substantia substantiam consumere non possit. Nec magis refert, quod hic author addit: eam nempe rationem non esse à Concilio approbatam: quemadmodum neque à septima Synodo approbata fuit ratio illa à quodam eius Synodi Patre data ad probandum Angelos depingi posse: quia scilicet corporei essent. Nam ratio hæc audita tantum à septima Synodo fuit, omissáque potius, quam approbata; in nostro vero casu omnino à Concilio approbata censenda est. Idcirco eius rationis robur, vtriusque profundiori meditatione, sagacioríque indagine, vestiganda inferius à nobis est.

3 Nunc autem, quia de suppositio in communi, prout irrationalia coërcet, nihil fere à Patribus dictum est, sed solum de speciali suppositio rationali, scilicet persona, huius definitiones ex Patribus proferendæ sunt, vt inde de suppositio, & subsistentia in communi firmum aliquid, quod definiatur habeamus. Celebris autem, & receptissima est definitio Boëcij lib. de duab. naturis post init. sic aientis: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Inferiusque: *Naturæ rationalis indiuidua substantia.* Quam definitionem amplectuntur Patres citati certam. 1. Anselm. in Monolog. cap.76. post medium dicens: *Persona non dicitur nisi de indiuidua rationali natura.* Nyssen. de different. essent. & hypostas. suppositia indiuidua substantialia vocat, species vero naturas. Ac libri fine. *Hypostasion naturarum, subsistentiarum, siue substantiarum indiuiduarum differentiones*, sic etiam Basil. epist. 42. post init. Athanas. dial.1. de S. Trinit. contra Anomæ med. ferm. in Euang. de SS. Deipara tract. de definitionib. Iustinus expositio. fidei de Trinitate versus med. Chrysost. hom.5. de incomprehensib. Dei natura, Tharasius Constantinopolit. Concilio Nicæno I I. gener.7. profess. fid. sub init. Epiphan. hæresi 73. med. Cyrillus Alex.1. dialogor. de Trinit. med. Theodoretus dialog. immutabilis 1. col.1. & additionib. breuiarij libertati c.vlt.2. concilior. edit. antiquit. Damascenus de decretis 1. institutionis cap.2. lib.3. de fide cap.4. init. Nazianz. orat.21. de laudib. Athanasij col. penult. orat.32. ad 150. Episcopos post med. Elias Cretens. in eius orationem 1. num.24. & in orat.23. num.29. Anastas. Theopolitan. & Cyrill. Alex. compendiaria expositio. fidei versus med. Theorianus lege ad Armenos col.4. Epiphanius Diaconus 7. Synodo gener. act.7. circa finem §. *Nequaquam*, t.3. concil. Hugo Ætherian. 1. de hæresis c.11. & 12. qui omnes specie & quidquid singulare non esse naturam; indiuidua vera subsistantialia suppositia dicunt.

4 Cæterum Nazianzenus, Elias Cretensis, & reliqui post ipsos citati subsistentiam, siue personalitatem; aut personam appellant collectionem accidentium cuique indiuiduo subsistantiali propriam: nimirum edocti à Porphir. cap. de specie, vbi indiuiduum definit: *Cuius collectio proprietatum numquam est in alio eadem:* Ac proinde personam in collectione accidentium, seu proprietatum collocare tantumdem est, atque in subsistantia indiuidua constituere. Constat inde quanto iure Iustinianus Imperator in edicto fidei approbato à Vigilio Papa dixerit: *Sancti Patres constanter nos docent aliud esse naturam, siue subsistantiam, & aliud subsistentiam siue personam: & naturam quidem hoc, quod est commune significare, personam vero hoc, quod est speciale.* Quibus consonat Florent. sess.18. sub medium §. *diuina substantia*, definiens subsistantiam à persona differre vt communicabile ab incommunicabili, & vt à proprio commune. Prædictam personæ definitionem, scilicet, *rationalis naturæ indiuidua subsistantia*, defendunt Scholastici omnes ad vnum Hugo Victor. 2. de Sacrament. p.2. c.11. vers. fin. tract.1. erudit. summ. Theolog. c.9. post med. Magister in 3.d.5. vbi S. Bonauent. a.2. q.2. ad argumenta & in 1.d.25. vbi & S. Bonau. art.1. q.2. ac reliqui interpretes. S. Thom.1.p.q.29.a.1.q.75.a.4.

fine, Alex. Alen. q. 153. m. 3. Albert. q. 44. m. 2. Scot. in 1. d. 25. totáque & ipsius, & Thomistarum schola.

5 Licet autem Scotus dist. 25. q. vnica §. *ad quæstionem*, eam videatur impugnare, quia infertur inde animam separatam esse à persona: Tamen, neque id aliqui absurdum reputant; neque inde inferri existimant plures: & tandem Scotus ipse à formali subsistentiæ significato in prædicta definitione explicato nullatenus discordat; licet non satis explicari existimet nomine naturæ substantiam totalem, quam ex parte subiecti connotat formalitas subsistentiæ, & personæ; de quo quæstionibus sequentibus. Ricard. etiam Victor. ab hac receptissima definitione nonnullis recessisse videtur 4. de Trinit. cap. 21. obiicit enim naturæ diuinæ absque personalitatibus consideratæ eam definitionem conuenire: cum ipsa secundum se substantia indiuidua rationalis sit. Verum, cum cap. 23. initio suæ obiectioni respondeat naturam diuinam à personis præcisam perfectè indiuiduam non esse, cum sit ipsis communicabilis, à communi definitione posita non recedit: quin potius incommunicabilitate illa, quam ad suppositum, & indiuiduum substantiale necessariam admitti, particulam definitionis Boëtij *indiuidua substantia*, explicat magis, quam impugnat. Hinc constat definitionem personæ, quæ ex eodem Ricardo 4. de Trinit. cap. 17. fine cap. 18. 22. & 23. tanquam diuersa circumfertur, eandem prorsus esse cum communi definitione, quam ex Boëtio recitauimus, recipiuntque omnes. Sic enim habet definitio Ricardi: *Rationalis naturæ incommunicabilis existentia*: existentiæ quippe nomen sistentiam *e* vel *ex* siue *extra alium* in Ricardi phrasi significat, vt disp. 6. de Trinit. q. 1. cert. 1. ex ipso monstrabimus. Quod ipsum, si rectè intelligatur, nihil aliud est, quam ratio perfectæ, atque adæquatæ indiuiduationis, & singularitatis.

QVÆSTIO II.

Quidnam subsistentia supra naturam singularem addat?

DEFINITIO data subsistentiæ viuidam difficultatem sub vnum ponit obtutum. Cum enim Verbum naturam humanam, non communè quidem, & indiuiduatione præcisam, sed singularem, & indiuiduã assumpserit, sicut indiuiduum substantialis naturæ in Christo permansit, ita etiam humana persona, quæ iuxta definitionem datam, nihilo ab indiuiduo substantiali differt, videtur in Christo permanere. In explicanda ergo difficultate proposita, ac recepta personæ definitione totum præsentis quæstionis negotium est.

CERTAMEN I.

Priscorum hac de re opiniones confutatæ.

1 DVrandus in 1. dist. 27. q. 1. n. 3. & dist. 25. q. 1. & 2. num. 4. dist. item 34. q. 1. Henricus quod l. 4. q. 4. asserunt naturam indiuiduam, & suppositum, siue personam ex parte rei obiectæ non differre; addere tamen personam, siue suppositum supra naturam indiuiduam tantummodo diuersum modum concipiendi, siue secundam intentionem rationis. Contra: quia, cum secunda rationis intentio modusque noster concipiendi rebus prohibito nostro ponatur, auferaturque ex cuiusque arbitrio pendebit concipere in Christo Domino personas duas. Nec refert, si dicas id nullatenus cum fundamento in re fieri posse. Si enim ex parte rei obiectæ suppositum & persona idem ipsum, quod natura indiuidua substantialis est, quin aliquid aliud, siue positiuum, siue negatiuum ad personam addatur, quandiu indiuidua natura substantialis manet totum fundamentum concipiendi suppositum & personam, illúdque *ens rationis* confingendi ex parte rei obiectæ manebit. Ad hanc sententiam proximè videtur accessisse Bannez 1. p. q. 29. a. 3. d. 1. dicens: *Veritatem fidei, quod assumpserit* (scilicet Verbum) *naturam singularem, & non suppositum, optimè posse defendi cum sola distinctione rationis inter naturam & suppositum*: pro quo refertur Magister Victoria Barthol. Medina 3. p. q. 2. art. 2. Ledesma 1. p. q. 4. Alphonsus Salmer. tom. 2. tr. 27. dicens: *Reuersa sola ratione distinguuntur natura, & suppositum*. Licet hunc id tantum sentire existimem, quod Patres supra docebant de distinctione naturæ communis ab indiuiduo. Thomistas vero, qui de natura singulari & indiuidua expresse loquuntur argumento facto contra Durand. facile quiuis refellet.

2 Secunda sententia docet indiuiduum, vt persona sit, addere supra naturam singularem proprietatum, & accidentium quæ in nullo alio sit collectionem. Sic censet Valla citatus q. 1. cert. 2. atque August. Nif. nec displicet nostro VVadingo §. 4. fundatúrque in modo loquendi Patrum, quos dedimus cert. 2. n. 4. fine. Sed enim, vt bene ibi notauimus, Patres non assignabant pro formali & primaria distinctione personæ à natura singulari eam accidentium collectionem, sed pro indiuiduationis signo in qua quidquid positum, & intrinsecum persona dicit putabant supponi, vel continens: Quare nihil his Doctoribus Patres citati fauent. Vrgeo: Quia Verbum naturam humanam singularem cum omnium proprietatum collectioue, quæ in alia non sit, assumpsit: ac proinde iuxta hunc philosophandi modum natura humana Christi vnita Verbo persona remaneret. Contra tertiò: quia vel ea accidentia pertinent intrinsecè ad indiuiduã substantiam, vel non? Si pertinent; ergo, cum Verbum indiuiduam naturam rationalem assumpserit, ea etiam assumpsit accidentia: ac proinde personam assumpsit contra Patres & Concilia: si non pertinent, ergo persona, & suppositum non est indiuidua substantia, contra definitionem personæ. Contra quartò: quia accidens nequit esse constitutiuum substantiæ: sed persona adæquatè substantia, & quid substantiale est: ergo nequit collectione accidentium constitui.

3 Tertia sententia Thomistarum ait subsistentiam, seu personam addere modum, seu entitatem quandam realiter à natura singulari distinctam, quæ sit, vel ipsius existentia, vt volunt Capreol. Ægid. Palud. & alij, vel inter essentiam, & existentiam naturæ indiuiduæ entitas media, vt censent Caiet. Bannez & Ferrari relati à Cabrera 3. p. q. 4. art. 2. Cæterum opinio hæc communi ratione impugnatur: quia, vel modus, seu entitas ista est extra indiuiduam naturam, vel non? Si non est, ergo est in humanitate Christi: ac proinde in Christo suppositum, & persona humana erit; Si est extra indiuiduam naturam: ergo persona non est rationalis naturæ indiuidua substantia. Contra secundò: quia existentia reipsa nullatenus ab essentia differt. Contra tertiò: quia nequit dari natura particularis in rerum natura terminans actionem sui productiuam, quin in se existat intrinsecè; sicut sua entitate intrinseca terminat actionem, & extra causas ponitur; alioqui dari posset actio circa non existentia, & solum possibilia: ergo humanitas Christi in se habet intrinsecam existentiam, ac proinde modum illum existentiæ, vel præuium, vel identificatum: quare, & erit persona creata, & rationale suppositum in Christo. Denique, cum subsistens, qua tale, sit existens per se, nequit intelligi, quo pacto natura sit prius realiter existens per se, quàm sit formaliter existens, siue quin formaliter existat, vt volebant Thomistæ secundi.

4 Quarta sententia, vt vulgò putatur, Scoti locis datis cert. 5. quamplures ibi sectãtur, docet subsistentiæ ratione vniuersim compleri negatione vnionis naturæ singularis ad aliud suppositum. Hanc sententiam inefficaciter satis impugnãt plures. Sic ego refello, primò: quia explicat subsistentiæ rationê per seipsam, circulo nimirũ vitioso, vt contra alios vrgebo cert. 2. n. 3. Contra secundò: quia si subsistentia vniuersim ea negatione complean-

ergo subsistentiæ diuinæ ea etiam negatione complentur. Vnde infero primò: ergo Verbum vnitum naturæ humanæ non subsistit. Patet: quia habet vnionem ad naturam substantialem, cuius negatione constituebatur subsistentia Verbi. Infero secundò, nullam esse in Christo personam, quod æque, atque primum hæreticum est. Dices vnionem ad naturam non esse vnionem ad suppositum. Contra: quia vnio positiua ad negationem esse non potest ergo vnio possibilis, cuius negatione constituitur suppositum, & cuius positione perit, non potest esse ad negationem qua completur suppositum, sed præcisè ad naturam. Respondere posses pro Scoto diuinas subsistentias positiuis compleri secus creatas. Sed in primis Scotus generaliter loquitur de omnibus: Secundò in creatis adhuc satis vexabitur. Cum enim asserat naturam creatam aliena subsistentia creata terminari posse, idque debeat fieri vnione ad suppositum alienum, non apparet quo pacto ad negationem vnionis, in qua ratio suppositi consistit, possit vnio esse; si autem vnio ad naturam satis sit, vt ratio suppositi deficiat, quæ in eius vnionis negatione stabat, neutra substantia ex duabus vnitis subsistere poterit: quare terminatio creatæ naturæ per alterius creatæ subsistentiam erit contra Scotum impossibilis.

CERTAMEN II.

Celebris, & vulgatissimæ opinionis Recentiorum confutatio.

1 OB aliquas ex datis contra præcedentes modos impugnationes celebris nostro sæculo opinio inualuit: asserens subsistentiam supra indiuiduam naturam addere substantialem modum realem perfectatis, quo vltimo terminetur natura, atque in esse substantiæ compleatur, reddaturque positiue independens ab alio tanquam à suppositо. In hac opinione primum, & solum ex antiquis inuenio Argentinam; ex Recentioribus autem omnes. Vasquez 3. p. d. 31. c. 6. Suar. disp. 34. metaph. sect. 4. Valent. 3. p. q. 4. punct. 2. Fonsecam 5. metaph. cap. 8. q. 4. Rubius n. 1. physic. tract. de mat. q. 4. Ruiz de Trinit. disp. 32. sect. 5. num. 13. Zunnigam de Trinit. disp. 15. dub. 8. n. 2. Albertin. de prædicamento substantiæ cap. 3. q. 7. Petr. Hurtado. disput. 11. metaph. sect. 36. Arriag. disp. 4. sect. 11. sub sect. 2. Quiedo controu. 6. metaph. punct. 2. §. 3. Variæ tamen sunt huius opinionis explicandæ viæ, quæ auctores in plures, quasi semitas diuertunt, quas tribus certaminibus præcludam. Generaliter autem sic omnes quasi à capite impugno. Primò: quia hæc sententia Boëtij, Patrum, & Scholasticorum receptissimam definitionem personæ deserit; cum præter substantiæ indiuiduæ rem, & rationem entitatem aliam realiter diuersam ad suppositum constituendum adscisciit. Contra secundò: quia sine isto modo superaddito sola entitate indiuiduæ substantiæ, & negatione vnionis ad aliud, seu dependentiæ ab illa in sua existentia intelligitur indiuiduum substantiale per se, seorsim, atque independenter ab alio substantiali indiuiduo: ergo, vt sit per se, & independenter, ac seorsim ab alio modus superadditus superfluit. Dices modum illum debere assignari ad saluandum mysterium Incarnationis, ad defendendam in Christo suppositi diuini vnitatem in duabus naturis. Prædudetur satis effugium hoc, cum nostram proponamus sententiam; ibi enim constabit, quam facili negotio sine isto superaddito modulo veritatem duarum naturarum, & vnius suppositi in Christo, & à Patribus olim, & nunc à nobis defendi queat.

2 Dices secundò: indiuiduam naturam sine isto modo esse per se negatiuè, non positiuè: sicut quantitas separata Eucharistiæ sine modo perfectatis, vice vnionis ad subiectum, per se negatiuè est, non positiuè. Contra, primò: quia modum superadditum quantitati Eucharistiæ impugnat æquè argumentum. Contra, secundò: quia petit solutio principium. Nam esse per se positiuè, est habere eum modum: sed ex eo quod ad independentiam ab alio tanquam à suppositо, vel indiuiduo sufficiat negatio vnionis ad illud, contenditur non esse necessarium modum positiuum: ergo dum respondetur necessarium esse, vt sit per se positiuè redditur conclusio pro ratione. Confirmatur: quia, vt vlna sit per se, & seorsim ab alia, satis est existentia vlnæ, & negatio vnionis ad aliam: ergo, vt indiuiduum sit per se, & seorsim ab alio præter eius existentiam, & negationem vnionis ad aliud requiret nihil. Confirmatur secundò: quia, vt subiectum non sit album inferes male in eo esse nigredinem, vt non sit album positiuè: quia, facta etiam impossibili nigredine, sola ablatione albedinis subiectum non esset album: ergo superfluè inducis modum perfectatis in substantia, vt non sit alij vnita, seu coniuncta, sed seorsim ab illa, & per se: siquidem facto impossibili modo perfectatis sola ablatione vnionis ad aliam esset substantia non vnita alteri, per se, ac seorsim ab illa. Dices tertiò: Sicut ad hoc, vt accidens Eucharistiæ sit separatum à subiecto non sufficit, vt deficiat passio, quæ dependebat ab illo, sed requiritur alia actio, qua independens à subiecto consistat: ita, vt substantia indiuidua seorsim ab alia sit, non sufficit negatio vnionis ad illam; sed requiritur modus positiuus perfectatis. Contra: quia actio positiua quantitatis separatæ à subiecto non requiritur, vt separata existat, sed vt existat in se: quatenus influxus passiuus subiecti necessarius, & connaturalis ad existentiam quantitatis suppleatur concursu actiuo Dei maioris non secus, ac quando recedente igne, cum quo Deus simul calorem produxerat, vt se solo conseruet, maiorem adhibet concursum Deus. Quod si quantitas concursu solo, & eodem Dei, quo simul educebatur ex subiecto, sufficienter in se existeret, per negationem passionis subiecti diceretur independenter à subiecto existere, atque in eo genere esse per se.

3 Tertiò: non communicari, inhærere, aut terminari alia subsistentia indiuiduam substantiam, cum adest illi subsistentia propria, & effectus negatiuus, & secundarius: ergo alius primarius, & positiuus assignandus est ab his, qui subsistentiam in modo positiuo constituunt: nam effectus primarius formæ positiuæ negatiuus esse non potest, licet talis possit esse effectus secundarius: vt patet in forma equi, quæ primariò constituit equum, licet secundariò aliarum formarum substantialium negationes in materiam inducat: ergo nulla subsistentia assignari potest præcisè, vt non constituatur aliud suppositum cum natura, quam afficit, siue, vt hæc non sit in suppositо alio quin imo hoc satis causaretur ex impossibilitate subsistentiæ omnis positiuæ; sicut ex impossibilitate formæ leoninæ satis esset, vt materia non subesset formæ leoninæ. Impugno quartò: quia modus ille perfectatis non satis explicatur adhuc negatiuè quid sit. Nam si explicetur per independentiam ab alio tanquam à suppositо incurritur apertus circulus. Erit enim subsistentia, siue modus ille perfectatis modus constituens indiuiduam naturam incommunicabilem, seu positiuè exvnitam alteri suppositо: nempe, quod habeat modum, quo indiuidua ipsius substantia constituatur incommunicabilis, seu ex vnita alteri habenti modum similem: ergo modus iste explicatur per seipsum.

4 Si dicas cum Suar. reddi per illum substantiam incommunicabilem, etiam subiecto: dum incommunicabilitatem suppositо non excludas circulum in ea parte non vitabis. Contra secundò: quia incommunicabilitas, seu independentia à subiecto de facto est in humanitate Christi, in qua nulla formalitas subsistentiæ propriæ remansit, sed Verbi personalitate suppleta fuit. Dices eam independentiam positiuam à subiecto modi perfectatis suppleri per dependentiam à verbo, cui vnitur humanitas. Contra: ergo admittis influxum, & personalitatis propriæ in naturam paradoxè, & verbi in humanitatem periculosè. Hinc contra tertiò: dependentia, & communicatio alteri, vt subiecto nequit respondere humanitati Christi respectu verbi, à quo per Suar. influxu materiali non pendet: ergo eius independentia ab alio tanquam à subiecto, neque aboletur,

nec suppletur per vnionem ad Verbum. Contra quartò: quia dependentia à subiecto formaliter est causalitas, & passio præcedens existentiam naturæ substantialis: ergo nequit esse complementum. Et vltimus terminus existentiæ naturæ illius, vt ais de modo illo perfeitatis, quem, cum modum, & terminum naturæ indiuiduæ asseras, nequis pro priori naturæ ad existentiam substantialis naturæ collocare: quare neque naturæ substantialis existentiam ab eo dependentem asserere. Contra quintò: quia dependentia à subiecto est accidens: ergo independentia positiua quam subsistentiam vocas, cum contrariè opponatur dependentiæ, accidens esse debet, non modus substantialis, vt asseris.

5. Contra sextò: quia in Suar. opinione dantur partiales subsistentiæ, ex quibus totalis integratur: ita vt, cuius parti compositi substantialis, cuiusque pars subsistentiæ in eius opinione respondeat: ergo formæ materiales, immo, & earum vnio ad materiam, sicut partiales substantiæ sunt, partialem habebunt subsistentiam: atqui formæ materiales non solum non habent negationem dependentiæ ab alio tanquam à subiecto, sed potius habent positiuam dependentiam à subiecto: ergo, vel subsistentia in independentia, seu incommunicabilitate alteri, tanquam subiecto non consistit, vel non dantur subsistentiæ partiales. Denique materia, & rationalis animus, qui sine dubio creantur, sine modo positiuo perfeitatis, & subsistentiæ supperaddito à subiecto independent: ergo eiusmodi independentia ab altero tanquam subiecto effectus subsistentiæ non est. Hæc ferè omnia nostrum Augustinum Bernal, etiam in eo dicendi modo, quo se ab illis receperat, tangunt. Ait enim disp. 12. sect. 1. §. 1. n. 9. & 11. subsistentiam esse modum, quo esse substantiale completur, non vtcumque, sed constituendo cum natura substantiali concretum substantiale, v.g. homo, leo, &c. Sed si inquiras, quidnam homo, leo, & similia concreta substantialia supra naturam addant? aiet vltimo complere substantialiter naturam constituendo suppositum seu personam altero ex modis explicato: siquidem ex paite rei obiectæ homo ab humanitate, vt suppositum à natura differt: quo hic auctor incidit tandem in alios modos explicandi subsistentiam pluribus à se, atque à nobis non paucioribus impugnatos. Sed de eius sententia dabimus plura certamine quarto.

CERTAMEN III.

Cardinalis noster Ioannes de Lugo impugnatus.

1. CArdinalis de Lugo disput. 12. de Incarnat. sect. 3. n. 35. docet omni entitati creatæ annexum esse indigere aliquo, vt sustentaculo: hoc autem in accidenti, cum debilioris entitatis sit, esse modum essendi in alio ente completo; substantia vero accidenti opposita, licet sustentaculo egeat, non autem adeo fortè, scilicet entis alterius completi, sed ad summum materiæ, quæ, vt formam præcedit, non est hoc aliquid, ensve completum. Habet autem hoc sustentaculum substantia, vtpote perfectioris entitatis, per simplicem emanationem à se ipsa, ac proinde per se sustentatur, cum non sustentetur per aliquod ens extraneum: quare sui ipsius ens est, non autem entis alterius ens, sicut accidens. Ex illo autem modo, & sustentaculo, tanquam secundarius effectus, oritur incommunicabilitas alteri sustentanti: ita, vt nec diuinitus sic affecta natura, eiusve partes aliis naturis, vel compartibus vniri queant. Hanc opinionem refert ex aliis Petrus VVadingo disp. 4. §. 2. qui rem exemplo quercuum, & leguminum explicant. Ille quippe propter suum robur sine fatigatione se sustentans; hæc vero sine alterius adminiculo sustentare se nequeunt: quare hæc accidentium debilitatem, illa vero constantiam imitantur substantiæ. Contra, primò: quia, vel modus iste educitur, vel creatur; creari non stat cum emanatione à substantia ipsa, quæ, partialiter adhuc, creare principaliter nequit omnium sententia, imò, & instrumentaliter in plurium opinione. Educitur ergo, estque dependens ab alio: ergo nequit dare effectum formalem existendi per se naturæ, quam afficit: nil enim dat formaliter quod in se non habet, vti ad rem hanc iam pridem arguebat. Rubion. Dices esse per se *vt quo*, illum modum licet per se non sit *vt quod*: sicut diuina processio identificata cum Patre, vel Paternitate non procedit *vt quod*, licet sit id, quo Verbum procedit, quia solum est procedens *vt quo*. Bene: ergo non est opus, vt modus iste perseitatis sit formaliter substantia. Patet id, quod non est formaliter per se, potest esse constitutiuum formale substantiæ, seu naturæ, vt per se sit: ergo, quod per se non est substantia potest esse constitutiuum substantiæ, siue substantia *vt quo*, licet sit accidens, & non substantia, *vt quod*. Si dicas effectum naturæ completæ esse effectum formæ intrinsecè se communicantis, & se ipsa constituentis substantiam: quare formam eiusmodi substantiam esse debere, *vt quod*: idem dicam de modo constituente suppositum, seu naturam per se: est quippe forma se ipsa constituens substantiam completam, & per se, quare, nisi ipsa per se sit, nequibit suppositum, seu substantiam per se constituere.

2 Hæc generatim contra modum perseitatis vrgent. Contra specialiter secundò: quia natura indiuidua Petri, vel Angeli de se habet ita esse in se, & per se, vt non possit vniri alteri indiuiduo: ergo non habet id per modum superadditum. Respondet Lugo: naturam indiuiduam de se habere non vniri alteri naturaliter, modulo autem perseitatis habere non posse alteri vniri adhuc supernaturaliter. Contra primò: quia natura indiuidua Petri de se ipsa ita est per se, vt nec diuinitus possit vniri naturæ indiuiduæ Pauli: vulgo enim vnio duarum naturarum iudicatur impossibilis. Sed, quoniam vulgari huic iudicio non acquiesco, contra secundò. Positis etiam modulis possunt diuinitus vniri naturæ eædem, imo supppsita ipsa constituta ex naturis & modulis perseitatis; alioqui ostende, precor, maiorem implicationem in vnionibus modorum, & suppositorum, quam in vnione duarum naturarum, si potes. Etenim, vel vnio, & perseitas tua se habent vt habitus, & priuatio? & hæc est sententia Scotistarum tuæ. oppositæ: vel, vt duo modi positiui, & oppositi? & hoc, vt summum probat alterum alterius negationem in natura, quam afficit exigere: cum autem vterque à Deo liberè in sui effectione, & conseruatione pendeat, ecquid Deum prohibebit exigentiæ modi perseitatis non annuere, & vnionem simul producere, vel simul cum modo perseitatis conseruare? Vrgeo in natura diuina, quæ de se ita est per se, vt inunibilis sit alteri ad componendum, quatenus præcedit suas personalitates; illis autem vnibilis fit ad componendum cum natura creata, vt in Verbo Incarnato patet teste Lugo. Respondet tamen hoc probare contra omnes naturam diuinam præcisam à personalitatibus esse personam. Sed de se suaque sententia curet: in nostra enim nullatenus aliquid, quòd obstet, probari constabit cert. 5. Respondet ergo naturam diuinam præcisam à personalitatibus esse per se radicaliter, non formaliter: sicut omnipotentia, licet non sit ignorantiæ, aut r..tationis capax, tamen per se non est formaliter immensa, seu omniscia, sed per immensitatem, & omniscientiam formaliter ab ipsa diuersa. Contra primò: quia erroris, & mutationis incapacitas, quæ est in natura, vel omnipotentia formaliter sumptis, non datur illis ab omniscientia, & immensitate, licet effectus alij formales omniscientis, & immensæ tribuantur ipsis: ergo ad eam incapacitatem tribuendam nequit assignari pro forma aliquid formaliter ab omnipotentia, seu natura diuina diuersum: atqui tota ratio suppositi, & personæ stat in hoc, quod subsistantialis natura habeat fundamentum positiuum inducens incommunicabilitatem, seu negationem capacitatis essendi in alio: ergo, cum hoc habeat de se natura diuina præcisa per te, certe id à personalitatibus non habet.

3 Contra

3 Contra secundò: quia natura diuina non ita est per se, & vltimo terminata personalitate, vt reddatur incommunicabilis alteri supposito, seu composito suo modo, à quo, & in quo suo modo sustentetur, ergo subsistentiæ ratio non stat in ea terminatione, qua ita per se reddatur subsistantia, & natura, vt nequeat esse in altero supposito, vel composito. Antecedens patet: quia natura diuina subsistens personalitate Patris non est incommunicabilis identice personæ, ac personalitati alij: quinimo ea personalitate natura diuina fit positiuè communicabilis personis, Filij primùm, atque exinde Spiritus sancti. Dicet aliquis primò naturam diuinam posita personalitate non esse communicabilem alteri personæ per vnionem physicam. Sed hoc impugnatum proximè est: nam eam incommunicabilitatem per physicam vnionem, ad personam habet de sese natura diuina à personalitatibus præcisa. Contra secundò: quia incommunicabilitas, quam habet ad intra natura diuina, & quæ respondet communicabilitati, per physicam vnionem naturæ creatæ, est communicabilitas identicè, ac proinde hanc auferre deberet personalitas diuina à sua natura: sicut à natura creata aufertur communicabilitas alteri vnione physica, per personalitatem in tua sententia. Contra tertiò: quia personalitate diuina redditur potius natura diuina communicabilis per physicam vnionem, vt patet in Verbo Incarnato. Dices non esse communicabilem alteri, vt suppositi. Præcluſi hoc suprà. Contra secundò: quia, si suppositi ratio in solo positiuo consistat, etiam in creatis non ostendetur implicatio vnionis ex parte suppositi, vel creati, vel diuini, vt supra etiam vrgebam. Respondebis secundò: tres subsistentias diuinas esse adæquatum terminum naturæ diuinæ, sicut vnica est terminus adæquatus naturæ creatæ. Contra tamen est: quia viam munis ad negandas tres personas adæquatas, & completas in diuinis, vnamque tantum admittendam non sine errore. Nam persona adæquata, non nisi adæquata subsistentia, & personalitate naturæ constituitur: vt patet in subsistentiis partialibus animi rationalis, & materiæ, quarum neutra sola personam adæquatè constituit, non solum ex defectu totalitatis subiecti, sed etiam totalitatis formæ, & personalitatis. Respondet Lugo sect. 4. per subsistentiam ita sisti in se, & per se naturam, vt non sistat in alio: cum quo, inquit ille, non pugnat, quod pluries modis pluribus sistat in se: sicque contingere in diuina natura. Contra: quia per se subsistentia ita per se constituit naturam, vt ipsam sufficienter, & adæquatè sustentet, si adequata sit, atque vltimo terminet in esse subsantiali: sed cum hoc pugnat, quod alterius egeat sustentaculo, aut termino: siquidem prima subsistentia Patris non esset adæquatum & sufficiens sustentaculum, vltimusque terminus naturæ, atque (vt tuis verbis loquar) murus, ne vlterius natura progrediatur.

4 Vrgeo denique: quo perfectior est subsantia, eo maioris constantiæ erit, paucioribusque fulcris egebit in tua doctrina: sed subsantia diuina immensè perfectior est creatis: ergo paucioribus fulcris, quàm creata egebit, vt sustententur: ergo vnica etiam subsistentia satis superque fulcietur, & sustentabitur; imò nulla: siquidem creata subsantia constantiæ, seu consistentiæ longè minoris vnica sufficienter sustentatur per te. Atque hinc vuiuersalius euertitur totus horum Recentiorum discursus: quia, si ratione debilitatis maioris accidentium datur fulcrum inhærentiæ, siue receptionis in alio, atque ob robustiorem entitatem substantiæ negatur ipsi inhærentia, siue receptio in alio, datúrque illi esse in se, & per se: ita etiam hoc debet subsantiæ dari, vt per suam entitatem, non autem per modum superadditum adhuc ab ipsa emanantem, in se, & per se existat. Nam, si eget subsantiali fulcro, vt sustenretur, non minus illi innititur, atque ab illo sustentatur, quam si ab alio sustentaculum præberetur: sicut nec claudus, ac debilis homo fortior existimari debet, cùm baculo propio, quem ipse fecit, innititur, quàm cùm alterius baculo, aut brachio sustinetur. Hoc ipsum suadet Recentiorum exemplum quamuis nimis crassum de arbustis, & leguminibus. Quòd vero ad discrimem sustentationis accidentium in alio ente completo, non autem formæ substantialis attinet, nominis tantum discrimen est. Nam siue pars, siue totum sit, cui entitas accidentalis, cuique subsantialis innititur, æque vtráque innititur, estque in alio, siue vnitiuè, siue receptiuè: quare Aristot. & Philosophi penes inæqualitatem essendi in alio, siue receptiuè, siue vnitiuè eas formas non distinxere, sed quia accidentia sint in alio, *& non vti pars*, id est, vti componens totum subsantiale, sicut formæ substantiales componunt. Adde formam accidentalem, neque vniri, neque recipi physicè in toto, sed in materia prima, vt contra Thomistas politior philosophia iam tenet. Solùm ergo sunt accidentia in toto denominatiuè, & prædicatiuè, quia de toto composito prædicantur. Denique esse per se, & esse in alio sunt differentiæ naturæ substantialis completæ in esse naturæ, & naturæ accidentalis, non autem suppositi, & non suppositi differentiæ: quare male inde differentia suppositi subsantialis à natura indagatur.

CERTAM. IV.

Petri VVadingo, & Augustini Bernal opinatio subuertitur.

1 NOster Petrus VVadingo de Incarn. disp. 4. dub. 3. §. 3. atque August. Bernal disp. 12. de Incarn. à §. 2. docent modum perseitatis naturæ indiuiduæ ad personam additum esse independentiam in suo fieri ab alio supposito. Ad id autem supponit vterque actionem, qua res ab alio dependens producitur, esse vnionem rei ad ipsum. Hinc aiunt Christi humanitatem personam non esse, quia producta est dependenter à supposito Verbi, cui actione eadem qua fiebat formaliter vniebatur. Probant primò plurium Scholasticorum inutili, atque ab eorum mente distorta allegatione. Secundò plurium Patrum & Conciliorum testimoniis. Concilium quippè Alexandrinum epist. contra Nestorium 10. inter Epistolas Cyrilli Conc. Ephesin. tomo seu parte 1. cap. 12. Calcedon. act. 1. sub init. Constantinopolit. 2. quòd est generale 5. collat. 6. post init. Contra Nestorium definiunt Christi humanitatem vnioni ad verbum minimè perdurasse: rationémque his verbis reddunt: *In ipso vtero carni vnitum* (Verbum) *sustentasse dicitur generationem carnalem, tanquam propriæ carnis generationem, propriam sibi faciens.* Leo Pap. I. epist. 11. decret. ad Iulian. eundem errorem in Eutychete damnans ait: *Non sic assumpta est* (caro,) *vt prius creata, post assumeretur; sed, vt ipsa assumptione crearetur.* Quæ verba sunt etiam August. contra Sermonem Arrianorum cap. 8. initio. Ioannes insuper Papa II. epist. 3. decretalium de duabus natur. ad Illustres viros Auienum Senatorem, & Liberium circa finem, quæ extat tom. 2. Decret. & tomo 2. Concil. part. 1. post eius vitam. & tomo 4. Bibliot. ac tandem tomo 7. Baronij anno 534. sic scripsit: *Non autem existente carne, & postea vnita verbo sed ab ipso verbo initium, vt esset, accipiens ex materno corpore sumpsit initium.* Quibus consonat August. satis vulgatis verbis illis ex cap. 36. *Inde cœpit, & inde incœpit, & susceptione factus est.* Ex quibus ita Bernal sect. 2. §. 2. & 3. discurrit: Verbum sustentauit generationem carnis, atque natura humana cœpit ex Verbo, suique initium ex eo sumpsit, ipsáque assumptione creata, factáque est: ergo eius fieri est ipsissima vnio pendens à Verbo. Confirmatur: quia hoc modo intellectis horum Patrum argumentis vrgentius refellitur error Nestorij, & Eutychetis asserentium præextitisse Christi humanitatem suæ assumptioni, & vnioni ad Verbum, si neque

prius

prius natura extiterit ante suam vnionem ad Verbum humanitas, sed ipsa vnione, & assumptione fuerit producta.

2 Valde Metaphysicos vult hic Recentior Patres, & Concilia: maximè cum eius opinionis de identitate vnionis formæ cum eductione, cui tota hæc moles innititur, se inuentorem iactet. Porrò Conciliorum & Patrum verba tunc rectè explicantur, cùm eorum in illis proferendis institutum attenditur. Cùm ergo solùm contendant Patres humanitatem Christi suæ ad Verbum vnioni minimè præextitisse, eorum verba de simultate temporaria, non autem naturæ, planius, plenius, syncerisque intelligenda sunt. Adde: ibi non dari rationem à Conciliis, & Patribus definiendi contra errorem, sed errore negato in antecedentibus, quæ breuitatis causa reticemus, asseritur immediatè oppositæ propositio: non quidem addita particula *quia*, quæ aliquod rationis in sequentibus subiungendæ vestigium, neque satis clarum, & firmum foret; sed addita, atque interiecta particula aduersatiua *sed*. Ad hæc: non ea ex quibus certiori consequentia error conuincitur assumpta à Patribus ad illum confutandum dicenda statim sunt, si eiusmodi sint, quæ non satis firmitatis sed debilitatis potius habeant. Ecce in re præsenti bona consequentia contra Nestorium, & Eutychetem foret: Humanitas Christi non existit formaliter, nisi per existentiam Verbi: ergo humanitas Christi nullatenus præextitit vnioni suæ ad Verbum. An admittat Bernal eam rationem, & confutationem erroris huius dignam Patribus, ab eisque assumptam in testimoniis citatis fuisse? Negabit, ille quidem: quia illud principium Thomisticum exhorret. At verò eum sensum testimonia capiunt; plures item Patres, quos pro se refert Bernal, pluréque alij, quos statim referam ex VVadingo, aiunt humanitatem Verbo inexistere. Non ergo ex sola consequentiæ energia, sed ex firmitate etiam antecedentis bona, Patribúsque digna erroris confutatio censenda est. Cùm ergo tam sit debile principium illud de identitate productionis humanitatis dependenter à Verbo, cùm vnione ad ipsum, vt iam ostendam, fusiúsque in Physices monstraui, ne velis illud à Patribus contra præfatum errorem assumi, ne solutiones faciles hæreticis ministres.

3 Plures item Patres refert VVadingo asserentes humanitatem Christi Verbo inexistere, fuisseque ipsius instrumentum, à Verbóque sustentari: plures etiam Bernal asserentes eandem fuisse acceptionem carnis, & conceptionem actiuam virginalem, vt loquitur sæpè Fulgent. de Incarnat. & gratia cap.2. fin. cap.3. initio cap.6. ac de fide ad Petrum cap.18. August. & alij. Sed illud de inexistentia humanitatis in Verbo, ac de instrumento facilem habent germanúmque explicatum adhibendum cert.5. pro opinione nostra. Extrema loca, cum ad idem institutum, atque prima prolata à Patribus sint, eandem explicationem habent fortasséque meliorem quæst.seq.dandam. Sed age iam sententiam istam rationibus reiiciamus. Rogo primò an actio hæc independens, vel dependens à supposito, substantia, vel accidens sit? actionem, quæ substantia sit nemo ferè hactenus nouit: quæ verò sit accidens, quo pacto substantiam inesse substantiæ, suppositúque substantialis constituat & compleat? Vt, vel ipsi contra eos, qui subsistentiæ rationem in accidentibus aliis cóllocabant argumentantur. Secundò: quidquid de hoc sit, ad prædicamentum actionis pertinebit, si vere est actio: quare ex rebus diuersorum prædicamentorum vnum per se contra omnes Doctores constituetur. Contra tertiò: quia formæ eductio vnio ipsius ad subiectum esse non potest: cùm vnio formalissimè vtrumque extremum supponat, eductio vero alterum ponat, atque existere faciat, vt latius persequebar in physicis. Contra quartò: quia complementum actuale substantiæ, substantiæ existenti debet aduenire, sicut & accidenti existenti complementum ipsius: ergo substantiæ existentiam debet supponere subsistentia, quæ ipsius complementum est: actio autem quæuis, siue pendens, siue independens à supposito, est naturæ substantialis positio: quare illam existentem supponere nequit. Neque assumptum Bernal sect.1.§.3.num.33. Si enim omnium opinione creatio se ipsa ponit terminum independentem à subiecto, quin illum existentem supponat: cur actio independens se ipsa à supposito, seipsa etiam illum à supposito independentem non ponat, quin supponat existentem? Complet igitur actio illa independens naturam ipsam producendo, & producit complendo: sicut, omnium etiam opinione, Verbi productio ipsi realiter identificata productio, & personalitas, seu personale complementum ipsius est.

4 Cæterùm exempla ad rem non sunt. Nam productionem passiuam personalitate Verbi contineri, actiuam verò Patris personalitate, imò eis, adhuc inadæquatè, constitui Patrem, & Verbum antiquiores, nec satis solidæ Theologiæ est, quàm multis, atque discursu hoc nostro inprimis disiecimus controuers. de Trinitat. disput.3.6.& 7. Sed neque exemplum primùm est. aptius. Nam independentia ab alio tanquam à causa ad idem signum pertinere debet, ad quod dependentia opposita: ergo, sicut dependentia pertinet ad signum actionis, quæ effectus existentiam non supponit, sed facit: ita & independentia, ad illud signum actionis independentis debet expectare, ipsique actioni identificari; at modus existendi per se independenter à supposito, & non à subiecto, qui existentiam rei supponere debet extra omnes suas causas, opponitur formaliter modo existendi in alio, tanquam in supposito, qui modus vnione formaliter præstatur, ad illud ipsum instans debet pertinere ad quod vnio ad suppositum aliud spectat: nequit autem vnio pertinere ad instans actionis productiuæ, quod est ante existentiam effectus: ergo neque modus independentiæ à supposito pertinebit ad instans actionis, ac proinde; nec poterit cum actione identificari. Secundò: modus independentiæ, seu incommunicabilitatis alteri, vt supposito, est complementum actuale existentis per se: neque enim concipi potest actu compleri rem non solum, quæ non existat, sed quæ non suppouatur existens: quia nequit intelligi aduenire complementum actuale rei mere possibili, sicut rei meræ possibili ipsius existentia & fieri intelligitur aduenire. Denique confirmatur assumptum ex Bernalis doctrina: ipse enim §.4.n.40. probat actionem productiuam vnionis continuatiuæ partiũ materiæ per se pẽdere à partibus materiæ, quia vnio, qui eius terminus est pendet à partibus materiæ: ergo de conceptu vnionis est dependentia à partibus, quas vnit: ergo, & supposito existentiæ earum erit de conceptu vnionis. Hæc omnia præ sua claritate, & certitudine probatione non egere ait Bernal proximè num.98. & bene quidem. Sed ex eis contra ipsum infero: ergo nequit realiter identificari vnio cum actione, quæ essentialiter extremum facit, ac non supponit.

5 Impugno quintò: vel illa dependentia actionis productiuæ humanitatis dependenter à Verbo dicit influxum Verbi in actionem, & humanitatem actiuum, aut receptiuum specialem, vel solum puram terminationem vnionis humanitatis ad ipsum, seu actionis, qua formaliter ipsi vnita humanitas producitur? Vtrumque falsum: singulatim probo. Primùm contra VVadingo, qui prior rem hanc meditatus, admittit influxum specialem, propriúmque Verbo, ac non communem Trinitati ad humanitatis vnitæ existentiam, quem passiuum, seu receptiuum humanitatis dicit dubio 4. citato §.3. Id quod nihil inauditum continere præmiserat §.2. num.54. siquidem noster Granados 1.p. quæst.12. disp.5.& 7. cuiuis personalitati diuinæ specialem influxum per modum speciei impressæ, præter generalem omnibus personis communem, in visionem beatificam concedit. Sed contra: quia specialis influxus personalis non benè sonat in Theologia: nihil enim

enim influxiuum ad extra formaliter in Diuinis est præter omnipotentiam: sed personalitas formaliter omnipotentia non est: ergo neque influxiua ad extra est: Maior est axioma theologicum, quod Granad. abiecit, vt ex Thomistico præiudicio defenderet speciem Dei impressam creatam implicare contra communem sententiam, atque apertam Sancti Thomæ, vt latius ostendi in controuersiis de anima contra. de speciebus. Contra secundò: quia in Deo nulla ratio assignari potest limitata, & qua maior in suo genere excogitari augeri possit: sed actiuitas illa personalitatis, siue ad visionem, siue ad sustentationem naturæ esset limitata in genere actiuitatis ad extra: ergo nequit in Deo assignari. Contra tertiò: quia influxus ille, prout à Verbo, vel egeret formaliter influxu Dei generali, vel non? Si non egeret: ergo daretur operatio ad extra specialis vnius personæ, nec toti Trinitati communis. Si egeret: ergo ea actiuitas esset formaliter subordinata causæ primæ, & vniuersali, indigáque iuuamine alterius: quæ contradicunt actiuitati increatæ, vtpote imperfectiones creatorum agentium propriæ. Quod verò addit de materiali concursu, & receptione, magis adhuc dedecet Verbum, quod non minus intrinseca illa vnione sustentatiua, & receptiua mutaretur, quam materia eductione, & passione materialis formæ ex ipsa. Mitto alia quæ malam philosophiam de materiali influxu in Vuadingo supponunt.

6 Decentius quidem, sed inconsequentius etiam, nostræ interrogationi respondet Bernal, qui secundum illius membrum elegit, negans expresè sect.4.num.98. specialem Verbi influxum, siue actiuum, siue receptiuum in humanitatem, eiusque actionem, solamque dependentiam humanitatis, & actionis à verbo, tanquam à termino vnionis, seu actionis admittens. Inconsequentius quidem loquitur. Cum enim ipse contendat sustentationem humanitatis à Verbo, atque inexistentiam ipsius in Verbo à Patribus assertam, non nisi per dependentiam, quæ sit diuersa ab extrinseca terminatione humanitatis, siue vnionis ad Verbum, intelligi posse, aliquid aliud dependentiæ à Verbo præter terminationem assignare debet in humanitate, eiusque actione: alioqui nil aliud, quam Doctores omnes dicit. Nam eam dependentiam latam, tanquam à termino, cui vnitur humanitas, omnes admittunt, & ipse ad Patrum locutiones adductas defendendas insufficientem appellat: ergo ipse, vel actiuam, vel receptiuam, vel aliam denique, quam nullus somniauerit, neque ipse explicet, dependentiam humanitatis à Verbo tenetur admittere. Ad hæc: in actione, qua actio est, immediata dependentia, siue à priori, tanquam principio per se requisito ad ipsam, siue à posteriori, tanquam ab eius termino intelligi nequit, nisi à principio efficienti, aut passiuo, vel ab effectu producto, quorum nihil est verbum respectu actionis productiuæ humanitatis: extrema enim vnionis principia immediata actionis non sunt, nisi vnionis ipsius sint vel subiecta, vel agentia tametsi eorum existentia requiratur vt sit vnio, ac proinde illa remotè actio vnitiua supponat.

CERTAMEN V.

Proprium, ac verum ex Patribus & Scholasticis subsistentiæ, & personalitatis iudicium.

1 DIcendum primò nobis est subsistentiam, prout subsistentiæ rationalium, & irrationalium, communis est, ab individuo totali, & adæquato naturæ substantialis nullatenus differre: duóque proinde includere, & intrinsecum individuæ naturæ, & extrinsecum negationis essendi partẽ. Probatur primo ex definitione personæ tradita à Boëtio, recepta à Patribus, propugnata ab scholasticis. Ea vero sic habet: *Persona est rationalis naturæ individua substantia*, atque vniuersalius ex definitione suppositi, nempe: *individua natura substantialis*, vbi per individuam substantiam, siue naturam omnis communicatio, siue metaphysica, siue logica, siue physica negatur de persona: ac proinde duplex ille conceptus substantiæ singularis, & negationis essendi partem in alterius compositione apertè includitur: nam, quod pars individui in aliquo genere est, simpliciter, & absolutè individuum illius generis non est. Probatur secundò ex rationibus, quas Patres reddebant Nestorianis, & Eutychianis contendentibus in Christo personam humanam remansisse, si mansit natura humana singularis: quibus respondebant Patres non mansisse personam manente natura humana singulari: quia hæc non erat individúum absolutè, siue totale, & adæquatum naturæ illius, cum esset in Verbo, vt pars componens. Audite præclara verba Sancti Theodori Carien sis Episcopi, qui Nestoriano cuidam ita respondebat tomo 9. Bibliot. *Nec satis est ad rationem hypostasis esse naturam compositam cum proprietatibus: sed oportet non esse partem. Quia igitur corpus animatum assumptum est pars Christi, idcirco non est hypostasis.* Eandem rationem reddunt Rusticus Diaconus tomo 6. Bibliot. nouæ, Athanas. in duce viæ cap.2. Maximus epist. ad Georgium, aliique Patres, ex quibus nonnullos, dum pro maiori claritate partis essentiam explicem, recitabo. Est ipsissima Sancti Thomæ sententia in 3. distinct.6. quæst.1. art.2. ad 5. vbi ait: *Hoc, quod facit coniunctum ex anima & corpore esse hominem, non est præter animam corpus, & vnionem esse aliquid positiuè: sed ex hoc ipso, quod compositum ex anima, & corpore non admittitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur, quod coniunctum sit homo. Vnde si Christus humanam naturam, quam assumpsit, deponeret, ex hoc ipso esset homo illud coniunctum.* Repetit 3.part. quæst.2. art.3. ad 2. sibíque constans q.9. de potentia artic.1. ad 4. scribit: *Substantia ex hoc dicitur subsistere, in quantum non est in alio*, 1. contra Gentes cap.25. *Esse per se in substantia non videtur importare nisi negationem tantum: dicitur enim ens per se ex hoc, quod non est in alio.* Hinc, quia essentiam, & speciem cuiuslibet Angeli immultiplicabilem iudicat, ac proinde essentialiter individuam docet: *in substantiis immaterialibus suppositum cum essentia est idem.* Quia vero pars physica esse potest, licet non metaphysica, subintelligenda est negatio assumptionis substantiæ spiritualis ab alia: eam quippe necessariam dixit ad rationem personæ Angelicæ Doctor Angelicus 3.p.q.4.art 1.vbi ait naturam Angeli assumptam à Verbo naturam fore, non personam; quia assumptione amitteret totalitatem.

2 Ex aliis huius sententiæ Patronos recensere longissimum esset. Noster VVadingo disp.4. de Incarnatione dubio 2. numero 47. ex antiquis à se attentè perlectos non minus triginta, & octo Doctoribus refert, qui sine aliqua entitate superaddita individuæ naturæ; sola negatione essendi partem suppositum, & personam constituent. Est expressa Scoti sententia in 1. distinct.23. quæst.vnic. §. *ad quæstionem*, distinct.25. quæst. vnica in 3. dist.1.quæst.1.art.3.dist.6.quæst.1.& quodlib.9. quæst.,.... art.3. Bassolidis in 3. quæst.1. artic.1. Maironquæst.11. notabili penultim. Henric. supra citati omniúmque Scotistarum, vt videre licet in Philippo Fabro distinctionibus citatis. Insuper eiusdem Henrici quodlibet. 4. quæst. 4. Okam in 3. distinct. 1. artic.3. column.3. distinct.2. quæst. 1. column. etiam 3. Gabr. ibidem artic.1.sub init. & in 1.distinct. 23. quæst. vnica articulo 1. fine, & articulo 2. & 3. Neque aliud fortasse voluere Durand. & alij relati certamine 1. pro prima, secunda, & tertia opinione. Ita etiam censebat Richardi citatis locis quæst.1. cert. vltim. dum personam definit. *incommunicabilem existentiam*, quod sola negatione formalis coniunctionis habere potest, cum qua sola coniunctio absolutè pugnat. Ricard. etiam in 3. dist.6. q.1. Ex nouioribus ita expresè sentiunt Lelius Cæachius de Incarnat. cap.2. Carba Ialus in 1. sentent. cap.50.

Canarienſis q. 29. 1. p. art. 4. ad 3. Molin. ibidem art. 2. diſp. 3. column. 4. §. *age*, Vuadingo loco citato. Iure igitur optimo Recentiores Theologos miremur ſemper, numquamque demiremur, qui difficultati de perſonæ vnitate, & pluralitate naturarum in Chriſto componendæ neceſſarios prorſus modulos ſuos perſeitatis venditarunt: cùm, *tunc* etiam, quando bellum ab hæreticis in Eccleſiam ingruebat, ipſiſque ſatisfieri opus erat, ac proinde Deus Patribus, & Doctoribus veritatem, & ſolutionem inſpirare tenebatur, nihil partes de iſtis modulis cogitarint, neque in Scholis tot poſt ſæculis fuerint auditi, ſed ſolida ac vera hac ſua, noſtráque doctrina ab huiuſmodi difficultate ſe expedierint: & nunc (ſi Deo placet) cum, nec bellum in Eccleſia eſt, atque omnino enervata eſt difficultas, moduli iſti pro lite quinquaginta ab hinc annis nati iam diu compoſita dirimenda otioſè, noſtris Theologis illuxerunt; vel inde ſatis reiiciendi, quod eorum explicatio adeò ſit difficilis, vt illi planè ſuccumbant ipſius defenſores Petrus Hurtado, & nuper Ouiedo citato loco n. 18.

3 Sed explicari vlterius oportet, quid in natura, ſeu entitate quauis partiali ſit partem eſſe. Vulgo exiſtimatur rationem partis actualis in actuali vnione ad aliud conſiſtere; ego verò plura exiſtimo vniri actualiter poſſe inter ſe ſe, quin partes actu ſint. Sic rebus diuerſi prædicamenti vnio à Philoſophis non negatur, & tamen negatur illis vnum per ſe conſtituere: ac proinde, & eſſe partes vnius per ſe. Si enim vnione illa actuali partes fierent, vnum per ſe proculdubio conſtituerent. Addit igitur ratio partis eius ab alio perfectibilitatem, in qua præter entitatis vnionem ad aliam, dependentiam ab vnione in ſui exiſtentia, ſiue actuali conſideretur, ſiue aptitudinali *in partibus integralibus totius homogenei*, quarum eſſentia, cum indifferens ſit, vt partes ſint, vel tota, earum exiſtentia ab vnionis cum aliis exiſtentia non pendet: quia earum eſſentia, & exiſtentia illam determinatè non expoſcit, ſed diſiunctim, vel vnionem, vel eius negationem, ſeu totalitatem; in partibus autem eſſentialibus dependētia ab vnione actuali ad aliam compartem inuenitur; ita, vt natura ſua in ſe eſſe nequeant quin alteri comparti vniantur, aliudque componant: quare neque exvnitè prorſus conſeruari à Deo connaturali prouidentia poſſunt. Atque ea ſanè facillima ratio eſt, cur materia prima naturaliter ſine omni forma nequeat in rerum natura exiſtere. Cum enim iuxta naturæ ſuæ exigentiam connaturalem naturaliter exiſtat, ac conſeruetur, neque aliquid naturale ſit, quod illius exiſtentiam expoſcat, vel tanquam agens, vel tanquam diſpoſitio, ſublata vnione ab omni forma naturaliter deficeret, cum eſſentia ſua pars ſit: ac non niſi libere ex fine alio ab eo, quo primò à Deo extiterat, perduraret: ac proinde ex vi decreti connaturalis, quo prius conſeruabatur, abiret in nihilum. Quæ verò, nec partes eſſentiales natura ſua ſunt, neque integrales homogeneæ, ſed natura ſua ſunt entia totalia, ſicut natura ſua ad componendum ordinata non ſunt, ita independenter ab omni vnione exiſtentiam ſuam habent; vnde quamdiu independenter ab vnione conſeruantur, tandiu exiſtentiam habent totalem; licet per accidens eorum entitatibus, atque exiſtentiis vniri inter ſe contingat, ex libera nimirum Dei voluntate, quæ ex alio fine producta, aut conſeruata ad vnionem diuertit. Sin autem hæc eadem, quæ natura ſua exiſtere independenter ab vnione petunt ex libero ſuo decreto ita Deus producat, vt dependenter tantum ab vnione ad aliud exiſtere velit, iam accidentaliter ad modum partium eſſentialium ex libera Dei voluntate exiſtunt, partialemque ſubinde exiſtentiam ſortiũtur. Etenim, licèt totales de ſe naturæ ſuopte ingenio, neque vnionem ad aliud exigant, quam potius exhorrent, neque indifferentes ſint ad vnionem cum alio, in quo à partibus, etiam homogeneis, diſcordant; tamen capacitatem paſſiuam obedientialem habent, ad vnionem cum eo, à quo perfici diuinitus ſaltem poſſint, reſpectu cuius quid perfectibile, & partiale ſunt; quia verò vnionem cum illo nec determinatè, neque diſiunctim natura exigunt ſua, vt partium inſtar eſſentialium, quas in compoſitione actuali imitantur, ſe gerant, dum actu componunt extrinſecos ſe Dei decreto inclinationem ad ſui perfectiuum, atque vnionem cum ipſo habere debent, recipiendo nimirum à Deo exiſtentiam in ordine ad vnionem cum illo atque dependenter ab illa. Vel ſaltem ita à Deo donari illi exiſtentia poteſt.

4 Dicit ergo, ad rem præſentem ſuppoſitum, ſeu perſona præter intrinſecam indiuiduæ naturæ ſubſtantialis entitatem exiſtentiam independentem, ex libero adhuc Dei decreto, ab vnione ad aliud; cui ſingulari naturæ, ſi ex decreto etiam Dei exiſtentia dependenter ab vnione ad aliud contingat, ſicut totalitatem amittit naturæ, & exiſtentiæ ſuæ, ſic, & eſſe ſuppoſitum, & perſonam perdit. Hinc factum humanitatem Verbo vnitam, licet ſingularis manſerit, non manſiſſe perſonam: quia ipſius exiſtentia, licet ab exiſtentia Verbi diuerſa, non niſi dependenter ab vnione ad Verbum data illi fuit: quo, & totalitatem, & rationem perſonæ amiſit. Hinc Patres de humanitate Chriſti paſſim aiunt: eam *in Verbo exiſtere*, ſeu *inexiſtere*, atque *à Verbo ſuſtentari*, & frequentius *à Verbo aſſumptum eſſe*. Ex præcipua enim formali vnione, ſine humanitatis dependentia in ſui exiſtentia à Verbo, neque Verbo inexiſtere, ab ipſóque ſuſtentari, & aſſumi dici rectè poſſet. Nam, ſicut vnione formali non magis vnitur humanitas Verbo, quam Verbum humanitati, non eſſet cur humanitas potius Verbo inexiſtere, ab ipſóque ſuſtentari, & aſſumi diceretur, quam contrà, Verbum ab humanitate. Ratio ergo harum locutionum apud Patres vulgarium eſt dependentia humanitatis in ſui exiſtentia ab vnione ad Verbum, à qua formaliter pars ſit, perſonáque eſſe deſinit, demenda eſt. Inde etiam lucem, quam ex hac ſententia accipit, viciſſim reddit ſententia Sancti Thomæ (neſcio an parum hactenus intellecta) 3. p. q. 4. art. 2. ad 2. & art. 2. vbi ait Angelum præexiſtentem vnioni, & aſſumptioni ſuæ ad Verbum corrumpi debere, ſi aſſumeretur: atque vniuerſim perſonam quamuis præexiſtentem ſuæ aſſumptioni corrumpendam aſſumptione ipſa, non ſolum ſecundum perſonalitatem, vt falsò refertur ex artic. 2. (ecquid enim abſurdi foret perſonam, ſiue perſonalitatem, ſi modus ſuperadditus ſit, aſſumptione eo, & ſequentibus caſibus corrumpi?) ſed ſecundum ſe totum. De homine item præexiſtenti ad ſui vnionem & aſſumptionem contendit fusè corrumpendum eſſe, ſi vniretur 4. contra gentes cap. 43. Denique 3. p. q. 6. art. 3. infert contra Origenem, quod, ſi anima Chriſti duratione præexiſtens aſſumeretur, foret corrumpenda: quorum ratio ex dictis proximè facilis ſe dat. Etenim, ſi, vt Angelus, vel homo aſſumatur, parſque ſui aſſumptione ad Verbum fiat, opus eſt, vt cum aſſumitur, atque, vt pars illi vnitur, dependenter ab vnione ad verbum exiſtat, & conſeruetur; vt autem exiſtat ſeorſim, atque vt totum, opus eſt, vt eius exiſtentia independenter prorſus ab vnione ad aliud producatur: indiuidua, quæ, vt tota præextiterunt, atque ex vi decreti ſibi connaturalis exiſtentiam primo acceperunt, perire prorſus debent, quando aſſumuntur: quandoquidem cum decreto aſſumptionis, quo datur eis exiſtentia dependenter ab vnione ad verbum, nequit decretum, quo primo extiterunt independenter ab vnione illa conſiſtere.

5 Hinc etiam conſtat, cur Verbum vnitum humanitati Chriſti rationem perſonæ non amittat, licet in ratione vniti, tam ſtrictè humanitati vnitum ſit, quam humanitas ſit vnita ipſi. Cum enim exiſtentia Verbi adhuc vniti independens omnino intrinſecè, & extrinſecè ab vnione ad humanitatem ſit, à qua perfici nullatenus poteſt, etiam cum vnione exiſtentiam totalem conſeruat: ac proinde, & eſt indiuiduum ſubſtantiale adæquatum, adhuc cum ſuo modo componit: quare, & eſt perfectè in ipſa cõpoſitione perſona. Ex quibus tandé conſtat quã conſonet doctrina noſtra altiſſimo myſterio Trinitatis, ſeu

ſeu trium perſonarum diuinarum in vnitate eſſentiæ. Ibi enim perſonalitates ſunt, quaſi indiuiduantes differentiæ vnius, ipſiſque communis naturæ diuinæ, quæ, qua ratione communis eſt, licet ſingularis metaphyſicè ſit, non tamen eſt perfectè, & omnino indiuidua, & ſingularis omni genere indiuiduationis & ſingularitatis, vt profundè ſatis obſeruauit Richardus Victor. 4. de Trinit. cap. 23. init. Nam omnimoda indiuiduatio, & ſingularitas omnimodam dicit proprietatem, atque omnem prorſus communitatem, ſiue phyſicam, ſiue logicam, ſiue generis cuiuſuis alterius excludit: ſingularitas autem naturæ diuinæ ſecundum ſe communitatem omnem non excludit, cum ſit perſonis tribus phyſicè, ſeu quaſi-phyſicè communis: ac proinde perfecta & omnimoda ſingularitas ipſius non eſt; quouſque ſingularitati perſonali reuinciatur. Sicut ergo indiuiduanti differentia quauis diuina integrum completum, ac perfectum indiuiduum independens in ſui exiſtentia ab vnione ad alterum conſurgit: ita & indiuiduante quauis differentia diuina naturæ adiuncta integra, ac perfecta conſurgit perſona: ac pro triplici vltima indiuiduali differentia, quæ in diuinis reperitur, triplex in diuinis reperitur perſona. Qua in re inter perſonas creatas, & diuinas hæc differentia reperitur quod nimirum creatas naturas metaphyſicè indiuiduas, quia omnino ſingulares ſunt, ſola independentia ſui in exiſtendo ab vnione ad aliud vltimo formaliter perſonas conſtituat; contra verò cum natura diuina, & quidquid diuinum eſt, eſſentia ſua habeat exiſtentiam independentem prorſus ab vnione ad aliud, atque ex alia parte natura diuina non habeat omnimodam ſingularitatem, quæ omnem communitatem excludat, ſingularitate vltima & omnimoda, quam illi affert proprietas perſonalis vltimo formaliter in perſonam conſurgit.

6 Dico ſecundò. Ad rationem perſonæ ſupra independentiam in ſui exiſtentia ab vnione ad alterum requiritur, vt indiuiduum rationale plenum, atq; abſolutum ſui dominium vnionis iure non amittat, neque ſpeciali titulo ratione vnionis ab alio regatur, ſed ſit independens, etiam in operando. Ratio eſt, quam eleganter attigit S. Thomas citatus q. 1. cert. 2. vt explicaret, quare hypoſtaſis, quæ in tota ſua latitudine ſuppoſitum ſignificat, ſemper à Patribus pro perſona vſurpetur: quia nimirum, inquit, Sanctus Thomas, in rationali natura duplex modus eſſendi per ſe inuenitur: alter in eſſendo, ſeu exiſtendo, communis ſcilicet ipſi cum irrationalibus ſubſtantiis: alter verò ſpecialior naturæ rationalis, & nobilior modus eſſendi per ſe, eſt in operando, ſcilicet cum pleno dominio ſuarum operationum: ac proinde indiuidua rationalia, ſicut duplici titulo, alteroque præſtantiſſimo per ſe ſunt, ita principaliter, & antonomaſticè dicuntur ſuppoſita, nomenque commune cum propriæ perſonalitatis nomine confundunt. Sicut ergo Filius, quamdiu ſub poteſtate parentis eſt, nec dum emancipatus, pupilluſque ſub poteſtate curatoris non dicuntur per ſe eſſe, viuere, & operari ciuiliter, & moraliter, ſed ex alterius perſona patris, vel curatoris, penes quem ciuilis authoritas, & poteſtas actionum ſuarum eſt: ita humanitas, ſeu indiuiduum quoduis rationale aſſumptum phyſica vnione ad Verbum, cum vnionis iure illæ indiuidua regere, & gubernare Verbum teneatur, & non niſi ex Verbi authoritate, & poteſtate operari aſſumpta illa indiuidua debeant, eſſe per ſe in operando moraliter dici nequeunt, ſed in perſona Verbi cuius auctoritate, regimine, ac poteſtate neceſſario ſunt operatura. Huc facit quod ex Paſchaſio & Conc. Francfordienſe referebamus q. 1. cert. 2. n. 1. fine & n. 2. per totum: concedentes enim ſubſtantiam à ſubſtantia conſumi non poſſe, negabant hæretico contendenti inde, neque poſſe conſumi perſonam, quæ ſubſtantia eſt, à perſona alia ex præciſa vnione: quare manſiſſe in Chriſto perſonas duas: rationẽq; ſic Paſchaſius, & Patres Fransfordienſes reddebant; Perſona ſiquidẽ res iuris eſt; id eſt ciuilem poteſtatem, atque authoritatẽ plerũmq; dominiũ ſuarum actionũ independenter à perſona, & authoritate alterius importat.

R. P. Chriſtoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

7 Nec refert Neſtorium hanc gubernationem naturæ humanæ Chriſti Verbo non negaſſe: ſicut neque negabat vnionem affectiuã ſpecialem Verbi ad humanitatẽ Chriſti, ſiue ad hominẽ Chriſtum: Nam vnio affectiua ſolum verbi ad humanitatẽ, ſiue perſonã Chriſti gratuita omnino erat, neque in obiectiuo aliquo debito, & iure nitebatur, quare nec deſtruebat plenum dominiũ, & authoritatem ſuarum operationum in Chriſto, ac proinde neque humanã ipſius perſonã, quemadmodum, qui amici opera ex ſpeciali affectu dirigit, & gubernat, rerúmque ipſius curam gerit, non ſtatim perſonæ propriæ authoritatem deſtruit in amico. Poſito autem vnionis phyſicæ Verbi ad humanitatem titulo vnionis ipſius iure, cura, & gubernatio humanitatis, actionumque eius penes Verbum eſt, ipſíque incumbit. Quod ſi Neſtorius recognoſceret, non erraſſet: eum, & vnam tantum perſonam iure vnionis phyſicæ, & regiminis fateretur, vnumque tantum naturale ſuppoſitũ recognoſceret, vnionémque phyſicam, & realem Verbi ad humanitatem; ex qua vnitas ſuppoſiti, & perſonæ in Chriſto proueniebat non negaret: quæ duo tantum pro Eccleſiæ pace admitti à Neſtorio & aſſeclis petebat Cyrillus relatus q. 1. Sic ergo intelligendus eſt Imperator ſuſtinianus edicto fidei relato à Vaſq. diſp. 15. c. 2. n. 29. damnans aſſerentes vnitũ eſſe Verbum eadem authoritate, & virtute, non vnione. Confirmatur tandem ex Damaſc. lib. *quomodo ad imaginem Dei facti ſimus*, concl. 2. ſic enim ait: Verbum cum naturam aſſumeret, *hominis autem hypoſtaſim non coniunxit, ne naturæ humanæ voluntas, quæ naturæ attribuitur, volitione, quæ hypoſtaſim attingit, à diuinæ voluntatis præſcriptione diſcederet, ſed & ſponte pareret in omnibus.* Sic ad Verbum vertendus eſt Damaſc. iuxta Perionij accuratam emendationem, doctámque illuſtrationem datã à noſtro Bernal diſp. 26. ſect. 2. §. 1. quaſi diceret Damaſc. aſſumptione ipſa volitiones naturæ creatæ penes diuinam Verbi perſonam moraliter, & authoritatiuè erant vnionis iure: ac proinde ipſam attingebant æquè, atque attingerent creatam, ſi ea, non autem diuina, adeſſet perſona: Non igitur inquit Damaſc. aſſumpſit, neque aſſumere potuit perſonam humanam Verbum; cum aſſumpſit naturam; Etenim ſequeretur naturam aſſumptam, ſine Verbi indecentia peccare potuiſſe: cum ex propria authoritate operari poſſet, ſi propriam perſonam haberet. Quare inquies? quia, ſubintelligit Damaſc. perſona dicit plenum ſui dominium, & authoritatẽ in operando ſiue dependentia ab alterius authoritate, cui operationes moraliter, & ciuiliter tribuantur, ac defectus in eis imputentur: ac proinde, ſi Verbũ perſonã aſſumeret, non ſolã naturã, poſſet quidẽ natura humana Chriſti peccare, ſine indecentia Verbi in eius peccato: quod eſt alterũ caput impeccabilitatis naturæ humanæ Chriſti abſque perſona à Verbo aſſumptæ.

8 Hæc porro doctrina de ſubſtantiis omnibus, & ſuppoſitis etiã ſpiritualibus intelligenda eſt, cum etiam de illis aſſumi à Verbo potuiſſe teſtetur Paulus ad Hebr. 2. vbi amori fauoríque Dei erga homines tribuit, quod *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſiuem Abrahæ apprehendit.* Quæ de apprehenſione per vnionem aſſumptiuã humanitatis ad Verbũ Patres omnes intelligunt. Græci adhuc, qui de redemptionis etiam apprehenſione illa interpretantur. Et quidẽ, cum propria apprehenſio ſeminis Abrahæ, id eſt, gentis Iudæorũ, ſiue Hebræorũ, ab Abrahamo progenitæ in apprehenſione per phyſicam vnionem ad Verbum humanitatis Chriſti fuerit impleta (nam apprehenſio per redemptionẽ ſolum ad homines ſeminis etiã alterius pertinuit) negari prædicta expoſitio, & ſenſus minimè poteſt. In ea vero apprehenſione, & aſsũptione Angelica à Verbo per phyſicã vnionẽ, quam Paulus poſſibilẽ prædicauit dependentia Angeli in ſui exiſtentia ab vnione ad Verbũ importarur, iuxta dicta à n. 14. & deinceps confirmata. Quo circa reprehendendus merito vocetur Ouiedo n. 19. tũ quia ex loco Pauli recitato putat diſtinctionẽ naturæ Angelicæ à ſua perſonalitate ratione modi poſitiui ſuperadditi deduci, cum tamen ſine illo modo ſuperaddito aſſumptio eſſe poſſet modo explicato in Angelo: tum etiam quia num. 18. affirmat

dari posses substantiam spiritualem à sua personalitate indistinctam. Cum enim ex dictis constet personalitatem propriam consistere in existentia indiuidui rationalis independenter ab vnione ad aliud, atque in quauis substantia, siue spirituali, siue materiali possit Deus existentiam ponere pro suo arbitrio, & voluntate dependenter, vel independenter ab vnione ad aliud, non potest non ea negatio dependentiæ diuersum quid esse, in substantiis etiam spiritualibus, ab earum substantia, & existentia. Reprehendendus denique est quod num.17. dicat ex distinctione personalitatis ab humanitate, quæ composita substantia materialis est, male inferri distinctionem personalitatis ab Angeli natura: supponens nimirum distinctionem naturæ à personalitate prouenire ex prædicato substantiæ compositæ. Id quod ex doctrina tradita de subsistentia, quæ æquum habet locum in substantia simplici, atque in composita satis impugnatur. Deinde cum ipse controu. 5. physic. punct.5. n.2. doceat posse dari substantiam materialem simplicem, & incompositam perperam in suo hoc principio docuit vniuersaliter substantiam quamuis materialem à sua subsistentia distingui, cum ratione simplicitatis, & incompositionis substantiis spiritualibus in distinctionem à suis personalitatibus contingere aliquando posse docuerit.

CERTAMEN VI.

Obiectionum solutio.

1 NEstorij, & Euthichetis argumenta, tum ex Patribus, tum ex nostræ doctrinæ exploratione prorsus euanuerunt. Leuiora quædam dirimenda supersunt. Argues primò: Personalitas, & persona humana consumpta, & destructa est à persona Verbi in Christo, vt aiebant Paschasius, & Concilium Fransfordiense: atqui negatio nequit destrui, & consumi ab alio, cum se ipsa negatio destructa sit: ergo personalitas humana (& idem est de aliis) non consistit in negatione, qua compleatur in esse totali, siue totius, natura indiuidua substantialis. Respondetur negando minorem. Temperies enim, ratióque totius, pluráque alia, quæ in negatione vnionis, & additionis alterius entitatis consistunt, sola vnione, & additione alterius entitatis formaliter destruuntur: imo non aliter destrui negatio potest, quam per positiuum illud, cuius negatio est: sicut, neque positiuum destrui formaliter sine sui negatione potest. Neque de nomine certandum nimis est an scilicet negationes strictè destrui, atque consumi per suos habitus dicendæ sint? cum de re conuenitur. Dices secundò, & leuius, de eodem inuariato intrinsecè duplex contradictorium verificari in nostra sententia: scilicet de indiuidua substantia intrinsecè inuariata verificari, quod sit persona, & quod non sit persona: hoc autem videtur absurdum: quod scilicet prædicatum substantiale cuiusmodi est persona, de eadem substantia inuariata affirmari, négarique possit. Respondetur negando absurdi aliquid contineri in antecedenti? quid enim mirum, si ad rationem personæ nihil intrinsecum requiratur in natura substantiali indiuidua, sed sola negatio independentiæ ipsius in sui existentia ab vnione ad aliud, vt hactenus ostendimus, sine vlla intrinseca variatione naturam indiuiduam substantialem personam esse, cum eius existentia independenter ab vnione ad aliud ponitur, ac non esse personam, cum ponitur dependenter ab vnione ad aliud ipsius existentia: Vnde negandum est prædicatum personæ esse formaliter adæquatè subsistentiale, sed solum subsistentiale quoad fundamentum adæquatè, & quod formalitatem subsistentiæ, & personalitatis inadæquate solum esse subsistentiale prædicatum: quatenus, scilicet, dicit singularitatem naturæ substantialis, non autem, quatenus dicit independentiam in sui existentia ab vnione ad aliud.

2 Obiicies tertiò. Persona Verbi assumptione humanitatis suppleuit eius personalitatem: ergo creata personalitas humanitatis est aliquid positiuum, neque solum negatio dependentiæ humanitatis in sui existentia ab vnione ad aliud. Patet consequentia: quia negatio dependentiæ humanitatis in sui existentia ab vnione ad aliud, nequit suppleri vnione, & personalitate quæ destruitur. Sicut dici nequit albedo supplere negationem, aut priuationem sui, sed potius illam destruere. Et confirmatur à priori: quia supplere est defectum alicuius replere, ac vice alicuius poni. Respondetur totum hoc argumentum ad inutilem quæstionem de nomine redigi. Certum est ex Patribus, & aduersariis Verbi persona destrui suo modo, & consumi personam humanam Christi: certum item est quæcumque contraria pro contrariis supplere, id est, illorum loco subrogari, licet alia ab aliis destruantur. Quid ergo mirum, si negationem suppleat habitus, quo destruitur ipsa? supplet quidem habitus, qui formaliter negationem pellit, & nobilius sane, cum negatio, & priuatio ignobiliores suis habitibus sint. Et vero, cum indubitata Sancti Thomæ doctrina sit, Angeli subsistentiam ab Angeli natura totali & indiuidua non distingui: atque ex Paulo item certum sit potuisse assumi à Verbo naturam Angelicam, v.g. Raphaëlis, quod ibi iuxta Sanctum Thomam Verbum suppleret, eodemque modo, in humanitate, quam assumpsit de facto suppleuit. Instabis: Indignum esse Verbo negationi substitui. Negamus tamen, si cum excessu perfectionis substituat, non autem cum æqualitate. Æqualitas enim substituentis cum substituto imperfecto substituentis imperfectionem conuincit; excessus autem substituentis perfectionem ipsius commendat. Adde non minus dedecere infinitam Verbi perfectionem substituere modo positiuo creato, quam negationi: si enim ex substitutione proportio aliqua substituentis, & substituti imperfectione conuincitur, non minus dedecet Verbum imperfectio limitata, quâ nulla.

3 Obiicies quartò: indiuidua natura rationalis connotata negatione vnionis ad aliud formalis est persona: ergo idem prorsus est naturam humanam Christi esse vnitam formaliter Verbo, atque non esse humanam personam: ergo, definita semel in Concil. Ephesino Canone 2. vnione humanitatis Christi ad Verbum, superfluè, & ridiculè tot patres in eodem Concil. can. 3. iterum definiunt in Christo non mansisse personam humanam: actum quippe prorsus agunt. Sic insultanter obiectat Cardinalis Lugo disp.12. de Incarnat. sect.2. n.12. Respondetur cum Vvadingo Concilia eandem obiectiuam veritatem pluribus decretis merito definire. Cum enim variis vocibus, & propositionibus hæretici catholicorum corda tentantes venenum idem ipsis propinent: totidem vocibus, & propositionibus à Patribus & Conciliis errores damnari, & veritates catholicas statui oportebat. Sic eadem huius mysterij veritas per sex, & septem canones, aliis, atque aliis subinde vocibus, & propositionibus definitur in Concilio lateranensi sub Martino V. & ferè canonibus omnibus quintæ synodi generalis: sicque accidit in Concil. Ephesino citato non solum duobus illis canonibus (in quibus solum definitur physica, nec solum affectiua vnio humanitatis ad verbum, teste Cyrillo Alex. apologia pro iisdem contra Theodoret. cuius testimonium conuincit cum Concilium illud nihil aliud sit quam anathematismorum duodecim Cyrilli receptio) secundo, & tertio sed ferè in omnibus concilij ipsius. Atque hic præter vnionem dependentia humanitatis ab illa in existendo asserebatur.

4 Obiicies quintò: Infertur ex nostra doctrina posse vniri duo indiuidua substantialia, quin vlla in eis persona maneat. Nam ponamus Petrum, & Paulum vniri, atque vtriusque existentiam conseruari à Deo dependenter ab vnione mutua: tunc indiuidua natura Petri, & Pauli pars formaliter vnaquæque est: ergo neutra esset persona. Infertur insuper vtrâq; posse perseuerare personâ, quin vnio physica obsit, si vtraq; independenter ab vnione

vnione ad alteram in sui existentia vnita conseruaretur à Deo: tunc enim neutra amitteret totalitatem indiuiduæ naturæ substantialis iuxta nostram doctrinam. Item, si altera ex illis existeret independenter ab vnione altera vero dependenter ab vnione ad illam vna esset persona, alia verò secus: quod videtur absurdum: cum æqualis perfectionis sint, neque appareat ratio, cur alteri debeat præualere. Respondetur, si naturæ creatæ natura sua totales altera alterius perfectiua esse possit, quod non disputo modò, sed sic argumenta suppono, consequentias hasce certissimas esse, totámque earum doctrinam prorsus catholicam, & quæ nihil absurdi in Philosophia, vel Theologia contineat. Quidquid enim non repugnat componere, vt partem, atque dependenter à compositione existere, pro Dei libito componere potest vt patet.

5 Instabis adhuc inferri ex hac doctrina posse esse physicam vnionem, & quidem formalem, inter duas naturas substantiales specie diuersas, saltem per diuinam potentiam. Vnde rursus infertur Hyrco-ceruum, atque Hypocentaurum, similésque chymeras non esse entia rationis; quandoquidem natura equina & humana, earúmque vnio, à quibus Hypocentaurus nihilo differt, entia possibilia sunt in nostra doctrina: hoc autem est contra omnes Philosophos. Respondetur Hyrco-ceruum, hypocentaurum, & similes chymeras esse entia rationis, & chymeras exemplariter, non formaliter apud Philosophos. Sunt enim res, quibus, licet possibiles absolutè sint explicant, atque imaginationi proponunt rem non nisi per earum species perceptibilem: nempe identitatem realem hominis, & equi, quæ quidem impossibilis est, & chymera. Quod autem vnio illa physica non sit chymera in Hypocentauro, sed coniunctio diuinitus possibilis ex eo satis patet, quod eiusmodi impossibilitati ostendendæ non pauci Doctores insudauerint, quin apparentem adhuc repugnantiam vllam hactenus ostenderint: imo in arbore partim arida, partim viridi sæpe contingere reor.

6. Dices vltimo: vnio humanitatis ad Verbum facta est in persona non in natura: ergo personalitas de suo conceptu distinctum aliquid formaliter est à natura. Probo consequentiam: si enim indistincta formaliter est à natura: ergo nequit esse vnio ad personam, quin sit ad naturam. Insuper, si personalitas constituitur negatione dependentiæ in sui existentia ab vnione ad aliud indiuiduum, nequit vnio humanitatis ad personam Verbi terminari. Patet quia, vt supra contra Scotum arguebamus, vnio realis & physica nequit ad negationem terminari? Respondetur ad primum ex data doctrina Richard. supra personalitates in diuinis diuersum quid formaliter esse ab indiuidua suo modo natura: quia natura secundum se præcisè perfectè indiuidua non est: cum secundum se sit communicabilis: ac proinde sicut singularitate cuiusque personæ vltimò, & perfectè indiuiduatur, ita etiam in ratione personæ constituitur: nam independentiam in sui existentia ab vnione ad aliud ex prædicato entis diuini habet. Hinc ad secundum dicito: in diuinis independentiam ab vnione ad alterum in sui existentia tam naturæ, quam personalitatis intrinsecam, & essentialem, ac proinde positiuam esse, licet negatione, sicut aliæ perfectiones diuinæ positiuæ à nobis explicentur: quare rectè posse ad hanc independentiam Verbi vnionem humanitatis terminari, eáque dependentiam eius humanitatis ab alio suppleri: quare, & personalitate Verbi humanitatem subsistere. In creatis vero res aliter accidit: cum earum existentia essentiâ sua independens ab alio non sit sed prorsus à Deo dependens, qui vtpote liberum agens, ex hoc, vel illo fine potest eis existentiam tribuere.

QVÆSTIO III.

De subiecto subsistentiæ, & personalitatis, eiúsque diuisibilitate.

EX dictis constat quamuis substantiam singularem, quæ totalitatis explicatæ fuerit capax, subiectum subsistentiæ esse optimè posse; an verò partibus substantiæ singularis, v.g. Petri, & Bucephali subsistentia assignari, vt componentibus, vel vt separatis possit? quæstio est præsens.

CERTAMEN I.

Partes indiuidui substantialis subsistentiam non habent.

1. SOar. citatus ab Ouiedo, Ethic. punct. 4. num. 8. & 11. partes quasuis indiuidui substantialis, etiam cum illud actu componunt, substantias partiales habere docuerunt. Soarium sectantur plures. Caiet. 3. p. q. 6. art. 6. & Albertin. citatus ab alia longè viapartium compositi substantias defendunt. Asserit primus solum animum rationalem subsistentiam habere, qua tota etiam humanitas subsistat. Secundus verò docet solam materiam in compositis materialibus subsistentiam habere, qua tota ea composita subsistant. Quæ de partium subsistentia cum Soar. Doctores isti affirmant statim impugnabo. Nunc vero eorum doctrinam specialem cum alia eorumdem, vel etiam cum fidei mysterio, non constare sic ostendo. Vterque enim docet solum posse verbum substantiæ illi immediatè per se & ratione sui vniri, quæ de se & ratione sui subsistentiam habet. Ergo Verbum per se, & ratione sui animo rationali tantum fuit vnitum, non toti humanitati secundum partem vtramque in sententia Caietani, quod est absurdum. Nisi enim Verbum per se, & ratione sui vtrique humanitatis parti vnitum esset, non erat cur in triduo mortis materiæ vnitum permaneret. Infero secundò contra Albertin. Ergo Verbum in tua sententia non fuit sanguini toti, ac secundum vtramque sui partem immediatè per se, & ratione sui vnitum, contra tuam, & veram doctrinam. Patet: siquidem sanguinis forma materialis est, & quæ in tua sententia subsistentiam non habet.

2. Lugo citatus sect. 3. num. 39. docet animam separatam subsistentiam habere: denique de materia prima vi consequentiæ docere tenetur. Scotus vero citatus cum suis animæ, & materiæ, tam in statu compositionis, quam separationis subsistentias negat. His assentitur Vasq. 1. p. d. 125. c. 4. & 174. ac 3. p. t. 1. d. 2. & quicumque de ipsius censentur doctrina. Porrò de statu compositionis nescio quo pacto Suar. salua doctrinæ consequentia formis materialibus subsistentias concedat: cum asserat subsistentiam esse modum, quo substantia independens sit ab alio siue subiecto, siue supposito, negaréque nequeat formas materiales à materia, cum qua totum componunt tanquam à subiecto eductionis, & inhæsionis pendere, quare de his eum non loqui certum est mihi, sed falso vniuersim citari. Secundò: quia tam ipse quam Ouiedo, aliique omnes, qui subsistentias modos esse positiuos aiunt, illis substantiam compleri, terminarique vltimo affirmant: ergo nequeunt non subsistentiæ modum vltimo loco substantiæ affigere, atque partibus quæ natura, & causalitate totum præcedunt, denegare. Nec minus inconsequenter Scotus, & Vasquez loquuntur de statu separationis. Scotus, quia in eo statu, tam anima, quam materia

negationem vnionis ad aliud suppositum habet, quo tota ratio subsistentiæ continetur. Vasq. verò, quia vtrique, vt sit positiuè separata à supposito alio sinus perfectatis modulus adiungendus erit: sicut naturæ toti ex ipsorum arbitratu adiungitur. Nec refert inferri inde animam, & materiam in statu separationis dicenda esse supposita atque animum rationalem personam. Sed quid ad nos? Si ex aduersariorum doctrina inferatur? Secundò non infertur: sunt enim quædam nomina, quæ præter formam determinatum subiectum important. Ex quibus non sine Patrum, & Scholasticorum fundamento suppositum, & persona dici possunt. Sicut enim symus, & symitas præter curuitatem nasum designat: sic etiam suppositum præter curuitatem nasum designat: sic etiam suppositum præter perfectatem naturam integram, & persona, rationalem etiam, dicetur designare.

3 Dico primò partes compositi substantialis in statu compositionis subsistentias non habent. Probo: Subsistentia, ac personalitas idem sunt quod totalitas indiuiduæ naturæ: Sed nulla pars dum actu formaliter componit, habet indiuiduæ naturæ totalitatem: ergo nec habet subsistentiam. Maior probata est q. 2. cert. 5. minor est ex terminis nota, & consequentia legitima. Dices animum rationalem, & materiam humanitatis Christi assumptam à Verbo per se fuisse; nihil autem per se assumi potest à Verbo, quod non habeat subsistentiam: ergo animus, & materia humanitatis, dum in ipsa sunt, habent subsistentias. Concessa maiori nego minorem. Ostendam enim quæst. 4. plura, quæ subsistentia non sunt, assumi à Verbo posse. Dices secundò: Totalitas naturæ substantialis per nos constitit in independentia in sui existentia ab vnione ad aliam substantiam, sed animus rationalis, & materia prima non pendent in sui existentia ab vnione inter se se, cum vtráque vnione cessante perseueret: ergo vtraque habet totalitatem substantiæ, quod ipsum de partibus totum homogeneum integrantibus dictum puta. Respondetur ad hoc extremum de partibus integrantibus iuxta dicta q. 2. cert. 5. num. 3. earum essentiam à possibilitate vnionis pendere quam petunt, si se tangant: quare connaturalem earum existentiam in eo casu ab vnione esse. Licet, quia indifferentes sunt ad vnionem, & separationem ex vnione, & disiunctione non pereant, quia titulum habent, & naturam, qua separatim existere petant, æquè, atque coniunctim. Ad illud de materia prima quæ pars essentialis est, constat etiam ex eodem numero ab vnione cum aliqua forma pendere, licet ex nulla forma educatur. Illud de animo rationali iam fere est solutum: est siquidem essentia sua pars: ac proinde ante instans vnionis non produci catholicum est, Pytagoricæ Fabulæ de animorum transmigratione, atque Origenis errori de præexistentia animi Christi ad vnionem oppositum. Quod autem in statu separationis sine vnione vlla conseruetur, nihil probat; separatus enim animus modo minus connaturali est: de se enim vnionem petit perpetuam, licet extrinsecus impediatur, vt ex nostro Soar. & S. Thom. videbimus statim.

4 Dico secundò: animus separatus, adhuc in eo statu separationis, subsistentiam non habet. Probatur: quia, licet in eo statu habeat existentiam independenter ab vnione ad alterum, non autem ita connaturalem vt connaturalior non sit existentia dependenter ab vnione, quam essentia, & existentia ipsius requirit: cum sit essentialiter ex prædicato differentialis pars cui, totum esse repugnat, quomodocumque ei existentia à Deo donetur: ac proinde, quæ hoc prædicatum sequuntur magis connaturalia ipsi sunt ergo ea independentia ab vnione connaturalis animo non est: Antecedens est S. Th. 1. p. q. 29. & q. 81. artic. colligiturque ex q. 26. art. 1. ad 6. ex q. 4. de spiritualibus creaturis art. 5. & art. 2. ad 5. & q. 5 de potent. art. 1. ad 5. ex 4. d. 43. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 4. d. 49. qq. 1. art. 1. quæstiunc. 1. vbi docet animum separatum appetere naturaliter sua vnionem, quam doctrinam sequitur Suar. libr. 6. de anima cap. 9. concl. 4. n. 6 & cap. 10. concluſ. 2. Quia inquit, vel reuinonem ad corpus expetit, cum ea per accidens à contrariis destructa est, non quidem eo modo, quo nunc ex gratia, & respectu finis supernaturalis sit, sed in ordine ad finem naturalem totius hominis, qui benè vel malè operatur; ac proinde ad Deum, vt naturæ authorem expectat animum corpori reuniri, vt homo naturali suo fine potiatur, quæ consonant iis quæ latè Suarides differit 3. p. tom. 2. d. 44. seq. 7. & tract. de beatitud. d. 4. sect. 2. concl. 4. & prolog. 4. de grat. cap. 2. Vel quia natura humana adeò perfecta est, vt nequeat sine gratia, & gloria tota eius capacitas expleri, ac proinde reuinonem animus ipsius, eo etiam modo, quo fit ad finem supernaturalem, natura sua exposcat, licet vltra naturalem prouidentiam is finis positus sit. Denique probatur vrgentius conclusio; quia in eo statu existentia animæ independenter ab vnione ad materiam subsistentia, adhuc partialis non est, cum alteri parti non adiungatur, atque statim cum adiungatur, amitteturque totalis autem esse non potest, cum naturæ totalis non sit.

CERTAMEN II.

Subsistentia pro materiali quandoque diuisibilis est, pro formali semper.

1 Dico primò: subsistentia, & personalitas promateriali, siue proximo, siue remoto, quandoque partibus constat, quandóque non constat. De materiali remoto negari à sano Philosopho nequit. Est enim substantia indiuidua secundum intrinsecum, quæ aliquando composita, & diuisibilis est, vt in homine, ligno, &c. aliquando indiuisibilis, vt patet in Angelo. De materiali proximo non est adeo facilis conclusio: atque in opinione de modis superadditis subsistentiarum nihil firmum pro alterutra parte post multam altercationem afferri inuenio. In nostris vero principiis facile probatur. Siquidem, vbi indiuiduum subsistens indiuisibile sit, negatio dependentiæ, sicut & dependentia ipsius indiuisibilis erit ex parte subiecti proximi, scilicet existentiæ ipsius Si autem indiuiduum sit diuisible ex parte subiecti proximi diuisibilis subsistentia erit. Probatur: quia totum substantiale nihil aliud est, quam materia, & forma simul: ergo, & ipsius existentia nihilo ab coniuncto existentiæ earum differet. Pergo: ergo dependentia causatiua existentiæ totius erit coniunctum ex dependentiis earum: ergo negatio dependentiæ totius ab vnione ad tertium erit negatio dependentiæ partium, & vnionis ab vnione ad aliud: ergo ea negatio dependentiæ erit diuisibilis, & compacta ex independentiis partium, & vnionis simul ab vnione ad aliud tertium. Confirmatur quia negatio dependentiæ totius ab vnione ad aliud est negatio dependentiæ, quam de facto haberet, si esset in alieno supposito; at hæc non esset alia dependentia, quam coniunctum dependentiæ partium simul (neque enim totum aliam dependentiam habet, qua totum indiuisibiliter dependeat) ergo negatio dependentiæ ab vnione ad aliud tertium diuisibilis erit, ita vt in quauis dependentia partiali partis compositi sit partialis negatio dependentiæ ab vnione ad aliud, quod pars compositi non sit. Si autem dicas esse negationem alterius dependentiæ, qua totum induisibiliter penderet ab vnione ad aliud, & rem difficilem assumis, & tuo intento inutilem.

2 Vtrumque breuiter ostendo. Primò enim adstruis duplicem dependentiam totalem eiusdem effectus, plurium opinione, impossibilem, vt alteri natura substantialis hypostaticè vniatur: imo tua hæc indiuisibilis dependentia totius naturæ substantialis essentialiter compositæ imperceptibilis est: Secundò adstruis doctrinam ad rem præsentem inutilem: Nam probabis inde negationem dependentiæ ab vnione ad aliud pluribus constare partibus, quam contra te contendimus: scilicet: negatione dependentiæ partium à prædicta vnione, & insuper negatione dependentiæ indiuisibilis, qua totum existere per te potest. Nam posita ea negatione dependentiæ indiuisibilis totius ab vnione ad aliud, nisi adsit etiam negatio dependentiæ partium, quare nec totum prorsus independens suppositum, & persona non remanet. Insuper posita independentia partium ab vnione ad tertiū in sui existentia in quauis substantia composita suppositum, & persona de facto constituitur: ergo in ea diuisibili independentia totius naturæ compositæ stat ratio formalis subsistentiæ: quare adueniente negatione dependentiæ indiuisibilis nihil ad suppositum confertur, quod negatione dependentiæ diuisibilis non præstaretur naturæ. Confirmatur: quia de facto dependentia diuisibili partiū humanitatis assumptæ ab vnione ad Verbum effecta est humanitas Christi, tota dependens ab vnione ad Verbum, destructáque fuit humana subsistentia, & personalitas, vt constabit ex dicendis controu. 1. de Incarnat. ergo ea diuisibili independentia, qua independens ab vnione ad tertium foret, nisi assumeretur, constitueretur suppositum, & persona humana.

3 Dices: independentia subsistantiæ indiuiduæ compositæ ab vnione ad aliud per se immediatè competit toti: ergo, licet totum eiúsque existentia diuisibilis sit, independentia est indiuisibilis. Consequentia videtur certa. Antecedens probo. Partes compositi (v.g. forma, & materia) pendent altera ab vnione ad alterā adinuicē: ergo independentia in vtriusque existentia ab vnione in illis non est, ac proinde solius est compositi. Respondetur negando antecedens, & concesso probationis antecedenti distinguendo consequens: non est independentia ab vnione ad aliud, quod pars compositi non sit: Nego consequentiā; quod pars compositi sit, concedo consequentiam. Hæc autē independentia ad suppositi, & personæ rationem non requiritur: quandoquidem natura composita substantialis nequit esse sine suarum partium mutua dependentia in existendo: requiritur autē, quod vtráque pars non depēdeat ab vnione ad aliud tertium: Si enim vtráque in sui existentia ab vnione ad aliud tertium penderet, cùm totum ex illa resultans nullam aliam existentiā, dependentiámque habeat præter existentiam, & dependentiam vtriusque partis simul, non posset esse in sui existentia ab vnione ad aliud independens. Instabis: ergo si formæ tribuatur existentia dependenter ab vnione à duplici materia, vel materiæ dependenter ab vnione ad duplicem formam, neutrum ex cōpositis subsisteret, consequentia conceditur. Nam posita dependentia partis vnius independentia totius, quæ ex vtriusque partis independentia conflatur, vt diximus, stare absolutè non potest.

4 Dico secundò: Subsistentia creata formaliter sumpta, siue independentia naturæ subsantialis in sui existentia ab vnione ad aliud semper est diuisibilis. Dixi de creata: nam increata cum in positiua, & intrinseca independentia omnimodæ singularitatis diuinæ consistat, dubiū esse nequit, quin indiuisibilis sit, partibúsque careat. Probatur facile conclusio; quia cuiusque substantiæ singularis, etiam simplicis, vt Angelicæ, dependentia in existendo ab vnione ad aliud potest esse multiplex pro rerum, à quarum vnione dependere in sui existendo pro Dei voluntate potest multiplicitate: atqui sublatis reliquis dependentiis à pluribus rebus, positáque sola dependentia substantiæ illius ab vna ex illis rebus, substantia illa suppositum non esset: ergo ratio suppositi conflatur formaliter ex negationibus omnibus omnium dependentiarum, quas in sui existentia habere potest natura substantialis ab vnione ad alia: ac proinde in dependentia hæc ab vnione ad aliud, qua suppositum, & persona constituitur, non est vnica, & indiuisibilis, sed plures, siue ex pluribus independentiis formaliter diuersis conflata.

QVÆSTIO IV.

De necessitate, oppositione, atque efficienti causa subsistentiæ.

COniunxi hæc omnia, quia & in vnum coacta vix iustam explebunt quæstionem.

CERTAMEN I.

De necessitate, & oppositione subsistentiæ propriæ cum aliena.

1 DIco primò. Subsistentia non adest necessariò cuiuis substantiæ creatæ singulari, secus diuinæ. Patet ex dictis. Cum enim subsistentia diuina sit singularitas vltima naturæ quasi physicè cōmunis, ipsique identificata, atque existentia ipsius existens, tam est necessaria in natura diuina subsistentia, atque ipsa diuina natura necessaria in se est. De creata etiam constat ex dictis. Possunt enim duæ indiuiduæ substantiæ produci à Deo dependenter ab vnione inter seſe vicissim: quo in casu vtráque necessariò ammitteret totalitatē, quare & subsistentiā. Dices: ergo, si subsistentia singularis produceretur à Deo dependenter ab vnione ad accidens, non esset suppositum, amitteretque subsistentiam? siquidem amitteret totalitatem æquè, ac si produceretur dependenter ab vnione ad aliam naturam substantialem. Respondetur primò negando consequentiā: quia non amitteret totalitatem substantiæ, siue substantialem; siquidē tertium resultans ex vnione ad accidens, dependenter à qua tunc substantia singularis existeret, substantia non esset: ac proinde ad illud substantia singularis non se haberet, vt pars substantialis, sed vt substantiale totum, vt patet. Respondetur secundò, licet non adeò verè admittendo consequentiam ingenij gratia in qua nullum apparet inconueniens.

2 Obiicies tamen contra secundam hanc solutionem: ergo nulla substantia singularis suppositum, & persona est: id quod non nisi temerè, & fortasse erroneè admitti potest: cum inde fiat personam humanam in Christo sui assumptione ad Verbum consumptam non fuisse: siquidem quod persona aliàs non erat, in ratione personæ destrui, aut consumi à Verbo minimè potest. Probatur consequentia illa: quia substantia quæuis, vt connaturaliter existat petit productionem, & vnionem suorum accidentium, & proprietatum ad seipsam: ergo nulla substantia est connaturaliter independens ab vnione ad sua accidentia: at per te ob dependentiam connaturalem substantiæ in sui existentia ab vnione ad accidentia amittitur totalitas substantiæ, & subsistentiæ formalis: ergo nulla substantia singularis habet subsistētiam, ac proinde nec de se se suppositum & persona est. Respondetur diuersum modum esse connaturalitatis, in essendo, atque in operando. Substantiæ igitur singularis vnionem, & productionem propriorum accidentium petit, non vt in se connaturaliter sit, sed vt operetur: quare connaturalitas, quæ ipsi perit est in operando, non in essendo, & existendo. Cum enim substantia singularis secundum suam existentiam reali naturæ prioritate ad proprietates suas existat, ac decernatur, nequit ipsius existentia proprietatum, & suæ vnionis ad ipsas decerni, sicut in casu illo extraordinariæ prouidentiæ, qua substantia dependenter ab vnione ad accidens aliquod produceretur: quare in casibus instantiæ non amittit substantia singularis totalitatem in essendo, sicut in illo, ac proinde neque subsistentiæ rationem.

3 Dico secundò: subsistentia propria ita pugnat cum aliena, vt neque diuinitus, in eadem substantia singulari componi possint. Tuentur conclusionē omnes, excepto Bernal d. 24. sect. 2. §. 1. qui modalibus reliquis cernebat acutius. Locus autem Damasceni, cui præcipuè innititur, explicandus à nobis est q. 2. cert. 5. Dixi modalibus reliquis acutius cernere Bernalem, dum à communi hac cōclusione descíscit. Si enim subsistentia, & personalitas in positiuò superaddito constituantur, nunquam ostenditur repugnantia in eo, quod vnio, & communicatio substantiæ singularis sic modificatæ cum alia, modificata etiam subsistantia singulari repugnet. Nos autē facili negotio conclusionem probamus. Quia subsistentia dicit formaliter negationem dependētiæ ab vnione ad aliud, cui contradicit dependentia quæuis substātiæ singularis ab vnione ad aliud: cum autem subsistentia aliena subsi-

stere

ſtere ſit habere dependentiam ab vnione ad aliud, implicat vtramque ſubſiſtentiã in eandem ſingularem ſubſtantiam coniungi. Probatur inſuper: quia Concilia, & Patres inferunt humanitatem Chriſti non ſubſiſtere propria ſubſiſtentia, quia habet alienã diuinam, ſiue quia eſt in alio, ſcilicet Verbo: ergo ſubſiſtentia propria, & alienã pugnant inter ſe ſe; alioqui malè arguerent Patres deſtructionem ſubſiſtentiæ propriæ, & perſonalitatis in humanitate Chriſti ex aſſiſtentia, & coniunctione perſonalitatis alienæ Verbi in humanitate eadem.

4 Dices bene inferri à Patribus deſtructionem perſonalitatis in humanitate Chriſti ob perſonalitatem alienã Verbi, cui vnitur ratione pugnæ naturalis, quam ſubſiſtentia propria, & aliena habet: quare inde non probatur vtriuſque ſubſiſtentiæ implicatio, & contradictio abſoluta. Contra: quia, vt bene Bernal, ſubſiſtentia aliena, ſupernaturalis cum ſit, alteriuſque ordinis, quam propria, non pugnabunt naturaliter, ſicut nec temperantia infuſa, & intemperantia acquiſita. Secundò: quia, cum ſubſiſtentia aliena, quam non exigit natura ſubſtantiæ ſingulari præbetur, ſi habeat propriam non fiet contra, ſed iuxta exigentiam naturæ: ergo expulſio alienæ ſubſiſtentiæ non eſt connaturalis. Dices non eſſe quidem contra exigentiam naturalem ſubſtantiæ ſingularis perſiſtentia ſubſiſtentiæ propriæ, cum adeſt aliena, ſed contra exigentiam ſubſiſtentiæ alienæ. Contra: quia ea exigentia, & repugnantia debet eſſe ratione incapacitatis, quam habeat ſingularis ſubſtantia vtriuſque ſubſiſtentiæ ſimul: ſi enim capax de ſe vtriuſque ſit ſimul, nullatenus altera exiget expulſionem alterius: cum autem de ea incapacitate non conſtet, neque conſequentia Patrum firma omnino, & abſolutè eſſe poterit, niſi admittatur repugnantiam hanc ſubſiſtentiæ propriæ cum aliena abſolutæ contradictionis eſſe. Recurrit Bernal ad ſuam doctrinam de identitate actionis, & vnionis hypoſtaticæ à nobis impugnatam q. 2. cert. 4.

CERTAMEN II.

De oppoſitione ſubſiſtentiarum alienarum, atque efficienti cauſa ſubſiſtentiæ.

1 DIco tertiò: Subſiſtentiæ alienæ inter ſe ſe minimè pugnant. Ab hac concluſione Modales omnes abhorrebunt. Probatur facile: quia produci, aut conſeruari dependenter ab vnione ad vnum non pugnat cũ productione eiuſdem ſubſtãtiæ dependenter ab vnione ad aliud, ſed ſolum cum productione independenter ab vnione quauis. Dices primò: ergo eadem natura poſſent plures perſonæ conſtare, etiam in creatis. Fateor. Nihil enim abſurdi eſt id fieri per vniones, dummodo non fiant per identitatem. Dices ſecundò: ponamus produci à Deo ſubſtantiã dependenter à duplici vnione ad duas naturas adæquatè ab altera; tunc cuiuſnam ſubſiſtentia ſubſiſtet ſubſtantia illa? non enim ſubſiſtet ſubſiſtentia alterius naturæ, cum vtrique adæquatè innitatur; ſed neque ſubſiſtet in vtraque natura, ſiue eius ſuppoſito ſimul. Cum enim duplex ſubſiſtentia ſit vnum ſuppoſitũ nullatenus conſtituetur vtraque. Reſpondetur eandem difficultatem eſſe ſi modis ſuperadditis conſtituatur ſuppoſitum. Etenim ſi natura vnione indiuiſibili duplici ſuppoſito vniatur, eædem prorſus conſequentiæ fient. Reſpondeo pro omnibus, duplicem naturam ſubſiſtentem poſſe vnicè ſuſtentare, & ſuppoſitare ſubſtantiam ſingularem, vnumque ſuppoſitum conſtituere: nam licet reſpectu naturæ propriæ ſubſiſtentia quæuis adæquata ſit, faciátque adæquatè ſuam naturam independentem, alienam autem non niſi inadæquatè conſtituit, dependentemque ab alio, exiſtentem in alio, ac ſuſtentatam ab alio facit.

2 Fateor ex creatis non poſſe ſubſiſtentiam alienam alicui ſubſtantiæ prouenire. Licet enim dependentia à natura alia poſſit dari, in qua ſubſtantia dependens ſuſtentetur, propriámque ſubſiſtentiam amittat, nequit tamen ſubſtantia à negatione dependentiæ in ſui exiſtendo, quam altera habet, vnionéque ad eiuſmodi negationem in ſui exiſtentia pendere: vnio enim ſubſtantiæ ad negationem dependentiæ, quæ in altera eſt omnino eſt impoſſibilis, vt patet: nam vnionis extrema neceſſariò debent eſſe poſitiua: vt autem aliena ſubſiſtentia naturæ alterius ſubſtantia aliqua ſubſiſteret, oportebat dependere in ſui exiſtentia ab vnione ad ſubſiſtentiam alterius, quæ in creatis negatio illa dependentiæ ab vnione ad aliud reale formaliter eſt: Implicat ergo ſubſtantiam ſubſiſtentia aliena creata ſubſiſtere. Licet enim ex decreto Dei dependenter ab vnione ad naturam, quæ ſuppoſitum ſit, poſſit ſubſtantia produci, atque in illa ſuſtentari non autem in ſuppoſito, qua ſuppoſitum realiter formaliter eſt: ac proinde neque ſubſtantia aliena poterit ſuſtentari. Sed inquies: tunc ſubſtantia illa non habet ſubſiſtentiam propriam; quia non habet exiſtentiam per ſe, ſiue independenter ab vnione ad aliud, cum eam habeat dependenter ab vnione ad naturam, quæ ſuppoſitum eſt: ergo habebit ſubſiſtentiam alienam, quæ nulla alia eſſe poteſt niſi naturæ illius, cui vnitur. Reſpondetur facile non eſſe opus, vt ſubſtantia ſingularis ſubſiſtentiam habeat aliquam, ſiue propriam, ſiue alienam; poteſt enim pars eſſe, vt in caſu præſenti, ſicque amittere cum totalitate eſſendi perſonalitatem propriam, atque non vniri ſubſiſtentiæ formali alienæ ob rationem datam.

3 Dico quartò: Subſtantiæ de ſe totalis ſubſiſtentiam ſolus Deus cauſat impropriè efficienter negatiuè. Solus enim Deus libera voluntate ſua naturæ legibus ſoluta poteſt eam producere dependenter ab vnione ad aliud: quare liberæ remotioni decreti Dei de eius productione dependenter ab vnione ad aliud ea negatio dependentiæ debetur. Subſtantiæ de ſe indifferentis, vt pars vel totum ſit, illud erit efficiens proximum, quod fuerit proximum efficiens aut conſeruans vnionis partium, quibus totum integratur: ac deinde Deus erit efficiens negatiuè, quatenus totum; v.g. aquam, non producit dependenter ab vnione ad lignum, vt nuper dicebamus. Procliue hinc eſt definire an ſubſtantia indiuidua eadem, vel diuerſa actione cum propria, & cum aliena ſubſiſtentia, vel ſine illis conſeruetur? In ſententia de modis ſuperadditis eadem omnino ſemper actione conſeruabitur. Cum enim modus perfeitatis, vel vnionis diuerſa actione, atque ſubſtantia ipſa, conſeruetur, licet actio perfeitatis, vel vnionis pereat, ſubſtantiæ productio permanebit; cuius oppoſitum inconſequenter ad ſuam doctrinam docet Albert. n. 7. In noſtra verò ſententia dicendum eſt ſubſtantiam in eis caſibus eadem actione produci, & conſeruari. Vt enim contra Arrubalem & Herice oſtendimus latè in phyſicis actiones non ſpecificantur ex fine operantis: ergo eadem actione, qua ſubſtantia producitur independenter ab vnione ad aliud in ſui exiſtentia, poterit produci ex fine actualis compoſitionis; ſiue dependenter ab vnione ad aliud, hoc eſt, vel cum ſubſtantia propria, vel cum aliena.

4 Ex hactenus dictis conſtat, quam inutiliter Vallius de prædicamento ſubſtantiæ q. 3. Albert. d. 3. q. 11. longiſſimam quæſtionem de diſtinctione primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ, atque huius à ſuppoſito inſtituant. Primam ſubſtantiam definiuit Ariſtit. *Quæ neque in ſubiecto aliquo eſt, neque de ſubiecto aliquo dicitur*, ſcilicet prædicatione formali, & directa, ſecus materiali, & identica, atque indirecta. Poteſt enim dici: Petrus eſt Petrus: & hoc album eſt Petrus. Vnde ſubſtantia ſecunda erit, quæ prædicatione formali, & directa prædicatur, ſcilcet in quid, ac non, vt forma metaphyſica, quæ metaphyſicè in ſubiecto eſt: ac proinde ſolum genus, & ſpecies ſecundas ſubſtantias eſſe Ariſt. aſſeruit. Dicitur autem prima ſubſtantia, quia in re ipſa primò ſubſiſtit; ſecunda verò quia non niſi ope intellectus abſtrahentis ac proinde ſecundariò. Conſtat etiam indiuiduum, ſubſtantiámque à ſuppoſito quoad intrinſecum, & poſitiuum nullatenus differre; ſed ſolum quoad extrinſecum negatiuum independentiæ ab vnione ad aliud, in qua totalitas, & quod idem eſt perſonalitas, ſiue ſubſiſtantia conſiſtit, vt diximus.

CONTRO

CONTROVERSIA VNICA
DE
TRINITATE.

Auditoribus Præfaciuncula.

INDE meritò præſentis myſterij controuerſiam ordiemur, vnde eius explicandi Theologorum Apex Nazianzenus cæteris in hæc verba capeſſendum præſtitit initium. *De iiſdem* (Trinitatis perſonis) *dicam lingua, mente, & intellectu perhorreſcens, quem beatum, & laudabilem affectum vobis quoque opto.* Adeorum enim, quæ Deo Opt. Max. qua vnus eſt, conueniunt, inueſtigationem, exigua nimirum, ac nimium tenuis, lux à rebus ipſis creatis ſuppetit; ad ea verò, quæ ſupremum Trinitatis myſterium attinent, exploranda, omne nos rationis lumen deſtituit: vnámque fidem mens noſtra ducem ſortitur. Itaque, quemadmodum Princeps alium de nocte ad ſe acciri volens interdum ipſi inflammatam facem præferendam curat, vt diſcuſſis nocturnis tenebris certiùs, commodiúſque accedat; nonnunquam ſatis habet famulum allegare, viarum omnium gnarum quidem illum, qui hominem per quoſcumque anfractus, viarúmque difficultates ſine errore deducat. Sic Deus bifariam ad ſeſe, ſui nempe cognitionem, homines vocat. Nam ipſi interdum adhibet lucem: interdum duntaxat ducem. Lucem quidem, dum rebus creatis facem præferentibus aliqua de ipſo, qua vnus eſt, aperta, atque euidenti ratione hominum diſcurſus aſſequitur, atque ad creatorum exemplum facile concipit: vt iam, non recta modò, ac certa via, ſed illuſtri etiam, ac luculenta videatur incedere. Ad ſe verò, qua Trinus eſt, ad eundum diuinam nobis fidem ducem deſtinauit: quæ manu nos citra erroris quidem periculum, adhuc tamen, quaſi per tenebras, & caliginem traheret. Igitur non parum vereor ei me diſſertationi dedere, in qua vix quidquam humana ratione agendum ſit: faciliúſque longè, quæ ab aliis afferuntur improbari poſſint, quam tradi probabiliora. Sed enim, quam alij fuerunt ingreſſi, nobis etiam, Deo auſpice, ineunda via eſt: ne nos (quod abiecti animi foret) illorum potius periculum moueat, quam exemplum. Curandum tamen erit, ſin minus ſub noctis caliginem nouas ſemitas imprimere, in eis, quas Patrum, & Scholaſticorum veſtigiis impreſſas videremus, quoda ſperum, ac difficile videbitur, in planum demittere.

Claritatis ergo gratia (cuius nobis vbique ratio quam maxima) ſic controuerſiam diſponam: vt primò notitias tanti myſterij examinem. Secundò purum ipſum myſterium proponam, atque ab hæreticorum erroribus, ſophiſmatibúſque vindicem. Tertiò de diuinis diſputem proceſſionibus. Quartò de earundem principiis ſtatuam. Quintò, quia intellectus, & voluntatis actus diuinæ proceſſiones ſint, earum excutiam, diſcutiam obiecta. Sextò de prædicatis communibus, quæ in diuinis multiplicantur ediſſeram. Septimò de perſonarum numero, ac diſtinctione inter ſe ſe agam. Octauò de diſtinctione eſſentiæ ac perſonalitatum indagem. Nonò de perſonarum conſtitutiuis, ac de diſtinctiuis inquiram. Decimò de propriis, & appropriatis perſonarum decernam. Vndecimò de diuinis notionibus tractem. Duodecimò Perſonas inter ſe ſe comparem, & quoad intrinſeca componam. Decimotertiò comparem etiam quoad extrinſeca, ſiue de diuinis miſſionibus dicam. Decimoquartò demum modos in materia de Trinitate loquendi edoceam. Quibus diſputationibus quidquid hac in re vſquam, ſiue à priſcis, ſiue à Recentioribus Theologis dubitatum, diſputatúmque, adhuc leuiter, fuit, continebitur.

DISPVTATIO PRIMA.

De notitia huius Myſterij.

MYSTERII huius ex Dei reuelatione, ac fide habita notitia præſenti diſputationi non ſubiacet. Tum quia, ſic nobis Trinitatem innotuiſſe citra dubium eſt: Tum quia, teſtimonia, quæ ex Scriptura, & Patribus ad eiuſmodi notitiam conuincendam petuntur diſputat. 2. proferre ſemel ſatisfuerit. Sed neque notitia intuitiua beatorum ad hanc diſputationem vocatur: cùm notitiæ beatificæ de Deo vno, trinóque examen ad materiam de Dei viſione ſpectet. Solum ergo de abſtractiua myſterij huius notitia vi intellectiuæ facultatis, ſiue humanæ, ſiue Angelicæ inſtituitur diſputatio præſens. Poteſt autem mens ſola naturali rerum, & obiectorũ abſtractiua cognitione prędita conſtitui. Secundò, cæca fidei de *myſterio* tanto luce illuſtrata: Tertiò, intuitiua etiam effectuum, & actionum naturalium cognitione ſuffulta. Quartò denique viſione ſupernaturalium donorũ ornata. Pro quibus ſtatibus ſingulis, & omnibus lis eſt valde diuerſa. Ne verò duplicis cognitionis vulgaris in hac materia diſtinctio, nẽpe Trinitatis, quoad an eſt, & Trinitati quoad quid eſt, pro ſingulis quæſtionibus repetatur, néue prauè intellecta caliginẽ auditoribus ſuffundat, aduerto cognitionem, quoad an eſt, abſtractiuam alicuius obiecti non poſſe omnino præſcindere ab omnibus prædicatis eſſentialibus illius. Ratio eſt perſpicua. Cum enim cognitio, quoad an eſt, ſit cognitio, qua cognoſcitur exiſtentia obiecti, ſeu, quod idem eſt, obiectum exiſtere, aliquid debet de obiecto ex parte ſubiecti ab ea cognitione attingi, vt de illo exiſtentia affirmetur. Rudi ergo minerua, ſed quantum pro præſenti diſputatione ſit ſatis, duplicem cognitionẽ, quoad

R.P. Chriſtoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

quoad an est,& quoad quid est sic diuido: vt cognitio Trinitatis,quoad an est,sit cognitio prædicati superioris Trinitatis Personarum identificatarum cum essentia, de quo inquiratur existentia; cognitio autem Trinitatis, quoad quid est, ea sit, qua totum mysterium Trinitatis secundum omnia prædicata,& formalitates,quas de ipso nouimus cognoscatur.

QVÆSTIO I.

Quidnam intellectus creatus intra naturalem, & abstractiuam effectuum cognitionem de Trinitate assequi possit?

TSt intra effectus rationem non naturales modo, sed & supernaturales claudantur entitates, vtrosque coniunxi non casu. Cum enim, qua effectus formaliter æquè omnes à Deo pendeant, quare, & ipsum eodem modo respiciant, æqua,immo eadem est de vtrisque difficultas.

CERTAMEN I.

Demonstrari non posse à creato intellectu ex effectis vllis Trinitatem.

1 CElebris iam olim fuit Gnosticorum error, Valentini,Marcionis,Saturnini,Basilidis,& sequacium, quos refert, dum refellit Irenæ.lib.2. cap.48. asserentium se Trinitatis mysterium rigorosè scire. Eos tot post sæculis imitatus est Raymundus, Lullius censens se adeò euidenter Trinitatis mysterium demonstrare,vt gentilem,& Mahometanum cõuincere valeret; ita lib.de Ecclesiast.prouerbiis,lib.de planctu.Raymundi lib. Apostrophen, lib.de demonstrat.æquiparantiæ, lib.sententiar. init. teste Cimerico in directorio Inquisitorum p.2.q.9. art.96. pag.260. Patre Vasq.1.p.disp.133. init.qui,licet,tam illic,quam cap.4. Lullium non ex solis principiis naturalibus, sed ex fidei etiam principiis Trinitatem à se demonstrari existimasse interpretetur, pietatis potius, quam veritatis interpretationem iudicat meritò Didacus Ruiz disp.41.de Trinit. sect.1.n.7. Tum quia Gentiles, & Mahometanos,in quibus fidei principia locum non habent,à se conuincendos Lullius iactabat:tum quia Lullij verba hæc refert Cimericus citatus art.97.*Fides est necessaria hominibus inscijs*,&c.& post pauca: *homines grossi ingenij, & illiterati; & inscij facilius trahuntur ad veritates Christianorum per fidem, quam per rationem; sed homo subtilis facilius trahitur per rationem, quam per fidem.* Addiderim: demonstrationes ipsas Lullianas nusquam principiis fidei innitri, ac proinde ex solis naturalibus principiis demonstrari Trinitatem putabat. Pia igitur illa interpretatio reseruetur pro Hugone Victor.tom.3. tract.eruditionis Didascal.lib.7.cap.21.pro Ricardo lib.3. 4.5.& 6.de Trinit. Henrico quodlibeto 4. q.14. Neque enim de Hugone viro doctissimo aliter censere fas est, Ricardus verò 1.de Trinit.cap.1. illud Isaï.7. *Nisi credideritis non intelligetis*, de hoc mysterio inprimis interpretatur: quare fidem ad eius cognitionem supponit, sicut & Henricus expressè,nec aliud ferendum iudicium est de acuto cum primis Theologo Aureolo, ex quo in 1. d.9.p.1.art.4.§.2.in solutione instantiarum hæc referuntur: *Demonstratiuè probari generationem Verbi, quia Deus seipsum verè,& realiter generauit, si seipsum verè, & realiter intellexit.* Etenim Capreol. malè vbique recitat Aureolum, vt bene impugnet. Solus ergo Bernardus Lauinheta compend.artis Lullianæ, Raymundi Comes hac in re præter hæreticos primo loco citatos inuenitur.

2 Dico primò. Trinitas ab intellectu creato ex naturali,& abstractiua effectuum omniũ cognitione nequit euidenter deduci. Est omnium Theologorum conclusio: quare neminem singulariter dabo. Est etiam commune Patrum, & Conciliorum dogma ex Lucæ 10.& Matth.11. *Nemo nouit Filium,nisi Pater, &, cui voluerit Filius reuelare.* Vtrumque testimonium expresè pro nostra conclusione interpretatur Conc.Nicænum post med.§.*ne quæras*,Antiochenum primum in profess. fidei ad Paulum Antiochenum sub init. vbi habet: *notionem Dei,vtcumque mediocrem,si habemus, reuelante Filio eius sicut ait: Nemo nouit filium*.&c.Quo testimonio ad rem hanc vtuntur Clemens Romanus ad Iacobum fratr. Domini col.10. Cyril. Hierosolimit. Catechesi 6.col.2. Basil.1. contra Eunom. post med.Epiphan.hæresi 76. circa med.ad cap.7. Aetij; Euseb.Cæsar:demonstr.Euang.cap.3. & lib.5.c.p.1. Phæbad.contra Arrian.post init.Hilar.2.de Trinit.circa med. Item 1. Corinth.2. dicitur, *Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei*, vbi solæ,& omnes creaturæ à notitia Dei, præcipuè trini, excluduntur, vt vulgo Patres interpretantur. Audi Chrysostom. hom. de incomprehensibili Dei natura. *Vocabulum id autem nullus, semper ad seiungendam creaturæ tantum conditionem poni solitum est. Itaque sit,vt nec si de Patre agitur, Filius remoueatur, nec si de Filio Spiritus vnquam secludatur: Quemadmodum eo loco cum nullus dicatur non seiungitur Filius.* Cuius rationem dedit Athanas. ex quo Albertus 1.part. quæst.40.membro 1.quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus idem, eadémque cognitione cognoscens est: quare cognitione vnius asserta alterius, siue aliorum etiam asseritur.

3 Insuper Prouerb.30. *Quod nomen est eius,aut quod nomen Filij eius?* ad quæ Hieronymus: *de Dei Patris, & Filij nomine dicit, cuius mysterium secularis sapientia naturaliter scire non potest; quamuis vnum esse Deum intelligere possit.* Melius Dionysius 13. de diuin. nomin. *Nulla Monas, aut Trias, neque numerus, aut fœcunditas, neque quidquam aliud eorum, quæ, aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud summæ, omniáque superantis diuinitatis, quod rationem omnem, mentémque vincit, enunciat: neque eius nomen est, neque ratio, sed in iis, ad quæ aditus non patet, secreta est.* Sancti Martialis epistol.1. ad Burdegal. cap.10. sub init. *Sola Trinitas in diuinitate vnitatis seipsam nouit.* Cyprianus de Cardin. Christi operibus: *Ad hanc verum adeo profuit darum (* nempe Trinitatis personarum *) indagationem, nisi Incarnati Verbi magisterium accessisset, humanum ingenium defecisset.Et nescio, si aliqui audevent ad hæc tentanda conatus assurgere.* Augustinus tract.27. in Ioann.ad id ex cap.6. *Sunt quidam in vobis, qui non credunt*: hæc habet: *causam dixit, quare non intelligunt, quia non credunt: Prophetæ enim dixit: nisi credideritis, non intelligetis.* Atque vniuersim Trinitatis mysterium supra captum omnem intellectus creati esse fatentur Nazianz. oratione 34. 2. de Theolog. longè à med. Nyssenus de different. essent. & hypostas.inter med. & fin. Hilar.2. de Trinit. pag.4. circa med. Hieronym. procem. in 18. Isaï. sub init.August.1.de Trinit. cap.1.1. & 3.& lib.15.cap.6.& tom.6. 3. contra Maxim.cap.14. Anselm.in Monolog.cap.62.& 63. Hilar. canon. 16. in Matthæ. Hormisda Pap. epist. ad Iustin. tomo 2. Concil. Acazius Episcop. epist.ad Cyril.tom.1. actorum Concil. Ephesini cap.23. Leontius Episc.tom.1. Concilior. in Nicæno fol.529. & quotquot illud Isaï. 16. de aliis duabus, quibus Seraphin. faciem velabant, dum *Sanctus, Sanctus, Sanctus* clamabant, expendunt supra aciem intellectus sui Seraphim fateri hoc mysterium interpretantur. Denique Augustinus postremo loco, & Hilar. Ambrosius item 1. de fide ad Gratian. capite primo, Athanasius sermone 3. contra Arrian. æternam generationem supra vires creatæ intelligentiæ asserunt. Quod ipsum de processione Spiritus sancti fateri tenentur. Adde illud Matthæi 16. vbi cognitionem, quam de ipso, vt Dei Filio, habuit Petrus, sic Christus commendat: *Caro & sanguinis non reuelauit tibi, sed Pater meus*, &c. id est vires naturæ creatæ, & quidquid Pater, seu idem cognoscens cum ipso non est,prorsus excedit:Est siquidem particula, *sed*, exceptiua. Appositissimè Cyrillus Alexandr.orat. de Verbi Incarn. apud Synod. Ephes.tom.6. cap.1.

cap.1.post med. *In ipsam rem curiosius noli inquirere. Non enim per sapientiam Græcorum, aut per mundanum sensum percipitur; sed ab vtroque est aliena. Beatus es Simon Bar-iona inquit,&c.Nam filij Dei cognitio cœlestis, diuinæque inspirationis donum est.*

4 Ratione probatur conclusio.Quia subsistentiæ realitas,& formalitas sine Incarnationis reuelatione Philosophis omnibus, eorúmque Principi Aristoteli ignota fuit:atqui mysterium Trinitatis, etiam sub conceptu cõmuniori,& confusiori,siue,quoad an est,sine realitate,& formalitate subsistentiæ, vtcumque saltem intellecta,apprehendi minimè potest: ergo naturæ, & obiectorum naturalium cognitione mens ad euidentem notitiam Trinitatis nullatenus assurget. Quod enim peritiores omnes,atque in facultate aliqua excellentiores iisdem adminiculis numquam assequuntur,assecutu esse impossibile satis suadetur. Probatur secundò: quia omnis discursus euidens pendet ex parte formæ ex primo illo principio: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: sed ex hoc potius infertur, quantum naturalis ratio fine fide assequitur, negatio Trinitatis personarum identificatarum cum natura diuina, quam sic identificatarum Trinitas:ergo nequit esse ex puris naturalibus in discursu illatiuo Trinitatis euidentia ex parte formæ. Tertiò idem probatur ex parte materiæ, scilicet obiectorũ,seu mediorum ad inferendam Trinitatem,si creata hæc sint: quia creaturæ omnes solum possunt inferre Deum,quatenus effecta,vel actiones Dei sunt (loquor de supernaturalibus etiã in ratione effectus tantũ)sed,qua effectus, & actiones sunt Dei solum inferunt Dei virtutem actiuam: ergo non inferunt Trinitatem personarum.Patet, quia Trinitas personarum formaliter virtus actiua non est:ergo, quod solum infert formaliter virtutem actiuã, non infert formaliter Trinitatem personarum. Dices: Trinitas principium est creaturarum:tum,quia actiones sunt suppositorum, teste Aristot. tum etiam, quia indubitatum est actiones omnes ad extra Trinitati esse communes:ergo, si creatura est medium ad inferendum suũ principium,seu virtutem actiuam,ad inferendam Trinitatem medium erit. Respondetur negando assumptum de principio,& virtute actiua influxiua loquendo, ac non de solo principio denominatiuè. Ad cuius primam confirmationem dicito:illud proloquium neque Physophicum, nedum Aristotelis esse,cui subsistentiæ ratio numquam venit in mentem. Ad secundam dicito:ideò esse actiones ad extra Trinitati communes, quia earum principium, nempe omnipotentiam, commune quid omnibus personis est, ac proinde earum actionibus omnes denominantur,& operantur.

5 Dico secundò: neque probabiliter mens in prædicto statu inferre posset Trinitatem. Sic censet Suar.1.de Trinit.cap.11.n.11.Didac.Ruiz de Trinit. d.41.sect.5.n.15. aiens ab Scholasticis omnibus supponi.Probatur primò testimoniis scripturæ, & Patrum datis n.2.& 3. quæ generatim de omni Trinitatis cognitione sunt expressa. Hoc ipsum suadent rationes datæ n.4.His adde discursũ, quem bene expendit Ruiz sect.4. n.6. quia, vt egregiè Dionys.de diuin.nomin.& de mystica Theol. tripliciter ex creaturis mens ascendit in Deum. Primò ablatione imperfectionum. Quod autem imperfectio sit negatio Trinitatis personarũ identificatarũ cum natura in Deo, vndenam ratio naturalis, etiam probabiliter,dignoscet? Secundò per supereminentiam conditionum perfectarum,quas in creatis cognoscimus. Sed, vbinam creata perfectionem hanc, vel similem habent? Tertiò per respectũ effectus ad causam:tuncque solum infert in causa virtutem. Vnde ergo Trinitatem? Mitto quæ obiici poterant tum ex respectu effectuum ad Deum, qui, realis cum sit, non præscindit in attingentia essentiam à Personis:Nullã enim vim haber in abstractiua effectuum,& respectuum cognitione:tum etiã ex pluribus exemplaribus,quæ ad hoc mysterium declarandum congerunt Patres,& Scholastici,vt videre est apud Ricard.Victor.3.de Trinit.cap.9.atque apud nostrum Ruiz d.44.sect.2. Hæc nim creata exempla aliquid semper continent, quod

Trinitatem personarum identificatarum cum natura destruat potius,quam adstruat: Solúmque inseruient,vt iã cognitũ fide mysterium aliquatenus, & explicatius fiat. Quo super audiendus venit Hilar.1. de Trinit.sub med. sic effatus:*Infirmitas nostræ intelligentiæ cogit species quasdã ex inferioribus tanquam superiorum indices quærere, vt rerum familiarium consuetudine,admonente ex sensus nostri conscientia, ad insoliti sensus opinionem educeremur:Omnis igitur comparatio homini vtilis potius habeatur,quam Deo apta.*Quid pulchrius?

CERTAMEN II.

Argumenta soluta.

1 OPpones primò Prophetias Sybillarum de Verbo diuino relatas à Lactantio Firmiano 1.diuinar.instit.c.6.& lib.4.c.6. & 7. ab August.18.de ciuit.c.23. & 24.à Iustino Martyre exhortatoria ad gentes prope fin.Iulio Sireno opusc.de prouident.circa fin.Eugubino de perenni Philosophia lib.1.c.22. & 25. Respondetur tamen cum his Doctoribus,& Clem.Alex.1.Stromat. eiusque interpretibus,Herbeto,& Auctore collectaneæ,Ludou.Vines ad cap.24. citat. Aug.Sybillas non nisi diuina reuelatione edoctas de hoc, & Incarnationis mysterio, quæ scripserunt euulgasse; id, quod minimè nostræ aduersatur doctrinæ.

2 Oppones rursus:Philosophos antiquos notitiam aliquam mysterij huius habuisse,testantur Patres.Et de Platone quidem constat ex eius epistolis ad Dionem regẽ, testantúrque Iul.Siren. suprà apud Eugubin. cit.lib.1.c.5. & citandum infra c.7.Clem.Alex.5. Stromat.prope fin. Cyrill.Alex.1.contra Iulian.August. supra c.29.& 7.confess.c.9. qui hoc mysterium tradidisse lib.de Repub. expresè asserunt,atque in Epimenide testatur Euseb.Cæs. 11.præp.Euang.c.10.De eius itẽ discipulis Numenio,Plotino,& aliis idẽ testantur Euseb.Cæsar: vbi proximè c 11. Eugubin.2. de perenni Philos. à c.7.ad 15. de Porphirio eiusdem Discipulo refert August.cit.c.23.De Patre autẽ, & Filio notitiam habuisse Philosophos, præcipuè Orphæum,referunt Iustin.&Clem.Alex.supra col.4.§.*Nã is.* Cyril. supra etiam post med. eique col.pen. distinction. adscribit, quod Suidas apud Eugubin. supra cap.17. adscribebat Trimegistro, quod sic habet:

Vocem adiuro te Patris, quam locutus est primum:
Quando mundum vniuersum suis formauit consiliis.

Ac de Hermete plura refert ibi Cyril. quibus eius de hoc mysterio notitia claresc it. Adde responsum Serapidis Ægyptio Regi Thuilæ tẽpore belli Troyani his verbibus:

Principio Deus est:tum sermo,& Spiritus illi
Additur: æquæua hæc sunt, & tendentia in vnum.

Id ipsum agnouisse Trimegistrũ Phylosophum serm.3.ad Asclepium constat ex eius verbis relatis à Cyril.Alex.1. contra Iulian.quæ sic habent:*Vna sola erat lux mentalis,& est semper lux fulgida:& nihil aliud erat quam huius vnitas semper in seipsa existens:semper sua Mente,Luce, & Spiritu omnia continente*,vbi Cyril.*Mente* intelligi Patrem,*Luce* Filiũ,& *Spiritu* Spiritum S.à Trimegisto asseuerat. De Homero, & Xenocrate Clem.Alex. proximè idem refert.de Arist. Eugubin.supra c.5.& 6.De Chaldæis c.4.& 5.de aliis Philosophis à cap.8.ad 20. & speciatim horum notitiam de Verbo à c.23. ad 30. Qua de re vide Salmeronem tom.2. tract.3.fol.pen.Iansenium c.1.concord.Ex quibus constat perperam negari antiquis Philosophis huius mysterij notitiam à Magistro in 1.d.3.cap.*nunc restat*, & S.Tho.ibi q.1.art.4.eiusque interpretibus nonnullis.Constat etiam malè à Didaco Ruiz d.45.sect.1.n.18. solum concedi Philosophis notitiam Trinitatis Personarum,non autem identitatis earum in natura: cum huius etiam notitia in disticho illo Serapidis,testimonio Trimegistri,& aliis,quæ videri possunt apud Patres citatos, contineatur. In quibus celebre illud est Dæmonum oraculum, quod refert Iustin.supra hoc disticho.

Soli Chaldæi sapientiam adepti sunt, & Hebræi,
Genitum se Regem venerantes Deum ipsum:

Nec obscurius hac de re extat Delphici Apollinis oraculum relatum ab eodem Eugubin.2.de perenni Philosophia cap.vlt.his versibus.

Ne me scitetis de sancto, ac diuino genitore,
Et sobole chara rebus magni induperantis,
Et flatu, qui mundum adstrictum continet omnem.

3 Nihilominus respondetur facile notitiam hanc ex propriis mentis viribus habitam à Philosophis non fuisse, solúmque ex peculiari Dei prouidentia ipsis contigisse. Hæc porro Sybillis, vt dictum est, num.1. vt doctis euulgarent, mysterium tantum reuelauit: disposuítque, vt Phylosophi Ægyptum adirent, atque ibi Moysis, ipsis antiquioris, libris eam veritatem edocerentur: vt de Homero, Horphæo, Solone, Pythagora, Platone, & aliis referunt peruetustus Diodorus relatus à Iustino Martyre orat. exhortator. citata post init. Clemens Alexand.5. Stromat. apud quem Aristobulus, & Numenius, August.18. de ciuit. à cap.24. præsertim cap.37.& 2.de doctrin. Christiana, cap.28. licet in temporum Chronologia errauerit.Cyrill.Alex. supra col.2. & 8.vbi seriem, qua doctrina hæc à Moyse ad Philosophos peruenerit, scribit, ac rursus sub libri fin. Quod etiam de Hermete Trimegristro, Ægyptio Philosopho Græcis vetustior,refert vbi proximè: nempe ex Moysis scriptis mysteria fidei hæc, vtpote antiquioribus, transcripsisse. Videatur Euseb.10. præparat. euang. cap.1.2. & 3. Theodoret. de curat.græcanicar. affection. Denique eadem Dei prouidentia veræ fidei muniente viam effectum etiam est, vt dæmones mysterium tantum, quod ex reuelatione viatores nouerant, vel inuiti ex tripode prædicarent, euulgarentque, vt constat ex tribus oraculis recitatis. Itaque, licet notitia Philosophis de tanto mysterio contigerit, ea tamen naturali discursu habita minimè fuit; neque haberi aliunde, quam ex Deo Sybillis, Moysi, ac malis Angelis, adhuc viatoribus reuelante, vsquam potuit.In hanc solutionem Doctores fere omnes conueniunt Albert. in 1.d.3. Bonauent.p.1.art.3.quæst.4.corp.Carthus.col.vlt.Ricard. p.1. art.2. quæst.2. corp.Alexand. 1.p.q.2.memb.1.art.3. Molina q.32.art.1.fin. Vasq.d.132. Suar.de Trinit. cap.11. num.12.

4 Lullianæ demonstrationes somnia sunt ex familiaribus ipsi terminis *bonificativum*, *bonificare*, *& bonificabile*, similibúsque compacta: quibus vigil non, nisi deliret, intendat: quippe quæ auctoris insciriam, non Trinitatem demonstrant.Videat, quem vacet risui vacare, apud Vasq. 1.p.d.133.cap.1.&2. Didacum Ruiz d.3. de Trinit. sect.3.d.19.sect.7, d.41.sect.1. & 2. nos etenim seria vocant.Arguit Ricard.1.de Trinit.cap.4. necessarium nequit necessaria ratione carere: sed Trinitas personarum in eadem natura necessaria est: ergo nequit necessaria ratione carere. Nego maiorem. Ecce prima principia necessaria sunt, & tamen seipsis; atque omnino independenter à ratione, & mediis necessaria sunt. Secundò distinguo maiorem: non potest necessaria ratione naturali, vel supernatuli carere, permitto maiorem; naturali tantum,nego; atque admissa minori, de ratione naturali tantum, nego consequentiam.Secundò ex Becano dices: Omnis actio terminatur ad aliquid productum: sed intellectio, & volitio Dei sunt actiones: ergo terminantur ad aliquid productum:non extra Deum, cum immanentes, & vitales sint, quibúsque intelligat,& amet Deus: ergo intra Deum est duplex terminus amoris, & intellectionis distinctus à producente; non quidem in natura, ne sint plures dij: ergo in personalitatibus, seu personis. Respondetur negando minorem: quia Deus se intelligit,& amat amore, & intellectione secum identificata:quomodo igitur,si naturæ stemus legibus, & lucibus actiones erunt? Imo, cum Spiritus S.intelligat,& amet, hic etiam aliam personam produceret ex hoc argumento, sicque infinitas induceretur personarum diuinarum.

5 Arguitur rursus: quia charitas perfecta, quæ est amicitia,& concordia, potentia item generatiua, & capacitas naturæ, vt subsistentiis terminetur perfectiones profecto in creatis sunt: ergo in Deo, qui cumulus perfectionum de se est, debent necessariò reperiri ablatis imperfectionibus, quæ in creatis dicunt. Summa item communicabilitas infinita propria Dei boni summi infiniti, nisi ad infinitam personam terminetur,esse nequit.? Respondetur: si lumine naturæ stemus enumeratas perfectiones diuisionis, & multiplicitatis in natura imbibere, vt eis purgari, non nisi perfectionum destructione queant. Deinde infinitas personas producendas probant: cum quæuis Deus sit ex his, quas productas assignes. Solum ergo piæ congruentiæ eiusmodi rationes sunt fide suppositæ, non naturales demonstrationes.Ex Mathematicis plures demonstrationes aduocantur. Prima, sicut multitudo reducitur ad vnitatem, ita æquiuoca actio ad vniuocam: ergo in Deo actio æquiuoca ad extra reduci debet ad vniuocam ad intra. Sed, si negetur antecedens, vndenam demonstrabitur? Secunda ex Boëtio in Aristhmet.æqualitas præcedit omnem inæqualitatem:sed inter Deum, & creatarum est inæqualitas: ergo ante hanc præcedit æqualitas in Deo, quæ nisi inter distincta esse non potest. Respondetur: si æqualitas,& inæqualitas propriè sumantur,in iis, quæ capaces pluralitatis, & distinctionis sunt veram esse maiorem; ast in vnissimo Deo esse inæqualitatem, sine æqualitate.Mitto argumentum ex perfectione numeri ternarij, quod.& ridiculum, & vorticosum menti est: Satisque respondetur esse numeraiem solum perfectionem supponentem pluralitatem, diuisionem, inæqualitatem: quæ omnia Deo, si naturæ solum lumini stemus,videntur repugnare.

Certamen III.

Athanasius, atque Anselmus luce donantur.

1 VEnio ad difficillima Athanasij testimonia in Concil.Nicæ.col.5.vbi de Verbi diuinitate Arrium conuincere tentat ex illo ad Roman. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Cúmque id de Patre solum probare Arrius responderet: instat Athanas. Verbum etiam inde debere agnosci. Do verba: *Ex magnitudine enim, & pulchritudine rerum conditarum congruenter oportet artificem æstimari, & gratiæ illi haberi: certum est autem omnia creata per Verbum,& sine eo factum esse nihil.*Et orat.2.contra Arrian. sub init. *Iure Paulus incusat Græcos, quod congruentiam inter se partium, ordinémque rerum naturæ contemplantes nihil cogitauerint de ratione naturæ, sine Verbo. Res enim conditæ conditorem ostendunt, vt per eum verum Deum ostendant, additumque est ab eodem Paulo: eterna quoque eius potentia,& diuinitas, vt filium significaret.* & orat.3. prope fin. *In operibus indita est sapientiæ effigies, vt mundus per eam agnosceret suum opificem: rationem videlicet.sine Verbum, & per Verbum Patrem. Et illud ipsum est,quod Paulus ait.*Denique Presbyteri Alexandrini epist ad Alexand. quæ extat inter opera Athanasij de synod.Arimini, Seleuciæ Arterium, Arrianum accusant, quod prædictam illationem ex citato Pauli loco negaret. Sentiunt ergo naturaliter ex creatis posse euidenter duas saltem personas Trinitatis cognosci.

2 Cum autem Athanas.idem cum Patribus omnibus variis in locis sentiat *gratiæ donum esse, & supra hominem, & quod transcendat omnia charismata, Patris illa, ipsíusque Verbi cognitio*, vt aiebat orat.1. contra Arrian. illum,& sibi, & nostræ catholicæ doctrinæ conciliare operæ fuerit non leuis. Noster Ruiz d.41. sect.2. à num.14. ait tacitè ab Athanas. subintelligi supernaturale auxilium gratiæ excitantis, quod præsto infidelibus semper fuit. Certè huic interpretationi apertè aduersantur Verba Athanasij, quæ in rebus creatis, atque à Philosophis cognitis totam Patris, & Verbi ostensionem ponunt. Deinde quodnam gratiæ auxilium ad inferendum ex creatis

creatis Patrem, & Filium assignat? an fidem, reuelationémque eorum obscuriorem? Ergo non ex creatura mundi, & ordine rerum colliguntur infallibiliter, vt vult Athanas.& Paulus; reliqua autem auxilia, quæ mysterij cognitiones, illúdque aliquatenus concernentes non sint, ad bene inferendum, & discurrendum non pertinent. Sic ergo Athanas.interpretor. Scilicet: vt solum velit, quod Verbum quatenus ratio est creandi à Philosophis cognosci debeat ex rerum creatarum ordine naturaliter intellecto, & Pater, qua primum cognoscens est,non autem qua propter, & Filius personaliter distincti.Id satis innuunt verba illa secundi testimonij: *Nihil cogitauerint de ratione naturæ, sine verbo:* ergo sufficiet, si aliquid Verbi cogitauerint, quod scilicet ipsi approprietur: nempe esse rationem condendi creaturas.Item eiusdem testimonij Verba illa: *vt mundus per eam agnosceret suum opificem, rationem videlicet, sine Verbum*: vtique: quia sine ratione aptè fieri,disponíque non potuit. *Et per Verbum Patrem.* Scilicet,vt qui primario rationem habet condendi. Et sanè hoc satis fuit, vt inexcusabiles gentes iudicentur, qui nec Deum, nec rationem agendi ipsius,quam ex rerum natura, & ordine cognouerunt,fuerint venerati.

3 Affatim etiam inde Arrius conuincebatur Verbum esse Deum. Si enim ex Paulo euidenter colligitur ratio diuina, Deóque intrinseca, cum qua ipse mundum architectatus est: atque ex alia parte constat ex Euangel. (quod Arrius profitebatur) rationem, per quam Deus operabatur,esse Verbum, conuincitur Verbum Deo intrinsecum,& consubstantiale Patri fore,quod Arrius negabat. Hanc autem suam mentem satis superque explicuit Athanas. in conclusione primi testimonij illis verbis: *Certum autem est omnia creata per Verbum*, &c. & vbinam certum est? an naturali lumine? neutiquam sane, sed ex Euangelio Ioann.1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Vnde ea verba Athanas. mutuatur. Constat etiam, quanti criminis, quantóque iure Presbyteri Alexandrini citato loco Asterium, Arrianum arguant, quia Verbi diuini collectionem ex loco Pauli neget: nempe, quatenus Verbum ratio est efficiendi creaturas. Id quod si ex illo Pauli loco colligi fateretur, cum ex alio Ioann. primo rationem fabricandi creaturas in Deo esse Verbum tenerentur fateri, nequirent negare Verbum esse Deum, atque Arrianam hæresim non deserere.

4 Neque verò faciliora interpretatu sunt verba Anselm. ad eumdem locum Pauli ad Roman.1. quæ sic habent: *Potest etiam sempiterna virtus eius intelligi filius eius, per quem facta sunt omnia: diuinitas autem Spiritus Sanctus intelligitur. Itaque per visibiles creaturas cognoscitur inuisibilis Pater, & sempiterna virtus eius, quæ est filius, ac diuinitas, quæ est Spiritus Sanctus: ita vt Gentiles, qui Scripturas diuinas non habent,sint inexcusabiles.* Ast, nisi Trinitas euidenter ex creaturis cognosci posset, essent Gentiles excusabiles: ergo sentit Anselm. euidenter cognosci posse ex creaturis Trinitatem. Tam apertè videtur Anselm.locutus, vt noster Granados, singularis modestiæ, & pietatis vir, meliori desperata solutione improbandam esse hanc Anselmi expositionem fateatur. Ego verò acutissimum cum primis Patrem, & Theologum, Doctissimúmque interpretem Anselmum de rebus, etiam clarioribus, condemnare non ausim.Respondetur ergo iuxta proximè dicta solum voluisse Anselmum cognosci à Philosophis potuisse Trinitatem personarum, non quidem secundum se, & particularia, quæ in re habent, sed solum secundum communia quæ ipsis à catholicis peculiariter appropriantur:Ea autem sunt, quæ ibi enumerat Paulus, atque interpretatur Anselmus.

***

Quæstio II.

An intellectus lumine fidei, & reuelationis adiutus possit Trinitatem inferre.

DIxi in quæstionis titulo *inferre*, vt denotaret de assensu fidei, qui discursuus non est, quæstionem non esse; sed solum de discursiuo assensu ex actu fidei, vel ex reuelatione cognita, & principiis naturalibus elicito. Potest autem iuuare fides vt cognitio inferens,atque vt præmissa, vel vt obiectum,& medium cognitum, sicut reuelatio potest esse insuper cognitum abstractiuè,sicut modo cognoscitur,tam fides, quam reuelatio,vel intuitiuè, si alterutra speciebus propriis cognosceretur. Et de his quidem omnibus singulatim, & seorsim quæstione hac statuemus.

Certamen I.

Fides Trinitatis nequit iuuare formaliter, vt præmissa, ad assentiendum Trinitati; secus fides vnius personæ ad assentiendum alteri certò, licet non euidenter.

1 RIcard. & Hugo Victorinus, Henticus,Gerson; & si placet, Aureolus asseruerunt vires naturales intellectus adiutas lumine fidei posse euidenter Trinitatem demonstrare, quibus fauent Dur.in 3. d.23. q.9.n.12. Caiet.2.2.q.171.art.5. Alphons. Tolet.q.1. Prologi, art.2. concl.3. Oppositum censent Molin.1. p. q.32. art.1.Valenc.1.p.q.6.de Trinit.punct.1. ad quartum argumentum, Vasq. d.133. & sequentibus, Suar.1.de Trinit. cap.12.n.8. Granad.1. p.tom.3. tract.6.sect.1.& 4.Didacus Ruiz d 43.sect.2. per totam, quibus & hos libenter subscribimus. Ratio est facilis: quia vel fides influit,vt principium,vel, vt obiectum cum obiectis,& principiis naturalibus, vel secus? Si concurrit: ergo conclusio euidens non est, cum alterum ex principiis obscurum sit, neque atque conclusio euidentior suis principiis esse clamante Aristot. *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* In hac ipsa euidentiæ materia, & comparatione conclusionis cum suis principiis. Iam verò, si non concurrit, neque influit fides cum naturalibus principiis, & obiectis:ergo neque nouam conexionem cum Trinitate obiectis naturalibus præbet, neque principiis naturalibus nouam extensionem, vt virtute contineant Trinitatem:,sed, vt probatum est q.1. cert. 1. neque obiecta habent connexionem cum Trinitate, neque principia virtute illam includunt, si naturalia sint, sed potius videntur excludere: ergo,licet fides intellectui affulgeat creato,nequit ipsi inferuire, vt euidenter inferat Trinitatem.

2 Itaque,licet fides intellectum perficiat, atque solertiorem reddat ad indaganda media, & discurrendum pro veritatis cognitæ demonstratione,si tamen medium non sit, vt non est in natura ad Trinitatis veritatem demonstrandam, frustrabitur sane solertia sæpè. Confirmatur: quia implicat aliquid eleuatum ad effectus supra suam naturam edendos sola, & præcisa vi naturæ ad illos concurrere: quin potius necesse est, vt comprincipium eleuans saltem inadæquatè concurrat (imo in Thomistarum sententia principium eleuans tota ratio agendi esse debet) vt patet in intellectu eleuato lumine gloriæ ad videndum Deum, & in aqua eleuata ad physicam (vt malè quibusdam placet) gratiæ productionem. Ratio autem huius perspicua est: quia si

sola natura agit non autem eleuatio, seu principium eleuans: ergo non ab eleuatione, seu principio eleuante ea actio prouenit, sed à natura adæquatè. Ast per te fides eleuat intellectum, & non influit in demonstrationem Trinitatis cum intellectu, & obiectis, seu principiis naturalibus: ergo nil vlterius demonstrabit de Trinitate natura cum fide, quam sine illa, nisi se sola natura possit demonstrare. Addo, neque probabiliter inferre posse Trinitatem intellectum, fide etiam illustratum, nisi aliquo modo fides ipsa influat, vt perpendenti has rationes, & datas q.1. cert.2. satis apparebit.

3 Dico secundò: fides huius mysterij, vt præmissa nequit iuuare ad mysterium ipsum certò inferendum; secus fides vnius personæ ad aliam, vel alias inferendas. Prima pars conclusionis probatur: quia fides huius mysterij totalis attingit totum obiectum conclusionis inferendæ, vt patet: ergo nequit esse præmissa in discursu, quo mysterium hoc in conclusione inferatur. Patet consequentia: quia præmissa nequit attingere totum obiectum conclusionis, sed solum idemtitatem alterius extremitatis cum medio. Secunda etiam conclusionis pars, haud difficilius, probatur: quia ex cognitione fidei de filio diuino cum altera præmissa euidenti, nempe *implicat esse filium, sine Patre*, infertur certò, & infallibiliter Deus Pater, siue Pater in diuinis: contra verò ex Patris diuini fide, vt præmissa, ac recitato principio naturali necessariò inferetur Deus filius, siue filius in diuinis. Porrò tam hæc quam præcedens conclusio adeò sunt certæ, vt nihil eis, vel leuiter, possit aduersari. Extremam verò huius conclusionis partem expressisse videtur Henricus, quodlib.8.q.14.citata.

Certamen II.

Statuitur de intellectu adiuto reuelatione, & fide, vt obiectis?

1 Dico primò: ex fide & reuelatione certò cognita abstractiuè, siue fide alia reflexa, siue aliunde, certò infallibiliter inferetur Trinitatis mysterium, quoad rationem totam specificam mysterij hactenus fide propositam. Explicatione solum opus habet conclusio, expressa ab Henric. suprà, & Doctoribus citatis cert.1.init. quibus adhuc ex aduersariis ibidem datis contradicit nemo: quin eam etiam supponit Ruiz sect.2.num.14. Explico igitur simul, & probo exemplo. Nam, si quis fidem habeat de sua fide, aut reuelatione circa hoc mysterium, vel euidentiam physicam, vel moralem de reuelatione diuina (neque enim disputandum modo est, vtrum ex his euidentiæ generibus haberi de reuelatione possit) infert certo, & infallibiliter hoc discursu Trinitatem. *Quidquid deus dicit, ita est sicut dicit*, quæ propositio euidens naturaliter est: *sed Deus dicit se esse trinum, & vnum, scilicet Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eiusdem Deitatis, & naturæ: ergo Deus est trinus, & vnus, Pater nimirum, Filius, & Spiritus Sanctus naturæ, & Deitatis eiusdem* Si hunc discursum certum esse renuas, ac de infallibilitate conclusionis dubitari velis, ostende precor, vndenam in assensu huius conclusionis mens hærere queat.

2 Similiter agnouit quis certò se assentire, vel assensisse, huic mysterio ob sibi propositam reuelationem, atque aliunde reuelationem hanc sibi propositam veram esse: sicque certus est fidem, qua huic mysterio assentitur esse diuinam (esto, certus non sit de supernaturalitate huius actus fidei: neque enim extra chorum saltandum est, vt probetur modo, vel improbetur actum naturalem posse etiam circa obiectum etiam formale supernaturale versari: cum parui vtrumlibet ad nostram rationem, & conclusionem intersit) Pergit inde mens: *quidquid fide verè diuina creditur, ita est: sed ego fide diuina credo identitatem in natura Patris generantis, Filij geniti, & Spiritus Sancti ab vtroque spirati: ergo horum est Trinitas in idemtitate naturæ in diuinis.* Dices cognitionem illam reflexam meæ fidei non posse esse certam: alioquin posset esse certa cognitio actus charitatis mei, meæque iustificationis contra Tridentinum: cùm actus charitatis, vt formalis iustificatio non sit, necessariò, & essentialiter formali iustificationi coniungatur. Respondetur primò dato intento exempli vitium fore, non conclusionis. Appone ergo loco illius cognitionem aliam reflexam, & certam aliunde, vel ex Dei reuelatione. Respondeo secundò certam esse cognitionem illam; neque tamen inde inferri aliquem certum de sua iustificatione ex se esse posse. Quia hæc non est connexat cum amore naturali Dei, quem possibilem esse asserit Suar. cum aliis, sed solum cum supernaturali: nequit autem aliquis de se se discernere naturalisne amor suus sit, an supernaturalis. Vt mittam modo disparitates alias suo loco assignandas.

3 Dico secundò ex sola reuelatione Trinitatis intuitiuè visa, atque item ex alio principio: *quidquid Deus dicit, verum est*, infertur certò infallibiliter Trinitatis mysterium, ac similiter ex actu fidei diuinæ intuitiuè viso, & præfato principio. Quoad reuelationem intuitiuè visam attinet nullum dubium esse alicui potest: patet enim conclusio ex hoc syllogismo: *Quidquid Deus dicit verum est*: quod est lumine naturæ notum: *Deus dicit, seu reuelat se esse trinum & vnum*, quod etiam euidens est vbi intuitiuè reuelatio videtur: ac proinde certò infallibiliter, atque euidenter infertur conclusione Trinitatis mysterium, hac scilicet propositione. *Ergo Deus est trinus & vnus.* Quoad fidem autem, etiam intuitiuè visam attinet, secundum intrinsecum actus fidei diuinæ de eodem Trinitatis mysterio, est etiam omnium Theologorum conclusio Dur. in 3. d.23. q.9. Caietan. 2. 2. q.1. art.5. Alphonsi Toleti 1.p. prologi, q.2.concl.3. Bassol. q.1.prol.art.2. Didaci Ruiz d.42. de Trinit. sect.3. n.1. & communiter Recentiorum 3.p.q.11. Nec difficilius probatur: quia actus fidei diuinæ, quoad intrinsecum, diuinæ fidei actus est, atque essentialiter connexus cum diuina reuelatione: ergo quidquid infallibiliter ex diuina reuelatione intuitiuè visa, & principio illo, *quidquid Deus dicit*, &c. infertur, mediatè saltem inferetur ex actu fidei diuinæ intuitiuè viso quoad intrinsecum: atqui, vt diximus ex reuelatione intuitiuè visa infertur necessariò, ac certò mysterium Trinitatis reuelatum: ergo ex fidei diuinæ actu, quoad intrinsecum intuitiuè viso, saltem mediatè, inferetur certò, & infallibiliter mysterium Trinitatis, quod eiusmodi actu creditur. Confirmatur, & explicatur ratio: cum enim actus fidei diuinæ, quoad intrinsecum, essentialiter connexus sit cum reuelatione, qui actum fidei diuinæ de mysterio Trinitatis, quoad intrinsecum, videt, sic reuelationem eiusdem mysterij demonstrabit. *Quidquid actu fidei diuinæ creditur, à Deo est reuelatum: atqui ego vt video, credo actu fidei diuinæ mysterium Trinitatis: ergo mysterium Trinitatis à Deo est reuelatum.* Cognita autem certò, & euidenter existentia diuinæ reuelationis, vti hac conclusione cognoscitur, pergit infallibiliter discursus supra factus ad mysterium Trinitatis ex reuelatione de illo inferendum.

4 Posset non nemo contra conclusionem hanc de actu fidei, quoad intrinsecum, intuitiuè viso sic discurrere. Tota euidentia, & certitudo, cui innititur actus fidei diuinæ, quoad intrinsecum, non constat certò, nedum euidenter, reuelatio diuina de mysterio credito: ergo neque certò constat mysterium ipsum: sed, nisi id certò constet, actus fidei Trinitatis, quoad intrinsecum non est certum medium ad inferendam Trinitatem, adiuncto etiam illo principio: *quidquid Deus dicit* &c. ergo ex actu fidei Trinitatis, quoad intrinsecum, intuitiuè viso, atque principio illo, *quidquid Deus*, &c. nequit certò deduci mysterium Trinitatis. Minor primi syllogismi suadetur: quia actus fidei diuinæ, quoad intrinsecum actus, non connectitur per se cum diuina reuelatione, vt existente, sed solum, vt apprehensa: motiua enim omnia assensus, siue voluntatis, siue

siue intellectus non mouent secundum physicam, per realem sui existentiam nudam, sed quatenus apprehenduntur, proponunturque intellectui, vel voluntati, licet apprehensio motiuum formale non sit, vt controu. de anima docebamus: ergo intrinsecum actus fidei diuinæ eodem modo perseueraret, eliceretúrque apprehensa, seu iudicata existentia diuina reuelationis, siue reuelatio existeret, siue non existeret. Nec refert fidem diuinam talem esse non posse, nisi existat reuelatio, etsi existere apprehendatur, vel iudicetur. Etenim in fide diuina duo sunt, & intrinsecum actus, & prædicatum diuinæ; hoc autem intrinsecum ipsi actui non esse, sed solum denominationem extrinsecam illi aduenientem ab existentia diuinæ reuelationis dicere aliquis posset: neque improbare videtur Ripalda tom. 1. de ente supernat. d.59. non semel.

5 Instari tamen potest contra sic opinantem: quia in actu fidei verè diuinæ, siue ob reuelationem verè existentem, est prædicatum intrinsecum supernaturalitatis, quod ab intuente actum totum, quoad intrinsecum, cognosci necessariò debet: ergo ex illo inferet sic videns necessariò Trinitatem, & existentiam diuinæ reuelationis. Respondere tamen posset in doctrina nostri Suar. Ripaldæ, & aliorum, qui circa obiectum, etiam formale, supernaturale posse esse actus naturales admittunt, atque in doctrina Gasp. Hurtad. & aliorum, qui hæretico credenti mysterium vnum fidei, vt aliud mysterium verè ob Dei reuelationem credat actu naturali concedunt falsum esse antecedens. Secundò admisso antecedenti negare posset consequentiam dicens supernaturalitatem actus solum dicere respectum ad Deum supra leges naturæ operantem, non autem ad Deum reuelantem: ac proinde viso prædicato super naturalitatis intrinseco actui fidei non inferri existentiam diuinæ reuelationis de Trinitate. Sed instatur solutio: infertur Deus supernaturaliter operans: ergo vel medio habitu fidei infuso, vel per seipsum: sed vtrouis modo actus, est connexus cum diuina reuelatione, & obiecto credito per illud: ergo ex visione actus fidei, quoad intrinsecum, certò, & infallibiliter infertur Trinitas credita. Probatur minor, si Deus operetur supernaturaliter medio habitu fidei: quia cum habitus fidei supernaturalis detur ad assentiendum diuinæ reuelationi, inclinabit solum ad assentiendum reuelationi verè existenti atque solum ad actũ verum, quare ad actum vel falsum, vel ob reuelationẽ solum apprehensam, neque existentem concurrere minime poterit. Si autem se ipso Deus operetur actum fidei supernaturalem de re quapiam, cum falsi auctor, erroriſque esse non possit, necessariò concurret ad actũ verum: ergo ex prædicato supernaturalitatis intrinseco actui fidei infertur necessariò veritas, & res credita per illum. Responderet fortasse vtrouis modo posse Deum concurrere ad supernaturalitatem intrinsecam actus fidei, quin ex eius concursu mysterium creditum, atque existentia reuelationis de illo infallibiliter deduceretur.

6 Et primò, posset Deus se ipso concurrere: cum non repugnet Deum causam esse physicam, non solum partialem, sed & totalem physici erroris. Quin imo damnatis errores quibus crucientur non semel Deum infundere docet Vasq.1.2.d.90.n.11. & 12. & 3. p.d.61. à n. 59. lud. Torr. tom. & tract. de fide d.3. dub. 4. cum pluribus, Petr. Hurt. de fide d.18. sect.6. n. 54. Ioann. Ripal. tom.1. de ence supernat. d.59. sect.1. §.1. fine, & sect.3. Quid ergo mirum, aut valde absurdum inferetur ex concursu Dei ad supernaturalitatem actus fidei, quoad intrinsecum ob non existentem reuelationem, ac proinde, cui necessaria, & essentialis veritas non sit, sed falsum potius subesse possit. Posset item medio habitu fidei concurrere ad supernaturalitatem intrinsecam actui fidei: quia habitus supernaturales dari solummodo videntur ab auctoribus ad potentiæ supplementum, seu complementum: nec negari posse videtur ad id solum dari posse quin ad inclinandam potentiam ad actum ob hoc, vel illud obiectum donentur. Imo in actibus assensus, vel dissensus moueri intellectum physicè non posse, siue physica qualitate, alióue quouis physico principio impellente, sed solum propositione motiui ad assentiendum, non videtur improbabile: quia in eo præstando intellectus non est mobile physicum, sed solum mobile intentionale, quod proinde nequeat physicè, sed solum intentionaliter per motiui propositionem moueri. Qua solum ratione probari solidè potest communis physophorum, & Theologorum opinio, nempe voluntatem, adhuc diuinitus, in incognitum ferri minime posse: quia scilicet mobilis solum intentionaliter, non autem physicè mobilis voluntas est: quo ipsum intellectus habet in assensu præstando veritati ob formale quodpiam motiuum. Negari certè non potest subtiliter hæc omnia excogitata fuisse.

7 Cæterum contra solutiones huiusmodi perstat adhuc argumenti robur. Etenim habitus supernaturales, qualis est fidei, dantur per omnes ad eleuandam, complendámque potentiam naturalem in ordine ad actus supernaturales: inquiro ergo: an, cum reuelatio re ipsa non existeret, sed solum existere putaretur, actus ille supernaturalis futurus esset nec ne? Naturalem fore dices cum omnibus: ergo actus supernaturalis fidei nequit esse non existente reuelatione: ergo supernaturalitas intrinseca actus connectitur necessariò cum existentia reuelationis de mysterio credito: ergo habitus fidei inclinat complétque potentiam ad assentiendum diuinæ reuelationi, quæ verè diuina, nec solum existimata sit. Secundò, licet habitus fidei, reliquáque supernaturales subdantur, cum creaturæ rationali insunt, ipsius libertati, non tamen, vt ad actus naturales eliciendos influant, quibus, & naturalis facultas proportionata de se est, & ad quos edendos complere illam nequeant, sed solum ad actus supernaturales; ponere autem in naturali voluntatis nostræ arbitrio actum naturalem, vel supernaturalem circa obiecta naturalia, etiam formalia, elicere, ac proinde habitu supernaturali ad illos producendos vti reductum prorsus, & paradoxum est. Denique, vt solutionis doctrina radicitus conuellatur, statuendum est actus supernaturalitatem, atque necessitatem habitus supernaturalis ex parte potentiæ ad ipsum eliciendum desumi ratione vnica, & à priori ex obiecti formalis motiui ad actum supernaturalitate. Si enim hæc ratio non consistat, nulla alia ratione probari poterit actum fidei, spei &c. supernaturalem esse: ac proinde ad illos eliciendos habitus supernaturales requiri: quare dogmatica doctrina de necessitate habituum supernaturalium fidei, spei, & charitatis sine vlla ratione manebit, solúmque auctoritate credenda. Vt ergo veritati huic fidei ratio, quoad fieri possit, sicut reliquis veritatibus dogmaticis debet, fumuletur, statuendũ est habitũ fidei, reliquosque supernaturales dari, vt potentia etiam in ordine ad operandum proportionetur cum obiecto formali motiuo ad actum eliciendum, atque in eo ordine, in quo eiusmodi obiectum, & actus futurus est constituatur: atqui reuelatio solum existimata, ac non verè existens in ordine supernaturali non est: ergo nec opus est, vt ob illam credatur, potentiam in ordine supernaturali constitui, atque actum ob illam elicitum supernaturalem esse: quare neque habitus supernaturalis, neque omnipotentia Dei ad concurrendum supernaturaliter ex parte actus primi, & potentiæ ad credendum ob illam poterit præcedere: neque actus ob illam elicitus supernaturalis euadet, sed solum quando vera Dei reuelatio exticerit, vt apprehenditur.

QVÆSTIO III.

An ex creatis naturalibus intuitiuè visis possit euidenter Trinitas demonstrari?

EGREGAMVS hìc naturales creaturas à supernaturalibus; quia naturales solum habent respectum ad Deum suum auctorem; in supernaturalibus autem sæpè respectus alij, ex aliis capitibus, ad Deum inueniuntur postmodum examinandi.

CERTAMEN I.

Opiniones, atque ad decisionem notata.

1 VAsquez noster 1.p.d.135. cap.2. & Nicolaus de Cussa dialogo de Pace fidei cap.8. & lib.2. cribrationis Alcorani argumento postmodum à nobis adducendo, coacti, Trinitatis mysterium ex visione intuitiua creaturarum naturalium demonstrari posse docebant. Contra verò veteres citati q.1. cert.1. Suar.d.26. & 27.sect.5.& 1.de Trinit. cap.11.n.17. Ruiz de Trinitate, Lugo de Incarnat.d.20.sect.4.n.44.ex visione creaturarum naturalium, etiam intuitiua, Trinitatem demonstrari posse diffitentur. Veteres enim omnes q.illa 1. & cert.1. memorati vniuersim docent naturali lumine intellectus creati, etiam Angelici Trinitatem demonstrari non posse: cum tamen Angelis plurimæ saltem creaturarum naturalium species propriæ debeantur: ac proinde,& intuitiua plurium cognitio.

2 Pro quæstionis decisione, aduerte; quod, vir apprimè Theologus, Vasq. noster citata d.n.11. iam olim adnotabat. Nempe: terminum relationis, seu connexionis realis non statim, & necessariò intuitiuè videri, si ipsa relatio, aut realis connexio cum ipso intuitiuè videatur. Alioqui dæmones, vel nullius creatæ actionis species proprias habebunt, contra suæ naturæ iura; vel Deum, qui singularum actionum principium est, contra desperatæ pœnæ suæ leges clarè intuebuntur. Addiderim: licèt necessariò terminus entitatis respectiuæ clarè visæ intuitiuè videretur, id tamen non euenire ex visione entitatis respectiuè, tanquam medij, sed simultaneè solum, vt aiebat Aristot. cap. de relat. nimirum ex indigentia mentis, quæ sine termini specie relatiuum, sicuti est, videre non posset; non autem ex influentia sui obiecti relatiui in terminum, vt intellectum ad ipsum videndum deduceret. Quare termini cognitio *in*, vel *ex* cognitione relatiuè abstractiua solum meritò iudicatur.

3 Hinc nota secundò: non statim ac respectus, seu connexio entitatis relatiuæ videtur, cognoscendas esse omnes formalitates rei, quæ terminus illius respectus, & connexionis est. Cum enim cognitio, qua cognoscendus terminus est, ex abstractiuis sit, in quibus præcisioni, & abstractioni formalitatum obiecti locus datur (vt contra priscos & recentes Nominales pro communiori sententia satis multis ostendebam in Logica controu.1.d.2.q.2.cert.2.) eæ solum formalitates ipsius ex vi visionis entitatis relatæ cognoscentur, quæ per se, & ratione prædicatorum relatæ entitatis attinguntur in re ipsa, quæ terminus relationis est; non autem aliæ formalitates, quæ in re terminante aliundè inueniuntur. Etenim formalitates reliquæ ad terminandam connexionem relatiui, perinde in re, quæ ipsam terminat, habent, ac si in ea non forent: quare, si per impossibile, non adessent termino perse, & formali, eodem modo hic eundem terminaret respectum: ac proindè ex connexione, & relatione, quantumuis visa, non magis reliquæ formalitates discursu inferuntur, quam aliæ excitates disparatæ. Quæ duo præsentem, & sequentes disputationis huius quæstiones tractantibus memoria teneri opus est.

4 Tertiò denique, aduerte (vt in argumentorum examine inanibus, prolixisque, & extraneis solutionibus locus non detur, ac mens à difficultatis scopo non diuertat) supponi à nobis hìc ex nostra doctrina, an aliena; creata omnia respectum transcendentalem dicere ad Deum, tanquam ad necessarium, & essentiale suæ existentiæ principium. Cum enim ex eis aliquæ (nempe actiones, quæ actualia virtutis diuinæ exercitia sunt) respectum realem ad Deum, connexionémque cum ipso intrinsecè inuoluant, atque in his totum argumentorum pondus excipiendum sit, creata reliqua ab hoc ad Deum respectu, & relatione absoluere labor, studiúmque in præsenti inutile foret.

CERTAMEN II.

Negatiuè decidítur quæstio.

1 DIcendum est cum Suar. reliquisque secundæ sententiæ Doctoribus, nullum creatum intellectum ex omnibus adhuc creaturis naturalibus clarè visis inferre posse euidenter Trinitatem, etiam sub generaliori conceptu Trinitatis, seu quoad an est. Ad manum est ex dictis probatio. Quia ex visione creaturæ naturalis solum attingitur Deus, qua terminus eius relationis formaliter est (si vera sunt, quæ diximus cert.1. num.3.) atqui Deus non est terminus relationis creaturæ naturalis, qua trinus, sed, qua potens est, quæ formalitas est communis, non autem personalis in Trinitate: ergo ex vi intuitionis creaturæ, etiam respectiuæ Dei, non infertur Deus qua trinus est, sed Deus solum, qua potens est, & vnus. Addiderim, neque probabiliter ex creaturis naturalibus clarè visis Trinitatem deduci posse: hoc enim probat ratio præcedens, vel nihil, vt cuiuis eam, vel leuiter meditanti, per picuum fiet.

2 Dices: respectus creaturæ ad Deum realis est: sed respectus realis est ad terminum, vt re ipsa est: ergo respectus creaturæ ad Deum est ad Deum, vt re ipsa est: atqui Deus, vt re ipsa est, trinus est, & vnus: ergo respectus creaturæ est ad Deum trinum, & vnum. Vrgetur in actione: Hæc numero actio respicit, hunc numero Deum, vt re est: ergo hunc numero Deum trinum: ergo est medium inferens Deum hunc trinum. Patet consequentia: est medium quatenus respicit Deum sed respicit Deum hunc trinum: ergo est medium inferens hunc Deum trinum. Confirmatur: quia si per impossibile actio aliqua proueniret à Deo non trino, esset diuersa specie, nec solum numero, ab hac, quæ prouenit à Deo trino: ergo quia terminus, etiam formalis huius actionis Deus trinus est: siquidem terminus formalis relationis is est, sine quo essentia, & species relationis metaphysica esse non potest. Tunc sic: ergo cognita hac actione, vt est in se, cognosci debet Deus trinus. Patet: quia per nos ex visione entitatis relatiuæ, & connexæ cum alio id totum abstractiuè cognosci debet, quod terminus formalis eius connexionis est: sed, vt probatum manet, hic Deus trinus est formalis terminus huius actionis: ergo ex visione huius actionis hic Deus trinus cognosci abstractiuè debet. Posui sub vnum obtutum duriorem difficultatis frontem.

Respondetur tamen concessa prima argumenti maiori, distinguendo minorem: vt re ipsa est formaliter, nego minorem; materialiter concedo minorem, & nego consequentiam. Connexio enim realis respicit terminum realem, scilicet realis virtutis actiuæ, seu in casu præsenti omnipotentiæ, non autem formaliter cum idemtitate aliorum, quæ ipsi reali termino aliundè idemticè

idemticè adiunguntur, neque cum negatione identitatis: hæc enim non constituunt omnipotentiam realiter, quam vt terminum per se, & formalem respicit creatura, qua talis. Instabis: ergo hic respectus realis creaturæ præcisiuus est, quod intellectui vix conceditur. Probo consequentiam: siquidem secundum suam realitatem tangit vnum, scilicet omnipotentiam, non autem aliud ipsi idemtificatum, scilicet personalitates. Respondetur primò non nimis absurdam videri consequentiam. Ecce vnio hypostatica verbi facta est in persona, non autem in natura iuxta sententiam communem, licet hæc personæ identificetur. Secundò: quia malè infert, negatur consequentia. Nam ex eo, quod non respiciat omnipotentiam, vt idemtificatam personis tribus respectus creaturæ, neque, vt distinctam, non statim infertur attingere omnipotentiam seorsim, non attracta realitate totas, sed solum non attingi per se, & formaliter, seu titulo sui reliquas formalitates, quæ in illa entitate realiter indiuisibili sunt: sed solum materialiter alia attingit, formaliter verò, & titulo sui omni potentiam.

4 Vrges: ergo re ipsa Trinitas est terminus huius respectus creaturæ ad Deum: ergo hic respectus inferendæ Trinitati medium aptum erit, si clarè videatur. Patet consequentia. Ad id totum medium est connexio realis clarè visa, quod realiter attingit: sed attingit per se connexio realis creaturæ Trinitatem: ergo erit medium ad Trinitatem cognoscendam. Maior videtur certa: est enim medium connexio creaturæ, quatenus connexio: ergo cum connexio sit cum tota Trinitate, erit medium ad totam Trinitatem. Respondetur distinguendo primum instantiæ antecedens: re ipsa est terminus formalis, & per se huius respectus Trinitas, nego antecedens: nam ratione idemtitatis cum termino formali, scilicet omnipotentia, quæ ratione, & titulo sui attingitur, terminat; est terminus materialis, & per accidens, seu qui attingitur titulo, & ratione alterius, quod attingitur per se, concedo antecedens: & nego consequentiam. Ad eius probationem distinguo maiorem. Est medium ad totum, quod realiter attingit per se formaliter, & ratione sui fateor; quod attingit per accidens, materialiter, & ratione alterius diffiteor. Est apertum: nam quod per se non respicitur à medio, per se non infertur ab illo, ablata enim per possibile, vel impossibile idemtitate omnipotentiæ cum personis terminus per se remaneret relationis, ac proinde relatio: tunc autem illas non inferret: & si eadem tunc prædicata in medio remanerent: ergo neque nunc ex eisdem prædicatis inferet. Distingue similiter minorem, & nega consequentiam, atque euanescit confirmatio, & instantia prima n.2.

5 Ad secundam confirmationem eiusdem numeri prona ex dictis etiam erat solutio. Sed noster Lugo supra respondet actionem à Deo non trino prodeuntem specie fore diuersam ab his, quæ à Deo trino sunt. Contra: quia in hac doctrina vrgentissimè præmit instantia. Si enim deficiente Trinitate actio speciem mutat, ac proinde ipsius relatio, & connexio: ergo Trinitas est terminus per se, formalis, & qui ratione, ac titulo sui attingitur ab actione hac, quæ à Deo trino progreditur: ergo etit medium ad inferendam Trinitatem, non minus quam ad inferendam omnipotentiam. Confirmatur: quia prædicatum illud specificum, quod desumitur à Deo, qua trino, deficitque in actione diuersæ per te speciei orta ex hypostasi à Deo non trino; nequit cognosci sine Trinitate, sicut neque prædicatum generale actionis sine omnipotentia: ergo sicut hoc viso cognoscitur, infertúrque necessariò omnipotentia, ita, & illo prædicato specifico viso, Trinitas necessariò inferetur. Respondetur ergo vtramque actionem eiusdem speciei futuram, ex eo solum quòd remaneret omnipotentia in Deo illo non trino: imo eadem numero actio maneret: tum quia ablata solum per impossibile Trinitate hæc numero omnipotentia maneret in Deo: tum quia formales indiuiduationes actionum relatiuas ad suas causas non esse verius existimo: cum ab eadem numero causa, atque ad eumdem numero effectum plures actiones prouenire queant.

6 Obiicies secundò. Natura humana est aliquid naturale: sed visa natura humana infertur necessariò Trinitas personarum: ergo ex visione creaturæ naturalis potest Trinitas demonstrari. Minorem probo. Natura humana habet respectum, & connexionem realem cum Deo Trino formaliter, qua trino: ergo viso eo respectu euidenter necessariò inferetur Trinitas personarum. Suadetur antecedens. Natura humana habet capacitatem, vt terminetur triplici subsistentia diuina, saltem successiuè, omnium opinione: ergo habet respectum ad Trinitatem personarum. Probatur consequentia: quia natura humana habet respectum ad suppositа naturalia, quibus terminari potest: ergo, & ad suppositа diuina, quibus terminari potest respectum habebit. Vrgetur: quia terminabilitas hæc debet reduci ad actum terminandi per vnionem hypostaticam in natura humana recipiendam: ergo natura humana respectu vnionis hypostaticæ habet rationem subiecti, & causæ materialis: sed causa materialis dicit respectum ad suum effectum, quemadmodum causæ creatæ efficientes, in suppositione, qua admittimus creaturas omnes essentialiter ad Deum creatorem referri: ergo natura humana habebit respectum realem ad vnionem, quam in genere causæ materialis causat. Respondetur negando minorem primam. Ad eius probationem negatur antecedens. Ad cuius confirmationem negari poterat, atque absolutè debebat naturam humanam dicere respectum realem ad subsistentias sibi proprias (nam ad alienas creatas, cum eis terminari non possit, vt ostendimus d. procemiali falsum est) constat enim ex eadem disputatione procemiali subsistentiam in aliquo positiuo modo, quem natura patiatur minime consistere: quare respectu illius natura causa materialis non est. Sed licet foret: sicut natura humana causa materialis vnionis hypostaticæ esse admittitur, non statim, atque admittitur respectus creaturæ ad creatorem, admitti respectus causæ materialis ad suum effectum debet: creatura quippe in prædicatis essentialibus entitatis finitæ, & limitatæ dicit esse ab alio: ac proinde imbibitam habet connexionem cum alio, à quo sit, & à quo entitatiua limitata sua perfectio taxetur, quod in causis creatis, præcipuè materiali, non inuenitur.

7 Sed admisso respectu naturæ humanæ ad proprias subsistentias naturales, & connexione essentiali causæ materialis cum naturalibus effectibus, negatur eumdem respectum dicere ad subsistentias diuinas, & vniones hypostaticas supernaturales: siquidem ex proportione, quam supponit connexio naturalis ad naturales effectus, perperam infertur connexio ad aliquid supernaturale, cum quo nequit habere proportionem. Idcirco vniuersim potentiam obedientialem, & speciatim passiuam seu materialem, cuiusmodi est, de qua hic loquimur, absolutam omnino esse à possibilitate donorum supernaturalium fatentur communiter Doctores. Suar. tom.1. 3. p. d. 31. sectione 6. §. *circa secundum argumentum*, à med. folij 606. & circa finem fol. 610. editione tertia Salmantina reliquis auctiori Ioann. Mart. Rip. tom.1. de ente super numero d.4. sectione 5. numero 46. & d.25. sectione 4. d.32. sectione 6. d.33. ferè per totam, aliíque plures. Qua de re me vtinam videatis tract. 1. Physicor. controuersia 7. de causarum naturalium efficacia d. 4. vbi plura de hac re Deo dante in publicum dabimus. Itaque in quauis potentiali obedientiali eodem modo philosophandum est, atque de omnipotentia Dei, licet ex diuerso principio. Nam sicut ob eximiam, & præcellentem Dei nobilitatem eius virtutem actiuam absolutam cogitamus, quoad respectum ad eius virtutis terminos, nempe creaturas, solúmque conditionatam ex parte obiecti: nimirum

omnipotentia est virtus actiua creatorum si non implicent in se:sic etiam ob creaturæ naturales abiectionem ipsius obedientialem potentiam absolutam cogitare debemus à respectu ad dona supernaturalia, quæ ipsam perfectione longè superant; conditionatam autem ex parte obiecti, si ipsa dona supernaturalia ipsi communicari queant, concedimus.

QVÆSTIO IV.

Quid intellectus creatus inferret ex visione triplicis vnionis hypostaticæ ad tres Personas?

AD effectum supernaturalium secundum peculiares rationes examen progredimur. Num ex eorum visione Trinitas euidenter, aut probabiliter inferri possit? Atque ab vnione hypostatica inchoamus: quia huius discussio à præcedentis quæstionis examine parum me iudice distat.

CERTAMEN I.

Aliorum placita, atque pro nostro obseruationes?

1 CArdinalis de Lugo d. 20. de Incarnat. sect. 4. num. 43. docet ex visione intuitiua vnionis hypostaticæ verbi, si perfectæ claritatis, & comprehensionis sit, euidenter Trinitatem demonstrari: secus, si minus clara, distinctáque ex specie sua sit vnionis visio. Displicet primò: quod ex maiori claritate visionis ex specie sua plura obiecta, seu plures obiecti formalitates asserat cognosci. Claritas enim cognitionis maior circa obiectum idem, non plura in ipso, sed eadem omnino repræsentabit: licet ex parte repræsentationis clarius. Secundò displicet conclusio ipsa vt ex dicendis cert. 2. constabit. Huic proximè accessisse videtur Zumel. 1. p. quæst. 32. art. 1. quæst. 2. asserens ex visione trium vnionum ad tres personas diuinas, inferri euidenter posse Trinitatem. Admittit libenter citatus Lugo: imo illam sumit, vt medium ad probandum præfatam suam conclusionem, non sine inconsequentiæ nota à Zumele reiectam, à qua tamen ipsum liberare parui nobis negotij esset, nisi operæ esset longioris.

2 Vt appareat quousque doctrinæ nostræ probationes, improbationésque proueniant, nota primò: mysterium Trinitatis generatim loquendo quatuor, vt minimum, conceptus inuoluere, tres positiuos, negatiuum alterum. Primus è positiuis est trium subsistentiarum diuinarum, quæ naturam complent subsistentialiter: secundus conceptus est principij productiui in duobus, Patre scilicet, & Filio; & termini producti, in duobus etiam, nempe Filio, & Spiritu Sancto. Harum formalitatum distinctio constabit ex disp. 4. vbi de principiis diuinarum processionum per otium agemus, & disp. 9. vbi de metaphysica diuinarum personarum constitutione strictè, rigidéque tractabimus. Ibi enim ex diuersitate respectuum ad naturam, quam subsistentiæ terminant, & complent, atque ad terminos, quos producunt, & à quibus producuntur Personæ, insuper ex ratione principij quo processionum, & terminorum eum formalem distinctionem per probationem metaphysicam, quam liberam nobis fides reliquit, deducemus: ne vitiosa religio, quod fides non posuit, mysterij odium, & hostilitatem cæco inducat marte cum discursu politiori. Tertius conceptus est idemtitatis trium subsistentiarum cum eadem natura diuina. Quartus denique conceptus negatiuus est, scilicet negationis plurium personarum idemtificatarum cum essentia eadem.

3 Præmittendum secundò est: ex formalitatibus idemtificatis, quæ alteri extremo beneficio vnionis nectuntur, vt vnum per se constituant, vt contingit in vnionibus hypostaticis, aliàs formaliter, aliàs verò materialiter vniri posse; id est aliàs perse ratione, & titulo sui vniri, aliàs vero ratione, & titulo alterius, siue per accidens: quatenus illi, quæ ratione sui vnitur, ipsæ idemtificatur. Vtra autem earum per se formaliter ratione, & titulo sui vniatur duplici ex capite pensandum est. Tum ex incompletione formalissima entitatis, cui vtraque vnitur: tum ex comparatione vtriusque formalitatis, vel plurium (si plures sint) inter se se. Res est clara: cum enim ex completa entitate in aliquo ordine, & alia entitate quacumque vnum per se constitui non possit, necessariò in entitate, cui aliquid vnitur, vt vnum perse cum illa constituat, incompletionem in suo ordine supponet. Rursus termini vniti formalitates examinandæ accuratè, cóparandæque inter se sunt, vt appareat quænam essentia, & conceptu suo illam compleat incompletionem entitatis, cui vnitur, atque ipsius in illo ordine indigentiam expleat: ea enim formalitas termini vniti, quæ compleuerit entitatis incompletionem, atque ipsius indigentiam in illo ordine formaliter expleuerit, per se formaliter, ratione, & titulo sui vnietur; reliquæ verò formalitates, quæ illam non complent, licet ratione identitatis cum formalitate illa vnionem materialiter terminent, non per se formaliter, ac ratione, & titulo sui ipsam terminabunt.

4 Tertiò denique notandum est: naturam, vel naturas substantiales, quibus personæ diuinæ hypostaticè vniri, quasque suppositare possunt, solum esse per se incompletas in linea suppositi, non autem in linea naturæ: ac proinde id solũ vniri posse, titulo, & ratione sui, quod formaliter illas in linea suppositi compleat, ac terminet. Sicut enim forma substantialis complet materiam ad esse naturæ, quia cum illa naturam substantialem constituit, ac proinde terminus formalis, & per se vnionis substantialis compositi est, & qui ratione, ac titulo sui vnitur materiæ; ita conceptus ille, qui naturæ incompletionem in linea suppositi compleat, erit terminus formalis, & per se vnionis, qua ad naturam substantialem tota realitas vnitur termini. Itaque ex conceptibus formalibus idemtificatis in termino eodem, qui vnitur; videndus ille est, qui formaliter respondet incompletioni naturæ substantialis, cui vnitur, & quo permanente vnio hypostatica cum suis essentialibus prædicatis permaneret, atque hic terminus formalis, & per se vnionis habendus est, quíque titulo, & ratione sui ab vnione hypostatica attingatur; alij verò conceptus, quibus sublatis, per impossibile, adhuc vnio hypostatica, qua talis, essentialiter maneret, quantumuis alteri idemtificentur, non tamen per se formaliter, titulo, & ratione sui ab vnione attinguntur: ac proinde, nec termini formales, sed materiales solum, & per accidens ipsius vnionis sunt. Duo hæc postrema notata à nobis sunt in aliorum doctrina, qui subsistentias modos super, additas naturæ, censent, vt eos impropriis sedibus adoriamur: in nostra enim doctrina satis erit adnotasse vnionem hypostaticam formaliter ad personalitates terminandam esse, vt vnio hypostatica sit, sicut de vnione hypostatica Christi Domini communior sententia fert, vt conclusionis secundæ probatio procedat.

* * *

CERTA

CERTAMEN II.

Neque ex visione trium vnionum hypostaticarum ad tres Personas Trinitas inferretur.

1 DIco primò, non solum ex visione vnionis verbi, sed vnionis etiam trium Personarum, aliisque naturalibus principiis nequit intellectus creatus demonstrare Trinitatem, quoad an est, seu sub conceptu quasi generaliori Trinitatis personarum in eadem natura. In hanc conclusionem velint nolint, trahendi sunt, quotquot asserunt ex visione actionis creatæ naturalis non posse demonstrari Trinitatem, vt ex nostris rationibus perspicuum fiet. Hi verò sunt Doctores omnes, si nostrum Vasq. & Nicolaum de Cussa citatos quæst. 3. cert. 1. num. 1. excipias. Probatur conclusio: quia Trinitas tres illos conceptus positiuos, & alium negatiuum dicit, vt videmus, ex quibus ad Trinitatem personarum generalius, & quoad an est sumptam tres conceptus spectant: scilicet trium subsistentiarum vnus, idemtitatis earum in natura alius, tertius negationis plurium personarum diuinarum. Atqui tres hos conceptus intellectus creatus principiis naturalibus adiutus, nequit ex visione trium vnionum ad tres personas euidenter inferre: ergo neque ex eiusmodi visione mysterium Trinitatis sub generaliori conceptu, & quoad an est poterit demonstrare.

2 Minor, cui totum rationis pondus incumbit, robustè fulcitur. Quia visio trium vnionum hypostaticarũ ad summum infert tres personas diuinas, adiunctíssquæ, si placet, naturalibus demonstrationibus vnitatis Dei idemtitatem earum in natura: ergo non infert conceptũ negatiuũ plurium personarum; sed hic necessarius est ad Trinitatem, qua Trinitas, etiã, sub generaliori conceptu est: ergo non infert mysterium Trinitatis sub generaliori conceptu, seu quoad an est. Subsumptum proximè antecedens suadetur: nam numerus ternarius, qua talis, reliquas excludit vnitates: ac proinde, sicut addita vnitate ad ternarium quempiam ternarius non esset, sed quaternarius, ita addita Persona ad Trinitatẽ non esset Personarum Trinitas, sed quaternitas. Esto ergo: cognosci, & demonstrari ex intuitione vnionum hypostaticarũ ad tres personas diuinas personarũ Trinitas, & ex principiis naturalibus earũ in natura idemtitas possit: vndenam ex eiusmodi visione, aliísque naturalibus principiis cognoscet mens plures personas possibiles non esse, ita, vt non ambigat? Quin cognitis personis tribus distinctis diuinis exemplar habet, quod antea non habebat, vt plures concipiat.

3 Si dicas id habere ex naturali cognitione possibilitatis in genere, & vt sic: contra est: quia nõ sufficit cognitio naturalis possibilitatis, & impossibilitatis, vt sic, vt aliquid particulare inferatur impossibile, nisi illius particularis essentia implicans cognoscatur. Admissa ergo pluralitate personarũ, imo Trinitate earũ, vnde alterius personæ repugnantiam deduces? An Lullianas illas demonstrationes adire cogendus? Dices: ex cognitione omniũ possibiliũ, intra quæ quarta Persona diuina nusquã est, posse eam demõstratione elaborari. Sed contra: quia omniũ possibiliũ cognitio, nec naturalis, nec debita vlli intellectui creato est; imo, nec beatorũ, etiã Angelorũ mentibus, quibus plura ex possibilibus ignota esse fixũ in Theologea est: nec desunt plures, neque ignobiles Theologi, qui omniũ possibiliũ cognitionẽ creatis, etiã beatis mentibus, ob Dei incõprehensibilitatã iudicẽt impossibilẽ. Sed adsit omniũ possibiliũ cognitio: adhuc nõ erat vnde quartæ personæ impossibilitas monstraretur: quia nisi à Deo reuelaretur, vel omnia possibilia ab ipso cognosci, licet re ipsa omnia ab ipso cognoscerẽtur, negatiuus cõceptus rei vlteriõris possibilis præter cognita, nõ magis inferretur, quã negatio quartæ personæ diuinæ ex cognitione triũ, quam nusquã inferri n. 2. docebitur. Dices: Christus Dominus tres illas vniones possibiles clarè cognouit, & insuper possibilia omnia, quorũ cognitiones ipsi debẽtur: aliũde verò cognouit prædictã possibiliũ omniũ cognitionẽ sibi vnionis titulo deberi: ergo inde euidẽter cognoscet nihil præter obiecta suæ sciẽtiæ esse possibile: ergo, & quartã personã diuinã implicare: ac proinde in personis idẽtificatis cũ natura diuina Trinitatẽ solum esse, & negationẽ quaternitatis, quod negabamus. Respõdetur admittendo totũ hoc à Christo Domino cognosci, neque tamen nostræ opponi doctrinæ. Etenim iam ponitur intellectus creatus cũ iure vnionis hypostaticæ: est siquidẽ intellectus non puræ creaturæ, sed hominis Dei. Inter iura autem vnionis hypostaticæ debitũ cognoscẽdi possibilia omnia ponitur, quod quidẽ debitũ supernaturale est, & quod ex principiis naturalibus cognosci nequeat: quare præter visionẽ triũ vnionũ hypostaticarũ, & naturalia principia supernaturalẽ eius debiti cognitionẽ ad demonstrationẽ adiungis, quam sic haberi posse conclusio non negatæ. Addiderim, neque probabiliter Trinitatis mysteriũ sub generali cõceptu, & quoad an est ex visione triũ vnionũ, & naturalibus principiis inferri posse. Id etiã probat ratio præcedens.

4 Dico secundò: Trinitatis mysteriũ secũdum omnia quæ fides docet; nempe rationem etiam principij, & principiati personarũ ex dicta visione, & naturalibus principiis nequit ab intellectu creato demonstrari, ac proinde neque, quoad quid est. Probatur: ratio principij, in personis diuinis non stat in sola formalitate personalitatis Patris v. g. nec ratio principiati in sola formalitate personalitatis Filij: sed sola personalitas Patris, Filij, & Spiritus Sancti, qua personalitas est, cognosci potest ex visione triũ vnionũ hypostaticarũ: ergo ex ea visione, & naturalibus principiis nequeunt cognosci Patrẽ principiũ esse Filij, atque vtrumque Spiritus Sancti. Maior latè probatur d. 4. vbi potentiã notionalẽ in solo personali, & proprio personæ producentis non esse monstrabimus: quin, vt ibidẽ ostendã, neque inadæquatè in personalitate producentis formaliter sumpta est ratio principij actiui, qua actiuum formaliter est, licet principiũ actiuũ sine illa formaliter esse non possit; non secus atque equus nõ est ipsius anima, licet sine illa equus formaliter esse nõ possit. Cõceptus ergo subsistẽtiæ formaliter est in ordine ad naturã eandẽ, quã terminat cõplẽtque in ratione suppositi. Minor verò sic facilè suadetur. Id solum cognoscitur ex visione vnionis hypostaticæ, quod terminus formalis ipsius est: sed sola formalitas subsistentiarum, seu personalitatum diuinarum, qua tales sunt, est terminus formalis vnionis hypostaticæ, & personalis: ergo sola formalitas subsistentiarum, & personalitatũ diuinarũ, qua subsistentiæ, & personalitates formaliter sunt, cognoscetur ex visione trium vnionum ad tres personas. Maior probata manet q. 3. cert. 1. & 2. Minor probatur: quia is solũ est terminus per se, & formalis vnionis, qui titulo, & ratione sui ab ea attingitur, qui formaliter cõplet naturæ incompletionem, & indigentiam, eãque terminat in illa linea, in qua in cõpleta, & interminata est, vt docuimus cert. 1. n. 3. Sed subsistentiæ, & personalitates diuinæ, qua tales, solum complent incompletionẽ naturæ; cui vniuntur, eãque in linea suæ incompletionis terminant: ergo subsistentiæ diuinæ, qua tales formaliter solũ, sunt termini formales, & per se earũ vnionum, & qui ratione, & titulo sui ab eis attinguntur. Minor hæc probatur.

5 Id solũm cõplet incõpletionẽ naturæ subsẽtialis cui vnitur, eãque terminat formaliter, quod cõplet illius incompletionẽ, eãque terminet in esse suppositi: sed solũ diuinæ subsistẽtiæ formaliter, qua tales, cõplent naturam subsẽtialẽ, eãque terminãt in esse suppositi: ergo diuinæ subsistentiæ formaliter, qua tales, complent incompletionẽ naturæ cui vniũtur. Minor proxima probatur: quia solæ subsistentiæ diuinæ, qua tales, formaliter constituunt cum natura assumpta suppositum; reliquæ verò rationes minime gentium. Confirmatur in con-

muni opinione constituentes potentiam notionalem ex subsistentia, & natura: siquidem natura diuina adiuncta naturæ assumptæ non constituit suppositum formaliter, vt patet, *sicut* neque materia adiuncta materiæ constituit naturã, cámve in linea naturæ complet: ergo, quod additur supra conceptum subsistentiæ ad rationem potẽtiæ, & principij notionalis non cõplet, nec terminat naturã *in* linea suppositi, in qua per vnionẽ hypostaticã complenda, terminandáque est. Confirmatur secundò: quia diuina natura ideò non complet naturã assumptam in linea suppositi, neque est terminus formalis, & per se vnionis hypostaticæ, quia licet realiter identicè subsistentia sit, formaliter tamen subsistentia non est: sed ratio principij notionalis, licet adæquatè personalis, & proprius esset, formaliter subsistentia non est: ergo neque complet formaliter naturæ incompletionem in linea suppositi, neque eam in illa linea terminat: ac proinde neque est terminus formalis, & per se vnionis, & qui ex huius visione cognosci debeat. Minorem probaui proximè, probabóque vlterius d.4. & d.9. Confirmatur vltimò: quia ablata, per impossibile, ratione subsistentiæ à Patre non posset natura assumpta vniri hypostaticè, compleríque, & terminari in esse suppositi, ea verò manente licet reliquæ formalitates diuinæ perirent, posset esse essentialiter vnio hypostatica, naturáque assumpta compleri, & terminari in esse suppositi: ergo sola subsistentiæ formalis ratio est terminus per se, & formalis vnionis hypostaticæ, quíque ratione, & titulo sui ab illa attingitur.

Certamen III.

Obiectionibus occurritur.

1 STatueram nihil nunc contra conclusiones præfatas opponere: cum nihil sit, quod, vel solutum non fuerit quæstione 3. certam. 2. à numero 3. vel quod non tanga. difficultates, quæ alibi opportuniorem habeant sedem. Verùm, quia austeriora videntur nonnulla, & quæ, non indoctiorum tantum, supercilia arcuent, atque censoriam frontem corrugent, hìc etiam attingenda sunt pauca, vt iam exinde mitescant. Oppones: subsistentiæ diuinæ, qua subsistentiæ, non sunt distinctæ sine rationibus principij, & principiati personarum: ergo cum tres vniones, quæ in nostro casu videbantur, ad tres subsistentias diuinas formaliter sint, ad rationem principij, & principiati formaliter terminabuntur; ac proinde rationes etiam principij, & principiati termini formales eiusmodi vnionum erunt, & qui ex earum visione cognosci necessariò debent. Si dicas tres diuinas personas secluſa ratione principij in linea subsistentiæ diuersas esse: contra est dogma theologicũ: *in diuinis non est distinctio niſi obuiet relationis oppoſitio*: quia sine ratione, & ante rationem principij, & principiati, in quibus solum obuiat relationis oppositio, personalem asseris distinctionem. Respondetur primò huic argumento, solutionem ab omnibus ferè Theologis esse adhibendam, qui potentiam, & rationem principij notionalis diuinarum processionum asserunt, non esse solas personales rationes Patris, & Filij, sed aduocanda etiam esse essentialia, & communia ad potentiæ, & principij notionalis constitutionem: in hac enim sententia per rationem principij adæquatam nequeunt Personæ distingui, cum per communia essentialia, quibus principium notionale constituitur, nequeant distingui.

2 Respondetur: ergo sine ratione, & ante rationem principij notionalis adæquati distinctionem formalem esse in diuinis, secus sine ratione principij inadæquati: nam singularitas, atque vnitas personalis Patris necessariò intrat constitutionem potentiæ notionalis Patris: nec proinde, quod ea singularitate distinguitur, per inadæquatam rationem principij notionalis distinguitur, quod solum vult axioma illud. Mittam modo axioma illud de reali, non de formali solum personarum distinctione loqui, quæ personalitatibus, in statu præcisionis non competit, sed realitatis, ideſt realiter non formaliter sumptis: quo modo eas nunc non consideramus, neque accipimus. Instas: ergo saltem cognoscetur ex visione trium vnionum inadæquati principij ratio, nec solum ratio subsistentiæ singularis. Tunc sic: ergo ex visione vnionis hypostaticæ Patris cognoscetur inadæquatè ratio principij generatiui, quæ sola personalitate singulari continetur: cumquè inadæquatum principium, qua tale, alterius inadæquati comprincipij relatiuum sit, hoc etiam inde inferri opportebit: ac proinde Trinitas Personarum secundum rationes principij, & principiati ex visione trium vnionum ad tres Personas tandem inferetur. Distinguo primam consequentiam. Ratio principij inadæquati respectiui, nego consequentiam; absoluti, concedo consequentiam: non enim quidquid intrat constitutionem principij adæquati respectiuum est, licet principium adæquatum respectiuum sit: nam singularitas, seu vnitas intrinseca principij, qua hoc diuisum est à termino producendo respectiua formaliter non est, licet principium constitutum respectiuum sit. Sic ergo subsistentia, & personalitas singularis Patris v.g. intrat constitutionem potentiæ notionalis generatiuæ, quatenus scil. efficaciæ & energiæ naturæ diuinæ communis singularitatem adiungit, ratione cuius principium adæquatum à filio distinguatur, id autem solum præstat personalitas quatenus singularis in se est, sub qua ratione respectiua non est termini producendi de quo fusius d.4. & 9.

3 Oppones secundò. Paternitas, & filiatio non sunt termini per se, & formales secundum tarionem paternitatis, & filiationis, earum vnionum, sed solum præcisè secundum rationem formalem personalitatum: ergo Christus in quantum homo non est filius naturalis Dei Patris. Probo consequentiam. Id solum tribuit subiecto effectum formalem, quod per se & formalirer ipsi vnitur: sed filiatio, qua talis, non vnitur per se, & formaliter humanæ naturæ: ergo nec tribuit ipsi effectum formalem, neque eam constituit filiam. Difficilem controuersiam mouet obiectio, cui noster Bernal totum intentum concedit: scilicet Christum, quatenus homo, filium naturalem Dei non esse, sed solummodo Filium Dei proprium, vt aiebat Paulus: *Proprio Filio ſuo non pepercit*: cum qua propria filiatione, Elipandica, & Felíciana filiatio adoptiua humanitatis Christi repugnat. Sed hæc alterius loci sunt. Nunc ergo respondetur negando primam consequentiam. Ad cuius probationem negatur maior. Ecce Sanctitas diuina, siue Deitas ipsa non est terminus per se, & formalis vnionis hypostaticæ Verbi, sed materialis solum iuxta communiorem Theologorum sententiam, & tamen humanitati tribuit sanctitatem infinitam, eámque infinitè sanctam constituit.

QVÆSTIO V.

Quid ex intuitione reflexa visionis Dei intellectus creatus de Trinitate cognosceret?

PLVRA sub hoc titulo, quam præ se ferat, disputabimus: quia idem pluribus est definiendi principium. Agemus enim de lúmine gloriæ, & specie impressa Dei, si ab illo diuersa sit. Item de gratia habituali, quæ ius seménque est visionis beatæ. De ipsa demum visione, an sub aliqua sui ratione medium Trinitati inferendæ necessarium sit? an saltem probabile?

Certamen I.

Doctorum iudicia, atque proprij principia ponuntur.

1 ZVmel 1. p. 32. art. 1. q. 2. probabile putat ex visione gratiæ habitualis, remotè saltem, mysterij Trinitatis existentiam demonstrari. Cum enim habitualis gratia gloriæ, & beatitudinis ius, seménque sit, visióque beata (in qua vulgo beatitudo nostra constituitur) tum quia visio, & intuitio Dei, sicuti est, tum quia summi boni visio, quia beata est, ad Deum sicuti est, &, vt summum bonum est, scilicet trinum, & vnum, debeat esse, mediatè saltem gratia Trinitati demonstrandæ inseruiet, si clarè videatur. Idipsum de lumine gloriæ, & specie impressa Dei eodem discursu conficitur: cum vtrumque visionis beatæ cum potentia eliciendæ sit naturale, & adæquatum principium. Et sane conclusio hæc etiam, ex qua necessariò pendet, necessariò etiam supponit: nempe visionem Dei beatificam intuitiuè visam medium esse aptum ad Trinitatem demonstrandam. Mea autem sententia, licet primæ conclusionis veritas ex huius necessariò pendeat; ex hac tamen non necessariò illius veritas concluditur, vt cert. 2. concluſ. 5. dicemus.

2. Pro vera quæstionis decisione obserua primò cum Scotistis, & nostro Cardinale de Lugo d. 20. de Incarnat. n. 50. de ratione visionis obiecti non esse, vt omnes formalitates ipsi identificatæ videantur, sed potius vnam formalitatem obiecti videri sine alia posse. Sicque solum differre visionem intuitiuam ab eiusdem obiecti cognitione abstractiua: quod hæc per alienas species, atque ad alterius modum obiecta intellectui representet; intuitiua verò speciebus propriis, & in se, suum menti præsentet obiectum. Itaque illud quod de intuitione, & visione, vt ab abstractiua cognitione differt, vulgò iactatur, quod visio tendat in obiectum: *sicuti eſt*, abstractiua verò cognitio: *nõ ſicuti eſt*, ita intelligi debet: vt illud: *ſicuti eſt* non appellet, cadatvè supra modum existentiæ obiecti in se, sed supra modum cognitionis, nempe non ad modum, quo est alter, cuius speciebus cognoscitur, sed immediatè in se obiectum cognoscatur: illud autem, *non ſicuti eſt*, de abstractiua cognitione dictum idem sit, atque ad modum, & exemplar alterius, cuius speciebus cognoscitur. Suadetur facilè hæc doctrina. Quid enim repugnantiæ in eo est, quod species impressa producatur representatiua propriè mei principij sentiendi, non autem ratiocinandi? Vel quod Deus concurrat cum mente ad cognoscendum principium sentiendi pro suo libito, quin simul concurrat, cum eadem ad agnoscendum principium ratiocinandi? Sicque habeat, vel species illa, vel Dei concursus, quod habet species aliena, quoad præcisionem, solúmque præscindenti intellectui eximat obscuritatem representationis obiecti, quod illi non ex præcisione, sed ex alienis speciebus adiuuantibus contingit.

3 Dices: ergo iam admittis visionem, & intuitionem præscindere. Fateor. Ecquid autem absurdi admitto? Nam visioni solum opponitur obscuritas cognitionis abstractiuæ quæ præcisio formaliter non est, sed alienarum specierum vsus, vt nunc nunc dicebam. Dices secundò. Præcisum obiectum videri aliter ac est, quod clarè obiecti, vt est in se, visioni repugnat. Sed id nego: quia ex parte formalitatis præcisæ, & obiectæ non objicitur necessariò negatio identitatis cum alijs, sicuti neque idemtitas cum illis: quare nec videtur aliter, ac est formalitas illa. Dices tertiò inferri contradictionem; quod eadem res simul videatur, & non videatur. Sed iam hoc abstractiuas etiam præcisiones impugnat argumento, quod plures ex nostris, quam opus sit; pluris faciunt: Præcisiones obiectiuas de facto dari abstractiuarum cognitionum beneficio, nec solum esse possibiles, non disputo modò, sed suppono cum cummuni realium Doctorum sententia ex controu. Dial. d. 2. q. 2. cert. 1. & 2. vbi propria eius disputationis sedes: solúmque ostendo præcisiones obiectiuas cum prædicato visionis obiecti minime pugnare. Si quis autem ex tumulato illo, & communi Nominalium argumento, inanique vmbra deterreatur, locum citatum ex nostra Dialectica consulat. Nunc verò species proprias abstractiuas de facto esse in communi sententia admittente relationes transcendentales creaturarum ad Deum iam à iuuene iuasum habui: quia visus intuetur colorem nihil cogitans de eo respectu coloris ad Deum. Mitto ad materiam de visione argumenta Scoti, tot post sæculis, firma, atque ab aduersariis insoluta.

4. Nota secundò: obiectum formale beatitudinis diuinæ personalitates non claudere, sed solo Deo, qua Deus, contineri, quin expectetur Deus qua trinus. Id censent Scotus cum suis, Palud. Molin. Etalij apud nostrum Salas 1. 2. tom. 1. q. 3. tract. 2. d. 4. sect. 7. n. 30. fine, & n. 32. init. quibus neque ipse omnino discordat. Discordat autem noster Vasq. 1. 2. tom. 1. d. 13. cap. 2. non satis firma ratione. Ex eo enim Personalitates diuinas ad formale beatitudinis obiectum aduocat, quod visio beata, intuitiua cum sit, nequeat in eadem entitate formalitates vllo modo præscindere, solúmque in rem, sicuti est, ferri possit: vnde fit, vt in omnes Dei formalitates vno, eodémque obtutu visio beata necessariò feratur, nequeátque in essentiam, non in personas ferri. Sed contra; ostendi enim proximè, visionem posse in formalitatibus obiecti præscindere. Secundò esto: præscindere nequeat: ergo solo titulo identitatis cum essentia attinguntur Personæ à visione beata: ergo non sunt formale visionis obiectum. Prima consequentia est ipsius Vazq. doctrina. Secunda est certa: quia terminus formalis cuiusque connexionis, & attingentiæ titulo, & ratione ui, non alterius, cum quo identificetur, attingi debet, vt supra diximus. estquè doctrina communis. Profundiorem oppositæ doctrinæ probationem objiciam, & soluam certam. 3. Nunc autem sic nostræ obseruationis doctrinam probo. Obiectum formale beatitudinis summum bonum est: in ratione autem summi boni non clauduntur personalitates: ergo neque in obiecto formali beatitudinis clauduntur. Minorem probabimus fusè d. 6. q. 3. Sic autem nunc breui: quia si, per impossibile, Deus trinus non foret, atque personalitates implicarent, adhuc Deus summum bonum esset, atque beatitudinis obiectum persisteret. Secundò: quia Pater secundum se formaliter sumptus summum bonum est, sicut, & reliquæ Personæ seorsim; & tamen filiatio non est, neque spiratio passiua, siue personalitas Filij, & Spiritus Sancti: ergo Trinitas de ratione summi boni non est?

Certamen II.

Noſtra ſententia ſtatuitur.

1 PRima conclusio. Visio Dei præcisè non est medium intellectui creato ad Trinitatem inferendam, & si naturalia omnia principia adiungantur: quare neque ex illa reflexè visa Trinitas demonstrabitur. Assentitur Lugo citatus, cuius tamen ego rationi non assentior. Probatur facilè ex dictis: quia ad id solum erit medium visio cognita, etiam per reflexam visionem, quod repræsentat: sed visio Dei præcisè non repræsentat Trinitatem Personarum: ergo neque est medium ad Trinitatem Personarum inferendam. Minor, quæ sola probationem desiderat; suadetur. Visio Dei, qua Dei non fertur in Trinitatem Personarum idemtificatarum cum Deo: cum possit visio præcisiua esse formalitatum idemtificatarum in obiecto iuxta Doctrinam cert. 1. à num. 2. ergo, qua visio & repræsentatio Dei non est repræsentatio Trinitatis Personarum: atqui alia

principia naturalia non inferunt Trinitatem Personarum, vt sæpius monui: ergo ex visione Dei reflexè visa, & naturalibus principiis non demonstrabitur Trinitas Personarum?

2 Dices: etsi visio Dei præcisiua non foret, sed in totam Dei *entitatem* ferretur, idem argumentum fieri posset, nam totam entitatem tangeret, licet non in ordine ad perficiendam naturam triplici subsistentia, siue vt Personarum Trinitas est, sed solum subratio entis à se *omnipotentis* &c. cognosceretur. Quemadmodum in *opinione* non admittentium præcisiones formalitatum ex parte obiecti, licet Petrus à longè cognitus totus cognoscatur, quia tamen non in ordine ad ratiocinationem, sed in ordine ad motum progressiuum cognoscitur, vt animal solum, non autem, vt rationale cognosci dicitur: ergo superfluis sumptibus possibilitatis præcisionum obiectiuarum in clara obiecti visione hanc conclusionem tuemur, quæ relegatis à visione clara obiecti præcisionibus obiecticis æquè commodè probabitur. Verùm obiectio hæc friuola est: quia cognitio abstractiua, seu per species alienas cum clara *non* sit, neque ex parte sui confusionem respicit; ast visio clara obiecti, vt ex ipsa voce constat, ex parte vtriusque confusionem non admittit. Quomodo enim clara illius obiecti cognitio erit, si ipsum aliqua ex parte menti oberat confusè? Sed esto, teneat obiectio: verior procul dubio assertio est.

3 Dico secundò: ex visione præcisiua rationum, seu personalitatum diuinarum reflexè visa, & aljs naturalibus principijs euidenter demonstrabitur Trinitatis mysterium, si conceptum negatiuum Trinitatis excludas. Ratio est: quia visa intuitione personarum eo modo quo illas attingit, & representat intuitio inferuntur ex illa, cum eo inferat visio obiectum, quo illud representat: ex alia verò parte, ex naturalibus principiis euidenter constat Deum esse vnum: ergo euidenter inde infererretur tres illas personas vnius esse deitatis, & naturæ, quod est Trinitatis diuinæ mysterium quoad an est, seu sub generaliori conceptu Trinitatis, secluso conceptu negatiuo ipsius. Quod si visio personarum sit, non solum sub ratione trium subsistentiarum, sed etiam sub ratione principij, & principiati, euidenter inferetur Trinitatis mysterium quo ad omnia positiua, quæ nobis fides diuina proposuit. Addidi, si negatiuum conceptum Trinitatis excludas, nam negatio plurium personarum, qua Trinitas est, & non quaternitas, non magis ex intuitione trium personarum reflexè visa, quam ex visione trium vnionum hypostaticarum deduci poterit iuxta dicta q. 4. cert. 2. ac proinde ex prædicta visione reflexa absolutè mysterium Trinitatis, neque quoad an est, neque quoad quid est, inferre poterit, & si naturalia principia adiungantur.

4 Dico tertiò. Visio beata qua beata etiam, non est medium aptum Trinitati demonstrandæ adiunctis etiam naturalibus alijs principijs: quare intuitiuè visa non infert euidenter Trinitatem. Prona etiam est ex dictis probatio, quia ratio beatæ supra rationem visionis solum dicit visionem esse summi boni repræsentationem: sed repræsentatio summi boni, qua talis, non est repræsentatio Trinitatis formaliter: ergo neque visio Dei beata, qua beata, est repræsentatio Trinitatis formaliter: solum autem potest visio esse medium ad Trinitatem inferendam, quatenus repræsentatio Trinitatis formaliter est: ergo visio beata, etiam qua beata, non est medium ad Trinitatem inferendam. Maior primi syllogismi est certa. Minor probata cert. 1. à num. 4. Confirmandáque, atque explicanda amplius cert. sequenti. Consequentia autem est legitima, & probata. Nam visio quæuis, eatenus est medium ad aliquid ex ipsa inferendum, quatenus est ipsius repræsentatio: quare si visio Dei beata, qua beata, & repræsentatio summi boni, non est repræsentatio Trinitatis, neque, qua beata medium ad inferendam Trinitatem erit.

5 Dico quartò. Ex visione beata, quæ de facto est, tanquam medio infertur Trinitatis mysterium quoad omnia, quæ fides proponit: ac proinde, si reflexè videretur, ex ea demonstraretur totum Trinitatis mysterium à viatore, ex certo conceptu negatiuo. Dixi à *viatore*: nam beatos circa Deum Trinum, quem clarè intuentur, discursu vti non posse, vt ipsum cognoscant, probabile valde nobis est: sicut neque quempiam circa id, quod videt, discurrere posse. De viatore autem probatur facilè: quia visio reflexè vila ad id totum cognoscendum, quod formaliter repræsentat, medium aptum est: sed visio beata, quæ nunc est, repræsentat formaliter Personas Patris, Filij & Spiritus sancti identificatas cum natura diuina: ergo ad id totum inferendum erit medium visio beata, quæ nunc est, si à viatore clarè videatur. Minorem, quæ probatione eget, sic probo, primò: quia Apostolus ait de nostra loquens beatitudine: *videbimus eum* (nempe Deum) *sicuti est*. Scilicet secundum omnia, quæ Deus est: est autem Deus Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, in quibus rationes, non solum personales, sed & principij, & principiati continentur. Ratione probo secundò: quia æquum est, vt gratissimis, æternúmque iuratis amicis, ac filiis beatis in sui possessionem admissis, nihil ex necessarijs sui prædicatis abscondat Deus. Et quidem Patrem, & Filium à beatis videndos esse non semel in Euangelio dicitur: quod ipsum de Spiritu sancto æquè credendum est. Excluso conceptum negatiuum Trinitatis, qui ob rationes sæpe repetitas adhuc ex visione beata, quæ de facto est, demonstrari non potest: quare neque absolutè Trinitatis mysterium quoad omnia sua prædicata.

6 Dico vltimò & quintò: ex lumine gloriæ specie impressa Dei, gratia habituali clarè etiam visis Trinitas demonstrari non potest. Tum quia intrinsecum respectum ad visionem claram Dei non dicunt: tum quia, licet dicerent, atque visionem beatam inferrent, si viderentur, cum visio ipsa beata Trinitatem, clare etiam cognita, non ostendat, inde ad Trinitatem inferendam discursus non perget. Tum denique: quia, licet visio clara Dei certò, atque euidenter ad Trinitatis mysterium cognoscendum discursum deduceret, tamen cum ex visione gratiæ, luminis, gloriæ, & speciei impressæ solum inferretur cognitio abstractiua visionis beatæ, non magis ex ea sic cognita inferri posset Trinitatis mysterium, quam ex ea, quam modò habemus de visione beata, cum vtráque abstractiua sit: quare sicut secluso fide solum cognosceremus esse visionem Dei, nihil de Trinitate cogitantes; sic eadem fide secluso, licet Dei visionem inferremus ex visione gratiæ, luminis, &c. cum tamen illius abstractiua solum cognitio esset, nihil de Trinitate cogitaremus. Certè huius conclusionis, & præcedentium fundamenta eodem modo non posse Trinitatem inferri probabiliter ostendunt ex iis, ex quibus non posse demonstrari suadent.

CERTAMEN III.

Argumenta aduersa infringuntur.

1 OBiicis: essentia diuina sine Trinitate Personarum non est summum, & infinitum simpliciter bonũ: ergo nec visio essentiæ præcisæ à relationibus est beata: ergo visio beata formaliter, est repræsentatio, non solum essentiæ, sed personalitatũ. Cõsequẽtia vtraque est certa. Probatur antecedens. Infinitum simpliciter est, cui nihil perfectionis abest, potéstve accrescere: sed essentia præcisa à relationibus non est summum, & infinitum simpliciter bonum. Respondetur negando primum antecedens. Ad eius probationem concessa maiori, negatur suppositum minoris: nempè in personalitatibus diuinis esse perfectionem, & bonitatem peculiarem à bonitate, & perfectione essentiæ diuersam, vt ferè dogmaticum esse probabo d. 6. q. 3. Instabis: Personalitates formaliter ab essentia præcisæ habent entitatem: ergo & bonitatem, & perfectionem, quæ passiones entitatis sunt.

sunt. Concedit antecedens noster Vasquez cum pluribus antiquoribus, & negat consequentiã, me iudice, incõsequenter satis. Negandum igitur est antecedens. Neque enim personalitates propriam existentiam & peculiarem entitatem diuersam formaliter ab existentia essentiæ, & entitate naturæ diuinæ habent, vt validis rationis, & authoritatis momentis euincam disp. 6.

2 Instas secundò: Diuinis subsistentiis præcisis formaliter completur natura diuina in esse substantiali, & in ratione principij notionalis: ergo formaliter sunt complementum ipsius in esse suppositi, & notionalis principij: ergo eis perficitur essentia metaphysicè in vtraque linea principij, & suppositi: ac proinde sunt ipsius perfectio. Respondetur distinguendo antecedens: completur adiuncta identitate, & existentia ac entitate, quam natura de suo præstat relationibus, & qua rationem bonitatis, & perfectionis illæ accipiunt, fateor; ipsis præcisis relationibus sine his conceptibus ab essentia mutuatis perficitur natura, nego. Itaque, & est formalitas, quæ quasi materialiter perficit, & est perfectio, & bonitas, qua formaliter perficit: formalitas, qua materialiter perficit, diuersa est formaliter ab essentia perficienda, eámque habent personalitates diuinæ; bonitatem verò, & perfectionem, qua perficiant formaliter de suo non habent, sed ab eadem essentia emendicant. In perfectione igitur hac formali naturæ per subsistentias, subsistentiæ de se diuersitatem ponunt, vt bonitas essentiæ, quæ, quia eademmet essentia formaliter est, seipsam formaliter perficere nequibat accepta à subsistentiis diuersitate formali, ipsam formaliter perficiat. Similiter in ratione principij notionalis tota efficacia, & fœcunditas ad personas producendas essentiæ est, vt d. 4. videbimus: solúmque accipit à subsistentiis diuersitatem, & distinctionem à Persona producenda, vt suam efficaciam erga illam possit exercere.

3 Res est valde metaphysica, & subtilis: sed quæ omnino ad mysterium quadret. Si enim existentiam, & entis rationem propriam subsistentiæ formaliter sumptæ non habent, vt nuper dicebam, quo pacto præcisè, & formaliter sumptæ perfectiones erunt, nisi ab essentia cum entitate bonitatem ebibere intelligantur? an perfectio entis realis formalis sine ente reali formali poterit esse? Sic censere debent Scotus cum suis, & alij, qui entis conceptum vniuocum, atque adæquatè à differentiis abstractum admittunt. Cum enim entitate formali differentias denudent, dum eas seorsim ab ente præscindunt bonas formaliter illas, vt sic, non esse fateri tenentur: & tamen eis genera contracta in aliud perfectius conflari aiunt: nimirum in species, quæ ex genere, & differentiis compinguntur; non quidem quia differentiæ bonitatem, & perfectionem de suo conferant, quam de suo non habent, cum non habeant entitatem, quam bonitas, & perfectio indiuiduè consequitur: sed quia afferunt diuersitatem, quæ vt coniuncta cum entis bonitate illud perficit mutuando rationem bonitatis, & perfectionis ab ente, cui addunt de suo diuersitatem. Neque opus est id, quo aliquid completur, & perficitur formaliter, bonitatem formaliter in se habere, sed illud quod perficit formaliter integrare. Dices: ergo cum bonitas eadem sit in vtraque specie, sicut & entis ratio, nequit vna species ex propria differentia perfectior euadere, quam altera: quare eiusdem perfectionis erunt homo & equus.

4 Consequentiam hæc nos in præsentiarum minimè tangit cum personalitates, & Personæ diuinæ, omnium, & fidei consensu, æquales prorsus sint: quare consequentiam probate catholicis de Trinitate dogmatibus emolumenti fuerit non exigui: sed quia cum Scoto de entis vniuocatione, atque adæquata à differentiis abstractione sensimus in dialectica, controuersia 4. d. 2. negatur ex ibi dictis consequentia. Nam perfectio maior specierum non est maior quasi extensiuè, sicut perfectio maior quantitatis, quæ additione quantitatis alterius eiusdem speciei, & rationis fit maior: neque quasi intensiuè, quæ additione gradum rationis eiusdem maior euadit, & perfectior; sed est perfectio maior ex specie sua, quæ proinde maior possit esse additione somalitatis diuersæ, quæ bona, & perfecta formaliter in se non sit, quare neque perfectior quam sit formalitas opposita distinctam speciem constituens: sicut animal perfectius resultat in linea animalis adiuncta differentia rationalis, licèt rationale animal non sit. Sic igitur maior perfectio specifica entis esse potest, quæ ex ratione entis boni, & differentia quæ ens formaliter, ac proinde, neque bonitas sit, sed determinatiuum differentiale illarum, in vna specie, quam in alia. Et Ratio est: quia prædicatum differentiale vnum potest esse aptius, atque expeditius metaphysicæ bonitatis, & perfectionis subiectum, quam aliud: ex quo fiet, vt bonitas, & perfectio augescat magis in vna quam in alia specie: sicut in physicis ex luce, & diaphano subiecto lucidius compositum euadit, quam ex æqua luce, & subiecto alio, non æquè diaphano. Instabis: perfectio, & bonitas prædicatorum formalium est integritas, seu, quod nihil in sua linea ipsis deficiat: sed personalitatibus diuinis præcisis formaliter, & qua talibus nihil deficit in sua linea: ergo personalitates præcisæ habent perfectionem, & bonitatem. Negatur minor: quia personalitatibus præcisis ab essentia deficit entitas, quæ in linea prædicati realis est.

5 Oppones tandem: Saltem essentia diuina, qua essentia diuina possibilis, est obiectum formale visionis beatæ: sed, qua essentia diuina possibilis, est Trinitas Personarum: ergo Trinitas Personarum est obiectum formale beatitudinis. Minor est certa: quia essentia diuina, quæ Trinitas non sit, impossibilis est. Maior videtur certior: quia obiectum formale beatitudinis nequit esse essentia diuina impossibilis, & chymerica: ergo essentia diuina possibilis. Respondetur distinguendo maiorem: essentia diuina, qua essentia diuina possibilis intrinsecè, & formaliter est obiectum formale beatitudinis, concedo maiorem: nam si prædicata intrinseca, & formalia essentiæ diuinæ possibilia de se non essent, sed implicarent, essentia diuina obiectum beatitudinis non foret; qua possibilis materialiter, & identicè, siue formaliter extrinsecè, nego maiorem, & nego consequentiam. Eodem modo distinguo illud *impossibilis* in probatione minoris positum, & nego consequentiam. Vrgebis: prædicatum essentiæ diuinæ quantumuis præcisæ est exigentia trium personalitatum: sed saltem essentia diuina, qua talis, est obiectum formale visionis beatæ: ergo exigentia trium personalitatum est obiectum formare visionis beatæ: ac proinde visione beata repræsentabitur: quare, & visio beata erit medium ad Trinitatem inferendam. Respondetur negando maiorem: quia essentia diuina tres personas dicit identicè, ac proinde verè, & realiter nequit eas exigere, cum nihil seipsum exigat, in statu autem præcisionis à personalitatibus, sicut non dicit identitatem Personarum essentia, vt patet, neque in statu reali, sed intentionali est, sic exigentiam realem, & veram dicere nequit.

***

DISPVTATIO II.

DE MYSTERIO TRINITATIS ab hæresibus vindicundo.

EX quo inturbata apud Hispanos fides otium Scholasticis Theologicis dedit, atque in diuina mysteria, non tantum ex Dei reuelatione, solidúmque eorum fundamentis, sed ex paterno etiam iure succedimus, à mandatis firmis Scripturæ, & Patrum testimoniis grauiores mysteriorum disputationes Phylosophis nugis opplere totum negotium fuit. Ego verò, cui auditores meos instruere, vt sciant, & vt doceant, proprium munus est visum, licet ex aliorum more de proprio nomine, quam de mysteriorum veritate decertarem, labénque cum aliis seriem, & virilem hanc disputationem omitterem, eam tamen instituere decreui, ne mysterium tantum puerorum solum adinstar è cartula sciatur, prorsúsque Theologicè à lectoribus ignoretur. Idcirco purum ipsum Trinitatis mysterium, vtpotè futurarum deinceps disputationum materiam, sicut à Patribus, Conciliis, atque Ecclesia tota proponitur præsenti disputatione stabiliam. Et primò quidem de trium Personarum diuinarum distinctione. Secundò de earum identitate in natura. Tertiò denique de ratione principij, & principiati, quæ in Personis est, singulatim inquiremus.

QVÆSTIO I.

An Trinitas Personarum sit in diuinis.

PRIMVS Trinitatis conceptus, vt supra monui Personarum Trinitas est, seu trium Personarum distinctio, quàm solis naturæ viribus hominum mentes exhorrent. Ac proinde Gentiles hac super re ratione conuincere inutilis æquè, atque improbi laboris esset. Ex iis etiam, quibus Dei fides illuxit, Iudæi nempè, Christi Domini Euangelium non admittentes non satis facile conuincentur: cum ea veritas in veteri Testamento adumbrata, vt summum, sit, non clarè prorsus expressa. Sed tamen contrà eos ex testimoniis, quæ admittunt pro virili pugnandum est; contra Hæreticos autem qui, tam Euangelium, quam Patrum testimonia verentur fælicius decertabitur.

CERTAMEN I.

Instructa errorum contra Personarum Trinitatem acies proponitur.

1 IVdæi antiquiores tres in diuinis Personas distinctas ignorabant potius, quam negarent; nouiores autem omnes, licet non ignorent, negant, vt videre est apud Genebrard. l. de Trinit. à pag. 11. Ex Christianis verò primi omnium Gnostici apud nostrum Marianam lib. 4. historiæ Hispan. cap. 5. circa fin. Personas diuinas in vnam eandémque confundebant, atque earum distinctionem negabant. Consenserunt aliquot Montani sectatores vocati Donatiani, vel Phryges, vel Phrygastæ, vel Cataphrygæ, vel Proputiani apud Epiphan. hæresi 48. qui teste Hieronym. epist. 54. quæ est ad Marcellam *Trinitatem Personarum & vnius Personæ angustias cogebant.* Sic etiam de eis refert Nicephor. 4. Histor. cap. 22. Dixi Montani aliquot sectatores: quia eius discipuli in duas factiones diuisi, teste Tertull. de præscript. aduers. hæret. cap. 52. Alij Eschinem Montanistam sequebantur, ac Tascodrugitæ nominabantur apud Hieronym. & Epiph. proximè; alij verò sequebantur Montanistam Proclum. Primi de Trinitate censebant vti diximus; secus secundi qui sequebantur Proclum. Hic enim cum Montano Duce Priscilla, & Maximila sentiebat: de quibus Epiphan. proximè: *De Patre, & Filio, & Spiritu sancto similiter sentiunt vt Sancta Catholica Ecclesia.* Sic de eis etiam censet Philastrius de hæresibus sub Apostolis catalog. 2. num. 2. Idcirco Augustin. de hæres. cap. 26. hunc inter Montanistarum errores omisit. Adhæserunt eidem errori Noëtus cum suis Noatianis teste Epiphan. hæres. 57. Philastrio proximè num. 6. Damasc. de hæres. ante med. Hermogenes cum suis Hermogenianis teste Aug. de hæres. cap. 41. Philastrio proximè num. 7. in Sabell. Porrò prædictus error adeò Sabellij, & suorum opera, & industria, postea percrebuit, vt de eorum Sabelliana hæresis deinceps nominaretur. Eam conceptis verbis refert Nicephor. 6. Histor. cap. 26. Adhæreserunt etiam Faustus Manichæus sic effatus apud Augustin. lib. 20. contra Faustum cap. 2. *Vnum sub triplici nomine colimus numen.* Photinus teste Epiphan. hæres. 71. Marchell. teste Theodor. hæreticar. fabular. cap. penult. & vlt. Vincent. Lirin. contra hæres. Item Priscillianistæ apud Leonem Magn. epist. 93. aliàs 91. ad Turib. Asturic. Episcopum cap. 1. & apud Concil. Bracharens. t. canon. 1. atque Augustinum hæresi 70. Adhæsit tandem Seruetus. Georgij Blandratæ, Francisci Dauidis, Pauli Alciati, Lellij Zozimi, & Transiluanorum ea in re Magister, vt refert Sanderus 7. de visibili Monarchia, hæres. 227. Neque longè ab ea hæresi abierunt Seueritæ, aliter Theodosiani, Angelitæ, & Damianistæ, licet verbis multum discrepare viderentur. Quamuis enim alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum catholicis vocibus faterentur, eandem tamen esse eorum subsistentiam asserebant, teste Nicephor. 18. histor. cap. 49. ante med. Quare eos per solas actiones, munera, nominàque externa diuidere credendi sunt. His adhæsere Valent. Gentil. cũ Valentinianis apud Bellarmin. præfat. libri 1. de Christo cap. 1. & 2. & Skegius, aliíque hæretici Germani, & Galli, ac ministri Transiluani apud Valentiam q. 1. de Trinit. punct. 1. §. 5. & 6. & apud Ruiz de Trinit. d. 19. sect. 1. num. 5. & 6. Porrò huius erroris insimulatur Raymundus Lullius apud Eimericum direct. Inquisitor. part. 2. q. 9. asserens art. 22. *Stare tres Personas non distinctas in aliquo.*

2 Secundus error fuit contra Personarum Trinitatem aliquot Sabellianorum, qui communem suum errorẽ explicantes in alium dilapsi sunt. Afferebant enim, vt refert Epiphan. hæres. 62. init. *Patrem esse corpus, animam vero Filium, sed Spiritum sanctum esse velut spiritum hominis,* quibus diuinas Personas tanquam partes essentialiter componentes vnum Deum assignabant: non aliter, atque partes physicæ essentiales hominis naturam constituunt: ac proinde Personas non tam confundebant, quam omnino negabant. Ex eisdem verò Sabellianis alij, teste Basil. hom. 28. contra Sabellian., Verbum à Patre Spiritum sanctum, qui amor est, ab vtroque, non substantialiter, seu in ratione Personæ, sed accidentaliter solum differre docebant: sicut nostrum Verbum, nostérque amor à nobis differt. *Vnam* (inquit Basil.) *personam constituunt Patris & filij: quod & homo vnus dicatur non diuisus propter Verbum, quod habet, & sapientiam,* &c. His omnino consensit Paulus Samosaten. apud Epiphan. hæres. 65. sub init. asserens: *Deum vnam Personam cum Verbo, velut vna Persona est homo, & ipsius Verbum.*

3 Tertium errorem contra Trinitatem Personarum inuexit vetustus Praxeas Patris, & Filij Personas non distinguens, sed eandem esse asseuerans: de quo Patres statim citandi sic referunt: *Deum Patrem omnipotentem Christum esse dixit: hunc crucifixum, passúmque contendit.* Hanc hæresim adstruxit Victorinus cum reliquis Praxeæ sectatoribus, vt referunt Tertull. de præscript. cap. vlt. fin. & l. contra Praxeam cap. 1. init. Augustin. de hæres. hæres. cap. 41. Philastr. catalog. 2. num. 2. in Sabell. apud quos Praxeani, & Patropassiani vocati sunt. Eodem nomine Sabelliani etiam sæpè censebantur teste Athanas. lib. de Synod. Arimin. & Seleuc. circa med. in quadam fidei confess. De Spiritus verò sancti identitate nihil ab auctoribus notatum contra Praxeam, & asseclas inuenio. Eius tamen personalem identitatem cum Patre, & Verbo asserebat Vrbicus Potentinus apud Athan. dialog. de Sancta Trinit. contra Macedon. & quarto contra sectatores Appollinaris. Marcellus item cum Marcellianis, ac Fotiniani apud Basil. epist. 47. Spiritui sancto propriam personalitatem negarent. Quibus fortasse accesserunt ignominati alij hæretici apud Augustinum capite 9. de fide, & symbolo, med. docentes Spiritum sanctum esse Deitatem ipsam, qua tanquam nexu Pater, ac Filius reuincirentur. Neque multum ab his discrepasse videbuntur Caluinus, Theodorus Beza, Mathias Ceruasius, Georgius Blandrata dicentes: Spiritum sanctum Dei virtutem, & potentiam solummodo esse, vt refert Iodocus Coccius tomo 1. libro de Sanctiss. Trinitatis artic. 6. Valent. 1. part. quæst. 1. de process. Person. punct. 1. §. 4. si virtutem, & potentiam Deo intrinsecam intelligant non extrinsecam, & creatam, quod eorum erroribus consequentius videtur. Denique identitatem personalem Spiritus sancti cum Patre, & Filio expressè docuit Lactantius Firmian. epist. 8. ad Demetr. teste Hieronymo ad id 4. ad Galat. *Misit Deus Spiritum Filij sui.* Neque alium contra Trinitatis Personarum conceptum errorem inuenio, nisi error, ac non potius amentia dicenda sit Deistarum; nouorúmque Trinitariorum, & Arrianorum, qui tres hypostases, & subsistentias in diuinis admittunt, & tamen tres personas negant, teste Pratenlo 7. de visib. Monarch. hæresi 228. Etenim pugnantia hæc sunt, ni subsistentiæ, atque hypostasis vocibus aliquid à Conciliis, & Fide alienum subdolè intelligant.

CERTAMEN II.

Ex veteri Testamento Personarum Trinitas ostenditur.

1 PErsonarum Trinitatem contra præfatos errores efficaciter ex veteri testamento probari posse negant Abulensis opusc. de Trinitate, Lira tomo 2. Gloss. opusc. contra Iudæ. Quibus videtur præiisse Epiphan. in Ancorato vbi dualitatem Personarum in veteri Testamento manifestari ait non autem Trinitatem. Intelligendi verò sunt de veteri Testamento; sine luce quam ipsi addidit nouum; ne temeraria sit propositio. Licet autem infinitæ eruditionis vir Didacus Ruiz præfatis Doctoribus consentiens solis Euangelij testimoniis ad hanc veritatem statuendam vtatur d. 19. de Trinitate sectione secunda & quarta; ac sequentibus: vt Iudæis tamen aliquod in Scriptura quam admittunt cæcitatis suæ remedium afferatur, atque vberius hærerici confutentur nonnulliis veteris testamenti authoritatibus Trinitatem Personarum confirmemus. Atque in primis antiquus Rabbinus, Accados apud Galatin. l. de arcan. cap. 1. in ipso sacro Dei nomine *Iehoba* Trinitatem Personarum exprimi ad Antonium Romanum Consulem iam pridem scribebat. Nam prima eius litera *Iod* initium significat; quod proprium est Patris: secunda littera *hei* significat esse; & viuere; quod proprium est Filij, per quem omnia habent esse; tertia *Saph.* cum coniunctio sit nexum significat: quarta littera *hei* repetitum denotat duplicem respectum Filij ad Patrem, & ad Spiritum sanctum. Addit Rabbinus idem sactum hoc nomen Hebraico alio explicari: scilicet *Abber, Veruah, hacodes*: ex cuius partibus *ab* significat Pater, *ber* Filius; reliqua Spiritus sanctus. Et sanè, vt ex peruetustis Rabbinorum codicibus apud Galatin. citatum habetur Caldæi sacrum nomen triplici *Iod*,

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

& vna vocali *Camez* scribebant, vt à tribus Personis omnia creari; & eas vna essentia contineri denotarent. Secundò probatur ex 1. Genes. illis verbis. *In principio creauit Deus cælum*, &c. vsque ad: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*: Nam prima vox hebræa eius loci est *Bereshith* significat Filio iuxta Glossam interlinealem, Tertullianum, & Hilarium in Psalm. 2. Nomine autem *Spiritus Domini*, Spiritum sanctum intellegunt August. de Genes. ad litt. imperfecto, cap. 1. ac 13. confess. cap. 5. & libro 11. cap. 9. lib. 12. cap. 19. 20. & 23. Origen. Rupert. & Beda ad eum locum Tertullianus aduers. Hermog. capite 19. & 20. aduers. Praxeam; cap. 5. Cyprianus sermone de Spiritu sancto; Clemens Alexand. 6. Stromat. Hieronymus init. quæstionum super Genes. Ambrosius 1. Exhameron cap. 4. atque Ecclesia tota, quæ ad fontis benedictionem sic Spiritum sanctum alloquitur. *Tu super aquas inter ipsa mundi primordia ferebaris; vt iam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet.* Quare licet Hieronym. & Tertull. citati, Nyssenus & Ambrosius 1. Exhameron cap 3. & 4. Basil. homil. 1. Athanas. oratione in id: *Omnia mihi tradita sunt à Patre.* Chrysost. homil. 2. in Genes. illud *Bereshith*, significare temporis initium dicant, ac Hieronym. ad hunc locum alludere putet illud Psalmi 39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.* Cum tamen non ad Genesis caput, siue initium, sed Psalmorum referatur, vbi dicitur: *in lege Domini voluntas eius*, vt benè Augustinus & Ruffin. ad eum locum: ac licet iidem Patres pro Spiritu Domini aërem intelligi posse putent; cum tamen concors sit Patum, & Ecclesiæ sententia nomine Spiritus Domini Spiritum sanctum intelligi, & illa voces *In principio*, intelligi Filium, atque ex toto loco Personarum Trinitatem deduci, non sine temeritate interpretationem hanc Christiani reiicient.

2 Consonat illud Psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt: & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum*, vbi præfatum Genes. locum sic Psalmista interpretatur: creatis à Deo Patre Domino, factoréque eorum per Verbum, per quod facta sunt omnia Spiritus sanctus, qui Spiritus oris eius est, fouendo tribuebat vitam, vtpotè Spiritus & Dominus viuificans. In eum sensum eum locum explicat Concilium Nicænum libro 2. ferè à med. §. *sæpenumero*; & §. *in libro Iob.* Iustinus Mart. expositi fidei, de Trinitate ante med. Irenæ. libro primo, capite 19. & 3. aduers. hæres. cap. 8. post med. Nazianenus oratione 24. in Pentecost. numero 24. Basilius homil. 17. in sanctum Baptisma, & 3. contr. Eunom. à med. Chrysostom. sermone de Sancta & consubstantiali Trinit. sub init. & fin. homil. de Ioanne Baptista, Nyssen. oratione Catechet. cap. 4. & libro de Trinitate & Aduent. Domin. contra Iudæ. init. Athanas. oratione 4 contra Arrian. vers. fin. oratione 5. post med. epist. ad Serapion. prope finem ac de communi essentia Patris, & Filij ante med. §. *magnus Dominus*, epist. ad Marcellin. col. 3. sermone contra omnes hæres. longè ab init. dialog. de S. Trinit. contra Anomæi longè à med. Origen. de principiis cap. 3. post med. Epiphan. Ancorato post init. Isidor. Pelus. libro 2. epistola 143. Theodoret. ad hunc locum, & 2. de principiis ad Græcos post med. Cyril. Alexandr. 12. thesaur. cap. 1. ante med. 7. de Trinit. circa fin. epist. ad Anastas. Alex. tomo 2. Concil. Ephes. Elias Cretens. in orat. 1. Nazianzeni num. 169. & in orat. 19. num. 18. Anastas. Synai. 1. de rect. fid. dogmat. post med. Damasc. 1. de fide cap. 7. Euthym. p. 1. Panopl. titulo 8. & 11. Gregorius Bœtic. de Trinitate fine, Augustinus in Psalm. 32. concione 2. column. 2. & libro 11. confess. capite 6. & 7. ac de essent. diuinit. sub init. Hieronymus ad Pamach. aduers. error. Ioannis Hierosolym. circa med. Ambrosius de Noë & arca capite decimo sexto fin. & Symbolum Apostolorum capite sexto init. & 1. de Spiritu sancto capite decimo, circa med. & libro secundo, capite quinto ante med. de Incarnat. Dominicæ mysterio fine, ac de initiandis capite tertio sub init. Gregorius Magnus homilia 30. in Euangelia post medium, & Psalm. 50. ad id: *Redde mihi lætitiam*,

Cyprian.2.contra Iudæos cap.3. Fulgent. de fide ad Donatum init.& 3. ad Trasimund. c.35.init. Isidor. de Natiuit.cap.4.init. Lactant. 4.diuinar. institut. cap.8.vers.fin. Tertull. aduers.Hermog. cap.45.& contr.Praxeam, c.7. & 19. Phæbad.contr. Arrianum vers.fin.atque ita à Rabbinis eum versum intelligi aiunt Galatin. 2.de arcan. cap. 4. Paul.Burg. in scrutin. Scripturæ p.2. d.9.cap.12. Mitto aliquorum animaduersionem circa loci Verbum. *creauit Deus*, cuius loco Hebraicè habetur *Elohim* in plurali tantundem valens,atque creauit Dij, de qua postmodum sermo.

3 Tertius locus sit Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ad quem solutio ex vsu Hebræorum pluralis pro singulari, quæ loco proximè adducto adhiberi poterat locum non habet: siquidem in verbis vsus pluralis pro singulari Hebræis nullibi est.Dices primò illud *Faciamus*, ad Angelos dirigi. Contra: quia illis verbis aliquid est consilij, & decreti diuini, ad quæ Angeli non vocantur. Secundò: quia verba sunt inuicem vnius personæ ad alias honore æquales: ac proinde non imperatiua, sed consultiua vt Tertull.& Chrysostom.iam referendus notarunt.Tertiò: quia sunt verba ad eos ad quorum similitudinem, & imaginem factus est homo, faciendúsque consultatur: ij verò Angeli non sunt; sed diuinæ Personæ: cum homo ad imaginem Dei tantum factus dicatur ibi, & capite 5.& cap.9. Quartò: quia solus Deus hominis structuram executus est, non Angeli,vt constat ex sacro textu: ergo ad solum Deum sermo directus est, non ad Angelos. Ob hæc præfata solutio à Patribus communiter reiicitur. Dices secundò: loqui hic Deum in plurali numero ad Maiestatem ostendendam. Sed contra est: quia si secum, & ad solum loquitur, cuinam maiestatem suam ostendit? Contra secundò: quia si vnus esset, aliísque,quasi plures,loqueretur, fictio virtualis videbatur,Deo nimirum indigna. Contra tertiò: quia,vt benè Theodoretus quæst.20. in Genes. cum Moysem ad Pharaonem mittebat, cúmque eidem Moysi legem dictabat, vbi curanda maiestas, vel maximè videbatur, non loquitur pluraliter, nedum cum secum loquebatur. Dices tertiò illud *Faciamus*, esse verbum se ad opus adhortantis. Sed contra primò: quia vt benè arguit Basilius homilia 9. in Genes. ex quo Ambrosius 6. Exhameron capite 7. *si vnus* est operans quomodo exhortatur *plures*? Contra secundò: quia esset otiosa, & vitiosa ea exhortatio,& excitatio: cum fieret ad potentiam facilem, impigram, & expeditam, qualis est omnipotentia.Idcirco ex hoc loco Trinitatem Personarum rectè arguunt omnes illius interpretes, & Patres: nam exhortatio illa ab aliqua Persona est, & duo,vt minimum, sunt qui ab ea aduocantur. Basilius homilia 9. & 10.in Genes.& 5.contra Eunom. post med. Theodoretus in eum locum, vbi Chrysostom.& tom.3.supra. Rupertus ad eum locum, & 2.de Trinit.operibus.Augustinus eo loci, & 16.de ciuit.cap.6. & 7. de Trinitate cap. vltim.38.de temp.Ambros. in eum locum, & 1. de fide ad Gratian. cap.4.& 7.ac libro de dignit. humanæ condit.Epiphan.Ancorato, & hæresi 60.& 76. Athanas. orat. contra Idola, circa fin.& 1. de vnita Deit. medium & infra, Euseb. Cæsar.1. Histor.cap.1. Petr. Damian. serm. in natiuit.Ioann.Baptistæ,Origen.ad eum locum, Irenæ. libro 4.cap.37.post init.Ignat.M. Epist.9.ad Antiochenses Nyssen. orat. ad eum locum, ac de opificio hominis capite 6. à medio capite 16. col. 2. epist. aduers. Appollinar.*de quibus imagin. & similitudin.* column. 2. & libro de Trinitate & aduentu contr. Iudæos col. 2. Cyril. Alex. Dialog. de Trinitate libro 3. col. 3. libro. 4. circa medium & 1.aduersus Iulian. circa medium & 2. post medium Gregorius Bœtic. de Trinitate col. 4. Hilar. 3. de Trinitate circa fin. & 4. longè à medio Tertull.contra Prax. capite 12.init. Beda de oper. sex dier.& tract. de creat. homin. & quæst. super diem 6. Isidor. Hispal. de Natiuit.Domini capite 4. Pelus. libro 2. epist. 143. Fulgent.de Fide ad Petr. fin. Concil. Nicen. libro 2. ante medium Antiochenum professi fid. ad Paul. Antiochen. Syrmicum can. 13. & sequent. anathematizat negantes exprimi hoc Trinitatem. Quæ synodus quantum ad articulum Trinitatis attinet integræ auctoritatis à Patribus habetur, vt doctè Bellarmin. 1. de Concil. capite 7. Baron. anno 357 Vasq. 1.p.d.108.capite 2.numero 14.Ruiz d.36. sect.4. numero 8. & 17.

4 Neque solis Patribus eo loci Trinitas Personarum visa est contineri. Nam Midras Coheleth perueustus Rabbinus,Galatino teste 2.de arcan. cap.9. eodem modo eum locum interpretatur. Illud enim Ecclesiast.2. *vt sequi possit regem factorem suum.* Hebraicè: *Regem qui fecerunt eum*, alludere putat ad illud Genes. 1. *Faciamus*, atque exprimi Trinitatis Personas: sicque addit: *Non est scriptum, qui fecit eum,sed qui fecerunt eum: quod, ex quo in lege scriptum est dici potest. Deus enim sanctus, & benedictus, & domus iudicij eius fecerunt eum.* Ad domum autem iudicij tres, vt minimum, apud Hæbreos conueniebant. Idipsum colligi putat haud iunior Rabinus Simeon Ioahi filius in lib. Zoar. ex Deut. 6. *Dominus Deus noster Deus vnus est*, In Hæbreo autem pro *Dominus* habetur *Iehoua* id est *Deus*: vt trina sit nominis Dei repetitio ad Trinitatem Personarum indicandam in vnitate naturæ, quam extrema illa dictio significat, *vnus est.* Scio post Galatinum ab horum libris hæc Iudæos exponxisse, ne fide pungerentur. Addę illud Genes.3. *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est*, quod, licet perfunctorię ab authoribus ad rem hanc adducatur, mihi tamen cum primis vereris Testamenti locis numerandus videtur: quippe qui prædictas omnes solutiones, vel sono vocis excludit.Neque enim authoritatiuæ locucioni locus,neque exhortatoriæ, neque ad Angelos potest esse locutio, sed Dei ad Deum, in quo dicit esse vnum, quem ex pluribus aliis excipit, vt bene notabat Chrysost. t.3. serm. de Trinit. & serm. 5.fer.5.Rursus probatur ex Psalm. 44. *Sedes tua Deus, in seculum seculi &c. dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* quo vtitur Paul.ad Hebr. 1. ad probandam Filij diuinitatem, cum Persona vncta à Deo vngente necessario diuersa, & dicatur Deus, & solium, sedemque æternam regni, & dignitatis habere.Ac rursus non vnus vngens, sed Deus repetitus,seu replicatus,id est,Pater,& Spiritus sanctus nominentur.

5 Celebris ad institutum istud est hymnus ille Trisagij Isai.6. *Sanctus,Sanctus,Sanctus,Dominus Deus exercitum*, cui consonat Canticum illud quatuor animalium Apoc. 4.Ex illo autem Isaiæ sic Rabbinus Simeon citat.& Rabbinus Ionaran,Vzielis filius habent apud Galatin.supra: *Sanctus hic est Pater,Sanctus hic est Filius,Sanctus hic est Spiritus S.* licet hoc etiam Iudæorum malicia expunctum post Galatin.fuerit. Sic etiam etiam locum interpretatur Basilius 3. contra Eunom. circa med. Hieronym.ibi, & tom.3. epist.142. Gregorius lib.29.moral. longè ab init. August.1.& 3.contr.Maximin. & serm.38. de temp. Ambros.2.de fide ad Gratian. post med. Nazianz. orat.1.in Christi natiuit.Epiphan.Ancorato col.9. & infra, Athanas.de communi essent.&c.init. sub titulo *quod non tres dij*, & de diuina natur. suscept. vers.med. & fin. Theodor.fragmento penult. in Breuiario liberati ante Conc. Aluernense,Damasc.epist.de Trisagio,Fulgent.de fide ad Petr.c.1.fin.& ad obiection.Arriaa. init. Orig.hom.4.in Trisag.Rupert.in idem, Alex.Pap.1.epist.1.c.6.Benedict. Pap.I.epist.vnic.rom.2.Conc.Fælix Pap. ep.3. ad Petrum Fullonem ex synodo Romana post med.Isid.noster de natiuit.Domin.cap.4.Bernard.serm. de Kalendis Nouemb. Anteon Episc. Arsinois epist.ad Petr. Antiochen. in Synodo Constantinopolit.in causa Petri Fullonis.

6 Idem colligitur ex Genes. 11. num. 7. *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, & diuisit eos.* Quæ adhortatio ad Angelos non est, vt volebat Perer. 16.in Genes.d.7.à. n.74. Nam ad Angelos *ite* imperatiuè dicere debebat, non autem venite tanquam ad Personas honore æquales, vt notabat Chrysostomus tomo tertio sermone de Trinitate & serm. 5. feriæ 5. Passionis:

Passionis: ergo cum eo loci vnus saltem assignandus sit, qui dicat *venite*, atque duo, vt minimum, quibus pluraliter dicatur,tres,vt minimum Personæ admittendæ in diuinis sunt ex loco isto.Sic propterea illum interpretantur Patres communiter, Rupert.4. in Genes. cap.42. Marcell.Pap.epist.1.decret.1. Nyssen.de trinit. & aduen. Dom.contra Iud. Basil.5. contra Eunom. Theodoret. q. 19.in Genes. & de principiis ad Græc. post med. Idem prorsus colligitur ex illo Genes.18.vbi Dominus dicitur apparuisse Abrahæ trium virorum specie:quos cum ille videret adorauit in terram, vt diuinitatem eorum recognosceret,dixitque:*Domine si inueni gratiam in oculis tuis*, & vers. 9. tres illi, quasi vnus dumtaxat responderunt: *reuertens veniam ad te.* vbi Patres omnes Trinitatem Personarum in vnitate essentiæ monstratam recognoscunt,August.16.de ciuit.cap.29.2. de Trinit. cap. 11. & 12. ser.70.de temp.& 3.contra Maximin.cap.26.col.3. Hilar. 4.de Trinit.circa med.Nyssen.supra col.2.Alexand. Pap. 1.Epist.1.Cyril.Alex.1.contra Iulian. circa med. Athanas. dialog.de Sancta Trinit.contra Macedon.Chrysost. tom. 3.serm.in id 1.Corint.15.*cum autem subiecta fuerint illi omnia*, col.penult.Inde verò profecti viri illi Sodomam ad Lot aduentarunt ex eis duo tantum, Genes.19. qui se à Deo (nempe tertia Persona quæ non apparuit) ad vrbem regionémque deuastandam missos Lot dixerunt vers. 13.Lot verò vers.18. *Quæso*, inquit,*Dominemi,quia inuenit seruus tuus gratiam coram te*, &c.cui illi, quasi vnus, responderunt: *ecce etiam in hoc suscepi preces tuas*, vbi tam in adoratione admissa, precúmque acceptatione,se ex Dei maiestate gesserunt, séque à Persona alia quæ non nisi Deus esse poterat, missos professi sunt. Rursus vers. 19. dicitur:*Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham sulfur, & ignem à Domino.* Hæbraicè *Iehoba, Mehet Iehoba*, idest: *pluit Deus à Deo.* Vt videat Dionys. Carthus. quam malè intelligat vocem *Dominus* Angelum significari. Ex singulis igitur,& omnibus huius Historiæ partibus memoratis Personarum Trinitas in vnitate naturæ diuinæ satis exprimitur.Ita ex eis colligunt Ignatius M.Epist. citata ad Antiochens.Iustin.Dialog.cum Triphone vers. med. de verit.Christianæ relig.Athanas. orat.3. contra Arrian. orat.contra Gregal. Sabell. dialog. 3. de S. Trinit. de Synodis Arimin. & Seleuc. Tertull.aduersus Prax. cap. 13.& 16.Epiphan.in Ancorato,Rupertus 6. in Genes. Irenæ.3.aduers.hæreses sub init.Bapil.5.contra Eunom. post med.sect.16.Chrysost.tom.3.serm de S.Trinit. circa med. Nazianz.orat.35.3.de Theolog.sub med. Nyssen. de Trinit.& aduent. Domin. contra Iudæ.col.3. Euseb. Cæs. 5. demonstrat.cap.8.& lib.7.præparat.cap. 5. & lib.11. cap. 10.Isidor. Pelus.lib.2. Epist.143. circa med. Cyril. Alex.1. in Ioann. cap.2. post med.Theodoret.2. de princip. ad Græcos, post med. Ambros.1. de fide cap.2. post med. August.2.de Trinit. cap. 11. & 12.3. contra Maximin. cap. 26.col.3. serm. 70. de temp. Sanctus Isidor. de Natiuit. Dom. med. Idacius Clarus contra Varimandum cap.2. post med. Hilar. 4. de Trinit. post med. & 5. circa med. de synod. sub med. vbi approbat anathema Syrmiæ,*Si quis,pluit Dominus à Domino,non de Filio,& Patre intelligat, sed ipsum à se pluisse dicat.* Hieronymus Oseæ 1.ad id: *Saluabo eos in Domino Deo suo*, Sixtus Papa 1. Epistola 7. post medium Marcellinus Papa Epistola 1. ad Salomon, Synod. Antiochena profess. fidei ad Paulum Antiochenum paragrafo 2. Scio Vatablum, Caietanum Sanctus Pagninum ad hunc locum, & Tostado tractatu de myst. Sanctæ Trinitat. dixisse illis verbis: *pluit Dominus à Domino*, Hæbraismum contineri vt idem sit, atque Deus à semetipso. Sed tamen cum Patres circiter triginta pro Personarum pluralitate contra Hæreticos ex eo loco pugnent, indeque concilia communiter eam definiant, non sine temeritatis,vt minimum, nota, ab ea interpretatione recedere Christiano Doctori licebit.

7 Aduocandus hic in primis venit ad veritatem istam statuendam locus celebris psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, quo Christus R.P.Christoph.de Ortega, de Deo Vno & Trino.

Dominus Math. 22. dum de sua diuinitate cum Iudæis pugnaret vsurus, eos primum rogauit quid ipsis de Christo videretur? cuiusnam filius esset? cúmque illi Dauid tantum filium esse recognoscerent, vt suam Christus diuinitatem apertè monstraret, rogauit iterum: quo pacto à Dauide citatis verbis Psalmi appellatum Dominum?Si enim, inquit Christus filius dauid tantum esset, nusquam Dauid Dominum eum vocaret: ergo duplex Dominus est, alter quem vos agnoscitis, alter verò Dominus Christus, ad quem ille loquebatur, vt à dextris suis sederet: ac proinde pluralitas Personarum Christi,& Patris, quæ tamen Deus sint, à vobis admittenda est. Quo argumento adeò se conuictos Iudæi erubuerunt, vt dicat Euangelista: *Neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Item probatur ex Psalm. 44. *Sedes tua, Deus, in seculum seculi. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, quo vtitur Paul. ad Hebr.1. ad probandam filij diuinitatem, Personámque aliam esse ab vngente, cum de illa dicatur habere solium, sedémque regni æternam, atque cum Persona vngente dignitatem æqualem. Supererant plura loca quibus Patres ad Personarum Trinitatem deducendam vtuntur; ea tamen fusius expendere non vacat, gregatim indicabo tam loca, quam Patres, qui mysterium hoc ex illis deducunt. Isai. 48.*ex tempore ante quam fieret ibi eram*, & *nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius*, ex quo Personarum Trinitatem ostendunt Ambros. in Symbol. Apost. cap. 62. de fide ad Gratian. versus medium & 3. de Spiritu S. capite 1.fin.Augustinus sermone 6. de tempore seu de natiuitate, medio 5, Hieronymus ad eum locum, Athanasius Epistola 2. ad Serap. colum. quarta,& versus medium, & 3. de assumptione homin. circa fin. Chrysostomus tomo 3. hom. 3. de Spiritu Sancto col. vlt.sermone de Sancta Trinitate,col.penult. Basil. tertio contra Eunom. medio, Isidorus Hispal. de Natiuitate Domini. Et iure quidem; quia nemo à se ipso mittitur, sed à persona diuersa. Quod etiam argumentum sumitur ex Zachariæ 2. *Habitabo in medio tui, ait Dominus*; *& scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Chaldaica: *Ponam diuinitatem meam in medio tui, & scies*,&c.Oseæ 1. Aiebat Deus:*Saluabo eos in Domino Deo suo*,id est; *Pater in Filio*, vt ibi Hieronymus & Basil. 5. contr. Eunom. post medium. Ad quem locum alludere videtur Paul.1.ad Titum 1.*Dabit ei Dominus inuenire à Domino misericordiam*; Quibus locis saluatio, & misericordia à Deo facienda, deóque promissa ab alio, qui Deus etiam sit,futura prædicatur. Similiter Zachar. 3. *Dixit Dominus ad Satan: increpet Dominus in te Satan,& increpet Dominus in te*, vbi alium esse Dominum diuersum personaliter à Domino qui loquitur, satis apertè monstratur.

8 Denique ex trina repetitione nominis Dei frequenti in veteri testamento Patres Trinitatem Personarum colligunt ex 3. Exodi: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Athanasius primo de vnitate Deitatis post medium,Theodoretus secundo, de princip. ad Græcos circa medium,Fulgentius ad 4. obiect. Arrianorum. Et ex illo Deuteronomij 6. *Dominus Deus tuus,Deus vnus est.* ex Psalm.66. *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.* Gregorius 29. moral.capite decimo sexto, longè ab init. & libro primo Regum, Alexandr. Papa epistola capite sexto, Benedictus Papa epistola prima decretali.; Fulgentius ad primam obiect. Arrianorum, Ambrosius in symbolum Apostolorum capite tertio; Athanasius ad eum versum, & libro de communi essent. Patris, &c. Hieronymus, Euthymius, Ruffinus, Cassiodorus, Beda, Haimo, Remigius, & alij apud Lorinum in eius versus commentario. Nec refert sæpè in scriptura nomen pro relatiuo, vel pro nomine repeti, vt colligit Athanasius oratione quarta, contra Arrianum, versum finem, ex primo Corinth. primo. *Expectantibus reuelationem*

Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmauit vos vsque in finem in die aduentus Domini nostri Iesu Christi: Quare his locis, ita repeti videtur. Sed tamen quando repetitio nominis eiusdem pro relatiuo sit ex re nomine repetito significata, alibique *in* scriptura declarata, atque ex Patrum sententia cognosci debet. His autem indiciis repetitio nominis Dei apud recitata loca relatiua non est, vt patet: tum ex concordi Patrum interpretatione memorata; tum quia alibi Personarum Trinitas in Scriptura traditur: Quare repetitio nominis Dei non relatiua, sed pluralitatis, ac Trinitatis Personarum significatiua haberi debet. Alia possemus ex veteri testamento loca perstringere, quæ vel à Christo Domino, vel Euangelistis, & Apostolis ad Trinitatem Personarum, vel Filij, ac Spiritus Sancti processiones probandas allegata fuere: ne tamen repetantur, ad quæstionem secundam, vbi de alio conceptu huius mysterij, nempe de ratione principij, & principiati Personarum meritò recitanda, atque expendenda referuamus.

CERTAMEN III.

Ex nouo Testamento firmius adhuc trium Personarum distinctio statuitur.

1 PRimum testimonium sit ex Ioannis 1. *Et verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Ea autem Persona, quæ apud aliam est, necessariò est ab illa diuersa: ac proinde Deus verbum, quod apud Deum esse dicitur, apud alium, qui Deus sit esse dicitur: cum nemo apud se ipsum sit. Proinde ad Patris, & Filij distinctionem probandam hoc testimonio vtuntur Concil. Nicen. libro 2. col. 6. §. *sancta & magna*, Basil. hom. 16. in ea verba sub med. Cyril. Alex. 1. in Ioann. capite 2. sub init. Athanas. contra Gregal. Sabell. col. 2. & serm. de Sanctissima Deipara col. 3. Epiphan. hæres. 65. post init. Chrysost. hom. 2. in Ioann. post med. & hom. 3. col. 2. Theophylactus ibi, Tertull. contra Prax. capite 7. & 8. Fulgent. libro 7. ad Monim. præcipuè, capite 7. & 8. Hilar. 2. de Trinit. med. Augustione 112. noui, & veter. testam. sub. init. Item. Seuerus Antiochen. & Leont. in catena græcor. Patr. apud nostrum Maldonat. ad citata verba Ioann. 1. His consonat Iob capite 12. dicens: *Apud ipsum est sapientia:* Quod de verbo intelligit Paul. Respondebis ex doctrina Fulgent. 3. ad Monim. & Aug. 6. de Trinit. capite 2. atque Irenæi libro 3. capite 8. præpositionem *apud* tantumdem valere in Scriptura atque *in*: atqui propositio *in* non denotat distinctionem personalem: ergo neque præpositio *apud* eam denotabit. Minoris sexcenta exempla congerit. citatus Fulgent: Pauca attingam. Psalm. 21 *apud te laus mea*, &c. & psalm. 41. *Apud me oratio Deo.* Prouerb. 3. *Ne fis sapiens apud temet ipsum*, & Publicanus Luc. 18. dicitur *Apud se orabat*: quin personalis distinctio orationis, sapientiæ, laudis à Personis, apud quas esse dicuntur, inde inferatur. Sed contra: quia in his, in quibus proximæ locutiones inueniuntur agitur de rebus, quæ substantia non sunt, nec substantiales Personæ sicut, verbum dixit esse Euangelista ila voce *erat* sæpius repetita, vt Patres communiter interpretantur; & verbo Deus quod statim de verbo prædicauit: ac proinde *apud* locis hisce adductis solum significat inexistentiam eorum in Persona, apud quam esse dicuntur: quia ea omnia termini inepti sunt, vt Personæ sint. Contra secundò: quia, vt bene notauit citatus Ruiz sectione 4. numero 20. eis locis, quibus apud tantumdem valet, atque *in* ea significat, quæ quasi accidentia alterius sunt, vt patet, atque adducuntur pronomina relatiua, non autem nomina propria & substantiua Personarum, v. g. si Publicanus ille vocabatur Iacobus, non dicitur Publicanus orabat apud Iacobum sed apud se: ergo Euangelista, cum dicit Deum verbum esse apud Deum nomine proprio substantiuo dictum, non autem apud se, præpositionem *apud* in sua propria significatione diuersa à significatione præpositionis *in* vsurpauit.

2 Confirmatur primò: quia certum est *apud* in sua stricta significatione diuersum quid significare, atque *in*, scilicet diuersitatem extremorum, maximè, si substantialia sint: esto in alia impropria, figurata, & poetica significatione valeat idem, atque *in*; ac proinde in Psalmis, Prouerbiis, Sapientialibus, & Iobi libris, in quibus hæ locutiones locum habent, accipiatur sic, neque inferat Personarum diuersitatem; est in libris à quibus figuratæ locutiones relegandæ sunt, præcipuè ratione materiæ, quæ in ipsis tractatur, *apud* non est idem, atque *in*, & diuersitatem extremorum, præsertim, si substantialia sint, manifestè importat: cum autem eiusmodi sint, & locus Euangelij citatus, & eius materia, particula *apud* diuersitatem personalem verbi, quod dicitur esse apud Deum, à Persona Dei, apud quem esse dicitur, denotare necessariò debet. Confirmatur secundò: quia cum ambigua sit illius particulæ significatio, nisi Personarum distinctionem certam significare intenderet Euangelista, ne occasionem præberet errandi, vti debebat, pronomine loco nominis & dicere: *verbum erat apud se*, non autem *apud Deum*. Ad Fulgentium dicito solum voluisse, quod præpositio *apud*, idem in sacris literis significet atque *in*, quandoque, neque personarum distinctionem arguere, cum, vel alterum extremum accidens est, non Persona, vel adduntur pronomina *ego, tui, sui*, sicut exempla ab ipso adducta testantur. Alias enim sæpius in scriptura, imo ferè semper diuerso modo significat *apud*, atque *in*, vt videre est Actorum 9. 10. 18. 21. & 23. vbi Apostoli apud alios mansisse dicuntur: nec tamen dici potuerunt mansisse in illis, atque ab illis personaliter non differre. Præterea intima in existentia vnius Personæ diuinæ in alia ratione identitatis naturæ, quæ circuminsessio Personarum dicitur, Personarum diuersitatem arguit, non debilitat; atque hanc contendit Fulgent. contra Arrian. probare, quin obsit præpositio *apud*, quæ in creatis omnimodam personarum diuersitatem videtur arguere.

3 Secundò probatur ex Ioann. 5. *Alius est, qui testimonium perhibet de me.* scilicet Pater, Ioann. 8. & Ioann. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis*, scilicet Pater, vbi tertia Persona additur: ergo est alia, & alia Persona, seu alius, qui dat, alius, qui dandus est, & alius qui loquitur. Quin, si locus hic ex capite 14. integrè recitetur tres Personas diuinas apertè continet. Ait enim Christus Dominus: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Ecce Christi Persona, quæ rogat, & alia Patris, quæ rogatur, & alius Paraclitus æquæ dignitatis cum filio dato, in cuius locum succedit, dandus à Persona Patris dicitur: ergo sunt tres distinctæ Personæ. Neque enim Persona vlla se ipsam rogat, neque à se ipsa datur tanquam à tertio donatore rogato: quare cum alius sit, qui rogat Patrem, & alius Paraclitus, qui à rogando Patre dabitur, & alius, cuius precibus, & rogatu dandus Paraclitus prædicitur, tres Personæ admittendæ sunt in diuinis. Sic eum locum, & alium eiusdem capite numero 26. atque alium eiusdem Ioann. capite 25. quem nos quæstione 2. cert. 2. expendemus, ponderant communiter Patres ad caput 14. Ioann. Augustinus, Chrysost. Cyril. Leontius, Theodorus, Eracleensis, Theophylactus, Euthymius, Beda & S. Thom & Athanas. de communi essent. Patr. &c. vers. med. §. *quatenus*, orat. contr. Gregal. Sabell. col. 3. orat. contr. Arrian. vers. fin. & epist. poster. ad Seraphin. quæ incipit: *litteræ*, col. vlt. Naz. orat. 37. 5. de Theolog. Basil. de Spiritu S. ad Amphylochium capite 18. post med. & 19. sub init. Epiphan. in Ancorato sub medium, Hilar. 8. de Trinit. longè ab init. Ambros. 5. de fidæ, cap. 6. sub init. & fin. ac 2. de Spiritu S. cap. 12. sub init. & infra, August. 1. de Trinit. cap. 8. & lib. 4. cap. 20. circa fin. & lib. 15. cap. 20. longè ab init. Hieronym. epistola ad Hedibiam circa fin. Theodoret. Epitome diuinor. decretor. lib. 5. c. 3. Tertull. 4. contr. Prax. cap. 9.

4 Quintum testimonium sit ad Roman. 11. *Ex ipso, &*

& per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria, &c. licet enim præpositiones illæ *ex*, *per*, & *in*, eidem Personæ accómodari possint, vt ibi notat S. To. & Dionys. de diuin. nomin. c. 13. stricte tamen præpositio *per* significat distinctionem Personæ, originis posterioritatem, ac processionē ab eo, qui per ipsum dicitur operari: quare ab ea persona, cui adiungitur innascibilitatem, & paternitatem excludit. Sic egregiè obseruarunt Chrysost. hom. 4 in Ioann. propè med. & hom. 2. ad Hebræ. 1. col. 2. Nyssen. lib. 2. *Quod non tres dij*; ad Ablabium, August. q. 122. veter. ex nou. testam. sub fin. Theophylact. ad id Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, S. Thom. lect. 5. post med. ad Roman. 11. & 1. p. q. 39. art. 8. & 9. & q. 45. art. 6. ad 3. vbi eius interpretes, Mag. in 1. d. 36. cap. *proinde*, vbi, & eius commentatores. Atque hinc constat rigorosa significatione solum Patrem dici posse operari per Filium, non autem Filium per Patrem, vt aduertit Magist. in 2. d. 33. cap. penult. per Spiritum autem sanctum dici posse operari Patrem & Filium, constat ex Basil. de Spiritu S. cap. 5. Epiphan. hæresi 76. col. 8. Cyrill. 3. thesaur. cap. 2. non verò contrà Spiritum sanctum per Patrem, aut per Filium operari, vt notauit S. Thom. opusc. 1. contra error. Græcor. cap. 15. Præpositio autem *in* si stricte sumatur specialiter tribuitur Spiritui sancto, vt censent citati Patres, & Chrysost. homil. 4. in Ioann. med. Clem. Roman. 8. constituit. Apostolicar. c. 3. Sextò, octauò, decimò, & decimoquartò, sub eorum finem, S. Martialis epist. 1. ad Burdegal. c. 10. fin. August. tract. 20. in Ioan. longè à med. & alij. Huius rationem attingunt S. Thom. q. 39. citat art. 8. Alexander 1. p. q. 9. memb. 3. Albert. 1. p. q. 50. memb. 4. rum, quia res dicuntur esse in eo, cui est liberum dominium faciendi, vel non faciendi ipsas: cum autem liberum hoc dominium voluntatis proprium sit, propriè etiam res dicuntur esse, & fieri in Spiritu sancto, cui soli competit per voluntatem processio: tum etiam, quia cum bonitas Dei magis eluceat in conseruatione, & continentia rerum, quousque suum obtineant finem, atque bonitas hæc Spiritui sancto ob processionem ipsius per voluntatem specialiter tribuatur, specialiter etiam, quod in ipso seruentur, & contineantur creaturæ, tribuitur: tum denique, quia, vt ingeniosè Bonauentura d. 36. dub. 4. literali, cum Spiritus sanctus sit vltima persona procedens, in eo dicitur diuina potentia notionalis Patris, & Filij quiescere quasi in vltimo termino, & fine, in quo Philosophus 4. Physicor. text. 23. omnia contineri, & requiescere dixit. Fallor, ni huc intendebat Cyprianus serm. de Spiritui sancto dum ait: *Septima dies* (scilicet creationis) *dicata quieti, & Spiritui sancto attitulata.*

5 Ea propter ex præfato loco Personarum Trinitatem in vnitate naturæ colligunt Alexand. Pap. I. epist. 1. Nazianz. orat. 36. in sancta lumina circa med. Athanas. 4. contra Vrbicum Potentin. post med. Basil. 5. contra Eunom. sect. 14. & 15. ac libro de Spiritu sancto sub init. Ambros. in symbol. Apostolor. cap. 3. August. 1. de Trinit. c. 6. post med. & q. 122. veter. & nou. testam. fin. & de fide, & symbol. init. & fine, ac de vera, & falsa religione fine, Fulgentius ad 4. obiectionem Arrian. circa med. Greg. Magn. 19. moral. cap. 17. vers. med. & 2. in Ezechiel. hom. 16. circa med. Phœbadius contra Arrian. vers. med. Magist. in 1. d. 2. fin. vbi eius interpretes. Consonat sibi Paul. 1. Corinth. 8. *Nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum.* Ex quo loco adiuncto illo ad Ephes. 4. *Vnum corpus, & vnus Spiritus, vnus Deus, & Pater omnium*, Trinitatem Personarum probat S. Ignatius epist. 5. ad Philippens. post init. ac S. Martialis epist. 1. ad Burdegal. cap. 10. fin. ac reliqui Patres nunc citati, atque insuper Chrysostom. tom. 3. serm. de Sancta, & consubstant. Trinit. col. 2. Ambros. de fide ad Gratian. cap. 2. post med. & lib. 4. cap. 6. August. 1. de Trinit. à med. & 1. contra Maximin. vers. fin. Hilar. 8. de Trinit. post med. Nec me latet Hæreticos velle, vt præpositiones *per*, &, *in* significent inferioritatem vnius Personæ præ alia, & imperfectionem modum operandi, vt volebat Arrius apud Athanas. in Concil. Nicæno col. 3. præpositionem autem *in* significare locum, & tempus: ac proinde Spiritum sanctum, in quo dicuntur omnia fieri; nil eis amplius præstare quam tempus præstet, & locus, sic Arrianus, Aetius, & sequaces referente Basilio de Spiritu sancto cap. 2. 3. & 4. Ambros. 2. de Spiritu sancto cap. 10. post med. Bellarm. 1. de Christo cap. 9. col. 2. §. argumentum, à quo errore non omnino liber iudicatur Orig. c. 3. ad Roman. lib. 3.

6 Idcirco Arrius apud Theodoretum 4. hæreticar. fabular. init. & Basil. de Spiritu S. c. 6. sub init. ita suos edocuit: *Per Filium gloriam Patri, & Filio esse tribuendam; sed cum Filio nequaquam. Eo quod ea voces æqualitatem declarent honoris, per Filium verò ministerium significant.* Quibus similia subdit de Spiritu sancto. Hoc autem Patres redarguunt: quia præpositio *per*, & *in*, non denotant imperfectionem, neque *ex* perfectionem maiorem: ac proinde indiscriminatim Patri, & Filio, & Spiritui sancto illæ omnes adiunguntur. Nam Filio sæpè accommodatur præpositio *ex* ad Ephes. 4. *Ex quo totum corpus*, & ad Colossens. 2. atque præpositio *de*, quæ tantumdem valet, atque *ex*, Filio tribuitur Ioann. 16. *De meo accipiet*, ac pluries, tam de Filio, quam de Spiritu sancto Matthæi 2. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ioan. 3. *Quod natum est ex Spiritu.* Eidem etiam Spiritui sancto accommodatur etiam præpositio *per*, Isai. 30. *Ordinemini telam, & non per Spiritum meum.* 1. Corinth. 2. *Nobis reuelauit Deus per Spiritum suum.* 2. ad Timoth. 1. *Custodi per Spiritum sanctum*, & 1 Cor. 12. *Per Spiritum sanctum datur sermo sapientiæ*, ad Hebræos 9. *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit.* Filio etiam præpositio *in* sæpè in Dei operibus tribuitur ab Scriptura ad Ephes. 4. *Crescamus in ipso.* Ad Colossenses 1. *In ipso condita sunt vniuersa*, & rursus: *In ipso creata sunt, & omnia in ipso constant.* Eædem autem præpositiones *per*, & *in*, Patri sæpè accommodantur. *Per Iesum Christum, & Deum Patrem*, aiebat Paul. & 1. Corinth. 1. *Fidelis enim Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius*, & num. 4. *Per voluntatem Dei, & Patris*: Sic enim constanter legit Chrysostom. hom. 4. in Ioann. circa med. atque alibi sæpè. Ad Galat. 4. *Si Filius, & hæres per Deum*: Patrem scilicet, cuius Filius est, Ad Roman. 6. *Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris.* Genes. 4. *Possedi hominem per Deum.* Similiter præpositio *in* de Deo, & Patre sæpe dicitur psalmo 13. *Non est salus ipsi in Deo eius.* Psalmo 17. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo*, & c. 2. ad Thessalonic. 1. *In Deo Patre nostro*, &c. & 1. Ioann. cap. 4. *Deus in nobis manet.* cum ergo indiscriminatim Personis Trinitatis, Deoque ipsi sub hoc nomine, præpositiones præfatæ in scriptura tribuantur nullam inferioritatem, aut superioritatem important, sed summam Personarum, quibus tribuuntur, cum aliis compatiuntur æqualitatem.

7 Sed totum hunc errorem concussit Paulus 1. Corint. 12. cum Spiritu Sancto, cui applicuit præpositionem *per*, in gratiarum à Deo elargitarum operatione, subiunxit statim plenum, liberúmque earum gratiarum dominium inesse: ac proinde se ex Deo, & Domino in earum partitione gessisse non ex ministro. *Alij*, inquit, *per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu &c. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens singulis, prout vult.* Vt autem videant Arriani, quam oscitanter Scripturas suus legerit præceptor, dum eam distinctionem præpositionum *cum* & *per*, atque aliarum docebat, vt illa æqualitatem, hæc verò inferioritatem significent, Ioannis textus ex c. 1. *Omnia per ipsum*, verbum, *facta sunt.* ex quo sui erroris fundamentum petebat, expendendus est. Rogo enim, an ibi *per*, significet ministerium? Aiunt. Sed pergant legendo: *Et sine ipso factum est nihil*: ergo si sine ipso factum est nihil, cum ipso facta sunt omnia, quæ per ipsum etiam facta dicuntur. Patet: quia disiunctio *sine*, non negat præpositionem *per*, sed præpositionem *cum*, vt grammaticis constat, ergo asseritur ab Euangelista in vltima clausula æqualitas, quam per vos præpositio *cum*, denotat, quámque eidem verbo per vos etiam præpositione *per*, immediatè negauerat. Bonum ergo haberet Deus, ac fidelem Euan-

geliſtam, niſi vos Chriſtianos perfidos prauóſque hæreticos dæmonem haberet. Denique, cum Spiritus ſanctus æquè principaliter, ſummáque productionis æqualitate à Patre, & Filio procedat, à Patre tamen *per* Filium procedere admittitur ſine æqualitatis eius præiudicio ab Anſelm. epiſt. de proceſſ. Spirit. S. poſt med. cap. 10. atque à Patribus Concil. Florentini, vt probant Ioann. Theolog. ſeſſ. 44. & Hieronym. Ambroſ. Auguſt. & Gregor. Magno, Georgius Scholar. ſeſſ. 25. circa med. Beſſarion. orat. pro vnione c. 6. Qui omnes *per*, & *in* nequaquam ſignificare inæqualitatem, ſeu imperfectionem affirmant, atque *ex* maiorem perfectionem importare negant. Vtrúmque etiam Baſil. de Spiritu S. c. 5. Nazianz. orat. 37. 5. de Theol. Athanaſ. de comm. eſſent. Patris, &c. circa med. Chryſoſt. hom. 4. in Ioann. circa med. hom. 1. ad Galat. col. 4. hom. 14. in 2. Geneſ. col. 2. Cyril. Alex. 1. in Ioann. c. 5. Ambroſ. 2. de Spiritu ſancto, c. 10. poſt med. Hilar. de Trinit. longè à med. Theophylact. in 1. Ioan. Damaſc. 1. de fide, cap. 9. circa fin. Magiſt. in 2. d. 13. c. hîc quærit, vbi & Theologi omnes.

8 Quarto loco audiendus eſt Apoſt. ad Titum 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, &c. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* Vbi eſt Saluator, qui ſua benignitate effudit Spiritum ſanctum, nempè Pater, vt ibi Hieron. & Saluator alius, per quem illud effudit, nempè Chriſtus, & Spiritus ſanctus effuſus, ac proinde tres diuinæ Perſonæ. Clarius tamen omnibus Ioann. 5. dicitur: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt*, ad quæ Athanaſ. 1. de vnita Deitate: *Non tamen vnus eſt, quia non eſt eorum vna perſona.* Et Ioan. 15. de Spiritu ſancto Chriſtus aiebat: *ille teſtimonium perhibebit de me.* Dictum autem fuerat cap. 8. *In lege veſtra ſcriptum eſt: quia duorum hominum teſtimonium verum eſt: ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater.* Ad quæ idem Athanaſ. contr. Gregal. Sabell. col. 3. *Niſi dicas duos eſſe cum loquitur, non permittis teſtimonium verum exiſtere: id enim teſtimonium confirmat, ſi non ab vno, ſed à duobus perhibeatur.* Similiter arguunt Baſil. hom. 28. contra Sabellian. Ambr. 2. de fide ad Gratian. col. vlt. Auguſt. tract. 36. in Ioann. circa med. Fulgent. de fide ad Donatum cap. 3. Origen. hom. 2. in caput 21. numerorum, col. 2. Definita tandem diuinarum Perſonarum Trinitas eſt in ſymbolo Athanaſ. *Neque confundentes Perſonas*, &c. *Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti.* Apud Concil. Nicæn. 1. 2. de actis ante decretor. conſtitut. col. 8. §. *Sanctæ & magnæ*, inter med. & fin. §. *cum ſit copioſa*, & §. *Audiam*. apud Nicæn. 2. generale 7. act. 3. in confeſſione fidei Tharaſij, & in confeſſ. Theodori approbatis à Concil. apud Calcedonenſe generale 4. act. 16. profeſſ. fidei ſub init. apud ſextam ſynod. general. act. 11. epiſt. Sophronij profeſſ. fidei col. 2. 3. & 4. atque act. 4. epiſt. 2. Agathonis Pap. col. 2. apud Concil. Lateran. c. *firmiter*, & cap. *damnamus*, de ſumma Trinit. apud Florent. ſeſſ. 18. præcipuè poſt med. §. *diuina ſubſtantia*, ſeſſ. 19. §. vlt. apud Concilia Toletan. 6. & 11. profeſſ. fidei, apud VVormat. profeſſ. fidei Damaſ. Pap. profeſſ. fidei ad Paul. Theſſalonic. Leo Magnus epiſt. 93. aliàs 91. ad Turib. & ſerm. de Pentecoſt. cap. 2. & Gregorius Magnus libro primo, epiſtola 41. ad Leand. Dionyſius Areopag. 2. de diuin. nomin. longè ab init. vbi, & Hierotheus, Sanctus Ignatius, & Sancti Martialis, reliquíque Patres citati locis innumeris, quorum qui Elenchum longiorem deſideret, legat noſtrum Ruiz d. 19. à ſectione 3. d. 33. à ſectione 1. & d. 36.

***

CERTAMEN IV.

Diſtinctionis Perſonarum magnitudo taxatur.

1 RAymundus Lullius apud Eymericum Director. Inquiſit. p. 2. q. 9. art. 25. 26. & 27. vt nihil non in hoc myſterio erraret, aſſeruit diſtinctionem diuinarum Perſonarum maiorem eſſe, quam inter alia eſſe poſſit: reſpondítque eos, qui non fatentur eſſe tantum imo maiorem quam inter Deum, & equum. Sic ferè de ipſo etiam refert Vaſquez d. 133. cap. 1. num. 3. neque nimium à Lullij ſenſus diſcrepare viſus eſt noſtro Ruiz Catholicus, & acutus doctor Petrus Aliacenſis in 1. quæſt. 5. art. 1. circa finem aſſerens diſtinctionem diuinarum Perſonarum, quia infinita ſimpliciter eſt, qualiber creaturarum diſtinctione maiorem eſſe. Id quod Arrianum errorem ſonare, & ſapere cenſet Ruiz d. 19. ſect. 7. num. 2. me autem iudice temperatius potuiſſet in Aliacenſis ſententiam inuehi, cuius catholicum, & ſubtilem ſenſum cum noſtro aperiam. Recentiores alij apud Ruiz n. 9. docent extenſiuè maiorem alia quauis diſtinctione non eſſe, ſecus intenſiuè; ſiquidem in Perſonis diſtinctis diuinis aliquid clauditur, quod idem in omnibus ſit. Impugnat Ruiz num. 10. quia in his, quæ capacia intenſionis ſimpliciter dicitur. Sic minimus ignis maximè calidus eſt, calidiórque dolio aquæ feruentis: ergo, ſi diſtinctio Perſonarum ſumma intenſiuè eſt, ſimpliciter maxima dici debet. Cæterùm antecedens eſt falſum: nam quæ intenſionis, & extenſionis ex ſpeciè, & eſſentia ſua ſunt capacia ex alterutrius magnitudine ſola, non dicuntur maxima ſimpliciter, ſed ſecundum quid: ſicut neque infinita ſimpliciter, ſed ſecundum quid ex alterutriuſſola infinitate. Fælicius impugnat num. 11. Quia ea debet eſſe maxima diſtinctio, quæ minorem compatitur extremorum identitatem contrariam: ſicut is calor maximè intenſus eſt, qui ſecum minus frigoris contrarij admittit: ſed diſtinctio Perſonarum admittit ſecum identitatem earum in natura, quam in ſuis extremis creatæ diſtinctiones non admittunt: ergo non eſt maxima adhuc intenſiuè diſtinctio diuinarum Perſonarum:

2 Sanctus Thomas 4. contra gentes cap. 4. ad 10. vbi Ferrarienſis §. *dicit ſecundò*, fine, Ricard. in 1. d. 26. q. 2. ad 1. Durand. q. 1. fin. Argent. quæſt. vnica ad 3. circa fin. & Ruiz citatus num. 4. docent diſtinctionem Perſonarum minimam eſſe: quibus, ſi de Perſonis adæquatè, i& realiter ſumptis ſit ſermo, libenter annuimus. Id quod efficaciter ſuadet ratio proximè facta contra Recentiores: Contendit inſuper Ruiz num. 6. de Perſonis formaliter ſumptis ſiue perſonalitatibus, & ſubſiſtentiis idem probare: quia relationes, & ſubſiſtentiæ Perſonarum quiditatiuè, & eſſentialiter imbibunt eſſentiam: ergo in ſuo conceptu imbibent identitatem cum illa, ac proinde minimam habent diſtinctionem. Imbellis probatio: quippe quæ malam, nec myſterio explicando ſatis aptam metaphyſicam ſupponit. Nam perſonalitates, qua tales, ſunt ratio diſtinctionis perſonarum adæquatè: ergo quidquid in eis idem, & commune eſt cum aliis, neque inadæquatè perſonalitas formaliter eſt. Patet: quia diſtinctiuum formaliter implicat eſſe identificatiuum: ſed eſſentia eſt identificatiuum Perſonarum: ergo implicat contineri formaliter in Perſonalitatibus, quæ formaliter adæquatè diſtinctiua Perſonarum ſunt; de quo per otium d. 8. q. 3. cert. 1. & 2.

3 Dicendum ſecundò eſt, Perſonalitates diuinas formam ex poſſibilibus diſtinctionem habere. Sentio cum Petro Aliacenſi vbi proximè, & ex parte cum Recentioribus citatis. Probatur: quia ea eſt maxima diſtinctio, cum qua maximè repugnat identitas extremorum inter ſe ſe: ſed cum diſtinctione perſonalitatum formaliter ſumptarum maximè ac ſummè repugnat identitas extremorum inter ſe ſe: ergo diſtinctio perſonalitatum formaliter ſumptarum maxima eſt, & ſumma. Fulcitur: quia

quia impoſſibilitas identificandi duo creata diſtincta ſtat in neceſſitate vnitatis, & indiuiduationis, quæ in vnoquoque eorum eſt, quáque repugnat hoc indiuiduum: ſed conſtantia, & neceſſitas cuiuſuis prædicati creati minor eſt, quam conſtantia, & neceſſitas cuiuſuis prædicati, & formalitatis diuinæ, qualis eſt perſonalitas cuiuſque Perſonæ: ergo minor eſt repugnantia idemtitatis inter creata diſtincta, qua m inter Perſonas diuinas. Dices: ſaltem non erit maior diſtinctio, quam ſit inter perſonalitatem diuinam, & Angelum, aut aliam creaturam. Sed contra: quia ex parte creaturæ, adhuc reſpectu Dei, à quo ſua vnitate, & indiuiduatione diſtinguitur, non eſt tanta repugnantia idemtitatis cum Deo, aut eius perſonalitate, quanta eſt in quauis perſonalitate diuina reſpectu alterius. Dices ſecundò cum Ruiz eam repugnantiam non euenire perſonalitatibus diuinis ratione diſtinctionis formaliter ſumptæ, ſed materialiter ratione extremorum inter quæ verſatur: nam Deo, eiuſque perfectionibus conuenit ſumma neceſſitas: v. g. conuenit Deo maiori neceſſitate eſſe ſapientem, veracem, & omnipotentem, quam homini eſſe rationalem, vel non eſſe hinnibilem: ac proinde hæc implicatio coniunctionis in idem conuenit perſonalitatibus formaliter ſumptis ratione ipſarum, non autem ratione diſtinctionis. Explicat doctrinam, ac ſimul confirmat exemplo apoſtiſſimo. Nam ecquis dicat duplicem immediatam præſentiam magis diſtare vocaliter, quam cœlum, & terram? & tamen cœlum, & terra facilius, quam duplex immediata præſentia in eumdem locum poſſunt confluere: quippe præſentia vtráque eſſentialiter ſuo ſpatio affixa eſt. Sed contra: quia diſtinctio nil aliud reipſa eſt, quam diſtinctorum repugnantia, vt idem ſint, imo neque formaliter aliquid aliud eſt: quare formaliter in hac repugnantia extremorum ad idemtitatem intrinſicè, & eſſentialiter ſita eſt diſtinctio: atqui per te ſumma eſt repugnantia perſonalitatum, vt in idem confluant, quia diuinæ ſunt: ergo, & diſtinctio earum realiter, & formaliter ſumpta ſumma erit. Contra ſecundò: per te quidquid in diuinis eſt maioris neceſſitatis eſt, quam creata: ſed diſtinctio hæc formaliter, & adæquatè ſumpta diuina eſt: ergo formaliter, & adæquatè ſumpta maioris neceſſitatis eſt, quam creatæ diſtinctionis: ergo maiore neceſſitate ſeparabit extrema, ne in idemtitatem confluant inter ſe ſe, quam creatæ reliquæ diſtinctiones. Iam verò exemplum illud è re non eſt. Nam diſtantia non importat impoſſibilitatem coniunctionis extremorum, ſed ſpatij intercapedinem inter ipſa: quare poſſunt eſſe vicina, quæ maiori coniungentur difficultate, quam alia, quæ magis diſtent. En vicini montes minus diſtant inuicem, quam quilibet eorum à me: & tamen facilius illis coniungar, quam ipſi inter ſe iungantur, aſt diſtinctio ſtat formaliter, & eſſentialiter in repugnantia identitatis extremorum diſtinctorum inter ſe.

4 Dico tertiò. Concluſio hæc intelligenda eſt iuxta modum exiſtentiæ perſonalitatem. In opinione eis concedente intrinſecam entitatem, & realitatem ab entitate, & realitate eſſentiæ diſtinctam, qualis eſt noſtri Ruiz, & aliorum, aliter intelligi poſſe, in mea autem opinione quæ eis præciſis ab eſſentia, neque entis ſubſtantiui, neque realitatis rationem concedit vt probabimus, atque explicabimus. d. 6. q. 1. de diſtinctione ſolum formali metaphyſica intelligetur. Patet extrema hæc parſi quia quouſque intelligantur extrema realia, nequit intelligi realis diſtinctio illorum: ſed perſonalitatibus præciſis, nec conuenit realitas, nec realia extrema, vt ſic, eſſe: ergo neque realis diſtinctio. Minor ſuadetur: quia ex identitate cum eſſentia realitas eis, & entitas proueniet, vt dicebamus d. 1. q. 5. cert. 3. n. 2. ergo præciſis ab eſſentia non conuenit realitas, quare neque realis diſtinctio, ſed formalis ſolum. Aduenientè autem realitate ex identitate eſſentiæ iam eſt non perſonalitas, ſed Perſona, atque inter eam, & perſonam aliam diſtinctio, quæ competitur extremorum, identitatem, ac proinde non maxima, ſed minima, vt dicebant ſupra. Videat ergo Ruiz concluſionem, quam hæreſim ſapere aiebat bonam potius ſapere metaphyſicam. Aget quidem mitius cum Aliacenſi, & cum noſtra hac doctrina, ſi attentè audiat ſophronium epiſt. quæ habetur in 6. Synod. generali, ſiue Conſtantinopolitana 3. act. 11. col. 4. iam tunc ex rudiori ſæculo politiorem ſcholaſticum agentem his verbis: *Neque vnum quod extra vnum eſt, tria recipit; neque tria, ſecundum quod tria ſunt, vnum admittunt.* Id eſt, qua diſtinctis implicat vnitas Perſonis, ſicut in eſſentia implicat diuerſitas: ac proinde nulla eſt identitas perſonalitatum inter ſe eo modo, quo inter ſe diſtinguuntur; licet cum altero extremo, nempe natura, identitas ſit, quod eorum exremorum diſtinctioni maximæ, ac ſummæ non obeſt.

5 Dices: diſtinctio Perſonarum eſt per perſonalitates præciſas: ergo, ſi perſonalitatum realis diſtinctio non eſt, nec Perſonarum realis diſtinctio erit. Diſtinguo antecedens: diſtinctio Perſonarum metaphyſica eſt per perſonalitates præciſas, fateor; diſtinctio Perſonarum phyſica, & realis eſt per perſonalitates præciſas, nego antecedens, & eodem pacto diſtinguo conſequens. Inſtabis: ex adiunctione communis, & identici nequit in vllo genere conſtitui diſtinctiuum extremorum, quibus adiunctum idem, & commune eſt: ſed perſonalitatibus præciſis ex coniunctione eſſentiæ ſolum adiungitur commune, & identicum: ergo nequit eis ex adiunctione eſſentiæ ratio diſtinctionis aduenire: ergo, ſi per ſe non diſtinguuntur realiter, neque, vt coniunctæ identicè cum eſſentia realiter diſtinguentur: ac proinde neque Perſonæ diuinæ diſtinguentur realiter. Acris eſt ſophiſmatis laruatimitior ipſius detego faciem. Concedo integrum primum ſyllogiſmum, & nego ſecundam conſequentiam. Aliud eſt non aduenire diſtinctiuum ex communi, & identico; aliud eſt ex communi & identico non aduenire diſtinctiuo phyſicum realitatis ſtatum. Ecce indiuiduatio mea formaliter, & præcisè ſumpta formale diſtinctiuum eſt mei ab indiuiduo alio, Petro v. g. vel Francico: ſic autem ſumpta ſtatum realitatis non habet, imo neque entitatis, in communi ſententia de adæquata abſtractione entis à ſuis differentiis, quam ſequimur: quare, neque realiter differre me à Petro, vel Franciſco facit, niſi ex identitate cum reliquis meis prædicatis realiter adiuncta phyſicum realitatis ſtatum habeat. Sic ergo res habet in perſonalitatibus, & eſſentia diuina: ex identitate cum hac entitatis ratione, & ſtatum phyſicum realitatis habent Perſonalitates; de ſe verò formaliter, & præcisè ſumptæ diſtinguendi rationem: quare in Perſonas conſtatæ, realiterque cum eſſentia identificatæ realiter diſtinguuntur. Imo verò, licet rationem entis ſubſtantiui haberent, ſicut habent rationem entis realis adiectiui, vt citato loco oſtendemus, perſonalitates præciſæ ſtatum realitatis non habent, quouſque realiter identificatæ cum eſſentia, vt reipſa ſunt. Extra ſtatum verò realitatis realiter diſtingui inter ſe nequeunt, cum ſine ſtatu realitatis extremorum, realis eorum diſtinctio, nec eſſe, nec percipi queat.

6 Diluenda hoc loco eſt Raymundi Lullij argumentatio ſæpius ad valde diuerſa, & oppoſita inculcata: ad præſens autem ipſius delirium ſic accómodat. Concordia dicit diſtinctionem eſſentialiter, & neceſſariò: neque enim eiuſdem ad ſeipſum concordia eſſe vſquam poteſt: ergo ſumma, & maxima concordia ſummam, & maximam diſtinctionem importabit: atqui in diuinis Perſonis maxima, & ſumma concordia eſt: ergo in diuinis Perſonis maxima, & ſumma diſtinctio erit. Contra: quia maior concordia eſt, quæ eſt inter plures: ergo infinita concordia, quæ eſt inter Perſonas diuinas, debet eſſe inter plures, quam tres Perſonas, imo inter infinitas: ac proinde infinitæ erunt in diuinis Perſonæ, nec tres ſolum, concedendæ, ſi quid Lullij ratio probat. Atque huic ſimilia abſurda facile quiuis deducet conſequentia Lullianæ non diſſimili; ſcilicet diſtinctionis Perſonarum in natura, intellectu, voluntate, & potentia. Negatur igitur conſequentia: nam concordia vnum ſupponit, aliudque dicit, atque de ſuo affert. Supponit quidem diſtinctionem concordium, non autem facit: quin potius de

suo affert eorum coniunctionem, atque vnitatem æmulatur iuxta illud Psalmi 67. *Qui habitare facit vnius moris in domo*: quare concordia vnitatis imitatio, & artificium est. Quo fit, vt vnitate, quæ distinctionem absolutè non destruat maiori, & maiori magis ac magis perficiatur, & augescat concordia. Sic consanguineorum, qui in vno progenitore iunguntur maior concordia est, quam affinium, atque quo propiùs in illo adunantur concordia est maior, vt in fratribus. Cum ergo in diuinis Personis, siue distinctionis ad concordiam necessariæ præiudicio, identitas sit vnissima naturæ, concordia maxima, summáque erit.

CERTAMEN V.

Oppositionum occasione conceptus negatiuus Trinitatis Personarum statuitur.

1 HÆreticorum argumenta nituntur locis, quibus Dei vnitas in Scriptura traditur: eáque tam cæco impetu arripiunt, vt iisdem illis, quæ catholicis opponunt Personarum pluralitas vel exprimatur, vel indicetur. Eiusmodi est illud Deuteron. 6. *Dominus Deus tuus Deus vnus est*, in cuius trina positione Domini, & Dei Trinitatem acutè dispiciunt Athanas. 1. de vnita Deit. post med. Epiphan. hæres. 62. fub init. Theodoret. 2. de principiis ad Græc. circa med. Fulgent. ad 4. obiect. Arrianor. Tertull. contra Prax. atque alij, supra memorati. Illud item Isai. 43. & 45. *Tantum in te est Deus*, vbi duas Trinitatis Personas tradi subtili argumentatione recognouit Hilar. de Trinit. vers. fin. Habita inquit; *ab eo, in quo habitat discernens, Personæ tantum distinctione non generis: Deus enim in eo est, & in quo est Deus, Deus est.* Adiunctis autem sequentibus Isaiæ verbis: *verè tu es Deus absconditus*, Trinitatem totam eo loci contineri censet Athanas. Dialog. 3. de Trinit. contra Macedon. longè ab init. Illud etiam Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, & cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Sed cum Patrem eius, qui loquitur, audiunt, nescio quo pacto vnitatem omnimodam non deserant, vt Patres vulgò redarguunt. Audiendus pro omnibus est August. tract. 36. in Ioann. *vtrumque audi* (scilicet ego & Pater vnum sumus) *& carybdi, & scylla liberaberis. In duobus istu verbis, quod dixit, vnum, liberat te ab Ario; quod dixit, sumus, liberat te à Sabellio. Si vnum: non ergo diuersam sissumus: ergo Pater, & Filius: sumus enim non diceret de vno; sed vnum non diceret de diuersis.* Quid pulchrius?

2 Oppones rursus Nazianzenum orat. 13. & orat. 34. 2. de Theol. vers. fin. & orat. 35. 3. de Theol. n. 49. atque Eliam Cretensem ibi dicentes Personas ratione solum; & mente separari posse. Item Epiphan. in Ancorato col. 6. vbi habet *tria nomina vnam essentiam Patris, Filij, & Spiritus sancti.* Damas. c. 1. de fide cap. 11. circa med. vbi ait vnam quamque Personam se habere ad aliam, sicut ad se ipsam: ac proinde personalitates, & *propria cuiusque Personæ ratione, & intelligentia distingui.* Respondet S. Thom. in 1. d. 2. q. vnic. art. 5. ad 1. & d. 25. q. vnic. art. 4. fine illud *ratione*, idem his locis valere, atque relatione. Sed quid dicit de *mente*, & *intelligentia*, quibus tanquam vocis, *ratione*, synonimis distingui solum Patres adiungunt? Respondet Ruiz d. 19. sect. 3. id dici à Patribus propter identitatem in natura. Cum enim ipsa Persona Patris idemtificetur cùm natura, cùm quà etiam Persona Filij idemtificatur, sicut nequit separari realiter Persona, aut personalitas Patris à natura, ita neque à Persona, neque à personalitate Filij. Assentior: nam eo modo, quo admittitur idemtitas impossibilis est separatio. Addo autem ex nostra doctrina subtilius: cum enim ab essentia habeant personalitates entitatem, & realitatem, solum per rationem seorsim sumi possunt: nam seorsim, sicut nihil realitatis, aut entitatis inuoluunt in se, ita neque inter illas distinctio realis poterit esse: licet adiuncta realitate distinctiua realiter sint, vt diximus: sed iam tunc habent in realitate communi inseparabilitatem.

3 Oppones acutiùs. In Deo est multitudo Personarum: ergo totum, & pars: ergo maius, & minus, perfectius, & imperfectius. Patet: nam multitudo, & numerus quauis sua vnitate maius quid, & perfectius est: hoc autem est contra Symbolum Nicænum illis verbis: *Et in hac Trinitate nihil maius, aut minus.* Negat primam consequentiam in omni sensu Molina, sed immerito: siquidem ternarius numerus totum est respectu suarum vnitatum. Ruiz d. 30. sect. 5. admissa prima consequentia negat secundam: quia licet personalitates perfectiones sint secundum quid, vt admittit sect. 4. n. 16. tamen, ratione identitatis naturæ, & circuminsessionis vnius in alia, quidquid omnes habent, & magnitudinis, & perfectionis, habet etiam vnaquæque. Non placet: quia identitas in natura, ratione cuius circuminsessiuè vna Persona in alia est, sicut non tollit earum distinctionem (imo verò eam necessariò dicit, cum eadem Persona in se circuminsessiuè esse non possit) non tollet, sed potius dicet, hanc perfectionem personalem non esse illam: ergo neque tollet, quod vtraque duplex perfectio sit, altera verò ex eis vnita tantum. Cum autem posita identitate naturæ non communicetur Filio paternitas, sed extra ipsum realiter formaliter maneat (alioqui Filius esset realiter formaliter Pater, & è contra) manifestè fiet tres relationes, si singulæ per se perfectiones aliquo modo sint, maius quid, & perfectius esse, quam vna quæque, atque vnam Personam minorem, & imperfectiorem esse quam omnes. Sed fusiùs de hoc d. 6. q. 3. & d. 14. q. 7. adhuc largiùs. Distinguit secundam consequentiam Gabriel in 1. d. 24. q. 2. art. 3. dubio 1. *maius & minus*, &c. maioritate, & perfectione extensiua discretè, & numeraliter concedit consequentiam; maioritate perfectionis, & virtutis negat: quia, inquit, ratione identitatis naturæ continet vnaquæque Persona quod aliæ. Contra primò: quia iam maioritas perfectionis aliqualis admittitur in Trinitate contra Symbolum illam omnino, & absolutè negans. Contra secundò: quia continentia per identitatem in natura non est realis formalis: ac proinde realiter formaliter admittenda in tribus Personis erit maior perfectio, & nobilitas, quam in vna Persona.

4 Admissa ergo consequentia prima neganda absolutè est secunda consequentia: quia personalitatis secundum se, & præcisè sumptæ, neque magnitudinem, neque perfectionem vllo modo dicunt, sicut neque entitatem: quare non ter solum, sed septiès, ac sexcentiès multiplicatæ maioritatem perfectionis non efficerent ex terminorum multiplicatorum ineptitudine. Instabis adhuc saltem, vt identificantur Personæ cum essentia, habent bonitatem, & perfectionem, sicut & entitatem: ergo tres Personæ sunt tria bona, tria perfecta, & tria magna: sicut triplex paries eadem albedine affectus tria alba essent: tria autem bona, magna, & perfecta plura magna, bona, & perfecta sunt, quam vnum: ergo Trinitas plura bona magna, & perfecta est, quam Pater: ergo maioritate extensiua aliquid maius, & perfectius discretè in Trinitate est, quam in vna Persona, vt dicebat Gabr. vbi proximè. Respondetur distinguendo primam consequentiam. *Plura bona*, &c. adiectiuè, concedo consequentiam; *plura bona*, &c. substantiuè, nego consequentiam. Similiter distingue in subsumpto, & eius consequentia terminos illos *tria & plura bona*, & nega vltimam consequentiam: quia maioritas magnitudinis, & perfectionis, adhuc extensiuè, non sumitur ex multiplicatione subiecti, sed ex multiplicatione magnitudinis, & perfectionis. Ecce in exemplo illo tuo triplicis parietis eadem omnino albedine affecti plura alba sunt adiectiuè, quam vnus eorum seorsim: licebitne inde inferre: ergo tria alba sunt magis alba, intensiuè, vel maiora alba extensiuè quam vnum? Neutiquam: quia illud magis, & maius appellat supra formam, ac proinde in forma debet esse maioritas. Pluralitas autem appellat, supra id ratione

ratione cuius multiplicatur concretum: quare, cum concretorum adiectiuorum multiplicatio ex subiecti multiplicatione, non verò ex multiplicatione formæ sumatur, sicut benè plura esse alba triplicem illum parietem, quam vnum dicimus, magis alba aut maiora alba esse quam vnum dicere non possumus. Sic ergo eadem essentiæ bonitas ter in Personis elucet; non autè maior, adhuc extensiuè, elucet: ac proinde pluries emicat non magis.

5 Tertiò oppones. Ad dignitatem, & perfectionem Dei spectat vnitas in natura: ergo & vnitas in Persona. Respondetur facilè negando consequentiam: quia ex naturæ diuersitate diuersitas infertur voluntatem: vnde in vsu, & gubernatione rerum discordia, & resistentia vicissim: aufertur insuper à quouis Deo plenum, & absolutum rerum dominium: aliæque Deo indignæ imperfectiones inferuntur, quas latiùs persequor in Physicis, & tomo 1. Theologiæ Scholasticæ controuers. 1. Hæc autem omnia ex Personarum pluralitate, cum eiusdem naturæ sunt, minimè inferuntur. Dices: licet naturæ diuinæ differrent, si tamen in vna Persona identificarentur, sicut modo Personæ identificantur in vna natura, nullum ex præfatis incommodis inferretur: ergo nulla est implicatio, & disparitas: ac proinde Deo concedendæ erunt naturæ plures, cum sint ex conceptu suo perfectio sine imperfectione. Respondetur multiplicata natura, etiamsi vna esset Persona (quod aliunde implicat) Deos multiplicatum iri, atque omnia illa incommoda inferri. Secundò, cum natura quæuis, si diuina sit, infinitæ perfectionis simpliciter simplicis debeat esse, inferretur contradictio manifesta: scilicet quamuis ex eis naturis esse infinitæ simpliciter simplicis perfectionis, & ex alia parte nullam esse talem. Primum: quia ponis esse plures naturas diuinas. Secundum: quia nulla esset melior suo non esse, atque omni alio quod ipsa non esset, quæ est ratio, & quidditas perfectionis simpliciter simplicis. Patet: quia quælibet ex naturis illis diuinis non esset melior; quam alia ex illis, quæ non est ipsa, sed diuersa. Hoc autem in multiplicatione Personarum non euenit: cum personalitates formaliter, & præcisè sumptæ perfectiones non sint, adhuc secundum quid, nedum simpliciter simplices. Accedit tandem, quod inadæquata identitas extremorum, cum supra omnem rationem sit, & solum modo admitti possit, quo à superiori fidei lumine ostenditur possibilis: scilicet in Personis cum natura; non autem in naturis cum Persona. Sicut neque inadæquata eiusmodi identitas ad creata extendi potest.

6 Oppones quartò. Ob Dei fæcunditatem ad intra ponitur pluralitas Personarum: sed maior fæcunditas esset, si ad plures, imò ad infinitas Personas foret: ergo infinitæ Dei fæcunditati plures, imò infinitæ Personæ, tanquam ipsius termini, assignandæ sunt: ac proinde non Trinitas, sed infinitas Personarum admitti in diuinis debet. Confirmatur: quia tota difficultas in assignandis distinctis Personis stat solum in componenda identitate naturæ cum distinctione Personarum: sed eadem est difficultas in componenda identitate naturæ cum tribus, atque cum infinitis Personis, neque maior implicatio in harum, quam in illarum identitate in natura apparet: ergo illis admissis infinitæ admitti possunt. Prima obiectionis pars admittit Personarum distinctarum pluralitatem ob fæcunditatem: ex ea autem facilè probatur impossibilitas plurium, quam trium, terminorum fæcunditatis diuinæ. Etenim fæcunditas diuina debet esse immanens; alioqui terminus Deus non foret, & per operationes natura sua immanentes, & vitales, vt vi productionis intelligantur termini manere in natura principij producentis, immanentérque, & vitaliter producti: sed operatio immanens in substantia spirituali?, qualis est Deus, nequit esse alia, quam intellectio, & volitio: ergo tantum potest esse duplex processio, seu productio in diuinis per intellectionem, & volitionem: ergo duplex tantum terminus, seu Persona producta esse poteſt in diuinis. Patet: quia reliquæ personæ produicerentur, vel eadem intellectione, & volitione, vel diuersis: si eadem: ergo Personæ productæ non adæquant terminatiuè actiones, quibus producuntur, & procedunt: ac proinde Deus non sunt. Si diuersis: ergo neque processiones Deus sunt, nec diuinæ: quia singulis deficit aliarum in sua linea perfectio, quæ ab aliis affertur: quidquid autem operationis in Deo est in sua linea infinita simpliciter debet esse, siue per negationem termini extrinseci infinita, cuíque nihil perfectionis illius lineæ deficiat, aliundéve in eadem linea adiungi possit.

7 Confirmatio autem solum supponit ex fide Trinitatem Personarum, quam vultad infinitatem vsque perducere: quia in infinitis addendis non maior fit rationis difficultas, nostríque discursus labor. Verum nos ad mysterium hoc, non discursus nostri facilitas, sed fidei diuinæ fælicitas traxit, quin propriæ rationis difficultas distraheret. Cum ergo fides citatis scripturæ locis, Patrúmque, & Conciliorum testimoniis tres esse Personas diuinas doceat, Personis aliis admittendis rationis ostium clausit, hoc ipso, quod tribus mysterium conclusit: si enim tres Personæ ex fide sunt, ex eadem plures non sunt: quauis enim addita Persona quatuor forent, ac proinde non Trinitas, vt fides docet, sed quaternitas. Plures Scholasticorum rationes congerit, expendítque noster Ruiz d. 32. de Trinit. sect. 2. quibus nihil est momenti. Ex illis duæ quas attigit Richard. Vict. 3. de Trinit. à cap. 2. ad 20. & lib. 5. c. 13. 14. & 15. speciem habent pulchriorem. Prima: quia admissa Personarum pluralitate tres satis sunt ad summam amoris, charitatis, amicitiæ, & concordiæ perfectionem: quia ad amicitiæ perfectionem spectat, vt alium à se diligat aliquis; gaudeátque quod à tertio alio diligatur, ne inuidiosa, & timida charitas, & amicitia fit. Secunda: quia triplex considerari potest amoris perfectio: nempè, liberalis, & gratuiti in eo, qui nihil accipit omnino: quæ amoris perfectio est in Patre, qui nihil ab aliis recipit Personis: deinde amoris debiti ad terminum, à quo aliquid accepit, cuíque nihil dedit: quæ amoris perfectio est in Spiritu sancto ad Patrem, & Filium, à quibus accipit, cum nihil det: Denique amoris debiti simul, & gratuiti respectu termini, à quo non accipit, & cui non dedit, & termini cui dedit, & à quo non accipit: quæ amoris perfectio est in Filio diligente Patrem, à quo accepit cuique non dedit, & Spiritum sanctum, cui dat, & à quo accipit nihil.

8 His adde doctam Bonauenturæ rationem in 1. d. 2. articulo 1. quæst. 4. corp. post med. desumptam ex perfectione numeri ternarij, quæ maxima ex numerariis perfectionibus est, ac proinde Deo digna. Hinc in sacrificiis diuinis, non à naturæ lege (vt vult Arist. 1. de cælo, c. 1. ad text. 2.) sed diuino afflatu ternarij numeri etiam, apud gentes, fuit vsus: quo spectans Virgilius Egloga octaua canebat.

Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore
Lilia circundo: térque hæc altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.

Ea propter Ægyptij primum principium, seu chaos (sic ipsi Deum compellebant) ter acclamare soliti sunt, vt ex Damascio Platonico refert Eugubinus de perenni Philosoph. cap. 6. init. Ideo *tripos* Dei monitu à septem Græcis sapientibus ad oracula edenda Deo decreta referente Cyrill. Alex. 1. contr. Iulian. sub med. Accedit Arist. citatus proximè asserens ternario numero primũ omnia, & quidquid perfectum est contineri: nam principio, medio, & fine omnia perfectè guntur: trina insuper dimensione corpus quantum perfectum constat: primus item numerus, cui applicari potest signum omnis, & omne ternarius est; nam de duali non dicitur omnis, sed duo, ambo, vel vtérque: Rursus ternarius primus ex numeris est, qui numero copulat vnitatem: ac proinde qui primus procedit ab vnitate, & numero, qui adæquatè ab vnitate, cum qua numerum componit, distinguitur. Denique, vt acutè Augustinus aduertit q. 87. noui Testamẽti, & q. 9. veter. Testam. ternario numero ter

in seipsum ducto efficitur nouenarius : cui si addatur vnitas denarius numerus constat, ex quo omnis numerus,& numeratio apud gentes confecta est, vt notauit Arist.3.Physicor.c.6.textu 61.& 1.Metaph. c.5. sub init. & sect.15.problematum q.3.

QVÆSTIO II.

De tertio conceptu Trinitatis, nempè, producentium,& procedentium.

HActenvs statuta ex fide est diuinarum Personarum Trinitas. Nunc autem in iis tribus Personis ratio principij, vel principiati producentis, vel producti statuenda est : nempè, Personam vnam diuinam Patrem esse, aliam Filium ab ipso genitum, aliam verò vtrumque Spiritum procedentem ab vtroque. Ex quo magis roborabitur veritas præcedens : Nam procedere, & produci nemo à seipso potest, neque ab eo, qui ex ipso procedat : ac proinde tres, vt minimum Personæ assignandæ in diuinis erunt si duæ procedunt. Secundò quæstio illa an sint in diuinis processiones? atque alia quot in diuinis processiones sint definitæ manebunt : vnóque ictu trium quæstionum veritates venabimur.

CERTAMEN I.

Hæreses circa hoc punctum recensentur.

1 COntra diuinarum Personarum processiones errarunt quotquot vnam tantum Personam in diuinis posuerunt citari quæst. 1. certam. 1. cum nihil à seipso valeat procedere. Errarunt similiter, qui Patrem, Filium, & Spiritum sanctum tres Personas distinctas, sed naturis etiam, agnoscebant : vel quia Filium creaturam putabant, (vt aiebant Arriani) vel quia saltem creatura esset Spiritus sanctus, vt semi-Arriani blasphemarunt, vel quia tres diuinas essentias distinctas, atque pro Personarum numero multiplicatas somniabant vt Tritheistæ, contra quos tota quæst.3. agemus: nam veritati catholicæ de identitate Personarum in natura inibi statuendæ directè opponuntur. Tempestate verò proximè antecedente Authoteani Filium Deum esse, & eundem cum Patre asserentes, nihilominus à seipso esse, sicut Patrem, neque ab hoc procedere pertinaciter tenebant. Quem errorem traditum fuisse à Caluino, Beza, & Francisco Stancaro author est Genebrardus 1. de Trinitate med. licet solo loquendi modo erasse in ea re Caluinum coniecturis multis suadeat Bellarm.2.de Christo cap.19.

2 De processione Spiritus sancti alij, atque alij diuersimode hæretizarunt. Nam Eunom. Spiritum sanctam à solo Filio procedere, essèque creaturam professus est apud Basil. 2. contra Eunom. vers. fin. ex quo Eunomiani apud Philastrium verbo Eunomiani. Item Arrius, Eusebius, & Asterius apud Athanasium oratione 3. contra Arrianos post init. apud Cyrillum Alexandrinum 4. dialogor. de Trinitate med. Eundem error em, quoad primum, videtur secutus Macedonius epistola Iustini Sicilienfis ad Petrum Antiochenum in quinto Concilio generali vbi dicitur : *Macedonius spirat à Patre solo Spiritum sanctum.* Peritioribus autem legentium videtur : *separat à Patre solo*, &c. vt quoad hanc partem Eunomio consentiat. Contra verò Nestorius omnium primus docuit Spiritum sanctum à solo Patre procedere, vt testatur Sanctus Thomas 1. parte, quæstione 36. articulo 2. Et quidem eius discipuli Nestoriani circa annum 430. in suo Symbolo, & fidei Confessione apud acta Concil. Ephesin. tomo secundo, capite 37.can.31. cum Spiritum sanctum ex Deo procedere faterentur subdidere. *Filium tamen non nominantes, neque per Filium subsistentiam suam sortitum esse dicimus.* Siue, vt alij legunt, *substantiam* vel *essentiam.* Consensit apertè Nestorio Theodoretus lib.aduersus anathematismos Cyrilli Alex. in responsione noni, vt refert idem Cyrill. libro ad Euotium Episcopum in exordio. Licet autem Theodosij iunioris studio Ecclesiæ, & Cyrillo reconciliatus fuerit Theodoretus, nusquam tamen clarè eum errorem videtur abiecisse, nisi, quod ad Roman.8. ad illa verba : *Propter inhabitantem Spiritum eius in vobis*, atque ad illa 1. Corinth.2. *Spiritum qui ex Deo est*, dixerit per Filium dari Spiritum sanctum.

3 Consensit item Nestorio Damascenus teste Sancto Thom.loco citato, & quæst.10. de potentia, articulo 4. & patet ex lib. ipsius 1. de fide cap. 11. propè fin. Rusticus item Diaconus Romanus schismaticus d. 4. contra Acephalos verius finem circa annum 730. eidem accesserit errori. Cum autem anno 767. hæresis hæc apud Gallos recrudesceret coactum est Concilium Prouinciale Gentiliacense à Pipino Gallorum Rege, atque anno 808. excitante eundem errorem Ioanne Monacho authoritate Pontificia à Carolo Magno coactum aliud Concilium fuit. Vtriusque Concilij Annonius, siue Annonius 4. de gestis Francorum capite 67. & 95. primi autem Ado Vienensis, & Abbas Vspergensis in suis Cronicis. Forius Constantinopolitanus circa annum 860. & libro, & Concilio coacto hunc errorem pugnacissimè defendit referente Ætheriano 2. de hæresibus quas Græci in Latinos deuoluunt capite decimo quinto, tomo nono Bibliot. Quo etiam tempore Niilus Thessalonicensis eidem adhæsit errori : cui etiam Theophylactus ad cap.3. Ioann. aliique Græci adhæsere. Horum malitia transactos esse Dialogos Sancti Gregorij omissa in eis translationibus particula *Filióque*, dum de processione Spiritus sancti, refert Ioann. Diaconus Theophylacti Coætaneus 4. vitæ Sancti Gregorij capite 65. quos in casum conantur Recentiores excusare. Eundem errorem maiores à suo Imperatore spiritus assumens inclamauit altius Michaël Patriarcha Constantinopolit. anno 1050. vt referunt Leo Papa IX. epistola ad Constantinum Monachum, Anselmus epistola de processi. Spiritus sancti, Sigebertus de anno 1054. Ex quo tempore Græca à Latina Ecclesia aperto marte defecit : à qua, licet conuicta coram errorem posuerit, postmodum resumpsit, neque hactenus, proh! dolor deposuit. Consensere eidem errori Armeni teste Prateolo libro primo, capite 67. numero decimo. Rhuteni vt constat ex eorum erroribus relatis ab eodem Prateolo capite quarto, Nicetas anno 1060. libro de hac re editd apud Ætherian. supra : seruatur liber in Biblioteca Vaticana. Eiusdem fuerunt erroris Euthymius ad 15. Ioann. Nicephorus, Calixtus, in dedicatione Historiæ, & Sinopsi de Trinitate. Denique nouiores Hæretici ab anno 1460. eundem errorem sectati sunt Ioann.de Vuesalia apud Prateol. libro nono, capite vigesimo secundo, Petrus M. Ioannes Cozonouius, Ioannes Somnerus apud Iodocum Coccium 1. de Trinitate articulo septimo. Valentinus Gentilis & ministri transiluani apud Aretium Historia de supplicio Valentini Gentilis, apud quem solum Patrem essentiatorem appellant, à quo solo Filius, & Spiritus sanctus essentiantur.

CERTAMEN

CERTAMEN II.

Pater, à quo, & Filius, qui ab eo procedat, in diuinis statuuntur.

1 PRobatur præfixa, & dogmatica veritas. De fide est Filium mitti, dari, atque à Patre accipere : atqui in passiua missione, donatione, & acceptione imbibitur processio missi, dati, & accipientis ab eo, à quo mittitur, datur, & accipit : ergo de fide est esse Patrem, à quo, & Filium, qui ab eo procedat in diuinis. Maior expressa in sacris Litteris pluries est. Isai. 48. Filij nomine dicitur : *ex tempore antequam fierent ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* Zachariæ 2. eiusdem Filij nomine : *habitabo in medio tui Dominus*, &c. *& scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Chaldaica : *ponam diuinitatem meam in medio tui*, &c. Ioannis 5. numero 27. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum*, numero 30. *Voluntatem eius, qui misit me*, repetit capite 6. numero 38. 39. 40. & 44. & capite 14. numero 24. & cap.7. numero 28. & 33. & capite 8. numero 42. capite 9. numero 4. cap. 10. numero 35. capite 16. & 17. numero 8. 19. 21. 23. & 25. aliisque innumeris locis eandem sententiam tradunt scriptores Canonici. Paulus ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum.* Item ad Romanos 4. numero 3. 1. Ioann. 4. numero 9. capite 14. Matthæi 10. 40. Marci 9. 37. Luc. 20. 13. Ioannis 3. 17. cap. 4. 34. & capite 5. 23. 24. 30. 36. 37. & 38. ac pluries capite 6. 7. & 8. Iam verò quod à Patre sit Filius habetur Ioannis 3. numero 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Quod autem Filio det, atque ille à Patre accipiat constat ex Ioannis 5. numero 22. *Omne iudicium dedit Filio* : numero 26. *Dedit Filio vitam habere in semetipso* numero 19. *Non possum ego à me facere quidquam*, capite 7. num.16. *Mea doctrina non est mea, sed eius*, &c. cap.8. numero 40. *Ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit.* Consonat cap.14. numero 10. capite 13. numero 3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* & Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, qui locus non solum de rebus creatis, bonisque Deo extrinsecis, sed & de intrinsecis intelligendus est iuxta Patres : capite 28. *Data est mihi omnis potestas*, atque speciatim de diuinitatis, vitæque diuinæ acceptione à Patre Ioannis 6. numero 8. dicitur : *Ego viuo propter Patrem*, & c.10. *Quod dedit mihi Pater maius omnibus est.* Denique Actor.2. num.33. *Promissione Spiritus sancti accepta à Patre.*

2 Missionem verò essentialiter inuoluere processionem Personæ missæ à mittente concors est Patrum, Conciliorum, Theologorúmque sententia. Augustini 2. de Trinitate cap.5. sub init.4. de Trinitate cap. 10. 20. & 22. vbi docet mitti filium à Patre idem esse quod nasci. Consonant Greg.Magn.homil.26. in Euang.sub init. Naz.orat.37. vers.fin.orat.38. column.penult.vbi Nicetas num.22. Athanasius epist. longiori ad Serapionem vers. med.& 3. de Trinit.longè ab init. Hilarij 6.de Trinit. vers. med. Cyrillus Alexandr. 11. in Ioann.cap.9.& 12. thesaur.cap.15. post med. Damasc.4. de fide c.19.post init. Anasthas. Synait.1. de rectæ fidei dogmat.post med. Anselm. epist. de processi. Spirit. sancti, Clemens Romanus 3.constitutione Apostolic. cap.17. Concilium Florentin. sess.24. ante med. & sess.25.post med.dum id dicenti Ioanni Theologo,& consentienti Georgio Scholario tacitè Patres annuerunt, ac denique vno Verbo reliqui Patres idem docent, vel supponunt. Et quidem ratio in promptu est : quia missio exitum dicit : Filij autem exitus à Patre nequit esse nisi exitus contenti à continente principio, in quo pro illo priori ante processionem virtute, & potentia notionali claudebatur. Sed dices Isai.48. dicitur Filius *mitti à Spiritu sancto*, à quo minime procedit : ergo processio Personæ missæ à Persona mittente non est de conceptu essentiali missionis.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

Respondetur eo loci, & ex Isai.61.ac Lucæ 4.vbi eadem habetur sententia sermonem esse non solum de filio æterno, sed de Filio æterno Incarnato : cum autem in eo coniuncto intelligatur Filius æternus, cuius processio propria, & à Patre solum est, rectè ab eo dicitur specialiter mitti : cúmque intelligatur etiam Incarnatio, quæ, licet actiuè à tota Trinitate sit, tamen, quia amoris tota fuit, Spiritui sancto specialiter tribuitur, atque ipsi in Filio, quia Incarnato, processio ab Spiritu sancto specialis attributiuè non deest, quare neque missio specialis attributiuè ab illo : sicuti, nec Spiritui S. authoritas hæc specialis attributiuè principij mittentis, quam expresse docuere Athanas. Quæ solutio probatior est illa, quam adhibet Ruiz d.67. sect.3. n.10. nempe, missionem ab Spiritu sancto impropriè ibi vsurpari. Sed certè, si hæc solutio in rebus adeo grauibus admittatur, nihil ex testimoniis scripturæ firmiter deducetur. Secundò: respectu Patris propriè hîc sumitur missio : ergo, & respectu Spiritus S. Patet consequentia : quia esset indecens vocis abusus, cùm missio rigorosa, & propria Filij à Patre hominibus ostenditur à Deo, eadem voce simul, semélque impropriam missionem significari respectu alterius Personæ mittentis : nam ex impropria acceptione respectu vnius possent homines impropriè etiam accipere respectu alterius : ac proinde sine iniuria sine intento careret reuelatio.

Rursus dationis passiuæ nomine processionem Personæ datæ à Persona dante contineri luculenter explicuit Anselm.epist.de proceff.Spirit.S.c.7. med. vbi ait, *idcirco Filium non dari ab Spiritu S. quia ab eo non procedit.* Docuerant id ipsum Nazianz.orat.37.5. de Theol.col.pen.n.72. Basil.5. contr. Eunom.c.7. Athanas. orat.2.contr.Arrian. Aug.4.de Trinit.cap.20. & lib.5. c.11. quos ferè omnes Scholastici sectantur. Rationem verò Theologicam acutè dedit loco citato Nazianz. Quia datio, & largitio alicuius rei supponit penes datorem dominium, vel continentiam iuris, vel naturæ, seu originis : ac proinde nihil datur ab aliquo nisi, quod illius aliquo ex his modis est : ergo Persona diuina dari nequit ab alia, nisi ab ea aliquo ex eis modis contineatur, ipsiúsque sit : sed Persona diuina nequit esse alterius, siue ab ea contineri nisi per continentiam principij, & potentiæ notionalis : ergo continentia hæc ad donationem ab illa supponitur, atque ab illa processio in donatione ab illa continetur. Rursus esse vnam Personam diuinam alterius Personæ formalissimè est ab ea procedere, vt ostendemus cert.4. ergo datio vnius Personæ ab alia dicit processionem Personæ datæ à Persona dante. Eodem recidit ratio S. Thom.in 1.d.18.art.1.corp. & ad argumenta, & d.28.art.1. & 2. & sæpius, aliorúmque Scholasticorum : nempè in dante authoritatem importari respectu rei datæ, quæ in diuinis solum esse potest originis, & processionis. Sicubi autem Personæ seipsas, aut essentiam dare dicuntur de impropria datione intelligi multis de causis animaduertit Ruiz d.75. sect.2.à num.4. Huius autem Doctoris mirabilis inconsequentia hac in re est : nam d.108.sect.7. n.10. concl.3. negat dationem requirere authoritatem originis in dante : ac proinde omni ex parte creatam esse, neque importare processionem increatam, quam missio Personarum importat ; cum tamen d.75. sect.2. citata ad dationem authoritatem dantis requirat.

4 Demum acceptionem passiuam vnius Personæ ab alia, quæ ipsi aliquid det processionem accipientis à dante dicere authores ad illud Ioann.5. num.26. *Dedit Filio vitam habere in semetipso.* Mihi sunt Augustinus 3. contra Maximin. cap.14. à med. & contr. serm. Arrianorum cap.17. tract.19. in Ioann. post med. & 1. de Trinit.c.13.post med.& 15. de Trinit. cap.26. Ambros.4. de fide, cap.5. & 5. de fide cap.2. column.2. & 3. & commentariorum epist.ad Philemonem, Hilar.2. de Synod. approbans canonem 2.4.& 6. Orientalium hac super re; Cyrillus Alexandrinus 10. Thesaur. cap.1. & 2. & lib.12. c.15.post med. Chrysost.hom.38.in Ioann.ante med. Leo Magnus epist.97.ad Leonem August. c.2. post med. Idacius Clarus contra Barimand. Beda ad locum cit. Ioann.

Denique Eugenius 4. in Concil. Florent. in litteris vnionis illis verbis, *Omnia, quæ Patris sunt ipse Pater vnigenito suo gignendo dedit &c.* Sic etiam intelligi debet illud ex eodem cap. Ioan. *Ego vivo propter Patrem*, quin de acceptione etiam extrinsecorum à Patre processionem Filij ab ipso imbibere, ad illud Math. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, doctè obseruarunt Athanas. orat. 4. contr. Arrian. post med. Hieronym. & Beda ad eum locum, vbi etiam Chrysostom. & hom. 38. in Ioann. Ambros. 2. de fide ad Gratian. c. 4. post med. & lib. 5. c. 2. circa med. Tertullian 4. contr. Marcionem, & contra Praxeam cap. 16. Hilar. ad eum locum & 7. de Trinit. vers. med. & 11. de principiis longè à princip. atque omnium præclarissime August. variis in locis præcipuè epist. 66. ad maximum med. vbi habet: *Ideo totum, quod habet, quod potest, non tribuit sibi, sed Patri: quia non est à se ipso, sed à Patre.* inquam eandem sententiam scribit contra serm. Arrianor. cap. 14. & 15. & tract. 22. in Ioann. circa fin. similiter Irenæus lib. 4. c. 37. Theophylactus & Euthymius ad locum citatum Matth. 10. vbi etiam S. Thom. in catena.

5 Scio Patres nonnullos velle iudicium, & alia creata accipere à Patre Filium, quatenus homo est: specialiter autem iudicium erga homines exercendum: ac proinde videtur satis esse processionem temporaneam Filij, qua hominis, vt creata à Patre accipiat: quare neque ex eorum acceptione ipsius æternam à Patre processionem inferri. Sed primò citati Patres de Filio quatenus Deus est locum Matth. intelligunt. Secundò: recurrit testimonium proximum August. & eius ratio statim expendenda. Tertiò: temporalis generatio Christi, qua hominis non est solius Patris sed Filij etiam, & spiritus Sancti: cùm operationes omnes ad extra sint Filio, Spiritui Sancto communes cum Patre: atque hæc generationis temporalis Christi specialiter attributiuè Spiritus sancti est, vt diximus: ergo nihil creatum accipit Filius à Patre, quod non à se, & ab Spiritu Sancto accipiat, atque generationem temporalem specialiter ab Spiritu Sancto accipit à Patre: quare de processione æterna erit sermo non de temporali. Quintò, quia nullibi dicitur Pater aliquid à Filio, vel à Spiritu Sancto accipere: ergo, quia acceptio vnius personæ ab alia formaliter, vel præsuppositiuè processionem importat, quæ in Patris personam innascibilem cadere nequit. Accedat demum ratio Theologica: quia, sicut dare aliquid alicui est eius proprium, quod apud se, & de suo habet, vt diximus: ita accipere est proprium eius, qui a se & de se illud, quod accipit non habet: cum autem Deus nihil non habeat, fit, vt persona diuina solum possit ab alia accipere quatenus deitatem, ob quam reliqua omnia, ipsius fiunt, à se non habet, sed ab alia persona communicatam: ac proinde communicatio deitatis, quæ processione ab alia persona formaliter fit, in persona accipiente, etiam extrinseca bona, necessariò importatur. Sic egregiè August. nec minus egregiè Hilar. 9. de Trinit. expendens illud Ioann 17. *dedisti ei potestatem omnis carnis*, & Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas*, aiebat vers. med. *Acceptio potestatis sola est significatio natiuitatis.*

6 Probatur secundò: de fide est Filium, qua Deum, exire à Patre: sed in eo exitu excluditur processio Filij ab ipso: ergo de fide est Filij à Patre processio. Maior probatur primo ex sap. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*: quod de sapientia genita, Deique Verbo ad litteram intelligendum, & verba ipsa demonstrant, & Patres communiter docent, reliquisque elegatius Ambr. præsert. 1. de fide ad Gratiã. c. 7. post med. Secundò ex Michææ 5. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Vbi æternã Filij à Patre processionẽ, & exitum exprimi docent cõmuniter Patres, & Cõmentatores, præcipuè Hieronym. Theodoret. atque Isidorus 1. contr. Iudæ cap. 2. Tertiò denique ex innumeris Euangelij locis Ioann. 13. *Sciens, quia à Deo exiuit*, & cap. 16. *Exiui à Patre*: & rursus, *creditis, quia à Deo exiui*, atque iterum *credimus quia à Deo existi*, & cap. 17. *cognouerunt verè, quia à te exiui.* Minor verò concors est Patrum, atque Scholasticorum doctrina ad citata loca, præsertim Cyrilli Alex. 11. in Ioann. cap. 9. med. *Exiuisse à Deo nihil est aliud, nisi natum esse, effulsisseque ex substantia Patris eo processu, quo est, & in propria intelligitur subsistentia.* Hilar. consonat. 6. de Trinit. sub med. *exiisse enim ad incorporalis natiuitatis retulit nomen.* Nazianz. orat. 49. de fide: *Ex eo, quòd dicat Verbum: de Deo Patre exiui, iure, & merito Deum de Deo profitemur.* August. tract. 102. in Ioann. fine: *Exiit à Patre, quia de Patre est.* Neque obscurius loquuntur Anasthas. Synait. 1. de rectæ fid. dogmatibus inter princ. & med. Epiphan. hæresi 69. post med. Damasc. 4. de fide cap. 19. sub init. rationem Theologicam subtiliter pressit Ambros. vbi proximè testimonium sapientiæ datum expendens: *Cum in vsu nostro id sit exire, quod iam sit, & ex interioribus secretis prodire videatur, quod exire perhibetur: angustis licet sermonibus proprietatem diuinæ generationis aduertamus: vt non ex loco aliquo videatur exiisse; sed, vt Deus ex Deo, Filius ex Patre.* Ac si dicat explicatius. Duplex exitus cogitari potest inter realiter distincta, sicut, & duplex continentia: nempe loci, seu localis, virtutis, seu causalis: ille exeunti æterno Deo non competit respectu Patris: ergo causalis, vel originarius exitus, qui formalissimè est ab illo processio, Deo Filio respectu Patris solummodo conueniet.

Certamen III.

Ex maioritate Patris respectu Filij, clarioribúsque Scripturæ locis eadem veritas monstratur.

1 PAter ex fide maior est Verbo, ipsiúsque caput. Hæc autem vera non sunt, nisi Verbum procedat à Patre: ergo certum est à Patre procedere. Maior est certa ex Ioann. 14. *Pater maior me est.* Quod de Christo Domino, non solum, qua homo est, sed, qua est Deus, & Verbum intelligunt Patres statim citandi, sicut illud 1. Corinth. 11. *Caput Christi Deus.* Sed neque est minor obscurior. Nam maioritas Patris respectu Filij vel perfectionis est, vel processionis, & originis: prima esse non potest, neque asseri, nisi ab Arrianis contra fidem: ergo est maioritas ratione processionis Filij à Patre. Sic ea loca explicant Nazianz. orat. 35. 3. de Theolog. longè à med. dicens *Patrem, quantum ad causam, Filio esse maiorem.* Consonat sibi orat. 36. 4. de Theolog. col. 4. & carmine arcano 3. de Spiritu Sancto. Eisdem verbis loquitur Origenes hom. 2. in varios, Damas. bis 1. de fide cap. 9. inter med. & fin. & lib. 4. c. 19. sub init. Anastas. Synait. 1. de rectis fid. dogmat. col. penult. Leontius Theophylactus, & Euthym. ad citatum locum Ioann. 14. August. q. 112. veter. & noui Testam. Basil. 1. contra Eunom. vers. fin. pag. penult. & lib. 4. longè à med. *Maior*, inquit, *dictus ob honorem Filij ad Patrem* Athanas. orat. 2. contr. Arrian. vers. fin. *Quia ex illo ortum habet.* Chrysost. hom. 74. in Ioann. sub med. *In quantum principium diceret.* Cyrill. Alex. 2. Thesaur. c. 3. longè à princip. *Solummodo quia eius Filius est.* & longè à medio: *Secundum quod ex Patre est.* Hilar. 9. de Trinit. inter med. & fin. *Natiuitas Filij Patrem constituit maiorem.* & 11. de Trinit. *confessionem paternæ authoritatis intellige* Consonat sibi 3. de Trinit. circa med. & lib. de Synod. longè à med. Gregor. Bæticus de Trinit. longè à med. *de solo sacramento generationis, &c. & ideo non dixit Deus maior me est; sed Pater maior me est.* Damasc. de duabus Christi volontatib. longè ab init: *Ego enim ex eo, & non post eum, nec ego à me ipso.* Epiphan. hæresi 69. longè post med. & in ancorato sub init. *quia genitus est, & exiuit à Patre.*

2 Audi aliorum Patrum testimonia, quæ aliis verbis principatus, & authoritatis idem significant. Hilar. 11. de Trinit. & August. 112. citata: *paternæ authoritatis*, nomen illa maioritate sonare aiunt, ex quibus authoris authoritatis nomina Patri concedunt S. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. ad 2. & de potent. q. 10. art. 1. ad 9. & 17. cum suis interpretibus, S. Bonau. in 1. d. 20. art. 1. q. 2. fin. Henric art. 60. summæ, q. 9. ad 1. & 2. & art. 54. q. 7. ad 1. & 2. & cholastici reliqui. Eadem de causa Nazianz. orat. 36. 4. de Teolog. inter med. & fin. Nyssen. de different. natur. & hypostthas. vers. med. Dyonis. Episc. apud Athanas. epist. de decretis Nicænæ Synodi Patrem *principem naturam* appellant. Concil. General. Sardicense, qua Catholicum, & approbatum epist. Synodali 3. ad omnes Episcop. circa finem ait Patrem esse maiorem, *non propter essentiam, non propter differentiam; sed quia ipsum nomen Patris maius est Filio.* Maioritatis huius ratio Theologica est: quia in ratione principij inuoluitur ratio continentiæ, in Patre autem est ratio principij respectu Filij: ergo, & contineniiæ, seu continentis respectu Filij contenti: atqui de ratione continentis est maioritas respectu contenti (vt patet in corpore continenti respectu corporis contenti, ex quibus petita metaphora ad Patrem, & Filium est:) ergo in ratione Patris est maioritas respectu Filij. Ex prædicato capitis proprio Patri iuxta Paulum processionem Filij ab ipso colligunt Patres iidem, a quibus, & est Sanctus Thomas 1. contra error. Græcor. cap. 1. cuius ratio prima petita ex necessario influxu capitis in membra, ac proinde Patris in Filium, cuius caput esse dicitur, mittenda non est. Si quidem ex Arist. 5. metaph. cap. 1. caput, præter vnionem ad cætera corporis membra, dicit influxum spirituum animalium ex ipso in illa: ac proinde vt propriè capitis ratio in Patrem respectu Filij quadret influxus ipsius in Filium necessario admittendus est. Simile argumentum efformari potest ex psalm. 44. vbi Regius Psaltes, vt Filij processionem à Patre significaret iuxta Patrum omnium expositionem, aiebat: *Eructauit cor meum Verbum bonum* quia cor suum etiam in reliqua corporis membra influxum habet.

3 Sed dices primò illud: *Pater maior me est*, & aliud: *caput Christi Deus*, intelligi de Christo secundum humanitatem ab Hieronymo in cõmentariis, aliisque Patribus: atque hanc explicationem præferri à S. Thom. 1. p. q. 42. art. 4. ad 1. aliisque recentioribus interpretibus non sine iure. Quia secundum id vadit ad Patrem maiorem, secundum quod distat à Patre, scilicet secundum humanitatem, & ratione cuius gaudio esse poterat amicis Discipulis reditus ad Patrem: quia ad maiorẽ redibat, à quo videlicet venerat, separatúque erat, & diuisus: erat autẽ diuisus à Patre secundum humanitatẽ, non autẽ secundũ diuinitatẽ, secundũ quam à Deo diuisus non erat. Neque apparet, quæ noui gaudij materia sit, quod ad Patrem vadat, à quo secundum processionem æternam non recessit, aut quomodo in ordine processionis æternæ venerit, vt possit redire. Sed tamen respondetur eos etiam Patres omnes qui maioritatem Patris respectu Christi secundum humanitatem interpretantur, nostram explicationem non negare, imò verò illam amplecti. Ad rationem autem ex contextu sumptam dicito: aliud esse Patrem maiorem esse originarie Filio redeunte; aliud, secundum quod Filius redeat, & vadat ad Patrem: sicut aliud est ratione cuius Filius mittitur à Patre, aliud ratione cuius in Patre est authoritas mittendi Filium. Nam authoritas ad mittendum Filium est in Patre ratione processionis Filij ab ipso, non autem mittitur, saltem morali missione, eo præcisè, quod procedit ab ipso, seu, qua Filius ipsius est: sed aliquid præterea creatum, & temporale requiritur, vt mittatur, vt d. 13. dicemus. Itaque, licet vadat Christus ad Patrem ratione humanitatis, ob quam diuisus à Patre est, maior est tamen Pater ratione originis æternæ Filij ab ipso procedentis. Addiderim, si hanc secludas originis maioritatem, cum Verbum, æquè suæ humanitatis author sit, ac Pater, & specialius appropriatiuè Spiritus sanctus, æquéque vterque maior ipsa humanitate sit, ac Pater, non esse cur Pater specialiter maior dicatur quam Verbum, seu Christus: imò verò specialius dici deberet maior Christo Spiritus sanctus. Secundò, cum de se, vt Persona est, loquatur Christus Dominus, & vt homo

indiuiduus completus, nec solum de sua humanitate, quæ non significatur pro nomine *ego, mei*, comparatio nequit fieri cum sola humanitate Christi, cum dicit absolutè: *Pater maior me est.* Sed cum toto hoc homine complexo ex humanitate, & subsistentia diuina: quare si maioritatem Patris respectu suæ humanitatis solum Christus Dominus commendaret, addere debebat: *secundum humanitatem.* Iam verò magni gaudij materia erat, & Christo Domino, & Discipulis, si secundum humanitatem ad Patrem iret ipso, etiam, qua Deus erat, originariè maiorem, ac proinde ipsius principium, caput, fontémque, ex quo omnia bona in ipsum, qua Deum, &, qua hominem, deriuabant.

4 Neque tandem quidquam refert nusquam dici ab Scriptura, & Patribus maiorem esse Patrem, & Filium Spiritu sancto: cum hic tamen ab vtroque procedat æquè, atque Filius à Patre: ergo, inquiunt, quia maioritas vnius Personæ respectu alterius ratione originis admitti non potest. Vrgebis: Pater maior est Verbo Filio ratione originis, nec solum ratione humanitatis: ergo Filius æternus, qua talis, maior est Patre ratione originis, nec solum ratione humanitatis. Hoc autem nemo hactenus concessit: Cautúmque videtur in Symbolo Athanasij, ibi: *minor Patre secundum humanitatem.* Si enim minoritas assignatur determinatè in humanitate, reliqua Filij, & Christi ad æqualitatem cum Patre videntur reseruata, exceptione regulam in contrarium firmante. Consequentia prima videtur certa: nam, si alterum extremum, scilicet Pater, maior est Verbo Filio originariè, necessariò Filius, originariè etiam, minor Patre erit: cum alterum extremum sit, nec possit dari maior nisi respectu extremi minoris. Respondet ad primum noster Ruiz d. 50. sect. 3. num. 8. in Spiritu sancto non esse humanitatem assumptam, ac proinde neque rationem integrã, ob quam Pater maior dicatur respectu ipsius, sicut respectu Filij. Contra primò: quia iam deserit in processione Filij esse integram rationem maioritatis Patris. Secundò: quia in Filio, qua Deus, & Verbum, non est humanitas, & tamen citata Concilia, & Patres asserunt, ratione solius originis, dici Patrem rectè illo maiorem. Melius respondebis: dici posse Patrem, & Filium maiorem Spiritu sancto ratione originis, licet neuter sic dictus fuerit: quia, sicut originaria illa præcedentia Patris, & Filij respectu Spiritus S. aliis locutionibus traditur, & explicatur in Scriptura, quibus non explicatur præcedentia originaria Patris respectu Filij, vt cert. 4. videbimus, ita etiam Filij processio traditur, atque explicatur maioritate Patris, licet eodem titulo, neque tradatur, neque explicetur processio Spiritus sancti à Patre & Filio.

5 Accedit: Patrem solum, Filiúmque solum maiorem Spiritu sancto, quia ab eis procedit minus propriè dici posse, quam Pater Filio maior dicatur. Nam neuter seorsim principium Spiritus sancti absolutè est: quare neque seorsim ipsum adæquatè continet originariè: ex hac autem continentia adæquata maioritas principij respectu principiati desumitur, non autem ex inadæquata: sicut, neque ex inadæquata continentia locali conuincitur maioritas corporis continentis respectu corporis contenti. De vtroque autem Patre scilicet, & Filio simul periculosius diceretur maioritas respectu Spiritus sancti: nam facilior sensus promptiórque videretur vtrumque simul sumptum maius quid, & perfectius esse, quam Spiritum sanctum: sicut duo maius quid, & perfectius sunt quam vnum: quod est in hac materia absurdum, parúmque dogmatibus fidei consonum. Cum autem hæc omnia aliter in Patre respectu Filij eueniant iure ipsius processio maioritate Patris explicatur. Cæterum maioritatem Patris respectu Spiritus sancti sicut, & Filij, atque vtriúsque inferioritatem originariam respectu Patris non refugit admittere Nazianz. citato carmine tertio arcano de Spiritu sancto dicens.

Quod si de nato, quod si de Pneumate sacra
Pagina, Scriptorésque pij quid fortè loquantur;
Tanquam, quæ supero sint inferiora Parente.

Ad secundum argumentum dicito cum eodem Nazianz.

Filium dici posse minorem Patre originariè eadem proprietate, qua hic maior ipso dicitur. Nihilominus ea voce abstinendum est, quia eam Arrianorum abusus dissonam Ecclesiæ, atque Catholicis fecit inimicam, vt obseruat S. Thomas q. 33. art. 1. ad 2. Vnde Hilar. lib. de Synod. longè à med. ex maioritate Patris Filij minoritatem non admittens, aiebat: *Patrem in eo maiorem esse, quod Pater est; Filium in eo minorem non esse, quod Filius est.*

6 Apertiora tandem pro veritate catholica scripturarum testimonia inducenda sunt, quibus Deus Pater dicitur Filij, & Verbum Filius, & vnigenitus Patris. Psalm. 2. vers. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodiè genui te.* Quod de Messia, seu Filio Dei Incarnato Rabbini omnes interpretantur apud Galatin. lib. 3. cap. 7. atque de Christo Filio Dei literaliter intelligendum esse docuit Paul. ad Hebræ. 1. illis verbis: *Cui enim Angelorum dixit Filius meus es tu;* Psalm. 109. vers. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Quod, vt Filium Dei, nec solum Dauidis, se Pharisæis probaret tanta fælicitate Christus Dominus obiecit Math. 22, vt ipsorum ora deinceps occluserit. Vt notabam q. 1. cert. 3. vers. 4. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Isai. *Generationem eius quis enarrabit?* Et cap. vlt. ex Dei Persona ait: *Qui generationem cæteris tribuo sterilis ero?* Quem locum præ cæteris Patribus acutissimè ad hanc expendit Hispanus noster Isidor. 1. contra Iudæos cap. 1. versus fin. Sapient 8. De genita. Sapientia, seu Verbo dicitur: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Et rursus: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Eccles. 24. *Ex ore Altissimi primogenita ante omnem creaturam.* Prouerb. 30. *Quod est nomen eius, & quod nomen Filij eius si nosti?* Lucæ 1. *Filius altissimi vocabitur*: Math. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Marci 14. *Filius Dei benedicti.* Ioann. 1. n. 17. *Gloriam, quasi vnigeniti à Patre.* n. 18. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* cap. 3. *Pater diligit Filium suum.* & rursus: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* atque iterum: *Quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* cap. 4. *Pater clarifica Filium tuum.* & epist. 1. Ioann. cap. 4. *Filium suum vnigenitum misit in mundum,* & cap. 5. *vt simus in vero Filio eius.* Tandem ad Roman. 8. *Proprio Filio suo non pepercit.* Hæc autem omnia adeò apertè processionem, & generationem Filij à Patre demonstrant, vt Fulgentius ad secundam obiectionem Arrianor. graui ex eius admiratione concludat: *Quis Filium dicat & genitum nesciat? quis Patrem valeat credere, quem non consideret genuisse?* Eam ob rem definita est hæc veritas in Symbolo Nicæno, & in Symbol. Athanas. illis verbis: *Genitum non factum*, atque illis: *non factus nec creatus, sed genitus.* Post quæ Concilia, & Patres omnes constanter id ipsum docuerunt.

CERTAMEN IV.

Spiritus Sancti à Patre & Filio processio de fide est.

1 IActa ferè sunt cert. 2. huius veritatis fundamenta. Siquidem de fide est Spiritum sanctum mitti, dari, & accipere à Patre, & Filio: sed in missione, datione passiua, & acceptione vnius Personæ ab alia importatur necessariò processio ab illa: ergo de fide est processio Spiritus sancti à Patre, & Filio. Minor plus fortasse iusto probata est cert. 2. à num. 2. Speciatim autem ex missione Spiritus sancti à Patre, & Filio illius ab vtroque processionem colligunt Aug. 4. de Trinit. c. 20. Nazianz. orat. 37. vers. fin. Gregor. Magnus hom. 26. in Euangel. sub init. Anselm. epist. de process. Spirit. sancti cap. 7. Athanas. epist. longiori ad Serapion. post med. Anasthas. Synait. 1. de rect. fidei dogmatib. Longè à med. Ioann. Theologus, & Georg. Scholar. in Concil. Florent. sess. 24 ante med. & sess. 25. post med. S. Thomas 4. contr. Gent. cap. 44. §. 2. Ex eo autem, quod à Filio accipiat Spiritus sanctus, ipsius à Filio processione conuincunt Athanas. citatus circa finem, & epist. *admirabere*, ad Serapion. sub init. Naz. orat. 49. de fide circa fin. Epiphan. in Ancorato col. 7. post med. & col. 16. Cyril. Alex. 13. thesaur. c. 3. sub init. c. 4. circa med. 11. in Ioann. c. 1. & 2. & 6. Dialogor. de Trinit. col. 5. & 6. Ambros. 5. de fide ad Gratian. c. 6. sub init. & 2. de Spiritu S. cap. 12. Hilar. 8. de Trinit. Longè post med. August. tract. 99. & 100. in Ioann. Leo Magnus serm. 1. Pentecost. c. 3. à med. & 2. de Spiritu S. sub med. & col. sequenti, Heracleotes in catena Græcor. Patrum, Beda in caput 16. Ioann. Anselm. de process. Spirit. sancti c. 7. & 8. Cyrill. Hierosolim. cateches. 16. Longè post med. Sed dices cur dicitur *de meo accipiet*, de futuro, & non de præsenti, aut præterito? fiquidem de æterna processione sermo est. Respondetur primo ex August. tract. 99. in Ioann. *in æternis, in quibus omne tempus claditur quoduis tempus verè, & veraciter poni.* Respondeo secundò: ita hic poni oportere, quia missio, etiam temporalis, & futura Spiritus sancti prædicebatur.

2 Maior discursus nosti expressa est Ioann. 14. *Rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis.* & rursus: *Si autem abiero mittam eum ad vos.* atque iterum: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Actor. 2. num. 35. *Promissione Spiritus sancti accepta à Patre effudit*: promissio autem futuram dicit donationem, sicut, & effusio actualem. Consonat actor. 3. *Renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum.* 1. Ioann. 4. *De Spiritu suo dedit nobis.* Ac tandem Spiritus propriissimè, & specialissimè donum Dei esse canit Ecclesia in Hymno de Spiritu sancto: *Qui Paraclytus diceris, donum Dei altissimi.* Quod autem de Filio, & Patre Spiritus sanctus accipiat expressum est Ioann. 16. *De meo accipiet.* Vbi notant Patres non dixisse de me, sed de meo, vt, de Patre etiam, accepisse intelligatur, quia omnia quæ Filij sunt, sunt, & Patris, vt ex eodem cap. constat: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* & rursus: *omnia mea tua sunt,* &c. Eodem item cap. de Spiritu sancto dicitur: *Non enim loquetur à se met ipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Porro his locis apertè Spiritus sanctus datur, promittitur, mittitur, & accipit à Patre, & Filio, mittique à Patre dicitur Filij nomine, tanquam authoris, & principij sui originarij: vt in simili ad illud Matth. 28. num. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij.* animaduertunt Sanctus Ignatius Martyr epist. 1. ad Philemonem, Clemens Roman. 3. Constitut. Apostolicar. cap. 17. Iustinus Martyr exposit. fidei de Trinit. sub. init. Alexand. Pap. I. epist. 1. c. 6. quæ tanquam Epist. vnica Benedicti I. extat tom. 1. Concilior. Athanas. D. cum Arrio in Concil. Nicæn. Longè à med. ac denique Patres omnes ferè apud Ruiz d. 36. sect. 3. à num. 2. Sed omnium præclarissimè Athanas. epist. longiori ad Serapion. post med. nostrum testimonium expendit.

3 Probatur secundò ex 4. ad Galat. *Misit Deus Spiritum Filij sui.* Ioann. 14. *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet.* Veritatis autem nomine Filium intelligi docet Athanas. proximè col. 3. Concil. Alexand. & cum eo Cyrill. Alexand. epist. ad Nestor. 10. Cyrilli paulò ante anathematism. approbata à Concil. Ephesin. generali 3. c. 14. à Calcedon. general. 4. act. 5. post med. & posteriori definitione ante med. à Constantinopolit. 2. generali 5. collat. 6. Longè post med. & collat. 8. paulò ante canones, & can. 13. ac tandem à Constantinopolit. 3. general. 6. act. 17. longè à med. Adde illud Psalmi 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, vbi Spiritus sanctus oris Patris, quod Verbum est, & Patris ipsius Spiritus dicitur, vt Patres interpretantur: at si Spiritus à Filio non procederet, Filij, & Christi, orisve Patris Spiritus dici non posset: ergo à Filio procedit Spiritus. Minorem docuerunt Patres nuper citati, præsertim Athanas. col. 6. & vers. fin. atque epist. de decret. Nicenæ Synodi fine orat. 5. contra Arrian. sub med. Cyrill. Alex. proximè & 13. thesaur. c. 1. longè ab init. & cap. 3. sub init. & post med. & 3. dialogor. de Trinit. longè à med. & lib. 6. col. 5. & 6. ac 10. in Ioann. c. vlt. post med. ac rursus fine, Basil. 5. contra Eunom. tit. 12. post med. Cryssost. serm. de Trinit. vers. fin. tom. 3. hom. 3. de Spiritu S. *Heri à nobis*: vbi sæpè, & hom. 2. in Symbol. Apostolor. vers. med. Denique Concil. Nicænum lib. 2. vers. fin. §. *cum sit copiosa.*

4 Confirmatur primò: quia Verbi dici nequit Spiritus, nisi ab eo spiretur: sicut neque oris mei, Spiritus qui à meo ore non spiratur: quod vt Christus Dominus Discipulis significaret Ioann. 20. *Insufflauit, & dixit: accipite Spiritum sanctum.* Hanc rationem ea loca expendentes tradunt Cyrill. Alex. 9. in Ioannem cap. 44. post med. & 12. cap. 56. init. Leontius in commentariis ad hunc locum, Athanas. epist. *Admirabere*, ad Serapion. sub init. Basil. hom. 17. in Sanctum Baptisma init. Bernard. serm. 8. in Cantica sub init. Anastasius Synait. 1. de rectæ fid. dogmatib. col. 3 vers. & sub fin. Marius Victorin. 1. aduersus Arrium, Anselm. epist. de proces. Spirit. S. cap. 8. init. Beda ad hunc locum Ioann. ac denique August. tr. 99. in Ioann. vers. fin. & tract. 121. longè ab init. & 4. de Trinit. cap. 20. & lib. 15. c. 26. & 20. de Genes. ad litter. cap. 5. med. & 3. contra Naximin. cap. 14. sub init. Plura, qui ad hanc rem volet videat Ricard. Victor. 6. de Trinit. c. 9. post med. Confirmatur secundò: quia, sicut Filius essentialiter respicit Patrem: ita Spiritus respicit os viuens spirans: quare, sicut Verbum dici nequit Spiritus sancti Filius, licet vterque ab eodem Patre procedat, quia Spiritus non est Pater, à quo Filius procedit, ita neque Spiritus sanctus dici poterit Spiritus Filij, qui ab eodem Patre procedit, à quo etiam Spiritus, nisi Filius os spirans sit.

5 Probatur tertiò: de fide est, Patrem esse principium spirans, à quo Spiritus sanctus procedit: sed de fide est esse in Filio quidquid est in Patre, præter rationem Patris, seu principij generatiui, & generationis: ergo de fide est in Filio esse rationem principij spiratiui, à quo Spiritus sanctus procedit. Probatur consequentia: In Filio est quidquid in Patre præter rationem Patris & principij generatiui. Sed ratio principij spiratiui, à quo Spiritus sanctus procedit est in Patre, & non est paternitas formaliter: ergo ratio principij spiratiui, à quo Spiritus sanctus procedit, est in Filio. Maior primi syllogismi ministrata est à num. 1. Minor eiusdem syllogismi apertè probatur ex Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* & Ioann. 16. *Omnia quæ habet Pater mea sunt*, quæ interpretans Eugenius IV. in Concil. Florent. sess. 25. in litteris vnionis nostrum premens argumentum, sic addit: *Præter esse Patrem.* Sic interpretari olim fuerant Athanas. orat. 4. contra Arrian. col. 4. & post med. atque in Concil. Nicæno d. 4. contra Arrium sub med. & orat. contr. Gregales Sabellij col. 3. & q. 5. de natura Dei Nazianz. orat. 44. Pentecost. sub med. num. 14. Basil. hom. 15. de fide circa med. & hom. 18. contra Sabellian. circa med. & epist. 43. ad Nyssen. fin. & 2. contr. Eumon. prope finem, Cyrill. Alexand. 4. thesaur. c. 2. circa med. & 10. prope med. & infra, & 2. c. 1. circa med. & 3. cap. 1. col. 2. & 12. c. 15. longè à med. & in Concil. Ephesin. anathematismo 9. Ambros. 4. de fide ad Gratian. c. 4. circa med. Gregor. Bætic. de Trinit. longè à med. pluresque alij. Ratio Theologica est: quia communicatur à Patre per generationem Filio quidquid cum eius proprietate non pugnat: sed ratio principij Spiritui cum proprietate Filij non pugnat: imò verò, vt Filius rigorosè sit, maxima probabilitate in Filio necessaria est: ergo ratio principij spiratiui communicatur Filio per generationem à Patre. Data opera mitto aliud huius veritatis argumentum petitum ex distinctione Spiritus sancti à Filio probata quæst. 1. à certam. 2. Si enim non procederet Spiritus à Filio, inquiunt, non distingueretur à Filio: sed distinguitur ex fide à Filio: ergo procedit à Filio. Sed tamen maior, licet verissima sit, prolixam continet quæstionem vulgarem, non vulgari studio à nobis inferius suo loco tractandam d. de Personarum constitutione q. 3.

CERTAMEN V.

Ex Conciliis, & Patribus processio Spiritus sancti à Filio stabilitur, numeriusque processionum statuitur.

1 DE processione Spiritus sancti à Filio magna fuit cum Græcis Latinorum concertatio: quia neque in Concilio Nicæno generali 1. neque in Constantinopol. 1. generali 2. quidquam de ea expresè fuerat definitum. Negata verò in eis minimè fuit, vt falsò aiebat Hieremias, se œcumenicum Patriarcham nominans in censura Ecclesiæ Orientalis ad confessionem Lutheranorum cap. 1. quin potius obiter indicata satis ab eis Conciliis fuit, vt referebamus certam. 4. omissionis autem causa fuit nondum ea de re fuisse in Ecclesia dubitatum, quare nec disputatum, vt ait Nazianzenus orat. 52. quæ est epist. 2. ad Cledonium sub init. *Cum nondum compareret bellum contra Spiritum sanctum gerentes*, vt aiebat Basil. epist. 60. fine, & 78. post med. Definita autem ea veritas fuit à Concil. Alex. epist. Cyrilli ad Nestor. citata & approbata à Conciliis relatis certam. 4. num. 3. Item à septima Synodo general. Act. 7. vbi Nicæno Symbolo additum primò fuit illud: *Filióque procedit*: vt eruditè ostendit Ruiz d. 67. tota sect. 3. ab Agathone etiam Papæ epist. 2. col. 2. quæ est Synodi Romanæ. Habetúrque in sexta Synodo generali eadem veritas Act. 4. in Concil. Toletan. 1. profess. fidei, & Toletano 3. sub Gelasio Papa II. adstantibus Leandro Hispalensi, & Euphemio Toletano, ac Patribus 150. confessione fidei cap. 2. & fusiori confessione, quæ incipit: *Præcipiente*, can. 3. in Toletano 4. cap. 1. sub Honorario Papa, in Toletano 8. circa tempora Martini Papæ I. in Toletano 11. sub à Deo dato Papa in confessione fidei, quæ Toletana Concilia habita sunt ante sextam Synodum generalem. Definitur eadem veritas in Concilio Hetfeldensi anno 650. relato à Beda 4. Histor. Anglicanæ, in Concilio Aquisgranensi anno 808. apud Amonium, siue Annonium, 4. de gestis Francorum. In Concilio Vormacensi anno 860. in Concilio Barensi sub Vrbano Papa II. ex Latinis, & Græcis coacto anno 1090. vbi strenuè contra Græcos pugnauit Anselmus: qui eius Concilij meminit 4. de proces. Spiritus sancti, atque Author vitæ Anselmi lib. 2. in Concilio Lateranensi sub Innocent. III. cap. 1. Græcis etiam Patribus annuentibus, cap. 4. in Concilio Lugdunensi sub Gregor. X. vbi Symbolum Nicænum cum additamento: *Filióque procedit*, ter Græcè; ac ter Latinè cantatum est. In Concilio Florent. sub Eugenio V. Græcorum etiam Patrum consensu sess. 25. in Litteris vnionis. In reliquis insuper posterioribus Conciliis. Leo item Magnus epist. ad Turibium Asturicensem Episcopum cap. 1. de Spiritu sancto ait: *Ex vtróque processit.* Iámque olim eam veritatem tradidit S. Marcus Euangelista tomo 6. Bibliot. in sua Liturgia orat. *Hoc facite*, de Spiritu sancto dicens: *Ex te, Filióque procedens.* Clemens Roman. 6. constitut. Apostolicar. *Deum vnius Filij Patrem, vnius Paracleti per Filium.* S. Ignatius M. epist. ad Ephes. circa med expendens hic Ioann. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, sic arguit: *Ergo vterque eorum ipsum glorificat, à quo accepit.*

2 Sed, quoniam præcipua de processione Spiritus S. à Filio concertatio cum Græcis fuit, Græcorum Patrum testimonia agenda res erit: Athanasio tamen reseruato ad cert. 6. vbi eius sententiam non pro aduersariis, vt putant, sed pro Catholica etiam veritate esse ostendemus. Thaumaturgus apud Nyssen. in eius vita sic regula fidei diuinitùs accepta fatur: *Spiritus sanctus ex Deo ortum, & existentiam habens, qui per Filium apparuit.* Apparitio autem processio est, vt probat Bessarion in Concil. Florent. fine orat. pro vnione cap. 6. circa med. ex Nazianz. orat. 37. 5. de Theolog. aiente sub init.

Manifestationis

Manifestationis, & vt ita dicam, mutuæ eorum relationis, &c. Ex Cyrillo Alex. epist. ad Valerian. quæ Latinè extat dicente: *in quantum Verbum est, ex Patre manifestum esse.* Ex Basil. 5. contra Eunom. tit. 12. & Nysseu. 1. contra Eunom. nondum Latino refert distinxisse Spiritum à Filio *quod per Filium sit manifestatus*, id est productus, vel si voles missus. Sícque Latinè, & Hispanè nasci, & produci tantundem valet atque *in lucem edi*, vel *Salir a luz*: quid ni vel *apparere*, vel *manifestari*? Nazianz. præter data loca orat. 32. ad 150. Episcopos sæpè Filium ab Spiritu, quod principium sit illius (nequit enim Patris innascibilis principium esse) distinguit: orat. 49. de fide circa fin. *Ex propria subsistentia Filij, & ex eo, quod Filius est, esse Spiritum sanctum.* docet orat. 50. de fide Nicæna: *Spiritum Patris, & Filij*, vocat, orat. 37. 5. de Theolog. *Sobolem Patris, & Filij, sicut Seth soboles fuit Adæ, & Enæ, quæ ex Ada fuit, Spiritum sanctum* dicit, & circa fin. Filio authoritatem tribuit, vt mittat Spiritum sanctum. Nysseu. ad Ablabium. *Quod non tres Dij*, ait: *Spiritum esse ex eo, quod ex causa*, nempè Patre, *est*: scilicet Filio. Ac rursus: *aliud quidem continenter, & sine medio ex primo est* (nempe Filius ex Patre) *aliud verò*, nempe Spiritus sanctus, *per id quod immediatè, & ex continenti est*: scilicet per Filium, & orat. catechet. c. 2. fin. de Spiritu sancto ait: *Nec potest separari à Verbo Dei, quod consequitur.* ac de different. essent. & hypostas. de eodem Spiritu ait: *A Filio quidem, &c. pendet.* Plura insuper testimonia Nysseni perfidorum malitia abrasa sunt ex hom. 3. & 4. in orat. Dominicam, quibus aiebat: *procedit Spiritus à Filio, & ex Filio esse ostenditur*, quæ se in aliis codicibus legisse testatur Gennadius defensione Concilij Florentini.

3 Basilius 3. contra Eunom. sub init. ait: Dignitate & ordine tertium esse in Trinitate Spiritum, atque à Filio secundum: *cum ab illo esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat.* Quem locum, cum suppositum per Latinos Græci in Concil. Florentino dicerent ex sexcentorum annorum codice, atque è sequenti contextu Patres Latini comprobarunt. Insuper 5. contra Eunom. sic titulum 11. inscribit Basilius: *Quod sicut Filius ad Patrem se habet, sic, & Spiritus ad Filium.* Repetit de Spiritu sancto cap. 17. vers. fin. & cap. 18. ait. *Natiua bonitas, & naturalis sanctimonia, & regalis dignitas à Patre per vnigenitum ad Spiritum sanctum promanat.* Chrysostom. homilia 1. in Symbol. Apostolor. circa fin. *Spiritus de Patre, & Filio procedens.* & hom. 2. vers. med. *credendum est Spiritum S. Patris esse, & Filij.* Post pauca, *Procedentem de Patre, & Filio.* Scilicet Spiritum sanctum: *Hoc Credite.* Repetit vers. finem, atque ex eius hom. de Incarnat. Gennadius apologia pro Latinis, ita recitat. *Venit Christus ad nos: dedit nobis descendentem ex ipso Spiritum.* Epiphan. hæresi 69. longè à med. *Fontem ex fonte, ex Patre, & Vnigenito Spiritum sanctum: flumina enim ex aluo ipsius fluent.* Hæresi 73. vers. med. *Spiritus sanctus ex Patre per Filium datur.* Hæresi 76. Responsad caput 34. Aëtij: *A Patre per Vnigenitum est Spiritus sanctus.* atque ex responsione ad cap. 1. Aëtij sic recitatur: *In substantia esse Spiritum sanctum ex Patre, & Filio.* atque ex Hæresi 62. circa med. *Ex eadem essentia, ex eadem Deitate, ex Patre, & Filio*, nempe Spiritus sanctus. Horum duorum testimonio primo, respondebat Marcus in Concil. Florent. sess. 18. non extare in Codice Epiphanij illud *esse*: de quo conuictus à Ioanne Theologo vtríque respondebat solum significari illi locis ex eadem essentia, substantia, & Deitate Patris, & Filij esse Spiritum sanctum, in quo non denotatur processio. Contra verò Ioann. Theologus à sessionis med. contendit idem esse ex substantia, & ex eius Persona, cuius tamen probationibus non admodum fido: quare nisi aliis locis datis suam sententiam Epiphanius aperuisset parum ex eis locis præsidij foret. Cum enim ex eadem essentia esse dicatur in eadem oratione, eodem sensu præpositio *ex* vsurpari sine impugnatione efficaci à Græcis dici posset: vt nimirum in Personis æqualitas, sicut in essentia significaretur, non autem Spiritus à Patre, & Filio processio. Sic vulgò aliquis *ex primis*, esse dicitur, quin inde ipsius à primis processio deducatur, sed solum ipsius cum primis æqualitas, atque Hispanè etiam cum dicimus *es de los primeros*, solummodo sonat *es igual con ellos*, non autem, *procede dellos.*

4 Sed audiamus Cyrillum Alexandr. cap. 1. anathematismorum declaratione anathematismi 9. dicentem: *Spiritum sanctum, qui ex ipso*, Verbo, *est.* De recta fide ad Regin. *Procedit autem per vtrosque viuificans quoque Spiritus.* ac 1. de fide ad Theodos. longè à med. sic de Christo ait. *Immittit Spiritum baptizatis, non alienum, sed eum, qui ex ipso est.* & tomo 5. lib. 5. in Isai. ad id: *Spiritus Domini super me.* sic etiam de Christo scribit: *Cum natura Deus existat vnigena, cùmque ex se procedentem Spiritum immittat.* Et commentar. in duodecim Prophetas ad Ioël 2. *Proprius ipsius*, Verbi, *& in ipso, & ex ipso Spiritus S.* & 11. in Ioann. c. 25. sub init. inter multa ad hanc sententiam effatur: *Profusius autem*, Spiritus, *ad Sanctos per consubstantiale Verbum, à quo est secundum emissionem ad esse & subsistere*: ac lib. 12. c. 56. sub init. *Cum ei* Filio, *consubstantialis sit* Spiritus S. *ex Patre per ipsum procedit*, lib. 13. thesaur. cap. 1. fin. ait. *Spiritum sanctum ex substantia Patris, & Filij esse.* Qui locus per alia data intelligendus est seorsim solutionem habere posset, quam in duobus postremis Epiphanij notabamus. Rursus cap. 2. sub init. dicit: *Ex ipso Filio, & in ipso naturaliter existentem*, Spiritum. Et vers. med. *Ex Filio autem naturaliter, ac essentialiter Spiritum sanctum, sicut ex Patre prouenire credimus.* Et cap. 3. longè ab init. *quod ex substantia Patris, & Filij Spiritus sanctus sit.* Philo Carpath. in Cantica column. 4. de Spiritu sancto ait: *Qui à Patre, Filióque procedit*, Cyrill. Hierosol. Catechel. 17. sub init. *Vbique Patris, & Filio adest, non, qui ab ore Patris & Filij loquendo formetur, vel effletur, aut in aërem diffundatur*, Spiritus, *sed intus*, Athanas. Syrus lib. de process. imagin. cap. 4. apud Athanas. Alexand. tomo 2. approbat Neophitorum confessionem, in qua habetur: *Vnus sanctus, & ab vtroque procedens.* Tharas. epist. ad summ. Sacerdot. & Episcop. in septima Synodo confess. fidei act. 3. col. 4. *Credimus in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit.* Sanctus Maximus ad cap. 4. Zachariæ relatus à S. Thoma, opusc. 1. contra error. Græcor. cap. 32. §. 28. med. & à Bessarione orat. pro vnione cap. 6. col. 2. sub finem Concil. Florent. *Ex Patre essentialiter per Filium ineffabiliter procedens.* Simeon Metaphrastes in vita Dionysij Areopagitæ cap. 1. de Christo ait: *Spiritum, qui ex ipso procedit mittit Discipulis.* Latinos reliquos præter datos prætereo: quia omnes vbique sic loquuntur, ac proinde eis referendis dies, carthæque nos deficient.

5 Reliquum ad quæstionis huius exactam discussionem est numerum processionum definire. Dicendum igitur est duas tantum processiones in diuinis esse, id quod fidei proximè adhærere ex dictis hactenus satis constat. Nam de fide est duas tantum esse in diuinis Personas productas, atque alteram ex productis cum prima improducta producere aliam: ergo nec est vnica solum processio, nec sunt plures, quam duæ. Prima pars consequentiæ probatur. Nam persona, quæ procedit à producta, supponit ipsam productam, vt producatur: ergo aliam productionem diuersam ab ea, qua ipsa producitur. Probatur consequentia, primò: quia si simul natura, vel origine vtraque producta produceretur; neutra ab altera produceretur. Secundò: quia, cum productio alterius pendeat ab altera etiam producta, si eadem productione vtraque produceretur, eadem Persona seipsam produceret, quod implicat. Secunda pars consequentiæ probatur: quia, si duæ tantum sunt Personæ procedentes in diuinis, nempe Filius, & Spiritus sanctus, inquiro: an vnica actio Personam vnam quámque producat vel non? sed consortium alterius processionis, seu productionis expectet, vt vnam quamque producat. Si primum dicas: ergo respectu duarum Personarum duæ tantum processiones sunt in diuinis. Si dicas secundum: ergo in ratione productionis imperfectæ sunt duæ illæ processiones, quas admittis: siquidem vnaquæque est in suo genere insufficiens: ergo diuinæ, Deóque dignæ non sunt, sed creatæ. Rationes alias ex verustioribus Theologis compilauit noster Ruiz de Trinit. d. 3. & d. 31. aliisque in locis, vtplurimùm quidem exuges. Nos autem firmiores præstimus q. 1. cert. 5. n. 7. eas ibi studiosus Lector recognoscat.

CERTAMEN VI.

Infracta aduersariorum argumenta.

1 ARguunt Hæretici Autotheani Essentia diuina non generatur, nec procedit, vt est certum ex fide cap. *Damnamus* de summa Trinit. ergo nec Persona. Probatur consequentia. Primò ex contradictione: quia re ipsa essentia, & Persona idem sunt: ac proinde, vel vtraque, vel neutra poterit procedere. Secundò: quia cum Persona quæuis Deus sit, à se omnino debet esse. Tertiò: quia liceret dicere Personas productas, & procedentes *essentiari*, producentes autem *essentiare*, nisi à se essentiam omnes haberent, sed aliæ ab aliis communicatam. Quartò: quia non posset dici Persona producta *Iehoua*, seu fons essendi: cum potius haberet Deitatem ab alio communicatam, qui respectu ipsius fons esset illi essendi. Negatur consequentia: quia, vt totum producatur nó est opus, vt quidquid in illo est producatur. Ecce actione eductiua producitur compositum substantiale, v. g. homo: & tamen in homine sola vnio eductiuè producitur, cum reliqua supponantur creata. Ex eo ergo, quod Persona diuina producatur, & procedat perperam infertur naturam, & essentiam, quæ quasi pars Personæ est, procedere, & produci. Prima probatio præter communem difficultatem mysterij nihil continet: nam, etsi Personæ non procedant, plura contradictoria similia de natura, & Personis verificantur, quæ, vel ex distinctione virtuali, vel ex eminentiali esse, & entitate Dei in hac materia vulgò diluuntur: imò & in aliis, vt videbimus de scientia, voluntate, & Incarnatione Verbi disputantes. Minus præstat probatio secunda: quia esse vnamquamque Personã à se Deum, est Deitatem Personæ cuiusuis esse improductam non autem esse incommunicatam eandem, quæ in Persona improducta est. Hinc constat Personã quãuis diuinam, etiam procedentem, esse propriissimè *Iehoua*, siue esse à se, seu fontem essendi: nam ipsius esse, & essentia ab alio non est, nec participata, sed eadem, quæ in Patre: insuper est principium essendi diuinitas, & natura Filij reliquis creaturis, non minus, quam essentia Patris: cum eadem in vtroque sit. Vnde Christus Dominus de se dixit esse *principium, qui, & loquor, vobis.* Ad tertiam voces illæ: *essentiare*, & *essentiari*, *essentiator*, & *essentiatus*, bono & catholico sensu in Personis diuinis admitti possent: quatenus horum significent communicare essentiam, & habere essentiam communicatam: eo quippè sensu admissa olim fuit à Dionys. Areopag. 2. de diuin. nomin. Vox *Vsiustbe*, id est essentiari, & à peruetusto ipsius Interprete Pachymere *essentiatum*, de Filio: quos imitatus est Euseb. Cæsar. 1. Histor. c. 4. Cæterum, cum hæ voces ex primæua significatione essentiam produci significent, & in eum sensum fuerint ab Hæreticis essentiatoribus vsitatæ admittendæ à Catholicis non sunt.

2 Oppones secundò, Epiphan. hæresi 69. vocare Filium *autotheon*, id est, à seipso essentiam, & Deitatem habentẽ: atque Athanasium tom. 2. in quæstionib. *Quid est Deus?* 4. prope med. vbi ait: *Deus, & Pater ipse solus est causa duobus, & ingenitus; Spiritus autem ex solo Patre causatus, & procedẽs, sed per Filium missus*, & q. 11. & 12. sæpius repetit, *solum Patrẽ esse vnicam causam, quæ emittit Spiritum S. Filium autem esse causatum, & non causam.* Respondetur Epiphanio particulã *auto* non significare idem atque *non ab alio*, sed idẽ atque *propriè, ac per se*: ac proinde solum significatur illa voce *autotheon*, Filium propriè, & per se Deitatẽ habere, non alienam, & quasi precario, atque indebitam, & participatam. Ad Athanasium dicito nomine causæ, seu principij intelexisse, quod solum causa, seu principiũ, ac proinde non causata, nec principiatum sit in Trinitate: id quod solum competit Patri, cùm Filius, licet principium Spiritus S. sit etiam principium à Patre. Eo etiam sensu in Concil. Florent. vbi processio Spiritus S. ex instituto disputata, definitáque fuit, dicitur à Ioanne Theologo sess. 24. sub init. & à Græcis Latinorum nomine sess. 25. ante med. §. *cum Latini* similiter, *Patrem vnicam Filij, Sanctique Spiritus causam esse*, &c. Huic Athanasij explicationi fidem verba ipsa obiecta faciunt. Primò enim loco quasi synonima ponit in Patre causam, & Ingenitum, Spiritúmque mitti per Filium ait. Secundò verò loco opponit causæ in Patre causatum esse in Filio. Fidem etiam faciunt præter aperta ipsius loca recitata alia adhuc apertiora. Nam in Symbolo verè Athanasij (vt testatur Nazianz. orat. 21. in laudem Athan. & Aug. eius Symboli dogmatibus tanquam Athanasij authoritatibus sæpè vsus) hæc habentur: *Spiritus S. à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus sed procedens.* Nec valet à Latinis additam esse particulam *& Filio*: nam, ne Græci quidem contra Latinos in Conc. Florent. id respondere ausi sunt, cum duriora multa tentauerint. Præcluditúrque apertè euasio ex dictione antecedenti, vbi Athanas. de Filio: *à Patre solo est.* Ineptè autem, & superfluè poneretur illud *solo*, nisi in sequenti dictione de Spiritu S. dicendum esset, non à Patre solo, sed *à Patre & Filio.* In eandem scripsit sententiam orat. 4. contr. Arrian. post init. in hæc verba: *Vnicum solem, eiusque splendorem, vnicámque ex ambobus lucem.* & circa med. *Spiritus Verbo donatur*, in refutatione contra hypocrisim Meletij: *Impossibile Trinitatis gloria Spiritum glorificari, nisi ex Deo per Filium progrediendi modo naturam habeat.* Denique orat. de Concil. Nicæn. ex Christi Persona ait: *In virtute Spiritus sancti ex mea essentia profluentis.* Et paucis intercalatis ex propria Persona de Spiritu sancto ait: *Coëssentialis vtrique de essentia eorum profluens.*

3 Opponestertiò Augustinum, reliquósque Patres, & Theologos asserentes Patrem, & Filium esse vnum principiũ respectu Spiritus S. ergo Filius nõ est principiatus, nec procedens. Patet consequentia. Nam idem principiũ nequit esse principiatum, & non principiatum: sed in Patre principium spiratiuum non est principiatum, atque idemmet est in Filio: ergo neque in illo est principiatum: ac proinde neque Filius principiatus erit. Confirmatur: quia Augustin. in Psal. 68. init. & tract. 39. in Ioan. ait: *Filium ad Patrem dici; aũt Deum ad se*: ergo Filius est Deus ad se, & quod idem est, à se: ergo non communicatur illi essentia à Patre: ergo, neque à Patre producitur. Nã ab eo, à quo Persona procedit, ac producitur, ab eo essentia illi communicatur. Negatur prima argumenti consequentia. Eius probatio petit pro solutione exactã discussionem principij notionalis Patris, & Filij respectu Spiritus sancti, quam hîc explicatius tradere præmaturũ foret. Ex dictis autem d. 1. q. 4. cert. 1. & cert. 2. distinguo maiorem probationis. Idem adæquatè, & omnino principium nequit esse principiatum, & non principiatum, fateor: & nego suppositum minoris: nam in Patre solò non est principium adæquatum absolutè: quia ad hoc constituendum expectatur subsistentia Filij. Si autem addas minoris suppositio *inadæquatum*, concedo minorem: sed tunc negabitur facilè consequentia. Ad confirmationem admissa Augustini veríssima sententia, nego consequentiam primam. Ex ea enim solum probatur essentiam Filij non esse productam, sed communicatam ipsi à Patre. Personalitatem autem esse in Filio productam admittit ibi Augustinus expressè: vnde inuerso argumento probationis certò contra obiectantes infertur essentiam Filio esse communicatam.

4 Oppones rursus. Tota ratio pluralitatis processionum sumitur ex prioritate reali Personarum, maximè Filij prius origine producti, quam Spiritus sanctus: atqui prioritas hæc realis non est, vt plures Scholastici autumant referendi disp. 12. q. 6. ergo non est pluralitas processionum diuinarum, sed vnica processio sufficiet, vel nulla. Confirmatur: quia diuinæ processiones sunt per actus intellectus, & voluntatis, vt dicemus inferius: at hi actus reipsa minimè distinguuntur: ergo ex eis fundari non potest prioritas, & posterioritas originis inter diuinas Personas. Confirmatur secundò: quia, vt supra arguebam, ex multiplicatione processionũ

diuinarum arguitur processiones diuinas non esse: ergo multiplicandæ non sunt. Assumptum suadetur: quia, si plures processiones sint, neutra earum est simpliciter infinita in genere processionis: ergo neutra est diuina. Probatur consequentia: quia quidquid diuinum formaliter est, infinitum simpliciter in suo genere esse debet, si vera sunt quæ diximus loco supra citato. Antecedens autem facilè probatur: quia vnicuique earum processionum deficeret perfectio alterius in genere processionis. Respondetur, prioritates reales originis minus tutè negari posse à Theologis in diuinis Personis ob robusta fundamenta adducenda citata d.11. Sicubi autem Theologi grauiores, vt Sancti Bonauentura, & Thomas, prioritatem, & posterioritatem eiusmodi negant, intelligendi sunt, vel de prioritate reali naturæ, & causalitatis, vel de prioritate reali absolutè, quæ temporis est: (de ea enim Athanasius loquens aiebat in suo Symbolo: *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius*, &c. concludens *coæternæ sibi sunt*,) non autem de prioritate reali cum addito *originis*, quam expressè admittunt. Quod autem addebatur in fine consequentis, nullam scilicet processionem necessariam esse admissa Personarum distinctione impugnatum supra à nobis est cert.4. Et sanè, si tres Personæ originariè improductæ in diuinis essent, tres Deos inducendos fore arguunt passim Patres apud Ruiz d.11. neque iniuria. Si enim essentiam communicatam ab alia nulla ex eis haberet, vel haberent omnes naturam diuersam, ac proinde tres essent Dij, vel haberent eandem personalitatem, ac proinde non tres, sed vna essent Persona: quare in eandem Personam, vtpotè diuinam, atque in suo genere simpliciter infinitam omnis ratio Personæ conflueret, ne quid perfectionis diuinæ in suo genere deficeret.

5 Ad primam confirmationem respondetur in actibus intellectus, & voluntatis præcisis, & secundum se sumptis prioritatem, & posterioritatem realem originis fundari non posse; ast adiunctis Personis, seu personalitatibus, aduenire actuum notionalium distinctiua: quare, sicut Personæ ex adiunctione personalitatum ad communia eædem realiter non manent: ita etiam, & notionales actus: ac proinde priores, & posteriores realiter, & originariè esse optimè possunt. Hæc dixerim, vt præcocem vnne illius quæstionis decisionem non tradant de identitate, vel diuersitate adæquata, vel inadæquata actuum notionalium ab essentialibus, atque quæstionis alterius de distinctione processionum actiuarum à passiuis. Si enim notionales actus ab essentialibus adæquatè differant, atque eodem modo actiuæ processiones à passiuis distinguantur, ac insuper passiuæ cum Personis productis, actiuæ verò cum producentibus identificentur: sicut Personæ distinguuntur, ita & processiones actiuæ à passiuis distinguetur: quare, si de actibus intellectus, & voluntatis notionalibus sermo in antecedenti confirmationis sit (vt ad rem præsentem esse debet) falsum omnino erit antecedens: siquidem, in hac doctrina, intellectio notionalis actiua in solo Patre erit, non autem in Filio. Ad secundam confirmationem dicito, prædicata diuina infinitatem debere habere simpliciter in suo genere, siue specie infima, non autem in remota: quare in illa nihil eorum cuiuis addi posse, secus verò in hac. Etenim cognitio in suo genere perfectissima est in Deo, atque infinita simpliciter, licet in genere entis formaliter sumpta deficiat ipsi, seu non habeat illa quidem aliorum attributorum perfectionem: quia in genere infimo cognitionis nihil illi deficit: ratio autem productionis in diuinis non est infima genericè; cum adhuc subdiuidatur in productionem per intellectum, & productionem per voluntatem: quare sufficit, si vnicuique in ratione specialis suæ productionis, vel per intellectum, vel per voluntatem nihil deficiat, vt infinita simpliciter in suo genere, ac prorsus diuina esse intelligatur.

QVÆSTIO III.

An Personæ procedentes à producentibus pendeant, & causentur strictè?

DIfficiliores contra processiones diuinas obiectiones inde petuntur, quod ex eis inferri videatur productas Personas strictè, & rigorosè pendere, à producentibus, contráque has causare Personas procedentes: idcirco vtrumque quæstione hac examinandum erit.

CERTAMEN I.

A Personis producentibus rigorosa dependentia ablegatur.

1 A Difficultatis propositione inchoandum hîc est: quia eius solutioni impendenda erit Quæstio tota. Sic autem difficultas habet. In diuinis vna Persona procedit ab alia: ergo in diuinis vna Persona dependet ab alia: hoc autem est imperfectio diuinas Personas dedecens: ergo dedecet diuinas Personas processio, vnde infertur dependentia earum. Quod autem dependentia ab alio imperfectio sit, probatur ex Cardinali Bessarione, & Patribus Conc. Florent. apud quos Bessarion orat. pro vnione c.vlt. sic effatur: *Notandum, quod Sancti Doctores Orientales, etiam in diuinis vtuntur nomine causæ, & causati largo modo; non quidem, vt limitationem, & dependentiam importat.* Quod autem ex processione Personæ diuinæ ab alia inferatur dependentia propria ab illa videtur certũ: quia nihil aliud est dependere aliquid ab aliquo, quam produci ab illo. Eo enim præcisè, quod aliquid producatur, debet suum esse illi, à quo producitur. Respondebit aliquis non esse admodum dissonam vocem dependẽtiæ vnius Personæ ab alia, sicut neque debere vnam Personã diuinam alteri, à qua procedit: Sic enim loquitur Hilar. 11. de Trinit. de Filio: *Debet quidem authori causam natiuitatis suæ*, & statim: *Dum non à se loquitur authori eum debere necesse est. quod loquitur*. Consonat Aug. 7. de Trinit. c. 9. *Filius Patri debet, quod est.* Idémque statim subdit de Spiritu S. Imo verò, neque dependentiæ nomen in Personis diuinis exosus Nyssenus fuit. Libro enim de different. essent. & hypostas. sic de Spiritu S. scribebat: *A Filio pendet, à Patre verò, causa, vnde etiam procedit ipsum esse habet dependens.* Neque aduersatur Basil. epist. 43. ad Nyssen. eiusmodi vocem dicens: *Spiritus sanctus à Filio dependet.* Quo etiã pacto loquitur Cyril. Alex. lib. 13. thesaur. c. 2. His testimoniis, & locutionibus consentit Arriaga in physic. vbi authoritatem etiam magni Albert. 1. p. q. 39. m. 1. eis obtẽdit.

2 Cæterum S. Bonau. in 1. d. 26. art. 1. q. 2. Aureolus d. 9. p. 1. art. 3. S. Th. 4. contr. Gent. c. 14. ad 9. reliquique Theologi, præcipuè post Concil. Florent. communi sensu, licet aliis, atque aliis rationibus rigorosam dependentiam à diuinis processionibus relegant: quia dependentia entitatis ipsam indigant, conuincit: vt sit, quare rigidè eam admittere temerarium iam, vt minimum erit. Aureol. loco citato num. 27. vt argumento proximè facto respondeat, inquit: dependentiam dicere præter influxum manutentionem, & conseruationem in suo esse illius, qui influxu dependet, ab eo, à quo per illum dependet. Contra primò: quia in primo fieri est dependentia effectus à sua causa, in quo nullatenus est conseruatio. Secundò: pro nostro nunc, est huiusmodi conseruatio Personæ diuinæ productæ à Persona producente: Si enim Pater nunc Filium non produceret, nec Filius in se nunc esset. Dices æternitatem generationis Filij esse totã simul quare primum est non posse non esse per æternitatem. Non tangit impugnationem primam solutio. Contra secundò: si Deus ab æterno aliquid produxisset, vt potest, non posset non durare sic productum per æternitatem: & tamen in ea æternitate, in qua non poterat non durare, esset ipsius conseruatio non minùs, quam productio: ergo, & Filij productio relatè ad nostram durationem diuisibilem conseruatio est, licet durationi intrinseca, quæ nunquam transit, conseruatio non sit. Consequentiã hanc superior expresse à Deo Psalmistæ ore Psal. 2. 7. traditam, dum suum alloquens Filium sic aiebat: *Ego hodie genui te*, relatè enim ad intrinsecam æternitatis diuinæ durationem *hodie* est generatio, quia semper præsens, hodiéque gignitur Verbum; ad nostram verò durationem si generatio referatur, rectè apponitur *genui* de præterito. Licet enim non perierit æterna generatio, tamen æternitate durationi nostræ præcessit.

3 Noster Erice manuscripto de Trinitate respondet, actionibus rationem dependentiæ essentialem non esse, sicut nec rationem mutationis: quare, sicut ratio mutationis ab actionibus separatur creatis, ratio dependentiæ à diuinis productionibus rectè poterit separari. Ait igitur rationem dependentiæ in actione ea solummodo reperiri, qua natura producitur: cum ergo in diuinis processionibus non natura, sed sola personalitas producatur, vera quidem productio erit, non autem dependentia vera, & rigorosa. Contra primò: quia actio, qua produceretur natura, ac non personalitas, esset vera dependentia, eò præcisè, quòd produceretur: ergo actio, qua producitur personalitas, eò præcisè, quòd producitur, est vera dependentia. Contra secundò: quia actio creata, quia, in huius, & reliquorum Modalium sententia producitur subsistentia creata est vera dependentia à producente illã, & tamen terminus productus per illam non est natura, sed personalitas. Dices in productione subsistẽtiæ creatæ à natura, vel naturæ ab alia natura terminum productũ habere dictam essentiam ab essentia producentis; quod secus in Personis euenit diuinis, quæ eandem prorsus essentiam habent. Egregia æquiuocatio: quia, vel loquitur de essentia quæcumque sit, siue naturæ, siue subsistentiæ, vel de essentia, quæ sit essentia naturæ? Si vltimum, tenet argumentum: quia subsistentia creata essentiam naturæ non habet, licet aliam habeat, quæ naturæ non sit: tenétque apertè paritas. Si dicas primùm, cum subsistentias & personalitates diuinæ suam qualem qualem essentiam, & entitatem in tua, & communi sententia habeant, verèque, & catholicè producantur, verè etiam à producente Persona dependebunt.

4 Tertiò denique respondent antiqui, & recentes Doctores communiter dependentiã rigorosam præter productionem dicere auxilium alienum, & extraneum termino producto: cum autẽ Personæ omnes eandẽ habeant naturam, atque ratione illius sint sibi inuicem intimæ, auxilium extraneum non est: quare, neque rigorosa indigentia, & dependentia, quam solum voluit Concil. cõtra Arrian. sensum dependentiæ Personarum productarum à producentibus. Cæterum, licet contra Arrianum sensum sic fuerit Concilium locutũ, non soluitur inde difficultas de indigentia, & dependentia rigorosa Personarũ procedentium à producẽtibus. Nam esto, non sit Persona ptoducta alienæ naturæ à natura producentis, sed eiusdem: adhuc tamen personalitas producta, licet naturæ eidem, cui identificatur, extranea non sit, à personalitate tamen producente extranea est, eiúsque eget influxu, vt sit. Patet primum: quia Persona in eo solum extranea, & aliena nõ est ab alia, in quo idem est cum illa: sed est idem in natura sola, non autẽ in personalitate: ergo diuisa, & extranea est ab illa in personalitate. Quod autem influxu producentis egeat (quod erat secundum patet: quia sine influxu Personæ producentis non esset Persona: ergo illo influxu opus habet, vt sit. Dices Personam productam inadæquatè alienam esse à Persona producente, sicut, & inadæquatè diuersam est; ast in ratione producentis absolutè non esse alienam Personã productam à producente: quia agit per essentialia, & communia producens, quæ personæ productæ intima, & essentialia etiã sunt. Contra primò: quia Aureol. Recentiores Complutenses, & quicumque potentiam notionalem adæquatè in personalitate constituunt ea solutione vti non possunt. Contra secundò: quia alij, licet ad potentiam notionalẽ essentialia admittant, non tamen excludunt producentis personalitatem: ergo comparatione huius alietas, vt sic loquor, siue extraneitas producẽtis à producta Persona admitti absolutè debet, sicut ratione illius absolutè admittitur Patrem alium esse à Filio: ergo influxus, quo Persona producta opus habet, vt sit, est influxus à Persona producente, atque absolutè ab alio, quare, & alienus, in quo per hos dependentia rigorosa ponebatur.

5 Respondetur ergo iuxta nostra principia indicata d. 1. q. 4. cert. 2. n. 5. & cert. 3. n. 3. & q. 5. cert. 3. vsque ad num. 5. duplici ex capite diuinas processiones dependentiam rigorosam non inuoluere: alterum ex parte termini producti; alterum ex parte Personæ producentis. Ex parte termini producti: quia Persona procedens, quidquid entitatis, etiam metaphysicæ, habet, est naturæ solius: cum personalitates existentiam propriam, siue entitatem formaliter non habeant, sed tantum existentiam, & entitatem essentiæ, quam productione, qua productio formaliter est, non habent, cum essentia non producatur per successionem, sed solummodo communicetur. Hinc fit Personam productam in suo esse, & entitate à productione, qua productio est, minimè pendere, esséve recipere, sed, qua solum communicatio est, dependentia autem rigorosa vnius entitatis ab alia, à qua producitur debet esse per influxum, seu productionem, à qua formaliter, qua tali, esse, & entitatem recipiat, sicut in aliis omnibus, quæ vera depẽdentia producuntur, constat apertè. Quemadmodum ergo, si existentia tota equi præcisa, per impossibile, ab vna causa v. g. à Deo daretur, & formalitas alia sine existentia à causa creata equo proueniret, proculdubio equus in suo esse à causa creata non penderet, neque, vt esset, creatæ causæ egeret influxu: ita in casu nostro diuinarum processionum contingit: siquidem, quod in equi productione impossibile est in diuinis processionibus est prorsus necessarium. Ex parte etiam Personæ producentis constat ex citata doctrina processiones diuinas dependentias non esse: tum quia Persona producens, licet alia sit à Persona producta, idẽ tamen omnino physicum, & metaphysicum esse habet cum illa: tum quia personalitates producentes per se, & formaliter sumptæ alias non continent producendas, etiã virtualiter, sed essentia sola, cuius est tota efficacia, & energia ad productionem Personarũ, licet impedita idẽtitate cum termino producẽdo, à quo impedimento beneficio personalitatis producentis Personæ (quæ ratio tota distinguendi Personas est) expeditur, vt suas exerat vires ad productionem: Vnde ab aliena virtute actiua Personæ productæ non procedunt, cum essentiam, cuius tota actiuitas, & energia est, in suis etiam habeant: quare, licet personæ producentes aliæ sint in ratione Personæ à productis, non autem in ratione formalis actiuitatis, & virtutis: ac proinde ab aliena virtute, etiam qua Personæ, non procedunt, neque rigorosè dependent.

6 Dissimulaui hucusque Achylem contra processiones difficultarem, solum, vti reor, ex nostra hac doctrina exarmandam. Sic habet: Personæ diuinæ procedunt ab aliis: ergo, & sunt ab alio personaliter, & notionaliter: ergo personaliter sunt limitatæ, & finitæ. Probo hanc consequentiam: infinitas in natura stat in hoc, quod est naturam esse à se; finitudo autem stat in hoc, quod est esse ab alio: ergo infinitas in personalitate stabit in hoc, quod personalitas sit à se, & finitudo illius in hoc quod personalitas sit ab alio. Neque hic videtur ad naturam recursus patere: nam agitur de personalitate producta, & terminante processionem, quatenus influxus formaliter est. Si enim verè personalitas influxum processionis sua propria entitate existentia, bonitate, & perfectione formaliter diuersa ab existentia, entitate, &c. naturæ diuinæ, verè excipit, in eis limitata esse debet, si à se Per-

sona non sit, sed ab alio. In nostris autem principiis respõdetur facilè distinguẽdo antecedens: procedunt actiuè ab aliis in ratione essendi, etiã personaliter nego suppositum, nam personalitates per se, & formaliter sumptæ non sunt, cum per se, & formaliter existentiam, & entitatem non habeant; procedunt ab aliis communicatiuè in ratione essendi, concedo antecedens: siquidem ipsarum esse, etiam metaphysicum, & physicum, non producitur processione, sed communicatur: cum aliud esse physicum, & metaphysicum, quam esse essentiæ, non habeant, quæ ipsis communicatione contingit processionis, non autem productione, & influxu, qua talibus. Eodem pacto distingue primam consequentiam: sunt ab alio productiuè, & influxiuè in ratione essendi, & entitatis, nego consequentiam; communicatiuè, concedo consequentiam: atque inde etiam nego consequentiam secundam. Ad eius autem probationem dicito: infinitatem consistere in hoc, quod aliquid sit à se, seu non ab alio productiuè, & influxiuè in ratione essendi, & entitatis, quo pacto personalitates, & Personæ productæ sunt à se, seu non ab alio, cum essentiam, quæ totum esse ipsarum est, communicatione processionis habeant; non autem eius influxu, & productione. Similiter responderi potest ex parte principij producentis distinguendo illud *ab aliis*. *Ab aliis* in ratione essendi, nego antecedens; *ab aliis* in ratione distinctionis concedo antecedens: quia idem habet esse Persona producta, & procedens, tam physicum, quam metaphysicum, cum aliud esse existentiæ, & entitatis non habeant, quam essentiam vtríque communem: ac rursus ab aliis in ratione virtutis, & actiuitatis formalis non sint, vt nuper dicebamus. Hæc omnia planiora fient cert. 4. vbi omnes æquiuocationis fibras nonnullis obiectionibus, solutionibúsque præcidemus. Plenius autem intelligentur d. 6. per totam præcipuè q. 1.

Certamen II.

Producentes Personæ non causant propriè, neque procedentes causantur.

1 Ex Theologis singulariter Aureol. in 1. d. 29. art. 2. sub init. Patrem Filij causam propriam esse docuit, atque vtrumque Spiritus sancti. Potissimum opinionis huius fundamentum ex Patribus, præsertim Græcis, fuit. Clemens Romanus III. constitut. Apostolicar. cap. 17. ait Patris *vti causæ* mentionem fieri in Baptismo. Athanas. dialog. 1. de Trinit. contra Anomœum longè à medio de Spiritu sancto habet: *causam, & authorem habet Deum*. Repetit loco dato q. 2. cert. vlt. num. 2. Basil. hom. de humana Christi generatione sub init. Patrem *principium & causam Filij* vocat: & hom. 17. de Spiritu sancto de ipso ait: *Deum sui causam fontis instar habens*. Et 1. contr. Eunom. vers. fin. in Patre *habitudinem causæ* ad suos effectus respectu procedentium à se admitti, & pag. penult. inquit: *Pater causa est, atque origo Filij*. Et lib. circa med. *A quo*, Patre, *habet subsistentiæ causam*. atque ad illud Psalm. 109. *Genui te*, sic ait: *Causam ex qua essendi principium habet Filius*. Et tandem 3. contr. Eunom. sub init. *Causa essendi Pater est Filio*. Nyssen. ad Ablabium *quod non tres Dij*, sic scribit: *eam, quæ circa causam & causatum differentiam*, in diuinis, *non negamus*. Et post pauca: *credimus alium quidem causam esse, aliud verò ex causa*. Nazianz. orat. 29. de dogmat. & constit. Episcop. post med. cum Patrem principium appellasset Filij, subdit: *Principium hîc pro causa accipio*, ac sæpè Patrem causam Filij & Spiritus S. appellat. Ita orat. 1. circa med. orat. 13. circa med. orat. 23. in laudem Heronis propè fin. orat. 35. col. 2. & post med. orat. 37 circa med.

2 Epiphanius hæresi 73. vers. med. ait in voce *Pater*, intelligi *quod causa est*, &c. hæres. 76. longè à med. ad cap. 30. Aëtij scribit: *ingenitam naturam esse causam ad vnigenitum*. Damasc. lib. 1. de fide cap. 9. longè à med. ait: *Patrem maiorem esse secundum causam: quia causa est naturaliter Filij*. Et post pauca: *Audimus principium, & maiorem Filio Patrem, causam intelligamus*. Et cap. 11. longè à med. de Filio ait: *Non sine principio, hoc est, sine causa: Ex Patre enim est*, repetit circa capitis finem, & lib. 4. cap. 19. sub init. Anastas. Synait. 1. de rect. fidei dogmatib. *Pater*, inquit, *maior secundum quod author, & causa*. Euseb. denique Cæsarien. 4. demonstrat. Euangel. *Hic tanquam ex causa profectus Filius*. Atque hæc Græci Patres. Ex Latinis verò Patribus similiter etiam loquuntur nonnulli. Hilar. 11. de Trinit. col. 2. de Filio ait: *Debet quidem author causam natiuitatis suæ*. 12. de Trinit. col. 4. *Ex causa, licet perfecta, atque indemutabili nascens*, & col. 8. *Eius, qui est, ad id, quod est, causa Pater est*. Repetit sæpius ibi, & lib. de Synod. vers. med. atque apud fide dignos authores lib. 9. de Trin. ait: *Filium ex Patre causam* (id est causalitatem) *sumere*. August. q. 122. Veter. & Noui Testam. Sic de Filio scribit: *Differt*, à Patre, *in causalitatis gradu*, & lib. 85. quæstionum, quæst. 15. *Quod autem omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ causa est: nec vnquam Deus sine sapientia*, scilicet genita; nam statim q. 16. pergit ad confirmandum Patrem non esse priorem duratione Filio, id quod quæst. antecedenti dixerat. Et sanè Ioannes Theologus sess. 23. & 24. Latinorum Patrum nomine Patrem, & Filium *causam vnicam Spiritus sancti* pluries appellat: imò Latini ipsi Patres sess. 25. §. *quibus Latini* eodem modo loquuntur.

3 Theologi tamen communi consensu causæ, & causari rationem propriam à Personis diuinis relegandam omnino censent. Ita Albert. 1. p. q. 43. m. 1. Alensis q. 46. m. 2. S. Thom. q. 43. art. 1. ad 1. vbi eius interpretes Caiet. Vasquez, Molin. Valent. & Suar. item opusc. 1. contra error. Græcor. cap. 1. & in 1. d. 29. quæst. 1. art. 1. corp. & ad argum. S. Bonau. q. 1. ad 3. Carthus. & Durand. ibidem art. 2. Ruiz d. 49. sect. 3. atque vno verbo Theologi reliqui. Probatur ex Cyrillo 2. dialogor. de Trinit. inter ipsum & Hermiam longè à med. vbi in hæc scripsit. *Causam, & causatum neque nominare fas est. Decet item de Deo potius dicere Patrem, ac genitum Filium*, ex Chrysost. hom. 2. ad Hebr. 1. column. 2. *Si enim*, inquit, *causa eius* (scilicet Filij) *Pater est, secundum quod Pater est: multò amplius eorum causa est, quæ per Filium facta declarantur*. Vbi strictius, ac magis causam creaturarum quam Filij Deum Patrem appellans diuersimodè creata causare, quam Filium producat satis ostendit. Ex Bessarione Patriarcha Constantinopol. posteà Romano Cardinali dicente *causæ* nomen tam à se, quam à Græcis Patribus, & Doctoribus *largè* vsurpatum esse, prout dependentiam, & limitationem excludit. Sic habet sub finem Concilij Florent. orat. pro vnione cap. vlt. post med. *Notandum quod Sancti Doctores Orientales vtuntur nomine causæ, & causati largo modo, non quidem prout limitationem, & dependentiam importat, &c. ideò me etiam ad Græcos loquentem his nominibus vsum fuisse*. Et quidem, licet Latini Patres eis vocibus cum Græcis in eodem Concilio loquerentur, id tamen fuit, ne à Principali disputatione de processione Spiritus sancti à Filio diuersa eius nominis controuersia diuerteretur.

4 Idcircò Eugenius IV. in litteris vnion. quibus Patres omes illius Concilij subscripserunt, numquam causæ nomine vtitur, nisi addendo *secundum Græcos*, sed nomine principij: atque adeò probationem sibi principij vocem hac in re declarat, à latinisque, suæ Ecclesiæ more tenendam ferè decernit illis verbis: *Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam; secundum Latinos verò principium Spiritus sancti*, &c. Accedit Hilar. relatus à nonnullis lib. 4. & 9. de Trinit. negans *Patrem causam esse Filij*; licet aduersariorum astu ab exemplaribus, quæ nunc habemus expuncta ea sententia fuerit. Accedit Dionys. 2. de diuin. nomin. longè à med. asserens *tribus Personis notionalia esse, sed communia ea, quæ causæ rationem habent, omnia*. Cuius rationem reddens paulo post med. capitis ait, quod causæ & diuisæ, & perfectiores suis effectibus sint his verbis. *Causæ autem secretæ sunt ab effectis*

ctis; suntque principij sui ratione superiores: principij autem nomine vtimur ad significanda, quæ suis principiatis perfectiora non sunt: imò eiusdem essentiæ: vt fons fluminis principium est. Ex quibus ad testimonia Patrum constat impropriè, & largè nomine causæ vsos illos fuisse: Quod erat præcipuum contrariæ sententiæ argumentum. Scio nonnullos ex Aristot. satis ineptè, pro nostra hac communi sententia arguere. Cum enim ipse principia actiua non nisi, quæ causæ sint, nouerit, sicuti nos de creatis asserimus, nullum pro hac sententia poterit esse Aristot. suffragium. Sed aduertendum est falsò etiam pro sua sententia Aristotelem ab aduersariis recitari, quasi dixerit 4. metaph. cap. 2. & 5. metaph. cap. 1. & 12. metaph. cap. 4. omne principium causam esse; cum tamen primo loco de principio antonomasticè dicto, nempe actiuo, loquatur. In secundò solummodo dicat omnem causam esse principium. In tertiò nomen causæ largè omnino vsurpet, cum illud priuationi accommodet.

5 Rationes huius veritatis, quia prolixius examen requirunt, in sequens Certamen reseruo. Vnam hîc non præteream, quæ ab absurdo inducitur. Nam causæ efficienti, quæ propriè causa est respondet ex parte termini producti effectum, seu factum esse: atqui ex fide procedentes Personæ effectæ, aut factæ non sunt: ergo neque Personæ actiuè producentes sunt propriè causæ. Minor definita est in vtroque Symbolo Nicæno illis verbis. *Genitum non factum*: in Symbolo Athanasij: *non factus, nec creatus, sed genitus*, ac de Spiritu sancto statim: *non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Hoc argumentum in Persona Spiritus sancti expressit Anselmus epist. de proces. Spirit. sanct. contra Græcos post med. cap. *diligentiùs* verbis hisce: *causa non nisi effectus alicuius; & Spiritus sanctus non est effectus alicuius*. Sed tamen propter vocabulorum inopiam causam dici posse concludit circa cap. fin. Idem argumentum intendebat Athanas. dialog. 2. de S. Trinit. contr. Anomœ. col. penult. dicens: *Spiritus sanctus habet pro causa Deum, non, vt effectorem, sed, vt sui fontem*. Quod verò Nazianz. nomen principij de Personis producentibus à se dictum nomine causæ corrigat, ex eo est, quod principium absolutè prioritatem durationis importet, quam Persona producens nusquam habet respectu procedentis. Ex adiuncta verò causæ voce originis prioritatem voluit denotari, quam principij nomen secundum se minimè innuebat. Iam verò principij nomen eo correctiuo in diuinis non eget: quin imò commodiùs, aptiúsque ibi vsurpatur. Cum enim vniuersalius quid principij nomen significet, pauciores imperfectiones creatas, à diuinis relegandas, concernit.

Certamen III.

Aliorum rationes impugnatæ.

1 Noster Didacus Ruiz d. 49. sect. 3. plures veritatis huius rationes leuiores ex antiquis congessit. Hanc refert n. 20. Efficiens causa (de qua nunc est difficultas) definitur ab Arist. 2. Physic. cap. 3. textu 29. & 1. de generat. cap. 7. textu 55. & 5. Metaph. cap. 2. sub init. *Vnde primum principium mutationis, & quietis*: ergo causa efficiens solum potest esse respectu termini, qui à non esse ad esse possit mutari: sed Personæ procedentes in diuinis à non esse ad esse mutari nequeunt: ergo respectu illarum nequit esse propriè causa efficiens. Subsumptum probatur: quia Personæ diuinæ, etiam procedentes necessariò sunt: ergo nequeunt non esse: ergo neque à non esse ad esse mutari possunt. Miror eruditum virum, atque antiquarum mentium interpretem, non sagum modo, sed præsagum, dissimulasse eis locis definitam ab Aristot. esse causam efficientem, non vtcumque, sed vt causa efficiens mutationis, neque solum effectus est. Insuper mutationem, de qua ibi Aristoteles, non esse ab nõ esse intrinseco rei ad esse ipsius, sed mutationem subiecti à negatione formæ ad formam sibi denuò aduenientem. Miror secundò non vidisse ex sic accepta definitione inferri quidquid ab æterno à Deo crearetur, vt potuit, nec fore propriè effectum, neque Deum illius causam: cum tunc à suo non esse ad esse non transiret. Miror tertiò, quod non viderit cœlos iuxta hanc Arist. definitionem factos non esse, si definitio causæ efficientis rigorosa sit, nec solum, vt est mutationis efficiens: cum enim eorum forma ipsorum sit materiæ coœua, nihil in eis est, quod substantialiter fuerit vnquam immutatum.

2 Sanctus Thomas opusc. 1. contra error. Græcor. c. 1. S. Bonau. Carthus. & Durand. locis citatis cert. 2. num. 3. dicunt de conceptu propriæ causæ esse prioritatem in natura; in Personis autem diuinis, etiam producentibus non esse prioritatem in natura respectu procedentium productarum: siquidem Personæ diuinæ eiusdem naturæ sunt omnes, vt quæst. 4. tanquam fidei dogma statuemus: in eodem autem prioritas, & posterioritas esse non potest: quare in producentibus Personis respectu productarum ratio causæ nequit intercedere. Si, quam bona est æquiuocatio, bona esset solutio, nihil vlta desiderandum restabat. Contra: quia prioritas in natura substantiali necessaria non est ad rationem causæ efficientis: siquidem inter ea, quæ naturam substantialem non habent, inuenitur prioritas in natura, vt patet in accidentibus, quæ accidentia alia effectiuè causant: ergo prioritas naturæ causarum non debet esse in natura substantiali, sed in natura latè sumpta, siue, vt natura idem prorsus significat, atque entitas, existentia, siue essentia: hanc autem habet Persona producens respectu procedentis in sententia horum Doctorum: siquidem personalitatis entitas iuxta eos realiter, & originariè prior est, à quo in Persona Patris, & reipsa supponitur existens ad processionem Filij: ergo &c. Imò, & si prioritas in natura substantiali requireretur ad veram rationem causæ, prius natura est in Patre essentia diuina, quam in Filio: cum enim eam ipsi communicet, necesse est eam à Patre præhaberi, quare defectu prioritatis naturæ non deficit Patri ratio causæ efficientis respectu Filij, neque vtríque respectu Spiritus sancti.

3 His Sancti Thomæ verbis excitatus Petrus Hurtado aliam aggressus est viam d. 8. Physic. & fusius manuscripto de Trinit. asserens prioritatem naturæ causarum propriam in eo stare, vt, quod prius natura est alio, possit esse sine illo; secus autem quod posterius natura est sine priori: vt videtur docere Arist. 5. metaph. cap. 11. Vnde à causa ad effectum affirmatiuè non valet consequentia v. g. est causa: ergo est effectus; bene tamen valet è contra: est effectus: ergo est causa. Negatiuè autem valet à causa ad effectum: non est causa: ergo non est effectus, non autem contra est effectus: ergo non est causa. Cum ergo in diuinis Pater nequeat existere sine Filio; tum quia necessariò illum producit; tum quia alteruter de intrinseco conceptu alterius est, vtpotè essentialiter relatiui, simul nempe natura, existentia, & cognitione, vt de relatiuis aiebat Aristot. cap. de relatione: ac proinde neuter altero natura existentia, aut cognitione prior erit. Quam multa falsa ratio hæc mouet. Incipio ab extremo, nam fit iationem esse de intrinseco conceptu paternitatis, quatenus paternitas, principium, & causa est in actu primo considerata, idem est, atque asserere actum secundum, & effectum ie ex parte causæ, & actus primi tenere. Vnde rursus fiet Filium se ipso priorem originariè esse reipsa: siquidem Pater Filio prior re ipsa originariè est Filio, verúmque, & reale illius principium; vel nullatenus Patrem Filio esse priorem: imò hoc videtur admittere Hurtado sine argumento, dum ait relatiua simul esse natura: nam similitudo vnius parietis albi (& idem est de relatione Paternitatis, vt relatio est, terminúmque supponit) neque originariè prior esse potest similitudine alterius parietis albi. Ratio autem est clara, si de relatiuis propriè vt talia sunt, loquamur cum Hurtado. Nam vel ab

extremis relatio re ipsa non differt, in mea, & vera sententia, vel æquè primò resultat in extremo vtroque: cum non sit in extremo alterutro ratio maior. Tertiò relationem paternitatis formaliter sumptam supponere virtutem productiuam Patris, terminúmque productum, scilicet Filium, ostendam d.7.quæst.3.Imò formaliter sumptam,& vt distinctam à fundamento,& termino quid meræ rationis esse ibidem probabo: ergo licet, quia relatiui formaliter sunt, non possit Pater Filio natura præcedere, poterit tamen, qua productiuus est. Atque his quidem impugnatum satis est Patrem, provt in actu primo simul natura esse debere cum Filio, nec prius natura esse posse ob constitutionem essentialem vnius relatiui per aliud.

4 Iam alterum impugnandum est desumptum ex necessitate producendi Filium, quæ in Patre æterno inuenitur. Etenim posse operari, & non operari est prædicatum differentiale causæ necessariæ: ergo posita etiam necessitate operandi integra manet essentia causæ sicut posito prædicato opposito libertatis in agendo integra etiam manet essentia causæ. Ratio metaphysica à priori est: quia differentiæ non destruunt genus, sed perficiunt. Contra secundò. Sublato prædicato necessitatis in agendo non destruitur ratio causæ: ergo neque sublato prædicato libertatis in agendo destruetur: quia differentiæ in constitutione metaphysica supponunt genus quod contrahunt, non constituunt: quare quauis ex illis repugnante metaphysicè genus non repugnaret in se, licèt in ratione generis secundo intentionaliter sumpti, quæ prædicato, seu gradui generico aduentitia est, & supponit specierum possibilitatem repugnaret. Contra tertiò: hæc est mala consequentia: hæc causa libera non est: ergo non est causa: ergo, & hæc est mala: est causa: ergo non est causa necessaria, seu, quod idem est, ergo est libera. Patet consequentia: nam ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis valet consequentia semper: v.g. est homo: ergo est rationalis, vel risibilis; non est rationalis, vel non est risibilis: ergo non est homo. Nullus, vel nimium rudis Summulista negabit hanc consequentiam. Contra quartò: causæ creatæ, quatenus ex se est, plures necessariò operantur, vt patet in agentibus naturalibus: & tamen causæ veræ sunt, naturáque suis effectis priores: ergo necessitas operationis in diuinis processionibus non tollit rationem causæ, & prioritatis naturæ in Persona producente respectu Personæ procedentis, & productæ.

5 Dices: in causis creatis posse esse rationem causæ, & prioritatis naturæ cum determinatione operandi, & sine vlla indifferentia respectu effectus: quia cum operentur dependenter à concursu libero Dei, cui in operando subordinantur, non coniunguntur necessariò cum suis effectis, ac proinde non valet ab eis ad effectus absolutè, & simpliciter existendi consequentia; sed in Deo Patre ex se necessariò producente Filium independenter à sua, vel alterius libertate in eius productione absolutè, & simpliciter à Patre producente ad Filium productum valet existendi consequentia. Contra primò: quia neque in Deo valet consequentia: est causa rerum: ergo est libera: sed eius libertas in operando ad extra ex maiori perfectione operationis liberæ, & per intellectum, & voluntatem, quam necessariæ, ac per naturam aliisque capitibus probatur. Contra secundò: quia Aristoteles Deum necessariò ad extra operantem cogitauit, idcirco erroneè, mundum ab æterno posuit; & tamen Deum primam, & strictissimam causam, priorémque natura mundo asseruit. Contra tertiò: quia saltem potuit Deus res aliquas non successiuas essentialiter ab æterno producere: ad hoc autem opus erat decreto efficaci, quod, cum in huius opinione, per intrinsecum Dei constituatur, præcedátque prioritate naturæ, vt propria causa suis effectibus, vt efficax est, esset causa determinata, necessaria, & à cuius existentia valeret consequentia ad existentiam effectus. Imò, qui extrinseco connotato diuinorum decretorum efficaciam constituunt, non inde extrinseca connotata vocant, quod causa non esset decretum, quia ab illo ad existentiam effectus valeret consequentia, in eorum etiam doctrina; sed, quia aliter contradictoria de re omnino eadem verificari deberent.

6 Contra quartò. Causæ naturales, licet pendeant in operari à decreto libero, tamen, quatenus est ex se, determinatæ sunt, & coniungentur necessariò cum suis effectibus, & non liberè: ergo quatenus est ex se causæ non sunt; sed solum causa prima causa propriè erit, è cuius libertate non valet subsistendi consequentia ad effectus. Patet consequentia: nam, si in eo sita est ratio prioritatis in natura, id, cui per se, & ratione sui competit libertas per se, & ratione sui causa erit, & prior natura propriè; non autem alia quibus per se, & ratione sui non competit libertas, & indifferentia coniunctionis, vel non coniunctionis cum effectu, sed potius opposita determinatio, & coniunctio cum illo. Dices quatenus est ex se duo habere creata agentia, quia creata sunt: & determinationé ad effectus suos, & dependentiã à causa prima essentialiter libera: ac proinde quatenus est ex se mediatè etiã esse libera in operãdo ratione cõcursus liberi causæ primæ quẽ sua natura exposcunt. Cõtra: quia causæ creatæ quatenus est ex se non exigũt concursum causæ primæ vt liberum, licet ex perfectione operantis causæ primæ liber illius concursus sit. Patet: quia causæ creatæ exigunt concursum causæ primæ, quia insufficientes, & partiales causæ natura sua sunt: sed earum insufficientia, & partialitas non completur libertate causæ primæ, qua libera est, sed qua est potens, & influens, siue eius virtute, & influxu: ergo non exigunt concursum causæ primæ, vt liberum. Sed ad impugnationem primæ solutionis tedeamus. Contra quintò: quidnam repugnantiæ est in eo, quod Deus aliquam entitatem produceret, quæ cum sua actione alterius productiua identificaretur: sicut plura damus, quæ cum actione, qua fiunt identificantur: vt de Angelis, atque nostris rationalibus animis vulgò existimatur. Nam causa siue creata, siue increata necessariò aliquid producens, verè influeret esse in illud, ipsíque eiusmodi productum suum esse deberet, ipsiúsque penderet influxu, atque ab ipso esset, & fieret: ergo eiusmodi causa verè & propriè causa esset effectus. Certè Aristoteles citato loco, atque alibi (scilicet quoties agit de modis prioris) prioritatem à *quo*, non valet subsistendi consequentia, non confundit cum prioritate naturæ. Quinimò huius prioritatis *à quo* non valet subsistendi consequentia exempla ponit in vniuersali, & particularibus: solúmque docet quandoque hanc etiam prioritatem in causis inueniri simul cum prioritate naturæ, seu prioritate à quo, & vnde est actio, & motus, in quo essentiam causæ efficientis posuit, vt num.1. ex ipso referebamus. Et quidem si in eo prioritas causæ, huiúsque stricta ratio, ac posterioritas naturæ effectus propriè talis ab Aristotele poneretur, vel ab alio admittatur, in causis, explorato causis, nec causæ ratio, nec naturæ priolitas, neque in earum effectibus ratio propriè causati, & naturæ posterioritas inuenietur. Siquidem in causis omnibus non requisitis essentialiter ad effectus æque non valet subsistendi consequentia ab effectu ad causam, atque à causa ad effectum. Siquidem effectus eiusmodi sine causa, à qua de facto procedit, potest subsistere: cum ab aliis causis existere possit.

7 Noster Suarez 12.Metaph.sect.2.n.16.& 2.de Trinit. cap.2.num.7.respondet ex Sancto Bonauent.& S.Thom. in 1.d.29.q.1. art.1. causam esse, quæ influit esse in aliud, ast Pater non influit esse in Filium, tanquam in aliud: tum, quia esse Filij, seu essentia non producitur in Filio, cum sit à se, atque in omnibus Personis improducta: tum, quia ideo Filius aliud à Patre non est, sed solum alius, vt dogma Theologicum affirmat. Contra primò: quia in huius sententia personalitates sunt ens, & aliquid, veróque influxu per processiones producuntur: Ergo Pater processione generatiua influit esse in aliquod, quod aliud est à sua personalitate. Nec valet non influere esse naturæ: nam recurrunt ea omnia, quæ

quæ contra nostrum Erice dicebamus certam.1.num.3. agentes de dependentia Personæ procedentis à producente. Addo non solum auferri ex hac doctrina veram rationem causæ à natura substantiali suam subsistentiam iuxta Suar. producente, sed ab omnibus causis, quibus aliquod accidens producitur, cum ea productione, & causalitate substantialis natura non influatur, neque aliud producatur in eo sensu. Hinc impugnatur secundum, quod adddit Suarij ratio. Nempe, Patrem non influere esse in aliud neutrè, sed in alium masculinè, dum Filium producit (cuius oppositum si rationem entis, siue entitatis formaliter habeant personalitates ostendam d.6.q.1.) quia calefactio ab igne proueniens in lignum non influit esse in aliud: nam lignum, qua calidum, alius solum accidentaliter est, siue aliud adiectiuè solum ab igne calefaciente, & tamen vere est causa calidi, vt calidi: ergo, licet personalitas, quam Pater producit in Filio non constituat Filium aliud substantialiter à Patre, sed solummodo alium, Filius, qua Persona, & Filius est, verè causabitur à Patre. Contra secundò: quia, si subsistentia creata extrinsecus produceretur à Deo, non influeret iuxta hanc Doctrinam Deus esse in aliud productum; ac proinde in sententia Suar. Deus illius causa non esset propriè, neque ipsa propriè à Deo causata. Suam hanc causæ efficientis definitionem cassè satis deducere conatur Suar. ex Arist. Sed cum neque Philosophus vllus distinctionem subsistentiæ à natura cognouerit (quippè quæ Incarnationis, & Trinitatis reuelatione Christianis primum innotuit) nihil sanè ex illo idoneum desumi potest ad hanc definitionem causæ, & distinctionem nominis alius, & aliud neutrè, seu masculinè sumpti, præsertim cum efficientis definitiones locis datis & lib. de somno, & vigilia per ordinem ad actionem, non autem ad terminum constanter Arist. tradiderit.

8 Denique respondetur à pluribus ad rationem propriam causæ requiri, quod terminus ab illa productus adæquatè, & secundum se totum diuersus ab illa sit: sicut supra ad rationem rigorosæ dependentiæ requirebant nonnulli cert.1.relati; in terminis autem diuinarum processionum nusquam reperitur: cum Personæ per illas procedentes à producentibus adæquatè non differant, cum quibus communem, & eandem habent essentiam, & Deitatem. Contra tamen: quia præter dicta cert. 1. partes præexistentes in viuente sunt causæ partium viuentis acquisitarum per nutritionem, à quibus tamen in homine, cuius anima indiuisibilis est, adæquatè non differunt, cum eadem in vtraque parte anima inueniatur, atque vtramque partem informet. Id quod fortasse etiam in brutis, seu animantibus perfectioribus contingit, quia animalium perfectorum animas indiuisibiles esse satis probabiliter, & communiter à Philosophis asseritur.

Certamen IV.

Propriæ, & germanæ, pro hac veritate rationis vindicatio.

1 Genuina igitur ratio, ob quam, neque Personæ producentes causæ strictè procedentium sint, neque procedentes propriè causentur ex principiis nostris valde est procliuis. Etenim propria, & rigorosa causa, & causalitas respectu proprij effectus ad esse, siue existentiam effectus terminantur: sed influxus Personæ producentis, qua influxus, & quasi causalitas est, non terminatur ad esse Personæ procedentis: ergo neque hæc est propriè causata, & effectus, neque illa rigorosè causa respectu huius. Maior ex terminis nota est: atque inductione per omnes causas, quæ causæ, absque lite, sunt, facta sufficienter demonstratur. Minor est clara in nostra doctrina sæpius data, & repetita cert.1. num.5. quia tota existentia, & entitas, totúmque esse Filij est essentia, & natura: cum personalitates ratione sui, & formaliter sumptæ de se entitatem, existentiam, atque esse non habeant: atqui essentiæ, & naturæ non attingitur processione, qua influxus est, sed solum, qua est communicatio: ergo eo influxu Pater non dat esse Filio, neque ad esse Filij influxus ille terminatur, siue secundum se totum, siue ratione partis ipsius esse, nempe personalitatis Filij, quæ neque partiale Filij esse est. Et quidem parum inuitus in hanc traheretur rationem S.Thomas in 1.d.29. quæst.1. art.1. cuius tamen hæc, & alia loca, ac mentem rimabimur ex professo d.6.vbi de his quæ muitiplicantur in diuinis disputabimus. Item Patres, qui ex eo, quod eadem essentia, quæ in producentibus in procedentibus fit, rationem causæ, & causari à diuinis personis reiiciebant citati cert.1.

2 Obiicies: processio, quatenus influxus, non terminatur ad esse, seu existentiam, & entitatem Personæ: ergo nihil ponit in Persona, qua influxus est: ergo neque aliquid eo influxu procedit; ac proinde, neque est processio: quare dum causalitatem propriam, quam tot Patres admittunt, à processione, eiúsque influxu distungimus processiones, quas nullus Catholicus negat, à diuinis Personis relegamus. Respondetur distinguendo consequentiam: qua influxus præcisè est concedo consequentiam; qua influxus realiter est nego consequentiam: & nego inde tolli processiones. Nam processio realiter, & secundum se totam sumpta est communicatio, & influxus simul omnium opinione, ita, vt influxus sine communicatione, & communicatio sine influxu in diuinis omnium sententia fit impossibilis. Vnde, licet, qua influxus præcisè, non terminetur ad aliquid, tamen, qua communicatio, & influxus ad aliquid terminatur: cum sic terminetur ad personalitatem, & naturam: quare, qua processio, quæ vtramque claudit formalitatem terminum habet realem, scilicet Personam ex personalitate, & essentia conflatam. Nec valet: ergo essentia seu natura procedit. Nam, vt procederet, opus esset, vt vtramque formalitatem influxus, & communicationis terminaret, cum vtramque dicat processio. Instabis: ergo neque personalitas procedit, siquidem ipsa non terminat communicationem. Concedo consequentiam de personalitate præcisa: sola enim Persona procedit, non personalitas præcisa. Instabis secundò: Personalitas, metaphysicè saltem, est terminus formalis influxus, qua influxus formaliter est: & tamen metaphysicè sumpta non est aliquid: atqui neque metaphysicè intelligi potest influxus in id, quod non est aliquid, seu quod est nihil: ergo in eo coniuncto non est vera ratio formalis, & metaphysica influxus: ergo neque est in diuinis vera processio. Respondetur distinguendo minorem: in id, quod non est aliquid adiectiuè adhuc, seu, quod est nihil, id est, repugnans, & impossibile in se non potest esse influxus, est verum; in id, quod non est aliquid substantiuè, siue est nihil formaliter, & præcisè sumptum, est falsum: personalitas autem, licèt formaliter ens, aut aliquid non sit substantiuè, non tamen est nihil abiectiuè, seu repugnans, sed, quod possit existere, existátque de facto per entitatem, & existentiam essentiæ, cum qua realiter identificatur.

3 Oppones secundò: ergo causæ creatæ causæ non sunt in nostra doctrina. Probatur: quia prædicata differentialia effectus creati, & contractiua entis formaliter, & præcisè sumpti non sunt formaliter ens in nostra opinione de vniuoca, & adæquata abstractione entis à suis differentiis; sed causæ creatæ solum concurrunt ad prædicta differentialia effectuum suorum: ergo non ad rationem entis, seu ad esse illorum. Tum sic: sed influxus, qui formaliter non terminerur ad esse, seu existentiam effectus, non est influxus rigorosæ causæ, propriéve causalis per nos: ergo influxus, quatenus à causis creatis est, propriè causalis non est, neque causæ rigorosæ, & strictæ propriùs. Minor prima probatur, primò ex S.Thoma opusc.de ente, & essentia, ac sæpius alibi docente influxum diuinum, qua diuinum, terminari ad prædicatum entis in effectibus, quos in consortio

fortio causarum naturalium operatur Deus : atqui ad illud prædicatum entis est sufficiens influxus, qua à Deo prouenit: ergo non attingit illud prædicatum entis actio, qua à causa creata procedit. Probatur secundò ratione eadem minor : quia causæ creatæ eatenus ad effectus edendos admittuntur, quatenus aliquod effectus prædicatum ipsis respondet : sic potentiam visuam ad causandam visionem admittimus, quatenus effecta visio actus vitalis est, eiúsque vitalitas vtilitati visuæ potentiæ respondet : species item ad eandem visionem vocatur, quatenus visio talis obiecti repræsentatio est, quod prædicatum speciei respondet, non potentiæ : ergo causæ creatæ sua actione formaliter solum attingunt prædicata differentialia effectus, non autem prædicatum entis, quod satis Dei potentiæ respondet. Respondetur negando consequentiam, & minorem probationis. Ad Sancti Thomæ testimonium dicito, illam appropriationem productionis entis Deo fieri ob proportionem vniuersalitatis Dei in causando, & entis in essendo; non autem ob particularitatem influxus Dei in illud prædicatum : quia scilicet vniuersaliori causæ prædicatum vniuersalius respondere debet, non particulare, si proportio vniuersalitatis attendenda sit : maximè, cum non sit à se determinatus Deus ad speciale genus entis efficiendum, sed à causis secundis determinetur, quotiescumque eum eis operatur.

4 Ad rationis probationem dicito : in Deo sufficientem virtutem esse ad agendum non solum prædicatum entis, sed omnia etiam differentialia prædicata effectus ; ast non vti tota sua virtute in simultaneo concursu cum causis creatis, sed ea solum, qua creatæ causæ opus habent : ac proinde cum eis partitur omnino, & effectum, & actionem ad omnia illius prædicata terminatam. Ad secundam probationem minoris respondetur : aliud esse vnde dignoscimus, an in causis sit virtus ad effectus edendos, ánque sint, vt causæ, ad illos aduocandæ, aliud, ad quid illorum concurrant. Primum dignoscimus ex vno, vel altero prædicato effectus respondente causis, sed non inde infertur ad illud solum concurrere vnamquamque : concurrunt enim omnes simul ad omnia prædicata. Imò, cum in quauis causa prædicatum entis sit, in causis omnibus, & singulis ad prædicatum entis virtus erit : quare ratione illius nulla causa à causando reiici poterit : sicut neque admitti ad consortium alterius, quæ dubio procul, sicut entis rationem in se habet, ita, & virtutem ad prædicatum entis ponendum in effectu. Solum igitur eiici, vel admitti possunt causæ creatæ ad consortium operationis cum aliis ratione alterius formalitatis habente in effectu producendæ : cui, si nihil in entitate, de cuius virtute dubitatur, respondeat, abiicienda à causandi consortio erit; sin autem respondeat aliquid, admittenda erit ad effectus operationem. Ad omnia igitur concurrunt prædicata effectus creatæ causæ, sicut, & in creata, licet ratione subordinationis illarum concursum Dei, ad omnia etiam, expectent. Et quidem ad omnia prædicata effectus, etiam existentiæ, & entitatis causas creatas concurrere probatur, Primò : quia eadem actione, quæ nullatenus præcisiua est effectum cum Deo attingunt. Secundò : quia totam entitatem effectus, & actionis exigunt à Deo, atque in denegatione existentiæ, effectus, & actionis violentia ipsis inferretur : atqui exigunt intrinsea virtute, & potentia sua : ergo virtus intrinseca, & potentia causarum creatarum est, ad existentiam effectus, & actionis : ergo cum Deus ipsis annuit, ad existentiam formalissimè concurrunt, ipsámque influunt in effectum. [Quod secus habet in Personis producentibus respectu procedentium, vt diximus.

CERTAMEN V.

Eadem veritas ab Hæreticorum tricis extricatur.

1 HÆretici Personas procedentes peiori sensu causatas à producentibus deliranr. Nempe, vt procedentes factæ à producentibus, ac demum creaturæ sint. Id quod ex variis Scripturæ locis eruere conantur. Contra eorum errorem agemus q. 4. Nonnullis autem argumentis, quibus rigorosè causari à producentibus Personis contendunt pro exacta præsentis quæstionis tractatione, occurrere satis fuerit opportunum. Sic igitur arguunt. Quidquid verè creatur, & fit verè, & rigorosè causatur, vt arguebamus cert. 2. n. 5. Sed Filius eterna generatione creatur, & fit: ergo æterna generatione rigorosè causatur. Minor probatur ex Prouerb. 8. *Dominus creauit me.* Ecclesiast. 1. *Prior omnium creata est sapientia.* & 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* & inferius : *Qui creauit me, requieuit*, &c. & Ioann. 1. *Post me venturus est, qui ante me factus est*, æterna generatione, nam temporali Ioanne erat Christus posterior. Primis autem duobus locis de Sapientia genita, seu Filio æterno sermonem esse concors est Patrum sententia. Præcipuæ Hieronymi expositione Psalmi 89. & epist. ad Cyprian. & ad Ephes. 2. & 5. & lib. 2. in Michæam init. Basil. 2. contr. Eunom. sub med. vbi respondent in Hæbreo non esse vocem, *creauit*, sed possedit, vt legit vulgatus noster Prouerb. 8. Hebræus autem habet, *Adonai Canani*. Epiphan. hæres. 69. à col. 16. & vers. med. Ancorati respondet vocem *Canani* significare, non quidem creare ; sed *ad instar pulli excludere*, seu, quod idem aliquando apud Latinos valet, *excudere*, vt in aliquibus Epiphanij exemplaribus legitur. Sed certè in locis Ecclesiasticis 1. & 24. quæ Græca ex Hebræo fecit IESVS, *Sirac*, habetur in Hebræo verbum creandi: vnde cum Ecclesiasticus, præsertim, dum Sapientiam laudat, sit imitatio libri Prouerbiorum, vero similius est, ibi etiam vocem Hebræam inter alia creationem significare. Hinc etiam præoccupata manet solutio Dionys. Romani apud Athanas. de decretis Nicænæ Synod. Longè à med. scilicet : Prouerb. 8. in Græco legi *Ectise* id est *perficere*, vt creatorum scilicet omnium initium esset: sicut ad Colossens. 1. Filius dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*: quia videlicet iuxta Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.*

2 In eum ferè sensum Nazianz. orat. 49. de fide vers. med. Gregor Bætic. de Trinit vers. fin. admitti posse aiunt verbum creandi rigorosè, non formaliter, & in se, id est, vt creari passiuè in se dicatur Filius; sed actiuè, vt ad creanda omnia procedere Verbum significetur. Quemadmodum sæpè in Psalm. Deus dicitur *factus in salutem, in refugium : adiutor*, &c. vt idcirco Prouerb. 8. additum videatur ad illud : *creauit me*, illud etiam : *in initio viarum suarum*, siue, vt alij legunt *initium viarum suarum*, id est operum suorum. In quam interpretationem incidit Origen. 1. Periarchon cap. 2. dum creatam Sapientiam ait, *quatenus continet, & præformat in semetipsa, vel initia, vel formas, vel species creaturarum.* Sed verò, licet hæc in locum Prouerbiorum quadrent, ast in alia Ecclesiast. loca non ita conueniunt : in quibus sine respectu ad creaturas Sapientia ab initio creata passiuè, & in se dicitur *creata sunt*, & *qui creauit me.* Contra secundò : quia ex his locis æterna Filij, & Sapientiæ genitæ processio, & generatio à Patribus vbique probatur, vt patet ex anathematè lato ab Episcopis Orientalibus can. 5. apud Hilar. lib. de Synod. col. 8. contra eos, qui Verbum *creauit* citatis locis negauerint idem valere quod *genuit.* Quo etiam pacto illud Prouerb. 8. legit Eutarius Papa epist. 1. ad Episcop. Africæ : *Qui genuit me requieuit*, &c. Patet etiam ex S. Thom. eiúsque Interpretibus 1. p. q. 41. art. 3. fine, & 4. contr. Gent. cap. 8. circa finem, Lira

Eccle siast

Ecclesiast. 1. Iansenio prouerb. 8. Pererio 1. in Genes. d. vlt. ante med. Salmerone tom. 2. de Verbo tract. 9. argum. 6. Bellarmino tom. 1. libro 1. de Christo, cap. 18. aliisque Patribus datis quæstione 2. cert. 2. dandisque hîc numero 7. Idcirco, licet eum sensum actiuæ creationis citata loco admittant, ast passiuæ creationis sensum ab illis excludere non possumus : præsertim, cum præsentis difficultatis sedes solutio facilior.

3 Respondetur, ergo prædicta loca, cum ex Prouerbialibus sint, in quibus parabolicus sermo, & figuratæ locutiones pro Rhetorico orationis splendore sæpe inducuntur, ex proprietate verborum, quam figurata locutio non seruat, minime vrgere : vti ad rem præsentem obseruarunt Athanas. orat. 3. contr. Arrian. post. med. Basil. 2. contr. Eunom. post med. Epiphan. hæres. 69. col. 16. Cyrill. Alex. 5. Thesaur. capite 4. & 6. Quæ solutio, tunc in primis locum habet, cum in figurata locutione vtilitas aliqua ad maiorem, & perfectiorem rei, de qua agitur, explicationem inuenitur, vt in re præsenti contingere iam ostendo. Idcirco verbum *creauit* eis locis idem valere atque *genuit* præter datos proximè Patres docent Alexand. Alexandr. epist. ad Alex. Constantinopol. col. 4. Tertull. capite 7. & sequentib. Hilar. 3. de Trinit. col. 2. Et quidem ex variis vocis Hæbraicæ interpretationibus constat illam non rigorosam solum creationem significare ; sed ea omnia, quæ hactenus ex Patribus retulimus. Ex contextu autem constat tantundem valere, ac Verbi generationem, conceptionem, & natiuitatem, non autem rigorosam effectionem : Nam prouerb. 8. dicitur, *Antequam quidquam faceret à principio*: ergo ipsa Sapientia genita facta non est, cum ante se condita ipsa esse non possit. Et rursus: *nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Vbi vox *concepta* respondet voci *creata* quæ obiicitur. Atque iterum : *ante omnes colles ego parturiebar.* & Ecclesiast. 24. *Ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam :* ergo ipsa creatura, seu creata non est, sed genita; alioqui, si creatura esset, ante se ipsam genita esset, quod est implicatorium

4 Cordato autem, diuinóque planè consilio effectum est, vt Filij generatio vocibus traderetur, quæ creationem etiam inter alia significarent. Cum enim creatæ voces generationis, conceptionis, natiuitatis, rerum creatarum sint, ac proinde imperfectiones aliquot mutationis, passionísque in rigorosa significatione importent: vtà diuina, & perfectissima generatione eiusmodi imperfectiones mente relegaremus voce *creationis*, in qua nulla passio, mutatióque terminorum intercedit corrigi, & temperari debuerunt. Sicut, & creationis vox, quæ in sua rigida significatione diuisionem, distinctionémque, naturam inter principium creans, & terminum creatum denotat, conceptionis, generationísque vocibus, quæ coniunctionem in natura geniti, & concepti cum principio generante, & concipiente, diuino etiam consilio, fuit emollita : vt acutè ad rem nostram obseruat Hilar. libro de Synod. col. 8. explicans relatum canonem 5. Orientalium, aliis etiam, sed his demum aureis verbis : *Perfectæ natiuitatis intelligentiam creationis, & generationis attulit sermo : cum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est.* Responderi secundò potest ex Dionys. Alexand. apud Athanasium epist. de sententia Dionysij, quam ipse sequitur, longè à medio, nempe : Filium, quia dicitur à Patre, vt Verbum ipsius eleganter creatum, factúmve dici posse : sicut, quicumque loquitur, aut dicit apud Latinos, & Græcos verba dicitur facere. Sicille inquit: *Græci Sapientes se se suarum verborum, quorum parentes, genitoréque sunt factores appellant.*

5 Non committam, vt aliam explicationem eruditissimi nostri Ruiz (cui & præcedentes obseruationes debemus) d. 96. sect. 4. silentio præteream. Nempe creationem, & factionem, quando ad res præexistentes refertur earum, ad nouum munus destinationem, & translationem significare, non autem earum in se productionem: vt notarunt Hironym. ad Ephes. 2. Cyrill. 5. thesaur. à

c. 4. ad 8. sic plasm. 50. dicitur : *cor mundum crea in me Deus.* Atque aliàs sæpe de Deo, *factus est mihi in salutem* ad Ephes. 2. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis.* Hoc sensu Sapientia, in se genita, creata dici potest, & facta, vel, quatenus nouum esse hominis induit, iuxta id Ioann. 1. *Verbum caro factum est*: vel, quatenus hominibus, & Angelis per Sapientiæ creatæ productionem communicatur, vel eiusmodi communicatione destinatur. Priori modo ea loca exponunt Concil. Nicæn. lib. 2. responsionibus ad Arrium, & Eusebium Pamphilij. Athanasius orat. 1. contr. Arrian. longè à med. orat. 5. post med. de decretis Nicænæ Synod. contra Arrium vers. med. Dialogo, 1. de Trinit. contra Anomæum pag. 8. & compend. de Spiritu S. circa finem, Nazianz. orat. 36. 4. de Theolog. Nyssen. de different. ad Simplicium lógè ab init. & in fragmentis sub titulo Dauidis, & Iob, & Zacharias, Basil. lib. 4. contra Eunom. pag. penult. & epist. 141. ad Cœsarian. sub med. Chrysost. serm. de S. Trinit. post med. Cyrill. Alex. vbi proximè, & 4. dialogor. longè à med. Epiphan. hæres. 69. col. 16 & Ancorato longè ab init. Greg. Bætic. de Trinit. vers. fin. Damasc. 4. de fide c. 19. longè ab init. Hilar. 12. de Trinit. longè à med. August. 1. de Trinit. c. 12. & lib. 7. c. 4. init. Hieronym. supra, Fulgent. ad 3. obiectionem Arrianor. Ambros. 1. de fide ad Gratian. cap. 7. sub init. & lib. 3. c. 4. & 5. post med. ac 2. de Spiritu S. c. 8. Concil. Hispalens. 2. act. 13. col. 1. & penult. Glossa in 1. & 24. Ecclesiast. S. Thom. 1. q. 41. art. 3. & 4. aliíque Patres apud citatum Ruiz. Secundo autem modo ea loca explicant Nazianz. & Epiphan. citati, & August. 7. de Trinit. c. 2. Concil. Nicæn. vbi proxime §. *quid profunda*, & §. *si mundus*, S. Thom. citatus, & alij apud eundem Ruiz. Nec. refert creationem hanc conuenire ab æterno Sapientiæ genitæ, atque ideo ante mundi constitutionem Deo fabricanti adstitisse dici, quando adhuc, neque Incarnatio erat, nec diuina Sapientia à creaturis participabatur. Etenim vt bene Athanas. & S. Thom. licet non fuerint hæc ab æterno executa, & existentia in se, fuere tamen in Dei decreto, & præuisione. Deinde omnia præcessit dignitate Dei Sapientia, vt pote omnium caput, author, creatorque. Hoc etiam pacto explicandum venit illud: *post me venit, qui ante me factus est.* Ex sententia communi Augustini, Theophilacti, Chrysostomi ad eum locum, & hom. 1. ad Hebræ. 1. circa morale, Ambros. 3. de fide capite 5. sub init. Dicta autem hæc omnia ita à Deo sunt, vt intellectus noster duas in eadem Persona naturas pro plena mysterij Incarnationis intelligentia indagaret.

6 Obiiciunt secundò illud Actorum 2. *Dominum, & Christum ipsum fecit Deus.* ad Hebræ. 1. *Tanto melior Angelis effectus.* & capite 3. *Pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Pro quo Patres aliqui : *creauit illum.* Respondetur tamen facilè : Hæc loca verificari de Christo, & Filio, vel quatenus homo est, vel quatenus assumptus est ad Redemptionis, & Pontificatus munus, vt supra dicebamus. Quo sensu factus esse Deus etiam dicitur 1. Paralip. 17. *Tu Domine factus es Deus eius*, & Exod. 15. *Adiutor, & protector factus est mihi in salutem.* Sic ea loca exponunt Athanas. orat. 2. contr. Arrian. vers. fin. & orat. 3. col. 9. Basil. 2. contra Eunom. pag. 1. & libro 4. pagina vlt. & epist. 141. ad Cæsarian. sub med. Nazianz. orat. 36. 4. de Theolog. col. 2. Chrysost. supra, & homil. in acta circa morale, & hom. 2. in caput 1. Ioann. circa med. Grægor. Bœtic. de Trinit. vers. fin. §. *Inter cætera*, Ambros. supra, & 1. de fide ad Gratian. capite 7. ac de obitu Satyri fratris, Cyrill. Alex. 8. thes. capite 2. longè ab init. & libro 9. capite 2. & 3. Alcuinus 2. de Trinitate. Háncque ipsam expositionem videtur ipse Apostolus tradidisse ad Hebræ. 5. (id est constituere iuxta Ambros. & Theodoret. col. Cyrill. vlt. loco, Epiphan. hæres. 69. circa medium, Chrysost. hom. 5. ad Hebræ. col. 3. & serm. de Trinit. longè à med.) *Sed qui locutus est ad eũ, Filius meus es tu.* Ea verò expositio nó Latinè solũ, sed Hispanè admitti debet. Siquidé vtraque lingua eos, quos ad dignitatẽ, munúsque aliquod homines prouehũt tribunos, Duces, vel Cardinales *facere*, & *creare* dicuntur;

ficque à Rege promotos, *Echuras y criaturas del Rey*, appellare solemus. Denique *facere* in scriptura idem fæpe quod *iudicare, pronuntiare*, aut *declarare* valet. Id quod eggregiè ad rem præsentem notarunt Athanas. orat. 3. contr. Arrian. pag. 9. Cyrill. 9. thesaur. c. 3. ex illo Ioann. 8. *Quem te ipsum facis?* & c. 5. *æqualem se faciens Deo.* Aliisque pluribus. Sic etiam de iactabundis his panè dicimus: *Se hacen delos Godos.*

7 Denique obiicies Spiritum sanctum creari, & fieri, ac proinde, & factum, & creatum esse à Patre, & Filio, atque ab eis, vt causis rigorosè, procedere Assumptum constat ex Amos 4. *Ego Dominus formans tonitruum, & creans Spiritum.* Sed quis non videat ibi Spiritus nomine aëra intelligi? Sic omnes commentatores, & Patres intelligunt. Idcirco vulgata editio legit: *& creans ventum.* Probatur secundo ex Ioann. 1. assumptum idem: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* ergo, vel Spiritus sanctus nihil est, vel factus est per Verbum; alioqui aliquid non fuit factum per Verbum: ac proinde non omnia per ipsum facta sunt, contra Euangelium. Magna hîc lis inter expositores de earum dictionum dispunctione. Plerique punctum non immediatè post *nihil*; sed post sequentem dictionem *quod factum est*, adhibendum esse aiunt. Ita omnes fere Græci Patres, atque ex Latinis Ambros. 3. de fide c. 3. & enarratione psalmi 36. ibi dispunctionem hanc Ægyptiis, & Alexandrinis communem esse testatur: Hieronym. item ad 11. & 44. Isai. vt sit sensus *& sine ipso factum est nihil, quod factum est*: notetúrque illa omnia, quæ per Verbum facta dicuntur ex eis esse, quæ facta sunt: vt acutè observat Nazianz. orat. 37. circa n. 28. his Verbis: *Omnia quæcumque facta sunt, dicit Euangelista; non omnia simpliciter.* Iuxta quam dispunctionem aliunde probandum erat ab Hæreticis obiicientibus Spiritum sanctum factum esse, vt ex hoc loco factus per Verbum probaretur. Sed esto: ponatur punctum immediatè post *nihil*, vt volunt Aug. Tertull. Beda, atque ex Græcis Irenæus, & Cyril. Regero argumentum contra Hæreticos. Pater, & Verbum sunt aliquid: ergo facti sunt per Verbum. Negabunt meritò consequentiam: quia Pater est principium Verbi, & vterque principium omnium creaturarum: quare, & extra creata omnia esse debent. Bene: ergo illud omnia non ita laxè per vos intelligi debet; sed limitandum est ad ea, quæ creatorum principia non sint: ergo ab omnibus factis ea acceptione sumptis excluditur Spiritus sanctus, qui cum Patre, & Filio creatorum omnium principium est: sic enim testatur Psalmista supra Psalm. 32. *Verbum Domini cœli firmati sunt: & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Huic expectat Nazianz. supra, Basil. hom. 17. in Sanctum Baptisma post med. & 3. contra Eunom. circa fin. Hilar. 12. de Trinit. col. vlt.

QVÆSTIO IV.

De vltimo conceptu Trinitatis, nempe identitate Personarum in natura.

DVo impræsentiarum fidei dogmata statuenda sunt, quæ contra duos præcipuos, & Gentium, & Hæreticorum errores aduersa acie, marte autem militant non aduerso. Alterum est Patrem, Filium, & Spiritum sanctum diuinam prorsus, non creatam habere naturam. Alterum verò non habere tres diuinas naturas, sed vnicam omnino, & eandem. Et quidem de Patris diuinitate nemo directè dubitauit. Indirectè autem ij omnes eius diuinitatem oppugnant, qui ex Gentibus plures Deos asserunt, vel ex Hæreticis tres diuinas naturas pro Personarum Trinitate admittunt. Cum enim Deum vnicum fore ratio naturalis demonstret diuinitatem, quam multiplicant, disperdunt: Deúmque ab vniuerso relegant, cùm plures deos inducunt. De quo fusius, quam præsens capiat institutum, disputabamus in physicis Controu. de causa prima, & tom. 1. nostræ Theologiæ controu. 1. de Deo vno. Huius igitur quæstionis instituta est: primò, Filij, & Spiritus sancti diuinitatem adstruere: secundò, eandem indiuisámque à Patris diuinitate esse, nullatenúsque ab illa diuersam ostendere.

CERTAMEN I.

Errorum hac super re Summa

1 IN tres generales classes veterum, & recentium Hæreticorum, circa institutum præsens, errores cogi possunt. Prima eorum, qui Filio, & Spiritui sancto diuinitatem negant. Secunda eorum, qui pro Personarum numero naturas diuinas ex æquo distinguunt. Tertia eorum, qui, licet non ex æquo, partialiter tamen diuinam naturam inter tres Personas partiuntur: Ita vt diuinitas Patris generatione diuidatur, parsquè in eo seruetur potior; pars verò generatione traducatur in Filium: parsquè alia processione Spiritus sancti, vel Patre solo, vel Filio etiam de suo coferente (quorum vtrumuis ad rem præsentem refert parui) in Spiritum sanctum transmittatur. His siquidem tribus tantum modis consubstantialitas, seu identitas, vnitásque trium Personarum in natura, & essentia destrui cogitatione humana potest. Erroris primi Hæresiarca vulgò habetur Arrius sub Syluestro Papa, & Constantino Magno Imperatore Filium creaturam erixiùs, leniùs verò etiam Spiritum sanctum prædicans: quia prima erroris parte inducta de Spiritus sancti diuinitate actum omnino iudicabat. Qua astutia, & eius asseclæ Arriani vtebantur. Alioqui enim Spiritus sancti diuinitatem negabant ex ipso epist. ad Alexand. Alex. apud Epiphan. hæresi 69. & Hilar. 4. de Trinit. longè ab init. & lib. 6. col. 3. Sed, quamuis ob strenuam Arrij in eo errorem diffundendo operam illius princeps habeatur, vetustiores tamen Metangismonitæ seu Transuasantes dicti, quia Filium in Patre tanquam vas minus in maiori asserebant, eundem errorem docuerunt anno 221. sub Vrbano Papa, & Heliogabalo Imperatore apud Prateolum.

2 Acatius discipulos impia Arrij Præceptoris Doctrina, & obseruantia Arrianos solum nominari permisit. Aërius, seu Syrus Arrij discipulus, & ferè coætanus sub Liberio Papa, & Constantio Imperatore discipulos Aërianos nominauit: primúsque Filium Patri dissimilem ausus est prædicare, teste Basil. 1. contra Eunom. init. Blasphemiam hanc didicit, atque auxit. Eunom. à quo discipuli Anomæi, Anomij, & Eunomiani dicti sunt. Ab hoc dissimilitudo Filij à Patre, non in natura solum proclamata est: Filiúsque ex non existentibus esse fuit assertum: vt refert Socrates libro 6. Histor. tripartitæ capite 42. Philastrius Cathalogo 2. Hæreseon numero 21. Aërius hanc hæresim auxit appendicibus, à quo Aëriani, vt in eo Verbo testatur Damasc. de hæresibus post medium. Augustinus de hæresibus, capite 53. Macedonius, à quo Macedoniani dicti, cum filium Patre minorem in natura doceret, similem tamen Patri prædicabat: licet huius temperaturæ ad Arrij, & Eunomij hæresim adhibitæ authorem fuisse Maratonium Macedonij industria Nicomediæ Episcopum, à quo Macedoniani Maratonij etiam dicti fuere, authores sunt Nicephorus 9. Histor. capite 47. sub init. Socrates, tripartitæ capite 41. Sed tamen similitudinem hanc Macedoniani, vt Catholicorum aures demulcerent, cautiosè inducebant.

3 Eodem actu Filium Deum esse asserebant apud Athanas. dial. 3. de Sancta Trinitate contra Macedon. analogicè tamen solum. Horum voces catholicè, & piè intelligens

intelligens August. de hæresib. cap. 52. Macedonianos rectè de Patre, Filióque sensisse existimauit. Plures alias prærogatiuas creaturis omnibus maiores Verbo tribuebant. Quod scilicet Filius solus Spiritum sanctum creauerit, sicut creata omnia, vt retulimus q. 2. cert. 1. n. 2. Item, quod solius Patris fuerit vnigenitus, immutabilis, & inalterabilis apud Epiphan. hæresi 69. col. 5. sexta, & nona, & Hilar. 4. de Trinit. col. 7. & lib. 6. col. 2. Sed tamen, cum apud eundem lib. 4. col. 2. de Verbo dicat Arrius: *creatum ex nihilo* &c. & statim: *de non existentibus iussum esse subsistere.* & col. 6. *Genitum esse ex iis, quæ non erant.* Quæ repetit apud eundem lib. 6. col. 2. 3. & 4. & Epist. ad Euseb. apud Epiphan. citata col. 5. eggregiè Nazianz. orat. 49. de fide ait illis vocibus ab Arrio, & asseclis solum intelligi eas prærogatiuas intra limites creaturæ cæteris perfectioris, Deóque similioris, inferioribúsque mutationibus, & alterationibus non subiectæ. Deinde Filium ante tempora, & sæcula factum aiebant: quasi æternum dicerent; cum tamen Filio æternitatem expresè negarent: vt constat ex epist. Arrij citata apud Epiphan. hæresi 69. col. 6. apud. Hilar. 4. de Trinit. col. 7. apud Theodoret. 4. hæreticar. fabul. sub init. & 1. Histor. Ecclesiast. cap. 8. apud Athanas. epist. ad Episcop. Africanos, tom. 2. Concilij Nicæni col. antepen. quare solum ante durationem aliarum creaturarum, temporaria etiam durationem Verbum, & Filium præcessisse vocibus illis præfati Hæretici intelligebant.

4 Eandem hæresim docuit Barimandus, contra quam scripsit Idacius Hispanus tom. 4. aliàs 5. Bibliot. docuerunt posteà & Priscilianistæ, dicentes, Patrem aliquando fuisse sine Filio, tuncquè cœpisse esse Patrem quando Filium genuit: vt refert Leo Magnus epist. 93. ad Thurib. Asturic. Episcop. His accessit A. Bailardus apud Bernard. epist. 190. concedens Filio semi-potentiam, ac de Spiritu S. nulli-potentiam asserens. Idem docuerunt Donatiani, seu Donatistæ apud August. de hæresibus hæresi 69. & Apollinaris asserens Patrem maximum esse, Filium maiorem, Spiritum sanctum magnum, vt refert, & irridet Theodoret. 4. hæreticar. fabul. col. 7. licet enim de inæqualitate Personali intelligi alias posset, suo autem tempore in natura solum intelligebatur: quare contra consubstantialitatem Filij cum Patre, quam verbo tenus admittit, non sine contradictione errauit. Consensit ex parte Godscalcus Patrem plus esse, quam Filium affirmans, teste Iodoco Coccio art. 2. ex Chronico Isenacensi anno 850. Insuper Valentin. Gentilis, Trinitariorum nouorum (hæretici Germani sunt) princeps solum Patrem immensæ substantiæ, & essentiatorem, Filium autem, & Spiritum sanctum essentiatos, & circumscriptibiles cum suis asseruit. Bullengerus Zuinglij successor diuinas Personas gradu, forma, & specie differentes blasphemauit: vt referunt Vaz q. 1. p. d. 109. circa fin. ac Bellarm. infra.

5 Erasmus scholiis ad tom. 3. Epistolarum Hieronymi non patitur Arrianos hæreticos nominari: atque ad ea loca ad Roman. 9. *qui est super omnia benedictus*, & ad Philippens. 2. *Non rapinam arbitratus est*, &c. vnde Christi diuinitas, & æqualitas cum Patre à Catholicis probatur, omni arte illa eneruare contendit: quare meritò Arrianæ hæresis vehementer suspectus habetur. Nec minorem eiusdem erroris suspicionem patitur Lutherus, qui Arriana voce instrumentum Patris Filium vocat in caput 2. Genes. Sic. etiam de Philippo Melantone sentire fas est: cum Filium secundum diuinam, quam vocat, naturam obediisse Patri, eiúsque iræ cessisse affirmat sæpe: Patrísque ministrum compellat epist. ad electorem Brandemburgensem, & libro contra Stancarum. Idem ferè eisdem vocibus subiectionis Filij ad Patrem docuit Caluinus: Insuper Filium impropriè dici Creatorem, & Deum de Deo ait, quod nomen per excellentiam soli tribuit Patri: verúmque esse Valentini Gentilis dictum, quod Deus habeat vim, ideft, potentiam generandi Filium, & propagandi Spiritum sanctum, quia voluit: vnde & ipsam potentiam notionalem Patris creaturam. supra Arrianismum facere videtur, vt videat, quis, qualisquè ipse dicendus sit, dum Arrianos plenis buccis hæreticos compellat.

6 Spiritus sancti diuinitatem specialim negarunt hæretici Abstinentes (sic dicti, quod cibum cum aliis non sumerent) Arrio antiquiores sub Marcellino Papa. Diocletiano, & Maximiniano Imperatoribus apud Philastrium. Hos imitantur Caluinus, Beza, Ceruasius Anabaptista, & Georgius Blandrata; qui, licet Spiritum sanctum Patris, & Filij potentiam, & virtutem appellent, eum tamen naturæ imperfectioris prædicarunt: teste Iodoco Coccio tom. 1. lib. 1. de Sancta Trinit. art. 6. Valent. 1. p. q. 1. pun. 1. §. 4. aliisque Controuersistis. Ignominati alij hæretici apud Athanas. lib. de communi essentia, Spiritum sanctum non solum naturæ creatæ cum præfatis hæreticis, sed & accidentariæ faciebant. Quoad extremum hoc apertos sectatores habuerunt ex recentibus Nouatoribus Guillielmum, & Michaelem Seruetum, qui Spiritum sanctum Dei agitationem, & motum rebus creatis intimum, asserebant, teste Iodoco Coccio, & Valent. vbi proximè. Quoad primum autem illius erroris contra Spiritum sanctum consensit Arias, à quo sectarij dicti Airani sunt, pluréfque ex Arrianis, præsertim Valentinus antiquior, qui primis legitimam ex eo errore illationem admisit: nempe: Spiritum sanctum Filio esse minorem, imò, & Angelum esse, secum Arrianos plures trahens apud Athanas. Epist. longiori ad Serapion. cui consensit Seruetus apud Valent. citandum §. 24. col. 1. Dialogi 2. de Trinit. Vrbicus Potentinus blasphemiæ contra Spiritum sanctum princeps apud Athanas. 4. de Trinit. contra Sectatores Apollinaris, & dialog. 1. contra Macedon. aiebat ex suppositione distinctionis Spiritus sancti à Patre, & Filio creaturam necessariò fore. Sicut & Marcellus, qui extentionem diuinitatis, quam Filio concedebat Spiritui sancto negabat.

7 Eundem ferè errorem docuerunt hæretici relati contra diuinitatem Filij præsertim Macedon. apud Basil. epist. 78. apud Nazianz. orat. 37. Epiphanium hæresi 74. & apud alios Patres docens Spiritum sanctum nihil cum Patre, & Filio habere commune; sed vtriusque esse ministrum, & creaturam, Id circo Macedoniani Pneumatochi dicti sunt. Quamuis autem Verbo tenus Filio diuinitatem concederent, teste Leone Mag. serm. 4. de Natiuit. c. 5. & serm. 1. Pentec. c. 4. tamen contra eos, tanquam solius Spiritus sancti Impugnatores certatum à Patribus fuit: quia iam contra Arrianos pro Filij diuinitate fuerat ad triumphum vsque pugnatum. Consenserunt Petilianus, & Gresconius, aliique Donatistæ, & ignominati apud Cyrill. Alexand. lib. contra Anthropomorphitas, Spiritum sanctum animam primo homini inspiratam asserentes. Cæteris deteriores irridendi sunt Elquesaitæ, qui apud Epiphan. Spiritum sanctum fœminam Christi sororem per irrisionē prædicabant: ipsíque decem milliarum staturam, latitudinem autem viginti quatuor milliarum concedebant.

8 Montanus apud Basil. 2. contr. Eunom. solus dicitur contra Spiritū sanctū insaniisse. Nec immeritò, non enim cum aliis censendus est, qui cōtra Spiritus sancti diuinitatē errarut; sed cum amentibus, qui se Deum Patrem; vel Filium insanè prædicant: cum se Spiritum sanctum esse dixerit, vt testis est Nicephorus lib. 4. c. 32. Credidit Besano homini Tertullianus, vt constat ex eius lib. de Resurrectione carnis c. 11. & vlt. circa fin. & de Velandis Virginibus cap. 1. n. 6. ac de anima, capite 55. numero 613. & 1. contra Marcionem capite 29. numero 203. alibíque apud Pamel. procemio ad Paradoxa antidoto 26. cum tamen Spiritus sancti, quem Montanatum siue Montano incarnatum censebant, diuinitatem strenuè contra hæreticos propugnauerit capite 32. de præscript. ad vers. hæres. hæresi 21. atque vbiuis catholicè de Personis senserit Trinitatis. Simili dementia se Spiritum esse iactabat Matthias Stimbac. Zubingeri in theatro cap. de hæreticis, teste Coccio 1. de Sancta Trinit. art. 6. anno 1550.

9 Diuinas autem naturas ex æquo, licet non ex bono, pro Personarum pluralitate diuidunt Ademes Caryſtius, & Peraticus Euphrates; de cuius nomine Peratæ dicti ſunt; licet ex eis aliqui, vt Transuſatores, de quibus ſupra, ad Arrianam hæreſim declinarint. Peratarum errorem refert Theodoretus 1. hæreticar. Fabular. cap. 19. Eum auxiſſe videtur Ioannes Philoponus Perſonarum naturam ſpecificè ſolum communem faciens apud Nicephor. 18. Hiſtor. cap. 47. poſt med. & 48. init. Ex eo verò auxerunt Seueritæ, ſeu Theodotiani, aliter Tritheitæ, ſeu Tetraditæ apud Nicephor. ſupra cap. 49. à med. & 50. init. quos notaſſe videtur Dionyſ. Roman. apud Athanaſ. epiſt. de decretis Nicænæ Synodi. Auxit & Clericus Gallus apud Anſelm. de Incarnat. Verbi cap. 1. & 3. & Abbas Ioachimus, vt refertur cap. *damnamus* de Summ. Trinit. licet hi voluntate, potentia, & concordia vnum eſſe tres Perſonas aſſererent, ſicut vnus populus multi homines ſunt. Ex Iunioribus Hæreticis idem docuerunt noui Trinitarij, ſeu Tritheiſtæ apud Genebrardum 2. de Trinit. longè ante med. Eraſmus naturæ identitatem oppugnat 1. Ioann. 5, omittens illud: *Et hi tres vnum ſunt.* Quod, licet poſtea editione alia reſtituerit, rurſus expunxit, ſicut & illud: *Ego, & Pater vnum ſumus.* apud Salmeron. d. 33. ad eum locum. Inſuper vocem *homouſion*, inutiliter à Patribus tanto labore propugnatam dolet apud Catherinum tract. de Concept. Eraſmo ſimilis Lutherus lib. contra Iacobum Latomum ait: *Anima mea odit hoc Verbum (homouſion:)* atque, *hi tres vnum ſunt* abraſit ex Ioanne: ſicut, & ex Germanorum Litaniis illud: *Sancta Trinitas vnus Deus*: inſigni item mendacio affirmat vocem *homouſion* ſupectam, diſſonámque fuiſſe Hieronymo; cum tamen hic hypoſtaſis tantum vocem, non niſi ſummi Pontificis concilio receperit. Raymundus denique Lullius apud Eimericum p. 2. directorij q. 9. n. 5. ait: *Deus habet multas eſſentias.*

10 Stolidius cæteris Manichæus apud Hilar. 6. de Trinit. tertium in hac materiam errorem inuexit: afferens in Filio partem eſſe naturæ Patris. Cui videntur ſubſcripſiſſe Sabelliani ex hypotheſi pluralitatis Perſonarum: ideò enim Perſonas plures in diuinis negabant, ne naturam diuinam diuiderent, referente Athanaſio orat. contr. Gregal. Sabel. verſus med. Baſil. hom. 28. contr. Sabellian. Conſenſit Maximus apud Auguſt. 3. contra eundem, Arrius apud Epiphan. hæreſ. 69. pag. 2. Melanchthon ſcribens ſæpè: *in Filio aliquid eſſe diuinæ naturæ, & in Chriſto aliquam eſſe diuinam naturam.* Denique Theodoretus Beza in magna confeſſione Gallicana art. 2. punct. 1. eundem ſectatus errorem ait: *eſſentiam diuinam eſſe realiter, & ſecundum veritatem diſtinctam in tres Perſonas.* Exciderat memoria Marcellus apud Theodoret. 2. hæreticar. Fabular. cap. penult. afferens in Filio eſſe extenſionem diuinitatis paternæ; in Spiritu ſancto extenſionem extenſionis. Quibus verbis diuinam naturam in tribus Perſonis partitam videtur admittere.

11 Vt autem deliriis hiſce authoritatem Hæretici, præſertim Arriani, conciliarent Dionyſij Alexandri, & Origenis ſcripta in ſuas partes contra Perſonarum conſubſtantialitatem trahebant. Dionyſium ab impoſtura liberat Athanaſ. epiſt. de eius ſententia. Origenis verò authoritas hac in re nulla eſt: cum propter errores alios, aliorúmque ab ipſo iacta ſemina damnatus ab Anaſtaſio Papa fuerit, teſte Baron. tomo 2. anno 232. & à quinta Synod. generali Conſtantinopolit. column. 8. can. 11. nouæ editionis, apud Nicephor. 17. Hiſtor. cap. 27. fin. & cap. 28. apud Hieronymum Apologia aduerſus Rufinum lib. 2. epiſt. ad Auitum, cui titulus: *Quid cauendum in libris Origenis*, apud Breuiarium Liberati cap. 13. tom. 2. Concil. Atque Eccleſiarum approbatione excommunicatus fuit à Demetrio Alexandrino teſte Hieronymo citato lib. 2. Quibus de cauſis ſuſpectæ hac in re fidei habetur à Patribus pluribus apud Ruiz d. 20. ſect. 4. num. 3. quare Sanctus Thom. 1. p. quæſt. 34. art. 1. ad 1. ait: *Arrianorum ſons Origenes inuenitur*, & q. 32. art. 1. ad 1. communem eſſe Arrio cum Origene errorem affirmat. Tamen Rufinus Apologia pro Origene, Aliſque Patres apud Socratem 6. tripartitæ cap. 15. Picus Mirandulan. Apologia de hac re, Eſpencæus appendice vlt. in epiſt. ad Titum, Sixtus Senenſis annotatione 165. Genebrardus in epiſt. & collectanea præfixa operibus Origenis, nihil hunc contra Perſonarum conſubſtantialitatem ſcripſiſſe, docent. Approbant Bellarm. 1. de Chriſto cap. 10. col. 4. §. *tertiò ætatis*, Valent. in controuerſ. lib. 1. de Trinitate cap. 20. column. 2. Vaſquez 1. p. d. 109. ſub init. Ruiz vbi proximè, Baron. tom. 3. anno 344. §. *ſed neque*, retractans, quod contra Origenem hac in re indicauerat tom. 2. anno 256. verſ. fin. §. *ſanè quid.*

12 His magnam facit fidem ardor, quo Sanctus Chryſoſtom. Theotimus Scyrhiæ, & Methodius Olympi Epiſcopi, Theophilo Alexand. librorum Origenis exterminium procuranti reſtiterunt apud Nicephor. 10. Hiſt. cap. 10. vſque ad 14. & lib. 13. cap. 10. vſque ad 13. Secundò: quia, etſi de aliis damnatus fuerit Origenes, nunquam tamen de errore contra conſubſtantialitatem Perſonarum fuit damnatus. Quin ſæpè æqualitatem, & conſubſtantialitatem Perſonarum expreſsè docuit: 1. Periarchon, toto cap. 2. & cap. 3. maximè verſus med. Dialogo *de recta in Deum fide*, contra Marcioniſt. ſub init. *Verbum conſubſtantiale Patri.* ad caput 3. ad Roman. column. penultim. ait in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eſſe *integram, plenam, perfectámque ſubſtantiam, nihilque diuerſum diſcrepans, aut extraneum*, hom. 12. in cap. 21. Numeror. col. 2. *Vna ſubſtantia eſt, & natura Trinitatis.* Et quod caput eſt, hom. 2. in diuerſos, Arrianos proprio nomine confutat col. 2. 3. & 4. ex Ioann. 1. *In principio erat Verbum.* Plura alia in hanc ſententiam ſparſim dedimus ex Origene, pluráque refert Athanaſ. epiſt. de decret. Nicæn. Synodi. Quare errorem hunc Origeni ab Arrianis impoſitum, vel textum corrumpendo (vt vult Rufinus toto contextu Tomi primi & ſecundi in Ioann. accidiſſe) vel, quæ ab Origene diſputatiuè prolata ſunt aſſertiuè ponendo, & nuper citatus Athanaſ. affirmat.

CERTAMEN II.

Diuinitas Filij contra errorem Arrianum ſtatuitur.

1 FIlij diuinitatem ſpeciatim probant plura ex veteri, & nouo Teſtamento, quæ de Deo Incarnato expreſsè loquuntur. Ea verò, licet contra Patripaſſianos, qui Patrem Incarnatum fuiſſe aiebant, nec Perſonas diuinas diſcriminabant, non probent, tamen contra Arrianos, relíquóſque Sequaces, qui Patris, & Filij Perſonas cum Catholicis diuidunt, Filio tamen diuinitatem negant, efficaciter probant. Imò adiunctis, quæ quæſt. 1. à certam. 2. Patris, & Filij Perſonalem diſtinctionem euincunt, & quæ Controuerſ. de Incarnat. Verbum Filium incarnaſſe conuincent, idipſum contra Patri-paſſianos plus ſatis demonſtrant. Argumentor primò locis, quibus Chriſtus abſolutè, & ſingulariter Deus, & Dominus appellatur: nã de aliis, qui verè Deus non ſunt, vel pluraliter hæc nomina dicuntur, iuxta id pſalmi 81. *Dij eſtis vos*, vel cum addito, quod nomen Deus, vel Dominus à propria ſignificatione diſtrahi notet, ſolummodo dicuntur vt ſecundo Corint. 4. Diabolus *Deus huius ſæculi* dicitur, ad Philippenſ. 3. *Quorum Deus venter eſt. Et gloria in confeſſione ipſorum.* ac demun de Moyſe in Exodo: *Ecce conſtituite Deum Pharaonis*; Chriſto autem abſolutè, ſingulariter, ac ſine addito hæc nomine in Scriptura tribuuntur: ergo Chriſtus, ac proinde Filius æternus Deus verus eſt. Dedit integrum diſcurſum Irenæus lib. 3. cap. 2. his verbis: *Neque Dominus, neque Spiritus ſanctus, neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitiuè, & abſolutè Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus: neque Dominum appellaſſent aliquem ex ſua Perſona, niſi, qui Dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium eius.*

2 Minor

2 Minor probatur innumeris Scripturæ locis, quibus Chriſtus Deus, & Dominus abſolutè, & ſingulariter appellatur, quæ in hoc argumentum congerunt Patres, præcipuè Athanaſ. 2. de propriis Perſonis Longè à med. ex quibus pauca libabo. Exodi, 23. De Verbo Incarnato Deus ait: *Eſt nomen meum in illo*, Iſai. 45. *Ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Iſrael*: Et rurſus *Tantum in te eſt Deus, & non eſt Deus abſque te: vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator.* Pſalm. 117. *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis*, Iſai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, Quod Math. cap. 1, interpretatur *nobiſcum Deus.* Ex vtroque loco Filij diuinitatem deducunt Chryſoſt. hom. 5. in Math. & tom. 5. hom. *quod Chriſtus ſit Deus.* Cyprian. citatus, Athanaſ. orat. 4. contr. Arrian. circa med. & 3. de aſſumption. homin. col. 3. & longè à med. Cyrill. tom. 4. Actor. Concil. Nicæni, appendice 3. in ſcholio de Vnigeniti Incarnat. cap. 2. Damaſc. orat. 1. de Natiuit. Mariæ verſus med. Leo Mag. ſerm. 4. de Natiuit. cap. 1. Ricard. victor. de Emmanuele. Item Iſai. 9. dicitur, *vocabitur nomen eius Deus fortis.* Ex quo, & datis locis Filij diuinitatem colligunt Sixtus Pap. 1. epiſt. 1. Synodus Antiochena 1. profeſſ. fid. ad Paul. Antiochen. Nazianz. orat. 49. de fide longè à med. Athanaſ. orat. 3. contra Arrian. verſ. med. & epiſt. *Ego quidem*, ad Serapion, & dialog. 3. de Trinit. contra Macedon. longè ab init. Nyſſen. tom. 3. Bibliot. in Fragment. circa med. Cyrill. 4. in Iſai. orat. 2. verſ. fin. 5 in Ioann. cap. 2. poſt. med. Hilar. 4. de Trinit. verſ. fin. & 5. circa fin. Hieronym. in locum Iſai. 45. lib. 13. col. 3. Fulgent. ad 10. obiect. Arrianor. & 2. ad Traſimundum cap. 3 circa fin. Ambroſ. in 3. ad Rom. Cyprian. 2. contra Iudæos cap. 6. Idacius 3. contra Varimand. cap. 2. Domini autem nomen abſolutè, & ſingulariter de Chriſto etiam dicitur Pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, quo Chriſtus Dominus Phariſæis, Scribíſque negantibns, diuinitatem ſuam vſque ad illorum ſilentium, & ſtuporem euicit Math. 22. & Hierem. 23. de germine Dauid nempe Chriſto dicitur: *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum: Dominus iuſtus noſter.* in Hebræo *Adonai.* Et Matth. 21. ſe ipſum Chriſtus Dominum appellat illis verbis: *quia Dominus his opus habet.* Ioann. 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Dominus, & bene dicitis: ſum etenim.* Marc. 16. n. 19. *& Dominus quidem Ieſus.* Et Actor. 10. Eſſe *omnium Dominus*, dicitur Chriſtus. 1. Corint. 8. *Nobis vnus Dominus Ieſus Chriſtus.* Apoſtolus Iudas in ſua epiſt. *Solum dominatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.* Apocalipſ. 17. & 19. *Dominus Dominantium* dicitur. Vtramque appellationem ab infidelitate reſpiſcens coniunxit Thomas Ioannis 20. illis verbis: *Dominus meus, & Deus meus.*

3 Reſpondent Arriani dicta hæc fuiſſe à Thoma admiratiuè, quemadmodum vulgò dicitur ad animi admirationem oſtendendam: *Deus bone!* & Hiſpanè: *Ieſus! Dios mio!* In primis ſolutio hæc anathemate damnata eſt à quinta Synodo generali col. 8. can. 12. & à Iuſtiniano Imperatore in Edicto fidei: eamque apertæ falſitatis contextus ipſe prius damnauerat. Verba ſiquidem ad Chriſti Perſonam dirigebantur: cui alloquenti, ſuáque vulnera viſui, & tactui incredulí de Reſurrectione Diſcipuli permittenti Reſpondit Thomas, & dixit ei: *Dominus meus, & Deus meus.* fidelémque diuinitatis ſuæ acclamationem, non autem ſtupefacti clamorem eſſe illico Chriſtus Dominus teſtatus eſt dicens: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* Contra tertiò: quia in Græco originali ponitur articulus ſolis affirmationibus inſeruiens, in nullo autem interiectio *O.* quæ exclamationis nota apud Græcos, & Latinos ſemper fuit. Contra quartò: quia apertam diuinitatis Chriſti confeſſionem eo loco contineri docent paſſim Patres contra Arrianos diſputantes, Athanaſ. de humana natura ſuſcepta col. 3. epiſt. ad Epictetum col. pen ult. dialog. 4. de Trinit. contr. Appollinar. circa finem, Chryſoſt. ſerm. 3. de Trinit. longè à princip. Cyril. in Ioan. 20. lib. 12. & lib. 12. theſaur. cap. 15. & vlt. fin. Hilar. 7. de Trinit. poſt init. Auguſt. epiſt. 147. ad Paſcenti. ſub med. & tract. 121. in Ioann. Ambroſ. in Pſalm. 43. col. 6. & in Pſalm. 47. col. 2. Tertull. contra Prax. cap. 15. à med. Gregor. Mag. hom. 26. in Euangel. Leontius, Theopylact. Beda, reliquíque Patres, & Interpretes ad eum locum. Item Apocalipſis Quarto: *Dominus Deus omnipotens, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Nempè ad finale iudicium, de Chriſto etiam dicitur.

4 Probatur ſecundò ex locis, quæ Verbo, ac Chriſto diuinitatem expreſsè concedunt, recitandáque eſſent ea in primis, quæ ex Zachar. 2. & Iſaiæ 48. data à nobis fuere q. 1. cert. 2. n. 6. niſi tam ipſa, quam Patrum authoritates ex profeſſo ibi recitata forent. Iſai. 45. de Chriſto Domino dicitur: *tantum in te eſt Deus, & non eſt Deus abſque te: vere tu eſt Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator.* Ex quo loco diuinitatem Chriſti manifeſtè deducunt Patres omnes, quos duobus retro numeris recitauimus ex Ruiz d. 20. ſect. 4. n. 14. Rurſus Baruch 3. de eodem Chriſto Domino ſcribitur: *Hic eſt Deus noſter, & non eſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eam Iacob dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Ex quo, vt pote apertiſſimo teſtimonio Chriſti diuinitatem deducit Clemens Roman. epiſt. 1. ad Iacob. circa med. Concil. Nicæn. lib. 2. verſ. fin. §. *illud.* ſub finem, Chryſoſt. orat. *Quod Chriſtus ſit Deus*, col. 2. & poſt med. Baſil. 4. contr. Eunom. circa fin. Theodoret. ad eum locum. Auguſt. 18. de ciuit. cap. 33. & contr. Maximin. cap. vlt. col. penult. Gregor. Bœtic. de Trinit. poſt med. Nazianz. orat. 36. 4. de Theologia Athanaſ. diſputatione Nicæna contr. Arrium verſ. med. ac de humana natura ſuſcepta circa fin. Cyrill. tom. 4. Actor. Concil. Nicæni appendice 3. Scholio, de Vnigeniti Incarnat. cap. 2. Ambroſ. 1. de fide cap. 2. longè à med. Fulgentius vbi proximè. Euſeb. Cæſar. 6. demonſtrat. Euang. cap. 13. aliíque apud Ruiz. proximè n. 15. Adde Actor. 2. *Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Et 1. Ioann. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quia ille pro nobis animam ſuam poſuit.* Et Ioan. 1. n. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quo teſtimonio vtuntur ad diuinitatem Verbi probandam citati Patres q. 1. cert. 3. n. 1. Reſpondent Arriani apud Hilar. 7. de Trinit. longè ab init. (vbi eos refellit) Verbum dici Deum, ſicut Moyſes Deus Pharaonis dictus eſt. Contra primò: vbinam reſtrictio nominis Dei, ſicut in Moyſe, in Verbo? Contra ſecundò: quia dicitur eſſe Deus, apud quem immediatè dictum fuerat eſſe Verbum: vt contra ſecundum errorem diſputans fuſiùs, vrgentiúſque premam. Contra tertiò: quia idem Ioann. epiſt. 1. cap. 5. Deitatem, quam initio ſui Euangelij de Verbo Filio affirmauerat his verbis de Filio eodem agens veram eſſe teſtatur: *Hic eſt verus Deus.* Quo loco, tanquam ad rem hanc euidentiſſimo vtuntur Hilar. 6. de Trinitate poſt med. Hieronym. in id Iſai. 65. num. 16. *Iurabit in Deo.* Auguſtinus 1. de Trinitate cap. 6. ſub init. Cyrillus 12. theſaur. cap. 13. poſt med. Baſilius 4. contr. Eunom. circa finem. Fulgentius libro ad Traſimund. cap. 4. fine, & cap. 5. circa med. & ad 4. obiectionem Arrianor. circa finem. Athanaſius, D. Nicæn. cum Arrio verſ. med. orat. 4. contr. Arrian. poſt initium, orat. 5. longè à med. expoſitione fidei ſub init. epiſt. ad Affrican. libro de propriis Perſonis circa med. & tomo 2. orat. conciſa contra Arrian. initium, Gregor. Bœtic. de Trinit. poſt med. Beda, & Oecumen. ad eum locum. Eandémque veritatem diuinitatis Chriſti teſtatur, idem Ioannis Apocalypſis 4. illis verbis datis: *Dominus Deus omnipotens, qui eſt*, &c.

5 Inducenda præter ea ſunt plura Pauli loca, præcipuè totum caput 1. ad Hebræos vbi ex inſtituto Filij Chriſti diuinitatem ex veteri Teſtamento adſtruit. Nempe: ex Pſalm. 44. Dicens: *Ad Filium autem thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi.* Quod doctè expendunt Athanaſ. orat. 2. contra Arrian. longè à med. Synod. Antiochena 1. profeſ. fidei citata, ad Roman. 14. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim: Viuo ego dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu*: ergo quia

Christus, & Dominus, & Deus est; alioqui illud Dei dictum non adimpleretur, & si ante tribunal Christi sisteremur omnes. Ad Philippens.2. expressa est diuinitatis Christi mentio illis verbis: *Qui cum in forma Dei esset.* Nam, licet forma in Physicis significet partem vltimò constituentem compositum, atque alibi speciem formæ, & pulchritudinem, atque imaginem; in re tamen præsenti Theologicè naturam significat, vt docet ex Græcis Damasc. de decret. primæ institut. cap. 1. & 1. de fide cap. 15. longè à med. & sub fin. & cap. 11. aliàs 30. Dialect. Nazianz. orat. 11. n. 18. in id: *Exinaniuit semet ipsum.* Et orat. 52. post med. vbi & Elias Cretens. Chrysost. hom. 2. ad Hæbr. 1. col. 3. & 4. Anastas. Theopolitan. exposit. fidei circa fin. Iustinian. Imper. edicto fidei longè à med. Athanas. Dialog. 1. de S. Trinit. contra Anomœum circa fin. d. Nicæna contra Arrium post init. orat. 2. contra Arrian. post med. orat. 4. col. 5. orat. contra Gregal. Sabell. post. med. & vers. finem, & 3. de Assumpt. hominis col. 1. sæpiúsque alibi, Basil. de Spiritu S. sub init. & hom. 10. Exhameron pag. 2. Nyssenus orat. de Deit. Filij & Spiritus sancti circa med. & orat. 1. de Beatitudinibus post med. & orat. 1. in *Faciamus hominem*, col. 2. Chrysost. ferm. 7. ad eum locum init. & ferm. de Trinit. longè ab init. & circa med. Theodoret. ad eum locum & dialog. 2. inconfusus post. med. Cyrill. 3. thesaur. cap. 1. longè ab init. Euseb. 6. demonstrat. cap. 1. & 15. Ex Latinis Gregor. Bœtic. de Trinit. col. 3. & 5. vers. med. & infra, Hilar. 12. de Trinit. col. 3. & lib. 8. longè à med. & de Synodis col. 7. ad can. 3. Orientat. Ambros. 2. de fide c. 4. col. 2. & epist. 46. circa med. August. 2. contra Maximin. c. 5. & tract. 17. in Ioann. fine, Fulgent. de fide ad Petr. cap. 2. dost. med. & 3. ad Trasimund. cap. 5. & ad 3. obiect. Arrianor. longè à med. Leo Mag. ferm. de Natiuit. cap. 2. & 4. & epist. 97. ad Leonem Augustum cap. 5. circa med. Gregor. Magn. 2. Moral. c. 16. ad id: *Circuiui terram.* Bernard. ferm. super *Missus est*, longè à med. Phæbad. contra Arrian. circa finem. Marius Victorin. 1. aduersus Arrium col. 5. & versus med. & lib. 4. col. penult. Idacius Clarus 3. contr. Varimandum cap. 6. Ioann. Magent. Dialog. 1, ad Philipens. 2. sectione 2. sub. init. Author. commentarior. ad Philipp. inter opera Hieronymi. Vigilius Pap. 2. contra Eutychem col. 2. Audiendus pro hac re Basil. 1. contr. Eunom. longè à med. vbi ex contextu Pauli significationem formæ pro natura satis acutè deducit. Subdit enim Paulus: *Sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Vnde sic arguit Basil. *Sicut formam serui susceptisse, hominis substantiam Dominum susceptisse significat: sic cum in forma Dei esse dicat, diuinæ substantiæ ipsi attestatur proprietatem.* Similia docet lib. 4. sub init. Consonat Aristot. 5. Metap. cap. 8. textu 15. asserens idem esse formam, quod rei essentiam. Cuius rationem reddens S. Thomas ad Philip. 2. sectione 2. sub init. sic ait: *Quia vnumquodque dicitur in natura generis, vel speciei per suam formam.*

6 Vnde constat, quam prauè Erasmus eo loco formæ nomine opera, quæ Christi diuinitatem ostendebant, interpretetur. Accedit: quod eo loco æqualitas Filij cum Patre asseritur iuxta Patrum, & Conciliorum omnium sensum, vt videbimus contra Appollinarem d. comparat. Personar. interesse. Inde etiam confutatur expositio alia Franciſci Dauidis formæ pro imagine visibili, in qua Deus cerneretur. Ea siquidem visibilis imago, cum esset creatura, non inferret æqualitatem Filij cum Patre. Contra secundò: quia in originali habetur pro *forma* vox *Morphi*: hæc autem in sacris Litteris nunquam ponitur pro imagine, sed pro natura: vti ad rem præsentem, eúmque locum obseruabat Chrysost. ferm. 7. col. 3. vbi cúmque enim vertitur forma pro imagine ponitur in originali non *morphi*, sed *omioma*, id est similitudo, seu imago: vt Deuteron. 4. vbi vulgata legit *formam*, idest similitudinem *penitus non vidistis.* Non ignoro Patres plures, veritatis potius, quam vocis proprietatem attendentes pro forma hìc imaginem Dei perfectam, similitudinem, & effigiem omnino Patri respondentem vertisse: vt idem hìc contineatur, quod ad Hæbr. 1. illa dictione *figura substantiæ.* Verùm, cum ad perfectam Dei similitudinem, atque imaginem, quæ nimirum nullam ipsius perfectionem repræsentatione sua omittat, æqualitas in natura cum Patre requiratur, catholicam veritatem, licet aliis verbis, prædicti Patres docuerunt. Solus Ambros. in locum ad Hæbr. 1. videtur ad rationem formæ Dei, de qua hoc nostro loco Apostolus requirere miracula excitationis mortuorum &c. in commentario ad Philippens. 2. vt idcirco Commentarium illud non Ambrosij, sed suppositititium ipsi opus à Recentioribus iudicetur. Sed tamen, cum paulò ante formam Dei nihil differrè à Deo dicat, & si vlterius miracula ad rationem imaginis visibilis requirat, nihil sane impium, Ambrosióque indignum Commentarium illud docet.

7 Adde illud ad Roman. 9. *Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus.* Quod testimonium præ impia sua in Arrium pietate nenuis quibusdam enervare tentauit Erasmus, quæ, ne refutationem quidem, merentur. Eo ad rem præsentem vtuntur Synod. Antiochena, & Nicæna supra §. *quomodo*; Athanas. disputatione Nicæna cum Ario, & orat. 5. contr. Arrian. init. & orat. 2. longè à princip. & lib. de communi essent. P. tris &c. circa med. & epist. ad Epictetum col. 2. Irenæ. lib. 3. c. 13. & 18. post init. & 3. contra Iudæos c. 6. Ambros. 1. de Spiritu S. cap. 3. & 1. de fide, c. 5. sub init. Gregor. Magn. hom. 8. in Ezechiel. col. 1. Cyrill. 1. thesaur. cap. 5. sub init. Dacius 3. contra Varimandum, c. 2. Cassianus 3. de Incarnat. init. Origen. Chrysost. Theodoret. Theophylact. Ecumenius, ac reliqui Interpretes ad eum locum, Hilar. 4. de Trinit. col. penult. & Ambros. 8. longè à med. August. 2. de Trinit. cap. 13. & 3. contra Faustum cap. 3. & 6. Tertull. contr. Praxeam c. 13. fine, & c 15. à med. Cyprian. aliique Patres apud Ruiz supra n. 9. Accedit illud ad Galat. 1. vbi Apostolus de suo Euangelio ait: *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, ac Deum Patrem*: quibus eiusdem auctoritatis, quare, & deitatis æqualis Christum cum Deo Patre profitetur: cum ex æquo ab vtroque Apostolatum, & Euangelium sibi contigisse dicat. subdit enim: *Neque enim ego ab homine accepi illud, sed per reuelationem Iesu Christi*: reuelatio autem ad Euangelij firmitatem necessaria Dei esse debet: neque enim satis est, si sit cuiuscumque alterius. Deinde pro eadem veritate sic arguo. Deus solus est, qui est absolutè Exodi, 3. *Ego sum qui sum*, Iob. 3. *Ipse solus est.* 1. Regum 2. *Non est alius extra te*, ac sæpius Moyses, & Prophetæ in suis à Deo legationibus aiebant: *Qui est misit me ad vos*: atqui Christus Filius dicitur sæpe *qui est*, absolutè, Ioann. 8. *Nisi credideritis quia ego sum*, & 13. *vt credatis quia ego sum.* Apocalips. 1. & 4. & 8. *Qui est, qui erat, & qui venturus est.* Ergo Christus Filius est Deus. Sic inferunt August. tract. 38. in Ioann. c. 8. & 3. contr. Maximin. c. 26. & 2. de morib. Manichæor. c. 1. Hilar. 12. de Trinit. vers. med. ad id Ioann. 1. *In principio erat Verbum.* Phæbad. contr. Arrium longè à med. & communiter Interpretes ad ea loca. Denique in solum Deum credere, & possumus, & debemus: atqui in Christum Filium credere, & possumus, & debemus: ergo Christus Filius Deus est. Maior est certa. Minor quidem non obscurior: Ioann. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Ioann. 12. *Qui credit in me* &c. aliis quæ pluribus locis; ex quibus sic etiam deducunt August. 1. de Trinit. cap. 2. versus. fin. & tract. 54. & 67. in Ioann. Chrysost. hom. 68. & 72. Basil. 5. contr. Eunom. Cyrill. 9. in Ioann. cap. 30. Origen. contra Cels. lib. 7. & hom. 3. in Cantica, Ambros. 5. de fide c. 5. Hilar. 9. de Trinit. Leontius, Theophylact. Rupert. & Euthym. ad ea loca.

8 Ad huius certaminis calcem antiquissima Patrum, & Conciliorum de Filij diuinitate testimonia notanda saltem erunt. Eam igitur docent Iacob. Frater Domini, & S. Lucas in suis Liturgiis, reliquíque Apostoli in suis Orationibus apud Clementem Roman. 6. Constitut. Apostolicar. c. 14. fine. & lib. 8. c. 16. & 17. & à cap. 22. ad 28. Dionys. de diuin. nomin. c. 1. & 2. S. Ignatius M. Epistolis ad Magnesian. Tarsens. Philippens. Philadelphiens. Antiochen. Sixtus Pap 1. tota epist. 1. Iustin. M. exposit. rectæ fidei de Trinit. & Dialog. cum Triphon. Athenagoras legatione pro Christianis, Irenæ. lib. 3. c. 8. 10. 12. 16. 20. & lib. 4. cap. 11. & lib. 5. cap. 18. Clemens Alexand. 1. Pædag. c. 2. & 6. & lib. 3. c. vlt. Thaumat. in regula fidei cœlitus accepta apud Nyssen. orat. in ipsum, & in Tomis Concilior. Ante quintam synodum, Dionysius Roman. & Alexandrin. apud Athanas. epist. de sententia Dionysij, Fœlix Pap. 1. Nicæno Concilio antiquior epist. ad Benignũ, Synodus Antiochena 1. tota profess. fid. Symbol. Nicœnum, & Athanasij à tota Ecclesia recepta, ac denique Concilia omnia Nicæno posteriora, Ariminens. Sardicens. Constantinopolit. Ephesin. Calcedonens. & generalia 4. 5. & 6. Bracharens. ac Toletana omnia in suis fidei professionibus. Omnes item Summi Pontifices, aliíque, præter datos, Patres recitandi cert. 6. pro Filij, & Spiritus sancti consubstantialitate cum Patre, quos idcirco impræsentiarum ommittimus recitare.

Certamen III.

Spiritus Sancti diuinitas contra Vrbicum, & Asseclas de fide monstratur.

1 PRobatur conclusio ex 1. Corinth. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* & cap. 6. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Ad quæ August. epist. 66. sub init. *Quem Deum? nisi Spiritum sanctum, cuius corpora nostra dixerat esse templum?* Atque ex hoc loco & alio 1. Corint. 6. *Si autem quæ membra sunt Christi templum est Spiritus sancti, non est creatura Spiritus sanctus.* Arguebat idem August. 1. de Trinit. cap. 6. circa fin. & 1. contr. Maximin. vers. med. ait: *Noli negare Deum esse Spiritum sanctum, ne templum creaturæ facias membra Creatoris.* Quo etiam pacto argumentantur Athanas. de communi essent. Patris, &c. col. 3. & epist. 1. ad Serap. circa med. & dialog. 1. de Trinit. contr. Anom. vers. med. & d. Laodicæa circa finem, & de humana natura suscepta circa med. Basil. 3. contra Eunom. longè à med. & lib. 5. sect. 14. post. med. Chrysost. ferm. de cõsubstantiali Trinit. Epiphan. Ancorato pag. 3. Cyrill. lib. argumentorum *Quod Spiritus S. sit Deus*, col. penult. Ambros. 3. de Spiritu S. cap. 13. Fulgent. de fide ad Donatum c. 8. Probatur secundò ex 3. ad Thessalonicenses: *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.* Vnde Athanas. lib. de commun. essent. &c. col. 3. & d. Nicæna contra Arrium, atque Ambros. supra sic arguunt. Præter Christum hoc loco expressum vnus Dominus nominatur, & Deus cuius esse charitas asseritur: nam Charitas Domini, qui prædictus fuerat, non asseritur: diceretur enim relatiuè *in charitate sua*: elige ergo vocem Dei, vel Domini, vt alterutra significetur Pater: cum enim Dominus idem sit, quod Deus, relicta pro Spiritu S. qui solus in Trinit. restat, altera ex his vocibus manifestè Spiritus sanctus Deus asseritur.

2 Inducitur tertiò illud iudicum 13. de Sansone: *Cœpit Spiritus Domini esse cum eo*, &c. & 14. circa fin. *Irruit itaque in eum Spiritus Domini*, capite autem 16. dicitur: *nesciens, quod recessisset ab eo Dominus.* Vnde sic infert Athanas. supra: ergo Spiritus Domini, seu Spiritus sanctus est Dominus, siue Deus à Sansone recedens. Sic etiam colligunt Cyrill. supra versus med. Ambros. Prologo libri secundi de Spiritu S. post med. & cap. 1. & 2. Item Ioann. 4. dicitur: *Spiritus est Deus.* Quo testimonio vtuntur Athanasius disputatione Laodicens. Cum Ario circa fin. Concilium Nicæn. lib. 2. vers. fin. §. *cum sit Copiosa*, ante med. Ambros. 3. de Spiritu S. c. 11. init: vbi terribile adeò visum Ario fuisse testimonium istud, Ambrosius scribit, vt Arrianorum malitia ex vetustis Codicibus expunctum fuisse testetur. Dices Spiritus nomen commune esse tribus Personis: siquidem Spiritus illæ, non corpus sunt: vt rectè admonet Basil. lib. de Spiritu S. ad Amphilochium c. 9. & 19. sub init. fatentúrque communiter Patres: ac proinde, Patri etiam, & Filio accommodatur Threnor. 4. ad Roman. 8. Imò citato loco Ioann. sermonem de Patre esse censent Basil. citatus & 2. contr. Eunom. circa med. Cyrill. Hierosolim. Anasthas. Synair. aliíque Patres, suadétque contextus: ergo nilil ex eo loco concluditur. Verùm iidem Patres nomen Spiritus ex æquo competere tribus Personis, peculiariter autem secundum totam perfectionem, qua Patri, & Filio competit Spiritui sancto conuenire docent: ergo si Spiritui, qui Pater est, ex eo loco competit diuinitas, Spiritui etiam, qui Spiritus sanctus est, diuinitas competet: cum ratio Spiritus tribus Personis communis sit, & æqualis.

3 Inducitur quartò illud Petri ad Ananiam Actor. 5. *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? Non es mentibus hominibus, sed Deo.* Quid clarius? Idcirco hoc testimonio vtuntur fere omnes, & præcipui Ecclesiæ Patres, Athanas. supra. & 7. ad Theophill. de processu regulæ Catholicæ longè à med. Nyssenus orat. de Deit. Filij, & Spirit. S. fine, Chrysost. supra, Basil. citata sect. 14. & de Spiritu S. cap. 16. Nazianz. orat. 37. 5. de Theol. col. penult. Epiphan. supra, Cyrill. Alex. citato libro argumentor. Longè à med. & 13. thesaur. c. 2. med. Hieronymus q. 9. ad Hebebiam, & in caput 36. Isai. August. 3. contra Maximin. c. 21. circa med. & tom. 9. ferm. de tempore Barbarico sub init. Idacius Hispanus contra Varimand. Victor, in ratione fidei ad Hundricum, & 2. de persecutione, c. 8. Hugo, Beda, Glossa, ac reliqui Interpretes ad eum locum. Quintò Spiritui Sancto tribuitur immensitas in scriptura: atqui immensitas propria est Dei, vt patet: ergo Spiritus Sanctus est Deus. Maior est Psalmi 138. *Quo ibo à Spiritu tuo? &c. Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris*, &c. & Sap. 1. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum.* Atque in Symbolo: *Immensus Spiritus sanctus.* Sic etiam arguunt Athanas. de natura humana suscepta, fine, de communi essent. circa med. de Spiritu S. epistola, admirabere, ad Serapion. post med. Dialog. 1. cont. Anom. col. penult. & 5. de vnita substantia Trinit. circa fin. Basil. contr. Eunom. sect. 14. citata med. & 16. sub init. & hom. 17. in Sanctum Baptisma longè à med. Cyrill. citato lib. argumentor. circa med. & 13. thesaur. c. 2. & 9. in Ioann. c. 40. post init. Ambros. 1. de Spiritu S. c. 7. August. 3. cont. Maximin. c. 21. med. & 2. de Trinit. c. 5. Fulgent. de fide, ad Donatum c. 8.

4 Sextò soli Deo competit bonitas absolutè Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Atqui Spiritus sanctus bonus absolutè, & simpliciter est, vt constat ex Psalm. 142 *Spiritus tuus bonus deducet me.* Ergo Spiritus sanctus est Deus. Tetigit discursum Dionys. 2. de diuin. nomin. sub init. expendit verò Athanas. de natura humana suscepta post med. Septimò: qui loquitur per Prophetas Deus est; vnde Prophetæ passim: *Hæc dicit Dominus*, Lucæ 1. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.* 1. Corinth. 14. num. 25. de Prophetis repertis: *Cadens in faciem adorabit eum, pronuntians, quod verè Deus in vobis sit*; atqui Spiritus sanctus loquitur per Prophetas, vt Symbolo Ecclesia quotidie personat: *Qui locutus est per Prophetas.* 2. Petr. 1. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Marci 12. *Ipse Dauid in Spiritu sancto dicit.* Actor. 20. *Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur*: ergo Spiritus sanctus est Deus. Ita argumentantur Athanas. de communi essent. Trinit. col. 3. & 4. de humana nat. suscepta circa med. & d. Laodic. cum Arrio col. penult. Cyrill. citato lib. argumentor. vers. med. Ambros. 3. de Spiritu S. cap. 9. 19. 22. & 23. Nazianz. orat. 37. longè à med. Basil. contr. Eunom. sect. 5. Nyssen. orat. in Pentec. post med. Chrysost. ferm. de consubstantiali Trinit. Paschasius 1. de Spiritu S. cap. 5. Imò totum argumentum textus Scripturæ est 2. Reg. 23. n. 22. ait Dauid: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam: Dixit Deus Israël, mihi locutus est fortis Israël.* & actor. 28. *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis.* Quæ sunt Isai. verba c. 6. num. 10. Ipsi à Domino dicta, ad Hæbr. 3. *Quapropter, sicut dixit Spiritus sanctus: Hodie si vocem eius audieritis*, &c. Quæ Dei nomine denuntiat Dauid. Psalm. 49. & Hæbr. 9. *Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse Sanctorum viam,*

viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum. illud referens, quod Dominus Moyſi ad Aaron dicendum mandauerat, Leuitici 16. *Ne omni tempore ingrediatur ad Sanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio.* & c. 10. eius epiſt. interpretans illud Hierem. 31. *Hoc erit pactum, quòd feriam cum domo Iſrael. Poſt dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum.* Sic habet Paulus: *Conteſtatur nos Spiritus ſanctus, poſtquam enim dixit, hoc autem teſtamentum*, &c.

5 Denique Spiritus ſancti diuinitas ad hominem contra Hæreticos probatur. Quia per eos Chriſtus Dominus ſecundum humanitatem perfectior omni creatura eſt: atqui Spiritus ſanctus Chriſto Domino ſecundum humanitatem perfectior, ſuperiórque eſt: ergo non eſt creatura, ſed Deus. Minor eſt Iſai. 48. *Et nunc Dominus miſit me, & Spiritus eius.* Quod de Chriſto ſecundum humanitatem intelligi debere oſtendimus q. 1. cert. 2. & c. 42. *Ponam Spiritum meum ſuper eum.* cap. 61. *Spiritus ſanctus ſuper me: eo quod unxerit me: Euangelizare pauperibus miſit me.* quod repetitur Lucæ 4. vbi, & Math. 4. & Marci, 1. *Ductus eſt à Spiritu in deſertum.* ad Hæbr. 9. *Per Spiritum ſanctum ſemet ipſum obtulit.* Ad Roman. 4. *Spiritus ſanctus ſuſcitauit Chriſtum à mortuis.* & tandem humanitas Chriſti Spiritus ſancti factura eſt, Math. 1. n. 18. *Inuenta eſt in utero habens de Spiritu ſancto.* & n. 20. *Quod enim in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt*, luc. 1. n. 35. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Ita arguebat olim Athanaſ. epiſt. longiori ad Serapion poſt init. & d. Laodicæa cũ Arrio circa fin. & de humana natura ſuſcepta circa med. Epiphan. Ancorato pag. 2. Baſil. 5. contr. Eunom. ſect. 16. ante med. & hom. 17. in Sanctum Baptiſma poſt med. Cyrill. 7. Dialogor. de Trinit. verſ. fin. citato lib. argumentor. circa med. & §. antepenult. Ambroſ. 1. de Spiritu S. c. 3. ante med. & lib. 2. c. 8. & lib. 3. c. 1. Auguſt. 3. contr. Maximin. c. 2. à med. & elegantius 2. de Trinit. c. 5. Et certè, vt idem Patres obſeruant, quam maximam prædictæ veritati fidem facit, quod Chriſtus Dominus, ſuam, qua homo eſt, minoritatem, & inferioritatem reſpectu Patris apertè profeſſus eſt, ne Eccleſiæ errandi maneret offendiculum: quare cum Spiritus ſanctus Spiritus veritatis ſit, fuerítque per omnes ſacros Scriptores locutus inferioritatem, ſi eam haberet, ſuam reſpectu Patris, & Filij alicui exprimeret in Scriptura, ne in re tanta aberrandi occaſio daretur Eccleſiæ, vt egregiè diſcurrit rurſus Auguſt. 1. contra Maximin. verſ. med. & 2. de Trinit. cap. 6. & 7. Adde de reliquis creaturis, præcipuè nobiliſſimis, Deum adorare, ad idquè inuitari in Scriptura legimus ſæpe Pſalm. 102. & 148. Daniel. 3. ad Coloſſenſ. 1. & 1. Petri. 1. Imò toties Chriſtus Dominus, qua homo Patrem adoraſſe dicitur, quoties ipſum oraſſe refertur; Spiritus verò Sanctus nuſquã, vel inter adorantes numeratur vel inuitatur ad adorandum; licet perfectior reliquis creaturis eſſet, etiam ſi creatura foret, & ex cuius adoratione maximus Deo honos glóriáque accreſceret. Mittendum non eſt abſolutum, ſupremúmque, & Dei proprium Dominium, quod de Spiritu ſancto teſtatur Paulus 2. Corinth. 3. *Dominus autem Spiritus eſt, & vbi Spiritus Domini ibi libertas.* & 1 Corinth. 12. numeratis gratiarum in homine diuiſionibus concludit: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult.* Hoc tanquam validiſſimo argumento vtuntur Athanaſ. Dialogo 2. de Sancta Trinit. contra Anom. verſus finem & epiſt. 1. ad Serapion. med. & de human. natur. ſuſcepta circa med. Chryſoſt. 1. Corinth. 12. hom. 29. circa morale, Baſil. 5. contr. Eunom. pagin. 2. 3. & 4. ac de Spiritu S. c. 16. & hom. 17. in Sanctum Baptiſma ſub init. Nyſſen. orat. 3. de orat. Dominica, col. vlt. Epiphan. hæreſ. 74. verſ. fin. Theodoret. 5. epitomes diuinor. decret. c. 3. & de Spiritu S. circa fin. Ambroſ. 1. de Spiritu S. c. 1. init. Taceo nunc de Patribus, qui conſubſtantialitatem Spiritus ſancti cum Patre, & Filio docent cert. 6. referendi.

CERTAMEN IV.

Filij, & Spiritus Sancti diuinitas communibus vtrique argumentis oſtenditur.

1 OMiſimus cert. 2. & 3. argumenta plura, quæ pro diuinitate Filij, vel Spiritus ſancti ſingulatim monſtranda videntur Scholaſticis non leuia, ne ſingulatim pro vtroque efformata inutiliter repeterentur, atque in hoc Certamen ſimul, ſemélque pro vtroque inſtruenda ſegregauimus. Primum eſto: quia ſoli Deo conuenit æternitas, ſed æternitas conuenit Filio, & Spiritui ſancto: ergo vterque eſt Deus. Spiritus Sancti æternitatem locis pluribus probat Ambroſ. 1. de Spiritu S. c. 8. init. quæ, quia longioris texturæ ſunt hìc mittemus. De Filio autem probant communiter Patres ex Ioann. 1. *In principio erat Verbum.* Eccleſ. 1. *Prior omnium creata eſt ſapientia.* & c. 24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* & Apocalipſis 1. 4. & 8. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Secundum argumentum ſit: quia ſoli Deo debetur à creatis omnibus adoratio, & Latria: debetur autem Filio, & Spiritui ſancto: ergo vterque eſt Deus. Minor de Filio conſtat ex 14. ad Roman. vbi Apoſtolus ſiſtendos omnes ante tribunal Chriſti ait, vt Prophetia impleatur: *Quia mihi flectetur omne genu.* & ad Hæbr. 1. refert illud Pſalmi. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſeruient ei.* ad quam Prophetiam implendam hortatur ad Philippenſ. 2. *In nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur: quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* De Spiritu S. probatur ex 1. Corinth. 3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* & cap. *An neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt?* &c. ad quæ Auguſt. *Debetur ergo Latria Spiritui ſancto. Nam, ſi templum Dei facere de lignis, & lapidibus inberemur, vtique faciendo templum Latriam exhiberi conuinceremur: quanto magis Latriam debemus, cui, non templum facimus, ſed ſumus.* Matto datos ſupra Patres ad hunc locum ſimiliter loquentes.

2 Tertium argumentum ſit. Deus ſolus eſt de ſe patrator miraculorum, Pſalmo 71. *qui facit mirabilia ſolus.* & 75. *Faciens mirabilia tu es Deus ſolus.* & 135. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Ratio eſt euidens. Nam pro ſuo arbitratu, vel cauſarum impetum cohibere, & quoquouerſum deflectere ſupremum, abſolutum, propriúmque Dei creaturarum omnium dominium, vel ipſis ſenſibus oſtendit: aſt Filius, & Spiritus ſanctus miracula de ſe patrarunt, quotidiéque perficiunt: ergo vterque eſt Deus. De Filio immenſum penè eſt, & miracula referre, cùm Ioannes concludat ſuo Euangelio mundum ea capere non poſſe. De Spiritu verò ſancto conſtat, Primò, Apoſtolos ſimul variis linguis poſt ipſius Aduentum locutos. Secundò ex Paulo ad Roman. 15. vbi de Apoſtolorum, ac Diſcipulorum miraculis edictis ait Paulus: *In virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti.* & ad Hæbr. 2. Apoſtolorum miracula *diſtributiones Spiritus ſancti* vocantur. Et, quod caput eſt, Filius ipſe Chriſtus Dominus ſe in virtute Spiritus ſancti Dæmonia eiicere profitetur, Math. 12. *Si autem ego in Spiritu Dei eiicio Dæmonia*, &c. Quibus Spiritum ſanctum intelligi, & vox, & contextus ipſe ſuadet. Cum enim Spiritum eſſe Beelzebuth dicerent Phariſæi n. 24. ſubdit Chriſtus Dominus n. 31. eorum blaſphemiam, etiam in alio ſæculo irremiſſibilem eſſe: quia contra Spiritum ſanctum, quem Beelzebuth nominauerant, apertè erat: cuius ſententiæ rigor recitatur etiam Marci 3. n. 28. item corporis Chriſti Reſſurrectio miraculoſa Spiritui ſancto tribuitur à Paulo ad Roman. 4. *Si autem Spiritus eius, qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis habitat in vobis, viuificabit corpora veſtra per Spiritum ſanctum habitantem in vobis.*

3 Porrò argumentum hoc tanti ponderis eſt, vt ei fidem à Iudæis præcipuè haberi voluerit Chriſtus Ioan. 10. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Quam ſententiam eodem capite ſæpius repetit, & Ioann. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Imò, licet teſtimonium Ioannis Baptiſtæ ex tanti viri authoritate, Deíque reuelatione, ex qua loqui ſe Baptiſta teſtabatur, tantum, támque illuſtre erat ad humanius tandem conuincendos intellectus, maius teſtimonio Ioannis ſuorum miraculorum teſtimonia eſſe aiebat Chriſtus, Ioannis 5. *Ego habeo teſtimonium maius Ioanne: opera enim quæ dedit mihi Pater, vt perficiam, ea ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Reſpondent Arriani Moyſem, Sanctóſque homines plures innumera penè miracula patraſſe: ergo ex miraculis non rectè infertur diuinitas Filij, & Spiritus ſancti. Sed contra eſt: quia puri homines non propria authoritate ea patrabant, vt de Moyſe conſtat illis verbis: *Conſtitui te Deum Pharaonis.* & Apoſtoli, lucæ. 10. *Domine, etiam Dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* & Petrus Actor. 3. claudum ſuarum, pedúmque torpore liberaturus ait: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge* &c. Refricate pro Spiritu ſancto, quæ numero proximo dabamus. Secundò Matthæi, & Lucæ 10. Chriſtus Dominus, vt poteſtatis miraculorum Dominus eam diſcipulis impertitur. Tertiò ea operatur creaturis imperans, vti earum Dominus, Math. 8. Marc. 4. & 5. & Luc. 4. Quartò omnium miracula Chriſti ſolius miracula non exæquant. Marc. 1. *Erat omnis ciuitas ad ianuam.* & capite 9. *Quocumque loco intrabat.* & rurſus: *Virtus ex illo exibat, & ſanabat omnes.* Ioann. vlt. *Nec ipſum arbitror mundum capere poſſe.* Quintò: quia erant teſtimonia ſenſibilia, quæ Pater, Angeli, homines, ac Dæmones etiam de eius diuinitate exhibebant. Id circo Iuſtin. M. expoſit. fidei de Trinitate ſub med. ait: *Deus intelligitur ex prodigiorum operatione.* Cui conſonant Athanaſ. de Incarnat. Verbi verſ. med. orat. contr. Græcal. Sabell. med. orat. 4. contra Arrianos circa med. & 3. de aſſumptione hominis longè à medio, ac de paſſione imag. Dom. noſtri Ieſu Chr. cap. 3. vbi differentiam miraculorum Chriſti, & aliorum expendit. Hilar. 6. de Trinitate med. & 7. longè à med. & 9. longè ab init. Chryſoſt. hom. 60. in Ioannem Cyrill. Alex. 3. in Ioannem capite 2. & libro 6. capite 12. & lib. 10. cap. 32. & ad locum citatum Ioannis 5. Auguſt. tract. 48. & 91. in Ioann. Theod. Moſueſtenſis, Leont. Euthym. Beda, Theophylact. ad loca citata ex 10. & 15. Ioannis.

4 Huc ſpectat argumentum aliud de cognitione futurorum, ac ſecretorum cordis, quæ propria eſt Dei: cum tamen Chriſto Domino, & Spiritui ſancto apertè conueniat. Hierem. 17. De inſcrutabili hominis corde dicitur: *Quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda.* Repetet ſententiam Sophonias capite 1. num. 12. & Pſalm. 7. numero 10. *Scrutans corda, & renes Deus.* 1. Reg. 17. *Homo videt in facie, Dominus autem intuetur cor.* Ac tandem 3. Regum. 8. *Tu ſolus noſti omnia corda filiorum hominis.* Quæ ſententia habetur etiam 1. Paralip. 28. & lib. 2. cap. 6. ac repetitur in Actis electione Matthiæ ad Apoſtolatum. De futurorum autem notitia celebre eſt illud Iſac. 43. *Annuntiate, quæ futura ſunt, & ſcimus quia Dij eſtis vos.* De quo plura dedimus Controu. de ſcientia Dei. Quod verò vtraque ſcientia in Filio & Spiritu ſancto fuerit probatur, & de cognitione Chriſti Filij circa ſecreta cordis Ioannis 2. habetur: *eo quod ipſe noſſet omnes: & quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine.* & cap. 6. ac ſæpius alibi interiores Phariſæorum murmurationes v. g. Simonis, apud quem pranſurus hoſpitabatur, dicitur Chriſtus cognouiſſe. Ac tandem de ſe Apocalipſ. 2. teſtatur: *Ego ſum ſcrutans corda.* Cognitio item futurorum de Chriſto prædicatur Ioann. 6. *Sciebat ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes: & quis traditurus eſſet eum:* cap. 13. *Amodo dico vobis, priuſquam fiat, vt cum factum fuerit credatis.* Repetitur capite 15. & cap. 16. *Hæc locutus ſum vobis, vt cum venerit hora eorum, reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* imo Dei etiam ſecreta, & intima penetrabat ſua ſcientia Chriſtus Ioann. 13. *Scio quos elegerim.* & c. 11. *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.* Nec minor in Spiritu ſancto ſecretorum cordis, etiam diuini, futurorúmque cognitio in Scripturis aſſeritur. Futurorum quidem ex Prophetis, qui eo inſpirati plura prædixerunt: ex quibus ſecreta cordis, etiam Chriſti Domini fuerunt non pauca. Secreta verò cordis Dei præterea dicitur noſſe. 1. Corinth. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita, quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi Spiritus Dei.* Nec refert horum notitias Sanctis à Deo conceſſas. Nam ſecreta cordis omnium hominum nulli conceſſum fuit noſſe; nedum ſecreta omnia cordis Dei. Secundò Sancti reuelatione indiguerunt ad ea cognoſcenda, qua Filius, & Spiritus ſanctus non egent, vt conſtat ex verbis datis: *neque opus ei erat, vt quis teſtimonium perhiberet* &c. Tertiò: quia futurorum cognitionem aliis vterque, vt eius ſcientiæ Dominus impertitur 1. Petri 1. *Scrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti prænuntians eas*, &c.

5 Quintò arguitur ex poteſtate iuſtificandi homines, & augendi gratiam, quæ propria eſt Dei iuxta illud Iob. 14. numero. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?* Patet etiam ex omnibus Conciliis, & Patribus, perſpicuáque ratione. Quia, cum per gratiam Dij per participationem efficiamur; non niſi Dei, cuius excellentiſſima participatio eſt, effectus eſſe gratia poteſt: ſed Filius, & Spiritus ſanctus habent poteſtatem iuſtificandi, ſuntquè gratiæ author: ergo ſunt Deus, de Filio probatur ex Marci 2. *Vt autem ſciatis; quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata.* & rurſus: *Remittuntur tibi peccata tua.* Atque iterum Luc. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* ſcilicet ipſum Chriſtum. De Spiritu autem Sancto diuiſiones gratiarum recenſens Paulus concludit: *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens ſingulis, prout vult.* 1. Corinth. 12. & ad Roman. 14. *Iuſtitia, & pax in Spiritu ſancto.* c. verò 5. dixerat: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum*, &c. & rurſus: *Sanctificata in Spiritu ſancto.* & Ioann. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata.* De vtroque verò ad Roman. 8. *Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberauit me à lege peccati.* & 1. Corinth. 6. *Iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu Chriſti, & in Spiritu ſancto.* Quin inde Spiritus Sanctus dicitur, quod ſanctitatis collatio ipſi ſpecialiter appropietur: quare Spiritu ſancto repleri ſignificat ſanctificari: vt patet in ſanctificatione vterina Baptiſtæ prædicta illis Verbis, Hierem. 1. *Antequam exires de vulua ſanctificaui te.* atque his à Luca capite 1. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* Suum hunc diſcurſum claudat Cyrill. 13. theſaur. capite 1. *Natura Deus eſt*, Spiritus *quoniam, qui ipſum ſuſcipiunt Dij per gratiam efficiuntur.* Siç etiam arguit Baſil. 5. contr. Eunom. ſect. 14. ſub init. Nyſſen. orat. 3. de Orat. Domin. circa fin. Cyrill. 7. Dialogor. de Trinitate longè à medio, & citato libro argumentorum circa medium, & inferius, & §. penult. Ambroſ. 1. de Spiritu S. capite 6. & libro 2. capite 9. & libro 3. capite 4. & 5. Cyprian. (ſiue quiſquis author in eius libris eſt) de Cardinalib. Chriſt. operib. titulo vlt. de Spiritu ſancto.

6 Hoc ipſum argumentum ex virtute, in qua per Baptiſmum renaſcimur ad gratiam confici eadem efficacia poteſt. Nam Deum eſſe, cuius virtute ad gratiam per Baptiſmum renaſcimur certiſſimum eſt, Ioan. 1. fine: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt:* atqui virtute Filij, & Spiritus ſancti per Baptiſmum renaſcimur ad gratiam: ergo vterque eſt Deus. Minor conſtat ex pluribus locis, quæ ſingulariter de alterutro eorum loquuntur. Et de Filio quidem Actor. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti.* & Ioan. 1. *Hic eſt, qui Baptizat in Spiritu ſancto.* & Math. 3. *Ille vos Baptizabit in Spiritu ſancto.* quod repetitur Marc. primo, & Lucæ tertio. Poſtrema duo de Spiritu etiam

Sancto probant. De quo etiam Ioann. 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*: & ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.* & ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis.* De vtroque autem rursus 1. Corinth. 6. dicitur: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & Spiritu Dei.* atque Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Hoc sanè argumentum adeò efficax est, vt nullus ex Patribus illud contra Arrianos omiserit, sed omnium tamen luculentissimè illud expendebat Athanas. lib. 2. de propriis Personis longè post medium. Specialiter verò pro Spiritus sancti diuinitate illud efformarunt, tam ipse Athanas. lib. de human. natur. suscept. circa medium d. Laodic. contra Arrium longè à medio, & 7. de profess. regul. catholicæ ad Theophyl. post medium: Basil. hom. 17. in Sanctum Baptisma init. Epiphan. Ancorato pag. 3. Ambros. 1. de Spiritu sancto, Fulgent. responsione 8. ad obiectiones Arrianorum.

7 Huic proximum aliud argumentum est, quod sumitur ex authoritate conferendi gloriam, quæ quidem propria est Dei: atqui Filius, & Spiritus sanctus author est, & Dominus gloriæ: ergo vterque est Deus. Maior est certa ex Isai. 43. *Non est absque me Saluator.* & 45. *Et Saluans non est præter me.* Multotiésque in Psalmis, & Prophetis continetur. Et ratio est præcedenti similis. Siquidem gloria est perfectissima Dei participatio, multò quidem nobilior, quam Dei participatio per gratiam, quando quidem de Beatis absolutè dicitur 1. Ioan. 3. *Similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est*: quod quidem de Iustis nondum Beatis dici minime potest. Minor probatur. Nam Christus Dominus absolute Dominus gloriæ dicitur. 1. Corinth. 2. num. 8. *Nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* & Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Vbi per duo lumina Patrem, & Filium Patres intelligunt communiter iuxta illud Symboli: *lumen de lumine.* Et quidem sap. 7. de Sapientia genita dicitur: *emanatio claritatis omnipotentis Dei, candor est lucis æternæ,* quin lumen illud, quod *in lumine tuo*, scilicet Dei Patris, qui fons luminis est, videndum esse dicitur, Spiritum sanctum esse concors est Patrum sententia. Vnde Spiritum sanctum Deum esse, qui videtur à Beatis, & beatitudinis fontem, & authorem censent ferè omnes Patres. Videntúrque desumpsisse ex Dionys. 2. de diuin. nomen. aiente: *Pater est fontana Deitas; Filius autem, & Spiritus sanctus Deigenæ deitatis supersubstantialia lumina.* Sed omnium optimè Anastas. Synait. sic Psalmi versum commentatur: Tria lumina ibi notata explicans: *lumen illud, ad quod præces fundit, hic autem est Pater: lumen insuper paternum Filium insinuat: & in lumine tuo lumen sanctum Spiritum exprimit.* Quo etiam pacto versum prædictum explicat Concilium Nicæn. libro 2. longè à medio §. *audiam*, ac circa finem §. *illud*, Augustinus 3. contra Maximin. capite 23. circa finem his verbis *hoc est in Filio Spiritum sanctum videbimus.* licet tria lumina absolutè dici vetet: sicut, & tres Deos, licet Deus de Deo sit. Quem imitantur Glossa ad id cap. 7. alíque Patres.

8 Demum ex creatione, & conseruatione rerum pro vtriusque diuinitate arguitur. Nam vterque creat, & conseruat: cum tamen vtraque operatio propria Dei sit. Isaiæ 44. *Ego sum Dominus extendens cælos, stabiliens terram, & nullus mecum.* Quod repetitur Iob. 9. asseritúrque Genes. 1. & 2. Machab. 7. Quod autem Filius creationi interfuerit obuia sunt Scripturæ testimonia Genes. 1. *Dixitque Deus*, &c. Prouerbiorum 8. Ecclesiasticus 24. Ioannis 1. 1. Corinth. 8. ad Hebr. 2. ad Colossenses 1. 2. Petri, 3. De Spiritu sancto Iudith. 16. *Misisti Spiritum tuum, & creata sunt.* Iob. 33. *Spiritus Domini fecit me, & Spiraculum omnipotentis viuificauit me.* vbi alluditur ad hominis formationem, & viuificationem Genes. 1. relatam per inspirationem, quæ propria Spiritus sancti est, & Iob. 12. *Spiritus vniuersæ carnis hominis.* ibidem: *Spiritus eius ornauit cælos*, & Psalm. 103. *Emittet Spiritum tuum, & creabuntur.* vt idcirco in Symbolo canat Ecclesia: *Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem.* De vtroque autem Psalmo 32. dicitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* adiunctis Patribus datis quæstione 2. certamine 4. à numero 3. ac dandis d. de comparat. Personarum. Deinde Genes. 1. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Patres, quos dedimus quæstione 1. certamen 2. Huc facit totius Ecclesiæ gubernatio quæ soli Deo competit: & tamen Filio, & Spiritui sancto competere constat, ex illis Verbis de Christo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* &c. & de Spiritu sancto Actor. 10. dicitur: *Dixit Spiritus Petro: vade ad eos*, &c. & capite 13. *Dixit Spiritus sanctus segregate mihi Saulum, & Barnabam.* & capite 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* & capite 16. *Vetati sunt Spiritu sancto loqui Verbum in Asia.* ac rursus: *Tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.* & capite 20. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* His adde 1. Ioannis 4. Enumeratis cœli testibus Patre, Verbo, & Spiritu sancto statim subiungi: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*: ergo tres illi testes Deus sunt: cum æquæ testificentur omnes atque indiscriminatim de eorum testimonio dicatur esse testimonium Dei, vt acutè expendit Cyrill. lib. argumentor. *Quod Spiritus sanctus sit Deus.* col. vlt.

CERTAMEN V.

Diuinitatem Filij, Spiritus sancti, & Patris ex æquo diuersam non esse contra Peratas monstratur.

1 Filij diuinitatem à Patris Deitate adæquatè distinctam non esse ea testimonia conuincunt, quæ ipsum Filium esse testantur. Sunt autem plura ex veteri, nouóque Testamento data quæstione 2. certamine 3. Alia item, quibus Christus Patrem suum appellabat Deum obuia in Euangeliis præcipuè Ioann. 14. Est autem celebris Phariseorum ad Pilatum accusatio Ioann. 19. *Nos legem habemus, & secundum illam debet mori: quia Filium Dei se fecit*: non adoptiuum, quemadmodum Pharisæi ipsi Filios se etiam Dei esse iactabant, Sed naturalem hinc Ioann. 10. numero 32. cum Lapidabundos Iudæos, quod dixisset: *Ego in Patre, & Pater in me est*, rogaret: propter, quod bonum operum, quæ in ipsos contulerat, eum lapidare tentarent, responderunt: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Id quod minimè Christus Dominus negauit, sed silentio potius approbauit. Expressè autem id testificatus est apud summum Sacerdotem rogantem Marci 14. *Tu es Christus Filius Dei benedicti?* cui illico respondit: *Ego sum.* & Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Ex eo autem Filij prædicato sic arguo. Omnis Filius naturalis editus est à viuenti à principio sibi coniuncto in natura iuxta rigorosam Physiosophorum, & Theologorum definitionem generationis: vt propterea opus sit in Filio aliquid paternæ substantiæ esse: atqui Filius æternus Filius naturalis est Dei Patris: ergo in eo debet esse aliquid saltè paternæ substantiæ diuinæ: nequit autè in eo esse pars materialis substantiæ paternæ, cum substantia Dei Patris materia & forma non constet, sed spiritualis sit, ac prorsus simplicissima: ergo aliquid substantiæ, & Deitatis paternæ est in Filio æterno: imò tota, vt contra vltimum errorem vrgebimus infra.

2 Porrò argumentum hoc tanti est ponderis, vt vel cœci, vbi Pharisæi, vbi primùm, Christum se Filium Dei naturalem prædicantem audierunt, tantumdem valere, ac si de se paternam prædicaret deitatem, censerent. Imò

eo Paulus 1. ad Hæbr. Super hoc articulo ipsos conuincebat. Neque aliud potest effugium tentari, quam filiationem solum adoptiuam Filio concedere, vt Arrius, & sequaces tentauerunt, quod satis confutatum est n. 1. Et rursus confutatur secundò. Quia Deus Pater verè Pater est, nec solum imitatiuè, dicente Apostolo ad Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.* Id est, ex quo res, & nomen paternitatis ad creaturas deriuatur, vt rectè Dionys. c. 2. de diuin. nominib. Damasc. 1. de fide, c. 9. Cyrill. 12. thesaur. cap. 5. Theodoret. & Commentatores reliqui ad eum locum. Scio ex Hieronymi obseruatione legi in originali Græco loco vocis: *Paternitas*, vocem *cognatio*: sed tamen, cum omnis cognationis vnitas ab vnitate Paternitatis, tanquam à radice, deriuetur, nequit vnitas cognationis à Deo Patre deriuari, quin, & paternitas cognationis cuiusque ab ipso deriuetur. Ratio autem, ob quam Pater æternus propriissimus Pater sit, atque Patrum omnium exemplar est: quia substantia, & essentia sua Pater est: vnde semper, ac necessariò est Pater, sicut semper est quod est: ac proinde, neque Filius esse potest, paternitatémque cũ alio partiri, vt obseruant communiter Patres, Epiphan. Gregorius Bœtic. & Nazianz. orat. 35. obiect. 3. Athanas. 1. Dialog. de Trinit. contra Anom. pag. 4. & 6. & orat. 2. contra Arian. vers. fin. & orat. 3. longè à med. Basil. hom. 28. contra Sabellian. ante med. & 5. contr. Eunom. cap. 12. vers. fin. & lib. 4. sub init. & lib. *contra eos, qui calumniantur: Quod tres Deos colamus.* Cyrill. Hierosol. Catech. 7. col. 2. Concil. Nicæn. libro 2. post med. §. *sæpe numero*, & §. *quomodo.*

3 Tum sic. Pater est verè Pater: ast, nisi Filius verus, & naturalis Filius sit, nec solum adoptiuus, Pater non erit verus Pater, ex quo omnis paternitas, sed solum imitatiuus: ergo Filius æternus non est Filius adoptiuus, sed naturalis. Probatur minor. Filiatio, & Paternitas correlatiua sunt: sed Filiatio adoptiua non est vera Filiatio, sed imitatiua solum, vt patet, & similitudinaria: ergo Paternitas huic respondens, & correlata similitudinaria tantum, & imitatiua, non autem naturalis erit. Attigerunt pressius argumentum hoc Clemens Roman. epist. 1. ad Iacob. post med. Fulgent. ad 7. obiectionem Arrianor. Cyrill. 2. Dialogor. de Trinit. col. 2. & 10. thesaur. ad id Ioann. 17. *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Ad quæ ait: *quia videlicet verus Pater es.* Et 9. in Ioann. pag. 35. & 11. in Ioann. capite 18. August. tract. 106. in Ioannem ante med. Chrysost. hom. 80. Leont. & Rupertus ad locum ad Ephes. 3. Concil. Nicæn. libro 2. post init. §. *Sancta, & magna.* Nazianz. orat. 36. obiect. 4. post numerũ 29. & tract. de fide, seu orat. 49. sub init. & orat. 50. siue de fide Nicæna, Basil. 1. contr. Eunom. circa fin. & 2. post med. Epiphan. hæres. 69. 73. & 76. & pag. 9. Ancorati, Hilar. de Synod. vers. med. approbans hac de re Anthiochenam fidem. Eandem solutionem confutant testimonia, quæ Cyrillum, ac Verbum verum Dei Filium affirmant. 1. Ioann. 5. *Vt simus in vero Filio eius.* Symbola omnia, & Concil. Nicæn. proximè, & post medium §. *Sæpe numero*, consonant Hilarius citatus, & 3. de Trinitate vers. medium, Ambrosius in Symbolum Apostolorum cap. 11. & 1. de fide ad Gratian. capite 6. & 9. & prologo libri 2. circa medium, Cyrill. 1. thesaur. capite 9. & libro 10. capite 6. Chrysostomus hom. 2. ad Hebræos 1. circa morale, & homilia in Psalmum 44. col. 4. *Germanum Filium* vocat. Epiphanus hæresi 62. post init. *genuinum.* Cúmque Ecclesia *genitum* esse Filium, *non factum* definierit rigorose Filium esse definit. Nam laxè loquendo *factum*, idest *productum*, seu *procedens* Verbum esse dubitat nemo.

4 Probatur secundò æterni Filij naturalis filiatio. Quia non quomodocunque Filius, & genitus est, sed vnicus, atque vnigenitus Dei Filius: atqui, si non naturalis sed adoptiuus Filius esset, non esset Dei Patris vnicus, & vnigenitus Filius: ergo æternus Filius non est Filius adoptiuus, sed naturalis Dei Patris. Maior constat ex 1. Ioann. 4. *Filium suum vnigenitum misit in mundum.* Ac rursus: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*, &c. & Ioann. 4. *vt Filium suum vnigenitum daret.* Capite autem 1. dixerat: *Gloriam, quasi vnigeniti à Patre.* Atque, vt Arrianam obiectionem præueniamus, aduertendum est: illud, *quasi*, Hæbraismum esse, in quo non species, & qualis qualis similitudo vnigeniti, sed veritas Filiationis, & omnimoda æqualitas cum Patre denotetur. Sicut Hispanè vt opulentum vnici veri Principis ornatum explicemus vulgò dicimus: *El vestido era como de vnico hijo del Rey.* Idest, qualis vnicum Regis Filium decebat. Minor autem non est obscurior. Nam Filij adoptiui plures sunt, vt patet, & docet Ioann. capite 1. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Et post pauca: *Sed ex Deo nati sunt.* & Iacobi 1. *Voluntariè enim genuit nos Verbo veritatis.* Ergo in genere Filiorum adoptiuorum nullus est vnigenitus, & vnicus Filius: ergo Filius æternus, qui vnigenitus Patris dicitur, naturalis Filius Patris, non adoptiuus eo ipso declaratur. Expressit discursum Athanasius 2. de Trinitate contra Anom. post init. Cyrillus Hierosolim. catech. 4. capite 2. 3. & 10. catech. 6. init. catech. 7. 10. & 11. init.

5 Sed dicunt Arriani, & Eunomiani apud Basil. 2. contr. Eunom. medio Filium æternum dici vnigenitum non ex parte sui, sed ex parte Patris: quia ab vno Patre sine matre est: siue vt ait Franciscus Dauid apud Valent. 1. de vnita Trinitate secundum se, cap. 17. *Quia Christus sine virili semine à solo Deo, & ex ipsius Dei substantia in vtero Virginis conceptus est, Deo viri vicem supplente.* Contra: quia seminis supplementum non satis est ad Filiationem naturalem; alioqui Adamus vnigenitus Dei dici posset. Contra secundò: quia respectu Dei humana Christi generatio non fuit generatio, sed solum respectu Virginis. Contra tertiò: quia ante generationem Christi ex Virgine Filius æternus Filius erat: vt de se Sapientia genita testatur: *Primogenita ante omnem creaturam.* Et rursus: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* His autem missis communis Dauidi cum Arrianis solutio inpugnatur à Basilio 2. contra Eunom. med. *Quia vnigenitus, non qui à solo natus, sed qui solus natus in communi consuetudine appellatur.* Cui consonant Athanas. & Cyrill. Hierosol. vbi proximè, Cyrill. Alex. 10. thesaur. cap. 4. med. Nazianz. tract. de fide, siue orat. 49. sub titulo fidei conscriptæ apud Nicæn. Theodoret. 5. epitomes diuinor. decret. capite 2. de Filio, Fulgent. ad 3. obiect. Arrianor. Damasc. 1. de fide, capite 9. post init. Impugnatur secundò: quia eodem pacto iusti omnes Dei vnigeniti dici possent: quod est absurdum. Siquidem à solo, vnóque Parente Deo nati, & progeniti sunt: dicente Ioanne, capite 1. *Qui non ex sanguinibus &c. sed ex Deo nati sunt.* Contra tertiò: quia adoptio, sicut vera generatio non est, vnigenitus illis locis impropriè solum, non autem propriè, & rigorosè filius intelligendus esset, quod satis impugnatum manet.

6 Contra quartò: quia, vt doctè Athanasius orat. 5. contra Arianum longè à medio ad finem vsque obseruat, nomen *dilectus* Filio additum tantundem in Scriptura valet, ac Filius solus, Genes. 22. *Tolle Filium tuum, quem diligis Isac.* Psalmi, 44. titulus: *Canticum pro dilecto.* Isai. 5. *Cantabo dilecto meo.* Ac Telemachus Vlyssis vnigenitus *dilectus* dicitur ab Homero Odyssæa 2. Ratio est: quia vnigenitus integrum Patris affectum, nec cum aliis partitum habet: ast Christus Filius Patris dilectus dicitur Math. 3. *Hic est Filius meus dilectus.* Marci 12. *Adhuc habens vnum Filium charissimum.* Luc. 20. *Mittam Filium meum dilectum*: ergo Filius Christus solus, & vnigenitus Patris Filius eo sensu est, non solutionis hæreticorum sensu. Dicet Salomonem de se dicere Prouerb. 8. *Filius vnicus coram matre mea.* Cum tamen tres habuerit fratres. 1. Paralip. 3. & 2. Reg. 5. Sed vnicum ibi pro summè dilecto per tropum dici constat. Primo ex locis Paralip. & Reg. cum quibus vnicum esse re ipsa non stat. Secundò illud: *coram matre mea.* siue, vt Septuaginta, *in facie matris meæ.*

Clarius Patres Græci Catenæ Latinæ per Noſtrum Theodorum Peltanum legerunt, *matri vnicè charus.* Contra verò nihil in Scriptura eſt, quod *vnigenitum* in Scriptura pro dilecto ſummè per tropum de Filio dici ſuadeat. Quin dilectus ſummè non eſt æternus Filius, cum æquè dilectus Spiritus ſanctus ſit. Ergo vnigenitus re ipſa aſſeritur, cum vnigenitus, vel dilectus abſolutè in Scriptura dicitur. At inquies ad Hæbr.1. ad Roman.8. ad Coloſſenſ. 1. Eccleſiaſt.24. dici *primogenitum in multis Fratribus*, & *ante omnem creaturam*: ſed in genere Filiationis naturalis per nos fratres habere non poteſt, ſed ſolum in adoptiua: ergo cum genitus, & vnigenitus dicitur, adoptiuè, non naturaliter intelligi debet: vt idem ſit, quod ſummè, & primò dilectus. Negatur conſequentia. Satis enim eſt ſi vniuerſaliori filiationis genere ſit Filius, vt aliis filiis imperfectioris generis primus dicatur. Imò, niſi ita eſſet, primogenitus dici minimè poſſet eo ſenſu, quod dicitur: nempe duratione, quia æternitate creaturas præcedit: cauſalitate phyſica, quia eas, qua Deus Filius producit: cauſalitate meritoria, quia filiis adoptiuis adoptionis gratiam Incarnatus promeruit: excellentia, quia, qua Deus, & qua homo, nobiliſſimam Dei filiationem naturalem habet, eſtque Filiorum omnium adoptiuorum exemplar; cum naturalis filiationis participatio, & imitatio ſit filiatio omnis adoptiua. Quam ſolutionem Patres omnes particulatim, ſiue per partes tradunt.

7 Reticendus hic non eſt antiquioris Valentini error de Verbi filiatione, ſiue generatione. Ille enim fœminam tam æternæ generationi, quam ipſius voluptati neceſſariam credens matrem Patri in Filio generando coadiutricem dedit. Nempe profundum, & ſilentium, ex quorum congreſſu Filius, ſcilicet veritas, & intellectus prodiret. Ex iis autem rurſus Æones plures, id eſt fœcula, & æua deinceps progrederentur: in quibus, vnum Hermaphroditum ponebat. Ita ex illo referunt Naz. orat.37. 5. de Theol. Irenæ.1 aduerſus hæreſes, c.1.5. & 6. Febardencius expoſit. præuia ad c.1. Caſtro verbo *Deus*. Ex iis ſanè deliriis per ſe blaſphemis, & ridiculis illud nunc reiiciendum eſt, quod matrem æterno Filio aſſignet. Et primò quidem Patrum teſtimoniis recitandis d.3. q.2. cert. 1. quæ Filium vnigenitum eſſe, ideſt ſolum ex ſolo Patre ſuadent: vt loquuntur Damaſc.1. de fide, c.9. Auguſt. ſerm. 38. de temp. ſub med. Fulgent. ad 3. obiect. Arrianor. circa fin. Clem. Roman. 6. conſtitut. Apoſtolicar. c.11. & 2. Recognit. pag. penult. Secundò: quia idcirco omnia matris munia concipiendi, ex vtero generandi, parturiendi, geſtandi in ſinu æterno Patri in Scriptura tribuuntur, nequis, quantumuis ſtolidus, ac demens, matrem in ea generatione deſideraret. Tertiò: quia rigoroſa Matris munia Deum dedecent, ſcilicet principaliorem virtutem actiuam fœcundantem ſupponere, eſſéque receptiuum principium. Quartò ſupponi deberet aliud principium prius origine, quam mater, quæ eſſet ante Filium: quod repugnat in diuinis: tum quia Filius ſecunda Perſona Trinitatis, vnámque ſolum ſupponens non eſſet: tum quia admittenda quaternitas Perſonarum in diuinis foret. Idcirco: quia Filij nomen vnicam, & eandem Perſonam, & virtutem in Patre requirit, non adeo eſt illud Scriptura peroſa: quare de ſe Filius fœminè ait Eccleſiaſt.24. *Primogenita ante omnem creaturam.* & rurſus: *Ego iam concepta eram.* Ergo error hic ex ſilentio erutus profundo deinceps ſilentio obruatur: atque ad præcipuum Certaminis huius inſtitutum diſcurſus redeat.

8 Probatur ergo rurſus concluſio. Quia Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt Deus inter ſe ſe, & à Patre diuerſus: ergo nullus habet deitatem adæquatè diuerſam ab alterius deitate. Maior eſt lumine naturæ nota, fuiſéque à nobis probata in phyſicis controu. de cauſa prima, & in Theologicis controu. de Deo vno. Expreſſa item Deuteron. *6. Dominus Deus tuus Deus vnus eſt.* Ad Rom.3. fine: *vnus Deus.* Id quod repetitur ad Galatas 3. ad Epheſ.4. & 1. Corinth.8. *Non eſt Deus niſi vnus.* Conſequentia eſt legitima: quia ſi haberent tres adæquatè diſtinctas Deitates tres eſſent Dij, & non vnus Deus: ergo ex vnitate Dei euidenter infertur tres Perſonas non habere tres diſtinctas adæquatè deitates. Aſſumptum probatur: quia concreta ſubſtantiua ſubſtantialia nequeunt non, omnium opinione, multiplicari per formas, ſeu rationes, quas expreſsè in recto dicunt: ſed concretum Deus eſt concretum ſubſtantiuum ſubſtantiale, quod Deitatem ſaltem expreſsè dicit in recto: ergo per adæquatam deitatis multiplicationem debet multiplicari: ſed admiſſis pluribus Deitatibus pro Perſonarum pluralitate adæquatè diſtinctis multiplicatur adæquatè deitas: ergo multiplicatur concretum Deus: ac proinde tres Perſonæ, non vnus Deus, ſed tres erunt Dij. Confirmatur: quia ex multiplicatione adæquata humanitatis in Petro, & Paulo multiplicatur homo, Petruſque, & Paulus, licet ſpecificè in ratione hominis conueniant, Duo homines abſolutè ſunt: ergo multiplicata Deitate adæquatè in Perſonis, licet in ratione communi deitatis conueniant, tres erunt Dij.

CERTAMEN VI.

Perſonarum conſubſtantialitas ſiue identitas in natura contra vltimum errorem adſtruitur.

1 Cæteris ſtolidius errarunt, qui diuinam Naturam inadæquatè ſolum à natura Patris diuerſam in Filio, & Spiritu ſancto commenti ſunt. Siquidem hæreticam ignominiam præcipuis myſterij huius difficultatibus obnoxiam relinquentes, ſine vllius teſtimonij, rationiſve præſidio, haud mitioribus aliis difficultatibus obnoxiam excogitarunt. Contra primò: quia, vel ita aſſerunt ſubſtantiam Patris in Perſonas procedentes deriuari, vt in ipſo eadem pars deriuata maneat, vel ita, vt non maneat. Sed diuinitati paternæ proceſſione decurtetur? Si hoc extremum: ergo nulla Perſona Deus eſt: quandoquidem nulla habet integram deitatem; ac proinde Arianus non eris, quia Arrium blaſphemia excedis. Dices nullam Perſonam eſſe Deum integraliter; aſt eſſe Deum eſſentialiter. Contra: ergo in diuina natura integralem admittis compoſitionem Angelis, quauíſque ſubſtantia ſpirituali indignam. Contra ſecundò: ergo Deum Patrem ante generationem maiorem, minorem poſt generationem comminiſceris: integrum ante proceſſiones, poſt illas vero mancum, ac decurtatum. Quid ergo prohibebit, vt tuus hic Deus Pater truncato, ac decurtato homini ſimilis illud naſutum Poëtæ carmen. *Truncoque ſimillimus Hermes.* Excipiat? Contra tertiò: quia, vel illa portio ad perfectionem Dei ſpectat, vel ſecus? Si non ſpectat: ergo numquam fuit in Deo: quare neque diuinum aliquid generatione deriuatur in Filium, vel proceſſione in Spiritum ſanctum: atque hos proinde cum Arrio creaturas facis. Si ſpectat: ergo ſemper eſt in Deo Patre quandiu manet Deus. Patet: quia in Deo nihil perfectionis propriæ poteſt deficere. Tum quia immutabilis omnino eſt: tum quia de conceptu Dei eſt ſummam perfectionem habere: non eſt autem ſumma perfectio, cui aliquid in ſua linea deficit perfectionis.

2 Si autem eadem diuinitatis pars, quæ perſonis procedentibus communicatur manet in Patre: in primis Deum Patrem integraliter componis; quod impugnatum ſatis eſt, atque inferius reiicietur impugnatione 6. Contra ſecundò: ergo Filius, & Spiritus ſanctus Deus non ſunt: cum alia pars diuinitatis, qua Pater Deus conſtituitur, in neutro ſit: redeúntque argumenta, quæ nuper Patrem non eſſe Deum conuincebant: ac proinde velis, nolis arrianizas. Contra tertiò: quia ſi eadem pars communicatur à Patre Perſonis procedentibus, quæ in ipſo manet, cur non tota diuinitas? Quia vel deficit Patri virtus totam communicandi, aut parti illi potentia, vt communicetur, aut Perſonæ procedenti capacitas totam recipiendi?

Non

Non primum: quia, ſicut virtus communicatiua illius partis perfectio eſt, virtus etiam communicatiua alterius partis perfectio erit: ac proinde à perfectiſſimo, & infinito Patre abeſſe non poterit; niſi alia pars eſſentialiter à parte alia Patris differat: quare diuinitas nõ ſolum integraliter, ſed eſſentialiter componetur. Non ſecundum: quia eiuſdem rationis vtraque pars eſſe debet, omnémque, & eamdem perfectionem communicabilitatis habere. Non tertium: quia Perſona procedens Deus etiam omnis perfectionis capax eſt: illa autem pars, quam in Patre adſeruas, perfectio eſt puriſſima. Contra quartò: quia nulla apparet maior difficultas in communicatione identica Perſonarum in vna parte diuinitatis, quam in diuinitate tota. Contra quintò: quia iam Patrem admittis Perſonis procedentibus maiorem, cum ille duplicem, vel triplicem Deitatis partem habeat; eæ verò vnam ſolum Deitatis habeant portionem. Contra ſextò: quia diuinitatis conceptus eſt eſſe à ſe: ergo, & eſſe omnino indiuiſibilem. Probo conſequentiam. Quidquid de conceptu ſuo eſt à ſe, de conceptu ſuo eſt ſimpliciter infinitũ per denegationẽ termini, etiã extrinſeci: quidquid de conceptu ſuo eſt ita ſimpliciter infinitũ de conceptu ſuo eſt indiuiſibile: ergo quidquid de conceptu ſuo eſt à ſe, de cõceptu ſuo eſt indiuiſibile. Maior eſt euidens. Quia quidquid de conceptu ſuo eſt à ſe de conceptu ſuo excludit finitatem, & limitationem; ac proinde eſt infinitum ſimpliciter, etiam per negationem termini extrinſeci. Nec minor eſt obſcurior: quia, ſi eius eſſentia diuiſibilitati, & augmento ſuo locum dat, de conceptu ſuo infinita ſimpliciter non eſt.

3 Iam variis Scripturæ teſtimoniis agenda res eſt. Et de Filio quidem probant ea, quibus Chriſtus omnia præſertim intrinſeca communia ſibi cum Patre teſtatur. Ioan.16. *Omnia, quæ Pater habet mea ſunt*, & 17. *Omnia mea tua ſunt, & tua mea.* De Spiritu etiam Sancto probatur, cum afferat Chriſtus ſcientiam etiam, ac proinde eſſentialia, & communia Spiritum ſanctum ab ipſo accipere datis Verbis: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Secundò probatur ex locis omnibus, quibus mutuam Perſonarum circumin ceſſionem probabimus d. de Perſonar. comparat. Etenim circuminſeſſionem mutuam Perſonarum identitatem earum in natura adæquata, vt minimum, inuoluere citra dubium eſt; mihi autem in ea ſolum conſiſtere non ambiguum. Tertiò probatur ex iis, quæ Perſonarum æqualitatem diſputat. citata probabunt, ſuppoſito, quod vnaquæque Perſona integrè, & adæquatè Perſona ſit, vt contra ſecundum errorem dicebamus. Quartò ex celebri loco Math. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Vbi illud *nomine* trium Perſonarum, eas eiuſdem authoritatis, & naturæ eſſe Patres omnes intelligunt, qui ab Apoſtolis hucvſque floruerunt, vt ſtatim recitabimus. Tanti verò momenti etiam apud aduerſarios hæreticos teſtimonium hoc ſemper fuit, vt teſte Athanaſ. epiſt. de Synod. Arim. & Seluc. verſ. med. §. *Credimus congruenter* plures ex Arrianis, Euſebiani dicti, eo conuicti fuerint. Imò neque Arrius ipſe auſus fuerit in forma Baptiſmi vocem illam *in nomine* omittere, vt refert Theodoret. 4. hæreticar. fabular. ſub init.

4 Quod autem ea dictione trium Perſonarum in natura, & authoritate identitas ſignificetur docuit Sanctus Ignat. M. epiſt. 5. ad Philip. longè ab init. Clemens Romanus 3. conſtit. Apoſtol. c.17. Iuſtin. M. expoſit. fid. de Trinit. longè ab init. Alex Pap. 1. epiſt. 1. c. 6. quæ extat ſub nomine Benedicti tom.2. Concil. Athanaſ. d. Nicæn. cum Arrio longè à med. orat.3. contr. Arrian. circa med. epiſt.1. ad Serapion. de diuinit. Spiritus S. med. epiſt.2. longè à princ. & infrà, epiſt. *Admirabere* ad eundem circa fin. epiſt. ad Regem Iouinianum, dialog. 2. contr. Anom. longè à med. dialog. contr. Macedon. fine, Nazianz. orat.32. ad 150. Epiſcopos poſt med. num. 54. orat.37. 5. de Theolog. verſ. fin. orat. 49. col. 2. carmine arcan. 3. de Spiritu S. circa med. Baſil. 3. contra Eunom. longè à princip. epiſt.64. ad Prudentiores Eccleſiæ Neocæſar. circa med. Nyſſen. orat. catechet. cap.39. poſt. med. Epiphan. hæreſ.62. ante med. Cyrill. Alex. 1. in Ioan. cap. 2. poſt med. & 1. theſaur. cap.6. poſt med. Chryſoſt. tom. 3. ſerm.5. feriæ 5. Paſſionis longè à med. ſerm. de Sancta, & conſubſtantiali Trinit. longè à princip. Damaſc. 1. de fide cap.8. circa med. Didimus de Spiritu S. Theodoret. 5. Epitomes diuinor. decretor. c.3. poſt med. Iſidor. Beluſ. lib. 1. epiſt.109. reliquíque Interpretes ad eum locum vbi Hieronym. & epiſt. ad Hedibiam q.9. circa fin. Hilar. 2. de Trinit. init. Ambroſ. 1. de fide ad Gratian. c.1. & lib. 5. c.5. init. & 1. de Spiritus S. c.14. init. Fulgent. ad vltimam obiect. Arrianor. circa finem, & de fide ad Donatum, cap.9 ac de Incarnat. & grat. Ieſu Chriſti cap.11. med. Vigilius Pap. 2. contra Eutychen. col. 2. Iſidor. 6. Etymolog. c.19. prope med. & 2. de Eccleſiaſt. officiis, c. 24. circa, & poſt med. Concil. Florent. ſeſſ. 22. poſt med. ſeſſ. 25. init. Idacius clarus 3. contra Varimandum circa med. Magiſt. in 1. d. 2. cap. vlt. vbi Scholaſtici veteres omnes.

5 Quintò argumentor ex 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres vnum ſunt.* Quo loco ad rem hanc vtuntur Patres omnes à nobis dati quæſt. 1. Quibus adde Athanaſ. 1. de vnit. deit. longè à med. & Nicæn. cum Arrio, Fulgent. contra obiect. Arrianor. circa fin. apud quem Baſil. de vnitate Eccleſiæ, aliàs de ſimplicitate Prælatorum, Fertullian. 4. contra Marcion. longè à med. Ambroſ. 1. de Spiritu S. c.6. Hieronym. Prologo in epiſtolas catholicas, Auguſt. 3. contra Maximin. cap.22. poſt med. atque ad locum recitatum vbi, & omnes interpretes. Higinus Pap. epiſt. ad omnes Chriſti fideles, Ioan. Pap. 2. epiſt. ad Valerium, Idacius Clarus proximè Bernard. ſerm. 1. & 2. Octauæ Paſch. Eugen. Carthaginenſis expoſit. fidei catholicæ, Victor, Vticenſ. lib. 2. Innocent. 3. cap. *damnamus*: de ſumma Trinit. Sed obiiciunt Arriani ſtatim à Ioanne ſubdi: *& tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis: & hi tres vnum ſunt.* Ergo, ſicut hic eſſe vnum non denotat horum trium vnitatem, ſiue identitatem in natura, neque ibi eam denotabit: cum eodem modo de vtroque ternario vnum eſſe dicatur. Reſpondetur pluribus Latinis codicibus non legi *vnum ſunt*, ſed *in vnum ſunt*, nempe, vel Baptiſmum, vel teſtimonium; cum tamen primo loco de Perſonis *vnum ſunt* conſtanter vbiuis legatur. Reſpondetur ſecundò ex Auguſt. 3. contr. Maximin. c.22. poſt med. Tria hæc, cum ſacramenta, & ſigna ſint, vnum eſſe, non formaliter, ſed obiectiuè: quatenus ſcilicet tres Perſonas ſignificant, quæ vnum in eſſentia ſunt. Vnde de eadem Chriſti Perſona dicitur Spiritum amiſiſſe, ex eiúſque perforato latere ſanguinem, & aquam exiſſe: cuius rei paulo ſuperius Ioan. meminerat: ac proinde addiderim præterea, ſecundo loco, vbi de teſtimonio Spiritus, Aquæ, & Sanguinis Ioannes ſcripſit, loqui de ipſis quatenus fuerunt teſtes diuinitatis Chriſti morientis: vti ex confeſſione Centurionis patet: atque voluiſſe ſignificatiuè idemmet teſtimonium eſſe Spiritus, Aquæ, & Sanguinis à Chriſto emiſſorum, atque teſtimonium Patris, Filij, & Spiritus ſancti, de quo primo loco egerat. Etenim vtroque teſtimonio relato concludit. *Si teſtimonium hominis accipimus, teſtimonium Dei maius eſt:* ergo ex Ioannis mente teſtimonium vtrumque ab ipſo relatum teſtimonium Dei eſt. Spiritus quidem Aquæ, & Sanguinis ſignificatiuè, Patris, Verbi, & Spiritus ſancti formaliter, & in ſe: qua ratione, & hi tres vnum eſſe dicuntur, & tria illa ſolum eſſe dicuntur vnum ſignificatiuè: quatenus trium Perſonarum, quæ vnum ſunt, teſtimonium ſignificant, ac Filij diuinitatem, quæ vna eſt in Perſonis tribus.

6 Hoc ipſum argumentum Patres omnes conficiunt contra Arrianos ex illo Ioann.10. *Ego, & Pater vnum ſumus.* teſte Ruiz ſupra ſect.6. num.2. licet enim directè, & formaliter Filij tantum cum Patre conſubſtantialitas ibi tradatur: à paritate tamen rationis eadem conſubſtantialitas de Spiritu ſancto probatur. Ratio autem cur voce *vnum* neutrè identitas ſubſtantiæ, & eſſentiæ ſignificetur

ficetur ea est;quod scilicet vnum neutrè idem, atque vnum ens sit;vt vectè Ruiz citatus. Cum autem entitas, & essentia idem,atque ens parte obiecti sit,licet ex modo significandi aliqua sit diuersitas, entis vnitas essentiæ vnitas est. Quod fusius d.6.contra ipsum vrgebimus. Dicent Arriani vnitatem Filij cum Patre eo loco traditam esse vnitatem concordiæ, & amicitiæ. Etenim eam Discipulis dari à Patre orabat Christus Ioann.17. n. 11. *vt sint vnum sicut & nos*,& n.21.*vt sint vnum,sicut & nos vnum sumus*;atqui vnitas discipulorum, quam Christus à Patre orabat, exoraréque poterat, non est vnitas in natura, sed solum concordiæ,& amicitiæ: ergo neque Personarum vnitas in natura est,sed concordiæ.Respondetur vnitatem Discipulorum, pro qua Christus orabat eodem textu,ne vnitas naturę intelligeretur temperari. Primò ex precibus, quibus vnitas naturæ non subiacet.Secundò ex verbis, quæ adducuntur num.21. *vt & ipsi in nobis vnum sint*,scilicet, vt notauit August. per gratiam, seu moralem aliam vnitatem,quę similibus verbis significatur in Scriptura, inquit ille 6.de Trinit.c.3.& 2.contra Maximin.c.12.& lib.3. c.22.id quod variis Scripturę testimoniis confirmat. Tertiò coniunctione *sicut*, in qua significatur dissimilitudo, licèt denotetur imitatio, & proportio aliqualis,non autem identitas, seu vnitas: vt obseruant Athanas.orat.4.contra Arrian.longè à princip. & Innocent.3.c.*damnamus*,de Summa Trinit. sic Matth.5. *Estote perfecti, sicut Pater vester Cælestis perfectus est*; in vnitate verò,quam habere se cum Patre testatur filius,nulla inuenitur moderatio.Imò cum illam adducat Christus, vt æqualitatem suam cum Patre probet, ac proinde non magis de sua,quam de Patris manu rapi ab aliquo suas oues posse:de vnitate naturę suę cum Patre se loqui manifestè ostendit.Siquidem potentię æqualitas vnitatem consequitur naturę diuinę,quę vna asseritur.

7 Sed dicent Arriani vnitatem, quam cum Patre habere se dixerat Christus, corrigi, dum ipse lapidabundis ipsum super hoc Iudæis satisfaciens, statim subdit:Ioan.10.35.*In lege vestra scriptum est: ego dixi dij estis vos*: cum tamen Propheta, & Iusti veteres,qui deorum nomine ibi censebantur.Deus non essent, neque vnam eandemque cum Deo haberent naturam:ergo neque Christus,qui Deum se eodem modo dixisse illis verbis tacitè confitetur,non dixit vnam eandemque naturam habere cum Patre. Respondetur tamen cum Hilar.7.de Trinit.August.Beda,& Commentatoribus ibi, diuerso modo deitatem de se profiteri Christum, suęque naturæ vnitatem cum Deo,atque verbis illis ex veteri Testamento relatis Prophetis, Sanctisque veteribus deitas asserebatur. Eam quippe sententiam refert, vt à minori ad maius arguens rectè se ipsum Deum appellasse Iudęis ostenderet, atque vnum se cum Deo Patre monstraret: vt ex immediatè sequenti textu patet illis verbis: *Si ergo eos &c.quem Pater sanctificauit,& misit in mundum*, &c. Addit Athanas. orat. 5. contra Arrian. circa med.& contr. Gregal.Sabell. post med.obiectis verbis voluisse Christum Dominum errorem Iudęorum corrigere:qui cum Personarum distinctionem in Deo non calerent, existimabant Christum Dominum, cum Deum se faciebat, Deum Patrem, quem solum agnoscebant,se facere, vt doctè obseruat Cyrill.4.thesaur.c.2.circa fin. Ambros.1. ad Timoth.1.*Regi sæculorum*, &3.de fide ad Gratian. c. 2. ad id:*Qui solus habet immortalitatem*, illis verbis: *Accipe aliam*, &c.Hilar.4.de Trinit. longè à med, August.6. de Trinit. c.7.fin.S.Thom.1.p.q.31. art.4.

8 Porrò licet pugnatius in Concilio Nicæno pro Filj cum Patre consubstantialitate contra potentiorem tunc Arianam hæresim fuerit decertatum: tamen Spiritus Sancti consubstantialitas obiter ibi etiam fuit definita:vt obseruant Basil. epist.60. fine & 78. post med. Nazianz.orat.52.seu epist.ad Cledon. sub init. Damasus Pap. epist.6. & patet quidem ex lib.2. Concilij inter med. & finem,vbi Trinitatis consubstantialitas definitur: atque iterum §.*audi iam*. Idem etiam professi sunt Patres, quam plurimi ad Athanas.Alexandriam coaduentantes de Personarum omnium consubstantialitate acturi apud Sozomenum 6. tripartitæ c.20. fine Professi item eandem consubstantialitatem Personarum fuere Concil. constantinopol.2. generale 5. confess. seu collat.8. can.1. Nicæn.2.generale 7.act.3.confess.fidei Tarasij sub init. & in exemplari literarum Theodori Hierosol. Patriarchæ, Concil.Roman.& Agatho Pap. epist.2. col.2. & longè à med.apud 6.Synod.gener.act.4.Sophron.Patriarch.Constantinop.& eadem 6.Synodus act.11. epist. professf. fidei à col. 2.Concil.Anglican.apud Bedam 4. Hist. Anglic.c. 13. Tradita quæ perpetuo in Ecclesia ab Apostolorum tempore eadem veritas est,Patrúmque, & fidelium omnium continua obseruatione recepta. Eam quippe tradidit Iacob. frater Domini in sua liturgia sub init. ac versus,& circa finem, S. Marcus Euang. in sua liturgia longe à med.& inferius,S.Ioann. Euang.teste Procoro in eius vita c.1. Damasus Pap.epist.1. ad Paulin. Antioch. & epist.6.Martin.Pap.1.c.1.& 2. decretor. Synodicor.contra Theodorum,& Cyrum.Ioann.Papa 2.epist.ad Senatores, seu lib.de duab.natur.contra Eutychanos,Iustin.M.expos.fid.de coessentiali Trinit.& q.17.18.& 129.a dOrthodoxos, & dialog. cum Triphon. Innoc. Papa III. c. *Firmiter* de summ.Trinit.Dionys.2.dediuin.nominib.sub init. illis præsertim verbis: *Omnia, quæ sunt Patris eius (* Filij *) etiam sunt:omnia diuino Spiritui,& communiter,& coniunctè*. 5. Martial.Apostolorum discipulus ep.st.1. ad Burdegal. c. 10. fin.tom.3.Bibliot.S.Ignat. M.& ipse Apostolorum Discipulus epist.ad Philadelphienses longè à princ.

Certamen VII.

Ex voce homousion *eadem veritas confirmatur,*

1 ADeam sanè Personarum in natura vnitatem stabiliendam magno fidei,& Ecclesiæ commodo vox *homousion*,idest, *consubstantialis*, siue eiusdem substantiæ,& essentiæ posita in Symbolo Concil. Nicæn. fuit Arrio perstrepente; qui ea hæresis suæ videbat potius quam præsagiebat excidium: vt bene Athanasius de decret.Nicæn. Synodus Naz. orat. 44. seu tractat. de fide circa medium Liberius Papa Epistola 11. de fide, Nicæn. ad Oriental.circa medium, Epiphan.hæresi 69.vers.fin.hæres.73.ante,& post med. & col.5. Ancorati: qui Sabellij etiam errorem de Personarum identitate ea voce proscindi docet: sicut & Ambros. 3. de fide ad Gr. tian.post med.Fulgent.ad 7.obiect.Arrian.post.med. Illud enim homo seu *con* diuersitatem conuenientium in substantia demonstrat. Quin,& Personarum procedentium processiones statuit: vt acutius obseruant Athanas. epist.de Synod.Arim.& Secleuc, circa fin.Hilar. de Synod.vers.fin.post Nicænum: vt id circo Semiarrianorum vox *Synusion*,idest *simul substantiam habens*, reiecta à Catholicis fuerit teste Epiphan. citata col.5.Ancorati:quia neque processiones,neque substantia identitatem rigorosè exprimebat.Patres igitur Concil. Nicæni rursus eam vocem approbarunt; vsitatamque ex Apostolorum tempore docuerunt in fragmento, quod ex Vaticano græco ponitur lib.2.ante subscriptiones col.penult. his verbis *visum est omnibus nostris consubstantiale in Ecclesia definiri oportere:ad eum modum,quo, & Apostolos Sancti Patres nostri tradiderant. Hoc est confiteri Filium, & Spiritum Sanctum eiusdem substantiæ esse cum Patre.*

2 Eandem vocem *homousion*, & *consubstantiale*, recepe-runt postea concilia omnia Constantinopolit.1. generale 2.cap.1. Ephesin.general.1.epist.ad Nestor.& tom. 2. c.3. & tom.5.c.1. Calcedonens.gener.4. act.2.& 16.Synod.5. generalis act.3.professf.fidei,act.8.can.1. Synodus 6. generalis act.4. Agatho Papa,& Concil.Roman. epist. ad 6. Synod.longè à med. Liberius Pap.epist.9. ad Episcopos Italiæ, tomo 1. Concilior. & apud Hilar. lib.fragmentor. vers.med.& epist.11. ad Oriental. Leo Magn.epist. 193.ad Turib. Austerienss.cap.1.Ioan.Pap.2.epist.ad Senator.seu lib.de duab.naturis contra Eutychianos §.vlt. Denique Patres omnes, qui, vel Arrium coram, vel vigentem eius postea imperiali potentia errorem impugnarunt, tanta eam vocem constantia tenuerunt, vt pace ab Arrianis oblata,si eam relinquerent,dignitates, patrias, domos per carceres, vincula, exiliáque maluerint, quam vocem Catholicam deserere. Tanti insuper fidei, & Ecclesiæ Catholicæ ea vox fuit,tantíque hæreticorum eius exilium intererat! Id circo Macedon. Semiarrianorum Principibus præter *synusion* vocem,vt indoctiorum fidelium aures demulceret aliam Catholicæ nostræ assonam architectatus, nempe *homousion*, id est, *similis substantiæ*, pacem, si pro *homousion*, relegata reciperetur, obtulit Ecclesiæ. Illi verò eadé constantia Patres renuerunt teste Theodoreto 2.Histor.Ecclesiast.c. 18. & 19. vel tripartita 5.c.21.& 33.Cæterũ Patres aliquot Occidentales hanc Semiarrianorum vocem Catholico sensu de perfecta similitudine per substantiæ identitatem receperunt: in quibus Patres Concilij Arimin.numerantur. Sed illos quidem blandè reuocat Hilar.de Synod. longè à med. Ariminenses verò suam imprudentiam, atque hæreticorum actum viderunt:cum Arrianos proclamantes audirent,vt *etherousion*.admitterentur:quia similitudo substantiæ diuersitatem substantiæ dicebat,quam vox *& herousion* importabat,vt refert Theodoret.proximè.

3 Prudentius ergo Hilar. vbi nuper, Cyrillus Alex. dialog.1.de Trinit.vers.med.Athanas.de Synodis Arimin. & Seleuc. Isidor.7. ethymolog. c.2. August.serm.38. de temp.Marius Victor.1.aduersus Arrium *homœusion*, execrantur. Arrianum. *etherousion*,nemo vsquam Patrum recepit.Sed verò Arrius nouitatem vocis *homousion* incupabat.Cum autem res ipsa in Scripturis apertè tradatur, vt vidimus,parui ea calumnia referret. An quia de Deo hac voce *incoporeus, incircumscriptibilis*, ac de Patre *innascibilis*,& *ingeniti*, vocibus res eis significatas in Scriptura non legimus,eas voces reiiciemus? Sic redarguunt Arrianos Cyrillus citatus col.5. Epiphanius hæresi 69.vers. finem,vbi eis obiiciunt plures rerum vocúmque suarum nouitates, vt *Synusion*, *homousion*, *etherousion*, Ambros. 1.de fide ad Gratian.c.9.circa med.Athanas.epist.ad African. circa med. & de Synodis Arim. & Seleuc. longè à med.Siluan.apud Thæodoret.5.Hist.tripart.c. 42.Secundò *visa*,græcè,latinè verò substantia;pluribus Scripturæ locis naturæ diuinæ tribuitur,Exod.3.Hierem.9.& 23. semel, & iterum.versu 28.iuxta versionem 70.Psalm.138. Nahum 2.Sap.16.Ad Hæbr.1.2.Petri 1.quæ congerunt Cyrill.Alex. dialog.1.de Trinit. longè à princip. Epiphan. citatus, Hilarius 1.de Trinit.med.Ambros.citatus, & lib.3.toto c. 7.Nazianz.lib.de filij diuinit.c.4.& locis supra datis. Atque,vt supra diximus ad Philippens.2.*cum* in forma Dei *esset*,idem valet *forma* atque *substantia*.

4 Insistebant Arriani *homousion* reiectum à Patribus Concil.Arim.& Sardicens.vt refert Athanas.de Sinodis Arim.& Seleuc.August.3.contr.Maximin.Sed Ariminenses potentia Constantini Imperatoris coacti id egerunt; libertate verò donati,iámque Catholici *homousion*, receperunt;sicut,& Sardicenses initio Arriani,postea Catholici.Patres insuper Concil. Antiocheni eandem vocem exhibiarunt. Sed malo sensu. Id enim etiam hæretici tentarunt:propriam Catholicam vocem in prauos sensus detorquere,vt,vel ab Ecclesia exularet, vel minus doctos fideles deciperet. Extremum ab aliquibus Catholicis obtinuerunt: quos recensет Hilar.de Synod. post Can.27. fidei Syrmicæ col. 4. Primum à Patribus Antiochenis: qui eam vocem respuerunt in sensu Pauli Samosateni:vt solam specificam vnitatem Personarum in substantia significabat;qualem habent Petrus, & Paulus in hominis natura: cui errori præcauendo vox tunc ipsius vehiculum vitanda fuit. Cum autem postea veritati seruiebat,eadem vox fuit cum honore recipienda: vt rectè Athanasius citata epist.sed cæteris luculentius Hilar.de Synod.vers.fin. ait: *Male homousion Samosatenus confessus est.Sed numquid melius Arriani negauerunt? octoginta Episcopi olim respuerunt; sed trecenti decem, & octo nuper receperunt:illi contra hæreticum improbauerunt. Si & probando.& improbando vnum vtrique statuerunt,quid bene constituta conci-*

*limus?*Tandem constantinum alias Imperatorem Catholicum,sed pacis nimis cupidum, minúsque cautum deceperunt Arriani dicentes, se voce tenus à Catholicis dissidere:compuleruntque,vt Epistola ad Alexandrum, & Arrium per Osium Cordubensem tom.1. Concilior. editione Veneta anno 1685.lib.1. de actis ante Concil. Nicæn.pag.508.col.2.otiosam,inutilem,& inanem vocis *homousion* controuersiam appellaret. Sed laici, ac sinceri hominis censura fuit.

Certamen VIII.

Ab obiectionibus præfata dogmata vindicantur.

1 PRæcipuas ab authoritate obiectiones cursim quæstionibus præcedentibus diluimus.Vt autem plures alias, quæ ex Basilio, aliísque Patribus, imò, & Scripturæ testimoniis nonullis peti possunt,facilè,soluas aduerte: nomen *Deus*, non semel personaliter, & notionaliter accipi præcipuè pro Patre. Sic Ioan.14.dicitur: *vt cognoscant te solum verum Deum*,1.ad Timot.1. *Qui solus habet immortalitatem*.Sic etiam aliqua, quæ propria sunt Dei,ac proinde communia de solo Patre dicuntur,atque de Filio negantur:vt cognitio diei extremi iudicij,Marci 13.num.3.*De die autem illo*, &c.*neque Filius*,scit, *nisi Pater* Regni item cælestis donatio non ad Filiũ, sed ad Patrẽ spectare dicitur Math.20.Quibus omnibus satisfit ex doctrina tradita de processione Personarũ à Patre,ac proinde omniũ,quę in Deo sunt attributione primaria ad Patrem,tanquam ad Personam, quæ ea omnia à se primariò habet aliísque procedentibus Personis, tanquam harum author, communicat. Secundò dici posset: cum vni Personæ commune aliquid etiam cum particula exceptiua tribuitur, duas alias non excipi,sed ea solum, quæ non sunt idem Deus cum illa, iuxta Basil.5.contr. Eunom.longè à med.c.14.& 15.ac sæpius, Anselmum epist. de process. Spiritus S.post med.c.cum autem vbi sic explicat illud Math.11. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius?*& 1.Corinth.2.*Quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei*. Quo etiam pacto explicandum venit illud Isaiæ 45.*& non est Deus præter te*.cui consonat Baruch. c.3.Quam solutionem Paulo ante dedit Hierothæus ad c.2.de diuin.nomin. fine,Hieronym.in Matth.24. ad data verba Matth.20.*de die illa*, Ambros.3.de fide ad Gratian. c.2.August.3. contr. Maxim.c.23. pluréque Patres apud Ruiz d.40.sect.4.5.& 6.dicentes ratione concatenationis Personarum,quod de vna dicitur dici etiam de alia: quia nulla esse potest sine aliis: quare,nec à non oppositis alterutrius, excludi.

2 Obiicies secundò. Filius accipit mandata à Patre iuxta illud Ioan.10*Hoc mãdatum accipi à Patre meo*,& c.12. *Qui me misit, mandatum mihi dedit*, Quæ sententia reperitur c.14.atque c.15. Filius profitetur se Patri obedire illis verbis:*Patris mei præcepta seruaui*,& iam olim Psalm.39. *Scriptum est de me,vt facerem voluntatem tuam:Deus meus volui,& legem tuam in medio cordis mei*. Quibus respondetur communiter Filium de se,quatenus homo est, loqui. Et quidem verè,si vox mandatum,præceptum, & obedientia strictè accipiantur:nam, neque illa possunt rigorosè sumpta ad Personam æqualem dirigi: neque obedientia à Persona æquali cum iubente præstari. Hac solutione Arianus tumultus ad silentium vsque componetur. Traditur autem à Chrysost. tom.3. circa med.serm. peculiari ad id 1. Corint.15.*cum autem subiecta fuerint illi omnia*, fine hom.59. in Ioann.longè à med. Nazianz.orat.36. longè à med. post numerum 63.Cyrill. Alexand.9. in Ioann.c.1. expos.t.& lib.10.c.20.& 2.de fide ad Reginas circa med. titulo de obedientia Christi Ambros. 5. de fide, c.5.fine, Aug.3.contr.Maxim.c.24.& tr.82.in Ioann.fin.& 79.fine, & 13.de Trin.c.14. circa med. & q.55. in Deut.circa med. verùm plura sunt earũ vocũ significata,iuxta quæ dirigi ad Personã æqualẽ possint;atque de Filio, qua Deus est, ratione

ratione generationis, & processionis æternæ verificari queant. Quare de Filio, qua Deus etiam est, ea loca soluunt Athanas. dialog. de Trinit. contr. Macedon. longè à med. Basil. de Spiritu S. c. 8. Chrysost. 1. Corinth. 11. hom. 26. col. 4. hom. 59. in Ioann. longè à med. Theophylact. Ioann. 12. Cyril. l. 7. in Ioan. c. 7. circa med. & vbi proximè Anastas. Synait. 1. de rectis fidei dogmat. Augustinus contra sermon. Arrianor. c. 11. & tract. 47. in Ioan. circa fin. & tract. 54. col. vlt. Lactan. 3. diuinar. instit. c. 24. Non imitandus in verbo *iussit*, quod ibi malè adhibuit. Primò igitur mandatum idem quandoque valet, ac commendatum alicui, vt ad alium, tanquam legatus, & internuntius deferat, licet æqualis sit. Sic Genes. 50. *Fratres Ioseph mandauerunt ei.* Quæ acceptio apud Iurisperitos de procuratore agentes frequens est. Secundò Magistri doctrinam significat; quæ vulgò præcepta dicuntur, atque ab eis Magister præceptor. Sic Isai. 28. *Manda, remanda.* Tertiò idem valet, atque vltima, & irreuocabilis voluntatis dispositio: qualis in testamentis est. Vnde Hispanè dicitur *Manda de testamento.* Sic ad Hebr. 11. de Ioseph dicitur: *de ossibus suis mandauit*, Psalm. 104. *Memor fuit in seculum testamenti sui, verbi, quod mandauit*, &c. atque alias sæpe. Quartò significat efficacem Dei motionem, cui alius annuat. Sic Iob. 9. *Præcipit soli, vt oriretur*, & c. 38. His ergo modis rectè Pater, & Persona producès procedèti Personæ mandare dicitur. Primò, tanquam internuntio, Ioann. 12. *Sicut dixit mihi Pater sic loquor*, & c. 16. de Spiritu sancto: *Non enim loquetur à semetipso sed quæcunque audiet loquetur.* Secundò, tanquam cui doctrinam, seu scientiam suam tradit Pater Ioann. 7. *Sicut docuit me Pater, sic loquor.* Tertiò, tanquam recipienti, & acceptanti irreuocabilem dispositionem Patris, eique non tolum annuenti sed eadem voluntatis motione volenti, quod vult persona producens. Id quod procedentibus Personis, communia omnia à producente accipientibus, conuenire citra dubium est. Ex quibus constat, quo iure Nyssen. de Trinit. & aduentu Domini, Verbi obedientiam, impropriam scilicet, dicenti Patri in rerum creatione his docuerit col. 2. *Cum audierit, dixitque Deus: statim mente concipe eum, qui audierit dicenti.* Eodem sensu de Verbo verificatur: *Descendi de cœlo, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*; & illud: *Non, quod ego volo, sed, quod tu*, quia à se ipso Filius Verbum voluntatem non habet, sed à Patre communicatam. Sic ea loca explicant Athanas. dialog. 1. de Sancta Trinit. contra Macedon. longè à med. disp. Laodic. cum Arrio col. 5. ante fin. & de communi essent. Patris, &c. circa med. & orat. contra Gregal. Sabell. vers. med. Nazianz. orat. 36. 4. de Theolog. circa med. n. 45. vbi Elias Cretens. & in orat. 3. Chrysost. Theophylact. Euthym. Ammon. & Leont. ad id Ioan. 6. Augustt. tract. 25. in Ioan. post. med. contr. serm. Arrianor. c. 17. fine & 18. init. Epiphan. hæres. 69. longè à med. Cyrill. 4. in Ioann. c. 1. præcipuè post med. Hæc. itaque, similiáque loca de Christo solum, qua homine rigore sermonis intelligi, qua verò Deus est laxiori mandati, & obedientiæ significatu, vt citati Patres exponunt, ac nos ex ipsis obseruauimus, dicendum est.

4 Tertiò, opponunt Arriani 1. Corinth. 5. dici de Christo: *Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc, & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*: scilicet Patri. Nec valet Filiũ hic intelligi quatenus homo, non autem quatenus Deus est. Siquidem secundum humanitatem minor Angelis est iuxta illud Psalm. 8. *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* ac proinde non sunt illi subiecta omnia. Cæterum licet Christi humanitas, secundum se considerata, minor, inferiórque Angelica natura sit, vti eo Psalmi versu dicitur; est ex vnione, & meritis longè est Angelis superior, cuique illi proinde subiici debeant. Non tamen inde detrectanda est docta alia statim subiicienda solutio. Respondet Ruiz subiectionem hanc Filij ad Patrem, etiam, qua Deus Filius est fore; sed per conformationem voluntatum, quia à Patre eandem accipit voluntatem æterna generatione: & qua homo, & caput est totius corporis mystici Ecclesiæ, quæ cum suo capite tota, & integra conformis voluntati Dei erit. Quam explicationem tam, quoad vnam, quam, quoad alteram partem refert ex Patribus d. 50. sect. 8. Quoad primam S. Ignatius Epist. ad Tarsens. Cyrill. 10. Thes. c. 8. à princip. ad med. Syrnicam Synod. can. 17. apud Hilar. citandum Naz. orat. 36. cit. obiect. 2. col. 2. & 3. præsertim n. 18. & 19. vbi Elias Cretens. Nyssen. orat. ad ea verba inter med. & fin. Chrysost. comment. ad ea verba hom. 39. circa med. Alteram verò partem tradit serm. peculiari citato Nyssen. etiam proximè; vbi integram explicationem docuit, sicut & Hieronym. in eius loci commentar. & ad id 2. ad Titum. *Serui dominis subditi sint.* Ambros. ad eum locum, & 5. de fide ad Gratian. c. 7. Hilar. de Synod. longè post med. & post can. 27. longè à med. & 11. de Trinit. à med. Athan. serm. in Euang. de SS. Deipara longè à Princip. & dialog. 1. contr. Macedon. à col. 4. & de human. natur. suscepta col. ante penult. Sed dices subiectionem omnium ad Filium non posse esse per vnitatem voluntatum. Primò: quia dæmonium mortísque subiectio futura Filio prædicitur ibi à Paulo: est neque mors voluntatem habet: nec dæmones concordiam voluntatis cum diuina vsquã habebunt. Porrò ad id probandum paulo ante recitauerat illud Psalmistæ: *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: Insuper subiectio dicitur Filij respectu Patris de futuro, vt exprimitur voce illa *erit*: ergo non est sermo de subiectione originaria per processionem, quam Filius ab æterno Patri habuit: nam Scriptura de his, quæ competunt, Deo, qua Deus, & persona diuina est, nunquam vtitur verbo de futuro seorsim: quia denotat id, quod dicitur, antea non fuisse.

5 Responderi tamen potest ad vtrumque. Ad primum quidem victos, & compeditos inimicos voluntatem non habere ciuilem, sed solum victoris, Ducis, ac Principis voluntatem: ex qua semper velint, nolint necessariò se gerunt: Mors insuper suo modulo Christo de ipsa in se fuisque iustis triumphum agente pro libitóque vtente: ac proinde integrum regnum subiiciendum Patri à Filio est, per cujus virtutem subiectum sibi fuit per concordiam, & vnitatem voluntatis victoris, & Principis Christi cum Patre, & hostium necessariam subiectionem. Et quamuis Filius victor qua Deus, laxo illo subiectionis genere, nempe processionis subiectis fuerit Patri ab æterno; ratione tamen istius extremæ subiectionis totius sui coporis mystici, suorúmque hostium, denuo subiiciendus Patri prænuntiatur. Adde, iuxta doctam Theodoreti animaduersionem additum ab Apostolo fuisse: *Tunc & Filius subiectus erit ei*, &c. ne Corinthij à Christo, de quo prædixerat euacuaturum omnem principatum, & potestatem, Deum Patrem debellandum putarent: quemadmodum in suis fabulis legerant Saturnum bello & armis à Ioue Filio suo subiugatum. Quasi dicat Apostolus: sicut antea subiectus erat Patri Filius, & tunc etiam creaturis omnibus subiugatis subiectus Patri erit.

6 Instabant adhuc Arriani. Filius se hominibus exequat, Deúmque suum, & Patrem, sicut & aliorum hominum Deum confitetur. Ioann. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*, Atqui hominum reliquorum, tanquam creaturarum Deus, & Pater, tanquam filiorum, vt summum adoptiuorum, Deus est: ergo, & eodem modo Deus & Pater Filij Verbi erit: non ergo Filius Verbum naturalis Dei Filius ac Deus est, sed creatura, Deíque Filius adoptiuus solum. Ita ex Arrianis referunt Phæbadius contra Arrianos col. 2. Naz. orat. 36. ad 4. obiect. Arrianor. post num. 29. Hilar. 11. de Trinit. col. 5. Respondent verò: aliter sui Deum, & Patrem Deum fateri Filium, ac cæterorum hominum, & Patrem, & Deum: quare seorsim Deum, & Patrem suum dixisse, seorsim Deum, & Patrem aliorum; non coniunctim Deum, & Patrem nostrum. Sic præter citatos obseruant Athanas. de human. natur. suscept. à med. dial. 1. de Trinit. contr. Macedon. col. 4. ante fin. Chrysost. tomo tertio, fine, serm. de S. Trinit. med. & hom. 85. in Ioann. med. Epiphan. hæresi 76. longè à med. & ad 20. caput Aëtij, & Ancorato, longè ab init. Cyrill. Alex. 12. in Ioan. c. 51. post med. 1. thesaur. c. 6. longè à med. & lib. 2. cap. 2. init. & lib. 5. cap. 5. circa med. Cirill. Hierosol. catech. 1. longè à med. Theophylact. ad eum locum, Gregor. Archiep. Trephens. d. cum Harbano Iudæo versic. fin. Ambr. 1. de fide cap. 6. à med. & 10. in Lucam cap vlt. med. & 3. de Virginib versus med. Augustt. tract. 121. in Ioan. post med Gregor. magnus hom. 25. in Euang. post med. Respectu sui Deum personaliter non secus ac Patrem accepisse aiunt Cyrill. & Hilar. essentialiter verò respectu sui Deum vsurpasse communius est, & docent citati Ambros. Augustt. Theophylact. Gregor. Chrysost. Cyrill. & Athanas. qui etiam lib. de communi essent. Patris &c. med. §. *Apostolus*, Epiphan. pag. 15. & 16. Sed tunc de se, vt homine, siue ratione humanitatis, locutum asserunt Christum. Quæ sonant Filium, & Spiritum sanctum à producenti accipere, & à se nihil facere, ex quibus diuinitatem eis negabant Arriani, expositimus q. 2. de eisque redibit iterum sermo d. de comparat. personar. vbi qua ratione Patrem rogent, ab eóque postulent planè, saneque explicabimus.

QVÆSTIO V.

An personarum identitas in natura euidenti alicui rationis principio contradicat?

QVÆSTIONE proxima de personarum consubstantialitate cum hæreticis ex Scriptura, & Patribus pugnauimus. Iam verò cum Philosophis, acrius adhuc, decertandum nobis in præsentiarum est: vt Mysterium tantum, quod supra omne rationis naturalis lumen, principio naturali non aduersari ostendamus.

CERTAMEN I.

Rei difficultas, aliorúmque solutiones confutatæ.

1 DVplici syllogismorum genere mysterium hoc à ratione impugnari potest: in quibus seruata, quoad speciem, recta concludendj forma ex veris huius Mysterij propositionibus falsum aliquid colligi videatur. Primus Syllogismus fit. *Essentia diuina est realiter Pater; Filius est realiter essentia diuina: ergo Pater est realiter Filius.* Quod est hæreticum. Nec videtur negari posse consequentia: siquidem à negatione identitatis realis terminorum consequentiæ eadem vi negatio identitatis eorum cum essentia, quæ est illationis medium, sic inferetur. *Pater non est realiter Filius: atqui essentia est realiter Pater: ergo essentia non est realiter Filius.* Quod æquè hæreticum est. Vtriusque consequentiæ vis euidentissimo illo naturæ lumine principio nititur: scilicet, *quæ sunt eadem vnitertio, sunt eadem inter se.* Illud autem traditur ab Aristot. 7. Topicor. capite 1. loco 5. verbis hisce: *Si cui alterum idem, & alterum.* (scilicet idem est) *Nam, si non sunt ambo eidem eadem, manifestum, quoniam nec sibi inuicem.* Vnde rursus sic in *Darij* contra mysterium arguitur. *Quæcumque sunt eadem vnitertio sunt eadem inter se: sed Pater, & Filius sunt eadem vnitertio essentia: ergo sunt eadem inter se.* Vel ab oppositi consequentis ad oppositum antecedentis hoc pacto. *Quæcumque non sunt eadem inter se, nec sunt eadem vnitertio. Sed Pater, & Filius non sunt eadem inter se: ergo nec sunt eadem vnitertio essentiæ.* Vtrumque autem consequens absurdum, imò hæreticum est, vt patet.

2 Quanta hic inter Theologos, quámque inutilis concertatio! An syllogistica forma principio huic Aristotelico, euidentissimóque innitatur? Affirmantibus Aureolo in 1. d 2. p. 3. tit. 3. Scoto quæstione 4. §. *Ad primum argumentum.* Capreol. quæstione 3 art 1. circa med Canar. p. quæst. 28. art. 3. negantibus verò Vazq. 1. p. d 123. c. 2. Caiet. quæst. 28. art. 3. §. vlt. Gregor. Arimin. in 1. d. 5. quæst. 1. col. 2. Marsil. d. 2. qu. 6. art. 3. fin. Ruiz de Trinitate d. 15. sect. 4. num. 3. & 4. Sed tamen ad rem præsentem id negare parui refert. Tum, quia, vt benè Marsil. & Ruiz proximè num 5. expositorius syllogismus, quo circa hoc mysterium Catholici in primis vexantur, immediatè, & proximè huic principio incumbere certissimum est: quia, licet non inniteretur, cum tamen ex illo videatur necessariò inferri, quod satis est ad Trinitatis mysterium euertendum, solutione potius ex vera principij intelligentia, quam logicæ quæstionis circa illud disputatione opus erit. Nec vacabit aliorum solutiones omnes referre licet, attingamus pauculas, & quæ vtilem habeant doctrinam. Plures videat qui volet apud Gregor. de Arin. in. proximè, §. *Ad rationes in oppositum.*

3 Okam. in 1. d. 5. q. 1. ait formam syllogisticam, eiusque principia in aliis omnibus tenere; non autem in diuinis. Contra primò: quia syllogistica forma, eiúsque principia à materia abstrahunt, rectáque de se sunt: quare, quæ in vna materia rectè concludunt, in omnibus, si certa materia sint, concludere debent. Rectè ergo Gregor. de Arimin proximè ait solutionem hanc mysteria diuina, quæ credimus, irrationalia profiteri: ipsis, videlicet, magis, quam hostes iniuriam, omnémque viam conuincendis hæreticis præcludere, improbaritsque Sanctorum Patrum, atque Scholasticorum ad dogmata catholica ab aduersariorum argumentis expedienda pium, & doctum laborem damnare. *Facilè quippè* (aiebat Augustt.) *fuit dicere: quod rationes contrariæ, & si in aliis valerent, non tamen in his valebunt.* S. Bonauentura in cap. d. 34. art. vnic. q. 1. corp. Ricard. d. 2. quæst. 1. ad 1. & 2. d. 33. art. 2. qu. 1. ad 2. vbi Argent. art. 4. & dist. 27. quæst. vnic. art. 2. ad 3. Ægid. d. 33. respondent illud principium, & formam syllogisticam verum habere in rebus absolutis, non autem in relatiuis identificatis vnitertio absoluto. Approbat Ruiz sect. 3. conatúrque id ex Boëtio de Trinit. vers. fin. aliísque Patribus deducere. Qui tamen solum docent Personas relationibus distingui. Cæterum ratio relatiui in extremis reperta, rectè quidem probat extremorum distinctionem, non autem identitatem eorum cum alio, quin & interse se, identificentur. Etenim, siue relatiua sint extrema, siue absoluta, si tamen vnitertio identificentur sufficienti identificatione, & inter se se identificari debere, ratio ipsa demonstrat. Atque ita in creatis necessariò euenire docet idem Ruiz num. 13. limitatio verò in materia creata, & illimitatio in increato Deo, ad quam ipse recurrit, mysterium quidem fecit, non autem huic principio solutionem: nisi hoc ita intelligendum monstretur, vt suo sensu in materia mysterij huius non currat: ne in Okami solutionem absurdam relabamur.

4 Scotus in 1. d 2. q. 4. sua distinctione ex natura rei inter personalitates, & essentiam huius argumenti ictum declinat: sicut Porretanus, & Durand. sua illa modali reali distinctione, quam inter essentiam, & personalitates comminiscuntur. Contra quos d. 8. q. 1. per totam, & q. 2. cert. 1. affatim pugnabimus. Nunc autem solum iibet ostendere ea adhuc doctrina admissa præsenti difficultati non satis fieri ab Scoto. Etenim, vt acutè Aureol apud Ruiz sect. 2. n. 4. talis est distinctio extremorum inter se, qualis est distinctio ab vno tertio: sed tres relationes non distinguuntur ab essentia communi Personis non realiter, sed solum ex natura rei per Scotum: ergo nec inter se realiter. siue, vt res à re, distinguentur relationes, neque Personæ quæ ipsis constituuntur, sed solum distinctione ex natura rei in sententia Scoti. Hoc argumento Scotus ipse multis in casum solutionibus, & replicis adhibitis ferè conuincitur loco citato fine. Maior est certa. Nam, si, iuxtà principium istud, identitas cum tertio, identitatem facit extremorum, & eodem modo distinctionem abolet, quo habetur identitas: ergo eo modo solum relinquitur locus distinctioni extremorum ex identitate cum tertio, quo hæc identitas tertij locum dat distin-

ctioni extremorum ab ipso. Iam verò Personas distingui, vt suppositа, atque vt rem à re, siue realiter, nec solum ex natura rei Catholicum Dogma de fide est. Idem argumentum æquè Durandum vrgere existimat Ruiz vbi proximè. Sed certè Doctores realis virtualis distinctionis chymericæ ad hanc difficultatem euacuandam architectatæ æquè premit, vt patet; ast Durandum non premit. Nam Personalitates res esse, vel modos certum non est: neque ex eo, quod ab essentia reali modali distinctione personalitates differ ant infertur Personas interse realiter modaliter solum differre, ideſt, vt modum à re cuius est modus. Illo siquidem admisso Personæ sibi inuicem modi non erunt, licet personalitates modi essentiæ sint: sicut, licet figura, & præsentia modi sint quantitatis, altera tamen alterius modus non est, nec enim minor est modorum inter se distinctio, quam rerum.

5 Sanctus Thomas in 1. d.35. q.1.art.1. ad 2. S.Bonau.art.1.quæst.3. ad 1.Gregorius. Arimin. art.3. ad 3. Capreol. d.2. quæst 3. art.1. fin. Marsil. quæst. 6. art.3. circa fin. Albert.1 p. quæst. 36. med. 1. longè à med. & Caietan.1. p. quæst.28. art.3. circa fin. respondent: extrema, quæ sunt eadem vni tertio, eadem, & inter se esse, non quidem absolutè, sed in eo, siue secundum id, in quo idem sunt: cum autem Personalitates sint idem secundum essentiam, non quidem infertur ex illo principio secundum se idem absolutè fore, sed solum secundum essentiam. Hanc solutionem bonam, & doctrinalem appellat Ruiz sect. 3. numero 19. Quia nimirum ea rectè intelligitur Personas diuinas esse idem neutrè, non masculinè. Insuper esse vnam rem, vnam bonitatem, vnam perfectionem, & sic de reliquis communibus, & absolutis Sed contra: quia principium illud probat extrema eo modo esse inter se vnum, quo identificantur cum tertio: sed extrema Paternitatis, & relationis secundum proprias rationes identificantur cum tertio, nimirum essentia: ergo secundum proprias rationes, nec solum secundum essentiam identificati debent inter se. Confirmatur ex discursu, quem ex Aureolo contra Scotum, & Durandum vrgebat nuper ipse Ruiz. Contra secundò: quia iuxta eam explicationem huius principij sensus redditur identicus, & inutilis. Nempe: quæcumque sunt eadem vnitertio sunt eadem in illo tertio; cum tamen principium illud affirmet ex parte prædicati non quidem externa esse eadem vnitertio, quod erat subiectum, sed eadem esse interse, quod est principij illius prædicatum: siue quod idem est, ex suppositione identitatis extremorum cum alio tertio identitatem extremorum inter se prædicat: quare, & solutio hæc falsa est, petitque manifestè principium, atque mysterij conclusione difficultati respondet.

CERTAMEN II.

Propria, & germana difficultatis solutio, atque ad Sophismata omnia solida Doctrinæ applicatio.

1 VEra igitur difficultatis solutio, atque principij illius explicatio est, quam dedit S. Bonau. in 1. d. 34. art. vnic. q. 1. ad vlt. vbi ait falsum esse illud principium: *tot est conuenientia plurium tanquam in commun.* Illi consentiunt Ægidius, & Argent. d.33. vbi Carthus q.1. fin Capreol. d. 2. q 3. art.1. vers.fin. Aureol p.3. titulo 4. circa med.& ad 7.d.36. fin.ad 11. Caietan bono sensu intellectus, prima parte q.30.art.1. sed expressius Molina noster q. 28. art.3. d.2. Bellarmin.2. de Christo c.18. Vazq. Arrubal. Granad. & Ruiz, proximè sect. 3. n. 14. Nostrique vulgò Recentiores. licet eorum aliqui verbis non omnino consentiant. Sic igitur habet solutio: vt illud principium intelligi debeat de identitate adæquata cuiusque extremi cum tertio identificationis, & tertij cum quouis extremo. Id quod tunc euenit, cum, neque extremum, neque, tertium identificationis communius est extremos: si enim communitate aliqua tertium identificationis communius sit, quam extremum, quia pluribus identificatur, vel communicatur, quam illud: ac proinde non adæquatè extremo illi identificetur, falsum est principium. Vt hæc clarius constent aduertendum est duplicè esse modum termini communis, & indæquatè identificati cum alio: alterum metaphysicum, seu logicum, alterum verò physicum. Metaphysicus, seu logicus est modus communitatis prædicati superioris respectu inferiotis v.g. communitas speciei hominis, qui quidem vnus terminus formaliter logicè, & metaphysicè cum sit, tamen cum quovis suo indiuiduo v.g. Petro realiter identificatur: ita tamen, vt idemmet terminus & species cum aliis indiuiduis identificetur: ac proinde cum vno quolibet inadæquatè identificatur. Ad eum modum terminus communis physicè est, qui vnus, & indiuiduus physicè in se est, & tamen alteri extremo ita identificatur, vt non illi soli, sed alteri etiam identificetur, ac proinde neutri identificatur adæquatè, quia identificatur vtrique.

2 Porrò communitas, & identitas inadæquata logica, & metaphysica in speciebus & prædicatis omnibus vniuersalibus creatis inuenitur. Communitas autem, & identitas inadæquata physica in Deo solùm reperitur ob eius infinitatem simpliciter in genere entis, ob quam omnem amplectitur perfectionem, etiam realiter distinctorum: vt ad perfectissimam fœcunditatem; quæ sine distinctione producentis, & producti esse non potest, necessario requiritur. Hanc Mysterij huius rationem, seu potius explicationem voco, non autem difficultatis propositæ solutionem, nedum solutionem præcipuam, vt existimat Ruiz sect.2.n. . Verum ex hoc nobis reuelato, sicque explicato innotescit vnissimam, & singularissimam Dei essentiam esse terminum communem physicè tribus Personis, atque vnicuique earum inadæquatè identificari. Hinc pergit discursus ad solutionem difficultatis. Nam sicut ex termino logicè, & metaphysicè communi v.g homine, identificato inadæquatè huic indiuiduo, v.g. Petro, & alteri indiuiduo, scilicet Paulo, non licet inferre, Petrum, & Paulum identificari inter se se, seu, quod idem est, Petrum esse Paulum hoc syllogismo expositorio: *Petrus est homo; & Paulus est homo: ergo Petrus est Paulus*, siue, *est idem quod Paulus*: ita neque ex identificatione physicè inadæquata essentiæ diuinæ cum Patre, & cum Filio licebit inferre horum inter se se identitatem. Huc tandem euadit solutio, quam primus dedit Marsil. in 1.q.6. art.3. Arimin.d.5.q.1.ex quo reliqui Canar.1.p.q.28.d.3.circa fin.Soar.4.de Trinit.c.3.n.8 & 9.Ruiz sect.6.præ quibus clarius Vasq.noster 1.p d.123.c.3.n.12.scilicet essentiam diuinam esse terminum ineptum syllogismo expositorio. Nimirum, quia, licet singularis logicè terminus sit, est tamen terminus physicè communis, vt diximus: ac proinde inadæquatæ identitatis cum altervtra Persona. Cuius Doctrinæ semina dedit nobis Anselm. de Incarnat. c.6. atque Hilar.1. de Trinit. init.

3 Dices: distributis medio communi, & extremitatibus in antecedenti rectè infertur consequentia: ergo sic distributis medio essentiæ, & extremitatibus in antecedenti concludetur rectè. *Omnis essentia diuina est Pater: Omnis Filius est essentia diuina: ergo Pater est Filius.* Hoc autem est hæreticum: ergo, & antecedens. Respondetur distributionem locum habere in termino communi logicè, & metaphysicè, ac non singulari: ea quippe efficitur, vt pro omnibus indiuiduis suis terminus communis logicè supponatur; essentia autem diuina terminus communis logicè, aut metaphysicè non est, sed omnino singularis, & indiuiduus. Hinc maior illa cum signo *omnis* etiam, vel singulariter accipitur, ratione ineptitudinis termini logicè singularis, cui additur, vt distribuatur, vel est de subiecto non supponente, & implicantem in terminis propositionem reddit, ratione signi *omnis*, quod vi sua essentiam destruit; dum distribuit: cum vi significationis suæ essentiã, quæ essentialiter, & de conceptu suo indiuidua est, speciẽ faciat. Ob quã etiam rationẽ minor est de subiecto non supponente: cum Filius in diuinis essentia sua singularis sit. Sed instas. Saltem identitas cum essentia logicè communis est tribus Personis: ergo ea distributa in antecedenti rectè hoc pacto concludetur. *Omne, quod est idem cum Patre est essentia; sed essentia est omne, quod est idem cum Filio: ergo Pater est aliquid, quod est idem cum Filio.* Respondetur ex Vazq.n.11. medium in hoc syllogismo non esse essentiam, sed: *quod est idem cum Patre. & quod est idem cum Filio.* Vnde inferri debet: *ergo quod est idẽ cum Patre est idẽ cum Filio*: ne quatuor termiuis syllogismus constet, quod non renuo. Existimo tamen vtramque propositionem antecedentis vel esse omnino singularem, vel de subiecto non supponente: quia idemtitas cum Patre, siue, quod idẽ est cum Patre, singulare logicè & metaphysicè est: scilicet essentia, quæ sola idem cum Patre est: licet, quia, eadem est idem cum Filio, sit physicè cómunis, atque, vt modò dicebã, distributioni inepta. Idẽtitas autem cõmunis logicè, vel quasi logicè est, quæ est: in Personis cum essentia, atque est ipsemet Personæ, ac proinde ea solum identitas Personarum cum essentia distribui potest, & debet, ne argumentum, vel ex singularibus colligat malè, vel ex propositionibus de subiecto non supponenti procedat, v.g. *Omne idem cum essentia est Pater: sed Filius est idem cum essentia: ergo Filius est Pater.* Hoc enim pacto rectè concluderetur intentum, nisi falsa esset maior, vt ex se patet.

4 Et quidem si regula hæc intelligendi illud principium *quæ sunt eadem vnitertio*, &c. altè penetretur, eadem est cum alia, qua syllogismorum omnium defectus vitantur. Nempe arguendum non esse à non distributo ad distributum, seu, quod idem est, ex puris particularibus. Nam medium respectu illius extremi, cui inadæquatè idemtificatur particularis terminus est, nisi signo distribuente pro omnibus indiuiduis supponatur: vt; patet in termino *homo* respectu Petri, vel Pauli. Eidem certè principio innititur aliud, in quo forma syllogistica, omnium sententia, recumbit: scilicet dici de omni, & dici de nullo. Nam, vt aliquid dicatur de omni, vel dicatur de nullo, adæquata identitas vel distinctio ab omni, vel à nullo requiritur: cum ad veram prædicationem, qua vnum esse aliud verè affirmatur, vel negatur eorum identitas, vel distinctio debeat ex parte obiecti præcedere formaliter in extremis, vel virtualiter inter medium, & extrema; si autem inter hæc non sit identitas adæquata, poterit alteri conuenire prædicatum speciale, quod alteri non conueniat: cum non statim alterum debeat ei omni identificari, cui alterum identificatur: neque ea omnia habere, quod alterum habet. Vnde patet solutio ad plures, alios sophysticos syllogismos, qui obiici contra hoc mysterium solent: pro quorum singulis non singulæ, sed plures ab auctoribus solutiones adhibentur, quas referre, ne dum refellere, nec iuuat, nec vacat. Satis hic aduertisse fuerit ad nostram tandem redigi debere, quæ ex illis sint bonæ.

5 Eò igitur sophysmata omnia tendunt: vt, quæ Personis competunt. essentiæ conuenire deducant; vel, quæ essentiæ sunt in Personas transferant, vel personalitates, v.g. *Essentia non producitur, sed communicatur. Filius, vel Filiatio est essentia: ergo Filius, vel Filiatio non producitur, sed communicatur*, vel ab oppositо consequentis. *Filius vel Filiatio producitur, & non communicatur: sed essentia est Filatio, & Filius: ergo essentia & producitur, & non communicatur.* Eodem modo ex aliis prædicatis propriis essentiæ ad personalitates, & Personas, & ex propriis Personalitatum, & Personarum ad essentiam argui potest. v. g. Personalitates esse distinctiua, seu id, quo Personæ differunt esse incommunicabiles, Patrem esse generationum, relatiuum, &c. essentiam verò esse communicabilem absolutam, rationem conueniendi Personis. Denique ea, quæ Personæ respectu alterius conueniunt, respectu essentiæ conuenire debere. Omnium autem negatur consequentia defectu identitatis adæquatæ inter medium, & extrema, ratione cuius opus non est alteri inesse, & idemtificari quidquid alteri inest, & identificatur: ac proinde illatio ex puris particularibus ad particulare, seu à non distributo ad distributum est. Cui vitio non succurres si terminis hisce signum *Omnis* vel *nullus*, aliúdve vniuersale, & distributiuum subiungas. Cum enim termini singulares logicè, ac proinde distributioni inepti sint, vtl eodem modo cum illis afficiuntur, significant: vel propositiones de subiecto non supponente reddunt, vt notabamus supra.

6 Sed argues inde. Essentia, & Paternitas, seu Pater re ipsa idem sunt: ergo quæcunque alteri realiter conuenient: sed essentiæ conuehit communicari; Paternitati non communicari, Patri generare, essentiæ non generare; Personalitati distinguere Personas, non identificare, essentiæ identificare non distinguere: ergo eidem entitati reali plura contradictoria ex hoc mysterio conuenient, quod implicat, ac proinde mysterium, ex quo eiusmodi contradictoriæ inferuntur. Respondetur admisso inegro antecedenti, negando, Primam consequentiam Illa quippe omnia de se contradictoria non sunt, sed ratione limitationis materiæ, cui in creatis applicari possunt: quia videlicet creata determinatæ, & limitatæ perfectionis sunt: ac proinde omnem perfectionem non capiunt. Dei autem entitas ob sui eminentiam, atque simpliciter infinitatem in genere entis prædicata omnia, quæ imperfectionem non inuoluunt in se coërcet. Sed dices: Prædicata negatiua, vt non generare, non communicari formaliter perfectiones non sunt: ergo ratione eminentiæ, & infinitatis Dei in essendo ipsi non conueniunt: ergo æquè repugnant, & implicant in Deo, atque in creatis. Respondetur distinguendo antecedens: formaliter, & seiunctim, concedo antecedens, fundamentaliter, & coniunctim nego antecedens: in Deo autem prædicata illa non sunt seiunctim, & formaliter, sed coniunctim, & fundamentaliter. Fundantur enim in positiuo essentiæ. & Personalitatum: quare eidem entitati infinitæ simpliciter eorum, & oppositorum fundamentum ob sui eminentiam competit: vnde negantur prima, & secunda consequentia.

7 Scio nostros Vazq.1.d.110 c.6. Alarcon.d.2.de Trinit. c.10.n.12. pluréque alios Comprouincianos Recentiores existimare sola formali distinctione rationis ratiocinatæ contradictoriis tactis, ac similibus in hac materia satisfieri: quia in vtraque propositione conceptus obiectiuus ex parte subiecti non est formaliter idem, siue eodem, siue diuerso nomine significetur. Cum enim affirmatio, & negatio nostra non nisi conceptibus nostris fiat, necessariò à nostro modo concipiendi pendet; qui necessariò etiam eas formalitates in eis propositionibus distinguit, etiam dum asserit essentiam communicari realiter. Id quod etiam Beati, imò, & Deus ipse cognoscunt: nempe eandem reipsa entitatem realiter sub vna formalitate præcisa à nobis vnum habere, & sub alia aliud opositum. Sed contra: non ideo entitati diuinæ conuenit communicari realiter, & non communicari realiter, quia à nobis concipitur essentia præcisè, & paternitas præcisè, quin ideo à nobis verè concipitur; quia ita re ipsa est: ergo non pendet à nostro modo concipiendi conuenientia in esse rei duplicis contradictorij in eandem entitatem. Contra secundò: quia si ex distinctione formalitatum obiectiuarum ex parte subiecti tollitur contradictio in reali conuenientia prædicatorum contradicentium: ergo hæ sunt propositiones veræ in vestra Doctrina, admittique debent: *Pater* est realiter Deus: non est realiter *Deus. Christus est locutus realiter, & lachrimatus realiter: non est locutus, nec lachrymatus realiter.* Quia negatio ratione diuersæ formalitatis obiectiuæ competit subiecto ab ea, ratione cuius competit affirmatio. Contra tertiò: quia posita formalitate præcisa ex parte subiecti, adhibitóque *realiter* ex parte prædicati est manifesta implicatio in terminis: quare affirmatiua propositio necessariò est falsa, vt in simili fusius ostendam d. 6. cum tamen vera, & de fide sit, vel proxime, tenenda, igitur est solida nostra solutio. Opportunum videbatur quæstionem de circuminsessione Personarum his adnexere. Sed de ea commodiùs d. de Personarum comparatione disputari poterit. Ideò, ni forte longissimæ huius Disputationis tædio, illò eam remittimus.

DISPVTATIO III.

DE LIBERIORIBVS circa processiones difficultatibus.

DE existentia, & numero diuinarum processionum & quonam pacto à creati agentis causalitate differant præcedenti disputatione statutum satis fuit. Iam politiora, & quę, vt plurimum, non adeo rigida dogmata fidei tangant, de eisdem processionibus ad examen vocantur. Primò an per naturam, an per intellectum, & voluntatem diuinæ processiones sint? Secundò cur earum altera solum, scilicet Filij, processio generatio? Tertiò an sint actus vitales, & liberi? Quartò an ob actibus intellectus, & voluntatis communibus ex æquo distinguantur. Quintò denique an processiones actiuæ à passiuis re, vel ratione differant?

QVÆTIO I.

An diuinæ processiones per naturam sint? an per intellectum, & voluntatem?

PROCESSIONEM omnium nostro intelligendi modo radicem esse naturam, & essentiam diuinam certum apud omnes est, si formaliter ab intellectu, & voluntate ex parte obiecti differat: quandoquidem vtriúsque potentiæ radicem in ea hypothesi esse à nemine dubitatur. Tota igitur quæstionis difficultas de immediatiori, & proximo principio, à quo processiones sint procedit. Fateor commodius fortè examinandam fore disputatione de principijs processionum: imò, & hanc disputationi præsenti præire commodius, quam succedere. Sed tamen parui Priscorum methodus deserenda non est.

CERTAMEN I.

Filij processio per solum intellectum est.

1 DVrand. in 1. d. 6. quæstione 6. & d. 10. quæst. 2. & d. 27. quæstione 3. asserit Verbum & Spiritum sanctum non procedere immediatè, & proximè per intellectum, & voluntatem, sed per naturam. Subscripsit Durando Zanclius hæreticus apud Valent. infra librum 5. pro mysterio Trinitatis 1. parte libri, §. vlt. vbi Theologorum axioma, quod Spiritus sanctus per voluntatem procedat, Verbum autem per intellectionem temerarium vocat. In eandem vergunt sententiam Allogiani, dum aiunt, Verbum, non quidem rigorosè, & notionaliter, sed appropriatione quadam, vt verbum procedere. Cæterum ex probatis Catholicis Doctoribus nemo est, qui duro huic Durandissimo ausit accedere: si Marsilium in 1. d. 2. quæstione 6. art. 1. circa finem, & Argent. d. quæst. 2. art. 4. nonnihil eo inclinatos excipias. Quin erroris, & temeritatis illud insimulant Molin. Valent. Vazq. Suar. & reliqui Recentiores. Secundò, nectutius Gregor. in 1. d. quæstione vnic. adiuncta d. 8. quæstione 2. articulo 1. Okam. d. 7. quæstione 1. adiuncta d. 11. quæstione prima, articulo secundo, atque ibidem Gabr. asserunt vtramque processionem immediatè æquéque principaliter à natura, intellectu, & voluntate prodire. Tetiò denique Ricard. Victor. eadem censura dignus neutram processionem immediatè à natura, vel intellectu esse ait, sed vtramque à voluntate, quin altera ab intellectu sit) quidquid illum excusent aliqui Recentiores) nam 3. de Trinit. à c. 2. ad 20. pluralitatem Personarum ternarium numerum non excedere probat ob solam perfectionem amoris. Licet autem ratio hæc ab Scholasticis antiquis, & à nobis afferatur, non tamen, vt ex duplici termino amoris duplicis duplex persona deducatur per ipsos procedens, sed præcisè, vt ex perfectione amoris essentialis triplex tantum probetur persona. Ricard. autem primo modo intelligit. Siquidem oblatis quæstionibus, cur Filius personaliter Sapientia genita, verbum, imago, & Filius sit; non autem Spiritus sanctus? ad geminam rationem earum ferè omnium de Filij processione per intellectum nusquam recurrit: cum alia omnia leuiora moueat, vt videre licet citato libro tertio, & sequentibus, præsertim libro sexto, capite vndecimo, decimo secundo, & decimo tertio, & tract. de tribus appropiatis Personis ad D. Bernard. Sed clarius hanc suam mentem dedit libro sexto, citato capite sexto, circa med. vbi vtriúsque processionis discrimen assignans ait: *Quamuis enim vterque procedat de voluntate paterna, potest tamen in hac gemina processione causa esse diuersa: quod immutabilis condignum*, scilicet Filium, *habere voluit, & pro voluntate habere opportuit; sed nec solum condignum, sed etiam condilectum habere voluit, & pro voluntate habere opportuit.* Id quod explicatius repeti infra, & rursus c. 7.

2 Dicendum nobis est processiones diuinas immediatè solum per intellectum, & voluntatum esse, non per naturam, quæ illas formaliter præcedat. Ita censent Magist. 2. d. 5. circa finem, & d. 39. init. eiúsque Interpretes omnes variis locis libro 1. S. Bonau. d. 27. pun. 1. quæstione 1. d. 6. articulo 1. quæstione 2. d. 10. fæpe Ricard. d. 2. art. 2. q. 1. & 2. d. 10. art. 1. q. 2. d. 27. art. 2. q. 1. & 2. Gabr. d. 7. q. 2. art. 1. 2. & 3. Marsil. supra, & d. 10. p. 2. q. 14. art. 2. init. Capr. d. 9. 10. 27. q. 2. Scotus d. 2. q. 1. & 4. ordine 7. d. 27. q. 1. & 2. quod lib. 2. art. 2. Enric. quodlibet. 6. q. 1. & in summ. art. 54. q. 9. & 10. art. 60. q. 1. Ferrara 4. contra Gent. c. 11. 12. 13. & 19. Alex. 1. p. q. 42. m. 2. & q. 43. m. 3. art. 1. Albert. q. 30. & 31. m. 2. S. Thom. q. 27. art. 1. 3. & 5. vbi eius Interpretes Caietan, Bannez, Cananiens. Zumel. ex nostris Molin. ad art. 3. d. 2. Vazq. d. 111. capite secundo, Valent. d. 2. quæstione prima, punct. 1. §. 27. Suar. 1. de Trinitate capite quinto, Arrubal. d. 97. capite secundo, numero quarto, Zunniga de Trinitate d. 2. dub. 2. m. 1. Ruiz. d. 1. sectione secunda, numero quinto Granad. & Recentiores in manuscriptis. Probatur conclusio à nonnullis: quia processiones immanentes operationes spirituales sunt: sed præter operationes intellectus, & voluntatis nullæ in nobis operationes spirituales immanentes sunt: ergo diuinæ processiones sunt actus intellectus, & voluntatis. Infirma ratio. Licet Durandus, sicut in nostra sententia, intellectione, & volitione subst antialis terminus producitur in diuinis, præter omnia quæ nouimus, ita immanens terminus spiritualis producitur immediatè per naturam, sine creatorum exemplo. Dicent Gregor. & Okam. ad immanentiam satis esse, si ab intellectu, & voluntate, simúlque à natura immediatè prouenient: sicut in opinione admittente distinctionem realem intellectus, & voluntatis ab anima animum etiam immediatè concurrere ad actus vitales sine immanentiæ eorum præiudicio certius est. Dicet Ricard. vtramque processionem per voluntatem esse, quam immanentem ipsum antecedens admitti

3 Ex prædicato vitalitatis arguunt alij: quia nullus modus vtilitatis operationum intelligi in Deo potest, nisi operationum per intellectum, & voluntatem. Sed eodem modo respondebunt Durand. Gregor. & Ricard. Tertiò probant alij: quia non redditur sufficiens ratio, ob quam Filius generetur, non autem Spiritus Sanctus, nisi ille per intellectum procedat, hic per voluntatem. Sed ex Quæstione sequenti constabit pluribus aliis modis differentiam hanc generationis Filij à

Processione

processione Spiritus à Doctoribus, & Patribus eruditè assignari. Quartò: quia alias non apparet cur Spiritus sanctus procedat à Filio etiam, nec à Patre solùm, nisi per intellectum procedat Filius, Spiritus autem per voluntatem: ad cuius operationes, intellectus operationes præsuponuntur. Sed enim cum intellectio essentialis sola ad amorem, quo Spiritus sanctus producitur, requiratur, quin aliud, quam ea formaliter intellectio ad illum supponatur infirma est probatio. Nam etiam deficiente Verbo non deficeret Spiritus sanctus defectu intellectionis ad amorem, quo procedit, requisitæ; licet deficeret defectus suppositi alterius, quod ex parte principij, & obiecti essentialis ad suam processionem requirit. Quintò denique arguunt alij: quia aliàs nulla ratio prioritatis inter Filium, & Spiritum sanctum assignari potest, si prioritas, quæ conuincitur inter intellectionem, qua Filius procedit, & volitionem, qua procedit Spiritus sanctus, auferatur. Cœterùm ratio prioritatis malè inde infertur in diuinis: nam ex prioriiate sola rationis, vel ad summum virtuali, quæ inter intellectionem, & volitionem essentiales (quibus Personas procedere certius est) intercedit, prioritas realis formalis, quæ inter Personas inuenitur inferri minime potest.

4 His igitur leuioribus à mandatis probatur conclusio. Quia Filius sua caratheristica proprietate Verbum est, atque, vt Verbum procedit: sed nequit esse, & procedere Verbum, nisi per intellectum: ergo per intellectum procedit Filius. Hoc discursu fidei proxima videtur conclusio. Maior est certa ex Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Ioann. 1. *In principio erat Verbum:* & 1. Ioann. 5. *Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Secunda verò eiusdem antecedentis pars æquè est certa: quia nihil proprium habet Filius, quod non habeat vi processionis; cum à se notionaliter non sit, sed ab alio. Probatur minor: quia Verbum qua Verbum formaliter dictione formali procedit: sed dictio diuina (quidquid aliud addat) essentialiter est intellectio: ergo Verbum procedit formaliter per diuinam intellectionem. Minor hæc perspicua est. Nam dicere internum Dei non est sensibilis prolatio, & locutio externa, sed interna, & intellectualis significatio, & representatio. Discursum integrum confirmant ferè omnes Patres illo ad rem hanc vtentes. Iræneus 2. aduersus hæreses c. 48. init. & fine, Nazianz. orat. 36. 4. de Theolog. vers. fin. num. 81. Chrysost. tom. 5. vers. fin. & orat. 9. ad id Genes. *Pone manum tuam sub femur.* atque orat. 1. ad id: *In principio erat Verbum.* sub init. Basil. hom. 16. ad eadem Verba post med. & 5. contra Eunom. longè à med. Nyssemus orat. Catechet. c. 1. sub init. & epist. contra Apollinar. de imagine, & similitudine vers. med. & inferius, Athanas. orat. contr. Gregal. Sabellij post init. & orat. contra Arrianos circa med. & epist. de sententia Dionysij Alex. vers. fin. cum ipso Theodot. Ancyr. hom. in natale Saluat. sub med. tom. 6. Concil. Ephesini Euseb. Cœsar. 11. de præparat. Euang. c. 10. Referens Plotinum lib. de trib. hypostas. Cyrill. 1. in Ioan. c. 5. med. & c. 6. ac. 1. thesaur. c. 5. & 6. atque 2. Dialog. de Trinit. circa med. & longius Theodoret. 2. epitomes diuinor. decret. longè à med. & infra, & 2. Græcanicar. affect. vers. fin. ex Platone, Plotino, & Numenino, Damascenus 1. de fide c. 6. med. & c. 18. circa fin. Theophylact. in 1. Ioann. init. Lactan. 4. diuinar. institut. c. 8. & 9. Ambros. 1. de fide ad Gratian. cap. 5. post. med. & lib. 4. c. 4. Augustin. 15. de Trinit. c. 6. circa fin. c. 13. fine, & c. 14. & 27. ac tom. 9. de cognit. veræ vitæ ac 14. & 16. vsque ad 18. Fulgent. 3. ad Monim. c. 7. med. Anselm. c. 46. 47. 53. monologij. Isidor. 7. Etymologiar. c. 2. circa med. Hugo Victor. 7. eruditionis Theol. de Trinitatis per visibilia cognitione c. 21. & tract. 1. summ. c. 6. Hos imitantur Scholastici omnes. Sed dices Patrem etiam appellari Verbum ab Ambros. lib. vnic. de Filij diuinit c. 5. dicente sub init. *Siue Verbum de Verbo*: imó Spiritum etiam Sanctum. Verbum Filij appellari à Basil. 5. contr. Eunom. vers. med. sect. 11. ex illo ad Hebræ. 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ*: & tamen Pater & Spiritus sanctus non inde per intellectum procedere euincuntur. Respondetur nomen *Verbi* ab his Patribus impropriè, laxè, & essentialiter vsurpari, prout idem valet, ac mens, & ratio, non autem propriè, & notionaliter. Id quod satis indicauit Ambrosius, cum immediatè ad verba opposita dicat: *siue dicas*; cum autem Verbi nomen rigidè, propriè, & notionaliter sumitur soli Filio, tam ab ipsis, quam ab aliis Patribus tribuitur; exindéque ipsius ex Patris mente, & intellectu processio ab eisdem probatur.

5 Secunda probatio valde est præcedenti vicina. Nam Filius personaliter, & notionaliter est Sapientia genita: ergo id habet vi processionis: sed Sapientia; qua talis, opus intellectus formaliter est: ergo Filius, qui, vt Sapientia procedit, per intellectum procedit. Antecedens est certum ex Prouerb. 8. vbi Sapientia genita de se ait: *Nondum erant Abyssi, & ego iam concepta eram.* Ecclesiastici. 1. *Prior omnium creata est Sapientia.* 1. Corinth. 1. *Christum Dei virtutem, & Sapientia.* Quæ loca, & similia de Sapientia genita, seu Filio intelligunt Patres dati d. 2. q. 2. Sixtus item Papa 2. epist. ad Gratum Episcop. tom. 1. Concilior. post Carthaginense, Episcopi Orientales, can. 5. confirmato ab Hilario de Synod. col. 8. Athenagoras legat. pro Christianis vers. med. Ioann. Euang. in regula Fidei tradita Thaumaturgo apud Nyssen. in huius vita. Imò totus discursus traditus videtur Ecclesiast. 24. illis verbis: *Ex ore Altissimi prodiit primogenita ante omnem creaturam.* Quare Ambros. lib. vnic. de Filij diuinit. c. 6. circa med. ait: *Non solum Sapientia, sed Verbum nuncupatur: quia ex proprio diuino ore processit.* Quo etiam modo loquitur Isidor. 2. de different. Spiritualibus c. 5. Confirmatur primò: quia Filius dicitur ratio, sermo, cogitatio, & definitio Patris ab Athanas. compend. de Spiritu S. sub. init. & orat. 5. contr. Arrian. sub init. à Nyssen. epist. contr. Apollinar. de imagine, & similitudine vers. med. & infra, à Nazianz. & aliis. Confirmatur secundò ex ratione imaginis, quæ personaliter, & notionaliter competit Filio: nec competeret, nisi per intellectum procederet, vt deinceps dicemus. Quæ nomina, eorúmque formales, & proprias rationes Filij esse fusius probabimus dide propriis, & appropriatis Personarum.

6 Sed dices: Spiritus sanctus ex ore etiam diuino procedit, est que Filij imago: & tamen per intellectum non procedit: ergo perperam inde per intellectum procedere colligitur Filius. Prima antecedentis pars constat ex citatis Verbis Psalmi 32. *Et Spiritus oris eius,* &c. quo loco Spiritum sanctum intelligi multis allegatis Patribus ostendebamus d. 2. q. 2. Confirmatur: quia Athanas. Dialog. 1. de Sancta Trinit. contr. Anom. vers. fin. semel, & iterum ait: *Oris Spiritus dicitur: quia in ore est docendi facultas.* Sic Ioann. c. 14. de Spiritu S. ait: *ille vos docebit omnia.* & c. 16. *Docebit vos omnem veritatem.* Et quidem doctrina operatio intellectionis, & dictionis est; quippe, quæ per Verbum exercetur: ergo doctor, & docens Spiritus sanctus per intellectum procedit. Secundam partem antecedentis probat Thaumaturg. in regula Fidei diuinitus accepta, & proximè citata, vbi de Spiritu sancto ait: *Imago perfecta Filij perfecti.* Respondetur primo ore proferri non solum Verbum, sed & halitum, seu spiritum: eo quippe, & loquimur, & spiramus. Vnde ideo dicitur spiritus oris Spiritus sanctus, quia spiratur; quin inde Dei ore, quatenus internè loquitur procedere conuincatur. Ast Sapientia, qua talis de se se nequit ex Altissimi ore procedere, quatenus spiratiuum principium halitus est, sed quatenus intellectiuum: ac proinde Filium ab intellectu proximè procedere diximus, non quia ab ore absolutè procedat; sed quia abore, vt sapientia, & Verbum procedit: quemadmodum de se sapientia ipsa testatur. Instabis Spiritum sanctum procedere ex ore Dei non solum tanquam halitum, sed tanquam Doctorem, & Doctrinam Ecclesiæ: ac proinde ex ore, quatenus docendi, & loquendi facultas est, vt arguebat Athanas. supra: vt id circo dispertitis linguis super Discipulorum capita in Pentecoste vi-

deatur innotuisse, quasi suæ proprietatis docendi munus ostentans. Respondetur in Doctrina externa duo interuenire: & intellectionem, & voluntatem, qua ea externe euulgantur, quæ Doctor internè concepit. Primum competit interno Verbo per intellectionem producto: Secundum Spiritui sancto, qui, vt pote notionalis amor, per amorem procedit. Cum autem ea voluntate exterior Dei Doctrina vltimo, & completè, quatenus est ex parte Dei, Ecclesiæ eradatur, Spiritus, qui amore procedit, Ecclesiæ Doctor, & lingua, qua Deus nos docet, specialiter præ Patre, & Filio, quin per intellectum procedat, nominatur.

CERTAMEN II.

Spiritus sancti processio per voluntatem statuitur, atque vtraque conclusio confirmatur.

1 PRobatur Spiritus sancti per voluntatem immediatè, & proximè processio. Spiritus sanctus sua caractheristica proprietate amor est, & affectiuus impulsus notionalis: ast amor, qua talis, per voluntatem immediatè, & proximè procedit: ergo, & Spiritus sanctus immediatè, & proximè procedit per voluntatem. Probatur maior ex 1. Ioann. 4. n. 7. vbi dicitur: *Charitas ex Deo est.* & n. 8. statim: *Charitas Deus est.* atqui Deus charitas, quæ ex Deo est, & procedit solum, est Spiritus sanctus, nulla autem alia Persona: ergo Spiritus charitas, seu amor notionalis, & procedens est. Scio charitatem, quæ ex Deo est, intelligi ab August. 1. de gratia Christi, & à Concil. Mileuitano c. 4. fin. mutuam nostram charitatem, ad quam nos ibi Apostolus hortatur: atque ex eo loco vrgeri ab ipsis Pelagianos, vt gratiam Dei necessariam ad charitatem eliciendam admittant. Sed tandem de charitate Dei notionali intelligi debere sentit August. cũ quo discurrimus, tract. 7. in epist. 1. Ioan. & 15. de Trinit. à c. 17. ad 20. Imò verò non parum ex eo, quod amor notionalis Deus sit, ad mutuum amorem accendimur; cum in eo Spiritum sanctum imitemur. Neque parum confirmatur nostram charitatem ex Deo esse contra Pelagianos: siquidem diuina charitas notionalis ex Deo est. Confirmatur: quia n. 12. id probans Ioannes, subdit: *Qui manet in charitate in Deo manet.* & n. 13. *In hoc cognouimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* nempe: de Spiritu sancto, qui charitas notionalis specialiter præ aliis diuinis Personis est: cuiusque specialis imitatio, & participatio charitas nostra est. Sicut enim ille in Deo manet, à quo procedit: ita, & nos per charitatem, quæ ab ipso Spiritu, vt pote amore notionali, specialiter est, procedit, in eo, & in Deo, qui ipse est, manemus. Confirmatur secundò: quia hanc ob causam specialiter dicitur ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Confirmatur tertiò ex nomine ignis, quo ab Ecclesia in hymno ipsius insignitur: *fons viuus, ignis, charitas.* Ignis enim apud prophanos, & Christianos amoris Symbolum est. Eàmque ob rem Spiritus sancti Persona igneis linguis in Pentecoste se prodidit.

2 Denique eadem maior probatur ex extremo Verbo illo hymni *Charitas*, quo Spiritus Sancti Persona nominatur. Quæ vox Ecclesiæ toti tradita fuit à Patribus omnibus, ab August. 10. de ciuit. Dei. c. 27. & 28. & lib. 6. c. 5. & lib. 7. c. 3. Ambros. 1. in Symbol. Apostolor. post med. Hierom. in Psalm. 17. init. Fulgent. q. 4. ad Ferrand. vers. fin. Prospero lib. sententiar. August. sententia 371. Concil. Toletan. 11. confession. fidei Greg. Mag. hom. 30. Pentecost. sub init. Isidor. 7. etymol. c. 3. Anselm. c. 48. & 49. monologij. Bernard. serm. 8. in cantica, & serm. 3. Pentecost. Guitmundo Episcopo Auersana confess. de S. Trinit. col. 2. Ricard. Victorin. lib. 3. & 5. de Trinit. à c. 17. ad 28. & lib. 6. c. 10. lib. declarationum ad Bernard. fin. Adde ideò dici Spiritum notionaliter Sanctum: quia amor notionalis est, & per amorem producitur: quia in amore sanctitas, vel malitia consistit, vt recte Cyrill. Alex. 13. thesaur. c. 4. aiebat: *Sanctus dicitur, quia Sanctus essentialiter est.* Vnde, quia dilectio vtriusque est, sanctitas Patris, & Filij dicitur ab Ambros. proximè post med. August. 10. de ciuit. cap. 29. med. & lib. 6. capite 5. init. à Concil. Toletan. proximè, à Nazianz. orat. in laudem Hieron. circa fin. Denique: quia, cum sanctitas sit ordinatio in Deum, & Spiritus sanctus, qua amor Personalis per amorem productus, impulsus in Deum est, vt bene aiebat S. Thom. 1. p. q. 36. art. 1.

3 Vtraque autem conclusio probatur ab absurdo. Quia, si vtraque Persona, vel per naturam solam esset, vel per intellectum solum, vel per solam voluntatem, vel per hæc omnia simul, vnica solum, vel nulla processio in diuinis daretur: ergo nequit aliquo ex iis modis processio in diuinis assignari, sed Filij, per intellectum, & Spiritus sancti per voluntatem. Antecedens probatur: quia vtraque processio quouis ex enumeratis modo eiusdem potentiæ, & virtutis, etiam formalis, processio foret: ergo vel vna tantum esset processio diuina, vel neutra earum esset diuina processio. Patet: quia ex prædicato diuinæ infinitatem simpliciter habere deberet in suo genere: ergo in genere procedendi per intellectum solum, vel per voluntatem solam, vel per solam naturam, vel per omnia simul, nihil perfectionis in illo genere possibilis posset illi deficere: ergo quidquid extra vnicam processionem ab eadem virtute diuina est, processio à virtute diuina non est: ac proinde vnica tantum processio erit, cuius termini proprij sint duæ Personæ. In quo quanta implicetur repugnantia vidimus d. 2. q. 2. Ac rursus processio secunda cum perfectionem processionis ab eadem virtute contineat, sitque extra processionis primæ perfectionem: nec prima processio erit simpliciter infinita ex genere, seu specie sua, cum ipsi perfectio aliqua speciei eiusdem quæ in secunda processione est, deficiat: nec secunda simpliciter infinita erit, cum illi deficiat perfectio aliqua speciei suæ, quæ est in processione prima: ac proinde neutra erit simpliciter infinita in suo genere, neque absolutè diuina processio. Vnde iuxta sententias oppositas processionum pluralitas, imò processio defendi in diuinis nequit. Ergo, vt asseratur absolutè processio, seu eius pluralitas, asserenda est Filij processio per intellectum, Spiritus verò Sancti per voluntatem. Ne verò, quasi ad inconsequentiam, terreamini non aliter hoc loco perfectionem capio, atque d. 1. q. 4. processiones, seu personalitates perfectionem habere dicebam, dicá. nque d. 6. q. 4. scilicet, quatenus identitate cum essentia, sicut ipsius entitatem, ita & perfectionem participant, atque explicant.

4 Dices: Potentiæ, intellectus, & voluntatis in creatis, ne formaliter quidem, à subsistantia animæ, vel Angeli differunt: ergo neque à natura Dei distinguentur. Vnde rursus fiet, vt, quod per intellectum, vel voluntatem formaliter procedat, procedat etiam per naturam Dei formaliter: ergo vtraque Persona procedit per naturam. Antecedens certissimum est in nostra Doctrina: multis enim probabamus d. de potentiis animæ, eas ab animo, neque realiter, neque formaliter distingui posse. Sed respondetur tamen eo loci solum à nobis asseri potentias non esse animo, adhuc formaliter, superadditas, ipsique in suo esse siue reali, siue formali adæquatè constituto aduenientes, non autem non distingui formaliter inadæquatè potentias ab anima, tanquam constituens à constituto, seu pars metaphysica à toto metaphisico, quod ex ea, aliisque resultat. Licet enim nulla potentia formaliter superaddita animo sit; cum tamen animus plures potentias in se coerceat: vnaquæque ipsum formaliter constituit, atque ab alia potentia, cum qua ipsum constituit, formaliter distinguitur: quare ab animo per ipsas constituto vnaquæque formaliter inadæquatè, sicut pars à toto, differre debet.

5 Ad formam igitur distinguo antecedens. Non differunt *adæquatè* ab animo. Concedo antecedens; inadæquatè nego antecedens, & similiter distinguo secundam consequentiam: per naturam inadæquatè sumptam nego: sed natura inadæquatè sumpta est intellectus, vel voluntas cum vtraque potentia tanquam partibus constituatur natura: vnde nego consequentiam vltimam, si de natura absolutè dicta sumatur: nam pars, sicut absolutè totum non est, ita neque absolutè totum dici potest. Admisso tamen discursu integro nihil pro sententia Durandi inferretur. Ipse enim docet processiones ita esse per naturam, vt non sint per intellectum, & voluntatem; ratio autem hæc probat esse per naturam, quia per intellectum, & voluntatem sunt, quibus intrinsecè, & essentialiter natura constet. Vnde Durandus per naturam præuiam formaliter intellectui, & voluntati, atque ante illas constitutam processiones esse defendit, quod valde est ab argumenti huius instituto diuersum. Tertiò primam illam consequentiam admitto, licet nunc non omnino probem. Nam & si in creatis potentiæ tanquam quid ipsi iam constituto formaliter aduenientes non distinguantur; non statim ita admittendum necessariò est in diuinis. Nam in creatis prædicata potentiæ differentialia sunt, & contractiua essentialiter entis: quare possunt speciem, & essentiam animæ constituere; ast in Deo omnimoda indiuiduatio in linea entis statuitur hoc prædicato *entis à se*, quod prius, & immediatius, quam reliqua prædicata entis rationem afficit: ac proinde eo solo intelligitur indiuiduus Deus metaphysicè constitutus: quare reliqua aduenientia constituto iam Deo in linea entis aduenient, Deique naturam consequuntur. Sed de his latius egimus controu. de Deo vno, nonnihilque. q. 2. attigemus.

CERTAMEN III.

Satisfit aliorum Argumentis.

1 OPpones ex Lullio de contrit. & satisfact. confess. art. 14. apud Vasq. d. 133. c. 1. Non minoris efficaciæ sunt essentia, aliáque attributa in Deo, quam intellectus, & voluntas: Sed intellectus, & voluntas per nos sunt principia processionum: ergo essentia, aliáque attributa sunt principia processionem. Hinc erroneè inferebat ille Patrem, & Filium, qua tales multiplicabiles esse contra fidei dogmata. Respondetur distinguendo maiorem. Non minoris efficaciæ sunt, quæ sunt efficacia in sua linea concedo maiorem; quæ efficacia non sunt, est de subiecto non supponente, & falsa: Item, quæ efficacia sunt in sua linea in omni linea non sunt minoris efficaciæ, nego maiorem: & admissa minori nego consequentiam. Nam essentia efficax ad intra non est, nisi forte, qua intellectus, & voluntas est, vt dicebamus num. proximò; & ad extra efficax non est nisi, qua omnipotentia est: omnipotentia autem, & decreta Dei efficaciam habent infinitam æquè, atque intellectus, & voluntas, sed ad extra solum: vnde non licet inferre eam habere ad productiones ad intra; alioqui Personæ diuinæ creaturæ forent, liberèque procederent. Quod solùm, vt pote hæreticum vitare volunt Patres referendi q. 3. dum aiunt Personas non voluntate, sed natura procedere. Hoc pacto satis solueretur Augustini testimonium 15. de Trinit. capite 20. dicentes *Verbum filium esse naturæ.* Sed solùm vult Filium esse naturalem Patris, eiusdémque naturæ cum ipso, non adoptiuum.

2 Oppones secundò. Secundum idem competit fœcunditas Deo, & creaturis: sed creaturis non competit fœcunditas per intellectum, & voluntatem, sed per naturam: ergo, & Deo. Minor probatur ex Aristot. 9. met. texru 16. asserente ex actibus intellectus, & voluntatis nihil consequi, ideſt produci. Secundò: quia nulla creatura generat per intellectum, aut fœcunda est ad Personam aliam producendam per voluntatem, sed per naturam. Confirmatur: quia perfectior est natura se ipsa fœcunda formaliter, quam per potentiam superaditam: ergo, cùm natura diuina perfectissima sit, se ipsa formaliter fœcunda erit, non per intellectum, & voluntatem. Respondetur negando maiorem. Aliàs enim, cùm subsistantiis spiritualibus nulla competat fœcunditas generandi, & producendi Personam aliam processiones Personarum abolebis: cum magis proportionetur subsistantia spiritualis, vt pote nobilior, Deo, quam substantiæ materiales fœcundæ. Iam si sumas pro antecedenti minorem, maiori ommissa, illam admitto; non quidem ob Aristot. authoritatem, qui nusquam negat intrinsecum terminum nostri intellectus, & voluntatis actibus produci, sed solum extrinsecum; sed quia fortasse vera est (ne modo intempestiuè examinem an potentia generatiua accidentalis physicè, vel logicè viuentibus sit. Cum parui referat ad negandam consequentiam) eáque admissa negatur consequentia. Nam eo modo generare imperfectio est, ac proinde Angelis deficit, qui dubio procul viuentibus materialibus fœcundis longè sunt perfectiores,

3 Cùm Deus autem proximior (si ita loqui immensus permittit excessus) substantiis spiritualibus sit: licet his etiam ob sui limitationem fœcunditas per intellectum, & voluntatem non competat, ea tamen facultate, qua illi actiui sunt decentior fœcunditas competeret Deo. Adde fœcunditatem ad duas Personas, & processiones per naturam esse non posse, vt dicebamus cert. proximo n. 3. neque ad Personas, quæ sint Verbum, & amor notionalis, nisi sint per intellectum, & voluntatem. Vnde constat negandum esse confirmationis antecedens. Adde secundò Deum fortè, vt diximus cert. 2. n. 4. & 5. intellectu, & voluntate essentialiter in sua natura constituisicut de viuenti quouis intellectuali Disp. de potentiis animæ discurrebam: ac proinde admisso antecedenti neganda est consequentia: quia intellectus, & voluntas in hac doctrina potentiæ superadditæ naturæ diuinæ non sunt, sed partes intrinsecæ eam constituentes. Vrgebis: re ipsa intellectus, & voluntas in Deo non differunt, adhuc virtualiter: ergo si intellectus generat, & voluntas non generat de eadem reali entitate contradictoria verificantur. Regero argumentum. Intellectus, & voluntas re ipsa à natura diuina non differunt: ergo eadem contradictoria de eadem omnino entitate reali in tua doctrina verificantur: siquidem natura generat, intellectus non generat. Sed his & similibus respondimus disp. proxima q. vlt. cert. secundo, respondetur: in his propositionibus solùm affirmari, & negari titulos seu formalitates, aliquas illa entitas, quæ re ipsa natura, & voluntas, ac intellectus est, generat realiter: quare contradictorias non esse: quia non negatur de natura realiter sumpta generare, sed ratione, & formalitate sua ad generationem aduocari, sed quia intellectiua re ipsa est.

4 Oppones tertiò. Quod per intellectum procedit, euadit simile intentionaliter solùm, non realiter; & in natura: sed Filius, qua talis, debet procedere similis Patri realiter, & in natura: ergo non procedit per intellectum, sed per naturam. Respondetur in communi opinione distinguendo maiorem. Procedit simile intentionaliter solùm, non realiter, & in natura obiecto præcisè, qua tali, concedo maiorem; obiecto, quod idemmet sit principium producens vitale nego maiorem. Et distinguo etiam minorem. Patri tanquam obiecto præcisè nego minorem; tanquam obiecto, & principio vitali concedo minorem, & nego consequentiam. Vrget quintò Durandus. Procedit Verbum per intellectionem, & Spiritus sanctus per amorem: ergo quicumque ea intellectione intelligit, eóque amore amat, personas producit: sed tres Personæ diuinæ intellectione, & amore diuino intelligunt, & amant, cum sint eis intellectio, & volitio communes: ergo, & tres Personæ Filium, & Spiritum sanctum producunt: ac proinde Filius se ipsum, Spiritus autem sanctus, & se & suum principium, scilicet Filium. Respondetur primò:

si actus notionales ab essentialibus adæquatè differant frigere argumentum. Distinguetur enim antecedens primum hoc pacto. Per intellectionem, & amorem notionales fateor; essentiales nego. Concessáque prima consequentia subsumptum distinguo: essentialibus concedo; notionalibus nego. Et nego secundam consequentiam. In alia verò opinione nego consequentiam primam. Nam intellectio ad Filium peruenit effæta, suóque functa, exhaustáque munere, atque eodem pacto peruenit amor ad Spiritum sanctum: vnde in illis solum habet munus formaliter constituendi intelligentes, non autem producentes. Retorqueo argumentum. Diuina natura, qua per Durandum Pater formaliter potens constituitur est tota formalitas potentiæ generatiuæ: ergo cum sit in Filio, & Spiritu sancto, sicut illos Deum formaliter constituit, ita, & principium generatiuum, & spiratiuum constituet eosdem. Respondebis, sicut nos proximè; vel, si aliter, quod tu nobis, & nos tibi respondemus.

5 Oppones rursus. Personalitas est modus substantialis naturæ eam immediate terminans: ergo prouenit immediatè à natura, non ab intellectione. Sic obiicit Soar. sibi 8. de Trinit. c. 1. posséque se facile expedire in suis principiis, cum Dei naturam & essentiam intellectione constituat. Facilius nos ex nostris negamus antecedens: neque enim Personalitas modus naturæ superadditus est iuxta dicta d. procem. q. 2. sed eo dato æqua facilitate negatur consequentia. Non enim quidquid immediatè afficit aliud, & ab eo necessariò immediatè efficitur: ecce actus vitales spirituales afficiunt immediatè animum, à quo in vulgata opinione immediatè non fiunt, sed à potentiis superadditis. Et vitales materiales materiæ immediatè adhærent, à qua, nec remotè fiunt: Paternitas insuper, seu personalitas Patris immediatè afficit naturam diuinam nostro intelligendi modo, à qua nullatenus fit. Verbi autem Personalitas, ac Persona, qua talis nequit non vitali processione, & dictione prodire, quæ, non nisi intellectio Patris esse potest. Sed instas ex Vazq. d. 141. c. 4. à num. 22. Quidquid dictione producitur terminat dictionem, seu quod idem est, dicitur. Roganti enim quid dicis? Respondemus perobieta, quæ concipimus intellectione, non per verbum mentis, aut prolatum: atqui Verbum non dicitur per se dictione Patris, cùm eius non sit obiectum per se quarto modo, quare nec terminat dictionem: ergo neque dictione producitur. Respondetur hac in re ingenti æquiuocatione laborasse magnum Vazq. & ex qua, neque pro communi hac opinione sua respondere ægrè posset, pluráque alia inferius impugnanda docuit. Maior est falsa, atque ex ratione, quam adducit falsitatis conuicta. Neque enim negat verbum interius, siue exterius prolatum terminare locutionem internam, vel externam, & tamen ait non dici, vt obiectum. Sed nego absolutè non dici verbum quoduis locutione sua cum Augustin. 15. de Trinit. c. 15. & 18. etiam si obiectum eius non sit. Sic enim ait primo loco: *Cùm verbum nostrum nostra cogitatione dicatur.* Secundò autem: *Verbum est, quod in corde dicimus.* Itaque dictione duo dicuntur, & terminus, & obiectum. Primum non curat alius scire, quia verbum audit, nec de eo dubitat; quare ab aliis nos vsitatius de obiecto rogamur, etiam si verbum de quo non respondemus, dicamus. Sic etiam pictor, & scriba, quod pingunt, scribúntque imago, characteres sunt; dicuntúrque Cæsarem, cuius est imago, & res significatas pingere, & exarare; rogatíque de eis respondent non de imagine, aut characteribus, de quibus non dubitatur.

6 Vrgentius quoad speciem, acutiúsque ex nostris principiis obiici posset. Intellectus diuinus formaliter non est ens, sicut de personalitatibus dicebamus d. 1. q. 4. cert. 2. n. 5. cert. 3. n. 3. q. 5. cert. 3. à fine num. 1. ad 5. d. 2. q. 3. cert. 1. n 5. & toto cert. 4. fusiúsque dicemus d. 6. q. 1. cert. 2. per totam: ergo, nisi ex parte principij proximi saltem supponatur existentia, quæ tota est essentiæ, nequit à solo intellectu Persona existens procedere. Nihil enim dat quod non habet: ergo saltem non est intellectus proximum principium adæquatum Filij, sed compartiale naturæ: & idem dicito de voluntate Spiritus sancti. Sed certè obiectio hæc alios plures tangit; etenim in vulgari, veráque, vti reor, opinione, quæ intellectum formaliter ab essentia in diuinis distinguit, intellectus formaliter substantia diuina non est: ergo nequit Personam substantialem sine naturæ, siue substantiæ diuinæ consortio. Responderi pro omnibus primò posset: attributa formaliter sumpta instrumentaliter concurrere nomine, & virtute essentiæ, cuius metaphysicæ passiones sunt: ac proinde, sicut accidentia physica substantiam, quam in se non habent, instrumentaliter producunt, ita, & attributa existentiam & substantiam Personæ, quam formaliter in se, & principaliter non habent, posse tribuere, quia instrumentaliter eam continent. Secundò, & verius respondeo: in processione duplicem esse formalitatem; & influxus, & communicationis. Illa prima ponit actiuè quod non erat pro priori originis, nempe Personalitatem Personæ productæ, quæ ens non est formaliter, & præcisè sumpta, ac proinde principaliter poni influxiuè potest: adiunctáque per communicationem existentia, & substantia naturæ, quæ identicè in Persona producente etiam præsupponebatur, integra Persona existens, & substantialis producetur, quin aliquid det, quod non habet.

7 Denique pro Ricardo oppones. Verbum procedit ex Patris corde, iuxta Psalmistam Psal. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum*: quod de verbi processione Patres omnes intelligunt: cor autem, & appetitiuæ facultatis sedes est, & voluntatis symbolum: ergo procedit Verbum per voluntatem, & amorem. Confirmatur ex Paulo Filium appellante *Filium dilectionis*. Vnde Origenes *voluntatis germen* illud nuncupauit. Clemens Roman. *genitum beneplacito Patris* dixit. Respondetur ad primum cordis nomine in Scriptura intimum, & secretum quodpiam significari; ac proinde nonnumquam pro intellectu, nonnumquam pro voluntate cor vsurpatur. Sic pro intellectu sumitur Psalm. 11. *In corde, & corde locuti sunt.* & Psalm. 13. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* & pluries. Solum ergo vult Psalmista Verbum diuinum intimè, & non externè dici à Patre. Ad confirmationem dicito eis locutionibus denotari Patrem sibi in Filio suo complacere: vt Abacuc. 3. iuxta Septuaginta dicitur: *Posuit in eo dilectionem robustam*: & in Euangelio: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Imò ab Apostolo iusti dicuntur *Filij dilectionis*; peccatores vero *Filij iræ*, cum tamen per iram Dei, ciúsve odium minimè processerint. Sic etiam explicari posset Concil. Toletanum 15. lib. de tribus substantiis, vbi ait: *secundum essentiam voluntas genuit voluntatem.* Sed, cum voluntas, seu amor notionalis Spiritus sanctus sit, de eo loquitur Concilium, licet Verbum *genuit* laxè, & impropriè vsurpauerit. Instabis: Filius volente Patre non procedit per te: ergo Patre nolente procedit. In hoc autem repugnantia Patris victa admittitur: nec processio Filij per voluntatem vitatur: natúsque Patris odio Filius asseritur. Ita Arriani apud Augustin. 15. de Trinit. Quibus ille ex coætaneo quodam Patre respondit concesso antecedenti negando consequentiam de nolitione positiua, ex qua solum dicta inferuntur absurda. Tandem non video, qua ratione sibi Ricardus constet: cum asserat in 1. d. 2. art. 2. ad 2. & d. 6. art. 1. q. 4. arg. 4 & d. 27. art. 2. q. 1. & 2. Filium à Patre dici, atque ab intellectu procedere per modum naturæ: ac proinde esse Verbum, & Filium; secus Spiritum sanctum: quia procedit per modum voluntatis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Quare Filij tantum processio generatio sit?

Difficultatis præsentis solutionem videntur desperasse Patres, quos eruditè refert Ruiz d. 5. sect. 1. & d. 7. sect. 1. Vnum, vel alterum proferre satis erit. Chrysost. sæpe, & præsertim hom. 1. de incomprehensib. Deiuatur. inter plura alia, sic habet col. 4. *Filium esse à Patre Deo immortali genitum noui, sed quemadmodum ignoro: Spiritum procedere ex eo scio, sed quemadmodum nescio.* Similia habet hom. 2. ad Hebr. 1. sub init. hom. 2. in 1. Math. Damasc. 1. fidei capite 10. ante med. *Generationis, & processionis differentiam esse dicimus; at, quis sit differentiæ modus, nequaquam.* Augustin. denique 3. contr. Maximin. capite 14. *Distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Consonat sibi tract. 29. in Ioan. col. 3. ex quo Beda ad id Ioan. 16. *Quæcumque audiet loquetur.* Eadem modestia loquuntur Fulgent. ad obiect. 2. Arrianor. Isidor. 1. contr. Iudæ. capite 2. Venantius in Symbol. Apostolor. sub init. tit. 2. Bibliot. Hilar. 2. de Trinitate longè à med. Hieron. in Matheum, Phœbad. contra Arrianos longè à med. Acazius epist. ad Cyrill. Alex. sub init. tom. 1. concilij Ephesin. cap. 23. Cyrill. Hierosol. catheches. 4. *6.* 10. 11. 16. Epiphan. hæresi 76. ad caput 1. Aetij, Gregorius Bæticus de Trinitate longè à med. Anastas. Synait. de rect. fid. dogmatib. col. 3. & 4 Euseb. Cæsar. 1. demonstr. Euang. capite 1. & 3. Athanasius Dialog. 3. de S. Trinitate contra Macedon. cùi, huius differentiæ professus ignorationem respondet dialog. 1. de S. Trinitate contra Anom. longè à med. 5. de vnit. substant. Trinit. sub init. quæstione 14 & 15. de natur. deit. Basil. hom. 28. cont. Sabellian. & Anom. longè à med. 1. contr. Eunom. post med. & 3. fine, serm. de humana Christi generat. in die natali, vel Epiphaniæ, orat. 2. *aduersus eos, qui calumniantur, quod tres Deos colamus*, Ambrosius 1. de fide ad Gratianum capite 5. præcipuè vers. med. Id circo Cyrill. Alex. 1. thes. circa med. & libro 2. dialogor. de Trinitate circa med. Psalm. 209. dictum ait: *Ante luciferum genui te, quoniam in obscuritate, & incomprehensibilitate, & quasi in tenebris profundis generationis modus vocatus sit.* Accinit imperfectus apud Chrysostomus hom. 1. ea propter dementiæ, temeritatis, & impietatis arguunt de hac re Disputatores. Clemens Roman. epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini, col. 10. Concil. Nicæn. libro 2. longè à medio responsi. 5. per Euseb. init. Sixtus Pap. 2. epistola ad Gratum Episcopum tom. 1. Concilior. Irenæ. 2. aduersus hæreses. capite. 48. Alexand. Alexandr. epistola ad Alexandr. Constantinop. col. 4. & 8. Basilius, Chrysostomus, & Augustinus supra, atque tractatu 99. in Ioann. circa fin. & 2. de consensu Euangelist. capite 1. & 1. de Symbol. ad Cathecum. capite 3. & libro 2. capite 3. 15. de. Trinitate capite 27. init. Nazianz. orat. 29: de dogmat. & constitut. Episcoporum, fine orat. 23. ad 150. Episcopos post medium orat. 35. 3. de Theol. & orat. 37. 5. de Theol. col. 4. & 5. vbi sic de hac differentia rogantem redarguit. *Dic tu, quæ Patris in genitura sit: & ego Filij generationem, & Spiritus processionem explicare aggrediar; vt ambo mentis vesaniæ præcipites agamus in Dei mysteria oculos inijcientes.* Sed enim de his loquuntur, qui curiosius, & de se confidentius disputant, vt mysterium impugnent, quod non credunt, vel illud quantum ratio suadeat tantum credant. Nam, vt pro modulo piè, & humiliter suæ fidei rationes reddant, iidem Patres disputarunt. Retuli, tamen, vt in tanta disputatione venia nobis fortasse nihil, quod plenè satisfaciat, allaturis paretur: & præcedentium rationes, quibus, neque Patres, & Doctores, dum excogitabant, fidebant, impugnaturis immodestiæ, & soluti pudoris non inuratur censura. Duo supponit titulus; scilicet secundam Personam Filium Dei esse; deinde Spiritum sanctum Filium non esse. Primum ex dictis d. 2. à q. 2. liquidò constat: Filium scilicet, & genitum rigidè esse secundam Personam: ac proinde ipsius processionem generationem strictam esse: cum Filius non nisi generatione procedat. Secundum autem non ita est in præcedentibus stabilitum: id circo Certam. 1. statuetur, difficultas verò prælcripta in sequenbus.

CERTAMEN I.

Spiritum sanctum, nec genitum esse, neque eius processionem generationem de fide est.

1 Raim. Lull. apud. Heimericum p. 2. directorij q. 9. art. 19. sic lib. de Ecclesiast. Prouerbiis aiebat: *Spiritus sanctus est conceptus de Patre, & Filio.* Vetustiores hæretici Arriani, Aetiani, Eunomiani, & Macedoniani, licet Filium esse Spiritum sanctum negarent, quia non esse Patris substantia asserebant; tamen ea hypothesi, quod eiusdem substantiæ foret, Filium fore ob præstandum argumentum certam. 2. clamabant: sícque catholicos vrgebant, vt eius diuinitatem desererent. Nam si Deus, (aiebant) Filius erit: si Filius vel à solo Patre & sic Verbo erit gemellus: si à Filio solo Patris nepos: si ab vtroque fiet alterum Patrem ipsius esse, alterum matrem. Hæc, similiáque effucibant apud Nazianz. orat. 37 5. de Theol. col. 4. & 5. apud Athanas. epist. longiori ad Serap. epist. 2. ex aliis breuioribus: quem errorem multis post annis suscitauit Abailard. apud. Bernard. epist. 190. col. 1. Cœterùm, licet Spiritus sanctus Deus sit, vt verè esse ex fide probauimus, Filium tamen non esse, quia ipsius processio generatio non est, ex sequentibus constabit. Nunc autem præfixa conclusio erit stabilienda:

2 Et primò ex Symb. Athanas. vbi de Spiritu sancto dicitur: *Non genitus, sed procedens.* Quæ sententia habetur in Conc. Toletano 1. approbato à Leone Pap. 1. & in Concil. Tolet. 11. profess. fidei. Secundò: quia Filius est vnigenitus, vt constat ex d. 2. q. 2. ergo Spiritus non est genitus. Patet consequentia: nam, vbi duo geniti sunt, neuter genitus solus, siue vnigenitus est: vt arguunt communiter Patres. Basil 3. contr. Eunom. circa fin. lib. vnic. de Spiritu S. circa med. & infra, hom. 17. in Sanctũ Baptisma, Nazianz. proximè, & longè à med. ac vers. orationis finem. Et orat. *de moderat. in disputando seruanda*, & carm. arcano 3. Damasc. 1. de fide c. 9. post init. Cyrill. Alex. 10. thesaur. c. 4. Cyrill. Hierosol. catechesi 11. Fulgent. ad 3. obiection. Arrianor. Aug. serm. 38. de temp. sub med, Audiendus vnicè est Athanas. Dial. 1. de S. Trinit. contra Macedon. longè à med. & 3. post init. atque 3. de Trinit. cui titulus est, *de assumptione hominis*, fine dicens: *vnigenitum, vt Scriptura refert, secundum diuinitatem indicat, quia in Deitate vnigenitus à Deo Patre omnino fratres non habet.* Repetit orat. 3. contra Arrian. totáque epist. 2. de Spiritu S. ad Serap. quibus locis relata hæreticorum ludibria magno insectatur stomacho, sicuti & dialog. de S. Trinitate contra Anom. longè à medio & 4. contra Vrbicum Pontent. & quæstione 15. de natura Dei, Epiphan. hæresi 62. vers. medium hæresi 69. pag. 5. hæresi 73. versus finem & 76. ad capita Aetij, & column. 7. Ancorati, Nazianzenus citata column. 4. Cui illustris hac de re expositio præponitur Syluardentio, c. 5. & 6. Castro verbo *Deus* hæresi 1.

3 Probatur tertiò: quia, vt à cert. 5. videbimus, strictæ generationis ratio Spiritus sancti processioni non competit: ergo nec Spiritus genitus, nec Filius est. Patet. Nam Filius nequit non generatione procedere. Probatur quartò: quia, si Spiritus sancti processio generatio esset, atque ipse Filius, eiusdẽ esset rationis cum generatione Filij: ac proinde neutra esset diuina: quia vnicuique in suo genere perfectio propria deesset alterius: vnde

vel,nulla esset diuina,vel eadem vnica processione Filius,& Spiritus sanctus procederent : quare Spiritus sanctus non à Filio. Quintò:quia si ccnsent omnes Ecclesiæ Patres,Iustin. exposit. fidei sub init. & fin. S. Martialis epist.ad Burdegalens.& Ephren Syr. opusc. de sui reprehens.vers.med.Gregor.Bœtic.de Trinit. vers. fin. Anastas.Synait.1.de rect.fid.dogmatib. longè ab init.& circa med. Theodoret. 5. epitomes diuinor. decretor. c. 3. de Spiritu S.init.& 2.de principiis col. penult. & in id Roman.8.*Vt sit ipse primogenitus.*Ambros.in Symbol.Apostol. c.3.post med.Hilar.12.de Trinit.col. penult. August. 12. de Trinit.cap.5.& serm.38. de temp.& 3. de Spiritu S. col. 2.5;& penult. & serm. 125. de temp. ante med. Isidor. 7. Ethymol.c.5.& 4.ac 2.de different.spiritualib.c.3.Damasc. 1.de fide capite 10. ante med. Fulgent.de fide ad Petrum capite 1. fine, & cap. 2. init. Anselm. epist. de process. Spiritus sancti contra Græcos,& c. 53. monolog. ac pluries.

4 Sed dices non semel Patres appellare Deum respectu Spiritus sancti *Patrem*, Spiritum verò *Filium* & *natum*.Sic Clemens Roman. 6. constitut. Apostolicar. c. 11. *Annunciamus vnum Deum vnius Filij Patrem, non multorum, vnius Paracleti per Christum.*& 2. recognit. pag. penult. *Dei vnigenitum dicimus non ex alio initio,sed ex ipso ineffabiliter natum:similiter etiam de Paracleto dicimus.* Cyrill.7. de Trinit. longè à princip.ait. *Spiritum Deum esse ex his,ex quibus natus est.*Denique Basil.5.contra Eunom.c.12. init. & post med. scribit. *Spiritum Filium Filij non dici:*nec,sicut in creatis filios ex filiis propagari fere immensum videmus,longam filiorum seriem suspicaremur in diuinis, quibus Trinitas periret : ergo qui Filium asserat Spiritum sanctum cum restrictione non producendi alium filium rectè iuxta Basil.sentiret.Ad primum,vt rectè Turrianus noster ibi,dicito:ad Paracletum non repetit Patrem, sed Deum: cum Patrem dicat vnius Filij, non multorum, quo à ratione Filij Paracletus excluditur, solúmque intendit, ita esse vnius Paracleti Deum, sicut vnius Filij Pater est. Secundo loco intendebat neutrum à pluribus principiis procedere, atque in eo vtrumque similem esse. Cyrill. *natum*, laxè vsurpauit : cum eodem libro circa med. Spiritum sanctum Filium esse negat,sicut totis libris thesaur. præsertim lib.10.c. 4.&c libris dialogor. de Trinit. & exposit.Symboli Nicæni frequenter. Basilius solum contendit contra Eunomæum, licet Filius Spiritus non sit, Deum tamen esse.Obiter tamen egregiam filiationis rationem attigit,quam & nos postmodum sequemur : vbi eius mentem hac super re enucleabimus.Denique, quod Spiritus sanctus Filius non sit,fatetur c.13.init.atque ideo Scripturam nunquam Spiritum sanctum nominasse Filium *aliter ex Deo esse ostendens, quam Filius.*

CERTAMEN II.

Strictæ generationis explicatione emicat propositæ quæstionis difficultas.

1 EXacta ad rem præsentem generationis definitio est, quam tradunt ex Aristot. citando Ricardus Victor.6.de Trinitate capite 18. S. Thom. quæst. 27. art. 2. corp.& 4. contra Gent. capite 11. reliquíque Scholastici verbis hisce : *Origo viuentis à viuente à principio coniuncto.* (seu, *per principium coniunctum*) *in similitudinem naturæ.* Dictione prima : *origo viuentis à viuente*, laxiores generationis, pro eductione vniuersim, acceptiones ablegantur. Eadem etiam denotatur viuens totale esse debere, quod generatur : vt nutritio generationem sit. Addunt Maior in 1. d. 13. quæstione 1. Vazquez d. 113. capite 1. numero 6. & 7. particulæ viuentis aliam, scilicet cognoscentis : ne arbor alterius genita dicatur : cum vtraque viuat, atque altera oriatur à viuenti arbore per eius partem coniunctam, scilicet vel virgultum, vel sementem. Sed certè reiicienda ea particula est: quia, vel cognitio debet esse generationis, & prolis, vel non. Si primum : bruta eam non habent, sed solam tactus, & delectationis cognitionem : imò & hæc aliquibus deficit animalibus,nam teste Aristot.1.de generat. animalium capite 18. animalia nonnulla sexu maris, & fœminæ carent, & sine coitu generant.Si secundum : cognitio per accidens adiungitur generationi, cum in illam non influat. Confirmatur : quia generatio formaliter prouenit à viuentibus, secundum virtutem nutritiuam ex Aristot. 2. de anima capite 4.textu 34. & 1. de generat. animalium,à capite 20.Virtus autem nutritiua secundum gradum vegetatiui,non autem sensitiui competit animalibus : ergo per accidens adiungitur sensatio generationi,cuius formale principium,sensitiuum non est. Ne autem nomen genitæ in propagata arbore tantopere citati Doctores exhorreant,legant Aristotelem 1. de generat.animal.& 2.de anima citato textu:videbúntque primo loco Physosophum notantem proportionem generationis stirpium ad generationem animalium : secundo autem loco, quæ generationis propria docet, in plantarum æquè, atque in animalium generatione designantem.

2 Secunda particula *à principio*, seu *per principium coniunctum*, notatur ab Arist.8.Ethicor. cap. 12. sub init. locísque citatis. Ea verò significatur intrinsecam partem, saltem generantis agentis debere intrinsecè esse in genito:quia in illam vitaliter agendo generans prius disponit, vt fit generationis, & geniti instrumentum : vt rectè Aristot.citato loco de anima, & de generat. animal.præsertim cap.18. Eandem particulam requirunt Nazianz.orat.1.circa med. num.71. vbi Elias Cretens. §. *Cum contra*,Basil.4.contr. Eunom. sub init. Vnde constat horum defectu Euam Adami filiam non fuisse : quia neque ab Adamo producta fuit, neque à principio intrinsecò Adami vitaliter ab eo dispositò:quare neque à viuenti formaliter,qua viuens est. Tertia particula *in similitudinem naturæ* traditur ab Aristot.2. de anima c. 4. textu 34. vbi habet:*Hæc operatio omnium maximè operationum viuentibus est naturalis : vnumquodque aliud sibi simile procreare: animal quidem animal:planta autem plantam :* solísque imperfectissimis animalculis genus diuersum generare permittit 1.de generat. animal.cap.1. Consentiunt expressè Basil. 2. contra Euuom.longè à med.Epiphan. hæresi 69. pag.7.hæresi 73.med.hæres.76. col. 6. & infra ad caput primum Aëtij, Nazianz.& Elias Cretens. vbi proximè, Bernard.epist.190.col.1.Euseb.Cæsar.4.demonstrat.Euangel.med.Hilar.de synod.ad can.7.Oriental. Eandem verò particulam nomine identitatis in natura, quam hic similitudo significat, tradunt Hilar. citatus, & 7. de Trinitate medio Cyrill. Alex. 12.thesaur. capite 15. longè à medio Theodor. Anchyrens. Episcopus, 2. de Natali Dom. tom. 6. Concilij Ephes. in capite 10. Clemens Roman. epist.ad Iacob.fratrem Dom. col. 10. Basilius epistola 43. ad Nyssen. vers. finem Nyssen. de differentia vsiæ, & hypostas. parte vltima in id ad Hebr. 1. *Figura hypostasis.* Nazianz. orat.36.4. de theolog. versus finem numero 79. Athanasius orat. 2. contr. Arrianos longè à principium. Nominéque identitatis in genere admittitur ab eodem compendio de Spiritu sancto post medium ab Hilar. 7. de Trinitate, medio, Ricardo Victori numero 6. de Trinitate capite 18. circa medio, Sancto Thoma 4. contra Gent. capite 11. & 19.longè à med. ac pluribus statim dandis contra Vazquez.

3 Sed dices : Mulus est filius asinæ, & equi: & tamen eiusdem naturæ cum neutro est: ergo non requiritur similitudo in natura, saltem specifica ad rationem essentialem filij, & generationis. Respondit iampridem Arist. 1. c. 8. text. 28. quoties duplex principiũ speciei distinctum ad generationé requiritur, similitudinẽ geniti vtrique coniunctim debere esse, non singulis singulis seorsim, quæ est impossibilis:coniunctum autem ex equo,& asina mulus est,ac proinde mulus genitus propinquissimæ speciei sui principij adæquati similis euadit.Audite Aristot.*Quod enim commune est equo, & asino non est nominatum propinquissimum genus : fuerint ambo fortassis,vti mulus.* Cui valde consonat S. Thomas 7. metaph. lect.7.fin. Adde generationem latitudinem perfectionis essentialis admittere,ac proinde similitudinis in natura: vt, quæ perfecta sit in natura specifica similitudinem afferre debeat; quæ non adeo perfecta, si genericam similitudinem afferat, satis erit : quæ autem perfectissima,vt diuina est, in eadem numero natura necessario similitudinem afferet.

4 Pater Vazq.1.p. d.115. capite 3. & d.145. capite 3. & 4.cui lucem prætulit Bannez 1.p. quæstione 27. art. 4. & Pesantius ibi, & Canar. art.2. p. 4. docuit requiri ad generationem non quamcumque similitudinem in natura specifica, vel numerica viuentis producti cum producente,sed,quæ sit similitudo imaginis:id est, vt natum sit viuens genitum, eaque intentione productum, vt repræsentet producentem.Cuius defectu,inquit ille, ignis, licet producenti similis sit, ouúmque productum ouo alteri,ex quo tandem progreditur,simile etiam sit, non autem alterius siue ignis, siue oui filij, quia neque alterius imagines. Hinc concludit Verbum Filium esse, quia ad repræsentandum suum principium natum est, nec solum ipsi simile in natura euadit; sicut Spiritus sanctus, qui solùm similis in natura suo principio producitur,non autem eius imago, quia non producitur ex intentione repræsentandi suum principium. Vazquez cogitationem hanc sequuntur Luis Torr. de Trinit. dub. 7. Alarcon.d.8.c.16.& 17.referens Ludouicũ de Leon de nominib. Christi nomine *Filius*, Gaspar Hurtado d. 1. de Trinit. diffic. 7. §. *Ratio disparitatis.* Contra primò : quia Arist.Physosophi,Patres,& Theologi omnes similitudinem solum in natura ad generationem strictam requirunt:ergo intentio generantis producendi ad sui repræsentationem effectum est extra generationis essentiam; vel hæc non satis ab Aristot. & reliquis Doctoribus percepta fuit.Contra secundò:quia tota ratio imaginis requisita in viuenti Filio respectu Patris generantis consistit in similitudine in natura ad Patrem producentem: ergo vlterior illa intentio producendi ad repræsentandum suum principium necessaria non est. Consequentia est certa. Antecedens Augustini lib. 5. quæstionum in Deuteron.q.4.sub init:*Omnis*,inquit,*imago etiam similitudo est,non omnis similitudo etiam imago est.Vnde, si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest alterius cuiusibet in altero, non imago;si autem Patri Filius similis sit, etiam imago rectè dicitur,vt sit Pater prototypus, vnde illa imago expressa videatur.*Et in med. ita dictum ait illud Genes.1. *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei:vt non eiusdem substantiæ sit imago, quæ facta est; si enim eiusdem esset non facta, sed genita diceretur.*

5 Id ipsum constanter Patres omnes asseuerant; scilicet, tantumdem valere Filij similitudinem ad Patrem, atque esse Patris imaginem : quia vel indifferenter ad Filij rationem assignandam alterutra vtuntur voce : vel probant Filium imaginem esse Patris : quia similitudinem habet in natura cum Patre; male autem parerent si vltra identitatem, vel similitudinem in natura aliquid aliud ad rationem imaginis requireretur in Filio. Athanas.epist.de decret.Nicæn. Synod. de Verbo loquens ait: *Quod si eum* (Filium) *imaginem nomines,Filium hoc ipso eum esse indicaueris. Quid enim est simile Deo, nisi sua ipsius progenies?*Hilar.de Synod.col.7. ad can.3. Oriental. *Hoc est verè esse Filium : Paternæ scilicet formæ quo imaginatæ in se naturæ perfectam similitudinem retulisse.*Nicetas in orat. 42. Nazianzeni.col.2.de Verbo ait:*Imago est viuit archetypi, & viua ipsa, longéque maiorem similitudinem habet quam sit ea, qua Seth Adamum refert.* Anselm. c.53. monolog. init. *Sicut Verbum mox,vt consideratur, se prolem esse eius, à quo est, manifestat promptam præ se ferendo Parentis imaginem; sic amor apertè se prolem negat: quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti eius, ex quo est,similitudinem.* Vbi,dum dissimilitudinis defectu ab Spiritu filiationem aufert,idem valere, atque imaginem, qua Filio concedit filiationem, apertè fatetur.Denique S. Thom.4. contra Gentes capite 11. & 19. longè à med.*Hæc*, inquit, *est veræ generationis ratio in rebus viuentibus;quod id,quod generatur,à generante, procedat vt similitudo ipsius, & eiusdem naturæ cum ipso.* Indéque concludit Verbum genitum,& Filium esse.

6 Respondet Vazquez Patres, & Sanctũ Thomã loqui de similitudine repræsentationis,non per naturæ conformitatem, & vnitatem. Vnde Sanctus Thom. sæpe ibi repetit:*rem intellectam esse in intelligente, secundum similitudinem speciei* : cum tamen Verbum creatum neque ac esse in similitudinem speciei naturæ, sed solum repræsentationis cum obiecto. Sed contra primò:quia Sanctus Thom.de similitudine speciei, & in natura loquitur. Licet assumat principium vniuersalius de similitudine intentionali intelligentis,& obiecti intellecti, vt ex cert. sequenti constabit. Contra secundò : quia Anselmus, & alij Patres similitudinem naturæ,vel expresè dicunt, vel æquiualenter naturæ, vel generis identitatem, vt vidimus, apertiúsque loquuntur adhuc Nazianz. orat. 36. 4. de Theolog. vers.fin.n.79 *Filius mihi dici videtur*, nempe secunda Persona,*quia essentia idem est cum Patre:tum etiam, quia ex illo est.* Ricard. Victorin. 6. de Trinit.c. 28. ante med. *Idem videtur esse*, ait, *naturalis productio animantis de animante in conformitatem substantiæ, quod parenti prolem generare.*Athanas.orat.2.contr.Arrian. *Pro certo habeatur Deũ suæ Deitatis participem reddere, & gignere idem esse.* Contra tertiò : quia in aliis omnibus generationibus creatis, ex quibus ad increatam generationem deducitur nomen generationis est,non alia similitudo, & repræsentatio parentum in filiis inuenta fuit,inuenirive potest,quam repræsentatio per conformitatem, & identitatem naturæ.Contra quartò:quia ratio imaginis,seu repræsentationis intentionalis, quæ est in Verbo, si naturalem repræsentationem,& similitudinem, atque imaginem per naturæ identitatem secludas, non constituet Verbum Filium, sicut neque Verbum nostrum Filius rigorosè est: ergo tota ratio similitudinis,repræsentationis, & imaginis Filium constituens erit per naturæ identitatem. Nec satis est, si dicas ex vtraque similitudine constari. Nam repræsentatio intentionalis,qua talis,principij vitalis, & viuentis,à quo procedit similitudo,& repræsentatio non est,sed obiecti:quod si viuens ipsum,sit etiam obiectum, ac proinde Verbum sit etiam repræsentatio illius,tamen non procedit à viuente Verbum, vt similitudo ipsius, qua viuens,sed qua obiectum est,ac proinde non, vt genitum:sed de hoc redibit sermo Cert.sequenti,vbi quidquid pro Vazquez responderi posset confutabitur.

7 Tertiò sic arguo contra Vazq.quia, vel ea intentio, ex qua id,quod simile est debet produci ad repræsentandum,vt sit,non solũ effectus,sed imago Patris,ac proindè Filius,debet esse intentio naturæ,vel elicita repræsentationis tanquã finis elicitiuè intenti.Si primũ eiusmodi intẽtio realiter, & formaliter idẽtificatur cũ virtute actiua vniuocè:quare agẽtia vniuoca omnia assimilare sibi passũ in agendo dicuntur intendere:ergo quidquid habet virtutẽ producendi per principiũ coniunctũ vniuocè effectum eiusdẽ naturæ,seu similẽ in natura,si viuens sit,& de facto ita operetur,operatur ex intẽtione producendi effectũ,qui sit ipsius repræsentatio:ac proinde effectus erit, producerúrque, vt imago sui principij. Sin autem propria alia intentio elicita finis huius requiratur, videlicet; quod ex proprio amore elicito producendi effectũ sibi similẽ, suíque representatiuum generans operetur, fiet primò bruta nullatenus generare:siquidẽ bruta intentionem elicitam producendi effectũ sibi in natura similem, suíquẽ repræsentatiuum nullatenus habent : imò neque eam habere possunt, cùm solùm sensibilia percipiant, quæ vel præsentia sunt, vel præterire; ac proinde nec poterunt generare bruta. Quin neque homines generabunt,cũ ad vxores, vel ad alienas voluptatis tantũ causa accedũt. Contra secundò:quia neque Verbũ iuxta hanc doctrinã Filius est in diuinis. Nam ante omnẽ intentionẽ elicitam

elicitam Patris procedit, cùm eius productio neque ex hoc, neque ex aliquo alio fine proposito, & intento à Patre oriatur: cum nec voluntaria sit, sed naturali potius paternæ fœcunditatis impetu Filius procedat. Contra tertiò: quia, si eiusmodi intentio elicita producendi effectum similem ad repræsentandum ad rationem imaginis, strictámque generationem in Filio requireretur, facilius in productione Spiritus sancti assignaretur, quam in Filij productione. Cum enim Spiritus sanctus per voluntatem, opinione probabili, ex sui amore procedat, similísque naturæ sit cum suo principio, nihil videtur eius productioni deesse vt ex intentione elicita producendi Personam sibi similem, suique repræsentatiuam à suo principio oriri dicatur: quare additamentum illud Vazq. Verbi filiationem destruere, Spiritus verò sancti adstruere videtur, si hoc modo intentio requiratur. Illud de igne, & quo nullius est ponderis, nam similitudo effectus cum suo principio, ad imaginem filialem, & generationem requisita vniuocis quibusque causis, & effectibus non conuenit, sed solum perfectioribus cuiusmodi viuentia sunt, quibus solis generatione propria, & stricta, de qua hîc, competit: ac proinde, & eorum effectibus ratio imaginis ad illam requisita.

8 Ex hac autem strictæ generationis explicatione propositæ quæstionis scintillat difficultas. Nam tota, quanta quanta, generationis strictæ ratio, & definitio est in Spiritus sancti processionem sua sponte cadit: ergo eius processio est stricta, & rigida generatio: quare non altera tantum ex diuinis processionibus, scilicet Filij, sed altera etiam Spiritus sancti, ac proinde vtraque diuina processio generatio stricta dicenda erit, atque vtraque Persona procedens Filius. Antecedens constat singulas, & omnes definitionis explicatæ particulas percurrenti. In primis enim Spiritus sancti processio est *origo viuentis*, cum Spiritus sanctus viuens perfectissimus sit; & à *viuenti* perfectissimo, scilicet Patre, à quo, vt viuens est, Spiritus procedit: siquidem procedit vitaliter, vt pote halitus, & Spiritus viuentis: & *per principium coniunctum*, scilicet per essentiam radicaliter, & per voluntatem Patris proximè, quæ substantia Patris est æquè, atque intellectus, atque Spiritui eademmet communicatur: ac tandem *in similitudinem naturæ*, cum Patre requisitam, & explicatam: nempe per naturæ non solum specificæ, sed, & indiuiduæ identitatem, non minus, quam Filius: cum vterque eandem Patris naturam sua processione participet.

Certamen III.

Thomistarum euasio prima ex vi processionis, *desumpta præcluditur.*

1 THomistæ Verbum Filium esse, eiúsque processionem generationem aiunt: quia intellectu procedit, qui in obiecti similitudinem producendam vi suæ operationis, seu intellectionis tendit: vnde vi productionis suæ Verbum simile in natura euadit; secus Spiritus sanctus: qui cum procedat per voluntatem (cuius non est producere obiecti similitudinem, sed amorem, seu impulsum) vi processionis suæ similis in natura formaliter non euadit; licet idemticè, & materialiter similis in natura suo principio procedat: quia, quatenus est Dei amor productus, & immanens Deus esse debet. Ita Bannez, Caietan. Zumel, Ferrara, Capreol. Palacius, Beza, Nazarius, & alij apud Ruiz d.6. fere tota præcipuè sect.3. Sectione verò 4. pro ea refert nominales, dum differentiam generationis à processione Spiritus sancti assignant: quia illa est per modum naturæ, hæc verò per modum voluntatis. Sed hi tamen aliud ea differentia intendunt. Verosimilius referri possent Okamus, Maior, & Gabriel in 1.d.13.q.vnic.post med. Baconius q.1. art. 5. & d. q.1.art.2.ante med. & d.27. art.2.dicto 5. Marsil. licet non ita firmiter in 1.d.1.q.16.art.2. post med. atque ex nostris Valent.2.controuers.de Trinit. c.5. ad 1.& 4. & 1. p. q. 1. punct.4.concl.2.& ad argumenta 1. 4. & 5. Molin. loco citando Sancti Thomæ. Ruiz citandus, Bellarmin. 2. de Christo, c.14.fine Arrubal d.94.c.4. Granad.tract.2. q. 2. Tanner.d.4. q.2. dub.8. Albertin. corolario 14.ad prædicamentum ad aliquid dubitat. Mœrat.d.44. sect.6. Quibus, si illud de imagine excipias, consentiunt Canar. Vazq. Torres, Alarcon, & Hurtado citati cert.2. Hanc sententiam docuisse Augustinum, & Sanctum Thomam volunt. Sic enim habet 1.p.q.27.art.1.ad 2. & art.4. corp. *Processio, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis: & in tantum potest habere rationem generationis; processio autem, quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem motionis, & impellentis in aliquid: & ideo, quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit, vt genitum, vel vt Filius, sed magis procedit, velut Spiritus.*

2 Contra: Verbum diuinum vi processionis procedit simile Patri non solum intentionaliter, sed realiter per realem naturæ identitatem: quia per intellectum diuinum procedit, nec solum quia procedit per intellectum præcisè: atqui Spiritus sanctus, quia per voluntatem diuinam procedit similis producenti per realem identitatem naturæ diuinæ: ergo vi etiam processionis procedit similis realiter per realem identitatem in natura cum suo principio. Maior est certa: tum quia procedere per intellectum, vt sic, vt à diuino abstrahit, satis non est ad similitudinem Verbi producti in identitate naturæ cum principio producente, necessariam adstrictam generationem: vt patet in verbis mentis creatis. Insuper est ratio expressa Sancti Thomæ q 27.art. 1.ad 2. his verbis: *Intellectus secundum hoc, quod actu intelligit, secundum hoc fit magis vnum cum intellecto. Vnde cum diuinum intelligere sit in fine perfectionis, necesse est, quod Verbum diuinum sit perfectè vnum cum eo absque omni diuersitate.* Minor per se patet. Sed distinguunt Caietan, & Assectæ maiorem. Procedit simile formaliter in natura, quia procedit similis per intellectum diuinum in propria linea intellectus, & similitudinis fatentur; in linea extranea, & non similitudinis negant. Distinguunt rursus minorem: procedit Spiritus similis materialiter, & idemticè, quia in linea voluntatis extranea ad similitudinem, & propria ad impulsum, & coniunctionem affectiuam, concedunt; procedit similis formaliter negant, & negant consequentiam. Duo valde diuersa continet solutio. Alterum identitatem naturæ in qua conuenit voluntati diuinæ suum impulsum, & terminum amoris producere, & in qua similitudo naturæ termini cum suo principio formaliter consistit, extraneam, & extra lineam amoris & voluntatis diuinæ esse: solúmque idemticè ratione prædicati transcendentalis diuini comperere; non autem, vt propriam amoris diuini differentiam. Alterum, quod solutio continet, postmodum explicabimus, & refellemus.

3 Primum autem hoc sic impugno. Esse amorem diuinum, & increatum non habet diuinus amor materialiter solum, & ratione subiecti, vt sic dicam, idemtici, sicut calor habet esse in ferro, vel ligno ratione subiecti extrinseci, cui vnitur (vt volunt Ferrara, & Caiet.) Sed formaliter, & intrinsecè: ergo si ratione prædicati *diuini* habet producere similitudinem identitatis in natura, ex suo prædicato formali id habet: ac proinde terminus vi, & formalitate suæ processionis per amorem, similitudinem cum suo principio per naturæ identitatem habebit. Respondet Ruiz verum esse antecedens, si de formalitate transcendentali, & implicita intelligatur; non autem si de formalissima, & explicita intelligatur: nam rationem *diuini* imbibit diuinus amor, sicut rationem sapientiæ, omnipotentiæ, immensitatis &c. Cũ autẽ inde habeat productionem esse termini similis suo principio per identitatem naturæ, eiusmodi similitudo materialis tantum, & identica, non autem formalis est. Mitto sapientiam, & omnipotentiam non transcendere metaphysicè, & formaliter amoris prædicatum, vt probabam Controu. de Deo vno. Mitto etiam leuiores Recentiorum Complutentium impugnationes ex rei impenetratione omnino profectas. Contra: quia formalitas increati, & diuini per se, & formalissimè competit amori diuino, tanquam differentia metaphysica contractiua amoris in sua linea ad esse amoris diuini, nec solùm identicè, & transcendentia materiali metaphysica, sicut vult Ruiz omnia attributa inuicem transcendere: ergo, si ratione illius amor diuinus habet producere similitudinem sui termini in naturæ identitatem, vi & formalitate explicita, & formalissima sui id habet: ac proinde terminus vi formalissima suæ processionis similis in natura euadet principio producenti. Consequentia est certa: nam, quod ex prædicato differentiali actionis euadit tale, vi formalissima illius tale procedit: cum prædicatum differentiale formalius, propriúsque speciei sit quam genericum, & commune. Confirmatur à paritate intellectionis diuinæ, cui ex prædicato differentiali *diuinæ*, non autem ex generico intellectionis, competit producere Verbum, non solùm intentionaliter, sed realiter simile in natura suo principio: & tamen vi ipsius formaliter simile in natura suo principio procedit, iuxta aduersarios etiam, Verbum. Iam probatur antecedens. Actiones, qua tales, specificantur præcipuè à suis principiis formalibus: ergo, quod competit actioni affectiuæ amoris ratione sui principij formalis, competit, tanquam formalissimum specificativum, & differentia propriissima, & formalissima ipsius: sed ratio diuini, & increati competit amori diuino ratione sui principij formalis: ergo competit tanquam ratio differentialis formalissima, propriissima, & specificativa ipsius.

4 Antecedens primum est euidens, traditúmque vt principium ab Aristot. 2. Phys. textu 14. vbi S. Thomas lect.2. §. penult. & 1.p.q.14.art.5.ad 3. & c.2.q.1. art.1. corp. & 3.p.q.19.art.1.ad 3. & de potent.q.6.art.8.init. corporis, & in 2. d.40. q.1.art.1. corp. & ad 5. quem imitantur aduersarij omnes, & Ruiz d. 6.q.5. n.6. Subsumptum autem non negat Ruiz, licet consequentiæ gratia negare deberet. Sed negaturis probo primò. Ratio diuini sumitur in amore diuino à voluntate diuina: sed voluntas diuina est principium formale amoris, qua diuini: ergo ratio diuini in amore diuino sumitur à principio formali diuino, qua tali. Probatur secundò. Ratio diuinæ in intellectione, qua Verbum procedit est intrinseca, & formalissima intellectioni, quia respicit tanquam principium formale sui intellectum diuinum, qua diuinum: sed non minus respicitur voluntas diuina, qua diuina tanquam principium formale amoris diuini: ergo ratio diuini æquè formalis intrinseca est amori, & intellectioni. Probatur tertiò. Nam ratio creati est differentia contractiua, seu prædicatum essentiale formale voluntatis, & amoris genericè sumpti: ergo ratio increati, seu diuini erit prædicatum formale, & ratio contractiua differentialis metaphysicè eiusdem amoris: ac proinde quemadmodum ex prædicato amoris, & differentia creati constituitur linea recta metaphysica species amoris essentialiter diuersa: ita ex prædicato diuini, & prædicato amoris species essentialiter in linea amoris diuersa constituetur. Patet consequentia: nam ex oppositis differentiis nequit altera accidentaliter, altera essentialiter genus contrahere. Vrgetur hoc ipsum. Nam accidentalis differentia metaphysica adiuncta ad essentialem non affert formalem contradictionem: sed creatum, seu increatum adiunctum amori, & inter se inuicem formalem afferunt contradictionem: ergo non est altera accidentalis, altera essentialis differentia amoris. Denique, si quid ratio Sancti Thom. recitata n. 2. ex q.27.art.1. ad. 2. idem probat: quia sicut intellectus diuinus, quia est in summo perfectionis in linea intelligendi, in qua per intellectionem actualem fit intellectus vnum cum obiecto, necesse est, quod Verbum diuinum sit perfectè vnum cum intellectu, & intellectione diuina absque omni diuersitate: ita quia voluntas diuina est in summo perfectionis in linea voluntatis, in qua voluntas adunat voluntatem, & volentem medio amore cum obiecto amato, debet adunare amorem productum cum principio volente, & producente ipsum vnione, & coniunctione perfectissima absque omni diuersitate: ac proinde vi processionis amor productus per amorem, & processionem affectiuam debet habere idemtitatem in natura cum principio producente.

5 Sed impugnatur secundò solutio proximè impugnata. Processio diuina, qua talis, essentialiter dicit non solum productionem, seu influxum in Personalitatem procedentis, sed etiam communicationem: ergo, quod ipsi, eiúsque termino competit ratione, & vi communicationis, vi processionis formaliter conuenient: sed processioni per amorem vi communicationis competit identitas in natura cum suo principio: ergo, & vi processionis formaliter competit identitas in natura cum suo principio termino per ipsam procedenti. Confirmatur: quia seclude in productione Verbi rationem influxus à ratione communicationis, neque inuenies vi formalissima influxus poni in Verbo identitatem naturæ, sed solam Verbi personalitatem: & tamen, quia vi communicationis, qua influxus in processionem diuinam adæquatè constituitur, idém in natura cum Patre euadit, Verbum, dicitur vi processionis similis Patri in natura procedere: ergo, & Spiritus sanctus, vi etiam processionis, similis in natura suo principio euadet, quia vi communicationis, quæ in sua processione essentialiter includitur, euadit talis. Antecedens probatur. Id ponitur formaliter vi influxus, quod per se primò producitur, & ratione cuius producitur totum: sed Personalitas, seu relatio Filij sola per se primò vi influxus producitur, non natura, & ratione personalitatis producitur totum, scilicet Persona: ergo vi influxus non ponitur natura, sed personalitas: ergo secluſa in productione Verbi ratione communicationis à ratione influxus non intelligitur idemtitas in natura ipsius cum Patre. Respondet Ruiz d. 7. sectione 3. numero 3. influxum in Personalitatem, siue, vt sic loquar, verbalitatem, Verbi petere eam communicationem, & identitatem; quia est influxus ex genere suo assimilatiuus: quare in sua linea contrahitur per similitudinem identitatis.

6 Hic est aliquid de voce similitudinis impugnandum statim, cum de secundo sensu præcipuæ solutionis agatur; de re autem est exigentia identitatis in natura termini producti cum suo principio: & hæc quidem exigentia ex parte influxus, qua influxus est afferitur in processione Verbi, non autem in processione Spiritus sancti. Hoc impugno primò: quia exigentia hæc competit influxui intellectiuo, qua diuinus, & increatus formaliter est: sed influxui amoris, qua diuinus, & increatus est, competit eadem exigentia communicationis eiusdem naturæ Spiritui sancto: ergo æquè per se competit vtrique influxui eiusmodi exigentia. Repete, quæ numero 4. dicebamus. Impugno secundò. Amor ex genere suo communicatiuus est omnium bonorum (vt id circo gratiarum [elargitiones specialissimè Spiritui sancto tribuantur ab Apostolo) quia amor nationalis est, ac proinde sua caracteristica proprietate communicatiuus.) Sed natura diuina est præcipuum bonum Dei: ergo ex prædicato amoris exigitur illius communicatio Personæ capaci, qualis est Spiritus sanctus. Impugno tertio argumento Aureoli in 1. d.13. quæstione 1. articulo 2. §. *quod generari* &c. Amor ex genere suo est vnio inter amantem, & amatum, non minus, quam intellectio sit ex genere suo similitudo: sed influxus intellectionis, quia diuinus per se exigit similitudinem identitatis, seu communicationem eiusdem naturæ termino per ipsum producto: ergo influxus amoris, quia diuinus, petet vnionem identitatis in natura termini formaliter per illum producti

ducti cum principio influente. Maior est expressa apud omnes Patres, & Philosophos. Ideò enim Spiritus sanctus glutem, nexus, & vinculum à Patribus dicitur: quia amor notionalis, & per amoris influxum productus est. Est item expressa August. 4. confess. capite 6. & 8. de Trinit. capite 10. S. Thomæ 1.p. quæst. 20. art. 1. ad 3. & 1. 2. q. 25. art. 2. ad 2. q. 26. art. 2. ad 2. q. 39. art. 1. corp. & 2. 2. q. 27. art. 2. ad 2. q. 31. art. 1. corp.

7 Respondet, à nobis etiam laudandus, Ruiz d. 7. sect. 5. num. 7. negando consequentiam, reddendóque disparitatem. Quia vnio identitatis affectiua respectu Personæ productæ per amorem contradictionem implicat. Nam vnio identitatis vnam Personam non distinguit ab alia, sed potius identificat cum illa: ac proinde nequit distinctionem facere, vel inferre, sed aliunde inter ipsas factam supponere: vnde nequit esse terminus realiter productus vnio illa affectiua identitatis. Ast similitudo, & imago quæuis essentialiter dicit distinctionem à prototypo: ac proinde potest esse terminus productus à viuente, licet similitudo ratione perfectionis crescat ad similitudinem in naturæ identitatem. Hinc linea similitudinis exigere potest eam perfectionem identitatis in natura termini per ipsam producti cum principio producente: ac proinde prædicatum communicationis eiusdem naturæ cum principio ipsius in termino producto formaliter per actionem assimilatiuam non implicat. Linea verò vnionis affectiuæ nequit exigere identitatem in natura termini per ipsam producti cum principio producente: quia exigeret, qua productio distinctionem, qua verò perfectissima vnio identitatem eiusdem termini, quod implicat. Vnde in sua linea solum potest exigere vnionem termini cum suo principio affectiuam, non autem identitatis in natura: licet in alia linea eiusmodi identitas termini per amorem producti cum principio producente sit aliunde possibilis. Contra primò: quia identitas termini producti cum personalitate producentis non est in termino formali, & per se terminante influxum amoris, qua influxus est: sic enim, neque productio per intellectionem potest eam identitatem ponere in Verbo: nam ponere identitatem inter Personalitates, & Personas producentis, & producti: quod implicat. Ponitur ergo identitas sola vtriusque in natura communi: hæc autem non inuoluit contradictionem: alioqui neque ex propria, neque ex aliena linea eam ponere posset diuina processio: ergo, licet vtrumque ex linea vnionis amoris proueniat, & exigatur, nihil in ea linea contradictorium exposcitur. Contra secundò: quia aliud est exigi à prædicato superiori vnius lineæ prædicatum identificandi terminum in natura cum suo principio; aliud posse coniungi cum illo: & hoc est contractiuum esse hoc prædicatum adiunctum illius; atque ad intentum conuincendum sufficit, necessarióque admitti debet. Si enim sibi implicarent, non solum in eadem linea formali, sed neque in eadem linea reali, & identica coniungi possent.

8 Contra tertiò: quia neque intentionalis similitudo, quam dicit intellectio infert distinctionem realem repræsentationis à repræsentato, seu similitudinis à prototypo, vt patet in formali similitudine intellectionis diuinæ, quæ à Patre intelligente non distinguitur. Dices, eam distinctionem dicere similitudinem productam, qua producta, imago, & Verbum est. Contra: quia amor productus, seu Spiritus sanctus, qua productus, eam etiam dicit distinctionem: ergo licet, qua amor, & vnio dictinctionem non dicat Personarum, quia vnio producta, eam dicet: vnde ex coniunctione horum prædicatorum vnionis perfectissimæ productæ, & identitas in natura, & Personarum sic identificatarum distinctio satis dicetur. Vnde arguo quartò. Amori diuino Patris, & Filij competit esse productione m, & productionem per vnionem amoris perfectissimam in genere productionis, & vnionis: ergo vi sua competit illi producere terminum distinctum à producente; quia productio perfectissima: & rursus perfectissimè vnitur per identitatem naturæ cum suo principio, quia perfectissima vnio est: Nan secus, atque intellectioni Patris, quia productio perfectissima, & quia perfectissima similitudo, vtrumque competit. Huc facit ratio, quam ex S. Thoma q. 27. art. 1. ad 2. recitabamus n. 2. vbi ex eo, quod intellectus intellectione vnum facit cum intellecto intelligentem, atque intellectio diuina perfectissima sit, infert Verbum diuinum perfectè vnum esse debere cum Patre intelligente absque omni diuersitate. Adde amorem quatenus ad Spiritum sanctum præcisè terminatur esse vnionem affectiuam, atque amicitiam inchoatam erga ipsum: quod necessariò infert illius à Patre, & Filio per intellectum amantibus distinctionem. Nam eiusdem ad se ipsum, ne inchoata quidem amicitia excogitari potest. Adde secundò intellectionem ex genere suo non facere terminum, seu Verbum simile suo principio producenti, sed suo obiecto, atque huic etiam intelligentem similem; ast amor ex genere suo vnit amantem cum amato: ergo perfectissima vnio affectiua, seu perfectissimus amor magis intra suum genus vniet perfectissimè amantem cum amato termino, quam intellectio vniat, assimilétve terminum suo principio.

9 Alter solutionis primò datæ sensus ferè impugnatus à n. 6. sic habet. Per amorem scilicet procedere materialiter similem Spiritum sanctum, quia procedit in identitate naturæ; non autem formaliter: quia processio ipsius per amorem ex genere suo, neque similitudo, neque assimilatiua est: ac proinde prædicata differentialia identitatis in natura termini cum suo principio, licet amorem per se in propria linea contrahant, non contrahunt tamen similitudinem: quare neque faciunt in termino similitudinem in natura per identitatem, quam afferunt, de se quidem sufficientem ad similitudinem formalem in natura ponendam, nisi genus similitudinis, quod contraheretur, in amore deficeret. Sicut de facto cum identitas in natura contrahit prædicatum generícum similitudinis, quod est in intellectione, qua producitur Verbum, formalem similitudinem ipsius cum Patre facit, nec solum materialem. Appositissimo exemplo prædicati rationalis quondam in S. Thomæ, & nostri Vazq. obsequium sententiam hanc & explicabam, & defendebam. Etenim, si animal contrahat prædicatum rationalis, animal rationale constituit, & corpoream speciem nempe hominem; Si autem substantiam spiritualem coarctet non speciem animalis, aut corporis, sed spiritualem speciem, nempe Angelum, constituit. Sed iam iuuenilis ingenij argutias solidior vicit ætas fructibus, quam floribus aptior. Contra primò: quia similitudo necessaria ad filiationem non est similitudo intentionalis, sed realis, vt patet: Nam posita intentionali sine reali non est Filius effectus; posita autem reali sine intentionali effectus est Filius: ergo, quod satis fuerit ad ponendam similitudinem realem naturæ formaliter, vel efficienter, satis erit ad ponendum Filium formaliter, vel efficienter: sed realis similitudo in natura, in qua consistit filiatio, adæquatè stat inidentitate reali naturæ specifica, vel numerica: ergo quod illam sufficienter ponit, ponit formaliter Filium. Antecedens proximum probo. Sublata intentionali similitudine sola identitate reali in natura Petrus v.g. est Filius Pauli; quia hæc identitas contrahat similitudinem intentionalem tanquam genus: ergo in sola idemtitate reali in natura consistit realis similitudo, in qua stat filiatio.

10 Tum sic. Sed amore diuino, qua tali, ponitur terminus productus idem in natura cum suo principio: ergo ponitur, & sit terminus per illum, non solum materialiter, sed formaliter similis suo principio similitudine reali naturæ ad filiationem requisita: ergo, & amor generatio est, & Spiritus genitus. Confirmatur: quia vel genus similitudinis, quod contrahi debet per differentiam identitatis in natura ad similitudinem formalem necessariam filiationi debet esse similitudo intentionalis, vel non intentionalis? Si primum: nullius Filij creati

creati identitas in natura cum suo principio constituet similitudinem realem formalem cum ipso ad filiationem requisitam, sed solum materialem: ergo nullus filius creatus filius est. Si secundum: ergo præcisè quo ponitur identitas naturæ cum suo principio in effectu ponitur similitudo formalis, & necessaria generationi: hæc autem ponitur in Spiritu sancto per amorem: ergo est Filius. Dices debere contrahere genus similitudinis vt sic, licet non similitudinis intentionalis, quod deficit in amore, adéstque intellectione. Contra primò: ergo Filius diuinus non est talis, quia intellectione diuina, qua intellectio, & representatio formalis est procedit, & quia Verbum formalissimè est. Patet: quia in intellectione, qua intellectio, & Verbo, qua Verbum intentionalis repræsentatio, & similitudo necessariò, & essentialiter includitur: ergo solùm est Filius: quia eius processio assimilatio est vt sic, abstrahens ab intentionali, & contracta postmodum per prædicatum diuinæ ad assimilationem realem in identitate naturæ, in quo, præterquam à Thomistis receditur, nulla est intentionalis similitudo. Contra secundò: quia ea ratione omnis vniuoca actio viuentis eo ipso, quod sit productiua effectus eiusdem naturæ cum suo principio, habet prædicatum generícum assimilationis effectiuæ contractum per identitatem naturæ ad similitudinem in natura, quia aliunde expectetur ex alia specie similitudinis, vel accidentalis, vel intentionalis, quam in se habeat, vt rursus replicatum genus similitudinis accipiat, quod contrahat, vt patet in omni actione generatiua creata: ergo eò ipso, quod amor diuinus sit actio viuentis, & productiua termini eiusdem naturæ cum suo principio, habet genus assimilandi contractum per differentiam assimilandi in idemtitate naturæ, quin opus sit, vt aliunde genus assimilandi replicatum habere debeat.

11 Contra quartò: quia, amor etiam, ex genere suo assimilatiuus est: ergo diuinus amor ex specie sua amoris habet prædicatum assimilandi, quod contrahat ad similitudinem formalem in natura per naturæ identitatem, quam affert ex prædicato differentiali diuini. Maior est receptum axioma Arist. 8. Ethicor. cap. 1. traditúrque ab Eccles. c 13. Ad quæ loca eorum Interpretes in eandem sententiam chartas opplent. Respondet nihilominus Ruiz d. 8. sect. 5. à num. 14. negando antecedens. Nam assimilatiuum non solùm dicit similitudinem, quæ in omni amore inueniri debet, sed insuper eam similitudinem ab amore fieri, quod non competit amori, qui in amatis similiùdinem non ponit, sed supponit. Sed contra: quia vt doctè Cicero lib. de amicitia, ex quo S. Hieronim. ad 7. Michææ: *Amicitia pares, aut accipit, aut facit, vbi inæqualitas est.* Id quod multis suadet Arist. 8. Ethicor. c. 5. & 7. & lib. 9. c. 3. & 6. Respondet rursus inter Patrem, & Filium supponi omnimodam similitudinem, & æqualitatem ad amorem, quo Spiritus S. procedit: quare in illis eam similitudinem facere amor ille nequit. Contra primò: quia etiam ad intellectionem diuinam supponitur identitas principij, & obiecti, & tamen intellectio aliam causat similitudinem identitatis in termino, quem producit: ergo, licet supponatur similitudo identitatis inter Patrem, & Filium ad amorem, aliam poterit causare similitudinem identitatis amor in termino, quem producit, nempe Spiritu sancto. Contra secundò: quia eodem amore Pater, & Filius diligunt Spiritum sanctum, quem producunt, tam perfectè, ac se ipsos: ergo etiam amore ponunt in Deo similitudinem, & æqualitatem, quam ille amor non supponit, & simul in Spiritu sancto cum ipsius Persona producit: ergo, licet amor diuinus assimilatiuus non sit effectiuè respectu Patris, & Filij, quos similes supponit; attamen Spiritus sancti assimilatiuus erit. Primum antecedens certum est apud omnes, constábitque d. 5. de obiectis per se quarto modo processionum.

12 Impugnatur secundò solutio: quia intellectio, qua intellectio, non est assimilatiua Verbi principio intelligenti, qua principium est, sed obiecto intellecto, qua obiectum est: sed generatio, qua generatio, est assimilatiua termini suo principio, qua principium est: ergo intellectio, qua intellectio, non est assimilatiua generatiuè, ac proinde neque ipsa est generatio, neque Verbum genitum. Minor probatur: quia generatio per Thomistas, & omnes, præsertim Ruiz d. 6. sect. 6. n. 9. est assimilatio vitalis, & proueniens à viuenti, qua viuens est: alioqui esset à viuente materialiter, sicut impulsus, & calefactio. Maior probatur: quia intellectio, & Verbum qua tale, siue ex genere suo, non est similitudo principij intelligentis, sed obiecti illiúsque imago. Respondet Ruiz d. 6. sect. 9. à n. 13. obiectum intelligibile esse etiam principium intellectionis, vel se ipso, vel per sui speciem, vt ex August. 9. de Trinit. capite 17. circa med. & Aristotele 12. met. cap. 6. textu 39. vulgare axioma sit, *Ex obiecto, & potentia paritur notitia.* Vnde adæquatum principium intellectionis, & Verbi non est solus intellectus, sed etiam obiectum: in Deo autem, vt pote intelligente perfectissimo, intelligens, & obiectum intelligibile identificari necesse est, vt ait Arist. vbi proximè, ex quo reliqui Scholastici præcipuè S. Thomas relatus n. 3. Hinc factum, quod Verbum diuinum sui adæquati principij perfecta similitudo sit. Contra, non contendo verbum non esse imaginem principij vitalis producentis, vt est principium obiectiuum, & mortuum, sed vt est principium vitaliter assimilatiuum: nam, qua obiectum formaliter non est principium vitale, sed mortuum, mortuo quippe modo in sui cognitionem obiectum influit, qua obiectum est. Patet in omnibus obiectis atque in re præsenti: Filius ipse, & Spiritus sanctus obiecta sunt cognitionis, qua Verbum producitur, & per se quarto modo obiecta sunt, ialtem in probabilissima sententia, de qua postmodum d. 5. eorúmque similitudo Verbum est; cum tamen vitaliter in ipsum non influant: ergo Pater, qua viuens, & vitaliter operans non producit suam similitudinem in Verbo, sed qua obiectuum emortuè: ac proinde ea assimilatio generatiua non est, neque vitalis generatio.

13 Confirmatur ex communi politiorum Scholasticorum opinione, quæ rationem similitudinis in cognitione formaliter ab obiecto tanquam à principio formali prouenire, aiunt; rationem autem vitalitatis à viuente intelligente qua tali. Contra secundò: quia impugnatio nostra contra secundum sensum solutionis contendit solum genericum similitudinis prædicatum, quod contrahitur per identitatem in natura ad similitudinem in natura, non esse similitudinis in natura cum viuente principio, sed cum obiecto: vnde in illa linea per se solum contrahi posse ad similitudinem in natura cum obiecto: ac proinde identitatem in natura cum principio accidentaliter illi coniungi, cum sit in linea alia similitudinis cum principio, quod satis est ad eam solutionem euertendam. Respondebis adhuc, principium intelligens infinitum per se petere idemtitatem cum suo primario obiecto, ac proinde vtrumque non coniungi per accidens, siquidem principium intelligens idemmet primarium obiectum est. Contra: quia non quidquid per se exigit principium intelligens ob sui perfectionem per se requiritur ab intellectione. Ecce in opinione distinguente cognitionem Angeli à sua substantia, & tamen afferente per suam substantiam obiectiuè concurrere ad sui intellectionem, idemtitas principij vitalis, & obiectiui non est per se requisita ad intellectionem illam, qua intellectio, & similitudo sui obiecti est: vnde, si media specie propria, vel omnipotentia Dei æquè supplereturconcursus obiectiuus eiusdem substantiæ, æquè perfecta intellectio euaderet, ac quando ab ipsa Angeli substantia tanquam ab obiecto efficiebatur: esto, qua actio & modus mutato principio obiectiuo concurrente eadem actio non permaneret: ergo &c.

14 Denique Albertinus noster, & Ruiz respondent intellectionem respicere duplex principium inadæquatum ex genere suo. Aliud vitale intelligentis, aliud obiectiuum, & non vitale: quod vtrumque cum idem-

meg

met in Deo sit, fit, vt in linea similitudinis, seu assimilatiua principij obiectiui procedat Verbum in natura simile Patri, quia intellectione producetur; secus autem Spiritus sanctus, qui à voluntate, & per amorem procedit, cuius actionis specificatiuum totale est principium vitale volitiuum, non autem obiectum, à quo tanquam à principio non procedit, sed tanquam à fine: Vnde tota specificatio està vitali principio, non autem ab obiecto, à quo genus similitudinis desumitur: quare identitas, siue similitudo per naturæ identitatem non competit principio amoris, & Spiritus sancti per se, sed per accidens, & comitanter, cum sit extra lineam principij vitalis. Contra primò: quia in linea principij vitalis viuentium omnium datur differentia principij assimilatiui in eandem naturam sufficienter ad generandum sine linea assimilandi obiectiuè: ergo licet non detur in principio volitiuo diuino linea assimilandi obiectiuè in identitatem naturæ, si tamen detur linea principij vitalis producendi terminum in idemtitatem naturæ, dabitur linea producendi, quæ intra se, & non extraneè sit linea principij assimilatiui formaliter in idemtitatem naturæ sufficienter ad generationem. Vrgeo; præsertim Recentiores: qui hanc præcipuè solutionem, tanquam propriam venditarunt. Nam ipsi, neque formaliter distinguunt in Deo concursum obiectiuum ad intellectionem à concursu vitali: ergo tota ratio principij obiectiui in Deo vitalis est: ergo in linea vitalis principij inueniri potest prædicatum assimilatiui in identitatem naturæ: ergo differentia assimilatiui extranea non est principio vitali volitiuo. Contra tertiò: quia vt nuper dicebam, ratio assimilatiui obiectiuè, non est formaliter vitalis, neque in linea vitalis principij: aut assimilatiuum generatiuum vitale esse debet: cum operatio generatiua debeat esse origo viuentis à viuente, vt viuens formaliter est: ergo horum doctrina Spiritum sanctum præ Verbo Filium, & genitum facit.

Certamen IV.

Secunda acutior ex vi processionis euasio intercipitur.

1 Altera ex vi processionis solutio debetur profundæ meditationi nostri Suar. 10. de Trinit. c.5.lib.9.c.1.n.4.lib.11.c.5. n.16. Cui subscripserunt Herice 1.p.tract.1. d. 12. innumerísque ex nostris Recentioribus in manuscriptis, ex quibus Iuniores Thomistæ ferè omnes. Adprobat ad difficultatem præsentem in primis Albiz. d. 2. de Trinit. sect. 3. licet non adeo ad suam Doctrinam consequenter. Ait enim ibi, etiam volitione Deum essentialiter constitui: quare Spiritui etiam vi processionis essentiæ pars communicabitur, dum communicabitur volitio. Nec refert intellectionem radicem volitionis esse, quare communicata vi processionis intellectione, & volitionem consequenter communicari. Etenim; si volitio ab intellectione oritur, æquè, atque intellectio patebit, illámque formaliter supponet, erítque passio Dei primariò constituti adæquatè per intellectionem contra huius Doctrinam. Sic ergo solutio habet nimirum essentiam diuinam intellectione actuali constitui, non autem volitione: vnde cum agens quoduis sua actione sibi simile producere intendat in virtute, secundum quam agit, Verbúmque, vt vidimus, intellectione producatur à Patre, fit, vt primariò, & per se intellectio communicetur ipsi, ac proinde essentia, & natura, quæ idem est cum intellectione, eriam formaliter; cum autem volitio, quæ intenditur in Spiritu sancto poni, quippe qui ea, formaliter procedit, essentia formaliter non fit, vi processionis formaliter similis in natura suo principio non euadit: quia volitioni, quæ formaliter natura non est, sed solum idemticè, similis procedit. Miror sententiam hanc à iuratis Thomistis admitti, cum adeò apertam pro sententia impugnata mentem suam dederit S. Thomas, nec difficilè fuerit, quæcumque ex S. Thoma pro ea adstruenda congerunt, malè, & distortè intellecta ab ipsis fuisse monstrare.

2 Etenim, quod ex eo adducitur 1.p. quæst. 14. art. 2. ad 4. & art. 4. corp. *intelligere Dei est esse Dei, & essentia.* & rursus, *est eius substantia.* Quæ ferè repetit ad Colosss. 1. lect. 14. & 1. contra Gentes cap. 45. 46. & 47. & 4. contra Gent. cap. 11. longè à princip. & à med. & cap. 12. med. & fine, & 1.p. q. 34. art. 2. ad 1. nullius est ponderis. Etenim eam propositionem probat ex Dei simplicitate, à se probata 1.p. tota q. 3. maximè art. 1. vbi solam realem simplicitatem, & vnitatem Dei probauit: ergo extra rem ad constitutionem formalem essentiæ afferuntur, cum inde eodem modo censuisse de amore dicendum sit; imò ita expresse censet 1. p. quæst. 19. art. 2. ad 1. & art. 1. corp. *Sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle.* Consonat q. 27. art. 3. circa fin. Nec refert quod citata q. 14. art. 4. & 4. 34. art. 1. corp. dicat intelligere Dei esse *omnino* idem cum esse, seu essentia, nam illud *omnino* non ita semper distribuit idemtitatem, vt rationis & formalem etiam comprehendat, alioqui neque Personæ ab essentia formaliter distinguentur, cum idem omnino esse dicantur c. *damnamus*; neque vllum attributum inter se, & ab essentia different metaphysicè contra hos Doctores, cum Anselm. 16. monolog. *omnino idem esse* definiat. Sed audiant S. Thom. sic Dei intelligere à suo esse formaliter distinguentem 1.p.q.26.art.2. corp. *In Deo non est aliud esse, & intelligere secundum rem, sed solum secundum intelligentiæ rationem.* indéque colligit ad 1. Beatitudinem Deo magis secundum rationem intellectus, quam secundum rationem essentiæ conuenire. Consonat q. 2. de verit. art. 1. ad 2. art. 2. ad 3. in 1. d. 2. q. 1. art. 2. & 3. vbi & q. 13. 1. p. art. 4. vniuersim de omnibus attributis distinctionem ab essentia docet. Concluditque art. 12. corp. vniuersim *pluralitatem, quæ est secundum rationem repræsentari per pluralitatem prædicati, & subiecti; vnitatem verò per compositionem*, id est affirmationem; imò in ipsa affirmatione idemtitatis distinctio rationis, & formalis essentiæ, de qua, & attributi, quod affirmatur, necessariò importatur. Instant verò Recentiores Thomistæ ex 4. contr. q. 11. & 1.p. quæst. 27. art. 2. corp. & ad 2. vbi S. Thom. colligit ex eo, quod intelligere sit esse Dei Verbum esse Filiú; quod etiam inferretur de Spiritu sancto, si volitio eodem modo, id est, etiam formaliter esse Dei foret. Verùm non colligit inde Verbum esse Filium, sed solùm eiusdem substantiæ cum Patre, quod ipsum, & de Spiritu sancto colligit ex identitate volitionis cum essentia 4. contra Gent. cap. 19. licet Filium eum neget: *quia amatum in amante est, non secundum similitudinem speciei, sicut intellectum in intelligente*, quæ constans fuit eius sententia à nobis proximè impugnata.

3 Sed quoniam, cuiuscumque sit hanc præ cæteris componendæ difficultatis meditationibus, pessimè semper odi rationibus agamus, ostendamúsque in nulla constitutione metaphysica naturæ diuinæ turò defendi posse. Tripliciter ergo essentia diuina potest constitui. Primò, vt solo conceptu essendi à se adæquatè in ratione essentiæ constituatur, & quidquid postmodum intelligatur Deo ineſſe, quasi accidens metaphysicum sit: qui modus constituendi mihi semper placuit: nam licet de ratione Deitatis, & essentiæ diuinæ sit infinitas simpliciter simplex, tamen satis est infinitas simpliciter simplex radicalis: scilicet, quæ in suo genere simpliciter infinita sit, atque esse intelligatur radix metaphysica omnium perfectionum simpliciter infinitarum, in suo quæque genere. Suadet ratio: quia eo sufficienter metaphysicè intelligitur aliquid constitutum in suo esse, quo ab omnibus aliis sufficienter, & adæquatè distinguitur: sed per hoc prædicatum entis, seu substantiæ à se sufficienter intelligitur Deus distinctus ab aliis omnibus, quæ Deus non sunt: ergo sufficienter intelligitur metaphysicè constitutus. Deinceps intelligitur sufficienter constitutus ad consequentiam reliquarum perfectionum simpliciter infinitarum: ergo intelligitur ram quoad distinctionem à reliquis, quam quoad determinationem

tionem ad debitas perfectiones sufficienter constitutus. Vrgetur: quia quidquid in metaphysicam Dei essentiam admitti debet, vel est prædicatú commune, vel differentiale: sed attributa reliqua nequeunt comparari cum hoc prædicato entis, seu substátiæ à se, tanquá quid cómune, vel tanquam quid differentiale: ergo nequeunt intrare compositionẽ metaphysicã Dei. Maior videtur certa. Probatur minor: quia intellectio diuina v.g. non est quid cómunius, quá ens à se, cum in nullo alio, quod ens à se nõ sit, reperiri queat: sed neque est prædicatũ differentiale, cum æquè pateat, atque ipsum prædicatum entis à se: ergo neque est prædicatũ cómune, nec differẽtiale Dei. Probatur rursus eadẽ minor: siquidem cognitio diuina consequitur ad prædicatum entis à se: ergo neque est, quid communius, neque quid strictius illo: ac proinde neque genus, neque differentia respectu illius esse poterit. Consequentia patet: quia causa necessaria physica, vel metaphysica nequit non esse cum sua formalitate consequenti, aut effectu: vt constat in risibilitate, quæ passio metaphysica & consequens est ad hominis essentiam: ergo nequit latius, vel strictius esse vnum, quam aliud.

4 Probatur secundò eadẽ sententia. Quia prædicatú entis à se habet diuersum connotatú, atque intellectio diuina: ergo formaliter distinguuntur. Consequentia est certa. Antecedens probo: Quia ens à se præcisè, & formaliter sumptũ solùm est ordo ad existentiã à se, vel potius ipsa existentia à se; prædicatum autẽ intellectionis præcisè non est ordo ad existentiã, sed est ordo ad obiectum: ergo prædicatũ entis à se habet diuersum connotatum à prædicato intellectionis diuinæ. Pergo: ita inter se intellectio diuina, & reliqua attributa cum prædicato entis à se cõparantur, vt nullũ ex his radix metaphysica entis à se esse possit; contra verò prædicatũ entis à se omnium intelligatur esse radix, & metaphysicum principiũ. Nam, licet cognitio infinita simpliciter in suo genere sit, sicut, & volitio &c. cum tamẽ intellectio sit formaliter repræsentatio, & similitudo intentionalis intelligentis cũ obiecto intellecto, potius supponit intelligentẽ, cui repræsentet, quíque intelligat, ac se intentionaliter moueat, quã ipsum inferat à priori, licet ex prædicato diuinæ habeat in suo genere infinitatem; Prædicatũ autẽ entis seu substantiæ à se ita habet infinitatẽ in suo genere entis, vel substantiæ, vt intelligi nequeat, quin ex illo metaphysicè, & à priori inferatur necessariò cumulus perfectionum omnium, quæ meliores sint suo non esse, atque in suo genere simpliciter simplices, & infinitæ: ergo prædicatũ entis à se, seu substantiæ à se ita cum reliquis prædicatis diuinis cõparatur, vt ea metaphysicè inferat à priori, ab ipsis autẽ non, nisi à posteriori, inferatur: ergo non solum est infinitũ simpliciter in suo genere formaliter, sed & infinitũ radicaliter in quouis genere perfectionis simpliciter simplicis, ac proinde eiusmodi prædicatũ essentia metaphysica Dei erit. Probatur secundò intentum; siquidẽ id, quod æquè patet in diuinis, atque primum, & notissimũ ex prædicatis fundamentũ est, cæterorum radix metaphysica citra controuersiã est, sed existentia à se primũ, & notissimum fundamentum est cæterorum: ergo est radix metaphysica eorũ. Minor probatur. Nam pone mihi infinitam intellectionem, & secludo existentiã à se, neque eam diuinã esse intelliges, sed chimericã: ergo intellectio diuina fundatur in existentia à se, & idem est de reliquis attributis. Quod autem existẽtia à se sit notissima omnium formalitatum diuinarum probatur facile. Siquidem de prædicato existentiæ est notissimum omnium prædicatorum esse, vt ait Aristot. Vnde existentia est rerum omnium definitu difficillima: qua cum se se intellectui ingerat, nequit adeò clarè, atque in se cognoscitur, partitis cõceptibus manifestari.

5 Sed hoc ipsum illustrius reddamus Scripturæ, & Patrum testimoniis. Exod. 3. cum se Deus ex re notissima manifestari Moysi vellet, sic ad eum loquitur: *Ego sum qui sum.* quasi diceret: in existentia seu esse totum est meum esse: quibus edoctus Moyses ad populum sic loquitur: *Qui est misit me ad vos.* his autem locis, hísque vocibus essendi Dei essentiam, & naturã, apprimè explicari, ad quam reliqua omnia attributa consequantur notant Iustin. M. orat. ad Gentiles post med. Hilar. 1. de Trinit. col. 4. Hieron. ad illud Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas.* Augustin. ad id Psalmi 9. *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum.* aliíque Patres apud Ruiz d. 8. de Trinit. à sect. 9. Sed omniũ præclarissimè Damasc. 1. de fide c. 12. his verbis ait: *Principalius omnium dictorum de Deo nominum esse, qui est.* & Nyssen. orat. *aduersus eos, qui ægrè ferunt reprehensiones*, sub init. dicit: *Deum esse primam rationem.* Videntúrque vterque edocti à Dionys. de diuin. nominib. circa med. vbi habet: *Ex ipso esse tanquam antiquiori aliis Dei donis ipse Deus celebratur.* id quod probat: quia quæcumque munus aliquid agendi, vniendi &c. habent primum ipso esse participant, & primum existunt; mox verò huius, & illius principia sunt, & ipso esse participando existunt. Vnde concludit. *Primum igitur ipsius esse munus proponens summa illa bonitas ipso esse, vt antiquissimo, primóque omnium eius participationum potissimum celebratur.* Sed magis scholasticè Chrysost. hom. 1. de incomprehensibili Dei natura circa medium, hanc prioritatem, & primatum, metaphysicámque præcedentiam prædicati entis, & substantiæ à se fic expressit. *Non à sapientia substantia, sed à substantia sapientia est.*

6 Sed ratione fundamenti, quã prædicato entis, & substantiæ à se respectu cæterorũ attributorũ tribuebamus, luculenter nobis dedit Nyssen. lib. posteriori de Trinit. ad Eustathium longè à med. dum reliqua omnia nõ elsè tiam, sed aliquid circa essentiã significare his verbis docet: *Cum aliquis vniuscuiusque horũ nominum, est ipsius naturæ, circa quam ea nomina intelliguntur, rationem reddit, ac definitionem, non eamdem reddit vtrorumque rationem: quorum autem ratio, definitióue diuersa eorum natura quoque differens est. Igitur aliquid aliud essentia, cuius nondũ oratio inde excogitata, atque inuenta est; alia verò nominũ, quæ circa ipsam proferuntur.* Sibi vbique similis lib. ad Ablab. *quod non tres Dij*, versus med. de attributorum nominibus loquens sic effatur: *Peculiarem vnum quodque continet in se sententiam comprehensam: nec vllam in diuinis nominibus vocem reperies aliquo carentem intellectu. Ex hoc itaque demonstratur, quod non ipsa natura per aliquod eorum nominum denotetur.* Id quod de hoc nomine *Deus*, siue *deos* Græcè, prout *efficaciã inspectricem, spectatricem, visitatricem, cõtemplatricem*, quæ omnia intuetur, & videt, designat, statim ostẽdit. Cõsonat Cyrill. thesaur. c. vnic. de omnibus nominibus attributorum agens vbi habet: *Hæc omnia non substantia, sed aliquid eorum, quæ in substantia inspiciuntur signant.* Sed tamen Basilium videamus 1. contr. Eunom. vers. med. sic aduersæ sententiæ authores irridentem. *Quonam pacto non irridendus, si prouidam rursus substantiã, eodem modo præscientiã, & omnẽ item operationem substantiam putet. Quæ cuncta, si ad vnum tendunt significatum necesse est, vt idem valeant sicut sit in multiuocis.* scilicet synonimis.

7 Dedi susius huiusmodi constituendi diuinam essentiam adæquatè per prædicatum entis, seu substantiæ à se, & rationes, & testimonia Patrum: tum quia pro modo isto constituendi essentiam diuinam steti semper; tum etiam quia ex illo Soar. & assectarum, super discrimine processionis Spiritus sancti à processione Verbi in ratione generationis, sententia validissimè constatur: vt, vel leuiter consideranti patebit. Siquidem in hoc modo constituendi essentiam diuinam æquè excluditur à ratione essentiæ intellectio, atque volitio: ergo, sicut ex eo vi processionis non assimilatur Spiritus sanctus principio producenti in natura, quia virtus formalis, per quam à suo principio procedit, & in qua intenditur assimilatio effectus, & termini producti cum suo principio, non est natura, & essentia diuina: ita cum intellectio diuina iuxta hunc modum, veriorem constituendi essentiam diuinam, extra constitutiuum essentiæ, & naturæ diuinæ sit; Verbum, quod vi processionis assimilatur solú per Soar. intellectioni diuinæ, per quam formaliter procedit, non assimilatur formaliter vi processionis suæ Patri producenti naturæ, & essentia Patris: quod si dicas saltem assimilari præsuppositiuè vi processionis in natura, & essẽtia quã essẽtialiter metaphysicè intellectio diuina supponit. Cõtra est: quia etiã volitio diuina essẽtialiter præsupponit essẽ iã

diuinam:ergo vi processionis præsuppositiuè æquè assimilatur eius terminus Spiritus sanctus in essentia, & natura diuina principio producenti. Nec refert, si dicas intellectionem immediatius præsupponere essentiam, quam præsupponat volitio. Nam certè vi processionis, si strictè, vt volunt aduersarij, accipiendum sit omnem abolet præsuppositionem, solúmque dicit formalem addu-ctionem, naturæ, & essentiæ. Si autem præsuppositioni in ponenda natura in termino procedente locus detur, mediatius, vel immediatius illam præsupponere refert parui: quandoquidem, tam necessaria est connexio cum natura in præsuppositione formali mediata, atque in immediata. Contra rursus: quia, licet in creatis intellectio immediatius oriatur à substantia rationali quam volitio, non tamen ita est in diuinis. Nam idò ita euenit in creatis, quia intellectio causalitate ad volitionem præcedit, vt conditio saltem, rationalis substantiæ limitatæ perfectionis, quæ proinde non æquè primo omnium suarum perfectionum radix est; ast in diuinis, neque intellectio causalitate præcedit volitionem, neque natura diuina pro vllo signo limitatæ perfectionis est: ac proinde æquè primo omnem perfectionem attribualem in suo genere infinitam simpliciter exposcit, atque indiuisibiliter omnium radix esse intelligitur.

8 Sed agamus iam in alio modo constituẽdi essentiam diuinam per conceptũ infinitatis formalis simpliciter in omni genere, nec solũ per radicalẽ in omni genere infinitatẽ quomodo essentiã diuinam constituere videbitur fortassis alicui Nazianzenus orat. 36. 4. de Theolog. vers. fin. & orat. 38. de natiuit. Domin. longè. à princ. & orat. 42. 2. in Pascha te col. 7. n. 7. dicens: *Vniuersũ enim id, quod est, in se cõplectitur: velut pelagus quoddam essentiæ immensũ, & interminatũ.* & orat. 49. siue tract. de fide vbi in hæc verba: *Quæ est substantia Dei, nisi ipsũ, quod Deus? Simplex, singulare, purũ, nulla concretione permixtũ, limpidũ, bonũ, perfectũ, beatũ, integrũ, sanctum, totũ.* Ex quo sententiã, & verba mutuati videntur Damasc. 1. de fide c. 2. & Ambros. lib. vnic. de Filij diuinit. c. 4. med. Hilar. 9. de Trinit. vers. med. enumeratis Dei attributis ait: *Non, quod hæc Deus habeat tanquã aliud quid extra se credendũ sit, sed, quod in his ad aliquantulã sensus nostri opinionẽ significatus sit ipse, qui habetur.* Quibus nec sua deficit ratio. Licet enim ad distinctionẽ à reliquis creatis sufficiat Deo ratio entis, seu substantiæ à se: ast ad perfectionẽ Dei constituti omnia requirũtur, quæ perfectiones sine imperfectione sint, atque in suo genere infinita sint. Sed in hoc etiã modo impugnatur facilè Suar. cũ assectis; quia non minus intiat constitutionẽ essentiæ diuinæ volitio, quam intellectio; ergo, quod formaliter procedit per volitionẽ vi processionis, non minus accipit essentiã diuinã metaphysicam, quã quod procedit per intellectionem. Antecedens probo. Essentia diuina metaphysica, iuxta hunc modum, est formaliter infinitũ perfectionũ simpliciter simpliciũ, velut aggregatũ, & quasi coactũ ex omni perfectione simpliciter simplici, & infinita in suo genere: ergo quidquid fuerit perfectio simpliciter simplex, atque in suo genere infinita hoc aggregatũ omniũ perfectionum taliũ formaliter metaphysicè ingredietur; atqui; volitio diuina est perfectio simpliciter simplex, atque in suo genere infinita: ergo volitio diuina ingredietur hoc aggregatum ex omnibus perfectionibus simpliciter simplicibus, atque in suo genere infinitis conflatum, hoc autem ipsum est essentia diuina metaphysica, iuxta hunc modum constitutionis: ergo volitio diuina iuxta hunc modum constituendi essentiam intrat formaliter essentiam diuinam, non minus, quam intellectio.

9 Confirmatur impugnatio præcedens: quia, vel, vt sit Filius terminus procedens requiritur, vt vi processionis cõmunicetur ipsi à producente integra essentia metaphysica diuina, vel sufficit, vt cõmunicetur pars formalis, siue prædicatũ aliquod ex iis, quæ formalẽ constitutionẽ essẽtiæ ingrediũtur. Si primũ: ergo secunda Persona Trinit. Filius non est. Patet consequẽtia: secundæ Personæ Trinit. vi suæ processionis per intellectionẽ nõ cõmunicatur per vos nisi sola intellectio: sed intellectio in hoc modo cõstituẽdi essentiã nõ est tota, & integra essentia diuina, sed pars solùm, siue prædicatũ vnũ ex iis, quæ ingrediũtur formalem constitutionẽ metaphysicã essentiæ diuinæ: ergo vi processionis nõ cõmunicatur fœcũdæ Personæ integra, & adæquata essentia diuina: ergo si ad filiationẽ requiritur, quod termino procedẽti vi processionis formaliter cõmunicetur, integra, & adæquata essentia diuina metaphysica, secunda Persona non est Filius. Iam verò, si sufficit, quod vi processionis cõmunicetur pars essentiæ diuinæ metaphysicæ, volitio, quæ per vos vi processionis cõmunicatur Spiritui S. pars est essentiæ diuinæ metaphysicæ, atque prædicatũ vnũ ex iis, quæ formaliter constituunt essentiã diuinã metaphysicam: ergo vi processionis euadit Spiritus S. similis in natura, & Filius æquè, atque Persona secunda. Quæ huic argumento responderi possent habes impugnata, dum euasiones argumenti ex primo modo constitutionis essentiæ efformati præcludebamus.

19 Sed in tertio modo, qui solus reliquus est, minus inueniet præsidij modus iste, quẽ impugnamus. Sic enim essentiã diuinã alij constituunt, vt scilicet cõceptus essentiæ diuinæ ex genere suo indiuisibiliter omne dicat perfectionẽ sine imperfectione excogitabilẽ, non quidẽ vt essentiæ conceptus ex pluriũ perfectionũ formaliter distinctarũ aggregatione resulter; sed ita, vt perfectiones, quæ in creatis omnibus disperse formaliter sunt, quasi vno ictu formalitatis indiuisibiliter inuoluat, quin ex parte formalitatis diuinæ obiectæ partitio perfectionum & prædicatorũ possit inueniri, licet ob intellectus nostri tenuitatẽ, rem obiectam, quã deglutire simul nequit, ex parte modi cõcipiẽdi partiamur. Ita rẽ istã meditabatur Bernard. S. de cõsiderat. ad Eugen. *Si magnũ, si beatũ, si sapientem; vel quid tale de eo dixeris, in hoc Verbo instauratur, quod est est. Nempe hoc ei est esse, quod hæc omnia esse. Si centum talia addas non recessisti ab esse, si ea dixeris nihil addidisti, si non dixeris nihil minuisti.* Quid illustrius? fortasse Anselmus c. 14. monolog. à med. c. item 15. Quidquid de Deo prædicatur etiã attributa in abstracto essentialiter prædicari aiens, & clarius c. 16. præter alia sic habet: *Idẽ igitur est quodlibet vnum illorũ, quod omnia simul, siue singula, vt cũ dicitur iustitia, vel essentia vnum significat, quod alia simul, vel singula.* Si autem diuersæ essent formalitates in Deo essentiæ, & attributorum, cuiusque nomen non idẽ, quod alterius, vel quod omnia simul, significaret. Rursus: *illa* (inquid) *summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundũ alium modum, aut secundũ aliam considerationem, non sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est hoc est totũ, quod ipsa est.* Sed fortè tam Bernard. quam Anselmus solum volunt in attributis non esse diuersum esse, aut entitatẽ ab esse, & entitate essentiæ, sicut hic cap. 56. mon. log. & 22. ac 23. prosolog. ait: *Spiritum sanctum esse essentiã, & sapientiã, & virtutem Patris, & Filij, quia habet omnino eandẽ quã illi.* à qua tamẽ formaliter differre citra dubiũ est. Sed demus illos Patres docere quæcumque nomina de Deo dicimus ex parte rei obiectæ idem significatũ, eandémque formalitatem indiuisibilem importare. In hoc ergo vltimo modo, quem nunc breuitatis causa non examino, sic Suariũ impugno. Formalitas metaphysica ex parte rei obiectæ in essentia diuina indiuisibilis, atque vnissima est: ergo si vi processionis per volitionẽ cõmunicatur Spiritui sãcto formalitas diuina, vt per te, & omnes communicatur, vi processionis communicatur essentia metaphysica. Patet consequentia. Nam id, quod formaliter indiuisibile, & vnissimum est, nequit communicari secundum partem, & secundum aliam non communicari, cum pars, & pars in eo non sit. Neque potest communicari simul, & non communicari, si idem ipsum sit formaliter, quod communicatur, vel non communicatur.

11 Iuuat tandem contra huius opinionis Assecl as aliũde, & præcipuè ad hominẽ pugnare. Facit primò contra Suariũ, quod rem certã ex minus certo fundamento cõiiciens peccet ipse in eo, in quo nostrũ Vazquiũ reprehendit. Facit secũdò: quia, vt probet primariò communicari Verbo intellectionẽ, supponit intellectionẽ esse principiũ, quo Verbi: vt autẽ hoc probet supponit primariò ipsi cõmunicari intellectionẽ: ergo in circuitu vit, alioqui pius,

pius, ambulat. Contra tertiò: quia lib. 6. de Trinit. c. 5. n. 6. ait essentiam esse principium, quo principale, & remotum, intellectionem autem esse principium quo proximum, & quasi accidentale in quo apertè essentiam ab intellectione formaliter diuersam esse supponit: ast nullũ agens assimilat sibi effectum in virtute accidentali, & proxima, sed in principali, & remota, vt patet in calore, quo ignis agit, & in potentia generatiua, quæ accidentalis, atque addita substantiæ à pluribus, satis probabiliter, ponitur: perperam ergo infert Personas productas vi processionis intellectioni, & volitioni, quæ principia proxima sunt, assimilari debere; cum potius inferri oporteret & vtramque Personã essentiæ, quæ principiũ remotum, & formale est, vi processionis assimilari. Contra quartò: quia in sententia Suarij intellectio, non solum est conditio ad amorem, sed in ipsum tanquam eius principiũ influit actiuo partiali concursu æquè, atque voluntas: ergo, quod procedit formaliter per amorem assimilari debet vi processionis diuinæ intellectioni, quæ essentia, & natura diuina est in eius opinione: sed Spiritus sanctus procedit formaliter per amorem: ergo vi processionis suæ communicatur ipsi cognitio, siue essentia diuina. Primam consequentiam probo, siquidem in hac sententia terminus productus assimilari debet principio producenti proximo; sed principium producens proximum amoris, quo procedit Spiritus sanctus, est intellectio diuina, vt ex ipso dicebam: ergo diuinæ intellectioni assimilari debet, quod procedit per amorem diuinũ: ac proinde vi processionis per amorem formalissimè communicabitur ipsi natura, & essentia diuina. Contra denique: quia, seclusa etiam à possibilitate quasis operatione intellectus creati nulla esset formalitatum, & attributorum Dei distinctio, & tamen Filius esset Filius in ea hypothesi, & Spiritus sanctus non esset Filius: sicque rem habere cognosceret Deus: ergo non est Filius secunda Persona: quia vi processionis communicatur essentia, & non attributum; Spiritui autem communicatur attributum, & non essentia. Confirmatur: quia Filius realiter est Filius; Spiritus autem realiter non est Filius: ergo vtrumque habetur per discrimen reale, non autem rationis. Supersedeo à reliquis nostris impugnationibus, quarum longior catha-logus esset, atque ab aliorum etiam refutationibus, quæ leuiores mihi visæ sunt. Non omittam autem ex aduersariis Recentiores, qui inde probant sapientiam esse naturam formaliter in diuinis, atque vi processionis communicari: quia dicitur Filius à Patribus Sapientia genita. Sed inde probatur citius Sapientiam non esse naturam, aut essentiam formaliter; alioqui dicendus esset essentia, siue natura genita, quod damnatur erroris c. *damnamus*, de summ. Trinit. cum de eadem formalitate nequeat idem affirmari, & negari sine contradictione.

Certamen V.

Speciosa Recentium Complutensium, & Salmanticensium difficultatis componendæ modi refelluntur.

1 Desumpta ex nonnullis Patribus occasione, non quidem obiecta, ex veteribus Scholasticis nonnulli ideo secundam Personam Filium esse, tertiam autem non esse Filium in diuinis aiunt, quia de ratione Filij sit ab vno procedere, non à duobus. Quam sententiã Neoterius quidã Complutensis ex nostris pro virili defendendã suscepit, atque speciosis Patrum testimoniis, rationísque non ineptæ momento confirmabat. Sic ergo discurrebat, nimirùm generationem esse debere à natura viuenti, vt natura, & viuens est. Tunc autem talem esse quando primariò per se, & immediatè competit illi, quod primò, & per se natura constituit, scilicet suppositò, quod primarium est principium, *quod*, operationis naturæ, vt natura est. Vnde operatio, quæ supposito in esse suppositi constituto ab alio potentia distincta à natura, ad ipsúmque suppositum constitutum, quasi accidentaliter addita conuenerit, naturalis operatio non est. Dixit verò Recentior constituto supposito in esse suppositi nam, licet potentia, à qua operatio prouenit accidentalis sit, si tamen à natura ipsa proueniat, atque cum illa comparetur, vt principium *quo* proximum, cum principio *quo* remoto, nihilominus naturalis, ait ille operatio erit: vt patet in igne per calorem operante, & in homine per potentiam generatiuã accidentalem, in opinione probabili generante. Hinc arguit. Processio Spiritus sancti prouenit à potentia quasi accidentali adueniente Patri, & Filio constitutis in esse suppositi: ergo non cõpetit primariò suppositis Patris, & Filij: ergo non est operatio naturæ: ergo nec generatio. Consequentiæ ex notatis pronæ sunt. Subsumptum probat. Spiratio, quæ est Spiritus sancti processio, prouenit à potentia spiratiua: hæc aduenit Patri, & Filio in esse taliũ constitutis: ergo aduenit illis constitutis in esse suppositi, quasi accidentaliter: siquidem paternitate, & filiatione in esse suppositorũ Pater, & Filius constituuntur. Minorem probat: quia, si non esset potentia adueniens Patri, & Filio in esse talium constitutis, esset, quia vel antecederet eorum constitutionem, vel eam comitaretur, vel tandem, quia esset partialis, & inadæquata subsistentia Patris, & Filij: nihil horum est potest: ergo aduenit Patri, & Filio in esse suppositi constitu is. Minorem proximã probant. Et in primis, quod non antecedat: quia ante Patrem, & Filium non intelligitur formaliter potentia spiratiua. Insuper, quod non comitetur: quia esset formaliter ipsa paternitas, & Filiatio, quod dici nequit. Siquidem in his, siue formaliter, siue fundamentaliter sumptis solum intrat potentia, & generatio actiua, & passiua, & si vis, relatio. mutuæ Patris, & Filij in illis fundata: hæc autem omnia formaliter potentia spirandi non sunt. Patet, nam sublata potentia spirandi Pater, & Filius in esse talium formaliter manerent. Insuper: quia potentia spiratiua virtualiter à paternitate, & filiatione distinguitur: cum vtrique idemtificetur. Tertiò: quia cùm Pater, vt Pater, & Filius, vt Filius, distinguantur, iam principia Spiritus sancti diuersa essent, & non idem contra definitionem Concilij Florentini sess. 25. & Concil. Lugdunens. relati cap. vnic. de summ. Trinit. in 6. Quod autem potentia spiratiua non sit partialis subsistentia Patris, & Filij, probant: primò quia in diuinis non datur subsistentia communicabilis, cum tamen potentia spiratiua, eiúsque actio communicabilis sit Filio à Patre: vnde suppositum commune saltem duabus Personis in Trinitate attendum esset, quod temeritatis notat Ruiz d. 70. sectione 3. numero 11. imò errori etiam proximum indicat. Pabat secundò: quia potentia spiratiua subsistentia non est; alioqui quarta subsistentia relatiua inaudita in diuinis admitti deberet. Restat ergo, vt potentia spiratiua Patri, & Filio in esse taliũ constitutis, quasi accidentaliter adueniat, vt aiunt Ruiz numero 9. Suares 10. de Trinitate capite 4. numero 4.

2 Verum discursus totus non vrget. Nam principium *quo* totum, quoad actiuitatem, licet non quoad distinctionem, in natura, & communibus constituì debere ostendemus satis d. 4. & 6. ita, vt positis personalitatibus, tanquam distinctiuis producentis à Persona procedente intelligatur formaliter principium *quod* constitutum ad processiones: vnde constat in ratione actiuitatis, licet nõ distinctionis, potentiam spiratiuam præcedere ad suppositа Patris, & Filij. Secundò in opinione de Filiatione secundę Personæ per fœcunditatem ad Spiritum sanctum, quam dicit paternitas, dici facilè posset vtramque personalitatem comitari potentiam spiratiuam, vt quid idemtificatum inadæquatè, cum vnaquaque earum, quin oppositа aliquid probent, nec sint plura principia Spiritus sancti. Tertiò inde constat non constituere Personam tertiam à Patre, & Filio diuersam. Quartò demùn neque infertur inducenda in diuinis quarta subsistentia relatiua. Nam subsistentiæ duæ partes potentiæ, non verò alterius subsistenti æruntt. Ex quibus discursus totus Recentioris inani adeò molimine subnixus sua sponte corruit.

Imò ex his etiam sententiæ huius nascitur impugnatio. Nam potentia spirativa consistit formalissimè in natura ornata duplici subsistentia, siue in voluntate, quæ naturam metaphysicè consequitur: ergo natura saltem est principium remotum spirationis: ergo spiratio est operatio per se, & primariò conueniens vtrique supposito Patris, & Filij: ergo spiratio est operatio naturæ. Triplex efformata consequentia est Recentioris huiusce probantis intellectionem, qua Verbum procedit, seu distinctionem, esse operationem naturæ.

3 Antecedens probabitur citatis locis fusius; nunc verò sic breui probatur. Si diuina natura ante personalitates distingueretur à subsistentia Personæ producendæ, & ratione illius ab ipsa Persona, non solum virtualiter, vt vult Recentior, sed formaliter etiam illam produceret, atque adæquatè ageret: Tunc enim, licet in distinctione susposita imperfectio, in influxu autem summa perfectio, imò naturæ necessaria, foret: ergo adiuncto distinctiuo à Persona producenda, sufficienter intelligitur naturæ virtus constituta ad productionem Personalitatis, & Personæ producendæ. Probo secundò: potentia generativa, & filiatio actiua per te prouenit à natura proximè, vel remotè, quia terminus, & personalitas ipsius est; ergo & spiratio actiua eodem modo ab illa proueniet, quia terminus, & personalitas ipsius naturæ est, atque eam exiget natura diuina. Confirmatur: quia per te diuinæ Personæ eò realiter formaliter distinguuntur, quòd formaliter realiter personalitas est: sed Pater, & Filius realiter formaliter distinguuntur relatione principij spiratiui, & spirationis ab Spiritu sancto: ergo potentia spiratiua, & spiratio realiter formaliter est personalitas: ergo formaliter prouenient à natura. Probatur consequentia extrema; siquidem natura, quæ exigit personalitates principium, vel reale, vel virtuale, vel fundamentale illarum est. Contra tertiò, quia personalitate Spiritus S. constituitur deitas in esse suppositi: ergo ante illam non est adæquatè in esse suppositi constituta: ergo & illam exigit, & potentiam qua ponenda est, & processionem: ergo & est potentia, & operatio naturæ, & aduenient ante constitutionem adæquatam naturæ in esse suppositi. Contra quartò: quia Pater communicat Filio potentiam spirandi per te: ergo illam præhabet. Patet consequentia. Nihil enim dare potest, quod non habet. Antecedens, & tuum est, & probatur. Nihil est reale formale in Filio, quod non acceperit processione à Patre, vt latè constat ex adductis d. 3. sed potentia spiratiua est aliquid reale formale in Filio: ergo eam accipit processione à Patre.

4 Dices accipere fundamentaliter, quod satis est, vt remotè dicatur accipere, licet non accipiat formaliter: sicut grauia, & leuia moueri à generante dicuntur, à quo accipiunt principium motus. Contra primò: quia ea loca formaliter intelligenda sunt, & rigorosè, vbi ratio theologica, seu aliud Scripturæ testimonium oppositum non suadet, iuxta generales regulas interpretandi Scripturam: sed hìc neque tuæ vrgent rationes, neque Scripturæ testimonium: ergo formali, & rigorosa significatione intelligenda sunt. Contra secundò: quia August. 3. contra Maximin. c. 14. & 15. de Trinit. c. 17. & 27. & Eugen. 4. in Concilio Florentin. sess. vlt. in literis vnionis aiunt, *Patrem omnia, quæ ipsius sunt, dedisse Filio præter esse Patrem: & id quoque, quod ab eo procedat Spiritus sanctus*: ergo cum potentia spiratiua formaliter sit, in Patre, ea formalis potentia iuxta hos Patres data Filio à Patre fuit. Contra tertiò: quia vel fundamentum adæquatum potentiæ spiratiuæ est paternitas sola, vel paternitas, & filiatio, vel vtraque cum essentia, vel essentia sola. Si sola essentia: ergo potentia spiratiua non aduenit suppositis constitutis Patri, & Filio. Si altera ex personalitatibus non erit in altera ex personis potentia spiratiua: cum alterius personalitas in altera persona non sit: si in vtraque personalitate &c. ergo vel ea personalitas Patris, quatenus fundamentum est potentiæ spiratiuæ communicatur Filio, & sic Personalitas inadæquata communis in Patre, & Filio tantopere à Recentioribus fastidita necessariò admittenda erit, vel non datur Patris Personalitas, quatenus fundamentum est potentiæ spiratiuæ Filio: & tunc non omnia, quæ habet Pater, præter esse Patrem, dat Filio ipsum gignendo contra Augustinum, & Florentinum adhuc fundamentaliter, falsóque aiebat Christus per Ioannem: *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Siquidem neque fundamentum spirationis in Filio, & Patris, neque fundamentum spirationis in Patre est Filij. Hæc ex communi principio de potentia spiratiua.

5 Inde arguo tertiò: Id circo ais, licet ex duobus patre scilicet, & matre possit in creatis filius prouenire, non posse in diuinis, quia in patre, & matre creatis non est æqua, & completa virtus sicut est ad processionem Spiritus sancti æqua, & completa virtus in Patre, atque iterum in Filio. Ad quod ais non esse increatis exemplum. Est bene: ergo vtraque subsistentia non est fundamentum, neque spirationis, neque potentiæ spiratiuæ. Patet consequentia: nam, si vtraque subsistentia est fundamentum earum: ergo cum in neutra Persona sit formaliter vtraque subsistentia, sed solum circuminsessiuè, immanenter per identitatem vtriusque in natura eadem, in neutra est adæquatum fundamentum potentiæ spiratiuæ: ergo neque adæquata potentia spiratiua, neque spiratio adæquata in alterutro. Patet. Nam vbi adæquatum fundamentum formalitatis vnius non est, neque adæquata formalitas esse potest. Quod autem minus perfectus sit concursus actiuus, quem admittis in fœmina, quam virilis; Filij verò, & potentia, & influxus in Spiritum sanctum omnino, & potentiam, & influxum Patris in eumdem Spiritum perfectione exæquet, fiet sanè Filium Spiritus sancti matrem non esse: quod autem obsit ea æqualitas potentiæ, & influxus Patris, & Filij ad veram generationem non capio. Imò verò facilior ad generationem ex duobus æqualibus principiis, quam ex inæqualibus via aperitur: cum enim hæc ex suo genere actio assimilatiua sit fœtus cum suo principio, facilius assimilabitur perfectissimè in omnibus, vt perfectissimum diuinum fœtum decet, duplici personæ æqualis virtutis, & operationis, quam duplici inæquali in virtute, & operatione. Si enim inæquales essent, dum alteram Personam perfectissimè referret similitudine, necessariò à perfectissima alterius similitudine deficeret.

6 Iam testimonia, quæ aucupio potius, quam Patrum sponte, tuóve delectu cepit, facilis est solutio. Refertur August. citatis locis contra Maximinum, & de Trinit. vbi nihil planè definit. Licet enim verbo tenus ad locorum initia videatur asserere Spiritum non esse Filium, quia à duobus procedit, tamen re solùm contendit Spiritum non à solo Patre procedere, atque de discrimine generationis à processione concludit: *non capio, non intelligo, non sufficio.* Id quod notatum à vobis velim semel, quia eisdem locis post verba, quæ Recentiores pro se afferunt alia subdit, quibus Hurtad. Salmantinus suam etiam sententiam stabilire conatur: cum tamen, neque eis aliquid pro ipso Augustinus definiat; sed tantùm primo suo instituto insistat de processione Spiritus sancti à Filio eique loco satisfaciat, quo Christus Dominus in Euangelio de Spiritu sancto dixit *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ex quo Maximinus contendebat non procedere à Filio. Contra verò Augustinus inde probari satisputat, à Filio etiam procedere, quandoquidem *Pater Filium gignendo ei dedit, quod ab illo etiam procedat Spiritus sanctus.* Affert etiam Recentior Patres plures asserentes Filium dici vnigenitum: *quia à solo Patre procedit.* sed certè solum ibi Patres respondentibus hæreticis ad ea loca, quibus Filius vnigenitus dicitur intelligi vnigenitum *actiuè*, idest, à solo Patre procedentem; non autem *passiuè*, idest, quod solus gigneretur: contendunt non solum *actiuè* vnigenitum dici, sed & *passiuè*: quia solus genitus est, ac proinde aiunt: *Solus ex solo Patre.* Aduocant etiam alios Patres asserentes Filium esse Filium; *quia continenter, & sine medio à Patre est; Spiritus autem medio Filio procedit.* Sed quid inde: cum potius sententia

sententia nostra statim statuenda his locutionibus tradatur: cùm ibi satis indicetur Filium esse Filium, quia habet fœcunditatem, vt vlteriorem Personam producat.

7 Ad hunc suum hactenus impugnatum modum conantur Recentiores aliùm trahere à vetustioribus excogitatum, quem in suum etiam pertraxit Ruiz. Nempe Filium procedere per intellectum, qui à suo obiecto determinatur ad operandum, ac proinde, vt agens naturale operatur, atque ex specie sua naturaliter; Spiritum verò sanctum per voluntatem, quæ ex specie sua non determinatur ad operandum à suo obiecto: quare nec naturaliter, nec vt agens naturale operatur. generatio autem naturalis operatio esse debet. Referuntur Scotus in 1. d. 10. q. vnic. §. *quantum ad* 1. d. 2. q. 4. §. *Dico tunc*, & §. *ad instantiam* in 3. d. 8. q. vnic. §. *ibi ad quæstionem.* S. Bonau. in 1. d. 6. art. 1. q. 1. & 2. d. 10. q. 4. Faber, d. 13. disp. 40. c. 2. Albert. 1. p. q. 42. m. 3. Alex. Alens. q. 43. m. 1. fin. q. 45. m. 7. Henric. Sum. art. 53. q. 9. art. 60. q. 1. Carthus. in 1. 11. vt i Capreol. init. Sed in primis discrimen hoc in repræsentè locum non habet, cum æquè determinetur à suis obiectis voluntas diuina ad processionem Spiritus sancti, atque intellectus à suis ad Verbi processionem: cum neutra earum libera sit, sed naturalis, & necessaria, vt contra Henricum ostendemus q. 3. cert. 2. Deinde generationes humanæ semper, aut ferè liberæ sunt, atque ab actu libero voluntatis pendentes, quin eis ad rationem generationis obsit libertas. Tertiò ex definitione generationis constat non excludi liberam productionem similis in natura cum viuente producente à ratione generationis; cum non ponatur in ea fore naturalem necessariò. Cœterùm quantum possit ad Ruizij sententiam hæc opinio trahi, facilè quiuis viderit; non posse autem ad sententiam Recentiorum Complutensium pertrahi nemo erit, qui ignoret.

8 Posset autem facilius ad horum sententiam reduci opinio Ricardi 6. de Trinit. c. 6. 7. 8. & 17. ideo Filium præ Persona tertia secundam Personam esse, quod tertia Patri *principali germanitate coniuncta non sit*, cùm secunda Persona prior sit origine, quam tertia, Filij autem germanitas germanitatum omnium, & prior, & principalior reliquis esse debeat, vt patet in creatis, expressitque Aristot. 8. Ethicor. c. 12. dicens: *Consanguineæ amicitia multiplex: pendet autem omnis ex paterna.* Hanc sententiam amplectitur Alens. 1. p. q. 42. m. 2. m. 3. art. 2. præsertim ad 2. Impugnatur autem ab Henrico citato art. 60. q. 1 Sed enim opinio hæc eadem est cum illa de mediata processione Spiritus sancti à Patre, in qua nostram cert. 6. dandam contineri notabamus hìc n. 5. Ideò enim mediatè, & posterius procedit Spiritus à Patre, quia medio Filio, cui communicatur à Patre natura fœcunda ad Spiritum sanctum producendum. Neque aliter mediatio processionis generationi Spiritus sancti obesse potest. Cùm enim immediatè à Patre etiam procedat, licet mediatè à Filio procedat Patris esset Filius, sicut, & in creatis Filius esset aui, qui ex eius cum filia congressu gigneretur. Deinde, licet Patris non esset Filius: ast Filius esset Filij, à quo dubio procul immediatè, ac coniunctissima germanitate progredetur, æquè, atque Filius à Patre.

9 Salmantinus noster Zunniga d. 2. dub. 20. m. 9. sententiam Ricardi Victor. à nobis postmodum tuendam, atque explicandam de natura fœcunda ad intra Filio, non autem Spiritui sancto communicata ita explicat, & tenet: vt ad filiationem similitudo in natura viuentis producti cum viuente producente debeat esse cum viuente producente, vt viuens est, seu principium fœcundum coniunctum, seu intrinsecum operandi de substantia sua aliud suppositum viuens, qui operandi modus proprius est viuentis. Id quod magno Salmanticensium Doctorum plausu exceptum inibi testatur. Sed hoc gratis, & contra Aristotelis authoritatem, imò & reliquos Philosophos, ac Theologos, qui Aristot. definitionem sine eis particulis admittunt. Contra secundò: quia ipse n. 7. ait mulum filium esse, & si natura, & essentia sua infœcundus sit: quia id est præter naturæ intentionem præcipuam. Et licet in principio adæquato muli, nempe equa, & asino simul sola muli infœcundi natura sua (vt admittit Zunniga) productio intendatur, ac proinde intentio producendi fœcundum nequeat intelligi, do aliam esse posse: indéque probo in Spiritus sancti productione, licet infœcunda necessariò ad intra Persona progrediatur aliam esse posse intentionem naturæ de se fœcundæ: ac proinde Filium esse Spiritum sanctum æquè, ac mulus filius esse admittitur ab ipso. Contra tertiò: quia si per impossibile daretur natura fœcund in Patre, infœcunda verò in viuente producto eiusdem naturæ viuens productum Filius foret: at sic datur natura diuina fœcunda in Patre, & Filio, infœcunda in Spiritu sancto producto: ergo est Filius non obstante infœcunditate. Respondet Zunniga implicare suppositionem antecedentis. Bene: ergo non implicat consequentia: ac proinde in natura diuina, in qua non implicat esse fœcundam ad intra in principio producente, infœcundam verò in termino producto valebit hunc esse Filium. Confirmatur: quia, si solùm essent possibiles centum homines homo centesimus infœcundus foret; & ramen esset filius hominis nonagesimi noni à quo produceretur: quia eiusdem esset naturæ cum illo: ergo, & tertia Persona, licet infœcunda, quia eiusdem naturæ cum producente Filius erit. Denique de ratione viuentis, vt viuens est, non est generare, vel fœcundum esse. Imò generatio, si de proxima loquamur, non est actio vitalis, & immanens de se, vt patet in creatis, licet in diuinis sit immanens: ergo, licet assimilatio Filij cum producente viuente debeat esse cum viuente, vt viuens est, non in fœcunditate erit, sed in virtute mouendi, ac perficiendi se motu, vel reali, vel intentionali: quod habet Spiritus sanctus, qua Deus est, qui essentialiter est viuens. Denique generatio proximè sumpta in creatis (quam solùm Philosophus nouit, ac definiuit) non est actio immanens viuentis producentis, vt mox contra affinem huic sententiam Hurtado vrgebo.

10 Salmantinus etiam Pater Hurtado manuscripto de Trinit. d. 2. sect. 10. sub sect. 5. paulo aliter explicatæ sententiæ Ricardi adhæsit. Quod scilicet similitudo termini cum viuente, à quo procedit, debeat esse in natura, vt natura est, vt Filius eius sit: natura autem strictè, rigorosè, & propriè dicta est *substantia eorum, quæ in se ipsis, vt ipsa sunt, motus* (actionis in ipsis immanentis) *principium habent.* actionis autem immanentis in diuinis vna solùm persona ex procedentibus, quæ fœcunda ad intra est, in se principium habet, nempe secunda: ergo ea solùm non tertia euadit similis in natura propriè accepta suo principio: ac proinde ea sola Filius est in diuinis. Tenebo calamum contra has philosophicas nugas de propria naturæ acceptione satis impulsum. Etenim Aristot. qui eam generationis definitionem scholis dedit, immanentem esse actionem, ac proinde à natura, quæ natura propria illa, ac rigorosa acceptione est, manantem non agnouit, imò neque suspicatus est: cum id solùm ex mysterio Trinitatis toti Philosophiæ ignoto contingat; in creatis verò generationibus, quas solùm nouit semper generatio transiens operatio est: ergo naturam in sua definitione non strictæ naturæ propriæ dictæ acceptione vsurpauit, vt generationes, quas solùm nouerat, ac definiebat, excluderet, includerétque, quam prorsus ignorabat. Contra secundò: quia naturam ibi essentiam, & subsistantiam integram producentis, & producti significare concors Patrum, atque Philosophorum, & Theologorum sententia est.

11 Audiat Damasc. 1. de fide capite 8. circa med. *Generatio quidem in eo consistit; vt ex gignentis essentia proles eiusdem cum gignente substantiæ producatur.* cui accinunt plures Patres citati cert. 2. num. 2. dum aiunt similitudinem requisitam ad generationem in genere esse debere: id est, in specie. Constátque ex Arist. 2. de anima. cap. 4. text. 34. ex quo generationis definitio desumpta est. Non enim dixit similem in natura; sed *sibi simile animal quidem animal, plantam autem plantam.* Item 1. met. cap. 8.

textu 28.ait mulum filium esse ac similem in propriissimo genere,suo adæquato principio : *Quòd enim commune est equo, & asino non est nominatum : propinquissimum genus, fuerint ambo uti mulus.* Displicet tandem in Hurtado quod filiationem in fœcunditate positam esse probet ex August.15.de Trinit.c.17. circa med.& 27.sub initium aiente : *Et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur:sed hoc quoque ille Pater dedit,non item existenti, & nondum habenti, sed quidquid unigenito Verbo dedit gignendo dedit* & 3. contr. Maximin.c.14.sub init. *Gignendo ei dedit,quod etiam de illo procederet Spiritus sanctus.* Quasi dicat:generatione, qua tali, fœcunditatem ad Spiritum sanctum dedit Pater Filio. Sed nil tale curauit ibi. August.'quin post vltima verba ait differentiam generationis, & processionis *non capio, non intelligo, non sufficio.* Solúmque contendit eo loco,à Filio etiam, Spiritum sanctum procedere, licet Filius dixerit solum, *Qui à Patre procedit* : quia id etiam dedit Filio Pater,vt Spiritum sanctum produceret. Neque amplius quidquam locis primis de Trinitate intendebat ; quin in eis ait non solum fœcunditatem datam Filio à Patre *gignendo*, sed & reliqua omnia, quæ Filius habet cum ipso Filij esse data à Patre fuisse : at in aliorum communicatione generatio specialis, & formalis non exercetur, etiam per Hurtado : male ergo in formali sensu generationis locutum fuisse Augustinum eis locis hic Doctor insistit.

Certamen VI.

Secunda Persona Filius est, eiúsque processio generatio, quia fœcunda ad intra euadit,secus tertia.

1 Discrimen hoc, quia solidius, atque à nostro modo concipiendi independentius, ac proinde realius præ cœteris mihi à iuuene arridebat : ampliúsque in dies arrisit, cum rem maturius perpendens illud à Patribus in primis traditum viderem. Expressit Ricard. victorin. 6. de Trinit.c.11. & à c. 18. vsque ad 21. Eum sequuntur Alexander Alensi.1.p.q.42. m. 2. med. & m.3.art.2.& q.62.m.3.art.2. ante med. S. Bonau. in 1. d.13. art.1. q.2-ad 1.& d.31.2. p. distinctionis, Maior dist. 13. quæst.1.particula vlt. definitionis generationis, Gotfiedus quodlibeto 3.quæst.3.apud Aureolum d. 13. art.1. 4.§. *Opinio Gotfredi.*Cardinal. Aliacens.d.13. vbi eamdem sententiam satis indicauit Magister,ex nostris Zunniga d. 2. dubio 20.à.m.9.Petrus Hurtado manuscripto de Trinit. d.2. sect. 1.sub sect. 5. licet hi duo sententiam solidam, non satis firmis Philosophiæ subtilitatibus proximè à nobis impugnatis repleant. His adde Patres, & Doctores asserentes Spiritum S. non esse Filium quia à duobus, vel mediate à Patre procedit, vel Patri principali germanitate coniunctus non est, quorum meminimus cert.5.n.1. 6. & 8. Probatur primò sententia ex Basilio 5.contra Eunom.cap.12. vbi ideo Spiritum sanctum non esse Filium Filij docet : *ne Trinitas filios ex filiis habere suspecta, vt est in hominibus, infinita putetur multitudo.* Quibus similia habet August. sermone 38. de tempore 3.infra octauam Epiphan. longè à med. ergo ex mente Basilij,& Augustini ad rationem Filij fœcunditas requiritur in diuinis. Patet : nam si de ratione Filij in diuinis fœcunditas non foret, licet Spiritus sanctus Filius esset,fœcundus necessariò non esset:quare ibi sisteret processio, neque ad alium Personam producendam progrederetur. Dices loqui Basilium non de vera consequentia,sed de fallaci desumpta à paritate procreationis filiorum creatorum in quibus immensum alij ex aliis procreantur.Id quod *suadent verba illa : suspecta, vt est in hominibus.*Suadet insuper : quia ex fœcunditate in Spiritu sancto,vt Filius esset,infinita filiorum multitudo non infertur : sicut neque ex fœcunditate quam habet Filius.

2 Cœterum profundior est Basilij discursus, quam hactenus fuerit cognitus. Neque enim ex filiorum creatorum fallaci paritate arguit ad diuinam : cum series filiorum, & filiorum creatorum infinita cathegorematicè nusquam sit : imò in muli generatione illius seriem filiorum sistere, neque vlterius progredi, omnes norunt, siue id ex accidenti, siue ex muli natura eueniat. Infert autem Basilius profundo discursu,atque in diuinis euidenti. Etenim, Filius euaderet generatiuus Spiritus sancti,Spiritus etiam alterius generatiuæ Personæ generatiuus foret, & sic in infinitum. Nam vel infinita potentia generatiua diuina expletur generatione Personæ vnius infinitæ genitæ, vel personarum genitarum pluralitate debet expleri?Si primum solus Filius gignitur,atque,vt Filium diuinum decet fœcundus euadit. Si verò satianda sit Personarum genitarum pluralitate, cum infinita sit potentia generatiua,infinitæ Personæ fœcundæ,ac proinde infiniti Filij diuini admittendi erunt:cum infinitum finito satiari non possit. Repetit ftatim sententiam fusius paululum Basilius ; iterúmque eidem respondens quæstioni : cur Spiritus sanctus Filius non dicatur ? ait : *Filius Dei fructus, Sanctus ex sancto, æternus ex æterno, Spiritus sancti dator* : ergo hac speciali proprietate fœcunditatis, qua dat Spiritum sanctum, Filius est,& dicitur : cum reliqua ibi enumerata Spiritui, cui filiationem eis verbis negat, conueniant:Idem Basilius relatus à Concil.Florentino sess.21. versu : *Tria vobis*, huius veritatis de solius secundæ Personæ filiatione hanc rationem reddit.*non enim à Spiritu sancto accipimus aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus*, scilicet diuinitatem perintimam, & immanentem nostri ab Spiritu sancto productionem, & diuinitatis suæ communicationem : nam extrinsecus plura ab ipso accipimus dona, quæ illi specialiter ab Apostolo tribuuntur : ergo in ea fœcunditate, quæ intimè,& immanenter Filius in sua ipsius diuinitate Spiritum sanctum producit, Filij ratio ponitur à Basilio. His aliísque dandis Basilij testimoniis infracti Græci Patres, videntésque, ea potissimúm ratione de secundæ præ tertia Persona filiatione, catholicam veritatem processionis Spiritus sancti à Filio obfirmari, processionem eius à Filio vno ore citato loco Concilij Florent. cum Latinis admiserunt:Deo gratias agentes, quod ea Basilij testimonia reperta fuissent. Hinc Latini sess. vlt. consentientes Græcos monent,vt Spiritus à Filio processionem constanter teneant,ne in aliam Græcorum hæreticorum hæresim incidant,nempe Filium non esse Filium. Subditur namque ftatim:*nam credentes Spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere necesse est, vt intelligant ex solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium*, nempe ipsum Filium. Nam quod Spiritus sanctus Filius non sit catholica veritas est,non hæresis vitanda.

3 Primam conclusionis probationem, rationémque his testimoniis inclusam attigit Cyrill. allegatus à Concilio Florentino sess.6. versu *ex vestra*, his verbis : *cum Dei, & Patris bonorum essentialium Filius particeps sit, eadem etiam ratione Spiritum habet, quemadmodum Pater.* Quibus consonat Concil. idem sess.vlt. post data à nobis verba, sic loquens : *Qui autem proferunt Spiritum ex sola Patris Persona procedere, hi procul dubio substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur diuinæ substantiæ* ; quia non integrè filio communicatam dicunt, secundum omnia eius munia absolutè communicabilia : *quod à ratione, fideque valde alienum est.* Consonat etiam Ahanas.longiori epist.ad Serapion illis verbis : *Non enim,vt homo,Deus: nec diuisam habet naturam:ideoque ipse diuisus non gignit Filium:* &c. atque orat.2. contr. Arrian. longè à princip. sic habet : *Quod integrè, & solidè ex substantia Patris editum est, id esse propriè Filium : nam integrè, & solidè impertiri Patrem idem est, ac si dicas ex patre gigni.* Ratio theologica his locis contenta sic habet de ratione Filij est communicatio omnium bonorum paternorum absolutè communicabilium : id quod etiam in adoptiuis filiis qui naturales imitantur locum habet in iure totis titulis de adoptione,expressítque Paulus illis verbis. Ad Rom. 8. 17. *Si autem filij,& hæredes ; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*ergo Persona procedens, quæ communicat

nicat in essentia,& reliquis bonis Dei Patris, etiam in fœcunditate ad intra, quæ dubio procul, bonum Patris est ; Spiritus verò sanctus, licet in aliis bonis Dei Patris, in illa tamen non communicat : ergo secunda Persona Filius est in diuinis, non autem Spiritus sanctus.

4 Secunda ratio, à Patribus etiam prælibata, nec præcedenti dissimilis,sumitur ex maioritate, & integritate repræsentandi Patrem, quæ ratione fœcunditatis ad intra inuenitur in Filio, non autem in Spiritu sancto. Athanas.citata epist.post data verba sic scribit : *Quoniam autem ipse Pater ex Patre non est,nec Filius pars est Patris, ideo nec ipse gignit,vt genitus est;sed integer est integri splendor, & imago.* nempe : quia Pater essentialiter, nec solum accidentaliter est Pater,quare nec potest esse Filius:ideo ipse Filius nec Pater est,nec gignit,& tamen est genitus. Nam si Pater gigni etiam posset, ac proinde, nec Pater essentialiter esset,non integrè, & perfectè Filio communicaretur natura, sine facultate generatiua Patris, sed partialiter, & inadæquatè saltem, quoad munera absolutè possibilia. Cum autem Pater essentialiter à Filio distinguatur,ita vt nec Pater Filius esse possit, nec Filius possit esse Pater,Filius pars Patris non est, neque partialem habet paternitatem, aut naturam : sed integer Filius integra filiatione, integráque similitudine, repræsentatione, atque imagine possibili Patris, scilicet essentia, & fœcunditate, in quibus solùm repræsentatio Patris absolutè possibilis in diuinis est, perfecta filiatione Filius euadit.Hoc ipsum accuratæ similitudinis voce expressit Alexand. Alexandrin. epist. ad Alexand.Constantinop.non ftatim post med. his verbis: *Patris Filius paternam effigiem accuratè seruare solet : quippe, cùm eius similitudinem à natura in se impressam habeat, & perfecta sit Patris imago,& expressa similitudo exemplaris primarij. Vnde Dominus Philippo Patrem videre cupienti apertè commonstrat:Philippe, qui videt me,videt & Patrem.*Eandem rationem, integritatis,& adæquationis in repræsentando necessariæ in Filio, compendij & facilitatis vocibus pressit Nazianz.orat.36.4.de Theol. vers. fin.*compendiosa, facilísque Paternæ naturæ declaratio est Filius : omne enim quod genitum est genitorem suum tacita quadam voce desinit*, ideft, circumscribit,& terminat:quare orat. 38.n.20.& orat.40. n. 19. Filium *Patris terminum, & rationem* appellat. Luculenter Anselmus c.53.monolog.init.rem totam expressit his verbis : *Sicut Verbum mox, vt consideratur, se prolem esse eius, à quo est euidentissimè probat, promptam præ se ferendo Parentis imaginem ; sic amor apertè se prolem negat: quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non ftatim perspicuam exhibet se contemplanti eius, ex quo est, similitudinem.*Nimirum quia nullatenus fœcunditatem principij, adhuc genericè, refert, cum eam non habeat. Expressius Basilius relatus à Concil.Florent. sess.6. in hæc verba : *Patrem, & Filium protulit:has mihi tene proprietates. Filius ergo manens in esse Filij, & quatenus Filius est,omnia est quæ Pater :* (exceptis distinctiuis) *imaginis enim omnia sunt rei existentis* : ergo in communicatione omnium communicabilium, realíque omnium, quæ sunt in Patre, repræsentatione,ac proinde in fœcunditatis communicatione rationem imaginis, & filiationis ponit Basilius. Insuper homilia ad id Ioann. 1. *In principio erat Verbum*,ita habet : *Cur Verbum ? quia imago est genitoris totum in se monstrans genitorem.* Sed ad scholas accommodatius Sanctus Bonauent.in 1. d. 32. p.2. dist. docet Filium imaginem Patris esse ; *quia fœcundus spirando est*, secus Spiritus sanctus, quia non est fœcundus. Concludítque *eo,quo Filius,eo est imago.*

5 Vt tantorum Patrum rationem theologicè edisseram, noto primò : vim assimilandi realiter in natura fœtum cum principio viuenti tantam generationi inesse, vt non solum in natura subftantiali,sed & in omnibus accidentibus,colore, corporis habitudine,ac lineamentis,quatenus ex se est, Filium cum Patre componat. Quo sensu Arist.1.de generat.animal.c.19. longè à princip.aiebat:*Vt Filij Parentibus similes sint natura ipsa exigit.* & 20. Politicor.c.2. med. *Per similitudines*, scilicet accidentarias, *natorum ad parentes necessarium est, vt fidem vecipiant de se se inuicem.* Atque eam ob rem Libiæ populos, quibus fœminæ Communes erant,ex hac filiorum similitudine eos inter se se partiri refert.In quam sententiam eggregiè canebat Oratius : *Est in iuuencis, Est in equis patrum virtus. Nec imbellem progenerant aquilæ columbam:* quin,m orum etiam similitudinem à Parentibus in filios vi generationis deriuari quotidianis experimentis didicimus. Quare Chrysost.Rup.& Glossa,ad Genes. 5. *Adam genuit ad imaginem, & similitudinem suam. Imaginem* ad naturam referunt ; *similitudinem* verò ad mores, quibus fœtus, Seth nempe, cuius ibi generatio refertur, Adamum Parentem imitabatur.Vtraque autem hæc realis,& quasi picturata similitudo,accidentalis, & moralis, cassibus patet sæpe,vt non semper adsit in filiis.Noto secundò:similitudinem hanc tam accidentalem, quam subftantialem non in omnibus filiis æquam fore, sed pro parentum, & filiorum perfectione maiori, vel minori, maiorem, vel minorem poni debere.Hinc Arist. 2. de generat.animal. c. 1. imperfectissimis animalculis genus diuersum propriè generari permittit, dummodo intra viuentis genus sit ; perfectis autem non nisi speciei eiusdem fœtum permittit. Ratio est clara : quia cum generationis differentia sit producere simile in natura: nequit generationis perfectio crescere, siue subftantialiter, siue accidentaliter in propria linea, quin similitudo effectus alterutro modo crescat. Hinc fit in diuino Filio (quicumque ille sit) cum à Patre infinitè perfecto in ratione Patris, infinitè etiam perfectus in ratione Filij euadat, non sufficere similitudinem, quæ summa non sit, & qua maior excogitari possit sine fictione. Nam, quæcumque minor summa sit, diuinè, & infinitè perfecti Filij,similitudo non erit, sicut de essentiæ diuinæ perfectione philosophantur omnes. Notatum hoc satis scholasticè,vt assolet,docuit Sanctus Bonau. citatus, dum aiebat : *Imago in diuinis non tantum dicit expressionem, sed in summo.* Vnde infert debere esse vnius ad vnum, non ad duas Personas : quia deberet representare Patris fœcunditatem ad habendum Filium (in quo non opponitur Spiritui sancto Pater) vt summa esset Spiritus sancti ad Patrem repræsentatio.

6 Rationem sic ex notatis efformo. De ratione Filij diuini est esse summam repræsentationem, & integram similitudinem, ac solidam imaginem Patris per identitatem naturæ,vt Patres citati loquuntur : sed sola secunda Persona in diuinis est summa integra &c. similitudo, & imago realis Patris per identitatem naturæ, non autem Spiritus sanctus : ergo sola secunda Persona est Filius, soláque eius processio generatio, secus Spiritus sancti processio, & Persona. Minorem præter Patrum testimonia suadet efficaciter ratio. Ea est summa similitudo, & repræsentatio realis per identitatem naturæ, qua ponitur formaliter identitas naturæ realis cum Patre, secundum omnia munera naturæ absolutè communicabilia, & identificabilia cum Persona procedente:sed in sola Persona Filij procedentis ponitur identitas realis naturæ cum Patre secundum omnia munera ipsius naturæ absolutè communicabilia, & identificabilia cum Persona procedente, non autem in Spiritu sancto : ergo in solo Filio,non autem in Spiritu sancto, est summa, integra, &c. similitudo, & imago realis Patris per naturæ identitatem. Maior est certa. Si quidem, quod non secundum omnia munera naturæ Paternæ absolutè identificabilia, sed secundum aliqua tantum identicè repræsentat, similéque est in natura Patri non summè, neque integrè, sed minus summò, & decurtatè, neque solidè, sed vacuè, quoad illud munus,simile in natura Patri est, illúmque repræsentat.Minor probatur. Fœcunditas spirandi est munus naturæ Patris, siue proximè, siue remotè, & absolutè identificabile cum alia Persona in diuinis : solúmque habet illud secunda Persona,non autem Spiritus sanctus, licet essentialia reliqua æquè habeat, ac Filius : ergo in Filio est similitudo identitatis naturæ paternæ secundùm omnia munera ipsius naturæ absolutè identificabilia,

cum

cum alia Persona diuina, non autem in Spiritu sancto, in quo, neque hæc fœcunditas Patris adest, neque alia scilicet generatiua, imò neque adesse vllo pacto potest.

CERTAMEN VII.

Aduersa argumenta eneruantur.

1 OBiicies primò. licet in Filio non ponatur fœcunditas Patris ad generandum, est tamen summa communicatio, & similitudo naturæ cum Patre, in Filio, quia in reliquis communicat, & assimilatur Patri, & communicatio, ac similitudo fœcunditatis generatiuæ cum Patre est ipsi impossibilis: Sed similiter est impossibilis Spiritui sancto communicatio fœcunditatis ad intra, in reliquis autem cum Patre, & Filio, omnino communicat, similísque identicè illis est: ergo, & erit summè communicans, summéque similis Patri, & Filio Spiritus sanctus: ac proinde, & erit rigorosè Filius. Respondetur distinguendo secundam partem maioris: quia in reliquo, in quo continentur omnia absolutè communicabilia, & identificabilia naturæ paternæ in diuinis, concedo maiorem; in quo non continentur omnia absolutè communicabilia, & identificabilia naturæ paternæ in diuinis nego maiorem. Et distinguo similiter secundam partem minoris: in reliquo, in quo non continentur omnia absolutè communicabilia, & identificabilia naturæ paternæ in diuinis, concedo minorem; in quo continentur ea omnia, nego minorem: & nego consequentiam. Dices: saltem in natura, licet non, vt fœcunda, habet Spiritus sanctus identitatem cum suo principio: ergo, & habet similitudinem cum illo per identitatem naturæ: ergo filiationem respectu illius. Prima consequentia videtur certa. Nam similitudo realis Personæ procedentis cum suo principio in identitate reali naturæ cum ipso adæquatè consistit. Secunda consequentia non est obscurior. Si enim habet similitudinem in natura cum suo principio, cum in ea præcisè filiatio ponatur, vt ex definitione generationis constat, non videtur quidquam Spiritui sancto ad filiationem propriam deficere. Si dicas eam similitudinem summam non esse, vt diuinum Filium decet, quia in omnibus absolutè identificabilibus naturæ paternæ similitudo non est: contra erit. Nam, sicut relatio Patris ad Filium infinita est, licet ea relatione non referatur ad Spiritum sanctum immediatè, & tamen ad omnem terminum relationis diuinæ non refertur: ita etiam ea similitudo summa, & infinita erit, licet Spiritum sanctum in omnibus identicè similem non faciat cum suo principio. Contra secundò: quia identitas in natura Spiritus sancti cum suo principio summa est, licet non sit identitas cum omni eo, quod in natura sui principij absolutè est identificabile, nempe cum fœcunditate: ergo ipsius similitudo summa erit, licet non sit similitudo cum omni eo, in quo principium repræsentari, assimilaríque absolutè potest. Quin, cùm nihil aliud similitudo in natura, quam identitas in natura, in diuinis sit, nequit summa identitas esse in diuinis, quin, & sit summa similitudo in natura.

2 Neganda nihilominus est vltima consequentia argumenti. Nam ex prædicato generationis diuinæ summa, non solum intensiuè, sed, & extensiuè, siue in omnibus absolutè communicabilibus similitudo identitatis requiritur diuini fœtus cum suo principio. Hinc, licet similitudo sufficiens ad ponendam generationem, & Filium creatum, limitatæque perfectionis inueniretur in Spiritu sancto, eiúsque generatione, tamen ad ponendam generationem, & Filium diuinum, videlicet in ratione Filij infinitè perfectum sufficiens similitudo identitatis naturæ non foret: quia habet prædicatum adiunctum incompossibile, & contradictorium cum prædicato differentiali Filij diuini; nempe similitudinis non summæ, etiam extensiuè. Quemadmodum ergo, licet prædicatum animalis hominem constituat, si tamen coniunctum cum negatione rationalis, vel cum differentia irrationalis ad constituendum hominem adhibeatur, hirco-ceruum potius, quam hominem constituet: ita, si prædicatum similitudinis non summæ diuinam filiationem, vt vis, constitueret, non quidem diuinam, vt contendis, sed chymericam filiationem diuinam constitueret. Iam, quæ adducebantur ad probandam similitudinem Spiritus sancti cum suo principio summam esse, nihil probant. Quia relatio, & identitas diuina ex genere suo non dicit respectum ad omnia: quare respectu vnius dari potest summa identitas, & relatio; ast imago, & similitudo diuina ex genere suo respicit omnia reptæsentabilia prototypi: quare in genere suo summa esse non potest, nisi omnia illius absolutè repræsentabilia repræsenter. Quod si identitatem naturæ in diuinis summam, similitudinem etiam summam esse contendas, euinces quidem esse summam intensiuè similitudinem in Spiritu sancto, non autem exrensiuè summam, vti ex dictis claret.

3 Instabis ex regula diuinitus data Gregorio Thaumaturgo apud Nyssenum in eius vita: *Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens imago perfecta Filij perfecti*: ergo in Spiritu sancto est similitudo, & summa ad Filium: quandoquidem sine similitudine summa imago perfecta Filij esse non potest. Respondetur plus probare testimonium, quam sanus Theologus possit admittere. Nam rationem propriam imaginis in diuinis asseruari Filio concors est Patrum, & Theologorum sententia: quare respondetur nomen imaginis impropriè ibi vsurpari pro identitate naturæ: in qua acceptione impropria, sicut perfecta identitas est Spiritus cum Filio, ita & perfecta imago est Spiritus sancti respectu illius. Sed instas rursus. Natura Filij, vt fœcunda, non est absolutè communicabilis Spiritui sancto: ergo Spiritus sanctus similis euadit Filio in omnibus sibi à Filio absolutè communicabilibus: quare, & summè similis. Non secus atque Filius similis summè, & sufficienter ad filiationem Patri in natura euadit, licèt in fœcunditate generatiua, quæ ipsi à Patre communicari absolutè non potest, similis non euadat. Distinguo, vt distinxi, antecedens: absolutè non est communicabilis in diuinis natura Filij fœcunda ad intra nego antecedens, nam Filio absolutè communicabilis est; non est communicabilis à Filio, concedo antecedens, & nego consequentiam ob rationem datam.

4 Obiicies rursus. Mulus fœcundus non est, & tamen euadit sufficienter similis in natura fœcunda sui principij ad filiationem: ergo, & Spiritus sanctus similis sufficienter in natura fœcunda sui principij ad filiationem procedit, licet similis in fœcunditate suo principio non procedat. Respondent nonnulli mulum non esse infœcundum natura sua, sed ex accidenti impeditum: siquidem in Asia, & Affrica malos generare author est Theophrastus apud Vazq. d. 113. c. 1. licet in Europa ex accidenti non gignant, sicut, & similis contingit. Nollem Theophrasti fide, quæ solutu facilis est, argumentum soluere. Id circo aliis omissis solutionibus respondeo ex cert. 2. num. 2. & ex cert. 5. notatione secunda, non æquam in omnibus Filiis similitudinem ad filiationem requiri, adhuc in creatis; ac proinde mulum posse esse filium, licet parentibus infœcunditate non assimiletur; in diuino autem Filio, vt pote ex genere suo infini è perfecto, infinitam, & summam similitudinem requiri ipsius in natura cum Patre, non solum intensiuè, sed, & extensiuè: ea verò summa, etiam extensiuè, in diuinis esse non potest, nisi sit etiam in naturæ fœcunditate, vt satis ex dictis constat.

5 Dices iterum. Filiatio, qua talis, adæquatè est relatio passiua ad Patrem; fœcunditas spirandi est relatio actiua spirandi; ergo, sicut relatio passiua Filij ad Patrem

trem non est formaliter actiua ad Spiritum sanctum, ita neque ratio Filij formaliter in fœcunditate consistit. Respondetur facile: fœcunditatem vtrumque habere respectum, siue formaliter, siue fundamentaliter sumptum. Nam, & ipsa procedit, & ipsa producit. Vnde fœcunditas considerata in recipiente passiuè cum personalitate secunda est filiatio; considerata verò in ordine ad terminum, quem producit est spiratio, vel spirationis principium: sicut in filiis creatis perfectis natura fœcunda, in qua, vt tali, quia perfecti filij sunt, parentibus assimilari iuxta dicta debent, & producitur, & producit. Itaque idem, & indiuisibilis conceptus fœcunditatis ad intra relatè ad vnum spiratio est. Hoc sibi volebat Nyssen. lib. ad Ablabium. *Quod non tres dij*, dum aiebat: *Aliud quidem continenter, & sine medio ex primo est, aliud verò per id, quod immediatè ex primo est: vt & vnigeniti proprietas absque ambiguitate in Filio maneat, & ex Patre Spiritum esse non dubitetur, Filium, qui medius intercedit vnigeniti proprietatem seruante.* Quo pacto, & alij Patres loquuntur, iíquæ omnes, qui spiritum sanctum ideo Filium negant, quia è sua characteristica proprietate à duobus petit procedere, ac proinde in illis fœcunditatem, quam nequit imitari, supponit: quare horum omnium testimonia pro nostra sententia sunt.

6 Obiicies rursus. Filius distinguitur à Patre formaliter per filiationem: sed non distinguitur formaliter per idemtitatem fœcunditatis spiratiuæ sibi cum Patre communi: si ergo fœcunditas non est filiatio. Respondetur filiationem formaliter, & adæquatè secundum totum suum esse in fœcunditate sola minime consistere, sed solum consistere in ea, complerive adæquatam, & summam similitudinem cum Patre producente: nam cum filiatio dicat productionem passiuam Filij, ad quam necessaria est ipsius distinctio à Patre, non nisi stolidè ea posset ab aliquo adæquatè constitui in idemtitate, seu similitudine fœcunditatis cum Patre, quæ distinctionem non ponit inter principium, & prolem, sed potius idemtitatem. Ad formam ergo distinguo maiorem. Pater distinguitur formaliter à Filio, seu Filius à Patre per filiationem, ideſt per quamcumque rationem in filiatione inclusam, nego maiorem; per aliquam rationem in ea inclusam, vel suppositam concedo maiorem, & concessa minori nego consequentiam: nam, in quo similitudo idemtitatis quæritur, nequit quæri distinctiuũ, seu distinctio. Hæc dico rudiori Minerua; sed quæ difficultati præsenti eluendæ sufficiat. Cum enim de Personarum constitutiuo, & distinctiuo ex instituto disputemus, definiamúsque, constabit formaliter, & rigorosè loquendo falsam esse maiorem.

7 Obiicies tandem pro Zunniga. Nisi Filius esset fœcundus viuens non esset: ergo neque similis esse posset viuenti principio in natura viuenti, ergo ratio Filij in diuinis consistit formaliter in fœcunditate: non quidem ratione summæ similitudinis, quam debet habere Filius diuinus in natura cum Patre, sed ratione similitudinis, vt sic in natura viuenti cum viuente producente. Antecedens patet: quia sublata fœcunditate ad intra à Filio diuino nihil restat, quo formaliter viuat. Nam actus intelligendi, & volendi non sunt exercitium vitale Filij: nihílque præterea in illo est, præter spirationem, quod exercitium vitale illius sit, vt patet. Primum probo: quia intellectio, & volitio communicantur Filio à Patre: ergo iam elicitas præhabuit Pater, iámque elicitas suo modo ab ipso Filius accepit: ergo eas Filius non elicit: ergo neque eis formaliter viuit. Difficultas æquè contra vitam Spiritus sancti, & Filij pugnat: imò & ex parte contra vitam Patris: siquidem certum est Deum Patrem non elicere actiuè intellectionem, & volitionem; cum tamé eis viuere certũ ex Aristot. & Theologis omnibus sit. Respondetur ergo pro omnibus vitam intentionalẽ, formaliter adæquatè consistit in tendentia ad obiectum, non posse à ratione viuentis excludi in his, quæ actus nõ producunt, sed solum in his, quæ tendentiã non habent ad obiectũ: cum autẽ habeant Filius, & Spiritus sanctus, æquè ac Pater tendentiã ad obiecta per intellectionem, & volitionẽ, licèt illã actiuè nõ producãt, vita perfectissima intentionali viuunt. Respondetur secundò: de ratione operationis vitalis non esse nõ cõmunicari ab alio, sed ab alio non produci naturam, quæ est ipsius principiũ: intellectionis autem principium intellectus cõmunis est, vt patet, qui non producitur: atque cum Filio, & Spiritu S. æquè adsit, ac in Patre, neque à paternitate in intellectione elicienda iuuetur, æquè in tribus Personis, vel in nulla eliciet. Esto: prius origine in Patre eliciat, priúsque Pater denominetur intelligens, quia prius origine in illo est. Sicut autẽ hoc nõ tollit, quod absolutè, licet posterius origine, in Filio, & Spiritu S. intellectus sit, non tollit, quod absolutè licet posterius origine, in illis intellectionem, & volitionẽ eliciat, illóque intelligentes, & volentes absolutè pro posteriori signo denominet: sicut non tollit, quod vterque, licet posterius origine, æquè ac Pater, absolutè sit, & de nominetur Deus. Oppositorũ Patrũ testimonia, quæ in alium sensum aduersarij distrahunt, facilè ex dictis in genuinum, nec nobis aduersũ adducẽtur.

R.P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

QVÆSTIO III.

Sint ne vitales, & liberæ processiones diuinæ?

LIcet duo proponat examinanda quæstio, vtrumque tamen adeo definitu facile est, vt vix iusta ex ambolus texatur. Primum ergo de vitalitate processionum, deinde de earum libertate agetur.

CERTAMEN I.

Vitalitas diuinarum processionum statuitur.

1 DE diuinarum processionum vitalitate nemo ferè ex Scholasticis est, qui dubiter: licet non exigua in cõmunibus fundamentis de illa possit esse dubitatio, vt statim patebit. Vitalitas actionis duo includit. Et ipsius, & termini producti immanentiam in principio producente. Secundò quod terminus, qui immanenter producitur à viuente, sit extra complementũ in esse substantiali, & operatiuo viuentis: ita vt produci ab extrinseco non possit. Huius extremi defectu motus grauiũ, & leuium vitalis non est: cum terminus eo productus, scilicet præsentia, æquè ab extrinseco impulsu produci queat. Defectu autẽ primi productio subsistentiæ in modalium opinione vitalis nõ est, quia est de complemento substãtiæ creatæ in esse subsistantiali. Vtrumque autẽ in processionibus diuinis reperiri constat apertè. Nam in primis inuenitur perfectissima immanentia, tam processionis, quã Personæ procedentis in producente, & è cõtra, per identitatem in natura vtriusque, ratione cuius Pater est in Filio, & Filius in Patre, & vterque in Spiritu sancto, atquè hic in vtroque: vt d.de Personarum comparatione earum circuminsessionẽ examinantes ostẽdemus. Deinde Persona procedens nequit ab extrinseco produci, vt patet. Item Persona procedens, & producta non pertinet ad complementum in esse subsistantiali, & operatiuo viuentis producentis. Non quidẽ in esse subsistantiali: siquidem Pater v.g. suam naturam, & personalitatem præhabet antecedenter ad Filiũ: ergo antecedenter ad illũ sufficienter, & adæquatè constitutus est in esse subsistantiali naturæ, & suppositi. Sed neque in esse operatiuo: siquidem principium *quod* productiuum adæquatum notionale ex natura, & Personalitate eadem coalescit, quas præhabet ante Filium Pater. Quod idem dictum puta de Patre, & Filio comparatione Spiritus sancti: ergo nulla Persona ex procedentibus, & productis pertinet ad complementum in esse subsistantiali, & operatiuo sui principij. Rursus neque ab extrinseco producitur: ergo earum processio vitalis omnino est.

2 In communi opinione de constitutione processionum, & Personarum existimant Recentiores nullam esse difficultatem. Siquidem intellectio, & volitio vita saltem intentionalis est. Sed tamen grauissima adhuc me iudice est difficultas, quam sic efformo. Terminus actionis vitalis debet esse perfectiuus viuentis; vt patet in viuentibus omnibus, qui necessariò suis actibus perficiuntur. Ratio est: quia cum terminus debeat immanenter produci, nequit non perfici eiusmodi termino viuens producens, siue illius inhæsione in viuentibus creatis, siue idemtitate in Deo: ergo termino producto per processionem perficitur Pater v.g. in esse Patris, quippe, qui viuit processione; vel terminus vitalis non est, neque actione formaliter vitali productus: sed Pater in esse Patris includit formaliter subsistentiam: ergo in esse subsistentiæ, ac proinde substantiali perficitur subsistentia, & personalitate Filij producta. Respondetur: termino producto per actionem vitalem debere perfici viuens, non adæquatè, & secundum omnem sui partem, sed inadæquatè, & solùm secundum partem sui: in casu autem nostro Pater perficitur per subsistentiam productam secundum naturam, cuius perfectio subsistentia producta est. Sed hinc recrudescit difficultas. Quia ea perfectione perficitur natura in esse subsistantiali, & suppositali: ergo non aduenit principio viuenti constituto adæquatè in esse suppositi; ergo iuxta dicta non est terminus actionis vitalis. Respondetur negando primam consequentiam. Nam aliud est suppositum, aliud natura suppositi. Suppositum est Pater sufficienter constitutus Paternitate, & natura ante Filium in vltimo suo esse substantiali: quòd autem natura perficiatur pro posteriori originis Filij personalitate, sicut tollere nequit Patri integrum, & adæquatum suppositum esse: ita neque illi subsistentiam Filij ad suum complementum in esse suppositi adiungere. Sufficit ergo, vt totum perficiatur, quod ratione partis perficiatur; non autem vt ratione partis perficiatur secundum partes omnes.

2 Arguo secundò. Si processio, quà operatio, vitalis sit, vel erit vitalis, vt actiua est: vel vt passiua: non, vt actiua: quia productio, quà talis, non distinguitur à personalitate: siquidem supra intellectionem essentialem solùm addit personalitatem, v. g. Patris generatiua productio in nostra opinione: atque in aliorum sententia, qui ex æquo actus notionales ab essentialibus distinguūt, productio est sola personalitas: ac proinde pertinet ad cōstitutionē suppositi operantis: quare nō aduenit vltra cōstitutionē viuentis in esse suppositi, vt opportebat, ad hoc, vt vitalis foret: sed neque, vt passiua est: quia, vt passiua est, solū dicit esse receptionem intimam in viuente: vnde habituum supernaturalium receptio æquè vitalis homini esset, cum æque intimè recipiantur in viuente, atque terminus quiuis vitalis per passionem recipitur. Respondetur, processiones diuinas vtraque ratione esse vitales. Ad primum, quod contra processiones, vt actiuæ sunt, obiicitur, dicito: in omni modo constituendi actus notionales de ratione actionis vitalis non esse, vt non intret constitutionem suppositi viuentis, sed quòd eius terminus eam constitutionem non ingrediatur. Siquidem an actio, & passio ab operanti quouis eiúsque effectu distinguantur independenter ab essentia, & exercitio vitalitatis à Philosophis disputatur. Ad argumentum contra processiones passiuas in omniū opinione de distinctione, vel identitate processionū actiuarum à passiuis, dicito: passionē vitalem in eo à non vitali distingui, quod hæc sit intima receptio in viuēte non proueniens ab ipso viuente; vitalis verò proueniens ab ipso viuente, in quo intimè recipitur. Nam, sicut passio nequit abstrahere ex genere suo ab agente, sed necessariò illud, licet minus principaliter, & in obliquo connotarsita passio essentialiter immanens, vt est vitalis, nequit abstrahere à respectu ad idem principium, in quo recipitur; passio autem non vitalis nequit abstrahere à respectu ad principium actiuum extraneum.

CERTAMEN II.

In nullo sensu processiones diuinæ liberæ sunt.

1 HEnricus apud Scotum in 1.d.10.q.1.§. *Quantum ad ipsum*, vir alioqui catholicus, atque Spiritus sancti diuinitatem firmiter tenens, docuit Spiritus sancti processionem liberam, nec solum voluntariam, seu spontaneam esse, licet comitanter necessaria sit: quia nimirum quatenus productio libera est, licet quatenus dilectio summi boni, nempe Dei, clarè visi, sit necessaria. Contra primò. Spiritus sanctus liberè producitur: ergo potest nō esse: ergo non est Deus: ergo Macedonizat, vel Eunomizat Henricus. Nec valet, quod aliquis pro Henrico respōdere possit: scilicet, processionem, quà influxus est, non tendere in deitatem, sed in personalitatem. Nam re ipsa sic tendit in personalitatem influxus, vt nequeat non eadem processio esse communicatio: nec prius natura est processio, quà influxus, se ipsa, quà est communicatio: ergo nequit esse libera, quà influxus, processio, non autem, quà communicatio. Patet. Nam libertas consistit in potentia reali operandi, vel non operandi realiter: vnde ex quocumque prædicato processionis inferatur necessitas absoluta eam realiter ponendi, infertur necessitas absoluta ex parte producentis ad processionem, quæ omninò processionis tollat contingentiam. Cōtra secundò: per te est necessitas ad dilectionem, & amorem, quatenus ad summum bonum, scilicet Deum tenditur: sed Spiritus sancti processio est ipsissima dilectio summi boni Dei, adiuncta Patris, & Filij personalitate, vt q. sequēti videbimus: ergo processio est necessaria, nō libera. Minor est etiā Henrici. Cōsequentia patet. Nam dilectio, quá talis necessaria est, vt asseris. Insuper Patris Personalitas necessaria etiā est: quippe quæ in suo esse neque à libera Dei vōlūtate, neque à processione pendet: quia ingenita. Deinde Personalitas Filij per intellectum procedit, non per voluntatem, nedum per liberam voluntatem: ergo integra processio necessaria est, non libera.

2 De necessitate processionis Filij ne ipse quidē Henricus dubitat: cum facultatis intellectiuæ, quæ nec radicaliter libera est, operatio sit. Tamen impugnata libertate Henrici concludit Scotus processionē Spiritus sancti liberā esse: quia videlicet cū iucūditate, & dilectione, ac sine coactione ab extrinseco illata, à Patre, & Filio exercetur. Repetit quodlib. 6. art. 1. Sed certè Scotus liberū cum volūtario, seu spōtaneo abusiuè confundit. Vt autē distinguat, ac segreget, vocēque abstineat, cōtra est primò: quia cùm bruta cum dilectione, & sine extrinseca coactione plura operētur, in fere omnibus eorū operationibus libertas admittenda foret. Contra secundò: quia eo agentia naturalia à liberis propriè differūt, quod illa ex determinatione, inclinatione, & impetu suæ virtutis ad vnum extremum procedunt: ergo quoties ita etiam voluntas ad suam operationē procedit, vt nequeat, vel aliò deflectere, vel ab ea sistere, operabitur vt agens naturale, & non liberū, sed prorsus necessariò. Idcirco Sanctus Thomas 1. 2. q. 10. art. 1. ea docet à volūtate naturaliter appeti, quæ necessariò appetūtur: vnde cōcludit cū Arist. 1. met. c. 1. Appetitū scientiæ in vniuersū hominibus naturalē & necessarium esse, non liberum. Hoc ipsum de vitæ appetitu docet Nicetas ex Basil. 3. thesaur. fidei, c. 19. & de vitæ beatæ appetitu Augustinus.

3 Ex his duæ certissimæ conclusiones circa Spiritus sancti processionē statuuntur. Prima, eam voluntariam esse, cum sit à principio intrinseco cum cognitione: secunda, quod libera ea processio non sit. Vtramque tradunt S. Thom. 1. p. q. 41. art. 2. vbi eius Interpretes Caietan. Canar. &c. Gregor. in 1. d. 10. q. 1. art. 2. Capreol. d. 6. q. 1. art. 1 concl. 5. & art. 2. d. 10. q. 1. art. 1. concl. 2. & 3. atque alij apud nostrum Vazq. 1. p. d. 161. c. 3. Cæterū referre Patres pro his conclusionibus, inutilis æquè ac longus esset labor. videatur Athanas. epist. lōgiori ad Serapiō. vbi ait Patrē essētialiter, & necessariò esse Patrē; & Filiū necessariò esse Filium &c. licet hæc creatis accidentaliter veniant. Neque obest August. c. 105. Enchiridij, asserens, licet in Beatis non sit facultas arbitrij ad peccandum, non ideo libero arbitrio carere. *Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino seruire non poterit peccato.* Sumit enim ibi libertatem, prout opponitur seruituti, & metui peccandi; non autem prout necessitati aduersatur. Sed dices. Processio Spiritus sancti est per amorem: ergo, cum diuina sit, debet omni perfectione sui generis gaudere: at perfectio amoris est libertas: ergo debet habere libertatem. Argue precor sic contra necessitatem amoris Beatorum, de qua aiebat August. *Fœlix necessitas, quæ ad meliora compellit.* Distinguo primam consequentiam omni perfectione sui generis, quæ non priuet perfectione maiori, concedo; quæ priuet perfectione maiori nego: & distinguo similiter subsequens antecedens: negóque consequentiam

4 Obiicies denuò. Concilium Sardicense & Concil. Sirmiense apud Hilar. lib. de Synod. in defensionibus professionum catholicarum contra Photinum defensione 5. quæ concilia anathematizant eum, *qui dixerit Patrem naturali necessitate ductum, neque mox, vt voluit Filium genuisse: insuper qui dixerit non consilio, neque voluntate Filium genuisse.* Extrema verba sunt Sardicensis Concilij: Respondētque Scotus, & benè, loqui de voluntate comitante fecundum durationem, non autem præcedente, vel comitante originariè generationem. Prima Verba sunt Sirmiensis Concilij, quod Arrianum, magna ex parte, fuit, ac proinde Arrianæ sectæ errores sapit. Denique oppones S. Thom. Patrem, & Scholasticos plures asserentes Spiritum sanctum non procedere naturaliter, & per modum naturæ, sed per modum voluntatis: ergo liberè, seu à principio non determinato. Respondeo primò solùm velle non procedere in similitudinem naturæ necessariam, vt Filius sit. Secundò non procedere proximè à natura, vt natura, sed vt voluntas est: vt supra contra Durandum ostendebamus

5 Manet etiam ex dictis definitu facile; an processionem per intellectum aliquis voluntatis actus antecedat, vel comitetur: Idest, an ad prius, vel idem originis, vel quasi originis signum aliquis voluntatis actus pertineat? Dicitur quasi originis: quia, licet non præcedat, vt causa, vel causalitas, aliquidve ex parte causæ requisitum ad processionem per intellectum, eiúsve terminum, tendat tamen ad eius possibilitatem priusquam existere intelligatur præfata processio, & præcedere quidem, quasi origine, processioni per intellectum voluntatis actum docuit Scotus in 1. d. 6. quæstione 1. comitari verò illam asseruit Gregor. ibi art. 3. Capreol. art. 1. concl. 6. art. 2. ad argumenta, Ferrara 4. contr. Gent. capite 11. §. *vtrum autem*, Canar. 1. p. quæst. 41. art. 2. 3. p. Commentarij, vbi fauet S. Thom. & q. 2. de pot. art. 3. ad 2. vtrumque autem negant Henric. art. 58. Summæ. q. 2. quodl. 5. q. 4. Gotfred. quodl. 5. q. 5. apud Scotum vbi proximè, Vazq. 1. p. d. 160. c. 4. Soar. 6. de Trinit. cap. 4. quibus assentior: quia processiones essentialiter existunt, neque considerari possunt, vt possibiles, nisi chymericè. Licet enim in nostra opinione non existant formaliter, & de se tam personalitas, quam intellectio, in quibus tota processio continetur, ac proinde concipi non concepta existentia possint, non tamen, vt possibilis, ad hoc enim opus est, vt concipiatur cum ordine ad existentiam non actualem. Eius autem existentia actualis essentialiter est, cum sit existentia naturæ diuinæ, quæ nequit ab actualitate præscindere. Nec refert propriori originis potentiæ notionalis non intelligi processionem, neque terminum existentes. Id enim non probat intelligi, vt possibiles, cum sit potentia necessaria, & determinata ad exercitium: quare cum eis, vt existentibus, pro posteriori comparatur, non, vt possibilibus. Denique conclusio nostra est expressa Augustini quæstione 7. ex lib. 65. quæstionum, dicentis: *Patrem genuisse Filium neque voluntate, neque necessitate*, coactione, *neque actu voluntatis præcedente generationem.* Quibus similia habet 15. de Trinitate capite 20.

QVÆSTIO IV.

Quo nam processiones ab essentialibus actibus differant?

DIVINAS processiones sine intellectus, & voluntatis diuinæ actibus esse non posse claret ex dictis. An verò actibus tribus Personis communibus, & essentialibus adæquatè, vel inadæquatè consistant? videndum nunc restat. Et quidem adæquatè eis non constitui processiones certissimum est. Alioqui sicut illis tres Personæ, & volunt, & intelligunt formaliter, eæ omnes formaliter esset producere, quam intelligere, & velle in diuinis commune. Vt ergo intellectio, & volitio communis processio, seu productio in diuinis sit, aliquid, vt minimum, ipsis apponendum est, vt ex vtroque processio, & actus notionalis confletur. Adhúcque difficultas remanet: quo pacto id, quod productio de se non erat, ex alterius formaliter distincti adiunctione productionem, & processionem iugredi possit? quare processiones, etiam, quoad actus intelligendi, & volendi, fore videntur distinctæ: siue, quia alios actus intelligendi, & volendi proprios, & peculiares Personis producentibus includant: siue quia licet actus essentiales, & communes intelligendi, & volendi essentialiter supponant; ast processiones ipsæ essentialiter actus intelligendi, & volendi non sint formaliter. Atque his quidem omnes super hac Quæstione discurrendi modos proposui de singulis per Certamina singula dicturus

CERTAMEN I.

Scotus, & Recentiores impugnati.

1 SCotus in 1.d. quæstione 1. §. *Obiicitur*, & quæst. 4. ordine 7. post §. *Obiicitur contra* & d. 27. q. 1. asserit dictionem, seu generationem Filij actum intelligendi non claudere; sed esse ex æquo ab intellectione Dei diuersam, licet actus intellectus sit. Similiter quodlib. 4. §. *Hic intelligendum*, spirationem actum voluntatis esse ait, qui actus amoris non sit. Hanc sententiam edoctus videtur à suo Præceptore Alexandro Alensi 1. p. q. 42. m. 2. eámque docuisse Gabrielem 1. d. 7. q. 2. Quam ex nostris secutus est Molina 1. p. q. 27. art. 3. d. 4. Zunniga de Trinit. d. 2. dub. 7. m. 2. aliíque Complutenses Recentiores. Hi verò Scoto imponunt sensisse processiones has, neque intellectionem, neque amorem supponere: cum tamen Scotus solum contendat diuinas processiones eos actus non claudere. Hùc etiam ex parte appulit Henricus duplicem cognitionem in Deo distinguens, mediámque dictionem interiacere defendens. Cui fauent Carthus. in 1. d. 2. quæstione 6. post med. Argent. d. 10. quæstione vnic. art. 2. post med. Marsil. quæstione 14. art. 2. sub med. subdubiúsque Ricardus d. 22. art. 1. quæstione 3. §. *Quantum ad secundum*. Quatenus autem processiones ab actibus intellectus, & voluntatis ex æquo præfati diuidunt Authores, consentire debet Durandus relatus quæstione 1. Cum enim asserat Personas diuinas non per intellectum, & voluntatem, sed per naturam procedere: atque intellectio per intellectum, volitio autem per voluntatem solùm esse possint: ab intellectione, & volitione processiones adæquatè distinctas defendere Durandus tenetur.

2 Præcipuum fundamentum est. Quod, scilicet, non possit additione personalitatis fieri actio intellectio communis, quæ de se actio non est, sed omnino cum Persona producta idemtificatur.

Quod ipsum de amore vrgent. Item quod Augustinus dictionem ab intellectione diuersam necessariò esse defendit. Leue fundamentum in Augustino. Nam, si aliud præter intellectionem dictio claudit, ab ea formaliter differet, æquè, atque ab essentia Pater: à Persona autem producta realiter differet non minus, quam Pater à Filio. Insuper modum, quo id, quod productio de se non est alterius adiunctione in productionem euadat monstrabimus cert. 3. Nec solidiora sunt, quæ de suo Zunniga, & Recentiores pro hac sententia addiderunt. Sic enim arguunt. Processio Verbi diuini non ordinatur ad constituendum Deum intelligentem: ergo neque processio est intellectio. Antecedens patet. Quia si ordinaretur ad constituendum Deum intelligentem terminus eius deberet esse formalis intellectio diuina, quo formaliter Pater intelligeret. Id quod execrandum esse ait Augustinus. 15. de Trinit. c. 7. ex quo Scolastici reliqui. Consequentiam probant. Quia ideò in creatis intellectio Verbi productionem intrat, quia, vel Verbum est ipsa intellectio, vt volunt Vazq. & Suar. locúmque in Verbo diuino non habet, vt nuper dicebam, vel, quia est terminus intellectionis, sine quo intellectio esse non potest: sicut, neque alia quæuis actio sine suo termino, vt vult Molina q. 27. art. 1. disp. 8. memb. 3. & neque hoc dici potest; alioqui sublato per impossibile Verbo per locum intrinsecum Deus non maneret intelligens, quod est absurdum.

3 Frigida ratio. Fateor Verbum formaliter intellectionem non esse, aſt neque ipsi, neque sanus aliquis Doctor negare possunt intellectionem diuinam necessariò, & essentialiter connecti cum Verbo: ac proinde illo sublato Deum artis, sapientiæ, & scientiæ inopem mansurum ad mundi effectionem arguunt frequenter Patres contra Arrianos, qui Verbum à diuinitate excludebant. Audiant Recentiores Nyssenum ab ipsis Valentiæ obiectum orat. catechet. c. 5. *Si dederint Verbum, seu rationem, & sapientiam non fuisse Ducem creationis, statuent rationis, & artis egestatem fuisse in principio vniuersitatis. Si autem hoc constat esse absurdum, & impium, Verbum, & Sapientiam rerum fatebuntur esse ducem.* Audiant insuper eundem epist. de imagine, & similitudine longè à med: *Si Deum Verbum negaris, dixerisque cum Deo, & Patre nonesse rationis expertem, ac belluinum prædicaturus Deum.* Denique audiant Athanas. compend. de Spiritu S. sub init. in hæc atentem: *Nefarium esse dictu Deum sine Verbo, aut ratione fuisse: ne insipiens, aut irrationalis habeatur.* Mitto plura alia ex Patribus, in eandem sententiam recitare: tum, quia valde sunt plura; tum denique, quia recitata ad rem hanc, & aperta sunt, & satis esse videntur. Quod autem ipsi negare id nequeant, probo. Quia intellectio essentialis in horum opinione est principium *quo* processionis de sē se: ergo habet prædicatum intrinsecum principij ad illam: ergo facta impossibili processione illud prædicatum intrinsecum principij, quare, & ipsa intellectio essentialis, deficeret: sicut essentia diuina per locum intrinsecum deficeret facta impossibili personalitate, cuius principium, & radix intrinsecè est. Quæ respondere possent pro disparitate processionis, & principij inania satis esse constabit Cert. 3.

4 Sed vrgere putant rursus hoc dilemmate Recentiores; Vel intelligere est assimilatio formalis obiecti, quod quidem habeat Verbum: & sic nequit procedere intellectione: nam processio actiua, vt pote indentificata cum Patre non est Verbum, quod realiter à Patre differt; vel est assimilatio actiua: & ad hoc oporteret, vt terminus illa procedens esset assimilatio formalis obiecti; quod nequit habere Verbum per illam procedens, vt diximus. Egregia æquiuocatio. In prima parte dilemmatis supponitur Verbum esse formalem assimilationem obiecti; in secunda verò hoc ipsum infertur tanquam absurdum. Ne autem pueris deinceps illudant, respondeo. Intelligere esse assimilationem formalem, quo non habet Verbum: atque insuper assimilationem actiuam, non quidem alterius formalis assimilationis, sed obiectiuæ similitudinis, scilicet Verbi: Verùm mireris magis, quod sententiam hanc Sancti Thomæ opinionem esse contendant 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. vbi ipsis referentibus sic habet: *Dicere importat principaliter habitudinem ad rem intellectam.* Ergo aliquid aliud præterea importat habitudinis ad obiectum, licet minus principaliter, ac proinde, & repræsentatio esse potest illius. Impugnantur ergo Recentiores primò. Nam Filius procedit iuxta Patres omnes per intellectionem: sed, si processio intellectio non sit, nequit per intellectionem procedere: ergo processio non est actus ab intellectione adæquatè diuersus, sed saltem inadæquatè est intellectio. Minor probatur. Nam procedere per intellectionem denotat viam procedendi, non autem principium, vt Recentiores volunt. Patet: quia principium non particula *per*, sed particula *ex* denotatur. Vnde Augustinus. 15. de Trinit. c. 3. & Anselm. in monolog. asserunt Filium procedere ex memoria Patris: vbi denotatur principium processionis Filij: memoria autem iuxta eundem Augustinum c. 10. & 11. est *intellectus fecundatus specie*, non autem intellectio. Adde Basil. hom. 6. in 1. Ioann. dicentem: *Cur Verbum? vt quod ex mente procedit ostendat.*

5 Nec valet loqui hos Patres de principio remoto. Loquuntur enim de proximo; alioqui ex natura procedere æquæ dicere possent, ac dicerent. Insuper Augustinus 15. de Trinit. c. 6. 13. & 14. immediatum principium processionis Verbi mentem & intellectum assignat: sicuti & Anselm. c. 45. monolog. Athanas. contra Gregal. Sabellij, Irenæ. lib. 2. c. 44. Sed ne longiora horum, atque aliorum testimonia recitemus audiendus est Cyrill. Alexand. 1. in Ioann. c. 5. ita in hanc rem scribens: *Filius appellatur Verbum, seu Sapientia: quoniam ex intellectu immediatè, atque indiuisibiliter est*: ergo admittunt intellectum in Patre formaliter ab intellectione distingui, atque esse Verbi principium productiuum: ergo cum intellectus sit è suo prædicato obiecti expressiuus, intellectus diuinus infinitus eam virtutem habebit: siquidem in eo signo proprio virtutis expressiuæ, melius illi est eam formalitatem habere, quam non habere. Contra secundò: nam intellectio absque fundamento dicitur habere virtutem producendi aliquem actum, nisi fortè amorem in quorumdam opinione. Contra tertiò: quia totum fundamentum est, quod non nisi imperfectè, ac Deo indignè dici possit, quod non fuerit præcognitum: psytaci in morem, qui loquitur, quod nescit: atqui hoc solum probat intellectionem præsupponi obiectiuè tanquam exemplar formale, quod locutio imitetur, non autem, vt principium, vt patet in locutione, & verbo externo: cui magis assimilari volunt Recentiores diuinum Verbum, quam nostro verbo interno: ad quod non influit actiuè intellectio præsupposita, sed sola extrema loquendi facultas: ergo intellectio non erit Verbi diuini principium. Quo circa cordatior Scotus asserit totum huius dictionis principium actiuum in intellectu esse: cum hoc enim stare potest, quod præsupponat obiectiuè intellectionem.

6 Sed iam Scoti refutationibus impugnandi ex parte Recentiores sunt. Et primò: quia hi omnes id circo à processione relegant actus communes intelligendi, & volendi, quia non capiunt, quomodo commune ex additione personalis possit esse processio. Sed æqua est difficultas, quomodo ex communi, & personali constitui possit principium proprium Personæ producentis: ergo inaniter deterrentur. Adde iuxta Patres, quos cert. 3. dabimus, idem esse gignere Patri, & Verbo procedere, quod cogitare, & sapere, scire, & intelligere: ergo in processione includitur saltem intellectio, sapientia, scientia, & cogitatio: ergo processio non est adæquatè ab intellectione diuersa. Tertiò contra Scotum specialius: quia neque mente concipi potest actus proprius intellectus, qui intellectio formaliter non sit; sed dictio hæc in Scoti sententia est actus proprius intellectus: ergo est intellectio. Confirmatur primò: quia intellectio formaliter, vel est intellectus actio physica, vel grammaticalis, vt vult Scotus: sed dictio hæc est intellectus actio: ergo, & intellectio. Confirmatur secundò: quia ideo intellectio communis, & essentialis est intellectio, quia intellectus

intellectus actio physica, vel grammaticalis. Tolle enim hoc, & negabunt omnes actus intellectus intellectionem esse: sed dictio Scotica est intellectus actio: ergo, & est formaliter intellectio.

7 Denique Scotum, & Recentiores Patrum testimoniis frangamus, qui Verbi dictionem intellectionem, & cogitationem esse expressis vocibus tradiderunt. Augustinus. 15. de Trinit. capite 10. de interno Verbo, & locutione ita habet. *Formata quippe cogitatio ab ea re, quam dicimus, Verbum est, quod nec Græcum est, nec Latinum.* nec refert loqui Augustinum de Verbo creato: cum id dicat, vt explicet increati Verbi productionem, per cogitationem, scilicet, & intellectionem. Secundò cum verbi creati nomen ad diuinum fuerit translatum, in quibus imperfectio non inuoluitur, siue in suo esse, siue in sui formatione, creatum cum increato æquo gradu debet incedere. Sic ad rem nostram scripsit Fulgent. 3. ad. Monim. c. 7. *Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se verbum habet, vtique cogitando habet: quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare.* Et Anselm. c. 34. Monolog. *Quoniam autem idem est summo Spiritui scire, quod intelligere, siue dicere: necesse est, quod eodem modo sciat omnia, quæ scit, quo ea dicit, aut intelligit.* Quid clarius? Sed accipite rursus Augustinum. 15. de Trinit. c. 14. sic loquentem: *Sciunt inuicem Pater, & Filius. Sed ille gignendo, iste nascendo*: ergo in processione actiuè, & passiuè sumpta est intellectio, qua formaliter sciant, vel intelligant producens, & productum. Imò & Anselmum rursus ibidem audite: *Quis neget summam sapientiam, cum se dicendo intelligat, gignere consubstantialem sibi similitudinem?* id est Verbum. Denique sapientiam genitam audiamus cum de sua processione loquitur à Patre: *Et ego iam concepta eram.* scilicet in mente Patris. Quid autem inter mentis conceptionem, & itellectionem interfit, nusquam reperio.

Certamen II.

Henricus, & Valentia notionalem ab essentiali cognitione ex æquo distinguentes confutantur.

1 Ob hæc Patrum testimonia, atque difficultates indicatas contra essentialem, & communem cognitionem Henricus citatus cert. 1. n. 1. duas cognitiones in Deo adæquatè distinguit: alterum simplicem, & communem, aliam discursiuam, viuatiorem, atque manifestatiuam obiectorum præcognitorum, propriámque Patris, qua Verbum, quod, qua tale, manifestatiuum obiectorum est, producatur. Similiter duplicem amorem commiscitur: alium simplicem, & communem, alium verò feruentiorem, & zœli, proprium Patris, & Filij, quo Spiritus sanctus procedat. Cœterùm quatenus maiorem perfectionem vnius præ alio in cognitionis, & amoris actibus diuinis admittit Henricus, ipso sibi sensu abrogat fidem. Nam quiuis actus diuinus in suo genere infinitè perfectus esse debet, & cui in illo genere nihil perfectionis possit deficere. Secundò pugnantia docet: dum perfectiorem secundum actum notionalem asserit, & tamen discursiuum affirmat, quod non solum perfectionem minorem, sed Deo indignam imperfectionem deuoluit. Tertiò Pater, cuius propria est notionalis illa intellectio perfectior, perfectius Filio, & Spiritu sancto intelliget: Patérque, & Filius, qui soli feruentiore illo amore diligunt, perfectiùs amabunt. Idcirco Argentin. Marsil. Carthusian. & Ricard. citati cert. 1. n. 1. actum notionalem essentiali perfectiorem non admittunt; licet vtrumque actum cognitionis, & amoris ex æquo distinctum ab essentiali cognitione, & amore esse defendant cum Henrico: Horum sententiam admisit, atque illustrauit Noster Valentia 1. p. disp. 2. punct. 3. §. *vt igitur*, quem nuper sectatus est noster Gaspar Hurtado d. 1. de Trinit. difficult. 4. §. *Argentina verò*; plurèsque Recentiores, in quibus, & nos eramus aliquando.

2 Impugnatur primò. Quia, vel notionalis intellectio prouenit ab intellectu communi, vel ab alio notionali: & idem est de amore notionali. Si à notionali: ergo in Patre est duplex formaliter intellectus. communis vnus, & personalis alius: atque in Patre item, & Filio duplex voluntas, communis vna, & notionalis alia: quod est commentitium, & absurdum. Si à communi intellectu addita Personalitate Patris prouenit intellectio, quæ processio sit: ergo, & intellectio communis addita Patris personalitate poterit esse Verbi productio, eiúsque processio. Negabis consequentiam: quia ad perfectionem intellectus diuini pertinet esse generatiuum, vbi impeditum non sit: ac proinde cum Persona Patris, cum qua expeditus ad generationem est, erit generatiuus; licet, vt est, cum Persona Filij generatiuus non sit. Contra. Nam minus pertinet ad perfectionem diuinæ intellectionis generationem esse, quam ad perfectionem intellectus diuini esse generatiuum: ergo, vbi fuerit intellectio communis expedita cum personalitate Patris, generatio erit. Negabis secundò consequentiam illam. Quia processio est actuale exercitium procedentis, & producentis: de essentia autem actualis exercitij est se ipso attingere terminum, & principium, cuius exercitium actuale est: vnde, si intellectio se ipsa, & intrinsecè productio, & processio non est, nequit aduentu personalitatis Patris processio esse; quod secus euenit in intellectu, & quoniis principio productiuo. Cum enim hoc non sit actuale exercitium agendi, neque se ipso essentialiter coniunctum cum termino, & principiato, rectè potest terminum, quem de se non respicit, ratione alterius adiuncti respicere.

3 Contra tamen est. Quia, vel standum est legibus principiorum, & actionum creatarum: & sic, sicut nequit actio esse alterius aduentu, quod actio de se non est: ita neque potest esse principium alterius aduentu, quod principium de se non est: si de principio formali, seu potentia, non autem de principio *quod* loquamur. Sin autem standum sit in principio, & processionibus diuinis, non legibus creatarum, sed iuri (vt sic loquar) diuino, benè potest esse alterius aduentu actuale exercitium alicuius, quod sine illo, & de se solum actuale exercitium non est. Ecce diuina scientia sublatis futuris actuale exercitium ea repræsentandi non est: alioqui diuina scientia falsa esse posset; positis autem futuris actuale exercitium, eorúmque repræsentatio actualis est: ergo, & in nostro casu quod processio actualis se solo non est, alterius aduentu processio actualis poterit esse. Ratio autem huius discriminis inter creata, & increata exercitia actualia desumitur ex limitatione simpliciter creatorum, & ex infinitate atque illimitatione simpliciter increatorum. De huius quippe ratione est, vt quidquid simpliciter simplex perfectio sit in sua linea, perfectionémque, sine, imperfectione importet, tribui ipsi debeat: vnde, cum cognitioni diuinæ imperfectio non sit se ipsa ad obiecta creata, vbi primum sunt, extendi, se ipsa est illorum repræsentatio, atque sine perfectionis additione ad repræsentanda ipsa, si ponuntur, extenditur. Atque ad rem nostram; eademmet intellectio, licet ablata Personalitate Patris, processio actiua Verbi non sit; aduentu tamen illius eademmet intellectio inuariata in ratione intellectionis processio, & generatio est: quia in eo prædicato nulla inuoluitur intellectionis diuinæ imperfectio, sed potius perfectio summa, vt patet; sicut, & in eo, quod intellectus diuinus generatius sit ex adiunctione Personalitatis eiusdem, nulla ipsius imperfectio, sed potius summa perfectio importatur.

4 Argumentor secundò ab absurdis. Quia in hac opinione Pater beatus esset beatitudine non solum essentiali, & communi Filio, & Spiritui sancto, sed alia propria, & personali notionalis intellectionis, qua Filius, & Spiritus sanctus beati non essent, quod est absurdum valdè. Secundò: Pater, & Filius haberent actus virtutum v. g. misericordiæ, iustitiæ, &c. quos Spiritus sanctus non haberet. Patet vtrumque absurdum. Quia volitio,

& intellectio notionalis æquæ perfectæ, & infinitæ in suo genere esse debent, atque essentiales, cum sint diuinæ: ac proinde ad intelligibilia, & volibilia omnia debent extendi. Tertiò: cum volitio illa notionalis propria Patris, & Filij æquæ virtutis, & efficaciæ sit, atque essentialis: & neque ipsa neque eius vsus sit Spiritus sancti: Pater, & Filius speciali titulo mundi conditores, seruatores, gubernatores, electores ad gratiam, & gloriam &c. forent: Id quod in Henrici opinione temerarium reputat Valentia ipse 1. p. q. 2. pun. 3. Dices: volitionem hanc ad creata solùm per modum complacentiæ extendi: cum essentialis volitio ad efficatiam sufficiat. Contra primò: quia saltem specialiorem complacentiam in Patre, & Filio circa diuina dona æquè absurdè admittes. Contra secundò: quia nulla ratio assignabitur cur notionalis volitio æquè perfecta, atque essentialis, efficaciam non habeat circa creata, quam habet essentialis volitio. Si enim simpliciter simplex perfectio ea efficacia in volitione sit, in vtraque volitione, vt pote diuina, admitti debet; si autem non sit, in neutra potest admitti.

5 Arguo tertiò ex August. 7. de Trinit. c. 2. sub init. quia in diuinis, sicut ille ait, *sapientia essentialiter intelligitur solum*: sed si detur intellectio notionalis in diuinis non intelligetur sapientia essentialiter solum, sed notionaliter: ergo non datur intellectio notionalis distincta ab essentiali in diuinis. Confirmatur: quia Pater, & Filius sunt vna, eadémque sapientia: sed si detur intellectio notionalis non erunt vna eadémque sapientia, sed alia sapientia erit Pater: ergo non datur notionalis intellectio. Maior est August. 7. de Trinit. capite 3. ante med. *Singulus*, inquit, *Pater Deus, & singulus Filius: ergo, & singulus Pater sapientia, & singulus Filius sapientia, & vterque vna sapientia.* Est etiam doctrina Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ tom. 1. in Concil. Ephesin. c. 14. epist. ad Nestor. col. 7. Anselmi cap. 48. monolog. fin. & sanè, vt benè notat S. Thom. p. q. 37. art. 1. corp. & art. 2. ad 1. sapere, & intelligere non sumitur in diuinis notionaliter, sed essentialiter; sumeretur autem notionaliter, si notionalis intellectio ab essentiali diuersa in diuinis esset. Confirmatur secundò: quia notionalis intellectio, qua intellectio præcisè, relatiua non est; vt sic enim non dicit principij, & termini respectum, sed solum obiecti repræsentationem: ergo respectus principij ad terminum principiatum non est in intellectione, etiam notionali, quatenus cognitio est, sed ex adiuncto prædicato notionalis: ergo, qua intellectio præcisè, processio non est, sicut neque processio est essentialis intellectio, à qua in ratione intellectionis nulla formalitate discordat. Infero secundò: ergo adiuncto prædicato principij, seu personalitate Patris, intellectio communis fieri potest notionalis intellectio, actúsque notionalis: ac proinde processio actiua sine additione notionalis intellectionis alterius. Quæ omnia sua proportione contra actum amoris notionalis facilè vnusquisque deducet.

6 Quartò denique efficaciter argumentor cum Suario. Quia actus intellectionis essentialis, qua diuinus, summè perfectus esse debet: ergo est, tam, quoad cognoscibilium extensionem, quam, quoad modum cognoscibilitatis eorum summa, & perfectissima repræsentatio: ergo in linea cognoscendi, & intelligendi omnem habet rationem repræsentationis extra eam, quam habeat essentialis intellectio, est impossibilis. Patet: quia, si possibilis alia esset intellectio, communis non haberet omnem rationem repræsentationis, neque esset summa, & infinita simpliciter intellectio: cum illa repræsentatio, quæ extra repræsentatio intellectionis essentialis in notionali esset, secluſa ratione differentiali notionalis; esset perfectio in genere repræsentationis: ergo prædicatum intellectionis vltra communem, & essentialem est in diuinis impossibilis. Confirmatur: quia, vel illa ratio repræsentationis intellectiuæ reperta in notionali intellectionale est perfectio in linea intellectionis, vel non? Si est perfectio in essentiali debet esse ob rationem datam: & quia ea deficeret Filio, & Spiritui sancto, qui, sicut non producunt, ita nec notionaliter intelligunt. Dices primò esse perfectionem relatiuam. Præclusum autem id est n. 5. confirmat. 2 Rursúsque præcluditur: quia ratio omnis intellectionis, etiam in notionali, formaliter ab intellectu communi prouenit; cum Aduersarij intellectum notionalem non admittant. Dices secundò intellectionem essentialem includi in alia notionali, essentialitérque contrahi per prædicatum intellectionis notionalis: non secus atque scientia essentialiter differentis practici, & speculatiui contrahitur. Sed contra primò: quia quidquid intellectionis supra essentialem addat notionalis intellectio proximis impugnationibus patet. Contra secundò: quia iam admittis essentialem cognitionem alterius adiunctione posse constituere actum notionalem, & processionem, quod vitare intendebas. Contra tertiò: quia practicum, & speculatiuum accidentales solùm differentis in scientiis sunt, vt satis multis ostendebamus controu. 1. Logicæ d. 3. quæstione 3. & in controuersiis de anima.

Certamen III.

Communis, & vera sententia, actus notionales ex essentialibus, & Personalitatibus constituens, illustratur.

1 Præfixam conclusionem tradit S. Thom. proximè, & q. 27. art. 5. Canar. Vazq. Suar. reliquique Interpretes Diui Thomæ, refert, & sequitur Ruiz d. 59. sect. 1. n. 15. & sect. 4. n. 8. Item Arrubal. 1. p. d. 37. c. 3. Luis Torres d. 1. dubio 3. Becan. c. 1. Tannerd. 4. q. 2. dubio 13. n. 11. Mæratius d. 43. Alarcon. d. 8. c. 4. à n. 8. Granad. tract. 1. de Trinit. d. 3. sect. 3. Albiz. d. 1. sect. 9. & d. 12. sect. 6. Albertin. corol. 12. in prædicamentum ad aliquid, n. 9. Erice manuscripto de Trinit. In his verò tribus extremis dispicet, quod distinguentes rationem influxus, & productionis à ratione communicationis processionum, productionem, quæ in linea agendi est à personalitate prouenire dicant; communicationem autem, quam in genere formalis identificationis naturæ cum Personalitate producta existimant esse, intellectioni, & amori communi, & essentiali competere affirment: licet, quia communicatio sine distinctione communicantis, & eius, cui communicatur esse non potest, intellectio, & volitio essentialis connotent personalitates, quibus distinguuntur producens, & procedens: & quia productio, seu processio diuina, cum sit productio, & influxus in Personam procedentem in naturæ identitatem, connoter intellectionem Patris, quæ Personæ secundæ primariò communicatur, & in vtraque amorem, qui primariò communicatur Spiritui sancto. Mitto, quod, ex satis impugnato, supponant primariò communicari Verbo intellectionem &c. ostendóque iuxta hanc doctrinam non magis procedere Personas procedentes per intellectionem, & amorem formaliter, quam per naturam. Quia ad processiones requiritur formaliter communicatio formalis per identitatem: ergo quæcumque in diuinis eam habent communicationem, necessariáque sunt ad Personæ procedentis integritatem, formaliter ingrediuntur processiones: sed natura, & prædicatum entis, & substantiæ à se eam habent communicationem formalem, & necessariam ad integram constitutionem Personæ procedentis; & primariò quidem illam habent; cum sint prædicata primaria: ergo primariò processionem ingredientur: ac proinde Personæ procedent formaliter immediatè, & primariò per naturam. In ratione hac penetrata præclusæ eius solutiones inuenientur.

2 Hæc ab inconsequentia. Iam absolutè eadem pars impugnatur argumento Durandi in 1. d. 7. q. 1. n. 25. eam doctrinam

doctrinam ex antiquioribus aliis referentis, & confirmantis. Communicatio essentiæ, & communium Patris ad Filium per processionem formaliter est actiua: sed communicatio formalis essentiæ, & communium per formalem identitatem actiue non est: ergo communicatio formalis prædicta non est communicatio per processionem formaliter. Minor est certa, & ex terminis nota. Nam, sicut communicatio formæ ad materiam per vnionem solum est communicatio inhæsionis formalis: ita, & communicatio essentiæ ad personalitatem per vnionem identitatis formalis erit, licet in eo genere intimior. Confirmatur: quia eodem modo se communicat essentia per formalem identitatem cum Persona Patris, in qua nullum actiuæ communicationis vestigium est, atque se communicat cum Persona Filij. Maior est inter Scholasticos communis. Ita Bonau. in 1. d. 5. art. 2. q. 2. Aureol. art. 4. Scot. q. 1. §. *Ad argumentum*, cum suis, Marsil. q. 9. art. 2. Et probatur primò: quia ex eo dicitur viuens in generatione communicare actiuè animam materiæ, quia eam producit vnitam materiæ: sed Pater per processionem producit personalitatem Filij identicè vnitam naturæ, & communibus: ergo actiuè communicat personalitatem naturæ, & communibus per processionem. Probatur secundò: communicatio naturæ ad Filium à Patre, originis, & notionalis est: sed communicatio formalis naturæ cum filiatione, & Filio originis, & notionalis non est: ergo vltra communicationem formalem identitatis aliud genus communicationis naturæ à Patre per processionem inuenitur, scilicet communicationis actiuæ. Minor constat: quia inuenitur eadem formalis communicatio naturæ ad Personalitatem Patris identicè, cuius respectu notionalis communicatio non est, neque originis: imo, licet Filius à Patre non procederet, neque esset originalis communicatio, manente identitate ipsius cum natura, & communibus, formalis communicatio perseueraret.

3 Dices non esse alium modum communicandi actiuè naturam nisi per identitatem formalem, quæ si deesset communicatio naturæ à Patre processionem esset impossibilis. æquiuocationem detego. Nisi esset vnio formæ ad materiam, non esset possibilis communicatio actiua formæ ad materiam ab agente: ergo ea communicatio formalis per vnionem intrat communicationem actiuam agentis. Est dicere: nisi esset terminus actionis non esset actio: ergo terminus actionis ingreditur formaliter essentiam actionis: itaque identitas naturæ cum personalitate producta ponitur per processionem tanquam terminus illius: ac proinde ea facta impossibili impossibilis processio foret; non minus, quam facta impossibili Filij personalitate, quæ alter formalis terminus processionis est, processio esset impossibilis: non quidem defectu formalitatis intrinsecæ processionis, sed termini, cuius actuale exercitium processio est. Sed quidinde? An licet inferre personalitatem productam formaliter, processionem intrinsecè constituere? Minimè: ergo neque licet inferre communicationem formalem ingredi actiuam processionis communicationem.

4 Res ergo hæc facilius explicabitur. Vt intellectio, & amor de se generatiua, & spiratiuus, siue generationis, & spirationis exercitium formale eminentiale, vbi adsit distinctiuum à Persona genita, & spirata, ipsíque functi suo munere non fuerint generatio, & spiratio sint. Quo fit, vt adiuncta identicè Personalitate Patris, vt præcedit origine Verbum genitum, intellectio actiua processio sit, & generatio: adiuncta autem personalitate Verbi generatio formaliter non sit, quia iam suo munere functa & quasi effeta est. Cum autem adiuncto amore vtriusque personalitati sufficiens distinctiuum adsit principij spirantis à persona spiranda, nempe Spiritu sancto (què sua characteristica proprietate aduabus Personis distingui, & oriri debet): atque alio ex capite nondum amor fuerit munere, & exercitio spirationis functus, spiratio actiua est: posita autem Persona spirata per ipsum, prout amor cum illa identificatur, vacuus, atque suo munere functus; effœtúsque ad exercitium spirandi intelligitur. Hæc porrò, licet difficilia perceptu sint, erunt tamen ab aduersarijs in principio processionis deuoranda, vt videbamus cert. 2. n. 2. atque exemplo scientiæ diuinæ circa creaturas præsertim futuras, & volitionis, siue efficacis, siue simplicis complacentiæ circa ipsas, satis illustratur, atque emollitur. Nam eiusmodi scientia, & volitio, licet de se actualia exercitia intelligendi, & amandi futura sint, id tamen ob sui eminentiam habent, vt si ea non fuerint futura, nec repræsentent, neque ament. Sic intellectio, quæ se sola processio actiua non est, defectu distinctionis producentis & procedentis Personæ; adueniente distinctiuo processio esse potest. Neque aliquod deficiet vestigium *in creatis*: nam quemadmodum iudicium idem, quod de se solum practicum non est, tamen aduentu imperij extrinseci voluntatis practicum, & actiuum est; ita etiam in casu nostro.

5 Porrò contra sic explicatam sententiam nihil inuenio, quod acriter pugnet. Indicabo tamen capita impugnationum, ne Audiatores neuitate postmodum turbent. Obiiciunt primò. Origines, & processiones formaliter ex parte obiecti idem, atque Paternitas, & Filiatio sunt, atque vniuersim idem, quod relationes saltem fundamentaliter sumptæ: sed in paternitate, & relationibus fundamentaliter sumptis nihil commune includitur: cùm eis, vel formaliter, vel fundamentaliter Personæ distinguantur: ergo neque intellectio communis ingreditur processionem, neque communis amor. Concedo cum omnibus maiorem, & distinguo minorem. In paternitate, & relationibns adæquatè sumptis nihil commune inuenitur, nego minorem; ostendi enim q. 2. cert. vltim. Paternitatem, & Filiationem siue formaliter, siue fundamentaliter includere de suo conceptu naturam communem; cum similitudinem in illa includat, & idem est de spiratione: dicit enim immanentiam per identitatem naturæ Personæ procedentis in producente. Hinc eneruata manet secunda obiectio. Vel Personalitas adiuncta cognitioni essentiali est respectus producentis ad productum, vel non? Si non est respectus: ergo ea addita non est constituta processio intellectio, quæ de se respectus non est, sed potius communis ratio identificata cum producto, & producente. Si est respectus producentis: ergo sola personalitas est productio, & processio. Patet consequentia: nam integer conceptus actionis, seu processionis est esse respectum producentis ad terminum productum. Conuinci intentum putant Recentiores: desperatáque nostrorú solutione sese acuût, vt id pro nobis respondeant, quod facilè impugnent. Respõdebo tamẽ, quod impugnent difficiliùs. Nempe: Personalitatẽ non afferre formaliter respectũ, sed distinctiuũ producẽtis à Persona producta: vt, quod defectu distinctiui processio, & respectus exercitè nõ erat, processio, & respectus exercitè ex personalitatis adiunctione fit. Sic in constitutione potentiæ notionalis admittere ipsi, atque omnes debent personalitate sola non afferri efficacia, & virtutem productiuam absolutè communibus: & tamen communia personalitate constitui in ratione potentiæ, & principij notionalis: quia, vt d. sequenti dicemus, personalitas affert distinctiuum producentis à producto naturæ, & reliquis communibus, cum quibus potentiam notionalem constituit.

6 Vrgentius impugnabam Vazquianos, cum olim ab opinione Valentiæ starem ex alia Vazq. doctrina. Nam, si cognitio essentialis intrat processionem Filij, inferri videtur Filium non procedere per se quarto modo ex cognitione sui, & Patris, vel procedere ex cognitione etiam Spiritus sancti. Etenim si procedit per cognitionem essentialem: ergo quod fuerit specificatiuum per se quarto modo intellectionis essentiali erit obiectum per se quarto modo productionis Verbi. Vel ergo essentia sola est specificatiuum per se quarto modo intellectionis essentialis (vt sæpe Vazq. docet) & sic Verbum non procedit per se quarto modo ex cognitione sui,

sui, & Patris, vel est specificatiuum, & obiectum quarto modo per se intellectionis essentialis essentia cum omnibus, quæ ipsi identificantur: & sic ex omnium Personarum cognitione, ac proinde, Spiritus etiam sancti, quarto modo per se Verbum procedet: quandoquidem Persona Spiritus sancti æquè, atque Persona Patris, & Filij identificatur cum essentia. In primis non me tangit obiectio, vt d. 5. videbimus. Sed neque Vazq. nimis arctè premit. Nam aliud est obiecta per se requiri ad perfectionem essentialis cognitionis; aliud requiri ad rationem productionis, quæ in ipsa est. Ad primum requiri admittet fortasse Vazq. vt ad omnia idemtificata cum essentia terminetur essentialis cognitio ob perfectionem cognitionis, & Dei cognoscentis; ad rationem autem productionis requiri negabit. Sicut de præcessione infallibilis scientiæ mediæ ad decretum conferendi auxilium efficax ad bona nostra opera; respondebat Erice: requiri quidem eiusmodi præcessionem infallibilis scientiæ mediæ ex perfectione operantis, non autem ex indigentia consensus nostri in opera bona. An verò solutione hac in Societatis principiis nostri operis libertas saluetur, alterius est, & temporis, & loci.

QVÆSTIO V.

An processiones actiuæ à passiuis distinguantur?

DE formali distinctione quæstio non procedit. Si enim, iuxta vulgarem Philosophiam, actio formaliter à passione differat, & si realiter identificentur, distinctioni formali processionis actiuæ à passiua locus erit. Quam Philosophiam, licit minimè probent, imò multis ex Arist. & ratione apud Physicos suadeam, totam actionis à passione distinctionem non ex parte formalitatis obiectæ, quæ vnissima est, sed modi nostri concipiendi se tenere, nenias philosophicas facilis prætereo, dum nos grauiora theologica vocant. De distinctione igitur reali actiuæ processionis à passiua inquiritur. Scitu quidem dignum, licet non tanti ponderis, quanti esse volunt Doctores nonnulli, qui semper ad aliorum censuras sunt in procinctu. Quæ res adeò me ad malè censuratas ab illis opiniones tutandas ira, an pietate? impellit, vt ferè ingenuum alioqui, atque officiosum erga veritatem animum, à vero ad probabile dimoueat.

CERTAMEN I.

Nil censura dignum præstant, qui actiuas à passiuis processionibus realiter non distinguunt.

1 VVlgò actiuas processiones à passiuis distinguunt Theologi. Molin. 1. p. q. 40. art. 2. d. 2. m. 3. atque eo art. Vazq. cursim, Granad. tract. 2. disp. 3. sect. 1. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 5. refertur pro ea Zunniga d. 2. à dub. 14. m. 2. vsque ad 17. dub. de qua nihil, ibi scripsit; quin dub. 16. m. 1. contrarium insinuat. Cæterum oppositam sententiam temerariam, erroríque obnoxiam censet Ruiz d. 84. sect. 1. 2. & 3. n. 1 0. Albiz verò d. 1. sect. 2. vt temeritatis illam non notet, à temeritate verò liberare non audet. Ausus autem fuit illam ab omni censura liberare Pater Suar. 6. de Trinit. c. 7. & ipse non parum ad aliorum censuras procliuis. Et iure quidem optimo: cum ex antiquis plures eam tradiderint opinionem, quos presso nomine refert Aureol. in 1. d. 27. art. 2. §. *Opinio communis.* & art. 3. init. aliique nominati apud nostrum Albertin. corol. 12. ad prædicamentum ad aliquid, vbi eandem opinionem amplectitur. Eam in super insinuasse nostrum Zunnigam nuper dicebamus. Sed videamus quibus tandem fundamentis tam acri censura contra hanc opinionem inuehatur Ruiz. Opponit sect. 1. Patres asserentes. *Patrem ingenitiuè habere essentiam; Filium verò genitiuè.* Posset que obiicere Augustinum dicentem. *Sciunt inuicem Pater, & Filius: sed ille gignendo, iste nascendo.* Nihil momenti in his testimoniis reperio. Nam, siue processio actiua idemtificetur cum passiua; siue non, siue vtraque sit in Persona procedente, siue in producente, verum est communia omnia in Patre esse non accepta per processionem, & generationem, idest ingenitiuè; in Filio autem esse illa omnia per generationem accepta. Insuper: cum Pater media intellectione, & scientia generet, sciet gignendo Pater, sciet etiam nascendo Filius, siue generatio actiua cum passiua identificetur, siue non.

2 Opponit rursus Patres alios asserentes: *proprietatem Patris esse, quod sit ingenitus*: ergo generatio passiua proprietas Filij est, actiua verò Patris. Sed proprietas Patris realiter distinguitur à proprietate Filij: ergo generatio actiua realiter à passiua distinguitur. In primis ratio ingeniti formaliter actiua generatio non est in vera, & ipsius Ruiz opinione: vnde, neque ex eo, quod ratio ingeniti realiter cum proprietate Patris idemtificetur, infertur generationem actiuam cum Patris proprietate identificari. Hinc, licet Filij proprietas sit realis generatio, tam actiua, quam passiua iuxta vulgarem Philosophiam de actione & passione creatiua, non infertur prima consequentia. Secundò, & si identificetur generatio actiua, & passiua cum ingenitura Patris, ac proinde proprietas Patris intrinseca vtraque processio sit, erit proprietas Filij genitum esse non quidem ita, vt generatio passiua in Filio intrinsecè sit, sed ita, vt proprietas, quæ Filij est, sit genita vt *quod*, essentialiter, & intrinsecè; vt *quo* autem extrinsecè à generatione, quæ est in Patre. Sicut in opinione, quæ actionem, & passionem idemtificatas ex parte agentis ponit ab ea actione, & passione, quæ ex parte agentis se tenet, tanquam à forma extrinseca effectum fieri docet, vt *quo*, licet vt, *quod*, essentialiter, & intrinsecè sit factus: quia videlicet à se non est, neque esse potest: vnde non potest non hac, vel illa actione in suo esse fieri, & ab agente pendere. In quo à Filio æterno (qui alia generatione, aut processione, quam hac numero quæ Patri identificatur, procedere nequit) creatus effectus discordat.

3 Refert sect. 2. Patres alios asserentes Patrem distingui à filio, quod *ille generat; hic generatur.* Et rursus: *quia gignere, & gigni differunt*: ergo, quia generatio actiua, & passiua realiter distinguuntur: quandoquidem secundum eas rationes realis distinctio Patris, & Filij statuitur à Patribus; nequitque per id, quod re ipsa idem est, distinctio realis Personarum induci. Respondetur Patres hosce contra hæreticos pro diuersitate, & distinctione Personarum pugnasse. Quam autem infirmè ex reali distinctione actiuæ processionis, seu generationis à passiua id probarent, viderit facilè, qui Aristotelem, & Phylosophos legerit, docentes, passim actionem re ipsa à passione non distingui. Solum ergo volunt distingui, quia generatio distinctionem generantis, & geniti necessariò, vel supponit, siue actiua siue passiua; non autem, quia generatio actiua, vel passiua eam formaliter in ipsis ponant, tanquam eorum distinctiua, vt de constitutione Personarum agentes ostendemus. Inducit quartò Concilium Lugdunense relatum c. vnic. de summ. Trinit. in 6. & Concil. Florentin. sess. 25. Eugeniúmque 4. in litteris vnionis vbi aiunt: *Spiritum sanctum à Patre, & Filio tanquam ab vnico principio, & per vnicam spirationem procedere.* Cum autem his esset, an duæ spirationes actiuæ in Patre, & Filio forent? definiendo vnicam esse in vtroque actiuam spirationem cum Patre, & Filio identificari definiunt. Sed esto: id definiatur. Definiturne esse aliam spirationem passiuam realiter ab illa diuersam in Spiritu sancto? atqui hoc definiendum etiam erat, vt contra hanc opinionem definitio pugnaret. Secundò his non erat an spiratio identificaretur cum Personis Patris, & Filij: Sed an vnica vtriusque spiratio esset: an plures? Vnde, licet in Spiritu sancto actiua, & passiua simul, & identicè spiratio vnica à Patre, & Filio sit, saluatur definitio Conciliorum.

4 Obiicitur Bessarion in Concil. Florent. c. 6. orat. pro vnione: vbi discertis verbis ait: *Generationem actiuam à passiua realiter distingui.* verùm, cum ad institutum Concilij distinctio hæc referret nihil, licet id obiter eo sensu dictum à Bessarione fuisset, neque à Patribus probatū, probabilem solum oppositam sententiam redderet. Sed iudicio tamen meo generationem actiuam, & passiuam, non sicut nos, sed pro genito, & generante vsurpauit. Cæterùm contra Bessarionis autoritatem habemus Ioannem Theologum: qui magis scholasticè in eodem Concilio disputans sess. 8. sic loquitur: *Processio namque videtur esse via ab vno in alium* (quæ est actiuæ processionis definitio) *quæ quidem à Patre accipitur.* Sed notionale id, quod à Patre accipitur in Patre nō est, sed in termino producto, scilicet Filio: ergo ex Ioanne Theologo, & tacito consensu Patrum Concilij Florentini processio actiua est idem cum Filio. Rursus verò passiua processio per vos est idem cum Filio: ergo processio actiua Patris, & passiua Filij inter se se, & cum Filio identificantur. En grauissima testimonia, quæ tam graui censuræ ansam dederunt, quam sint infirma, & inania. Igitur per fidei dogmata, Patrúmque authoritatem integrum Catholicis Doctoribus est processiones actiuas, & passiuas realiter distinguere, vel identificare. Quod autem ex alterutro verosimiliùs sit cert. sequenti statuendum erit.

CERTAMEN II.

Processiones actiuas re ipsa cum passiuis & cum Personis producentibus idemtificari probabile est; oppositum probabilius.

1 POsito etiam contra Censores stomacho, conclusionis partem primam probabilem iudico. Habet Patronos ex vetustis & iunioribus, quos dedi cert. 1. Probatur. Quia in primis quidquid fides, & Patres docent æquè commodè in hac opinione saluantur, ac in aduersa, vt nuper ostendi: ergo sine necessitate duplex processio distinguetur in quouis ordine. Probatur secundò: quia actio, & passio in Philosophia, & Aristotele non distinguuntur realiter, imò neque creatio actiua, & passiua: ergo, neque processio actiua, & passiua. Probatur tertiò. Vbi est impossibilis distinctio formalis ex parte rei obiectæ indiuiduæ implicat distinctio realis: sed inter processionem actiuam, & passiuam, quæ indiuiduæ sunt, implicat distinctio formalis: ergo realis. Dixi *indiuiduæ.* Nam, & si distinctio formalis solum specifica, & generica implicet, potest realis distinctio dari, vt patet in rationali Petri, & Pauli: si autem Petrus, & Paulus per rationale indiuiduarentur, eos realiter distingui implicaret. Minor probatur. Tunc est impossibilis distinctio formalis ex parte rei obiectæ indiuiduæ cum implicat formalitatem vnā indiuiduam ex parte rei obiectæ concipi adæquatè, quin adæquatè concipiatur alia formaliter: sed implicat concipi ex parte rei obiectæ processionem indiuiduam Filij à Patre, quæ formaliter processio passiua est, quin formaliter concipiatur productio à Patre in Filium, quæ formaliter est processio actiua: ergo inter processionem actiuam, & passiuam impossibilis est ex parte rei obiectæ indiuiduæ formalis distinctio.

2 Minor hæc postrema probatur exemplo viæ ab Athenis ad Thebas ad indistinctionem formalem actionis à passione ab Aristot. & Philosophis adductæ. Probatur secundò: quia creare, & creari, amare, & amari nemo vnquam ex parte rei obiectæ, & significatæ audeat ratione distinguere: ergo neque in diuinis producere, & procedere ex parte rei obiectæ distingui potest. Vrgetur: quia, si generatio actiua identificetur cū Paternitate, & passiua cū filiatione, his generabit Pater Filiū, bísque generabitur Filius à Patre: nā in primis generabit generatione intrinseca Paternitati: insuper generatione extrinseca Paternitati, & intrinseca Filiationi. Nam cūm de generationis actiuæ cōceptu sit esse viā à generāte ad genitū, passiuæ verò à genito ad generantē, vtraque generans intelligitur generare, & genitus gigni. Hoc autē, quā superfluè, & absurdè admittatur viderint omnes. Denique ex perfectione processionis diuinæ arguitur efficaciter argumēto sæpe in simili repetito. Nam de ratione processionis, & generationis diuinæ est summa perfectio in sua linea: ergo nequit dari duplex diuina generatio &c. non solū realiter, sed neque formaliter distincta: ergo neque duplex generatio, altera actiua, altera passiua. Prima consequētia patet: quia si duplex detur generatio realiter, & formaliter diuersa, neutra alterius perfectionē, vel realiter, vel formaliter cōtinebit: vnde neque summè perfecta in linea generationis erit. Secūda cōsequentia æquè currit, licet non æquè currere appareat: quia generatio actiua Patris v.g. includit, neque abstrahere potest realiter, aut formaliter à ratione passiuæ productionis Filij, sicut neque processio passiua Filij à ratione actiuæ generationis, vt Recentiores aduersarij admittunt: ergo quæuis habere debet omnem perfectionem generationis actiuæ, & passiuæ: quare aliam reddet in diuinis impossibilem.

3 Cui autem idēt ificetur processio, quæ eadē actiua, & passiua est, Personæ producēti, an procedēti? Non ita facilè definiemus. Nam, si ad creatorū exemplū res hæc cōcipienda sit, cū procedēte Persona idēt ificāda videtur, scilicet generatio cum Filio, & spiratio cū Spiritu sancto: quandoquidē actio, & passio in creatis ex parte effectus se tenent, nō autē ex parte agētis principij: vt melior tenet Philosophia. Ex alia verò parte rationes creatarum actionū in diuinis processionibus nō satis vrgēt: ac proinde verosimiliùs fortè diceretur processiones diuinas, tā acticas, quā passiuas cū Personis producētibus idēt ificari: scilicet generationē cūl Patre, Spirationē cū Patre, & Filio. Cū enim dixerimus processiones ex essentialibus actibus, & personalitatibus distinctiuis producētis à producto coalescere: vbi primùm distinctiua sunt, & processiones esse oportebit: sunt autē distinctiua vbi primùm sunt personalitates producētiū: ergo nō expectātur personalitates productorū, vt sint processiones in se sufficiēter. Accedit primò: quod via prior termino cōcipitur: quare nisi aliud obsit ex parte principij, nō ex parte termini se tenere debet. Accedit secundò: quod hac ratione melius intelligitur Patrē essētia sua esse Patrē; & Filiū essētia sua esse Filiū, vt aiebat Athanas. sæpe citatus, præsertim epist. longiori ad Serapion. Nā, si expectetur ad rationē generationis Filiatio, post totū intrinsecū, & essentiale Patris, Pater fundamētaliter adhuc Pater cōstituetur filiatione, nec sua essētia Pater erit: Filius autē, cū essētia sua generationē supponat, licet eā re ipsa nō claudat, essētia sua genitus erit. Accedit quod formalius intelligūtur, quæ Augustinus 3. contr. Maximin. c. 14. & lib. 15. de Trinit. c. 27. aiebat: *Patrem dedisse Filio ipsum gignendo, quod ab eo procedat Spiritus sanctus.*

4 Obiicies cōtra præcipuā cōclusionē, Intellectio diuina adiūcta personalitate Patris est generatio actiua: ergo adiūcta personalitate Filij erit generatio passiua. Distinguo antecedēs. Generatio actiua soluta, nego antecedēs; actiua simul, & passiua; cōcedo antecedēs: & nego cōsequētiā. Nā quidquid in genere actionis, & passionis habere potest perfectionis præhabet in Patre ante Filium formaliter: vnde nihil in ratione actionis, vel passionis ipsi à Filij personalitate potest accrescere. Obiicies secūdò. Implicat formaliter primā Personā esse, quin actu generet, & secundā quin actu generetur: ergo genitū esse intrinsecū est Personæ secūdæ, & generare intrinsecū est Personæ primæ Patris: aſt hæc habēt formaliter generatione actiua Pater, passiua verò Filius: ergo generatio actiua idēt ificatur cū Patre, passiua verò cū Filio: ac proindē actiua, & passiua realiter distinguūtur æquè, ac Pater, & Filius. Respōdetur distinguēdo antecedēs primū. Implicat Filiū nō generari implicatione formalis generationis

passiuæ, & intrinsecæ, nego antecedens : generationis extrinsecæ,& præsuppositæ essentialiter in Patre, concedo antecedens:& nego consequentiam. Instabis adhuc. Entitas, cui per suam entitatem repugnat separari ab alia, per suam entitatem intrinsecè est vnio realis formalis ad illam : ergo entitas, cui repugnat per suam entitatem non generare per se intrinsecè est realiter formaliter generans : & cui sic repugnat non generari, per se intrinsecè est passiuè genitus:ergo altera habet intrinsecam generationem actiuam,altera vero passiuam: sed patri, & Filio repugnat &c.ergo. Distinguo antecedens primum.Cui repugnat repugnantia formali fateor; repugnantia virtuali,& consequentiæ,nego. Et hanc quidem solùm habet Filius, vt non generetur formaliter: cum generatio,etiam passiua,in Patre sit.

5 Licet autem hæc ex acuta, nec contemnenda Philosophia dicta à nobis sint, oppositum tamen, & soliditate theologica dignius, & probabilius, à ratione etiam iudicamus.Tum,quia à Theologorum,qui plures longè pro eo, & nobiliores sunt, authoritate amplius momenti habet : tum, quia rationes illæ actionis,& passionis creatorum effectuum, & agentium in diuinarum personarum processionibus non currunt. Etenim creati effectus, illorúmque causæ non ita essentia, & entitate sua actioni,aut passioni determinatæ huic atque ab hac determinata causa, ad húncque determinatè effectum sunt exercitè affixi,vt sine illis nequeant existere:quare & facere, & fieri extrinsecus possunt; imò, & debent, cùm per suam entitatem agere, & fieri nequeant. si autem per suam entitatem ita actioni vel passioni exercitè & suo principio,vel effectiui connecterentur, intrinseca passione effectus prodirent, & causa intrinseca sibi actione in bona Philosophia operarentur.Sic melior Philosophia Angelos, & quæcumque à solo Deo fieri possunt, quia creantur, per suam entitatem fieri sine extrinseca actione docet, quæ creatio, etiam actiua est, quia cum Deus essentia sua exercitè cum Angelis existentia,& creatione non connectatur, nonnisi extrinseca actione agere, agénsque denominari potest : at si exercitè cum Angeli existentia, & creatione entitate sua connecteretur, actione sibi identificata ageret, quæ passio non esset, quæ intrinseca Angelo esse debebat, sicuti,neque hæc actio creatiua foret ob similem rationem ex parte Dei creantis consideratam. Neque enim in vtroque actio, & passio ponenda simul duplicate, & superfluè foret; neque extrinseca illa atque aduentitia actione ageret, connecteretúrque cum Angeli existentia Deus sua entitate cum illo connexus : sicuti neque Angelus essentia sua cum Deo authorie suo passiuè connexus passione extrinseca fieret. Itaque actio, quæ eadem passio formaliter, & realiter est, in his solùm producentibus, & procedentibus inuenitur, quæ essentia, & entitate sua non connectuntur exercitè in agendo, vel procedendo, quibúsque proinde extrinsecum est agere, & fieri. Cùm autem in diuinis persona producens, & procedens entitate, essentiáque sua sint mutuo connexa in producendo, & procedendo alteri eorum actio solùm realiter formaliter, alteri verò passio, quæ nec realiter, nec formaliter actio sit identificanda est. Accedit : hunc esse germanum sensum Patrum plurium, & præcipuè Athanasij, cum aliàs sæpe, tum Epist. longiori ad Serapion, non semel dicentis *Patrem* in diuinis *essentia sua Patrem, & Filium essentia sua Filium esse.* id est, essentia sua intima personæ suæ generare Patrem, Filium nonalio, quàm se ipso generari: vnde rationes illæ philosophicæ, quas dedimus pro aduersa opinione euanuerunt. Constat enim in iis, quæ entitate sua cum effectibus, vel causis suis connexa in agendo, vel patiendo exercitè sunt, actionis, & passionis reali,ne dum formali,identitati locum non esse, neque denominationi extrinsecæ, vt agere dicantur, vel fieri.

6 Pronum ex dictis est de alia quæstione ferre sententiam. Quo scilicet pacto processione actiuæ inter se se, atque inter se se passiuæ distinguantur? De quo solùm egisse videtur Zunniga dub.14.d.2.m.2. pro aduersariis recitatus. Constat enim de formali vtrarúmque distinctione ferè adæquatè differre, cum spiratio tam actiua,quam passiua, si hæc cum actiua realiter identificetur, formaliter claudat amorem;& personalitatem Patris,& Filij,connotétque Spiritus sancti personalitatem, generatio verò solam Patris personalitatem claudat, connotétque personalitatem Filij, atque cognitionem formaliter ab amore diuersam includat, siue actiuè, siue passiuè generatio sumatur. Realiter verò loquendo minus adhuc differunt,cum cognitio, & amor quibus constant idem re ipsa sint. Soláque additione personalitatis Filij, quam includit spiratio, & connotatione personalitatis Spiritus sancti, re ipsa à generatione tanquam includens ab incluso à generatione distinguetur, vt patet. Sin autem actiua, & passiua processio cum Persona procedente identificentur, vel actiua cum producenti principio, passiua verò cum Persona producta, quod vtrumque probabile etiam esse docebamus, licet verosimilius secundum, facilè quiuis de hoc dubiolo ex dictis statuet. Aliorum doctrinis recitandis, impugnandísque supersedeo, quia peccant in principiis de constitutione actuum notionalium,quæ q.4.cert.1.& 2. satis eradicauimus.

DISPVTATIO IV.

DE POTENTIIS, ET principiis processionum.

QVATVOR hic de potentiis,seu principiis notionalibus disputanda veniunt. Primum : an sit in diuinis ratio potentiæ, & principij ad Personas producendas, earúmque processionem? Secundum, quid eiusmodi potentia, seu principium physicum sit? Tertium, quotuplex ea sit potentia? Quartum, an sit omnibus Personis communis?

QVÆSTIO I.

Sit-ne ratio principij, & potentiæ physicæ notionalis in diuinis?

NON inquiribus de potentia logica,quam admissis processionibus nemo, vel parum sanus,negare tentabit. Cum ex processionis existentia hactenus probata eius possibilitas, in qua potentia logica adæquatè consistit, negari non possit. Tota ergo difficultas de potentia physica notionali procedit:cuius conceptus ex parte obiecti diuersus ab actione, & via, vel saltem à termino producto esse debet, si admittatur. Atque, vt certa ab incertis seperemus, potentiam physicam notionalem respectu Personæ productæ admittunt omnes. Cum enim de ratione potentis terminum producere solum sit terminum in eius virtute contineri; ac proinde, & ab ipso fluere cum producitur : Filiúsque in virtute Patris contineatur, ab ipsóque procedat, & fluat, sicut, Spiritus sanctus in vtriusque virtute continetur, atque ab vtroque procedit in Patre respectu Filij, & in vtroque respectu Spiritus sancti potentiam physicam agnoscere tenentur omnes. Imò in communiori opinione idemtificante processiones passiuas cum terminis productis respectu earum etiam potentia physica notionalis in producentibus Personis vulgò à Theologis agnoscitur. Scio Capreolum, Iiuore, an errore? Aureolo inter alia impositisse, quod potentiam notionalem

notionalem respectu etiam personarum procedentium in producentibus negauerit. Cuius authoritate Doctores plures Aureolum ea in re temerarium,erroríque proximum appellant. Sed iam tanti Cardinalis sententias Dei prouidentia cussas habemus, quæ bonam ipsius Theologiam probant, malámque Capreoli referentis fidem improbant. Tota ergo difficultas est an in Personis producentibus respectu actiuarum processionum ipsis identificatarum potentia physica notionalis assignari queat.

CERTAMEN I.

Potentia physicæ, & realis respectu actiuarum etiam processionum, asseritur.

1 AVreolus in 1.d.7.p.1.sic habet:*Impossibile est namque, quod sit aliquod elicitiuum formale generationis, vel spirationis diuinæ.* Quibus negat rationem potentiæ physicè comparatione ad processiones actiuas, quas idemtificari cum Personis producentibus existimat : quia potentiam, quæ elicitiua illius non sit, cuius potentia est, prorsus iudicat impossibilem. Consentiunt Gregor. quæstione 1. art. 1. Capreol. art. 2. ad 2. Caietan. Molin. & Canar. 1.p.quæstione 41. art. 4. Erice tractatu de scientia, d.2.capite 3.§.4. Beccanus 1. p. capite 7. quæstione 5. Zunniga disp.16. dub. 4. numero 6. Albiz d.11. de Trinitate sectione 5.numero 10. & Recentiores Complutenses. Contra verò dari in Deo potentiam physicam realem respectu processionum actiuarum, etiam quæ cum producentibus Personis identificentur, docent reliqui Theologi antiquiores: ita vt sit ex parte rei obiectæ, nec solum ex parte modi concipiendi verus, & realis conceptus formaliter diuersus à conceptu actiuæ processionis. Ita S. Thom. 1.p.quæstione 41.art.4.corp.& ad 3.& quæstione 2.de potent.art.1.& in 1.d.7.quæst.1.art.1.licet citato loco 1.p. & quæst.25.art.1. neget rationem potentiæ actiuæ respectu actuum essentialium, vt tales præcisè, & vt processiones non sunt.Imò Gregor. & Molin. si attentè legantur, solùm negant rationem potentiæ elicitiuæ processionum actiuarum:in quo huic opinioni minimè aduersantur.Eam sequitur expresè Valentia 1.p. quæstione 15. de Trinit.punct. Vazq.d.163. capite 2.Suar. 4. de Trinit. cap. 8.& lib.6.capite 5.numero 1.Arrubal d.143.cap.1.Alarcon 1.p.tract.5.de Trinit.d.6.c.1.num.3.Didacus Ruis d.99.sect. 2.num .24.

2 Probatur primò ex Patribus asserentibus in Deo esse potentiã, & vim generandi, siue ad generationé. Sic Athanas.dialog.1.de S. Trinit. contra:Anom. col.6. *Veterũ audiens generandi vim intelligito.*Repetit circa med.& longè à med.*Verus gignendi vim nempe declarat.*Basil. orat. contr. calũniãtes quod tres Deos colamus,in fine:*Deus habens potẽtiã genuit.*Cyrill.Hierosol.cateches.7.sub init.*impiũ*,vocat; *Deo negare facultatẽ gignendi.*Cyrill.Alex.1.thesaur. c.7.circa fin. *Generãdi vim naturaliter habet, creãdi etiã &c. Hæc enim omnia in natura sunt.*& 1.dialog.de Trinit.col. penult. blasphemos vocat Arrianos *quod Patrẽ spoliant gignendi facultate.*Damascen.de duab.Christi voluntatibus longè à princip.*Omnia,quæ habet Pater, sunt Filij sola gignendi vi exceptã.* Ambros.1.de fide ad Gratian.c.2.vers.med. *Patrẽ & Filium (ait)non esse nuda nomina,sed operatricis (* id est genitricis*) virtutis indicia.*Hilar.11.de Trinit.col.3.*Natinitas (* id est generatio*)in naturæ* eius *sit virtute, quæ genuit.* Quibus omnibus locis,cũ vis,facultas,& potẽtia gignendi, generandi, genitiuáque,seu ad generandũ dicatur esse in Deo, & Patre,nulla de Personæ productæ facta mentione, manifestũ est Patres istos relatè ad solã generationẽ actiuam, quæ proprius illis vocibus significatur conceptum potentiæ, & facultatis in Deo Patre agnouisse.

3 Dices Patres hosce loqui de generatione passiua, quæ est in Filio.Contrà primò:quia vt satis probant veteres quæst.4.cert.2.n.3.generatio in Filio non est,sed tota in Patre. Contra secundò : quia vox *generandi*, vt passiuè sumatur,debet concordare grammaticaliter adiecti-

uè cum Persona genita:ac proinde dicere deberent Patres *vis generandi Filij* in passiua voce verbi,*genero*,non autem *vis generandi* solum,si generationis passiuæ, non autẽ actiuæ vim,& potentiã significare vellent:ergo, cum dicant,*vim generandi*,solùm,generationẽ actiuam intelligũt. Contra tertiò:quia Cyrill.Alexand. *vim generatiuam* dixit, qua voce passiua generatio significari nequit:alioqui verè possemus dicere in Filio esse aliquid generatiuum, scilicet generationẽ passiuã, quæ generatiui nominæ significari commodè posset:hoc autem modo loqui erroneum foret. Adde etiam ab authoritate Ioannem Theologum sess.28.Concilij Florentini,vbi habet:*Processio namque videtur esse via ab vno in alium,quæ quidem à Patre accipitur:* ergo est conceptus viæ,& eius, à quo est via;ideest, principij fœcundi in Patre. Respondent Recentiores loqui de processione passiua, quæ in Filio est, siquidem addit: *quæ à Patre accipitur.* Contra:quia loquitur de via ab vno in alium,quæ est actionis definitio : passio enim est actus huius ab hoc,non autẽ actus ab hoc, in alium. Vnde alterum è duobus contra Recentiores infertur,scilicet, vel actiuam,& passiuam generationẽ identificari cum Persona producta,neutrúmque cum producente, vel dari conceptum generationis actiuæ in producente diuersum à conceptu principij,à quo procedit.Sed certè hoc extremũ vult Ioannes Theologus:nam hìc *accipitur* non significat personalem acceptionem, qua Filius à Patre generatione accipit,quæ habet, sed acceptionem rationis : vt idem valeat atque desumitur.

Vt autem aliis leuioribus omissis efficaci ratione conclusionẽ probemus,& quæ aduersãtium(vt de more nobis est)neruos præcedat : aduerte ex profunda nostri Vazq. doctrina d.120.c.1.& d.163.n.4.& 5. conceptũ actionis idẽ esse atque conceptũ viæ inter agens,& effectũ, de cuius ratione non sit ab vtroque extremo,inter quæ est,realiter distingui. Constat omniũ opinione. Nam creatio rerũ essentia sua,neque solũ per accidens creabilium, v.g. Angeli,cum ipsis idemtificatur:& tamen vera via, & realis causalitas actiua, & passiua earum,omnium sententia est. Atque in re nostra processio Personæ procedentis in vulgari opinione,etiam Recentiorum, identificatur cum ipsa:& tamen est verus realis conceptus formaliter diuersus à Persona producta:alioqui,vel non esset verè, & realiter processio in fieri in diuinis,vel non esset processio in facto esse:conceptus ergo realis viæ, quæ sit actio, & passio propriè, non dicit realem distinctionẽ eius ab vtroque extremo, inter quæ versatur : scilicet virtutis, à qua,& termini,in quem tendit. Addo inde non magis dicere distinctionẽ realem à virtute actiua, à qua est progressio, quam à termino, in quem tendit. Probo facilè, primò : quia an actio in creatis necessariò operantibus si, cũ earum virtute identificetur quæstio inter Philosophos est admissa earũ virtute, & potentia physica?Atque si Deũ cum Arist.necessariò,& ab æterno,& in æternum operantem,quæcumque operatus est, comminiscamur: cum eius virtute actiones eorum effectrices identificare nemo renueret. Probatur à priori. Quia, si aliquid obesset,maximè conceptus viæ realis:sed hoc non obstante respectu termini potest actio & passio cum illo identificari : ergo, neque eo obstante respectu virtutis actiuæ actio, & passio poterit identificari cum ipsa. Solùm ergo requiritur ad verum, & realem conceptum actionis, & passionis realis distinctio virtutis producentis, & termini producti,non autem distinctio actionis, aut passionis ab altervtrõ.

5 Ex his, præceps etiam, nedum inuita, conclusionis ratio procedit.Conceptus realis potentiæ ad processiones, etiam actiuas est perfectio sine imperfectione : ergo in Deo debet admitti. Consequentia est euidens.Antecedens probo. Si aliquam diceret imperfectionem, maximè distinctionem realem inter realiter idemtificata, scilicet processionem actiuam, & potentiam producentem : at hæc non infertur ex conceptu veræ potentiæ physicæ respectu processionis actiuæ, etiam cum illa identificatæ : ergo nullam dicit imperfectionem. Minor probatur. Conceptus realis viæ

ab agente in terminum non dicit realem distinctionem viæ à virtute actiua reali: ergo ex realitate viæ, & realitate potentiæ non infertur realis illarum distinctio. Confirmatur: quia, vel de ratione originis actiuæ realis est realis distinctio, & fluxus à suo principio physico, vel nō? Si non est: ergo comparatione originis secum identificatæ potest esse ratio potentiæ realis, principiúque physici. Si autem distinctio, & fluxus realis processionis à principio physico requiritur ad veram, & realem processionē: ergo non est generatio actiua in Patre contra horum suppositionē, & doctrinam. Solùm ergo infertur processionem actiuam identificatam cū principio producente nō esse terminum ab ipso productū. In quo ab actionibus creatis differt maximè processio diuina: illæ enim, quia creatæ sunt, & ipsæ à suis principiis, non minus, quam termini per ipsas producti, distingui, flueréque debent, vt id circo ex parte termini se illas tenere doceat verior Philosophia. Quæ res Aureolo, & Recentioribus à vero aberrandi occasionem præbuit non exiguam: concipiendique potentiam physicam actiuā comparatione actionis, quam physicè, neque eliceret, neque causaret, impossibilitatem fecit; cum tamen ita concipere deberent, vt rectè de actiua processione, quam cum principio producente realiter identificabant, cogitarent.

6 Vrgeo pro eadem conclusione Aduersarios. Quia; vel datur verus, & realis conceptus generationis actiuæ identificatus cum Patris Persona, & distinctus à conceptu vero, & reali generationis, qui est identificatus cum Persona Filij, Patríque realiter formaliter extrinsecus, vel non? Si non datur: ergo datur vera potentia physica, & realis respectu generationis actiuæ, quæ solum est in Filio identificata cum passiua, atque ex parte rei obiectæ adhuc formaliter in præscindibilis ab illa, vt aiunt Recentiores. Hoc neque Aduersarij negant, neque aliquis negare potest, vt in quæstionis explicatione notabam. Si autem datur distinctus, & realis conceptus generationis actiuæ identificatus cum Persona Patris: ergo datur conceptus realis potentiæ in Persona Patris. Probo consequentiam. Implicat dari conceptum viæ in aliquo genere sine principio, & termino: ergo implicat dari conceptum generationis, & viæ realis sine principio, & termino reali: sed per te datur realis conceptus generationis, & viæ realis in Patre: ergo debet dari principium, seu potentia realis, cuius, seu, à qua fit via: hæc autem formalitas realis nequit esse ante Patrem, vel post illum, vt patet: ergo in Patre ipso est. Vrgetur rursus. Nequit dari conceptus realis processionis, & viæ sine termino reali, quia est via ad illum: ergo nec sine principio reali, quia est via ab illo. Vrgentius: nequit dari conceptus passionis, seu processionis passiuæ realis sine conceptu termini realis, licet ipsi realiter identificati: ergo nec realis processionis actiuæ sine conceptu principij realis, licet ipsi realiter identificati. Rursus: processionis passiuæ datur potentia physica per te in Patre: ergo datur aliud prædicatum in Patre præter prædicatum processionis actiuæ. Patet: quia passio ab actione nequit tanquam à principio procedere: imò neque ipsa actione formaliter realiter esse posterior: cum ad idem signum reale formale actio, & passio pertineant: maximè in tua doctrina, qui eas formaliter non distinguis. Quo circa, nisi ratio potentiæ detur in principio producente, prioritas originis Personæ producentis respectu productæ defendi minimè potest; nam actio, & passio ad idem pertinent signum. Vt videant, quam periculosè rationem potentiæ physicæ in principio producente absolutè negent Recentiores, ex cuius denegatione tam grauis theologica, & ferè dogmatica conclusio nutat. Iam verò, si respectu generationis passiuæ datur ratio potentiæ physicæ in Patre diuersus à prædicato generationis actiuæ, nihil prohibet ipsummet prædicatum potentiæ esse respectu generationis actiuæ, quæ generatio solùm sit, non effectus potentiæ. Adde quod actio, & passio ad potentiam physicam eodem pacto comparantur: cum sint de suo conceptu simul origine, & natura: vnde Patri prioritas respectu Filij non competit adæquatè à generatione, tanquam à ratione, & fundamento adæquato, quod natura, & origine præcedat Filium: licet enim in Filio vtroque foret generatio, Pater prior esset ipso. Requiritur ergo præter generationem in Patre ad originis prioritatem respectu Filij ratio potentiæ, & physici principij, quod in Patre sit. Hic locum non habent vocum illarum *constitutiuè*, & *elicitiuè*, illusiones à Recentioribus ad indisciplinatos decipiendos architectatæ.

7 Denique vrgeo Recentiores ad hominem. Ipsi enim asserunt essentiam esse principium *quod* virtuale processionum actiuarum, quas cum Personis producentibus identificant: multíque suadent testimoniis, quæ nos contra aliam eorundem conclusionem dabimus quæstione 2. cert. 1. ergo datur potentia, & principium *quo*, virtuale, saltem, respectu generationis actiuæ. Probo consequentiam. Implicat dari principium, *quod*, sine principio, *quo*; sicut implicat dari constitutum sine constituente. Dices essentiam ipsam esse principium *quo*, & *quod*, virtuale generationis actiuæ. Est benè: ergo in Patre in quo est essentia, est conceptus potentiæ diuersus à conceptu generationis actiuæ, quod negabas. Probo consequentiam. Ad rationem principij, & potentiæ virtualis requiritur distinctio saltem formalis à termino, cuius est potentia: per te in Patris essentia est conceptus potentiæ respectu generationis actiuæ: ergo distinctio saltem formalis illius à generatione actiua, cuius est potentia, vt generatio actiua est: nam idem formaliter respectu sui ipsius nequit potentia virtualis esse. Contra secundò. Essentia per te est principium generationis identificatæ formaliter cum personalitate, quia habet exigentiam ipsius: sed habere exigentiam est proprium principij *quo*, seu potentiæ influxiuæ, vt patet in omnibus potentiis creatis: ergo essentia est principium, *quo*, & potentia; non autem principium, *quod*, cuius formaliter sumpti solùm est esse subiectum, cui principaliter tribuitur denominatio agendi, non autem esse rationem influxus, & actionis. Hinc impugno tertiò. Principium, *quod*, est, quod principalius dicitur agere: sed essentia per te est principium, *quod*, generationis actiuæ: ergo essentia principalius dicitur generare, quam Pater, quod est temerarium. Confutatur quartò. Idcirco ais essentiam esse principium *quod*, processionum, quia hæ vitales sunt, ac proinde à vita, quæ est essentias prodire debent: atqui vita non est principiū *quod*, operationū vitalium, sed principium *quo*, viuens autem est principium *quod*: ergo essentia est principium *quo*, & potentia respectu processionis vitalis, non autem principium, *quod*.

CERTAMEN II.

Satisfit Aduersariorum argumentis.

1 OPponebat Aureolus. Respectu cuius est impossibilis realis, & physica elicientia, est impossibilis physica potentia: sed generationis actiuæ, quæ idem est cum paternitate, est impossibilis elicientia æquè, atque respectu paternitatis: ergo respectu generationis actiuæ æquè est impossibilis potentia physica, atque respectu Paternitatis. Confirmatur: quia Deus se ipso est Deus, non est potentia physica ad deitatem: ergo quia Pater se ipso est generans actiuè, & Pater non erit in eo potentia physica ad generationem actiuam, & paternitatem. Tutilis obiectio, quamuis pluribus synoninis rationibus à Recentioribus fulciatur. Distinguo maiorē. Respectu cuius, tanquā termini producēdi, est impossibilis elicitia, est etiā impossibilis physica potētia, cōcedo maiorē; tanquā viæ & processionis seiūctæ à ratione termini producēdi, nego maiorē iuxta dicta: & cōcessa minori nego cōsequētiā. Cōfirmatio æquè est infirma. Distinguo antecedēs: quia se ipso est Deus, & Deitas non est via ad vlteriorem terminum, ac proinde, si ab alio esset, deberet esse terminus, concedo antecedens, & nego consequentiam. Cum enim generatio,

generatio, seu paternitas, licet cum Patre identificetur, sit via ad vlteriorem terminum re ipsa diuersum, comparatione illius dari poterit conceptus realis physicæ potentiæ, non tanquam ad terminum, sed tanquam ad actionē.

2 Vrgent Recentiores: Id quod non potest ab actu præscindere nequit esse potentia ad illum: sed Pater nequit ab actiua generatione præscindere: ergo nequit esse potentia ad illam. Minorem probant. Id quod determinatum est ex proprio conceptu respectu termini, vt existentis, ita, vt eo posito repugnet non dari terminum existentiam, intrinsecè, & de suo conceptu est formaliter operans ipsum terminum: sed Pater ita est determinatus respectu Filij, & vterque respectu Spiritus sancti: ergo intrinsecè, & de suo conceptu est operans formaliter ipsum terminum, ac proinde nequit ab actu præscindere. Probant secundò. Id, quo potentia diuina ad terminum increatum distinguitur à potentia, ad terminum creatum est de formalissimo conceptu ipsius: sed potentia ad terminum increatum distinguitur à potentia ad terminum creatum, quod prima necessariò operatur; secunda verò ita operatur, vt possit non operari: ergo de essentia primæ est inseparabilitas ab actione, & existentia termini increati. Desperabant solutionem Recentiores: sed bono deinceps animo sunto & captu facilem accipiant. Distinguo maiorem: Id quod non potest ab actu præscindere realiter formaliter concedo maiorem; realiter solùm nego maiorem. Et distinguo minorem: nequit præscindere realiter solùm, concedo minorem, realiter formaliter nego minorem: atque inde nego consequentiam. Minoris probatio prima solùm probat generationem actiuam esse de conceptu Patris, vt Pater, siue, vt generans est: quod libenter, & sine argumento damus; non autem de conceptu Patris, vt physicè potens præcisè est. Quare solùm probat de reali determinatione entitatis Patris, non autem de determinatione formali etiam, & actuali cuiusuis prædicati paterni. Neque quidquam amplius probat secunda minoris probatio.

3 Vt autem videant, quam ægrè id, quod probare ad intentum debebant, probare possint Recentiores, aduertant, quod ipsi etiam contra Hurtado, licet leuiùs, attingebant, dum prioritatem naturæ in libertate operandi constituendam curabant. Quod, & nos ex altiori Metaphysica impugnauimus d. 2. q. 2. cert. 3. vbi ostendimus prædicatum potentiæ physicæ actiuæ diuersum formaliter esse à prædicato necessitatis, & determinationis operandi. Ex quo sic arguo: Prædicatum potentiæ actiuæ diuersum formaliter est à prædicato necessitatis, vel determinationis operandi, atque per alterutrum contrahibile: ergo in causa determinata, & realiter connexa essentia sua cum effectu datur prædicatum potentiæ diuersum à prædicato determinationis, & connexionis necessariæ cum existentia effectus: atque insuper determinatio hæc, prout in actu primo est prædicatum differentiale, & contractiuum potentiæ se tenens formaliter ex parte actus primi. Meminerint insuper se asseruisse, vt probabile, processiones actiuas à passiuis non distingui, & cum Personis productis identificari. In qua opinione non solùm formaliter, & intrinsecè Pater, vt principium fœcundum, & generatiuum, generans non erit, sed neque realiter intrinsecè generans erit, sed ab extrinseca solum sibi generatione existenti in Filio Pater generabit: & tamen de suo conceptu intrinsecō determinatus erit ad existentiam, & generationem Filij, ac de se se connexus. cum illo: ergo determinatio ad existentiam effectus, & necessitas operationis in principio productiuo non arguit realem identitatem, ne dum formalem, principij ipsius, & operationis. Hinc constat, si rigidè respondendum absolutè Recentioribus sit, nec solùm in nostra doctrina identificante generationem cum Patre, negandum esse absolutè impugnationis maiorem. Si enim potentia determinata sit in ratione potentiæ nequit ab actione præscindere realiter illatiuè: quia necessariò infert operationem; bene tamen præscindere potest realiter formaliter: cum extrinseca operatione, realiter ab ipsa potentia diuersa possit operari.

4 Porro hæc omnia instantur in processione passiua, à qua persona producta nequit abstrahere in horum doctrina cū essentialiter, & intrinsecè sit ab alio; & tamē in illa distinguere debemus formaliter processionē passiuā, seu Personam in fieri à Persona in facto esse: cū nequeat, mente adhuc concipi fieri passiuum ad se ipsum formaliter terminatum: quare aliud prædicatū reale formale Personæ productæ à prædicato reali formali processionis passiuæ formaliter diuersum admitti debet: licet cū Persona producta vtrumque realiter identificetur: ergo eodem modo, licet potentia nequeat præscindere reali præcisione obiectiua ab actiua processione, cū qua identificatur, quia entitate eadem principiū generans est, poterit duplex prædicatū reale potentiæ, & operationis inuicem identificatū realiter inueniri. Patet: siquidem non minus repugnat concipi actionē sine potentia, & principio, quam passionē sine termino. Accedit quod in horū opinione de conceptu intrinseco potentiæ, & virtutis actiuæ non est realis ordo ad effectum, & actionem: ergo ratio potentiæ non infert distinctionē saltem ab actione; licet actio, quæ essentialiter via inter vtrumquē est realis est, vtriúsque distinctionē, scilicet principij, & termini necessariò importet. Persona ergo producens, vt producens actu, comparatur, & refertur formaliter realiter ad productū: & producta, vt producta ad producentē: quæ diuersa formalitas est à consideratione, seu formalitate obiectiua vtriúsque Personæ in se consideratæ: vt patet ex diuersitate connotatorum, per quæ ex parte rei obiectæ formalitates mens nostra partitur.

5 Hinc facilis sedat solutio ad aliud quod obiecit S. Thomas 1. p. q. 41. art. 4. argum. 2. Potentia est solùm respectu possibilis, vt præscindit ab existentia: sed Pater non respicit Filiū, vt præscindit ab existentia: ergo Pater non habet in se conceptū, & rationem potentiæ. Respondet S. Thom. in Deo esse possibile, vt contineatur sub necessario: ac proinde respectu illius dari posse potentiam physicā. Impugnauit solutionem istam Durand. in 1. d. 1. q. 1. ad 2. cū tamen in eandem relabatur, vt doctè obseruauit Vazq. c. 3. n. 7. sed instari adhuc potest. Vel potentia physica Dei terminatur ad rationem possibilis superioris contingenti, & necessario; & sic nec terminatur, nec respicit Personam diuinā formaliter, quā formaliter respicere potentia notionalis deberet: vel terminatur ad possibile formaliter necessariū, quod solùmodo in diuinis est: & sic non potest præscindere ab existentia, quam includit. Responderi posset primò respectum principij, seu potentiæ physicæ ad effectum, seu terminum fictitium esse: nam causæ etiam strictè tales ab effectis absolutæ sunt, vt non mala Philosophia, & Theologia ferunt. Respondetur secundò cum S. Thom. in diuinis esse verum conceptum possibilitatis metaphysicæ formaliter præscindentem à conceptu existentiæ actualis, non autem illam negantem, sed realiter illam intrinsecè afferentem: quia possibilitas necessariæ existentiæ est: neque enim solùm est verum, quod Deus existit, sed etiam quod Deus in sui existentia nullā inuoluat contradictionem: ac proinde, quod, si existat, non implicabit: ad hoc autem refertur notionalis potentia. Id quod, neque Aureolus ipse, neque Recentiores, cum quibus agimus, quíque potentiam logicam, quæ in solo conceptu possibilitatis consistit, ad processiones diuinas admittunt, negare vsquam poterunt.

6 Respondetur tertiò, eodem argumento premi Aduersarios, qui respectu processionis passiuæ identificatæ cum Persona Filij potentiam physicam agnoscunt: nam, & ipsi respondere tenentur an ad illam, vt possibilem, referatur, an vt existentem? & sane nihil incommodi in eo inuenio, quod referatur ad terminum, vt existentem non per modum viæ, sed per modum principij continentis, quæ diuersa formalitas est, etiam in Aduersariorum doctrina: nam processionem passiuam Filij respectu Personæ in facto esse formaliter distinguunt, & relatè ad eandem Personam potentiam physicam notionalem in Patre constituunt. Si ergo potentia physica notionalis respicit terminum, scilicet Personam productam, vt existentem, quam eodem

modo respicit generatio passiua, respectu eiusdem termini secundum statum eundem existentiæ, dari potest conceptus, & formalitas realis potentiæ physicæ, atque insuper factionis. Et *ratio* est. Quia generatio, cum sit formaliter via non solùm refertur formaliter ad terminum, quem ponit, sed, & ad principium, & potentiam, à qua terminus per ipsam egreditur; potentia autem, & principium physicum non respicit, qua tale, principiũ à quo *sit*, neque se ipsum, sed terminum solum: vnde diuersum connotatum adæquatè sumptum habet *generatio* ab eo, quod physica potentia habet.

7 Obiici posset Ambros. 4. de fide ad Gratian. c. 4. sub init. dicens: *Generatio paternæ proprietatis est non potentiæ.* Ac inferius: *Generatio non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ.* Et longè à med. *Generatio in paterna proprietate non in iure est potestatis.* Dici ad vulgus posset: potentiæ, & potestatis nomine intelligi ab Ambros. omnipotentiam: à qua dubio procul generatio non venit. Sed verò, si attentè legatur, de potentia notionali planè loquitur. Solùm autem vult Ambros. Patrem non excellere Filio in potentia generandi, tanquam imperfectione, quæ Filio deficiat, quatenus perfectio est; sed tamen in personali proprietate differre: ratione cuius expedita est in Patre naturæ efficacia ad generandum, neque effæta, sicut in Filio, est. In quo, inquit ille, nulla inuenitur sublimitas potentiæ, aut potestatis in Patre, qua Filium præcedat. Magis ad *speciem* opponeretur Cyrill. 2. Dialogor. de Trinit. col. 3. *ante fin.* vbi fusè probat repugnare Patri, *quod sit potentia Pater*, &, *quod sit potentia ad generandum*: quia Deus est purus actus: quæ etiã altera ex rationibus aduersariorum est. Solum autem vult Cyrillus in Deo non esse potentiam, quæ re ipsa careat, carereve possit actu: Quod solum repugnat actui puro; non autem ratio potentiæ habens actum realiter identicè coniunctum, vt controu. de scientia Dei in simili respondebamus.

QVÆSTIO II.

Quid sit formaliter potentia physica notionalis.

POTENTIAM physicam notionalem idem re ipsa esse cum Personis producentibus dogma Theologicum est: quare de formali obiectiua constitutione eiusmodi potentiæ quæstio solummodo procedit.

CERTAMEN I.

Personalitatem solam potentiam notionalem non esse cum ferè omnibus euincitur.

1 SAnctus Bonauent. in 1. d. 7. q. 1. asserit potentiam physicam notionalem sola personalitate producentis constitui. Sequitur Carthus. q. 1. circa fin. atque ex hypothesi, quod prædicatum reale potentiæ detur. Idem sentit Durand. q. 2. n. 29. Aureolo ferè consentiens atque expressè Complutenses Recentiores. Dicendum tamen est potentiam physicam notionalem solis personalitatibus Personarum producentium minimè constitui. Probatur primò ex Patribus, quos recitant Vazq. & Ruiz citandi. Dionys. 2. de diuin. nominib. post med. sic habet: *Iesum autem, & Spiritum sanctum fœcundæ diuinitatis, si ita fas est loqui, gemmæ, seu germina.* Ignatius Martyr, epist. ad Magnesianos longè à med. ita de Verbo: *Non locutio articulatæ vocis, sed operatio Deitatis: substantia scilicet genita.* Nazianz. orat. 49. de fide col. 3. *Secundum diuinæ naturæ potentiam.* Athanasius dialogo 2. de S. Trinit. contra Anom. *Si Filius* (inquit) *eo, quod sit genetos, non gignit, ne Pater quidem, quia à genetos est gignit, sed quoniam Deus est.* &c. Basil. 5. contr. Eunom. *Pater naturæ diuinæ proprium Filium genuit.* Cyrill. Alex. 1. thesaur. capite 7. circa fin. *Generationem essentiam Dei.* & capite 8. circa finem: *Generandi, & creandi vim in vna natura esse* ait, & 1. dialog. de Trinit. column. penult. *Ipsam Dei Patris naturam in hoc simul dehonestant, & spoliant eum gignendi facultate*: nempe Arriani, dum Filij diuinitatem negant, & libro 2. colum. 4. ante finem: *Si Deus, ac Pater non habet naturam generatiuam, volitione autem mouetur ad hoc, vt possit gignere, dicendum*, ait, *suam fecisse naturam generatiuam.* Hilar. de Synod. vers. finem *Substantiam natiuitatis Filius non habet, nisi de paternæ authoritate* (id est potentia) *naturæ.* & 1. de Trinit. colum. 3. *Natiuitas in naturæ eius sit virtute, quæ genuit.* Concilio Toletan. 11. confession. fidei sub init. *Substantiæ suæ Filium genuit.* Damasc. 1. fidei capite 8. longè à med. *Generatio, sine principio, & æterna, naturæ opus est.* Cuius verba mutuatus est Ricardus Victorin. 6. de Trinit. capite 2. fine dicens: *generationem esse secundum naturæ operationem.*

2 Nec refert, quod respondent Recentiores, essentiam, & naturam dici fœcundam gènerativam, & potentiam generandi, quia est principium virtuale generationis actiuæ. Nam non loquuntur Patres de modo quo generatio ab essentia fit, sed, secundum quod, vel quo in ablatiuo Pater generat Filium. Adde Athanasium satis scholasticè distinxisse inter essentiam, & personalitatem, vt interpretationi locum non relinquat: sicut & Hilarius. Ad alia testimonia quibus Filius, & Spiritus sanctus essentiæ, & naturæ Filius, & germina dicuntur, respondent abstracta pro concretis sumi. Facilis solutio, &, quæ omnes Patrum authoritates in quauis materia facilè eneruet: nam quiuis pro suo arbitratu dicere potest Sanctos Patres laxa & impropria significatione loqui dum suæ doctrinæ aduersè loquuntur: Sicque in theologicis quæstionibus definiendis Patrum scripta euoluere negotij inutilis, atque superfluæ operæ fuerit. Verum est quandoque non adeò rigidè loqui Patres: sed id, vel ex eorum contextu, vel quia dogmatibus certisve ex his theologicis conclusionibus deductis in rigore sermonis minus fauent, discernendum est. Hìc autem neque synceris dogmatibus, indéve theologicis conclusionibus certò deductis aduersantur, neque oppositum contextus suadet: vti eos legenti perspicuum fiet: maximè, cum eorum plures inter personalitatem generantis, & ipsius naturam diuidentes, naturæ, non paternitatis, seu personalitatis Filium esse Verbum asserant: atque naturæ, substantiæ, & essentiæ Filium esse dicant.

3 Probatur secundò ex aliis Patrum testimoniis, quibus Personæ *ex*, vel *de*, natura, & substantia producentis procedere dicuntur: eis enim virtus productiua in substantia, essentia, & natura producentis apertè recognoscitur. Hilar. 2. de Trinit. circa finem & 5. fine. *Natiuitas Dei non potest eam, ex qua profecta est, non tenere naturam.* & col. penult. *Ex virtute naturæ in naturam eandem natiuitate subsistit.* Damasc. citatus de Filij generatione ait: *Ex substantia eius profecta.* Dixerátque fœcunditatem generatiuam in eo positam esse: *vt quis ex se ipso, id est, ex propria essentia prolem naturæ similem edat.* Quibus rationem statim à nobis formandam acutè notauit. Ad hæc, & similia fusè ex Patribus relata à Ruiz disput 95. & 98. vbi doctè probat particulas *ex*, & *de*, denotare principium producens. Respondent Recentiores Patres solùm contra hæreticos asserere Filium non produci ex nihilo, sed ex Patris substantia. Contra primò: quia hac solutione plura Patrum testimonia contra hæreticos negantes processionem Filij à Patre, & Spiritus S. ab vtroq; infirmarẽtur: nã si eiusdẽ essentiæ forent, licèt non procedente, eorũ testimonia sic intellecta saluarentur. Contra secundò: licèt ex Paternitate procederet Filius in horũ sẽtẽtia nõ procederet ex nihilo; & tamẽ Patres aiũt nõ procedere ex paternitate, sed ex natura. Ergo vana solutio. Videant Anselmum epist. de processi. Spirit. sancti cap. 6.

c. 6. aliàs 5. dicentem. *Spiritum sanctum esse de Patre, quia est de Deo; non contra de Deo quia de Patre*: alioqui ait, *diuina essentia erit in Spiritu sancto non de deitate Patris, sed de relatione*: *quod stultissimum est dicere.* Sententiam cum censura repetit c. 10. aliàs. 9. Sine censura verò c. 25. aliàs 30. dicens: *ipsum procedere de deitate Patris non de paternitate.* Explicatiúsque adhuc cap. 52. monolog. de processione Spiritus sancti agens in eandem sententiã scripsit: *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius; sed ex eo, in quo vnum sunt. Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt; sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, & Filius tantum pariter bonum.* Nil sanè his testimoniis clarius ad Recentiorum solutionem euertendam excogitari posse videbatur.

4 Sed magis tamem ad scholas accomodatè locutus est Ioannes Theologus in Concil. Florent. per Patrem silentium, tacitámque approbationem sæpe repetito plausu. sess. 18. longè post med. §. *Dixi equidem*, sic habet. *Ita, vt Persona sit producens, & generans: principium autem, quo ipsa Persona generet, sit id, quod solum communicabile est. Pater ergo generationis principium est, & suppositum quoddam significat: diuina verò substantia, quæ cum Patre realiter idem est, non quidem generat, sed est principium, quo generatio sit.* Id quod hominis exemplo statim declarat: applicátque ad Deum Patrem: sicuti & sess. 19. vers. med. §. *Vt exemplum*, vbi inter alia inquit: *Patris verò substantia principium est, per quod generat Pater, quódque per generationem Filio tradit.* longè à sess. med. §. *In genere*, subdit: *Hæc substantia, vt ita dixerim, absolutè, simplicitérque considerata, quæ generandi potestas est, principium est, quo, vel per quod: quod quidem à Patre Filio communicatur.* Admonet inferius: *Hanc doctrinam Doctores omnes tradiderant orationes has exponentes: Filius est ex substantia Patris, & Sanctus Spiritus ex Patris, Filiique substantia.* Quibus auditis ridere licet Recentiores ea explicantes de principio *quo* virtuali. Primò: quia ipsi in essentia principium *quo*, processionum negant, licet principium *quod* admittant. Secundò: quia Pater, qui natura tanquam principio *quo* dicitur producere Filium, realiter formaliter producit illum, non virtualiter. Tertiò: quia si hæc verba de virtuali productione explicari possunt, me etiam ipsum ita interpretari licebit.: qui non aliò modo loquor, dum ipsos Recentiores impugno.

5 Haud segnius eandem sententiam improbabamus ratione, quam attigit Hilar. n. 4 cum Scoto, & S. Thom. citandis. Etenim omne naturale agens, præsertim vniuocum, assimilat sibi effectum in virtute, & forma per quam operatur. Sed Personæ producentes assimilant sibi productas, non in personalitate, sed in natura: atque, vt patet, vniuota principia sunt: ergo personalitas producentis non est principium *quo*, seu potentia, & forma adæquata, per quam producentes Personæ operentur productas, sed potius natura. Respondent Recentiores distinguendo maiorem. Naturale agens producens *elicitiuè*, verum; producens constitutiuè, fallum: nam ipsa actione constituitur, quæ nequit esse natura, in qua effectus assimiletur: Personæ autem producentes sunt agentia, quæ producunt *constitutiuè*, non *elicitiuè*. Contra primò: quia respectu processionis passiuæ, & extrinsecæ Personæ producens non est potens producere constitutiuè, in eorum etiam sententia, sed potens etiam elicitiuè potentia physica formaliter, imò & realiter diuersa à processione passiua (esto respectu actiuæ processionis identificatæ cum producente, sit Persona producens potens constitutiuæ, non elicitiuè,): ergo vera est maior illa in potentia etiam notionali diuina. Contra secundò: quia, etiam respectu processionis actiuæ identificatæ cum producente principium producens non constituitur potens per ipsam processionem, sed per conceptum verum, & realem potentiæ physicæ notionalis, vt multis efficaciter ostendebamus q. 1. ergo assimilabunt sibi Personæ producentes Personas productas in forma, secundum quam operantur. Contra tertiò: quia ex hypothesi, quod detur potentia physica notionalis in producente, ac proinde hoc sit potens elicitiuè, nec solum constitutiuè, conclusionem, quam impugnamus, defendunt Recentiores, vt referebamus. n. 1. ergo hac solutione vti iidem minimè possunt.

6 Respondent secundò distinguendo eandem minorem. Si forma sit diuersa ab ea, quæ est in producente, in termino producto, concedunt maiorem; si eadem sit in vtroque negant maiorem: ne idem sui ipsius potentia sit. Sed contra: quia identitas naturæ Personæ producentis cum producta non obest, vt sit potentia, seu principium *quo* illius: dummodo talis sit natura, quæ alterius sibi identificati adiunctione possit constituere diuersum producens à producto; vt in diuina natura contingere fidei edocuit. Id quod exemplo naturæ realiter vniuersalis, & communis in sententia Platonis explicari satis commodè potest. In ea enim calor, qua communis, potentia est physica caloris producendi; cum id non habeat calor singularis ex suo prædicato indiuiduali: licèt autem in ea ratione, quæ communis est, calor producens à producto realiter non differat: quia tamen ratione indiuidualis differentiæ identicè adiunctæ ad rationem communem vtrique calor producens à calore producto realiter differt, agere producens potest per communem, & eandem in vtroque caloris rationem. Quod ergo differentia illa indiuidualis naturæ communi, in ea sententia, si vera esset, præstaret, præstat Personalitas naturæ diuinæ physicæ Personæ producenti, & productæ communi: adiuncta ergo, sicut calor actiuus effecti, & assimilatiuus caloris effecti secundum, & per naturam vtrique communem in hac sententia, si vera esset, ita Pater actiuus, & assimilatiuus erit Filij procedẽtis secundum, & per naturam, quæ verè, & realiter communis, eademque est in vtroque. Respondent tertiò assimilationem effectus vniuoci debere esse cum principio *quo* radicali, & remoto, non proximo: vt patet in calore per quem proximè ignis ignem operatur: & in temperamento, per quod proximè generans generat genitum sibi in natura substantiali similem. Sed contra: quia natura non est principium *quo* proximum Personæ procedentis realiter formaliter, sed intellectus: natura autem est principium radicale in nostra, & satis probata ferè omnibus Theologis sententia: cuius oppositum hìc non contendimus, sed idem ipsum: naturam scilicet esse potentiam physicam formaliter remotam, intellectum autem esse formaliter proximam potentiam: ergo si id, in quo assimilatur productum producenti, est potentia remota, natura, in qua Personæ procedentes producentibus assimilantur, erit potentia remota notionalis. Contra secundò: quia, in Recentium sententia, licet Personalitates principium *quo*, & potentia notionalis respectu personarum productarum sint, tamen natura est principium radicale, seu potentia notionalis remotæ videant ergo quid in suis principiis respondeant.

7 Confutatur insuper Recentiorum sententia argumento nostri Vazq. Processiones formaliter in diuinis sunt dictio interna, & amor: ergo proximè formaliter ab intellectu, & voluntate sunt, radicaliter à natura, non autem à personalitate. Consequentia est certa ex dictis d. 3. q. 4. cert. 1. n. 4. vbi ostendimus, nisi dictio intellectionem claudat, neque ab intellectione posse Verbum procedere, neque per intellectum, & voluntatem Personas prodire. Recurrunt Recentiores ad suum principij virtualis asylum: nempe per intellectionem, & intellectum procedere Filium, quia, licet intellectio, & intellectus non sint principio *quo* constituentia Personas producentes potentes respectu termini, seu Personæ productæ; ast sunt principia virtuali processionum actiuarum. Sed contra primò: quia de Personarum procedentium reali formali processione à producentibus agunt Patres, & Scholastici, dum aiunt dictionem, & amorem, Verbúmque, & Spiritum sanctum procedere à Patre per intellectum, & voluntatem, non autem de virtuali productione intellectus, vel intellectionis ab essentia. Contra secundò: Principij realis virtualis, & non formalis, ratio admittitur in diuinis vbi impossibilis est distinctio realis formalis principij, & effectus: sed essentia;

essentia, & intellectus identificatus cum Patris personalitate & persona Patris est, distinguitur realiter formaliter à se ipso vt identificato cum Persona producta: ergo erit essentia, vt in Patre, reale formale principium, nec solum virtuale Filij. Denique in potentia spiratiua est contra Recentiorum sententiam specialis, nec leuis difficultas. Quia si potentia spiratiua consistat in personalitate Patris, & Filij, infertur non magis communicari Filio spirationem, & potentiam spirandi, quam Patris personalitatem, quod est contra Patres recitatos d. 3. Secundò infertur dari in Patre, & Filio potentiam formaliter spiratiuam in vnoquoque inadæquatam, & imperfectam in suo genere: quod implicat dari in diuinis. Nihil enim inchoatum, & partiale, in quouis genere, quódque in suo summum non sit, diuinum esse potest.

8 Atque his quidem impugnatus manet Albiz tract. de Trinit. d.12. sect.6. cum assectis à nobis datis d. 3. q. 4 & cum Alarcon d.6.cap.6. num. 15. qui minus consequenter eius doctrinæ adhæsit. licet enim asserant essentiam ingredi ad potentiæ notionalis constitutionem, putant tamen non ingredi, vt principium *quo* actuum, sed vt principium formaliter communicatiuum. Hoc autem satis multis speciatim contra ipsos impugnabamus ibidem: vnde specialiores eorum confutationes huc erunt aduocandæ.

CERTAMEN II.

Neque essentia sola est notionalis potentia, seu principium quo *diuinarum processionum, sed vt coniuncta cum producentium Personalitatibus.*

1 POtentiam notionalem essentia sola contineri docuere Okam. in 1.d. 7. q.1. fin. & q. 3. Cabr. ibidem, vbi etiam tribuitur Magistro sententiar. & Sancto Thom.1.p.q. 41.art.5. Sed immeritò. Potiori verò iure tribuetur Scoto eadem distinctione quæst. 1. §. *Ad quæstionem igitur*, & §. *Quia argumenta*, vbi personalitate à constitutione potentiæ notionalis ablegauit; licet conditiones esse ad processiones exercendas admittat. Est etiam expressa sententia Canariens. 1. p. q. 42.art.6. Impugnatur primò: quia de ratione realis formalis potentiæ notionalis est distinctio realis formalis à termino producto: sed essentia sola cum communibus non est distincta à termino producto, scilicet Persona procedente, eiúsque personalitate: ergo essentia sola cum communibus non est realis formalis potentia notionalis. Minor est de fide. Maior probatur. Quia eiusdem ad se ipsum, tanquam terminum potentia productiua realis esse non potest: ergo realis potentia productiua ad terminum importat ab illo realem distinctionem: ergo realis formalis potentia realem formalem distinctionem: ergo realis formalis potentia notionalis essentialiter negat identitatem realem formalem sui cum termino producto. Probatur secundò: quia, si essentia diuina est adæquata potentia realis notionalis, cuicumque competit adæquata essentia competet, & adæquata notionalis potentia, & productio; sed Spiritui sancto competit adæquata essentia per fidem: ergo competet etiam adæquata notionalis potentia, & producto tam Verbi, quam sui ipsius: quod fidei repugnat.

2 Respondet Scotus: Spiritui sancto deficere conditionem ad generationem, & spirationem, scilicet Patris personalitatem: ac proinde, licet adsit tota potentia non posse prodire in actionem. Sicut pes non elicit in nobis intellectionem, & volitionem, licet totam animam cum suis potentiis volendi, & intelligendi habeat. Contra: quia, vel ea personalitas est conditio tenens se ex parte actus primi ad processionem; vel secus? Si non se tenet ex parte actus primi ad illam: ergo essentia sola est potentia cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad processionem, ac proinde nihil deficit Spiritui ad generandum, licet paternitas desit. Si autem se tenet ex parte actus primi, & potentiæ paternitas, hoc solùm contendo: quia nullibi de nomine lubens disputo. licet hic personalitatem Patris non esse solam conditionem ex parte actus primi extra adæquatum conceptum potentiæ generatiuæ facilè ostendatur: quia alioqui Spiritus sanctus absolutè generatiuus, & spiratiuus dici deberet, licèt personalitas Patris ipsi non adesset: quemadmodum licet igni conditio applicationis ad passum deficiat, quia tamen adæquata potentia ignefactiua, & calefactiua ipsi adest, absolutè ignefactiuus, & calefactiuus & est, & dicitur. Totum hoc confirmatur exemplo animæ residentis in pede, quo Scotus pro se vtebatur. Ibi enim defectu organorum, quibus anima ad eliciendam intellectionem, & volitionem ex parte actus primi iuuatur, eas operationes non elicit. Mitto leuiores alias Scoti impugnationes.

3 Probatur tertiò conclusio. Quia, nisi ad Filij generationem ex parte potentiæ Patris personalitas, & ad spirationem personalitas vtriusque requiratur, nulla assignabitur ratio, cur reali formali prioritate prior sit Filius, quam Spiritus sanctus: & hic è suo caracthere oriri petat à duobus. Etenim prioritatem virtualem intellectionis, qua Verbum procedit, respectu amoris, quo procedit Spiritus sanctus, insufficientem esse ostendimus d.3.q.1. dum refellebamus Doctores, qui ex hac prioritate Personarum Filium per intellectum procedere probant. Dices Spiritum è suo caracthere esse amorem mutuum in facto esse: quare, & intellectionem, & eius terminum essentialiter supponere. Contra: quia ratione amoris solum supponit intellectionem, qua essentialis cognitio est, non autem qua est notionalis productio: quare non supponit terminum, seu Verbum, neque ea suppositio realis formalis est, vt esse in Spiritu Sancto debet, sed vt summum realis virtualis suppositio erit. Ex eo autem, quod mutuus amor sit, duo supponit ex parte principij: ergo præter essentiam duas personalitates supponit ex parte principij amor productus, non ergo essentiam solam, vt contendis. Item in Filio, qui intellectione procedit, si solus intellectus principium sit, vt quid expectatur Patris personalitas? Dices, vt distinctiuum potentiæ à termino producto. Sed nil ego amplius contendo, vt statim explicabo Certam.3. Mitto alias rationes de indeterminatione essentiæ ad generandum, & spirandum: quia nisi ad hanc de prioritate reducantur nihil probant.

4 Concludo igitur potentiam notionalem duo ex parte actus primi includere naturam scilicet & personalitates producentium. Ita communiter Scholastici recitandi Cert.3. Probatur ex Concil. Florentin. sess.19. longè à med. §. *In genere*, post med. vbi Ioannes Theologus post data à nobis verba Certam.2. num.5. quibus essentiam principium *quo* esse affirmabat, subdit: *Non tamen secundum absolutam eius considerationem.* Et inferius: *Propterea tamen non sequitur, vt hæc substantia secundum suum esse commune, & absolutum principium sit per quod.* Respondent Recentiores Ioannem Theologum fuisse Dominicanum fratrem Longobardum Ioannem de Monte-negro, vt testis occulatus est Sanctus Antoninus 3.p. Histor. tit.22. cap.11. qui, & ipse Concilio adfuit Florentino: ac proinde plura ex Schola Dominicana ex Concilij intentum illis disputationibus inseruisse. Id non nego, sed licet inde eius doctrina definitionis authoritatem non habeat; tacitus tamen omnium Patrum consensus præter Theologi insignis suffragium, momenti aliquid, neque admodum exiguum, nostræ addit conclusioni. Accedit Sanctus Ephrensyrus tom.3. opusculor. de confess. sic loquens: *Natura, quam per suam constituit hypostasim, Pater genuit.* Fauet item Ambros. locis datis quæst.1.cert.2. num.2. demum cauendus hîc est error Raymundi Lullij lib. de contemplat. dicentis: tantam esse vnionem Personarum, vt nulla sine aliis generare, spirarèue possit vt refert Eymeric. in director. Inquisitorum part. 2. quæst. 9. Nisi fortè de necessitate omnium Personarum non ex parte principij solùm, sed ex parte etiam termini, cum quo principium notionale necessariò connectitur. benignè Lullium interpretemur.

CERTAMEN III.

Quo modo, & formalitate personalitas producentis potentiam notionalem cum essentia constituat?

1 VAzq.1.p.160. asserit personalitatem sub conceptu fœcunditatis, non relationis, siue paternitatis, siue spiratoris ingredi potentiæ notionalis constitutionem. Licet d.164. eam etiam sub conceptu Paternitatis, ad potentiam notionalem constituendam, sicut Zuniga, & Valent. citandi, apertè admittat. Reliqui tamen omnes à constitutione potentiæ notionalis paternitatem sub conceptu paternitatis meritò relegant. Demonstratque putat meritò Ruiz d.100. sect.5. n.10. quia potentia notionalis præcedit ex parte actus primi Personam productam; relatio autem paternitatis siue in opinione identificante relationem prædicamentalem cum extremis, siue ab illis resultare admittente, vel comitatur, ivel subsequitur Personam productam: ergo Personalitas producta, vt relatio prædicamentalis, nequit ingredi constitutionem potentiæ notionalis, quæ terminum, quo relatio constituitur, vel ex quo resultat, natura præcedit: ne se ipsam natura præcedat relatio. Respondet Zuniga d.16.dub.7.n.2. verum id in creatis habere, secus in diuinis. Sed in primis ratio vtrobique probat. Secundò: ne, quæso, plus nobis mysterij credendi discursus inuehat, quam fides expoſcit. Confirmatur in nostra opinione: quia relatio prædicamentalis fundamento, & termino formaliter superaddita, siue in creatis, siue in diuinis, quid rationis effectum esse ostendimus in Logica controu. de prædicamentis, atque inferius propria sede iterum attingemus. An verò sub conceptu fœcunditatis, & actiuitatis in potentia notionali, vt primo loco aiebat Vazq. includantur non nimis exploratum firmitérve assertum in reliquis, qui nobiscum vtroque potentiam notionalem constituunt, inuenio.

2 Dico primò. Potentia notionalis non constituitur personalitate sub conceptu fœcunditatis. Probo primò ad hominem contra Vazq. qui d. 159. ad quam citato loco se refert, multis ab authoritate, & ratione statuerat relationes personales secluſa essentia actiuas, & fœcundas nullatenus esse; ergo non possunt complere cum essentia potentiam notionalem sub conceptu fœcunditatis, quem per te non habent. Probatur secundò ex communioribus principiis. Quia si constituunt sub conceptu fœcunditatis potentiam cum essentia: ergo personalitas partialis fœcunditas est, atque essentia partialis item fœcunditas, ex quibus potentia notionalis, seu, quod idem est, fœcunditas adæquata conflatur. Hoc aduersatur Patribus, & rationi: ergo non constituit personalitas potentiam notionalem sub conceptu fœcunditatis. Quod Patribus aduersetur facilè probo: quia, si tam personalitas, quam essentia est partialis fœcunditas: ergo non magis vna, quam altera est id *ex quo, de quo*, & *per quod* Pater generat Filium, & vterque spirat Sanctum Spiritum; cum tamen Patres citati constanter asserant *ex essentia, de essentia, & per essentiam* Personas produci, nullus autem asserat produci ex producentis personalitate: imò expresè plures id negant, vt videre est cert.1.à n.2. Et quidem Ioannes Theologus particula exceptiua *solum* Personalitates à principio *quo* excludit. Quod aduersetur rationi æqua facilitate suadetur: quia quodcunque prædicatum diuinum adæquatum, & summè perfectum in suo genere esse debet: quare nequit in diuinis fœcunditas in aliquo concipi, quim sit adæquata, & summa in suo genere.

3 Dico secundò: tota ratio fœcunditatis, & potentiæ

notionalis, quoad efficaciam in essentia, siue intellectu, vel voluntate (sede proxima potentia sermo sit) consistit: licet ad rationē singularitatis, & distinctionis à singularis alia Persona producenda personalitate producenti egeat, eáque essentia physicè communis, quasi physicè singularizetur, & à termino producendo distinguatur. Primum probant testimonia Patrū, & ratio nuper efformata, éstque doctrina Anselmi c. 58. Monolog. quem videtur admittere Molina d. 27. dub. 4. vbi ait *essentiam solam personalitates exigere.* Si ergo in essentia sola est adæquata exigentia, in ea erit adæquata efficacia, quæ in potentiis actiuis, saltem ad primò producendū, cum exigentia conuertitur: de quo latè egimus controu. 1. de generat. d.3.q.3.cert.2. Secundum autem indicat satis S. Thom. n. 7. referendus ad quod & hallucinatus est Alarcon d. 6. c. 6.n.9. licèt inconsequenter. n.5 ad Albiz sententiam ierit, vt supra notaui. Probatur facilè: quia si essentia se sola à Persona, & personalitate producta realiter differret, cum habeat exigentiam, & efficaciā se sola illam produceret: ergo adiuncta personalitate, qua realiter formaliter vt illi identificata, atque persona producens est, à Persona producenda distinguatur, habet quidquid opus est, vt illam possit in actu primo producere: ergo est potentia notionalis adæquata.

4 Reprehendendus hic venit Ruiz, quod alios ipse reprehendat d.100. sect.5. n.12. quia asserunt essentiam, prout est in Patre, & Filio esse potentiā spiratiuam: prius enim dici existimat essentiam prout est in vnico principio spiratiuo, quod vnica relatione spiratoris sub formalitate, nescio qua, cum essentia cohæret, esse potentiam notionalē spirandi, quæ identificatur cum Patre & Filio. Reprehendendus, inquā, est: quia, cum hæc formalitas, quæcumque sit, partialis cōceptus sit personalitatis Patris, & personalitatis Filij, siue paternitatis, & spiratoris in eius sententia, iam dabitur partialis subsistentia communis, quod ipse temerarium, & ferè erroneum esse aiebat d.70. sect.3.n.11. Contra secundò: cum Spiritus S. è sua proprietate oriatur à duobus necessariò in potentia notionali duo, vt duo, ex parte principij notionalis supponi debent, ac proinde duæ personalitates, vt duæ sunt, debent in illa claudi. Tunc àutē illis solis absque alia formalitate adiuncta intelligitur potentia spiratiua naturæ vel voluntatis, in qua tota exigentia, & efficacia est, sufficienter constituta: quia intelligitur sufficienter distincta à termino producendo: ergo non constituitur conceptu illo cōmuni spiratoris. Contra tertiò: quia, vel ea formalitas complet, & determinat efficaciā essentiæ, vt distinctiuum eius, à termino per spirationē producendo, vel vt partialis. Si vltimum; incidis in argumenta facta contra Vasquez. Si primum, non satis distinguis potentiā, vt Spiritus S. procedat à duobus: nam per illam formalitatem non sunt duo Pater, & Filius, sed vnum per te: ergo aliæ formalitates adiungendæ sunt, vt constituantur duo: atqui his solis absque illa formalitate cōmuni constituūtur duo: ergo formalitas illa communis vt superflua relegāda est à constitutione potentiæ notionalis spiratiuæ. Quartò: si potentia spiratiua adæquatè in illo cōmuni & essentia stat in Patre, cum sit potentia determinata necessariò ad spirationē, Filius ad illam, qui posterior Patris persona est, expectandus non erit: quare neque ab illo Spiritus sanctus procedet: quod est erroneum.

5 Accedit: quod, si eo modo, quo à Ruiz traditur potentia notionalis spiratiua prædicato cōmuni personali compleantur, habebūt Pater, & Filius notionē communē spiratoris: quod est expresè contra Basil. epist. 43. ad Gregor. Nyssen. circa med. *nullā prorsus*, de Filio ait, *notionū communicationē secundū proprietatem suam, tam cum Patre, quam cum Spiritu habet.* Et cōtra. Nyssen. de differēt. essent. & hypostb. vers. med. *Et Filius hoc habet insigne, quod Spiritū, qui ex Patre procedit per se se, ac secū notū faciat, & indicet. Nam Filius solus vnigeniti in modū ex non genito lumine enitescens nullam, quantum attinet ad propriam notam, & peculiare insigne, communionē habet, vel cum Patre, vel cum Spiritu Sancto.* Respondet Ruiz disp. 46. sect.3.n.8. his locis, similibúsque addi à Patribus *secundum proprietatē suam, & peculiare insigne*, secundum

quæ Filius ſpirator non *eſt*, ſed Filius. Contra. Quia inſigne, & proprium Filij ſpiratiua virtus dicitur à Nyſſeno. Item vtrobique dicitur ſecundum proprietatem ſuam nihil habere commune cum Spiritu ſancto: ergo proprietas Filij aſſignatur etiam à Patribus in potentia ſpiratiua, *vel* ſpiratione, qua diſtinguitur, & non communicat Filius cum Spiritu ſancto; alioqui propoſitio eſſet falſa. In noſtra verò opinione de conſtitutione potentiæ notionalis per ſingulares perſonalitates, tanquam per diſtinctiua, veriſſima eſt propoſitio, vt patet. Neque huic conſtitutioni obeſt, quod Auguſtinus ſæpe recitatus tuebat: *Patrem gignendo dediſſe Filio, quod ab eo etiam procedat Spiritus S.* ac ſi dicat: generatione dediſſe Filio ſpiratiuam potentiam quam vtique præhabebat in priori originis Pater. *Quod procedat* enim proceſſionem dicit, non potentiam ſpirandi: atque proceſſionem ſiue ſpirationem actiuam non eſſe in Patre pro priori originis ad Filium dogmatica veritas eſt. Solùm ergo docet Auguſtinus generatione dari Filio à Patre eſſentiam ſecundam ad intra, ac non effœtam, quæ adiuncta Filij perſonalitate, à Patre etiam generatione producta & potentia ſpiratiua, ſpiratio ſit, licet cum ſola Patris perſonalitate neutrum foret.

6. Dico tertiò: Perſonalitas, & eſſentia in recto notionalem potentiam ex æquo conſtituunt. Eſt contra Ruiz expreſsè, & fortaſsè contra recitandos pro concluſione quarta; eſt tamen veterum Doctorum Henrici quodlibet. 3. quæſt. 3. corp. & 2. p. ſummæ art. 57. quæſt. 7. & art. 58. q. 1. ad 3. & 1. p. art. 35. quæſt. 8. corp. circa fin. & ad 1. Ricardi in 1. d. 7. art. 2. quæſtione 1. corp. d. 13. art. 1. quæſt. 3. Petri Tarantaſ. apud Carthuſ. d. 7. quæſt. 1. longè à med. noſtri Valent. d. 2. quæſt. 15. punct. 2. Neque video quo pacto ex parte rei obiectæ poſſit oppoſitum defendi ab his, qui ex vtroque conceptu potentiam notionalem intrinſecè conſtituunt: nam, ſi alterum ſine altero potentia adæquatè non eſt; ergo claudit potentia vtrumque. Illud enim de recto, & obliquo, non ex parte rei obiectæ ex duplici conceptu compactæ inuenitur, ſed ex noſtro concipiendi, & ſignificandi modo. Vrgetur: illud intrat in recto conſtitutionem entitatis phyſicam, vel metaphyſicam, quo ſublato entitas alterutro modo non remanet: ſed ſublata perſonalitate non remanet metaphyſicè potentia notionalis per te: ergo perſonalitas in recto intrat eius conſtitutionem. Vrgetur ſecundò: quia ex parte rei obiectæ ſolum connotatur, ponitúrque in obliquo, quod eſt terminus relationis incluſæ in illa: ergo ſi perſonalitas connotatur, eſtque in obliquo ex parte potentiæ notionalis obiectiuæ, non perſonalitate, ſed reſpectu, & relatione, quæ in eſſentia ſola eſt, ad ipſam potentia notionalis conſtituitur. Probatur tandem à priori. Quia æque dicit potentia realis formalis efficaciam, & diſtinctionem ſui à termino producendo: ergo æquè in recto includitur in potentia reali formali notionali efficacia eſſentiæ, vel potentiæ communis, & diſtinctiuum perſonalitatis.

7 Dico quartò: potentiæ notionalis nomen dicit eſſentiam, ſeu efficaciam in recto, & perſonalitatem, ſiue diſtinctiuum producentis in obliquo. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 41. art. 5. Magiſt. in 1. d. 7. capite penult. & vlt. vbi eorum Intrepretes, aliíque plures apud Molinam citato art. 5. d. vnica. Vazq. d. 164. capite 1. & 3. & apud Ruiz loco ſupra citato. Ratio eſt: quia potentiæ nomen efficaciam principaliter denotat; ſicut producens adiectiuè dicit perſonalitatem principaliter; minus autem principaliter efficaciam. Sic euenit in nominibus *Deus*, & *Perſona*: Nam primum principalius deitatem dicit; ſecundum verò perſonalitatem principalius. Hinc conſtat diſcrimen inter principium notionale *quo* & principium notionale *quod* ex parte modi ſignificandi. Nam principium *quod* omnia, quæ in Patre v. g. formaliter ſunt, continet: eſt ſiquidem totus Pater, materialiter etiã ſumptus, principium *quod* Filij: & Pater, & Filius, materialiter etiam ſumpti, nec ſolùm ſecundum potentiam ſpiratiuam, principium *quod* Spiritus ſancti: quare conceptus plures inuoluit principium *quod* notionale, quàm notionalis potentia: quemadmodum principium *quod* calefaciendi dicit etiam principaliter caloris ſubiectum. Atque ex his ruit præcipua Aduerſariorum obiectio contra concluſionem tertiam ex diſtinctione formali potentiæ notionalis, ſeu principij *quo* à principio *quod* petita.

8 Oppones contra eandem concluſionem. Productio diuina eſt vniuoca: ſed, ſi potentia notionalis compleatur perſonalitate producentis, non magis erit vniuoca, quam æquiuoca: cum parti potentiæ notionalis ſimilis ſit Perſona producta, parti verò ipſius, ſcilicet perſonalitati, ſit diſſimilis: ergo potentia notionalis perſonalitate non completur. Admittit Zunniga partim eſſe vniuocam, partim æquiuocam: admitteréque tenentur omnes, qui perſonalitatem, efficaciam, & fœcunditatem partialem potentiæ notionalis eſſe dicebant. Nos autem negamus minorem: quia nullum agens vniuocum aſſimilat ſibi effectum in diſtinctiuo ſui ab illo; ſed in natura, ſeu forma, per quam operatur, cuiúſque efficacia eſt. Hinc argues ex S. Thoma. Illud eſt virtus productiua, ſeu potentia in quo effectus aſſimilatur producenti: ſed Perſonæ productæ aſſimilantur producentibus in natura ſola: ergo natura ſola eſt potentia notionalis. Diſtinguo maiorem. Illud eſt virtus productiua *quoad efficaciam* in quo &c. concedo maiorem, *quoad diſtinctionem*, nego maiorem: & conceſſa minori nego conſequentiam. Hoc ſolùm contendit S. Thom. citato loco quæſtione 41. Nam expreſsè admittit perſonalitatem eſſe differentiam indiuidualem phyſicam, ſeu quaſi phyſicam naturæ phyſicè communis Perſonis: vnde non mediocriter noſtræ concluſionis ſecundæ doctrina confirmatur, vt de ſe ſatis claret.

9 Aureoli argumenta, quæ contendunt potentiam diſtingui debere à termino producto nihil contra nos probant. Arguit rurſus. Quoties actus vni conuenit, & repugnat alteri conuenit ei ratione illius quo ab altero differt: ſed productio in diuinis repugnat perſonæ productæ, & conuenit producenti: ergo conuenit ei ratione illius, quo ab illa differt, ſcilicet perſonalitatis, non autem eſſentiæ, qua cum illa concordat. Diſtinguo maiorem. Ratione illius, quo ab altero differt, adæquatè conuenit, nego maiorem; inadæquatè concedo maiorem. Inſtabis. Beatitudo conuenit homini ex Ariſt. 1. ethicor. capite 7. adæquatè ſecundum gradum rationalis, quo differt à bruto: quia conuenit homini, & non bruto: ergo operatio conueniens vni Perſonæ, & non alteri, conueniet adæquatè ſecundum id, quo ab altera differt. Reſpondetur diſtinguendo conſequens. In creatis, in quibus diſtinctiuum potentiæ, & efficacia idem realiter formaliter ſunt, concedo conſequentiam; in diuinis, in quibus potentiæ efficacia, & diſtinctiuum idem formaliter non ſunt nego conſequentiam. Reliqua pro S. Bonau. & Aureol. leuiora ſunt, quam, vt ſolutione opus habeant. Recentiorum argumenta eò tendunt, vt conceptum potentiæ notionalis à conceptu proceſſionis non diſtinguant: quæ ſatis confutata habes quæſtione 1. atque hìc concluſione prima. Aduerto, ne quis nos inconſequentiæ arguat, licet perſonalitate ſingularizetur potentia, non tamen inde inferri viſa perſonalitate, atque vnione ad illam conceptum principij generatiui, vel ſpiratiui certo deducendum eſſe: ſiquidem horum quodvis præter perſonalitatem, quæ ex intuitione vnionis, viſioníſve prædictæ infallibiliter infertur, eſſentiam formaliter dicit, quæ nec infertur, nec videtur vnione viſa.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Quotuplex ſit potentia, ſeu principium notionale?

DVPLICEM ſaltem notionalem potentiam eſſe in diuinis alteram generatiuam, alteram ſpiratiuam citra controuerſiam eſt. Cum autem potentia ſpiratiua in duabus Perſonis, Patre ſcilicet, & Filio ſit, duplex-ne an vnica ſit, præſens difficultas eſt. Et de potentia quidem notionali nulla ferè ex dictis difficultas perſtat: nam quoad rationem diſtinctionis à termino producendo, quam potentia ſpiratiua includit, nulla ſeorſim perſonalitas adæquatum conſtitutiuum potentiæ ſpiratiuæ eſt: ac proinde ſicut vna diſtinctio ex vtraque perſonalitate conflatur, ita & quoad diſtinctiuum vna potentia. Quoad rationem verò efficaciæ, & (vt ſic loquar) virtuoſitatis, quam eadem potentia dicit, cum in eſſentia, & communibus Patri, & Filio ſit, pluralitati locus non relinquitur. Tota ergo difficultas eſt de principio ſpiratiuo abſolutè dicto, & de principio ſpiratiuo cum addito *quod*. Differunt autem principium abſolutè, & principium *quod*, quia hoc denotat principaliter non ſolùm potentiam ſed materiale totum illius, in quo potentia eſt, vt q. 2. cert. vlt. n. 6. notabamus.

CERTAMEN I.

Principium ſpiratiuum abſolutè dictum vnicum in diuinis eſſe.

1 DVrandus in 1. d. 29. q. 2. & 3. Gregor. Arim. d. 12. q. 1. circa med. à quibus non multùm diſcrepant Gabr. ibi art. 2. concl. 2. & art. 3. dub. 1. Altiſiodorenſ. 1. ſummæ c. 3. docent rigidè loquendo Patrem, & Filium duo principia abſolutè eſſe Spiritus ſancti: licet cum Patribus non eo rigore loqui debeamus: ac proinde vnũ abſolutè principium Spiritus S. dicendum eſſe vtrumque. Quam opinionem temeritatis notat Canarienſ. 1. p q. 36. 2. p. commentar. dub. 1. & 2. Ruiz d. 70. ſect. 1. n. 14. Quæ cenſura ſi de principio abſolutè dicto, & ſine addito *quod* intelligatur, non multùm à ratione diſcordat. Id circo cum prædictis aliíſque omnibus Theologis aſſero principium ſpiratiuum abſolutè dictum vnicum eſſe non duplex. Probatur. Quia, concreta ſubſtantialia ſolùm multiplicantur per multiplicationem formarum, quas in recto, & principaliter important. Sic Deus vnus eſt, licet Perſonæ, quæ diuinitatem habent tres ſint; Perſonæ autem ſunt tres, quia perſonalitas, quæ principale, & rectum ſignificatum concreti ſubſtantiui *Perſona* eſt, multiplicatur in diuinis: cum ergo nomen hoc principium ſpirandi abſolutè, & ſine addito dictum concretum ſubſtantiuũ ſit, potentiámque notionalem principaliter, & in recto ſignificet, non niſi multiplicata potentia ſpirandi poterit multiplicari: conſtat autem potentiam ſpirandi, ſaluis fidei dogmatibus multiplicari non poſſe: ergo neque eiſdem illæſis principium ſpirandi abſolutè poterit multiplicari. Probatur ſecundò ex noſtris principiis: quia principium inadæquatum, & incompletum abſolutè principium non eſt: nec, niſi cum addito *partialis*, principium dici poteſt: ſed Pater ſolus, vel Filius ſolus eſt principium inadæquatum ſpirandi: ergo neuter ſeorſim eſt abſolutè principium ſpirandi: ergo neque vterque duplex abſolutè ſpirandi principium.

2 Hoc ipſum probant teſtimonia Patrum, & Conciliorum. Nam Concilium Lugdunenſe ſub Gregor. 10. relatum cap. vnic. de Summa Trinit. in 6. damnat eos, *qui præſumpſerint temerario auſu aſſerere quod Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principiis, non tanquam ex vno, procedat.* Idem docent Patres Concil Florentini ſeſſ. 25. ſeu vlt. in profeſſione Latinorum col. 5. §. *Quibus Latini*, & longè à med. §. *Quid equidem*, & §. *Ego ab ineunte*, atque Eugen. Pap. 4. in literis vnionis Concilio approbante definit: *Spiritus ſanctus à Patre, & Filio æternaliter eſt: & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio; & ex vtroque æternaliter tanquam ex vno principio, & vnica ſpiratione.* Ex Græcis Patribus nihil ferè firmum pro noſtra concluſione adduci poteſt, vt videre licet apud relatos à Ruis num. 4. Ex Latinis verò Auguſt. id ſæpius expreſſit. 5. de Trinit. cap. 13. & c. 14. circa finem, vbi hæc habet: *Si ergo, & quod datur, principium habet eum, à quo datur: quia non aliunde accepit illud, quod ab ipſo procedit: fatendum eſt Patrem, & Filium principium eſſe Spiritus ſancti, non duo principia.* Item Patrem, & Filium eſſe principium de principio, non duo principia, ſicut Deus eſt de Deo, & non plures Dij. Docet 10. de ciuit. capite 23. circa finem, & 3. contr. Maximin. capite 17. circa finem, & tract. 39. in Ioann. à princip. Iſidorus 1. ſententiar. de ſumm. bono c. 15. ſic habet. *Inde vnum ſunt Pater, & Filius, quia nihil habet Pater, quod non habet Filius. Non enim res vna, & duorum conſubſtantialis poterit ſimul à duobus procedere, & ſimul ineſſe*, ſcilicet Spiritus ſanctus, *niſi vnum fuerit à quibus procedat.*

3 Reſpondet Durandus in Conciliis citatis non dici abſolutè procedere Spiritum ſanctum ab vno principio, ſed *tanquam* ab vno principio: vt denotetur locutionem rigidam non eſſe. Contra primò: quia Auguſt. & Iſidorus non adhibent particulam tanquam, ſed abſolutè aiunt eſſe vnum principium. Contra ſecundò: quia Patres Græci ideo in Concilio Florentino detrectabant concedere Spiritum ſanctum à Patre, & Filio procedere: quia inde putabant inferri duplicem Perſonam eſſe duo principia Spiritus ſancti: quod neque Hæreticus, aut Schiſmaticus vllus auſus vmquam fuerat admittere. Eis verò Concilium ea definitione reſpondet non ita inferri; ſed à duobus procedere Spiritum ſanctum, ac ſi duo non eſſent, ſed vnus: quia, quantum ad principium Spiritus ſancti attinent, vnum ſunt. Cum ergo rigidè duo eſſe principia admittenda Græci timerent, Latiníſque obiicerent: dum vnum eſſe diſinit Concilium, vt metum eorum ſedet, rigidè vnum principium eſſe definit. Alioqui Græci fortiùs ſe obiicere, quam Latini ſoluerent, meritò inſultarent: Confirmatur: quia ſeſſ. 24. præcedenti Ioannes Theologus Latinorum nomine ſine particula *tanquam* de Filio ſcribit poſt med. *Vna cum Patre principium vnicum eſt*, Spiritus ſancti, *non tamen Perſonarum confuſione.* Sed neque in narratione diſſidij Græcorum cum Latinis præmiſſa decreto in litteris vnionis, neque in ſententia Orientalium, & Occidentalium relata in oratione Beſſarionis pro vnione cap. 8. particula *tanquam*, aut æquialens vlla adiungitur vocibus *vnum principium.*

4 Quin imò ſeſſ. 25. col. 5. §. *Quibus Latini* in proceſſione fidei data ad Græcos hæc habentur: *Quoniã Græci ſuſpicantur nos duo principia, duáſve cauſas in Trinitate profiteri: id circo hanc habentes ſententiã anathemate damnamus. Quandoquidem ipſi credimus Patris, & Filij operationẽ poteſtatẽque mittendi vnicam Spiritus S. cauſam eſſe: ita, vt Filius non ſit diuerſum à Patre principium.* Contra tertiò: quia Cõcilia in rebus adeò grauibus, & de quibus eſt Controuerſia rigidè loquũtur nõ impropriè: atqui in dictis Cõciliis cõtrouerſia fuit de principio Spiritus S. an vnicũ eſſet, vel duplex? Ergo cum definiũt vnũ eſſe principiũ, rigidè, & nõ impropriè loquũtur. Cõtra quartò: quia quotiès dictio *tãquã* impropriã acceptionẽ termini, cui adiungitur, denotat, nõ excludit abſolutã verificationẽ propoſitionis oppoſitæ: at Cõcilia citata, & Patres abſolutè negant, & excludũt propoſitionẽ oppoſitã, ſcilicet Patrẽ, & Filiũ eſſe duo principia Spiritus S. ergo cum adiungitur illud *tanquam* vocibus *vnum principium* in eadem materia, non denotat impropriam ſignificationem vnius principij. Denique *tanquam*, & *quaſi* ſæpe in Scripturis non ſignificare improprietatem termini, cui adiungitur, oſtendimus ſatis d. 2. q. 2. cert. 2.

5 Obiicies contra *rationem* conclusionis. Concreta substantialia multiplicantur per formas, quas principaliter significant: ergo cum in Deo, & Patre sit duplex potentia, notionalis scilicet generatiua, & spiratiua, Pater erit duplex principium. Quod si in Patre neges, quia in eo potentia spiratiua adæquata non est; cum in Deo Pater, & Filius claudantur, ac proinde potentia generatiua, & spiratiua in Deo erit duplex principium, *quod* est contra Anselm. epist. de proces. Spirit. sancti c. 11. circa fin. Respondetur, si de duobus principiis realibus, realitérque duobus in ratione principij sit sermo, nihil probare obiectionen, cum duplex notionalis potentia realiter non distinguatur in aliquo suppositо diuino, imò neque formaliter adæquatè in Deo; siquidem in vtraque potentia constituta ingreditur Patris personalitas, vt quæstione 2. dicebamus: quare de absoluta, & adæquata distinctione non datur locus duplici potentiæ notionali realiter, imò neque formaliter, vt patet.

CERTAMEN II.

Pater, & Filius sunt vnum principium quod *Spiritus sancti; licet Catholicis liberum sit aliter censere.*

1 VT posita conclusio probetur notandum venit discrimen inter principium cum addito illo vocis *quod*, & principium absolutè dictum. Nam additum *quod* denotat, non solùm formam principaliter, seu potentiam, qua principium in esse principij constituitur; sed materiale etiam, & subiectum principij, seu potentiæ: sicut calidum neutrè, & substantiuè sumptum, non autem adiectiuè, solum denotat principaliter calorem; si autem addatur particula *quod* denotat, etiam si substantiuè sumatur, subiectum. Hinc constat nihil censura dignum admitti à Durand. Gregor. & Gabriele, atque Altisiodorensi citatis cert. 1. n. 1. dum duplex principium spirandi in diuinis admittunt, si de principio cum addito *quod* loquantur: ac proinde inanem esse temeritatis, ac proximitatis ad errorem notam, quam eis inurebant Canar. 1. p. quæst. 36. 2. p. Commentar. dub. 1. & 2. Ruiz d. 70. sect. 1. n. 14. Nihil enim ad rem hanc definiendam firmum in Patribus, & Conciliis inuenietur. Primò: quia de principio cum addito *quod* nihil loquuntur. Secundò: quia eorum rationes eo expresè nituntur, quod in Patre, & Filio vna sit potentia spiratiua, vnáque spiratio, non multiplex, vt patet ex his, quæ præmiserat Concilium Lugdunense ante data à nobis verba certam. proximo; & ex verbis datis Concilij Florent. ibidem n. 3. & 4. & ex ratione data in verbis Augustini, & Isidori ibidem. Hæc autem ratio solùm probat de principio absolutè dicto, in quo principale, & rectum significatum potentia sola est; non autem de principio *quod*, in quo potentiæ subiectum, seu, quasi subiectum, est etiam principale, & rectum significatum.

2 Vt autem videat Ruiz, quam immeritò sententiam de duplici principio *quod* spiratiuo temeritatis insimulet, ostendamus in eius sententia oppositum defendi non posse. Etenim addita particula *quod*, materiale principij principaliter etiam, & in recto significatur: ergo eo multiplicato multiplicatur etiam principium quod: quia multiplicato principali significato, multiplicatur concretum subsantiuum: materiale autem significatum principij quod spiratiui multiplicatis Personis, quæ sunt materiales spirantes multiplicari dubium in huius præsertim sententia non est. Probo rursus. Multiplicato subiecto formæ ignis multiplicatur ignis *quod*, ita vt sint plures ignes *quod*: quia particula *quod* significat principaliter etiam subiectum: sed particula *quod* addita voci principium significatur etiam principaliter materiale principij, scilicet Persona indiuidua, quæ principium est: ergo multiplicatis Personis indiuiduis in Patre, & Filio multiplicatur etiam principium *quod* spirandi. Probatur tertiò à priori: quia posita potentia adæquata in subiecto, seu quasi subiecto resultat necessariò vnum potens *quod*: sed potentia spiratiua adæquata ponitur in personalitate Patris indiuidua quasi in subiecto (cum personalitas, seu paternitas indiuidua, in huius sententia, constitutiua non sit formaliter potentiæ spiratiuæ, sed solùm conceptus, communis etiam Filio, relationis spirandi) ergo Pater est vnum, integrum, potens *quod*, seu, quod idem est, vnum principium *quod* spirandi. Rursus eadem potentia adæquata spirandi ponitur in filiatione, seu personalitate indiuidua Filij, tanquam in subiecto distincto: ergo resultabit alterum integrum, & adæquatum potens, seu principium *quod* spirandi: ergo in diuinis est vnum, & aliud principium *quod* spirandi, in huius sententia, ac proinde non vnicum, sed duplex contra ipsum.

3 Nec præstat si dicas Patrem esse principium quod inadæquatum, & Filium similiter seorsim. Nam si potentia adæquata spiratiua extra conceptum singularis personalitatis, seu paternitatis, & filiationis sit, vt est in huius sententia, si capax vnusquisque sit totius potentiæ subiectiua inadæquatio nusquam inuenitur. Dices: licet paternitas, & filiatio, qua tales, potentiam spirandi non constituant, ast esse conditiones; quia Spiritus debet procedere à duobus. Contra: non contendimus esse duplex principium *quod* expeditum ad operationem, & cum omnibus requisitis ad illam; sed solùm esse absolutè duplex principium *quod*, licet sine conditionibus; quemadmodum licet sine approximatione, & aliis conditionibus ad agendum duo agentia sint, absolutè duo principia *quod* erunt. Respondet tandem Ruiz sect. 5. principium spiratiuū *quod* dicere solùm spirationis relationem sub conceptu communi constituendi suppositum subsistens: atque eo modo abstrahere à Patris & Filij singulariter personaliter acceptorum relationibus. Sed contra est: quia in ratione principij *quod* significatur ratio subsistentiæ tanquam principale significatum per te: ergo in ratione indiuiduo principij *quod* dicitur indiuidua personalitas vt numero 2. arguebam.

4 Nihilominus absolutè assero Patrem, & Filium non esse duplex, sed vnum principium etiam *quod*. Primò: quia accommodatior locutio est ad Patrum, Conciliorum, & Scholasticorum propositiones explicatas, & quæ saltem eas firmius defendat. Secundò efficacius probatur in nostris principiis. Quia principium inadæquatum neque est neque dici absolutè potest principium *quod*: sed Pater, & Filius, seorsim vnusquisque, est principium solummodo inadæquatum spirandi: ergo neuter seorsim est absolutè principium *quod*: ergo vterque simul non sunt absolutè duo principia *quod*. Vtraque consequentia est plana. Maior perspicua. Probatur minor. Inadæquata potentia nequit adæquatum principium absolutè constituere: sed in Patre seorsim, & in Filio seorsim solùm est inadæquata potentia spirandi: ergo nequit & Patrem seorsim & Filium seorsim adæquatum principium *quod* constituere. Minor probata est quæstione 2. cert. 2. numero 3. Quia personalitas Patris, & Filij, vt singulares, & distinctæ complent potentiam notionalem spirandi: ergo, in quo non fuerit vtraque personalitas, sed altera tantum, nequit esse adæquata potentia spirandi, sed solùm inadæquata: ergo in neutro seorsim est adæquata potentia spirandi, sed solùm inadæquata. Obiicies Hilar. 2. de Trinit. longè à med. dicentem: *Spiritus de Patre, & Filio authoribus confitendus est.* Alios item Patres, qui eosdem *donatores Spiritus sancti* appellant: quæ sanè locutiones ab Scholasticis admittuntur: Sed iuxta nostram doctrinam nequeunt dici duo authores, & donatores Spiritus sancti: cum neuter seorsim habeat potentiam adæquatam spirandi: ac proinde neque adiectiuè, aut verbali nomine dici duo authores, & donatores possint. Ergo malè conclusionem probamus. Respondetur ex S. Thom. quæst. 36. art. 4. quem imitantur Scotus in 1. d. 12. quæst. 1. §. *Iuxta quæstionem*, Marsil. quæst. 15. art. 3. ante argumenta, & ad vltimum, Aureol. Aureol. art. 4. Carthus. d. 11. quæstione 4. Ricard. art. vnic. quæst. 5. & aliis apud Ruis, propriùs, & meliùs dici vnū authorem, & donatorem, quam duos. Sed neque in nostra doctrina specialiorem habet difficultatem, quo minus adiectiuè duo producentes dicantur, vt omnes admittunt: cum pluralitas Personarum non compleat efficaciam quam importat principaliter nomen potentiæ: ac proinde, cum integra sit in vno quoque efficacia, & influxus in Spiritum sanctum, duo producentes, & potentes adiectiuè dicentur.

QVÆSTIO IV.

An potentia generandi, & spirandi omnibus Personis conueniat?

STatueram præsentem quæstionem, de nomine totam, præterire. Sed ne aliquid ab aliis hactenus disputatum in nobis desideretur eam etiam adiecimus.

CERTAMEN I.

Potentia generatiua, & spiratiua malè in tribus Personis asseritur à nonnullis.

1 DOctores, qui notionalem potentiam sola essentia contineri putabant q. 2. cert. 1. num. 1. vtramque in omnibus Personis esse docebant: non secus atque essentia in omnibus est. Ita & Scotus cum suis in 1. d. 7. quæst. vnic. col. vlt. §. *quia autem*. Eos tamen ibi reiecimus; atque ex ibi dictis quoad præsens facilè quiuis reiiciet. Ita etiam Marsil. in 1. quæst. 11. art. 3. quæst. 23. art. 6. licet constitutioni potentiæ notionalis aduersetur. Eosdem hac in re sectatur Ruiz d. 101. sect. 2. num. 6. quia censet multisque probare contendit potentiam notionalem actiuam eandem prorsus cum passiua esse: quare in quocumque sit passiua, & actiuam necessariò fore. Assumptum probat: quia alioqui potentiores essent personæ producentes, quam procedentes, vt arguit Augustinus 3. contr. Maximin. cap. 12. circa fin. recitatus à Magist. in 1. d. 20. sic effatus: *Absit autem, vt, quomodo putas, ideo sit potentior Pater Filio, quia Creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit Creatorem. Neque enim non potuit; sed non oportuit.* Vbi, & conclusionem hanc videtur tradidisse illis verbis: *neque enim non potuit*, quibus duplici negatione potentiam generandi Filio asseruit.

2 Sed nescio qua consequentia Ruiz sic arguat, ac pro se Augustinum referat: cum sect. 1. num. 22. nullatenus concedi Filio posse dicat generatiuam potentiam. Neque id Augustinus asseruit; sed solùm non habere impotentiam defectuosam, seu priuatiuam, licet negationem potentiæ habeat, quam non oportuit esse in ipso: cum illa potentia generandi satis compensetur potentia passiua Filij, vt generetur. Ita etiam respondent Athanas. orat. 1. contra Arrian. circa med. Cyrill. 3. thesaur. cap. 2. sub init. Ambros. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. post init. vbi Arrianis respondent, eósque redarguunt: de quo rursus cert. 2. Iterum eandem notionalis potentiæ actiuæ cum passiua identitatem probat Ruiz. Quia potentia attributum absolutum est in diuinis: ac proinde omnibus personis communis. Sed rogo an loquatur de potentia quauis diuina, nec de omnipotentia solùm? Si enim de potentia, etiam notionali loquatur, aduersatur sibi d. 100. sect. 15. vbi personalitates ad constitutionem potentiæ notionalis aduocat: nequè admittere catholicè potest potentiam notionalem passiuam esse in Personis producentibus: id quod suis argumentis probat, si quid probat. Si autem non de potentia quauis diuina, etiam notionali, sed de omnipotentia solum loquatur, quid ad rem? Magni aiunt Argentin. Ægydius in 1. d. 20. quæstione vnic. & Ruiz: quia potentia notionalis ad omnipotentiam spectat, quæ in omnibus diuinis Personis est, vt Catholici omnes fatentur.

3 Assumptum, licet arduum, probat Ruiz ex Athanas. de vnit. subst. Trinit. med. vbi non temporaliter accessisse potentiam generatiuam Patri ait: *Quia si per ordinem dignitas creuit, prius iam omnipotens non fuisse cognoscitur.* Et orat. contra Gregal. Sabell. vers. med. *Cum Dei potestas Filius sit, ideoque plenè, & ad perfectum potens est Pater.* Plenè potens autem idem est, quod omnipotens. Hilar. 6. de Trinit. post med. de Patre sic loquitur: *Genitum à te Filium omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo. Ambigens enim iam omnipotentem te negabo.* Cyrill. Alex. 2. thesaur. cap. 1. *Quia igitur omnia Pater potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius.* Augustin. 3. contr. Maximin. c. 7. post med. *An fortè dare non potuit? Vbi est omnipotentia Dei Patris? Prorsus ad hunc articulum res colligitur: vt Deus Pater æqualem gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit infirmus. Si noluit inuidus inuenitur.* cap. 15. circa fin. *Deus ergo cur non æqualem genuit?* Filium, *cui neque animi necessarij fuerunt, neque omnipotentia defuit.* Secundò probatur ex Patribus pluribus, qui vim generatiuam, *potentiam, & potestatem* appellant. Tertiò ex aliis, qui *impotentiam* fore aiunt, si Pater gignere Filium non posset. Ita Basil. 2. contr. Eunom. vers. med. Cyrill. Alex. 2. thesaur. c. 2. longè à med. lib. 12. cap. 6. circa med. Fulgent. ad 5. Obiectionem Arrianor. ante med. Denique obiectum omnipotentiæ est quidquid non implicat contradictionem: Filius autem, & Spiritus non implicant contradictionem: quare, & venient sub omnipotentiæ obiectum.

4 Sed enim adhuc inconsequentia Ruiz notata n. 2. perstat. Atque insuper falsum omnino est potentiam notionalem in omnipotentia contineri, vt expresè reliqui Doctores fatentur, Scot. Gregor. & Okam. in 1. d. 20. q. vnic. Durand. quæst. 1. Maior d. 42. quæst. 1. sub init. vbi Carthus. & d. 20. cum Alexand. & d. 7. quæst. 3. cum Alberto, S. Thom. quæst. 2. de potentia art. 5. corp. Vazq. d. 165. c. 2. Soar. 4. de Trinit. cap. 10. num. 3. Val. 1. p. quæst. 16. puncto 2. Caietan. quæst. 25. art. 3. ad 1. Mœrat. d. 56. Luis Torres d. 28. dub. 6. Hurtado d. 1. diff. 10. §. *Quarta ergo.* Ratio est: quia omnipotentiæ adæquatum obiectum sunt propriè factibilia: atqui Personæ procedentes factibiles propriè non sunt: ergo sunt extra obiectum omnipotentiæ: ergo, & potentia notionalis extra omnipotentiam est. Minor est de fide, & vtraque consequentia certa. Maior probatur primò ex Fulgent. de fide ad Petrum c. 3. sub init: *In eo Dei omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem, atque inuisibilem de nihilo fecit.* Vbi non dicit inde colligi (vt Ruiz respondet) sed in eo intelligi. Intelligitur autem vnum quodque in eo, in quo eius essentia, seu proprietas est. Intelligitur ex Fulgentio in productione rerum ex nihilo: ergo proprietas omnipotentiæ est propriè causare, seu producere, quidquid propriè causabile est: ac proinde posse id efficere essentia omnipotentiæ est. Probatur secundò antecedens ex Concilio Nicæno lib. 2. longè à princip. §. *Si, vt tu dicis*, vbi dicitur Filius: *æquè potens, vt Pater, creator cum Patre*: potentiam creatiuam pro omnipotentia vsurpante Concilio. Tertiò probatur ex Ambros. maior eadem. Sic enim ait 2. de fide ad Gratian. cap. 3. versus med. de Filij omnipotentia: *Ostendat aliquis, quid sit quod non possit Dei Filius? Quis ei adiutor, cum cœlum faceret, fuit? Quis ei adiutor, cum conderet vniuersum?* Nisi autem adæquatum obiectum omnipotentiæ in creabilibus, seu propriè factilibus contineri putaret: licèt mundum potuisset facere, ac proinde quæcumque factibilia, seu creabilia, cum Personas diuinas omnes non posset, cum nec se, nec Patrem posset, aliquid esset, videretque Ambrosius, quod non posset Dei Filius. Maléque Ambrosius, vt omnia posse ostenderet, probaret ex factibilibus solùm.

5 Probatur secundò conclusio ex Ambros.4. de fide ad Grantian. sub init. vbi aliam posuit rationem his verbis : *Non est naturæ, non est potentiæ in Christo aliqua, quod non generauit, infirmitas : quia generatio non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ.* Ac de Incarnat. Domini Sacramento cap.8.init.9.med.10. fin. sic repetit: *quia generatio non est potestatis, sed naturæ.* Ratio autem his contenta huiusmodi est. Operatio notionalis est naturæ, seu necessaria : atqui operatio omnipotentiæ non est necessaria, sed libera, vtpotè supremæ Dei potestatis, ac dominij rerum : ergo operatio notionalis non est operatio omnipotentiæ. Minor est certa : siquidem operatio omnipotentiæ diuino subiicitur arbitrio, ac voluntati, vt ait Augustcap.96.Enchirid.ac de Spiritu, & lit.c-31.Chrysostom.hom.de expositSymboli, ex quibus Magist.& Scholastici in 1. d.42. aiunt : *Quod Deus ex eo tantum dicatur omnipotens, quod omnia potest, quæ vult, non quia omnia possit.* Id quod,& clarum de se est, vt confirmatur ex satis probabili opinione omnipotentiam in voluntate formaliter constituente. Probatur vlterius ex Ambros.citato libro 4.post med. Arguentes enim hæreticos, quod Filius similis Patri non sit, quod non habeat potentiam generatiuam, quam habet Pater, redarguit neque Patrem esse Patrem, quia non habet potentiam passiuam, neque filiationem, vt Filio similis sit, vt oportet, vt Pater sit. Cum tamen esse Patrem hæretici defendant. Concludítque : *Adeò generatio in paterna proprietate*, in qua similis, nec debet, nec potest esse Filius *non in iure est potestatis* : quod debet esse commune, ac proinde in eo similis Patri Filius.

CERTAMEN II.

Potentia notionalis communis tribus Personis non est.

1 ANtequam conclusionem præfixam probemus, ne à tergo Patres oppositi maneant, qui ad omnipotentiam simpliciter (quæ dubio procul communis tribus Personis de fide est) eorum testimoniis respondendum erit. Ergo Patres pro opposito recitati potentiam generatiuam Patris omnipotentiam non simpliciter, & absolutè appellant; sed omnipotentiam Patris. Rectè enim S.Thom.citatus q.2.de potent.art.5. corp. ait potentiam generatiuam ad omnipotentiam simpliciter non pertinere, sed ad Patris omnipotentiam : quomodo omnipotentia laxè vsurpatur, provt quamuis, omnémque potentiam subiecto illi speciali Patris congruam, ac necessariam complectitur : eóque sensu ex defectu potentiæ generatiuæ non impotentiam, seu plenipotentiæ absolutè, ac simpliciter dictæ defectum, sed laxè solùm sumptæ in Patre arguunt.

2 Iam verò præfixa conclusio eorum omnium est, qui potentias notionales, vel solis personalitatibus producentium adæquatè, vel saltem inadæquatè constitui supra docuerunt. S.Bonauent.Durand.Carthus.S.Thomas, Henric. Tarantas. Vasq. d.164. c.4.reliquíque Doctores, qui altervtro ex præfatis modo personalitates ad potentiæ notionalis constitutionem aduocarunt : si nostrum excipias Ruiz, qui secum, vt modo referebamus, pugnat. Etenim, si potentia notionalis actiua personalitate producentis constituitur, atque passiua personalitate procedentis, & productæ : sicut implicat personalitatem producentis esse procedentis personalitatem, & è contra procedentis personalitatem esse personalitatem producentis, ita & potentiam notionalem actiuam esse in procedente, & passiuam in producente, vt patet.

3 Probatur secundò : quia, vel in Filio v.g. est potentia generatiua absolutè, & simpliciter, vel non ? Si non est absolutè, & simpliciter : ergo potentia notionalis actiua non est in Persona procedente absolutè, & simpliciter. Respondet Ruiz sect.4.5.& 6.n.16.& Ferrara 4. contra Gentes c.13. esse quidem absolutè, & simpliciter, licet non sit secundum vltimum determinatiuum ad generandum. Contra : quia vel sine illo vltimo determinatiuo est potentia generatiua absolutè & simpliciter, vel non ? Si est : ergo est in Persona procedente potentia notionalis, licet in ea non sit vltimum determinatiuum. Cur ergo non generat Filius æquè ac Pater ? Cum potentia naturalis sit, ac necessaria ; si non est, habemus intentum : in eis scilicet, Personis potentias notionales, siue actiuas, siue passiuas esse, in quibus vltimum illud determinatiuum, specialis personalitatis sit. Deinde nequit esse in aliquo potentia simpliciter, & absolutè actiua respectu termini implicantis contradictionem : ast terminus potentiæ generatiuæ in Filio implicat contradictionem : ergo nequit esse potentia generatiua simpliciter, & absolutè talis in Filio. Minor suadetur : quia, vel terminus eiusmodi potentiæ generatiuæ Filij est ipse Filius, vel alius Filius ? Alius implicat contradictionem in diuinis : Idem autem implicat contradictionem fieri à seipso, vt patet : ergo, & potentia generatiua in Filio implicat.

4 Respondent Argentina, & Ægydius, & Ruiz vbi proximè potentiam generatiuam, quamuisque actiuam, diuinam absolutè, & simpliciter esse talem, licet implicet absolutè terminus. Est enim ex parte obiecti conditionata, licet in se absoluta sit : quemadmodum de omnipotentia (intra quam potentiam notionalem esse autumant ipsi) philosophantur politiores, esse omnium, quæ non implicant contradictionem : quare, & chimeræ, si non implicaret. Contra : quia vt benè Aureol. in 1. d.10.quæst.1.artic.1. Durand.quæst.1. numero 6. Scot.q. vnic.§. *Respondeo*, vel omnipotentia, vt absolutè sit talis, dicit actiuitatem ad omnia, quæ fieri absolutè non implicant ? Vel tantum omnium, quæ ab ipsa fieri non repugnant ? Si primum : ergo, cum Filius diuinus non repugnet absolutè fieri suo modo in se potentia generatiua absolutè talis, in quocumque sit, debet esse absolutè, actiua Filij : & in quo absolutè actiua Filij absolutè possibilis non sit, sed eius productio absolutè impossibilis non est absolutè actiua, si eo modo absolutè actiua est, quo omnipotentia : quare in Filio absolutè non est ; secundum dici nequit ; quia quæuis potentia actiua creata omnipotentia absoluta erit : cum sit actiua omnium, quæ non repugnant fieri ab ipsa. Præcluſi solutionem aliam Ruiz.

5 Contra secundò : quia, vt ostendi, atque hoc argumento, & replicis postremis euincitur, potentia notionalis omnipotentia non est. Sed neque ab omnipotentia duci paritas potest. Tum quia potentiæ particulares actiuæ repugnant absolutè repugnante termino, eiúsve effectione in aliquo, quia cum illis essentialiter connectuntur, saltem, vt possibilitas : atque ideo non repugnat absolutè omnipotentia repugnantibus absolutè terminis, quia cum eorum possibilitate connexa non est : ergo cum potentia actiua notionalis sit particularis potentia, ac non illa vniuersalis, ac plenipotentia, atque insuper connexa sit cum suo termino, etiam, vt extstenti, posita absoluta existentia termini in se, vt est in Filio, & Spiritu sancto, & repugnantia vt ab aliquo fiat (qualis est in Filio ad generandum, & in Spiritu sancto ad hpc, & ad spirandum) potentia notionalis generatiua in Filio, & spiratiua in Spiritu sancto absolutè non esse in illis, illísque repugnare demonstratur.

6 Denique respondebis esse in Personis procedentibus potentiam notionalem actiuam simpliciter, & absolutam, atque Personarum productionem ab ipsis non repugnare absolutè defectu potentiæ, sed conditionis necessariæ : nempe personalitatis Patris v.g. in Filio. In primis solutione hac vti nequit Ruiz, neque vllus alius, qui potentias notionales personalitatibus producentium constituunt. Vt autem, neque alij vti possint, argumentor sic. Implicat esse potentiam actiuam necessariò dependentem in producendo à contradictione aliqua in eo, in quo natura sua conditio eiusmodi est impossibilis : at per vos personalitas producentis est conditio necessaria potentiæ actiuæ notionalis, à qua proinde necessariò dependet in producendo : atque insuper conditio eiusmodi est impossibilis natura sua in Persona procedente : ergo implicat potentiam notionalem actiuam esse in Persona procedente. Maior est aperta. Etenim implicat idemmet esse potentiam, & simul impedimentum suæ actionis.

DISPVTATIO V.

DE OBIECTIS ET terminis diuinarum Processionum.

ALTERVM intellectionis & amoris, quibus diuinas processiones contineri diximus, principium obiectum est : cum iuxta Aristotelis Philosophicum axioma ex obiecto, & potentia, quam hactenus examinauimus, pariatur notitia : quod ipsum, & de amoris principiis æquè certum est. Supponimus autem Verbi diuini rationem non essentialem, sed personalem esse. Cuius firmiora fundamenta ex Patribus, & ratione dedimus cursim d.2. & 3. dum de Filij à Patre processione per intellectum statuebamus : de eáque re iterum redibit sermo d. de propriis personarum quæst.2. Solum ergo examinandum hîc restat quorum obiectorum cognitione, ex his, quæ diuina scientia repræsentantur, Verbum, quòd personaliter tale est, procedat. Ea verò duplici differentia sunt : quædam Deo ipsi intrinseca, nimirum, quæcumque, siue absoluta, & essentialia, siue personalia, & relatiua naturæ identificantur diuinæ : quædam verò Deo extrinseca, nempè creaturæ omnes, siue possibiles, siue existentes, siue positiuæ, siue negatiuæ : quò etiam spectant impossibilia omnia, vt chimeræ, &c. Pro horum igitur obiectorum differentia duplici duplicem instituemus quæstionem. Est autem aduertendum difficultatem esse quænam ad cognitionem diuinam quatenus hoc Verbum in ratione huius Verbi producitur, requirantur ? Vt eis, per possibile, vel impossibile sublatis, Verbum hoc ab huius Verbi ratione deficeret. Dixi *ab huius Verbi ratione* : quia non de realitate huius Verbi, sed de formalitate solùm illius in ratione obiectiuæ huius, & exemplaris repræsentationis quæstio instituitur. Etenim realitatem huius Verbi defecturam esse, si aliquid ex intrinsecis Deo non cognosceretur cognitione diuina, qua Verbum procedit, certissimum est : quia deficeret cognitio diuina, quæ nunc est, ac proinde Deitas, totáque Trinitas, quæ nunc est ipsi identificata. Hoc autem ipsum aliis Verbis inquiritur ab Authoribus : nempè : Quænam obiecta quarto modo dicendi per se requirantur ad huius Verbi, qua tale formaliter est, productionem, seu processionem ? Eo enim modo requiruntur, teste Arist.1.Poster.c.4.causæ, principia, & quidquid per se essentialiter ad aliud requiritur. Adnectimus verò quæstionem de termino processionum, quia præ sui facilitate quæstioni, ne dum toti disputationi, vix erix satis.

QVÆSTIO I.

An Verbum ex omnium diuinorum cognitione per se quarto modo procedat ?

IN diuinis numeramus naturam, attributa ipsam metaphysicè consequentia, ac personalitates, quibus tres Personæ constituuntur, de quibus omnibus quæstio procedit. Sed an ex alicuius obiecti cognitione debeat Verbum procedere ? à nonnullis Thomistis dubitatur. Quare ea de re statuendum in primis erit.

CERTAMEN I.

Ex alicuius obiecti cognitione Verbum procedere contra Thomistas euincitur.

1 CAprcolus in 1. d.27. q.2. art.1. concl.1. & art.3. init. Ferrrara 1. contra Gent. cap.53. §. *Ad euidentiam*, & lib.4. c.13. post solutionem dubij 1. occurrentis, Canar. 1.p.quæst.27.art.1.d. 3. circa fin. & d.5.p.1. Banncz q. 34. art.3. fin. asserunt diuinam cognitionem prius terminari ad Verbum producendum, deinde ad illud cognoscendum : atque in eo posterius sui productione cognito reliqua, siue Deo intrinseca, siue extrinseca, posterius adhuc cognosci : neque aliter, quam in Verbo iam producto obiectum vllum, siue creatum, siue increata cognitione repræsentari posse defendunt. Vnde inquiunt : Fieri prorsus nequit, vt Verbum alicuius obiecti cognitionem ad sui productionem supponat : ac proinde, vt è cuiusquam cognitione procedat. Assumptum tamen in Verbo creato fusè improbarunt Fonseca tomo 3. metaph. lib.7.cap.8.quæst.3.& 5. ad argumenta Conimbr. 3.de anima c.8.q.3.art.2.cum quibus & nos ibi contra. de speciebus, & actibus intellectus. Quoad Verbum increatum impugnant Durand. in 1.d.27.q.2. num.19. Aureol.d.9.part.1. art.1.propos.3.& d.27. p.2. art.2.à principio, Molina 1.part. q.27. artic.1. d.8.m.3. Valent. q.7. de Trinitate art.3.circa fin. Ruiz d.59.sect.2. & subobscurè Caietan.citata quæst.27.art.1.quibus, & nos subscribimus.

2 Dicendum igitur est prius terminari diuinam cognitionem ad aliquod saltem obiectum, posmodum assignandum, quam ad Verbi productionem : ac proinde Verbum non posse non ex alicuius obiecti cognitione procedere. Conclusionis huius communis probatio ex vniuersalioribus principiis petenda primum est : Quippe nullum Verbum, etiam creatum, est obiectum primarium, in quo præcognito reliqua cognoscantur. Etenim, si Verbum creatum à cognitione non differat (vt probabilior opinio fert) nihil directa cognitione cognoscetur, sed reflexa : hoc autem, & est contra experientiam manifestam, & insuper impossibile. Infertur enim inde dari cognitionem ante vllam omnino cognitionem : quandoquidem antequam supra cognitionem, quæ in hac opinione Verbum est, mens reflecteret, cognitio, seu Verbum obiecti cognoscendi supponi deberet, vt in eo, seu, quod idem est, in illa cognita cognosceretur : quare, & cognitio obiecti ante eius cognitionem vllam, quæ solùm reflexa esse posset, supponeretur. Deinde quia reflexio cognitionis supra seipsam est prorsus implicatoria, præter quam in summè cognoscitiuo Deo : vt controu. de scientia docebamus. Si autem Verbum terminum esse, & diuersum, & productum à cognitione asseratur, tunc Verbum æquè, in ò magis cognosci deberet, quam reliqua obiecta : cum hæc in illo tanquam in obiecto primario præcognito cognoscantur. Patet in cognitione Cæsaris in sua imagine, quæ magis, quam ille cognoscitur : atqui experientia suadet non magis, sed minus cognosci Verbum, quam obiecta, quæ in illo cognosci ab his Doctoribus dicuntur ; alioqui ad id probandum tot rationum expensis Thomistæ non egerent : ergo obiecta non cognoscuntur in Verbo, tanquam in obiecto primario. Probatur secundò assumptum : quia in Thomistarum opinione omnis intuitio, visióque externorum obiectorum aboletur : quia nullum est, quod cognosci in se possit, cum omnia in idolo illo, seu imagine, quæ Verbum est, necessariò cognoscantur. Quocirca, licèt in eorum cognitione, quæ per species alienas fit, aliquam veritatis speciem habere hæc

hæc opinio posset ; in visione autem, atque intuitione omni prorsus probabilitate destituitur. Sed neque in abstractiuis cognitionibus locum habere, satis multis euicimus controu.de anima,vbi de alienarum specierum vsu statuebamus. Iam verò,si creata cognitio, non in verbo creato prius producto, & deinde cognito, sed in se ipsa obiecta attingit sua,faciles in nostram conclusionem Thomistæ citati venirent.

3 Sed de Verbo increato probatur specialiter conclusio. Quia, vel formalitas, per quam Verbum diuinum procedit, est formaliter absolutè intellectio? vel solùm formalitas actionis? Si primum : ergo cum via, & actio prior sit ratione, omnium sententia,ac fortè realiter processio tam actiua quam passiua termino suo, siue Persona procedente,qua intellectio,prior erit Verbo procedente : ergo pro priori illo terminabitur ad aliquod obiectum, quodcumque illud sit : cum intelligi in se nequeat intellectio, quin ad obiectum aliquod terminetur : ergo ex alicuius obiecti cognitione Verbum procedit. Nec refert(quod pro Aduersariis cogitabam) cognitionem entis rationis effectricem ipsum actiuè præcedere,quin pro illo priori ad entis rationis existentiam ad ipsum, vel ad obiectum aliud debeat terminari. Sed contra : quia ens rationis suo illo modo, quo per cognitionem est,obiectiuè à se ipso pendet, licet non pendeat actiuè : imò & eius cognitio, qua sit,ab ipso pendet : quare, & ipsam obiectiuè præcedit. Id quod, si in Verbo respectu cognitionis, qua procedit, Aduersarij admittant, habetur contra ipsos intentum:nempe:Verbum per se quarto modo ex alicuius obiecti cognitione procedere. Secundò ens rationis reali influxu non producitur; Verbum autem procedit reali influxu per diuinam cognitionem ; quare nequit solùm admodum entis rationis comparari ad intellectionem, qua procedit. Imò neque admitti potest mutua causalitas in genere obiectiuo, & effectiuo inter Verbum, & cognitionem, qua procedit : hæc enim realis proculdubio esset, quam impossibilem in physicis ostendebamus. Tertiò: ens rationis vnicum, & necessarium obiectum est cognitionis qua sit : quare nihil mirum, si simul sit obiectum,& terminus suæ actionis,seu causalitatis, qua suo modo existit;ast Verbum diuinum non est obiectum vnicum, & necessarium cognitionis, qua procedit:cum sint essentia, & communia, quæ ex parte actus primi, cum intellectu ad cognitionem, ac Verbum ea producendum supponi queant.

4 Dices ex Ferrara 1.contra Gentes cap.53. circa med. essentia, & communia, licet in esse reali independenter à verbo sint, secus in esse intelligibili : quare, vt obiecta intellecta ad Verbum, quòd, qua talia, supponunt,supponi minime posse. Contra : quia[3], vel loquitur de esse intelligibili intrinseco essentiæ,vel de extrinseco desumpto à possibilitate cognitionis ? Si de primo; non distinguitur ab intrinseca obiecti entitate, & formalitate:quare si intrinsecè,& essentialiter independentia sunt essentia, & communia à Verbo, in esse etiam intelligibili independentia erunt, quin à Verbo extrinsecus possint illud habere : alioqui intrinseca intelligibilitas non foret intrinseca,vt supponimus, sed extrinseca. Si de extrinseca loquatur:cum Verbum nullatenus cognitio sit, adhuc possibilis, essentia, & communia nullatenus ab eo habere possunt extrinsecam intelligibilitatem. Contra secundò:quia per hosce, quæ se ipsis, vel speciebus propriis intimè sunt præsentia potentiæ, in se sunt cognoscibilia, non in verbo præcognito : ac proinde neque ab eo esse intelligibile habent, vt de sensuum obiectis, ac Thomistæ docent : imò inde speciem ad Dei visionem impassibilem aiunt, quia se ipso actus purus in linea intelligibilis Deus est : arqui essentia,& communia intimè præsentia sunt intellectui diuino, imò magis quam verbum,quod ipsi non identificatur identitate adæquata,sicut communia:ergo in se, non ratione Verbi sunt intelligibilia.Contra tertiò:quia communia omnia independentia sunt à verbo, præhabitáque à Patre propriori originis : ergo, & intellectio essentialis,quæ communis est independens à verbo prorsus erit : non esset autem, si obiectum necessarium ad ipsam in ratione intelligibilis Verbum supponeret. Contra denique quartò:quia,si intellectio, vel esse intelligibile communium à verbo penderet, acciperet Pater aliquo modo à Filio intellectionem quod nullatenus admittendum esse ait S.Thom.in 1.d. 27.q.2. art. 2. ad 4. his verbis : *Nullo modo est concedendum,quod Pater intelligat à Filio, vel intelligat in Filio sicut in obiecto, vel specie, quæ cognoscitur : quia hoc poneret Filium habere aliquam rationem principij ad Patrem.*

5 Iam verò, si dicas cum Canariensi supra §. *Quibus*, supponi ad Verbum intellectionem, non qua intellectio formaliter, sed qua dictio Patris est, nihil firmius dices.Quia id erit non procedere Verbum per intellectionem formaliter, sed per rem, quæ est intellectio : id quod, & Spiritus sanctus habet : cum tamen concors Theologorum sententia sit, Verbum per intellectionem,Spiritum sanctum per amorem procedere,non è cõtra:quæ nisi formaliter capiantur, vera minimè sunt. Cõtra secundò:quia,vel illa actio est ab intellectu formaliter : & sic erit intellectio, vt contra Scotum, & Recentiores arguebamus d.3.quæst.4.cert.1. vel non est formaliter ab intellectu : & sic, nec Verbum per intellectũ procedet. Contra tertiò : quia dictio interna formaliter est intellectio, vt ibidem ex Patribus, & S. Thom.1. p. quæstione 27.art. 1.corp.ostendebamus. Denique opinio hæc sinistris tantum testimoniorum S. Thomæ interpretationibus nititur. Quod enim dicat Verbum esse formam exemplarem, & in quo omnia Pater Deus intuetur, non probat tanquam in obiecto prægnito, sed tanquam in exemplari, & imagine, vt expresè docet proximè recitatus:Docuitque Augustt. 15. de Trinit. c.14. Quod autem quæstione 4.de verit.art.1.corp.dicat Verbum esse id,quod actu consideratur per intellectum: & 1.contra Gent.cap.53.post med. ac lib.4. cap.11. post med. & quæstione 9.de potent.art.5. Verbum esse intentionẽ intellectam,phrasis est Aristotelis 3. de anima cap. 4. 6.& 8.textu 15.36.& 38.atque eiusdem Sancti Thom. 1.p. quæst.80. art.2. & sequentibus,asserentium intellectum intelligendo fieri, ac dici esse ipsa obiecta,quæ intelligit:id quod Verbo tanquam imagini obiectorum accommodatur à S.Thom.Imò, & vulgò imago Cœsaris, vel Crucifixi,Cœsar', & Crucifixus dicitur. Rogantibúsque, quid scribamus, vel loquamur, respondemus nos Petrum v. g.vel scribere, vel loqui:cum non, nisi eius caractheres,scribamus,& loquamur.

Certamen II.

Aliorum opiniones ad hominem confutantur.

1 His positis Bannez, Zumel, Nazarius, & Thomistæ communiter 1.p.quæstione 34. art.3. vbi & Molina §.*Contraria sententia*, Suar.lib.9. cap.4. num. 4. c.5.num.8.& lib.11.cap.2.Valent.d.2.quæst. 7. puncto 2.& quæst.8.puncto 1. Arrubal.d.134.num.6.Granad.tract.9.d. 5.Ruiz d.63.sect.2.Becanus cap.5.de Trinit. quæstione 5. Zunniga d.9.dub.3.Albiz,d.8. sect.2.&3. Martin Perez. d. 14.sect.5.Mærat. d.50. & Complutenses Recentiores asserunt Verbum diuinum, qua tale, procedere per se quarto modo ex omnium diuinorum cognitione. Cœterùm in Thomistis,& Granado consequentiam desidero.Asserunt essentiam solam esse specificatiuum adæquatum visionis beatæ,& diuinæ : ergo sublatis personalitatibus, & attributis nihil perfectionis formalis intrinsecæ deficeret cognitioni diuinæ in ratione cognitionis, & repræsentationis formalis : ergo, nec Verbo, quod per illam procedit deficeret aliquid in ratione repræsentationis obiectiuæ : ergo maneret Verbum, quod modo est, in ratione huius Verbi eis omnibus per impossibile sublatis. Confirmatur:quia vel deficeret aliquid cognitionis, & repræsentationis cognitioni diuinæ sublatis

sublatis ex parte obiecti aliis ab essentia? vel nihil deficeret?Si nihil:habetur intentum;si aliquid:ergo essentia non est adæquatum obiectum formale, & specificatiuum cognitionis diuinæ contra vestra principia.

2 Noster Vazq.1. p. d. 142. c.3. & 4. docet Verbum procedere per se quarto modo ex cognitione essentiæ, & reliquorum, præter Spiritum S. qua tale Verbum formaliter est ; quatenus autem spirator est è Spiritus etiam cognitione procedere. Sequuntur Luisius Torres d.18.dub.2.Alarcon, d.8. c.7.& 8. Istud de spiratore non placet.Quia Verbum,qua spirator, Verbum non est,neque spiratio obiectiua,sed filius,& fœcundus,ac proinde non formaliter, sed materialiter solùm ex obiectorum cognitione procedit : vt ex dictis de Filij præ Spiritu sancto generatione satis claret. Sed neque primum in Vazquez principiis potest sustineri. Ipse enim d. 60. c. 3. docet essentiam solam esse obiectum specificatium primarium, & adæquatum diuinæ cognitionis : ergo nec Pater, nec Verbum, nec attributa sunt obiecta per se requisita ad vllam perfectionem cognitionis diuinæ in suo genere, quare neque ad Verbi productionem. Secundo non nimis consectariè docet obiectum visionis intuitiuæ ex prædicato intuitiuæ esse rem totam, nec solam formalitatem vnam ipsius sine aliis : quare obiectum per se quarto modo visionis beatæ, quæ intuitiua esse debet,non esse essentiam solam,sed attributa,& personalitates ipsi identificatas:ergo cum Verbũ per se, & essentialiter visione intuitiua & beata, diuina, perfectissima procedat,habebit pro obiecto per se quarto modo attributa, & personalitates, quæ re ipsa essentiæ identificantur : atqui Spiritus Sanctus eadem res cum essentia est,non minus,quam Pater, & Filius: ergo erit obiectum per se quarto modo cognitionis, qua Verbum, qua tale,procedit, æquè atque Pater, & Filius. Contra tertiò.Ideò per te non procedit Verbum cognitione Spiritus sancti : quia Spiritus sanctus pro priori originis ad Filium non est : sed neque Filius est pro priori originis ad se ipsum, vt patet : ergo, neque procedit è sui ipsius cognitione. Vrgetur : quia neque Pater est pro priori originis efficientis, & generantis vt generantis obiectiuè,sed actiuè, & generatiuè : quo super magnam passi sunt Recentiores Complutenses æquiuocationem. Patet:nam pro priori originis, & actiuè, solùm est potentia generatiua seu Pater generans : nilque aliud ; licet in linea influxus, seu quasi influxus obiectiui plura esse possint,quæ pro illo signo actiuitatis,& influxus vitalis non sunt:imò, quæ in hoc ordine posteriora sunt:maximè in Vazq. & Alarcon doctrina, qui mutuam causalitatem realem in diuerso genere admittunt:quare,licet pro signo vitalis influxus,& actiuitatis Spiritus S.Filium non præcedat,sed sequatur;poterit tamen illum in linea obiectiui influxus præcedere.

3 Quassatur his satis solutio Alarconis c. 9. scilicet, vnamquamque personalitatem suo ordine, & signo cognosci:quare cum essentia terminabilis sit primò personalitate Patris, & pro posteriori signo personalitate Filij,& pro vlteriori personalitate Spiritus S. non posse cognosci personalitatẽ Spiritus S. pro primo signo, pro quo non est magis,quam pro eo signo possit esse.Benè: ergo neque Spiritus S. ad processionem Filij,vt spirator est, pro eo signo cognitus præcedet:nam ea consideratio,& ratio nequit Spiritũ S.ad primum signũ,seu prius Patris retrotrahere:vt oportebat ad hoc, vt illius cognitione per se quarto modo Filius in tua doctrina procederet.Insuper:cũ Filij personalitas non sit pro illo priori sui originis,nõ cognoscitur pro illo:quare neque è sui notitia, & cognitione Filius procedet.Sed enim cum obiectiua præcessio in alia linea sit,poterunt personalitates posteriores actiuè præcedere, vt obiecta cognita in signis,quibus sunt,suis. Imò argumento desumpto ex præcedẽtia obiectiua Filij euidẽter ad hominẽ id cõtra Alarcon demonstratur. Tertiò cognitio intuitiua, & comprehensiua causæ,& formalitatis essentialiter transcendentaliter relatæ ad effectũ,seu terminum productũ pendet per se quarto modo ex effectus, & termini cognitione per te:ergo cognitio comprehensiua,& intuitiua

R.P. Christoph.de Ortega, de Deo Vno & Trino.

Patris, qua, perte etiam,Verbum procedit, pendebit quarto modo per se ex cognitione termini, quem Patet essentialiter transcendentaliter respicit:sed potentia generatiua, & spiratiua, imò per te innascibilitas etiam quam imbibit Pater,refertur essentialiter transcendentaliter ad Filium,& Spiritum S. ergo ex eorum cognitione pendebit per se quarto modo Filij processio.

4 Congruentius ob hæc alij asserunt Verbũ procedere cognitione essentiæ cõmunium, & personalitatis Patris vt existentium,Filij autem,& Spiritus S. vt possibilium præcisiuè solùm. Tribuitur Caietano sup. licet falsè.Atque, si vera esset proximè impugnata doctrina Vazquianorum(nempe non posse præcedere cognita, & vt obiecta, quæ non sunt in priori originis Patris ad Verbũ,vel quæ sunt illo posteriora) non erat discursus omnino contemnendus. Siquidem Personæ procedentes secundum rationem non repugnantiæ in se non sunt Patre posteriores,à quo,secundum statum possibilitatis præcisè,actu formaliter non procedunt.Imò,in opinione sat is iam vulgata de complemento potentiæ proximæ expeditæ per effectus possibilitatem, ad illud prius spectant,quo Pater principium potens proximè, & expeditè existit.Neque multum negotij facesserent argumenta petita ex impossibilitate præcisionis non repugnantiæ,seu possibilitatis ab actuali existentia in diuinis: siquidem id non repugnare satis ostendimus d.q.1. cert. 2.Solùm ergo impugnatur hæc sententia ex specificatiuo adæquato diuinæ cognitionis. Si enim essentia sola formaliter,& præcisè sit adæquatum specificatiuum illius,nec Pater,nec Personæ procedentes,nec attributa, secundum statum vllum quarto modo per se requirentur,vt obiecta cognitionis qua Verbum procedit.Si autẽ specificatiuum adæquatum sit essentia secundum rem sumpta, omnia quæ ipsi realiter identificantur eo modo,quo identificantur cum essentia, per se quarto modo præcedent:cum autem Filius,& Spiritus S. vt existentes re ipsa identificentur cum essentia,imò verò illius existentia existant:Filius,& Spiritus S.vt existentes, requirẽtur per se 4.modo ad cognitionẽ,qua Verbũ procedit.

5 Eodem modo impugnandi veniunt Ægydius de Præsentat.5.de beatitud.q.14.art.4.§.5.n.40.Gasp.Hurtad. tract.de Trinit.d.7.diff. 4.qui aiunt,Verbum per se quarto modo cognitione essentiæ cõmuniũ,& Patris solùm procedere,non autem cognitione sui,neque Spiritus S. Nec dissimiliter confutandus est Scotus in in 1.d.10.fin. & d.32.fin.& in 2.d.1.q.1. quem Scotistæ omnes sequuntur,recenter Philippus Faber citata d. 32. Asserunt enim Personas procedere ex cognitione, & amore essentiæ, communiu m tantũ.Si enim distingui obiecta intrinseca ad terminationẽ diuinæ cognitionis, & amoris possunt (vt,in opinione Scoti de eorum distinctione ex natura rei,distingui manifestè possunt)è sola terminatione ad essentiã omnimodã infinitatem cognitio,& amor sufficienter trahent:quare nihil ex aliis formalitatibus in genere cognitionis,& amoris perfectionis intrinsecæ habebũt.Vnde ex parte cognitionis, & amoris perfectio tota ad Personas producendas ante formalitates alias absolutas intelligetur, sicut & ante personalitates.

Certamen III.

Essentia sola obiectum per se quarto modo cognitionis, qua Verbum procedit, asseritur, & vindicatur.

1 VT conclusionem præfatam(quam à nemine traditam testatur Ruiz, aliique Recentiores) suadeam,suppono:adæquatũ specificatiuum diuinæ scientiæ esse essentiam præcisam ab aliis attributis,& personalitatibus,vt latè probaui controu.2.de Deo vno, quæ est de scientia Dei d.3.quæst.1. cert.2. docentque communiter Thomistæ,& Scotistæ, atque ex nostris Vazq. Granad. & alij præter notatos certamine 1. Neque me iudice aliud sibi voluit Scotus si attẽtè legatur loco ibid.

allegato. Cum enim æquè distinguat attributa, & personalitates ab *essentia*:æque personalitates obiectum secundarium vocet: nequit de attributis sine in consequentiæ iniuria aliter sentire. Quin imo quoties de obiecto *primario*, seu specificatiuo diuinæ scientiæ loquitur,*sola* diuina essentia contineri docet. Sic eum sequuntur potius, quam interpretantur suæ familiæ Doctores à nobis dati d. & q. data de scientia Dei. Et quidem Rada, & ipse insignis Scotista, è sola essentiæ cognitione Verbum in Scoti sententia procedere acriter defendit ex locis Scoti citatis. Hinc probatur conclusio. Eorum obiectorum præcisè cognitione procedit per se quarto modo hoc Verbum, qua tale, quibus sublatis, per possibile, vel impossibile, ex parte obiecti Verbum hoc, qua tale, & secundum totam perfectionē intrinsecam in ratione Verbi non maneret: sed sublata solummodo essentia diuina ex parte obiecti præcisè non maneret Verbum hoc, qua tale, & secundum totam perfectionem intrinsecam in ratione Verbi; maneret autem manente essentia præcisè, aliisque omnibus diuinis per impossibile sublatis: ergo solius essentiæ præcisè, non autem reliquorum diuinorum cognitione Verbum hoc, qua tale, per se quarto modo procedit. Maior ipsissima est obiecti quarto modo per se requisiti definitio. Minor suadetur quoad primam partem. Sublata essentia cognitionis, qua cognitio formaliter est, Verbum necessariò aufertur secundum rationem Verbi: sed sublato obiecto adæquato specificatiuo, quod est essentia cognitionis, qua cognitio formaliter est: ergo, & aufertur Verbum hoc in ratione huius Verbi.

2 Vtraque præmissa certa omnino est ex proximè dictis, & consequentia legitima. Pergo ad secundam minoris partem probandam. Manente per possibile, vel impossibile, essentia diuina, sine reliquis diuinis, siue attributis, siue personalitatibus, maneret adæquatum specificatiuum cognitionis diuinæ: ergo maneret tota perfectio intrinseca cognitionis diuinæ, qua talis, siue in genere cognitionis diuinæ: ergo maneret tota cognitio, qua Verbum hoc, qua tale, procedit. Antecedens, & prima consequentia certa sunt ex notatis n.1. Secunda consequentia æquè ex eodem principio fluit. Quia Verbum hoc, qua tale, essentialiter solùm procedit per intrinsecum, & essentiale totum cognitionis diuinæ: ergo remanente toto intrinseco cognitionis diuinæ secundum totam perfectionem in suo genere, remanet quidquid in ratione cognitionis diuinæ essentialiter requiritur ad Verbi processionem. Probatur secundò, & explicatur eadem pars minoris. Manente tota infinita repræsentatione formali cognitionis diuinæ nequit deficere aliquid repræsentationis obiectiuæ in Verbo hoc per illam procedente: sed sublatis per impossibile reliquis diuinis, & manente solummodo essentia maneret tota infinita repræsentatio formalis cognitionis diuinæ: ergo remanet tota infinita repræsentatio obiectiua Verbi. Minor certa est ex dictis. Manente enim specificatiuo adæquatè obiecto cognitionis, seu repræsentationis intentionalis implicat non manere totam repræsentationem intentionalem formalem cognitionis illius. Consequentia est perspicua. Ex ea verò sic rursus infero: Ergo manet integrum Verbum hoc, qua tale, & in ratione Verbi, Patet consequentia: quia Verbi ratio quatenus obiecta respicit, tota est in repræsentatione obiectiua eorum, quæ semper æquat sua perfectione perfectionem repræsentationis formalis, quæ est in cognitione, qua producitur; licet respectu alio, quem habet Verbum, quatenus terminus productus à loquente est, ad illum, tanquam ad pingentem actiuè referatur.

3 Obiicies. Sublatis personalitatibus non maneret eadem essentia formaliter, quæ modo est obiectum primarium cognitionis, qua Verbum procedit: ergo neque Verbum hoc. Antecedens probatur. Non maneret fœcunditas intrinseca, & terminabilitas triplici subsistentia, quam in suo formali conceptu includit essentia, quæ nunc est. Vrgent Recentiores. Strictior est connexio essentiæ cum personalitatibus, & attributis, quam omnipotentiæ, realiter adhuc connexæ cum creaturis: sed sublata quauis creatura possibili non maneret omnipotentia vera, quæ nunc est, sed alia ficta: ergo sublatis etiā personalitatibus, & attributis non maneret essentia vera, quæ nunc est. Maior videtur certa. Strictius enim vinculum est identitatis realis extremorum, quam connexionis realis vnius cum alio. Negatur primū antecedēs. Ad cuius probationē respondetur: fœcunditatem naturæ respectiuam personalitatum non esse quandoquidē cum ipsis natura identificatur, nihilque ad se ipsum respectum realem habere potest: vnde, sicut deficientibus per impossibile personalitatibus manerent formalitates absolutæ essentiæ, ita, & fœcunditas absoluta. Ad confirmationē respondetur maiorem esse de subiecto non supponente. Nam identitas, nec vinculū, nec connexio est, sed identitas: quare neque potest strictius vinculum esse, si propriè loquamur: cum vinculum, & connexio necessariò, & essentialiter inter extrema diuersa versetur. Sed si impropriè, & laxè vinculum, & connexio accipiantur, concedo maiorem: & admissa minori nego consequentiam. Est enim huiusmodi. Relatiuum verè tale nequit cognosci sine termino formaliter: ergo absolutū nequit formaliter cognosci sine termino. Sublatis ergo personalitatis, & attributis ratione identitatis cum ipsis periret realiter, non autem formaliter essentia.

4 Obiicies secundò. Verbum procedit cognitione intuitiua diuina: ergo præsupponit per se quarto modo obiectū ipsius: sed obiectum intuitionis diuinæ est Deus, vt in re est, essentia scilicet cum attributis, & personalitatibus: ergo supponit essentiam cum illis. Respondetur ex dictis d.1.q.5. cert.1. negando subsumptum ad secundam consequentiam. Potest enim intuitio circa vnam rei eiusdem formalitatem versari, quin circa alterā versetur. Recognosce ibi dicta. Instas: Verbum quarto modo per se procedit ex cognitione intuitiua diuina: sed cognitio diuina intuitiua est omnium attributorum, & personalitatum: ergo eorū omnium cognitione per se quarto modo procedit Verbum. Distinguo maiorem: cognitione intuitiua diuina omnium obiectorum, quæ Deus intuetur, nego maiorem; primarij obiecti, & adæquati specificatiuī concedo maiorem: & concessa minori iuxta eandē distinctionē nego consequentiam: quia alia obiecta ab essentia, neque primaria, neque specificatiua obiecta sunt cognitionis diuinæ intuitiuæ. Atque vt dixi non semel, si ex essentiæ, vt in re est cognitione Verbū procedat è sui, & Spiritus sancti cognitione debet procedere: vt existentiū: vnde fiet contra S. Thomam recitatū cert.1. fine, Patrē in Filij generatione à Verbo, & Spiritu, vt existentibus pendere, sicque eas sui processionibus præcedere.

5 Oppones rursus. Verbū essentialiter procedit, saltem per cognitionē comprehensiuam essentiæ: sed de ratione comprehensionis essentiæ est esse cognitionem eorum omniū, quæ aliquid essentiæ sunt, cuiusmodi sunt attributa, & personalitates ipsi idētificatæ: ergo de ratione cognitionis, qua essentialiter Verbū procedit, est esse cognitionē personalitatū: ergo attributa, & personalitates sunt obiecta per se quarto modo cognitionis, qua essentialiter Verbū procedit. Vtraque consequentia videtur perspicua. Respondetur facilè distinguendo maiorem: procedit per cognitionē comprehensiuam essentiæ, quoad intrinsecam comprehensionis perfectionem, siue, quoad perfectionē comprehensionis intensiuam fateor, quoad extrinsecam, & quasi extensiuam comprehensionis perfectionē in actu exercito, nego maiorē, & similiter distinguo minorē: quoad extrinsecā, & quasi extensiuā cōprehensionis perfectionē, concedo minorem; quoad intrinsecā, & intensiuam comprehensionis perfectionē, nego minorē, & nego absolutè vtrāque cōsequentiā. Cū enim attributa, & personalitates specificatiua adhuc partialia, obiectúmve partiale primariū non sint, sed id solummodo habeat essentia respectu cognitionis diuinæ, nullatenus ad eius, etiam qua comprehēsiua est, intrinsecā, & intensiuā perfectionē requiruntur.

6 Obiicies 4. Verbū est Verbū omniū, quæ sunt in Deo: sed nequit esse Verbū incognitorū, seu nō præcognitorū: ne eo loquens Pater ad modum ψιτταϛι loquatur: ergo supponit

supponit præcognita omnia, quæ sunt in Deo. Multum probat obiectio: cum creaturæ, etiam futuræ, Verbo à Patre dicantur. Respondetur pro omnibus Patrem quædam loqui primariò, quædā secundariò Verbo suo; quod aliquorum Verbum primariò, aliquorum secundariò est: Sicut de diuina omniscientia philosophabamur controuersitata de scientia Dei. Primariò Pater Verbo suo solummodo dicit essentiam, quæ est obiectum specificatiuum adæquatum cognitionis diuinæ, qua per se quarto modo Verbum procedit, reliqua autem dicit secundariò. Ab his autem, quæ secundariò dicit non magis per se Verbum pendet, quam cognitio diuina, quæ ea secundariò repræsentat, quáque Verbum procedit. Solùm ergo, & Verbum, & cognitio diuina, quoad denominationem ab obiectis pendent secundariis, vt illorum sint, & cognitio, & verbum. Addiderim præcognitionem obiecti secundarij requiri in Patre ad loquentis actiuè perfectionem, non autem ad perfectionem repræsentationis obiectiuæ, eorum etiam, quæ secundariò Verbum repræsentat. Nam, si per impossibile in cognitione, qua Verbum procedit, Patri non repræsentarentur, & tamen cum intrinseca perfectione repræsentationis formalis cognitio maneret, Verbum ea obiecta eodem prorsus modo repræsentaret obiectiuè, ac si præcognita à Patre formaliter forent.

7 Hinc constat solutio ad plura Patrum testimonia recitata à Ruiz. d.61. sect.2.à. n.5. quibus dicitur Verbū esse: *omniū, quæ sunt in Patre, & Deo, Verbum: talēque euadere, ne imperfectū euadat: ac pro quouis obiecto verba multiplicare oporteat*, vt loquitur Athanas. epist. Nicænæ Synod. ad med. vrgentius videtur locutus Auguſt. 15. de Trinit. c.14. sub init. pro Patris personalitate his verbis: *Tanqua se ipsum dicens Pater genuit Verbū, sibi æquale per omnia*: ergo generatio Verbi formalissimè est dictio, qua se dicit Pater ex Auguſt. ergo ad illam prænouit se Pater: ergo suam prænouit paternitatē, seu personalitatem, sine qua Pater nō est. Respondetur distinguendo consequentiā primam: qua se dicit Pater primariò, nego consequentiā; qua se dicit secūdariò concedo cōsequentiā, & nego eodem sensu consequentiam secundā. Solùm ergo contendit Auguſt. Verbū in ratione Verbi æquare sua obiectiua repræsentatione formalitates omnes obiectiuad id autē satis est, si ex quocūque obiecto, & formalitate omnimodā repræsentationē obiectiuā realiter, & formaliter trahat. Audite quæ immediatè subiungit Auguſt: *Non enim se ipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso.*

8 Argues rursus pro Patris personalitate ex Vazq. Illud est obiectū primariū intellectionis, qua Verbū procedit, quod potest esse obiectū primarium productionis Verbi: sed essentia sola sine Patris personalitate nequit esse obiectum primariū productionis Verbi: ergo neque intellectionis qua Verbū procedit. Probatur minor: quia determinans intellectū Patris per modum obiecti, & principij fœcundantis illū ad Verbi productionē distingui debet à Verbo producto: sed essentia sola sine Patris personalitate nō distinguitur à Verbo producto: ergo essentia sola sine patris personalitate nō est obiectū fœcūdans intellectum Patris, & primarium. Respondetur negando primam minorem. Ad eius probationē nego maiorē. Nam obiectū diuinæ cognitionis, ne formaliter quidem, ab ipsa distingui debet: vt latè probaui cōtra nostrū Herice controu. de scientia Dei d.2.q.1. quare in genere obiecti, sicut nulla est præcedentia obiecti ad scientiam diuinam, ita, neque eius ab illa, aut Verbo distinctio requiritur. Solùm ergo requiritur distinctio Patris à Verbo, quatenus productiuus illius est: vnde, licet obiectum foret, ea præcisè ratione à cognitione, & à Verbo distingui non deberet: vt Patres docent, qui Patrem à Verbo ratione actiuitatis, & processionis tantū distingui asserūt: Et patet: cū Verbū sui ipsius obiectiua repræsentatio & Verbū sit. Instāt Vazq. & Hurtado. Verbū procedit primariò, vt Filius, & imago Patris: ergo, vt repræsentans primariò Patrē: ergo ex cognitione Patris. Respondetur distinguendo antecedens: procedit primariò, vt imago intētionalis patris, nego; vt imago realis, cōcedo antecedens iuxta dicta de eius Filiatione præ Spiritu S. d.3. q.2. cert.6. Ad rationē autē imaginis realis repræsentati præcognitio non requiritur: vt in Filiis omnibus patet: atque citato loco contra Vazq. euicimus.

9 Denique pro Filij personalitate arguit Vazq. Productio Verbi essentialiter est intellectio: ergo produci Verbum essentialiter est intelligi Verbum: ergo nequit produci, quin intelligatur. Egregius paralogismus. Distinguo antecedens: essentialiter est intellectio sui obiecti primarij concedo antecedens; termini, quem producit, nego antecedens: Et nego inde consequentiā primam, & secundam. Solùm enim infertur produci Verbum esse intelligi obiectū primarium illius, non terminū. Cōstat manifestè in Verbo creato: in quo, quia intellectione Petri, v.g. producitur essentialiter Verbum Petri, ac proinde eius productio essentialiter est intellectio Petri, non valet intellectione ipsius verbi, verbum Petri produci: neque ipsum Verbum produci esse ipsum Verbum intelligi.

QVÆSTIO II.

An Verbum procedat per se quarto modo ex cognitione creaturarum?

CREATVRAS impossibiles, & futuras, siue existentes ad rem hanc Doctores diuidūt. De quibus omnibus ex ratione à priori, qua præcedentis quæstionis conclusionē probauimus claret negatiuè resoluendum esse. Sed quia pro creaturis, tam possibilibus, quam existentibus, & futuris aliæ suppetunt rationes, quæ pro aliis grauibus Theologiæ controuersiis non contemnendam parant supellectilem, de eis seorsim disputamus.

CERTAMEN I.

Non procedit per se quarto modo Verbum è possibilium cognitione.

1 OPpositam nostræ conclusioni sententiam tenēt Gabr. in 1.d.27.q.3.art.3.dub.1. Caietanus 1. p. q. 34.art.3.vbi Bannez, Zumel, Molin. Valent.q.7. d.2.dub. 2. Suar.lib.9.c.6. Ruizd.73. sect.1. Granad.tract.9.d.9. Zunniga d.3.dub.6. Albiz d.8.sect.8. & Complutenses Recentiores. Nostram verò conclusionem docent Scotus quodlibet. 14. & in 2.q. 1. Faber cum omnibus Scotistis d.2. Vazq. d. 143.c.3. Arrubal. d.1.5. Luis de Torres d.18.dub.3. Albertin. corollar.14. ad prædicatum ad aliquid, dub.1. n.8. Alarcon de Trinit.d.8.c.9.n.13. communitérque in nostra Prouincia Recentiores, & quod mihi caput est illud Scholarū miraculum Magister meus Pater Didacus Daza. Multa in casum pro hac conclusione ex Patribus afferuntur, sicut, & pro oppositā, cùm tamen Patris nihil de ea, siue in terminis siue in virtute definierint. Est autem probata scholasticè à priori quæstione præcedenti. Sed admisso etiam, quod specificatiuum adæquatum essentia sola non contineatur respectu cognitionis diuinæ; sed reliqua etiam diuina, quæ eadem res sunt cum essentia, ad illud aduocanda sint: nimirum personalitates, & attributa omnia præcipuè omnipotentia, in qua est rei præsentis difficultas, probanda erit conclusio hoc pacto.

2 Omnipotentia diuina absoluta est à creaturis: ergo, licet Verbum procedat quarto modo per se cognitione omnipotentiæ, non procedet per se quarto modo cognitione possibilium creaturarum. Consequentiam negat nemo. Antecedens probo. Maior est necessitas Dei, quam creaturarum possibilium: ergo nihil connectitur cum creaturis possibilibus. Consequentia est legitima. Nam connexum essentialiter cum termino sublato termino perit: ergo nequit esse maioris constantiæ, & necessitatis, quam terminus. Antecedens probatur. Alioqui sublata simiæ cauda è possibilibus

Deus non foret, quod, licet aliqui deglutiant, strictiores pietas debet habere fauces. Probatur secundò à priori. Vna necessitas essendi, vt sic potest esse maior altera: ergo, cum *in Deo* summa necessitas poni debeat, maior erit *in ipso* necessitas existendi, quam sit necessitas creaturarum possibilium. Antecedens probo: quia maior *est certitudo* vnius propositionis, quam alterius: cum tamen certitudo de conceptu suo dicat necessitatem existendi, seu essendi rem, sicut enuntiatur, atque omnem contingentiam excludat aliter essendi: ergo cum necessitate, & implicatione aliter essendi, quæ omnem contingentiam aliter essendi excludat, potest esse maior necessitas ita essendi, & maior implicatio aliter essendi.

3 Dices certitudinem propositionis desumi ab extrinseco principio; necessitatem verò essendi, vel actu, vel possibiliter debere esse intrinsecam, in quo est implicatio. Contra primò: quia si ab extrinseco non implicat maiorem esse necessitatem, & constantiam cur ab intrinseco ita esse implicabit, si termini diuersi sint, de quibus vtrumque verificatur. Contra secundò: quia tandem in principiis veniendum est ad prima principia, quorum alia aliis certiora, & magis necessariæ veritatis sint. Contra tertiò: quia intrinsecè est magis necessaria veritas, ac proinde magis infallibilis in diuina scientia, quàm in euidenti cognitione creata, etiam primorum principiorum: vnde fides principiis omnibus naturalibus est certior. In quo certitudo à veritate maximè differt: nam veritas è suo conceptu consistit in indiuisibili omnimodæ adæquationis cognitionis cum obiecto; necessitas autem veritatis, in qua certitudo stat, non consistit *in indiuisibili*, sed maior, vel minor esse potest, etiam intrinseca: alioquin, sicut veritas, quia è suo conceptu *in indiuisibili* omnimodæ adæquationis consistit, ab extrinseco maior esse non potest veritas, ita, nec maior posset esse necessitas, seu certitudo illius, etiam ab extrinseco; si necessitas & constantia veritatis è suo conceptu in indiuisibili consisteret. Qua in re decepi valde sunt Recentiores sæpe in hac materia impugnati, qui exemplo indiuisibilitatis, & æqualitatis, quæ in veritate necessariò est, in necessitate intrinseca veritatis, seu certitudine idem euinci iudicabant. Indéque in necessitate existentiæ Dei, & possibilitatis creaturarum.

4 Vrgent. Æqua contradicto, & repugnantia est in his contradictoriis: *Petrus existit. Petrus non existit.* Atque in his: *Deus est. Deus non est*: ergo æqua necessitas est possibilitatis creaturæ, & existentiæ Dei. Probant consequentiam. Necessitas existentiæ Dei solùm consistit in exclusione absoluta negationis sui, siue contradictorij existentiæ suæ, cuius nullam relinquit contingentiam: necessitas possibilitatis consistit in exclusione absoluta, & omnimoda suæ repugnantiæ, quæ nullam repugnantiæ suæ contingentiam relinquat: ergo æqua est necessitas existentiæ Dei, & possibilitatis creaturæ. In primis instatur argumentum in maiore necessitate vnius veritatis præ alia, siue extrinseca conclusionis demonstratæ, siue intrinseca primorum principiorum. Pro omnibus ergo respondeo concesso antecedenti primo, negando consequentiam. Ad eius probationem dicito: vnum contradictorium æquè excludere alterum formaliter ex præsuppositione alterius extremi; ast extremum existentiæ Dei, quod alterum extremum contradictorium eius existentiæ excludit, maioris esse constantiæ, quam extremum possibilitatis creaturæ, quod ab illa ipsius impossibilitatem, & repugnantiam excludit. Creatura enim semper imbibit essentialem dependentiam à Deo saltem possibiliter, quam Deus neque logicè, neque physicè dicit à creatura, imò, neque à se ipso: quare creatura Dei existentiam supponit ad suæ etiam possibilitatis positionem. Inde maioris constantiæ, & necessitatis esse conuincitur existentiæ diuinæ positio, quæ sui negationem excludit: licet vtraque posita formaliter, & contradictoriè æquè extremi oppositi, suæque repugnantiæ contingentiam excludat. Sed inquies: quænam maior hæc constantia, seu necessitas ponendæ existentiæ Dei, quam possibilitatis? Rogabo & ego: Quænam sit maior necessitas in veritate diuina, quam in veritate primi principij creati? Sed, & maiorem necessitatem existentiæ diuinæ sic explicabo. Tantæ necessitatis est diuina existentia, vt si ad ipsam opporteret è possibilibus aliquid fieri impossibile, atque ex impossibilibus aliquid fieri possibile, præstandum foret; Non autem contra, si ad possibilitatem oporteret diuinam existentiam remoueri, hæc nunquam remouenda foret, licet creatura possibilis impossibilitatem incurreret: Sic etiam de maiori necessitate veritatis diuinæ, quam primorum principiorum discurrendum est, vt vtrobique Deo dignè concipiatur.

5 Addiderim denique: & si omnipotentia ad creaturas essentialiter referatur, dici tamen non incongruenter posse Verbum omnipotentiæ solius cognitione non autem creaturæ vllius per se quarto modo procedere: satisque id paruo defenderem. Neque enim, vt relatiuum cognoscatur, termini cognitione opus esse videtur. Sicut enim diuersam in se entitatem relatio habet, licet à termino dependentem: ita, & in se diuersam habet cognoscibilitatem; quia dependentia in entitate non arguit dependentiam in cognoscibilitate intuitiua. Quanuis enim nos, qui ab stractiuè, & per alienos conceptus cognoscimus, non aliter, quam in ordine ad terminum cognoscere relatiua possimus, plura tamen vulgò relatiua intuemur, quorum terminos certe intuitiuè non cognoscimus, & fortè, nec de eis abstractiuè cogitamus. Secundò saltem eadem cognitione, adhuc specificè, qua relatiuum cognoscitur, opus non esse, vt terminus cognoscatur, licet cognitione alia simul cognosci debeat, mihi probabilius est. Quare licet in Deo ob perfectionem cognoscentis eadem indiuisibili cognitione cognoscatur vtrumque, cum tamen ex omnipotentia relatiua (quam specificatiuum esse nunc admitto) totam perfectionem repræsentationis cognitio sumat, qua per se quarto modo procedit Verbum, ex ea formalitate cognitionis indiuisibilis comparata ad omnipotentiam præcisè totam obiectiuam repræsentationem traheret Verbum: ac proinde sola omnipotentia obiectum per se quarto modo processionis Verbi foret; aliúdque extrinsecum materialiter solùm respectu processionis Verbi se haberet. Nam in formalitate eadem indiuisibili potest aliquid extrinsecus materialiter se habens, aliud verò formaliter se habens assignari: vt patet in actu fidei.

Certamen II.

Nullam creaturam futuram esse obiectum per se quarto modo processionis Verbi.

1 TVentur conclusionem quot quot pro conclusione de possibilibus dedimus. Eámque adeò certam censet noster Vazq. c. 1. vt nullum fore tam hebeti ingenio iudicet, qui aliter sentiat. Ex eis verò Doctoribus, qui aliter de possibilibus censebant nobis de futuris consentiunt Suar. 9. de Trinit. capite 7. Granad. tract. 9. d. 7. Ruiz. d. 63. sect. 4. & Complutenses Recentiores. In his autem consequentiam desidero. Si enim potest dari in Deo repræsentatio obiecti extrinseci ab eo absoluta, & independens: ergo talis erit repræsentatio possibilium: ergo, & Verbum possibilium ab illis absolutum, & indepens erit. Extrema consequentia patet: nam tota difficultas est in saluanda præpræsentatione actuali absoluta, & independenti, ab obiecto, quod actu exercito repræsentat. Primam consequentiam probo. Posita possibilitate actualis repræsentationis diuinæ, & vitalis absolutæ, & independentis ab obiecto extrinseco, vt hi ponunt circa futura, perfectior est repræsentatio vitalis absoluta, & independens à creatis possibilibus, quam ab illis dependens: ergo Deo, cuius actibus summa perfectio

perfectio conceditur talis debet cognitio possibilium attribui. Dicunt Recentiores in futurorum cognitione diuersam esse rationem: cum ex illorum dependentia imperfectio contingentiæ Dei, quoad intrinsecum inferatur: quæ sanè non infertur ex dependentia cognitionis diuinæ à creaturis possibilibus, quæ necessaria sunt. Contra: æqua necessitate cogimur Deo concedere omnem perfectionem, quæ non dicat imperfectionem, atque ipsi denegare quæcumque imperfectionem dicunt: nam sicut his admissis non remaneret Deus, ita neque remaneret Deus illis negatis: ergo semel admisso, quod esse actualem repræsentationem vitalem obiecti extrinseci ab illo absolutam non dicat imperfectionem, sed perfectionem maiorem, licet in id ad vitandam imperfectionem contingentiæ in intrinseco Dei primum inciderimus, eam repræsentationem Dei circa possibilia ab illis absolutam admittere debemus, vt ponamus in Deo maximam repræsentationis perfectionem.

2 Sed inconsequentiis omnibus probatur primò conclusio argumentis datis cert. 1. pro conclusione possibilium. Secundò specialiter ab absurdo. Verbum producitur per se quarto modo è cognitione formaliter contingentium, quoad suam intrinsecam formalitatem: ergo quoad suam intrinsecam formalitatem Verbum est contingens: quod est erroneum, vt patet. Consequentiam probo. Quidquid per se, & essentialiter supponit aliquid contingens, necessarium non est, sed contingens: sed Verbum per se quarto modo secundum intrinsecam suam formalitatem procedens ex cognitione formaliter contingentium supponit decretum liberum Dei de eorum existentia, insuper ipsammet futurorum existentiam contingentem, atque eorundem futurorum scientiam: ergo secundum suam intrinsecam formalitatem non est necessarium, sed contingens. Respondet Zunniga m. 4. num. 1. & d. 9. dub. 7. ex valent. citata d. 2. quæstione 3. puncto 8. futuritionem determinatè esse contingentem, ast futuritionem, vel non futuritionem esse necessariam: ac proinde alterutrius cognitionem necessariam in Deo esse: Verbum autem procedere ex cognitione futuritionis, vel non futuritionis, quæ necessaria est, non autem futuritionis determinatæ, quæ est contingens. Contra: quia in Deo cognitio formalis, & exercita in actu secundo de quouis obiecto determinata est, non confusa, indeterminata, & vaga futuritionis, vel non futuritionis: ergo. Si verbum procedit è cognitione futuritionis formali exercita procedit è cognitione futuritionis determinatæ, quæ huius, & decreti contingentiam supponit. Contra secundò: quia Verbum procedit cognitione futuri, quatenus illius expressiuum formaliter obiectiuè est: sed est formaliter expressiuum futuri determinate, & non vagè; ergo procedit è cognitione determinata futuri, non autem vagè futuri, vel non futuri. Patet consequentia: quia eorum cognitione procedit Verbum, quæ formaliter obiectiuè repræsentat. Contra tertiò: quia ad repræsentationem futuri impertinenter se habet cognitio suæ negationis. Contra quartò: quia hæc propositio: *Petrus erit, vel non erit*, non habet obiectum futurum, & contingens sed necessarium: ergo Verbum, quod procedit ex eius obiecti cognitione non procedit ex cognitione futuri, quod, qua tale, contingens est.

3 Respondet secundò Zunniga distinguendo maiorè probationis primæ consequentiæ. Quidquid supponit per se contingens aliquod, & non supponit aliud necessarium à quo oriatur est contingens, concedit maiorem; si illud supponat, negat maiorem. Ecce, si voluntati præuentæ cogitatione indifferenti addatur physica prædeterminatio, consensus necessarius in nostris principiis erit, non contingens. Cum ergo supponat Verbum necessarium cognitionem Dei circa se, & alia omnia necessaria obiecta, à qua oriatur necessariò, non contingenter, sed necessariò procedit; licet cognitio quatenus ad futura (ex quorum etiam notitia Verbum per se procedit) terminatur, sit contingens, vt pote eorum futuritionem contingentem, liberúmque Dei decretum supponens. Insignis æquiuocatio. Non contendimus Verbi productionem esse contingentem relatè ad suum principium, & Personam Patris, seu cum suo principio posse coniungi negationem Verbi: hoc enim esset liberè à Patre produci Verbum; sed contendimus absolutè ita esse Verbum, vt potuerit non esse. Ad primum fortasse tenet solutio; secus ad secundum: quod sic probo. Vel ad Verbi productionem per se expectatur cognitio contingens futuritionis formaliter, vel non expectatur? Si non expectatur: ergo per se ex formali cognitione futuri non procedit Verbum. Si expectatur: ergo sublata formali, & exercita cognitione futuri periret Verbum; licet ea posita necessariò, & non liberè à suo principio procederet: atqui eam exercitè aufferri contingens est: ergo, & Verbi intrinseca formalitas è cognitione formali, & exercita futuri prouenientis erit contingens.

4 Tandem ex Zunniga distingues minorem eiusdem syllogismi. Secundum intrinsecam formalitatem, prout comparatur, vt expressio formalis futurorum est contingens, concedes minorem; absolutè illam negabis. Contra: quia vel, vt expressio comparata ad futura est aliquid intrinsecum formalitatis huius Verbi, vel non? Si est aliquid formalitatis intrinsecæ Verbi: ergo aliquid formalitatis intrinsecæ Verbi est contingens, quod cum prædicato formalitatis diuinæ pugnat. Si non est intrinsecum formalitatis: ergo illius processione non procedit Verbum, neque illud Verbi processione procedit: quare Verbum per se non procedit cognitione futurorum, licet illud extrinsecum, seu non intrinsecum Verbi illa procedat. Dices cognitionem ipsam esse cognitionem contingentium, & volitionem, illorum etiam volitionem, & vtramque liberam, & tamen diuinam. Contra: quia, licet cognitio, & volitio sint liberæ formaliter, tamen quoad intrinsecam formalitatem contingentes non sunt, neque quoad illam dependentes à contingentia creaturarum; sed iuxta opiniones varias complentur extrinseca creaturarum positione, quoad denominationem formalem, quin eis sublatis in intrinseca formalitate deficiant; in hac verò opinione de processione per se cognitione futuri aliquid formale intrinsecum Verbi formaliter deficeret futuro deficiente.

5 Ad certaminis calcem impugnandi veniunt Ruiz, & Recentiores complutenses. Nam, licet vterque nobiscum absolutè loquendo hac in re sentiat, tamen Ruiz ait ex suppositione, quod futura sint futura Verbum per se postulare ex illorum cognitione procedere, quod satis non capio. Si enim absolutè Verbum ex illorum cognitione non procedit, nescio quomodo ex suppositione natura posteriori, vel saltem disparata, & impertinenti ad suam absolutam processionem possit obiectiuè pendere! Sicut enim cognitio diuina ex eo, quod independenter à futuris suam totam formalem repræsentationem habeat, repræsentat futura, quin in suo esse, à futuris, etiam positis, obiectiuè pendeat; ita etiam Verbum, illorum Verbum, & obiectiua repræsentatio erit, si ponantur, & tamen eis positis in esse Verbi ab illis non pendebit. Contra secundò: quia quidquid pendet per se ab hypothesi contingenti formaliter, formaliter est contingens: sed futurum, quod est hypothesis, est contingens formaliter: ergo Verbum, quod ex hypothesi futuri per se formaliter procedit est contingens. Recentiores autem addunt: Verbum, vt formaliter expressiuum futurorum virtualiter procedere per se quarto modo ex illorum cognitione. Odi pessimè vana hæc productionis virtualis nomina. Hinc autem importunam vocem reiicio. Nam esto: cognitio, provt terminata ad intrinseca, & necessaria obiecta omnia, sit virtualis, seu eminentialis cognitio futurorum, quin expectentur futura: ex ea per te eandem adæquatam repræsentationem obiectiuam eminentem futurorum trahit Verbum: ergo solùm expectantur ad demonstrationem formalis repræsentationis eorum: Ita, vt sublata denominatione formalis repræsentationis futurorum, per impossibile, à cognitione, posita in Verbo perfectione repræsentationis obiectiuæ, quam ex cognitione eminentiali, qua

procedit,trahit, positísque *futuris* Verbum esset formaliter expressio obiectiua illorum: ergo, vt tale neque eminenter, & virtualiter à cognitione formali exercita illorum per se Verbum proceditjlicèt procedat à cognitione eminentiali omnino independente à futuris.

QVÆSTIO III.

De termino formali diuinarum processionum.

NOTA est de nomine quæstio, breuíque proinde definienda. Sed tamen omittenda non fuit: quia, & suam habere subtilitatem potest, vtilémque aliis grauioribus doctrinam.

CERTAMEN I.

Aliorum sententiæ.

1 PRima sententia nullum proprium terminum formalem diuinarum processionum recognoscit. Ita S. Bonau. in 1.d.13.art.1.q.2.ad 2.d.5. art.2.q.1. corp. Okam.q.3.Gabr.quæst.3.art.2. Aureol.quæst. vnic. art. 2. propos.3.& art.3.col.3.Gregor. q.2. art. 2. concl.2. Ruiz d.98.sect.7. concl.2. num.11.Rationes pleræque eis, nec communes sunt, nec momenti.Fundamentum commune est:quia terminus formalis proprius productionis cuiuuis est, qui per se, & in se existentiam accipit per illam,& ratione illius eam accipit terminus totalis atqui essentia diuina non accipit in se existentiam per processionem,neque Persona accipit esse, siue existentiam ratione essentiæ: ergo non est terminus proprius formalis diuinarum processionum.Sed certè discursus solùm concludit essentiam non esse proprium terminum formalem processionum.Si autem personalitas propriam formaliter existentiam habeat,propriúmque esse, vt in Aduersariorum sententia habeat,nonne in Personis procedentibus esse recipiet processione, eiúsque ratione Persona,quæ illa constat personalitate? Solus Gregorius, qui nobiscum propriam existentiam, atque esse personalitatibus diuinis d. proximè sequenti denegabit, ad eas etiam discursum posset extendere: quia, & personalitas in se existentiam non recipit influxu, qua tali, sed,qua communicatio essentiæ est; ac rursus ratione personalitatis non accipit esse, siue existentiam tota Persona procedens:quare neque personalitas terminus proprius formalis processionum esse poterit. Sed maior non est firma, vt cert.2. constabit.

2 S. Thom.in 1.d.5.q.3.art.1.corp. Capreol. q.1. art. 1. concl.2.Scotus q.2.§. *Contra istam*,& circa solutionem argumentorum,Carthusian.q.2.vers.fin.§. *Nunc restat*, apud quem col.pen.Ægydius, fusius Argent.q.1.art.3.Mai.q.1. col.pen.Caiet.& Canar.1.p.q.41. art.3. Vazq.d.162. cap. 3. Soar. lib. 6.c. 6. atque (ex hypothesi, quod proprius formalis terminus processionum assignari posset) Ruiz etiá citata sect.7.num.6.asserunt essentiam esse terminum formalem diuinarum processionum. Pro qua opinione nihil firmum ab eius Authoribus afferri video, nisi fortè quòd essentia diuina veluti Personæ productæ forma sit,teste Paulo docente: *Qui cum in forma Dei esset*. cui plures consonant Patres supra à nobis dati. In creatis verò compositis forma terminus formalis productionis eorum est, totique composito esse dat. Vrgentiùs arguere posset Vazquez noster, qui propriam existentiam personalitatibus d. sequenti nobiscum denegabit q.1.cert.1. Etenim essentia actiuè communicatur Personæ procedenti per processionem, licet formaliter ipsi in facto esse communicetur per identitatem, quare, & totum esse Personæ totius procedentis est actiuè ipsi communicatum, licet in se improductum, quia omnino est à se,vnde, & terminus formalis processionis erit, licèt ipsa non producatur:quia non omnia, quæ termino formali creatæ productionis conueniunt, debent termino formali processionis diuinæ conuenire,vt cert.2. dicemus.

3 Henricus quod lib.8.quæst.9.pag.2. & art.54. summæ q.2.Gotfredus apud Scotum q.2.citata col.2. Gasp. Hurtado d.1.diff.11.docent personalitates;non autem essentiá, esse terminum formalem diuinarum processionum.Quibus (ex hypothesi quod proprius aliquis terminus diuinarum processionum sit) consentiunt veteres Doctores pro prima sententia relati.Sed tamen, licet hæc nobis sententia probetur, Gotfredi ratio probanda non est. Ait enim essentiam diuinam esse processionis, ac Personæ,quasi materiam, & subiectum, & indicare videntur Patres dum aiunt, *Filium esse ex,vel de substantia Patris*.Fulgent.de fide ad Petr.cap.2.Concil. Toletan.3.4. & 11. in confess. fidei. Cæterum Gotfredi locutio temeritatis notatur, malèque sonantis à nostro Ruiz proximè concl.3.n.14.Et merito:tum,quia solus in re graui ita ex Catholicis Doctoribus loquitur: tum quia consonat Arrianis ita loquentibus apud Hilar.4.de Trinit.col.2. Ambros.2.de Spiritu S.c.10.post med. qui tantundem valere effutiebant Personas procedentes esse, vel factas esse ex Dei substantia, ac si diceres *arcam ex ligno factam esse*: quæ est eadem, atque Gotfredi propositio, qui ideò lapsus est,quod illud *ex* materiali modo ex physicis,& creatis intelligens, in quibus materiam compositionis insinuat, non alio sensit à Patribus, vel credidit, vel voluit in processionibus vsurpatum; cum longè alio sensu ea in re fuerit à Patribus acceptum.

4 Longè tamen aliter particulam *ex*, Patres vsurpant, dum Filium *ex*, vel *de Patris substantia* ac *essentia* aut esse, aut edi aiunt: nempe, vt denotent eius à Patre processionem (iuxta dicta d.2.q.2.) ad quam essentia cum se habeat, vt tota efficacia,& energia, vt dicebamus d.4.q.2.ac sæpius, vt forma producentis se habebit, non vt materia, seu subiectum productionis,vt benè S. Thom.1.p.quæst. 41. art.3. ad 2. Quod si aliquando non denotet processionem, quæ in linea originis est, sed intrinsecam metaphysicam Personæ procedentis constitutionem, licèt essentia commune quid Personis sit, atque huius personalitate ad hanc potius Personam constituendam determinetur, quod materiæ proprium videtur; tamen, cum Persona quæuis in esse etiam Dei, nobilissima nempe constitutione constituatur, idque à deitate,tanquam à forma, habeat, potiori iure intrinseca etiam constitutione Personæ formam agere,non materiam, essentia dicetur:vt benè S. Thom. proximè, vbi Caietan.§. *Ad hæc*,& Molin.d.2. & Canar. Scotus proximè §. *Ita tenendo*, Vazquez, d.162. §. *Mihi*, Suar. lib.6. cap.6.num.6.& 8. Valent.1.p.q.15. punct.3.post med.Ruiz d.97. sect. 1.à numero 5. id quod clariùs apparet, si tota actualitas essendi Personarum, siue existentiam, essentiæ,ac naturæ solius sit, vt d.sequenti, quæst.1. monstrabimus.

5 Et quidem essentiam in diuinis formam dici debere testis est Paul.ad Philip.2. vbi de Christo Filio ait: *Qui cum in forma Dei esset*,&c.id est in subsistantia,& natura Dei esset, vt multis ostendebamus Patrum testimoniis d.2.q.4.cert.2.Confirmatur:quia ex hoc loco,& phrasi Pauli Patres, tam ibi, quam alibi passim, filij cum Patre consubstantialitatem, atque identitatem in natura demonstrant:at si essentia non forma, sed materia esset in diuinarum Personarum constitutione, malè, & Paulus loqueretur, & Patres inferrent consubstantialitatem Filij cum Patre: ergo essentia, seu deitas in diuinis, vt forma se gerit, non vt materia. Minor suadetur. Quia, quæ eiusdem materiæ, siue ex eadem materia sunt,formæ autem diuersæ, siue in physica, siue in metaphysica constitutione subsistantiali, nusquam eiusdem substantiæ, siue consubstantiales esse dicuntur, vt in omnibus constitutis substantialibus patet.Ergo si essentia in

in metaphysica Personarum constitutione materia sit, non forma,ex identitate in essentia ibi à Paulo asserta malè inferunt Patres Personarum consubstantialitatem. Denique propter materiæ identitatem nusquam dicitur productum subsistantiale ex forma alia constitutum *ex* vel *de* subsistantia producentis esse, vt patet in pediculis,& similibus. Stet ergo essentiam, & naturam non se habere in diuinis, dicive posse materiam, vt temerè Gotfredus ad suæ sententiæ probationem supponebat.

CERTAMEN II.

Tertia Gotfredi sententia aliter probata nobis probatior.

1 NIhilominus si aliter Gotfredi sententia probetur, probatior reliquis apparebit. Quare assero Personalitates terminos esse formales processionum diuinarum.Huius solidæ, ac peculiari probationi præmitto discrimen processionum diuinarum à productionibus aliis, quæ verè, ac rigorosè causalitates sunt,quod dedimus susè d.2. q.3. Nimirùm: productiones,quæ causalitates sunt, qua productiones, & influxus sunt, ponere in causatis terminis esse, siue existentiam ipsis intrinsecam; processiones verò diuinas ideo catholicè à causalitatis ratione exulare, & consequenter per eas Personas procedentes, neque pendere strictè,neque rigidè causari à producentibus, quia processiones diuinæ, qua productiones, & influxus sunt, solas personalitates, non autem earum existentiam, & entitatem ponunt, quia tota, & integra Personarum existentia,& entitas in natura diuina est,quæ processione quidem ponitur in Persona procedente, non, qua processio,productio,siue influxus est,sed solùm, qua est præcisè communicatio.

2 Obseruo secundò inde:in productionibus creatis terminum formalem debere recipere existentiam in se, ac per se,atque ratione illius terminum totalem productionis debere illud recipere:quia, cum è suo intrinseco prædicato sint viæ ad termini existentiam, quæ productiones,& influxus sunt, nequit terminus earum esse, quod ab eis,qua influxus sunt esse, existentiam que intrinsecam non recipiat;è contrario verò, cum processiones diuinæ, qua influxus,& productio sunt, atque creatas referunt productiones, esse, atque existentiam, personalitatum aut Personarum,quas producunt, minimè ponant, opus non est, vt termini formales earum esse,vel existentiam per ipsas recipiant,sed satis erit, vt illud recipiant per illas,non,qua influxus, & productiones sunt,sed, qua sunt communicatio. An verò earum, qua communicatio sunt, terminus formalis debeat assignari constabit ex dicendis numero 4. proximo.

3 Sic ergo probatur conclusio ex dictis. Personalitas sola Personæ procedentis terminat totam rationem processionis diuinæ formaliter immediatè in se: atque ratione illius Persona tota procedens: atqui id, quod terminat totam actionem, ac productionem quamuis immediatè, & in se,& ratione illius totum, quod ex illo resultat,illam terminat, est terminus formalis, imò terminus formalis totalis productionis illius:ergo personalitas Personæ procedentis est terminus formalis totalis processionis diuinæ. Maior probata ferè est ex duobus notatis: quia, qua processio est productio, & influxus,illud tantum formaliter respicit immediatè, & adæquatè quod denuò ponit in actu secundo.Sola autem personalitas Personæ procedentis denuò ponitur, non essentia, quæ in actu primo præsupponebatur in Patre, neque aliquid maioris existentiæ recipit,aut formalitatis communis per influxum Patris:ac proinde sola personalitas procedentis respicitur immediatè à processione,qua influxus,& productio est: quare, & hæc terminat immediatè totam rationem processionis, qua influxus est.

4 Qua verò processio communicatio est non habet terminum *qui* producatur, sic enim solum habet rationem donationis, ad quam solùm intercedit materia præhabita à donante, nempe à Persona producente, quæ essentia materia solùm processionis est, qua communicatio est, seu donatio actiua. Præter materiam autem,quæ donatur, in donatione nullus alius terminus est, quam terminus, cui donatur: Donatur autem primariò personalitati, ex cuius identitate cum essentia resultat Persona. Ne autem putes nos incidere in Gotfredi temeritatem,quam impugnamus, aduerte:ex parte producentis essentiam ipsam poni à nobis, vt formam actiuam, imò, vt totam actiuitatem ad processiones, atque in constitutione metaphysica Personarum, vt formam præcipuam relinqui,solúmque asseri esse materiam processionis, qua communicatio, & donatio processio est, quod catholicus nemo potest inficiari. Itaque ex dictis claret personalitates esse terminos immediatos, & totales *qui* processionum diuinarum. Patétque solutio ad omnia, quæ nos pro prima, & secunda sententia obiecimus cert.1. ex nostris principiis.

DISPVTATIO VI.

DE PRÆDICATIS, QVÆ multiplicantur in diuinis.

IAM ad formalitates, quæ in Personis diuinis inueniuntur examinandas, facimus gradum. Ex illis autem nonnullæ sunt certò immultiplicabiles, vt essentia, & natura, omnipotentia,& similia; aliæ verò certò multiplicatæ & plures, vt personalitates, & relationes, de quibus tamen disputatione sequenti agemus. Aliæ autem formalitates sunt, de quibus, multiplicentur in diuinis, nec ne? non satis hactenus fuit apud Scholasticos Doctores exploratum: asserentibus non nullis, negantibúsque non paucis.Huiusmodi sunt prædicata quæ transcendentia à Logicis, & Metaphysicis vocantur, notissimáque illa dictione *Reuháu* continentur: scilicet *res*, *ens*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *vnum*. De his igitur omnibus præsenti disputatione agemus.Et quidem res,ens,& aliquid,idem prorsus prædicatum; eadémque omnino formalitas est, vt Metaphysicis omnibus conuenit,de quo q.1.agemus. Deinde de veritate tota q.2.de bonitate q.3. ac tandem q.4.de,vnitate.

QVÆSTIO I.

An ratio entis metaphysici pro personarum pluralitate multiplicetur in diuinis?

ENTIS acceptio duplex est: prima pro non repugnantia prædicati ad existendum physicè, siue formaliter ratione sui, & actus essendi, qui ipsi, tanquam proprius actus respondeat, siue ratione alterius prædicati, cui formaliter vt iusque respondeat existentia: quo pacto entia sunt prædicata omnia differentialia, quæ merè rationis non sunt: etiam si entis ratio à differentiis adæquatè abstrahatur

in satis vulgata Scoti opinione. Secundò accipitur ens ſtrictiſſimè pro *ordine ipſo*, ſeu potentia logica, & aptitudine *poſitiua* formaliter reſpiciente, vel importante de *connotato* actum exiſtendi, ac proinde, cui ex parte *connotati* exiſtentia formaliter reſpondeat, tanquam proprius actus: quo pacto nil, quod formaliter non eſt vel exiſtentiæ connotatio, vel exiſtentia ens eſſe dicetur. Primo modo ens adiectiuè dicitur, formaliterque ab ente differt, tanquam ſubiectum à forma denominante, vel potius idem, quod entitas valet. Secundo modo dicitur ens ſubſtantiuè, & neutrè, formaliterque imbibit entitatem. Et quidem de primo modo entis nulla poteſt eſſe quæſtio inter Catholicos: apud quos perſonalitates entia rationis, & figmenta non ſunt; alioqui & Trinitas perſonarum figmentum foret: quare de ratione entis ſubſtantiuè, & neutrè ſumpti eſt difficultas totaan ſcilicet perſonalitas quæque præcisè, & formaliter ſumpta, vel entitàs, & exiſtentia, ſit, vel ordo, & reſpectus ad exiſtentiam ipſi reſpondentem, tanquam actus proprius? vel potius an ſolùm ſit ens adiectiue? quatenus ratione idemtitatis eſſentiæ, quæ ſe ipſa realiter formaliter exiſtit, exiſtat vna quæque. Neque enim audiendi ſunt Theologi nouiores, qui ex falſo principio, nimirum exiſtentiæ humanitatis Chriſti per exiſtentiam Verbi Trinit. perſonarum ſola perſonalitatum exiſtētia exiſtere, mala conſequentia, peioriſque errore deffēdunt apud Ruiz d.25.ſect.1.n.1. Vnde conſtat eandem hanc eſſe quæſtionem cum illa: an perſonalitates propriam habeant exiſtentiam formaliter intrinſecam, atque ab eſſentiæ exiſtentia diuerſam formaliter, ac proinde pro perſonarum numero exiſtentia in Trinitate multiplicetur? Et ne de nomine contendatur exiſtentiam idem prorſus eſſe, quod actualitatem eſſendi, ſtatuendū eſt; dubitandúmque an actualitas eſſendi ſit actus proprius cuiuſque perſonalitatis formaliter ipſi reſpondens? nec ſatis ſit actus eſſendi reſpondens eſſentiæ, vt perſonalitates actu formaliter, realitérque per illum exiſtant?

CERTAMEN I.

In ſola eſſentia dari prædicatum entis ſubſtantiui metaphyſici ab authoritate probatur.

1 RAtionem entis prædicti pro perſonalitatum numero multiplicari, ſingulísque Perſonis per ſe concedere referuntur, ferè omnes Theologi; cum tamen adeò lubricè omnes loquantur, vt de ente adiectiuè ſolùm ſumpto eos loqui mihi dubium non ſit. Idcirco neminem pro hac formali ſententia refero, quia de omnibus dubito. Præcipuè, cum eos circa difficultates alias ex hoc principio pendentes, aliter quam exigat conſequentia videam ſentire. Referri tamen poſſunt quot quot tres exiſtentias relatiuas, ſeu perſonales expreſsè admittunt. Hi verò ſunt Albert.1. p. q. 44.memb.2.Alex.ibi corp. & ad 5.& quæſt. 49. memb.2. Bonau.1. diſt. 25. q.2. vbi Ricardus Media-villa corp. Henric.art.33.ſumm.q.1.circa fin. Soar.3. de Trinit. cap. 5.& lib.5.cap.2.tom.1.3.p.d.11.ſect.2. Zumel.1.p.q.28.a.2. quæſt.4.concl.1. Medina 3.p.quæſt.17.art.2. dub.3. Arrubal.diſp.114.cap.3.Zunniga diſp.5.dub.11. Scotus.1. diſt.11. quæſt.2.§.*ad rationem* & quodl.4.art.3.§. *ad argumentum principale*, Albiz verò diſp.10.ſect.3.Granad.tract.5.diſp. 5.ſect.3.num.22.licèt in re prædictis conſentiant, tamen nomine exiſtentiæ triplicis, etiam cum addito relatiuè, abſtinent, tréſque actualitates eſſendi appellant: quibus in eo etiam concordat Ruiz diſp.25. Pro hac opinione cum nomine exiſtentiæ ſtare video Recentiores Complutenſes, à quibus etiam in lectis diſceſſeram; vt conſtet genij, non voluntatis, crimen eſſe, quod ſemper ab illis diſſentiar.

2 Concluſionem noſtram tuentur Henric.q.34. art. 2.q.2. ad 6. & corp. atque ad 5. vbi docet non eſſe res Perſonalitates, ideſt intrinſecam formaliter realitatem non habere, licet ratione eſſentiæ, quam continent (nempe re ipſa) res dicantur. Conſentit Gregor. de Arimin.1.q.vnic.art. 2. diſt.27. quos ſingularitatis notat Ruiz diſp.26.ſect.1.n.2.cum tamen ſect.2.n.2.aſſerat rationem entis ſubſtantiuè, & neutrè negari perſonalitatibus, & relationibus à Sancto Thoma.1.diſt.25.q.vnic. art.2.ad 4. atque à S.Bonau.diſt.23.art.2.q. 2. ad vltimum ab Alex.& Media-vil. citatis, à Magiſtro diſt.23. §. *Sciendum* & §. *Hic ſenſus* qui id circo videtur dixiſſe Perſonas tres entitates eſſe, quin tria entia admittat. Sanctus verò Thom. tres res eſſe ait, quia res ex Auicenna à quidditate dicitur, ſeu eſſentialibus prædicatis; negat autem eſſe tria entia, quia ens dicitur ab eſſe, ſeu exiſtere. Conſentit nobis Capreol.1.diſt.29.q. vnic. art.3.ad 1. Beza ibidem notabili 1. multiplicari entia relatiua modo ait, modo negat; licèt negare ſemper debeat iuxta ſuam doctrinam de inmultiplicatione, & vnitate exiſtentiæ in diuinis. Ne verò aliquis deinceps ſingularitatis noſtram concluſionem ſugillet eam in nobis approbarunt Patres Ludouic. Ribas doctor, & Primarius Theologiæ Profeſſor Valentinus, eiúſque in cathedra ſucceſſor Antonius Perlas, item P. Auguſtinus de Caſtro fidei apud ſupremum Senatum Cenſor, Regiúſque Concionator. Ambroſius Pegnaloſa & Franciſcus Ruiz Theologiæ Scholaſticæ Profeſſores emeriti. Petrus Biuero Concionator Regius, Sebaſtianus Izquierdo Profeſſore meritus, fideíque apud ſupremum Senatum cenſor. Ioſephus de Villa-maior, & Ioſephus Quarnizo Profeſſores Theologi, ac Didacus Delafuente Hurtado Salmantinus Theologiæ Profeſſor, quorum originalia ſuffragia apud me habeo. His tres alios probatæ doctrinæ Patres adde totius operis Reuiſores occultos, quibus huius ſententiæ examinandæ cura, me poſtulante, mandata à Superioribus eſt. Aduocandi etiam ſunt, qui exiſtentias proprias diuinis perſonalitatibus in re, nec ſolùm in modo loquendi negant: cum eadem vtraque quæſtio ſit, vt in diſputationis præfatione notabam.

3 Hi verò ſunt Capreol.1.diſt.33.q.vnic.art.3. ad 5. & in 3.diſt.1.q.1.art.2.ad 2. contra ſecundam concluſionem Caiet.1.p. q.28. art.2. column.1. §. *corollarium eſt*: quibus accedunt Ferrara, reliquíque Thomiſtæ, licet ex falſo, ni bene intelligatur, fundamento: nempe, quod relatio quæuis *ſecundum eſſe ad* reale aliquid non ſit: quare concluſioni, licet non rationi, acquieſco cum inſigni Thomiſta Beza. 4.diſt.33.q.1.art.3.notab.4. & diſt. 29.q. vnic.art.3.notab.1. Idem docet magnum noſtræ Prouinciæ, & Societatis, totiúſque Theologiæ lumen Gabriel Vazquez 1.p.diſp.129.cap.2.& 3. Canar.1.p. quæſt.28. art. 3.d.3.p.2. Becan de Trinitate cap.3.q.8. hanc ſententiam Ruiz merito ad Trinitatis dogmata omnia tutanda accommodatiſſimam appellat diſp.25.ſect.3.hoc præfixo titulo: *Qui tres exiſtentias negant, melius conſonant aliis dogmatibus Trinitatis*. Eſt inſuper expreſſa ſententia Sancti Thom.1.p.quæſtione 3. art.3.& 4.3.p. quæſtione 17. art.2.ad 3.q.2. de potentia art.6.q.8. art.2. ad 11. vbi Deo ſolum abſolutum eſſe concedit, quo eius relationes exiſtant, quin eis eſſe relatiuum reſpondeat. In eadem ſententia fuit ſemper Ricard. de Sancto Victore, licet ex ignoratione acceptionis exiſtentiæ apud ipſum pro oppoſita referatur 4. de Trinit. cap.17. cum tamen exiſtentiam acceptam pro actualitate eſſendi, ſeu pro eſſe, & exiſtere, vt iam Scholaſtici Doctores accipiunt, vnam ſolùm, eámque communem admittat in diuinis perſonis cap.16.& 5. de Trinit. cap.1.& à cap.16. ad 20. vbi exiſtentiæ nomen pro ſiſtentia ſeorſim ab alio, & ex alio ſumit: *Quid eſt enim* (inquit cap.12.) *exiſtere, niſi ex aliquo ſiſtere?* Quibus perſonales proprietates, ratione quarum in diuinis eſt ex aliquo ſiſtere ſeparatim, ad exiſtentiæ rationem aduocat: nec ſolum actum eſſendi exiſtentiæ nomine intelligit. Ad quam acceptionem ſe refert cap.15. 16. 17. & 19. vbi in Trinitate plures ſolum habentes eſſe probat, non verò plura eſſe. Notauit hoc primus

primus Alexand.1. p.q.44. corp. & ad 1. Poſtmodúmque eruditè adeo Vaſquez citato c.2. à n.5. vt nimirùm ſit poſt ipſum pro oppoſita ſententia referri Richardum eodem modo Ioannes Theologus ſeſſ. 19. Concilij Florent. poſt med.§. *quoniam* & §. *in genere* exiſtentiā pro perſona vſurpauit, dum plures admiſit: ſícque eam acceptionem probat exiſtentiæ ex Boëtij definitione de perſona: Quandoquidem perſona dicitur eſſe (inquit ille) *natura rationis capax incommunicabilis exiſtentia.*

4 Nec minus apertè vnicum eſſe actuale ſeu exiſtentiam ſubſtantialem naturæ diuinæ, qua perſonalitates, & perſonæ exiſtant in Deo agnoſcunt PP. Aug.7. de Trinit. c.4. Hieron. epiſt.57. ad Damaſum, in quibus præſertim aduertendum eſt ſubſiſtentiæ, & ſubſiſtendi voces non vſurpaſſe pro perſona, vt nunc vſurpantur, atque, vt reſpondent voci græcæ *hypoſtaſis*, quam, quia ſuſpectam habuerunt initio, ſemper vertebant in nomen *ſubſtantia*, ſubſiſtentiam pro actualitate eſſendi ſubſtantiali vſurpātes, vt doctè probat Vaſquez diſp.125.c.5.à n.1. Ruiz diſp.34. c.8. éſtque ſcripturæ familiaris ea vocis acceptio Iob.c.3. cap.7.cap.24.cap.32.cap.41.& Pſalm.102. Auguſtinus ergo probat in Deo vnicum tantum ſubſiſtere inueniri, ſicut inuenitur vnicum tantum eſſe, & vnum intelligere, quin tanquam abſurdum infert eſſe in Deo ſubſiſtere, hoc eſt exiſtere, relatiuum. Verba infert Vaſquez diſp.125.cap.1. n.2. Breuius ſibi conſtans cap.5. Aug. *Hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere, & ideo, ſi vna eſſentia Trinitatis vna ſubſtantia*, id eſt ſubſiſtantia, ſeu exiſtentia cap. 6. initio: *Non eſt aliud Deo eſſe, aliud perſonam eſſe*, conſonat iis, quæ dixerat ibi his verbis: *ſubſtantia Patris ipſe Pater eſt: non quo Pater eſt*, id eſt perſonalitas, *ſed, quo eſt*, id eſt eſſentia: ergo ſola eſſentia eſt id, quo eſt, ſeu exiſtit Pater, non autem perſonalitas ex Aug. Hieronymus: *Vna Dei, & ſola natura, quæ verè eſt: id enim quod ſubſiſtit, non habet aliunde ſed ſuum eſt.* Pende: *ſola* & *aliunde*, quaſi dicat alia aliunde ſubſiſtere id eſt, exiſtere. Et rurſus: *Taceatur tres hypoſtaſes*, id eſt ſubſiſtentiæ, ſeu exiſtentiæ, *& vna teneatur.* Athanaſ. de Incarnat. Chriſti verſus medium: *Increata ſola Deitatis ſubſiſtentia intelligitur*, id eſt exiſtentia: nam propriè ſubſiſtentia diuina ſola non eſt. Fateantur ergo aduerſarij exiſtentias Perſonalitatum, vel creatas eſſe, vel nullas iuxta Athanaſium.

5 Cyrillus Alexandrinus & Anaſt. Theopolit. Compendiali explicat. fidei longè à principio de vnitate eſſentiæ aiunt: *Quid eſt eſſentia?* Reſpondéntque: *Res, quæ per ſe eſt, neque altero indiget ad hoc, vt ipſa ſubſiſtat*, id eſt exiſtat; nam ad ſubſiſtendum propriis ſubſiſtentiis indiget, cum vnaquæque relatiua in Aduerſariorum ſententia, ſit: ac proinde nulla ſine aliis eſſe poſſit: Vel ergo Perſonalitates indigent exiſtentia eſſentiæ, vt exiſtant, quod eſt noſtra concluſio, vel ipſæ ſunt eſſentiæ, ſi non indigent iuxta hos PP. quod eſt erroneum. Idipſum docuerat Boët. libro de duabus natur. verſ. med. *Deus*, inquit, *eſt hypoſtaſis, id eſt ſubſiſtentia: ſubſiſtit enim nullo indigens: vnde dicimus vnam eſſe vſiam, ſeu viſoſim, id eſt eſſentiam, vel ſubſiſtentiam Deitatis.* Vbi etiam ſubſiſtentiam, & hypoſtaſim pro exiſtentia accipit. Accedit præclarum Anſelm. teſtimonium capite 43. monolog. med. dicentis: *Patrem gignendo dediſſe Filio, vt non per extraneam, ſed per ſuam eſſentiam, ſapientiam, & vitam ſubſiſtat* (hoc eſt exiſtat, ne ſit erroneum) *ſapiat, & viuat; Aliaqui non erit idem eſſe Patris, & Filij*, &c. Quod quam falſum ſit liquidiſſimè ſuperius præuiſum eſt, denique Nazianz. orat. 57. 5. de Theologia pendens illud: *erat* repetitum Ioannis 1. ſic ait: *Lux vera, quæ, dum Pater, erat, Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, Filius alius Paraclitus erat, & erat & erat, ſed vnicum erat, lux, & lux, & lux, ſed lux vna, Deus vnus.* Ergo eſt vnum erat, & vna exiſtentia, ſicut vnus Deus: ſcilicet non magis multiplicata exiſtentia, quam Deitate in Perſonis.

6 Tertiò probatur aliis Patrum teſtimoniis, qui Perſonalitates non eſſe appellandas exiſtentias, ſed exiſtentiæ modos afferunt. Damaſc.1.de fid. capite 11. *Penes perſonalem perfectionem, hoc eſt, exiſtendi modum.* A quo edoctus Richardus Victorinus 4. de Trinitate capite 24. init. aiebat: *Fortaſſis erit planius, & ad intelligendum expeditius, ſi dicimus, quod Perſona ſit exiſtens per ſe ſolum iuxta ſingularem quendam rationalis exiſtentiæ modum*, cap. autem 1. dixerat: *Perſonalitatem eſſe diuerſum modum exiſtendi.* Vnde acutè arguit Vaſquez diſputatione 116. capite 2. Perſonalitas in diuinis modus exiſtentiæ eſt iuxta Patres: ergo exiſtentia non eſt. Negant conſequentiam Recent. ſolum enim, aiunt, infertur non eſſe exiſtentiam eſſentiæ, cuius ſunt modi; non autem non eſſe ſuas proprias exiſtentias. Quemadmodum, licet perſonalitas creata modus exiſtentiæ naturæ creatæ ſit, tamen ipſa propriam exiſtentiam, & intrinſecam habet; ſolùm ergo probatur perſonalitatem non eſſe exiſtentiam, qua eſſentia exiſtat; non autem non eſſe exiſtentiam, qua ipſa perſonalitas intrinſecè exiſtat. Contra: quia perſona diuina reſpectu exiſtentiæ eſſentiæ non eſt modus realis realiter; alioqui cum Porretano realiter modaliter eſſentiam á Perſonalitatibus diſtinguemus: ergo eſt modus exiſtentiæ eſſentiæ ſolùm formaliter, ſeu eſt modus formalis exiſtentiæ diuinæ: ergo formaliter non eſt exiſtentia. Patet. Id, quod modus alicuius rei eſt, eo modo, quo eſt modus, nequit eſſe ipſa res, neque de eius nomine cenſeri: ergo, quod formaliter eſt modus ſolùm alicuius formalitatis, neque eſt ipſa formalitas, neque eius nomine poteſt appellari: ſed ex Patribus Perſonalitas eſt modus abſolutè, & rigidè formaliter ſolùm exiſtentiæ formalis in diuinis: ergo neque eſt, neque dici poteſt exiſtentia diuina. Contra ſecundò: nequit eſſe exiſtentia propria formalis relationū, quin eſſentia ipſis identificata earum exiſtentia exiſtat: ergo, quin ſit exiſtentia eſſentiæ & exiſtentiæ, nec ſolum modus exiſtentiæ: etenim implicat aliquid rei exiſtere, exiſtat quidquid idem realiter cum ipſa eſt: atqui eſſentiam exiſtere exiſtentia perſonalitatis negas, & merito cum Auguſt.7. de Trinit. cap.4. ergo negare debes perſonalitatibus propriam formalem exiſtentiam. Sed de hoc iterum Certamine tertio.

7 Denique recitandus eſt Boëtius de Trinitate verſ. fin. hicens: *Prædicationem relatiuam nihil rei addere, vel minuere, vel mutare; quæ tota in eo quod eſt eſſe conſiſtit; ſed in eo quod eſt incomparatione ſe habere.* Inſuper S. Thom.1. diſt.26.q.1.à numero 1.ad 4. *Quæ dicuntur*, ait, *per reſpectum ad eſſe prædicantur, ſingulariter, vt ſubſiſtentia* (id eſt exiſtentia: alioquin non ſingulariter) *& eſſentia*, Idcirco, quoties de Dei exiſtentia, & diuino exiſtere in Scripturis agetur, ſingulariter affirmatur. Exod.3. *Ego ſum qui ſum.* Et rurſus: *qui eſt miſit me ad vos.* Iob.23. *Ipſe ſolus eſt*; Quoties autem tres perſonæ eſſe dicuntur non niſi adiuncta vnitate dicuntur, vt ibi: *Et hi tres vnum ſunt*, quaſi Verbum eſſendi, & exiſtendi, licet tribus competat, non ſine vnitate exiſtentiæ, & eſſendi competat. Addit Enricus citatus illud Matthæi, 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Et Ioan. 16. *Omnia, quæ habet Pater mea ſunt*: Ergo quod dicimus in Patre, & Filio eſt, aliquid, ſeu ens abſolutè non eſt. Vnde Hilar. 3. de Trinitat. circa fin. *Is, qui eſt, nihil*, inquit, *habens, quod non ſit etiam in eo, à quo eſt.* Et Iſidorus 1. de ſummo bono capite 5. *Ideo vnum ſunt Pater, & Filius, quia nihil habet Pater, quod non habet Filius.* Reſpondet Ruiz intelligenda eſſe hæc omnia cum exceptione, quam adhibuit Eugenius 4. in Concil. Florent. in litteris vnionis ad medium aliique Patres: nempe *præter eſſe Patrem.* Contra: quia vel eſſe Patrem formaliter eſt aliquod per ſe ens, vel nihil ſeu non ens ſubſtantiuum formaliter per ſe? Si primum: Impropriè locutus eſt Chriſtus Dominus, nec in vigore verè, dum abſolutè ait omnia mea tua ſunt, &c. Si ſecundum: habemus intentum. Licet autem Patres illam exceptionem addant: *præter eſſe Patrem*, non tamen aiunt Patrem eſſe diſtinctum eſſe, ſiue exiſtere: ſed potius cum exiſtendi & eſſendi identitate perſonalem diſtinctionem ſtare: quod nos etiam dicimus.

CERTAMEN II.

Ab absurdis oppositæ conclusionis eadem veritas roboratur.

1 IAm rationibus conclusio fulcienda est. Et quidem, si ad hominem res hæc cum aduersis Doctoribus agenda foret, nemo ex Aduersariis esset, quem in nostram sententiam non traheremus, vel inuitum. Nam Scotus cum suis, qui entis abstractionem adæquatam primus in scholas inuexit, quomodo in eadem realiter entitate Patris duplex prædicatum entis admittat, seu existentiam duplicem, prorsus ignoro. Neque valet eum ex natura rei Personalitatem ab essentia distinguere; ac proinde diuersas existentias, entitatísque rationes ex natura rei affirmare debere: nam, & prædicata differentialia entis creati ex natura rei à prædicato entis ex quo distinguit: & tamen illis existentiam, & entitatem metaphysicam propriam denegat, atque entis existentia solùm illa esse, & existere defendit. Insuper idem Scotus cum aliis oppositæ sententiæ Doctoribus, quos disput. 8. recensebimus negat Personalitates bonitates, adhuc trãscendentales esse. Alij etiam ex aduersariis tres veritates in diuinis negant, & ferè Catholico dogmate; cum tamen veritas transcendentalis cum ente conuertatur, vt Metaphysicis notum est.

2 Aliorum aucem inconsequentiis nunc ommissis, probatur primò conclusio: quia ex opposito infertur dependentia, & causalitas rigorosa inter personas productas, & producentes, si personalitas producta esse, siue entitatem propriam habeat, vt constat ex disputat. 2. q. 3 per totam. Hoc autem absurdum esse: nusquámque à Latinis, Græcísve Patribus, aut Scholasticis admissum esse causæ, & dependentiæ nomen strictum in diuinis, sed solùm *laxè*, & cum addito *quodam modo*, ibi etiam satis ostendimus. Probatur secundò: quia ex oppositæ veritur Catholicum dogma *quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non sint aliud, & aliud*, sed solum *alius, & alius*. Si enim Pater, qua Pater, est ens metaphysicum neutrum, & substantiuum Pater erit vnum ens, & Filius vnum ens distinctum à Patre in ratione entis, & quod non sit Pater, sicut eius Personalitas vnum ens est, quod non sit Paternitas realiter: ergo erit vnum, & aliud ens, siue aliud, & aliud. Dices *aliud* in diuinis iuxta Patres denotare essentiæ, & naturæ, non autem personalitatis diuersitatem. Neque id dubito: sed contendo probari inde in sola natura, & essentia, quæ non multiplicatur esse formaliter rationem entis, seu entitatis, illíque soli respondere formaliter in sua linea existentiam, à qua esse, & ens metaphysicũ neutrè, & subsantiuè dicitur. Probo rigida locutione vnum ens neutrè & subsãtiuè, & realiter distinctũ ab altero ente neutrè, & subsantiuè sunt aliud, & aliud realiter: vt in aliis omnibus patet, atque ex ratione proximè efformata: ergo cum Patres rigidè loquuntur cum tanta vocum distinctione, & discretione (vt in re tanti momenti opportebat) negántque Personas, & Personalitates esse aliud, & aliud, ipsis formaliter sumptis, rationem entis, entitatis, & existentiæ propiæ negant: vt, licet eis multiplicatis distinguantur Parsonæ alia, & alia; non sint, tamen aliud, & aliud.

3 Tertiò probatur conclusio. Multiplicata entitate debet bonitas ipsius comes indiuidua multiplicari pro personarum multiplicitate: ergo in Trinitate aliquid maius, & perfectius alio erit, nempe Pater, & Filius Patre solo; imò Pater solus Filio, vt vrgebo disputat. 8. paululúmque fusius tetigi disput. 1. q. 5. cert. 1. agens de obiecto Beatitudinis: hæc autem absurda esse, minúsque Dogmatibus sacris consona, constabit disp. 8. Quartò probatur conclusio ex negatione plurium veritatum pro pluritate personarum in diuinis, quam expresè tradunt Patres vt q. 2. constabit. Multiplicata autem entis, seu entitatis ratione, multiplicari etiam veritates certissimum est: siquidem veritas transcendens cum ente ad conuertentiam dicitur, vt nemo, vel parum Philosophus, negare tentet. Quintò probatur conclusio: quia ex opposita infertur esse in Trinitate tres æternos, & tres immenses substantiuè: quod est contra symbolum Athanasij. Infertur enim triplicem esse æternitatem, vel immensitatem in diuinis: quod expresè negat præter Athanas. Sophronius Constantinopolitanus sexta Synodo act. 11. col. 4. *Vnam sempiternitatem. Augustin. 1. de Doctr. Christiana cap. 5. Eadem in Tribus æternitas, eadem incommunicabilitas.* Fulgent. de fide ad Petrum cap. 2. vers. fin. *æternitatem, & immensitatem, quæ naturaliter, atque æqualiter communia cum Deo Patre habet Filius.* Isidor. 7. Etymolog. cap. 1. circa med. & deinceps Athanasius orat. 2. contra Arrianos longè à principio. Consequentia probatur. quia ad existentiam necessariò sequitur duratio, & vbicatio, licet ab ea differant in creatis; in diuinis autem, secundum, quod intrinsecè dicunt, minimè differunt: positóque extrinseco spatio imaginario, vel locali, vel durationis existentia diuina duret se ipsa indiuisibiliter, éstque illis præsens; vt constet quam malè vtantur Recent doctrina nostri Vasquez de præsentia corporis circumscriptiua ratione præsentiæ quantitatis. Nam sicut, non nisi à quantitate habent reliqua, in hac opinione, extensionem, in qua fundatur præsentia in ea opinione, consequenter, neque præsentiam in se, & de se reliqua à quantitate habere possunt. Ast, cum immensitas, & æternitas diuina fundetur in existentia diuina, nisi personalitates essentiæ, & naturæ existentia, & entitate solùm existant, & sint, ac proinde, neque habeant proprias formaliter existentias, nequeunt non personalitates singulæ singulas proprias æternitates habere. Confirmatur: quia si entia omnia corporea propriam haberent extensionem, nec solum ratione quantitatis, vt alia opinio fert, propriam etiam habent præsentiam iuxta huius opinionis Doctores: ergo si relationes habent propriam existentiam, & entitatem diuinam, nec solùm ratione essentiæ, & naturæ, propriam æternitatem, & immensitatem habebunt. Patet: quia, sicut corporis præsentia fundatur in extensione, ita æternitas, & immensitas in diuina existentia fundatur necessariò.

4 Suarez tom. 1. 3. p. disputat. 11. sect. 2. & 3. de Trinitate capite 11. numer. 6. & 9. cui adhærent Complutens. Recent. tres durationes in diuinis admittit; negat autem tres æternitates: quia æternitas, iuxta Patres, non solùm dicit durationem totam simul: & indiuisibilem, sine termino, sed connotat naturam: vnde sine naturæ multiplicitate nequit æternitas multiplicari: inducitúrque ad id definitio æternitatis ex Boëtio quæ sic habet: *Duratio interminabilis vitæ tota simul, perfectáque possessio*, in personalitate autem vt præcisa ab essentia non est vitæ diuinæ, seu naturæ possessio, vt patet. Contrà primò: quia, vt benè Ruiz disputat. 27. sect. 2. numer. 2. iam esset genus durationis, quod neque esset æternitas propria, neque participata, neque æuum, neque tempus: quod est hactenus inauditum. Contra secundò: quia saltem Personæ essent tres æternitates: cum personæ vitæ, & naturæ diuinæ perfectam possessionem habeant, atque insuper tres illas durationes interminabiles, & totas simul. Contra tertiò: quia, idcirco Boëtius definitione æternitatis vitæ, seu naturæ meminit, quia in ea solùm existentiam, in qua adæquatè fundatur æternitas, recognouit. Contra quartò: quia, quod fundamentum est ad totum formale prædicati alicuius, sufficiens connotatum est ex parte subiecti ad totum illud formale prædicati: sed existentia personalitatis per te est sufficiens fundamentum durationis interminabilis, quæ sit tota simul; ergo existẽtia personalitatis sufficiens connotatum erit ex parte subiecti sine cõnotatione alterius existẽtiæ vitæ, & naturæ diuinæ, ad totum formale æternitatis. Patet cõsequẽtia: quia tota formalitas

æternitatis, & idem est de immensitate, stat in duratione simultanea, & interminabili. Contra quintò: quia in horum sententia tribuente perfectionem relationibus, sine illarum possessione, non est vitæ perfecta possessio, & adæquata: ergo nec duratio respondens naturæ, eiúsque existentiæ præcisè sumptæ, licèt interminabilis, & tota simul sit, erit æternitas; sed expectanda erit identitas realis naturæ cum personis: cum autem identitas adest, perfecta etiam vitæ possessio est in personis, & triplex, cum triplex sit identitas: ergò, & triplex æternitas erit.

5 Acutius Ruiz sect. 1. n. 15. & 2. per totam respondet; neque esse plures æternitates, neque plures durationes interminatas, totáque simul, neque plures locales correspondentias indiuisibiles, totáque simul in diuinis: nam duratio, & vbi ex genere suo sequuntur rerum integras realitates, non autem formalitates diuersas: quare æternitas, & immensitas, seu duratio, & vbi diuinum non conuenit personalitatibus formaliter sumptis, sed vt realiter cum integra essentia identificatis: Vnde supponunt infinitatem in genere entis propriam Deitatis, nec sufficit infinitas formalis Personalitatis: quare multiplicatis Personalitatibus, nec vbicatio, neque duratio diuina, seu immensitas, & æternitas multiplicanda est. Acuta, & grauis solutio; sed quæ me iudice difficultatem non exhauriat. Contra: quia, licet prædicatum æternitatis, & immensitatis consequantur realitatem, neque solùm formalitatem, diuinam, vel sufficit realitas in quauis persona, vel requiritur realitas essentiæ cum omnibus: si hoc vltimum: ergo nulla persona est æterna, seu immensa contra Symbolum. Patet consequentia: quia in nulla est realitas trium; si dicas primum: ergo, sicut est triplex realitas realiter distincta in tua opinione, ita triplex duratio, seu æternitas, & immensitas. Dices supponere ens infinitum in genere entis: quare nisi multiplicato ente infinito in genere entis, quod est essentia, implicat multiplicari æternitatem, & immensitatem. Contra: per te consequitur realitatem duratio, seu æternitas: ergo multiplicata realitate multiplicabitur æternitas: sicut variato, & multiplicato fundamento multiplicatur relatio, & quidquid in fundamento fundatur. Confirmatur: quia, vel fundamentum adæquatum est essentia, seu ens infinitum in genere entis præcisum à personalitatibus, velut in re realiter est: si vt realiter est; essentia est triplex realitas per te, ergo erit triplex fundamentum; si præcisè essentia sumpta, ergo contra te duratio, & vbicatio non sequitur realitatem, sed formalitatem, & præcisionem entitatis.

6 Contra secundò: quia de hoc est quæstio cur ens essentiæ, seu eius existentia fundet æternitatem propriam, non autem ens, & existentia relationis. Dices secundò: quia non est infinita existentia, & entitas personalitatis in genere entis, sicut ens, & existentia essentiæ. Contra: quia essentia præcisa sine attributis, & personalitatibus, neque identificata cum illis, non est formaliter, & simpliciter infinita in genere entis: cum formaliter non sit ens, quod per te est relatio; identicè autem relatio æquè est infinita in genere entis, atque essentia. Dices secundò constare ex Patribus, qui negant multiplicari durationes in diuinis, essentiam solam esse fundamentum, non autem solas personalitates. Contra: quia, cum ratio facta probet multiplicandas esse pro numero existentiarum, siue realiter, siue formaliter sumptarum, ex ea Patrum, & Conciliorum definitione negare debes relationibus, seu personalitatibus existentiam propriam eásque formaliter existentia, & entitate essentiæ solius existere, & esse, teneris affirmare vt dogma catholicum tuearis.

7 Obiicies satem tres immensi, & tres æterni dicendi sunt adiectiuè: cum sint tres habentes æternitatem, & immensitatem. Fateor: sed id Patres, & Concilia non negant; sed solùm tres æternos substantiuè. Secundò cum æternitas formaliter sequatur existentiam naturæ, illa solùm est æterna substantiuè, & primariò adiectiuè; reliqua verò solùm identicè: quatenus autem idem cum essentia sunt personæ plures non sunt, quare neque plures immensi, aut æterni, licet vnusquisque, quia habet identitatem, identicè, & realiter æternus sit. Adde quod non sunt absolutè, & sine addito tres ipsæ personæ, sed cum addito personæ. Illud enim sonat triplex esse: quare, sicuti non sunt tres realitates, neque entitates, neque tres res substantiuè, ita neque sunt absolutè, & sine addito tres, neque tria; licet aliquando Patres ita non nimis rigidè loquantur: ac proinde Nazianz. orat. 37. longè à principio ait: *Vnum esse tria, si propietatum rationem habeas.* Hinc S. Bonau. 1. dist. 23. art. 2. quæstione 2. ad 1. Carth. dist. 24. quæstione 4. post med. & S. Thom. ziunt impropriè loqui August. 6. de Trinitate capite 4. dum personas vocat *hec tria*. Est autem tres substantiuè, adiectiuéque tria: licet tres magis vsitata vox sit in Trinitate: tum quia indifferens est, vt substantiuè vel adiectiuè sumatur: tum quia aptior, vt bona grammaticali concordantia subintelligantur Personæ. Sunt autem personæ tres substantiuè: quia sunt tres personalitates: ac proinde, sicut substantiui nominis *Persona* multiplicatur forma, potest multiplicari substantiale illius concretum, iuxta strictas regulas multiplicandi concreta substantiua substantialia penes formarum, quas significant, multiplicationem. Pleraque ex his lucem, robúrque accipient ex dicendis in quæstionibus sequentibus.

CERTAMEN III.

Rationibus à priori eadem veritas fulcitur.

1 PRima ratio efformata à PP. sic habet. Ens, siue essentia dicitur ab esse, seu existere iuxta Athanasium libro de definitionibus colom. 3. vbi de ente, atque essentia dicit: *Dicta est tanquam existens.* Augustinus 7. de Trinitate capite 5. *ab eo, quod est esse, appellatur essentia.* Ambrosius 1. de fide capite 9. & de Incarnationis Dominicæ mysterio capite 9. medio: *significat*, inquit ille, *vsia diuina Deum semper esse.* Boët. de duab. natur. longè à principio: *Vsia est, & essentia: est enim, & maximè ipse est, à quo omnium esse*, &c. Tum sic: In diuinis est vnica essentia: ergo vnicum esse, seu existere, non plura esse, seu existere, siue, quod idem est, plura formaliter entia. Sic Patres discurrunt, atque ex ipsis Mag. 1. dist. 8. capite *Verè*. Nec aliter Sanctus Thomas 1. parte, quæstione 39. quæstione 4. a. 2. 3. part. quæstione 17. articulo 2. ad 3. de potentia, quæstione 2. articulo 7. & quæstione 8. articulo 2. ad 11. vbi habet: *In diuinis nullo modo est esse, nisi essentiæ; sicut, neque intelligere, nisi intellectus, & propter hoc, sicut in Deo est tantum vnum intelligere: ita etiã vnum esse: & ideò nullo modo concedendum est, quod aliud sit esse relationis in diuinis, aliud essentiæ.* Adde commentatorem Boëtij in libro de Trinitate apud Bedam tom. 8. column. penult. commenti sic dicente: *Quoniam tribus personis vnum esse, ideo vnius vsiæ esse dicuntur.* Explico & confirmo: cuiuis existentiæ respondet suum esse: cuiuis esse sua essentia: ergo pluribus formalibus existentiis Personarum plures essentiæ, & existentiæ. Dices cum addito relatiuorum non est inconueniens. Contra: quia in re periculosa solus loqueris. Contra secundò: quia multiplicatis differentialibus multiplicatur absolutè, & sine addito commune, si in eis includitur: ergo multiplicata per personalites, seu relationes ratione existentiæ, seu essentiæ communis absoluto, & relatiuo, esse, multiplicari debet ratio existentiæ, seu esse: ac proinde absolutè dici debent multiplicari rationes existentiæ, & essentiæ ad numerum ternarium, imò quaternariũ vsque. Dices absolutè nomẽ essentiæ, seu esse denotare ex vsu Patrum esse naturæ. Contra: quia Patres, vel non loquentur rigidè, vt opportet in materia grauissima;

vel sentiunt prefonalitatibus non respondere formaliter existentiâ propriam, neque esse propriam, & quod idem est rationem propriam entis formalis metaphysici substantiui.

2 Arguo *secundò* ex Theologicis principiis. De ratione *entis diuini* est esse à se: sed personalitatibus, & cuiuis *earum* formalitati repugnat esse formaliter à se: ergo Personalitatibus formaliter repugnat ratio entis diuini. Maior est certa: nam ratio essendi à se est prædicatum differentiale, vel quasi differentiale entis diuini, & increati, prout à creato diuiditur, & contra creatum constituitur. Si dicas de prædicato entis diuini esse ens à se, seu non ab alio causaliter, non autem originaliter incidis in impugnationes efficaces datas disp.2.q.3.per totam, sed nec minor est obscurior: nam quidquid est præter essentiam, & communia in persona producta productum formaliter est: ergo omnes, & singulæ formalitates personalitatis sunt productæ; ergo essentialiter, & formaliter sunt ab alio; ergo eis formaliter repugnat esse à se. Consequentia omnino est legitima. Idem argumentum efformari potest de ente actuali, & existentia, quæ enti metaphysico in propria linea essendi respondet. Dices: non minus pugnat cum quauis formalitate diuina esse ab alio, & non à se, quam cum prædicato entis diuini: ergo eidem argumento sumus obnoxij. Nego antecedens: quia, si ratio entis esset ab alio, Personalitatis existentia formalissimè esset ab alio. Vnde esset verè causata existentia diuina: insuper ens metaphysicum limitatum esset in ratione entis, idest in suo genere: quod pugnat cum prædicato diuini: si autem existentia, & entitas Personalitatis sit essentia, sicut hæc ab alio non est, ita neque eius existentia ab alio erit, pendebitve, aut erit limitata in genere entis, in quo non est, sicut neque in genere perfectionis, & bonitatis, quæ rationem entis indiuiduè sequentur.

3 Tertia ratio à priori: quia entitas, & ens metaphysicum formaliter est, cui in sua formali linea respondet tanquam actus existentia: ergo, quod non habet pro actu in sua formali linea respondentem existentiam, non est formalis entitas, seu metaphysicum ens: sed personalitatum actus proprius in linea propria formali respondens, non est actualis existentia: ergo personalitas non est entitas, seu ens formaliter. Subsumptum probatum satis erat certam. 2. & ratione prima huius certaminis; sed probo purè metaphysicè. Actus adæquatus personalitatis formaliter, & metaphysicè sumptæ est constituere Personam, ab aliáque distinguere, & si placet notionalem potentiam complere. Ast nihil horum formaliter est existentia. Dices nihil horum à personalitate præstari posse sine existentia reali: nam, neque actu personam constituit realiter, neque distinguit, neque alteram producit sine reali existentia: ergo formalitas personalitatis nequit respicere suos actus à nobis assignatos, non respiciendo existentiam: ac proinde existentia erit inadæquatus actus inadæquatè respondens personalitati formaliter sumptæ. Solutio hæc est grauissima obiectio, quam mihi contra adæquatam abstractionem entis creati à suis differentiis iam pridem in Logica opponebam; sed ex dictis tam ibi quam hîc disp.2.q.3.facilis est, & difficultatis solutio, & solutionis impugnatio.

4 Etenim, aliud est non posse hos actus, qui formaliter respondent personalitati actu exerceri sine existentia reali ipsius Personalitatis; aliud existentiam realem esse actum formaliter respondentem Personalitati formaliter, & metaphysicè sumptæ: sicut aliud est ignem non posse calefacere, nisi applicatum ad passum, aliud est applicationem esse actum formaliter inadæquatum actiuitatis calefactiuæ ignis. Primum est verum; secundum falsum. Sic etiam actu distinguere, actu producere, actu constituere nequit Personalitas sine existentia reali; non tamen existentia est actus respondens, adhuc inadæquatè, Personalitati adhuc formaliter sumptæ, sed enti metaphysico, seu entitati formaliter, quam in statu realitatis, seu identitatis Personalitatis habent: in quo statu, sicut ab essentia nullatenus differunt, ita neque cum illa realiter constituunt, licet realiter diuidant vnam personam ab alia, sícque tanquam distinctiua producant: ad quod satis est realitas, & existentia ab essentia formaliter proueniens, vt q.3.citata docebamus. Vnde arguo rursus, & explico vim rationis præcedentis argumento ad rem hanc efformato à Sancto Thom.1.p.q.3.art.3.& 4. & 3. p. q.17.art.2. ad 3. Implicat aliquid identificatum cum alio realiter existere, quin eadem existentia realiter existant omnia, cum quibus realiter identificatur: ergo sublatis, per impossibile, aliis formalibus existentiis identificatorum, ea omnia realiter existent formali existentia illius, cum quo identificantur: ergo ad id reliquæ formales existentiæ superfluent respondentes singulis formalitatibus: Verbi gratia, Personarum, aut attributorum, quæ enti diuino formalissimè identificantur: ergo, ni, si aliunde necessariæ monstrentur, admittendæ plures existentiæ non sunt. Nullam autem aliunde earum existentiarum necessitatem esse argumentorum solutione probabo.

5 Denique probatur conclusio ratione metaphysica Theologica à priori: quia, vt sæpe in hac materia præcipuè disp.3.& 4. docebamus, de ratione prædicati diuini cuiusuis est ex suo primario conceptu indiuisibili formaliter esse infinitum, ac proinde non posse dari in Deo prædicatum aliquod ex partialibus formalitatibus, etiam metaphysicè compactum: ergo neque prædicatum entis in quauis persona potest ex duplici conceptu entis conflari, tanquam ex partibus formalibus; ergo nec prædicatum entis diuini, quod necessariò communicatur, vel potiùs formaliter identificatur cum essentia poterit esse compositum in quauis Persona ex duplici ratione entis, altera essentiæ, altera Personalitatis: ergo in Persona quauis solus datur conceptus entis substantiui essentiæ proprius, formalitérque ipsi identificatus.

CERTAMEN IV.

Obiectis occurritur.

1 DIces. Diuersæ formaliter existentiæ, realitates, & entitates requiruntur ad verum influxum: sed in diuinis est verus influxus vnius personæ in aliam: ergo diuersæ formaliter existentiæ, realitates &c. Distinguo maiorem ex dictis disp.2. q. 3. Ad verum influxum causatiuum, & à diuinis dogmaticè relegandum, concedo maiorem; ad purè originarium, & non causatiuum catholicè admittendum, nego maiorem: atque his distincta eodem sensu manet minor, & negata consequentia. Dices secundò: Ad distinctionem realem vnius personæ ab alia debet esse duplex realitas in personis: sed essentiæ solius realitas eadem est in personis: ergo diuersa est realitas Personarum. Minor videtur certa: maior probatur. Quia si Pater eadem est realitas, ac realitas Filij: ergo non sunt duæ res, sed eadem res; atqui eadem res non distinguitur realiter à se ipsa: ergo nec Pater distinguitur realiter à Filio. Respondetur negando maiorem. Ad cuius probationem distinguo vltimam consequentiam: non distinguitur Pater à Filio realiter vt res, seu existens, aut ens substantiuè fateor: vt ens, vt res, & existens adiectiuè nego consequentiam. Nam Pater realiter est vnus habens identicè realitatem, & entitatem: & Filius alter habens identicè realitatem. Ac proinde sicut duo subiecta eadem albedinem habentia sunt realiter duo alba, quia adiectiua multiplicantur per subiecta, non autem per formas: ita res, ens &c. adiectiuè sumpta multiplicantur multiplicata formalitate, cui realitas, entitas, &c. identice adiungitur sine realitatis formalis multiplicatione. Aliter distingue maiorem: debet esse duplex realitas quoad formalitatem, & conceptum realitatis nego maiorem; debet esse duplex realitas, quoad statum physicæ realitatis, concedo maiorem. Status quippe physicæ realitatis ex adiunctione, & identitate cum alia quauis formalitate diuersificatur immultiplicato entis, siue existentiæ

tiæ prædicato. Et distinguo maiorem: eadem est realitas essentiæ, quoad formalitatem concedo minorem; quoad statum realitatis nego minorem, & consequentiam. Ecce prædicatum entis, & realitatis metaphysicæ eadem est in Petro, & Paulo: quia tamen adiunctione Petreitatis, & Paulitatis (quæ prædicata in opinione iuxta quam philosophamur entitas, & realitas formaliter non sunt) diuersum statum realitatis ex adiunctione entis, & Petreitatis in Petro habet: ac proinde, quia diuersam realitatem quoad statum fortitur Petrus, & Paulus realiter distinguuntur, licet realitatem, & entitatem formalem eandem participent. Fateor non in omnibus tenere exemplum; teneret autem in omnibus, si veram præterea iudicaremus sententiam Platonis de prædicato vniuersali communi à parte rei; ea autem negata discrepat exemplum, non quidem in eo, ad quod adducitur, sed in eo, quod essentiæ, diuinæ communitas respectu personarum, quasi physica, à prædicatis vniuersalibus formaliter solùm, non autem realiter, sicut essentia diuina, communibus, valde discordat.

2 Dices. Personalitas Patris, seu Paternitas præcisè distinguitur realiter à filiatione: ergo Personalitas Filij, & Patris præcisè habent realitatem. Patet: nam inter ea, quæ realitatem non habent nequit realis distinctio esse. Nego antecedens ex implicatione terminorum prædicati, & subiecti; nam Paternitas *præcisè* dicit statum præcisionis, & sumitur in subiecto præcisè formaliter; aduerbium autem *realiter* adiunctum prædicato distinctionis, quæ vtrumque extremum afficit dicit statum realitatis, & negationem præcisionis, vnde est terminorum implicatio. Instabis: ergo Paternitas præcisè est idem realiter cum filiatione. Patet. Eo modo, quo aliquid non distinguitur ab alio, est idem cum illo; sed Paternitas præcisè non distiguitur realiter à filiatione per te: ergo est idem realiter cum filiatione. Nego consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: posita constantia, & habilitate terminorum est vera maior. Posita terminorum repugnantia, & implicatione est falsa maior. Ecce chymera neque distinguitur realiter à lapide, neque est idem realiter cum lapide. Dices: ergo dantur duo contradictoria simul falsa, nego consequentiam. Nam contradictoria non sunt, distinguitur realiter, sunt idem realiter; sed primæ *non distinguitur realiter* secundæ *non est idem realiter.*

3 Atque, vt videas veritatem vel falsitatem harum propositionum non pendere ex nostra hac peculiari doctrina, pone Personalitatibus entitatem, realitatem, & existentiam propriam formaliter, & metaphysicè diuersam ab existentia, entitate, & realitate essentiæ, atque eodem modo vtramque propositionem falsam inuenies. *Paternitas præcisè distinguitur realiter à filiatione, vel est idem realiter cum filiatione*; veráque reperies istas propositiones: *Non est idem realiter cum filiatione: non distinguuntur realiter à filiatione*: quia negatio præposita subiecto destruit suppositionem affirmatam prædicati status realitatis, quæ inducebat implicantiam terminorum cum suppositione alia affirmata status præcisionis suppositi ex parte subiecti. Imo hæc etiam est falsa: *Essentia præcisè, & formaliter est idem realiter cum Paternitate*, vel *distinguitur realiter à Paternitate*: ex implicatione terminorum: quia præcisè sumpta essentia realiter non est eadem, vel distincta, licet sine addito *precisè* vera sit prima propositio: quia non excludit statum realitatis, quem supponit prædicatum. Dices: ergo essentia, & Paternitas præcisè non distinguuntur realiter ab essentia, & filiatione: ergo nec Pater absolutè distinguitur à Filio, quod est hæreticum. Probo consequentiam. Ex parte Filij nihil aliud est, quam essentia, & Filiatio, ficut ex parte Patris nihil est præter essentiam, & Paternitatem; sed Paternitas, & essentia, per te non distinguuntur realiter ab essentia, & Filiatione: ergo nec Pater absolutè distinguitur realiter à Filio. Nego primam consequentiam: quia præter has formalitates, vt distinguantur realiter requiritur status realitatis, quem non habet Paternitas & essentia cum præcisione denotata per illam particulam *præcisè*, quemque habent absolutè dicti Pater, & Filius.

4 Insurgis contra. Addito statu realitatis, qui est identitatis personalitatum cum essentia additur identitas, & conuenientia Personarum in essentia; ergo status realitatis est status conueniendi realiter personas: ergo non est status disconueniendi. Patet: nam idem nequit esse principium eisdem conueniendi, & disconueniendi. Nego secundam consequentiam, & eius probationem. Status quippe realitatis non est principium conueniendi, vel disconueniendi: sed quasi commune solùm conuenientiæ, & pugnæ rationibus, & principiis formalibus tam pugnandi, quam conueniendi: nimirum essentiæ conueniendi, Personalitatibus pugnandi, & disconueniendi: vt semel presti disp.1.q.5.& disp.2. q.3. Hoc ipsum admittere debent oppositæ sententiæ Doctores. Nam, licet principiú disconueniendi, scilicet personalitas, habeat distinctam formaliter entitatem, & existentiam ab entitate, & existentia essentiæ, realiter tamen eandem habent existentiam cum illa: realiter quippe idem cum illa sunt: quare eundem statum realitatis habent principium conueniendi, & disconueniendi: **alioqui** nega, atque vt alter aiebat: *Ande aliquid breuibus gyaris, & carcere dignum.* Est enim, hoc quod dicimus mysterium ipsissimum: nempe, rem eandé, & realiter insectilem ab alia realiter insectili, realiter differre, atque cum illa realiter identificati.

5 Obiicis rursus. Pater differt realiter à Filio: ergo ratio, seu principium distinctionis, nempe personalitas, formaliter debet esse res, & aliquid, alioqui per nihil differrent. Nego consequentiam. Probationem distinguo: per nihil metaphysicum substantiuum, idest non ens metaphysicum formale fateor: per nihil, seu non ens physicum seu metaphysicum adiectiuum nego: nam non solùm ens formale substantiuum est ens, & res physica, seu non implicans physicè existere: quidquid enim capax absolutè est physicæ existentiæ, siue ipsi formaliter, tanquam proprius actus, im propria linea respondeat, siue respondeat, tanquam actus metaphysicè, & formaliter alienus, physicè autem proprius, iure identitatis realis cum ente formali, cuius proprius actus existentia est, physicum quid, & reale est: nam quidquid alterutro modo existit physicè existere non implicat: ac proinde reale aliquid physicum est: quo prædicata differentialia entis realis metaphysici ab ente rationis, atque impossibilibus, quibus vtroque modo existentia physica repugnat, valde discordant, vt tetigi in quæstionis præfatione, latiúsque persequebar in Logica controu.4. disp.5.citata.

6 Frigent inde Recentiorum consequentiæ pro existentiis propriis Personalitatum: nempe nihil actu addit Personalitas, vt distincta ab essentia: sed Pater distinguitur à Filio per personalitatem solam præcisè: ergo non distinguitur per aliquid actu Pater à Filio. Nego minorem de distinctione reali, quæ præter rationem distinguendi dicit statum realitatis; concedo verò de distinctione formali: & distinguo consequens: per aliquid actu formaliter, & metaphysicè substantiuum concedo; per aliquid actu realiter, & physicè, atque metaphysicè adiectiuum nego. Secunda consequentia *sic* habet. Quia Deus realiter est actu Deus, Deitas habet realitatem, & existentiam propriam: sed Pater est actu Pater: ergo Paternitas habet propriam realitatem, & existentiam. Nego maiorem rigorosè sumptam: nam ad existentiam physicam, actualitatémque essendi satis esset, si alterius entis metaphysici secum identificati existentia propria, sibíque formaliter aliena existeret, vt sæpe diximus. Instabis: ergo non magis existit Deitas existentia sibi formaliter propria, quam existentia propria formaliter personalitatum, sibi aliena. Probo: quia iure identitatis cum illis æquè dici poterit Deitatem physicè existere existentia propria Personalitatum; atque nos dicimus Personalitates eodem iure existere existentia propria essentiæ. Nego consequentiam: quia essentiæ respondere existentiam propriam probatum aliunde est totis certaminibus præcedentibus, de personalitatibus verò ibidem improbatum.

7 Solus denique est locus difficilis Hylarij, quem ad

rem præsentem notauit nemo, cum sit valde ad eam insignis: vocauit enim Hylarius personas diuinas *res naturæ*. Qui, licet solus ex Patribus ipso, vel antiquioribus, vel nouioribus, ita loquatur, probatur tamen Magistro in 1. dist. 34. cap. 1. & 2. Alberto 1. p. q. 43. memb. 2. art. 1. ad argumenta, & art. 2. ad 1. & memb. 3. art. 2. Alexandro 3. p. q. 7. memb. 1. art. 3. Sancti Thomæ 1. p. q. 29. art. 2. ergo Personalitates, provt præcisæ à natura, res formaliter sunt, & entitates. Respondetur primò ex data doctrina S. Thomæ, & Auicennæ cert. 1. n. 2. nomen *res* sumi à prædicato essentiali quocumque. Secundò ex S. Thom. proximè in corp. *Personæ dici res naturæ secundum, quod Persona, est individuum, in quo realiter existit natura physicè communis, & extra quod realiter non est: sed non formaliter*, quasi dicat personam solam esse realitatem naturæ: quia extra illam realiter natura non est. Ex attributis posset arguere non nemo: quod si eis ratio entes deficiat, vt debet, iuxta nostra principia, & rationes, neque bonitatem propriam attributis posse assignari, neque vnum attributum melius esse alio. Admittam facilè consequentiam: quam negare possem iuxta dicta disp. 1. q. 5. & disp. 2. q. 3. Vbi ostendi, quo pacto vna species perfectior alia dici possit, licèt eandem entitatis, & bonitatis rationem habeant. Sed de hoc iterum, vbi obiter de maiori vel minori perfectione virtutum diuinarum moralium agetur.

QVÆSTIO II.

An veritas multiplicetur in Trinitate.

SECVNDVM expedisse quis entis prædicatis veritas est: quare post entis examen quæstionem secundam suo sibi iure reposcit.

CERTAMEN I.

Nostræ negatiuæ conclusionis probatio leuis.

1 NOster Vasq. d. 122. cap. 7. num. 28. Soar. 3. de Trinit. tot esse in Trinitate veritates, quot personas asserunt. Eis verò consentire debent, qui tres bonitates admittunt; imò, & qui tres in illa entitates recognoscunt; licet ex eis plures consequentiam non teneant, vt ex citatis, citandísque constabit. Id quod in materia de Trinitate sæpius, quam in aliis vsuvenit; iis præsertim Doctoribus, qui principia metaphysica non satis explorarunt. Hi enim rationum, quas Patres ad veritates tunc controuersias statuendas, vel leuiter premunt, vel tacitè supponunt, ignari; Patrúmque, vt Catholicos decet, vocibus claris consentientes, eorundem consequentiæ in affinibus quæstionibus deficiunt. Sed enim, quod ad præsens attinet, multiplicari in Trinitate veritatem negarunt olim Magist. 1. dist. 19. circa fin. quem ibi Scotus, Carthus. Dur. & aliis sectantur. Expressiùs tamen Richard. art. 3. q. 3. & dist. 24. art. 1. q. 3. ad 1. S. Bonau. in 2. d. 28. dub. 3. literali. Alexander. p. q. 15. memb. 7. ad 1. Henric. 1. p. art. 34. q. 2. M. Albert. q. 25. memb. 1. art. 2. p. 2. post med. & alibi eodem ar. Bellarmin. 2. de Christo c. 16. S. Thom. 1. dist. 19. q. 5. artic. 3. corp. & ad 1. ac 1. p. 16. art. 3. corp. & art. 6. vbi Caietanus cum suis. Ac tandem noster Ruiz disp. 27. sect. 4. & 5. quos, & nos sequimur.

2 Ruiz tamen noster suam, & communem conclusionem non satis solidè probat. Supponit enim veritatem esse analogum prædicatum, quod rebus in ordine ad iudicium verum conueniat; non tamen quamuis formalitatem transcendat; sed integram cuiusque rei entitatem complectatur. Hinc re adæquatè, & totaliter immultiplicata veritatem multiplicari implicabit. Cum autem adæquatè realitas personarum nó multiplicetur in diuinis quia in quauis realitate illarum realitas essentiæ communis includitur: fit, inquit ille, vt, nec veritas in diuinis multiplicetur. Extremam suppositionis suæ, partem probat: quia, sicut veritas propositionis copulatiuæ vera non est, si aliqua ex Cathegoricis, quibus constat, vera non sit, ita res non erit absolutè vera in ordine ad iudiciũ verum, nisi quatenus integra, & totalis. Confirmat: quia Deus non esset verus Deus nisi esset verus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Confirmat secundò: quia neque Pater esset verus Pater nisi esset filius: ergo hæ omnes veritates ita sunt connexæ, vt, fine quauis, altera falsa reddatur.

3 Mitto nunc non rectè explicari à Ruiz conceptum veritatis. Malè autem indè infertur necessitas adæquatæ distinctionis vnius ab alio ad veritatis diuersitatem. Sic ostendo primò. Quia Pater, immò, personalitas seorsim sumpta, diuersam habet cognoscibilitatem in ordine ad iudicium verum diuersum à vero alio iudicio, quo filius, seu filiatio cognoscatur, diuersáque, immò aduersa de vtroque verificantur iudicio humano, non solùm abstractiuo sed etiam intuitiuo, in quo locũ præcisioni dedimus d. 1. q. 1. 5. & d. 5. q. 1. ergo, si ea cognoscibilitate, seu ordine ad iudicium verum consistit, diuersæ veritates pro diuersitate formalitatum diuinarum admittendæ sunt. Secundò sequatur veritas ens, non quidem metaphysicum iuxta omnes, sed physicum, vt ais, & rem sicuti est. Hæc res quæ est Pater, seu Paternitas, vt re ipsa est absolutè non est filiatio, vel filius: sunt enim duæ res, ac duæ physicæ entitates per se: ergo diuersæ, & duæ absolutè veritates. Nec refert ratione alicuius, quod continẽt, nempe essentiæ, non esse diuersas, sed eandem rem: quare non esse adæquatè, & absolutè diuersas. Contra enim est: quia ad realem diuersitatem absolutè satis est realis diuersitas secundum aliquid: quandoquidem ad realem identitatem, & vnitatem absolutè satis non est identitas rerum secundum aliquid. Vt patet, in duplici composito, quod ex eadem materia, per impossibile, constare admittamus.

4 Quin tuo te gladio iugulabo. Diuersa absolutè propositio, & veritas obiectiua est huius copulatiuæ: *Petrus currit, & Paulus sedet.* Ab hac: *Petrus currit, & Paulus dormit*, licet vtriusque eadem, & communis sit pars: quia altera solùm distinguuntur: ergo diuersa veritas obiectiua est Patet à filio, licet habeant essentiam eandem communem, quia personalitate eistinguuntur. Nec refert non posse esse Patrem sine filio, nec è contra. Nihil enim siue transcendentaliter, siue prædicamentaliter relatiuum, sine termino esse potest: & tamen termini, & relationis diuersa prorsus veritas doctrina est: vt patet in creaturis; & omnipotentia, actione, vnione, & similibus modis, qui essentia sua à rebus pendent, sine quibus proinde esse non possunt, diuersæque entitatis, & veritatis ab extremis, & terminis sunt. Verum quidem est Dei adæquatè sumpti veritatem è rebus illis constare: complexa tamẽ veritate in huius Doctoris principiis, sicut veritas copulatiuæ propositionis complexa est, cathegoricis tamen constans interse, & à veritate complexa diuersis: quare hoc discursu non probatur veritatem Patris eandem esse cum veritate Filij, & totius Trinitatis: sicuti nec suadetur eiusdem esse entitatis adhuc physicæ cum illis.

5 Iam veritatis conceptum malè explicari per ordinem ad iudicium verum multis ostendebamus in Logica. Vt sic enim accepta veritas quid vniuersalius ente physico, & metaphysico est: cùm negationes, quæ entis, quouis modo accepti, remotiones sunt, ipsíque rigidissimè oppositæ: atque rationis etiam figmenta, quæ enti adhuc possibili aduersantur, eo modo vera sint: siquidem de his omnibus iudicium verum, etiam diuinum, esse optimè potest, imò, & est de facto: ergo veritas, quæ est passio metaphysica entis metaphysici (vt volumus) vel physici (vt vult Ruiz) nequit in aptitudine, & ordine ad iudicium verum consistere. Patet consequentia. Quia id, quod passio alicuius assecla est, nequit inueniri sine illo, vt vulgò aiunt Dialectici.

CERTAMEN

CERTAMEN II.

Nostræ negatiuæ conclusionis probationes solidiores.

1 A Patrum authoritate res est adeò certa vnam tantum veritatem in Trinitate tota, eandémque in persona quauis Trinitatis reperiri, vt mirer à Doctis, & Catholicis Magistris aliter iudicari. Audiendus in primis est peruetustus Theologus Boëtius lib. An Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus substantialiter prædicentur? circa medium aiens: *Pater veritas est: Filius veritas est: Spiritus Sanctus veritas est. Non tres veritates, sed vna veritas. Si igitur vna in his substantia, vna veritas* (est nempe) *necesse est veritatem substantialiter prædicari de bonitate.* Pende illud: *non tres veritates*, ac illud: *Si igitur vna in his substantia, vna veritas*, quo solidam rationem conclusionis infra dandam satis laconicè, & acutè pressit. Item Damas. Papa 1. Professi. fidei, & anathematismis aduers. Hæres. Appollinaris, & Arrij anathematizat eos, qui non dixerint tres personas *vnum Regnum, atque vnam voluntatem.* Anselm. c. 23. Prosologij sub init. Patrem alloquens de Verbo ait: *Est ipsa veritas, sicut tu, non alia quam tu*; Et Dialogo de veritate cap. 7. & 11. probat *summam veritatem esse vnicam*; Bernard. serm. 80. in cantic. circa fin. *Pater est verus, id est veritas: Filius est verus, id est veritas: Spiritus Sanctus, est verus, id est veritas: & hi tres vnus verus, id est veritas.* Quibus, tam Bernardus, quam Damasus, & Anselmus, veritatem in vnaquaque persona eãdem, quam in tribus recognoscunt: quippe eiusdem conditionis esse in diuinis, ac Deitatem, & attributa communia putant: vt de bonitate expressit recitatus nuper Boëtius. Aliter in tribus eadem, atque in vnaquaque persona, veritas esse non posset, vt patet.

2 Confirmat idem Bernardus ibidem testimonio Fulgentij clarius notatam proximè à nobis rationem sic explicantis: *Vna quippe veritas vnius Dei: imò vna veritas vnus Deus.* Quibus Fulgentius eandem esse in diuinis vnitatem veritatis, ac Deitatis, cum qua proinde couuertibiliter dicatur, expressè nos docet: quare neque posse nisi multiplicata Deitate multiplicari. Sibíque constans Fulgentius ipse de fide ad Petr. c. 2. vers. fin. de veritate, tanquam de attributo communi personis, in eum modum effatur: *Deus est verus, & veritas: Pater est verus, & veritas: Filius est verus, & veritas, &c.* Explicatius adhuc, & conclusionem, & rationem notatam proximè dedit nobis Aug. 6. de Trinit. cap. 7. init. in hæc verba scribens: *Eadem Dei magnitudo est, quæ sapientia: eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo: & eadem veritas, quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, aliud magnum esse, aut sapientem, verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* Vbi clarissimè veritatem inter communia Trinitatis ponit, & couertibiliter cum essentia, & attributis communibus dici asserit. Sibíque constans lib. 7. cap. 2. init. ait: *Pater igitur, & Filius simul vna essentia, & magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia.* Ecce eodem prorsus modo vnam esse veritatem ait quamuis Personam Trinitatis, atque vna essentia, sapientia, & magnitudo est.

3 Sed licet satis eo loci clarè loquatur, & acutè; expressiùs tamen, & subtiliùs hac de re loquitur lib. 8. de Trinit. cap. 1. circa medium, vbi non solùm authoritate, sed ratione statim ad scholas efformanda aduersam conclusionem frangit his verbis, quæ, quia aliis conclusionibus, tam quæstionis primæ, quam tertiæ, & aliarum sequentium inseruiunt, susius paululum dabimus. *Vbi magnitudo*, ait, *ipsa veritas est, quidquid plus habet magnitudinis necesse est, vt plus habeat veritatis. Quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis. Porro quidquid plus habet veritatis profecto verius est: sicut maius est, quod plus habet magnitudinis, Non autem verius est Pater, & Filius simul, quam singulus.* Quod ipsum de tota Trinitate respectu cuiusque personæ asserit, concluditque: *Sic, & ipsa Trinitas, tam magnum est, quam vnaquæque ibi persona. Non enim ibi maior est, quæ verior non est, vbi est ipsa veritas magnitudo: quia in essentia veritatis hoc est verum esse, quod esse: & hoc est esse quod est magnum esse. Hoc est ergo magnum esse, quod verum esse.* Quid illustrius? Sed tamen ratio à priori illis Aug. verbis: *Quia in essentia veritatis hoc est verum esse, quod esse.* Paululum explicatiùs efformanda ad scholas erit.

4 Solitam igitur rationem à priori à Boëtio primum, postea verò ab Augusti. explicatius traditam, atque à reliquis Patribus tractam ad scholarum morem accomodatius digesserunt Richardus 1. d. 19. a. 1. q. 3. ad 1. & d. 24. a. 2. q. 3. ad 1. Henricus citatus cert. 1. Alexander 1. p. q. 15. m. 6. ad 2. & m. 7. ad 1. licet duo primi aliquid vlterius addant ad rationem veritatis: nempe præter esse, & entitatem rei requiri conformitatem cum intellectu vero, quod licet conclusioni inferendæ non obsit, verum non est, neque in eorum principiis necessarium; cum rationem entitatis, seu entis substantiui, atque existentiæ vnicam, essentiæ nimirum, in Trinitate nobiscum recognoscant. Ex quo solo principio conclusio nostra spontè fluit: probatúrque ab Augusti. proximè recitato, cuius mentem fœlicius assequutus est Alexander. Suppono ergo ad rationem efformandam rationem entis substantiui metaphysici, vel physici, quod est existentia, formaliter vnicam, & solius essentiæ formaliter intrinsecam, & essentiam in Trinitate reperiri, vt probatum est quæst. 1. Suppono secundò ex contr. 5. Dialecticæ veritatem, quæ sequiiur ens, consistere in positiua soliditate essendi; explicaríque negatione non essendi apparenter. Sicut aurum verum est, quod ita in se est aurum, vt non sit aurum apparenter, sicut auricalcum. Expressit hoc Augusti. recitatus illis verbis: *Quia in essentia veritatis hoc est verum esse quod esse.*

5 Sic igitur ex his principiis instruitur pro nostra, & communi conclusione argumentum. Veritas entitatis solùm dicit esse positiuum, & solidum entitatis: atqui esse positiuum, & solidum in Trinitate, siue physicum, siue metaphysicum; neutro modo multiplicatur in Trinitate, sed vnicum est, nimirum essentiæ: ergo, nec multiplicatur veritas; sed vnica tantum absolutè est in Trinitate. Hinc euanescunt nostri Vasquez, Soarij, & Assectarum argumenta. Sunt enim in Trinitate verus Pater, verus Filius, verus Spiritus Sanctus, trèsque veri adiectiuè, non substantiuè, vt de ente dicebamus q. 1. quia eadem essentia, & entitate solida veri sunt. Sed contra, quia esse verũ Patrem, ac non apparentem, non est solùm habere essentiam solidam, & non apparentem; sed habere etiam solidam, ac non apparentem Paternitatem; alioqui Filius esset verus Pater: Ergo præter veritatem essentiæ in quauis persona est veritas specialis. Confirmatur: quia vt aurum sit verum, non satis est habere veritatem entis in communi, sed opus est habere etiam prædicata differentialia auri, quæ rationem entitatis, seu entis metaphysici substantiui in nostra sententia non habent; alioqui auricalcum, imò quoduis aliud ens, aurum verum foret: ergo, licet personalitates veram rationem entis substantiui non habeant, suam saltem partialem veritatem habebunt: ac proinde tres veritates personales, pro personarum numero, admittendæ in Trinitate erunt.

6 Sed tamen respondeo negando consequentiam primam. Soliditas quippe Paternitatis est entitas essentiæ identificatæ cum Paternitate, quin essendi aliam soliditatem, quam essentiæ habeat Paternitas, aliámve veritatem; & tamen Filius, qui eandem soliditatem essendi, ac non aliam habet, verus Pater non est: nequit autem verus Pater esse, qui Pater non est, licet eandem cum Patre veritatem habeat: sicut, licet eadem albedine Paulus, & paries informarentur, tamen Paulus paries albus non esset. Itaque cum personæ tres adiectiuè veri sint, vt diximus; substantiuè autem vnus verus, adiectiuè solùm habent diuersitatem, quæ ex parte subiecti solùm est, non ex parte formæ, nempe veritatis. Id quod solùm habet difficultate propriam, & intrinsecam mysterij huius. Ad confirmationem faciliùs respondetur diuersam re ipsa existentiã, & entitatem esse auri, & auricalci, quare, & diuersam veritatem; metaphysicè autem loquendo, licet eandem habeant rationem entis logicè communem, satis non est, vt

re

re ipſa eandem habeant veritatem: quia re ipſa entitatem eandem non habent, ſed media rationis negatione, quæ in omni abſtractione intercedit; in perſonis autem Trinitatis eadem entitas, & eſſentia phyſicè, ſine vlla rationis fictione, intercedit: quare, & veritas eadem. Denique aduerte veritatem propriam Filij non eſſe veritatem tranſcendentalem, ſed obiectiuam repræſentationis, quæ in imagine perfecta reperitur.

QVÆSTIO III.

An bonitas, & perfectio pro Perſonarum numero multiplicetur in Trinitate?

NOn eſt quæſtio de bonitate morali vniuerſim neque ſpecialiter ſumpta pro beneficientia, ſeu propenſione ad beneficia præſtanda; ſed de alia, quæ res etiam irrationales bonæ dicuntur in ſe, quæque idem eſt atque perfectio phyſica, vel metaphyſica rerum, vt in titulo quæſtionis ſupponitur.

CERTAMEN I.

Bonitatis diuiſiones, definitiones, atque ad deciſionem notata.

1 BOnitas, & perfectio rei cuiuſque, ſiue abſolutæ, ſiue relatiuæ, alia abſoluta eſt, alia relatiua. Abſoluta illa eſt, qua vnumquodque in ſe bonum intrinſecè eſt nulla habita comparatione ad aliud, quod bonum, ſeu perfectum phyſicè, vel metaphyſicè conſtituat. Relatiua verò, quæ alterius perfectiua, atque, vt ſic loquar, beneficatiua eſt. Porrò abſoluta bonitas, ſeu perfectio in integritate, & totalitate eſſendi conſiſtit, vt aiebat Ariſt. 3. phyſic. c. 6. text. 63. *Totum, & perfectum, aut idem penitus ſimt, aut naturam finitimam habent.* Rationem reddit text. 64. *Cuius nihil eſt extra, id eſt perfectum, ac totum. Hoc enim pacto totum conſueuimus definire: totum dicentes id eſſe, cuius nihil eſt extra.* Nimirum ex definitionis identitate eandem eſſe vtriuſque eſſentiam plane demonſtrat, ſibíque ſimilis 1. de cælo cap. 4. text. 23. de perfecto ait: *Id, extra quod nihil eorum, quæ ſunt ipſius accipi poteſt*, Denique 5. Metaphyſ. c. 16. text. 21. *Extra quod non eſt vllam accipere particulam.* Ac deinceps: *Quæcumque igitur per ſe perfecta dicuntur toties dicuntur. Quædam eo quod ſecundum bene in nullo deficiant: nec habent in aliquo genere exceſſum: nec eſt quidquam extra.* Nempe pertinentium ad ipſum. Sic interpungendus hic textus: vbi duplicis bonitatis, & perfectionis membra enumerat, atque definit: parte autem extrema bonitatem, & perfectionem vniuerſim.

2 Ariſtotelicæ doctrinæ conſonat S. Tho. 5. Met. text. 21. lect. 18. 1. p. q. 4. a. 1. ad 1. q. 5. a. 5. corp. atque in 2. ex Dion. de diuin. nom. lect. 1. col. 2. Adde Iſidor. 7. origin. ſiue Etygmolog. c. 1. poſt med. ſic in eandem ſententiam ſcribentem: *Deus perfectus dicitur, quia nihil ei poſſit adiici.* Denique communis hominum ſenſus in eandem ſententiam conſpirat, Latinè enim perfectum dicitur *conſummatum, omnibuſque numeris abſolutum.* Hiſpanè vero: *conſumado, acabado.* Quibus ſignificatur nihil, quod rei illius ſit, ipſi deficere, ſed potius omnia quæ illius ſunt, ipſi adeſſe. Hinc, quoniam, quæ rei cuiuſvis ſunt, alia ad intrinſecam ipſius cõſtitutionem, & eſſe intrinſecè ſpectant, alia verò ad operari, & exterius quidem competunt: quæ primo competunt modo ad bonitatem, & perfectionem primariam rei pertinent, quæ verò ſecundo modo ad perfectionem, & bonitatem rei ſecundariam. Vnde coniunctum ex intrinſecis, & eſſentialibus omnibus rei bonitas, ſeu perfectio primaria erit; ſecundaria verò coniunctum ex omnibus extrinſecis ipſius. Puta actionibus, paſſionibus, potentiis, operationibus, ſiue phyſicis, ſi phyſica bonitas, & perfectio ſit, ſiue moralibus, ſi ſit moralis bonitas, & perfectio. Cum autem intrinſeca, & eſſentialia rei iuxta duplicem modum eſſentiæ ipſius, duobus etiam modis accipi antur, nempe phyſica, & metaphyſica; bonitas, ſeu perfectio primaria, ſiue in eſſendo in bonitatem, & perfectionẽ phyſicam, & metaphyſicam diuidetur. Phyſica in integritate, & totalitate partium eſſentialium rei ſtabit; metaphyſica in totalitate eſſentialium prædicatorum.

3 Quoniam verò eſſentiæ nomen ab eſſendo, ſiue exiſtendo tanquam à prima rerum bonitate, & fundamentali deſumptum eſt, ſit, vt, quod per ſe, ſiue ratione ſui phyſicè, vel metaphyſicè exiſtit, aut eſt, bonitas rei dicatur; quod autem ratione ſui non eſt, nec exiſtit, nec phyſica nec metaphyſica rei bonitas eſſe poſſit. Audiamus S. Tho. 1. p. q. 4. art. 1. ad 1. *Quia in iis*, (inquit) *quæ ſunt, tunc dicitur eſſe aliquid perfectum: cum de potentia educitur in actum, tranſmittur hoc nomen perfectum ad ſignificandum omnes illud, cui non deeſt eſſe in actu.* Quæ doctrina deſumpta eſt ex Aug. 3. de lib. arbitr. cap. 5. dicente: *Omnia, quæ ſunt, eo ipſo, quod ſunt bona ſunt.* Et q. 24. ex concluſa tribus: *Omne, quod eſt, in quantum eſt bonum eſt*, 1. de doctrina Chriſtiana cap. 23. ſubinit: *Quia Deus bonus eſt, ſumus, & in quantum ſumus, boni ſumus.* Quibus præluxit Ariſt. 1. Ethic. cap. 6. ſub init ſcribens: *Cum bonum æquè ad id, quod eſt dicatur.* Ex eo autem, quod bonitas primaria, ſiue in eſſendo dicat totalitatem, ſit ſecundò, nihil, quod eſſentialiter pars in ordine aliquo ſit, poſſe in eo habere, abſolutè bonitatem: quare materia, & forma v. g. equina, quæ eſſentialiter partes phyſicæ ſunt, nequeunt in ordine phyſico habere abſolutè bonitatem. Similiter rationale, quia in ordine metaphyſico eſſentialiter eſt pars, in eodem bonitatem primariam abſolutè non habebit. Habebit autem in ordine phyſico, & in quo totum quoddam eſt materia, & forma conſtans: ſicut harum quæuis in ordine metaphyſico abſolutè bonitatẽ habebunt: quia in eo partes componentes metaphyſicæ non ſunt, ſed totum quoddam ex ſuo quæque genere, & differentia conſiſtens.

4 Duo ex his obſeruanda veniunt. Primum bonitatẽ, ſeu perfectionem tranſcendentalem (ſi ſit primaria hæc, de qua loquimur) pediſſequámque entitatis, ſiue entis comitem non adeò indiuidué illud conſequi formaliter, ſed materialiter: vt in quocumque ordine entitas ſit, non in eodem bonitas hæc primaria, & ſtricta eſſe debeat; ſed ſolum, quia de quocumque ente phyſico ens prædicetur, de eodem etiam bonitas abſoluta primaria, ſtricta debeat enuntiari. Etenim in parte phyſica entitas, & exiſtentia phyſica eſt, in qua bonitas primaria ſtricta abſolutè non eſt, vt vidimus. Sed nec parti metaphyſicæ eſſentialiter tale licet entitas in ea foret bonitas adeſſet præfata: quia totum in ordine metaphyſico non eſt. Secundum obſeruandum eſt bonitatem, & perfectionem primariam, tranſcendentem, ac metaphyſicam totalis entis pediſſequam ſolùm eſſe: quare in ordine, in quo aliquid totum ſit in eo bonum, & perfectum abſolutè erit. Si autem partes cuiuſvis ordinis, entia ratione ſui eſſe inueniantur in eo ordine ſecundum quid bonitatem habebunt: (hanc cenſeo vulgatiùs bonitatem tranſcendentalem appellari) quia ratione ſui, & intrinſecè habent ſuum eſſe, quod eſt bonitas fundamentalis, ac prima rerum vti ex Aug. S. Thom. & Ariſt. nuper recitabamus. Sin autem in parte eſſentiali, cuiuſvis ordinis, eſſe, aut entitas ratione ſui, & intrinſecè non inueniatur, neque bonitas ſecundum quid poterit reperiri, vt patet.

5 Iam verò bonitas, relatiuáque perfectio, vt plurimùm, potius perfectiuum, ſeu beneficatiuum dici deberet: eſt ſiquidem illa, qua perficitur aliud, ſiue eſſentialiter, ſiuè accidentariè; ſi ſimpliciter ſimplicem excipias. Cum autem ab eo, quod actu, & formaliter non eſt in ſe, & ratione ſui, nihil poſſit actu eſſe aliquod recipere, quod eſt prima ac fundamentaria bonitas ipſius, ſiuè intrinſeca,

intrinſeca, & primaria, vt vidimus nuper, ſiue extrinſeca, & ſecundaria, fiet, vt, quod intrinſecè, ac formaliter ratione ſui non eſt, ac non exiſtit, neque alterius poſſit eſſe perfectiuum, ſeu bonificatiuum, atque, quod idem eſt, bonitas ſeu perfectio relatiua. Hinc ſi aliqua forma, vel iure idẽtitatis cum alio, quod per ſe, & ratione ſui habet eſſe, ſeu entitatem, vel alio quopiã iure, ſit alterius entitate, & exiſtentia ens, & exiſtat, nuſquam ipſius perfectio eſſe poterit: quia ei, à quo eſſe mutuatur, nequit eſſe tribuere, ſed ſolùm talitatem. Illud enim, ad eſſe talem, de ſuo ponit eſſe, ac forma illa de ſuo ſolam talitatem, quam habet. Id quod ad præſentis quæſtionis concluſiones ſemel tenere pluries proficiet. Porrò relatiua hæc bonitas, diuiditur in ſimpliciter ſimplicem, & nõ ſimpliciter ſimplicẽ. Hæc eſt, *qua res, vtcumq; perficitur.* Illa verò definitur ab Anſel. 5. Proſologij, & 14. Monologij: *Quod melius eſt in aliquo non ipſum, quã ipſum: vt non aurum quam aurum. Nam melius eſt hominieſſe non aurũ, quã aurum.* Id eſt, quod melius eſt, non quidem ſui negatione (ſic enim quævis creata ratio, melior ſui negatione cum ſit, perfectio ſimpliciter ſimplex foret) ſed quovis poſitiuo oppoſito, atque cum ipſo incompoſſibili, vti non aurum, quod eſt homo, melius eſt ipſi, quam aurum, quod eſt non homo.

6 An verò id, cui perfectio ſimpliciter ſimplex melior eſſe debet ipſa, quam non ipſa, ſit totum, quod ex ipſa reſultat, & in quo intrinſecè clauditur difficultas eſt. In qua Gaſpard. Hurtado d. 2. diff. 10. §. *Gregorius verò*, Didacus Ruiz d. 30. ſect. 9. à n. 6. aiunt parti ſolùm, cui extrinſecè conuenit, non autem toti, in quo intrinſecè clauditur, debere eſſe meliorem ipſam, quam non ipſam: quia aliqui materia prima, & pars quæuis creatum quodvis componens perfectio ſimpliciter ſimplex erit. Verùm Anſel. cit. loco expreſsè his Doctoribus aduerſatur. Non enim ait formam non auri, ſcilicet hominis, meliorem eſſe materiæ, quam formam auri; ſed non aurum meliorem eſſe toti homini, quam aurum. Ratio eſt: quia bonitas relatiua dicitur talis in ordine ad perfectionem abſolutam: cúmq; hæc ſit propria totius, quia in totalitate cõſiſtit in Ordine ad totum eſſe debet. Vnde licet compartem pars altera perficeret melius, quam alia pars, ſi tamen non conſtitueret totum melius illo, quod alia conſtituit perfectio ſimpliciter ſimplex non foret. Stet ergo perfectionẽ ſimpliciter ſimplicem, quæ nobiliſſimum relatiuæ perfectionis genus eſt, in ordine ad totum debere eſſe meliorem ipſam, quam non ipſam. Confirmatur. Quia perfectio ſimpliciter ſimplex in ſolo Deo eſt, in quo partes non ſunt, ſed totum ſimplex, & indiuiſibile ſolùm.

7 Neque verò noſtri Hurtado quidquam præſtat obiectio. Perfectio enim ſimpliciter ſimplex duplicem habet reſpectum, ſi in partialibus entitatibus admittatur. Alterũ comparationis melioritatis, vt ſic loquar, & hic eſt totius conſtituti ad totum quodvis oppoſitum, vt ſatis docet Anſelmus, ita vt perfectio ſimpliciter ſimplex ſupra perfectionis, & bonitatis abſolutæ rationem ſolùm addat reſpectũ melioritatis ad tota, vt ſic loquar, & bona, ac perfecta reliqua, quæ totum illud, neq; ſunt, neq; eſſe poſſunt. Alter ad materiã, ſeu cõpartem, quã perficit, & hic nequit perfectionẽ ſimpliciter ſimplicem conſtituere; licet enim eam perficiat, non tamen illam conſtituit meliorem omnibus, quæ nec ipſa ſunt, neque eſſe poſſunt, niſi diuinum quid ſit, in quo vera pars non eſt, vt diximus. Vnde Anſelm. 14. Monolog. docet perfectionem, ſeu bonitatem ſimpliciter ſimplicem, ſummam bonitatem eſſe debere; in qua ſola poteſt eſſe perfectio ſimplex, id eſt ſine admixtione imperfectionis poſitiuæ, vel negatiuæ, cuiuſmodi eſt creatæ cuiuſvis perfectionis limitatio.

CERTAMEN II.

Aliorum placita.

1 PErſonalitates, ſiue relationes perfectiones, ac bonitates tranſcendentales eſſe docent Scot. 1. d. 1. q. 2. argum. 1. principali, & eius ſolut. Gabr. d. 7. q. 2. a. 2. Okam. d. 19. q. 1. fin. Maior q. vnica ad argum. ad dub. 1. Aureol. p. 2. a. 3. propoſit. 1. Greg. d. 20. q. 1. a. 1. in impugnatio-

nibus, & fin. d. 33. q. vn. a. 3. ad 6. Carthuſ. d. 24. q. 7. Marſil. 1. q. 23. a. 3. à Corol. 4. Clitouæus in 1. Damaſc. de fid. c. 11. lõgè à princ. Caiet. 3. p. q. 3. a. 1. §. *Ad euidentiã*. Valentia contr. de Trinit. l. 2. c. 12. Canar. 1. p. q. 28. a. 3. ad 3. col. vlt. Vaſq. d. 122. c. 6. Suar. 3. de Trinit. c. 9. & 10. t. 1. 3. p. d. 11. ſect. 4. col. 5. Arrub. d. 105. Ludouic. Torres d. 6. Zunniga d. 5. dub. 12. m. 2. Granad. 1. p. tr. 3. d. 5. Mærat. d. 56. Gaſp. Hurtad. ſupra. diff. 9. Martin. Perez d. 6. & Ruiz iam citandus. Porrò tam hic, quam Marſil. Scot. Canar. Caiet. parum conſtanter. Maior verò Greg. Gabr. Okam. Valent. Vaſq. Torres, Granad. & Hurt. non ſolùm bonitatẽ, ac perfectionẽ tranſcendentalẽ, ſed & ſimpliciter ſimplicẽ perſonalitatibus concedũt. Id quod negant reliqui, imò ex his Scot. Gabriel. Gregor.

2 Didacus Ruiz d. 29. ſect. 2. & 3. quod bonitatem trãſcendentalem, citatis Doctoribus adſentit: probátque teſtimoniis, & rationibus plurimis; minori tamen, quã par eſſet, conſequentia diſput. verò 30. ſect. 3. à n. 6. contendit perſonalitates ſe orſim, adhuc ſecundum quid, bonitatẽ, & perfectionem tranſcendentalem non habere: quia entis diuini peculiare eſt claudere quidditatiuè quidquid ad ſui cõplementũ, & perfectionẽ ſpectat. Quo circa in perſonalitate, vt ens diuinũ eſt, &, quod bonitas tranſcendẽtalis ſequatur, debent eſſentia, & attributa, ac proprietates concipi: Vnde nulla perſonalitas, ſeu relatio, ſe orſim bonitatẽ tranſcendentalem entis pediſſequã habebit, ſed tres ſimul, vnam autem bonitatẽ, & perfectionẽ ſimpliciter ſimplicẽ integrare docet ſect. 3. n. 9. & ſect. 9. n. 5. Probat primum n. 9. cit. quia perſonalitates includunt formaliter eſſentiã: ergo non ſunt multiplicatæ, quoad totũ ſuũ eſſe formale quidditatiuũ: ſed bonitas ſeu perfectio trãſcendentalis debet eſſe entitas plena, & integra, quoad totũ eſſe ſibi quidditatiuũ: ergo perſonalitates non ſunt bonitates tranſcendentales; quod ſecus euenit in eſſentia quæ quatenus præciſa ab relationibus habet totum eſſe quidditatiuum diuinitatis, quia perſonalitates in illo non claudunt.

3 Deficit in multis doctrina hæc. Primò in cõſequẽtia, vt notaui. Secũdò in quæſtionis ſuppoſito de perſonalitatibus præciſis, quæ iuxta huius Doctoris doctr. proximã, vt implicatoria reiicienda ab ipſo erat; nõ autem diuerſæ, imò aduerſæ, vt dixi de perſonalitatibus præciſis cõcluſiones ſtatuẽdæ. Tertiò incluſio diuinitatis formaliter, in formalitate perſonalitatis cuiuſvis ſupponitur falsò, vt in ſequẽtibus oſtendã. Quartò inde euaneſcit diſparitas inter eſſẽtiã, & perſonalitates, quoad integritatẽ in eſſe diuino, vt illa bonitatẽ, & perfectionẽ trãſcẽdẽtalẽ habeat, ſecus iſtæ. Imò ex eius principiis deducitur, neq; eſſẽtiã habere bonitatẽ trãſcẽdẽtalẽ: quia propriũ eſt diuini entis quidquid pertinet ad ſui integritatẽ, & cõplemẽtũ etiã attributa, quæ extra eſſentiã formaliter ſũt: ſed perſonalitates ſunt de complemẽto formaliter extrinſeco, realiter verò intrinſeco diuinitatis: ergo eſſentia præciſa non eſt ens diuinum, quod ſequatur bonitas, & perfectio tranſcendentalis, ſi quid valet eius argumentum. Maximè, cum in eius doctrina perſonalitates habeant entis prædicatum formaliter intrinſecũ diuerſũ formaliter ab ente eſſentię.

4 Quintò includatur eſſẽtia in cõceptu perſonalitatis. Ex ea, & perſonalitate hac efficitur integra perſona nõ ſolũ formaliter, ſed realiter diuerſa ab alia: ergo quęuis perſona eſt vna integritas quidditatiua diuerſa ab alia: quare, & vna bonitas trãſcẽdẽtalis diuerſa ab aliis perſonarũ duarũ. Cõfirmatur ad hominẽ ex quatuor rationibus, quas adducit pro doctr. ſua d. 29. ſ. 3. quarũ tertia hæc eſt à nobis efformata. Quarta verò quia quęvis perſona ſeorſim amabilis, acadorabilis eſt: ergo bona. Secũda: quia nihil ſingulare (cuiuſmodi eſt perſona quæuis) abſtrahit à perfectione, vel imperfectione. Prima: quiaex eo, quod perſona, & perſonalitas ſit perfectio ſine imperfectione, probatur à Theologis Deũ eſſe perſonã. Ex quo ſuo argumẽto probatur cõtra ipſũ plus, quã nũc contẽdebamus. Nẽpe nõ ſolũ perſonã quãvis diuinã ſeorſim eſſe bonitatẽ trãſcẽdẽtalẽ, ſed bonitatẽ, & per fectionẽ ſimpliciter ſimplicem. Miſſis autẽ Doctoris huius incõſequentiis triplex hactenus recitata Doctorũ ſentẽtia eſt. Prima perſonalitates bonitates, & perfectiones tranſcendẽtales eſſe, nõ autẽ ſimpliciter

simplices. In qua est Ruiz cum aliis notatis n.1. Secunda esse etiam bonitates simpliciter simplices. In qua sunt Vasq.& alij eodem numero loco vltimo citati.

5 Tertia sententia est Ruiz inconstanter negantis personalitates, imò & personas esse bonitates transcendentales. Pro hac referuntur etiam Palud.3.d.1.q.2.à 3. fine,& à 4.Capreol.1. disp.17. q.1.à 2.ad 3. contr.1. concl.disp.33. art.3.ad 1.3.& 4.Aureol.Ferrar.2.controu.q.cap.9.med.& lib.4. cap. 14. circa med. §. *dicit secundò*, ac versic.fin.§.*ad primi dubij*.Caiet.1.p.q.28.art.1.& 2.ad 3.ac 3.p.q.3. art.1.atque alij Thomistæ.Sed hi loquuntur de personalitatibus sub conceptu relationis, sub quo entia rationis esse defendunt,non sub conceptu reali personalitatis,quem admittunt esse transcendentalem bonitatem, vt videre est in Caiet. Ex aliis verò, qui de personalitatibus, seu de relationis,vti de non figmentis sentiunt hanc sententiam tuentur Scotus. Quodlib. 5.art.2. & fine in primo disp.2. post q.5.in ordine §.*ad primum quæstionem*, versu *hoc etiam arguitur* disp.19.quæst.1.ad 2.principale d.26.q.vn.§.*ad primum tertiæ viæ*.versu:*per hoc patet*. Durand.1. d.13.q.2.n.26. d.19.q.1.& 4.n.4.in 2.d.34.q.1. n.22. & 23. & in 3. d.1. q.3. n.13.Marsil.1.q.6.art.1.arg.8.art.3.ad.8.q.23.art.2. Corol.2.3. & 5.vsque ad 8.Richard.1.d.19.art.1.q.3. d.24.art.1.q.3.ad 1. Argent.d.4.q.1.art.1.circa finem. Dionys. Cisterc.disp.33. q.vnic.artic 3.solut.2.fin.Deza disput.7.q.1.art.3. notab.4. & artic.4.ad 3. Aureoli.Canar.1. p.q.28. art.1. ad 4.Molin. art.2.ad vltim.q.42.art.6.disp.2.Bellarminus 2.de Christo cap.12. fine in quibus præter extremos hos tres, consequentiam desidero ad ea quæ alibi dixerunt, & ad ea, quæ docuerunt de prædicato entis proprio, & formali personalitatis cuiusque,& de propria existentia earum.

Certamen III.

De personalitatibus præcisis conclusiones nostræ.

1 DIco primò. Personalitas præcisa non est primaria bonitas absoluta,& stricta.Probatur facilè omnium communi principio.Quia hæc bonitas cõsistit in integritate,& totalitate essendi,quam,vt sic, nequit personalitas habere,vt patet:ergo, neque,vt sic,potest eiusmodi bonitatem habere. Probatur secundò in nostris principiis.Quia personalitas non habet,vt præcisa,esse,siue rationem entis,& existentiæ, sed solùm mutuatam ab essentia vt q.1. docebamus : ergo neque integritatem essendi. Quod enim, ne partialiter quidem est secundum se,quomodo integrè,& totaliter in se & secũdum se erit? Confirmatur. Quia,vt dicebamus cert.1.prima,& fundamentalis bonitas est esse,seu ratio entis : ergo ea sublata ab aliqua formalitate implicabit bonitas. Certè quoad hanc conclusionem nobiscum venient Doctores tertiæ sententiæ,pluréſque ex secunda : ac, nisi communem bonitatis, & perfectionis absolutæ primariæ strictæ deffinitionem reſpuant, nemo Theologus poterit à nobis recedere.

2 Dico secundò. Personalitas præcisa non est bonitas absoluta, etiam secundum quid. Ita Doctores omnes tertiæ sententiæ, cui consentire consequentiæ gratia debent,qui rationem entis personalitati,vel negant,vel debent negare. Eam expressit Damasc.1. fid. cap.9. dicens: *Ignoscendi proprietatem non significare substantiæ differentiam, neque dignitatis* (perfectionis) *sed subsistentiæ modum*. Probatio solida,& à priori ex nostris principiis vnicè petenda est vltimò efformatæ pro prima conclusione,non tam similis, quam eadem. Quia hæc bonitas sequitur entis prædicatum, ac proinde vulgò transcendentalis dicitur, atque cum ente conuertitur : ergo implicat reperiri in eo, à quo entis ratio absit : atqui à personalitate præcisa entis rationem abesse probauimus abundè q. 1. ergo ab eis aberit bonitas hæc secundum quid, seu transcendentalis.Confirmatur:quia esse in quovis ordine est prima,& fundamentalis bonitas, quo sublato implicat vllã bonitatem excogitari. Quod enim formaliter,& actu nõ est, quid boni habere poterit?Probatio secunda solida à posteriori est.Quia alioqui tres personę maius quid,& perfectius forent, quam singulæ contra Patres omnes recitandos cert.5.& fusius disp.de comparat.personarum,vbi Aduersariorum solutiones reuinciemus. Quod enim affert Ruiz pro hac conclusione, tum ex infinitate cuiusvis personalitatis, ob quam quæuis contineret bonitatẽ alterius,quod implicat, cum conclusione, facilè negatur. Cum enim se totis, vtpote singularitates metaphysicæ, personalitates differant,non probatur mutua continentia bonitatem. Secundum argumẽtum futilius est : ex bonitatis enim secundum quid multiplicatione in diuinis non infertur pluralitas Deorum.

3 Dico tertiò. Personalitas præcisa non est perfectio relatiua. Conclusio hæc ex eodem nostro principio solidè probatur: quia personalitas præcisa,ac secundũ se formaliter sumpta non est ens formaliter,& actualiter:quare neque actu formaliter est;sed solùm est ens in potentia, habétque esse in potentia ratione identitatis cum essentia,à qua iure idẽtitatis esse, & entitatem mutuatur:ergo nequit tribuere essentiæ,& naturæ,cui adiungitur metaphysicè, vel quasi physicè per identitatem realẽ esse aliquod intrinsecum, vel extrinsecum. Quod enim de suo non habet, sed potius mutuatum ab essentia, quo pacto essentiæ præstabit?Atqui, quod nullũ esse præstat alicui, nequit illud perficere : ergo personalitas præcisa nequit ipsam perficere:ergo neque est perfectiua essentiæ:ergo neque perfectio relatiua ipsius subsumptum proximum probatur ex dictis cert.1.n.5.Quod autem neque respectu personalitatis, aut personæ alterius perfectio relatiua sit eodem argumento conuincitur : quia neque illis tribuit aliquod esse,siue extrinsecum,siue intrinsecum.Probabitúrque amplius ex dicendis cert.sequenti n. 3. Quid autem dicendum sit de personalitatibus realiter sumptis constabit ex dicendis eodem cert. cum personalitas realiter sumpta idem prorsus,quod persona sit.

Certamen IV.

De Personis conclusiones aliæ.

1 DIco quartò.Persona quæuis habet bonitatẽ absolutam primariam, imò & relatiuam simpliciter simplicem.Vtrumque est contra Ruiz disp.30.sect.3.& 4.& fortasse cõtra aliquos ex citatis pro sententia prima, qui non nimis distinctè de personalitate loquuntur, & persona.Est autem quoad vtrũq; Doctorum secundæ sententiæ. Neque enim possunt asserere esse bonitatem simpliciter simplicem,quin asserant esse bonitatem absolutã primariam:quia illa hanc supponit,& addit respectũ melioritatis comparatione omnium, quæ ipsa,seu ipsum nõ sunt.Prima pars probatur facilè:quia quæuis persona est totum, & integrum quid in ordine essendi, simplex, & indiuisibile physicè,metaphysicè autem compositum,nihil vlterius ad suum esse expectans;atqui in hac totalitate,& integritate essendi stat ratio bonitatis absolutæ primariæ,vt constat ex cert.1. n.1.& 2.ergo in quavis persona est bonitas absoluta primaria.Confirmabitur amplius pars hæc ex dicendis in secunda parte.

2 Secunda pars conclusionis probatur.Quia in quæuis persona est essentia,quę sola est tota bonitas,& perfectio in diuinis,quippe quæ est tota ratio formalis entis diuini, totúmque esse diuinum melius infinitiès omni alio esse ipsi repugnãte, & oppositoergo quæuis persona habet bonitatem simpliciter simplicem.Quod autem Pater non sit melior filio,cum quo nequit esse idẽ,nil probat: quia esse Filij,in quo tota bonitas est,idẽ est ac proinde non melior,cum personalitate Filij, quæ secũdum se bonitas non est, sicuti neque entitas, quam cum personalitate Patris cum qua Filij personalitas nequit esse idem; neque Paternitas melior est, quam illa:sunt enim termini inhabiles ad eiusmodi comparationem, quæ secundum se bona non sunt. Itaque Personæ in esse,& bonitate non habent oppositionem, cũ idẽ esse,& bonitatẽ habeãt;in eo autẽ in quo oppositionem, & distinctionem, habent,

habent,nempe in personalitatibus,locum non habet respectus melioritatis,seu excessus in bonitate.Etenim,quæ bona non sunt, nec magis, nec minus bona esse possunt, vt patet.

3 Dico quintò. Nulla persona in diuinis habet perfectionem absolutam secundariam,& extrinsecam in ordine vllo,siue physico, siue metaphysico. De ordine physico probatur. Quoad operationes ad extra, quibus solùm concipi poterat in ordine physico strictè sumpto perfici. Quia summa infinita perfectio diuina incapax est perfectionis, adhuc extrinsecæ creatæ:si enim eius capax esset, libertas in operando me iudice cessaret.Et certè Deus,& mundus totus simul melior non est Deo solo. Ratio est quia omnis bonitas creata eminenter continetur, in bonitate Dei.In ordine verò physico laxè originum nõ perficitur:quia in quocumque ponantur processiones identificatæ,siue in termino,siue in principio,secundũ id, quod essentiæ identificatæ cum principio addunt, nec esse tribuunt principio,nec bonitatem, cum neutrum de se formaliter habeant:vt patet ex dictis, confirmabitúrque cõclusione vltima iam subijcienda.Ex qua doctrina probata manet conclusio de Ordine metaphysico. Ea quippe omnia, quæ extra essentiam metaphysicam Deitatis concipiuntur, siue attributa, siue personalitates de suo entitatem,atque esse non habent.

Certamen V.

Sexta, & vltima conclusio dogmatica illustratur grauí antecedentium conclusionum disputationis huius confirmatione.

1 VLtima, & sexta conclusio dogmatica est. Tres personæ non sunt tres bonitates absolutæ; sed vnica,& insectilis solùm.Est Doctorum tertiæ sententiæ, ac nostri Ruiz disp.30. sect.3. & 4.Sed nescio an hactenus rationem communem summo Patrum consensu datam eorum aliquis percaluerit.Dogmaticam dixi:quia omniũ Patrum sententia est aperta.August.5.de Trinit.cap.8.ante med.*Bonus Pater,bonus Filius,bonus Spiritus Sanctus.Nec tres boni, sed vnus est bonus*. Nempe substantiuè, vt idem est, quod bonitas : nam adiectiuè tres bonos esse citra dubiũ est.Damasc.1. de fide cap.11. longè à principio ait : esse in diuinis.*Bonitatis identitatem,non similitudinem,sed identitatem;* Et post pauca:*Vna bonitas,vna virtus,&c.Non tres adinuicem similes*.Anselm.23.profolog. fine : *Hoc est illud vnum necessarium,in quo omne bonum:imò,quod est omne,& vnum totum, & solum bonum*. Ratio à priori quia tota bonitas, & perfectio personarum est diuinitas. Hæc est eadem, & insectilis in tribus personis : ergo & bonitas, & perfectio eadem, & insectilis est in eisdem. Maior, imò totus discursus est S. Thom.q.2. de pot.art.4.ad 14. *Sicut Paternitas, & Filiatio sunt vna essentia,ita sunt vna dignitas, & vna bonitas*. Repetit art.5.atque 1.p.q.30.art.2.ad 4.& q.42.art.4. ad 2.*Magnitudo* (quæ idem quod bonitas) *in diuinis significat perfectionem naturæ,& ad essentiam pertinet. Et ideo æqualitas in diuinis, & similitudo secundum essentialia attenditur. Nec potest secundum rationem relationum inæqualitas,vel dissimilitudo dici.*

2 Consentiunt in ratione hac Patres.Isidor.7. Etymol. cap.1.post med.vbi *bonitatem* numerat in prædicatis, *quæ ad totam pertinent Trinitatem, propter vnam,& æternam substantiam*.August.7.de Trinit.cap.6. med.probat tres personas simul non esse maius (quod idem est,ac melius, & perfectius)singulis:quia *non maior essentia est, Pater, & Filius, & Spiritus simul, quam solus Pater, vel solus Filius*. Et serm.38.de temp. circa medium eiusdem eandem rationẽ sic reddit : *Quia eadem natura est in vnaquaque persona, &c. quæ est in tribus personis simul nominatis*. Ep.66. ad Maximinante med.*Hæc Trinitas vnius est,eiusdémque naturæ,atque substantiæ,non minor in singulis,quam in omnibus*.Concilij Tolet.11. profess.fid.circa medium de bonitate,perfectione, & magnitudine ait : *Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cum vnaquæque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius cum totæ tres personæ vnus Deus*

enuntiantur.Anselm.cap.23.citato circa med. *Quod autem est singulus quisque, hoc est totæ Trinitas simul. Quoniam singulus quisque non est aliud,quam summè simplex vnitas,& summè vna simplicitas*.Bern.Epist.190. ad Innocent.circa medium : *Et totum vnum est totum, nec superabundans in tribus,nec imminutum in singulis. Nec enim verum, summumque bonum, quod sunt inter se particulariter diuidunt:quoniam nec participaliter id possident;sed hoc ipsum essentialiter sunt.*

3 Confirmatur.Quia nisi sola essentia bonitas,& perfectio esset in diuinis,sed quæuis etiam persona sua bonitas foret,bonitas Filij deesset Patri,& contra:atqui nulla bonitas deficit Patri,aut Filio:ergo tota bonitas personarum est sola essentia,& diuinitas.Minor est Naz.or.37.5.de Theolog.longè à princ. his verbis:*Neque Filio aliquid deest ad hoc,vt sit Pater (neque enim defectus est Filiatio) nec propterea Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit ad hoc, vt sit Filius. Neque enim Pater Filius est.Sed hæc defectum proculdubio non arguunt, nec essentiæ summissionem*. Pende extrema,ex quibus constat in sola essentia esse perfectionem: cum eius solùm summissione defectus perfectionis personarum admittat posse argui. Ambr. 4. de fide ad Gratian.cap.4.vers.med.*nec ideò minus habet filius,quia Pater non est;nec Pater minus habet, quia filius non est. Dixit enim Filius omnia,quæ habet Pater mea sunt. Adeò generatio in paterna propietate non in iure est potestati*. Tertiò probatur. Quia Patres constanter negant tres plenitudines in diuinis,atque vnicam solùm agnoscunt.Athanas.1.de vnit.Deit.vers.fin. afferens Scripturis repugnare. *Tres plenitudines Deitatis*. Sequenti lib.2.de propriis personis,fine:*Vna est in ipsa Trinitate plenitudo diuinitatis*.3. de Assumpt.homin. *Vbique præsens est hæc vnita plenitudo*.Hoc autem solùm est,quia essentia,seu diuinitas est tota,& sola plenitudo,seu,quod idem est,bonitas,& perfectio in diuinis:ergo, &c.

4 Negat minorem hanc Ruiz,aitque vnicam esse quia ex essentia, & tribus personis, seu personalitatibus conflatur. Hoc autem satis impugnatum est hactenus præsertim conclusione prima, & hoc cert. Sed impugnatur rursus, & confirmatur minor. Primò. Quia nulla persona seorsim est tota Trinitas : ergo in huius sententia nulla seorsim erit integra,plena,perfecta,siue plenitudo,perfectio, & bonitas Deitatis,seu diuina. Quod est erroneum, vel propè.Patet ex Hilar.3. de Trinit. col.2. *Vt omnia in ingenito Patre perfecta sunt*.Ex Athanas.or.4. contra Arrian. subinit. *Plenus,& integer est Pater:& plenitudo Deitatis est Filius*.Sed integrum nostrum discursum, atque efficacem solutionis huius impugnationem dedit idem Athanas. or. contr. gregal. sabellij sub med.sic effatus : *Vnus igitur, & vnus,& dualitas non diuisa, est natura:cum sit indeficiens ad suã integritatem.Vniuersa enim plenitudo & integritas est Pater, vt Pater. Vniuersa item plenitudo Deitatis est Filius, vt Filius* (id est seorsim quisque acceptus) *quandoquidem amborum vna forma*(id est natura)*intelligitur,quæ integre se in vnoquoque,& solide exhibet*. Quid clarius? & tamen hæc pro se recitat Ruiz disp.30.sect.7.n.2. Nec obscurius in eandem sententiam scripsit Athanas. idem serm,de Sanctissima Deipara col.3. *Singuli non destituuntur plenitudine Deitatis;sed æqualitatem habent,omnium earum proprietatum, quibus æqualiter plenitudo diuinitatis intelligatur. Quibus enim æqualis substantia est, diuersis interim proprietatibus,ea æqualia.*

5 DeniqueMaiestas,& magnitudo in essendo,(quod idẽ est,atque bonitas,& perfectio in diuinis)vnica,& solius essentiæ est inTrinitate.De magnitudine ita scribitAug.5. deTrinit.c.8. post med. *Quoniam non aliud est Deo esse, aliud magnũ esse* (magnitudine perfectionis,quæ sola locũ in diuinishabet)*sicut non dicimus tres essẽtias,sic nõ dicimus tres magnitudines*. Et certè Ps.144. n.6. Ps.70.n.8.Ps.150.n.2.Sap.15. n.2.Eccles.2.fine,& 18.n.4.Baruch.3. Magnitudo,& magnũ propterea singulariter,numquam pluraliter de personis, ac Deo enuntiantur.Cui phrasi consonat Boët.lib. *An Pater, Filius, & Spiritus Sanctus de diuinit. substantialiter prædicentur?* circ.med. *Necesse est veritatem substantialiter prædicari de bonitate, de iustitia, &c. de cæteris omnibus, quæ, tam de singulis, quam de omnibus, singulariter prædicamus*. Ecce bonitatem, quæ idem est cum magnitudine, singulariter de singulis,& omnibus prędicari ait,ac de illa substantialiter

prædicari veritatem: vtrumque autem probat solam essentiam Deitatis, vel esse, vel consequi. De maiestate verò sic Augustinus loquitur 1. de Doctr. Christ. cap. 5. *Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maiestas.*

6 Ratio autem à priori huius conclusionis, quam tanto consensu Patres omnes diuinis nominibus, maiestatis, plenitudinis, integritatis, magnitudinis, perfectionis, bonitatis tradunt: (nimirùm non posse multiplicari in diuinis, in quibus vnica, & immultiplicabilis essentia est) ex nostris principiis vnicè deducitur. Quia in sola essentia formaliter intrinsecè est esse, seu ens, & entitas diuina; atque insuper integritas, & totalitas in esse, seu essendo, ac entitate tam physicè, quam metaphysicè. Cum neutro modo perficiatur personalitate, vt docebamus cert. 3. n. 2. & 3. atque insuper est in linea naturæ singularissima: imò neque extrinsecè perficitur, vt diximus cert. 4. n. 3. Vnde aggregatum ex essentia, & personalitate, vel tribus personalitatibus non est quid perfectius essentia; quare neque tres personæ perfectius quid sunt singulis, cum maiorem, aut perfectiorem essentiam non habeant, quam singulæ seorsim. Vltimam, & efficacem satis rationem à posteriori, & absurdo premam disp. de comparatione personarum. Quia si personæ non omnino eandem bonitatem, & perfectionem haberent, tres personæ, maius quid, & perfectius forent, quam singulæ; quod est erroneum, vel ferè, vt ibidem monstrabo.

CERTAMEN VI.

Obiectionibus occurritur.

1 OBiicies primò. Essentia est pars metaphysica personæ, quam cum personalitate constituit: ergo non est bonitas absoluta primaria. Patet: ideò per nos personalitas non est bonitas absolutè primaria; quia pars metaphysica est: de ratione autem bonitatis absolutæ primariæ est in suo ordine non esse partem. Respondetur distinguendo primam partem antecedentis: est pars metaphysica in essendo personæ nego antecedens: quia totum esse, atque integrum personæ sola essentia est: In ratione personæ transeat: & nego consequentiam. Ad eius probationem distinguo: *Quia pars in essendo est*, (si admittatur habere entitatem intrinsecè, & formaliter à personalitatibus) fateor; quia pars, vtcumque, ac non inessendo personæ est, nego. Integritas enim, & totalitas, in qua est bonitas absolutè primaria est integritas, & totalitas in essendo. Sicut enim quæuis ratio entis, siue essendi adhuc parti liter, est bonitas secundum quid: ita tota ratio totalis essendi est bonitas absoluta. Itaque personalitatibus negabamus rationem bonitatis absolutæ, quia neque vllam rationem essendi formaliter habent: deinde quia, & si haberent, vt plures volunt, partialem solùm haberent. Cum autem essentia habeat rationem essendi integram, atque entitatem totalem personarum, nullum inde contra absolutam bonitatem primariam ipsius duci argumentum potest.

2 Oppones rursus contra conclusionem 3. cert. 3. Personalitas diuina naturam complet, facitque esse per se, ac non in alio, constituitque personam: ergo naturam perficit extrinsecè in ordine metaphysico, personam autem intrinsecè. Plura supponit obiectio ex falsa, licet communi recentiorum apprehensione de subsistentia, & personalitate, quæ in Logica controu. de substantia, atque hoc tomo disp. procœmiali satis discimus subsistentiam formaliter consistere in independentia naturæ omni modo singularis in essendo ab vnione ad aliud: vnde diuersum valde est, quod supra naturam singularem diuinam addit subsistentia, ab eo, quod addit supra naturam singularem creatam supra hanc enim addit independentiam in essendo, siue in sui existentia ab vnione ad aliud, cum quo totum componat, ac proinde negationem essendi partè: quare cum addat rationem totius aliquid fortasse perfectionis addit; naturæ autem diuinæ, quæ de suo essentiali conceptu habet non esse dependentem, seu esse independentem in essendo, siue in sui existentia ab vnione ad aliud, eam independentiam non addit, sed vltimam singularitatem, quam præcisa à personalitate non habet: cui sine illa, vt aiebat Richard. non sit vltimo singularisata. Vnde constat non compleri à personalitate in essendo, nec reddi independentem in sui existentia, siue in essendo, ab vnione ad aliud, sed solùm vltimò singularisari: quod nullatenus est perfici adhuc extrinsecè, cum vltima illa singularitas nullum esse tribuat adhuc extrinsecè, siuè naturæ, siuè personæ.

3 Occurres secundò contra eandem conclusionem. Implicat aliquid esse in Deo, quod non sit formaliter, & in se perfectio: sunt autem in Deo personalitates: ergo. Nego maiorem. Probabis primò: quia Theologi inde probant in Deo esse personam: quia quidquid est perfectionis, in Deo esse debet. Respondetur benè probari: quia esse indiuiduam, & totalem naturæ rationalis substantiam perfectio est. Sed oporteret probari inde personalitates præcisas esse in Deo, vt aliquid contra nos probaretur nam nisi identificatæ cum natura reuera in Deo non sunt, neque absolute sunt, habéntve entitatem. Imò & si Theologi Recentiores hoc inde probarent nos minimè mouerent: quia aliter quam veritas fert de subsistentiis censent. Probabis secundò. Quia, si personalitas ratione sui formaliter perfectio non sit, superflua in diuinis erit. Sed facilè negatur: cum adhuc habeat munus constituendi, ac distinguendi personas. Probabis tertiò. Quia Theologi fatentur omnes humanitatem per vnionem ad personalitatem Verbi summopere perfici: quod fieri non posset, si personalitas Verbi saltem relatiua perfectio non foret. Respondeo in primis probabile esse, nec censura dignum, primariò, & per se toti Verbo vnitam esse humanitatem, quo cessat argumentum. Secundò, & si non primariò, & per se formaliter, ast materialiter Verbo toti vnita fuit, cum non sit vnita personalitati in statu præcisionis: totum autem Verbum bonitas, & perfectio est; licet præcisa personalitas bonitas non sit.

4 Tertiò contra eandem conclusionem est. Quia multi Patres aiunt authoritatem, & magnificentissimum Patris esse, Patrem esse, ac Filij esse Filium, non solùm, quia Deus est, *sed qua Pater est*; vt aiebat Cyrill. 1. Thesaur. c. 6. circa med. Item in ratione imaginis, quæ personalis est Filij perfectionem agnoscit Basil. hom. 28. contra Sabellian. circa med. lib. vnic. de Spiritu Sancto capite 18. ante med. 3. contra Eunom. sub init. Demum subsistendi modũ perfectionem personalem appellant, atque hypostha ses perfectas. Damasc. 1. de fid. cap. 11. circa med. de decretis primæ institution. cap. 1. Ep. de Trisagio med. Hieronym. Ep. 57. ad Damas. post medium quæ omnia personalia sola sonant. Respondetur in esse Patrem, & imaginem, ac Filium essentiam ingredi, atque hypostha sis integras personas, non personalitates solas, claudi apud Patres, qui eo nomine numquam personalitates præcisas intellexerunt, vt notabimus disput. procœmiali. Sed esto, loquantur de personalitatibus præcisis solùm contendunt non excludi à perfectione essentiæ, quam habent. Id quod significant illis Verbis, quia, vel, qua Pater est. Sicut de Christo dicunt esse qua hominem, siue secundum humanitatem Filium Dei: hæc enim quandoque solùm denotant materialem causam. Neque aliud voluit Damasc. qui rigidius loquitur, cum subsistendi modum perfectionem personalem dixit: cum statim dicat hypostha ses perfectas, vt ostẽdat abstractum vsurpasse pro concreto Verbis primis: neque enim sibi aduersari Patres, qui toties vni essentiæ bonitatem tribuunt credendi sunt, maximè Damasc. cum cap. 9. eiusdem libri expresè negauerit personalibus perfectionem, vt ex ipso recitabamus certamen 3. n. 2.

5 Demum obiicies. Licet attributa non sint formaliter entia, sunt tamen bonitates: ergo, & personalitates. Negatur antecedens. Probari autem potest. Quia deficiente potentia generatiua, deficeret formaliter perfectio intrinseca Patris, imò essentiæ: atqui potentia generatiua est intellectus, qui est attributum non habens entitatem, per nos, formaliter: ergo attributum non habens entitatem

entitatem formaliter est bonitas, & perfectio in diuinis. Patet: quia deficiente eo, quod perfectio non est formaliter, nequit formaliter deficere perfectio. Respondeo, admisso intellectum esse attributum, distinguendo maiorem. Deficiente potentia generatiua proxima deficeret perfectio formaliter, nego; deficiente potentia generatiua remota, & radicali deficeret formaliter perfectio, concedo. Et de radicali nego minorem: quia radicalis potentia generatiua essentia ipsa est. Et nego consequentiam. Verum quidem est deficiente intellectu, quouisve attributo, aut personalitate defecturam materialiter, & remotè bonitatem, & perfectionem diuinam. Quia deficeret necessariò essentia, cui identificantur, quæque tota bonitas, & perfectio diuina est. Atque hoc solùm probant plura testimonia Patrum dicentium apud Ruiz disput. 29. sect. 3. & 4. Patrem, etiam, at Deum, imò diuinitatem ipsam, imperfectam fore sine Filio.

QVÆSTIO IV.

Vtrum multiplicetur vnitas in Trinitate?

EXtrema entis passio, nempe vnitas quarto loco in examen vocatur.

CERTAMEN I.

Aliorum opiniones, atque ad decidendum notata.

1 NOnnulli apud disp. 27. sect. 3. n. 2. docent vnitatẽ transcendentalem pro personarum numero non multiplicari in Trinitate, sed vnicam solùm esse. Refertur pro hac sententia Scotus 1. dist. 24. q. vnic. & Argentina ibidem. Reliqui tamen Theologi in 1. disp. 24. q. 1. atque ad 1. partem q. 30. art. 3. tres vnitates admittunt quare oppositum temerarium reor. Addit tamen Ruiz vbi proximè n. 7. ita esse tres vnitates transcendentales, vt non sint tres vnitates prædicamentales, sed vnica tantum; quia tres vnitates personales, vtpote identificatæ cum vnitate essentiæ, simul vna vnitas sunt. Sed certè, nec nomen vnitatis prædicamentalis, nec huius à transcendentali discrimen, nec discriminis rationem satis caleo nisi modo explicando, n. 3. Nam, licet verum sit personas inadæquatè secundum essentiam sumptas vnum esse, tamen, si personalitatibus sua etiam personalis vnitas adsit, sicut in personis diuersæ absolutè sunt, & non eadem persona; ita tres absolutæ vnitates personales admittendæ erunt. Cõfirmatur: quia in essentia admittitur absolutè vnitas: ergo, & in personalitatibus admitti debet absolutè diuersitas. Patet. Siquidem non magis absolutè sunt vnum in essentia, quam tres in personis. Confirmatur secundò: quia non minus Pater est vnus, & non plures Patres, & personæ, quam Deus est vnus, seu vna essentia, & non plures: atqui vnitas ex Sancto Thom. & communi, imò ex ipso Ruiz est indiuisio in se, & diuisio à quouis alio: ergo personalitas, seu persona est vna, habéreque vnitatem suam non minus, quam essentia: ac proinde tres personæ tres vnitates.

2 Pro vera quæstionis decisione nota: vnitatem realem non sequi, aut comitari rationem entis metaphysici, seu realitatem, aut existentiã formaliter sumptam, sed solùm, provt in statu realitatis res iacet, sicut vnitas formalis sequitur prædicata formalia quæcũq; sint, siue ens formaliter, siue nó ens sint. Ratio vtriusque est. Primi quidẽ: quia vnitas realis est rei indiuisio in se, & diuisio à quolibet alio indepẽdens ab intellectu, quavísque præcisione ipsius: sed hęc solùm habẽt res in statu puro realitatis: ergo vnitas realis sequitur rem, & entitatem in statu puro realitatis omni prorsus intellectus præcisione semota. Vnde vnitas realis nulla præter numerica datur: quia præcisione intellectus semota non datur nisi indiuidua. Quod autem vnitas formalis quamuis formalitatem præcisam, & si formaliter ens non sit, sequatur, facilè fuadetur. Quæuis enim formalitas, etiam præcisa ab entis prædicato, in illo præcisionis statu est indiuisa in se, & diuisa à quauis alia formalitate, fundátque negationem identitatis cum aliis formalitatibus in eo præcisionis statu positis, in quo vnitas, seu ratio vnius formaliter consistit, vt latiùs persequebamur controu. 6. Logicæ.

3 Nota secundò cum Richard. 4. de Trinit. cap. 23. init. Deitatem seu essentiam diuinam secundum se & præcisam à personalitatibus non esse omnino singularizatam realiter, vel formaliter. Primum patet ex dictis: quia in eo statu præcisionis non habet statum realitatis: ac proinde neque vnitatem realem potest habere iuxta dicta n. 1. Secundum verò probat Richardus: quia, licet in ratione naturæ, singularis, & indiuidua Deitas sit, tamen communis est tribus personis realiter formaliter: ita vt eademmet realiter sit tres personæ; sicut homo realiter est Petrus, & Paulus; licet formaliter homo sit vna species, non plures. Itaque est vna singulariter in ratione naturæ, quia nequit multiplicari, seu esse plura indiuidua Deitatis; in quo ab speciebus creatis differt: cum autem adhuc sit aliis indiuiduis, licet non naturæ, sed personarũ communis, non habet singularitatem omnimodo singularem sed mixtam ex singularitate, & communitate. Atque hoc fortasse volebat Ruiz dum supra aiebat: personalitates non afferre singularitates prædicamentales. Nam huiusmodi singularitas debet esse in linea naturæ, quam Deitas à se ipsa, non à personis habet.

CERTAMEN II.

Vera quæstionis decisio.

1 ASsero primò in Trinitate esse absolutè triplicem vnitatem realem, non tamen adeò strictã, & singularem, atque sint plures vnitates indiuiduorum creatorum. Primum est commune Doctorum, & quod facilè probatur ex dictis: quia vnitas realis sequitur statum realitatis in ente quovis: atqui in ente diuino est triplex status realitatis omnino ab intellectu independens in tribus personis, vt fides docet: ergo in tribus personis est triplex vnitas realis. Confirmatur: quia verè, & realiter sunt tres personæ, ita vt quæque realiter sit indiuisa in se, & diuisa à quavis alia, fundans negationem identitatis cum alia: ergo sunt tres vnitates reales. Addidi autem reales has vnitates singulares non esse adeò strictè diuersas, & tres, atque vnitates reales Petri & Pauli, aut aliorum indiuiduorum creatum: quia non fundant omnimodam diuisionem à quauis alia persona: cum simul fundet quæuis persona Trinitaris indiuisionem cum duabus aliis in natura.

2 Dico secundò in Trinitate est absolutè triplex vnitas singularis formalis, & alia vnitas mixta ex singulari, & quasi specifica. Primum patet: quia quæuis personalitas præcisa vltima diuisione formali, est indiuisa in se, & diuisa à quavis alia, tam personalitate quam essentia, vt cõstat in veriori opinione, quæ formaliter ex æquo personalitates ab essentia diuidit, vt dicemus disputatione octana. Quod autem sit alia vnitas mixta ex singulari, & quasi specifica facilè suadetur: quia eam natura præcisa, & secundum se sumpta habet. Etenim vnitas singularis formaliter vltimò claudit naturam, né possint esse plures naturæ indiuiduæ, quod habet naturã diuina secundum se: vnitas autem specifica relinquit naturam componibilem cum pluribus indiuiduis ipsius; quod licet singularitas naturæ diuinæ non patiatur, patitur autem aliquid simile: nempe relinquere illam componibilem cum pluribus personis;

in quibus claudatur : ac proinde vnitatem formalem speciei emulatur.

QVÆSTIO V.

An pro personarum numero negatiua attributa multiplicentur in diuinis ?

HVc vsque egimus de prædicatis, quæ ens reale in sua tota latitudine acceptum comitantur. Iam de iis, quæ ens reale diuinũ consequuntur, quæ Dei attributa à Theologis nominantur agendum est. Ea verò, licet positiua omnia sint (quia in Deo nihil negatiuum esse potest) nonnulla tamen melius nobis negatiuis nominibus explicantur : atque de vocum, quibus explicantur significatur, commodius fortè censentur: proindéque negatiua attributa nominantur. De positiuis cuiusmodi est omnipotentia, amor, cognitio, & similes, extra quæstionẽ etiam omnibus est non multiplicari magis, quam Deitatem ipsam, de negatiuis pluribus sunt difficultates nonnullæ. Et quidem de æternitatis atque immensitatis immultiplicatione dictum *in superioribus* est. Nunc autem restant breuiter examinanda infinitas, incredibilitas, immortalitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas, multiplicentur necne in diuinis ?

CERTAMEN I.

Non multiplicantur infinitas, & inuisibilitas in Trinitate.

1 OCkam. 1. disput. 19. q. 1. ad 1. dub. Mai. q. vnic. circa med. Aureol. p. 2. art. 3. propos. 2. Soar. 3. de Trinit. cap. 12. n. 7. docent tres personalitates esse tres infinitates secundum quid, non autem simpliciter: atque in hoc extremo reliqui Theologi conueniunt ; in primo autem bonitatem secundum quid personalitatibus denegant, quare neque secundum quid esse tres infinitates in tribus personis docent Doctores citati q. 2. cert. 2. pro secunda sententia consentiente etiam Vasq. 1. p. disput. 122. cap. 7. n. 29. de relationibus, qua talibus, eius discursus procedit, quia nimirum tota relatiuorum infinitas ex parte termini sumi debet: non autem apparet ex parte termini diuinæ relationis vnde eius infinitas sumi debeat. Sed inprimis cum Vasquez in relatiuo personalitates constituat idem dicere de personalitatibus, qua talibus compellitur. Secundò cum terminus relationis Paternitatis, & Spiratoris sint Filij, & Spiritus Sancti Personæ, quǽvísque earum infinita sit, facilè ab Aduersariis assignari posset, vnde ex parte termini infinitas diuinis relationibus proueniat.

2 Dico primò personalitates secundum se, vt præcisæ ab essentia non sunt infinitates, seu infinitæ secundum quid. Est Doctorum ferè omnium, quos nuper memorabamus. Probatur: quia infinitas diuina non est in magnitudine quantitatiua, vel intensiua, sed in essendo, vel bonitate, seu perfectione, in qua dicit insuper, interminationem, siue negationem termini : ergo in eo, in quo nullatenus est formaliter infinitas ; atqui personalitatibus secundum se, ac præcisis non adest formaliter esse, aut bonitas, seu perfectio, adhuc secundum quid, vt constat ex q. 1. & 3. ergo neque adest formaliter illis sic consideratis infinitas adhuc secundum quid. Nec refert personalitates adhuc in eo statu longè superare omnes subsistentias creatas etiam possibiles in ratione subsistentiæ: quod autem superat quidquid finitum in aliquo genere est, certè in eo infinitum est, vt patet : ergo personalitas in ratione, seu genere personalitatis infinita in diuinis est; quare licet non absolutè (quia ei deficit essentiæ bonitas, & perfectio : néve cogamur duplicem in persona infinitatem absolutam admittere, maiorem in persona, quam in essentia) certè secundum quid infinita. Negatur maior: quia cum secundum se, ac præcisa nec ens, nec bona formaliter sit, nec infinita, nec finita erit, nec terminus aptus comparationi in infinitate, vel finitate respectu subsistentiæ, aut personalitatis creatæ.

3 Obiicis secundò. Personalitas præcisa ab essentia est incomprehensibilis ab intellectu creato ; ergo, vt sic, est infinita. Patet consequentia : quia incomprehensibilitas non nisi ratione infinitatis competit Deo : ergo prædicato diuino, cui secundum se competit incomprehensibilitas competit etiam secundum se infinitas. Confirmatur subsumptum. Quia vis intellectus creati est syncategorematicè infinita, quia nullus est, quo non sit perfectior alius possibilis : ast intelligibilitas personalitatis maior est actu, quam tota vis syncategorematicè infinitorum intellectuum perfectiorum, & perfectiorum: ergo est intelligibilitas personalitatum infinita. Respondet Scotus quod. 5. vers. fin. §. *adprimũ dictorum*, Personalitatẽ diuinam incomprehensibilem esse materialiter solùm ratione essentiæ : ac proinde vt præcisam secundum se non esse incomprehensibilem, ex quo reliqua subruunt. Instas. In quantitate corporea nihil est, quod abstrahat à finitudine vel infinitudine : ergo neque in prædicatis diuinis ab altervtro abstrahetur : quare personalitates, si secundum se ac præcisæ infinitæ non sunt, finitæ erunt, quod est absurdum. Nego consequentiam quia quantitas est magnitudo : ast prædicata diuina plura magnitudo non sunt: quare nec materia apta finitati, vel infinitati. Ex iis autem sunt personalitates secundum se, ac præcisæ sumptæ.

4 Dico secundò. Quæuis persona diuina simpliciter infinita est ; non tamen tres personæ sunt tres infinitates sed vnica, & eadem quæ est persona quæuis. Prior conclusionis pars probatur: quia quæuis persona habet totam Dei bonitatem, & perfectionem illimitatam, quæ eadem est, quod magnitudo infinita, quia totam habent integritatem, & totalitatem diuini esse, quæ in essentia illimitata diuina est: ergo quæuis persona est simpliciter infinita, vt priori parte conclusionis dicebatur. Inde autem secunda partis probatio est procliuis : quia, si tota cuiuíuis personæ infinitas essentiæ illimitatæ totalitas est, cum vnica, & eadem sit in tribus personis, vnica, & eadem solùm infinitas in eis erit non triplex, vt de bonitate, & perfectione arguebamus q. 3. cert. 5. Recole ibi argumenta, & cert. 6. obiectiones, & solutiones, iis, quæ hîc obiici, respondéríque possunt omninò similes.

5 Dico tertiò. Vnica solùm non multiplex inuisibilitas est in Trinitate. Probatur ex 1. ad Timotheum 1. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili*- Ex quo Augustinus recitandus cert. 2. num. 2. tres inuisibiles negat in diuinis, & 1. ad Timoth. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Eadem veritas continetur. Idem autem Augustin. 2. contra Maximin. cap. 3. & 15. ac lib. 3. cap. 9. Athanas. q. 28. ad Antiochum, Chrysost. 1. ad Timoth. 6. homil. 18. circ. medium quos certamine 2. n. 2. recitabimus. Patrem, & Filium inuisibiles ratione diuinitatis esse aiunt : quæ sententia rationem conclusionis à priori continet. Fulgent. verò rationem eandem supponit, dum ait loco recitando eodem numero, inuisibilitatem esse attributum commune. Est autem contra assertionem difficultas : quia, vel sumitur inuisibilitas oculis corporeis, & sic personalitas secundũ se inuisibilis est: quare tres personalitates tres inuisibilitates erunt: imò spirituales creaturæ eo modo sunt inuisibiles : quare ea inuisibilitas Dei attributum non est. Vel sumitur oculis mentis, & sic absolutè nulla est in diuinis inuisibilitas, cum Deum, & personas Beati videant. Quod si dicas inuisibilitatem oculis mentis, quæ Dei attributum est, intelligi viribus naturæ, seu extra ordinem gratiæ, aut in statu viæ, recurrit instantia nuper facta: nempe personalitatem quamvis iis etiam modis inuisibilem secundum se, ac præcisè sumptam esse.

6 Noster

6 Noster Ruiz disp. 28. sect. 4. n. 4. nonnullis ex his difficultatibus oppressus: vt se illis excutiat, docet: inuisibilitatem, quæ singulare, & diuinum attributum est idem esse atque incomprehensibilitatem. Qua in re verè loquitur, sed præter rem. Patres enim vt Controuersiæ de attributis alendebam cum Vasquez & VVadingo incomprehensionem Dei pro eodem, atque non visionem Dei in se claram, & non stractiuam, & in alio vsurparunt semper. Quare, & incomprehensibilitatis nomine idem, quod inuisibilitatem clarè significarunt ; sed quid inde vt euacuentur difficultates ? solùm euacuantur, si comprehensio, cuius impossibilitatem incomprehensibilitas importat, sit cognitio perfectior, quam visio clara Dei in se ; quæ nimirum, vel Dei cognoscibilitatem exæque, vel, qua nihil Dei lateat videntem ; vti falsò ex Patribus nouiores Theologi comprehensionem suam definiunt. Atque neque hoc quidem modo conclusio à difficultatibus liberabitur, si admittatur personalitates secundum se bonitatem, entitatem, & infinitudinem secundum quid formaliter habere, vt docet Ruiz, atque esse principia processionum ad intra, & operationum ad extra. Sic enim dici poterit semper aliquid creatum, quod personalitatum sit, latere creatam quamuis cognitionem : atque ab hac non æquari cognoscibilitatem earum. Quare, & secundum se præcisam, quamuis esse incomprehensibilem, ac proinde tres esse inuisibilitates in diuinis contra Patres : solùm ergo in nobis principiis difficultates hæc euacuabitur, si inuisibilitas incomprehensionem sonet.

7 Inuisibilitas ergo à Patribus in diuinis cognita, & cuius vnitatis in Trinitate rationem reddunt duplicem habet sensum. Primus est de inuisibilitate oculis corporeis dum contra Anomæos disputant ; & hoc sensu Dei solius attributum esse non volunt, cum planè rebus omnibus spiritualibus competat, sed tamen vnicam esse in diuinis volunt, atque ratione essentiæ personis conuenire. Secundus de inuisibilitate etiam mentali per clarã cognitionem in statu viæ, atque per vires intellectus creati. Quam inuisibilitatem occasione erroris Anomæorum, vt eum longiùs ab Ecclesia eliminarent, Dei propriam, & vnicam etiam in Trinitate, atque ratione essentiæ personis conuenientem asseruerunt. Sic autem explicanda altius eorum ratio est, vt vtroque sensu inuisibilitas sumatur formaliter positiuè : quia inuisibilitas negationum, & eorum, quæ non sunt, perfectio Deo digna esse non potest. Sic autem constat essentiæ solius esse. Quia hæc sola positiuum quid spirituale, atque immateriale est, personalitates autem secundum se formaliter, nec entis rationem habent, neque immaterialitatis, siue spiritualis rationem : vt cert. 2. docebimus. Inuisibilitatem pro incomprehensibilitate à Theologis inuenta sumptam satis constat ex dictis n. 3. & 6. infinitatem supponere, atque vnicam esse. Inde etiam constat de ineffabilitate, quæ omnium sententia, incomprehensibilitatem comitatur.

CERTAMEN II.

De reliquis attributis negatiuis.

1 VNica solùm increabilitas & immortalitas est in diuinis. Increabilitas sumitur pro improducibilitate seu infectibilitate. Probatur: quia eo sunt personæ diuinæ improducibiles, & indefectibiles, quo sunt independentes ab alio in fieri, & conseruari ; eo autem tales sunt quo sunt à se : ergo sunt increabiles, & immortales, quo sunt à se : at à se sunt, quia habent diuinum esse seu Deitatem quæ est ens à se: ergo sunt increabiles, & immortales personæ ratione Deitatis: sed hæc non multiplicatur, sed vnica solùm est in Trinitate : ergo increabilitas, & immortalitas vnica est in Trinitate. Probatur secundò ex 1. ad Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali.* Et cap. 6. *Quia solus habet immortalitatem.* Id autem, quod solùm, & singulare in Deo dicitur, Deo, qua Deus, & vnus est conuenit, non qua persona, & multiplex, vt bene Aug. 2. contra Maximin. c. 3. & 4.

2 Rursus 2. de symbolo ad Catechum. cap. 4. circa fin. *Non audemus dicere tres Deos, nec tres omnipotentes, nec tres inuisibiles, nec tres immortales ; sed vnum Deum de quo dicit Apostolus immortali, & inuisibili.* Athanas. Dialog. 1. de sancta Trinit. contra Anomæ. post med. *Immortalitas est hypostasis Patris, & immortalitas est hypostasis Filij ; nec tamen sunt duæ immortalitates.* Et post pauca: *Ita hypostasis est incorruptibilitas, & tamen est vna incorruptibilitas.* Fulgent. de fide ad Petrum cap. 2. vers. fin. enumeratis propriis Filij hæc inter communia excipit: *Saluo tamen æternitate, immensitate, immortalitate, incommunicabilitate, inuisibilitate Deitatis eius, quæ naturaliter, atque æqualiter communia cum Deo Patre habet Filius.* Concil. Hispal. 2. act. 3. med. *Immortalitas Patris cum Filio communis est.* Cum autem eadem sit, vt vidimus, de increabilitate ratio, licet de ea non adeò frequenter Patres loquantur eodem modo sentire de illa credendi sunt : vt videre est in Athanasio, qui in Symbolo ait : *Non tres increati, sed vnus increatus.*

3 Immutabilitas, & impossibilitas vnica tantum est in diuinis, Impassibilitas Dei propria incapacitas est accidentis cuiuíuis aduentitij, idémque prorsus quod immutabilitas. Traditur conclusio à Fulgentio nuper recitato ab Isidoro 7. origin. seu Etymolog. cap. 1. circa med. his verbis : *Immutabilis est, quia semper manet, & mutari nescit. Nec proficit quia perfectus est: nec deficit, quia æternus.* Ac longè infra : *Hæc igitur, quæ de Deo dicta sunt ad totam pertinent Trinitatem propter vnam, & coæternam substantiam.* Cuius rationem sic edissero : quia qua ratione personæ perfectæ, & æternæ sunt conuenit illis non mutari in melius, aut deterius : quia, qua perfectæ sunt conuenit illis summa perfectio, qua verò æternæ ipsius tota simul possessio : atqui vtrumque habent ratione essentiæ, quæ vnica solùm in diuinis est : ergo, & vnica solùm in diuinis erit immutabilitas, &, quod idem est : impassibilitas.

4 Dices. Paternitati, & Filiationi, & Spirationi, qua talibus competit non fieri, aut conseruari ab alio, aliquidve pati, nec solùm ratione essentiæ : ergo præter cõmunem habebunt propriam increabilitatem, immutabilitatem, seu impassibilitatem: ac proinde hæc omnia multiplicantur in Trinitate. Antecedens probatur : quia, etiã qua tales personalitates nequeunt produci propriè, & Patris personalitas adhuc impropriè, & originatiuè produci non potest : incapacitas autem accidentium etiam, qua talium, videtur manifesta. Fateor in eorum opinione, qui personalitatibus rationem entis, & perfectionis, ac bonitatis deferunt, ægrè solui posse difficultatem ; in nostris autem principiis facilè nego antecedens : quia, quod ens formaliter non est neque ens à se formaliter esse potest. Insuper, cum ratione sui, & formaliter personalitas ens, & perfectio non sint, neque immutabiles, aut impossibiles esse possunt ; imò si per impossibile essentia, seu natura alia, ac non diuinitas personalitatibus adiungeretur personæ creabiles, defectibiles, mutabiles, & passibiles forent ; quare secundum se, nec à se, nec ab alio, nec passibiles, & mutabiles, nec immutabiles, nec impassibiles sunt, sed abstrahunt, atque, vt alterum habeant, essentiæ conditionem, & identitatem expectant.

5 Vnica solùm immaterialitas, & incorporeitas est in Trinitate. Est contra Ruiz disp. 28. sect. 4. Probatur, quia ratio immaterialitatis diuinæ non est pura negatio materialitatis ; nihil enim purè negatiuum in Deo est, vt monebam ad quæstionis initium ; sed est aliquid positiuum, nempe spiritualitas : atqui personalitatibus secundum se ac ratione sui spiritualitas non competit, sed ratione solius essentiæ, quæ vnica est in diuinis : ergo vnica solùm immaterialitas, & incorporeitas est in Trinitate. Minor probatur : quia personalitas præcisa est formalitas vltimò singularizans quasi physicè naturam diuinam spiritualem : ergo ipsa personalitas secundum se spiritualis non est. Probatur consequentia: quia singularitas naturæ

turæ, quam singularizat, prædicata non habet, sicuti neque differentia vlla contractiua, vel generis, vel speciei, eius prædicata habet, alioqui differentiæ, quæ essentia sua sunt rationes distinguendi, essent rationes conueniendi species, vel indiuidua, quæ distinguunt. Hinc Gabrieleitas, vel Michaeleitas spiritualis formaliter non est, neque subsistantia, quia subsistantiæ spiritualis singularis differentia: sic igitur, & personalitas, quia singularitas naturæ diuinæ spiritualis ad personæ constitutionem est, ipsa spiritualis non est.

6 Vltimò dico. Vnica indiuisibilitas summa, siue summa simplicitas est in diuinis. Dixi summam: quia omnem diuisibilitatem non fictam excludit, siue in partes integrantes, siue essentiales, siue subsantiales, siue subiecti & accidentis, vti ex dictis de immutabilitate, & impossibilitate constat; quia omnimodam perfectionem supponit, ac proinde naturam, in qua solùm bonitas, & perfectio est; quare in Trinitate non magis, quam natura multiplicabitur.

DISPVTATIO VII.

DE PERSONALITATVM ac relationum diuinarum numero, ac distinctione inter se se.

DISPVTATIONEM hanc octauæ de personarum constitutione præire rationi consentaneum fuit, siquidem nihil ibi statui poterat, nisi reali personalitatum & relationum distinctione, formalique earum ab essentia diuersitate fundatis.

QVÆSTIO I.

Sint-ne tres hypostaſes, subsistentiæ, ac personalitates in Trinitate admittendæ?

TOTA hæc quæstio inter Catholicos de solo nomine esse potest. Reuocanda igitur in memoriam sunt, quæ diximus in Logica, controuersia de subsantia, atque in hoc tomo disputatione prooemiali, nempe subsistentiam pro formali dicere perfectatem in essendo, siue independentiam in sui existentia à coniunctione, seu vnione ad aliud, id est totalitatem, licèt connotet subsantialem naturam: sicut symitas nasum: personalitatem verò non solùm dicere esse per se physicè, id est in existentia physica, sed moraliter cum dominio totali suarum operationum. De connotato verò subsantialem naturam rationalem, in qua solùm eiusmodi dominium plenum esse potest. Hinc cum hypostaſis quandoque apud Patres, & Theologos suppositum seu subsistens significet, frequentius autem personam; quandoque etiam de formali primum dicet; frequentius autem dicet secundum.

* * *

CERTAMEN I.

Hypostaſes plures aliquando malè audiebant apud Patres, semper autem apud hæreticos, diuersis tamen de causis.

1 NOmen hypostaſis in diuinis multiplicatum initio malè apud Patres audiuit, atque hucvsque ab hæreticis priscis, & nouiorbus exsibilatur; dispari tamen longè causa. Patres enim de vocis proprietate, dubitantes, atque essentiam siue subsantiam, significare censentes, multiplicari essentiam hypostaſis multiplicatione censebant: quare id, vt hæreticum in diuinis audire perhorruerunt. Hæretici verò vocis proprietatē percalentes, atque ea voce errores suos prostigari metuentes, ad eorum Patrum religionem prouocantes, id etiam ab Ecclesia curabant, vocisque nouitatem causabantur: imò eandem litem receptissimæ semper voci *personæ*, non alio metu intendebant. Cæterùm disp. citata prooemiali ex vocis Etymologia, & vario antiquorum vsu satis ostendimus magna proprietate, cum vocem *hypostaſis*, tum vocem *persona*. In vulgari Catholicis significatione, iam pridem in Ecclesia fuisse receptam; ac tādem neque ab his Patribus, quibus initio Religionem iniecerat, in diuinis multiplicatam fuisse fastiditam. Id quod apertis eorundem testimoniis monstrare huius loci, & certaminis est.

2 Ex iis fuit aliquando Athanas. qui tamen in Græco exemplari sui symboli apud Genebrard. 3. de Trinit. 189. pro *non confundentes personas*. Et pro *totæ tres personæ*: *hypostaſes* posuit. Licet Constantinopolitani *prosopon*. Eodem pacto *hypostaſim* pro persona posuit tom. 2. Græco-Latino pag. 38. & Dialog. 2. de Sancta Trinitate contra Anomæū col. 2. & post med. Dialog. 3. de Sancta Trinit. contra Macedon. post. med. ex instituto probat, ac explicat discrimen inter hypostaſim, & vsiam, sicut, & tract. de definitionibus col. 3. vbi addit: *Si quis ergo de Trinitate quærat quot confitearis naturas? respondeo vnam, hypostaſes verò tres. Quod si quis de Incarnationis dispensatione interroget, quot naturas confiteare: responde duas, vnam verò hypostaſim.* Meritò ergo Naz. or. 21. de laudibus Athanasij col. penult. post numerum 49. de illo ait: *Vtraque parte* (dissidentium de hypostaſis significatione) *leniter, & benignè accita, verborum que sententia diligenter, & accuratè perpensa, postea quam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam ullo modo inter se dissidentes, ita negotium transegit, vt nominum vsum concedens rebus eos constringeret.*

3 Ex eis etiam fuit Paulin. Thessalonic. qui teste Acacio Boreæ Episc, Epist. ad Cyrill. Alexand. tom. 1. Concil. Ephes. in tract. cap. 23. hypostaſim pro essentia intelligens solam, atque vnicam in diuinis agnoscebat. Tamen profess. fidei sub initium, quæ extat apud Epiphan. hæresi 77. med. propria acceptione vocis *tribus subsistentiis, seu hypostaſibus*. Trinitatem contineri fatetur. Porrò Nazcentum quinquagenta Episcopos de voce *hypostaſis* Constantinopoli dissidentes concilians sic habet or. 52. ad ipsos sub med. numero 57. *Quid igitur vobis hypostaſes volunt, aut vobis personæ? nimirum tria esse, quæ diuidantur, non naturis, sed proprietatibus. Optimè. An fieri potest, vt quidam magis inter se concordent, atque idem dicant, quam, cum ita sentiunt, tametsi alioqui syllabis discrepent? Videte qualem vobis pacificatorem me præbeam de litterâ ad mentem traducens.* Atque otat. 30. in sancta lumina circa med. *Proprietates siue hypostaſes: si cui hoc Verbum magis arridet, siue personas: neque enim de vocabulis dissidebimus, quando syllabæ ad eandem sententiam ferent.*

4 Eadem porrò sententia probatur Ioanni Papæ secundo Epist. 2. ad Senator. quæ est liber de duabus naturis post med. sub nomine serm. de Epiphania, & sub init. ait: *Christum vnam de tribus Sanctæ Trinitatis esse personam, siue subsistentiam, quam Græci hypostaſim dicunt.* Hieronym. cui etiam initio ea vox suspecta fuit, tom. 9. Epist. 19. aliàs tom. 4.

com. 4. Epist. 9. post init. *Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, velut Græci exprimunt, hypostaſes, hoc est subsistentias confitemur.* Auguſt. 5. de Trinit. cap. 8. licèt tres hypostaſes à plerisque Catholicis Græcis admissas fateatur; quia tandem tantundem valere hypostaſim atque subsantiam putabant, neque ibi, neque cap. 9. tres hypostaſes audet admittere. Verùm 7. de Trinit. cap. 6. init. Græcorum, vtpotè suæ linguæ peritiorum, sententiæ his verbis concessit: *Quanquam & illi, si vellent, sicut dicunt tres subsistentias, tres hypostaſes, possent dicere tres personas, tria prosopa: illud autem maluerunt: quod fortè secundùm suæ linguæ consuetudinem aptius diceretur.* His tantùm Patribus inuisa hæc vox ob minus penetratam ipsius significationem initio fuit; posteà autem melius penetrata fuit amica. Videant ergo quo opere pretio Patres prouocet perfida hæreticorum malitia. Sed iam Patres reliquos, qui ab eius vocis initio constanter tres hypostaſes in Trinitate admiserunt, ad totam hæretici huius effugij præclusionem recitemus.

CERTAMEN II.

Patres reliqui constanter tres hypostaſes, & personas admiserunt.

1 IAm verò hypostaſim ea acceptione, & vsurpant, & multiplicant, sine vlla vnquam suspicione in diuinis, Concil. Nicæn. in Symbolo apud Cyrill. 1. Dialogor. de Trinit. col. 4. & lib. 2. post med. per Protogenem. Sardicens. Episc. post med. §. *In libro Iob* post duas columnas, §. *siquidem* per Leontium. Et circa fin. §. *cum sit copiosa*. Hoc Concilium approbat Liberius Pap. Epist. 9. ad Episc. Ital. & Epist. 11. ad Oriental. Concil. Alexandr. cui præfuit Athanas. propter Sabellij Hæresim. *Tres esse subsistentias, siue hypostaſes confitendas* concluſit teste Ruffino l. 1. cap. 29. de Concil. Alexandr. qui est liber 10. Historiæ Eccles. Eusebij Cæsar. Concil. Epheſ. cap. 1. Anathematismo 2. 3. & 4. *Verbum carni secundum hypostaſim vnitum, nec esse duas personas, aut subsistentias in Christo* definit. Quod, & præstat Calcedonense act. 5. in secunda fidei confess. sexta Synodi General. Constantinopolitana 3. act. 4. & Agatho Papa Epist. 2. instruct. legator. *Trinitatem subsistentiarum, seu hypostaſeon*, profitentur. Quam sententiam reperit Sophronius Patriarcha act. 11. Epist. professionis fidei colum. 2. 3. & 4. atque act. 17. definitione fidei vers. fin. vnam personam in Christo definit. Quinta Synod. General. Constantinopolitana 2. collat. 8. canon. 1. anathematizat eum, *qui non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentiis, siue personis.* Et can. 5. & 8. *vnam personam* in Christo definit. Concil. Nicæn. 2. Generale 6. act. 3. in confess. fidei Tharasij; & infrà in exemplari literarum Theodori Patriarchæ Hierosolymit. sub init. Sæpè *tres hypostaſes, & subsistentias* in diuinis denuntiat: damnátque Sabellianos, quod Deum in vnam hypostaſim cogebant.

2 Sed certè antiquior etiam Ecclesiæ Doctrina est. Nam Ioannes Apostol. teste Procoro ex septem Diaconis, in eius vita docuisse refertur, *quod tres hypostaſes sint vna substantia*. Dionys. Areopag. 1. de diuin. nomin. *Trinitatem tryspostaton* dixit. Iustin. M. exposit. fid. de Trinit. post init. & q. 17. ad Gentiles frequenter hypostaſes pro personis posuit. Id quod eius interpres ad q. 129. ad Ortodoxos retinet dicens: *Differentia est in Trinitate modis essentiæ hypostaſeon.* Nyssen. de Trinit. ad Eustachium longè à med. *Tres hypostaſes confiteamur, vnam potentiam.* Orat. Catechetica capite 1. init. *Hypostaſeon, seu substantiarum, ac personarum cernere differentiam in vnitate naturæ.* Repetit libro de different. vsiæ, & hypostaſeos vers. fin. ac sine nominibus *hypostaſis subsistentiæ, & personæ*, Synonimè vtitur lib. 1. ad Ablabium *quod non tres Dij* post init. *Hypostaſeon ratio per eas, quæ in vnoquoque considerantur proprietates distinctionem admittit.* Pluriesque *personas & hypostaſes* pluraliter dicit libro de Trinitat. & aduentu Domini contra Iudæos;

R.P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

fine autem capitis 1. habet: *Coëssentialia Trinitatis probatæ sunt hypostaſes.* Basilius homil. 10. exhamer. pagina 2. pendens illa: *Faciamus hominem.* Et rursus: *Fecit Deus hominem*, ita scribit: *Vt vnias non eas, quæ hypostaſes dicuntur; hoc est ipsas tres personas.* Et Epistola 7. 8. ad Eustachium Sebastiæ Episcopum sub init. ait in fide Nicæna damnari, qui dixerit: *Filium ex alia essentia, vel subsistentia esse*, non quod idem essentia, & subsistentia intelligatur à Patribus Nicænis; sed quod ab alia quidem quadam subsistentia, quam paterna Filium procedere nonnulli hæretici putabant. Discrimen autem essentiæ, & hypostaſeos, seu personæ tradit latè Epistola tota 43. ad Gregorium Nyssen. de hoc argumento.

3 His accedunt Cyrill. Alexand. 2. Thesaur. capite 3. post init. aiens: *Differentiam secundum relationem esse, per quam vtriusque persona in propria hypostaſi constituitur.* Et post pauca: *Hypostaſim quæ generat, & quæ generatur.* Ac lib. 12. capite 15. sub init. *Filium alium esse, hypostaticè à Patre.* Libro 13. capite 1. 2. & 3. sæpè *propriam hypostaſim Spiritus S.* appellat. Distinctionem insuper *hypostaſeon* asserit. 7. Dialogor. de Trinitat. circa med. Theodoret. q. 13. in Genes. & 4. hæreticor. fabul. column. 7. in Apollinari *tres hypostaſes, & personas* indifferenter affirmat; sicut & Dialog. 1. immutabilis col. 2. vbi addit: *Hypostaſim, & personam, & proprietatem idem significare dicimus, quæ à Sanctis Patribus sunt definita sequentes.* Damasc. Epistola de Trisagio post medium millies dicit: *Tres hypostaſes.* Item lib. 1. & 2. de fide capite 9. ac libro 3. capite 4. & 6. libro 11. de decretis primæ institut. capite 1. 4. & 6. notat *hypostaſim & personam* idem esse: ac proinde *tres esse hypostaſes* in diuinis. Ephren. Syrus opusc. poster. de sui reprehensione tom. 3. *Hypostaſim Patris constitutiuam*, affirmat, ac libro 2. Ep. 142. *Hypostaſeon propriate distinguentes.* Epistola 143. *hypostaſis & personæ* nomine indifferenter vtitur. Chrysostom. homil. 5. de incomprehensibili Dei natura column. 2. docet. *Personam, seu hypostaſim aliam esse Filij, quam Patris.* Post pauca: *Prima illa, & ingenita hypostaſis, siue persona.* Boët. de duabus naturis vers. med. adhibita personæ definitione subdit: *Nos hac definitione, quam Græci hypostaſim dicunt, terminauimus.* Thalasius Monachus hecaton. 4. post med. frequenter *tres hypostaſes* asserit. Concil. Florent. sess. 19. Marci ore: *Tres sunt hypostaſes, & personæ re inuicem differentes.*

4 Personæ verò nomine tres in diuinis esse, præterea, quæ certam. 1. & 2. ex Patribus, & Conciliis ea sæpè vocē tentibus recitata à nobis proximè sunt, plura alia validissimè conuincunt recitata disp. 2. q. 1. Ratio autem facilè ex personæ definitione communi deducitur, nempe: *Rationalis naturæ indiuidua substantia.* Iuxta eius explicationem fusè probatam disp. prooemiali, atque memoratam in quæstionis huius præfatione. Pater quippe est subsantialis indiuidua, ac totalis naturæ cùm in sui existentia ab vnione ad aliud, cum quo totum componat sit omnino independens, vt patet. Ergo est persona. Insuper est reuera distinctus à Filio, & ab Spiritu Sancto, quorum alter ab altero distinctus etiam eodem modo, atque ob eādem rationem persona est, ergo sunt tres personæ in diuinis. Licèt autem personæ ratio non sit ab imperfectionibus limitationis, amissibilitatis, defectibilitatis, &c. defæcata in creaturis, id tamen ex prædicato creaturæ, non personæ procedit: quemadmodum & creatæ subsantiæ vsuvenit. Quod non obest quominùs subsantiæ, & personæ ratio à creaturæ prædicato nudata, suppurata etiam ab omni imperfectione conueniat Deo. Quod autem nulla sit in Scripturis personæ, aut hypostaſis mentio, non obest: cum sit rei significatæ per nomen frequens mentio, atque eis vocibus ex Ioanne, & coætaneis, ac immediatis, & immediatis successoribus constanter in Ecclesia Trinitas personarum tradatur, vt satis disp. 2. q. 1. atque hoc certamine monstratum à nobis fuit: vbi abundè etiam nouitati vocis ab hæreticis obiectæ fecimus satis.

CERTAMEN III.

Temerè, vt minimum, vnica tantum subsistentia naturæ diuinæ comes ab Scholasticis nonnullis asseritur.

1 SI quorumdam Scholasticorum antiquorum contextus attentè legatur, inuenietur eos sensisse in Deo vnicam tantum subsistentiam esse communem, essentiæ solius assecla, non verò plures, quæ idem formaliter cum proprietatibus sint, quas appellant relatiuas. Itaque relationes plures in diuinis admittebant, secus subsistentias, siue personalitates plures. Ita subobscurè Scotus in 3. d.1. q.2.§.*Ad quæstionem igitur* d.4.q.2.§.vlt.d.5. q.2.§.*tertiò principaliter* d.26.q.vnic.vers.fin. in solut.argumentor.quartæ viæ & quodl.5. art. 3. Albert.1.p.q.43.m.1. col penult.ad 3.opin.m.2.art.1. corp.& ad argumenta, atque art.2.Argentin.1.d.26.q.1.art.3.ad 3. & 8.articulo 4.ad 9.in 3.d.5.q.1.articulo 2.Marsil.in 1.q.30.articulo 2.ad 4.& 10.Capreol.1.d.26.q.1.articulo 1. conclus.3.articulo 3. col. penult. in 3. d.1.q. articulo 3. ad argumenta Durandi contra 4. conclus. Deza vtrobique. Ferrara 4. contra Gent. cap.26. longè à med. §. *attendendum*. Atque omnium expressissimè Durand. in 1. d.26. q.1. num.6. d.33.q.1.num.37. fine,& in 3.d.1.q.2.num.7.quos omnes ita aliqui interpretantur, & sequuntur, vt personalitatibus, & subsistentiis tribus,quidquid *subsistentiæ* est,tribuatur à communi essentiæ subsistentia: sicut à communi Deitate,eis omnibus, & singulis tribuitur esse Deum. Quo sensu fauere huic sententiæ videtur Bellarmin. tom.1. controuers.2. lib.2.de Christo cap.15.post med.dicens essentiam præcisam subsistere, relationes autem ratione illius, quam includunt. Sed vir doctissimus solùm voluit proprietates personales nón exister ratione sui formaliter, sed ratione essentiæ,vt nos d.6.q.1. docebamus; Nimirum subsistendi voce pro existendi vsurpata. Recitata verò pro aliis interpretatio neque locum in contextu habet, neque eos à temeritate excusat. Opportet enim tres subsistentias, ac personalitates in diuinis admittere, vt temeritas vitetur: ea autem interpretatione non magis tres subsistentiæ,ac personalitates, quam tres Deitates admittentur in diuinis.

2 Miror ergo post tot Conciliorum, & Patrum definitiones de pluralitate personarum à viris doctis plures subsistentias,& personalitates personarum peculiares, ac proprias negari potuisse. Si enim personæ,& hypostases, ac suppositа, siue subsistentiæ concretè sumptæ plures sunt per Patres,& Concilia: ergo rationes formales personarum hypostaseon, & suppositorum, id est subsistentiæ, ac personalitates plures sunt per Patres,& Concilia. Probatur consequentia:quia suppositum, persona,& hypostasis concreta substantiua substantialia sunt:atqui cõcreta substantialia substantiua nequeunt multiplicari nõ multiplicata forma:ideò enim concretum Deus non multiplicatur in diuinis,quia Deitas,quæ eius forma est multiplicari nequit:ast personalitas,& subsistẽtia sunt formæ eorum concretorum: ergo subsistentia, & personalitate immultiplicatis nequeunt suppositum, hypostasis, & persona multiplicari. Minor est certa: quia, licet in nostris principiis personalitas addat suprà subsistentiæ rationem aliquid aliud,nempe,esse per se in operando, tamen rationem subsistentiæ, nempe esse per se in essendo essentialiter includit: quare immultiplicata subsistentia, nequit persona absolutè multiplicari. Siue autem, quia in Deo idem re ipsa vtrumque est:siue quia vulgarius eadem est subsistentiæ, ac personalitatis ratio, siue quia Patres de supposito rationali ferè semper loquuntur.Patres, & Concilia indifferenter subsistentiæ concreto, atque personæ nomine,tanquam synonimis vtuntur.

3 Huius generis plura reperies cert.1.& 2. Adde nunc ex Græcis exemplaribus indifferenter Latinos interpretes vertere *hypostasim* in *subsistentiam*, vel *personam*. Concil. Nicæn.General.1.lib.2.circ.fin.§.*Dum sit copiosa*,sic habet: *Quidquid per se subsistit, quatenus per se subsistit, propriæ naturæ personam*,&c.*habere dicitur*. Athanas. Serm. de Sanctissima Deipara longè à princip. *hypostasis sua interpretatione designat, id quod subsistit*. Hypostasis autem semel tantùm pro supposito quod persona non sit vsurpata fuit à solo Damasceno, sed hic ipse de decretis primæ institutionis c.1. sic habet: *Hypostasis (id est quod per se cohæret) & prosopon (id est persona) figura,proprium, & individuum idem efficiunt*. Et cap.2.*Vnusquisque homo est hypostasis, id est res per se constans*. Repetit de duabus Christi voluntatibus post init. Cyrill. Alex. de fide ad Theodos.col.11. *Imaginantur Dei Verbum an hypostaton(hoc est subsistentia)qua per se verè,ac propriè subsistat destitutum*.Et infrà:*hypostasis, id est per se subsistens*.Theodoret.in Breuiario Liberati: *Subsistentia,& persona in nullo significatorum differunt,nisi in nomine:subsistentia enim persona est*. Boët.lib.de duab.nat.versus medium:*Peritior Græcia sermonum hypostasin vocat individuam substantiam, seu substantiam*. Et post med. ait: *Subtilius intuenti non videri idem subsistentiam,& substantiam*.Quia substantia dicitur à substando accidentibus; subsistentia verò ex non indigentia alterius, vt sit;vnde de Deo concludit:*est hypostasis,id est subsistentia: subsistit enim nullo indigens*. Quibus non variat rigorosam subsistentiæ acceptionem,vt putauit Ruiz d.34.sect.3. n.7. sed rationem independentiæ in sui existentia,in qua nos subsistentiæ conceptum ponebamus,d.procœmiali,apertè tradit. Ex quibus omnibus planè conficitur ex multiplicatione personarum in Trinitate à Patribus,& Conciliis tradita æquè subsistentiarum, & personalitatum multiplicationem inferri:cum suppositum, & subsistentia concretè sumpta idem apud illos, quod persona sit, ac proinde idem etiam personalitas, atque abstractè sumpta subsistentia: nequeántque concreta substantialia substantiua in multiplicatis formis multiplicari.

4 Sed age iam subsistentiarum pluralitatem suo nomine à Patribus traditam audiamus. Concilium Nicænogenerale 1. libro 2. post med. §. *in libro Iob*. habet: *Vna diuinitas Sanctæ Trinitatis in tribus subsistentiis*. Constantinopolit. 1.general. 2. Epistola ad Damas. circa medium quæ est in veteribus editionibus antè Concilia *In tribus perfectissimis subsistentiis, &c. vt neque Sabellij languor locum habeat confusione subsistentiarum*. Calcedon. general.4. actor.16.professionfidei sub init.Martino Imperatori respondet contra Plotinum, & Marcellum: *Trium subsistentiarum Patres intulisse Doctrinam non extra Scripturam*. Constantinopol. 2. general. 5. collation 8. anathem. 2. *Si quis non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentiis, siue personis adorandam anathema sit*. Constantipol. 3. general. 6. act. 4. & Agatho Papa Epistol. instruct. legator. recepta à sexta Synodo act. 17. column. 4. *Trinitatem subsistantiarum*, aiunt Sophronius Patriarcha Constantinopolitan. act. 11. eiusdem Synodi Epistola professionfidei recepta act. 13. column. 2. *Trinitatem pro tribus subsistentiis*, &c. infrà, *in tribus est personalibus substantiis*. Ac rursus: *Neque subsistentias confundentes*. Nicæn. 2. general. 7. act.3. confess.fidei Tharasij probata initio Synodi. *Deitatem in tribus subsistentiis individuam discretam*. Ac infrà exemplari litterarum Theodori Hierosolymitan. ibidem probato. *Trinitatem in tribus subsistentiis*. Subinde: *diuisa est enim numeralibus subsistentiis*. Rursus: *Trinitatem in tribus inconfusis subsistentiis*. Eugenij 4. Concil. Florentin. sessione vltim. in litter. vnion. post med. definit: *Subsistentiam Spiritus Sancti ex Patre Filioque procedere*; quod absque eius à subsistentiis vtriusque distinctione fieri nequit. Demùm Lateranense 2. sub Martino I. consultatione quinta, canone primo: *Si quis non confitetur vnum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus anathema sit*.

5 Ex Patribus Iustinianus M. exposiç. fidei de Sancta Trinitate medio ait: *Se vnius Deitatis in tribus subsistentiis perfectis notitiam exponere*, quæstione 17. ad Orthodoxos. *Tres personæ diuisione consistentiarum*. Ac vtrobique, & quæst. 18. & 129. *sæpe tres subsistantias* inculcat, Athanas.

Athanas.tom.1. q.1. *Quid est Deus*,ait, *confiteor tres subsistentias*.Serm.in Euangel.de Sanctissima Deipara:*Vnum Deum in tribus subsistentiis prædicantes*. Nyssen.or. Catechet.cap.3. sub init. *idem esse distinctum, ac discretum consistentia,& hypostasi*. De Trinit.& aduentu Domini contra Iudæos col.3. *Tria,vnumquodque in propria subsistentia personæ*.Epist.de imagin.& similitudin.contra Apollinar. vers.fin. *Inuenies personarum,siue subsistentiarum Trinitatem*. Nazianz.or.25.ad Arrian. & de seipso circa fin.num. 52. *Proprietates per se subsistentes*. Chrysost.hom.2.ad Hebr.1.col.3. *Vnam sumpsit essentiam vnamque substantiam,vt duas subsistentias aperiret*. Cyrillus Alexand.2.Dialogor.de Trinit.col.5. repetit *tres subsistentias propriasi*, lib.3. vers. med. de veteri Scriptura,ait. *Prædicat quidem; quod vnus sit Deus; & nullo modo dilatat diuinitatis naturam ad triplicitatem secundum subsistentiam*. Ac post med. *Omnis fidei nostræ sermo huc tendit,vt vnam quidem videamus Dei naturam, quæ in tribus subsistentiis propriis*, &c. lib.7.col.3. *Deitatis naturam, vt in tribus subsistentiis explanari à sacra Scriptura*,ait. Damasc.1.fid.cap.9.sub init. *Filius propriam habet subsistentiam præter eam, quæ Patris est*, ac med. *Tres hypostases,id est subsistentiæ*. Theodoret. penult. & vlt. Fragmento relato in Breuiario Liberati, fine, *Tres subsistentias* in Deo fatetur.Epiphan.Hæresi 73.med.*Proprietates personarum subsistentes* rursus *subsistentium* aiebat,esseque personas distingui,Anastas.Theopolit.tom.4. Bibliot. expositfidei longè à princ. *Triplicem subsistentiam coessentialis Trinitatis* asseruit. Ambros.in symbolo Apostol.cap.2. med.*Patrem, Filium,& Spiritum Sanctum in sua quemque subsistentia sentiamus*.Hilar.de Synod.vers.med.de fide Patrum Antiochenæ Synodi,§. *volens*,ait:*Tres subsistentias esse dixerunt subsistentium, personas per subsistentias edocentes*, quo loco abstractè subsistentias vsurpauit, vt patet:vt verbis etiam aduersam sententiam frangeret.Hieronym. tom.9. Epist.17.quæ est expositfidei ad Damasum sub init. confitetur: *Tres personæ, vel vt Græci exprimunt hypostases,hoc est subsistentias*.Ioannes Maxent.2.professfidei init.*Tres tamen subsistentiæ, siue personæ*,in quæ verba scripsit etiam Ricard.Victor.4.de Trinit.cap.4.& 20.

6 Vrgeo tertiò, & confirmo argumentum: quia subsistentia, vel est idem cum personalitate, vel est genus ad illam, tanquam ad speciem: sed implicat multiplicari speciem non multiplicato genere:ergo multiplicari personalitatem non multiplicata subsistentia implicabit: atqui personas multiplicari in diuinis Patres, & Concilia statuunt,quod fieri nequit non multiplicata personalitate in diuinis: ergo, nec fieri potest non multiplicata subsistentia.Confirmatur hæc ratio:quia, vt Patres, & Concilia definiant vnitatem personæ in Christo, vnitatem subsistentiæ in illo simul statuunt: ergo censent Patres, & Concilia personalitatis vnitatem sine subsistentiæ stare non posse: ergo neque alterius sine altera multiplicatio poterit stare. Antecedens ex quo reliqua sua sponte fluunt probatur ex Concil. Constantinopol.2. Generali 3. collat. 8. can. 5. 6. & 8. licet his extremis subsistantiam pro subsistentia vsurpet.Ex 6.Synod.act.17.definit. fid.vers.fin. ex Nicæno 2.Generali 7. act.3. confess. fid.Theodori Hierosolymit. de Christo Domino ex Martino 1.in decretis Synodicis can.6. & 7.ex Concil. Lateranensi consultat.5. iuxta aliquas editiones fine sub titulo *Sancta Synodus* initio sic scribente: *Salua indiminutè proprietate vtriusque naturæ,& in vnam personam, atque subsistentiam concurrente*. Eadem mutuatur verba Concil. Florent. collat. 2. decreti Eugenij 4.ex Athanas.serm.in Euang.de Sanctissima Deipara vers.med.*Duo,& nequaquam vnus est* (Christus) *secundum rationem duarum naturarum; & vnus non duo secundum rationem subsistendi*.

7 Hæc ratio à priori satis horum Doctorum temeritatem suadet,cui aliam à priori non parum efficacem possemus adiungere ex minùs mihi tuta doctrina quæ in supposito suæ conclusionis intercedit: nempe dari in diuinis subsistentiam communem, atque assecla essentiæ: id quod licet personales alias subsistentias admittat, temerarius mihi viderem, si assererem vt quæstione 2. monstrabo: ac pro inde eius nunc probationi supersedeo: satisque fuerit locum aduersæ sententiæ impugnandæ nunc notasse. A posteriori autem demum eorundem Doctorum temeritatem ostendo ex eisdem Conciliis, & Patribus; humanitas Christi vnita est Verbo in subsistentia formaliter, siue Verbo, & subsistenti: quod adeò dogmaticum esse Theologi volunt, vt toti Verbo immediatè vnitam esse censura graui dignum putent: atqui per hos Doctores nec in tota Trinitate,quare neque in persona vlla, est alia formalis subsistentia nisi hæc communis: ergo vnio humanitatis cum Verbo facta est formaliter immediatè ad subsistentiam communem:Tum sic:sed subsistentia communis tam competit Patri,& Spiritui Sancto, quam cum verbo; ac proinde tam incarnauit vterque, quam Verbum; quod est erroneum. Discursus est Patrum; & Conciliorum, vt eos erroris damnent, qui dogmatizarunt vnionem humanitatis factam esse in natura communi, vt suo loco videbimus. Videat Lector leuiter nos hanc sententiam censurasse, æquiùs autem Ruiz disputatione 34. sectione 2. eam erroneam appellasse.

QVÆSTIO II.

An detur subsistentia communis in Trinitate.

ADMISSIS dogmaticè subsistentiis, & personalitatibus tribus personarum propriis, duo examinanda subtilius restant. Primum:an præter subsistentias, & personalitates personarum proprias, quas euicimus certamine 3.quæstione 1. sit alia subsistentia essentiæ comes, ac physicè tribus personis communis, æquè atque essentia illis communis est? Secundum: an ex tribus personalitatibus, & subsistentiis conceptus communis logicè,formaliterque in ipsis inclusus inueniatur, vel saltem analogicè communis?

CERTAMEN I.

Subsistentia communis physicè Personis præter personales, & proprias absque fundamento assignatur in diuinis.

1 CAietanus 1. part. quæstione 30. artic. 4. §. *Ad euidentiam*,& 3. part. quæstione 2. artic.2.circa fin. commentar. quæst.3. artic.2.circa med. & artic.3. expresè docet præter tres subsistentias peculiares,quas relatiuas dicit, dari subsistentiam absolutam essentiæ indiuiduæ comitem, ac personis cum ipsa communem. Id quod indicarunt olim Carthusianus 1. d. 26. quæstione 7. ad 2. Palud.3. disputatione 2. artic. 3. circa finem col.penult.sequuntur expresè Miranda in summa Conciliorum annotation. ad 6. Synod. act. 11. Soarij 4. de Trinitate capite 11. & 14. ac 3. p. tom. 1. d. 11. sectione 3. 4. & 5. ac d.12. & 13.quem plures Recentiores imitantur. Sed enim quid hæc communis subsistentia præstet? commune eius auctoribus non est. Antiquiores aliquot, presso nomine relati à Carthusiano Henrico quodlibet. 5. quæstione 8. & 2.p.summ. artic.53. quæstione 6. Durando 1. d.26. quæstione 1.numero 5. Ricardo ibidem artic. 11. quæstione 1. Argent. quæstione 1. artic.4. Aureolo articulo 4. aiebant constituere suppositum absolutum. Hoc autem Dur. & Ruiz d.34.sect 17. num.17.erroris damnant,atque inter errores Raymundi Lullij refert, & condemnat Eymericus p.2. directorij Inquisitorum q. 2. artic. 7. & 12.videturque damnatum à Concilio Nicæno libro 2. de actis ante decretor:constitut.col.10.dicente:*Diuinitas non est una persona;*

vt Iudæi opinantur, sed tres personæ, non solo nomine. Suppositum autem intellectualis naturæ idem, quod persona est; maximè naturæ *diuinæ*, quæ plenum habet dominium necessario suarum operationum. Vnde rursus quatuor darentur personæ diuinæ in Trinitate, licet altera cum tribus *identificaretur*, sicut relatio Spiratoris cum duabus aliis *identificatur* in Patre, & Filio. Caiet. 3. p. q. 2. art. 2. circa *finem* comment. vt hæc vitet constituere semipersonam, non sine, suorum etiam, reprehensione, debita quidem, vt ex dicendis constabit: satisque, vel eo solùm impugnaretur, quod conceptum partiale, & inadæquatum constituat in diuinis impossibilem, vt sæpius admonui.

2 Reliqui Theologi communem hanc subsistentiam à diuinis relegant. S. Thomas statim recitandus, Ricard. Victor. 4. de Trinit. cap. 23. Henricus, Argent. & Aureol. proximè. Alex. 3. p. q. 1. membr. 3. q. 7. art. 1. memb. 3. Bonau. in 3. d. 1. art. 1. q. 3. Marsil. in 3. q. 2. art. 3. Genebrard. 2. de Trin. pag. 85. Vasq. 1. p. tom. 2. d. 125. cap. 3. Mol. q. 29. art. 2. d. 3. Val. q. 13. punct. 3. & lib. 3. de Trinit. cap. 6. Arrubal. 1. p. tom. 2. d. 109. cap. 2. Becan. de Trinit. cap. 3. q. 9. n. 6. Ruiz disp. 34. à sect. 5. Zunniga disp. 5. dubit. 10. memb. 1. à n. 2. Alarcon de Trinit. disp. 4. cap. 4. Lugo de Incarn. disp. 12. sect. 3. n. 43. Pro hac sententia ita expresè loquitur S. Thom. 1. p. q. 30. art. 4. corp. probans communitatem personæ ad tres personas: *Non esse communitatem rei, sicut vna essentia communis est tribus personis; sed similem indiuiduo vago.* Vt miraculi instar sit pro oppositа à bullo referri: clarius adhuc, si potest, q. 40. art. 3. corp. circa med. *Remota proprietate personali per intellectum tollitur intellectus hypostasis.* Ac statim rationem acutè reddit à nobis infra persequendam, tantóque Doctore dignam his verbis: *Hypostasis enim significat aliquid distinctum in diuinis: cum hypostasis sit substantia indiuidua.* Eandem sententiam variis Patrum, & Conciliorum testimoniis ita suadet Ruiz, vt opposita metum sibi à fide incuti fateatur: & metus quidem iustus est, non tamen ex eis locis, quæ ipse, & Vasq. expendunt. Ea quippe promptam habent solutionem. Solùm in eis agebatur contra Sabellium, & Iudæos, qui vnam solùm subsistentiam, ac personam in diuinis asserebant, pluréque negabant; Patrémque, & Filium, & Spiritum Sanctum eandem re ipsa personam esse, quæ solis nominibus differret, affirmabant. De subsistentia vero communi præter proprias, de qua hactenus exorta controuersia non fuerat, nihil positiuè agebant.

3 Ab authoritate ergo positiua, & expressa nihil firmum contra sententiam oppositam adduci potest. Verum ab authoritate negatiua satis efficax argumentum deducitur. Si enim subsistentiam hanc communem nusquam in diuinis esse Patres non supponerent Sabellio contendenti vnitatem personarum in subsistentia illa communi, sicut in natura, concedere debebant, licet in propriis, & personalibus negarent: ast absolutè vnitatem in persona, ac subsistentia personis denegarunt contra Sabellium: ac solùm in natura concesserunt: ergo, quia iudicabant in diuinis nullam subsistentiam, ac personalitatem communem esse. Confirmatur: quia in re tam graui sine Patrum, & Conciliorum, Scripturæve adminiculo prædicatum nouum, atque à tot Patribus doctissimis, Deóque plenis, etiam, cum ob Sabellij errorem, occasio in Ecclesia vrgebat, vel tacitè negatum, vel saltem incognitum in diuinis inducere ingentis temeritatis est. Ast inquies fundamentum à ratione esse: cùm diuina natura sit indiuidua substantia, quod ipsum est suppositum esse. Contra tamen primò: quia Patres non ignorarunt naturam diuinam esse indiuiduam substantiam rationalis naturæ: & tamen non cognouerunt esse suppositum, vel personam: ergo præter indiuiduationem naturæ diuinæ aliquid aliud ad subsistentiam requiri putabant. Contra secundò: quia aduersarij Soar. & Recentiores ad suppositum, & personam præter naturam singularem modum perfeitatis requirunt, in quo subsistentiam, & personalitatem constituunt. Cum ergo personalitates solùm sint modi huius indiuiduæ substantiæ, negarique nequeant, ac sine illis modus alius neque necessarius sit, neque appareat, Deitatis subsistentia alia præter personales admitti non poterit. Sed de hoc iterum argumento secundo. Aduerto tamen afferri ab aduersariis Augustini locum 7. de Trinit. cap. 6. sub init: *Ad se quippe persona dicitur, sicut ad se dicitur Deus,* id est absolutè; sed malè intellectum, sicuti à pluris scholasticis solet, quia Patrum lectionem attentam non curant. Eius sensum videbis disp. 9. q. 1. cert. 2. vbi videbis de personis & subsistentiis atomis Trinitatis, non de communi loqui Augustinum.

4 Confirmatur vrgentiùs secundò, ex Patribus, & Conciliis, quæ definiunt vnionem humanitatis Christi factam esse ad personam, & suppositum peculiare, ac proprium Verbi; idque inferunt ex eo, quòd non fuerit facta in natura: ergo censent non esse personam siue subsistentiam communem; alioqui non bene inferretur: licet enim, non fuisset facta ad naturam potuisset fieri ad subsistentiam communem: sentiebant ergo non dari medium inter naturam, & subsistentias, ac personas peculiares: ac proinde non dari in diuinis subsistentiam communem. Ea verò Concilia sunt quæ dedimus q. 1. cert. 2. n. 6. iisdem ferè locis, aliaque plura dabimus de Incarnatione agentes. Sola nunc in aliorum exemplum audienda sunt Verba Concilij Toletani 6. cap. 1. (ex quo reliqua Concilia sequentia) vbi hæc habentur: *Solus tamen filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, id est, in eo, quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati.* Ergo pro eodem assumunt Concilia *quod commune est*, & naturam vnam, *& quod proprium* atque personalitatem: ergo aliquid commune, quod subsistentia sit, ac non sola natura, aliquidve quod subsistentia sit communis, ac non proprium personarum, assignare non solùm præter, sed contra Patres, & Concilia prorsus est.

5 Argumentor secundò, ratione Sancti Thomæ nota ta n. 2. Subsistentia hypostasis, & persona idem est, atque indiuiduum singularissimum substantiæ rationalis, aut irrationalis: sed ante proprias subsistentias personarum, natura non est particulare indiuiduum singularissimum substantiæ: ergo natura ante proprias personarum subsistentias est, neque illam habet. Consequentia est certa. Maior probata abundè à nobis disp. procemiali ex Boëtio, & Patribus pluribus: nunc vnum, vel alterum proferre sufficiat. Athanas. Dialog. 1. de S. Trinit. contra Anomœum post medium Doctrinam de communitate essentiæ, ac personarum singularitate exemplo naturæ, & indiuidui humani explicans ait: *Humanitas est omnium hominum communis; hypostasis vero est vniuscuiusque hominis proprietas.* Serm. in Euang. de sanctissima Deipara: *Quæ communiter à multis istiusmodi considerantur, substantia nuncupatur; cum in vnum propriè confertur persona, siue subsistentia nominatur.* Vnde Iustinianus Imperator edicto fidei vers. med. quod extat post Concil. 2. Tolet. merito ait: *Omnes Sancti Patres nos docent aliud esse naturam, siue substantiam, & formam, & aliud subsistentiam, siue personam: & naturam quidem, vel substantiam, & formam hoc, quod est commune, significare; subsistentiam autem, siue personam, hoc quod est speciale.* Cuius rei rationem dedimus disp. procemiali. Minor etiam est certa: cum natura sine proprietatibus communis sit, esse tque etiam cum quovis modo communi: quare ante peculiares, ac proprias subsistentias communis remanet, nec potest esse perfectè singularis, vt doctè aiebat Ricardus Victor.

6 Argumentor tertiò: quia in horum, & vulgari sententia subsistentia est, qua natura constituitur per se, & non in aliò, incommunicabilis, & vltimò terminata: sed etiam cum subsistentia illa communi remanet natura non per se, ac non in alio, cum adhuc sit in tribus personis: non incommunicabilis cum eisdem etiam communicetur: non vltimò terminata cum rursus personalitatibus, ac subsistentiis propriis terminetur: ergo illa, quæ dicitur subsistentia communis, subsistentia absolutè non est; contra vero quavis personalitate propria constituitur natum per se, incommunicabilis, vltimò terminata, atque singularizata: cum sub nulla earum possit esse in alio, communicari, vlteriúsve terminari, aut singularizari:

singularizari: ergo proprietates personales, siue subsistentiæ adæquatè subsistentiæ sunt, secus illa communis. Quartò demum vel illa subsistentia communis est adæquatè subsistentia? vel inadæquatè solùm? si inadæquatè est Deo indignus conceptus, ac semisuppositum constituet; si adæquatè suppositum quartum, quod omnes præter Raymundum Lullium exhorrent. Et quidem ex antiquis, præter Caietanum, subsistentiam hanc communem præter proprias nemo asseruit apertè.

7 Siquando verò Patres subsistentiam communem nominarunt, subsistentiam pro existentia acceperunt, vt suprà ostendimus. Alia verò, quæ ex S. Thom. & August. proferuntur solùm probant personalitates non esse relationes, nec relatiuas, vt disp. sequenti probabimus. Illud autem quod à ratione præter iam disiecta adducitur: nempe quidquid perfectionis in Deo est in natura præcisa debet totum contineri; in aduersariorum principiis est falsum: cum proprietatibus personalibus suas deferant bonitates, & perfectiones. Insuper plus probat, quam aduersarij intendant: nempe in natura præcisa formaliter subsistentiam includi communem, ac proinde neque esse formalitatem diuersam: Quare nihil præter subsistentias personales esse, quod natura formaliter sola non sit contra ipsorum conclusionem implicatoriè. Secundò eadem implicatione probat in natura præcisa proprietates personales, quæ perfectiones per ipsos sunt esse debere: Vnde rursus naturam, quam præcisam ponunt præcisam non esse.

CERTAMEN II.

Neque in diuinis est subsistentia logicè, imò neque analogicè communis.

1 IAm de liberiori personalitatis communitate logica, & rationis (nempe de conceptu personalitatis & subsistentiæ, qui à personalitatibus per rationem abstractus adæquatè, æquè atque vnivocè ab eis participetur, vel saltem inadæquatè abstractus communis sit analogicè) disputandum est. Et quidem Gilbert. Porretan. in Concil. Paris. delatus ad Eugenium fuit, quod in Prosa de S. Trinitate tres personas *tria singularia* vocaret; quasi personæ rationem communem, & specificam esse doceret, vt quidam affirmant. Verum Gilbert. de longè alio crimine, & sensu fuit appellatus: quod nimirum in eius doctrina verba illa adæquatam, & omnimodam distinctionem sine identitate in essentia sonabant. Ille autem respondit loqui se de singularitate excellentiæ, de qua dicitur Deipara. *Virgo singularis.* Extant hæc omnia tom. 3. Concilior. pag. 1332. Quod autem Theologi ferè omnes communitatem vnivocam personis denegent oppositum temeritati obnoxium non faciunt. Eorum enim rationes communes, & ferè omnes de personis adæquatè sumptis, vtque essentiam indiuidualiter immultiplicabilem claudunt, apertè procedunt, nihilque de personalitatibus formaliter sumptis probant. Quod enim ait Ruiz essentiam Deitatis personalitates formaliter transcendere omnino est falsum, vt patebit inferius d. 8. q. 4.

2 Porro Dur. in 1. d. 19. q. 4. n. 19. rationem personalitatis vnivoce personalitatibus singularibus communem, atque speciem esse docebat. Maior verò d. 23. q. vnic. concl. 1. & 2. Henric. 2. p. sum. art. 43. q. 2. ad 2. Soar. 1. de Trinit. cap. 3. n. 8. & 9. quibus fauet Carthusian. 1. d. 25. col. penult. §. *præterea*, vnivocam esse docent; esse autem genus, vel speciem personalitatibus singularibus negant. Ne tamen sibi iam apertè contradicant, intelligendi sunt de specie prædicamentali, non autem de specie, quæ in prædicatis differentialibus possit excogitari. Et sanè, si Durandus, & antiquiores attentè legantur, nihil in eis hac de re satis firmum inuenietur; neque video quo pacto Soar. qui mutuam formalem inclusionem essentiæ, ac personalitatum defendit eiusmodi vnivocationem tueatur. De communitate analogica personalitatum, qui affirmet neminem legi; qui disputent vidi paucos. Ruiz autem, & qui cum ipso censent in personalitate quavis formaliter sumpta essentiam formaliter includi, affirmaturi videntur: cum inde necessario fiat cuiusvis personalitatis conceptum, & essentiam partim eandem, partim diuersam, quare, & analogam esse; & tamen Ruiz iam citandus negat.

3 Dico primò: non datur ratio obiectiua personalitatis vnivoca, personalitatibus communis. Conclusio hæc ferè omnium Theologorum est, quorum prolixum Cathologum texere inutile in re tam leui, atque operosum esset: cum eos nominatim recenseat, ac sequatur Ruiz d. 35. sect. 2. Probatur facilè conclusio: Personalitates formaliter: de diuinis loquendo, sunt vltimæ singularitates, quasi physicæ naturæ diuinæ: atqui singularitatibus, qua talibus, nequit dari conceptus, seu obiectiua formalitas vnivoca: ergo personalitatibus, qua talibus præcisè, nequit dari formalitas obiectiua vnivoca. Maior constat ex dictis disp. procemiali. Minor ostenditur: quia singularitas, qua talis, & præcisè, se tota est ratio distinguendi singularia: ergo nihil est in ea, quod sit ratio conueniendi, vel ipsi, vel ei, quod singularizat, cum alio singulari, vel eius singularitate: sed quidquid vnivocum est debet esse ratio conueniendi inferioribus, quæ illud participant: ergo singularitatibus, qua talibus præcisè, nequit dari ratio, seu formalitas obiectiua vnivoca. Confirmatur: quia si singularitati, seu differentiæ indiuiduali assignes aliquid, quo vnivocè singularia conueniant, de alio, quod est in quavis, inquiram an in eo sit aliqua ratio conueniendi? si affleras, de reliquo interrogando in infinitum ibimus; si neges, illa sola ratio est vltima singularitas, & personalitas diuina.

4 Dico secundò. Non datur ratio obiectiua subsistentiæ communis analogicè subsistentiis, aut personalitatibus diuinis. Sic censent. Ricard. in 1. d. 25. art. 1. concl. 1. Alex. 1. p. d. 58. membro 3. Ruiz sect. 3. n. 9. fauétque Altisiodorensis apud Albert. 1. p. q. 44. memb. 2. col. penult. eorum tamen rationes disiplicent. Sic probo: Ratio communis analogicè debet esse partim eadem, partim diuersa: atqui conceptus, seu ratio formalis obiectiua personalitatis diuinæ cuiusvis omnino diuersus est à ratione obiectiua alterius cuiusvis personalitatis diuinæ: ergo non est ratio obiectiua communis analogicè. Minor probata satis est n. 3. Maior est definitio Aristotelis ab omnibus Philosophis, ac Theologis recepta. Nihil ferè est, quod has conclusiones leuiter impellat, nedum quatiat. Quod enim personalitates inter se conueniant in modificando, singularizando, ac determinando naturam diuinam, est conuenientia in munere secundæ intentionis, non in formalitate aliqua intrinseca personalitatum, sicut differentiis indiuiduantibus creatis euenire in Logica docebamus. Quod verò ratio entis diuini personalitates transcendat disiecimus disp. 6. q. 1. Oppones Cyrill. Alex. 1. Dialog. de Trinit. à medio longè dicentem: *Substantia conuenientius intelligetur, vt singulare: quod neque à communitate destituat, quod explanatur, neque etiam singulare cum communi confundit, & commisces.* Ergo in subsistentia est conceptus partim idem, partim diuersus ab alia. Sed certè loquitur Cyrillus de communitate personarum in essentia, ac subsistentiam concretè, vt fere semper Patres, pro supposito vsurpat: vnde præter rem affertur.

5 Dico vltimò. Personalitas, & subsistentia, seu, quod idem est, persona, formaliter sumpta habet communitatem conceptus formalis, & vocis, non autem obiectiui; quemadmodum indiuiduum indefinitè prolatum, & vagè est. S. Thom. 1. p. q. 30. artic. 4. corp. Valent. q. 4. punct. 3. Capreol. in 1. disp. 25. q. vnic. a. 1. concl. 4. & 5. Ruiz sect. 4. expressit hoc Nyssen. lib. de differ. essentiæ, & hypostas. col. 2. his verbis: *Indefinitam in omnibus essentiæ subsistentiam, quæ nullam propter communionem eius, quod significatur, stationem inueniat.* Quod autem stationem non inuenit vagatur apertè. Dices cũ Aureol. & Molin. 1. p. q. 30.

art.1.d.3.col.penult. Ratio personæ indefinitè prolatæ vaga est: ergo ineptè *solum* afficietur signo vago, vel particulari: cum tamen aptè dicamus aliqua, vel hæc persona, & personalitas diuina. Patet: quia ideo *aliquis homo* ineptè afficietur alio signo vago, vel particulari, verbi gratia, *quidam, aliquis homo*, vel *hic aliquis homo*. Quia *aliquis homo* vagè significat. Cuius ratio est: quia vagum *signum* superfluè additur termino vago suppositio; particulare verò contradicit vagitati. Respondetur negando consequentiam. Vagitas enim potest expressè significari: cum videlicet signum proprium vagitatis termino adiungitur; & potest significari confusè: cum sine eiusmodi signo terminus profertur non communis vnivocè, *persona*, *individuum*. Dixi *non communis vnivocè*, quia communis vnivocè terminus, verbi gratia *homo* nullatenus individua significat. Et termino quidem clarè vago nequit signum aliud vagum, vel particulare, nisi ineptè adiungi, vt exempla, & rationes euincunt; termino verò confusè vago, cum capax sit vagitas eius maioris claritatis in significando, atque non opponatur clarè determinationi, aptè poterit signo clarè vago, vel determinato affici, atque explicari.

QVÆSTIO III.

De relationum diuinarum essentia, numero, ac distinctione.

DVPLEX relationum genus in diuinis, sicut in creatis, cogitari, examinarique potest. Et transcendentalium, & prædicamentalium: atque vtriusque existentia, essentia, numerus, atque inter eas distinctio exploranda hic erit.

CERTAMEN I.

Existentia, & essentia relationum vtriusque generis in diuinis statuitur.

1 DIco primò. Dantur in Deo re ipsa relationes prædicamentales. Est de fide, atque à nullo Catholico negata. Licèt enim Guillelmus Parisiensis malè audierit apud plerosque, quod asseruerit fusè tractatu de Trinitate, relationes prædicamentales, in diuinis etiam, esse entia rationis, huic conclusioni non opponitur, sed verum aliud omnino asseruit, vt videbimus concl. 3. neque alium esse Thomistarum sensum iudicarem, nisi fortasse idem de propriis personalitatibus asserant, iudicantes præter subsistentiam communem nullam subsistentiæ propriæ rationem in personis esse, nisi relatiuam prædicamentaliter paternitatis, filiationis, quam cum rationis prorsus esse asserant; neque fundamentaliter, neque formaliter in personalitatibus propriis inuenient, quo personas realiter distinctas defendant. Probatur ex, Conciliis, & Scripturis, quæ Patrem, & Filium, &c. verè, atque essentia sua tales esse proclamant: & tamen in essentia personarum Trinitatis nihil fictum, ac non realissimum intercedit, vt patet. A ratione probant plures, quia cum relationes sint personarum distinctiua, nisi reales sint, distinctio personarum realis non foret, sed falso supponitur relationes personarum distinctiua esse, vt dilp. sequenti monstrabo. Solida igitur ratio sit. Quia Patrem esse Patrem, ac generare Filium, huncque esse Filium, & genitum, &c. independenter à consideratione intellectus nostri, ac verè re ipsa in diuinis inuenitur. Atqui hæc inuoluunt re ipsa relationes prædicamentales Paternitatis, Filiationis, &c. ergo in diuinis dantur relationes prædicamentales.

2 Dico secundò. Dantur in Deo relationes reales transcendentales. Probatur quia datur realiter in Deo principium generatiuum, & in Patre, & Filio principium spiratiuum: atqui hæc omnia sunt relationes transcendentales ad terminos suos: ergo dantur in diuinis relationes reales transcendentales. Minor, quæ sola probationem desiderat suadetur: quia relatio transcendentalis realis nihil aliud est, quam realis connexio relati cum termino, seu non posse existere sine illo: atqui potentia, seu principium generatiuum Patris, non est indifferens, vt existat sine Filio, seu absolutum in sui existentia ab existentia filij: ergo est relatum transcendentaliter realiter ad filium. Idem est de principio spiratiuo Spiritus Sancti. Maior est certa. Minor probatur: quia, quod indifferens, & absolutum est in sui existentia ab existentia alterius, potest altero non existente existere: sed sublato Filio Pater non solùm, qua Pater, sed, & in intrinseco esse, potentiáque generatiua deficeret (vt passim arguebant Patres recitati disp.2.contra Arrianos negantes filium in diuinis: atque per se patet; cum enim Filius Deus essentialiter existat, potentia ad Filium Deum non existentem esset ad Filium impossibilem, quare non realis, sed chymerica potentia) ergo potentia generatiua realis Patris non est indifferens, & absoluta in sui existentia ab existentia termini, seu Filij.

3 Dico tertiò. Relationes reales prædicamentales in diuinis nihil reale superaddunt personis, & processionibus: sed sunt vel processiones solæ (vt vult Molina 1.p. q.40.a.2. d.2.) vel purum aggregatum ex persona producente, processione, & persona procedente: Ita expressè Okam.1.d.30.q.4.à medio, Gabr.art.1.præsertim concl. 5.Greg. disp.28. tota q.2. Guillelm. Paris. seu de Rubeone vbi proximè, quos leui fundamento temeritatis notat Ruiz disp.87. sect.1. præcipuè, cum sit expressa Anselmi sententia Epist.de processione Spiritus Sancti post med. vbi ait causam pluralitatis personarum in Deo esse, quod sint ab inuicem personæ: *Quia prædicatis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio.* Ecce in aggregato, & toto hoc *Dei de quo*, & *Dei*, *qui* de illo procedit relatio producentis, & procedentis ab Anselmo statuetur in eandem sententiam sic scripsit Cyrillus Alex.3. Thesaur. c.3. *Nunquam in plures personas distingueretur*; Deus, *nisi quædam inueniretur differentia; non secundum essentiam, sed secundum relationem, & quasi extrinsecus, intellecta, per quam* (differentiam intellectam extrinsecus: quia per relationem, quæ extrinseco termino completur) *vnius cuiusque personæ in propria hypostasi*, id est in se intrinsecè, *constituitur*. Quo testimonio abutuntur nonnulli ad probandam constitutionem personarum per relatiua: quasi illud *per quam* relationem ac non potius differentiam intrinsecam, & quasi extrinsecus intellectam per relationem, referret. Augustinus 7.de Trinit. c.6.init. postquam docuit Personas diuinas absolutis proprietatibus, non relatiuis constitutione persona Patris dicatur persona Filij, subdit. *Quocirca, vt substantia Patris ipse Pater est; non quo Pater est* (id est Paternitas, quæ filio completur, sine quo Pater formaliter realiter non est, & quo Pater est) *sed, quo est*: in se, & intrinsecè, *ita, & persona Patris non aliud, quam ipse Pater est.* Sicuti esset, si relatione, & proinde extrinseco sibi termino constitueretur, vt creatis relationibus euenit, in quo ab eis diuinas secerni noluit Basilius 2.contra Eunom. asserens vtrasque, si diuini ratione quam à Dei vnitate, ab his separemus, esse omnino æquales, his verbis: *Non in eo, quod ad aliquid quodammodo, se habet differentiam filio ad aliam est*, creata, *sed in essentiæ proprietate differentia Dei ad mortalia elucescit.* Ex ea quippe personali essentiæ proprietate, qua cum essentia potentia notionalis, & processio necessaria constituitur, producentis, & procedentis relationes nec contingentes, nec accidentales in diuinis sunt, sicut sunt in creatis, sed necessariæ, vt aiebat Augustinus 5.de Trinit.c.5. Atque ex hac doctrina de constitutione relationis in diuinis per extrinsecum terminum, sicut in creatis sine

mutatione subiecti relati intrinseca concludit Boët.1.de Trin.c.11.sub init. *Prædicationē relatiuā in diuinis, qua talē, non facere alteritatem rei, de qua dicitur*: cum tamen alteritatem faceret, si intrinseca personis esset, sicut proprietates earum personales, quibus in esse personæ atomæ huius vnaquæque constituitur. His adde Nazianzenum recitandum cert.2.num.4.clarius adhuc loquentem.

4 A ratione sic probo. In creatis, vnde nomen ad diuina transfertur est, relatio Paternitatis, Filiationis, atque vniuersim producentis, & producti, nihil aliud reale ex parte obiecti dicit, quam aggregatum ex principio, actione, & termino, vt satis euincebamus in Logica: ergo reale nihil aliud dicit ex parte obiecti in diuinis. Probo consequentiam; quia vbi nulla inuoluitur imperfectio idem ex parte obiecti prorsus significant in diuinis nomina, quæ ex creatis ad diuina significanda mutuamur: atqui principium generans processio, eiúsque terminus nil imperfectionis continent: ergo, si in creatis, tria illa significant relationes, & significabunt in diuinis. Vnde constat merito Guillelmum, & Thomistas relationes Paternitatis, si, vt simplex forma subiecto inhærens concipiantur, rationis entia esse docuisse, æquè atque in creatis, in diuinis. Vti eos, præsertim Henricum proximè interpretabamur. Dices. Licèt in creatis ad relationem Paternitatis ea omnia spectent, quia Filius, & generatio contingenter substantiæ Patris accedunt, aft in diuinis cum generatio, & Filius substantiæ Patris non contingant, sed necessariò cohæreant, non rectè infertur ea omnia ad Paternitatem spectare: imò, neque potentiæ generatiuæ diuinæ perfectio, quæ summa esse debet, potest formaliter esse, vel intelligi sine omni perfectione suæ lineæ: quare, quin ex parte sui claudat generationem, & paternitatem, atque hæc pro signis aliis posterioribus expecter: vt idcircò Patres dixerint sæpè de diuino Patre, *essentia sua Patrem* esse, vide, quid hac ratione probes: nempe potentiam generatiuam esse formaliter generationem, & Paternitatem, quæ necessariò esse debet Filio posterior: quare prioritates originis euertis, & Filium se ipso priorem implicatorie constituis, vt expendam disput. 9. Insuper Patribus aduersaris apertè, qui Patrem æternum talem esse, non antè, sed post generationem aiunt. Cyrill.1. Dialogor. de Trinit. fine: *Pater* (inquit) *est, & non Filius, quia genuit.* Athanas. orat. 2. contra Arrian. *Quia genuit Pater est, & Filius, quia aliundè genitus est.* Ac Dialog. 1. de Sancta Trinitate med. ait: *Patrem esse, & Filium esse, quoniam, ille quidem genuit, hic verò genitus est.* Ambros. de Incarnat. Dominicæ mysterio cap.9.med. *Cum Filium dico generatum significo; cum Patrem quoque dico generàsse declaro.* Quod autem essentia sua Pater dicatur in diuinis, solùm improbatur necessitas generationis, & Filij, vt fit, atque existat persona Patris, vel, vt summum generationem identificari cum illa: licet autem esse Patrem creatis contingenter eueniat, non probat creatam paternitatem in alio, quem diuinam consistere.

CERTAMEN II.

Numerus, & distinctio relationum generis vtriusque.

1 CIrca numerum verò relationum diuinarum dico primò: Relationes, siue transcendentales, siue prædicamentales, quatuor numerari debent. Est omnium Theologorum conclusio, vt nemo oppositum asserat. Gregor. enim de Arimino 1. d.26. q.vnic. non negat relationem spiratoris, sed solùm negat eam realiter à Patris, & Filij personis distingui; vt videbit, qui legat art.2. ad 2.contra secundam conclusionem. Probatur ex Boëtio de Trinit. circa finem: *Similis est in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum Sanctum, vt eius, quod est idem, ad id quod est idem.* Aug. serm.38.de temp. column.3. *Dicitur, & idem Spiritus donum Dei, quia donator est Deus doni sui. In quibus nominibus circumferri potest vicissim relationis regula: vt, si dicamus donator doni, & donum donatoris: quia in his vocabulis potuit inueniri vsitata huic cathegoriæ, quæ dicitur ad aliquid, circumlatio.* Repetit, & declarat 5.de Trinit.à cap.11. ad 15. Anselm. de processione Spiritus Sancti cap. penult. post medium: *est autem*, inquit, *commune tribus ad duos habere relationem. Pater enim ad Filium, & Spiritum Sanctum refertur, sicut ad illos, qui de se sunt: Filius ad Patrem, & Spiritum Sanctum, quia est de Patre, & Spiritus Sanctus de illo.* Accedit, quod mutua relatio principij, & principiati passim à Patribus inter omnes personas asseritur, vt videre licèt in Concil. Toletano 11.cap.1. confess. fidei, in Florent. sess.18. post med. §. *diuina substantia* §. *dixi equidem*, in decreto Eugenij 4. in litteris vnionis à medio, in Naz. orat. 37. §. de Theologia col.5. & aliis pluribus.

2 Sed enim hæc relationes prædicamentales solùm euincunt, neque satis quaternarium numerum expressè suadent, præter vnum, vel alterum testimonium; licèt omnia à paritate rationis eum numerum satis ostendant. A ratione verò probatur vulgò: quia per Patres, & Concilia personarum distinctio est per relationes: ergo debet esse in Patre ad Filium relatio, & contra, & in vtroque ad Spiritum Sanctum, & contra: vnde quatuor relationes eluceant; alioqui, vel hic ab vtroque, vel Filius à Patre non distingueretur. Sed verò assumitur falsò personas per relationes, siue transcendentales, siue prædicamentales distingui, vt disputatione 9. ostendemus. Probatur ergo de prædicamentalibus: quia Paternitas formaliter est relatio, & mutua, cui respondet ex parte termini Filiatio, quæ relatiua etiam est, atque in vtroque est relatio spiratoris, cui respondet relatio spirati ex parte Spiritus Sancti spirati, sicut est in creatis inter producens, & productum: quæ omnes quatuor relationes prædicamentales sunt. De transcendentalibus item facilè suadetur. Quia prima persona est principium generatiuum essentialiter connexum cum Filio; qui etiam essentialiter connectitur cum principio generante: vt hoc non existente, neque Filij persona existeret: sicuti neque deficiente persona Filij existeret persona Patris. Item prima, & secunda persona sunt principium spiratiuum essentialiter connexum cum Spiritu Sancto, qui eodem modo cum vtriusque existentia essentialiter connexus est: sed hæ essentiales connexiones sunt relationes transcendentales, & quatuor: ergo in diuinis sunt etiam quatuor relationes transcendentales. Imò, & quatuor aliæ actiuarum, & passiuarum processionum nisi hæ formaliter prædicamentales relationes sint.

3 Dico secundò. Quatuor hæ relationes transcendentales inter se se realiter distinguuntur; prædicamentales verò realiter formaliter loquendo non distinguuntur omnes quatuor in se; fundamentaliter verò sumptæ realiter omnes inter se se distinguuntur. De transcendentalibus est clarum: quia relatio principij generatiui identificatur cum Persona Patris, & relatio procedentis in actu primo, seu producti, & geniti non prædicamentalis, cum persona Filij, quæ sunt realiter distinctæ personæ, ac proinde relationes ipsis identificatæ realiter inter se se distinguentur. Item principium spiratiuum identificatur cum vtraque persona: vtraque autem ab altera solùm re ipsa distinguitur: relatio autem transcendentalis spirati realiter identificatur cum persona Spiritus Sancti, quæ ab vtraque persona realiter distinguitur: quare, & eius relatio transcendentalis à transcendentali vtriusque ad ipsum realiter distinguetur. Hinc constat relationes prædicamentales fundamentaliter sumptas, seu pro fundamentis realiter omnes inter se distingui: quia fundantur in personis, hoc eodem modo consideratis, siue in relationibus transcendentalibus: quare eorum fundamenta eodem modo distinguentur.

4 Quod autem realiter formaliter loquendo, non omnes inter se distinguantur facilè in opinione probabili suadetur. Quia, vt diximus cert.1.n.3. relatio paternitatis (nisi idem quod generatio actiua fit) nihil aliud est, quam aggregatum ex persona Patris processione, & persona Filij realiter formaliter loquendo. Insuper relatio Filij nihil aliud erit realiter formaliter loquendo, quam

idem aggregatum; idem autem aggregatum nequit à se ipso distingui. Quòd ipsum argumentum sit in relatione spiratoris, & spirati prædicamentalibus. Ne verò nouitatem conclusionis ineruditus horreat coæuam esse videat, Patribus *recitatis* cert.1.n.3. & traditam à Theologorum apice Naz.orat.35.2.de Theologia longè à medio vbi ait: *Nec enim essentiæ nomen est Pater, nec actionis; sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem.* Si ergo Pater significat relationem Patris, vel Filij indifferenter: ergo, quia eadem ex parte rei obiectæ est, sicut productio actiuè, vel passiuè, agere, vel fieri significat. Itaque relationes prædicamentales mutuæ non distinguuntur realiter formaliter inter se se ex parte rei significatæ; non mutuæ verò realiter formaliter in se se distinguuntur ex parte rei significatæ: quia terminum inuoluunt diuersum, vt patet in relatione spiratoris, quæ spiritum Sanctum dicit, quem non dicunt filiatio, & paternitas. Ex modo autem nostro concipiendi distinguuntur formaliter ompes: quia fundamentum, seu subiectum cuiusvis *concipimus*, quasi affectum formâ sibi inhærente, & intrinseca: non secus, atque, cum Patrem in creatis cogitamus. Sed hæc omnia rationis figmenta sunt, quare, neque Guillelmus Parisiensis, neque Thomistæ plures peccant, dum relationes diuinas sub relationis conceptu, non quidem suo, sed nostro, rationis *entia* esse docuerunt.

Certamen III.

Oppositionibus occurritur.

1 OBiicies contra relationem spiratoris Albinum Flaccum 1. de Trinit. cap. 5. dicentem, *Relationē Spiritus Sancti ad Patrem, & Filium non esse reciprocam, & mutuam.* Atque Hugonem Ætherianum cap. 2. de Trinit. contra Græcos init. sic scribentem: *Licèt sit proprietas relationum vt cum termino recipiant conuersionem; hoc quidam non arbitrantur de Spiritu Sancto recipiendum: quia, licet ipse sit Patris, & Filij, non tamen conuersim Pater, & Filius ad ipsum referuntur.* Respondetur solùm negari mutuam relationem in modo significandi sub nominibus: vt Pater, & Filius dicantur Spiritus Sancti, sicut hîc dicitur Patris, & Filij, quod rectè explicuit Aug. immediatè ad verba recitata ex serm. 38. de temp. quia Pater, & Filius, qua tales, non sunt terminus relationis Spiritus S. cum hîc nec generet Filium, nec generetur à Patre; sed solùm quatenus vterque est principium spiratiuum, seu spirator Spiritus Sancti, atque sub ea ratione mutua est relatio: nam hoc principium, seu spirator Spiritus Sancti, & Spiritus Sanctus est huius spiratoris, seu principij. Id quod nomine donatoris, & doni docebat August. vbi proximè. Hugonis authoritas non multùm in hac re curanda, quia singularis est, atque non satis propriè loquentis in eo capite. Patrem enim, & Filium *donatores Spiritus Sancti* appellat, cum vterque, sicut vnum principium, ita vnus donator sit, atque ante med. ait: *Spiritus Sanctus, vt priuatio ab habitu, à Patre differt, & Filio.* Cuius sanum sensum non video.

2 Rursus obiicies Basil. Epist. 43. vers. med. dicentem: *Filium non habere cum Patre aliquam communicationem notionis secundum proprietatem suam, sicut neque cum Spiritu Sancto.* Si autem vterque haberet relationem spiratoris in ea communicationem notionis aliquam haberet Pater cum Filio: ergo censet Basil. eiusmodi relationem non habere. Respondet Ruiz de proprietatibus constituentibus Patrem, & Filium intelligi, ex quibus spiratio actiua non est, quæ aduenit illis constitutis. Sed contra quia propositio vniuersalis negatiua est cum comparatione, *sicut neque cum Spiritu Sancto*: cum neque constituentem, neque constituto aduenientem communicationem notionis habet Filius. Contra secundò: quia relatio prædicamentalis Paternitatis, & Filiationis æquè aduenit constitutis per personalitates absolutas, siue vltimas singularitates proprias, ac spiratoris relatio. Transcendentalis verò vtraque relatio in ipsa personarum constitutione consistit. Prima enim persona in primo signo, in quo principium generatiuum est: cui sic constitutæ, vbi primùm in se constituta secunda adiungitur, statim principium spiratiuum adest, vt cōstat ex d.4.q.2.cert.3. Melius responderet loqui de Patre, & Filio secundùm relationes Paternitatis, & Filiationis, vel principij generatiui, & termini geniti, licèt non omnino liberaretur ab impugnatione prima, vt patet. Sensus ergo absolutè verus, & profundior, qui nostræ doctrinæ de potentia spiratiua mirè concordat, Basilij est. Principium spiratiuum, seu rationem spiratoris vtrique coniunctim competere, non Patri seorsim, ac Filio seorsim; quia ex essentia, & vtriusque personalitate conflatur (alioqui duplex principium *quod spirititatiuum*, non erroneè, vt rigidus censet Ruiz, sed minùs consonè in diuinis foret) quare sicut *compositum* ex materia, & forma non est vtrique commune, ita neque potentia spiratiua, seu relatio spiratoris Patri, ac Filio communis erit, nisi quatenus vterque de suo aliquid ad potentiam spiratiuam, & spirationem ponet.

3 Denique oppones. Paternitas, & Filiatio realiter formaliter ex parte rei obiectæ relationes prædicamentales sunt, & aggregatum personarum Patris, & Filij, & generationis: ergo sunt realiter formaliter idem. Ita concedis: sed videtur dissonum. Fateor dissonum esse iis, qui per relationes prædicamentales personas constitui, ac distingui cum pluribus, sed falsò, censent, vt in sequentibus videbimus. Pergis: ergo Pater non distinguitur à Filio. Mala consequentia in negantibus constitutionem personarum per relationes, sicut nos negamus. Sed dices vrgentius: ergo Pater, vt Pater non distinguitur realiter à Filio, quod est hæreticum. Patet consequentia: quia particula *vt* specificat formam subiecti nempe Paternitatem, & Filiationem, quæ relationes mutuæ sunt, & idem realiter formaliter. Respondetur negando consequentiam. Sunt enim plura contra, in quibus particulæ specificantes de se, nequeunt specificare formas denominantes solas. Constat apertè in actione, & passione tam physica, quam grammaticali, quæ realiter, imò ex parte obiecti, formaliter etiam, identificantur, atque agens effectum, & passum denominant, in quibus nequit inferri ergo agens, vt agens, & effectus, vt effectus, & passum, vt passum idem sunt: quia quantumvis specificatiuè sumantur, numquam formam solam specificant. Cum ergo Pater, & Filius denominentur ab actione, vel ab aggregato eodem, numquam ita formam specificant, vt abstrahant omnino à subiecto denominato; imò neque Paternitas prædicamentaliter sumpta sub eo nomine: quia, vt sic, semper principaliter dicit personam Patris, licèt dicat aggregatum totum.

DISPVTATIO VIII.

DE DISTINCTIONE essentiæ, & personalitatum.

VT ad personarum constitutionem examinandam clariùs veniatur, personalitatum, & essentiæ distinctio statuenda primùm est: quare disputatio hæc nonæ, quæ tota de constitutione personarum erit, merito præcedit. Pro diuersitate ergo opinionum circa distinctionem hanc diuersæ quæstiones instituentur.

QVÆST.

QVÆSTIO I.

An personalitates, & essentia realiter inter se se distinguantur?

DE distinctione reali formali quæstio procedit, ne cum alia, quæ de distinctione reali virtuali, siue ex natura rei instituetur, confundatur. Distinctio autem realis formalis, seu actualis duplex est: alia rei à re, quæ realis specialiter dicitur; alia verò modi à re, seu rei à modo, quæ realis modalis appellatur: atque de vtraque inquiritur, eadémque est in re præsenti difficultas.

Certamen I.

Hæreticorum, & Gilberti, atque Durandi errores.

1 THeodosiani, siue Angelitæ, de Seueritarum secta hæretici, asserebant Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum re ipsa, per se ipsos Deitatem non esse: ac proinde personas, siue personalitates realiter à natura diuina distingui, vt refert Nicephorus 18. Histor. Eccles. cap. 49. Hos Gallus Clericus imitatus est apud Anselmum de Incarnat. Verbi cap. 1. & 3. existimans personas omnes incarnatas esse, si essentia Dei cum personalitatibus, ac personis identificaretur. Post sexaginta verò circiter annos Gilbert. Porret. Pictauiens. Episcop. in eundem errorem lapsus asseruit personales proprietates à Deitate realiter differre teste Matthæo Paris. anno 1119. Histor. Anglicanæ, vt refertur tom. 3. Concil. pro Rhemensi sub Calixto 2. assertione 3. Gilberti. *Proprietates personales non esse idem, quod personæ, & tamen æternas esse: ac proinde, quod æterna multa sint in Deo, quorum nullum sit Deus.* Id quod in Concil. Rhemensi 2. sub Eugenio III. in decreto relato ab Ottone Frisingensi Ep scop. de gestis Federici Imperatoris lib. 1. cap. 56. apertè supponitur, vt videbitur tom. 3. Concil. p. 2. pro Rhemensi sub Eugenio III. Quod etiam contra Gilbertum habitum fuit. Verba decreti: *Credimus solum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse; nec aliquas omnino res, siue relationes, siue singularitates, siue vnitates dicantur, & huiusmodi alia in Deo esse* (aliàs *Deo adesse*,) *quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* Presséque Gilberti nomine eius errorem non aliter refert Magist. coætaneus 1. d. 33. capite, *Hoc autem*, his verbis: *Ita dicunt proprietates esse in personis, vel in essentia diuina, vt non sint interius, sicut ea, quæ secundùm subsistantiam dicuntur de Deo, sed extrinsecus affixa.* Nec multum re ipsa discrepant, quæ ex Gilberti manuscripto refert Vasq. disp. 120. c. 2.

2 Insuper Gilbertum personales proprietates realiter ab essentia distinxisse testantur plura, & loca, & argumenta Bernardi, qui magna pars Concilij Rhemensis contra ipsum fuit, atque Scholastici plures Gilberti temporibus vicini. Albert. M. 1. p. q. 39. memb. 2. artic. 1. ad 1. circa finem, Sanctus Thom. q. 28. art. 2. Alexandrin. q. 39. memb. 5. articulo 6. §. 3. S. Bonauent. 1. d. 33. articul. 1. quæst. 1. & 2. corp. Carthusian. q. 1. Henric. quodlibet. 5 q. 7. sub init. Maior d. 26. q. vnic. init. quare piè magis, quam eruditè ad Scoti sensum Vasquez traxit. Cæterùm ex recitatis verbis censeo duplicem errorem Gilberti colligi. Nimirùm: proprietates, seu personalitates proprias personis negare, solúmque admittere subsistentiam communem in Trinitate, atque ab vtroque realiter proprietates personarum distinctiuas distingui. Cum enim dicat proprietates personales non solùm non esse Deum, sed neque esse personas, si admitteret perso-

nalitates proprias, atque proprietates ab eis etiam distingueret, aliter impugnandus esset, quam à Bernardo, & aliis impugnatur, neque duceretur argumento, quod proprietates personales essent idem inter se, si essent personæ, vel personæ, quæ sunt Deus idem; quin hunc etiam errorem illius fuisse videtur expressè referre Albertus citatus his verbis: *Proprietas, nec essentia est, neque persona, neque est propriè res; sed ratio ex comparatione rei ad rem sumpta.* An verò Porretana distinctio hæc realis stricta, an realis modalis fuerit? Credo modalem fuisse; quia id sonant Alberti verba proxima, atque Bernardus ipsum ad quaternitatem, etiam modalem, cogebat. Sed enim cum animo Catholico Gilbertus erraret in Concilio Rhemensi respuit, vt testatur Bernardus serm. 80. in Cantica fine, & Otto. supra. Denique Hugo Ætherianus doctus, piúsque aliàs Pater in eundem errorem lapsus videtur libro de hæresibus, quas Græci in Latinos deuoluunt capit. 2. fin. his verbis: *Insignitiua proprietas non est persona, quam insignit, & circa quam consistit, vt caracter circa substantiam.*

3 Durandus 1. d. 5. quæst. 1. à num. 5. d. 33. quæst. 1. d. 34. quæst. 2. & in 3. d. 1. quæst. 2. num. 15. falsò existimans Gilbertum de distinctione reali stricta locutum, & damnatum, atque ex distinctione reali modali non inferri Paternitatem non esse Deitatem, ac non esse Deum, addidit proprietates personales realiter modaliter ab essentia distingui: quasi eo additamento Ecclesiæ in Gilberti sententiam odium, & censuras, atque impugnationum tum declinaret: cum tamen nihil aliud Gilbertus docuerit, vt vidimus. Ex parte Durandi sententiæ consensisse dicuntur plures ante qui, qui *relationis re* spirationem, actiuam, atque spiratoris relationem realiter à paternitate, intellige fundamentaliter sumpta pro persona, distinguebant, neque aliter de Filiatione iudicabant. Ita Durand. ipse 1. d. 13. quæst. 2. artic. 2. & 3. Henric. artic. 60. sum. quæst. 2. corp. Bassol. 1. d. 13. q. vnic. artic. 1. Ricard. artic. 1. quæst. 3. corp. licèt alibi oppositum doceat, Carthusian. d. 27. quæst. 1. fin. Albertum citans, videtúrque S. Bonauent. 1. d. 13. artic. vnic. q. 3. corp. initio, Bassolis q. vnic. art. 1. dicens hanc sententiam *omnibus constare, cōdíque ab omnibus* Capreol. q. vnic. circa medium ait: *plures præter Durandum*, cui adsentit, *ita sentire*: Durandus ipse: *magnis viris ita videri.* Cæterùm cum relati omnes præter Durandum adeò distinctionem realem Porretanam, ac Durandinam fuerint exosi longè alio, quam ipsi sensu, atque de Spiratione actiua censeo loquutos: nimirùm spirationem actiuam cum Patre, aut Filio seorsim non identificari, sed cum vtroque coniunctim, vt docebamus disputatione 5. ducor: quia alterum non poterat adeò esse plausibile. Secundò, quia de generatione nihil tale docuerunt: cum in sensu Durandi eo admisso negare non possent.

Certamen II.

Oppositæ veritas dogmatica est, atque authoritate fulcitur.

1 REalem quamvis proprietatum personalium ab essentia distinctionem constanter Theologi omnes præter Durandum relegant à diuinis. S. Thomas vbi proximè, atque Cajet. Banniez, Vasq. Molin. Valent. ibi, iterum q. 39. art. 1. & 2. 4. contra q. cap. 4. q. 8. de potentia art. 2. q. 9. art. 1. & in 1. d. 33. art. 1. Magist. ibi, & d. 34. & d. 8. Albert. 1. p. q. 39. m. 2. a. 1. part. 2. & a. 2. q. 44. m. 4. Alex. suprà, & q. 56. m. 2. q. 58. m. 5. a. 6. S. Bon. 1. d. 7. art. vnic. d. 33. art. 1. q. 1. & 2. d. 34. vnic. q. 1. & 2. Henric. p. 2. summa art. 56. quæstione 4. ad argumenta, quodlibet. 5. quæstione 6. & 7. Ægydi. d. 33. q. vnic. artic. 2. & 3. d. 34. q. vnic. Richard. d. 33. artic. 2. q. 1. d. 34. art. 1. quæst. 1. & 2. vbi Gregor. & d. 33. quæst. 1. artic. 2. d. 26. quæst. 1. Aureol. in 1, d. 1. quæstione 2. d. 33. quæst. 1. d. 26. articulo 1. propositi. 1. Maior ibi & d. 27.

Almain in 3. d.1. q.1. dub. vlt. Carthus. cum aliis d 33. q.1. d. 34. q.1. Marsil. cum Adamo in 1. q.6. art.2. concl.3. & 4. q.30. art.4. dub.1 & 2. q.23. art.3. in notabilibus, & corollariis q.36. art.2. Capreol. d.33. q.1. art.1. & 3. præsertim col. vlt. ad argumenta Scoti. Ferrara 4. contra gentes cap.14. Soar. 4. de Trinit. cap.2. & 4. Arrub. d.... cap.... Zunniga d.3. dub.5. Ruiz, d.11. sect.3. Albiz. tract.... d.... Mæratius d. 46. Alarcon d. 2. Luis. Torres d.4. Gasp. Hurtado d.2. *diff. 6.* quibus adde Scotum cum suis omnibus referendis q.2. cert.1.

2 Definitur hæc veritas contra Gilbertum decreto recitato Concilij Rhemensi, quod, licet initio, aliis de causis reclamantibus Cardinalibus, approbatũ ab Eugen. III. non fuerit, Bernardi, ac Patrum reliquorum authoritate fractus Gilbertus errorem in eo retractauit, ac postmodum de Cardinalium consensu quantum ad decretum illud approbauit Eugenius sic definiens: *Nec aliqua ratio Theologica inter naturam, & personam diuideret.* (id est negaret, iuxta Aristot. phrasim 1. de interpret. cap.1. & 3. ac de anima text.21. & 6. metaph. text.8.) *nève Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed ex sensu etiam nominatiui.* Vt autem Gilberti errorem damnari videas, recole eius propositiones notatas à Magistro in 1. d.33. capite *cæterum.* Et cap. *veruntamen*, quæ sic habent: *Quod proprietas Patris non sit Deus & diuidi*, id est negari *ab essentia non solum abstractione mathematica*, seu formaliter, *sed etiam consideratione Theologica*, id est realiter. Definitur ergo: *Persona, & Deus est Deitas*, neque hæc realiter vllo modo distingui. Si enim vlla esset realis distinctio inter personam, seu personalitatem, & naturam non magis posset dici *persona, aut Deus est Deitas*, quam *totum est pars*, vt statim vrgebo. Adde Concil. Florent. confessione fidei Missa à Latinis ad Græcos sess.25. §. *quibus Latini*, vbi ait: *Ne identitatem, coniunctionémque diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam substantiam re, non autem sola ratione, ab hypostasibus differre, credere videamur.* Cum autem omnimoda hæc indistinctio realis personarum à natura, & his verbis tradatur, & cum veritate directè in eo Concilio definita de processione Spiritus Sancti à Filio necessariò connectatur, summam, infrà directam definitionem, authoritatem habet: id ipsum Latinorum nomine professus est Ioann. Theologus sess. 18. §. *diuina substantia* annuentibus per Marcum Græcis omnibus §. sequenti.

3 Accedit Concilium Lateranense relatum cap. *damnamus* de summa Trinit. definiens: *Id, quod est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnino*: nisi autem cuiusque proprietas cum essentia identificetur, realiter omnino, atque nullatenus reipsa distinguatur, cum personalitas quævis, & proprietas (quæ sola præter essentiam in persona est) ab altera realiter differat, nullo sensu stare potest Patrem esse idem, quod Filius, vt definitur: similiter definitur ibidem. *Tres personas esse vnam essentiam, & substantiam*: quod cũ distinctione reali quavis, etiam modali, personalitatum ab essentia stare nequit. Respondet Dur. quod pro Gilberto. Posset: definiri ibi contra Ioachimum Abbatem, qui vnitatem personarum in essentia negabat, solámque voluntatis, similitudinis, ac collectionis, sicut in populo, vnitatẽ admittebat. Verùm, licet occasione erroris eius, ea propositio definitur: ac quidquid cum ea stare non possit, vt Gilberti, & Durandi sententia, execrari debemus. Neque enim opus est, vt contra alicuius nominatim errorẽ, eiúsque occasione definitiones proferantur, alioqui frustra toties, & inutiliter ad nouos errores confutandos Theologi, & Concilia nouiora ad veterum Conciliorum propositiones, definitionésque prouocarent. Plura Patrum, atque Scripturæ testimonia vide apud Ruiz sect.4. Vasq. d.116. cap.4. quæ omnia, vel ferè, dedimus, & nos disput.2. q.vlt. de personarum consubstantialitate.

4 Verùm illud 1. Ioan 5. *Et hi tres vnum sunt* atque illud Ioan.10. *Ego, & Pater vnum sumus* in primis recolenda sunt, quia neutrè, & substantiuè sunt posita. Licet enim vnius naturæ essent, nisi idem prorsus realiter cum illa forent, neutrè vnum dici non possent, licet vnus Deus masculinè dici valerent; sicut tres personæ eandem assumentes humanitatem vnus homo substantiuè acceptus dicerentur; ast neutrè vnum dici non possent, quia diuersa erat realiter vnaquæque persona ab alia. Vt autem summam hanc entitatis, & realitatis eiusdem vnitatem, quam vnum neutrè acceptum significat, explicaret Dionysius 2. de diuin. nom. circa fin. ait non esse vnum, sicut creata his verbis: *Superat vnum, quod, & vnum est ius, quæ sunt, & multitudo indiuidua inexplebilis, plus quam plena, & expleta, omnéque vnum, & multitudo, quæres, & in lucem proferunt, & perficiunt, & continent.* Ac vers. med. *Totius proprietatis, quæ omnes superat (vt ita dicam) identitates præstans omnino vnitas, quæ vnum principale superat, quod dici non potest.* Similia habet Nserius Nazianz. orat. in Sancta lumina circa med. *Vnum in tribus diuinitas est, & tria vnum, ea, inquam, in quibus diuinitas est, vel (vt magis propriè dicam) quæ diuinitas est.* Epiphan. hæres.57. 62. 69. 73. 76. ac sæpius repetit: *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse vnam essentiam, vnam Deitatem.* Damascen. 1. fide cap. 11. post med. diuinitatem cum personis comparans ait: *cum vero ad ea, in quibus est diuinitas, siue (vt exactius loquar) quæ sunt diuinitas.* &c. Quæ omnia vera esse non possunt, si re ipsa idem prorsus essentia, & proprietates personales non sint, vt omnibus patet.

Certamen III.

Bernardi rationibus error præfatus reuincitur, atque oppositum dogma euincitur.

1 Bernardi verò, non solùm authoritatibus ex serm. 80. in Cantic. Et ex 5 de consideratione ad Eugen. sed, & rationibus contra Gilberti, & Durandi errorem pro Catholica veritate de indistinctione reali etiam modali, atque omnimoda proprietatum personalium reali identitate cum essentia pugnabimus. Prima sit ex 5. de consideratione. circ. med. vbi ait: *Quaternitas orbem determinat, non significat Deitatem. Deus Trinitas est.* Quibus ex distinctione reali, etiam modali proprietatum personalium ab essentia infert quaternitatem in diuinis contra definitionem Concilij Lateranens. relatam; capite *damnamus* de summa Trinitat: *In Deo solummodo est Trinitas, non quaternitas.* Et quidem ritè, ac rectè. Licèt enim personales proprietates, modi sint essentiæ, sicut eis non tollit res absolutè, & entitates esse, si realiter distinguuntur ab essentia, quæ res etiam alia est, res quatuor, atque absolutè quaternitas erit. Vrgeo: quia ex quatuor solis modis realiter distinctis (puta ex quatuor personalitatibus creatis, quæ modi vulgariter censentur) quaternitas resultaret absolutè; imò ex tribus personalitatibus diuinis, quas modos esse ais, absolutè Trinitas resultat per te in diuinis: ergo ex iisdem, & essentia resultabit quaternitas absolutè. Quid enim essentiæ deficit, vt suam ad quaternitatem sufficientem conferat vnitatem, si realiter à tribus illis modalibus personalibus distinguatur?

2 Dices quatuor modos non differre inter se modaliter sicut modus à re, neque tres diuinas personalitates inter se; ab essentia verò differre modaliter. Contra: quia distinctio modalis non inuoluit maiorem rei cum modo vnitatem, seu identitatem realem, quam habeat res cum alia realiter diuersa, minorémve modi ab illa re ipsa distinctionem; sed solùm minorem modi ab ea separabilitatem, seu arctiorem ad illam adhæsionem: quare neque obest pluralitati reali absolutè, quæ solam entitatum, & vnitatum absolutam distinctionem realem exposcit: ergo neque obest quaternitati quæ solam realem absolutam pluralitatem quatuor entitatum requirit: quin, quoad separabilitatem attinet, in diuinis eandẽ in essentia à personalitatibus, etiam modaliter, distinctis, atq; in eis ab essentia debes fateri, nisi nouo, peiorique errore primum defendas. Sed fortasse disparitatem assignes: quod in personalitatibus entitates eiusdem rationis sint, de quorum genere

genere essentia non est, ac proinde cum personalitatibus in numerum venire nequeat. Sed contra: quia, licet in numerum entitatum modalium nequeat venire, quod modus non est, ac proinde personalitatum quaternitas non inferatur: ast cum in genere entis, & absolutè conueniant, & absolutè distinguantur, absolutè quaternitatem entitatum, ac proinde absolutè quaternitatem constituent. Ecquis enim dubitet ex te, & nonaginta nouem nucibus, licet non nucum, at entitatum centenarium numerum absolutè constitutit?

3 Argumentor secundò cum Bernardo ibidem dicente: *Nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres habebis multiplicem Deum. Mihi vero non deest quid cogitem, melius eiusmodi Deo tuo quæres quid? mera simplicitas.* Sic rationem hanc instruo. In Deo est summa realis simplicitas: quia, quò gradu entitas perfectior est è suo genere, eò est simplicior, præterquam quod definitur in Concil. Lateranensi relato cap. *Damnamus* de summa Trinitate: *Substantia Patris omnino simplex est.* Nysseu. orat. Catechet. cap.1. Dei simplicitatem fusè tradit Iustin. M.q. 144. ad Orthodoxos: *Dei simplicitas tota est Filius, & tota est habens Filium; & tota est consilium, & tota est habens consilium*: atqui ex distinctione reali, etiam modali essentiæ, & personalitatis infertur personam quamvis simplicem non esse: ergo ea distinctio est erronea. Minor sic adeatur: quia, vel ex essentia, & personalitate sic distincta resultat vnum per se, quod ex distinctis realiter; nisi media compositione opposita simplicitati, nequit resultare; vel non resultat vnum per se, sed solùm per accidens: quare errore blasphemo quævis persona vnum per accidens erit, ac non res simplex, & vna. Et sanè, si extremum hoc admittatur à Durando, incidit in errorem Ioachimi Abbatis, quem damnatum in Lateranensi fatetur ipse cert.2. n.3.

4 Respondet Durandus neque componi personam ex essentia, & personalitate, neque esse vnum per accidens: quia compositio, aut vnum per accidens ex rebus solùm, non autem ex re, & modo resultare potest: vt patet, inquit, in personalitatibus, quæ eam ob causam nec compositionem, nec vnum per accidens in Trinitatem inducunt. Contra primò: quia non ideo personalitates, ac personæ vnum per accidens, siue compositionem non inducunt, quia, vt modus à re ab essentia realiter distinguuntur, sed quia cum illa prorsus identificantur, ac proinde numerum excludunt: quare nisi aliunde doctrina ea probetur; conclusionem impugnatam pro ratione; & exemplo adducit. Contra secundò: quia personæ, & personalitates inuicem non distinguuntur, vt modus à re: ergo iuxta tuam doctrinam compositionem inducent, vel vnum per accidens. Contra tertiò: quia ex modis, & rebus frequens est compositio in creatis, vt ex præsentia, & subsistentia (qui vulgò modus est) & subiectis omnes admittuut. Quod autem non se habeant, vt actus & potentia (quod necessarium compositioni est) personalitas, & essentia futile est. Primò: quia in tua distinctione essentia complebilis est per personalitatem, sicut in vulgari opinione natura creata per subsistentiam suam: quare, vt actus, & potentia se habebunt. Secundò: quia, vt sint vnum per accidens (vt contra te contendimus) non obest, sed prodest non se habere vt actum, & potentiam.

5 Integrum argumentum confirment Patres alij. Nimirum ex Dei simplicitate reali inferri indistinctionem, & identitatem realem omnium, quæ sunt in Deo. Nyssen. proximè: *Omnino necesse est, cum constet de simplicitate, ipsam per se vitam. Verbum esse putare, non vitæ participationem.* Cyrill. Alexand. 1. Thesaur. capite 8. circa fin. *Non est aliud natura Dei, aliud ipse Deus: simplex enim, atque incompositus est.* Damascen. 1. de fide cap. 12. init. *Deus simplex est, & incompositus, quod autem ex multis, & differentibus coaluit compositum est.* Vnde capite 13. init. *Illa igitur omnia communiter in tota diuinitate sunt suscipienda, & vt ita dicam identiter, & indiuiduè, & omaliter.* Eodem argumento vtitur Augustin. 11. de ciuitat. capite 10. circa med. & 7. de Trinitat. capite 1. & 2. init. *Quia in illa simplicitate non est aliud sapere, quam esse; eadem ibi sapientia est, quæ essentia.* Ex simplicitate Dei attributorum cum essentia idem-

titatem, & indistinctionem concludens. Similiter ex simplicitate inferunt. Gregor. M. 16. moral. capite 2. lib.18. capite 27. Isidor. 7. Etymolog. capite 1. & 1. sentent. capite 1. post med. Anselm. Monolog. capite 14. 16. 36. sed omnium ad rem hanc nostram in terminis præclarissimè Athanas. Apolog. pro Synodo Nicæna scribit: *Si Deus est aliquid simplex, vt quidem est, cum dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil tanquam circa eum, sed ipsam substantiam eius intelligimus.* Quod refert sequitúrque Eyparissotus decade 4. capite 8. similiáque de persona Patris habet Cyrill. Alexandr. 3. Thesaur. capite 4. Vnde constat quam malè rẽ pondeat Dur. Patres solùm arguere ex simplicitate Dei, & incompositione identitatem, & indistinctionem attributorum ab essentia, non autem proprietatum personalium: cum postremi, de his etiam loquantur, atque eadem sit de vtrísque ratio, quare ex Durandi sententia plura alia fidei dogmata de attributorum cum essentia identitate labefactantur.

Certamen IV.

Veritatis eiusdem rationes aliæ, & inaduersans, & Authores censoria animaduersio.

1 Tertiò arguo ex Bernardo. Quia, si personalitas realiter natura Patris non est, vel est ea inferior, & erit creatura, vel superior, quod implicat. aliquid nempe summa diuinitate superiorem esse; vel æquális, & erit alia diuinitas. Patet primò: quia diuinitas sola diuinitatem æquare potest. Secundò: quia vel illa personalitas, seu proprietas esset ab alio, & sic inferior Deitate, & creatura foret: vel à se, & sic æqualis quidem, sed Deitas foret, cuius realis formalis essentia est esse à se. Dices personalitates esse ab alio originariè; Cum tamen essentia non sit; adhuc originariè, ab alio. Sed contra: quia personalitas Patris, etiam originariè est à se: ergo erit Deitas. Contra secundo: quia personæ, sunt originariè ab alio, imò eæ solùm propriè sunt originariè ab alio, non personalitates: cum origo, & processio vtrumque dicat, & influxum; & incommunicationem, quod simul in solam personam procedentem cadit: ergo, si id obest æqualitati, personæ non sunt æquales essentiæ. Quod si ex eo, quod partem originis personalitates terminent, inæquales, ac non à se prorsus esse asseris, cum essentia partem etiam originis, scilicet communicationem, terminet, ens prorsus à se non erit. Contra tertiò: quia saltem personæ non erunt æquales personæ Patris, quæ etiam personaliter est à se originariè.

2 Quartò arguo cum Bernardo 5. de considerat. sub med. dicente: *Substantia vna est, Personæ tres sunt. Quid mirum? Quid vel obscurum in hoc? si personæ seorsum à substantia cogitentur?* Quasi dicat ex hac sententia euacuatur mysterij Trinitatis profunditas, & alitudo creaturis inaccessa, quæ prædicatur à Patribus. Etenim eandem substantiam creatam pluribus accidentibus, modisque afficí quotidie videmus. Item illud; *quæ sunt eadem vnitertiò sunt eadem inter se*, æquè in diuinis, atque in creatis curret. Quintò: dogmaticum est *in diuinis nullam esse distinctionem, omniáque esse vnum, & omnino idem, nisi obuiet oppositio*; nempe principij, & principiati; atqui inter essentiam, & personalitatem non est eiusmodi oppositio; cum neutra sit ab altera: Patris enim personalitas non originatur; aut procedit, cum sit à se originariè: Filij verò, & Spiritus Sancti personalitates non sunt ab essentia: hanc enim nec generarè, nec spirare dogmaticum est. Si ergo nulla est principij, & principiati inter essentiam, & personalitates oppositio: ergo nulla est inter eas distinctio: nisi dogma illud Patrum, & Conciliorum, ac Theologorum omnium euertatur, de cuius vero sensu agemus disp. sequenti.

3 Sextò arguo: quia *in diuinis* abstracta personalia de concretis absolutis, & concreta de personalibus abstractis absolutè, imò abstracta personalia de abstractis absolutis, & è contra, prædicantur à Patribus, & Concilijs, vt *videre licèt* in Concil. Lateranens. Rhemens. & Florentino, Cyrill. Nazianz. Damasc. Ep phan. recitatis cert.2. *Nyssen.* Augustt. Athanas. & aliis recitatis cert.3. in Boëtio sæpè lib. *An Pater, Filius, & Spiritus Sanctus substantialiter prædicentur?* Præsertim circ. med. & fin. Adde Iacobum Fratrem Domini apud Clementem. Roman. 8. constitut. Apostolicarum cap. 12. vbi de Patre ait: *Tu es cognitio sine principio, sapientia, &c.* Dionys. 2. de diuin. nomin. de Filio, & cap. 5. 6. & 7. de singulis, & coniunctim personis prædicat *sapientiam, essentiam, bonitatem.* Cyrill. & Synodus Alexandrina Epist. ad Nestor. 1. actor. Concil. Ephes. cap. 14-col. 8. *Ipse quoque Spiritus Sanctus sapientia, & potentia est.* Nazianz. orat. 37. 5. de Theolog. fin. *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum adorent, vnam diuinitatem, ac potentiam.* Athanas. Dialog. 1. de S. Trinit. contra Anomœum longè à medio: *Personas esse immortalitatem, iustitiam, domnationem,* ait Chrysost. Psal. 44. *Spiritus sua natura est Dei substantia.* Basil. 15 de fide circ. med. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus increata natura, dominica maiestas.* Lib. vnic. de Spiritu Sancto cap. 19. sub init. Spiritum rectum ait: *Quod sit ipsa virtus, & ipsa iustitia.* Damasc. 1. de fide cap. 18. citca med. *Voluntas, & sapientia, & virtus Patris, & Filius.*

4 Hilarius 9. de Tiinitate longè à medio: *Natiuitas non est extra innascibilitatis naturam: quia non sumpsit aliundè, quod subsistit. Nam, & si non consecuta sit. vt connascibilis effectæ sit: accepit tamen ex Deo esse, quod Deus est.* Et columnis quinque ante finem: *Natura vnigenita est quidditas personalis.* Id est personalitas, ac lib. 6. med. *Natiuitas proprietas est, veritas est.* In quibus abstracta personalia subiiciuntur in prædicatione abstractis naturæ, & proprietatum communium, quæ de ipsis prædicantur, sicut in nonnullis sequêtibus. Augustt. serm. 38. de temp. col. 3. *Trinitas vnus est Deus, solus bonus, & c. ipse sibi vnitas, Deitas, &c.* Fulgent. de fide ad Petr. cap. 2. vers. fin. *Pater est verus, & veritas,* infrà: *Permansit æqualis vero Deo Patri, de quo natus est verus, & veritas.* Cap. 3. init. *Principaliter tene omnem naturam, quæ non est Trinitas Deus, creatam ex nihilo ab ipsa S. Trinitate.* Prosper aduersus collator. cap. 27. sub init. *Habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus, & sapientia.* Scio Gilbertum pluribus horum testimoniis, ac similibus respondisse in eis abstracta pro concretis fuisse vsurpata, cum de concretis prædicantur personalibus. Sed scio solutionem, vt suspectam repudiatam meritò fuisse à Concilio Rhemensi: cum plura concretè simul, & abstractè loquantur. Atque, si ita Patrum loquutiones in rebus dogmaticis loquentium liceat interpretari, vix aliquid firmum ex eis ad dogmata tuenda adducetur. Secundo Hilarius recitatus n. 4. abstracta de abstractis prædicabat.

5 Ex his ergo sic rationem efformo. Abstracta communia de concretis, imò de abstractis personalibus prædicantur verè à Conciliis, & Patribus: atqui nequirent verè prædicari, si personalis proprietas, seu personalitas ab essentia realiter, adhuc modaliter, differret: ergo neque modaliter ab ea differt, sed est idem prorsus realiter cum illa. Minor probatur: quia in omni prædicatione affirmatiua vnius de alio identitas absolutè vnius cum alio enuntiatur: ergo nisi identitas absolutè inter illas sit, prædicatio affirmatiua vnius de alio vera esse nequit: atqui in realiter distinctis, adhuc modaliter, non est idêtitas absolutè: ergo nequit esse inter illa prædicatio affirmatiua vera. Sed in Durandi, & Gilberti sententia concretum personale inadæquatè saltem distinguitur ab abstracto communi: quod satis est, vt non sit absolutè identitas sufficiens ad veram prædicationem (alioqui affirmabis verè hominem esse animam, vel materiam, & humanitatem esse suppositum, ex quo plures errores in materia de Incarnat. inducentur) abstractum verò personale ab communi abstracto adæquatè re ipsa differt: ergo nequibit verè prædicari vnum de alio contra Patres, & Concilia. Respondet Dur. dist. 33. q. 1. n. 34. prædicationes tunc solùm inferre identitatem realem omnimodam extremorum, cum de quocumque prædicatur vnum, & alterum prædicatur. Sed oppositum probat ratio facta. Deinde prædicatio vnius extremi de alio infert eius identitatem cum alio, non autem minuit identitatem cum extremo, de quo verè enuntiatur: vt patet *in homine*, qui prædicatur de Petro, & Paulo.

6 Denique alias rationes Theologicas addo. Prima: quia, si est realis distinctio, adhuc modalis, personalium à communi, personæ procedentes causabuntur strictissimè, ac rigidè à producentibus (quod est erroneum) quin vllum effugium esse possit: vt constat ex dictis disputatione 2. q. 3. Secunda ratio: quia in hac distinctione essentia non erit infinita infinitate digna Deo, seu per negationem termini etiam extrinseci: cum non habeat omne esse, seu entitatem diuinam. Item persona erit perfectior essentia sola. Quartò denique: essentia non erit absolutè perfecta, aut bona cum sit realis pars personæ: ac proinde integritatem, & totalitatem in essendo non habeat, in qua bonitas, & perfectio consistit iuxta dicta disp. 6. Ex quibus omnibus constat Gilberti, atque Durandi Doctrinam erroneam, imò & hæreticam esse: Durandúmque peius Gilberto peccasse: cum post illum deliquerit damnatum, ac non sicut ille resipuerit. Nec satis ad excusationem est quod illas Gilberti propositiones respuat: *Deitas non est Pater.* Et: *Pater non est Deitas.* Nam & distinctio damnata in Gilberto est, & hæ propositiones, vt distinctionis consectariæ. Gilberti fundamento de identitate personarum inter se, ex identitate essentiæ cum illis satis fecimus disputatione 2. vbi explicuimus principij illius: *Quæ sunt eadem vnitertiò, sunt eadem inter se*, verùm sensum, & valorem.

QVÆSTIO II.

An personalitates ab essentia aliquatenus independenter ab intellectu distinguantur.

MYSTERII profunditas, ac nuper memorati principij philosophici vis Scholasticos impulit; vt præter realem distinctionem, quam Catholicè in diuinis admittere non poterant, medias alias inter realem, & rationis, atque ab intellectu independentes comminiscerentur. Quarum alteram ex natura rei, alteram realem virtualem appellarunt: vt eas inter personalitates, & essentiam, sine fidei præiudicio, collocantes tanti mysterij arduitatem aliquatenus complanarent.

CERTAMEN I.

Distinctio formalis ex natura rei ab intellectu independens admitti in personalitatibus, & essentia minimè potest.

1 SCotus in 1. d. 2. q. 4. in ordine in resolutione primæ §. *sed hic restat,* & q. 7. ac in 2. d. 3. q. 1. d. 5. q. 1. 7. metaph. q. 16. 18. & 19. docet personalitates ab essentia non quidem realiter, sed formaliter ex natura rei, ante intellectus operationem distingui. Quid autem eis vocibus formaliter ex natura rei intelligat, an in, vel ex rei natura fundamentum distinctioni formali præberi opera intellectus formaliter inducendæ, ita *vt illud ante operationem intellectus,* cadat suprà ex natura rei, atque hoc temperet distinctionem formalem? an illud formaliter appellet suprà distinctionem ante operationem intellectus, & ex

& ex natura rei, id est quod in ipsa rei natura, atque ante operationem intellectus sit formalis distinctio? an solùm asserat distinctionem realem virtualem? Eis etiam inter Scotistas est. Nec miror in re, penè imperceptibili, nihil firmum docentibus esse Merinero Vallisoletan. Episc. & ipse Scotista Franciscanus, neque ex minùs acutis d. 1. de vniuersalibus q. 2. sect. 1. n. 23. tenet secundum. Probat ex Scoti mente esse in 1. d. 2. q. 7. vbi habet: *In essentia diuina est entitas A. & entitas B. & hæc non est formaliter illa. Ita, quod intellectus Paternus considerans A. & considerans B. habet ex natura rei, vnde ista compositio sit vera: A non est formaliter B: & non præcisè ex aliquo actu intellectus.*

2 Sed tam ipse, quam alij, qui eo sensu Scotum sequuntur, ne in absurda statim contra ipsos deducenda, tam apertè cogantur, aiunt: in personа solùm esse duas entitates, actualitates, & realitates, non autem duas res: nam ad hoc non mutua separabilitas, diuinitus saltem, requiritur, quæ propria est realis distinctionis, atque in essentia, & personalitate est impossibilis. Quoties igitur aiunt, contradictoria res eadem realiter potest subire, datur in ea distinctio formalis ex natura rei. Sic intellectum Scotum sequuntur Okam 1. d. 2. q. 1. Gabr. a. 1. notab. 3. & 4. a. 3. dub. 3. q. 11. art. 2. concl. 2. art. 3. dub. 2. idem Okam, disp. 30. q. 4. sub init. Bassolis eadem d. Antonius Andræas 1. metaph. q. 16. Ægyd. de præsentat. 5. de visione diuinæ essentiæ q. 5. art. 4. §. 2. Faber in 1. disp. 19. & 20. Theodor. de Deo vno disp. 1. à n. 43. ad 50. quibus nemo, quem viderim ex nostris, adhæsit. Et sanè recitatus Scotus nil tale docuit. Solùm enim, vt Deus cognoscat entitatem A. non esse formaliter B. intellectum excludit creatum, eum diuinum cognoscentem nequeat; ac proinde solùm euincit distinctionem illam non è fictione nostra sola, & præcisa pendere, sed cum fundamento in re intellectum diuinum posse præscindere. Quare primum sensum subtilis Doctoris fuisse non dubito; imò, & tertium de distinctione virtuali ipsius verba apertè conuincent, vt videbimus cert. 2 imò, & vltima explicatio distinctionis huius adhibita à citatis Doctoribus, atque ab Scoto recitando cert. 2. distinctionis virtualis definitio est, vt ibidem demonstrabimus.

3 Sed, quidquid de Scoti mente sit, contra sic explicatam sententiam multa armaturæ leuis opponuntur. Sic impugna primò: quia inseparabilitas non infert identitatem realem: cum è sola essentiali connexionè rerum vnius cum alia inueniatur sine earum identitate: ergo potest esse distinctio realis entitatum sine separabilitate: ergo inseparabilitas non minuit realitatem distinctionis Scoticæ. Contrà secundò: quia non minùs inseparabilis est Filius à Patre, & è contra, etiam diuinitus, quam essentia à personalitatibus, & è contra: ergo eodem modo sunt idem personæ inter se, atque cum essentia: vel eodem modo distinguuntur ab essentia personalitates, atque personalitates, seu personæ inter se: quare vel personæ realiter idem erunt, vel personalitates realiter ab essentia distinguuntur: quorum vtrumvis hæreticum est. Tertiò: contradictoriorum capacitas in creatis arguit distinctionem realem: si ergo more creato in diuinis philosophandum est, essentia, & personalitas realem distinctionem habebunt; si aliter, vndè inferunt distinctionem ex natura rei formalem actualem earum, ac non solùm fundamentalem? Quartò: cum duas entitates admittant, cur non duas res, ac proinde realiter distinctas in persona quavis, maximè, cum duas etiam realitates admittant? Dicent quia non est oppositio, atque in diuinis sine ea distinctio realis non est. Benè; vt hoc axioma seruant, feruent dogma de omnimoda indistinctione ante intellectum. Secundò: cum in Filiatione, & Spiratione passiua sine oppositione admittant realem distinctionem vt disp. sequenti videbimus, eo axiomate non se protegant.

4 Sed quomodocúmque explicetur, sic vniuersaliter impugno. Distinctio hæc actualis formalis ex natura rei est ante intellectum: ergo est distinctio realis Porretana, ac non media inter realem, & rationis. Distinguis consequentiam. Realis formalis, id est inter formalitates fateor; realis inter res nego: vndè nego non esse mediam inter realem strictè dictam, & rationis. Solutio hæc verba dat, quæ plures accipiunt, atque in impugnatione hærent; nos autem, qui verba non accipimus, fortassè non hærebimus. Quid intelligis nomine *formalitatis*, vt distinguitur ex parte rei obiectæ à re. An quod intellectio concipit non concepto alio? ergo distinctio hæc est inter ea solùm, quorum vnum opera intellectus aliud non est: ergo implicat in terminis solutio, atque distinctio tua rationis esse conuincitur. Si id non intelligis, rectè intelligis, nec aliquid explicabis distinctum à re vna, & alia: ac proinde tua distinctio realis stricta erit, ac non media inter strictè realem, & rationis. Contrà secundò: quia quidquid realitatis in quavis entitate, ac distinctione est, desumitur ex oppositione cum impossibilitate, & chimera purè rationis: vel ergo oppositio huius distinctionis cum distinctione impossibili, & purè rationis est summa, & contradictoria, vel non. Si non est summa, & contradictoria: ergo non implicat esse impossibilem physicè, atque esse purè rationis; si est summa, & contradictoria: ergo tam realis est tua ista distinctio, quam tu ipse realis entitas es: ergo incidisti in errorem Porretanum, atque in impugnationes, quas contra illum dedimus q. 1. à cert. 2. à quibus propter ea repetendis sigillatim abstinebimus.

5 Illud autem ex simplicitate Dei petitum sic contra Scotistas vrget Vasq. 1. p. disp. 116. cap. 5. distinctio eo modo, quo est ponit in extremis, seu supponit aliud, & aliud: ergo independenter ab intellectu ponitur in Deo, vel compositio, vel pluralitas discreta: ergo abolet ur ab illis summa Dei vnitas, ac simplicitas. Implicat enim simplex, & vnum, atque idem eo modo, quo tale est, plura, vel compositum esse: quare, si plura, vel compositum Deus, & persona est ante operationem intellectus, implicat ante operationem intellectus, simplicem, vnumque, & idem esse. Atqui Bernard. 5. de considerat. de Deo contra Gilbertum aiebat esse *vnissimum, quod excogitari potest*: Patrésque, & Concilia recitanda q. 3. dicunt in Deo ante intellectum omnia idem vnum; atque indistinctum esse. Merinero putat nos eodem argumento tangi, cum in Deo plures formalitates admittamus. An nos eas antè intellectus operationem formalitates admittimus, sicut Scotistæ? Respondet secundò: non quamvis distinctionem ante intellectum vnitati, ac simplicitati diuinæ officere: vt patet in personalitatibus, quæ ante intellectum distinguuntur sine diuinæ simplicitatis, & vnitatis præiudicio. Sed contrà: quia ideò non officit, quia nos omnimodam identitatem personarum, & personalitatum cum essentia ante intellectum fatemur; abolent autem Scotistæ. Contra secundò: quia in his, in quibus distinctio ante intellectum ponitur in diuinis, pluralitas realis etiam ponitur: nempè in personis; in eo autem, in quo vnitas, & identitas ante intellectum recognoscitur: nempè, in essentia, omnis distinctio, & pluralitas ante intellectum prorsus amandatur: vt definiunt Patres, & Concilia, & constat ex dictis disp. 2. tota q. 1.

6 Denique distinctio hæc, ad satisfaciendum difficultati huius mysterij præcipuæ, *quæ sunt eadem vnitertiò sunt eadem inter se*; adinuenta, ipsi diluendæ nullatenus inseruit: ergo otiosè, & inutiliter tam periculosè defenditur. Assumptum probo. Principium illud eo modo infert identitatem extremorum, quo admittitur eorum identitas cum vno tertio, non autem generis alterius: atqui hæc distinctio inter personalitates, & essentiam per vos non tollit, aut minuit identitatem realem cum illa, quam fides docet: ergo neque identitatem realem personalitatum, ac personarum inter se. Confirmatur à contrario. Talis inducitur ex eo principio extremorum à tertio, cum quo dicuntur identificari, qualis est extremorum inter se: atqui personæ, ac personalitatum (quæ sunt extrema, quæ dicuntur identificari cum essentia) distinctio est realis: ergo earum ab essentia distinctio realis euincetur ex illo principio: nec satisfit concedendo distinctionem minorem, minúsve realem, qualis in Scotistarum opinione est distinctio hæc formalis ex natura rei. Plura contra hanc distinctionem ad formalitates creatas à nonnullis extensam dedimus controuers. 2.

Dialecticæ disp.1. q.2. dabimúsque cert.2. contra virtualem distinctionem agentes. Nec leuis impugnatio est, quod nullatenus verosimiliter ab eius authoribus probetur, aut explicetur.

CERTAMEN II.

Realis actualis virtualis distinctio personalitatis ab essentia exploditur.

1 NIhil ferè in Theologia est distinctionis virtualis voce antiquius. Sed tamen non eadem eius est apud omnes acceptio. Caiet.1. p.q.39. §. *Ad secundum verò*. Valent.d.sp.1.q.13.punt.3.pag.279. Mol na 1.p.q.8.d.2. aiunt: eo ipso, quod idem, vnúmque ob sui eminentiam munera quæuis diuersorum exerceat, virtualiter distingui eius prædicata docent. v.g. Vegetatiuum, & sensitiuum in homine, quia primum à plantis, secundum ab animalibus, & rationale, quia seorsim ab Angelis exercentur. Sed tamen cum omnipotentia eadem realiter virtualiter, imò, & formaliter insectilis munera omnium creaturarum in agendo obeat, ea doctrina ad virtualem realem distinctionem satis non est. Idcircò hanc entitatis eminentiam, siue æquialentiam pluribus, in qua virtualis realis distinctio eiusdem physicæ entitatis collocatur, vulgatius iam dicitur in subeundis prædicatis de se contradictoriis, atque de nulla creatura verificabilibus simul, sed solùm de diuersis. Ita etiam citatus Caiet. §. *Ad euidentiam*, Valentia citatus, & d.2. q.2. pun.1. §. *Est autem obseruãdum*, q.4. pun 1. §. *respondetur concedendo*, §. *ad tertiam*, §. *respondendum est*, lib.1. controuers.cap.3. sub init. Molina q.28.a.2.d.3.concl.3.iuncta disp.2.concl.3. & §. *Ad primum*, Ægyd.de præsentat.5.de Beatitudine q.5.art.6.n.14. §.3. & 4.q.6.art.6. & 7. Herize disp.2.cap.3.n.28. disp.12.cap.1. n.4. disp.50.cap.2. à n.23. Petr. Hurtad.disp.6. met.sect.3. Zunniga disp.2.dub.4.mem.1.disp.5.dub.6. Arrub.disp.100.cap.3 n.17. Tanner.d sp.4.q.1.dub.5.n.22. disp.2. q.2.dub.3. Arriaga lib.5.log.sect.4. sub sect.2. atque in Complutensi, & Salmantina Academia est opinio frequens, iuxta quam definiri virtualis distinctio potest. *Capacitas rei realiter vnius, ad subeunda prædicata contradictoria.*

2 Et quidem ob sui eminentiam in Deo simplicissimo, atque vnissimo capacitatem ad prædicata, aliàs contradictoria, subeunda nemo Catholicus negare potest: cum de eadem simplicissima, atque summè vnissima persona dicatur: communicatur essentia non communicatur personalitas. Hoc tamen esse sine vlla actuali vtriusque distinctione reali, & independenti prorsus ab intellectu docuerunt antiqui recitati, solúmque summam illam idẽtitatem, atque simplicitatem æquialere pluribus ob sui eminentiam in eo munere. Itaque distinctionem actualem realem in termino æquialentiæ ponebant: nempe in eis, quibus æquialebat Deus in munere; non autem in Deo. Quo perfectionem identitatis, & vnitatis diuinæ extollebant potiùs, quam deprimebant cum eo maior sit vnitas, quo plura adunat in se. Recentiores autem Salmantini, & Complutenses ex parte Dei ipsius realem actualem distinctionem virtualem ponebant omnino ab intellectus opera independentem. Id quod ex antiquis solus Scotus quidem, qui terminos eluforios eis primus dedit asserere est ausus: suam enim distinctionem ex natura rei formalem explicans sic habet loco citato ex 1. sentent.disp.2.§. *Sed hic restat: Alio modo potest vocari differentia virtualis, quia illud, quod habet talem distinctionem in se non habet rem, & rem, sed est vna res habens virtualiter, siue eminenter, quasi duas realitates: quia vtrique realitati, vt est in illa re, competit illud proprium, quod in ea tali realitati, ac si ipsa esset res distincta: ita enim hæc realitas* (personalitas) *distinguit; & illa* (essentia) *non distinguit, sicut, si ista esset vnares, & illa alia.*

3 Video totum negotium de nomine esse. Sed sic impugno, vel voces distinctionis realis actualis virtualis: quia, si actualis virtualis distinctio realis, atque omnino independens ab intellectu in Deo est vera, ac non ficta distinctio: ergo malè Patres, & Concilia recitanda q.3. asserunt nullam ante intellectus operationem differentiam, aut distinctionem esse in diuinis. Respondent Recentiores esse aliquam distinctionem veram independenter ab intellectu; sed non actu (quod solùm negant Patres) sed æquialentia, & virtute. Contra primò: quia solùm contendo non esse in Deo actualem realem distinctionem hanc tuam virtualem. Contra secundò: quia, vel illud additum. *Virtualis, æquialens, eminentialis* destruit rationem distinctionis, vel non? Si non destruit, cum detur actu realiter in Deo dabitur realis actualis distinctio virtualis independens ab intellectu contra Patres; si destruit: ergo vocas distinctionem, quod distinctionis essentiam non habet. Cur ergo non vocas equum hominem hinnibilem? Secundo impugno: quia, vt contra Scotum arguebam distinctio hæc realis virtualis inuenta ad emolliendam difficultatem contra hoc mysterium ex illo principio, *quæ sunt eadem vnitertiò sunt eadem inter se*, illam non emollit: cum ex illo sola identitas, quæ est in tertio inferenda sit in extremis, quæ ipsi identificantur, ac sola distinctio, quæ est in extremis inter se inferri possit cum tertio, cui identificantur; non autem identitas, vel distinctio alterius rationis: identitas autem extremorum cum essentia, & distinctio illorum inter se, est realis actualis formalis, non virtualis. Confirmo: quia melius satisfit terminis inadæquatè identitatis essentiæ cum personalitate quavis: non quia secundùm se totam cuivis personalitati secundum se totam non identificetur tota intensiua identitate essentia; sed solùm, quia non tota extensiua identitate cuivis personalitati identificetur: quia identificatur duabus aliis. Hac ergo inadæquata identitate essentiæ, in qua illud principium non currit, sed in identitate adæquata, quam fieri potest clarè in hac vita, præfatæ difficultati satis fecimus disp. 2. q. 4. cert. 10. cum antiquis Theologis.

4 Tertiò impugno. Distinctio virtualis actu nullatenus diuidit rem, quæ est essentia, à re, quæ est Paternitas ex parte subiecti: ergo ex parte subiecti idem omnino, ac prorsus indistinctum supponitur ad contradictoriorum verificationem. Nec valet de diuersis virtualiter verificari contradictoria. Etenim ante illorum coniunctionem non est distinctio virtualis: sed contradictoriorum cõiunctio non se tenet ex parte subiecti: ergo ex parte subiecti, nempe entitatis diuinæ, non est distinctum virtualiter in vna, à subiecto alterius contradictoriæ. Confirmatur, & præcluditur simul euasio, quæ hic esse posset: quia distinctio virtualis est capacitas, seu potentia entitatis ad coniungendum in se contradictoria: sed ante coniunctionem actualem contradictoriorum non est in entitate diuina realis capacitas ad illam: ergo neque realis distinctio virtualis. Minor probatur: quia coniunctio hæc contradictoriorum indepẽdens prorsus ab intellectu nequit esse coniunctio contradictoriorum in prædicando formaliter (qui actus intellectus est, ac plura rationis entia inuoluit, quare nihil reale esse potest, quod ab illa dependeat) sed obiectiua coniunctio contradictoriorum in entitate diuina, quæ præcedit eorum prædicationi, & ratione cuius contradictoria alias de illa verificantur. Atqui intrinseca hæc coniunctio est eorum, quæ sunt in Deo, identitas, ad quam nulla est realis potentia, seu capacitas in actu primo (vt patet): animal enim non habet potentiam realem ad identitatem cum rationali; aliàs daretur potentia realis ad se ipsum: ergo ante actualem coniunctionem contradictoriorum non est realis potentia, & capacitas in entitate diuina ad eam coniunctionem. Confirmatur minor: quia virtuales isti Recentiores in Deo potentiam logicam ab actualitate præscindentem ad nihil intrinsecum admittunt, nedum realem, & physicam. Vnde idem non solùm realiter, sed & formaliter est, posse realiter recipere duo contradictoria, & actu recipere illa: cum ergo ais recipere seu coniungere in se contradictoria, quia est entitas distincta realiter virtualiter: rogatúsque quid hoc sit, ais perinde se habere re ipsa, ac si esset distincta: ac rursus rogatus quid sit hoc perinde se habere?

habere? dicis recipere contradictoria de primo ad vltimum, idem per idem respondes: nimirum recipere contradictoria, quia illa recipit. Melius diceres ea contradictoria non esse respectu entis illimitati diuini, quod ratione sui eminentialis esse, licèt realiter prorsus vnissimi, ac simplicissimi omnia, quæ cum ipso non opponuntur, licèt aliàs inter se opposita, adunat: quamvis respectu entis creati, & limitati contradictoria sint.

5 Quartò impugno: quia nequit esse in diuinis realis formalis æquiualentia, seu eminentia distinctorum: est quidem sola summa realis identitas aliàs contradictoriorum parte: atqui hæc contradictoriè opponitur reali cuivis distinctioni; alioqui non esset identitas summa realis: ergo nequit esse realis vlla distinctio. Dices posse esse idem, licet non cum distinctione, ast cum aliquo munere distinctionis, nempe subeundi contradictoria, cũ quo non opponitur. Contra, quia satis non est conuenièntia cum opposito in aliquo munere aliàs proprio illius, vt aliquid oppositum eminenter formaliter sit, & dicatur. Aliàs Christus Dominus diceretur formaliter eminẽter peccator, quia peccatoris pœnas subiuit. Dices materialiter subiisse pœnas, quod non est peccatoris propriũ. Contra, quia contradictoria etiam materialiter subit, neque formaliter contradictoria subire potest Deus etiam ipse: ast materialiter subire contradictoria non est minus proprium distinctorum, sed rei vnissimæ, simplicissimæ, prorsúsque eiusdem, qualis est Deus: ergo æqua est vtriusque ratio. Denique vt plura alia ommittam, quæ contra hanc distinctionem virtualem ad prædicata formalia creaturarum à Recentioribus extensa expendebam controu.2. dialecticæ q.2. duo non omittam. Alterum quod in Petro, & Ioanne non solùm formalis identitas, sed realis virtualis identitas admittenda sit in prædicatis communibus. In non subeundis enim contradictoriis pluribus perinde de se habent, ac si realiter idem forent: nequit enim de eorum quovis, quod sint irrationales, insensibiles, ac non risibiles affirmari. Alterum. Contradictio, & implicantia terminorum in definitione huius distinctionis realis virtualis: nempe, id est distinctum virtualiter, *quod, cum re ipsa idem omnino, atque indistinctum realiter est, perinde se habet in ordine ad contradictoria subeunda, ac, si realiter distinctum foret.* Initio enim negatur distinctio omnis realis, cum aliqua postmodum affirmetur. Si dicas realem solùm formalem initio negari, oportet, vt huius, & virtualis distinctionem nobis edisseras: quod si, vt virtualem explices, ad hanc definitionem recurras, vt debes, si bona est, iterum, atque iterum infinitè implicaberis.

QVÆSTIO III.

An essentia, & personalitates ratione saltem distinguantur?

LOQVIMVR de ratione ratiocinata; nam ratione ratiocinante eadem adhuc formalitas, nedum realitas potest pro fingentis rationis libito distinctionem admittere. Vtriusque distinctionis discrimen dedimus controuers. 2. Dialecticæ, disputatione 1. quæstione 1. quod rationis ratiocinatæ distinctio occasionem desumat ex rebus ipsis, rationis verò ratiocinantis secus. An verò occasio in re ipsa, quæ diuiditur ratione, an etiam in extrinsecis, quæ res connotat, esse possit: ibi etiam definitum est: Vbi etiam statuimus contra nominales præcisiones obiectiuas, siue ex parte rei obiectæ, nec solùm ex parte actus rem totam in ordine ad hoc, vel illud concipientis, poni debere.

CERTAMEN I.

Dantur inter essentiam, & personalitates distinctio rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento in re.

1 PErsonalitates ab essentia plus æquo hactenus impugnati diuidebant; contra verò alij, iusto etiam amplius, eas adunabant. Eunomius cum Arrianis idem, etiam ratione, inanscibilitatem cum essentia asserebant, vt inde Filium Deum esse liberius negarent. Præpositiuus apud Altisiodorensem, & maiorem 1. dist. 26.q.vnic.sub init.& apud S.Thom.q.32. art.2.& q.40.a.1. asseruit Paternitatem, & personam, in qua essentia claditur, nomine solo differre. Aureol.1.disp.1.q.1. art.2. initio, & tertia ratione principali, & art.3. ad 11. 12. & 19. ac dist.33. q.3.§. *Ad propositum* & *Ad primam obiectionem* in vtramque claudicat partem, iam Præpositiuo consentiens, iam dissentiens. Referuntur etiam pro negante opinione Gregorius, & Gabr. in 1. disp.33. sed hic non solùm formalem, & rationis, sed ex natura rei inter essentiam, & personalitates distinctionem admisit, vt vidimus; nisi fortè ideo solùm rationis ratiocinantis distinctionem admisit, quia rationes distinctionem, non ex parte obiecti, sed ex parte cognitionis tantum esse cum nominalibus reliquis censebat. Melius referri possent Theologi plures, qui mutuam formalem inclusionem inter essentiam, & personalitates comminiscuntur. Sed cum expresè distinctionem cum fundamento in re admittant inconsequentiæ potius arguendi sunt q.4. quam nunc pro negante opinione recitandi.

2 Distinctionem autem rationis ratiocinatæ inter essentiam, & personalitates docent Theologi reliqui hactenus hac disp. citati, etiam Scotistæ. Licèt enim distinctionem ex natura rei inter eas admittant, talem tamen, quæ non dirimat realem earum identitatem, quam intellectus ratione disiungit ex parte obiecti, vel solùm ex parte actus, vt censent ex Scotistis, qui nominales appellantur: lis dirempta à nobis fuit controu.2. Dialect. vt hîc nihil de opinione nominalium agere oporteat. Huic igitur sententiæ cum obiectiuis subscribo. Videndus in primis est Sanctus Thomas 1.p.q.28.art.2.ad 2. vbi eam satis doctè tradit. Probatur secundò ex Concil. Florent. sess.17. vbi habentur hæc: *Plurimum refert simpliciter proferre diuinam substantiam, vel Patris, Filiique substantiam. Haud quaquam tamen putare debemus, vt re differant: quandoquidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur.* Si autem sola ratione ratiocinante differrent, non referret plurimum, imò nihil referret alterutrum dicere. Iustin. M. expositione fid. de Trinitate post init. sic ostendit, quod *ingenitum, genitum, & procedens non significant ipsam essentiam, sed subsistentias, & essendi modos.* Basil.1.Eunom. versus medium *incorruptibilem, atque ingenitum Deum dicimus, diuerso mentis obiectu his nominibus appellantes Patrem*, quia primò commune quid, secundò personale dicimus lib.2. pag.2. *In Patre, & Filio non significant substantiam nomina; sed proprietates designant.* Anastas.synaita 1.de rectæ fidei dogmatibus circ. med. *Non enim, qui pronunciat Patrem, mox significauit eius substantiam, sed solùm omnino eius similitudinem.*

3 Athanas.Dialog.1. de S.Trinitate contra Macedon. *Deus significat omnia prouidentem; nomina verò Patris, & Filij relatiua sunt. Nec relatiuum igitur nomen naturam prouidentem aliquid designat: nec contemplantis, ac prouidentis aliquod naturæ nomen Patris ad Filium relationem inducit.* Et Dialog. 1. de S.Trinit. contra Anomæ. col.2. *Aliud est hypostasis, & aliud Deitas non vt alia, & alia res: sed hypostasis quidem aliud, aliud verò Deitas significet.* Et post med.ait: *Hypostasim, & essentiam esse aliud, & aliud; non tamen vt rem aliam, & aliam; sed hypostasis aliud quiddam declaret, aliud verò essentia.* Item disp.3. quæst.2. cert.4. dicebat cum Basilio nomina diuina non synonima,

synonima, etiam absoluta, diuersa alia ab aliis significare. Naz. orat. 32. ad 150. Episcop. *Nec principium* (Filius) *eo, quod principium est, ab eo: quod principio caret diuimitur. Non enim in eo naturæ rationem habet vox principij: quemadmodum, nec in illo, quod principij expers sit. Circa naturam enim hæc considerantur; non autem natura ipsa sunt.* Et orat. 52. 2. de Theolog. longè à medio: *Nec enim essentiæ nomen est Pater, nec actionis: sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem.* Orat. 44. in S. Pentecostem de geniti, & ingeniti ratione locutus subdit post med. n. 14. *Hæc porro nequaquam substantiam secernunt: verum circa substantiam secernuntur.* Quibus similia habet orat. 13. 36. & 45.

4 Damasc. 1. de Fide cap. 11. circa med. ait. Personas esse omnino vnum *præter ingignentiam, gignentiam, & processionem; ratione autem, & intelligentia hoc distinctum.* Persequitur fusè lib. 3. cap. 3. cap. 3. à principio concludens: *substantia secundum se ipsam*, id est præcisa, *hypostasis non est; sed in hypostasi seruatur.* Ambros. de Incarnat. Dominicæ Sacram. c. 9. medio: *cum dico genitum, non proprietatem naturæ, sed significationem generationis pressi.* Datisque exemplis addit: *ita, si naturam cupio designare diuinam, Deum verum debeo nominare; cum autem Filium dico, genitum significo: cum Patrem quoque dico generasse declaro.* Hilar. 8. de Trinit. vers. med. *Non idem est natura, quod res naturæ*, id est personalitas. August. 7. de Trin. cap. 2. sub init. *Non eo verbum, quo sapientia: quia verbum non ad se dicitur, sed tantum relatiuè ad eum, cuius verbum est, &c. sapientia verò ex quo essentia.* Et cap. 4. circa finem: *Aliud est Deo esse, aliud subsistere: sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse.* Eandem distinctionem essentiæ à personalitatibus sæpè asserit Anselm. de Incarnat. toto cap. 3. ac toto tractatu de processione Spiritus Sancti. Adde Patres plures qui personarum identitatem, in essentia, diuersitatémque personalem reduplicatiuis: *quatenus: in quantum; secundum quod*; atque vt siue personis, siue essentiæ, ac Deitati adhibentes, explicarunt, in quo formalem diuersitatem rationis ex parte rei obiectæ aperiè docuerunt. Hi verò sunt Athanas. Dial. 1. de S. Trinit. contra Anomæ. med. orat. 4. contra Arrian. col. 3. Basil. 5. contra Eunom. sub init. Epiph. col. 10. Ancorati Chrysost. hom. 1. in Ioan. med. Ad Hebr. 1. hom. 2. col. 2. Cyrill. Alexand. Dial. de Trinit. lib. 1. longè à med. lib 2. & 7. circa med. Gregor. Bætic. de Trinit. post med. Sophronius Patriarcha Constantinopolit. 6. synodo act. 11. Epist. professionis fidei col. 4. Damascen. 1. fidei c. 6. fine. Ambros. de fide ad Gratian. cap. 2. fine. Aug. in Ps. 68. col. 3. ad illud: *Et non est substantia*, illis verbis: *Cum autem Pater est, & eo, quod Deus est, hoc ipso*, &c. Vbi etiam exceptiuis vocibus vtitur. Item serm. 38. de temp. column. 2. ac denique 5. de Trinit. cap. 5. fine.

Certamen II.

Veritatis eiusdem rationes, & corollaria.

1 Dicta hactenus conclusionem nostram ferè dogmaticam reddunt. A ratione verò eiusdem veritatis est probatio procliuis. Primò enim, quorum est diuersa definitio diuersa est veritas obiectiua, siue formalitas ex parte obiecti, in opinione præscindentium, iuxta quam philosophamur: ast personalitatis cuiusvis, atque personæ diuersa est definitio ab essentiæ, seu Deitatis definitione: ergo sunt diuersæ formalitates, atque obiectiuæ veritates. Secundò: quia gentes, Iudæique agnoscentes Deum, ignorabant processiones ac personalitates, quæ in Deo sunt: ergo diuersa veritas, & formalitas est vna ab alia. Alioqui eadem, formaliter etiam, insectilis veritas nequit simul agnosci, & ignorari. Vrgeo: quia Iudæi à Christi Euangelio errant, & sunt infideles reales, nec solùm nominales negando processiones, & personas Trinitatis: cum tamen Deum fateantur: atqui, si eadem prorsus veritas, & formalitas esset vtraque, non esset infideles nisi nominales: cum voce *Deus* omnem Catholicam veritatem faterentur, quæ aliis vocibus includebatur: ergo, cum reales hæretici sint, aliquam aliam veritatem negent, quam præter essentiæ veritatem fides docet: quin, nisi alia veritas sit personalitatum, neque nominales hæretici essent: quia neque voces iuberentur aliæ ab Ecclesia denuo, si tota veritas obiectiua fidei, ac mysteriorum voce antiqua *Deus* significaretur: maximè, cum Trinitatis, & processionum diuinarum voces, tot difficultatibus naturalis rationis iura, ac vires superantibus sint plenæ, vt toto orbi tanto scandalo fuerint.

2 Tertiò probatur conclusio: quia negari nequit, quin entitas diuina clariùs, ac distinctius cognoscatur cognoscendo essentiam, & personalitates, quam altervtrum solùm: ergo, quia diuersis obiecti formalitatibus, ranquam diuersis obiecti partibus entitas diuina cognoscitur. Patet. Quia maior claritas cognitionis non stat in repetitione cognitionis æquè obscuræ (cuiusmodi sunt, quas de entitate diuina habemus in via): ergo in eo solùm stat clarius tunc cognosci, quia ex parte obiecti explicatius, atque per partes proponitur entitas diuina: Probatur quartò: quia hæ propositiones, *essentia diuina* est essentia *diuina*; atque, *essentia* diuina est Paternitas, *Filiatio* vel *Pater*, aut *Filius*, &c. diuersæ sunt: ergo diuersum est primæ, atque secundæ obiectum ex parte prædicati. Probatur quintò: quia in creatis, licèt identitas, & vnitas realis indiuidua sit, ac limitatæ perfectionis, diuersæ dantur formalitates in obiecto, & eo plures, quo entitas perfectior est: ergo in Deo etiam, qui perfectiones omnes entium creatorum eminenter, ac sine imperfectione continet. Obiectiones ab authoritate sunt ex Patribus commendantibus realem vnitatem, & simplicitatem Dei, non formalem. Denique nota argumentum vnitertij in aduersa opinione vim magnam habere. Si enim essentia idem prorsus formaliter est, atque persona Patris, idémque formaliter persona Filij, quod essentia, non restat quid sit adhuc formaliter Pater, quod non sit Filius: vnde idem etiam formaliter erit Pater, & Filius, nedum realiter: quare ex opposita sententia mysterium Trinitatis euertitur.

3 Plura hîc, quam par esset, à non nullis tanquam cõsectaria disputantur. Primò: an diuersitas, & præcisio formalitatum in Deo sit etiam respectu intellectus Beati, ac Dei? Respondeo affirmatiuè ex dictis disp. 1. q. 3. cert. 1. à n. 2. Consentiunt Canarienſ. 1. p. q. 28. art. 2. d. 2. dub. 1. 2. & 3. Molina d. 3. fine, concl. 5. licet fundamentis, quibus non acquiesco. Secundò: an distinctio hæc maior sit, quam formalitatum creatarum? inanis quæstio, in qua calamum, attramentum, & papyrum doleo. Tertiò: an distinctio hæc tanquam rei à re sit? an tanquam modi à re? extremum docent Henric. 2. p. summ. articulo 55. quæstione 6. post med. & ad argumenta. Albertus 1. p. quæstione 44. membro 2. Alexandr. ibi corp. & quæst. 49. membro 2. Sanctus Bonauentur. 1. d. 25. articulo 1. quæstione 2. circa fin. d. 19. p. 2. articulo 1. quæst. 1. vbi Aureol. articulo 4. Richard. d. 2. articulo 2. quæst. 3. Marsil. quæst. 6. articulo 3. ad 8. videturque expressissimè Iustin. M. recitatus cert. 1. n. 2. atque indicasse Nazianzen. recitatus ibi num. 3. ex orat. 32. & 44. dicens personalia *circa naturam* ac *circa substantiam secerni, & considerari.* Adde Iustinum eundem quæst. 129. ad Orthodoxos vbi ait: *Differentia est in S. Trinitate modis essendi hypostaseon.* Basil. 4. contra Eunom. sectione 2. *Demonstratiuos proprietatum modos.* Ac rursus. Ingenitum esse, seu innascibilitatem *substantiæ modum* probat libro 5. post med. *Ingeniti appellatio significat, quomodo se habeat substantia Dei.* Nyssen. ad Ablabium: *Quod non tres Dij* circa finem ait: *modo separari personas* infrà. *Alia est ratio eius, quod quid est; alia eius, quod quomodo. Quocirca siquis dicat aliquid ita esse, quasi non genitum sit, quomodo sit ponit; quid autem sit hac voce simul non indicat.* Prædixerat proximè: *Per causam, & id, quod ex causa, atiquliter esse, significari differentiam*, id est aliquo modo essendi.

4 Accedunt Cyrill. Alexandr. Dialog. 1. de Trinit. longè à med. in Patre, & Filio ait: *Deducat modum quendam, & differentiam.* lib. 2. col. 4. sæpè: *Modo ingenito, & modo genito*, l. 7. circa med. *Proprietatem, non quæ diuinitatem indicet; sed quæ benè significet, quia modus existentiæ singulorum.* Theodoret. Epitome

Epitome diuinor. decretor. lib. 5. cap. 3. init: *Spiritum Sanctum ex Deo, & Patre substantiam habere dicimus: substantiæ autem modus, nec creaturæ est similis, nec vnigenito Filio.* Anastas. Synaita 1. decretæ fid. dogmatibus circa med. *Quæ quidem* (appellationes Trinitatis) *non id quod est, manifestant; sed quomodo est tantum subindicant.* Alexand. Alexandr. Epist. ad Alexandr. Constantinopolitan. col. 3. lib. 1. Actor. ante Concil. Nicæn. *Proprium subsistentiæ modum Filij Ioannes declarauit his verbis: In principio erat Verbum.* Damasc. 1. fid. cap. 9. vers. med. de Spiritu Sancto ait: *Alius autem hic subsistendi modus incomprehensibilis.* Ac de innascibilitate: *Non significat substantiæ differentiam, neque dignitatis; sed subsistentiæ modum*, capite 11. circa med. *Secundum causam, & causale, ac personalem perfectionem, id est existentiæ modum, differentiam intelligimus*, cap. 13. *Non substantiæ sunt indicia; sed habitudinis adinuicem, & modi subsistendi.* Richard. Victorin. 4. de Trinit. cap. 24. de persona ait: *Est existens per se solùm iuxta singularem quendam rationalis existentiæ modum.* Quod repetit sæpiùs ibi, & 5. de Trinit. c. 5. & 6. Ex quibus omnibus videtur in formali hac personalitatum, & essentiæ distinctione, illos modos habendos essentiæ, ac Deitatis fore.

5 Ego verò suspicor modum rationis tam strictæ, & metaphysica acceptione modi numquam Patribus in mentem veniſſe, sed modum pro differentia vsurpasse, vtque Hispanè dicitur: *Deque manera, y modo succedio esto*, cum de rebus etiam, quæ acciderunt dubitamus; sic enim vulgò etiam rogamus: *Quomodo homo differt ab equo?* Cum differentiæ vtriusque non modi metaphysici sint. Ducor quia Ricard. qui sæpius iam politioris Theologiæ sæculo ita est loquutus, modum non adeò strictè vsurpauit, sed larga acceptione, & vulgari. Dixit enim 4. de Trinit. c. 19. Vnde pro opinione aduersa recitatur: *Quamuis vtrúsque sit vnus modus essendi, non tamen vnus modus existendi.* An in essentia ipsa præcisa modum vnum communem admittes? censeo ergo nullam formalitatem, ex æquo ab alia eiusdem realiter entitatis formaliter diuersam posse modaliter metaphysicè ab alia distingui. Quia essentia realis modalis distinctionis est, vt vnum re ipsa esse non possit sine alio, quod potest existere re ipsa sine illo: quare metaphysica, imitatiua, & intentionalis distinctio modalis requiret, vt altera formalitas nequeat esse in mente, seu intentionaliter concipi sine alia, secus autem hæc sine illa: hoc autem nequit accidere in formalitate ab alia adæquatè, & ex æquo diuersa, eiusdémque entitatis cum illa. Neque enim potest esse respectiua illius de conceptu suo, cum ipsi identificetur realiter: neque habere in se inclusam formalitatem aliam, cum sit diuersa ex æquo, & adæquatè ab illa: quare concipi, & esse in mente, & intentione sine illa poterit. Cum ergo personalitas, & essentia ex æquo formaliter differre quæstione sequenti ostensuri simus, eas intentionaliter, vt res, non vt modum à re, distingui iudico certum.

Quæstio IV.

An essentia, & personalitas formaliter ex æquo differant? An potius mutuo, vel non mutuo altera in formalitate includatur alterius?

Vt æquiuocationi locus non sit aduerte nominales, ac non præcisiuos Doctores differentiam formalitatum rei eiusdem adæquatam, vel inadæquatam, atque mutuam, vel non mutuam inclusionem personalitatis, & essentiæ penes implicitum, & explicitum cognitionis collocare: Doctores verò præcisiuos in re hac eis vocibus vti minimè in suis sententiis posse, sed abuti solùm.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

Certamen I.

Ex æquo personalitas, & essentia differunt: nec se mutuo, vel non mutuo, includunt.

1 Prima sententia docet essentiam, & personalitates mutuo se alteram in essentia alterius metaphysica includere. Ita Aureol. in 1. d. 1. q. 1. art. 2. & sequentibus disp. 33. q. 1. art. 1. & 3. Capreol. disp. 2. q. 3. fin. Gregor. disp. 27. q. vnic. art. 2. post tertiam conclusionem, probatione 3. ac sequentibus. Valent. 1. de Trinit. cap. 29. col. 3. argumento 4. Caiet. 1. p. q. 27. art. 2. ad 3. ac fine, 9. 39. art. 1. §. *Ad euidentiam*? Ferrar. 4. contra Gent. capite 26. longè à med. §. *considerandum.* Soar. 4. de Trinitat. capite 7. quoad inclusionem essentiæ in personalitatibus, & relationibus, quoad inclusionem verò earum in essentia 5. de Trinitat. capite 3. à num. 6. Porro Caietan. Ferrar. & Soar. inclusionem personalitatum, seu relationum in essentia alibi negant; Valentia verò contra essentiæ in personalitatibus, ac relationibus inclusionem non admittere à nonnullis refertur, nescio, qua fide: id quod posset esse alter secundæ sententiæ modus, vt iam referam.

2 Sententia secunda sit: Personalitates, & essentiam alteram in metaphysica essentia alterius includi: non tamen mutuo. In qua opinione duæ latent. Altera, quam ex Valentia immediatè referebamus: nempe relationes, seu personalitates in conceptu metaphysico essentiæ includi, secus essentiam in conceptu personalitatum. Altera aduersa omninò: nempe essentiam personalitatum essentiam ingredi formaliter, ac metaphysicè; personalitates verò essentiæ conceptum metaphysicum non intrare. Sic censent Alexandr. 1. p. q. 68. memb. 5. articulo 2. 4. & 5. fin. quæstione 56. memb. 7. art. 1. ad 8. Marsil. in 1. quæst. 23. art. 3. in notabilibus, & corollar. quæst. 37. art. 3. conclus. 2. Henric. quodlib. 5. q. 6. ad argumenta, Canariens. 1. p. q. 28. art. 2. d. 2. dub. vltim. column. 2. d. 3. p. 2. conclus. 4. quæst. 39. artic. 6. d. vnic. p. 2. conclus. 3. Argentina 1. disputatione 33. q. vnic. art. 3. d. 34. q. vnic. §. *tertiò dico*, Ægid. art. 2. Ricard. art. 1. S. Bonauent. artic. vnic. q. 1. & 2. Carthusian. ibidem, Ferrar. 2. contra Gentes cap. 9. Caietan. 1. p. q. 39. art. 6. circa responsionem ad 2. Soar. 4. de Trinit. cap. 5. & 6. Bellarmin. tom. 1. libro 2. de Christo, capite 9. fine Ruiz disp. 13. sectione 1. iuncta d. 14. sect. 2. Fauet S. Thom. in 1. distinctione 33. quæst. 1. artic. 1. post med. corporis ac 1. p. q. 33. a. 3. ad 1.

3 Vltima in hac re sententia sit, essentiam, & personalitates formaliter metaphysicè ex æquo, & adæquatè differre, quin mutuo, vel non mutuo se includant. Hanc sententiam tueri tenentur, qui eas ante opus intellectus, vel ex natura rei, vel virtualiter distinguunt; recitati q. 2. Ex his verò, qui solam inter eas rationis distinctionem nobiscum admittunt, magis in terminis hanc sententiam docent Greg. in 1. d. 33. q. 1. art. 2. concl. 4. non satis constans sibi q. 27. citata, Albert. 1. p. q. 39. memb. 2. art. 2. fine, & a. 3. Molina 1. p. q. 28. art. 2. d. 6. Vasq. disput. 121. c. 2. Beccanus de Trinit. c. 2. q. 5. Luis Torres disp. 5. dub. 1. Mæratius 1. p. disputatione 47. sect. 2. Zunniga de Trinit. disputat. 13. dub. 17. Alarcon disput. 2. cap. 13. Gaspar Hurtado disp. 2. diffic. 7. & 8. Martin. Perez disput. 6. sectione 6. duplicem habet partem conclusio prima est non esse in personalitate, & essentia mutuam inclusionem. In qua Doctores secundæ sententiæ conueniunt. Eam efficacius probant, quæ efficaciter satis neque esse inclusionem non mutuam statim suadebunt. Secundò probatur: quia personalitates, & essentiam ratione distingui certum est ex quæstione 3. atque inconfesso apud primæ sententiæ de mutua inclusione Doctores: ergo non datur mutua inclusio vnius formalitatis in alia. Probatur consequentia: quia, si ea datur mutua inclusio neutriùs conceptus obiectiuus datur sine alio: ergo sunt inseparabiles obiectiuè: ergo nequeunt obiectiuè præscindi: ergo sunt idem

obiectiuè. Probatur hæc vltima consequentia: quia, cuius existentia realis alia, & alia non est, eius distinctio realis non est, sed *identitas*: ergo, cuius existentia intentionalis alia, & alia *non est*, non est distinctio intentionalis, & rationis, *sed potiùs* rationis identitas.

4 *Censeo* ergo implicare in terminis, qui rationis *distinctione* admissa, inter personalitatem, & essentiam *mutuam* inclusionem vnius formalitatis in alia *defendunt*. Insuper in terminis conclusionis huius est implicatio. Vel enim ea inclusio *est* per adæquationem vnius formalitatis cum alia, & sic non est propriè inclusio vnius in alia, sed identitas formalis; vel est inclusio inadæquata, ita, vt pars includentis sit inclusa, vt propriè accepta vox inclusio apertè significat: ergo includens in suo conceptu formali totam continet inclusæ formalitatem, & aliquid aliud formalitatis: cum autem vice versa includitur hæc in includ., atque hæc sit includens, aliquid amplius formalitatis habere conuincitur eodem argumento, quàm ea, quæ primò includens ipsius erat, ac nunc est in ipsa inclusa: vndè quævis maior, & minor formaliter, quam alia, imò, & se ipsa maior formaliter, & minor contradictione manifesta conuincitur. Nec patet recursus ad explicitum, & implicitum in præcisiuis Doctoribus, cuiusmodi sunt Doctores aduersæ sententiæ. Explicitum enim, & implicitum ex parte obiecti solùm stat in cognitione *obiecti* per partes, vel secundùm se totum: quare, *cum de quavis formalitate seorsim est sermo, locus implicito non est*: in nominalibus autem non præcisiuis obiectiuè, licèt locum habeant ij *termini*, non soluunt difficultatem. Solùm enim inclusio *materialis* est, cum tota entitas realis attingitur *cognitione*, sed in ordine ad vnum connotatum, ac munus illius, verbi gratia, personalitatis, seu personandi, tunc autem non cogitatur de potentia efficiendi omnia, ac proinde neque est inclusio formalis omnipotentiæ in conceptu personalitatis, vel contra. Si autem esse dicatur idem redit argumentum.

Certamen II.

Secunda nostræ sententiæ pars de inclusionis non mutuæ exclusione probatur.

1 Dvpliciter potest cogitari non mutua inclusio inter formalitates prædictas. Prima: ita, vt personalitas includatur in essentia, quam non in se claudat, quæ à nemine ferè defenditur. Secunda vt essentia in personalitate claudatur, quin eam in se claudat. Et hanc, quia communior est, impugnabo, ac postmodum contra aliam argumenta perstringam. Impugno primò ab absurdo: quia inde infertur essentiam produci, nec solùm communicari, item vnionem Verbi terminari etiam ad essentiam. Primum est erroneum: secundum putatur dogmaticum ab aduersariis vnionem Verbi ad personalitatem solam fuisse non ad essentiam, etiam, vt identificatam, cum personalitate asserentibus, quibus in hoc non assentior, sed ad hominem redarguo. Probatur illatio prima: quia personalitas producitur, sed personalitas formaliter est essentia: ergo essentia producitur. Etenim, vt si de entitate reali argumentum non probet, magno labore respondetur, vt mysterium fidei defendatur: ast de formali identitate vrgentius premit, quæ cum de fide mysterij non sit, neque illud iuuet, sed potius difficilius mysterium introducat deferenda omnino est. Confirmatur: quia personalitas producitur formaliter sumpta: estque terminus formalis processionis, qua influxus, & productio est: ergo terminat secundùm totam suam formalitatem: ergo cum in illa includatur essentia, terminauit essentia productionem, non minùs, quam alia compars, ex qua adæquatur personalitas formaliter: quare, & essentia producetur, æquè atque conceptus ille reliquus personalitatis, qui item vel tota formaliter personalitas erit ex æquo ab essentia formaliter diuersa, vel, si claudit etiam essentiam instauratur in eo argumentum. Vnde fiet essentiam pluries produci quavis personalitate, quia hæc semel; essentia verò bis in duplici personalitate producetur. Iuxta primam verò inclusionem infertur personalitates inclusas essentialiter in essentia communicari personis, si essentia formaliter sumpta communicatur. Atque inde personas non distingui inter se adhuc formaliter, quæ sunt hæretica.

2 Probatur secundò eadem pars de exclusione non mutuæ inclusionis. Quia Augustin. Concil. Florentin. & Patres sæpè ex illo: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Et rursus: *Omnia mea tua sunt*, docent omnia Filio à Patre communicari *præter esse Patrem*, id est Patris personalitatem: ergo personalitas Patris in essentia communicata non claudit or formaliter iuxta primam inclusionem non mutuam; alioqui, & communicaretur, cum communicatur essentia, seu Deitas, quæ sine personalitate essentialiter non est, & nuper dicebam. Infero secundò: ergo exceptiua illa, *præter esse Patrem*, Paternitas, seu personalitas Patris tota formaliter excluditur ab his, quæ communicantur Filio; atqui communicatur essentia: ergo formaliter personalitas extra essentiam est. Patet: quia, si in personalitate Patris, seu Paternitate essentia includeretur totum esse Patrem, seu personalitas non excluderetur à communicatione: cum aliquid essentiale ipsius, nempe essentia communicetur. Dices essentiam esse partialem conceptum paternitatis, atqui non sufficit, vt paternitas communicari dicatur: quare benè absolutè excludi: vt enim communicari diceretur oportebat, vt integrè communicaretur secundùm totam suam formalitatem. Contra neque dicetur produci, quia neque secundùm totum suum conceptum producitur in hac sententia: quia non producitur, secundùm Deitatem, quam essentialiter in aduersa sententia includit. Probatur tertiò eadem pars: quia Patres citati quæstione 3. certam. 2. numero 3. & 4. negant nomina personalia significare essentiam, solúmque significare aiunt ea, *quæ circa essentiam sunt* atque *essentiæ modos* ac *differentias*. Ast modi, & quæ circa aliquid sunt, eiúsque differentiæ, illud formaliter non includunt: ergo neque personalitates essentiam. Dices differentias entis ipsum includere. Sed id absolurè impugnaui in Logica controu. de prædicamentis & hîc disp. 6. ac statim, num. 4. impugnabo.

4 Probatur quartò: quia in hac opinione personalitas ex parte rei obiectæ à persona formaliter nullatenus differet, quod est paradoxum. Patet: quia persona solùm dicit essentiam, & illam qualem qualem formalitatem personalitatis: atqui hoc totum dicit personalitas: ergo ex parte rei obiectæ personalitas formaliter nullatenus differt à persona. Dices solo modo concipiendi personam, & personalitatem differre concreto, vel abstracto nomine dictam: abstracto enim formalitas illa inadæquatè ab essentia, quam includit diuersa, nempe personalitas explicatius dicitur; concreto verò implicatius, quia implicitè, & confusè. Fateor ingenij mei tarditatem: non capio solutionem. Etenim, cum ex parte rei obiectæ idem prorsus nomine abstracto, & concretò proponitur, & significatur implicatius, vel explicatius proponi non inuenio, verbi gratia, pone vocem concretam *homo*, (quæ abstractum metaphysicum ab aliquibus vocatur) significare non suppositum, vt plures volunt, sed naturam humanam: ac proinde idem prorsus, quod humanitas significare: an humanitas clariùs naturam humanam significabit, quam homo? Secundò *entitas* significat clariùs, quam vox concreta *ens* substantiuè accepta? minimè: quin ciusmodi nomina concreta, & abstracta synonima prorsus sunt, sicut *gladius* & *ensis*. Explico, ac simul impugno solutionem. Quia, vel maior claritas abstracti, est ex parte clarioris cognitionis secundùm se. Quod hîc non habet locum cum de cognitione æquè clara, vel obscura loquamur. Vel ex parte obiecti clarius, ac distinctius repræsentati intra cognitiones claras, vel obscuras in eodem genere: atqui, si obiectum idem sit, ac non constet formalitatibus ex æquo, & adæquatè formaliter diuersis, nequit esse ex parte obiecti clarior, vel obscurior repræsentatio nomine concreto, vel abstracto: ergo nulla solutio. Minor suadetur: quia maior claritas ex parte obiecti solùm potest esse, vel quia obiectum per partes distinctius, ac separatius repræsentatur, vel quia vna pars distinctius repræsentatur, quam alia, vel vna repræsentatur in recto, alia in obliquo. Hæc autem omnia supponunt esse partiales formalitates in obiecto ex æquo diuersas, quod hi negant: ergo nequeunt ea solutione vti.

4 Probatur quintò: Personalitates sunt distinctiua personarum per Patres, & Concilia: ergo nequeunt esse rationes conueniendi personis, quas distinguunt: atqui, si essentiam claudunt formaliter, erunt eis rationes conueniendi: ergo illam minimè claudunt formaliter. Negabis primam consequentiam: quia differentiæ entis illius rationem includunt. Sed, quidquid de exemplo sit, quod statim abiiciam, sæpiúsque abieci, probatur consequentia: quia distinctiuum, & ratio differentialis est, per quam distincta ab inuicem disconueniunt: ergo quidquid aliquomodo facit conuenire distincta, in eo distinctiuum, ac differentia non est: atqui Patres, & Concilia personalitates, vt distinctiua solùm personarum assignant: ergo nihil in eis, in quo personæ conueniant, admittunt: quare non nisi temerè ab aduersariis essentia, in qua conueniunt personæ, in personalitatibus formaliter includitur: maximè, cum simul Patres, & Concilia dicant personas conuenire in essentia, distingui in personalitatibus: ac proinde eas, vt puras rationes distinguendi, & disconueniendi assignent: sicut essentiam, vt puram rationem conueniendi. Ex quo impugnatur primus modus inclusionis non mutuæ personalitatis nimirùm in essentia: iuxta illum enim essentia non esset ratio pura conueniendi personis contra Patres, & Concilia. Illud autem de differentiis entis, licèt ens aliquorum sententia sint, non tamen illud, quod contrahunt in vlla opinione, sed aliud. Illud enim, quod contrahunt adæquatè respicit actum existendi, ens autem differentiale essentia sua, indiuisibiliter respicit existentiam, & connotatum aliud: v.g. sensationem, sensitiuum, ratiocinationem, rationale; ast in nostro casu idemmet numero conceptus essentiæ inbibitur iuxta aduersarios in personalitatibus essètia sua distinctiuis, quod est implicatorium. Sextò probo ad hominem cõtra Soar. Ruiz, & reliquos secundæ sententiæ patronos: quia, si essètia includitur formaliter in personalitate, personalitas sola producentis erit potentia notionalis, quod ipsi in Aureolo execrantur: quod ipsum etiam contra Doctores primæ sententiæ, præter Aureolum, quatenus cum secunda hac conueniunt, infertur. Illi enim omnes potentiam notionalem in sola personalitate admittunt, imò, & in sola essentia, cum doceant in ea esse etiam personalitatem. Contra Aureolum verò, qui in ea sola illam ponit, infertur in essentia sola esse, cum in ea sit personalitas formaliter.

5 Septimò denique vniuersim à priori probo exclusionem inclusionis non mutuæ. Quia personalitas quævis diuersa habet connotata adæquatè à connotatis essentiæ: ergo essentia, & personalitas ex æquo, & adæquatè formaliter differunt. Consequentia est euidens ex principiis dialecticis, & metaphysicis. Antecedens probo: quia personalitas diuina cognoscitur per species, & in ordine ad munera personalitatis creatæ; substantia verò diuina per species substantiæ creatæ, & in ordine ad eius munera. Atqui sub speciebus personalitatis creatæ nihil substantiæ atque muneris proprij ipsius cogitatur; atque speciebus substantiæ creatæ nihil proprium personalitatis: ergo concipiuntur in ordine ad diuersa adæquatè munera, & connotata. Dices id totũ ex imperfecto nostro modo cognoscendi prouenire. Contra: quia, licet præcisiones obiectiuæ ex imperfecto nostro modo concipiendi prouenient, quo res indiuisas in ordine ad diuersa munera, & connotata concipimus, id ipsum est in varias formalitates ex æquo formaliter diuersas dissecare. Secundò ostendi disp. 1. q. 5. cert. 1. diuinam, ac beatam intuitionem posse præscindere. Tertiò denique cum munera vera essentiæ, ac naturæ diuinæ sint identificare, & adunare personas; personalitatum verò eas diuidere, distingueréque, diuersas formalitates reuera in eadem entitate diuina re ipsa identificatas Deus, & Beati cognoscunt, cum re ipsa in illa sint.

Certamen III.

Ab obiectis nostra sententia communis vindicatur.

1 Obicies primò. Personalitas est ens formaliter à se, cum non fit ab alio, neque inter vtrúmque detur medium: atqui essentia diuina formaliter est ens à se: ergo personalitas formaliter est essentia. Distinguitur vulgò maior. Est *ens à se relationum*, seu *personale* indiuisibiliter vtrúmque; non verò absolutum, quod est essentia, adhuc secundum partialem formalitatem sui. Sed contra: quia si vtrúmque respicit personalitas, & existentiam à se, & terminum relationis, non est cur vnus conceptus præscindi ab alio nequeat. Melius respondetur neque esse entia à se, vel ab alio cum entia substantiuè, ac formaliter non sint, vt disputat. 6. quæst. 1. docebamus. Instas, saltem erit formalitas à se, vel ab alio, diuina, vel non diuina: in ratione autem diuinæ includitur Deitas. Respondetur esse à se, & diuinas formalitates personalitatum identicè, & materialiter, ratione identitatis cum Deitate, à qua adiectiuè diuinæ, atque entia à se dicuntur.

2 Opponesecundò. Hæc propositio: *Pater est Deitas*, vel *veritas*. Est vera in sensu etiam formali, nec solùm identico: ac similiter: *Deus est Deitas*: quam in nullo sensu Catholicè negari posse ait Concil. Rhemense: quare etiam in formali. Primam explicabat Gilbertus concretum pro abstracto intelligendo, vt idem esset ac *Pater est verus*; quam explicationem minus propriam, & suspectam habuit Eugenius III. & Concilium teste Bernardo serm. 80. in Cantica, minúsque propriam, quam *si veritas* abstractè sumatur: atqui in sensu identico æquè est vera, & propria, *Pater est verus* atque hæc: *Pater est veritas*. Ergo Patres de sensu formali loquebantur: ast in sensu formali nequit hæc esse vera, nisi veritas, ac Deitas, quæ prædicantur sint de conceptu, & essentia paternitatis, quæ in recto ex parte subiecti ponitur, & de qua Deitas, & veritas prædicantur: ergo Deitas est de essentia Paternitatis, seu personalitatis. Respondetur identicè solùm esse veras eiusmodi propositiones: atque hoc contra Gilbertum contendisse Concilium. Vt suam enim realem distinctionem essentiæ à personalitatibus retineret, Patres prædicantes abstracta absoluta de concretis personalibus (quæ cum sua distinctione reali prædicari non poterant abstractè accepta, magis, quam pars de suo toto) interpretabatur abstractum posuisse pro concreto: atque idcirco suspecta ea declaratio, & sensus fuit. Atque in eodem Gilbertino sensu, vel simili nullatenus negari potest Catholicè *Deus est Deitas*.

3 Instat adhuc Ruiz disp. 13. sect. 1. n. 14. cum Patres Catholici, aliàs antiquitatis amatores, contra Philosophorũ vsum introduxerint prædicationes abstractorum communium de abstractis, & concretis personalibus, aliquid speciale voluere significare circa Dei simplicitatem: nẽpe non solùm esse veras in sensu identico, sed, & in formali ob inclusionem Deitatis in personalibus. Vrget n. 15. quia Athanasorat. contra Gregal. Sabellij vers. med. Deitatem de Patre reduplicatiuè, seu specificatiuè, Deitatísque plenitudinem prædicat his verbis: *Vniuersa plenitudo, & integritas Deitatis, est Pater*, vt Pater, vt de Paternitate formaliter locutus à nemine dubitetur: de qua tamen nequit Deitas eiúsque plenitudo prædicari verè, nisi formaliter prædicatum includat. Respondeo nouo illo vsu prædicationum abstractorum communium

communium identitatem realem eorum cum personis,ac personalitatibus demonstrari, realémque Dei simplicitatem,quæ prædicationem eorum in concreto non demonstrabatur; vt patet ex dictis de Gilberto Porretano, qui suam realem distinctionem cum prædicatione communium *in concreto* de concretis personalibus benè componebat. Neque de formali identitate personalium, & communium,quam hæretici,quos impugnabant, ne somniarunt quidem,Patres curarunt:imò eam negarunt locis citatis quæst.3.cert.1. à n.2.Athanas.quantumvis specificatiuè sumat Patrem,essentiam non excludit : quia, vt dicebam disp.7.q.3.cert.3.n.3. nùquam ita specificari reduplicatiuis paternitas potest, vt à subiecto denudetur, quod est in casu hoc essentia diuina : Solùm ergo contendit Athanas.nihil perfectionis Patri soli deficere,quæ in tota Trinitate sit:quia essentiam habet , quæ tota , ac integra bonitas est in diuinis , vt d. 6. q.3. cert.4. & 5. monstrauimus.

4 Obiicies rursus. Persona essentialiter claudit essentiam : ast personalitas est persona : ergo personalitas essentialiter claudit essentiam. Distinguo minorem. Realiter identicè est persona concedo ; formaliter, & essentialiter nego:& nego consequentiam.Instas:*maioris* perfectionis est Deitatem includere, quam excludere:atqui personalitas adhuc formaliter est summè perfecta : ergo etiam formaliter sumpta includit Deitatem. Distinguo, identicè concedo ; formaliter nego ; quia est implicatio : nimirùm : vnam formalitatem esse aliam : verbi gr. formalitatem animalis esse formalitatem rationalis;quod non minus implicat formaliter , quam duas realitates esse realiter eandem. Ad perfectionem ergo diuinæ simplicitatis non expectat inclusio vnius formalitatis in alia formaliter : cum sit implicatoria inclusio, &,ex qua contra obiectantes inferatur personalitates , etiam in essentia formaliter includi. Deinde nego minorem : personalitatem scilicet formaliter sumpta esse perfectam. Ostendi enim disputatione 3.q.3.cert.5. formaliter non esse perfectionem,neque illam habere sed solùm identicè ratione essentiæ,cui identificatur. Instas secundò : commune, & vniuersale essentialiter includitur in particulari:atqui essentia est commune , ac personalitates particularia:ergo includitur essentialiter in illis. Formaliter loquendo nego minorem. Personalitas enim formaliter est particularizans, siue singularizans , personæ sunt particularia: ac proinde in his solùm clauditur essentia.

5 Denique pro inclusione personalitatis in essentia aliqua ex dictis obiici possent eodem modo diluenda. Argues ex infinitate essentiæ , quæ omnem formalitatem diuinam essentialiter debet includere. Sed hoc nego; quævis enim diuina formalitas , siue essentialis, siue personalis,siue attributalis omnem sui generis formalitatem debet continere , non alterius , vt infinita summè sit : vt constat ex dictis disp.3. q.2.à cert.3. Obiicies ex Patribus Athanasium serm.4.contra Arrian. in hæc verba:*Proprietatem Patris ipsam essentiam Filij constituere.* Sunt Athanasij verba sed decurtata:præcedunt enim immediatè:*Quoniam Filius est imago Patris necessum est,vt cogites Deitatem , & proprietatem*,&c.nomine autem *proprietatis*,*Patris*,non personalitatem,sed Deitatem intelligit, quam col.antecedenti *suitatem & proprietatem*, vocauit:propriáque Patris merito dicitur,quia eam de suo habet,aliúsque communicat. Denique oppones Dionys.2. de diuin.nom.dicentem:*Omnia, quæ Deo digna sunt sine diuisione, aut diuisionis obseruatione integrè omni integritati perfectæ,totique diuinitati tribui.* Quare,& personalitates , quæ Deo dignæ sunt tribui debent. Respondeo identicè verùm esse , & sensum Dionysij ; cum identicè sit omnes personæ : ac proinde habet nominis collectiui proprietatem , sumíque possit pro tota collectione personarum , vt sapienter notat S.Thom.1.p.q.39. art.5. licet à sola vnitate collectionis Ioachimi Abbatis opporteat Catholicos summo studio cauere.

DISPVTATIO IX.

DE PERSONARVM constitutione , ac distinctione.

POst exactam adæquatæ distinctionis formalis inter personalitates , & essentiam disputat onem ad peculiarem earum constitutionem , & distinctionem examinandam via est procliuis : idcirco iam ad constitutiua, ac distinctiua personarum statuenda facimus gradum. Vbi celebre illud an Spiritus Sanctus non procederet à Filio distingueretur realiter ab illo? vtili sensu,& disputabimus , & statuemus.

QVÆSTIO I.

Absolutis-ne ? an relatiuis Personæ constituantur ?

DE vltimo & peculiari cuiúsque personæ constitutiuo quæstio procedit. Nam essentia omnibus communi , quæque absolutum quid est, personas constare, quare, & constitui dogma Catholicum est , & quod , ne hæretici quidem , qui tres personas vnum Deum admittunt , negare tentauerint. Sed neque est quæstio de Personarum constitutione quatenus vsitatis earum nominibus Patris,Filij,&c.siue quatenus Pater,& Filius formaliter significantur, & sunt : vt sic enim relationibus constitui dubium esse non potest. Solùm ergo disputatur de primaria Personarum Trinitatis constitutione,qua primùm vnaquæque hæc singularis, & atoma persona intelligatur , cui aliam personam esse repugnet.

CERTAMEN I.

Scholasticorum opiniones.

1 REs hæc teste nostro Vasquez,diu, multúmque Scholasticorum torsit ingenia:verum non sua, vt ipse putat,difficultate,sed ex falso plurium præiudicio: cum quo,& veritas,& bona Philosophia non constans in mille difficultatum salebras disputantium ingenia egit, impulit,iactauit. Præpositiuus , & Aureol.recitati disp.8. q.1. cert.1. cum personalitates , quæ specialia personarum sola esse possent,ratione etiam ab essentia diuersas negarent , constitutionem , de qua disputamus consequenter inficiabantur.Eísque in re consentiunt quotquot mutuam inclusionem formalem personalitatis , & essentiæ asseruerunt recitati d.8.cert.1.n.1. Nam in re , formalem etiã personalitatis , & essentiæ negant distinctionem , quam verbo fatebantur , vt vidimus ibi n.3. & 4.Re etiam ipsa præpositiuo assentiuntur qui personalitates in essentia formaliter,licet non mutuo,claudi defendunt:cum enim in toto , integro essentiali conceptu essentiæ personæ conueniant,in personalitatibus conuenient : quare nihil in eis erit , quo specialiter constituantur , ac distinguantur. Quare & implicabit constitutio. Verùm cum ex negatione

gatione specialis personarum constitutionis plura Patrum, & Conciliorum de personarum constitutione irrideantur testimonia:& quod maius est,realis personarum distinctio , ac proinde totum Trinitatis mysterium euertatur:nemo est,qui eam negare in terminis audeat , quin in Præpositiui sententiam exibilandam Scholastici omnes conspirant.

2 Supposita ergo Catholica personarum constitutione Marsil. in 1. q.30. art.3. ad 1. & 2.art.4. ad 13.Argentina disp.17.q.vnic.art.3.Capreol.q.1. art.1.concl.4. se referens ad dicta dist.26. q.1.art.1.concl.4.Alex.1. p.q.50. memb.3. corp.& ad 1.Beccan.de Trinit.cap.3.q.12. Ruiz disput.89. & 90.Alarcon disp.4.cap.6.Martin.Perez disput.9. sect.3. docent personas relationibus prædicamentalibus Paternitatis,Filiationis,&c.constitui.His ferè adsentitur Molina 1.p.q.40.art.2.disp.2. tantum discrepans, quod relationes prædicamentales idem formaliter,quod processiones existimet , v. g. Paternitatem idem esse,quod generationem.Nec multum discrepat secunda eorum sententia,qui censent relationibus prædicamentalibus non quidem sub conceptu relationum, sed originum constitui personas,ita sentire visus aliquibus est S.Thom.1. p.q.40.art.4. cor p.q.28.art.1.ad 4.(vbi Caiet.)4.contra Gentes cap.14. ad 8.atque ibi Ferrara col.3.Aureol.in 1. dist.17.p.1.art.34. In his autem reprehendere non omittam , quod sono Conciliorum, ac Patrum de constitutione per relationes exterriti in conclusione illis non penitus consonent , atque difficultatem,qua à Patrum , vt putant , sententia diuertunt,non effugiant,vt cert.2.constabit.

3 Tertia sententia fuit Henrici 2.p.summ. art. 58. q.4. asserentis Personarum constitutiuum esse quidem relationes , vt sonare Patres dicuntur , non autem prædicamentalem,v.g.Paternitatis,Filiationis, &c. sed transcendentales principij fœcundi. Cum Henrico sensit Alex.1. p.q.48.memb.4. art.3.§. *Tertiò quæritur.* Vbi asserit rationem constitutiuam Patris esse veluti potentiam materiæ, vel actum formæ , quarum quævis altera alterius respectiua transcendentaliter est.Neque alia fortasse fuit mens Doctorum quartæ sententiæ iam recitandæ : Solùm enim fortasse contenderunt assignare constitutiua Personarum ante relationes prædicamentales,Paternitatis,&c.& ante originis difficultatis metu : id quod constitutione per relatiua transcendentaliter assequebantur.In hac sententia reprehendum censeo,quod in prima.Nam Patrum sonus de constitutione per relatiua prædicamentaliter est,Paternitatem,&c.ac difficultas,cùius timore Patrum sonum deserunt, in relationibus transcendentalibus vim suam etiam habet.

4 Quarta sententia docet Personas relationibus Paternitatis,&c.constitui : non quidem sub conceptu relationis,aut originis , sed secundum conceptum ipsis priorem,& absolutum, quem non satis explicant an transcendentaliter etiam absolutus sit, an solùm prædicamentaliter ; aiunt verò adæquatè identificari cum prædictis relationibus, vt Patres intelligant in sensu identico locutos, dum Paternitate,Filiatione, &c.personas constitui aiunt. Ita S.Thom.q.40.art.2. & 4. de potentia q.10.artic.3.in 1. d.13.q.1.art.2.vbi Capreol.Vasq.d.159. c.5. Soar.7.de Trinit. c.7.Granad.tract.12.d.3.sect.1.Zunniga d.15. n.4. & 5. Gaspar Hurtad.d.4.dif.4.§.*Tertiò personam Patris.* Recentiores Complutenses d.vlt.Canar.1.p.q.40.art.4.p.3.col.penult. docuerant id ipsum ex antiquis Albertus 1.p.q.34.mem.1. Vdalricus , ac Petrus Tarantasia apud Carthusian. in 1. d.27.q.2.vbi, & ipse , atque ex Doctoribus primæ sententiæ in hanc tandem videntur venisse Alexandr. citatus, Capreol.in 1.d.26. q.1. art.3. versu : *Ad primum eorum,quæ tertio loco inducuntur.* Caietan.1.p.q.40. art.4. vers. fin.q.42. art.3.§.*Ad euidentiam.*Ferrara 4.contr.g.c.26.Ruiz. d.91.s.2. à concl.2.Tanner.d.4.q.3.dub.6.Porro Thomistæ pro hac opinione citati sic eam,quasi ex vno ore,statuunt:vt Personæ constituantur primariò relatione secundum esse *in:* secundariò secundum rationem originis:tertiò, & vltimò secundum esse *ad*,quod est formalissimè relatiuum,seu relatio.Sed nescio , quid præstent reliquæ à primaria constitutiones ad præsentem q. hanc enim solam quærimus.

5 Quinta sententia asserit Personas absolutis prorsus proprietatibus suis vnamquamque constitui ; licet ad proprietatum multiplicationem origines requirat. Ita Guillielmus Parisiensis tract.de Trinitat.recitatus à Carthus.in 1. d. 26. q.2. post med. Ioannes de Ripa citatus ad marginem Scoti ibidem q.1. §. *Tertia opinio.* Vbi & Scotus ipse valdè,vt minimum , in eandem sententiam propendet : imò & defendit teste omni exceptione maiore nostro Salmerone tom.2.in Euang.tract.12. pag.155.colum.1. sub init. vbi ait referri etiam Scoti marginem prohac opinione Okam. & S.Bonauenturam. Refertque Salmeron ipse pro illa Linconiensem, & Lichetum.Eam autem Bannes *hæresim* appellat.1.p.q.40.Carthusian. proximè , §. penult. *erroneam*,consentientibus Canariensi, Zumele , & Recentioribus aliis , 1. p. q.40. Ruiz d.87. sect.1.n.5.*errori proximam*,Martin.Perez,*temerariam*,Soar.7.de Trinit.cap.5. *improbabilem,& contrariam sensui Theologorum.* Vasq.d.158.c.3. quo ad constitutionem nullam censuram mereri ait;quo ad distinctionem lapsos eius auctores videri. Censurarum metu Gaspar Hurtado loco relato pro tertia sententia §.vltimo , ne cum ipsis sentire , & damnari videretur, valdè Guillielmi , & Ripæ sententiam à sua discordare contendit : quia hi proprietates absolutas Personarum constitutiuas non identificabant cum relationibus, vt ipse identificat;sed ex natura rei ab eis distinguebant cum Scotistis:quare nec Patres , sicut ipse, poterant explicare dum relationibus constitui Personas aiunt : atque insuper, inquit, proprietates absolutas cum essentia identificare adæquatè videbantur.

6 Cæterum Guillielmum 5 & Ripam non identificasse adæquatè absolutas proprietates Personarum constitutiuas cum essentia certum mihi est : cum asserant expressè originibus multiplicari;quæ autem originibus multiplicantur , nullius opinione , cum essentia identificantur adæquatè. Secundò cum eas proprietates personales appellent, ac personarum singularium constitutiuas : quomodo adæquatè identificent essentiæ , atque faciant omnibus Personis communes ? Tertiò, si Scotistis in distinctione ex natura rei consentiunt, vt vult Hurtado , testísque est Salmeron ipsis ea de re succens , atque hæc præcipuè inter proprietates personales , & essentiam ab illis statuatur:quomodo eas ex natura rei ab essentia non distinguant? Illud circa Guillielmi,& Ripæ mentem Gaspari Hurtado libenter dabimus : absolutas illas proprietates Personarum constitutiuas non identificasse cum relationibus : quia has,vel originibus realiter formaliter identificabant, sicut noster Molina , vel potiùs in aggregato Personæ producentis , & procedentis, & processionis ; ac quidquid his superadditum pro relationibus à nonnullis ponitur mærum rationis figmentum existimat; vti ex ipsis referebamus,docebamúsque d.7.q.3.cert.1.n.1. & cert.2.n.4. Quod autem iidem afferunt ad proprietatũ multiplicationem necessarios origines , non ideo est, quod his identificentur,seúve distinguantur Personæ,cõtra ea, quæ dixerant : sed quod proprietates sine originibus esse nequeant. Cum earum aliquot productæ sint; aliæ verò potentias notionales constituant determinatas omnino ad operandum,necessarióque prosequenti signo originis, & quasi naturæ operaturas, quæque sine processionibus,& originibus esse non possint.

7 Hæc de Guillielmi,& Ripæ mente satis.Quod censuras attinet,si testimoniis Conciliorum, & Patrum, quibus nituntur, stãdum sit;cum hæc de constitutione,ac distinctione Personarum per relationes prædicamentales sonent , quintæ huic sententiæ cum secundâ , tertia , & quarta debent esse communes. Verùm nihil in testimoniis illis esse , quod vlli ex eis aduersetur : quin apertiùs Patres pro quinta hac sententia stare statim facilè monstrabimus;dum, & eam statuemus,& aliarum fundamenta confutabimus, præsertim à cert.3.Nec video qua fronte ab erudito Theologo censura improbabilitatis ei opinioni inuri queat,quam docuerunt Scotus,& apud ipsum Ioannes de Ripa,Okamus , & S.Bonauentur. atque apud Carthusianum Guillielmus Parisiensis,apud Salmeronem Liconiensis,& Lichetus septem nimirùm illustres Docto-

res rem ex instituto disputantes: præter eos, qui aliud intendentes in eam ipsam tandem venisse notabamus, in quibus Gaspar Hurtado cum pluribus. Idcirco Vasquez quoad constitutionem per absolutas proprietates nihil censura dignum admitti aiebat, sed neque quoad Personarum distinctionem per easdem (quod totum nostra sententi- erit) noster censet Salmeiron, si quis aliusin re Theologica, & Scripturaria, atque eruditione sacra præstantissimus tom.2. in Euang pag.157. col.2. fine; vbi postquam constitutionem distinctionémque personarum per absolutas proprietates solidè, & fundauerat, & defenderat, ait: *Hæc mihi probabiliter edifferta sint pro hac sententia: quam, non ignoro à quibusdam falsitatis, & erroris notâ inuri. Ego tamen, vt priorem Thomæ opinionem admodum probabiliorem amplecter, ita in posteriori damnanda non ita rigidè agerem, vt quidam faciunt. Præsertim, cum hanc sententiam amplexati sint præclari quidam, & illustres ex Doctoribus Scholasticis.* Quibus licèt communiori tunc Doctrinæ morem gerat, si tamen totus hac de re attentè legatur, non solùm probabilis, sed, & probatior ipsi nostra hæc sententia deprehendetur: ait enim pag.155.col.2. sub init. *Neminem ex illis esse, qui pro alia primâ perstitere, qui non afferat Doctrinas inexplicabiles, & mentis captum fugientes.* Atque vt minimum, probabilem esse hanc sententiam docet; dum probabiliorem docet aduersam, atque à nota falsitatis, qua etiam inuri ab aliquibus retulerat, manifestè vindicat verbis recitatis; probabilitérque pro illa disertum à se esse testetur. De eius autem opinionis, vt hìc à nobis proponitur atque defenditur probabilitate consentiunt doctissimi Patres. Augustinus de Castro Regius Concionator, atque in supremo Inquisitorum Senatu à fidei censuris. Petrus Diuero Regius etiam concionator. Emanuël Pardo, Franciscus Ruiz, Iosep. Spuchel. Didacus Tello, Lucas Quadin. Ioannes de Valençuela Scholasticæ Theologiæ Professores emeriti. Actuales verò eiusdem Theologiæ Professores Patres Andræ s Mendo almantinus, Gaspar de Ribadeneira, & Matthæus de Moy. Complutenses. Iosephus de Villa-maior. & Iosephus Quarnino Toletani, fideique censores, qui omnes nulla Theologica censura, dignam, ac valdè probabilem nostram hanc sententiam iudicarunt. Addidit Sebastianus Ikqui ordo emeritus Scholasticæ etiam Theologiæ Professor, Primariúsque in Regiis nostris Matritensibus Scholis Magister, atque à supremi inquisitionis Senatus censuris eam sententiam esse omninò veram. Docta horum omnium originalia iudicia apud me habeo.

CERTAMEN II.

Relationibus prædicamentalibus, vel transcendentalibus non constituuntur diuinæ Personæ.

1 DVplex conclusio vno titulo probanda præfigitur. In prima de relationibus prædicamentalibus conueniunt ferè omnes Theologi, si sex, vt summum, ex antiquis excipias, qui pro prima sententia perstiterunt. Secunda octo, vel decem exceptis reliquos habet aduersos. Vtrámque verò testimoniis Patrum, qui per absolutas proprietates Personas constituunt, quæ dabimus certi- 3. probare possemus. Sed nunc negatiuas solùm conclusiones probare animus est ab absurdis, & specialibus cuique earum argumẽtis. Vtraque verò probatur authorit- te, & argumento August. 7. de Trinit. sub init. vbi ait: *Non enim aliud est Deo esse aliud Personam esse: nam si esse ad se dicitur, persona verò relatiuè.* Sicut vicin- s, & propinquus, inferetur, inquit, *Patrem Personam esse Filij, aut Filium Personam esse Patris.* Quod absurdissimum est, sícque impuen- tum statim ab Augustino. *Sed neque Persona ita dici alicubi solet: neque in hac Trinitate, cum dicimus Personam Patris, aliud dicimus, quam substantiam Patris.* Aliáque adnectit, quæ constitutionem Personarum per absoluta expressè tradunt, subiicienda proinde à nobis cert. 3. vbi eam conclusionem in terminis stabiliemus. Sic autem instruenda ad Scholas erit ratio Augustini. Quidquid formaliter relatiuum est dicitur esse sui termini: sic vicinus, & propinquus, & Pater Petri, v. gr. Pater, & vicinus Petri dicitur: atque intranscendentaliter etiam relatis potentia, & actio productiua caloris potentia, & actio caloris productiuæ dicitur: atqui Persona hæc, & personalitas atoma Patris diuini per aduersarios relatiua formaliter est, siue prædicamentaliter, siue transcendentaliter ad Filium, & è contra: ergo dicenda erit Persona hæc, & personalitas Patris persona, & personalitas Filij. Hoc autem, & absurdum, & erroneum est. Ergo, & constitui Personas diuinas per relatiua altervtro modo.

2 Ratione probatur de relationibus prædicamentalibus conclusio. Quia vt vidimus d.7.q.3.cert.1.n.1. relationes prædicamentales, in diuinis etiam, in aggregato producentis, & processionis consistit realiter formaliter loquendo: ergo quævis Persona singularis diuina est pars suæ relationis: ergo supponitur in se atomè, & singulariter constituta ante relationem suam. Patet: nam pars quævis natura sua præcedit, ac supponitur ad totum, quod constituit: ergo non constituitur relatione: quidquid enim prius constitutum est, nequit posteriori constitui. Probatur secundò efficacius, etiam contra constituentes per processiones. Ante relationem formalem realem paternitatis, atque ante generationem, & sic de aliis, intelligitur Persona Patris distincta singulariter re ipsa à Filio: ergo, & in ratione Personæ huius atomæ constituta. Nihil enim distinctum singulariter ab alio esse, concipive potest, quin intelligatur in se singulariter constitutum: ergo nequit Persona Patris in ratione personæ huius singularis, & atomæ constitui paternitate, aut generatione, vt nuper arguebam. Antecedens primùm probo. Ante paternitatem, & generationem intelligitur persona Patris realiter formaliter potens elicitiuè generare Filium, siue principium reale formale generatiuum Filij per omnes Theologos, qui contra Aureolum potentias notionales reales formaliter à processionibus diuersas nobiscum in diuinis d.4. q.2. cert.2. vbi affatim eum confutauimus, fatentur: at nequit intelligi principium reale formale generatiuum Filij, quin intelligatur ex parte sua distinctum singulariter à Filio: ergo ante paternit- tem, & processionem intelligitur Persona Patris singulariter distincta ex parte sua à Filio. Minor est certa. Nihil enim potest esse principium, & potentia actiua realis formalis sui ipsius: imò vero, quia nihil sui ipsius causa physica esse potest, ac proinde causa in actu primo necessariò distingui ab effectu debet, personæ producentes à procedentibus distinguuntur Patrum argumento, & sententia communi.

3 Respondet Ruiz sæpè à disp.87. præsertim 91. sect.2. Personam Patris non esse completè constitutam ante generationem, & relationem. Sed quare inquam? an quia nondum formaliter Pater? Sed nos non inquirimus, nec volumus constitutiuum Personæ Patris in ratione Patris, quod relatiuum esse non dubitamus, absolutam proprietatem esse: sed in ratione huius singularis Personæ, & atomæ, in qui singularitate quantumvis indiuisibili, & gracili, qua ab alia Persona hæc ita distinguatur, vt esse alia non possit, stat adæquatè huius atomæ Personæ, vt talis, adæquata constitutio: cum alio non egeat, vt à reliquis distinguatur. Secundò: si de ratione principij est distinctio realis à principiato producendo vt re vera est, de conceptu adæquati saltem principij productiui, quale est Persona Patris ante generationem, & paternitatem respectu Filij, erit adæquata distinctio: quare, & in sua singulari Persona adæquata constitutio. Tertiò: quia, vt iæpe monui, nullius formalitatis diuinæ dari potest conceptus inadæquatus, & incompletus: cum quævis, qua diuina formaliter, è suo formali, & indiuisibili conceptu infinita simpliciter esse debeat per denegationem termini, etiam extrinseci: quare & vltra illam aliquid generis illius diuinum esse repugnabit. Sed dices illud incompletè, & inadæquatè intelligi debere ex parte personalitatis, quæ indiuisibi

indiuisibiliter est formalitas ad se, scilicet Personam suam, & hypostasim, & ad aliud, seu relatiua ad personã producendam. Sed hoc est etiam argumento præclusum: cum nullo respectu ad aliud cogitato, imo, & ante illum intelligatur Persona Patris principium productiuum Filij, atque ab eo distinctum, & in se constituta. Quod autem cognoscitur expressè non cognito alio, vel cognito confusè solùm (vt à quæstione de præcisionibus formalibus, vel obiectiuis Logica, in re tanta abstrahamus) diuersum formaliter ab alio est, nec idem formaliter indiuisibiliter cum illo. Præterea conceptus absolutos formaliter indiuisibiliter cum relatiuis identificare in diuinis non licet, cum pluſquam genere differant: atque in absolutis etiam formalitatibus alias ab aliis formaliter diuidamus. Licet genere conueniant. Si autem relatiuas, & absolutas formalitates personales confundere fas sit, cur non, & has omnes cum essentia; ac si constitutionem Personarum abolere? denique formalitatis indiuisibilis cognitio confusa esse non potest: tota enim, vel nihil illius, concipienda est, si formaliter indiuisibilis est, vt de se patet.

4 Contra Aureolum verò, & sequaces agendum pro hac conclusione inde in primis erit quod potentiam productiuam in actu primo debeant in Personis producentibus recognoscere, vt citata d.4.q.2.cert.2. contra ipsos euincebamus. Secundò: quia, licet potentiam physicam notionalem ex communi, & proprietate personali non consent, tamen sic constant actiuas processiones, quas ex æquo à communibus non diuidunt: in his autem eadem vi infertur processiones, constituta quidem esse, non autem esse constituentes proprietates personales, constitutis processionibus, & relationibus prædicamentalibus proinde priores. Tertiò, quia, vt tandem Aureolistæ Recentiores Complutenses fatentur, processio actiua, & passiua idem formaliter sunt: sunt enim actio, & passio purè grammaticales, non physicè: cum processio non sit eductio (quamquam, & hos etiam formaliter melior philosophia identificat) ac proinde nihilo magis formaliter differunt, quam amare, & amari: voce nimirùm tenus. Hinc Aureolistæ præfati cum termino scilicet, siue persona procedente solùm processionem quamque identificant, & actiuam, & passiuam: quid ergo erit re ipsa in Patre, quo, & in se constituatur, & distinguatur à Filio, quod relatio, aut processio ipsam formaliter antecedens sit? Certè Patris persona solùm erit generatiuum principiũ realiter formaliter vtrique proeedens: quare, &, quod nulla ex eis constituatur. Si dicas duplicem esse processionem actiuam, & passiuam, alteram, qua persona procedens constituatur, alteram, qua constituatur persona producens: quia hoc speciale est in Trinitatis Personis: certè plura, quam Trinitas in Scriptura, & Patribus de se reuelauerit, statuit de illa solutio, præter, vel contra bonam Philosophiam. Mihi verò in eo maximè insudandum videtur, vt, quæ de tanto mysterio creduntur ad bonam, facilioremque Philosophiam componantur: nec discursus super his Scholastici credendi, etiam sine reuelatione, sint. Hæc igitur de Trinitate reuelata sunt esse personas procedentes, & producentes in sese distinctas. Cum hoc autem stat melior Philosophia, & facilior, quod vnica processio actiua, & passiua sit, (siue identificatæ inter sese, & cum altera ex personis, vel producente, vel procedente, siue inter sese distinctæ realiter, atque identificatæ actiua cum producente, vt probabilius censeri docebamus d.3.ne alia superfluo admittatur. Hinc ad creatorum morem potentia fœcunda admitti debet siue identificata, siue non identificata processioni, ac proinde, vt minimum, formaliter sine processione constituta, atque à termino producendo distincta. Id quod præsentis negotij est, rursúsque probatur. Quia actio, vt actio formaliter saltem non est agens: ergo præter actionis formalitatem aliquid aliud formale cogitare debemus in producente persona.

5 Dices: agens omninò determinatum, & connexum cum termino, cuiusmodi est Persona producens in diuinis formaliter esse actionem: cum huius conceptus sit esse actualem connexionem cum effectu: quod secus euenit in agentibus creatis: quæ non sunt omninò determinata, & connexa cum suis effectibus, vt patet. Quod confirmatur rursus. Quia ideò persona procedens identificatur cum processione: quia est determinatus omninò, vt procedat à producente, & per se se connexus essentia sua cum illo, atque ab illo procedens: ergo & producens persona identificatur cum processione etiam ob similem determinationem ad producendum personam procedentem, & connexionem cum illa essentialem: ac proinde in diuinis idem erit agens, & actio formaliter, licet secus eueniat in creatis. Contra tamen: quia hæc omnia non euadunt difficultatem de superfluitate processionum: cum satis sit processio alteri identificata, qua posita, ne dicatur admitti, vt necessaria, altera processio superflua in diuinis, à persona altera processio identifica releganda est. Pone enim identificatam personæ producenti processionem actiuam, quæ simul passiua est, vt ais: ex vi huius præcisè necessariò, & inexitabiliter procedit formaliter persona procedens, pendétque necessariò essentia sua à producente suo modo in sui existentia: ergo alia processio ex parte sui superfluit: potestque esse ea determinatio, & connexio in procedente, quin sit ipsi identificata processio: túncque, & constitutum, & distinctum esset à producente sine vlla processione: id quod, & de persona producente dici potest, si processionem vnam identificari cum procedente statuamus. Atque hinc claret determinationem ad producendum, vel procedendum, & connexionem vnius Personæ cum alia non esse formaliter processionem, sed ipsam formalitatem egressionis vnius ab alia: ac proinde posse esse eiusmodi determinationes in producente in actu primò, & in procedente in facto esse: quin inde altervtrius identitas cum sua processione euincatur. Sed esto identificetur realiter; an inde colligis identificari formaliter, vt opus est ad hoc, vt constitui, ac distingui formaliter per processiones, seu relationes personas defendas. Ecce Michaël, ac reliquæ spirituales substantiæ se ipsis realiter producuntur à Deo, plurium sententia, ac suæ identificantur creationi. An Michaëlis essentia creatione constituì ab aliquo eorum dicetur? vel relatione creati? Minimè. Sed eius constitutiua omnia absoluta sunt, atque prædicamento substantiæ coërcentur, quin eorum aliquod ad relationis prædicamentum transfugiat. Denique cum in vtraque Persona procedente, & producente processionem tam passiuam, quam actiuam constituas: & actiuæ, & passiuæ formalitas, quæ eadem formaliter est, erit in quavis, per quam ergo formalitatem processionis constitui intrinsecè producentem personam vis, atque ab alia procedente distingui, quæ intrinsecè in hac, à qua distinguitur, non sit, cum hanc eiusdem formalitatis processione intrinseca constituas, actiua nimirum, & passiua.

6 Quod autem nec relationibus transcendentalibus potentiæ, siue principij fœcundi, aut termini producti, siue producibilis (quæ solùm reliquæ sunt, si processiones, non idem ac relationes sint) ita à ratione probatur: quia relationes transcendentales præfatæ realiter formaliter sunt ipsæ personæ constitutæ: ergo nequeunt esse earum constitutiua. Patet consequentia: quia constitutiua, in quavis linea, nihilo magis esse possunt constituta sua, quam pars suum totum esse queat. Antecedens de potentia, siue principio secundo suadetur: quia: vt ostendimus d.4.q.2. cert.2. potentia notionalis, nec sola essentia est, nec sola personalitas, sed conflatum ex vtraque: quod quidem est tota persona. Nec refert conceptum partialis potentiæ, quæ in personalitate est transcendentaliter relatiuum esse: tum quia partiales has potentias, è quibus potentia diuina adæquata conflatur, ibi num.2. ex Patribus, & ratione confutauimus: tum etiam, quia, qualis hìc partialis potentiæ à te admittitur, etiam in essentia, sine vllo respectu ad personam productam, cui reipsa identificatur & in personalitate sine respectu ad personam productam saluabitur. De potentia verò passiua siue producti, siue producibilis probatur antecedens: quia productum, siue producibile in diuinis: non est personalitas sola

sola, sed tota persona procedens: cum processio diuina essentialiter claudat, & influxum, & communicationem, quæ non nisi ad coniunctum ex essentia, & personalitate esse potest: maximè cum realis productio sit: quæ proinde nequeat ad alteram ex formalitatibus realiter identificatis terminari seorsim.

7 Rursus, cum potentiæ spiratiua, atque spiratio Spiritus Sancti, suis quæque signis posterius, vel aduenians (vt, alij volunt) Patri, & Filio priùs formaliter adæquatè constitutis in esse personarum singularium, & atomarum, ita vt vtrique seorsim repugnet esse personam Spiritus Sancti, vel ex vtraque sic adæquatè primariò constituta conflantur, vt vidimus de spiratione actiua d. 3. q.4.cert.3.num.4. ac de spiratiua potentia d.4. q.2. cert.3. num.3. ergo formaliter ante respectum vllum transcendentalem ad personam Spiritus Sancti duæ illæ primæ personæ, & sunt adæquatè primariò in suis atomis personis constitutæ ac de se distinctæ ab Spiritu Sancto: ergo in aliquibus personis diuinis datur constitutio primaria adæquata formalis, atque item ab alia distinctio sine respectu transcendentali atque prædicamentali (qui posterior illis est) ad personam illam. Hoc autem in personis aliquibus admisso admitti in omnibus debet: vt dicam cert. 3. num. 4. quia, siquid contra constitutionem personarum per absolutas proprietates formaliter, earúmque per easdem distinctionem probat, de omnibus, ac respectu reliquarum probat, vel de nulla probat, vt ex oppositionibus cert.4.diluendis constabit. Ad hæc posita per possibile, vel impossibile vnica inter Patrem, & Filium processione sola, vel relatione, scilicet generatione actiua, vel Paternitate, ita esset persona Patris atome constituta, de sèque distincta à Filio, atque implicaret hunc esse Patrem, ac si duplex esset processio, & relatio in vnoquoque sua: non ergo sua quisque processione, aut relatione atome constituitur, atque ab alio distinguitur. Denique cum paternitatis, aut generationis actiuæ conceptus cum passiua, aut Filiatione de se non pugnent (idem enim, qui Pater absolutè Filius esse potest) constat Filiationem Patri non repugnare ex earum relationum formali pugna, sed ex necessaria distinctione, quam earum quævis supponit inter producens, & productum.

Certamen III.

Proprietates personales quibus personæ atomæ, & singulares constituuntur, prorsus absolutæ formaliter sunt.

1 Conclusio est Guilielmi Parisiensis apud Carthusianum suprà, & Scoti suprà, apud quem idem docet Okam, S.Bonauent. & Ioann. de Ripa, Lichetj, & Linconiensis apud Salmeronem nostrum supra, pagina 155. column. 1. sub init. Gasparis Hurtado supra, vbi pro se refert Soarium, Granados, & Zunnigam, non admodum certa fide, ipse tamen aperte pro ea conclusione est à paragrapho. *Et eadem proportione*, iuncto §. anteriori, vbi Patris innascibilitatem explicuit, ac reliquorum eam approbantium, quos dedimus cert. 1. fine. Probatur primò Patrum authoritate, plurium quidem à nobis relatorum d.7.q.1. per totam asserentium tres personas, hypostases, subsistenti s, & suppositа in diuinis: quod nemo Catholicè negare potest: quatenus verò eis nominibus significantur nihil vllo modo relatiuum deuoluunt, sed existentiam Personæ cuiúsque in se, & per se, quod prorsus absolutum est, vt patet. Si autem tres personæ, &c. in Trinitate agnoscuntur sine vlla relationis cogitatione, atque absolutè distinctio personarum Trinitatis, quare, & earum in ratione Personarum singularium constitutio sine relatione, ac prorsus per absolutas proprietates, agnoscitur. Audiatur ad hoc argumentum Cyrillus 7. de Trinit. versus med. explicatiùs adhuc locutus. *Simplex igitur, & incomposita est summa natura, & subsistentiarum proprietatibus, personarumque dilatata differentijs, & in sanctam procedens Deitatem. Veruntamen naturalium vnitate, & inuariabili super omnia identitate ad vnum quoddam contendens Dei nomen, ac rem; ita, vt in vnaquaque tota intelligatur natura: cum hoc, quod adest ei etiam sua proprietas. Manifestum autem, quod vnumquódque secundum hypostasim manet id, quod est.* Si autem in hypostasi manet id, quod est in se, & ad se (vt diximus, hícque asserit Cyrillus) atque eo teste hypostasis, siue subsistentiæ differentijs constituitur, distinguitúrque ab aliis quæuis singularis Persona Trinitatis: vtique absoluta proprietate, non relatiua, constituitur, atque distinguitur.

2 Succedat, clarior etiam, pro hac conclusione Augustinu, scitato 7. de Trinit. c.6. initio, vbi post impugnationem ex ipso recitatam contra constitutionem personarum per relatiua, hæc etiam expressissima pro præsenti conclusione immediatè subnectit. *Quo circa, vt substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est,* id est paternitas, *sed quo est,* id est essentia, *ita & Persona Patris non aliud, quam ipse Pater est,* id est non est relatio paternitatis, quæ alio, nempe Filio, completur, sed ipse, siue ipsa Patris Persona. Subdit enim. *Ad se quippe dicitur persona, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum sicut ad se dicitur Deus, & magnus, &c. Et quemadmodum hoc illi est esse, quod Deum, &c. ita hoc illi est esse, quod personam esse.* Ecquid precor ad rem præsentem illustrius, ni textum negligerent, qui hoc testimonium ad subsistentiam communem Trinitati intrudendam vtuntur: cum de persona Patris, & Filij singularibus Augustinus apertè loquatur. At, inquies, hoc testimonio rectè nos vti posse ad constitutionem personarum proprietates prædicamentaliter absolutas, secus transcendentaliter, de quibus Augustinus non loquitur: sed nec in nostris principijs intelligi potest: loquitur enim de persona, & constituto ex essentia, & proprietate personali, siue personalitate, quod nos potentiam notionalem transcendentaliter relatam ad personam procedentem fatemur cert.2. num.6. ex d.4.q.2. cert.2. verum vtrumque probat. Licet enim persona re ipsa relata transcendentaliter sit: vt tamen eo nomine significatur relata transcendentaliter adhuc non est: quia in recto solam significat personalitatem de substantinorum substantialium ordinaria significandi lege: eam autem absolutam prorsus esse diximus, docétque Augustinus. Si enim relatiua aliquomodo foret relatiuè, non absolutè, & ad se significaret, diceretúrque, sicut Deus. Vidit hoc & S. Thom. quem pro hac etiam conclusione stare video 1.p.q.29. artic.4. corp. & ad 1. dicens nomen *Persona* in diuinis significare quidem relationem (transcendentalem, vel fundamentaliter prædicamentalem) *sed non significare illam per modum relationis, sed hypostasis*, quo etiam testimonio subsistentiæ communis authores abuntur.

3 Inducendi prætereà sunt, qui per modos existendi, in se nimirùm, personas, & constituunt, & discernunt. Sunt autem Patres plures sparsim hoc opere recitati præsertim d.8.q.3. Eorum autem dux extat Iustinus Martyr expositione fidei sub init. effatus. *Ingenitum, & genitum, & procedens non essentiæ nomina sunt, sed existentiæ modi: modúsque existentiæ nominibus hisce denotatur; essentiæ autem significatio nomine Dei designatur. Ita, vt sit differentia Patris ad Filium, & Spiritum iuxta existentiæ modum; vnitas autem, siue identitas iuxta essentiæ rationem.* Concludit infrà Iustinus paulo. *atque hæc quidem sufficiunt ad probandum non essentiam significari per ingenitum, genitum, & procedens, sed existentias seorsim* (id est vnius ex alio sistentias) *præterquam quod existentiæ etiam denotant modum.* Damasc. 1.de fid.c.11. vers. med. *In solis quidem proprietatibus paternitatis, Filiationis, & processionis, secundum causã, & causale, & personalem perfectionem (id est existendi modum) differentiam intelligimus.* Hæc non paternitate, &c. secundũ, quod relatio est, sed secundum personales perfectiones, id est existendi modos, personas distinguit Damasc. Quid sibi velint illa, *secundum causam, & causale* dicemus cert.3. Consonat Ricard. Victor. 4. de Trinit. c.24. init. vbi habet: *Fortassis erit planius, & ad intelligendum expeditius, si dicimus, quod persona sit existens per se solum iuxta singularem quendam rationalis existentiæ modum.* Capite autem 1. dixerat: *personalitatem esse diuersum modum existendi.*

4 Præterea eodem modo constituendæ sunt personæ omnes, vel per absoluta vel per relatiua: atqui personam vnam constituunt Patres omnes, nec soli, qui nobis opponuntur, per proprietatem omnino absolutam, dum formalius loquuntur: ergo, & omnes ita constituunt. Minor est certa: nam Personam Patris constituunt per formalitatem, innascibilitatis, quam absolutam esse d. 10. monstrabimus satis. Vidimus proximè Iustinum Martyrem; audiamus, & reliquos. Athanas. quæstione 5. ex anonymis, seu de natura Dei, proprietates, quibus constituì, ac distingui personas dixerat, sic enumerat: *Proprium enim Patris ingenitum esse: Filij verò genitum: Spiritus procedere.* Nyssen. de differentia essent. & hypostas. *Neque commiscentur ea, quæ in iis consideratur proprietas, vt, vel patri natiuitas, vel Filio absque natiuitate esse assignetur* Naz. orat. 13. 2. de Paraseue vers. med. *Nos vnam, & eandem naturam principij vocatione, generatione, ac processione agnoscibilem.* orat. 23. in laudem Heron. vers. finem numero 32. *Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit, Filij, quod genitus: Spiritus sancti, quod procedit.* orat. 29. de dogmat. & constituit. Episcopor. circa med. *Ita nobis proprietatum ratio constabit, si Patrem principij expertem, & principium cogitemus.* Basil. epist. 43. ad Nyssen. prope fin: *Non mutata, nec commixta, quæ in ipsis consideratur proprietate: quasi, vel Patri genitum, vel Filio ingenitum esse quis affingat.* Anastas. Synait. 1. de rectæ fidei dogmatib. vers. med. *Quod, vt proprium personis tribuitur, vnam ab altera signatim distinguit personam; vt est ingenitum esse peculiariter conuenit Patri.* Longè ante med. *Ingenitum, genitum, & processio sanctam constituunt Trinitatem*, atque infra: *Vnaquæque Persona conformem sibi sortita est proprietatem significatiuam personalis substantiæ. Pater nuncupationem obtinet ingeniti.* Anastas. Theopolitan. compendiaria expositio. fidei sub init. *Filius à Patre differt hypostasi; quatenus Pater est ingenitus.* Damascenus 1. de fide capite primo personas ait: *Vnum idémque esse præter innascentiam, & processionem.* Et cap. 9. longè à princip. *Omnia, quæ habet Pater, Filij sunt præter innascendi proprietatem*, ac tandem c. 11. sub init. & med. scribit: *Personas esse omnino idem præter ingignentiam, gignentiam, & processionem.* Quibus adde Damascenum sæpè ita loquentem.

5 A ratione demùm ea omnia conclusionem probant, quæ non constituì, nec distingui personas per relatiua, siue prædicamentalia, siue transcendentalia certamine secundo probabant: argumento à sufficienti partium enumeratione. Probatur secundò: quia subsistentia, seu personalitas quævis, in diuinis, solùm potest dicere singularitatem vltimam, & atomam, qua, & diuinitas vltimo singularizetur, & quasi physicè determinetur, constituatúrque naturæ rationalis diuinæ indiuiduum physicè, ac metaphysicè totale, & quod cum alio quovis tanquam cum comparte componi nequeat: vt enim docebamus disputat. proœmiali ex Boëtio, Patribus, Conciliis, & Scholasticis quam pluribus in hac totalitate indiuidui substantialis naturæ suppositi ratio, & Personæ consistit: atqui vltimi complementi, & singularitatis ratio (si præcipuè indiuiduum substantiæ, ac substantiale sit, vt in Personis Trinitatis euenit) est prorsus absoluta à respectu, siue prædicamentali, siue transcendentali: ergo, & personalitas quæuis diuina personam suam in esse personæ atomæ, & singularis constituens prorsus absoluta, tam prædicamentaliter, quam transcendentaliter est.

***

R.P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

Certamen IV.

Authoritatum sono tenus aduersantium, aliarúmque oppositionum solutio.

1 Non grauabor priusquam testimoniis patrum qui opponi nostræ huic doctrinæ videntur, respondeam, quam eis recitatis noster Salmeron adhibet, solutionem ipsius verbis tract. citato pag. 156. col. 2. post initia referre. Ne si cui nostræ minus arrideant, ingenio, & authoritate pondor desit. Sic ergo scribit. *Quod, si Patres interdum omnia absoluta communia trinis personis, dixerunt; de absolutis illis intellexerunt, quæ cum essentia conuertuntur, & non de proprietatibus; & cum per relationes personas constitui dicunt: vel ex opinione sunt locuti, non ex fide, de qua per Concilia, aut decreta non ita euidenter constat: vel relationes, vt notas proprietatem constituentium personas accipiunt, quia alia nomina priora non occurrebant. Et quod habetur in Concilio Toletano II. nihil desinit: sed illud Prouinciale Concil. XIX Episcoporum exponit suum sensum, & intelligentiam, de Mysterio Trinitatis: & nihil, vt prius disputatum, & cognitum, sancit, tanquam de fide ab omnibus tenendum. Quemadmodum etiam Concilium Florentinum nihil ibi de eo articulo, tanquam dubio, & controuerso tenendum definiuit; sed obiter, & aliud agens illam sententiam secutum est.* Hæc ille. Sed nos iam eis testimoniis minutiùs respondeamus.

2 Et sanè quoad constitutionem personarum per absolutas proprietates parum negotij Patres, & Concilia nobis facessunt. Sunt enim perpauca testimonia, sono adhuc, aduersantia. Bessarion. orat. pro vnione post Concil. Florent. c.6. post med. col. 8. & 9. bis ait: *Non enim generare, & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam, sed paternitas, & filiatio.* Ac rursus præmissa relationis, & originis identitate ait: *Vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ: prius tamen, & principaliter secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur diuinæ personæ.* Secundò: Ioannes Theologus eodem Concilio sess. 18. §. *Vos quæritis*, sic habet: *Ita enim sentit Epiphanius de originis habitudine constituente personas.* Sed, si Doctoribus particularibus Bessarioni, & Fr. Ioanni de Monte-negro Dominicano obiter in Concilio, de aliis disputante, suas opiniones proferentibus respondere opporteat, dicito: Bessarionem loqui de relatione fundamentaliter, non formaliter prædicamentaliter sumpta: hoc est de proprietate personali absoluta, quam nostra sententia ponit, vt relationis fundamentũ. Ait enim prius relatione, quam origine constitui: quod alio sensu falsum omnino esset: cum origines, & in personis ponat, & relationibus sint priores. Ait autem priùs, & principaliùs eis relationibus, fundamentaliter, vt dixi suaptis, constitui, & distingui personas: quia originibus formaliter in fieri personæ considerantur; proprietatibus autem aliis personalibus in facto esse, in se intrinsecè. Quem sensum satis ipse explicuit dicens post pauca: *Vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ, sed principaliùs relatione, siue proprietatibus.* Quæ in facto esse, & formaliter intrinsecè illas constituunt. Ioannes Theologus, è S. Thoma quæ putabatur, sententia locutus est: nisi fortè vtérque (quòd, & textui non erit incongruum) de personis quatenus nominibus relatiuis significantur, quibus aut solùm, aut frequenter appellantur, locutus est. Quod quidem idem est, ac dicere: personam, qua relatam, siue Patrem, qua Patrem relatione constitui. Id quod, & certissimum est, vti in quæstionis notatione explicabamus, nec nostræ conclusioni aduersum; quæ de personarum constitutione in ratione personarum singularium, atque atomarum statuitur. Sed opponunt tandem Cyrillus 2. Thesaur. capite tertio, aientem: *Nunquam in plures personas distingueretur* Deitas, *nisi quædam inueniretur differentia, non secundum essentiam, sed secundum relationem, & quasi extrinsecus intellecta, per quam vtrinque*

que persona in hypostasi constituitur. Sed præterquam quod locus iste præfatas duas solutiones admittit: eis adhuc opus non habet, si rectè constituatur. Illud enim *per quam* non refert *relationem*, sed differentiam, quam per relationem *extrinsecus* intelligi ait, cum sit alioqui intrinseca personis, illas in personas singulares, & atomas constituens. Epiphanij locum à Ioanne citatum ad constitutionem personarum per relatiua non vidi, cum totum legerim Ruiz: quare æstimo referri pro antecedenti doctrina.

3 Sed quoniam personas per ea inter se se, per quæ constituuntur, distingui asserimus quæstione 2. eis etiam testimoniis, quæ personarum distinctionem per relatiua fonare videntur satisfaciendum nobis erit, vt nostram doctrinam ab oppositionibus omnino vindicemus. Ea vero quamplurima sunt, quare altero cuiusque generis recitato, & soluto, omnibus tandem fiet satis, quin otiosè reliqua carthas inundent. Primum sit *Patrem omnia dedisse filio præter esse Patrem* idest paternitatem. Aſt eo, quod filio non dedit, sed sibi asseruauit ab eo distinguitur: ergo relatione paternitatis distinguitur formaliter à filio. Sed rogo obiectantes an ita rigidè accipienda hæc sint, vt esse Patrem, seu paternitas formaliter à Patribus, & sola intelligatur? An sumi possit, atque intelligi in illis fundamentaliter, vel cum aliis Patris formalitatibus propriis illius, in quibus ipsa fundatur? Si secundum hoc admittunt, vti Catholicè admittere debent, proprietatibus illis Patris fundamentibus relationem paternitatis, vt potè prioribus, constituì, atque à Filio distingui personam Patris certum erit, vt ostendimus à ratione certamine 2. Si autem primum dicant, habent contra se Damascenum recitatum ex 1. de fide capite 9. longè à principio dicentem: *Omnia quæ habet Pater Filij sunt præter innascendi proprietatem.* aliósque plures Patres cum ipso recitatos certamine 3. numero 4. Insuper, & fidei aduersantur, siquidem de fide est Filio non esse datam innascibilitatem Patris: atqui hæc absoluta prorsus est, vt loco ibi citato ostendemus: est siquidem esse à se explicatum per negationem relationis essendi ab alio. Catholico ergo sensu intelligendi Patres sunt, dum ita loquuntur, de paternitate fundamentaliter sumpta pro personali proprietate, illúdque *omnia* de communibus formalitatibus intelligendum.

4 Opponi solet illud Boetij 1. de Trinitate capite 12. sub init. *Ita igitur substantia continet vnitatem; relatio multiplicat Trinitatem.* Isidor. 2. de different. spiritualibus capite 2. *In relatione personarum Trinitas est.* Naz. orat. 37. 5. de Theolog. colum. 5. *Mutuæ eorum relationis differentia diuersa quoque ipsis nomina prouocauit.* Gregorius Bœticus de Trinitate post medium: *Hoc solo differens à Patre Filius, quod ille genuit, hic natus est.* aliíque plurés Patres, & Concilia in eandem sententiam scribunt, quorum testimonia non pauca in nostra principali solutione recitabimus: reliquorum notabimus loca. Ex quibus omnibus, & præcipuè Damasceno recitando Theologicum illud, atque ab omnibus suspiciendum axioma manauit: *In diuinis non est distinctio, nisi obuiet relationis oppositio.* ergo, conclamant Aduersarij, distinctio personarum per relationes est, non per absoluta. Cæterùm cum testimonia hæc omnia de relationibus prædicamentalibus loquantur, solutioni obnoxij nobiscum erunt Scholastici omnes, præter sex illos rigidos primæ sententiæ defensores. Ex aliis enim nemo per relationes prædicamentales formaliter sumptas constituì, ac distingui personas defendit: quod si alio sensu, quam formali relationes prædicamentales eis locis sumi à Patribus dicendum ferè omnibus est: facillimè negotio expediam, si dicam ab eis Patribus relationes prædicamentales sumptas fundamentaliter fuisse pro personalibus proprietatibus absolutis, quas diximus: in quibus tanquam in fundamentis relationes prædicamentales sunt. Atque Nazianzeni locus de nominibus Patris, & Filij, expressus est, quæ relatiua sunt, non de constitutione personarum per relationes, imò neque id ipse vsquam docere potuit: vel eo, inter alia, præcipuè, quod inter Patrem, & Filium vnicam re, & formaliter esse docuerit, qua mutuo alter Pater, alter Filius dicatur, vt vidimus disputat. septima, quæstione tertia, certamine secundo, numero quarto. Sed quia communior cum aliis etiam Patribus causa hæc est, vniuersalem solutionem, genuinúmque eorum, vt puto, sensum edisseramus, quo etiam formaliter locutos nostræ sententiæ nullatenus aduersari monstremus.

5 Germanus ergo sensus illorum est: eos quidem de relatione formali expressa nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quibus in Scriptura, & vsu personæ Trinitatis nominantur, fuisse locutos. Eam autem non constitutam formale, & distinctum Personarum Trinitatis designasse; sed vt argumentum formale, & efficacissimum pluralitatis, seu Trinitatis Personarum in diuinis demonstrandæ: quia nimirum relatio producentis, & producti, siue procedentis, non nisi inter distincta extrema potest inueniri: cum idem sui ipsius producens, aut productiuum esse non possit; quare ex productione, relationeque producentis, & producti, rectè, & euidenter ostenditur vtriusque distinctio: non quidem, quàm actio, seu relatio in illis ponat, sed quàm potiùs supponat. Hoc probo primùm: quia omnia illa Patres, & Concilia protulere non disputando de constitutione metaphysica personarum, de qua Scholastici solùm disputant, quæque, ne in mentem quidem, ipsis venit; sed disputando contra hæreticos Arrianos, Sabellianos, Eunomianos, & Græcos de vnitate essentiæ Personarum Trinitatis, déque diuersitate in Personis. Insuper de processione vnius ab alia, atque Spiritus sancti à Patre, & Filio iuxta errores varios à nobis memoratos disputatione secunda. Vt autem ea probarent ex processione vnius ab alia, earúmque relatione contra alios diuersitatem Personarum argumento facto euincebant: atque in essentia vnitatem, inter quam, & Personam nulla datur productio contra alios; atque contra alios tandem processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio à quibus diuersus personaliter est: cum tamen ex Scriptura non nisi inter procedentem, & producentem personam detur distinctio. Quod si non eo argumento diuersitatem Personarum contra Hæreticos in vnitate essentiæ Patres euincerent, sed ex constitutione personarum per relatiua videri ab hæreticis meritò possent: cum ex Scriptura solùm constet esse Patrem, & Filium, & Spiratum ab vtroque in diuinis, non autem per huiusmodi relationes vnumquemque ex illis constituì in se, & distingui à quouis alio. Ex ratione autem naturali, & metaphysica certum sit producens, & productum non relatione constitui in se, atque ab extremo opposito secerni, sed ad eam constitutum in se extremum, atque ab opposito distinctum supponi. Relatione ergo formali in Scripturis expressa, tanquam medio vtebantur, vt distinctas personas hæreticis probarent: quia nihil sui ipsius actiuum, siue producens esse potest; non autem tanquam formali constitutiuo, ac distinctiuo Personarum.

6 Hoc ipsum plura testimonia, quæ nobis opponi solent, præ se ferunt Cyrillus, secundo Dialogorum de Trinitate, columna quinta, ad id: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* his verbis: *Collegit, & præ aliis posuit nomina nobis constituentia,* id est proponentia, *vnuscuiusque significari propriam existentiam,* id est peculiarem ipsius existendi in se, & ad se modum vndecimo Thesauri capite vnico vers. finem ea nomina esse in Deo ait, *quæ relationem quamdam ad exprimendam distinctionem,* id est nobis significandam, *ostendunt.* Ex quibus constat eiusdem sensus septimo Thesaur. capite primo post medium, dum ait: *sola diuersitate relationis,* non in se, sed in extremis, *quæ diuersis nominibus significatur,* cum eadem inter extrema opposita sit, *nec alia re vlla distinguuntur*

tur, id est: nulla alia de re, siue de causa. Concilium Toletan. 11. tacitè ab Ecclesia approbatum confess. fidei cap. 1. *in relatione,* quavis vna, *personarum numerus cernitur.* Cum non nisi pluribus esset, si relationibus constituerentur, ac distinguerentur formaliter personæ. Item illud *cernitur* idem, ac nobis insinuatur, vt patet, ac post pauca Concilium ipsum sic expressit: *Hoc solo numerum insinuant, quod adinuicem sunt.* Ex quo eadem VVormacience professi. fidei sub init. Anselm. de processione Spiritus S. capite 2. post med. & capite 5. probat Spiritum S. à Patre procedere: *Quia,* inquit, *si vterque de nullo est, penitus nil inueniri valet in fide Christiana, vndè sint adinuicem alij, sed vnus, idémque Pater, & Spiritus S. & vna persona,* id est nullum est argumentum ex fide, & reuelatis petitum ad eorum diuersitatem probandam. Et cap. 3. init. & med. respondens argumento identitatis personarum ex identitate naturæ: *Sed obuiat relatio, quæ prohibet Filium, vel Spiritum S. esse Patrem,* qui sensus ipsissimus (vt sic loquar) est axiomatis illius: *Nisi obuiet relationis oppositio.* Etenim in diuinis relatio, qua diuina, non affert distinctionem: cum spiratoris relatio Patrem, & Filium, in quibus est, non distinguat, sed cum paternitate, & Filiatione amicè componatur; sed ratione oppositionis, & diuersitatis, quam in extremis supponit, cum producentis, seu productiui, & producti relatio est, vt dicebamus: quia nihil sui ipsius actiuum esse potest. Hinc Damascen. recitatis verbis certamine 3. numero 3. *Secundum causam, & causale differentiam intelligimus,* aiebat. Boëtius obiectus eo loco rationem cur relatio multiplicet Trinitatem immediatè subdit: *Nam idem Pater, qui Filius non est,* &c. dixerátque paulò superius nullam relationem, hoc est relatiuum ad se ipsum referri. Eandem reddunt rationem reliqui Patres, qui opponi nobis possunt Augustinus 11. de ciuitat. capite 10. init. & capite 11. & 5. de Trinitat. capite 8. ac libro 7. capite 2. Cyrillus 1. Thesaurus capite 8. Basilius homilia 28. contra Sabellian. versus med. Athanas. 11. de Trinitat. sub init. Fulgent. ad 1. obiectionem Arrianor. post med. & fin. Bernardin. Epistola 190. ad Innocent. column. 2. Nec alio sensu loqui potuerunt, cum iidem locis recitatis certamine 3. numero 3. & 4. per innascibilitatem, & existendi in se, modos, atque hypostases, personalitates, ac subsistentias, qui conceptus absoluti, (vt diximus) sunt, Patrem, & personas constituant, ac distinguant, dum formalius loquuntur.

7 A ratione oppones. Constitutiua, & distinctiua formalia non opponuntur relatiuè per nos: sed nec priuatiuè, cum in eadem essentia sint, nec sit altera alterius priuatio: nec contrariè: tum, quia oppositio hæc dicit limitationem subiecti, quæ in essentia diuina non est: tum quia vtraque cum eadem essentia diuina amicè componitur: ergo nullam habent distinctiua formalia oppositionem; ergo, & realiter identificantur, sicut; & alia defectu oppositionis ob entitatis diuinæ summam perfectionem: ergo Pater, & Filius secundum suas proprietates, & distinctiua idem realiter sunt: quod, & est implicatorium, & hæreticum. Respondetur: in primis, hæc omnia in innascibilitatis conceptu, qui quidem formaliter absolutus est, manifestè instari. Deinde respondetur: negando primam consequentiam: quia præter ibi enumeratas est oppositio singularitatis vnius cum alia, vt patet in singularitatibus Petri, & Pauli, quas secum identificari repugnat. Cum ergo personalitas quævis diuina sit vltima singularitas, qua Deitas singularissima in linea naturæ, communis tamen physicè personis, vltimo singularizatur, vt quatenus illi identicè coniuncta nequeat alij identicè copulari, habet cum aliis personalitatibus, siue vltimis singularitatibus oppositionem formaliter: quæ realiter quidem oppositio relationis principij, & principiati, siue producentis, & producti est: cum in statu realitatis, ac non præcisionis illarum ab essentia, & personas, & principia, ac principiata constituant, inter quæ solùm est relationis oppositio, licet inter personalitates præcisè sic sola oppositio singularitatum. Illud autem axioma *in diuinis non est distinctio nisi obuiet relationis oppositio,* de statu realitatis intelligendum est, non præcisionis formalitatum, vt patet, ac superius docebamus: in isto vero statu oppositio est, relationis formalis realis inter personam, & personam, tam principij, & principiati, & producentis, & producti, quam Patris & Filij. Imò, & inter personalitates ipsas, quarum quæuis in statu realitatis ita determinate est hæc persona producens, vt nequeat esse alia procedens: licet formaliter loquendo, & præcisè, nec producens, nec procedens sit, sed alteram vnaquæque constituens vltimò, quare, & vltimum determinatiuum relationum transcendentalium primò, deinde etiam prædicamentalium. Quod secus habet essentia: quia status suæ realitatis non est vni personæ affixus, cum sit tribus communis physicè, realitérque identificata: quare neque in statu realitatis distincta, ac relata alicui dici absolutè potest: formaliter autem loquendo, & præcisè essentia indifferens est ad constituendam potentiam notionalem tam actiuam quam passiuam, & personas tam producentes, quam productas, seu procedentes: quare neque vltimum determinatiuum, ac determinatum fundamentum relationum, siue transcendentalium, siue prædicamentalium: quare nec fundamentaliter relatiua dici potest, sicut personalitates formaliter sumptæ, & fundamentum relationum sunt, & fundamentaliter relatiuæ dici meritò possunt.

QVÆSTIO II.

An constitutiuum idemmet Personarum formale distinctiuum sit in diuinis?

Et si hac super re satis nostram quæstionem præcedenti sententiâ explicuerimus, hanc quæstionem instituimus, vt nostræ doctrinæ consequentia probetur, aliorum improbentur inconsequentiæ.

CERTAMEN I.

Aliorum opiniones confutatæ.

1 TRiplex sententiæ negatiuæ via aperta hactenus ab Scholasticis fuit. Prima, Durand. in prima d. 11. quæstione 2. ad secundum, disp. duodecima, numero vigesimo tertio, ac vigesimo quarto. Capreolus d. 11. toto articulo secundo. Ferrar. 4. contra Gentes capite 24. & 26. circa med. Cajetanus prima parte quæstione 36. articulo secundo, §. *ad euidentiam huius difficultatis,* Bannez articulo quarto, dubio secundo. Canarien. articulo secundo, parte secunda ad tertia. Molinæ disput. tertia, circa medium, §. *præcipua difficultas.* Nazar. controuers. prima. Argent. in prima disp. 27. quæstione prima, articulo tertio circa finem, & communiter Thomistarum, ait: licet in absolutis verum sit per ea formaliter distingui, per quæ constituuntur, atque in relatiuis respectu termini correlati; aſt respectu termini non correlati per aliud etiam absolutum, ab illo distingui posse, quam in se constituantur: vt patet in duplo, quod dupli relatione, qua formaliter constituitur, à dimidio sibi correlato formaliter etiam distinguitur, à triplo verò, vel quadruplo, qui termini correlati

non sunt, absolutè solùm, quia formam habet diuersam: cum ergo Spiritus Sanctus terminus correlatus Paternitatis, & Filiationis non sit, his, quibus Pater, & Filius constituuntur formaliter, ab eo non distinguuntur, sed Spiratoris relatione: quia in diuinis, nisi per relationes, distinctio non est. In primis, quam falso extremum hoc asseratur constat ex q.1. Primum autem, & falsum est, & cõtra S. Thom. 1. p. q. 40. art. 2. circa med. vniuersaliter de omnibus, etiam relatiuis, docentem per id ab omnibus formaliter distingui, per quod constituuntur. Loquitur in diuinis, & casu nostro etiam. Atque in relatiuis, cum forma tota relatio sit, ea distingui debent ab aliis, non forma absoluta, quam non habent, quod vrgebo cert. 2.

2 Secunda via est nostri Vasq. 1. p. d. 147. cap. 7. num. 34. & cap. 8. d. 158. cap. 3. Alarcon. d. 4. de Trinit. cap. 9. à num. 2. asserentium in his, quæ realiter constituunt, vt reales formæ, constitutiuum formale idem ipsum esse reale formale distinctiuum: in his autem, quæ per rationem constituunt, vt in diuinis personis, non eadem esse distinctiua realiter distinctorum. Id quod suo quisque exemplo confirmat, & Vasquez quidem actione, & passione, quæ diuersis formalitatibus constituuntur, neutráque realiter ab altera differt. Cum ergo constitutio personarum Patris, & Filij per rationem sit, ac distinctio earum ab Spiritu Sancto realis, poterunt per aliquid iam constitutis adueniens, nempe spirationem, vel spiratoris relationem ab illo distingui. Sed exemplum è re non est: tum quia, si solùm formaliter actio, & passio distinguuntur, tota constitutio, ac distinctio rationis est, atque eiusdem re ipsa entitatis: ast constitutio personæ diuinæ, licet rationis sit, in effectu est formæ realis, cum vnam personam constituat, in qua est aliquid re ipsa, quod non est in alia: quare exemplum è re non est, atque ad generale assumptum Vasquezij insufficiens. Quoties enim differentia, etiam per rationem constituens, ita constituit, vt eius ratione aliquid sit in constituto re ipsa, quod re ipsa non sit in alio, sufficienter illud ab alio distinguit realiter (id quod in Spiratoris actione, vel relatione adueniente constitutis admittere debet Vasq. cum solùm per rationem constituat, & tamen, quia aliquid ponit in Patre, & Filio, quod non est in Spiritu S. distinguit eos, vt spiratorem realiter ab Spiritu Sancto) sed constitutiua rationis personarum ponunt in persona quavis aliquid, quod realiter non sit in alio: ergo distinguunt personas realiter: ac proinde idem formale constitutiuum; est distinctiuum personarum.

3 Alarcon alio exemplo doctrinam generalem Vasquezij confirmat, atque antecedens nostrum vltimum infirmat. Ait enim rationale per rationem constituere hominem in sua specie, & distinguere ab specie equi, quas non distinguit animal, in quo conueniunt: & tamen realiter non minus differt homo ab equo per animal, quam per rationale: quia se totis realiter differunt: ergo non semper constitutiuum pure rationis distinguit realiter constitutum; sed solùm per rationem: in eo nimirum ordine, in quo constituit. Mala illatio: cum ex antecedenti, & exemplo potius inferatur: ergo ea etiam quæ non constituunt, vt distinctiua formalia possunt realiter distinguere. Nam exemplum vtríque realiter distingui hominem ab equo probat. Sed exemplum è re, & doctrina huius authoris non est. Non è doctrina: quia animal non aduenit homini constituto, vt ratio spirationis, vel spiratoris in horum sententia; sed, vt genus constituit, è re autem non est: quia constitutio personarum ex essentia, & personalitate, licet rationis sit, non est propriè generis, & differentiæ, sed sicut formæ duplicis duorum indiuiduorum eadem materia constantium. Denique distinctio realis per constitutiua formalia ratione solùm à communi distincta in sola Trinitate inuenitur: quare nulla exempla creata idonea inuenientur, vel ad explicandum, vel ad impugnandum. In eis est implicatio in terminis distingui realiter per formalitates; secus in Trinitate. Vnde homo per animal, vel rationale formaliter sumpta non distinguitur realiter ab equo: sed se totis realiter indiuidua differunt: quia in nullo realiter conueniunt, sicut conueniunt realiter in essentia personæ.

4 Tertia via est per id, quo constituuntur personæ formaliter, satis esse, si distinguantur formaliter, vel radicaliter: quare Patrem, & Filium formaliter per sua constitutiua distingui: radicaliter verò per eadem ab Spiritu Sancto differre: formaliter verò per spirationem. Ita Ruiz d. 68. sect. 8. n. 13. citans S. Thom. q. 10. de potentia articul. 5. corp. dicentem: *Distinctionem Spiritus S. à Filio non sumi ex eo, quod alter genitus, alter spiratus, sed ex oppositione duarum affirmationum, quod alter spirator sit, & alter Spiritus.* Sed in his nihil pro hac sententia inueni. Contra illam verò à ratione non pauca. Contrà: quia, si in esse singulari personales, & indiuiduæ sunt constitutæ duæ Personæ Paternitate, & Filiatione formaliter, implicat hoc esse personale Patris, vel Filij esse hoc esse personale Spiritus Sancti: ergo eis sunt realiter formaliter distinctæ ab illo. Patet: quia realis formalis distinctio, vel est negatio identitatis vnius cum alio, vel huius negationis fundamentum. Confirmatur: quia distinctiuum reale formale nequit aduenire formaliter iam constitutis in esse singulari formaliter, vt ostendebam, supra: quia singularitas est vltima differentia formalis, ac proinde per aliam singularitatem in propria linea incontrahibilis: atqui per re Pater, & Filius in esse singulari personali Paternitate, ac Filiatione sunt constituti realiter formaliter: ergo nequit eis constitutiuum reale formale vltra Paternitatem, & Filiationem aduenire. Nisi admittas non istdem formaliter realiter distingui, quibus constituuntur personæ, quod in primo modo impugnabas, acriúsque certamine sequenti refellam.

5 Recentiores Complutenses, dum à sententia negante hactenus iuxta varias eius vias volunt recedere, & affirmanti consentire, atque ex alia parte difficultatem de spiratione volunt componere præter rem, & falsò nonnulla docuerunt. Asserunt ergo Patrem, & Filium essentialiter loquendo iisdem, quibus constituuntur formaliter realiter, & inter se, & ab Spiritu Sancto realiter formaliter distingui: ast relatione spiratoris tanquam per passionem, seu proprietatem ab eodem vtrumque differre: non aliter atque homo ab equo per risibilitatem differat, licet essentialiter per rationale distinguatur. Sed hoc, & præter rem est, tum quæstionis, tum componendæ difficultatis. Etenim, si semel admittatur ante relationem spiratoris Patrem, & Filium distingui essentialiter: hoc solùm inquiritur de distinctiuo primario, & essentiali personarum. Si autem spiratoris oppositio in eo essentiali constitutiuo non est: difficultas, quæ aduersarios in tot discursus agebat, adhuc viget. Quomodo sine oppositione principij, & principiati ab Spiritu Sancto Pater, & Filius realiter formaliter distinguantur? cum certum omninò sit, ea ablata oppositione, non posse in diuinis distinctionem reperiri. Quod si in essentiali constitutione personarum distinctio non est, identitas essentialis erit: vnde passio duorum cum Spiritu Sancto, quoad essentialia etiam personalia identificatorum, non erit spiratio, vel relatio spirandi, quæ eiusdem ad se ipsum esse non potest: quare neque per illam, tanquam per passionem ab Spiritu Sancto distinguentur. Sed esto: fit distinctio in essentialibus personalibus vtriusque ab Spiritu Sancto: spiratio tamen passio vtriusque non est, vt euincebam d. 3. quæstione 2. & d. 4. quæstione 2. Secundò relatio spirati essentialis personalis est Spiritui S. ergo, & spiratoris Patri, & Filio essentialis personalis erit: quia differentiæ diuisiuæ oppositæ in eadem linea, vel vtraque, vel neutra essentialis diuisis est: vt patet in rationali hominis, & hinnibili radicali equi. Ergo, vel spiratoris actio, aut relatio essentialis personalis est vtrique, vel spirati ratio non est essentialis Spiritui S. Quod si hoc extremum admittas, nescio cur rationem geniti essentialem, ac non passionem dicas esse Filio.

CERTAMEN

CERTAMEN II.

Iisdem realiter formaliter, quibus constituuntur, Personas diuinas distingui Patrum authoritate probatur.

1 TRadunt conclusionem Scot. in 1. d. 10. q. 8. & d. 11. q. 2. & Scotistæ omnes. Gabr. ibi art. 2. & 3. vbi Carthus. col. penult. approbat Ricard. tacite, art. vnic. q. 2. Aureol. art. 3. concl. 4. Bachon. d. 13. q. 1. Philip. Faber in 1. d. 38. Henric. quodl. 5. q. 9. Soar. 7. de Trinit. cap. 4. Valent. q. 10. pun. 3. Arrubal, d. 112. cap. 2. num. 6. ac d. 131. cap. 3. n. 17. Luis Torres d. 20. dub. 4. Granad. tract. 12. d. 2. Gasp. Hurt. d. 4. diff. 4. vers. fin. §. *Respondemus enim*, ac deinceps. Eidémque conclusioni consentire voluerunt Ruiz, & Recent. memorati. Probatur ex Patribus Basil. Epist. 43. fin. *Manente, quæ in ipsis consideratur, proprietate, ad hoc, vt euidens sit personarum discreta notio.* 2. contr. Eunom. vers. fin. *Proprietates, ac notæ, quasi caractheres quidam, ac formæ in subsistentia inspectæ, distinguunt quidem, quod commune est appropriatis caractheribus.* Post pauca: *Hæc enim proprietatum natura est: vt in identitate substantiæ distinctionem ostendant.* Athanas. Dialog. 1. de Sancta Trinit. med. *quod proprietatem habet numerum admittit: ipsa enim proprietas numerum inducit;* infrà: *Quando tres hypostases dicimus Patris, Filij, & Spiritus Sancti, verè esse dicimus proprietatum differentiam in hypostasi.* Nyssen. ad Ablab. *Quod non tres Dij, sit: hypostaseon ratio, per eas, quæ in vnoquoque considerantur propritates dispertitionem admittit, & iuxta compositionem in numero consideratur.* Pende: *Iuxta compositionem in numero*, id est constitutionem in pluralitate consideratur. Naz. orat. 32. ad 150. Episcopos post med. *Quid vobis hypostases volunt, aut vobis Personæ? ximirùm tria esse, quæ diuidantur, non naturis, sed proprietatibus.* Cyrillus Alexand. 7. Dialog. de Trinit circa fin. *Substantiam proprietatibus, Personarumque differentiis dilatatam*, puritbus communicatam; esse ait Theodoretus Dialogo *immutabilis*, col. 2. diuina supposita dicit esse: *proprietate differentia.*

2 Anastas. Synait. 1. de Rectæ fidei dogmatibus, longè à principio: *Quod, vt proprium Personæ tribuitur, vnam ab altera signatè distinguit Personam.* Isidor. Pelusiota lib 2. Ep. 142. *Trinitatē personarum qualitate, atque hypostaseon proprietate distinguentes.* lib. 3. Epist. 149. *Diuinum numen proprietatum ratione distinguitur*, Damasc. Epist. de Trisagio circa med. *Solùm hypostasibus, & caractheristicis vniuscuiusque hypostaseos proprietatibus separari.* De duabus Christi voluntatibus sub init. *Distare inter se dicuntur sibi insignitis proprietatibus.* Ambros. in Symbol. Apostolor. cap. 10. init. id, *ego & Pater vnum sumus*, Ioann. 10. 11a exponit: *Sumus propter personarum proprietates*, cap. 11. med. *Nos Deitatis Personas in proprietatibus suis distinguentes*, Aug. 3. controu. Maximin. cap. 10. fine: *Propter vniuscuiusque proprietatem tres personæ sunt.* Fulgent. de fide ad Petr. c. longè ab init. *Personarum sunt proprietate distincti.* Ad primam obiectionem Arrianor. *Non enim ipse est Pater, qui Filius: quoniam in vtroque personarum proprietas reseruatur*, Ioann. P. 1. de duab. natur. contra Euthyc. post. init. cum August. ait: *Trinitas sit propter proprietatem personarum.* Et cum Naz. *Trias secundum vniuscuiusque proprietates.* Concil. Lateran. cap. *firmiter* de summ. Trinit. *Secundum personales proprietates discreta.* Marcus Græcorum nomine sess. 19. Concil. Florentin. fine: *Per suas proprietates re ipsa differunt Personæ.* Richard. Victorin. de Trinit. cap. 15. & 17. citatis, eandem repetit sententiam illis præsertim verbis: *Personalem proprietatem dicimus, per quam quilibet vnus est ab omnibus aliis discretus.* Quibus rationem tradit ex omnibus recitatis sic efformandam. Proprietas, seu proprium Personarum, qua tale, illud est, quod in vnaquáque singulariter est, seu, quo vna quæque singulariter est. Ergo, si proprietatibus distinguuntur per Patres omnes, distinguuntur, quibus formaliter constituuntur singulariter in suo esse personali. Ea quippe sunt proprietates primæ, quibus singulariter sunt.

3 Integrum discursum dederunt nobis iam olim Sophronius Patriarc. Constantinop. 6. Synodo act. 4. dicens: Spiritum Sanctum nec Patrem, nec Filium esse. *Propter alterificas horum trium proprietates, propterque dissimilitudinem proprietatum, quæ inconfusè vnamquamque figurant Personam. Sicut ergo esse Deum vna quæque inconuertibiliter possidet, ita, & proprietatem, per quam ipsa persona figuratur immutabilem, & immobilem obtinet, quæ eidem soli insita est, & ab ipsis aliis Personis eam discernit.* Atque in casu, & difficultate præsenti de distinctiuo Spiritus Sancti à Filio per id, quo in esse Filij personali, & in personali esse Spiritus Sancti constituuntur, sic loquitur Naz. orat. in sancta lumina post num. 42. *Spiritus Sanctus verè Spiritus est, procedens quidem, ex Patre, non tamen Filiationis modo, vt nec generationis, verum processionis.* Quam eandem distinctionis rationem dederunt August. 5. de Trinit. cap. 14. sub init. *Exiit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus.* Et Damasc. 1. de Fide cap. 7. 9. 10. 2c. 18. *Non filialiter, sed processibiliter.* Præclarius autem, si potest, Athanas. Dialog. 1. de S. Trinitat. contra Anomœum in eandem distinctionis rationem Spiritus Sanctus à Filio ita scribebat. *Differentiam esse non habita ratione, quod sint ex hypostasi: sed quod vnus quidem ex vtero sit, alter ex ore*, id est: differentiam non esse, quod à persona procedant cum id vtrique commune sit; sed quod Filius ex vtero, id est genitus, ac Filius sit; Spiritus autem ex ore, id est spiratus, iuxta Scripturæ, & Patrum phrasim. Ecce quod aduersarij non capiunt nempe eodem, quo in esse personali talium Filius, ac Spiritus Sanctus constituuntur inuicem distingui, quin distincta formalitas in Filio, quare neque in Patre, expectetur, docuerunt Patres tam olim: & tamen, ne, nunc quidem, tot Scholastici intelligunt, qui formalitatem constitutis Patri, ac Filio superaddunt, vt eos ab Spiritu Sancto distinguant. Est autem in causa, quod spiratiuam potentiam non satis caluerunt, vt certamine 4. ostendemus, ex doctrina, quam ea de re dedimus disputatione 3. quæstione 2. & disp. 4. q. etiam 2.

CERTAMEN III.

Ex Anselmo, & ratione eadem veritas stabilitur.

1 CÆterum pro hac veritate apertissimus omnium Patrum fuit Anselmus de processi. Spirit. S. c. 2. circa med. sic effatus. *Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus S. dici non possint de inuicem, sed alij sint ab inuicem: quia prædictis duobus modis* (nascendo scilicet, & procedendo) *est Deus de Deo.* Et post pauca: *Ipsa diuersitate natiuitatis, & processionis referuntur ad inuicem, vt diuersi, & alij ab inuicem.* Ex quibus sic arguo. Natiuitas, vel fundamentalis (in mea sententia) vel formalis (in aliorum opinione) ac processio, seu spiratio alterutro modo sumpta sunt constitutiua essentialia formalia Filij, ac Spiritus Sancti in esse personali vniuscuiusque: atqui hæ ipsæ sunt formalia distinctiua per Anselmum, atque rationes formales solæ distinguendi Personas Filij, & Spiritus S. ergo per Anselmum iisdem formaliter, quibus formaliter constituuntur distinguuntur personæ in diuinis. Respondet Ruiz d. 68. sectione 6. loqui Anselm. ex sententia Græcorum, quibus processio Spiritus S. à Filio nondum explorata erat, &, ex qua præcipuè distinctionis rationem volebat assignare toto capite 1. & 2. in cuius fine habet: *Filius (vt interim aliam causam dicam: quoniam non constat, quod Spiritus S. de illo sit, & procedat) ideo non est Spiritus S. nec Spiritus S. Filius: quia Filius nascendo habet esse de Patre; Spiritus S. verò non nascendo, sed procedendo.* Qua ratione distinctionis iterum adhibita capite 3. subdit: *Cum autem apparebit, quia Spiritus S. est de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus S.* Verum cum dicit aliam causam, quam processionis, à Filio dare ad distinctionem, nempe

natiuitatem, & processionem veram putat, quam dat, quin non aliam putat, rationem formalem distinguendi Spiritum S. à Filio, sed aliud eiusdem distinctionis formalis argumentum clarius, vt ostendunt verba illa: *Tunc quoque palam erit, quia propter hoc.*

2 Vt autem constet quam ex propria sententia loquitur, audiatur sic loquens cap. 4. longè à med. *Ideo cum nascitur vnus non potest cum eo nasci ille, qui per hoc est alius ab eo, quia non similiter nascitur, sed procedit: & cum vnus procedit, nequit ille simul procedere, qui non similiter procedit sed nascitur. Et ideo non habet vnitas illa vim consequentiæ, quia pluralitas obuiat, quæ ex natiuitate nascitur, & processione. Et si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus S. per hoc solum essent diuersi.* Nec dubium, quin ex propria sententia loqueretur Pater, qui ex Latinis est, quorum plures recitati cert.1.n.3. licet processionem Spiritus S. à Filio semper tenuerint, tamen per natiuitatem, & processionem eos distingui expresè docuerunt. Ratio autem est: quia in eorum Patrum, ac vera sententia principij spiratiui, seu spirationis ratio constitutiuis Patris, & Filij in esse singularium personarum nihil formaliter superaddit: ac proinde in sic præcisè constitutis oppositio principij, & principiati cum Spiritu S. in vtroque est, & in Spiritu S. cum vtroque vt cert.4. patebit. Quo circa perperam Carthusian. in 1.d.11.q.2. Vasq.d.147. cap.4. post med. Soar.10. de Trinit.cap.2.n.2.& 7. existimarunt Anselmum Paternitate, & Filiatione disparate se omninò habentibus ad Spiritum Sanctum distinxisse ab eo Patrem, & Filium. Id quod certam. 4. in Scotistis, & aliis grauiter reprehendemus.

3 Rationem verò conclusionis euidentem dedit Scotus citatus, quam sic efformo. Quidquid rem in esse sibi proprio constituit, eam diuidit ab omni alio, in quo re ipsa non est tale esse: atqui proprietas personalis constituens personas illas constituit in suo esse personali proprio, & singulari personæ huius: ergo eam diuidit ab omni alia, in qua non est illud ipsum esse singulare & proprium huius personæ. Ergo per id, quo formaliter constituuntur, & distinguuntur personæ. Maior, & per se nota videtur, & probatur vlterius: quia per id vnum realiter ab alio differt, per quod formaliter repugnat esse realiter illud aliud: sed per id, per quod in esse proprio reali vnumquódque constituitur repugnat esse aliud, quod re ipsa non habet tale esse: ergo per id formale, per quod vnum in suo esse reali constituitur per illud ipsum formale realiter ab alio distinguitur, in quo illud esse realiter non est. Minor primi syllogismi certa, etiam apud aduersarios est. Secundi syllogismi minor probatur: implicat rem, qua talem esse id, quod re tale non est: ergo per id, quo constituitur in esse talis distinguitur realiter ab eo, quod tale non est. Confirmatur primò. Id quod intrinsecè constituitur non aliud realiter, realiter distinguitur ab illo. Sed, per quod constituitur vnum singulare reale, constituitur non aliud singulare reale: ergo per quod constituitur vnum singulare reale realiter distinguitur ab alio singulari reali. Confirmatur secundò. Implicat aliquid realiter esse in vno, & non in alio, ac non distingui realiter ab eo, in quo non est: sed implicat personalitatem constituere vnam personam, ac non ita esse in illa, vt non sit in alia: ergo implicat constituere, quin eam distinguat ab aliis: ergo, quibus constituuntur necessariò distinguuntur personæ. Thomistarum Vasq. & Alarcon solutiones impugnaui cert.1.

4 Acutius dicere possent: personalitates in statu obiectiuo, & formali solùm formaliter distinguere personas, vt autem realiter distinguant in statu realitatis esse debere: in quo, quidquid est in persona Patris, idem est, ac quidquid in persona Filij, est etiam idem: ac proinde Paternitas, & Filiatio realiter materialiter distinguunt eos ab Spiritu Sancto; ast spiratio identificata realiter formaliter: hoc est: est ratio realis formalis, cur tota personalitas alterutrius distinguatur, ac distinguat realiter ab Spirit. S. Contra verò spiratio realiter materialiter Patrem à Filio distinguit, realiter verò formaliter Paternitas, & Filiatio. Cæterum, cum Doctores, quos impugnamus, Patrem in esse personæ singularis, adæquatè constituant, ac realiter distinguant à Filio, adæquatè etiam, in esse huius personæ singularis constituto per formalitatem præcedentem in vtroque ante spirationis actiuæ formalitatem vel principium, ea vti solutione non possunt. Solùm posset ea vti Aureol. qui Paternitate, & Filiatione inadæquatè solùm constitutos Patrem, & Filium ait, quousque spiratione tanquam partiali subsistentia vterque adæquatè constituatur vt aiebat in 1.d.17.p.1.articulo 34. sed hæc doctrina est contra Patres, qui paternitate, & Filiatione, vt adæquatè Patrem, & Filium in suo esse personali vnumquémque constitui, ita & adæquatè distingui docent. Secundò subsistentiis partialibus locus, neque in creatis est, iuxta dicta d.1. procemiali, ne dum in diuinis, vbi formalitas quævis è suo conceptu, non solùm completa, sed infinita per negationem termini extrinseci esse debet. Tertiò cum spiratio communis hîc admittatur Patri, & Filio locus dabitur subsistentiæ diuinæ partiali communi personis duabus, quod æquè temerè admitteretur, atque subsistentia communis tribus, de qua egimus d.7 q. 2. cert.1. Et quidem doctrina solutionis non pugnat cum hac conclusione de distinctione personarum per ea, per quæ constituuntur, vt patet: sed neque solida est. Nam, per quamcumque formalitatem, siue priorem, siue posteriorem constituantur personæ in se, per rationem constituuntur: & tamen realiter per eandem formaliter distingui certum est: quod nisi in diuinis locum non habet; cum in reliquis nihil sit pluribus realiter distinctis commune realiter, sicut est in diuinis.

CERTAMEN IV.

Difficultatis præcipuæ, imò vniæ solutio, atque in Scotistas & Scolasticos alios animaduersio.

1 QVæ contra conclusionem ab authoritate obiici poterant discussimus q.1.cert.4. vbi ostendimus Patres non posuisse relationes, vel relatiua pro distinctiuis personarum, sed pro argumento distinctionis, quam relatio quævis in extremis supponit: ac proinde, licet personarum constitutio per absoluta sit ex q. 1. ac nunc per eadem eas formaliter realiter distingui, per quæ formaliter constituuntur, asseramus: quare, & per absoluta formaliter distingui personas, nihil contra Patres docemus. Sed est tamen à ratione difficultas, quæ aduersarios in tot inuia agebat: quia neque ratio primæ, ac secundæ personæ, siue principij generatiui, & geniti, vel generabilis formaliter realiter opposita esse videtur spirato, seu Spiritui Sancto: ergo per eas nequit vterque ab Spiritu Sancto distingui realiter formaliter. Patet: quia in personis, in quibus relationis oppositio non est, non est distinctio: ergo per eas formalitates, per quas non resultat in Patre, & Filio relationis oppositio, siue relatiua oppositio cum Spiritu Sancto, non affertur illis ratio formalis realis distinctionis vtriúsque ab Spiritu S. ac proinde, nec sunt distinctiua formalia eorum ab Spiritu Sancto: atqui per eas rationes, per quas personæ Patris, & Filij in suo esse personali constituuntur, non affertur illis, vt dixi in antecedenti primo, relatiua oppositio cum Spiritu Sancto: ergo neque distinctio: ergo ea, quæ personas Patris, & Filij formaliter constituunt illis non afferunt distinctionem ab Spiritu S. nec sunt eorum ab illo formalia distinctiua: ac proinde absolutè, & vniuersaliter personæ non distinguuntur formaliter realiter iisdem, quibus formaliter constituuntur contra id, quod defendimus: sed expectanda vlterius est, iuxta aliquem ex modis impugnatis cert.1.ratio alia, qua formaliter principium spiratiuum sit vterque, ac cum Spiritu Sancto opponantur, per quam ab eo realiter formaliter distinguantur.

2 Hæc difficultatis in re præsenti summa, ob quam Doctores

Doctores impugnati cert.1. contra euidentem Scoti rationem datam cert.3.num.3. in tot semitas difficiles abierunt. Scotus verò, & asseclæ sui argumenta euidentia conuicti, vt huic difficultati occurrerent, per æque inania fugerunt. Aiunt ergo Paternitatem, ac Filiationem, siue constitutiua formalia personæ Patris, & Filij non afferre illis oppositionem cum Spiritu S. Quare Patrem, & Filium sic constitutos disparate se habere cum Spiritu S. sine vlla relatiua oppositione cum illo: & tamen per eas distingui realiter formaliter ab Spiritu S. Patrem, & Filium: qua in re Scotistis consentiunt malè Caietan. & Vazquez supra: cum cert.1.n.1.& 2. negantium difficultatibus cedant, atque hic rursus affirmantium difficultatibus se immittant. Sed contra hanc disparatorum distinctionem in diuinis militant primò Patres omnes recitati q.1.cert. 4.n.2. asserentes in diuinis nullatenus esse distinctionem, nisi inter relate oppositas, vnde dignitas illa theologica manauit: *In diuinis non est distinctio nisi obuiet relationis oppositio.* Quo circa audiendus iterum est Anselm. recitatus cert, illo 4.n.4. ex libr. de processione Spiritus S. cap. 2. post med. & cap.5. hac ratione probans Spiritum Sanctũ à Patre procedere. *Quia, si vterque*, inquit, *de nullo est, penitus, nil inueniri valet in fide Christiana vnde sint adinuicem alij, sed vnus, idemque Pater, & Spiritus, & vna persona.* ergo gratulandum his Scholasticis erit, quod aliam nouam viam nobis distinguendi personas per disparata aperuerint: & an succesendum, quod tam apertè à Patribus discedant, seque Anselmo æstiment sapientiores?

3 Contra secundò à ratione S. Thom. 1.p.q.36. art.2. In diuinis relatio non distinguit realiter personas, nec se ipsam ab alia nisi ratione oppositionis; vt patet in relatione spirationis actiuæ, quæ, quia cum Paternitate, & Filiatione non opponitur cum eis identificatur: ergo si relatio Paternitatis, & Filiationis, siue constitutiua Patris, & Filij non opponuntur cum spiratione passiua, siue cum Spiritu S. sed disparate se habent neque se ab spiratione passiua, neque Patris, & Filij personas ab Spiritu S. realiter distinguent: ac proinde in idem ea omnia confluent contra fidem, & aduersariorum doctrinam. Dices sp. rationem actiuam non constituere personas illas re distinctas, neque ab earum relationibus realiter distingui: quia ipsis realiter idemtificatur. Quid ad solutionem hæc? ideo enim est idem realiter spiratio actiua cum paternitate, & Filiatione, quia non opponitur cum illis: sin aliam cedo causam. Ergo ob eandem rationem idem erit tam ea, quam Paternitas & Filiatio, cum spiratione passiua, ac Pater & Filius cum Spiritu sancto. Respondet Faber supra cap.4.n.22.ex Scoto in 1.d.2.& d.10.q.2. non repugnare duplicem operationem eidem principio, secus duplicem passionem termino, quia per vnam sufficienter producitur. Solutio insufficiens: quia, & si valeret pro filio valeret, in quo solo duplex passio concurreret, si Filiatio, & spiratio passiua idemtificentur. Sed pro nullo valet. Primò: quia duplex passio adæquata plurium opinione non pugnat: imò, si respectu eiusdem effectus repugnat in termino, nequit non repugnare respectu illius in principio duplex actio: ergo nullum est discrimen. Secundò saltem inadæquata passio duplex in termino non repugnat: in casu autem Filius inadæquatè spiratione, & generatione passiuis fieret. Tertiò, quia, licet in extrinsecis passionibus creatis adæquatis aliquid sit discriminis ab actionibus; ast in increatis, idemtificantur, vel cum termino, vel cum producente tam actio, quam passio, vel in vulgari, etiam Scotica, opinione actio cum producente, quare probabiliter, & passio, ac passio cum persona procedente, quare, & actio, quæ nec ratione distinguuntur formaliter nulla est disparitas.

4 Confirmo & vrgeo, sed specialiter contra Caiet. & Vazq. qui alibi semper relationes, & personas ratione oppositionis solùm multiplicant. Non minus idemtificatur essentia cum spiratione actiua, quam Paternitas, & Filiatio: sed non obstante idemtitate essentiæ cum illa idemtificatur eadem essentia cum spiratione passiua, & Spiritu S. ergo non obstante idemtitate Paternitatis, & Filiationis cum spiratione actiua idemtificabuntur Paternitas & filiatio cum spiratione passiua, ac Spiritu S. nisi oppositio obstet. Respondet Vazq.d.147.cap.8. negando consequentiam: quia essentia idemtificatur cum spiratione actiua, & commune quid, quod non obest, vt aliis idemtificetur; Paternitas autem, & Filiatio quæuis identificatur, vt peculiare quid, ac nequit idemtificari proinde cum termino oppositio spirationis actiuæ. Perit solutio principium. Ideò essentia idemtificatur, vt commune est, quia nulli opposita est: ac ideò potest identificari cum aliis, licet cum oppositio illorum idemtificetur: Sed paternitas, & Filiatio non opponuntur cum spiratione passiua per te: ergo poterunt identificari cum illa, & cum Spiritu S. licet cum oppositio identificentur: ergo idemtificantur cum spiratione actiua, vt commune, æquè, atque essentia. Nec refert ad fidem de communitate essentiæ, & peculiaritate paternitatis, & filiationis recurrere. Quia fides oppositionе, ad peculiaritatem personalitatum, ac non oppositione ad communitatem essentiæ defenditur: quare ex negatione oppositionis personarum Patris, & Filij te ad errorem contra fidem deduco.

5 Nos ergo ne, dum euidenti Scoti rationi pro personarum reali formali distinctione per eamet, per quæ formaliter constituuntur, meritò cedimus, dogmatico illi principio de necessaria oppositione inter dinstincta in diuinis aduersemur, ostendere debemus, quo pacto formalitates illæ absolutæ, quibus constitui personas omnes Trinitatis asseruimus, in Patre, & Filio oppositionem producentis, & producti cum Spiritu S. asserant. Alioqui non per eadem realiter formaliter eos ab Spiritu S. distingui, quibus formaliter vterque in se constituuntur, difficultate proposita conuincemur. Id autem facilè præstabimus ex dictis de constitutione potentiæ notionalis d.4.q.2.cert.2.num.3.4. & 7. vbi diximus potentiam notionalem Patris constitui ex efficacia, siue energia essentiæ expedita ab identitate cum filio per primam sui differentiam in diuidualem vltimam, quasi physicam, quæ essentiæ agnascitur improductè, atque est innascibilitatis conceptus, qua prima persona innascibilis, seu improducibilis resultat primò, atque principium, seu potentia generatiua formaliter opposita Filio, cuius personalitate pro posteriori originis producta, affixáque essentiæ eidem, quin aliud expecterur, intelligitur potentia spiratiua Spiritus sancti cum illo oppositа 'indiuisibiliter in vtroque, à quibus esse suo personali oriri petit; ac distinguitur Spiritus S. vt oppositio formalis realis non sit cum quouis eorum seorsim, sed cum coniuncto ex vtroque, licet oppositio inchoatè cum quouis eorum sit: quare personalitas quæuis suo constituto, nempe personæ, quam constituit oppositionem aliqualem affert sufficientem, vt sine oppositione distinctio personarum in diuinis non sit. Hac ergo constitutione personarum, & potentiæ spiratiuæ, neque in partes subsistentiam diuinam Patris, vel Filij, cum Aureolo partimur; nec spiratores plures facimus; neque spirationem personis Patris, & Filij formaliter constitutis in esse personali ad oppositionem cum Spiritu sancto superaddimus; neque vtrumque ab illo sine oppositione realiter distinguimus: ac proinde sine vlla difficultatis vmbra fere vnicè conclusionem nostram, ac euidentem defendimus.

***

QVÆST.

QVÆSTIO III.

An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, & si non procederet ab illo?

ATTIGIT iam pridem quæstionem Naz. illiúsque semina posuerunt Patres, dum ea solùm distingui in diuinis, quæ relatiuè opposita sunt, quasi ex vno ore, docuerunt. Expressiùs autem S. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. dicens: *Si nullâ ratione à Verbo procederet, non posset ab eo personaliter distingui.* Quoniam verò in quæstionibus de hypothesi impossibili plures inutiles sunt: eæ nimirum, in quibus termini hypothesis se ipsos destruunt. v. g. *Si homo non esset rationalis, vel non esset homo an discurreret.* Gorfredus quodlib. 7. q. 4. apud Scotum in 1. d. 11. q. 2. sub solutionis. init. ex eis quæstionem hanc esse censebat, ac solutionis incapacem. Canar. 1. p. q. 36. art. 2. p. 2. inutilem: id quod sensibus pluribus quæstionis huius ab Scholasticis excogitatis verum proculdubio habet: quare non minor quæstionis huius labor erit vtilem eius sensum statuere, quam veram illius decisionem in nostris principiis de constitutione personarum, ac distinctione per absoluta, monstrare. In quibus Theologi plures aberrarunt à vero.

CERTAMEN I.

Vtilis quæstionis sensus reiectis inutilibus statuitur.

1 GReg. in 1. d. 11. q. 1. art. 1. Albiz. d. 9. de Trinit. sect. 6. Valentia d. 1. q. 10. punct. 3. probatione 2. censent in Hypothesi, nec Spiritum S. nec Filium, qui modò sunt existentes supponi; alioqui, cum alter essentia, ac existentia sua spiratiuum principium sit, alter verò terminus spiratus, in terminis hypothesis erit implicatio, ac quæstio inutilis. Is enim sensus erit. Si Spiritus sanctus procederet, ac non procederet à Filio &c. At verò, si Spiritus sancti, qui modò est, existentia non supponatur, cùm sublata processione à Filio Spiritus S. auferatur, qui essentialiter à Filio pendet, sola essentia maneret cum negatione personalitatis Spiritus S. (quod totum in Filio est.) Manifestè infertur non distinguendum Spiritum S. à Filio. Sed certè, cum hypothesis hæc contra Græcos ponatur negantes processionem spiritus S. qui modo est, à Filio. Sic explicata nihil probat. Negarent enim illi hunc numero Spiritum S. qui modò est, non existere si non procederet à Filio. Id autem male probaretur ex essentiali dependentia à Filio, quæ deficeret. Ea quippe est intentum contra Græcos probandum, non medium, nisi idem per idem vitiosè probari hi Auctores velint.

2 Petrus Hurtad. manuscripto de Trinit. quem alij sequuntur Recentiores supponi ait Spiritum S. qui modò est, existentem, ac per accidens à Filio non procedere. Item supponi in Filio spirandi potentiam: atque sic accepta hypothesi distinguendum Spiritum S. à Filio, licet ab illo non procedat. Pessimus omnium sensus: tum, quia supponit contra Græcos potentiam spirandi in Filio, quod erat probandum, & in quo necessariò Spiritus S. processio actualis à Filio continetur: cùm operationes Dei ad intra necessarias esse Græci non dubitarent: quare malè supponitur in sic accepta hypothesi totum quod probandum contra illos erat. Deinde, licet bene inferat distinctionem Spiritus S. à Filio ex præcisa huius potentia spiratiua, tamen argumentum contra Græcos reddit Hurtado prorsus inutile; cum ait distinguendum in sic accepta hypothesi Spiritum S. à Filio, & si non procedat ab illo, contra omnium Patrum, ac ferè omnium Scholasticorum sensum.

3 Soar. 10. de Trinit. cap. 2. (quem sequuntur Arrubal. d. 13. cap. 2. n. 13. Zunniga d. 11. dub. 7. m. 1. Luis Torres d. 20. dub. 3. ac Recentiores Complutenses) censet in hypothesi supponi Filium, ac Spiritum S. fictos: quia Spiritus non procedens, ac Filius eum non producens chimærici sunt: alter verò producens, atque alter ab eo procedens, quo solummodo ficti non sunt, nequeunt in hypothesi poni, ne supponatur probandum, atque pugnet cum extrema hypothesis parte: nimirum *non procederet à Filio.* Si autem in fictis his Filio, & Spiritu S. probatur indistinctio, & identitas ex non processione huius ab illo, in veris, ac non fictis, qui in omnibus præter processionem, de qua disputatur, conueniunt, identitas, & indistinctio personalis recte contra Græcos probatur. Displicet sensus primò: quia cum Græcis de Filio, & Spiritu S. qui nunc sunt, quippe ex fide distinguuntur, erat quæstio, ac in eis Græci coguntur ad contradictionem indistinctionis admittendam ex negatione processionis cum distinctione, quam admittebant; in fictis autem illis vnde supponebant distinctionem, vt ad contradictionem absurdè cogerentur ex processionis negatione. Tertiò denique in fictis, ac chymericis distinctio non ex processione, sed ex intellectus fingentis libito foret: quare negata processione nullatenus cogerentur Græci ad fatendam eorum idemtitatem.

4 Verus igitur, atque vtilis hypothesis sensus est, quem dedit Vazq. 1 p. d. 147. cap. 1. num. 2. & cap. 7. n. 35. nimirum supponi Filium, & Spiritum S. veros, ac reales, qui modò sunt: non tamen secundum omnia, quæ realiter habent, sed abstrahendo præcisiuè à processione vnius ab alio, & ab omnibus aliis, quæ illam consequuntur, ne, si cum ea supponantur, & supponatur probandum, & implicet hypothesis in terminis: vel, si sine ea negatiuè ponantur, chymerici Filius, & Spiritus sancti sint. Supponuntur ergo existentes, distincti, atque Spiritus à Patre procedens, vt ex fide, & Patribus constabat ante eam quæstionem, & quæ verè in vtroque re ipsa erant; non autem, vt erant identificata in Filio cum potentia spiratiua, atque in Spiritu S. cum passiua spiratione, vt communiter volunt Doctores; sed ab ea idemtitate abstrahendo, in quo formalitatibus his, nil intrinsecum fictum intercedit, vt putabat Alarcon d. 9. capite 3. mala fide propterea ab hoc sensu Vazquezium diuertens. Sicut ergo, licet Deus non immensus, ac non iustus re ipsa repugnet, vt inueniamus an esse in omni loco ratione iustitiæ, an immensitatis sit? rogamus de Deo, qui nunc est, non autem de ficto an Deus iustus *si non esset immensus esset in omni loco*: vbi ex parte Dei non negatur immensitas, quæ inquiritur. Ita in casu nostro.

CERTAMEN II.

Si à Filio non procederet, non distingueretur Spiritus sanctus ab illo.

1 DIstinguendum Spiritum S. à Filio, & si ab eo non procederet, docet Scotus cum suis, & quotquot nobiscum formaliter per absoluta constituí personas in suo singulari esse personali docent, ac simul per ea distingui, per quæ formaliter constituuntur, quos q. 1. & 2. citauimus: in idque vehementer inclinat Granados d. 7. Nec mirum, eis enim conclusionibus statutis ægrè oppositum in communibus principiis de constitutione potentiæ notionalis, imò, ne ægrè quidem, oppositum defendetur. In nostris verò non defendetur solùm, sed & probabitur, vt ex statim dicendis apparebit. Nostram

Nostram autem conclusionem tradunt S. Thom. proximè, & 4. contra Gentes capite 24. vbi Ferrara de potentia, quæstione 10. art. 5. opusc. contra errores Græcor. cap. 32. §. 3. & 31. Alexand. 1. p. quæstione 43. m. 4. Albert. quæst. 31. m. 3. S. Bonau. in 1. d. 11. quæst. 1. Dur. q. 2. Ægyd. art. 1. quæstione 3. Heruæus quæstione 1. Argent. quæst. 2. art. 2. Capreol. q. 1. sub init. Marsil. quæst. 15. art. 3. ad 3. Caiet. 1. p. q. 36. art. 2. vbi Canarienſ. & Molin. Valent. de Trinit. q. 10. punct. 3. Vazq. proximè c. 4. Soar. proximè, Bellarmin. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 26. Ricard. in 1. d. 11. art. vnic. q. 2. In hoc magis inclinat Arrubal. Torres, Alarcon, Zunniga vbi proximè, Ruiz d. 68. sect. 8. Mæratius d. 52. Martin Perez d. 16. sect. 2.

2 Probata satis est conclusio quæst. 1. & 2. summatim ibi dicta sic breui colligo. In diuinis distinctio personarum realis non est, vbi non est oppositio relatiua principij, & principiati: at qui, si Spiritus S. non procederet à Filio, non esset inter eos eiusmodi oppositio, vt per se patet: ergo neque esset inter eos distinctio realis, sed identitas. Maior probata est quæstione 1. cert. 4. num. 2. & 4. Recolenda iterum sunt, quæ eo loco ex Anselmo recitabamus, repetiuimúsque quæstione 2. cert. 4. n. 2. Sed in casu præsenti recitandus est Nyssen. lib. ad Ablabium, *quod non tres Dij* circa fin. *Discerni alterum ab altero deprehendimus: nimirum: eo, quod credimus aliud quidem causam esse, (scilicet Patrem) aliud ex causa, (nempe Filium) & ex eo, quod ex causa est.* Nimirum ex Filio, & *Spiritum S.* Atque ex eodem Nyssení libro hæc refert Bessarion sess. 25. Concilij Florent. orat. pro vnione capite 6. col. 6. post med. *Eo distinguitur, inquit Nyssenus, Spiritus à Filio, quia per ipsum est, quasi diceret: quod cum ambo à primo sint, non sufficienter distingueretur, nisi alter per alterum esset.* Huc etiam facit ratio S. Thom. quam persequebamur quæstione 2. cert. 4. n. 3. & 4.

3 Ab authoritate solùm poterat nobis apparenter opponi Anselmus recitatus quæstione 2. certamine 3. numero 1. & 2. eius autem sensum dedimus sub numeri 2. finem. A ratione argues. Si Spiritus S. non procederet à Patre, sed à Filio, distingueretur realiter, nihilominus ab illo: ergo si non procederet à Filio, sed à Patre, distingueretur à Filio. Admisso antecedenti negatur consequentia à Gaspare Hurtado d. 8. diff. 3. vers. fin. §. *& ad confirmationem.* ac vulgò à Doctoribus: quia, si procederet à Filio, eo ipso procederet à Patre mediatè; secus autem à Filio in casu consequentis. Verùm casus antecedentis, dum negat absolutè processionem à Patre, mediatam negat etiam: quare idem est antecedentis, & consequentis casus, quo ad hoc; quare nisi adhibeatur particula *immediatè* ad illud *non procederet, à Patre,* nequit absolutè antecedens concedi, quin admittatur consequentia: quia nulla est disparitas. Absolutè ergo negandum est antecedens: quia in terminis implicat. Negat enim omnem processionem etiam mediatam à Patre, quam simul concedit in sequentibus, *& procederet à Filio,* in quo mediatè processio à Patre continetur. Valentia parui ad solutionem facit adhiberi particulam *immediatè,* vt non concedatur antecedens: quia mediata processio non affert distinctionem producenti; & procedenti: quia oppositio principij, & principiati eo gradu, quo est, infert in diuinis distinctionem: quare mediata solùm inferre potest mediatam distinctionem, ac per aliud, quæ implicat non minus, quàm in suo esse per aliud à se constitui. Omnia enim per suum esse intrinsecum distingui ab aliis æquè, atque constitui debent. Peccat discursus. Quia oppositione, & processione formaliter distingui opposita putat in diuinis; cum tamen solùm arguitiuè eam in illis inducant, sicut in creatis: illa enim est in intrinseco entitatum, que non minus intrinseca arguitur in oppositis remotè, & mediatè, quàm in oppositis immediatè. Siquidem non minus implicat idem productiuum mediatè sui ipsius esse, quàm immediatè.

4 Sed instabis. Et si Spiritus sanctus nullatenus, mediatè adhuc, procederet à Patre, sed à solo Filio, distingueretur realiter ab illo: ergo, & à Filio, & si ab eo non procederet. Antecedens, in quo est tota difficultas, probatur; quia, etsi non procederet à Patre Spiritus sanctus adhuc Pater esset realiter formaliter innascibilis, qui conceptus, & absolutus per nos est, & in Spiritu à solo Filio omninò procedente esset impossibilis. Negatur antecedens nihilominus. Ad cuius probationem negatur in eo casu Patrem realiter formaliter innascibilem fore, licèt enim per nos innascibilitatis conceptus formaliter absolutus sit, tamen in statu realitatis & identitatis, in quo solùm est locus distinctioni reali, adiunctus essentiæ identicè principium generatiuum constituit, atque mediatè spiratiuum, & immediatè etiam, quod satis est, vt realiter formaliter sumptum innascibile sit, principium Spiritus sancti. Imò ipsa formalis innascibilitas, quæ est tota formalis ratio absoluta constitutiua, ac distincta formaliter Patris, toti coniuncto Patri, quem constituit oppositionem principij, & principiati affert cum procedentibus duobus ex sola identitate reali cum essentia, vt fusius docebamus q. 2. cert. 4. n. 5. quin opus sit, alia formalitas accedat; sed eadem singularitas prima, quæ formaliter est personalitas, est innascibilitas, & cum essentia principium indiuisibiliter constituit, vt respectu huius constituti principij adæquata forma non sit, respectu autem concreti innascibile sit tota, & adæquata forma.

5 Reliqua, quæ Scotistæ opponunt, leuia sunt. Esse enim genitum, & procedere sunt opposita, siue, vt proprius loquar, genita persona, & spirata, qua tales, non solum realiter (quod satis erat ad hanc nostram conclusionem) sed, & formaliter. Nam eo Filius Filius, ac genitus intrinsecè est, ac Spiritus S. non est Filius, sed spiratus, ac procedens, quod ille fœcundus ad intra est æquè, respectu Spiritus. S. atque Pater, hic vero fœcundus non est: in ratione vero fœcundi ad intra Filij est relatio, & oppositio principij, & principiati ad Spiritum S. vt videant Scotistæ, quam falsò assumant contra nos genitum esse, & procedere non esse opposita: cum sint opposita adhuc formaliter. Alia his adhuc leuiora consultò prætereo, quiuis enim facili negotio, ex his quæ hactenus dicta à nobis hac. d. sunt, ea dissoluet.

DISPVTATIO X.

De propriis, & appropriatis singularum Personarum.

DEFINITIS hactenus quæ personis, cum in esse naturæ, tum in ratione Personæ cuiusque, omnibus conueniunt, & singulis, iam de singularibus cuiusque proprietatibus figillatim disputandum statuendúmque erit: vt ad Disputationem vndecimam de diuinis notionibus sternatur via. Licet autem ad id de proprietatibus personalibus agere satis hìc foret: nominis tamen affinitate de appropriatis cuique personæ sub Disputationis finem agemus. quia, etsi attributa communia re vera sint, ob peculiares, ac proprium personæ, cui speciatim attribuitur, vni vnum, alteri vero aliud, accomodatur.

QVÆSTIO I.

De Patris proprietatibus aliis à iam explicatis.

PATRIS proprietates plures in Controuersiæ decursu explicatæ sunt. An scilicet sit causa, Auctor, principiúmque Filij? de quo d. 2. An verè Pater ipsius? ibid. & d. 3. q. 2. An sit verè prior Filio ibid. & fusius propria sede: nempe d. 12. de comparatione personarum. Quare hic duæ examinandæ restant Patris proprietates: scilicet, innascibilitas, & ratio fontalis originis.

CERTAMEN I.

Innascibilitas vera est proprietas Patris, benè Ingeniti voce explicata.

1 INnascibilitatem ingeniti voce primus explicuit Valentinus, qui Primùm Æonem, cæterorum præfectum, ingenitum vocabat apud Iren. 1. aduersus hæreses. cap. 1. sub init. Tertullian. aduersus Valentinianos cap. 35. longè tamen alio sensu innascibilem, seu ingenitum, quam post modum apud Patres percrebruerit; in quo primus etiam eius vocis infamator fuit Aërius hæreticus Eunomij magister testibus Epiphanio hæresi 76. post init. Athanas. dialog. 2. de S. Trinit. contra Anomæ. vers. med. prope epistolam Aërij. De ea voce duas epistolas scripsit Arrius ad Eusebium, & Alexandrum, quæ extant apud Epiphan. hæresi 69. pag. 2. inde Asterius Sophista Arrianus cum sociis vrgebat: vel sunt plures ingeniti in diuinis; & sic, plures sunt Dij; vel vnus solum ingenitus, scilicet Pater; & sic, reliqui erunt creaturæ. Ac rursus: genitum, & ingenitum differunt natura: sed Pater est ingenitus, Filius genitus: ergo natura differunt, ac Filius Deus non est. Licèt autem, & hæc, & alia Eunomij Sophismata sint, atque soluta à Basilio 2. contra Eunomium; ac insuper vox ingeniti ad Patris proprietatem explicandam accomodatissima in sui Parentis ignominiam, atque ob hæreticorum abusum à Patre relegandam censebant aliquando Athanas. orat. 2. contra Arrian. à medio lib. de decretis Nycenæ synodi quatuor col. ante fin. dial. 2. de S. Trinit. contra Anomæ. pag. 3. & 4. Basil. 1. contra Eunom. longè ab init. & lib. 4. pag. 5. & 4. sub titulo *Ingeniti*, Epiphan. hæresi 73. vers. & circa med. Chrysost. orat. 1. de illo: *In principio erat Verbum* post med. Ambros. de Incarnat. Dominicæ mysterio cap. 8. & 9. Dyonis. Alexand. epist. ad Paulum Samosaten. Argumenta hæreticorum à nouitate vocis ignotæ scripturæ, æquiuocæ, ab Ethnicis vsitatæ contra vocem *Homousion* in voce ingeniti Patres retorquebant.

2 Præcipua hæreticæ fallaciæ occasio erat græca vox *Geneton* & *Ageneton*, quæ vnica *N. factum*, & *non factum* significabat, ac de omnibus personis *Ageniton* seu ingenitum dici posset. Duplici autem *N. N. Generatum*, ac *ingenitum* oppositè strictè generato. Et tunc quidem, tripliciter adhuc accipi *Ingenitum* potest iuxta Damasc. iam citandum. Primò pro negatione actualis generationis solùm, quam habent homines merè possibiles. Secundò pro eo, quod per strictam generationem non est, neque esse potest, quo pacto Spiritus S. ingenitus est. Tertio modo quod nullatenus ab alio est, esseve potest: quomodo solus pater ingenitus est. Vt docet Basil. 5. contra Eunom. sub med. & clarius Damasc. 1. de fide capite 9. circa med. quia, licèt impossibilia iuxta Ar. 1. de cælo capite 11. à nullo principio esse possint, cum in essendo repugnent, habent solùm ingignentiam negatiuam, non positiuam, qualem Pater, qui necessario à se etiam originariè est, atque omnium, quæ in Deo ab alio sunt, principium existit, vt benè Cyril. Alex. 11. thes. cap. vnic. longè ab init. & Basilius vbi proximè: quare tandem ex Patrum vsu iam vox *Ingenitum* tertia hac sola acceptione vsurpatur in diuinis: solíque Patri licitè accomodatur; cuius rei duodecim dedi Patrum testimonia d. 9. q. 1. cert. 4. num. 6. quibus adde Iacob. fratrem Ioann. apud Clement. Roman. 8. constitut. Apostolicar. cap. 12. sub init. qui Patrem vocat *ingenitum sine origine*. Et in forma pro Baptizandis dixerat lib. 7. capite 42. *Ad scribor, & credo, & baptizor in vnum ingenitum solum verum Deum Patrem Christi.* & 2. Recognitionum pag. penult: *Nolite putare duos ingenitos dicere Deos, aut vnum, diuisum in duos, sed Filium Dei vnigenitum dicimus.* Iustin. M. expos. Fidei de Trinit. pag. 2. *Illud ingenitum, & subsistendi modus, notæ sunt, quibus interstinguntur Pater, Filius, & Spiritus S.* siue, vt alia paraphrasi: *ingeniti Verbum prolatum Patris statim subsistentiam designat.* sœpéque repetit *ingenitum, genitum, & procedentem* non ad essentiam pertinere, sed ad modos subsistentiæ.

3 Id ipsum docuit Sixtus Papa 1. epist. 1. Decretal. post med. sic de Patre loquens: *Quia id ipsum fides exigit, Christiana absque vlla dubitatione ingenitus creditur.* Synod. Antiochen. profess. fidei ad Paul. Antiochen. sub init. Dei nomine Patrem intelligens phrasi Scripturæ, & vtriusque Symboli, vt ex sequenti contextu patet, tanquam Ecclesiæ fidem decernit: *esse vnum Deum ingenitum, sine principio.* Nicæni Patres lib. 2. Concil. sub med. §. *sæpenumerò*, credenda, ac non scrutanda proponunt: *Vnus ingenitus Deus, & Pater: vnus ex eo genitus vnigenitus Filius Deus Verbum: sicut non est alter Deus cum Deo, & Patre ingenitus, ita neque congenitus, neque prior, neque posterior Filius.* Concilij eiusdem hac super re definitionem testatur Athanas. Epist. ad Serapion recitatus à S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcor. capite 8. his verbis: *Imprincipiatum esse, & ingenitum soli Deo Patri Catholica Ecclesia congregata apud Nicæam fideliter attribuit: & toti mundo sic esse credendum mandauit.* Idem Athanas. quæst. 4. circa med. & q. 15. De natura Dei: *Proprium Patris ingenitum esse.* 2. de propriis personis, & vnico nomine Deitat. med. Patrem *non genium* appellat. 4. aduers. Vrbicum Potentin. initio, & infrà: *innatum, & innascibilem.* Naz. *Proprietatem Patris esse ingenitum* ait. orat. 35. col. 2. & med. orat. 37. longè ab init. Basil. 2. contra Eunom. vers. fin. ait: *genitum, atque ingenitum esse specificas quasdam proprietates.* orat. *aduersus calumniantes, quod tres Deos colamus* post med. & circa fin: *Vnus ingenitus Deus, vnus huius vnigenitus.* Nyssen. de Fide ad simplic. post med. & epist. contr. Apollinar. de imagine, & similitudine col. 2. ac vers. finem. Patrem *ingenitum* vocat lib. de different. essent. & hypostha. vers. med. *sine generatione existit* circa finem *genitum* appellat. Cryso. hom. 5. de incomprehensibili Dei natura col. 2. *Primam, & ingenitam personam, seu hypostasim* Cyril. Alex. 2. Dialogor. de Trinit. col. 3. & 4. ac 1. thesaur. capite 1. 2. & 3. *Proprium Patris ingenito modo esse* concedit. Cyril. Hyerosol. cateches. 4. capite 2. *Patrem ingenitum sine principio* dicit cateches. 11. med. *Nec duo ingeniti, nec duo vnigeniti, sed vnus est Pater ingenitus.* Fulgent. ad obiection. 5. Arrianor. sub init. *In vno autem genito ex vno ingenito naturalis vnitas demonstratur.* Et ad 7. *Pater secundum fidei veritatem ingenitus prædicatur.* Alexander Alexandrin. Epist. ad Alexandr. Constantinop. versus med. *Vnus ingenitus Pater: proprium solum Patris, quod ingenitus est.*

4 Isidor. 7. Ethimol. capite 4. §. 1. *solum Patrem ingenitum* ait. Idacius Clarus 3. contra Varimandum capite 2. fine scribit: *Patrem absque vlla dubitatione ingenitum credi, quia ita fides exigit Christiana:* cum tota canat Ecclesia, *Te Deum Patrem ingenitum*, ac rursus: *Gloria Patri ingenito* Euseb. Cæsar. 4. demonstration. Euangelicæ c. 3. vers. med. *Patrem non genitum* ait. Concil. Tolet. 6. c. 1. & Toletan. 11. profess. fid. sub init. & col. 2. *ingenitum* Hylar. de Synodis in Syrmiensi can. 16. & 17. & in Vuermaciensi profess. fidei & ad can. 1. & 2. Oriental. & 2. de Trinitate versus med. & libro 3. 4. & 5. longè à principio & 9. ante, & post medium. 11. col. 4. 12. col. inculcat sæpe de Patre *ingenitum* & locis his de Trinitate *innatum & innascibilem.* Cuius rei rationem, quam nos suprà, reddunt August. de Trinit. capite 26. circa fin. *Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus.* Dixerat etiam 5. de Trinit. id ipsum sœpe à capite 3. præsertim capite 6. & 7. & serm. 38. de temp. longè à medio ac denique; Anselm. capite 54. Monolog. à medio, *debet dici solus ille genitor, & ingenitus, quia solus est Pater, & nullo modo ab alio est.* Hanc eandem Patris proprietatem *innascibilis & innati* nomine posuit Athanasius recitatus numero 3. ex lib. 4. aduersus Vrbicum. Et Hylar. proximè locis de Trinit. & loco inferius dando Concil. VVormacienſe profess. fidei sub initium, & Syrmiense can. 16. apud ipsum Hilar. lib. de Synodis, Patrem *innascibilem* appellant: quo modo etiam Phæbadius proximè Damasc. 1. fidei, capite 11. non parum à med. *Patre, & non discedente ab innascibilitate, quia genuit, nec Filio à generatione, quia sit ab ingenito.*

Ac

Ac paulò superius distinxerat Patrem ab aliis: *quia est sine principio*, sicut & Nyssen. suprà. Qua ferè phrasi eandem proprietatem Patris explicuit Hilar. 4. de Trinit. column. 3. *Ab origine liberum, & innascibilem*, illum prædicans. Nazianz. *principij expertem, & vacantem*, oratione 39. in sancta lumina orat. 21. ad Arrian. & de se ipso circa fin. & fine orat. 26. de moderat. in disputando seruanda col. 3. orat. 36. vers. fin. oratione 37. longè à med. orat. 13. 2. de pace vers. med. Nyssen. de different. essentiæ, &; hypostas. propè medium; *Eximium insigne, notámque Patris esse, quod à nulla causa subsistit.* dicebat.

5 A ratione facilè eadem Patris proprietas suadetur. Quia, si personæ personaliter productæ essent, vel se mutuo duæ producerent, vel saltem se aliqua produceret, vel alia quarta improducta assignanda foret, alicuius saltem ex tribus principium, quod de aliqua ex tribus concedere satius erit: quod si eam productam asseras abeundum infinitè in processionibus erit, nisi in alterum ex duobus primis velis incidere: Hæc autem omnia, & singula implicant, & in fidem errant: ergo aliqua ex tribus improducta est. Si dicas tres omnes improductas esse, ac proinde innascibilitatem nullius esse propriam, sed omnium communem. Contra primò: quia non plures, aut tres personæ in diuinis essent, sed vna cum in nulla respectu alterius sit principij, & principiati oppositio. Contra secundò: quia, si plures remanerent, infinita personaliter nulla foret infinitate diuina per negationem termini, etiam extrinseci: cùm cuique deficeret personalis formalitas eiusdem generis, quæ erat in aliis. Vnde tertiò fieret: non tres solùm personas, sed infinitas fore in diuinis. Cùm enim nulla genere suo infinita diuinè esset, atque capacitas Deitatis, vt personalicetur infinita diuinè sit, multitudine infinita personarum satianda foret, vt in simili arguebamus ad statuendam à ratione vnius tantum personæ diuinæ processionem per intellectum, & alterius tantum per voluntatem. Quartò denique si tres solùm fore personas diuinas inproductas admittamus infertur tres esse Deos. Quia, si abesset communicatio eiusdem naturæ ab vna in aliam, nullum esset vestigium efficaciter adstruendæ identitatis personarum in natura.

6 Hoc est vnicum argumentum S. Thom. 1. p. q. 35. art. 4. ad 4. Fulgentij ad obiect. 1. Arrian. circa medium, & ad obiect. 5. Nazianz. oratione 37. vltim. de Theolog. circa med. orat. 29. de dogmate, & constitut. Episcopor. sub med. orat. 32. post med. orat. 49. quæ est tractatus de fide, column. 3. cuius verba desumpsit Ecclesia in officio de Trinit. Synodi Syrmiens. can. 16. quem declarans Hilarius libro de synodis longè à medio ait: *Cùm ergo vnus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt.* Quam rationem dederat paulò superius: repetítque ad canonem 17. & in expositione Synodi Sardicensis 4. de Trinit. versus med. & longè à med. 5. lib. col. antepenult. lib. 7. longè à med. Concil. Nycæn. profess. fidei apud Naz. oratione 50. *Vnum Deum, quia ex vno Patre*, Damasc. 1. de fide cap. 10. circa fin. & c. 11. circa med. Trinitatem vnum Deũ esse docet: *Filio, & Spiritu sancto in vnam causam, patrem videlicet, relatis.* Repetit libro 3. cap. 5. circa med. Lactant. 4. diuinar. institut. cap. 29. fine: *Vnus Deus vtérque, quia quidquid est in Patre in Filium transfluit.* Idem est argumentum Origen. in epist. ad Roman. libro 8. cap. 9. col. 2. Tertulliani contra Praxe. Dionysij Roman. apud Athanas. de decretis Nicænæ synod. post med. vbi cum Tritheis agit eiusdem Athanas. orat. 5. contra Arrian. init. & infrà, orat. contra Gregal. Sabell. vers. medium, Augustini primo de doctrina Christiana, capite quinto fine. Sed hac de re iterum certam. 4. vbi de ratione fontalis originis in Patre.

7 Oppones primò Athanas. tractatu de definit. col. 3. §. *Dicendum*, vbi naturam vocat *genitricem hypostaseon* generaliter, & indefinitè: ergo & personalitatis, ac personæ Patris qui locus fortasse occurrit Scoto in 1. d. 28. q. vlt. additione, quæ incipit: *Propterea tertiò*, dum eam sententiam; disputare per *phantasiam* ait: vt sonat autem erronea est. Supponit enim realem distinctionem essentiæ à personalitatibus: atque processiones personarum à personis aliis tollit: earúmque oppositionem inter se sine qua personarum distinctio non extat: ac denique, si processiones has non aboiere demus, multiplicat processiones in diuinis. Solùm ergo vult Athanas. totam energiam, & efficaciam ad personas producendas in essentia esse, vt docebamus d. 4. Recentiores Complutenses virtuales admittunt Patris personalitatem virtualiter ab essentia prodire, minus tamen cosonant Patribus, qui omnium diuinarum emanationum principium, Patrem, fontalémque originem absolutè appellant, sine distinctione vlla. Secundò: distinctionem virtualem, ad hanc virtualem productionem necessariam, diximus d. 8. q. 2. cert. 2. atque controu. de scientia omnes virtuales productiones à diuinis relegauimus.

8 Sed instas saltem rationem ingeniti non esse solius Patris: quare neque eius propriam: tum quia Spiritus S. non est genitus, sed ingenitus, cum inter hæc medium non detur. Est æquiuocatio eo modo, quo non est genitus, in vocabuli primæua significatione, ingenitus est, aſt in vsu Patrum, & Theologorum frequentiori huius vocis pro improducibili ingenitus non est Spiritus. Proinde vtrúmque Spiritui negant Nicæna synodus profess. fidei apud Nazianz. orat. 50. de fide Nicæna, vbi & ipse *Spiritum S. non ingenitum, nec genitum* ait. Repetit orat. 26. de moderat. in disputando seruanda col. 3. orat. 36. 5. de Theolog. col. 4. & 5. longè à med. ac vers. consonant Basil. 3. contra Eunom. circa fin. Symbolum Damasi apud Hieronym. Concil. Toletan. II. citatum, August. serm. 38. de temp. 3. infrà octauam Epiphan. longè à med. Synodus Syrmica can. 19. & Hilar. ad eum canon. damnant vt impiissimum Spiritum S. innascibilem appellare. Denique instas: essentia diuina, ac Deus, provt vagè dicit aliquam personalitatem, non dicit esse ab alio: ergo essentia, & Deus, sic acceptus, est in vsu rigoroso Patrum innascibilis, & principij expers à Patribus pluribus appellatur. Sed Patres innascibilem, id est in causabilem intelligunt. Ad rationem dicito: innascibilitatem dicere repugnantiam positiuam, vt originariè sit ab alio; essentia autem, & Deus eam non habent, licèt, vt sic, processionem non dicant, quia in personis procedentibus, essentia communicatur per originem, ac Deus procedit.

CERTAMEN II.

Innascibilitatis conceptus malè à multis explicatur.

1 EX dictis constat innascibilitatem Patris formaliter sonare carentiam principij suæ personalitatis, & communicationis essentiæ ab alio: vt passim docebant Patres recitati cert. 1. n. 4. pluréſque alij apud Ruiz d. 53. sect. 2. n. 7. qui sic innascibilitatem nobis explicant. Vide Naz. orat. 32. ad 150. Epiſcopos sub med. Athanas. toto Dialogo 2. de Trinit. ac Dial. 1. post med. orat. 2. contra Arrian. med. libro de Synodo Ariminensi, & Seleuciæ vers. fin. An verò carentia hæc capacitatis communicationis essentiæ ab alio, & productionis personalitatis in Patre, qua explicatur innascibilitas formaliter, relatio sit, vt à nobis cogitatur? videtur, vt relationem cogitari, cùm sit relationis carétia, quæ cum ad habitus prædicamentum pertinere debeat iuxta August. 5. de Trinit. c. 6. & 7. relatio formaliter erit, ac cogitabitur. Instat Soar. qui oppositum censet: innascibilitas ipsa quam ea negatione concipimus, iudicatur formaliter absoluta, licèt à nobis admodum relationis per eam negationem concipiatur. Sed rogo Soarium an cum eo iudicio, quo innascibilitatem absolutam iudicamus, stet simul eius conceptio simplex, vt negationis relatiuæ, necne: si non stat, cadit illud iudicium, imò sine illo, poterit innascibilitas positiua, vt absoluta apprehendi contra Soarium, & omnes; si autem simul ex parte obiecti innascibilitas, cùm absoluta

Z 2 iudicatur;

iudicatur, vt negatio relatiua concipi debet: ergo ratione nostra nequit non concipi relata. Cùm autem simplex conceptio ad ens rationis efficiendum sit satis, semper innascibilitas rationis relationem in nostra cogitatione habebit, etiam cum absoluta iudicatur.

2 Hactenus rei huius appositissimum exemplum in Angelo, quem necessariò, vt corpus concipimus, etiam cum de illo non esse corpus iudicamus. Hinc autem non infertur constitutione rationis nostræ Angelum corpus esse, quia non nisi, vt corpus, à nobis ratione cogitatur. Similiter neque infertur Patrem relatione rationis, qua negationem illam cogitamus innascibilem per rationem nostram constitui. Neque enim omnia, quæ necessariò ad aliquid concipiendum à nobis cogitantur, eius constitutionem per rationem, ac metaphysicam ingrediuntur: cùm res, seu aliquid formale ipsius sæpè aliter, quam in se sit necessariò cogitetur; cuius ratio est: quia constitutio non chymerica, licet per rationem fiat, eorum debet esse, quæ re ipsa in constituto sunt, non quæ ipsi, vel illis mensaliter concipere non valens, affigit. Etenim hæc rei concipiendæ adminicula sunt, non autem res concepta. Mitto æquè futilem, atque prolixam quæstionem, an ea negatio processionis, seu capacitatis stricta negatio opposita priuationi, quia in subiecto absolutè inepto, sit? an priuatio, quia in subiecto ex genere, seu specie personæ diuinæ aptè? quod satis in talpa est, vt visus carentia ex specie ipsi repugnans, absolutè priuatio sit, quia ex prædicato generico animalis visus non repugnat. Cum enim negatio hæc, qua positiua, & intrinseca Patri innascibilitas à nobis explicatur, rationis figmentum sit inutiliter reflexis his de illa quæstionibus laboratur. Labor ergo, non sine fructu, nec exiguus, Scholasticorum est in statuendo positiuo formali conceptu innascibilitatis, in quo ea negatio nostro concipiendi modo fundatur: illum quippe negationem, qua explicatur, nullatenus esse, & constat, quia negatione præcipuè rationis, cuiusmodi ea est, nihil positiuum, & reale, nedum Deus Pater constitui potest. Quare iidem Patres, qui innascibilitatem ea nobis negatione explicarunt, nihil negatiuum ea explicari animaduertunt. Nazianz. orat. 32. citata. Cyril. 2. Dialog. de Trinit. à col. 4. & 5. thesauri cap. 2. 3. & 4. libro 11. capite vnic. sæpe, maximè longè à principio August. 5. de Trinit. c. 3. 5. 6. & 7. sæpe vnde ad finem sexti ait: *Nomine ingeniti non quid sit, sed quid non sit dico.*

3 Exsibilandi primò sunt Arriani, qui in essentia totum innascibilitatis fundamentum ponebant, vt inde in diuinis solum Patrem Deum esse concederent: diuinásque personas in vnam confunderent, ac Trinitatem negarent. Eorum paralogismos contra Ecclesiam catholicam sola æquiuocatione armatos exarmauimus cert. 1. num. 1. Henric. p. 2. sum. art. 57. quæstione 1. corpore, docet essentiam, vt non ab alio communicatam totum fundamentum illius negationis esse: ita, vt essentia secundum se sit fundamentum *in quo*, fundamentum autem *quo* vt non ab alio communicata, seu Paternitas. Verùm, cum illud, vt non ab alio communicata sit ipsa negatio communicationis, seu processionis, qua positium, in quo fundatur, explicatur, dum fundamentum quærimus, ratione fundata malè respondet. Secundò cum communicatio in procedentibus essentiæ solius, non personalitatis sit, cuius formaliter est productio, seu produci, negatio communicationis in non procedente solius essentiæ esse debet, negatio autem productionis personalitatis solius formaliter. Zunniga d. 5. dub. 2. concl. 4. dum ait Paternitatem, vt fundantem negationem processionis esse innascibilitatis fundamentum, idem per idem vitio se explicat Præpositiuus apud Henricum art. 55. quæstione 5. aliique prisci positiuam innascibilitatis rationem ini relatione opposita procedentis ponebant: sicut inæqualitas opposita æqualitati relatio est. Reiiciuntur vulgò: quia inducit quintam relationem realè in Trinitate. Secundò: quia, vel illa relatio respicit in genitorem distinctum à duabus personis aliis, vel hos respicit. Si primum: respicit chymeram, nempe quartam personam diuinam; ac proinde rationis relatio est: siquidem ad chymeram rationis realis, non intentionalis, respectus à nemine admittitur. Si secundum: alias personas respicit primariò, vt terminos à se productos, & inde in eis resultat impotentia producendi ipsum, quam, etiam respectu sui, Pater ipse habet cum se nequeat realiter respicere.

4 Veteres plures innascibilitatem in fontali plenitudine Patris, seu ratione principij cæterarum personarum locabant. Contrà: quia innascibilitas distincta formalitas, insigne, notióque Patris est à potentia generatiua, & spiratiua, vt videbimus d. 11. atqui ratio principij cæterarum personarum non est formaliter innascibilitas. Contra secundò: quia innascibilitas est formaliter prior, ratione quauis principij in Patre, vt statim ostendam cert. 3. quibus impugnantur Alexander 1. p. q. 69. m. 2. Albert. q. 39. m. 1. S. Bonau. in 1. d. 28. art. vnic. quæst. 1. corp. & quæst. 2. innascibilitatem Patris in ratione Patriarchæ Trinitatis, siue principij cæterarum personarum, communi ad generatiuum, ac spiratiuum. Sed contra vtrumque modum adde: in Patre solo non esse potentiam spiratiuam, neque rationem communem ad illam, quia hæc potentia ex personalitate Patris, & Filij adiunctis essentiæ indiuisibiliter primò resultat, vt docebamus d. 4. Durand. in 1. d. 28. q. 1. corp. fundamentum negationis procedendi, seu positiuam innascibilitatem in primitate ad omnem emanationem, etiam creaturarum, ponebat, vt constat ex q. 1. art. 2. num. 9. Verum si ea primitas sit ratio principij omnium ad intra, & ad extra eisdem impugnationibus patet; 3in aliquid aliud formaliter sit, debuit explicari, assignaríque, quid formaliter sit. Secundò ratio principij, & primæ creaturarum stat in sola essentia, quæ formaliter est à se, & est principium adæquatum, & totale earum, quin personalitates influant: quare in personis procedentibus ea ratio inuenitur in essentia: cum tamen nihil in eis innascibilitatis, de qua loquimur, inueniatur.

5 Hæc omnia vitasse putat Alarcon d. 7. c. 2. innascibilitatem constituens in relationibus, seu potentiis notionalibus radicaliter sumptis: ita vt Patris personalitas, prout præcedit, radíxque est indiuisibilis potentiæ vtriusque, & processionis suo ordine, constituat primum principium: quemadmodum anima formaliter insectilis, prout præcedit potentiam intellectiuam, & volitiuam constitutas intelligitur primum principium intellectionis, & volitionis suo ordine producendarum. Ait autem principium hoc radicale relatiuum esse ad Filium, & Spiritum S. quos, vt tale formaliter, respicit. Sed verò, dum factas impugnationes fugit, eisdem omnino patet. Contrà: quia radicalis potentia spirandi communis Filio per te nequit esse innascibilitas propria Patris. Secundò nequit esse eadem indiuisibilis formalitas cum potentia radicali generatiua, cum hæc non communicata communicetur illa Filio per te. Tertiò insectilis formalitas Patris dici ad conuertentiam cum illo debet: atqui radicalis potentia spiratiua non dicitur ad conuertentiam cum Patre, cum dicatur per te etiam de Filio. Nec potest recurrere ad explicitum, & implicitum, quod meritò impugnat in Ruiz. Quartò: si secundum diuersos status principij, & operationis ad intra, proximitatis, & remotionis notiones (qualis est innascibilitas) alias ab aliis distinguere liceat, plusquam septem notiones admittentur (non mediocri in Theologia absurdo) in diuinis. Quintò sublatis per impossibile Filio, & Spiritu S. maneret formaliter innascibilitas in Patre: & tamen potentia illa notionalis radicalis in eo minime persisteret. Sextò, vt aiebam, ostendámque cert. 3. innascibilitas prior formaliter est, quauis potentia notionali respectiua procedentium. Septimò denique respectus quiuis ad agendum incompassibilis formaliter non est cum passiua productione, vt patet in Filio.

6 Iisdem

6 Iisdem impugnationibus confutatur sententia S. Thom. in 1. d. 28. quæst. 1. art. 1. ad 2. aientis: *Negatio, quam importat ingenitus intelligitur fundata in ratione principij, prout est notio Patris.* Consonat ad 2. & 4. & articulo 2. ad 2. ac 1. parte, quæst. 33. articulo quarto, præcipuè ad 1. Sequuntur Capreol. in 1. d. 28. quæst. 1. artic. 1. conclus. 3. Deza ibidem. Etenim, si ratio principij radicalis, vel formalis vtramque potentiam fœcundam complectitur omnia argumenta facta militant. Sin verò generatiuam solùm, tribus postremis impugnationibus impetitur: quia notiones plures erunt, quàm sunt. Secundò, licèt generatiuus Pater non esset, posset esse innascibilis. Tertiò, licèt sit generatiuus, posset procedere, vt statim ostendam ex Aug. & ratione. Hinc etiam confutatus manet Vasq. qui d. 137. cap. 5. à num. 14. & d. 140. cap. 3. num. 18. & d. 159. init. & cap. 7. innascibilitatem positiuam in ratione primi principij, ante relationem Paternitatis formaliter, relatiuíque per rationem, quique indiuisibilis conceptus sit collocauit. Deceptus autem fuit. Nam primitas personæ à ratione principij non solùm diuersa, miniméque opposita est, sed disparata, æquè, atque potentia generatiua, & spiratiua, quæ in vnam Patris personam amicè conueniunt. Deinde, si relatio illa rationis aliter rem concipientis est, restat explicare an formalitas illa primi principij formaliter absoluta, an respectiua ex parte sui foret.

7 Nec aliter impugnandus venit Ruiz d. 53. sect. 5. qui dum veterum omnium sententias conciliare vult, asserit innascibilitatem positiuam esse ipsammet relationem Paternitatis partialiter, id est implicitè, ac non secundum explicitum relationis conceptam, ac num. 3. conceptum obiectiuum explicans ait: non esse relatum ad personas alias, sed solam personæ primitatem, quæ formaliter esset, & si aliæ ex ea non procederent. Sed dissident hæc. Nam si conceptus obiectiuus primitatis personæ formaliter relatiuus non est, dum concipitur, nullatenus, implicitè adhuc, de relatione Paternitatis cogitatur in huius sententia, qui nobiscum obiectiuas præcisiones formalitatum defendit. Vnde alia Doctoris huius inconsequentia deprehenditur. Ipse quippe contra Ioannem de Ripis, Scotum, & assectas nullum Patris proprium, aliísque personis incommunicabilem conceptum absolutum, ac non, etiam prædicamentaliter, relatiuum admittit; cùm tamen ille innascibilitatis conceptus, ac formalitas Patris propria, atque aliis personis incommunicabilis absoluta prorsus, per ipsum, sit à relatione omni ad personas producendas. Quocirca iis, quæ de personarum constitutione formaliter per relatiua docuerat, vehementer discordat. Si autem diuersum conceptum innascibilitatis ex parte obiecti à relatione Paternitatis esse renuat admittere, contradicet iis, quæ fusè docet tota sect. 3. & 5. numero 2. & 3.

Certamen III.

Magni mei Magistri Didaci Daza innascibilitatis conceptus nostra etiam opella illustratus.

1 Prima Conclusio. Innascibilitas non est adhuc inadæquatè formaliter relatio Paternitatis, vel principij productiui proximi, aut remoti cuiusuis ad intra. Probata manet contra recitatas opiniones. Probatur rursus expresso Augustini, testimonio 5. de Trinit. cap. 6. initio in hæc scribentis: *Non hoc est dicere ingenitum, quod est Patrem dicere: quia, etsi Filium non genuisset nihil prohiberet eum dicere ingenitum. Et, si gignat quisque Filium, &c. non ex eo ipso ingenitus est: quia, & geniti homines ex aliis hominibus gignunt, & ipsi, alios*, atque infrà: *Nec ideò quisque Pater; quia ingenitus: nec ingenitus ideò, quia Pater.* Quibus similia habet serm. 38. de temp. longè à med. quæ in Paternitate dicta, de quauis processione, aut principio productiuo æquè probant. Testimonium, & conclusionem amplectitur Magister in 1. d. 28. cap. 1. & communiter veteres Scholastici, imò citatus etiam nuper Ruiz: licèt ex eis plures non satis firma consequentia ad ea, quæ de constitutione personarum per relatiua docuerant. Ratio autem à priori eodem Augustini testimonio continetur. Etenim non procedere ab alio intelligi optimè potest non intellecta processione cuiuspiam ab ipso, aut potentia producendi alterum, siue proxima, siue remota; atque contrà tam potentia, quàm processio alterius ab ipso rectè cohæret cum capacitate, vt ipse ab alio producatur. Ergo innascibilitas positiua, in quâ fundatur negatio capacitatis procedendi ab alio, siue processionis ab alio, non est potentia productiua vlla proxima, vel remota, aut relatio productis in Patre. Id quod appositissimo exemplo, & paritate, & probabat, & confirmabat magnus ille Magister meus Didacus Daza, vt ex ipso dabo conclusione sequenti.

2 Dico secundò: Innascibilitas positiua Patris fundans negationem procedendi ab alio est conceptus omnino absolutus huius indiuiduæ personalitatis, prius ratione, quam principium vllo modo aliarum personarum intelligatur. In hanc conclusionem facilè traherem. S. Thom. quem ita intelligunt Capreol. Deza, & Ferrara, vt sub conceptu personalitatis, aut formæ hypostaticæ relatione priorem paternitatis innascibilitatem esse docuerit. Consentit, licèt inconsequenter satis Ruiz. num. illo 3. Ratio est: quia sicut persona secunda ratione suæ personalitatis indiuiduæ petit ab vno procedere, tertia verò ratione singularis suæ personalitatis petit procedere à duobus: ita prima persona ratione suæ singularis personalitatis petit à nullo procedere. Confirmatur mei Daza exemplo illustri: quia, sicut essentia, quia entitas prima, seu Deitas, seclusis aliis formalitatibus, & prius ratione, quam illas formaliter habeat, intelligitur esse à se primò, atque in hoc fundatur incapacitas, seu negatio necessaria essendi ab alio: ita hæc prima singularitas personalis Patris, quia prima est, intelligitur esse à se primò, & fundare negationem essendi notionaliter ab alio. Et sanè hoc expresè modò innascibilitatem nobis debet Hilarius 3. de Trinit. sub init. sic de Patre loquens: *Non aliunde, quod est sumens, sed ad id, quod ita manet, sibi ipsi sufficiens. Hic ergo ingenitus genuit.* Ac fortasse tunc eundem conceptum innascibilitatis habuit Henricus dum eam art. 57. q. 1. corp. vocauit *sufficientiam, & plenitudinem ex se Patris.*

3 Probatur secundò: quia incapacitas hæc essendi notionaliter ab alio est incapacitas dependendi laxè ad essendum personaliter in se: ergo in illo primo conceptu, quo esse personaliter in se primò intelligitur Pater, debet intelligi fundata, sicut capacitas opposita essendi notionaliter ab alio in primo conceptu, quo personæ procedentes intelliguntur esse personaliter in se, intelligitur fundata: atqui primus conceptus, quo primò intelligitur esse in se personaliter Pater, est sua personalita singularis: ergo singularis Patris personalitas, qua talis formaliter, fundat negationē capacitatis essendi ab alio. Probatur denique tertiò: quia positis reliquis propriis Patris formalitatibus, hácque seclusa non stat fundamentum incapacitatis essendi notionaliter ab alio in Patre, vt vidimus; hac vero posita, reliquísque seclusis, stat eiusmodi fundamentum: ergo in ea stat formalissimè innascibilitas positiua Patris. Dices, hæc eadem personalitas singularis, qua talis, vt essentiæ identicè adiuncta, &, qua illam vltimò singularizans, & distinctiua, personæ Patris constituit potentiam notionalem relatiuā Patris: sed qua singularizans, & distinctiua personæ Patris constituit innascibile: ergo, qua constituit innascibile, constituit relatiuum notionaliter: ac proinde est relatio potentiæ notionalis innascibilitas. Respondetur in personalitate singulari Patris formaliter duplex munus esse, alterum constituendi personam singularem à se, alterum constituendi seu expediendi virtutem, atque

efficaciam essentiæ ad personas producendas. In quo, cum non afferat efficaciam, adhuc partialem, non affert relationis *aliquid*, etiam transcendentalis; sed ponit ex parte *sui extremi* distinctionem necessariam ab alio, ad quod *possit* esse, sicut potentia, ita, & transcendentalis relatio: *id* quod præstare optimè potest, quin sit relatiua; imò prius ratione quam constitutum relatum transcendentaliter intelligatur ad personas producendas, intelligitur constituere personam notionaliter: à se, ac fundare negationem rationis incapacitatis essendi ab alio. Sicut eadem insectilis formaliter essentia diuina prius ratione intelligitur esse à se, & fundare negationem essendi causaliter ab alio, quam intelligatur principium creaturarum.

CERTAMEN IV.

Fontalis origo, & principium Deitatis, ac totius Trinitatis, imò & creaturarum omnium, Patris proprietas est.

1 PRimam locutionem, & rem nos docuit Dyonis. 2. de diuin. nomin. vers. med. vbi Patrem *fontem cælestis diuinitatis appellat*. ac rursus, *fontanam Diuinitatis*, 1. de cælesti Hierarch. longè à principio: *qui est diuinitatis fons & principium*. Athanas. orat. contrà Gregales Sabellij sub init. *Solus fons Deitatis*. Naz. orat. 13. 2. de pace. circa med. *Deitatis principium*. Ac rursus: *Authorem esse diuinitatis, quæ in Filio, & Spiritu S. consideratur*. Origen. de principiis lib. 1. cap. 3. longè à med. *Vnus diuinitatis fons*, Aug. 4. de Trinit. cap. 20. longè à med. *Deitatis principium Pater est*. Ambros. in Symbolum Apostolor. capite 2. *Pater origo est Deitatis*. Concil. Toletan. 6. capite 1. init. & Toletan. 11. professione fidei sub initio: *fons, & origo totius diuinitatis*. Harum propositionum sensus est duplex. Primus: quod Deitatis præcisiuè sumptæ fons, origo, & principium sit: quod verum quidem est: quia Deitatem aliis communicat personis, & à se habet non communicatam ab alio: quare, & innascibilitatem, & potentiam notionalem patris formaliter claudit. Vnde constat non esse fontem, originem, authorem, & principium Deitatis Filium, licet eam communicet Spiritui sancto: quia ab alio accipit sicut riuus, in alium aquam deriuans fons, principium, origo, authórve fluminis non dicitur; sed solus fons à quo primùm manat, & qui ab alio aquam non accipit. Quod si Athanas. serm. Concilij Nicæni, & epist. ad Serapion. ac serm. de Incarnat. Verbi Filium fontem Spiritus S. appellat, non obest: tum, quia primò, & ex æquo ab illo Spiritus emanat quin, sicut Deitatem, ita potentiam (nedum Spiritus emanationem, vel Spiritum S.) à Patre recipiat, sed cum illo compleat: quare illius origo, dici, & fons aliquomodo posset. Sed Epiphan. hæres. 69. vers. med. ac longè à med. hæres. 76. post med. in ancorato post init. August. 3. contrà Maximin. capite 23. versus finem *fontem de fonte dici Filium* mluant. Sensum ergo explicatum tradunt S. Thom. 1. p. quæst. 39. art. 5. Canariens. quæstione 33. art. 1. vbi Vazq. & Molin. Mag. 1. d. 29. c. 1. quem ibi sequuntur distinctionarij Scholastici. Soar. 8. de Trinitate 5. eúmque tradiderat Athanas. loco recitato longè à med. expresitque Naz. verbis nuper recitatis.

2 Secundus eius locutionis sensus est: vt sit Pater, fons, & origo Deitatis vtre est in personis tribus, seu Deitatis collectiuè sumptæ, qui præcipuè videtur intentus à Conciliis Toletanis recitatis num. 1. vt sentiunt S. Thom. art. 1. citato, & S. Bonau. in 1. d. 29. dub. 1. litteral. Dum enim dicunt *totius diuinitatis*, complexionem denotant, quæ in diuinitate nisi collectiuè sumpta, provt tota Trinitas re ipsa est, locum non habet: cum secundum se non complexa, sed simplicissima sit. Portò hic sensus idē est, atque locutionis secundæ: nimirùm Patrem esse *fontem, originem, seu fontalem originem*, *ac principium totius Trinitatis*, quæ locutio, licet expressa in Patribus peruetustis non sit: solus enim (quem viderim) Athanas. orat. contra Gregal. Sabellij longè à medio aliquid non omnino simile dixit: *Pater radix, & fons Filij, & Spiritus S.* tamen Concilium Vuormacienſe eam expressit his verbis: *Fons, & origo ipse Pater est totius Trinitatis*. Reprehendendus ergo meritò hic venit Ruiz d. 48. sect. 6. num. 3. quod eiusmodi locutionem non debere vsurpari moneat, quia à solo Vuormacienſ. Concilio fuerit vsurpata. Quasi Concilium integrum, licet solum, non faciat propositioni, quantum satis, supérque sit, plenam securitatem. Secundò falsò ait, imò sui immemor, à solo Vuormacienſi Concilio eam locutionem fuisse vsurpatam cum ipse n. 2. asseruerit idem dici, atque intelligi à duobus Conciliis Toletanis *fonte totius diuinitatis*, atque à Vuormacienſi *fonte totius Trinitatis*. idque ibidem, non è suo solùm iudicio, dicat, sed ex sententia etiam S. Thom. ac S. Bonau. quorum solutiones ad proponendam iam contra huiusmodi locutionem difficultatem, & refert, & laudat.

3 Obiicies: Intra totam Trinitatem Pater est: atqui Pater non est sui ipsius principium: ergo non est principium totius Trinitatis. Minorem solus negauit Lactantius 1. diuin. institut. cap. 7. fine, non sine omnium Theologorum nota. Et probatur facilè: tum, quia, si de principio originario admittatur, plures processiones, quam duæ, in diuinis forent: tum, quia, non esset innascibilis Pater, si à se procederet, dicente Naz. orat. de dogmate, & constitut Episcoporum, ideò esse innascibilem: *quia, nec aliunde, nec à se originem habet*. Denique, quia nihil se ipsum potest producere, ex quo solo principio plures esse, ac tres, Trinitatis personas, non vnam, colligimus cum Patribus. Atque inde Patres, præsertim Aug. contra Arrianos, probat Verbum non esse creatum, quia creata omnia per Verbum facta dicuntur Ioann. 1. ac per se ipsum Verbum fieri non possit. Respondet S. Thom. Rectorem dici populi totius Rectorem, licet sui ipsius, qui pars populi est Rector propriè non sit: quia reliquorum compopularium est Rector propriè. S. Bonau. cælum dici continere omnia, cum se ipsum, quod aliquid omnium, tã magnum est, non contineat: quare, licet Pater principium sui non sit, sed cæterorum Trinitatis, totius Trinitatis principium dici potest: quia sumi debet *principium totius* secundum distributionem accomodam, vt in exemplis datis vulgò sumitur. Displicet in vtroque, quod in vulgari solum, ac non rigido sensu Conciliorum locutionem saluent. Respondetur strictius: Trinitatem numero saltem affinem pluralitatem esse, vt numerus stricte non sit (de quo d. vltima) quare principium Trinitatis proprium esse, quod nuneri principium est: cum autem numeri principium vnitas prima sit: ac Pater sit re ipsa, ac de se, nec solùm arbitrariè, prima vnitas, ac persona prior origine reliquis Trinitatis, & ante quam prior non est, prima est persona, & vnitas Trinitatis totius: quare & Trinitatis strictè, & rigidè principium. Id etiam metaphysicis nominibus *fontis, radicis, & originis* explicatur. Vnde, licet non idem prorsus sonet, Athanasius recitatus numero 2. re idem, ac sensu idem docuit.

4 Respondeo denique: de principio originariè sumpto verificari Patrem esse principium, originem, ac fontem totius Trinitatis strictè loquendo. Trinitas enim potest sumi distributiuè, vel collectiuè. Licet autem distributiuè Trinitatis totius principium originarium Pater non sit, quia omnium personarum Trinitatis non est, quia non sui ipsius; ast Trinitatis totius collectiuè sumptæ principiũ est: quia vt collectionis alicuius principium aliquid sit, ac verè dicatur, satis est, vt aliquid, quo completur collectio tota, producat: maximè, si maiorē eius partem producat. Pater: quia sine eius productione tota collatio absolutè neque esset, neque produceretur: quare, qui illud ponit collectionem totam ponit, qua collectio est. Sic, qui producit, ac ponit vnionem, non illam, sed totum absolutè hominem, qui sine illa non esset producere, & ponere dicitur. Sic fundamenta domus totam domum sustentare propriè dicuntur: quia nisi partes superiores sustentarent, tota domus collectiuè non esset. Cùm ergo, sine secunda, vel tertia persona Trinitas tota collectiuè non foret, qui vtrámque producit, vt principium, atque non habet priorem, principium originariè, & fons, origo, radix totius Trinitatis collectiuè sumptæ verè dicitur, atque est. Iam verò stricta locutione adhibito nomine *totius* Trinitatis adiuncto Trinitatem collectiuè pro tota Trinitate coniunctim supponere, citius, quàm distributiuè, nemo non videat: quia nomen totus collectiuus de se, non distributiuum est.

5 Vltima, & tertia locutio: quod scilicet, esse principium omnium creaturarum, Patris etiam proprietas sit, facilè probatur; quia, licèt operationes ad extra communes sint Trinitati toti, ac proinde Filio, & Spiritui sancto, tamen quia à Patre omnipotentiam accipiunt per processionem ab ipso, Pater, qui dat, ac non recipit, potiori iure suam, & propriam habet, ipsíque, vt illam habeant, principium est: quare Filius in Euangelio *à se ipso quidquam facere* negat: sicuti neque à se loqui, neque Verba, quæ loquitur, esse sua, sed eius, qui illum misit, Patris esse ait, atque à se ipso non loqui. Ac de Spiritu S. *Non enim loquetur à semet ipso*, &c. quia vtérque scientiam, qua loquebantur à Patre communicatam recepit; ac proinde in propriis Patris, non sui, eam, eiúsque effectus numerant. Ex quibus omnibus constat timidius, quam par sit Canariensem suprà, & Vazq. d. 139. capite 3. dixisse absolutè his locutionibus abstinendum esse. Neque ita verè Soarium d. 8. de Trinit. capite 3. num. 3. Molinam 1. p. d. 33. art. 1. d. 2. minus rigidas eas locutiones appellasse.

QVÆSTIO II.

An proprium Filij sit esse Verbum?

IDIMVS Filiationem, ac principium esse Spiritus S. in propriis Filij esse, numerarique debere. Duo igitur examinanda præsenti Disp. restant. An suis propria sint? Verbi nimirùm, & imaginis ratio. De imagine quæstione 3. de Verbo præsenti quæstione 2. agetur.

CERTAMEN I.

Stricta Verbi ratio propria, & notionalis Filij ex Scripturæ, & Patribus statuitur.

1 FIlium non nisi chymericè Verbum esse blasphemarunt Valentinus cum suis apud Irenæ. lib. 1. c. 1. Epiphanium hæres. 71. Theodoret. 1. hæreticar. fabular. cap. 10. lib. 5. epitomes diuinor. decretor. cap. 2. Aug. de hæresibus in 11. Samosatens. aliqui consentiunt apud Athanas. orat. 5. contra Arrian. versus fin. Item Nestoriani apud Concil. Ephesin. ac sæpius apud epistolas, & opuscula Cyrilli, Alex. insuper Arrius apud eundem 7. Thesaur. cap. 3. ex Arrianis verò alij Verbum cum homine assumpto Filium constituere, alij hominem assumptũ à Verbo filium esse aiebant teste Athanas. proximè versus med. Arrius insuper apud Cyrillum cap. 2. scientiam Dei, ac sapientiam communem Verbum appellabat, quòd diuersam à Patre personam non efficeret. Cui hac in re Sabelliani subscripserunt; vtrósque refert Athanas. orat. citata, & epist. de sententia Dionysij versus med. Cyrill. proximè post med. Mitto hæreses alias, quod Verbum sit exterius prolatum, seu prolatiuum, nuncius, seu dispositio nobis à Deo donata ad intelligenda diuinæ voluntatis arcana; hæc enim contra Verbi diuinitatem d. 2. fundatam, sunt; nunc enim ex solùm, quæ Verbum à Filio diuidunt, sunt refellendæ, quia præsenti dogmati statuendo opponuntur.

2 Nec longè à memoratis erroribus abiisse videtur Origen. lib. 11. ad Euangelium Ioannis asserens Verbum metaphoricè solum de Filio, & Christo dici, sicut lux, & agnus: quia irrationalia à nobis aufert, Patrísque arcana renuntiat. Cui consentire videtur Theophylact. ad id Ioann. 1. *Hoc erat in principio apud Deum*. Vbi non propriè, digneque Deo Verbum de Filio dici asseuerat, quod sit paternæ voluntatis nuntius: solùm autem vult ex Dionysij doctrina nullum ex creatis nomen dignè dici de Deo. Quo etiam sensu similiter loquitur Chrysostom. hom. 1. in Ioann. post med. & Euthymius in id Ioann. 15. *Quæcumque audiui à Patre nota feci vobis*. Vbi ab effectu etiam manifestandi nobis Patris mandata, tanquam à nobis notiori, Verbi rationem in Filio probant, sicut, & Epiphan. hæres. 73. vers. med. Sed neque Origenis testimonia eum in hoc errore fuisse conuincunt. Etenim vt d. 2. de Filij diuinitate agentes notabamus, ipsius in Ioannem commentaria ab hæreticis sunt corrupta, vt tanti Doctoris calculo erroribus suis authoritatem conciliarent. Durandus tamen cum Filium per intellectum formaliter produci neget, vt vidimus d. 3. Verbi rationem metaphoricè Filio conuenire docet, essèque propriè sumptam essentialem, & communem, non Verbi propriam. In hoc extremo videtur sentire cum S. Thom. q. 4. de verit. art. 2. & in 1. d. 27. q. 2. art. 2. Capreolo art. 1. Carthus. q. 1. Scoto ibidem §. *ad quæstionem istam*, Fabro d. 22. cap. 2. Ferrara 4. contrà Gent. cap. 3. Valétia q. 8. de Trinit. punct. 1. & controu. 1. de Trinit. cap. 3. qui admonet iam per Theologorum vsum de solo Filio Verbum dici licere: ac proinde Verbum appropriatione omnium Theologorum, soli Filio conuenire: licèt in aliis ratio etiam Verbi essentialis, & communis inueniatur: non autem negant alij à Durando aliam Verbi rationem Filij propriam.

3 Communis autem Patrum, & Theologorum sententia Verbi rationem Filij propriam, & notionalem esse decernit, nec solùm appropriatam. Ita S. Thom. 1. p. q. 34. art. 2. vbi Caiet. & Thomistæ, Canariens. Molina, Vazq. & Valentia, Soar. 9. de Trinit. cap. 3. Zunniga d. 9. dub. 1. concl. 2. & 3. vbi oppositum erroris insimulat, & dub. 2. Arrubal. d. 123. cap. 2. Didacus Ruiz d. 57. sect. 2. Becan. capite 5. quæst. 1. Granad. d. 2. Martin Perez d. 14. sect. 2. Gaspar Hurtado d. 7. disp. 3. & Theologi reliqui à Durando. Probatur primò ex Ioann. 1. *In principio erat Verbum*. ad quæ Cyrill. 7. Thesaur. capite 1. sub init. *vt hoc nomen quasi proprium Filij elegisse videatur: in principio inquit*, &c. ac infrà: *Vnicum est Verbum naturale, atque intrinsecum, ideſt Filius*. Concludit autem Ioann. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*. Esset autem absurdum, quæ Filij propria sunt, vt incarnasse, habitasse cum hominibus, gloriámque vnigeniti habere, quæque de Filio credenda Ecclesiæ, tunc primum, proponebat, non nomine proprio personali ipsius, sed vel communi, vel metaphorico de illo renuntiare: quin, si inde metaphoricè Verbum dicitur, quia Patris mandata visibiliter nunciauit, non poterat dici Verbum factum carnem, sed Filium factum esse Verbum. Secundò nisi proprium hîc Filij nomen Verbum sit, præcipuum fidei de Incarnatione fundamentum, quod ex hoc loco petitur corruit. Tertiò in tanto mysterio Trinitatis, & Incarnationis in nouo Testamento, in quo veteris figuræ, & metaphoræ cessarunt, metaphoricis nominibus loqui improprium, & absurdum esset: maximè cum metaphorici nominis applicatio nondum percrebruerat. Adde statim Ioannem se de Filio homine Christo loqui ostendere dum adhibito Baptistæ illum digito monstrantis testimonio. *Hic erat, quem dixi vobis* post pauca subdit: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*, &c.

4 Accedit illud Apocalips. 19. vbi *nomen* Filij *quod nemo*

nemo nouit nisi ipse, explicans Ioannes ait: *Vocabat nomen eius Verbum Dei*, ideſt Patris. Cum ergo hîc, & initio ſui Euangelij dum Filium apud Patrem eſſe, ab illo diſtinctum, eique conſubſtantialem conſiderat tantum ante incarnationem, & prædicationem (ex qua metaphoricè Verbum dici potuit) Filij nomen Verbum eſſe tradat Ioannes, quomodo nomine communis rationis, vel metaphorico illum compellet ſine abſurdo non capio. Terziò idem Ioann. epiſt. 1. cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum ſunt.* Vbi cum ſtrictiſſimè myſterium Trinitatis tradatur in vnitate eſſentiæ, & tribus perſonis, eas propriis nominibus exprimi, nec communi aliquo, aut metaphorico neceſſe fuit. Sicque Pater & Spiritus S. exprimuntur: ergo, & Filius. Confirmatur: quia malè aſſignarentur tres perſonæ his nominibus: *Pater, ſapiens, & Spiritus*: quia ſapiens nomen commune eſt. Ergo ſi Verbum commune, & eſſentiale nomen ſit, malè per illud diſtincta perſona aſſignatur: maximè, quia, ſi nomen eſſentiale ſit idem, quod ſapiens, erit Verbum. Secundò dici non poſſet: *& hi tres.* Nomine enim communi non ſignificatur perſona diuerſa à duabus; V. G. nomine *Deus, ſapiens, bonus.* Nec valet appropriatiuè eſſe nomen Verbi; nondum enim Theologica apropriatio extabat. Nec refert eſſe etiam nomen perſonale, & proprium Verbi, licèt ſit commune. Si enim perſonale ſit, aliquid ſignificat ex parte obiecti, cum perſonaliter accipitur, quod commune non ſit: quare erit nomen æquiuocum, vel analogum, ineptúmque proinde, vt diſtinctam perſonam deſignat. Ad hæc pſalm. 44. Pater inducitur Filij ſic generationem, iuxta patres omnes explicans: *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Et Eccleſiaſtici 1. *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis*, quem locum de Filij perſona ſolum intelligi docet Aug. 15. de Trinit. c. 11. ante medium.

5 Accedunt Concilia, & Pontifices definientes Verbum eſſe ſecundam perſonam Trinitatis, ſcilicet Filium. Quod, niſi nomine proprio, æquè, ac primæ proprium nomen ſit Pater, malè præſtarent. Nicen. 2. col. 7. §. *Sancta, & magna* ex illo: *Et Verbum erat apud Deum*, colligit eſſe diſtinctam perſonam à Patre, *perfectam ex perfecta: Deus enim eſt, non pars Filius, perfectus, ſicut & Pater.* Et circa medium §. *non ita* §. *ſæpe* §. *ne queras*, Synod. 1. Antiochen. profeſ. Fidei ad Paulum Samoſaten. §. 1. Concil. Epheſin. toto, præſertim profeſſione Fidei dicunt Verbum *natum ex ipſa Patris eſſentia.* Et tit. 1. cap. 4. can. 1. 11. 12. 13. decernit. *Verbum incarnaſſe, paſſumque fuiſſe.* Conſonant Calcedonenſe act. 5. definit. 2. Conſtantinopolitan. 2. generale 5. collat. 8. can. 2. 3. 4. 6. & 7. Euariſtus Papa Epiſtol. 1. ad Epiſcopos African. poſt med. *In ſinu Patris erat Filius, & corde Patris Verbum eructatum.* Liberus Papa Epiſtolæ fragmento ad Athanaſ. inter huius opera. *Eſt noſtra confeſſio Verbum Dei Filium ſecundum naturam ex Deo, eodémque Patre ſuo genitum eſſe.* Damaſ. Papa profeſſione fidei ad Paul. Theſſalonic. ſœpe Filium *Verbum* appellat, Gaius Papa epiſt. vnica. Id ipſum docuerunt Apoſtoli Ioannes in regula Fdei Virginis iuſſu data Thaumaturgo in huius vita: *Vnus eſt Pater Verbi viuentis.* Iacob. frater Ioann. apud Clement. 8. conſtitut. Apoſtolic. c. 12. ſub init. *Filium vnigenitum Verbum Deum*, c. 16. poſt init: *Vnigenitum Verbum.* Lucas Euangeliſta in ſua liturgia. col. 3. ſic orat: *Domine Ieſu Chriſte Verbum cœternum principio carentis Patris.*

6 In eandem ſententiam ſcripſerunt Patres Apoſtolis cœtanei Clem. Roman. Epiſt. 1. ad Iacob. fratrem Domin. circa med. *Caius, Patris, verè Filius eſt Verbum, & ſpeculum, & caracther, & imago viuens Patris viuentis.* Dionyſ. 2. de diuin. nomin. *Dei Verbum naturam humanam aſſumpſit: cuius actiones non ſunt Patri communes.* Ignat. epiſt. ad Magneſian. poſt med. *Filium ſuum, qui eſt Verbum ipſius, non prolatium ſed ſubſtantiale*, Epiſt. ad Philippenſes de Verbo, tanquam de Filij perſona loquitur. Martialis cognomento Apoſtolus epiſt. 1. ad Burdegalenſ. cap. 10. med. *Verbum, in quo credidiſtis, Filius eſt vnigenitus ante omnem ſubſtantiam.* Et ſtatim: *Spiritus S. non eſt genitus ſicut Verbum.* Et iterum: *eſt procedens à Patre, & Verbo.* Irenæus lib. 1. c. 1. pag. penult. *Hunc*, Chriſtum, *Verbum Dei, hunc vnigenitum, hunc factorem omnium, hunc eundem caro factum, & habitaſſe in nobis affirmat Ioannes.* c. 1. & illicò ferè ſubdit: *Diſcite igitur inſenſati, quoniam Ieſus qui paſſus eſt pro nobis, & habitauit, in nobis, idem ipſe eſt Verbum Dei.* Et lib. 4. cap. 13. poſt. init. *Verbum ideſt Filius, ſemper cum Patre erat.* Quod ſæpius ibi, & lib. 5. cap. 18. repetit. Iuſtin. expoſit. fidei de Trinit. verſ. med. *Propter imperitos vtitur etiam*, Pſalmiſta, *Perſonarum diſtinctione, ſic loquens: Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Et poſt med. *Verbum* pro Chriſti perſona aſſumit. Athenagoras legatione pro Chriſtianis verſ. medium: *Filius Dei eſt Verbum Patris.* Et ſtatim: *mens, & Verbum Dei Filius Dei eſt.* Quod ſi de Dei mente idem dicere videatur, non ſine adiuncto Verbo dicit.

7 Probatur inſuper ex Pſalm. 106. *Miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Cui conſonat illud cap. 16. *Neque herba neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.* Quibus locis, licet litteræ cortex de diuino imperio ſit, præcipuus tamen, & communis litteralis ſenſus eſt de Verbo incarnato, quod nos de interitione, maliſque aliis liberauit. Sic in primum locum Chryſoſtom. Baſil. Theodoret. Nicephor. & alij plures apud Lorinum, & expoſitores alios communiter: item Athanaſ. De Incarnat. Verbi Dei longè à med. epiſt. de interpretat Pſalmor. ad Marcelin. col. 2. orat. 3. contra Arrian. verſ. med. Nyſſen. tractatu 1. in Pſalm. cap. 8. circa medium, Cyrill. Alexand. 5. in Iſai. Eutymius 1. p. Panopliæ, titulo 8. Damaſc. 1. fid. c. 7. Cyprian 2. contra Iudæos, capite 3. Ambroſ. in Pſalm. 43. licèt autem in loco Iſai. non Verbum, ſed ſermo dicatur Filius, eadem proprietas ſignificatur illius, licèt non cum expreſſiore rigoroſa ſimplicitatis Verbi, cùm ſermo Verborum pluralitatem ſonet. Quare, niſi cùm eius multiplex virtus exprimitur in Scriptura, vt hîc. & loco ſtatim recitando, atque ad Hebreos 4. Græca vox λόγος Verbum vertenda eſt, vt vulgata vertit. Quocirca Ioannis 1. vbi de Verbo ſecundum ſe, non de multiplici eius virtute agitur, *Verbi*, ſicut habet vulgata, retinendum eſt, quia Filij ſimplicitatem rigidius exprimit: nec vertendum *Sermo*, vt impiè, & procaciter Eraſmus, & Beza volebant. Denique ſap. 8. pro hac veritate dicitur: *Omnipotens Sermo tuus exiliens de cœlo à regalibus ſedibus venit.* Licet enim de Angelo percutiente ſonet, de Dei Filio, eiúſque Incarnatione, in Angeli percutientis aduentu figuratis, intelligendum ſuadet Verbum *Omnipotens* quod de Angelo proſe ſumpto dici non poteſt. Inſuper Patrum, & Eccleſiæ totius conſenſus, quæ introitu Miſſæ de Natiuitate, vt Filij Incarnationem, & Incarnati Natiuitatem fidelibus annuntiet, eo vtitur loco.

8 Adde illud Ioann. 17. *Sermo tuus veritas eſt*: de Filio intelligi ab Athanaſ. orat. 2. Contra Arrian. longè à med. orat. 4. verſ. med. Aug. tractatu 108. in Ioann. circa med. iuxta illud: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Licet expoſitores vulgò de Doctrina Euangelica interpretentur. Item illud ad Hebr. 4. *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax.* De Filio intelligunt Patres pleríque, licet interpretes nonnulli de Dei doctrina. Denique Patres plures Dei Filium ſpecialiter ſermonem appellant. Tertullian. contrà Praxeam cap. 5. 7. 8. & 11. contra Marcionem cap. 27. aduerſus Hermogen. c. 20. Atque eius nomine Nouatian. lib. de Trinit. Cyprian. 2. contra Iudæos cap. 3. & 6. Hilar. 2. de Trinit. Ambroſ. de fide contra Arrian. cap. 2. circa med. & 1. exhamer. cap. 9. & lib. 2. cap. 2. Hieron. in 11 Iſai. & in 1. ad Hebreos. Aug. tractatu 54. & 108. in Ioann. Lactantius 4. diuinar. inſtitutionum cap. 8. & 9. Prudentius Hymno 6. Cathemerin. Remig. ad Hebræos 4. Anſelm. Ioann. 1. Nazianzen. orat. 40. de fide verſ. med. Athanaſ. dialog. 2. de Sancta Trinitate contra Anom. ſub init. dialog. 3. & orat. 3. contra Arrian. ante medium. Nyſſen. orat cathec. cap. 1. longè ab init. ac de Trinit. & aduentu Domini. Chryſoſt. tom. 3. verſ. fin. & ſerm. de Trinit. ſub init. & orat. de illo Abraham: *Pone manum tuam ſub femur*, verſ. med. Cyrill. Alexandr. 5. in Iſai. cap. 62. poſt med. pluréſque, quos referre, nedum recitare piget: videat, qui volet apud Ruiz d. 57. vbi plures alios, qui Filium Verbum appellant recenſet. Solus recitandus eſt Iacob. frater Domini, qui in ſua liturgia

lant recenſet. Solus recitandus eſt Iacob. frater Domini, qui in ſua liturgia orat. 3. ait: *Domine Ieſu Chriſte Dei ſermo.* & col. 3. atque inter med. & finem promiſcuè ſecundam perſonam iam *Filium*, iam *Verbum* appellat.

CERTAMEN II.

Ratione à priori ex Verbi definitione eadem veritas ſuadetur.

1 DVplicem reſpectum (vt alios cert. 4. examinandos taceam) Verbum claudicat: alterum ad proferentem, alterum ad obiecta, quæ illo repræſentantur, ac dicuntur: vterque autem non competit eſſentiali cognitioni ſed ſoli Filio: ergo ratio Verbi perſonalis Filij eſt non eſſentialis. Minor probatur: quia cognitio eſſentialis nequit realiter reſpicere aliquam perſonam proferentem, ſeu loquentem, cum omnibus idemtificetur. Firius autem reſpicit Patrem loquentem, à quo procedit, & à quo profertur vt ad id Pſalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Patres citati aſſerunt. Sed audiatur præterea Nyſſen. oratione catechetic. cap. 1. *Hoc Verbum eſt aliud ab eo cuius eſt Verbum. Nam hoc quoque eſt aliquo modo ex his, quæ dicuntur relata ad aliquid: quandoquidem oportet omnino cum Verbo, Verbi Patrem ſubaudiri. Non enim eſſet Verbum ſi non eſſet Verbum alicuius.* Aug. 5. de Trinit. cap. 13. *Relatiuè dicitur Filius, relatiuè dicitur Verbum, & imago: & in his omnibus vocabulis ad Patrem refertur.* Vnde S. Thom. 1. p. q. 34. *Nomen Verbi principaliter impoſitum eſt ad ſignificandam relationem ad dicentem.* Quod autem reſpectus Filij ad Patrem ſit ad illum tanquam ad loquentem, probant communiter Theologi: quia procedit per intellectum: at hoc probant, quia eſt Verbum perſonaliter: vnde vitioſo circulo diſcurrunt, niſi aliunde probetur Filium eſſe obiectiuam repræſentationem eorum, quæ Pater communi, & eſſentiali eſſentia prænouit. Si enim hoc probetur cum realis reſpectus ad patrem producentem probatus ſit, integra Verbi ratio perſonalis Filio euincetur.

2 Miror autem eam rationem Filio perſonalem negari à Soar. 9. de Trinit. cap. 3. n. 4. Vaſq. d. 144. cap. 2. Arrubale d. 113. cap. 8. Zunniga d. q. dub. 8. Granad. tractatu 9. n. 7. Ruiz d. 58. ſect. 5. Mazario 1. p. q. 34. art. 3. Controu. 2. Cum enim Verbum vtrumque eſſentialiter requirat, & reſpectum ad producentem, & rationem repræſentationis intentionalis; altero deficiente perſonaliter Verbo, Verbum perſonaliter non erit; ſicut per hos, licèt eſſentialis cognitio repræſentatio intentionalis ſit, quia non habet reſpectum realem, & verum addicentem, Verbum non eſt: atque Spiritus S. licèt reſpectum ad producentem habeat, quia tamen perſonaliter repræſentatio intentionalis non eſt, licèt ſit eſſentialis repræſentatio, cum qua idemtificatur, Verbum perſonaliter non eſt. Dicet Soar repræſentationem eſſentialem Communicari formaliter, & primariò Filio vi ſuæ proceſſionis, quæ per intellectum eſt. Sed contra primò: quia aliunde probatur Filium formaliter per intellectum procedere, quam, quia perſonaliter eſt Verbum, quod nunc eſt probandum. Contra ſecundò: quia d. 3. q. 2. probaui, eo admiſſo, æquè primò communicari Spiritui formaliter intellectionem, atque Filio. Sed miraculi inſtar eſt Vaſq. & Ruiz, qui ſecundam perſonam Filium præ tertia q. illa 2. docuerunt: quia ſecunda perſonaliter eſt ſimilitudo, & imago intentionalis Patris, ſecus tertia; nunc rationem repræſentationis intentionalis perſonalem Filio negaſſe. Nazarius verò aperiè à S. Thom. deficit dicente q. illa 34. art. 1. ad 2. *Cum ergo dicimus, quod Verbum eſt notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoſcentis, ſed pro eo, quod intellectus concipit cognoſcendo.* Probari ergo ſolùm poteſt: quia Spiritus perſonaliter Verbum non eſt ſolùm defectu perſonalis obiectiuæ repræſentationis. Secundò: quia Filius dicitur à Patribus Sapientia genita: ergo terminus eius eſt

ſapientia non formalis eſſentialis, ſed perſonalis, & obiectiua: alioqui æquè diceretur Pater ſapientia genita, atque eſſentiali ſapere, quod eſt damnatum. Si ergo Filius repreſentatio eſt, Pater producens Filio loquitur, dum illum producit; ac proindè ipſe perſonaliter Verbum eſt.

3 Dices. Eadem eſt ratio Verbi comparatione Filij, atque amoris comparatione Spiritus S. at ratio amoris ita conuenit perſonaliter Spiritui, vt propriè etiam amori eſſentiali conueniat: ergo, & ratio Verbi propriè conueniet eſſentiali cognitioni. Negatur maior: quia amor propriè acceptus non dicit reſpectum realem ad producentem, ſicut Verbum, quod proinde cognitioni eſſentiali nequit conuenire: ratio verò amoris è primaria ſignificatione eſſentialis eſt, licèt ſecundariò notionalis, & perſonalis ſit; ſicut voci *ſapientia* contingit, vt eſſentialem primariò ſignificet, ſecundariò notionalem, & genitam, nempe Filium, ob rationes dandas q. 4. Inſtas ex Athanaſ. t. 2. tract. *aduerſus eos, qui dicunt, Paſſus eſt Deus ſermo carne*, mentem: *qui dicit Deum λογον eſſentiam ſimplicem deſignat*; λογος autem *ſermo*, ſeu *Verbum* eſt: ergo eius ratio eſſentialis eſt. Solùm autem vult Verbi, aut ſermonis nominibus, nihil ex duabus naturis compoſitum ſignificari, adiungit enim: *Qui verò dicit Chriſtum, is duarum coniunctionem naturarum declarat.* Rurſus dices ex Irenæo. lib. 2. cap. 48. dicente: *Deus totus exiſtens mens, totus exiſtens* λογος. Et iterum λογος *mens, & omnia concludens mens ipſe Pater eſt.* Solùm vult Verbi perſonam non eſſe partem Dei, ſed integrum, ac totum Deum, ſicut Pater. Concludit enim: *Verbum ex cogitatione & ſenſu emitti* notum omnibus eſſe.

4 Dices verbum appellari à Damaſc. 1. fid. cap. 6. *abſolutum.* Sed ibi abſolutum pro perfecto vſurpat, nulliúſque extranei indigo. Dionyſ. 1. de diuin. nomin. *Verbum* inter alia Dei nomina recenſet. Sed quid inde? licèt enim eſſentiale non ſit, aſt proprium Dei eſt, cum Filij ſit, qui Deus eſt. Deinde Baſil. S. contra Eunom. cap. 11. air: *Dei quidem Verbum Filius, Filij autem Verbum Spiritus S.* Sed tamen vt benè S. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. & opuſc. 1. contra error. Græcor. metaphoricè Spiritum Verbum appellat ob exteriorem miſſionem ad manifeſtanda ſecreta ſua, & Patris, ad quod verba proferri ſolent. Sic Ioann. 15. de Spiritu S. Filius dicebat: *Quem ego mittam vobis à Patre, ille vos docebit omnia.* Quod ſi Ambroſ. lib. vnic. de Filij diuinitate, Filium *Verbum de Verbo*, nominat, vbi Patrem Verbum etiam videtur nominare: ac proinde *Verbi* nomen non eſſe Filij proprium, cum ſit Patri etiam commune: non loquitur ex propria ſententia: ſolúmque vult Patri loquenti, quomodolibet loquatur, conſubſtantialem neceſſariò Filiú fore. Denique obiicies Patres Filium ideò Verbum eſſe: quia imago Patris: atqui Spiritus S. apud eſt imago Filij, iuxta Patres q. 4. referendos: ergo erit Verbum Filij, atq; abſoluté Verbum in diuinis. Verùm ea q. 4. conſtabit Spiritum S. Filij rigoroſè imaginem non eſſe.

5 Oppones iterum. Cognitio quævis creata, vel eſt Verbum mentis, vel illud habet, vt terminum annexum: ergo intellectio eſſentialis diuina, vel eſt Verbum, vel habet illud annexum vt terminum eſſentialis, non notionalis cognitionis diuinæ. Confirmatur primò: quia Verbum creatum non conſiſtit adhuc partialiter in relatione producti, ſed in ſola repræſentatione obiecti, quam eminentiſſimè habet eſſentialis cognitio in diuinis. Secundò: quia, & ſi ſola eſſet Patris perſona Verbum haberet: tunc autem non eſſet terminus productus in diuinis. Tertiò: quia actus notionalis non reflectitur ſupra producentem, nec tranſit ad creaturas; ideò nec ſe, nec creaturas generat, aut ſpirat; atqui tam ſe, quam creaturas loquitur Pater: ergo locutio ſeu Verbum reflectitur ſupra Patrem: ergo Verbum, ſeu locutio actus eſſentialis eſt non notionalis: quare non eſt nomen perſonale Filij, ſed eſſentiale, & commune. Diſtinguo primum antecedens, præciſè, quia intellectio, nego. Quia quævis intellectio, vel producitur, vel eſt productio Verbi: Concedo: & nego conſequentiam: quia intellectio eſſentialis

nec producitur vsquam, nec secundum se est productio, cum in Filio, & Spiritu S. secundum se totam sit, & tamen nihil cum illis producit ; vt notionalis autem efficitur, productio est, habérque pro termino Verbum, qui Filius est, vt contendimus. Ad confirmationem primam nego assumptum ; similitérque assumptum confirmationis secundæ. Ad tertiam confirmationem distinguo maiorem. Non reflectitur nec transit &c. actiuè : concedo maiorem. Repræsentatiuè: nego: hoc autem satis est, vt se, ac creaturas Verbo Pater loquatur, de quo certamine tertio.

6 Denique Durandus Eunomij argumentum relatum à Cyrillo 1. in Ioann. cap. 4. & 7. thesaur. cap. 1. post med. sic arripuit. Verbum mediat inter loquentem, & cui loquimur, atqui loquitur Pater Filio ex Psalm. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*: ergo Verbum mediat inter Patrem, & Filium : atqui Filius nequit mediare inter se ipsum, & Patrem : ergo neque esse Verbum. Negatur maior : ostendam enim cert. 3. Patrem verbo suo ipsi *Verbo* loqui. Instat Eunomius : quia Ioann. 8. Filius de se, & Patre ait: *Scio enim, & sermonem eius seruo.* & cap. 14. *Verbum, quod audistis, non est meum.* Ergo Verbum, quod seruatur à Filio, ac Filij non est distinctum, est à Filio. Respondeo primò cum August. tractatu 43. in Ioann. & cum Beda intelligendo Verbum, & sermonem personaliter pro Filio, vt vult Eunom. negando consequentiam : quin potius, si Filij foret verbum, ac non suius Patris, Filius Verbum ipsum non foret : nemo enim sui ipsius est, maximè vt principij, & producentis, ac loquentis, sed ipsemet est. Laudanda solutio, quia hæreticam inscitiam prodit. Vera autem, & litteralis est eis locis Christū loqui de doctrina sua, quā Patris Verbum, id est mandatum, appellat phrasi vulgari : ac Verbum non suum ait primitùs, quia à Patre, cuius omnia communia primitùs in Trinitate sunt, acceptum habuit, atque vt homo impleuit, seruauit, obseruauíque.

7 Cæterùm Durandi doctrina sugillatur à Carthusiano in 1. d. 27. q. 3. longè à med. vt *inepta, friuola, & clarissimè reprobata Scripturis, & dictis Sanctorum.* A Ruiz verò d. 57. sect. 4. n. 5. vt *hæresi proximā*. A Zunniga citato cert. 1. n. 3. vt *error*, quibus subscribo. Nec eis censuris liberatur authoritate Doctorum, qui n. 2. docuerunt Verbi nomen essentiale esse in diuinis, isdem enim docent esse etiam personale, vt vidimus n. 3. sicut de nomine sapientiæ, & amoris Theologi omnes sine errore, imò catholicissimè essentiale, & notionale esse fatentur: quare, licèt alia sit nominis Verbi Theologica ratio, atque amoris, & sapientiæ, vt illud solùm personale nomen sit, vt ex dictis clarè deducitur : ast asserere vtrúmque, nempè notionale, ac personale esse cum theologica veritate probabilissima, non autem cum sine pugnabit.

CERTAMEN III.

Statuitur quis, quibus, quæque Verbo loquatur in Diuinis.

1. DIcere, seu loqui impropriè sumptum (provt idem est, quod cognoscere obiecta verbo repræsentata cognitione, quæ ad Verbum ipsum terminetur) dubium non est quin tribus conueniat personis : quippe ex dictis d. 3. de processionibus constat cognitione essentiali, qua tres personæ intelligunt Verbum à Patre solo vroduci, ac proinde, & eam ad Verbum terminari. ...mpropriam hanc dictionem, seu locutionem vsurpant ...andoque Patres, Anselm. cap. 28. 34. & 46. Monolog. ...vent. 3. ad Monim. capite 7. medio, aliíque dicen... *Vtl aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare.* Eó... ...nsu Trinitatem totam Verbo dicere, ac loqui ... ex illo Genes. 1. *Faciamus hominem.* Et Genes. 11. *Venite descendamus.* Cyrill. Alex. 3. Dialogorum de Trinitate longè ab initio. 1. contra Iulian. post medium August. contra serm. Arrianorum capite 15. Ambrosius 5. de fide ad Gratian. capite 6. sub. initio ad illud Ioann. 16. *Non enim loquetur à semetipso* : specialiter de Verbo, quod se ipso loquatur docent Isidorus Peluſiota epist. 141. Augustinus primo de Trinitate capite 12. post med. lib. 7. cap. 3. & tract. 14. in Ioann. Ambrosius. in id ad Hebræ. 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ.* Ad quem etiam locum Chrysost. Theodoret. Theophylact. & Oecumenius. In qua laxa locutione Pater, & Spiritus, & *quod* solùm loquentur, Verbum autem vt *quod*, & vt *quo*, loquetur ; quia solus ipse Verbum, & locutio est, vt notauit benè Ruiz d. 60. sect. 5. n. 1. & 2.

2 Hac verò impropria locutione omissa dicendum est : propriè loquendo solum Patrem verbo suo loqui. Est contra Durandum, qui ad dictionem propriam solam cognitionem requirit, & contra Vasq. D. 141. cap. 4. à num. 22. vbi dictionem idem, quod verbum in facto esse fore contendit. Est autem expressa Aug. sententia 7. de Trinitate capite 1. sub init. his verbis : *Dicens ergo illo coæterno verbo non singulus intelligitur, sed cum ipso Verbo, sine quo non est vtique dicens.* Est autem sapiens sine Verbo, ac lib. 15. *Tanquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia.* Quæ ferè repetit cap. 15. & 21. init. & in Psalm. 61. *Semel locutus est Deus, quia vnum Verbum genuit.* Athanas. epist. de decret. Nicænæ Synod. *Si concesserint Deum non nisi semel Verbum proferre, fieri non potest quin agnoscant eum ita loquentem Verbi sui Patrem esse.* Gregor. M. 23. moral. capite 11. aliàs 19. *Loqui Dei est Verbum genuisse.* Repetit glossa ad id Iob 23. *Semel loquitur Deus.* Et Gregor. ipse capite 32. fine, Anselm. 32. Monolog. init. *Quis neget summam sapientiam, cum se dicendo intelligat, gignere consubstantialem sibi similitudinem suam, id est Verbum suum.* Similia habet sæpe à capite 31. ad 36. Richard. Victorin. 6. de Trinit. cap. 12. fine : *Interna locutio agitur authore Patre suo.* Quibus ad dictionem, seu locutionem Verbi productio requiritur, quæ nec communi intellectione, nec verbo solo continetur : quare soli Patri tribuitur.

3 A ratione probatur primò: quia loqui apud sacros, & prophanos Authores est verba facere, seu proferre : ergo loqui dicit actionem verbi productiuam, seu prolatiuam. Antecedens nemo, vel mediocriter eruditus ignorat : sæpe enim in Prophetis, & Euangelio dicitur: *Factum est Verbum Domini.* atque latina phrasis : *Verba facere* pro *loqui* vulgaris est. Probatur secundò : quia Verbum correlatum est ad loquentem, seu dicentem, vt ex Patribus notabamus cert. 1. ergo Dicere Dei est aliquid respectiuum tenens se ex parte dicentis Patris, eiusque proprium. Confirmatur : quia Verbum non est verbum nisi Patris : sed ablata ratione producentis non minus esset Verbum Filij, & Spiritus S. quam Patris : cùm æquè à tribus immanenter, & circuminsessiuè habeatur, imò strictiùs à Filio, à quo realiter formaliter habetur : ergo in ratione loquendi inuoluitur Verbi productio à loquente. Confirmatur ad hominem contra Vazq. quia ex eo ait Patrem dicere Verbum, quia illud cognoscit in se ipso : sed similiter Spiritum S. ac se ipsum in se ipso cognoscit : ergo non minus se, ac Spiritum S. dicet, quam verbum : stet ergo en ratione dictionis, & locutionis inuolui productionem per intellectum, quæ verbo dicendi, aut loquendi explicatius, quam verbo generandi denotatur: ac proinde solùm Patrem, qui Filium ita producit, dicere, seu loqui. Constat inde loqui passiuum, seu dici eandē passiuam productionēm per intellectum importare, efféque notionale Verbi, seu Filij, sicut actiuè notionale est Patris, vt communiter docent Theologi apud Ruiz d. 6. sect. 1. n. 4. & sect. 3. Impropriè autem obiecta ipsa repræsentata dicuntur, sumpta dictione pro intellectione, vt n. 1.

4 Dico secundò. Toti Trinitati, ac creaturis Verbo suo loquitur Pater. Probatur : quia iis omnibus loquitur, qui obiecta Verbo dicto repræsentata per illud cognoscunt : sed obiecta verbo dicto repræsentata tota Trinitas

Trinitas cognoscit : ergo Trinitati toti loquitur. Quod sibi loquatur Pater constat ex testimoniis datis August. 15. de Trinit. Anselmi, & Gregorij n. 2. neque opus est, vt audiens à loquente distinguatur, vt patet. Quod autem loquatur filio constat ex Ioann. 12. *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* & cap. 3. de Filio : *Quod audiuit, & vidit hoc testificatur.* cap. 7. *Sicut docuit me Pater hæc loquor.* cap. 15. *Quæ audiui à Patre meo hæc nota feci vobis.* psalm. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* ad quæ consentit Aug. tractat. 14. in Ioann. post med. & 54. circa fin. ait : *Dixit ergo Pater Filio, sicut dedit vitam Filio; non quod nesciebat, vel non habebat, sed quo ipse Filius erat.* ac rursus : *Dixit veritati, quia genuit veritatem.* & contra serm. Arrianor. cap. 12. post med : *Si non per ipsum* (Verbum) *Pater iubet* (Verbo) *vt descendat de cælo* (per Incarnationem:] *Non ergo Pater per suum Verbum iubet, aut aliud erit Verbum, per quod iubeatur vnico verbo.* De Spiritu S. constat ex Ioann. 16. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæ audiet loquetur.* ac rursus: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* vbi locutione impropria numeri primi loqui etiam Filium ad Spiritum S. quia ei spiratione communicat cognitionem ad ipsum Verbum terminatam, agnoscunt Patres citati d. 2. agentes de processione Spiritus S. à Filio. Denique vniuersaliter loqui Patrem ad Trinitatem totam conspirant Patres citati d. 2. q. 1. ex illo Genes. 1. *Faciamus hominem.* & Genes. 11. *Venite descendamus.*

5 Huc remisimus solutionem ad Durandi, & Eunomij argumentum, quod, & plurium Arrianorum fuit apud Cyrill. sic hæreticorum verba habent. *Quia cum locutio, non nisi verbo fiat, aut per ipsum Filium, si Verbum verum est, loquitur Filio Pater ; aut si hoc absurdum est, aliud est Verbum interius, atque naturale, quod ad Filium locutus est Pater.* Respondet optimè Cyrillus alio verbo non egere, vt ad ipsum, qui, vt Deus, & persona omniscia, audiendi capax est, Pater loquatur ; sed ipsomet loqui Patrem, & ipsum audire, non alio : sicut quævis Forma se ipsa tatis est, verb. gr. lumen, nec alio indiget, & ; vt illuminaretur, si illuminari vt *quod* posset. Cyrilli verba sunt : *Habet enim Filius naturaliter perfectam paternæ voluntatis cognitionem, nec verbum expectat cum ipse sit verbum.* A ratione obiicies ex nostra doctrina, Controu. de Scientia Dei d. 3. quia, si Pater Trinitati toti loquitur Verbo obiecta per ipsum repræsentata : ergo in Verbo, nec solùm in se ipsis obiecta omnia cognoscunt, tanquam in medio contra ibi dicta. Nego consequentiam. Nihil enim Verbo manifestatur personis, quibus non loquitur ob indigentiam cognoscendi ex Patris locutione, vt rectè Augustinus recitatus n. 4. ex tract. 54. in Ioann. circa fin. sed ex necessitate loquendi in Patre, cuius locutio perfectio necessaria est: ex ea tamen necessariò resultat auditio in ipso Verbo, & aliis omniscíis personis : non quod ex illo ad rursus secundò cognoscenda obiecta personæ ducantur, sed quod suppositā perfectissima eorum cognitione cognoscant perfectissimam eorum omnium obiectiuam repræsentationem, quæ in Verbo est : sicut in scientia formalem eorumdem repræsentationem recognoscunt, quia ex illa ad obiecta ipsius rursus cognoscenda, quasi regrediantur.

6 Quod autem ad creaturas Verbo suo loquatur, concors etiam Patrum sētentia est ex illo: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ioann. 1. & illo toties Geneſi repetito : *Dixitque Deus. Fiat lux : Fiat Firmamentum. Producat terra,* & psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* & psalm. 48. *Ipse dixit & facta sunt.* & ex aliis similibus ad quæ Patres, & Interpretes videte, Aug. 1. de Genes. ad liter. cap. 3. lib. 2. cap. 6. contra serm. Arrianorum capite 12. & 13. 7. de Trinitate, capite 3. sub initio tractatus 21. in Ioann. longè ab initio Euthymi capite 16. in 14. Ioann. Origen. hom. 2. in varios col. 3. Athanas. orat. 3. contra Arrian. circa med. de decret. Nicænæ Synod. med. dialog. 3. de S. Trinit. contra Macedon. vers. fin. Nyssen. de Trinitate & aduentu Domini contra Iudæos col. 2. Nazianz. orat. 49. de fide vers. med. Cyrill. Alex. 2. thesau. vers. med. lib. 10. cap. 6. fin. lib. 12. capite 9. Philon. Carpat. col. 4. in cant. Anselm. 32. Monologij fine, & sequentibus, Glossa in locum citatum psalmi 148. Hos imitantur Scholastici omnes cū Magistro in 1. d. 27. & in 2. d. 13. cap. *Præterea*, & cum S. Thom. 1. p. quæst. 34. art. 1. & 3. & 4. contra G. capite 13. post med. Verùm locutio hæc ad creaturas, non intelligitur de exercita (quæ non nisi per illustrationem, seu reuelationem fit, & creaturæ rationali audiendi capaci externè productam) sed de remota, & in actu primo, vt ex Patribus præcipuè Augustino poterit quisque notare. Circa ea tandem, quæ Verbo loquitur Pater, certum est intelligibilia omnia esse ; quorum omnium Verbum, vt potè infinitum repræsentatiuum est ; tamen sine reali respectu ad illa, præsertim ad extrinseca, licèt à nobis non sine respectu ad omnia cogitetur, vt ex dictis d. 5. quæst. 1. certamine 3. satis liquet : quidquid oppositum inconsequenter doceat Ruiz disputatione 62. numero 9.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

QVÆSTIO III.

An ratio imaginis notionalis sit, ac personalis Filio?

NIhil in titulo explicandum occurrit, vt directè Quæstioni respondeatur.

CERTAMEN I.

Filius personaliter imago ex Patribus, & Scriptura catholicè probatur.

1. DVrandus 1. d. 28. q. 3. art. 2. docet imaginem impropriè solùm reperiri in diuinis, quare ita solùm Filio conuenire. Eum autem erroris damnat Carthusian. q. 4. Temeritatis verò Ruiz d. 64. sect. 7. à n. 1. quia verba Scripturæ sine necessitate ad improprios sensus detorquet. Secundò : quia à Patribus, & Scholasticis omnibus ex proprio iudicio nimium audax defecit. Tertiò: quia rationi aduersatur, qua ex Patribus, & Scholasticis monstrabimus Filium Patris imaginem strictè sumptam esse. Aureolus d. 27. p. 2. art. 3. (quem alij ignominati sequuntur) asserit sine oppositione producentis, & producti imaginis propriæ rationem esse in diuinis; ac proinde communem esse, non personalem adhuc Filij. Eadem temeritate, qua Durandus laborat : cum eisdem Scripturæ, Patrum, & Conciliorum testimoniis, ac Theologorum consensui, & rationi ex Patribus efformandæ opponatur, quibus Durandus. Communis ergo Theologorum sententia docet imaginem propriè sumptam Filij propriam, ac personalem esse, ita Magister in 1. d. 27. cap. 5. & 6. d. 28. fin. d. 31. pag. 3. quibus locis S. Bonau. Capreol. Ricardus, Carthusian. Ægyd. & Commentatores reliqui. Alex. 1. p. q. 61. m. 1. 2. & 3. art. 2. Albert. q. 35. m. 2. S. Thom. 1. p. q. 35. art. 1. & 2. vbi Caiet. & reliqui Interpretes ; & 4. contra G. cap. 11. vbi Ferrara, Scotus cum suis in 1. d. 10. q. vnic. ad. 1. & d. 31. q. etiam vnic. Canarien. 1. p. q. 27. art. 2. p. 4. Vasq. d. 145. Soar. 9. de Trinit. cap. 8. & 9. Ruiz d. 64. sect. 3. n. 1. & sect. 4. numero etiam 1. reliquos antiquiores preferens, Becanus cap. 1. q. 4. Zunniga d. 10. Granad. d. 11. sect. 5. Luis Torres d. 19. dub. 3. Martin Perez d. 15. sect. 3. Gaspar Hurtado, d. 7. dif. 16.

2 Probatur ex Sap. 7. vbi de Filio dicitur : *Speculum sine macula, imago bonitatis illius.* Ad Hebræ. 1. *Figura substantiæ.* 2. Cor. 4. *Qui est imago Dei.* Colossi. 1. *Imago Dei inuisibilis.* Ad. Roman. 8. *Quos præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Clem. Roman. ep. ad Iacob. fratrem Domini circa med. *Speculum, & caracther, & imago viuens Patris viuentis.* Thaumaturg. in regula fidei diuinitùs per S. Ioannem accepta : *Deus de Deo, figura, & imago Deitatis, verbum efficax.* Athanas. de decret. Nicænæ

Synod. ferè med. *Quod si eum imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaueris. Quid enim simile Deo, nisi sui ipsius progenies?* atque orat. 2. & 3. contra Arrian. idem docet, & orat. 4. contra Arrian. post init. ait: *Quominus ille solus sit imago vera, & genuinus Patris sui, nihil inde obstaculi nascitur,* (quod nos ad Dei imaginem simus,) cum id nos habeamus. *Ob imaginem Dei, & veram eius gloriam in nobis habitantem: quæ quidem ipsa est ratio, sine Verbum Dei, quod nostri gratia postmodum caro factum est.* ac de humanitate Verbi, eiusque corporali aduentu post init. *Id autem* (imaginis diuinæ renouatio in nobis) *quomodo consici potuit, nisi ipsa imago Dei, Saluator noster, superuenisset?* Repetit de Incarnat. Verbi Dei circa fin. & de Incarnat. Christi, vers. med. & 1. de vnita Deit. *Vna imago inuisibilis est Trinitatis: quia vna, eademque Deitas est in imagine veritatis.* atque orat 2. contra Arrian. vers. med. ad id Ioann. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Alexand. Alexandr. epist. ad Alexandr. Constantinopolit. post med. in eum locum filium esse imaginem docent, sicque hîc col. 5. epistolæ Arrianos redarguit: *Quod si imago Dei*, filius, *non erat semper, liquet, neque illum cuius imago est, Patrem, semper fuisse: quin etiam, cum dicitur formam substantiæ Dei non esse, tollitur vnà, etiam ille, qui animo ab illa figurabatur.* & post med. ait: *Imaginem complecti debere eas omnes res, quibus exemplar ipsum exprimatur.* Cyrill. Alex. 2. thes. cap. 2. med. *Imago Patris Filius est, & in se ipso Patrem ostendit.* lib. 3. cap. 1. col 4 verba, proxima Ioann. exemplo Regis, & imaginis eius declarat, & col. 5. *Propter hoc Filius Verbum, & imago Dei est, quia ex ipso Patre verè genitus est.* ac rursus longè ab init: *Naturales dignitates Patris incommutabiliter habet Filius, & ideò Patris imago est, & ipsum genitorem in se monstrans.* lib. 5. cap. 2. longè à med. de filio ait: *Carácther substantiæ, & perfectam similitudinem ostendit, & personarum docet differentiam.* ac 1. de recta fide ad Theodos. col. 12. *Annon genitoris imaginem, & Carácthere m illum appellant Sacræ Litteræ?* ac 3. Dialogor. de Trinit. col. 4. *Intelligitur Pater non aliter, quam per Filium, & in Filio: quandoquidem est expressa similitudo substantiæ eius, à quo ortus est, seruans naturam in propria figura.* Dydim. apud Hieron. 2. de Spiritu S. longè à med. *Glorificat Filium Spiritus S. ostendens illum, & inuertum proferens splendorem substantiæ, & imaginem inuisibilis Dei.* ac rursus: *Imago ipsa ostendens se puris mentibus glorificat Patrem, insinuans eum nescientibus: ipse enim ait: Qui me videt, videt & Patrem.*

3 Nyssen. de different. essent. & hypostas. circa fin. *Filij hypostasis quasi forma, ac facies est, qua pater cognoscitur, & Patris hypostasis in forma filij cognoscitur.* de Trinit. ad Eustathium longè à med. *Nec aliter videre licet hypostasim, siue personam Patris, nisi per carácthere m in eum intuitus fuerit: Carácther autem Patris hypostaseos, siue personæ vnigenitus filius est.* Basil. hom. 16. in id Ioann. 1. *In principio erat Verbum.* Ait ideò esse verbum: *quia imago est genitoris totum in se monstrans genitorem.* & 2. contra Eunom. vers. med. ait: *Imaginem esse consubsistentem cum prototypo, qui ipsi subsistantiam dedit, idemque cum prototypo existentem, nec imitatione figuratum, sed tanquam sigillo aliquo tota Patris naturæ filio impressa,* & infra: *Qua propter totum in se ipso Patrem ostendit ex tota eius maiestate resplendens.* & de spiritu S. cap. 18. vers. med. *Imaginis honor ad exemplar primum refertur.* epist. 43. ad Nyssen. *Qui filij, quasi formam, mente concepit, paternæ quoque hypostaseos carácthere m animo impressit suo.* & post pauca: *Perinde, atque speculo quodam puro, qui impressam illi formam conspiciat.* ac tandem. *Quoniam, & totus filius in Patre manet, & totum vicissim in seipso Patrem habet: ita, vt hypostasis filij instar formæ, ac facies sit paternæ cognitionis; & contra Patris hypostasis forma filij cognoscatur.* Epiphan. hæres. 76. col. 3. *Imago Dei personam generatiuam coessentialitatem, tanquam filio ad Patrem exprimente genus, & tanquam de cætero assimilatio reperiatur idemtitatis, & coessentialitatis.* Repetit infra ad cap. 2. Aetij, & in Ancorat. longè ab init. *Qui ex Patre procedit splendor gloriæ, carácther substantiæ, imago Patris in veritate.* Naz. orat. 36. 4. de Theol. ante numerum 83. ait. filium dici *carácthere m, vt purum Patris sigillum, minimèque mendax.* orat. 42. col. 2. n. 19: *Imago est vi ui archetypi.* passimque sic filium appellat in apologet. 1. qui est oratio prima n. 167. orat. 35. 3. de Theolog. post med. n. 65. & 66. carm. arcano 1. post med. Ilarius lib. de synodis ad can. 1. oriental. *Filium imaginem Patris* vocat, ac 3. de Trinit. vers. fin: *Omnia filius accipit à Patre, & est Dei forma, & imago substantiæ eius: eum enim, qui est, ab eo, qui est imago, tantum ad subsistendi fidem, non etiam ad aliquam naturæ dissimilitudinem intelligentia discernit.*

4 Aug. 5. de Trinit. cap. 13. init: *Relatiuè dicitur filius, relatiuè dicitur, & Verbum, & imago* (repetit lib. 7. post init. & cap. 2. med.) *& in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.* lib. 6. cap. 2. ante med. *Sic Verbum quomodo imago, non autem Pater, & Filius simul ambo imago, sed Filius solus imago Patris.* Repetit fine, & lib. 7. cap. 1. post init. & cap. 2. med. Ambros. 2. exhamer. cap. 5. med. *Filius omnia Patris, quasi imago exprimit: omnia eius, quasi splendor gloriæ illuminat.* & 1. de fide ad Gratian. cap. 4. post med: *Dum imago dicitur Patrem significat esse, cuius imago sit filius: quia nemo potest ipse sibi imago sua esse.* Chrysost. hom. 2. ad Hebræ. 1. col. 1. *Carácther substantiæ eius, nempe est filius: utpote quemadmodum ipse Pater in se ipso subsistit aut ius indiges: ita & Filius. Nam hîc illud ideò dicit, vt omnimodam similitudinem, & propriam exemplaris imaginem ostendat.* & col. 3 *Carácther alter est ab ipso sub exemplaris alter autem, non in omnibus, sed, secundum quod per ipsum subsistit. Nam, & hic carácther similitudinis omnimodæ præbet indicium ad illud, cuius est carácther.* Ansesm. 37. Monolog. fine: *Verbum hoc ipso, quod Verbum est, aut imago, ad alterum est: quia non nisi alicuius est verbum, aut imago.* Eusebius Cæsarien. 14. Demonstrat. euangel. cap. 2. *Oracula Deum genitum illum enuntiant, tanquam eum, qui diuinæ naturæ solus in se ipso ferat imaginem.* & lib. 5. cap. 1. longè à med. de filij imagine, ait: *Quæ tota ipsa sit species, & ipsa essentia similitudinem referens Patris.* Nicet. ad orat. 42. Naz. col. 2. n. 19. Imago *est vivi archetypi.*

5 Vltimùm, neque inefficax ab auctoritate, licèt negatiua, argumentum sit: Quod attigit S. Thom. q. 35. art. 2. Solus enim filius imago dicitur ab Scriptura locis datis n. 2. & à Patribus; non autem Spiritus S. cum de illo agunt; vt patet in Naz. orat. 1. quæ est apolog. n. 167. orat. 35. 3. de Theolog. post med. n. 65. & 66. orat. 36. 4. de Theolog. versus fin. n. 83. carmine arcan. 1. post med. Greg. M. 5. Moral. cap. 25. fine. Gregor. Bætic. Chrysost. hom. 74. in Ioann. circa med. & sæpius, synodo Alexandrina epist. ad Cyril. inter huius epist. 10. Fœlice Papa 1. epist. ad Benignũ Euaristo Pap. epist. ad omnes Episcop. Africanos, Phylo Iudæus apud Eusebium Cæsar. 1. præparat. Euangelicæ cap. 10. longè ab init. Origen. 1. Periarc. cap. 2. & 3. Theodoret. 5. diuinor. decretor. cap. 2. & 3. quos, & alios refert Ruiz citatæ sect. 4. At dices Spiritum etiam dici imaginem in regula fidei Thaumaturgi apud Nyssen. in eius vita: *Imago perfecta filij perfecti.* Athanas. epist. 2. ad Serapion. vers. med. & fin. & epist. 4 col. 2. Spiritum S. *Filij imaginem* appellat, cui nos volebat Paul. ad Roman. 8. *conformes fieri imagini filij sui.* Consonant Basil. 5. contra Eunom. titulo 6. fine, & tit. 8. init. & tit. 12. bis, ac lib. vnic. de Spiritu S. cap. 9. post med. Cyrill. Alexand. bis 13. Thes. sub med. ac bis 7. dialog. de Trinit. vers. med. Epiphan. hæresi 76. col. 3. Damasc. 1. de fide cap. 18. med. *Sigillum* item appellatur ab Athanasio epist. priori ad Serapion longè ab init. & longiori longè à med. à Cyril. 14. Thesau. cap. 4. circa med. Ambrosio 1. de Spiritu S. cap. 6. ex 1. ad Ephes. & 2. Corinth. 1, ad quem etiam Chrisost. hom 3. ante morale, & fine moralis, & in epist. ad Roman. apud S. Thom. opusc. 1. cap 32. §. 8. *Sigillum, & carácthere m* appellat. *Facies* autem *Patris* à Cyrillo 13. thesaur. cap. 2. circa med. ex illo Psalm. . 138. *Quo ibo ab Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam.* ac 9. in Ioann. post init. *Facies Filij Spiritus est.* His autem nominibus imaginis ratio propria tribuitur Spiritui Sancto à Patribus suprà recitatis, atque infrà recitandis.

6 Respondetur, Patres aliud voluisse, quam hîc obiectantes intendunt, neque ita propriè accepisse vocabula. Ac in primis *Sigillum* commune est nomen tam impressæ, quam expressæ imaginis, vt patet: quia ergo gratia, & iustitia, qua Dei imagines reddimur, Spiritui appropriatur sigillum, seu imago impressa Dei, ac filij dicitur, non expressa, sicut Filius. Deinde, quia sicut sigillum cartham claudit, ita Spiritus Trinitatem vltimo loco procedens concludit; *Facie i* nomen Deo metaphoricum, aptius tamen re signi significata Filio esset, quam Spiritui, docent Patres ad ea Psalmi verba, (licèt rig. dè de Dei scientia sit sermo,) Athanas. de vnita substantia Trinit. fine, Euthymius in eum locum, Gaudentius Brixienfis tract. 14. de missione Spiritus S. Cyrillus ipse 5. de Trinit. longè à principio vbi ad 14. Ioann. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* ita habet: *Quod, quasi facies Dei, ac Patris, sit, docebit facile Psaltes vno loco dicens: Quo à facie tua fugiam. Alio autem loco in persona eorum, qui in illum credidernnt: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Obsignati enim sumus Spiritu sancto,* per gratiam, *ad effigiem, & similitudinem faciei Patris, hoc est Filij.* Ac de extremo loco sic effatur 3. in Ioann. cap. 29. *Vultum enim Dei Patris Filium appellat, idest Patris carácthere m: lumen verò illius gratiam Spiritus, quæ ad omnes penetrat creaturas: per quam ad Deum Fiat conformamur, tanquam sigillo quodam ad Filium conformati, qui Patris imago est.* Quibus satis expressit, quo sensu illud: *Conformes fieri imaginis Filij sui,* per prædestinationem de imagine Spiritus S. intellexerit; nempe de actiua, & impressa solùm, cum de expressa imagine, ac propria Patris Filium, tam his locis, quam 10. thesau. cap. 4. & 3. in Ioann. cap. 29. vers. med. intellexerit; sicut, & Chrysost. hom. 15. col. 3. Origen. & Theodoret. Nyssen. item de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæ. col. 1. Sic illud Prou. 8. legit, & expendit ex antiquorum lectione: *Cum pararet cælum aderam vnà cum eo: atque ego eram, qua delectabatur: quotidie oblectabar facie eius. Quem igitur locum hæc habent si non in substantia, atque re vera facies erat?* Denique Galatin 3. de arcanis cap. 3. filium faciem Dei appellari ex Hebræorum traditionibus ostendit, quomodo, & plures ex recitatis Patribus illum compellant. Solùm ergo his locutionibus de Spiritu S. licèt impropriè, eius cum Patre, & Filio consubstantialitatem volunt contra hæreticos euincere Patres. Verùm Athanas. epist. 2. ad Serap. post med. Patrem etiam *imaginem* videtur appellasse his verbis. *Quemadmodum in propria sua imagine est Filius in Patre, ita & Pater in Filio.* Sed vel imago sumitur abusiuè pro exemplari, vt vult. S. Thom. vel illud, *quemadmodum*, solùm cadit supra: *est Filius in Patre*, immanenter, & circuminsessiuè, *ita, Pater in Filio.* Alioqui post particulam, *ita*, quæ respondet particulæ *quemadmodum*, adiungi ad cohærentiam, & sensum deberet: *& Pater in propria sua imagine.* Sensus ergo est: Quemadmodum Filius in propria sua imagine, ideſt in forma Dei existens, siue, vt Deus, est in Patre, ita &c. vt bene Ruiz exponit.

7 Hanc eandem imaginis proprietatem in filio aliis nominibus Patres exponunt: nempe *speciei* nomine. Ambros. in symbol. Apostolor. cap. 1. med. *Æternitas est in Patre, species in imagine, virtus est in munere, & hæc tamen tria vnus est Deus.* Ad quæ Aug. 6. de Trinit. cap. 10. *Imaginem speciem nominauit: credo propter pulchritudinem, vbi iam est tanta congruentia, & prima æqualitas, & prima similitudo.* quo etiam vtuntur nomine Clemen. Alex. 1. Pædag. cap. 7. Hilar. de Synod. col. 6. ad can. 1. orient. Gregor. M. 5. Moral. cap. 25. ac Cyrill. in id Ioann. 5. *Pater testimonium perhibet de me: neque vocem eius numquam audistis, neque speciem eius vidistis, & Verbum eius non habetis in vobis manens,* &c. Athanas. serm. de Sanctissim. Deipara *specimen* pro *specie* dixit. Vocem autem *speciei*, & carácteris, quæ frequens est etiam apud Patres recitatos, & sigillum ac imaginem, vt synonima coniunxit ibidem sic effatus: *Carácthere m, & speciem substantiæ eius, per quam ipse Pater exprimitur, & representatur. Vt enim annulo signatorio species aliqua effiguratur, quam, & imaginem expressam, & sigillum appellamus: nihilque, quatenus ad suos pertinet, deficit ab exemplari suo: ita quoque Filius.* &c. & orat. 4. contra Arrian. longè à principio sic proxima verba Ioann. 5. expendit: *Pulchrè hîc Verbum coniunxit formæ, vt palam faceret se esse Verbum Dei, & imaginem, carácthere m, & speciem sui Patris.* Carácteris verò, & sigilli vocibus eadem veritas exprimitur desumptis ex Ioann. 6. 27. *Hunc Pater signauit Deus.* ad quæ Cyrill. 3. in Ioann. cap. 29. longè à princip. *Quoniam igitur diuina Scriptura testatur carácthere m hypostaseos Dei Patris Filium esse, quia inipsa, & ex ipsa est naturaliter, quo alio caráthere Pater Filium suum signauit? aut ipse Pater, quo alio caráthere signatus est, vt Filium signare posset?* & post pauca: *Signatur ergo à Patre, qui ex substantia eius est Filius.* Naz. orat. 36. 4. de Theolog. vers. fin. Filium *carácthere m, vt purum Patris sigillum* vocat. Athanas. 8. de Trinit. longè à med. ad verba proxima Ioann. 6. cur sigillum dicatur sic edisserit: *Quia Omnem in se paternæ formæ plenitudinem significantis se Dei contineret: vt quod signasset Deus, non aliud ex se, quam formam Dei signantis afferret.* Naz. orat. 35. longè à med. n. 66. his vocibus splendoris nomen adiunxit, dicens: *splendorem, carácthere m, & sigillum.* qua voce vtitur etiam Synod. Alex. ep. citata ad Cyrill. & Cyrillus ipse 1. de recta fide ad Theodos. col. 12. Ambros prooem. libri 2. de fide ad Gratian. *Imago, & splendor, & carácther dicitur Dei Filius, quia hæc incomprehensibilem, & inuestigabilem paternæ diuinitatem Maiestatis in filio, & expressam similitudinem reuelarunt.* Splendoris autem, candoris, radij luminis, lucisque, ac similia vocabula Filio constat exhibita à Patribus hoc Certam. datis, aliisque relatis d. 1. à nobis, & à Ruiz d. 27. sect. 7. & d. 44. sect. 2. ex ad Hebræ. 1. & Sap. 7. ex quo etiam *speculum* nominatur à Clemente. Romano recitato n. 1. atque aliis recitatis; quia sicut in speculo elucet cuiusque forma, sic Patris in Filio.

Certamen II.

Pro vera theologica Veritatis huius ratione notata.

1. Exminus penetrata imaginis multiplicis differẽtia à veritate, & Patribus temerè, atque in fide periculosè aberrauit Aureolus: frigidéq; ab Scholasticis pro Catholico dogmate certantibus impugnatur. Contendit enim ille imaginem non debere ab exemplari procedere: quare diuinã cognitionem propriè imaginẽ esse, licèt ab exemplari, & obiecto nõ producatur; nec Filium, quia producitur imaginem esse. Cõtra verò Theologi reliqui contendũt imaginẽ omnẽ à suo exemplari produci debere: ac proinde Filium solũ imaginem fore, quod de efficientia actiua ægrè probabunt, nisi in vna tantũ imaginis specie; de intentionali verò motione eorũ discursui non prodest, vt iam patebit ex dicendis. Vt ergo conclusio dogmarica solidè contra Aureolum probetur, imago vniuersim consideranda, ac speciatim diuidenda, ac definienda est. Vniuersim autem sic definitur: *Imago est alicuius repræsentatio expressa.* siue, vt Antiqui aiebant: *similitudo expressa ad aliquid repræsentandum.* Diuiditur autem primò in imaginem intentionalem, & realem. Intentionalis est, *quæ per intellectũ, seu intentionem immediatè, & proximè fit.* vt cognitio obiecti & Verbum: vnde hæc intẽtionalis imago in formalem, & obiectiuam diffecatur. *Formalis* intentionalis est, *quæ formaliter reddit cognoscentẽ obiectum,* seu *exemplar* cuius est; obiectiua verò quæ *obiectiuè solùm illius cognitioni inseruit.* Imago autem purè, ac strictè realis est, *quæ cũ intentionalis nõ sit, sua physica entitate natæ ad aliquid repræsentandum, aptáque est, seu alicuius est repræsentatio expressa.* Hæc autem diuiditur in naturalem, & artificialem. Artificialis est: *quæ arte fit*, nimirum *ex fide repræsentandi exemplar, quare, & ex huius cognitione proueniens.* Naturalis: *quæ natura sua talis prodit, nullo artis, & intentionis seu finis interuentu, aut obtentu* proprio. Vbi aduerte imaginem artificialem propriè, ac strictè imaginem esse, nec solùm analogicè, vt singularis contra omnes volebat Ruiz d. 64. sect. 1. n. 11. fundamento nullo; quia hanc primùm imaginem dictam fuisse, atque inde reliquas imagines fuisse nominatas mihi dubium non est: imò, quia in imagine artificiali similitudo in figura præcipuè est, Dei Filius *figura substantiæ dicitur.* iuxta S. Thom. infra recitandum, tribuente de suo nomen artificiali imagine, naturali: sicut, & rationem imaginis rribuit.

2 His generatim præmissis, nota secundò: Imaginem intentionalem nullatenus debere ab eo, quod repræsentat prouenire, adhuc motione intentionali. Est contra Ruiz d. 64. sect. 2. non tamen contra eos, quos pro se re-

fert; Hi enim de aliis imaginibus loquuntur. Probatur conclusio: quia Verbum est imago intentionalis obiectiua essentiæ, & communium: atqui ab eis, vt pote ipsi idemtificatis, neque motione intentionali reali, nedum physica prouenire potest: ergo de ratione imaginis intentionalis vniuersim non est à suo exemplari, quod repræsentat, cuiusque imago est prouenire. Major probatur ex 1. ad Hebræ. *Figura substantiæ.* Ad Colos. 1. *Imago Dei inuisibilis.* 2. Cor. 4. *Qui est imago Dei.* Sap. 7. *Speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis.* Hæc autem omnia, quorum dicitur hic imago Filius, essentia, & communia sunt. Secundò probatur ex Patribus. Thaumaturgus citata regula fidei. *Figura & imago Deitatis.* Athanas. lib. seu dialog. 3. de assumpt. hominis sæpe Filium *caracterem, & imaginem substantiæ* vocat, & 5. de vnita substantia Trinit. post med. ac dialog. 1. de S. Trinitate contra Anomæ pag. 5. Filium *imaginem hyposthaſeos* id est essentiæ appellat iuxta Paulum, & dialog. 2. vers. med. *Filium ipsius essentiæ imaginem dixit Apostolus, qui, inquit, splendor est gloriæ & caracther hyposthaſeos. Nã caracther hyposthaſeos nihil aliud est, quam essentiæ imago.* Hilar. lib. de Syn. vers. med. *Imago*, ait, *Paternæ essentiæ nata.* Chrys. 1. 3. fin. ferm. de Trin. sub init. *Significans scriptura vnam esse imaginẽ Trinitatis, dicit: Et fecit Deus, hominem, secundum imaginem Dei fecit illum. Sicut, & Paulus clamat de Filio: qui cum sit splendor gloriæ, & caracther substantiæ. Et iterum: Qui est imago Dei inuisibilis.* Euseb. Cæsar. 4. demonstrat. Euangelicæ: *Solus Filius diuinæ naturæ in se ipso ferat imaginem.* Neque licet respondere imaginem hîc impropriè ab istis Patribus sumi, tua enim hac interpretatione, ac solutione ad Scripturæ, & Patrum testimonia, suum errorem Durandus facilè defendet.

3 Probatur secundò animaduersio nostra: quia de ratione imaginis, seu repræsentationis intentionalis, tam formalis, quam obiectiuæ non est procedere ab obiecto repræsentato cuius est imago. Alioqui, nec scientia diuina se ipsam repræsentaret formaliter: neque Verbum, seu Filius se ipsum repræsentaret obiectiuè, neque sui tanquam obiecti, aut creaturarum, à quibus non pendet, aut procedit motiuè, Verbum foret, contra omnium Scholasticorum consensum. Et ratio à priori est, quam dedimus sæpe, præcipuè controu. de Scientia Dei: quia de ratione infinitæ, ac summæ repræsentationis, qualis diuina est, est esse formaliter repræsentationem in suo genere omnium repræsentabilium: cum autem scientia diuina, ac verbum sint, & formaliter, & obiectiuè repræsentabilia: & scientia ipsa sui ipsius repræsentatio formalis, & imago erit, ac verbum etiam ipsum repræsentatio, & imago obiectiua sui ipsius: atqui à se ipsis nequeunt procedere: ergo de ratione imaginis, seu repræsentationis intentionalis non est procedere ab exemplari, seu ab eo, quod repræsentat. Huic autem doctrinæ nemo Patrum aduersatur, loquuntur enim de aliis imaginis speciebus, vt iam ostendam. Verum est de imagine intentionali creata ab obiecto, vel substituto illius tandem procedere sicut de quavis cognitione creata omnes docent; sed, sicut cognitionis increatæ rationem ab obiectis independentem, in ratione etiam repræsentationis, fatemur, ac verbum in ratione Verbi; & in ratione imaginis intentionalis (quæ in ea repræsentatione stat) independens vtrumque fateamur necesse est. Dices Arist. 6. Topicor. cap. 2. ante med. negare legi imaginem esse: *Nam imago, id est, cuius generatio per imitationem est.* Sed disparitate imaginis intentionalis creatæ, & increatæ nuper assignata soluitur. Verbum loquitur ibi Arist. non solùm de imagine creata, sed de artificiali, quæ sola per imitationem est. Dices rursus diuinæ idææ similitudines intentionales rerum sunt, nec tamen imagines, quia res ab ipsis, non ipsæ à rebus procedunt. Atque idæa artificis ideo etiam non est domus faciendæ, imago, sed exemplar. Respondetur rerum, & domus possibilium esse imagines, licèt ab eis idææ diuinæ non procedant, quia eas in eo statu repræsentant; non autem existentium, quia in eo statu nondum pro eo signo sunt, nec repræsentantur. Instas denique: Imago dicitur ab imitando ex S. Thom. q. 35. art. 1. arg. 3. & in 1. d. 28. q. 1. art. 1. corp. imitatio autem est ordo ad exemplar: ergo imago vera, & realis, cuiusmodi est intentionalis, realis ordo erit ad suum obiectum, seu exemplar, quod repræsentat. Sed dato omnem imaginem imitationem esse, quod solùm de imagine artificiali verum propriè loquendo puto, quia ea primùm imago dicta est; nego omnem imitationem, seu imaginem dicere ordinem realem ad repræsentatum. Illum enim, sicut repræsentatio, ita neque imitatio requirit. Rectè enim Hilar. de Synod. ad Can. 1. oriental. solùm ad imaginem requirit dissimilitudinem à repræsentato non habere. *Imago*, inquit, *omnis eius, ad quem coimaginetur species indifferens*, seu *non differens*, ac *dissimilis est.*

4 Nota tertiò imaginem purè realem artificialem ab exemplaris cognitione realiter pendere, quare, & ab ipso exemplari, quod repræsentat. Res est indubitata. Cum enim imago huiusmodi ex fine, & intentione artificis repræsentandi exemplar, seu prototypum necessariò proueniat; atque hic finis neque intendi, neque executioni mandari possit, quin exemplar cognoscatur, imago artificialis, sine exemplaris, seu prototypi cognitione fieri minime poterit. Duo igitur habet realis artificialis imago, & à sui exemplaris, seu prototypi, quem refert, dependentiam, atque adæquatam similitudinem, quæ in accidentibus, seu qualitatibus, præsertim figura consistit, vt rectè animaduertebat S. Thom. recitatus n. 1. fine: Vnde cuiusque defectu imago realis artificialis nimiram, non erit; si vel ad amussim exemplar non referat, vel ab eius cognitione, & imitandi illud intentione non procedat, vt diximus. Ea propter, quæ casu aliis similia sunt, alio autem sine arte facta, imagines esse illorum negamus: atque ea quæ figuram, lineamenta, & colores multum non referunt exemplaris, licèt ex intentione imitandi illud, eiusque cognitione proueniant, ipsius imagines esse diffiteamur.

4 Nota quartò imaginem realem naturalem, quæ ad præsens attinet, debere à suo exemplari physicè procedere. Ratio est: quia huiusmodi imago realis naturalis, de qua hîc, solùm inuenitur in filiis respectu parentum, qua talibus. In iis autem qua talibus necessario generatio, & processio vnius ab alio in fieri intercedit, in facto esse Filij supponitur. Secundò concors est Patrum sententia; Aug. quæst. 74. ex lib. 83. ait ideo vnum ouum alterius oui, quod colore, & figura ad amussim refert, imaginem non esse, *quia ab ipso non procedit.* & lib. quæstionum super Deuteronomium, quæstione 4. pluresque Patres recitati cert. 1. Adde Ambros. 1. de fine ad Gratian. cap. 4. immediatè ante verba, quæ ex ipso eodem cap. dedimus cert. 1. n. 4. ad imaginis realis, nempe naturalis rationem requirit, *quod sit eggressa de Patre, expressa de fonte.* Hilar. 7. de Trinit. col. antepenult: *quod imago, & proficit, vt Deum Patrem vnigeniti Dei significet natiuitas: significet autem, vt forma, & imago, inuisibilis Dei.* lib. 9. col. 2. *Perfecta natiuitas perfectam imaginem declarat.* Repetit lib. de Synod. ad 3. & 7. can. oriental. Huius autem processionis ad realem naturalem imaginem requisitæ defectu Cyril. Alex. 1. thesau. cap. 9. med. de Filio aiebat: *Non voluntatis diuinæ, sed ipsius Patris imaginem esse.* nempe realem naturalem. Intentionalis quippe voluntatis, & communium imago est: eadem de causa Anselm. cap. 29. 30. 32 60. & 61. similitudinem pro imagine vsurpans (vt alij Patres, Scholastici solent) negabat *Verbum esse sui, spiritus S. & creaturarum similitudinem*, quæ omnia de influxu physico potentiæ generatiuæ Patris certa, ac perspicua sunt. Noster autem Ruiz d. 64. sect. 2. n. 12. contendit etiam ab exemplari tanquam ab obiecto cognito debere imaginem realem naturalem procedere influxu obiectiuo, nimirum, & intentionali.

6 Nota verò quinò contra ipsum, realem imaginem naturalem à Parentis, tanquam exemplaris, cognitione nullatenus pendere. Ita primarij Theologi citati ab ipso Ruiz ibidem. Probatur: quia exemplaria imaginis realis naturalis sunt Parentes, qui causæ naturales sunt suorum filiorum, quos sui omnino immemores naturali impetu generant sæpe: imò cum sui memores sint, sui memoria, sicut, & obliuio impertinenter se habet, vt geniti sint vel

vel non sint naturales reales imagines ipsorum. Dices: sicut causæ naturales agunt propter finem, quia in eum ab authore naturæ aguntur, qui vnamquamque in suum effectum ex eius cognitione, & intentione agit: ita & ex sui naturalis exemplaris cognitione naturales causæ filiorum parentes agere dicentur. Contra: quia causæ naturales non nisi impropriè propter finem agere dicuntur, quia impetu, & exigentia effectuum in illos feruntur, sicut voluntas intentione, ac desiderio in finem trahitur; atque in eo impetu, & exigentia, neque leue est simulachrum cognitionis sui: vnde neque impropriè, & imitatiuè ex sui cognitione operari causæ naturales dici possunt. Probatur secundò: quia Filius æternus non procedit ex cognitione Patris, cuius tamen tanquã exẽplaris naturalis, est realis naturalis imago: ergo de ratione imaginis naturalis realis nõ est procedere è sui exemplaris cognitione. Negat antecedens Ruiz: quia cognitio Patris est ipsamet Filij processio. Contra: quia, licèt cognitio, qua Filius procedit, realiter Patris, sicut, & aliorum omnium cognoscibilium, cognitio sit: ast qua cognitio Patris formaliter, processio Filij non est: cum è solius essentiæ cognitione Filius, & Verbum quarto modo dicendi per se procedat, vt d. 5. latè probabamus: sed qua processio Filij est productio imaginis realis naturalis Patris: ergo Filius, qua imago realis naturalis Patris non procedit ex cognitione Patris exemplaris.

7 Nota sextò; ad rationem propriam solius imaginis realis naturalis, qualis per generationem fit in filiis requiriidemtitatem in natura, eóque strictiorem, quo perfectior generatio est, nemini aduersatur. Recentiores enim citati pro oppositò à Ruiz sect. 1. n. 1. solum negant de ratione imaginis vniuersim esse idemtitatem in natura; & benè: quia intentionalis, & artificialis id non requirunt, vt patet: quare dum vniuersim Ruiz idemtitatem naturæ ad imaginem exposcit, errat, quia vel solam realem naturalem agnoscit, ac reliquas negat (vt expresè negat artificialem propriam imaginem esse n. 11.) vel pugnantia docet. Probatur conclusio notata ex Athanas. sæpe, præcipuè quinque orationibus contra Arrian. probante ex ratione imaginis Filij cum Patre consubstantialitatem. Hæc tantum dabo ex orat. 3. *Quis audebit caractherem alienum dicere ab hyposthaſi Patris?* id est substantia. Naz. orat. 36. 4. de Theolog. vers. fin. *Imago, vt eiusdem substantiæ cum Patre, & quia ex illo est; non autem ex hoc Pater. Hæc siquidem imaginis natura est, vt exemplar suum imitando referat, quamquam hîc* in Filio, *exemplar suum expressius refert: illic*, in pictura, *enim rei vinæ, ac motu præditæ mortua, & motus expers imago est; hîc autem viui exemplaris viua quoque effigies, multoque minus à Patre differens, quam Seth ab Adamo, filiúsque omnis à parente suo.* Basil. hom. 15. de fide med. *Filius omnia est, quæ Pater est, secundum ipsius domini vocem dicentis: Cuncta quæ habet Pater mea sunt. Reuera namque imaginis sunt omnia, quæ in prototypo, siue exemplari existunt. Vidimus, inquit Euangelium, gloriam eius, gloriam, quasi vnigeniti à Patre, hoc est non ex munere, aut ex gratia, sed ex naturali communitate patriæ diuinitatis.* & 1. contra Eunom. longè à med. *Imago viuens, imò ipsa vita, non figuræ similitudine, sed in ipsa substantia idemtitatem referens.* Repetit 4. lib. post init. & lib. 5. sub tit. 6. longè à med. & epist. 43. ad Nyssen. circa fin. Filium *paternæ hyposthaſeos* (ideſt subſtantiæ) *formam, & caracthere*m appellat. Cyrill. Alex. 1. de recta fide ad Theodos. ait filium esse imaginem subsistentem, sicut prototypum: *quia nemini dubium esse potest imagines ita per omnia effectas esse debere, sicut ipsa prototypa.* Ac 1 thesau. cap. 9. sub init. *Imago Patris Filius est: & in se ipso Patrem ostendit. Nec vllus poterit in alia natura aliam inspicere.*

8 Ambros. de Incarnat. Dominicæ sacram. cap. vlt. circa med. *Si multi similes, cur solus Filius imago inuisibilis Dei dicitur, & caracther substantiæ eius? nisi, quia in eo naturæ eiusdem vnitas, & eius maiestatis expressio est. Alia enim secundum imitationem similitudo*, nempe artificialis, *alia secundum naturam.* Atque in id ad Hæbros 1. *Imago substantiæ*, ait, *imaginem dixit, quod alio loco formam nominat, vbi ait: Qui cum in forma Dei esset. Forma videlicet, vel imago vnam declarat essentiæ æqualitatem.* & in cap. 22. Luc. §. 2. sub init. *Solus Christus est plena imago Dei propter expressam in se paternæ claritudinis maiestatem.* Repetit 1. de fide ad Gratian. cap. 4. Hilar. de Synod. col. 6. ad can. 1. orient. *Imago itaque est rei ad rem coæquandæ imaginata, & indifferenta similitudo. Est ergo Pater, est & Filius: quia imago Patris est Filius: & qui imago est, vt vere imago sit, speciem necesse est, & naturam, & essentiam, secundum quod imago est, in se habeat authoris.* Confirmat fusius ad can. 12. quem imitatur Epiphan. hæres. 73. circa med. Concil. Ephesin. in 1. confess. fid. post med. *Propter vnam, eamdemque substantiam imago, & caracther, splendorque gloriæ eius existens.* Concil. Alex. ep. ad Cyrill. Alex. 10. inter huius epistolas, approbataque ab Ephesino: *Propter eandem, quam cum illo*, Patre, *habet essentiam, imago, & caracther.* Tandem S. Thom. q. 35. art. 1. corp. *Non quæcumque similitudo sufficit ad rationem imaginis, sed similitudo, quæ est in specie rei, vel saltem in aliquo signo speciei. Signum autem speciei in rebus corporeis maximè videtur esse figura; vt ideo Filius figura substantiæ dicatur, vt in eo, in quo diuersus est Filius hyposthaſim referat Patris de reliquo sibi consubstantialis.* Ratio autem est facilis: quia agens naturale generatiuum, qua tale simile in natura producit: quare, quo perfectius est, ac generat, similitudinem in natura perfectiorem in filio ponet, vt satis multis ostendebamus d. 3. attigitque Naz. recitatus n. 1. Contendit autem Ruiz sect. 2. hanc similitudinem in natura vi processionis formaliter ponendam in filio, siue naturali imagine esse eo sensu quo reiectum à nobis est d. 3. cum de Verbi præ Spiritu S. filiatione ageremus. Licèt alio sensu verum sit, vt processionis per generationem poni in filio similitudinem naturæ paternæ; quia realis processio, qua realiter ponitur, essentia sua cum similitudine Filij in natura ad Patrem connectatur.

CERTAMEN III.

Veritatis catholicæ ratio, & vindicatio.

1. EXdictis de imaginis natura probatur facilè conclusio: imò iam est probata in notatis. Pro rudioribus tamen sic erit ratio instruenda. Sola filij persona procedit summè similis in natura diuino exemplari, ac principio suo, nempe Patri: atqui imago naturalis diuina illa solùm est, quæ summè similis diuino suo exemplari, ac principio procedit: ergo sola Filij persona est imago naturalis in diuinis. Prima propositio probata est d. 3. q. 2. vbi ostendimus Filium præ Spiritu S. Filium esse, quia ipse non autem Spiritus S. summè similis est suo principio, nempe Patri. Pater autem, atque essentia à nullo procedunt. Quare nihil, nisi Filius, summè similis suo principio in diuinis est: quod autem summa similitudo ad rationem imaginis naturalis in Diuinis requiratur probatum manet cert. 2. n. 7. & 8. ac rursus probatur: quia si de ratione imaginis naturalis est similitudo idemtitatis in natura, de ratione summæ perfectæ imaginis naturalis, cuiusmodi diuina est, erit summa similitudo in natura. Porro de imagine naturali Filij solius ratio hæc solidior est aliis omnibus, quæ iuxta suas sententias de propria filiatione diuina afferunt Vasq. Soar. Ruiz & Thomistæ, imò hæc tantum solida est. Confirmatur: quia imago realis naturalis Patris idem prorsus, quod filiatio, est in diuinis: at filiatio solùm competit Filio: ergo, & ipsi soli competit imago realis naturalis. Verum aduerte hac imaginis ratione solius Patris imaginem esse, sicut solius Patris Filius est.

2 Quoniam autem Patres de Filio etiam solam imaginem esse Deitatis, & communium afferunt, cum quibus identificatur, & à quibus tanquam à Patre, atque naturali exemplari non procedit: aliam imaginis rationem propriam Verbi ex enumeratis debemus assignare, atque filio propriam statuere. Ea autem est ratio imaginis intentionalis obiectiuæ, quæ est ipsamet ratio Verbi, & locutionis in facto esse, quam propriam esse Filij, ac secundæ personæ monstruimus q. 2. Licèt enim diuina essentia imago intentionalis sit omnium quæ sub quæque

quæque ordine repræsentat primariò, secundariò; aſt non, vt Verbum, & locutio in facto eſſe: ſicut eadem, eodem etiam ordine, obiectiuè repræſentat Verbum: quia nec realem reſpectum dicit ad loquentem, quem Verbum, & locutio in facto eſſe dicit, vt docebamus q.2. cert. 2. licet, quia imago intentionalis ab eo tanquam ab obiecto, & exemplari repræſentato, nec procedat actiuè, neque obiectiuè pendeat, vt oſtendebamus cert. 2. n. 2. & 3. itaque Filius in quavis imaginis duplicis perſonalis, ac ſuæ propriæ, quam habet, reſpectum ad Patrem, ſeu primam perſonam dicit eundem realiter, diuerſum tamen formaliter. Qua imago enim intentionalis obiectiua reſpicit Patrem, vt loquentem, & cognoſcentem, proceditque formaliter per intellectum, & cognitionem: qua Filius verò reſpicit formaliter Patrem, vt generationis principium communicatiuum eſſentiæ fœcundæ: ad quod materialiter ſe habet proceſſio per intellectum, ſicut, & ad rationem Verbi proceſſio, quæ ſit eſſentiæ fœcundæ communicatio.

3 Ex quibus conſtat vtramque imaginis rationem Verbi perſonalem, ac propriam relatiuam eſſe ad Patris perſonam. Alteram, nempe naturalem, tanquam ad exemplar quod ſolum modo refert; alteram verò, nempe intentionalem, tanquam ad loquentem, non autem tanquam ad exemplar, & obiectum repræſentatum, quo omnis æquiuocatio argumentorum pro catholica veritate certantium Scholaſticorum prorſus eſt relegata, & quæſtio implexa valde inter illos ad plenã lucem explicata. Altera verò etiam quæſtio, quorum exemplarium ſit Filius imago? profligata ex dictis etiam facile fuerit. Nam de naturali imagine ſolus Pater, vt dixi, exemplar erit. De intentionali verò primarium exemplar eſſentia ſola, è cuius ſolius cognitione quarto modo dicendi per ſe Verbum procedit, vt d. 5. monſtrabamus: ſecundaria verò Trinitas tota, etiam Filius, ac Verbum ipſum, vt cert. 2. n. 2. expreſſit Chryſoſt. atque Athanaſ. *Vna imago inuiſibilis eſt Trinitatis.* alebat primo de vnita deitate longè ab init. Inſuper, & creaturæ omnes, in quovis ſtatu, quorum omnium Verbum obiectiua repræſentatio eſt, vt ſæpe diximus. At inquies: ergo ſcientia diuina erit etiam propriè imago intentionalis in diuinis, nec ſolùm Filius. Nihil admitter abſurdi, qui cõſequentiam admittat, cum ratio imaginis duplex filio perſonalis, atque intenta à Patribus aſſignata iam fuerit. Sed negari facilè poteſt. Cum enim prima imago, artificialis fuerit apud homines, ex quorum vſu ad imaginem diuinam nomina Deus aſſumpſit: atque illa imago, & repræſentio obiectiua ſolùm ſit, ad formalem repræſentationem imaginis vox tranſlata, atque vſitata à Patribus, & Scriptura non fuit, quæ non per ſe, ſed per accidens obiectiuè repræſentat; neque actiuè procedit à loquente.

4 Obiicit Durand. De ratione imaginis eſt ſimilitudo, quæ in perſonis eſt idemtitatis in eſſentia. Hæc autem vera, & realis eſſe in eis minime poteſt, imò neque realis imitatio, quæ etiam de ratione imaginis eſt: quia eiuſdem ad ſe ipſum vera, & realis ſimilitudo, aut imitatio eſſe non poteſt: ergo in diuinis vera, propria, ac realis imago eſſe nequit. Confirmatur: quia ſimilitudo imaginis in diuinis non attenditur ſecundum perſonalia, & relatiua, ſed ſecundum eſſentialia ſolum iuxta S. Thom. q. 35. corp. ex Aug. 5. de Trinit. cap. 6. fin. & lib. 6. cap. 4. poſt med. dicente: *æqualitatem, aut inæqualitatem in diuinis non attendi ſecundum relationes.* Confirmatur ſecundò: quia ſimilitudo ad realem naturalem imaginem requiſita in diuinis eſt idemtitatis indiuiduæ, vt ex cert. 2. n. 7. & 8. clarè conſtat: perſonalia autem indiuiduam entitatem non habent. Vrgeo ex Nyſſen. lib. de differentia eſſentiæ, & hypoſthaſ. verſ. fin: quia, ſi eſt Filij ad Patrem ſimilitudo in hypoſthaſi, nec ſolum in eſſentia, vt ſit Patris imago: ergo Filius debet eſſe Pater, & innaſcibilis. Reſpondetur: ſimilitudo eſt idemtitatis naturæ, tanquam rationis fundandi, fateor: tanquam extremorum relatorũ, nego. Sic aiebat S. Thom. ſimilitudinem attendi ſecundum eſſentialia, tanquam rationes fundandi. Auguſtini teſtimonium non eſt ad ram. Solùm enim vult perſonalitates non facere maius, aut minus in diuinis, quia non ſunt magnitudines, ſeu perfectiones, vt ſupra oſtendimus. Ad ſecundam confirmationem eſſe requiſitam idemtitatem indiuiduam in natura ad ſimilitudinem, non in perſonalibus. Ad argumentum Nyſſeni reſpondet ipſe ſibi, & B. ſil. epiſt. 43. pag. vlt. ſimilitudinem eſſe in hypoſthaſibus, non tamen tanquam rationibus fundandi: quare non inferri Filium fore Patrem, aut innaſcibilem, ſed habiturum eſſe eandem eſſentiam cum omni munere, quod in Patre eſt, atque perſonæ diuerſæ ab illo abſolutè communicabile eſt: id eſt: fœcunditate ad aliam perſonam ad intra. Denique, vt hæc ſophiſmata rideas, aduerte eis omnibus filiationem impugnari, cum hæc ſine ſimilitudine in natura nequeat conſiſtere.

QVÆSTIO III.

De propriis Spiritus Sancti.

PRopria Spiritus S. tria numerantur. Primum Spiritus S. ratio. Secundum amoris formalitas aliqua. Tertium ratio doni. De quibus ſuo ordine diſputandum erit.

CERTAMEN I.

Spiritus S. ratio propria, ac perſonalis eſt perſonæ tertiæ.

1. SPiritus vox primariò pro habitu reſpirationis vſurpata eſt, vt notauit S. Thom. 4. contra G. cap. 23. init. Iob. 2. *Non remanſit in eis Spiritus*: cap. 17. *Spiritus meus attenuabitur.* cap. 34. *Spiritum eius, & habitum eius ad ſe trahet.* Vnde ad alia omnia, quæ habitus ſpiritum imitantur, ſignificanda extenſa vox fuit. Quia enim à corde habitus procedit, eiuſque motum indicat, animi etiam motus, ſiue boni, ſiue mali, ſiue indifferentes ſpiritus nominantur 1. Corint. 12. *Diſcretio ſpirituum.* 1. Ioan. 13. *Probate ſpiritus, an ex Deo ſint?* Iſai. 11. *Spiritus ſapientiæ, & intellectus.* 2. Corint. 3. *littera occidit, Spiritus autem viuificat.* ac de prauis ſpeciatim motibus 5. Numeror. *Spiritus Zelotypiæ.* Iſai. 19. *Dirumpetur Spiritus Ægypti* cap. 29. *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.* pſalm. 75. *Aufert Spiritum Principum.* ideſt ſuperbiæ motum. Similiter: quia halitus aër eſt, aëri etiam ſignificãdo accommodatur, Geneſ. 8. Exod. 15. pſalm. 10. 47. 106. 148. ac ſæpius in Scriptura. Quia item halitus vitæ animalium indiuiduus eſt comes pro vita vſurpatur ſpiritus, Numeror. 27. Geneſ. 45. Iſai. 2. Denique quia halitus parum de materia habet, eſt que inuiſibilis, ſolumque motu percipi potiſſimum poteſt, ad res incorporeas inuiſibiles, quarumque effectus, & motus tantum in nobis experimur, nimirum ſpirituales ſubſtantias, ſignificandas in primis ſpiritus nomen adnocatur. De partialibus, vt animus Luc. 23. & pſalm. 30. *In manus tuas commendo Spiritum meum.* & Ioann. 19. *Inclinato capite tradidit Spiritum.* De totalibus ſæpe in Euangelio cacodæmones *immundi Spiritus* appellantur: Angeli verò pſalm. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus.* atque ad Hebræ. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus.* Quia verò Deus incorporea, inuiſibilis, excellentiſſima ſubſtantia eſt, cuiuſque motu, & operatione viuimus, & operamur, per antonomaſiam ſpiritus appellatur Deus. Ioann. 4. *Spiritus eſt Deus* quæ de omnibus perſonis diuinis, ac ſingulis, quæ Deus ſunt, ac de Trinitate tota intelligunt Athanaſ. q. 71. ad Antioch. poſt med. ac circa fin. & 4. de vnita Deitate contra Potentium circa med. & d. habita Laodicææ contra Arri. Inde etiam Spiritus S. diuinitatem probat Baſil. 2. contra Eunom. circa med. ac lib. vnico de Spiritu S. cap. 9. & 10. ſub init. atque ex 2. Corinth.

2. Corinth. 3. & Threnor. 4. Anaſtaſ. Synod. 1. de rectis fid. dogmat. longè ab initio, Ricord. Victor. 6. de Trinit. cap. 19. init. Cyril. Alex. 13. theſ. cap. 1. verſ. med. ex 8. ad Roman. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, & ſi autem Chriſtus in vobis eſt*, colligit, quod Chriſtum etiam Spiritum vocat. Epiphan. hæreſ. 76. & in ancorato Patrem, & filium Spiritum appellat: ſicuti & Ambroſ. 2. de Spiritu S. cap. 1. ex Math. 12. & Marci 13. de Blaſphemia in Spiritum S.

2 Licet autem Spiritus, & ſancti etiam ratio Deo, qua Deus eſt, ac proinde perſonis Trinitatis ſit communis; tamen ſpeciali aliqua ſignificatione, atque ratione Spiritum S. tertiam perſonam notionaliter, ac perſonaliter eſſe catholicum Patrum dogma eſt. Hieronym. in id ad Galat. 4. *Miſit Deus Spiritum filij ſui*, cum nobilibus expoſitionibus id deducit ex trina Spiritus repetitione in Pſalmo 50. *Spiritus principalis*, qui eſt Patris. *Spiritus recti*, iuſtitiæ, & veritatis, qui eſt filij *Spiritus S.* vbi concludit: *Porrò Spiritum S. aperto*, (indubitato claro, proprioque ipſius) *nomine vocat.* Expoſitioni conſentiunt Iſidor. 7. & hymol. cap. 3. ante med. Bernard. ſerm. 3. de Pentec. circa med. Arnob. Caſſiodor. Haymõ. & vterque Bruno in eum Pſam. Hugo Victor. T. 3. eruditionis theologicæ ſum. ſentent. cap. 10. Ambroſ. & Aug. ac denique Theodoret. dial. immutabiles 1. col. 3 ſic habet: *Sancta ſcriptura Spiritum vocauit, & Patrem, & filium: id quod eſt diuinæ naturæ incorporeum, & quod circumſcribi non poteſt per hoc ſignificans; Spiritum autem S. ſolam Spiritus hypoſthaſim nominat*, Patribus Theologi omnes ſubſcribunt cum ipſis ab ſcriptura ſacra edocti, quæ quoties tertiam perſonam diſtinctam perſonam ab aliis deſignat, & tangit Spiritus S. nomine, tanquam proprio, ac perſonali ipſius eam compellat, Math. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* 1 Ioann. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum ſunt*, Hinc Aſaz. orat. 49 de fide col. 3. *Quis Catholicorum ignorat Patrem verè eſſe Patrem, filium verò eſſe filium, Spiritum S. verè eſſe Spiritum S.* Repetit fine recitaturque ab Eccleſia in officio Trinitatis. Chryſoſt. tom. 3. de Spiritu ſancto ſub init. *Dicitur Spiritus S. iſta enim eſt prima, & propria appellatio, & vt euidentiorem habens intelligentiam, Spiritus S. naturam demonſtrat.* Synod. Antiochena profeſſ. fid. propugnara ab Hilario, vt catholica lib. de Synod. verſ. med. *Manifeſta vtique Patris, verè Patris, certaque Filij, verè filijnotaque Spiritus S. hiſque nominibus non ſimpliciter propoſitis, ſed ſignificantibus diligenter propriam vnius cuiuſque nominatorum ſubſtantiam*, (hoc eſt ſubſiſtentiam) *& ordinem, & gloriam.* Auguſt. 11. de ciuit. cap. 10. ſub init. *Propria notione Spiritus S. dicitur.*

3 Cæterùm cur Spiritus S. ratio, quæ vno ſenſu, cuique perſonarum diuinarum propriè conuenit, tertiæ perſonæ propria, ac perſonalis ſit non ſatis ſolidè ab omnibus explicatur. Ambroſ. in Symbol. Apoſtolor. cap. 1. verſ. fin. Aug. 5. de Trinit. cap. 11. circa fin. & lib. 15. cap. 19. circa fin. ſerm. 38. de temp. col. 3. ait ideo ſic dici quia communi nomine Patris, & Filij, à quibus communiter & indiuiſè procedit quorumque communio eſt, debuit appellari conſenſit Iſidor. 7. Ethymolog. cap. 1. Mag. in 1. d. 10. cap. vlt. S. Bonau. & Ricard. art. 2. q. 3. Carthuſian. q. 2. Alex. 1. p. q. 43. Albert. q. 32, M. 2. ad 8. & 10. S. Thom. q. 27. à num. 4. corp. q. 36. art. 1. corpore vbi eius interpretes. Contra tamen: quia Pater, & filius plura propriè ſunt v. g. Deus, ſapiens, quæ tamen perſonaliter, ac notionaliter non eſt tertia Perſona, licet ſit eorum communio atque vniuerſim communia Trinitati nulli perſonæ, vt propria competunt, ſed vt ſummum appropriatiuè tribuuntur, vt q. 5. videbamus id circo S. Thom. q. 27. art. 4. & 7. contra q. cap. 19. & 23. ait propriè tertiæ perſonæ, ac notionaliter conuenire quia procedit per amorem, qui impulſus quidem eſt, ac ad amorem, qui ſanctitas eſt nos impellit: quare Spiritum corporeum, qui impulſus etiam quidam, ac motus eſt, præ aliis perſonis imitatur iuxta illud Ecech. 1. *Vbi erat impetus Spiritus illuc gradiebantur*, & Ioann. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat.* Ad Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Fluet huic rationi Chryſoſt. hom. 3. de Spiritu S. ad illud Ioann. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ Hoc autem dicebat de Spiritu, &c.* Dum hanc analogiam motus enuncli, & redeundi in Spiritu S. obſeruat. Verum amorem, qui ſanctitas eſt, in nobis cauſare commune Trinitati eſt, neque tertiæ perſonæ proprium, ſed ſolum appropriatum. Neque minus impulſiuus eſt eſſentialis amor, quàm notionalis: quare analogia ad illum, etiam eſt communis. Aliquis tandem à ſimilitudine Spiritus accepti pro anima tertiam perſonam, quæ animam ſpecialiter imitatur Spiritum notionaliter, & eſſ-, & dici putaret. Fauereque poſſet illud 1. Cor. 2 *Quæ ſunt hominis nemo nouit niſi Spiritus hominis, qui eſt in eo: ita quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei*: Atqui illud grauiſſimi, cuius non recordor, Patris Spiritum S. appellantis: *animam animæ, atque Spiritus noſtri Spiritum* Sed nihil ſpecialis analogiæ Spiritus S. præ aliis perſonis cum anima habet. Secundo analogia nominum notionalium ad infinuanda perſonalia toti vulgò fidelium habet eſſe ex rebus, quas perſonæ imitatur notiſſimis. Analogia verò Spiritus pro anima, & Spiritus S. ad animam ex rebus abditis valdèque à ſenſu remotis eſt.

4 Ratio ergo ex Analogia ſpeciali tertiæ perſonæ ad primarium, & notiſſimum vocis Spiritus ſignificatum, nempè halitum petenda eſt. Quia ergo halitus, & reſpiratio vitalis animalium è rebus creatis apoſtiſſimè perſonam tertiam, ſubſque proceſſionem nobis explicat, proprium reſpirationis, ſeu halitus nomen ad eam nobis ſignificandam eleuatum eſt: quemadmodum ob rationem ſimilem Patris, & Filij nomen ad duas alias perſonas nobis ſignificandas tranſlatum ex creatis eſt: Probatur ratio ex Matth. 20. vbi Chriſtus *inſuflauit, & dixit, accipite Spiritum S.* ad quæ Cyril. 9. in Ioann. cap. 44. poſt med. ſic: *oſtendens hoc ſigno, quia quemadmodum ab ore humano corporaliter Spiritus humanus procedit, ſic ex diuina ſubſtantia deitati conſentiunt Spiritus, qui ab ea eſt, profunditur.* Vide plures Patres ad hunc, & locum, & ſententiam recitatos d. 2. q. 2. cert. 4. n. 3. probatur ſecundo ex pſalmo 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius*, &c. ad quem locum plures etiam Patres in eandem ſententiam recitauimus ibidem. Adde Athanaſ. epiſt. 3. ad Serap. col. 2. *Hæc vnctio halitus eſt filij, vt qui habet Spiritum dicat Chriſti bonus odor ſumus.* Baſil. 5. contra Iunom. verſ. med. ſect. 13. init. *Nec filius, nec generatio, Deitatis proprium eſt, ſed ex humana ſimilitudine ductum: ex qua etiam Spiritum dictio tradu&ta eſt.* libro vnic. de Spiritu S. cap. 16. longè ab init. *Nec Spiritus S. oris halitus eſt è patribus reſpiratoriis efflatus; ſed Spiritus oris Dei Spiritus eſt veritatis.* cap. 18. circa med. *Spiritus S. non per generationem, vt filius à Patre. ſed tanquam Spiritus oris eius* Nyſſen. orat. Catech. c. 2. init. ex eadem ſimilitudine Spiritus, ſeu halitus, tertiam perſonam nobis declarat. Cyril. Alex. 13. Theſau. c. 3. verſ. med. *Ex ipſa ſubſtantia Dei prodiens, ſicut, & Spiritus, qui ex humano prodit ore.* 2. Dialog. de Trinit. col. 5. *Sanctum item Spiritum agnominamus ex Deo Patre per filium profundi naturaliter, & quaſi in figura ſpirationis, quæ ex ore ipſius nobis deſignare ſubſiſtentiam*, ac lib. 7. col. 3. *Credimus eſſe, & exiſtere ſubſtantialiter in Deo Spiritum ipſius; ſicut & in homine humanum. Et quemadmodum ſi quis nobis Petrum, vel Ioannem nominaret ſimul ſignificarit eum ipſis, & proprium illorum, & in illis Spiritum, & totius animæ faceret ſignificationem: eodem opinor modo de Patre, & Filio, Spiritu enim ſignificatur cum vtroque, & non, vt pars eius, ſicut in homine intelligimus.* Origen. hom. 2. in varios ad id Ioann. 1. *In principio erat verbum; vt enim, quiloquitur in verbo, quod loquitur neceſſarios Spiritus profla&ta Deus Pater, & Filium ſuum genuit, & Spiritum ſuum per genitum filium producit.* Ambroſ. 1. de Spiritu S. c. 10. circa med. *cum procedit à Patre, & filio, non ſeparatur à Patre, non ſeparatur à filio. Quemadmodum enim ſeparari poteſt à Patre, qui & Spiritus oris eius eſt quod vtique, & æternitatis indicium, & diuinitatis exprimit vnitatem. Eſt ergo, & manet ſemper qui oris eſt Spiritus*, De Spiritu etiam S. halitus, & reſpirationis nomine, mentio ſæpè in vereri teſtamento fit iuxta Patres. Iob. 27. *Donec ſupereſt halitus in mè*,

me, & Spiritus Dei in naribus meis. iuxta Chryſoſt. ſerm. de S. vinit. ſub init. Iob. 33. *Spiritus Domini fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me.* iuxta Cyril. Alex. cap. 2. contra *Anthropomorphit.* poſt med. ac 12. in Ioann. cap. 56. 13. theſ. cap. 3. poſt initium.

5 Seu iam ex halitus, ſeu reſpirationis, & Spiritus corporei natura, & formatione, analogia, & ſimilitudo hæc tertiæ perſonæ ad ipſum clareſcat. A corde enim, & cerebro, amoris nimirùm, & cognitionis ſentiuæ ſedibus, tanquam ab vnico principio halitus, ſeu Spiritus corporeus procedit; principalius tamen à corde iuxta Ariſt. de reſpirat. cap. 4. ac 3. de partibus animal. cap. 6. conſentiente ex parte Galeno, & aliis apud Conimb. tract. de reſpirat. cap. 2. vt enim fusè S. Thom. opuſc. 35. de motu cordis, In corde reſidet virtus Spirituum vitalium effectrix, quæ per pulſum & tractum perenni agitatione vitæ principium eſt. horum autem Spirituum pars à cerebri ventriculo denuò ſubtiliùs elaborata per neruos ad motus animales diſtribuitur: quare, & ad halitum, & reſpirationem. Sic Spiritus S. à Patre, & filio per voluntatem notionalem potentiam, intellectu proponente obiectum amandum, tanquam ab vnico principio procedit. Iuſuper halitus per reciprocum impulſum à corde ad cerebrum, à cerebro ad cor, ac reliqua membra arteriarum dilatatione, & compreſſione pulmonum miniſterio inſpirando, & reſpirando identidem ducitur, ac reducitur: ſic etiam Spiritus ſanctus reciprocus amor, ſeu impulſus affectiuus Patris, & filij eſt, ſufficiens ad ſpecialem, & notionalem ipſius cum halitu ſimilitudinem iuxta Aug. 15. de Trinit. cap. 19. verſ. fin. Ricard. Victor. 6. de Trinit. cap. 10. Magiſtrum & Scholaſticos in 1. d. 10. cap. vult. Addit. Galen. 2. de motu muſculor. fernel. 6. Phyloſoph. cap. 28. motum, & impulſum reſpirationis, ſeu halitus voluntarium eſſe, quatenus cognitione aëris conuenientis, vel diſconuenientis ad tempus aliquod, vel iteratur, vel omittitur; naturalem verò, ac neceſſarium, quatenus diutius ſine illo duci vita nequit: ſic Spiritus S. voluntariè, & ſpontaneè, & ſummi boni cognitione procedit; ac ſimul naturaliter, & neceſſariò. Item locutio exterior ſine halitu, ac reſpiratione non eſt, neque verbum ſine Spiritu S. eſſe poteſt. Iam reſpirationis halitus, vitæ communicationem, ſuauitatem, ac delectationem, cum conueniens ſanitati eſt, affert animalibus; calorémque à corde hauſtum, & à cerebro temperatum membris impartiens, & potentiam: ſic Spiritus S. teſte Aug. 5. de Trinit. cap. 11. poſt med. *eſt ineffabilis quædam Patres, Filiique communio.* ex 2. cor. vlt. fin. *Communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.* Vnde Ephiphanius hæres 62. med. *vinculum Trinitatis*, illum appellat: ſicut Alex. Aphrodiſ. 2. problemat. q. 63. halitum *animæ, & corporis vinculum.* Viuificationem inter Spiritus S. propietates numerat Ricard. victor. proximè cap. 9. fine. Delectatio item, & ſuauitas eſt Trinitatis; imò, & rationalibus aliis creaturis, ſicut & aliis animalibus halitus oſculo, & ſimilibus delectationem & fomentum inducit. Vnde oſculum, quod cant. 1. poſtulabat ſponſa ab ſponſi ore. Eccleſiæ ſponſæ datum Ioann. 20. cum Chriſtus *inſufflauit, & dixit: accipite Spiritum S.* fusè docet Bernard. ſerm. 8. in cant.

6 Cur autem *ſanctus* notionaliter appelletur ea eſt ratio: quia per honetiſſimum amorem, honeſtiſſimus etiam notionalis amor procedit: amor autem ſanctitas eſt. Hinc Ambroſ. in ſymbol. Apoſtolor. cap. 1. poſt med. *Dilectionem vtriuſque genitoris, genitique ſanctitatem*, appellat. Sicut & Thaumaturg. in regula fidei cœleſti, Naz. orat. 25. in laud. Heron. Concil. Toletan. 11. profeſſ. fid. ac Cyril. Alex. 13. theſ. cap. 4. med. ſic habet: *Sanctus Spiritus dicitur, quia ſanctitas eſſentialiter eſt. Naturalis enim, & viua, & ſubſiſtens Dei operatio eſt, quæ creaturas per ſuam participationem ſanctiſicando perficit.* Quibus verbis profundam attigit rationem: quia ex Dei internis operationibus; & perſonis nulla formaliter præter amorem, quo Spiritus procedit, & amorem productum, qui ipſe Spiritus eſt, ſanctitas formaliter eſt: ac proinde vtriuſque huius amoris ſolum participatione formaliter creaturæ ſanctificantur. Similia habet inferius, atque Ricard. 6. de Trinit. cap. 10. circa fin. Sedulo autem obſeruat Athanaſ. longiori epiſt. ad Serapion. Perſonam tertiam Trinitatis numquam in ſcriptura apellari Spiritum ſimpliciter, ſeu ſolitarie ſine addito *Dei, aut Patris, aut à me: hoc eſt ex Deo vel abſque articulo, vel Chriſti, vel filij: aut, vt non adiungatur ſanctus, aut paracletus, aut veritatis, hoc eſt filij.* aut niſi ex adiunctis proxime, vel ex ſcientia eorum, ad quos eſt ſermo; intelligi poſſit de Spiritu S. loqui concluditque: *Alioqui certè ſine articulo to, aut adiectionibus ceterarum notarum, numquam Spiritus mundi vocabulum trahi poteſt ad ſignificationem ſancti Spiritus.* Cuius ratio eſt clara: quia Spiritus ſimpliciter prolatus pro primario ſuo ſignificato ſupponetur, nempè halitu animalium.

CERTAMEN II.

Spiritus S. notionaliter eſt amor.

1 LIcet amor communis perfectio ſit, vt conſtat à c. 13. ad 17. Ioann. & Epiſt. 1. tota præſertim c. 4. Vnde Aug. 15. de Trinit. cap. 17. poſt init. tres perſonas vnum eſſe charitatem aſſeruit, non trinam; tamen Spiritum S. notionaliter, ac perſonaliter amorem eſſe concordes Patres omnes affirmant Aug. proxime, & cap. 19. 27. 28. Ambr. in ſymbol. Apoſtol. c. 1. poſt med. Concil. Tolet. 11. confeſſ. fidei, Hyeron. in pſalm. 17. init. Fulgent. q. 4. ad Ferrand. verſ. fin. Proſper. lib. ſententiarum ex Aug. ſententia 371. dicens: *Spiritus eſt Patris, & filij tanquam charitas ſubſtantialis, & conſubſtantialis.* Greg. M. hom. 30. in Pentec. ſub init. Iſidor. 7. ethymol. c. 3. Anſelm. cap. 48. & 49. monolog. Bernard. ſerm. 8. in cant. ſerm. 3. Pentec. Guitmund. Archiep. Auerſan. confeſſ. de S. Trinit. col. 2. Ricar. Victor. toto lib. 3. de Trinit. & lib. 5. à cap. 17. ad 23. & lib. 6. c. 10. & lib. declaration. ad Bernard. fine. Vnde Eccleſia de Spiritu S. canit *fons viuus, ignis, charitas.* Hoc ipſum volunt Cyril. & Concil. Tolet. 11. recitatis verbis cert. 1. n. 6. ac Naz. Thaumaturg. & Ambroſ. ibidem citati dum *ſanctum notionaliter* appellant, quia eſt in facto eſſe dilectio, & charitas, quæ ſanctitas eſt. Aug. 6. de Trinit. cap. 5. init. Spiritum S. *charitatem, dilectionem, communionem, & vnitatem amborum*, appellat. ac lib. 7. cap. 3. verſ. fin. *Spiritus S. ſiuè ſumma charitas vtrumque coniungens.* Similia habet locis proximè citatis ex is de Trinit. & de fide, & ſymbolo c. 9. poſt med. Pſeudo Aug. tom. 9. c. 18. & Concil. Tolet. 11. confeſſ. fid. *ſimul ab vtriſque*, (Patre & filio) *proceſſiſſe monſtratur, quia charitas amborum agnoſcitur.* Hoc ipſum nominibus aliis Patres docent Aug. ſerm. 38. de temp. col. 3. *communio eſt Patris, & filij* quibus ſimilia ex ipſo S. de Trinit. cap. 11. poſt med. recitabamus cert. 1. n. 5. verſ. fin. ac 6. de Trinit. cap. 10. circa med. *Ille ineffabilis quidem, complexus, non eſt ſine perfruitione, ſine charitate.*

2 Bernard. ſerm. 8. in cant. poſt med. de Spiritu S. ait: *Patris, & filij imperturbabilis pax ſit, glutem firmum, indiuiduus amor, indiuiſibilis vnitas.* ſerm. 3. de Pentec. poſt init. *firmiſſimum, & indiſſolubile vinculum Trinitatis.* appellat. Sicut & Epiphan. hæreſ. 62. med. Naz. ſerm. de Epiphan. quæ eſt orat. 39. in ſancta lum. apud S. Thom. opuſc. 1. contra errores Græcorum c. 9. de Spiritu S. ait: *Medius ingeniti, genitique*, quæ in noſtris exemplaribus Amanuenſ. ac Typ. incuria non habentur. Ea autem ex Naz. mutuatus videtur Damaſc. 1. de fid. c. 18. med. ſcribens: *Spiritus S. medius ingeniti, & geniti, & per filium P. coniunctus.* Epiphan. col. 7. Ancorati *Spirit. S. in medio P. & filij.* quomodo autem medius inter vtrumq; ſit, qui origine, ac proinde naturali, & debita enumeratione poſtremus eſt, niſi quia perſonaliter eſt amor nectens affectuosè vtrumque? Certè ſic explicat S. Thom. citatus, & 1. p. q. 37. art. 1. ad 3. & Clictouæus ad locum Damaſceni. Neque aliunde vtriuſq; nexus glutem, vinculũ, amplexuſque dici poteſt; niſi quia vtrumque affectuosè, vtpote notionalis, ac perſonalis amor, adnectit. Ex ſcriptura autem nihil pro hac veritate habemus expreſſum, Aug. tamen tract. 7. in 1. ep. Ioann. ex cap. 4. illius eam probat, quia cum dixiſſet: *Charitas ex Deo eſt.* ſubdit: *Deus charitas eſt.* Charitas autem, quæ Deus ex Deo eſt, non eſt niſi Spiritus S. vnde ſtatim ſubiunxit: *In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* id eſt de charitate, quæ Spiritus Deus ex Deo procedens eſt, & clarius: *Deus charitas eſt: & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Conſentit expoſitioni Gregor. hom. 30. de Pentec. ſub init. Sed Auguſt. ipſe 1. de gratia Chriſti cap. 21. & Concil. Mileuitan. cap. 4. fine, magis ad contextum hæc omnia de creata charitate intelligunt: atque inde neceſſitatem gratiæ ad charitatis actum contra Pelagianos euincunt. Inducit ergo ibidem è re Ioannes diſcipulos ad charitatem ex eius nobilitate, quia Deus charitas eſt, ac noſtræ author. Conſonat illud ad Roman. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis*, frigidius alij probant ex 1. ad Coloſ. *Tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* ſed dilectio ibi pro Spiritu S. accipi nequit, vt acutè obſeruat Aug. 15. de Trinit. cap. 19. circa finem, ne Filius Spiritus ſanctus dicatur. Eſt igitur hebraiſmus tantundem valens, ac Filius dileciſſimus.

3 A ratione probatur: quia Filius, eo, quod per intellectionem procedit de eius nomine notionaliter, & eſt, & appellatur ab Scripturis, & Patribus, ſapientia genita: ergo quia Spiritus S. per amorem procedit de illius nomine appellabitur, eritque notionaliter, ac perſonaliter amor. Confirmatur: quia, ſicut ſapientia ſumitur rectè in facto eſſe pro perſona, & termino ſapientiæ, ſeu intellectionis; ita etiam amor ſumi in facto eſſe poterit, ac pro eius termino, nempe, pro perſona Spiritus S. Confirmatur ſecundò: quia quævis operatio immanens diuina terminum immanenter productum habere debet, quæ ipſam ſapiat: quare ſicut operatio intellectionis habet Verbum, in quo, ſicut in imagine eſt intellecta res, ſic, & amoris operatio quæ impulſus affectiuus quidam eſt in obiectum amatum, terminum habere debet, qui impulſus quidam affectiuus ſit, atque impreſſio, qua & amans ad obiectum amatum feratur, ſitque proinde notionalis, ac perſonalis amor, atque ita appelletur. Dices: notionalia nomina nunquam ſumuntur communiter: vt patet in nomine verbi: ergo, nec nomina communia, vt amor, ſumentur notionaliter. In primis argumentum hoc probat Filium dici poſſe ſapientiam notionaliter, ſeu ſapientium genitam. Reſpondetur tamen negando conſequentiam: diſparitas eſt: quia notionalia dicunt ſemper perſonalem aliquam proprietatem perſonæ, cuius ſunt, vt patet in nomine Verbi, quæ in communibus non eſt: aſt communia, licèt de ſe perſonalem proprietatem non dicant, aſt eam non negant, ſiue excludunt: quare ad perſonalia ſignificanda apta de ſe ſunt, trahique, & extendi poſſunt. Sed inſtas: amor è ſua primaria ſignificatione ſignificat amorem communem: ergo abſolutè, & ſimpliciter nequit Spiritus S. dici amor: argumento Athanaſij facto in nomine Spiritus ſimpliciter dicti, quod retulimus cert. 1. n. 6. fine, adiuncta noſtra ratione ibidem data. Fateor vim argumenti: quare, niſi ex adiunctis intelligatur de notionali amore, ſiue in facto eſſe ſumpto eſſe ſermonem, ſimpliciter prolato amore Spiritus S. non intelligetur.

4 Oppones rurſus: Spiritus S. amor dicitur Patris, & Filij: ergo poterunt dici amare ſe, & alia Spiritu S. quod ſi hoc admittas, cogeris admittere Patrem ſapere ſapientia genita, contra Patres & Theologos; ſed de hoc fusè agendum eſt in propria ſede, nempe d. 12. de comparatione perſonarum. Obiicies tandem: Amor, quia operatio diuina, terminum immanentem habere debet: ergo illius erit terminus, cuius operatio eſt amor: atqui amoris operatio Spiritus S. eſt, qui illo amat: ergo Spiritus S. erit terminus ſui ipſius, tanquam principij, quod implicat. Diſtinguo antecedens primum: quia operatio diuina grammaticalis terminum habet: nego antecedens: ſic enim eſſentialis ſolùm amor eſt, qui terminum non habet, quia operatio diuina notionalis, ſeu proceſſio eſt, terminum habet: concedo antecedens: & diſtinguo conſequens primum: Illius erit terminus cuius operatio notionalis eſt amor, fateor; cuius eſt operatio grammaticalis, nego adhuc ſuppoſitum: nempe operationis grammaticalis terminum dari, ſeu eſſe, quod in prima conſequentis parte ſupponitur. Subſumptum item diſtinguo. Amoris operatio grammaticalis eſt Spiritus S. qui illo amat concedo; amoris operatio notionalis eſt Spiritus S. ſubdiſtinguo actiuè nego; paſſiuè concedo. Et nego conſequentiam; quid autem inter amorem, operationem grammaticalem, ſiue eſſentialem amorem, & amorem operationem notionalem interſit, conſtat ex d. 3.

CERTAMEN III.

Ratio doni, ſiue eſſe donum perſonale Spiritus S. eſt.

1 DVrand. in 1. d. 18. q. à n. 6. docet nihil diuinum propriè donari, ſed ſolùm, vt obiectum cognitionis, & amoris, vel, vt Rectorem: quo pacto æquè Pater, & Filius, imo eſſentia ipſa, atque Spiritus S. donantur. Communis tamen ſententia reliquorum Theologorum eſt ſolum Spiritum S. propriè, & perſonaliter donum eſſe. Mag. in 1. d. 18. vbi S. Thom. q. 1. art. 1. & 2. S. Bonau. art. vnic. q. 4. & 5. Ricard. art. vnic. q. 1. & 2. Aureol. (licèt malè reclamante Capreolo) art. 1. poſt med. & art. 2. propoſit. 2. & 3. referens Ernæum quodlib. 6. q. 7. Carthuſ. q. 1. referens Ægyd. Altiſiodorenſ. Vdalricum, vtrumque Guillelm. & fuſius q. 2. Argentina q. vnic. art. 1. & 2. Okam, & Gabr. art. 3. Maior q. vnic. concluſ. 2. Capr. Scotus q. de hac re, quæ ab aliis ponitur inter reportata 1. ſententiar. vbi ad 3. ſubobſcurè concluſionem noſtram probat: nec aduerſatur d. 17. poſt q. 2. ad argumenta principalia col. penult. Henric. 2. p. art. 61. q. 8. Marſil. lib. 1. q. 21. art. 1. concl. 5. art. 3. dub. 3. Alex. 1. p. q. 64. m. 1. Albert. q. 36. m. 2. fine, & q. 32. m. 3. S. Thom. q. 38. art. 2. vbi Caiet. & reliqui interpretes, & Vaſq. d. 154. Soar. 11. de Trinit. cap. 4. Ruiz d. 75. Luis Torr. d. 22. dub. 2. Martin Peres de 18. ſect. vlt. Gaſpar Hurtad. d. 8. dif. 10. Probatur ex Ioannis 4. vbi aquæ viuæ nomine allegorico Spiritum S. ſignificans Donum Dei appellauit Chriſtus Dominus: *Si ſcires donum Dei.* vt vult Athanaſ. de human. natur. ſuſcepta, longè à principio, atque ex eodem loco iuncta allegoriæ eius declaratione Ioann. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Spiritum S. donum eſſe probat Aug. 15. de Trinit. cap. 19. Nec refert Cyrillum 2. in Ioann. cap. 82. & Chriſoſt. hom. 30. ad locum Ioann. 4. longè à med. eum locum de donis Dei creatis intelligere, vt Spiritus illa operans tantum ſit, non Dei donum. Solùm enim volunt ignis, & aquæ nomina, ſub quorum allegoria Spiritus Dei donum eſſe declaratur, non ratione ſubſtantiæ ſuæ, ſed pro varietate operationum ipſi adaptaris; ſic enim ait Chryſoſt. hom. 31. init. *Non enim ex differentibus conſtat ſubſtantiis.* ergo donum ignis, & aquæ nominibus ſignificatum, ac non conſtans diuerſis ſubſtantiis, Spiritus S. eſt iuxta Chryſoſtomum.

2 Probatur ſecundò ex Actor. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrùm, & accipietis donum Spiritus S.* Tertiò ex Actor. 8. vbi videns Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus S. obtulit eis pecuniam cui Petrus: *Donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Quartò ex Ioann. 14. *Filium Paraclitum dabit vobis.* & ad Rom. 5. *Per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* quanquam duo hæc non nimis vrgent. ex Patribus Naz. orat. 37. de Theolog. 5. col. penult. n. 72. *Quæcunque humilius dicuntur, velut quod detur, mittatur,* &c. Spiritus S. *ad primam cauſam referri debet; vt, ex quo ſit, oſtendatur.* Baſil. 5. contra Eunom. c. 7. *Quomodo clamabit,* Spiritus S. *in te Abba Pater niſi donũ veri è à Filio ſit, nõ poſſeſſio eius.* Athanaſ. orat. 1. cõtra Arri. ait: *Donatio S. Spiritus.* orat. 2. longe à m. *Per quem, & à quo conueniens erat Spiritũ S.*

donari nisi per Filium, cuius Spiritus est? infra : *Donator ille Spiritus Verbum.* Orat. 3. longè ab init. *Datorem Spiritus, quia Verbum Dei est.* Cyril. Alex. 13. & 14. thesau. atque expos. symboli Nicæni col. vlt. ac sæpius : *Spiritum per Filium dari, donari, concedi* ait. Ambros. in symbol. Apostolor. cap. 1. Spiritum S. *munus* appellat. Hilar. 2. de Trinit. sæpissime *munus, & donum* Chrysost. tom. 2. serm. 2. in Pentecost. longè à med : *Spiritus Deus nostris fidelium spiritibus vnitus est fraterno modo. Hoc donum est, quod nobis solis Deus dedit, qui in Christum credimus.* Aug. 7. de Trinit. cap. 4. circa med. *Spiritus S. propria significatione qua etiam donum Dei dicitur, nec Pater, nec Filius est.* cap. 6. longè à med. *Ad alterutrum singula dicuntur, sicut Verbum, quod non dicitur nisi filius aut donum, quod non dicitur nisi Spiritus S.* lib. 15. cap. 17. circa med. *Sic Pater Filium genuit, vt etiam de illo donum commune procederet.* cap. autem 18. & 19. ac 1. de fide & symbol. cap. 9. post med. & serm. 38. de temp. fusè probat : Spiritum S. propriè, ac personaliter esse donum; quem ea in re imitantur Alcuin. 1. de Trinit. cap. 5. Hugo Ætherian. 3. contra Græcos cap. 3. Isidor. 7. ethymol. cap. 3. à med. *Spiritus S. ideo donum dicitur, eo quod datur. A dando enim donum est numcupatum.* & infra: *Nullum maius est donum Dei, quam Spiritus S.* Bernard. serm. 3. Pentecost. longè ab init. *Tanquam propriè Sanctus, quod sit donum Patris, & Filij.* Denique Ecclesia in hymno: *Donum Dei altissimi.* Quibus adde recitanda ex Aug. 4. de Trinit. cap. 20. & lib. 5. cap. 11. cert. sequenti.

3 Ratione probatur : quia Spiritus Sanctus solus notionaliter est amor productus in diuinis, potensque proprietate sua personali per amorem formalem produci, ac proficisci à suo principio : atqui amor primarij, seu primi doni rationem habet : ergo Spiritus S. qui & proprietate sua est amor notionalis, petirque per amorem produci sua proprietate personali, donum est. Dices amor, qui primum, seu primarium donum est, & ex quo reliqua doni rationem habent, quæ conferuntur, debet esse sine spe vtilitatis inde capiendæ, intuituve remunerationis, & compensationis, vt docent Aristot. 4. Topic. cap. 4. post med. loco 50. Consultus in L. *Donari* Digest. *de Donationibus* & l. alia *Donari*, Digest. *de regulis iuris*, cap. 1. & cap. per tuas de *Donationibus.* Item Lucæ 6. n. 35. & cap. 14. n. 12. Seneca passim libris de beneficiis. Vnde Philosophi, ac Theologi omnes docent amorem, qui primarium donum est, & reliqua, quæ donantur dona constituit, debere esse amicitiæ, seu beneuolentiæ erga illum, cui donantur, non concupiscentiæ donantis erga se ipsum, atque liberalem, & gratuitum: atqui amor, quo procedit Spiritus S. liberalis, & gratuitus erga nos, respectu quorum donum Spiritus S. est, formaliter non est, sed necessarius, & erga essentiam diuinam ipsius donantis : ergo nec processione sua procedit amore, qui formaliter primum donum sit, neque amor notionalis est, quod sit donum; sed expectat vt sit donum formaliter amorem diuinum, vt est amor liberalis, & gratuitus erga nos, ex quo nobis donetur, vt rectè aiebat Isidor. 7. ethymol. cap. 3. medio his Verbis : *In tantum donum Dei est, in quantum datur eis, qui per eum diligunt Deum. Apud se autem Deus est; apud nos autem donum est, sed sempiternæ salutis.* Quod si eum amorem formaliter expectat, vt talem, filius etiam donum Dei erit: cum ex eo etiam amore liberali, & gratuito erga nos donari nobis possit : imo, & de facto fuerit nobis donatus, Ioann. 13. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* & Ecclesiæ hymnus Eucharisticus ex Isai. 9. *Nobis datus, nobis natus.* Quin Patres hæreticis Spiritus S. diuinitatem impugnantibus, quia est donum. Respondebant id ipsius diuinitati non obesse : sicut, neque donum esse, Filij officit diuinitati. Sic Athanas. lib. de comm. essentia Patris, & Filij, & Spiritus S. vers. fin. §. *nos autem.* Basil. lib. vnic. de Spiritu S. cap. 24. vers. fin. Ambros. 1. Spiritu S. cap. 5. sub init. & lib. 3. cap. 1. multis testimoniis probat æque datum, seu donatum esse Filium, atque Spiritum S. ergo ratio doni communis est etiam Filio, non personalis, ac propria Spiritus Sancti.

4 Respondetur amorem liberalem, & gratuitum formaliter requiri ad rationem doni; in actu secundo, siue ad rationem donati. Ad rationem verò in actu primo solùm requiri eum amorem in actu primo siue aptitudinem rei, vt ex eo amore donetur. Hanc verò aptitudinem solus, è donis omnibus, Spiritus S. intrinsecam, positiuam habet, qui intrinseca sua personalitate, & amor nationalis est, & amore formali, qui idemmet formaliter gratuitus, & liberalis est, procedit. E suo enim principio, & primario obiecto, infinitus cum sit indiuisibiliter, vt pote diuinus, nihil illi formalitatis accedit, cum ex hoc, vel illo fine, & motiuo, hoc vel illud obiectum prosequitur, vt controu. de Voluntate Dei ostendebamus. Filius autem, & reliqua creata dona, cum, nec amor notionalis sint, neque amore natura sua procedant, solùm habent aptitudinem extrinsecam à potestate donatoris, & non repugnantiam, vt ab eo donentur. Vnde Filius propriè datus, & donatus est : quia ea denominatio propriè ab extrinseco desumitur, donum autem propriè non est : quia doni ratio propria, in aptitudine positiua, & intrinseca, vt donetur consistit, quæ in Filio non est, qui potius amore, quo Spiritus S. procedit quasi retroactu, aptitudinem extrinsecus habet, vt donetur : quare, & doni rationem extrinsecam, vt bene docent Mag. in 1. d. 18. à principio, S. Bonauent. q. 4. corp. S. Thom. q. 1. art. 2. ad 1. Ricard. art. vnic. q. 1. corp. & ad 2. Aug. 15. de Trinit. cap. 15. *Quia sic procedebat*, Spiritus S. *vt esset donabile, iam donum erat, & antea quam esset, cui daretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse, & antea quam detur. donatum autem, nisi datum fuerit nulla ratione dici potest.* Et rursus : *Sempiterne Spiritus donum, temporaliter autem donatum.* Quare Isidorus donum pro donato, seu pro dono in actu secundo vsurpauit recitatis verbis : maximè cum ea ex Aug. 15. de Trinit. cap. 19. post med. desumpserit, ac proinde ex eius etiam sententia.

5 Obiicies tandem Patrem etiam vocari donum ab Athanas. de humana natura suscepta, & de communi essent. Patris &c. post med. § *scriptum est.* ex psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* & 141. *Portio mea in terra viuentium.* Ierem. 10. post med. *Non est hisimilis pars Iacob : qui enim formauit omnia ipse est;* nec est cur se nequeat communicare creaturæ, imo per habitationem gratiæ non minus datur, & habetur, quam Spiritus S. Ioann. 14. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Item essentia communicatur Filio, & Spiritui; quare, & eis donari apta est, & de facto donatur. Ergo nõ solus Spiritus Sanctus donum est in diuinis. Laxissimè tamen donum dicitur Pater, nec proprius dicetur donum essentia : cum nulla persona potestatem dominij, seu originis in Patrem habeat, neque in essentiam cui idemificantur omnes : donum autem realem distinctionem ipsius à recipiente, & à donatore importat, ex Arist. 4. Topicor. cap. 4. post med. loco 50. ex dictis plurium affinium quæstiuncularum decisio est procliuis. Constat enim primò Spiritum Sanctum, qua non Deum præcisè, & formaliter donum esse, sed qua personam. Constat secundò Spiritum Sanctum esse donum, per quod creatis rationalibus omnia dantur dona, vt docuit Paul. ad Hebræ. 2. *Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus S. distributionibus.* Et 1. Cor. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult.* Ex quibus conclusionem docet Aug. 15. de Trinit. cap. 19. ante med. his: *Per donum, quod est Spiritus S. in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt, quibusque propria, diuiduntur.* Consentiunt Mag. in 1. d. 18. S. Bonau. art. 1. Ricard. q. 5. Carthus. q. 1. S. Thom. q. 1. art. 3. & 1. p. q. 38. art. 2. corp. fin. Hentricus citato art. 61. q. 9. quod nõ solùm appropriatiuè ipsi competit; sed, quia primum donum est, & reliquorum exemplar. Et quia, sicut Verbum, per quod imperat Pater, vt omnia fiant peculiariter circa creata efficienda se gerit, ita, quia per amorem, quo amor productus, seu in facto esse, nempe Spiritus S. procedit, reliqua donat, imo, & ab Spiritu Sancto, qui amor productus est, quasi in actu primo obiectiuè ad ea donanda solicitatur, Spiritus Sanctus peculiariter circa donorum reliquorum erogationem negotiari censetur.

CERTA

CERTAMEN IV.

Contra rationem doni Spiritus S. obiectiones cæteræ solutæ.

1 HActenus oppositæ, non esse in Spiritu S. solùm rationem doni contendebant : quare nec esse illius propriam : nunc aliquæ, neque in illo propriè esse contendunt. Primum : quia donum subiectionem dicet donatori, & recipienti, à quibus debent, vt à dominis possideri. Ergo Spiritus S. vel donum, vel Deus non est. Vnde Chrysost. hom. 3. de Spiritu S. circa med. hæreticos carpit, quod Spiritum, nec solum eius gratiam, donum appellent, concludítque : *Aliud est Spiritus S. & aliud donum : aliud Rex, & aliud donum Regis.* Respondetur negando absolutè antecedens, licèt in donis creatis sit verũ, in increato enim dono solùm dicit potestatem originis in donante, in recipiente liberum vsum creaturæ, in fruitione Spiritus S. ac in ipsius obsequium, atque in eo titulum specialem præbendi auxilia gratiæ recipienti, & gloriam ex promissione, si bene eo dono vtatur. Chrysost. sensu, quem in hæreticis carpebat, abiectæ nimirum seruitutis, spiritum S. donum esse negabat. Sed instas, etsi donum increatum non dicat dominium donatoris in ipsum, saltem dicit distinctionem doni à donatore : at hanc non dicit ratio doni, quæ in Spiritu S. inuenitur : ergo ratio propria doni in eo non est. Minor probatur : quia sui ipsius, à quo non distinguitur donator æquè, ac Pater, & Filius Spiritus S. est, vt ait Aug. 15. de Trinit. cap. 19. longè à med. Scribens: *Nec, quia illi dant, ipse datur, ideo minor est illis. Ita enim datur, sicut donum Dei, vt etiam se ipsum det, sicut Deus. Non enim dici potest non esse sua potestatis, de quo dictum est: Spiritus vbi vult spirat: & illud apostolicum quo iam supra commemorani: Omnia hæc operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens propria vnicuique, prout vult.* Nego minorem, & probationem quæ Augustini non est. Solum enim vsus Spiritum S. non donari de facto, abiecto modo, ad voluntaris alienæ, ac dominantis arbitrium, cum eius, ac donatoris voluntas, & actio, qua datur communis, concorsque sit, vt ex recitatis verbis constat, & clarius ex immediatè sequentibus: *Non est illi conditio dati, & dominatio dantium, sed concordia dati, & dantium.*

2 Opponesrursus: Spiritus S. personaliter adæquatè constituitur spiratione passiua : at ratio doni spiratio passiua non est: ergo ratio doni extra personalem constitutionem Spiritus S. est : ac proinde Spiritui S. personalis non est. Negat mai. Ruiz d. 75. sect. 4. n. 1. quia sunt plures formalitates inadæquatè constituentes, si eorsim sumantur, Spiritus S. personam. Ego verò eodem gradu primario, vel secundario, præsertim primario intrinseco, vnicam solum, & indiuisibilem formalitatem constituentem personam quamvis diuinam recognosco: neque eam in Spiritu esse puto spirationem passiuam, sed personalitatem singularem, absolutã, vt supra dicebam. Sed quidquid de hoc sit ad præsentem difficultatem: Negari facilius posset minor: quia neque Spiritum, seu habitum notionalem diuinum intelligo, quin amorem productum per formalem amorem intelligam, neque eiusmodi amoris notionalis productionem per amorem formalem, quin doni rationem concipiam, vt patet ex dictis cert. 3. quare neque donum sine passiua Spiritus S. processione, imo non ex meo concipiendi modo, sed ex sententia Augustini loquor 4. de Trinit. cap. 20. post med. *Spiritui S. donum Dei esse est à Patre procedere.* ex quo etiam Mag. d. 18. citat. cap. *Donum verò* sic concludit, *Spiritus S. eo donum est, quia procedit à Patre, & Filio sicut Filius eo est à Patre, quo natus est ab eo.* Et post pauca : *Eo dicitur Spiritus, quo donum: & eo donum, quo procedens.* Verum quidem est eamdem formalitatem realem, & intrinsecam personæ indiuisim plura saltem fundamenta aliter respicientem, explicatius in ordine ad vnum significari vno nomine quam in ordine ad aliud, vt rectè aiebat Aug. 5 de Trinit. cap. 11. post med. his verbis: *Ipsa relatiua non appa-*

ret in hoc nomine Spiritus Sanctus, apparet autem cum dicitur, Donum Dei. Ex quibus etiam falsitas illius minoris apparet.

3 Obiicis : Donum ex Arist. vbi proximè relatiuum est ad recipientem, nec solum ad donatorem : at Spiritus S. re vera recipientis, seu recipientium respectiuus non est: ergo neque re vera, ac propriè donum erit. Minor probatur : quia non respicit Patrem, & Filium tanquam recipientes, tum quia ipsi donatores solum sunt ratione potestatis originariæ: idem autem doni eiusdem nequit esse donator, & recipiens, ab Spiritu verò Sancto nequeunt ipsum recipere Pater, & Filius, cum à se Spiritus nec procedat, nec donetur. Tum etiam : quia iam plures relationes, quam Theologia admittit in diuinis personis, ad diuinas personas admitterentur. Adde. Spiritum S. non dari personis aliis diuinis, tanquam recipientibus, neque ita illas recipere, est doctrina Aug. 5. de Trinit. cap. 12. & 15. ac 14. vbi circa med. ait : *Quod datum est ad eum, qui dedit, refertur, & ad eos, quibus dedit. Itaque Spiritus S. non tantum Patris, & Filij, qui dederunt, sed etiam noster dicitur, qui accepimus.* Repetit 15. de Trinit. longè à med. atque ad rem eandem clarius subiungit: *Apud se autem Deus est, & si nomine detur : quia Deus erat Patri, & Filio coæternus, antequam cuiquam daretur.* Quæ mutuati sunt Isidorus supra. Alcuin. de Trinit. cap. 5. fin. & Hugo Ætherian. 3. contra Græcos cap. 3. Consentiúntque Theologi omnes cum Magistro supra §. *Sed queritur.* Sed neque potest re vera respicere creaturas recipientes, seu receptiuas; tum, quia Spiritus S. maioris necessitatis, quam illæ non esset: tum etiam quia in Spiritu S. relatio alia, quam originis daretur : cum tamen alias relationes, quam originis, in diuinis personis Theologia, & Patres non agnoscant: idcirco Spiritum S. nullatenus re ipsa creaturæ, adhuc transcendentaliter, respicere docent S. Thom. in 1. d. 18. art. 1. ad 1. Clarius Capreol. q. vnic. circa fin. Ricard. art. vnic. q. 2. corpore, & ad argumenta. Okam. q. vnic. col. penult. Henricus 2. p. art. 61. q. 8. ad 2. Ruiz. sect. 3. num. 13. Gaspar Hurtado supra. Nec dissentiunt S. Bonau. ibi art. 1. q. 5. Aureol. art. 3. propos. 2. & 3. Solùm enim volunt in persona Spiritus S. relationem secundum dici ad creaturas esse.

4 Respondetur donum non dicere realem relationem ad recipientem, sed solùm fundamentalem, seu fundamentum reale, ac non chimericum, vt ratio relationem concipiat, ac relatione explicet, ac fine illa doni rationem explicare nequeat. Neque aliud voluit Arist. cum dixit citato loco : *Donum, alicuius, & alicui dicitur.* Quod ratione relationis dominij, quæ formaliter rationis est in creatis donis, quæ sola nouit Arist. verum habet. Solùm enim requiritur in dono distinctio à recipiente; respectus autem realis superadditus, & intrinsecus, qui, vel eius existentia, vel possibilitate compleatur, vel in dono increato resultet, minime gentium. Solùm enim dicit positiuum intrinsecam aptitudinem, vt de se donetur, licèt non fit, ac deficiat decipiens, vt sapienter aiebat Aug. recitatus cert. 3. n. 4. sub finem. Nec mirum est ita de diuina persona philosophari nos, qui intrinsecam omni potentiæ virtutem à creaturis adhuc possibilibus absolutam realiter esse volumus. Denique obiicere aliquis posset. Missio nõ est proprietas personalis: tum, quia aliquid extrinsecum ad sui complementum requirit, tum, quia duplici competit personæ missio, & missibilitas: atqui donum in diuinis extrinseca donatione completur, quæ passiuè, Filio etiam competit, imo & donabilitas, seu ratio doni in actu primo : cum nihil actu donetur, quod donabile non sit : ergo ratio doni personalis Spiritus S. non est. Respondetur à missione, quæ formaliter completur creata actione, ad donum non esse paritatem; quia donatione formaliter in ratione doni non completur, sed illam tanquam actum secundum habet. Sed neque illud de missibilitate probat; quia missibilitas communis duobus extrinseca est à possibilitate missionis, intrinseca autem sola voce communis est : aptitudo enim positiua, & intrinseca cuiusque personæ, vt mittatur ab eius personalitate non differt, in qua, vt dixi, nulla est ex parte rei obiectæ conuenien-

tia : atque in Spiritu S. idem est, quod ratio doni : Tunc enim donatur, cum mittitur; in Filio autem sola extrinseca donabilitas, ac ratio doni est, vt suprà docebamus.

QVÆSTIO V.

De appropriatis cuique Personarum Trinitatis.

PRÆTER hæc, quæ personarum propria, ac personalia sunt, alia Patres, & Theologi, licèt communia, vni potius, quam alteri personæ attribuunt, quæ proinde appropriata personarum appellantur. Nonnumquam autem, & propria, ac proprietates, largè acceptis vocibus, dicuntur ab Aug. 6. de Trinit. cap 10. Leone serm. 2. Pentec. Ricard. opusc. de appropriatis, Magistro in 1. d. 38. cap. *non est.* & cap *propria.* Horum igitur rationes, materia, & numerus disquiruntur.

CERTAMEN I.

Appropriationis communium rationes, & materia assignantur.

1. CVm plura communia vni personæ præ alia ab Scriptura, & Patribus appropriantur : idque non sine conuenientia factum credamus : facti rationes inuestigandæ vniuersim primò sunt. Harum primam dedit Leo M. serm. 2. de Pentec. cap. 2. fin. his verbis : *Vt per proprietatem vocis, aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, & diuidat intellectus, quod distinguit auditus.* ac statim cap. 3. *Ob hoc enim quædam siue sub Patris, siue sub Filij, siue sub Spiritus S. appellatione premuntur : vt confessio credentium in Trinitate non erret, quæ, cum sit inseparabilis, nusquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur.* clarius : quia cum personalia, atque pluralitas personarum difficiliora cognitu à nobis sint, quam communia, siue intrinseca, siue extrinseca : quoties alicui personæ speciale commune attribuitur, ostenditur aliquid speciale in illa esse, quod non in aliis : ac proinde illius proprietas, atque ab aliis distinctio clarius insinuantur. Ad hoc autem opus est, vt inter commune appropriatum, & personale personæ, cui appropriatur, similitudo, ac conuenientia specialis intercedat : vt notabat Ricard. opusc. de tribus appropriatis, potentia, sapientia, & bonitate, cap. 2. sub init. Verba eius accipe : *In his tribus forma quædam, & imago summæ Trinitatis exprimitur : vt inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciantur. Quæ igitur sunt in Trinitate ista, respondent his, quæ sunt in Trinitate illa : similia similibus, propria, appropriata propriis, singula singulis.* Repetit 6. de Trinit. cap. 15. atque ex eo rationem desumunt Theologi omnes cum Magistro locis citatis, & S. Thom. 1. p. 39. art. 7. Albert. q. 48. & 49. Alex. q. 67. S. Bonau. in 1. d. 31. art. 2. q. 3.

2 Aliam rationem tradunt S. Thom. proximè corp. Albert. q. 48. init. & 50. m. 1. Alex. q. 67. m. 3. art. 1. corp. & Scholastici reliqui in 1. d. 34. cap. *id ergo.* quam viam dissimilitudinis, remotionem, recessum, atque obuiationem erroris appellant. Est autem cum appropriatione prædicati communis præcauetur imperfectio cum illo incompossibilis, quæ ex nomine proprio personæ affigi ab imperitis posset. Hanc rationem Augustini esse Scholastici putant, cum tamen ne diligentissimus Ruiz eam in ipso reperire potuerit : vtriusque rationis exempla dabimus cert. 2. Hic doctè obseruant S. Bonau. d. 34. art. 1. q. 3. ad 2. Henric. 2. p. summ. art. 72. q. 2. Ruiz d. 82. sect. 1. n. 8. Appropriationem, licèt naturalem similitudinem inter appropriatum, & personam requirat, *iuxta primam rationem*, voluntariam potius, quam naturalem esse : quia, cum tam prædicati cuiusvis communis, quam cuiusvis personalis proprietatis considerationes plures, ac diuersæ inueniantur, secundum vnam vni similes erunt; secundum aliam verò alij : quare de se, naturáque sua commune prædicatum pluribus personis, & eidem personæ plura prædicata communia poterunt appropriari. Ergo huius potius prædicati communis, quam alterius, ad hanc potius, quam ad illam appropriatio, licèt fundamentum similitudinis naturalis inter vtrumque requirat, voluntaria tandem pro data occasione Doctoribus, Patribusque præsertim, ac libera fuit. Quæ ratio tantillum extensa, & ad terminos diuersos applicata de via secunda appropriationis, per dissimilitudinem, ac recessum, voluntariam, & liberam esse æqua efficacia, licèt non æqua latitudine materiæ, suadet. Neque enim in tot attributis erroris correctiuum, tam facile apparebit.

3 Circa appropriationis materiam quid dicendum sit constat ex dictis. Etenim (si vera sunt, quæ hactenus cum omnibus Theologis docebamus) dicendum est omnia, & singula prædicata diuina communia posse personis appropriari : ac proinde, & aptam materiam appropriationis esse : quare, & essentiam, & attributa, & operationes, etiam communes, ab appropriationis materia excludi non posse, quidquid oppositum de essentia indicet S. Thom. 1. p. q. 39. art. 8. Licèt enim essentia, & Deitas nominibus abstractis significata minus apta, quam alia communia appropriationi videatur; tamen, tam ipsa, quam communia reliqua attributa, & operationes communes cum personis similitudinem habent. De Deitate probatur : quia in hac inuenitur ratio essendi à se causaliter, seu non ab alio, in qua Patris innascibilitatem refert personalem, quà à se personaliter originari est, ac non ab alio : quare, & Dei nomine absolutè prolato Pater intelligitur. Vnitas item, quæ numeri principium est, Patrem etiam Trinitatis principium imitatur, vt suprà docebamus. Reliqua verò attributa, atque operationes, tam ad intra, quam ad extra facilem ad personas accommodationem habent. De operationibus intellectus, & voluntatis, qua ratione prima Filio, secundo Spiritui Sancto approprientur diximus suprà, quare de aliis operationibus ad extra, & attributis hîc dicemus.

CERTAMEN II.

Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui Sancto appropriantur.

1. ABilardus relatus, & refutatus à Bernardo epist. 90. ad Innocent. Pap. col. 1. & 3. & Arnoldus Brixiensis apud Ottonem Frisingensem 1. de gestis Federici cap. 49. docuerunt potentiam Patris appropriatum non esse, sed proprietatem : quia filio *semi-potentiam*, id est discernendi potestatem, Spiritui S. *nulli potentiam* seu benignitatem solùm concedebant. Katolica tamen veritas est potentiam Patris proprietatem non esse, sed attributum commune, quod tamen per appropriationem ipsi conueniat. Marci 14. *Pater, omnia tibi possibilia sunt.* 1. ad Timot. 6. *Quem* (Christum) *suis temporibus ostendet Beatus, & solus potens Rex Regum.* quæ de patre fine aliorum absoluta exclusione intelligunt Euarist. Pap. epist. 1. ad omnes Episc. African. col. 2. Chrysost. 1. ad Timot. hom. 18. col. 2. Ambrosius 5. de fide ad Gratian. cap. 1. Athanas. dial. contra Macedon. vers. med. dial. 3. med. atque Ecclesia Deum Patrem per Filium Iesum Christum orans sæpe incipit : *Omnipotens sempiterne Deus.* Ratio autem via similitudinis est : quia potentia in creatis est omni effectu prior natura, sicut Pater reliquis personis est origine prior. Item, & prior est maiori vniuersalitate operatione quavis, quare, & potentia prior maiori vniuersalitate, quam sapientia, & bonitas, siue amor : cum potentia sine cognitione, & vtraque sine amore dari queat : qua etiam prioritas originis in Patre indicatur satis.

1. Albert. q. 48. sub init. & quæst. 50. memb. 1. S. Thom. quæst. 39. art. 8. vbi Caiet. Canar. atque interpretes reliqui.

4 Hæc autem eadem attributa communia secundum considerationes alias aliis personis appropriantur; vt *Potentia* filio 1. cor. 1. vbi de Christo filio *Dei virtutem* esse dicitur. Thaumaturg. datis verbis : *Vnus est Pater verbi*, &c. addit. *Potentiæ, & figuræ æternæ.* Athanas. sæpè orat. in id. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* fin. orat. contr. Gregal. Sabel. vers. med. epist. de decretis Nicæn. Synodi ferè med. orat. 3. contr. Arrian. post med. orat. 4. vers. fin. ait : *lux & potentia Patris est.* Quod etiam pacto nominatur à Cyril. Alex. 1, Thes. cap. 9. med. lib. 2. longè à med. cap. 1. init. lib. 5. cap. 3. lib. 12. cap. 5. & 6. 4. Dialogor. de Trinit. post med. Nyssen. lib. de forma perfecti Christiani col. 4. & 5. Naz. orat. 35. longè à med. carm. arcano 1. post med. Basil. 2. contra lunom. circa med. *Dei virtutem* filium vocat, & lib. 5. vers. med. *vt mens verbi Pater, vt potentia potentis.* Damasc. 1. de fide cap. 13. fine : *Quæ conueniunt verbo, virtuti effectiuæ &c. ea filio tribuenda sunt.* Consonat. Cyril. Hyerosol. Cateches. 4. cap. 3. Hilar. 7. de Trinit. longè à med. ac 12. col. antepenult. *Verbum tuum, & sapientia, virtus est.* Ambros. lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 2. & lib. 5. cap. 1. med. ac sæpius quinque illis libris & de diuinit. filij cap. 2. à med. ac in symbol. Apostolor. cap. 2. 3. 5. & 12. Denique Concil. Nicæn. lib. 2. circa med. §. *quomodo.* Ratio similitudinis, & affinitatis assignatur ab Ambros. 2. de Spiritu S. cap. 1. & 2. quia filius per primum exercitium potentiæ notionalis procedit estque Verbum, seu imperium efficax ad omnia facienda. Ratio verò remotionis, & recessus : quia cum filius solam passiuam productionem sonet, vt indigens, atque impotens iudicetur ab imperitis periculum est, quod potenti appropriatione præoccupatur.

5 Deniquè Spiritui etiam sancto secundum considerationem aliam potentia appropriatur, & virtus Lucæ 1. *Spiritus altissimi obumbrabit tibi* : iuxta Euthym. & luc. 24. *Quoadusque induamini virtute ex alto.* id est Spiritu sancto adueniente Lucæ item 4. *Regressus est Iesus virtute Spiritus in Galileam.* actorum 10. *Quomodo vnxit eum Deus Spiritu S. & virtute.* Ad Roman. 15. *vt abundetis in spe, & virtute Spiritus S.* quibus similia leguntur 1. cor. 2. num. 4. ad Ephes. 3. n. 6. ad Thessalonic. 1. num. 5. actor. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti*, siue vt Ambros. legit. 2. de Spiritu sancto cap. 1. & 2. *Superuenientem Spiritum S.* Cyril. 14. Thesaur. cap. 1. fine : *Si ergo prodigia, & signa per Paulum Christus operatur in virtute Spiritus sancti, naturalis quædam virtus, & viuens &c. Deitatis filij Spiritus est.* Synod. Alex. epist. ad Nestor. col. 7. quæ extat in Concil. Ephesin. tom. 1. cap. 14. estque decima Cyrilli, sic habet : *Quia potentiæ, atque sapientiæ Patris, hoc est filij, Spiritus est : hinc, & ipse quoque ea ipsa potentia, & sapientia est.* In quibus ratio per viam similitudinis continetur aliqua. Secunda ratio fit : quia Spiritus S. personaliter est amor, & donum omnium donorum radix, atque principium, quod appositissimè potentia diuina, quæ de se ad bene faciendum est, nisi peccata nostra supplicia extorqueant, explicatur. Ratio vero remotionis, & recessus est : quia potentia productiua ad intra, siuè fœcunditate diuina, solus Spiritus sanctus caret, imperens prorsus habeatur : vt de illo Abailardus, & Arnoldus Brixiensis blasphemarunt.

***

CERTA

CERTAMEN III.

Communium attributorum appropriationes aliæ.

1 HIlar. 2. de Trinit. sub initium attributorum appropitiationem aliam his designat: *Nec deesse quidquam consummationi tantæ reperietur: intra quam sit in Patre, & filio, & Spiritu S. infinitas in æterno, species in imagine, vsus in munere.* Quam latè persequitur Aug. 6. de Trinit. cap. vlt. licèt æternitatis ad Patrem appropitiationem omittat. Ex quo etiam Magist. in 1. d. 31. cap. *non est hic.* S. Bonau. art. 1. q. 3. Ricard. Mediauilla art. 2. q. 2. Henric. 2. p. art. 72. q. 3. & 4. S. Thom. 1. p. q. 39. art. 8. corp. init. eiusque interpretes. Albert. q. 49. memb. 2. Ruiz. d. 82. sect. 3. n. 1. Ambros. verò in symbol. Apostolor. cap. 1. med. æternitatis meminit, infinitatem omisit, ac pro vsu virtutem posuit sic effatus *Æternitas est in Patre, species in imagine, virtus in munere.* Harum appropitiationum rationes sunt infinitatis ad Patrem, quia primò consequitur ad prodicatum essendi à se, quo Patris innascibilitas monstratur: atque eius appropitiatione præueniatur, ne aliquid generatione amisisse putetur. Æternitas verò iuxta id 1. ad Thimot. 6. *Qui solus habet immortalitatem*, atque Ecclesiæ Patrem per filium sæpè sic orantis: *Omnipotens sempiterne Deus.* Quia æternitas sine principio est, & grandæuiterem, quorum altero innascibilitatem, altero paternitatem refert. Via verò remotionis, ne generationis p. æcisse putetur; aut sobole substituta deficere. Species filio tribuitur, sumpta pro pulchritudine, non pro imagine, quæ proprietas filij, non autem appropriatum est ab Athanas. orat. 4. contra Arrian. longè ab init. serm. contra omnes hæres. longè ab init. à Cyrillo 3. Thes. cap. 1. præcipuè post med. Clemente Alex. 1. Pædag. cap. 7. Hilar de Synod. col. 6. ad can. 1. oriental. Gregor. Mag 5. moral. cap. 25. fine. attributi verò pulchritudinis perfectio imaginis filij ad viuum, & amusim, Patris explicatur. Tandem Spiritu S. vsus appropriatur prout fruitionem non excludit, sed claudit. Vt enim ait Aug. 10. de Trinit. cap. 11. ante med. *Vti est assumere aliquid in facultatem voluntatis, frui est cum gaudio vti*, ac 6. de Trinit. cap. 10 med. *Illa dilectio, delectatio, vel beatitudo vsus, appellatus est*, quæ cùm per voluntatem fiant Spiritui S. qui per voluntatem procedit meritò appropriantur.

2 Aliam attributorum appropriationem attigit Aug. 1. de doct. Christiana cap. 5. fine dicens: *In Patre vnitas, in filio æqualitas, in Spiritu S. vnitatis, æqualitatisque concordia & hæc tria vnum. Omnia propter Patrem; æqualia propter filium, connexa propter Spiritum S.* Eam recipiunt Scholastici vbi proximè Mag. cap. *Illud etiam*, Albert. membro 2. Ratio vnitatis est quia hæc principium est numeri, sicut Pater Trinitatis. Secundò quia ex eo Trinitas vnius essentiæ, quia vnicum est illius principium, vt docent Patres dati à nobis d. 2. & à Ruiz. d. 22. sect. 6. & 7. Tertiò quia vnus, & primus cum sit Pater, aliis personis est vnitatis exemplar. Filio autem appropriatur æqualitas quia solus imago; quæ (vt Aug. ait 6. de Trinit. cap. 10. init. ex quo Ricard. opusc. de hac appropitiat. ad Bernard. cap. 1.) *Si perfectè implet illud, cuius est imago, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ*, intellige de se nam imago de se æqualis exemplari nata est; exemplar autem licèt æquale imagini fit, non tamen de se natum est, vt fit æquale. Secundò: quia æqualitas est vnitas in perfectione cum altero, qui primus constituit dualitatem eandemque habet vnitatem cum altero, sicut filius cum Patre primus habet æqualitatem. Connexio autem, & concordia, quam aptè in Spiritum S. quadret, constat ex dictis q. 3. idem Aug. serm. 11. de verbis Domini circa med. *æternitatem, veritatem, & bonitatem* personis suo ordine appropriat. de æternitate Patris, ac bonitate Spiritus S. diximus satis. Veritas autem appropriatur filio, sicut reliqua quæ ad intellectionem, qua procedit, spectant, vt penetratio, ac discretio secretorum cordis ad Hebr. 4. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipite &c. discretor cogitationum, & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis coram eo.* quæ de filio grauissimi Patres intelligunt; quamquam penetrationem, & discretionem hanc Spiritui S. etiam appropriant Basil. 3. contra Iunom. pag. 2, Cyril. 13. Thesau. cap. 2. sub init. Athanas. q. 10. *Quid est Deus?* Epiphan. hæresi 74. vers. fin. & alij iuxta id, 1. Corint. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita, quæ sunt Dei nemo nouit nisi Spiritus Dei.* Ratio alia est: substilitas qua Spiritus humanus omnia in corpore permeat.

3 Rursus Aug. inferiùs addit: *Pater filio origo veraxe & filius vera à Patre orta veritas: & Spiritus S. à Patre bono, & filio bono effusa bonitas.* Veracitas est inclinatio ad dicendum verum, quo potentia generatiua in Patre ad verbum aptissimè declaratur: Insuper 2. Corint. vlt. fine: *dicitur gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus S.* immutauit paululum Clemens Roman. 8. constitut. Apostolicar. cap. 16. init. *Gratia omnipotentis Dei, charitas Domini nostri Iesu Christi &c.* Charitas Patri quia Ioann. 3. & ad Ephes. 2. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, filio quia: *maiorem charitatem nemo habet, quam, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quod autem Pater Deus appropriatiuè dicatur constat ex his locis, atque ex Ioann. 1. *Verbum erat apud Deum*, & 1. cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius.* Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* ac Ioann. 3. *Non misit Deus filium suum*, ad Galat. 4. *misit Deus spiritum Filij sui.* Deus autem filium habens, ac mittens pater est, qui Dei nomine absolutè prolato intelligitur, sicut. & verbis nuper datis ex 2. Corint. ac 1. Corint. 12. *Diuisiones gratiarum sunt idem autem Spiritus diuisiones ministrationum sunt idem autem Dominus*, nempè filius, *& diuisiones operationum sunt idem vero Deus.* id est Pater, vt obseruat Chrysost. t. 5. orat. 2. de Trinit. & serpente med. & t. 3. serm. de consubstantiali Trinit. col. 2. Theodoret. 5. Epitomes. diuinor. decret. cap. 3. de Spiritu, S. circa med. Athanas. lib. de communi essentia Patris, Filij; & Spiritus S. circa med. *S. de patre.* Adde damascen. 1. de fide cap. 10. vbi ait: *Vnus verè Deus est, Deus Verbum, & Spiritus*, ac tandem Ecclesia Patrem per filium orans Dei nomine absolutè prolato designat semper: *Deus cui proprium est. Omnipotens sempiterne Deus*, &c. tum quia Deitatem primariò, seu primò habet; tum quia Deitas formaliter est ens à se, quæ Patris proinde innascibilitatem personam mirificè designat.

4 Domini verò nomen, licet absolutè commune, filio tamen appropriatur 1. Corint. 12. iuxta citatos Patres vbi proximè & 2. Corint. vlt. fine & à Clemente Romano proximè, & 1. Corint. 8. *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia* 2. Corint. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi*, actor. 1. *Et Dominus quidem Iesus.* Thaumaturg. regula cœlesti fidei: *Vnus Deus Pater, vnus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo.* & Ecclesia suas ad Patrem preces concludit: *Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.* Ratio est: quia redemptionis iure in nos dominium acquisiuit: quarè Domini nomen duplici titulo conuenit filio. Ratio verò remotionis est: quia filius in creatis Dominum non habet, cum totum penes vnos parentes sit. Item quia, quà homo non ita facilè apparebat, quomodo in omnia creata dominium haberet: quarè domini appropitiatione cauendum iis erroribus fuis. Insuper vitæ nomen, filio etiam appropriatur Ioan. 1. *In ipso erat vita.* id est in verbo, & c. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et ep. 1. init. *Vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem.* Ratio est: quia per intellectionem, quæ præstantissima ex genere, atque prima operatio viralis in diuinis est verbum filius procedit. Item per generationem, quæ naturalissima operatio viuentis est, qua non nisi viuens, de vita producitur. Denique eidem filio lux appropriatur citato cap. 1. Ioann. *Et vita erat lux hominum.* Quo circa Dyon. 1. de cœlesti Hier. concl. & rationem his luculenter tradit *Iesus lux est Patris, cuius benignitate nobis ad Patrem aditus patuit.*

CERTA

CERTAMEN IV.

Operationum ad extra communium appropriationes.

1 OPerationes ad extra appropriantur primo. Creatio Patri, reparatio filio, rerumque perfectio Spiritui S. Primam constat ex symbolo Apostolor. *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem creatorem.* Ex Nicæno: *factorem* ex prouerb. 8. vbi filius de Patre: *Creauit me &c. antequam quidquam faceret.* Ecclesiast. 24. *Dixit mihi creator omnium, & qui creauit me.* Ad Roman. 11. *Quoniam ex ipso*, Patre, *& per ipsum*, filium, *& in ipsum* seu *ipso*, Spiritu S. *sunt omnia* iuxta Ambros. 3. in symbol. Apostolor. init. Hilar. 8. de Trinit. post med. item ex Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, & *Mundus per ipsum factus est.* iuxta expositionem Chrysostom. 4. in Ioann. circa med. & in 1. ad Hebræ. hom. 2. col. 2. ad id: *Per quem fecit, & sæcula.* ex Clement. Roman. 8. constitut. Apostolicar. cap. 16. sub init. Nysseno ad Ablabium quod non tres Dij, Aug. q. 122. vereris testam. fine Theophilact. ad verba data Ioan. 1. Reparatio verò appropriatur filio ad Ephes. 1. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt.* Passionis nimirùm, & redemptionis merito. Sed Spiritu S. renouatio, ac reparatio tribuitur psalm. 102. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* iuxta Naz. orat. 44. in Pentec. longè à med. Basil. 5. contra Lunom. col. 2. Ratio autem cur Patri omnium creatio tribuitur est quam pro appropriatione omni potentiæ ad eundem dedimus cert. 2. Reperationis verò ad filium rationem pressimus proximè. Instaurationis, & renouationis ad Spiritum S. appropriatio rationes plures habet, quas, dum de appropriatione perfectionis agemus, in qua etiam sua renouatio, ac reparatio est, dabimus statim.

2 Rerum autem perfectio Spiritui S. appropriatur; tum quia Trinitatis postremus est (sicut rebus postremo loco aduenit perfectio) atque illius est complementum, tum, quia amor est, in quo summa perfectionis constat. Tum deniquè: quia postremus ad vltimam discipulorum perfectionem aduenit, vt benè Basil. contra Lunom. à med. & 5. circa med. ac sæpius lib. vnic. de S. S. præcipuè c. 16. longè à princip. Nyssen. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos init. Naz. orat. 37. 5. de Theolog. vers. fin. alijque Patres iam dandi, qui & conclusionem, & rationem probant & psalm. 32. *Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Luc. vlt. *Manete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Actor. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus S. in vos.* Multiplici autem operatione perficit. Prima viuificando iuxta symbol. *Et in Spiritum S. Dominum, & viuificantem*, vt probant Cyril. 13. Thes. post. init. & Ambr. in symbol. Apostol. ex 1. Genes. *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Secunda sanctificando Ioann. 20. *Accipite S. S. quorum remiseritis peccata.* Ex quo id probant Cyril. 13. Thes. c. 4. dicens: *Creaturas per suam participationem sanctificando perficit.* Basil. citatus & hom. 15. de fide à med. hom. 17. fin. 27. fine, 28. post med. Athanas. sæpè Dialog. de Trinit. præsertim 3. contra Macedon. & epist. ad Serapionem Thaumaturg. regula fidei Naz. & Nyssen. proximè Origen. 1. Periarch c. 3. Tertio loco operationibus omnibus ad vitam, & perfectionem spiritualem pertinentibus, vt loqui in sanctis in conspectu Tyranorum, item per prophetas; & Apostolos, ipsisque loqui, scientiam vocis habere, docere, illuminare, suggerere, aduocatum agere, pro nobis postulare, clamare in cordibus nostris: *Abba Pater*, consolari, regenerare per baptismum agere Dei filios ad bonum, arguere mundum de peccato, operari incarnationem. iuxta Patres citatos. Quibus Adde S. Ignatium. Mart. epist. ad Philipens. Irenæ. lib. 1. c. 2. Melchiad. Pap. epist. ad certos quosdam, & ad Episcop. Hispan. vers. fin. Aug. 13. confess. à c. 7. & q. 9. veter. testam. & q. 87. noui testam. Leo. serm. 2. Pentec. cap. 3. serm. 3. cap. 1. & 2. ac deniquè Ecclesiam in Hymno de Spiritu S.

3 Nihilominùs secundum considerationes alia pleræque ex his operationibus, Patri etiam, ac filio appropriantur; vt iustificatio Patri ad Roman. 8. & ad Ephes. 1. filio autem Ioann. 14. Motio in Deum. Patri Ioann. 6. consolatio filio ibidem. Illuminatio, & reuelatio eidem Matth. 11. & Ioann. 1. viuificare, & resuscitare. filio etiam Ioann. 6. & 11. Reparationem nostram sic tribus personis appropriauit Leo serm. 2. de Pentec. c. 3. *Diuisti sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis vt Pater propitiaretur, filius propitiaret, S. S. igniret.* Primum Patris indicat authoritatem, ob quam, nec mitti ab alia persona, vt mediator posset, neque apud aliam intercedere, orare aduocatum vergere. Filius autem cum mediator sit propitiat nobis Patrem suis meritis, ipsumque sæpè in Euangelio orat, Ioann. 14. & 14. gratiasque agit, Ioan. 11. docetque Ecclesiam, vt per ipsum oremus Patrem Ioann. 14. 16. Matth. 7. & alias vt nimirùm meritis ipsius mediatoris, & filij, qui nostræ filiationis causa est, & exemplar, summique Sacerdotis fiduciali: us, vt ait Fulgentius responsione ad 4. q. Ferrandi, ad Patrem orationes nostræ procedant. Id quod Ecclesia exequitur cùm orat. concludens: *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Tandem Chrysost. orat. 2. de Trinit. & serpente med. in id: *In principio erat Verbum.* omnia supernaturalia opera Spiritui S. appropriat: *Quoties*, ait, *facræ litteræ aut narrare, aut probare aliquid eorum, quæ naturæ vires superant, instituunt, omne illud Spiritus S. potestati acceptum ferunt* vt 1. Corint. 12. de donis supernaturalibus dicitur: *Omnia operatus vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.*

QVÆSTIO VI.

Metaphoricis Personarum nominibus.

METAPHORICA. nomina personarum partim animata partim inanimata sunt: quare primi generis nomina cert. 1. secundo verò certamine altero recensebimus.

CERTAMEN I.

Metaphorica Personarum nomina animata.

1 NOn est animus metaphorica omnia personarum nomina inutili æquè, atque prolixo labore recenfere; sed celebriora solum, & quæ ad mysterij huius explicationem aptiora videbuntur. Patris ergo nomina: *Agricolæ, seminatoris, ac Patris familiæ.* facilem habent explicatum etiam in ipso Euangelio, vbi eis nominibus Pater donatur. Eorum autem omnium munera, tum propter originariam authoritatem, tum propter prouidentiam, quæ primo ipsi origine conuenit, meritò adaptantur: *Christi caput.* etiam dicitur 1. Corint. 11. ob paternam originis procedentiam: quo pacto, & Trinitatis caput dici possit, ac rerum omnium. Nomen autem Patris familias etiam sibi assumpsit filius Matth. 11. *Si Patrem familias Beelzebub vocauerunt*, nempè me ipsum apud Matth. 10. quia Ecclesiæ totius, de qua ibi familia agitur, gubernator ac Princeps est: imò & totius mundi Rex, vt suo loco fusè monstrabimus controu. de Incarnat. item & ouium Pastor appellatur filius, quia sua homines doctrina tanquam oues pauit, pascitque, sed hæc nomina mysterium incarnationis, ac filium iam hominem concernunt.

2 Filij ergo metaphorica nomina sunt: *Dextera, manus, & brachium* psalm. 117. *Dextera Domini fecit virtutem: Dextera Domini exaltauit me.* & psalm. 107. *Saluum fac dextera tua.* psalm. 97. *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* psalm. 73. *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo.* id est

vnigenitum, qui in sinu Patris est, iuxta Athanas. orat. 5. contra Arrian. Ea verò omnia de filio intelligunt Athanas. orat. 3 vers. med. & finem Nicæna synod. lib. 2. §. *in libro Iob*, & §. *suffecisset*, Cyrill. Alex. 1. Thesau. cap. 1. longè ab init. lib. 5. cap. 3. longè ab init. cap. 7. longè à med. lib. 13. cap. 2. vers. med. Chrysost. tom. 1. in psalm. 107. ad verba data. Ambr. 3. de Spiritu S. cap. 2. ante med. cap. 3. & 6. Isidor. 7. Etimolog. cap. 2. circa med. qui omnes cum lactantio 4. diuinar. institut. cap. 29. circa med. eius appellationis manus, ac dexteræ rationem reddunt: vt vnitas potentiæ, & operationis cum Patre in filio denotetur qua *omnia per ipsum facta sunt*. Ioann. 1. & Isai. 66. *Manus mea fecit hæc omnia*. Nicæna Synod. ac Cyril. primo loco sic habent: *Pater veluti per manum in verbo suo operatus est omnia*. Brachium autem citatis locis, & Isai. 53. *Et brachium Domini cui reuelatum est*, ac rursus: *Domine sublime est brachium tuum, & nescierunt*. non ob rationem dissimilem filius appellatur. Cyril. primo, & vltimo loco sic habet: *Quemadmodum igitur brachium toti corpori naturaliter coaptatur, omniaque facit quæ menti videntur* &c. atque Isidor. citatus dici ait brachium, *quia ab ipso omnia continentur*.

3 Sed & Spiritus S. manus Dei dicitur à Synod. Nicæna proximè, Ambr. 3. de Spiritu S. cap. 18. post init. vbi ex Ioann. 10. *Nemo poterit rapere de manu Patris mei*. & rursus: *non rapiet eas quisquam de manu mea*. manum esse Patris, & filij probatur. Ab Anastas synaita 1. de rectis fidei dogmat. vers. med. Basil. 5. contra Lunom. post init. ex psalm. 18. 101. & Iob. 10. ac 33. imo à Chrysostom. citato *dextera*, appellatur; à Synodo autem Nicæna §. citato *in lib. Iob. brachium* dicitur, quæ rara apud Patres sunt. *Digiti* verò nomen elatura Spiritus S. familiarissima apud Patres est, ita Chrysost. citatus, Ambros. 3. de Spiritu S. ante med. & c. 3. ac 6. atque in Apolog. Dauid. col. antepen. & in psalm. 43. ad id: *commotionem capitis in populis* & 7. in Luc. ad id: *omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur*. Isidor. 7. Etimolog. cap. 3. post med. & de different. Spiritualibus c. 1. circa med. Hieron. ad locum Matth. 12. recitandum Basil. 5. contra Lunom. sect. 15. Athanas. disp. Nicæna contra Arrium col. penult. orat. 2. contra Arrian. longè à med. orat. in id: *Quicumque dixerit Blasphemiam in Spiritum S.* Cyril. 13. Thesau. cap. 2. longè à princip. Rupert. Ricard. citandis locis, atque Ecclesia tota in hymno de Spiritu S. canit: *Dextræ Dei tu digitus*. est que expressum in Euangelio testimonium Luc. 12. n. 20. vbi, quod Matth. 12. n. 28. legitur: *Si ego in spiritu Dei ejcio dæmonia*. dicitur: *si in digito Dei*. Vnde Patres semper pro digito Dei in scriptura Spiritum S. intelligunt, vt exod. 8. *Digitus Dei est hic* & Deuteronom. 9. *Tabulas lapideas scripsit digito Dei*.

4 Cur autem *Dei digitus* Spiritus S. appelletur multiplex Patribus ratio occurrit. Hieron. proximè ait, vt significetur vnitas personarum his verbis: *Manus & brachium Dei filius est, & digitus eius Spiritus S. Nec te scandalicet membrorum inæqualitas, sed ædificet corporis vnitas*. Consensit Ambr. 7. in Matth. dicens: *Cum Christus Dei dextera, sit Spiritus autem digitus: specie velut vnius secundum diuinitatem corporis seriem videatur exprimere*. Annuit Basil. & Athanas. proximè Chrysost. hom. 41. in Matth. versus med. Spiritus S. cum Patre consubstantialitatem ex digiti nomine probantes. Addit Cyril. proximè significari processionem S. S. à Patre per filium: *Modo enim*, ait, *quodam ex substantia Dei emanat, & naturaliter independet, sicut ex humana manu digitus brachium enim, & dexteram Dei scripturæ vocant*, nempè filium. Cyril, imitatur S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcor. cap. 32. §. 31. fine. Ostenditur tertiò communitas potentiæ, & operationis cum Patre, & filio, vti ad verba data Exod. 8. obseruat Athanas. disp. Nicæna citata: *Quibus verbis nihil aliud illi, quam consubstantialem Spiritus S. virtutem constituebantur, quam habet cum Deo Patre per hanc vocem digitus Dei. Votem Domini auscultа, qui vt recte dictum approbauit. Si ergo*, inquit, *in digito Dei ejcio dæmonia*. Cyril. ad verba proxima immediatè ferè subdit: *Quemadmodum igitur brachium toti corpori coaptatur, omniaque facit, quæ menti videntur, insurgere quoque solet digito: sic filium Dei ex ipso, & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus: ex filio autem naturaliter, ac essentialiter Spiritum S. sicut ex Patre prouenire credimus: per quem filius omnia iniungens sanctificat*. Ambros. citatus 7. in Lucam: *Digitus Dei cum dicitur operatoria virtus significatur: quod diuinorum operum, sicut Pater, & filius; ita etiam Spiritus S. operator sit. Dicit enim Dauid. psalm. 8. quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum*.

5 Hanc rationem altiùs persequens Aug. ad verba psalm. 8. ep. 119. de ritibus Ecclesiæ cap. 16. init. & med. 2. de Trinit. cap. 14. de Spiritu & lit. cap. 16. q. 25. in exod. & 2. de consensu Euang. cap. 38. ac de catechizandis rudibus cap. 20. digito significari vult Deum per Spiritum S. subtiliora opera exequi vti nos per digitos solemus, vt scribere Deuteronom. 9. in tabulis lapideis legem, vel potius semper in cordibus nostris. Consentiunt Pseudo August. de essentia diuinit. col. 3. Ambros. psalm. 118. ferm. 15. col. 2. Huc spectat omnem ornatum, ac perfectionem creaturarum Spiritui S. tribui, vt dicebamus cert. 4. ac per ipsum exequi Deum. Idcirco Marc. 7. *Misit digitos suos in auriculas*. Surdi filius, id est Spiritum sanctum, vt organa auditus per spiritum S. repararet, atque perficeret: vt doctè obseruarunt Hieron. & Beda ibi. atque M. Gregor. hom. 10. in Ecechiel. Quartam significationem his dedit August. lib. 2. quæst. Euangelic. q. 17. *Propter partitionem donorum, quæ in eo dantur; in nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quam in digitis*. ac in psalm. 143. *In digitis agnoscimus vnitatem, diuisionem operationis, & tamen radicem vnitatis*. Adductaque varietate gratiarum per Spiritum S. distributa ex 1 corint. 12. cum Paulo concludit. *Radix est vnitatis diuidens propria vnicuique prout vult*. Consentit Rupert. 1. Exod. cap. 33. Quintam denique significationem dedit Ricard. Vict. 6. de Trinit. cap. 9. med. in hæc verba: *Digitum sanè protendimus, cum aliquid alicui ad oculum ostendere volumus. Quando igitur Deus alicui interna, & occulta sapientiæ suæ Spiritus sui illustratione reuelat, quid aliud, quam, quod videri vult, digito suo demonstrat*.

CERTAMEN II.

Metaphoricæ Personarum nomina inanimata.

1 Hæc ex corpore humano, eiusque membris metaphoricè de Personis dicuntur. Ex inanimatis vero alia etiam metaphorica nomina personis accomodantur. Vt Patris *fons Trinitatis*, de quo diximus supra, atque eo significari ipsum à nullo procedere, reliquasque Personas ab illo profluere, sicut fonti contingit, qui aquæ profluentis principium est, filio verò *vitæ* nomen: quia per eius merita, & exempla recta ad Deum tendimus in beatitate possidendum. Item *ostium*, appellatur quia non nisi eius meritis ad Dei Ecclesiam, & gloriam aditus patet. Item *lapis angularis*, & *Petra*: quia eius etiam meritis Ecclesia tota, eiusque fides, & spes solidè fundatur. *Lux* item *hominum*, & *lux mundi*. quia sua gratia, & fide nos illuminat, atque doctrina veritates æternas demonstrat. *Vitis* etiam: cui per fidem, & gratiam adhærere debent, quotquot vitæ æternæ fructus producturi sunt. Insuper *paries*, qui vetus testamentum, & nouum diuidens in se iungebat, quam etiam ob causam velo templi significabatur. Huc spectant etiam nomina sacrificiorum, victimarum, & holocaustorum, reliquarumque figurarum, quibus in veteri Testamento filius Dei incarnatus, comprehensus, & passus pro nobis adumbrabatur: quæ nomina omnia, non nudo filio, sed nostra carne induto, atque homini competunt, nisi per idiomatum communicationem: sicut, & plura alia. quæ prosequi longum esset atque ad Trinitatis explicationem inutile.

2 Spitus S. appellatur primò *mens filij* 1. Corint. 2. fine: *Nos autem sensum Christi habemus*, idest mentem omnium consensu. Ad quæ Cyril. 13. Thesau. cap. 2. longè ab init. & cap. 3. sub init: *Mens filij Spiritus est, secundù Paulum. Non ergo potest Spiritus alia loqui, quam ille, cuius Spiritus est*. Cuius appellationis rationem sic reddit. Nysseu. epist. contra Apollinar. de imagine, & similitud. vers. med. *Mens neque caret causa, neque ast genita, sed ex processione orta: vndequaque discurrens, & cuncta despiciens, & inuisibiliter pertractans ad imaginem, & similitudinem sanctissimi, & per processionem orti Spiritus, de quo dictum est. Spiritus omnia scrutatur*. Secundo appellatur *facies* ab eodem Cyrillo cit. cap. 2. ex psalm. 138. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam*. Sed nomen hoc aptius, atque vsitatius est filio. Tertiò appellatur *complementum*, nempè *Trinitatis* ab eodem 14. Thesau. fin. & c. 14. post med. à Basil. lib. vnic. de Spiritu S. cap. 18. ante med. Isidor. Pelus. lib. 1. ep. 109. Anastas. Synait. 1. de rectæ fid. dogm. longè à principio. Quartò appellatur *Vinculum Trinitatis*, ab Epiphan. hæresi 62. med. idem autem est quod communicatio, & communio, vt appellatur, 2. Corint. 13. & Fulgent. q. 4. ad Ferrand. Isidor. 7. Etimolog. c. 3. Aug. 6. de Trinit. cap. 5. & 10. circa med. vbi etiam *complexum Patris, & filij* vocat. Quare Epiphan. hæres. 74. solum negat Spiritum S. esse coniunctionem accidentariam Trinitatis, vt hæretici volebant. Hæresi autem 62. *signaculum confessionis Trinitatis*. Spiritum S. dixit: quia eius confessione clauditur, ac reuinciatur Trinitatis confessio. Scio Naz. orat. 32. ad 150. Epist. sub med. hæc scribere: *Vnio Pater est: ex quo, & ad quem ea, quæ deinceps sequantur. Personæ procedentes referuntur; non vt confundantur, ac permisceantur, sed vt cohereant*. Sed solum vult ex eo, quod originariè ab illo procedant, vnius essentiæ esse cum illo, non autem illum esse vnionem ipsorum.

3 Quintò vocatur *sigillum* Spiritus S. à Nysseno lib. post de Trinit. ad Eustachium vers. fin. Cyril. 13. Thesau. cap. 3. col. penult. lib. 14. cap. 4. circa med. Ambr. 1. de Spiritu S. cap. 6. Athanas. epist. longior iad Serapion. ex illo ad Ephes. 1. *Signati estis Spiritu promissionis sancto*, & ex 2. Corint. 1. quia gratiæ dono, tanquam caractere electos sigillat quare diuersa ratione, ac filius sigillum dicitur, quia Patris imago. Sexto appellatur *vnguentum* à Nysseno. ibi Cyril. cap. 3. Ambros. cap. 7. & Athanas. proximè. Vnde & appellatur septimo *odor* ab eodem ibi, & epist. *Admirabere*, ad Serapion. longè ab init. ex 2. Corint. 2. *Christi bonus odor sumus*. & Dialog. 1. de Trinit. vers. med. ex Iob. 27. *Donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis*. atque à Cyril. 11. in Ioann. c. 1. fine, vbi ait esse odorem Christi, & Dei, non vt alium ab eius substantia; & c. 2. post multa in eandem sententiam hæc habet: *Quasi enim odor substantiæ Dei est viuens, atque actiuus: adeò ad creaturas, quæ Dei sunt transportans, ac participationem eius immittens. Nam si aromatum odor propriam virtutem eorum vestibus relinquit, & transmittit, quodam ad se ipsum modo, ea, quibus adhæsit: quomodo Spiritus S. participes diuinæ naturæ non efficiet*.

4 Octauo *Dei virtus* dicitur vt supra vidimus. Nono *Dei qualitas*, è cuius gustu percipitur quid Deus ita Cyril. 13. Thesaur. cap. 3. med. lib. 14. c. 1. fine 6. Dialogor. de Trinit. col. 5. vbi hæc: *Spiritus S. quasi qualitas sapientis diuinitatis*, Decimò *aqua* dicitur: tùm, quia sitim explet, vt Christus ad Samaritanam aiebat: tùm quia gratia lauat: tùm quia largè diffunditur Isai. 44. & 55. Ecechiel. 36. Ioann. 4. & 7. Vndecimò *ignis* nuncupatur: primò ob efficaciam inflammandi ad charitatem: secundò ob vim purificandi, & transformandi: tertiò propter significationem acceptandi sacrificium, quæ in igne est, Genes. 15. n. 17. Ieuit. 9. n. 24. Iudic. 6. n. 21. Reg. 3. cap. 18. ideò actor. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis*. Dum Spiritus S. aduenit in Pentec. Hinc ignem Spirit. S. venit Christus in terrâ mittere, vt de se testatur Luc. 12. iuxta Chrysost. hom. 6. in Matth. Hier. Matth. 3. & Ecechiel. 9. Ioelis 2. & Isai. 66. Ambr. in Luc. 12. Aug. serm. 108. de temp. & 185. Prosper. de prædict. p. 1. cap. 34. M. Greg. hom. 30. in Euang. ac lib. 2. 5. & 8. in Ecechiel. Insuper quod Matt. 3. Bapt. dixit: *Ipse vos baptizabit S. S. & igne*. actor. 1. Chrysstus dicit: *Vos autem baptizamini S. S.* Hinc eleganter, & acutè Naz. orat. 49. de fide col. aut ait, ideo Deum Hebr. in colum. nubis, & ignis ductasse; *vt baptismi gratiam, & donum S. S. per ignem ostenderet. Vade, & Apostol. in nube & baptizatos scribit, & S. sicut ignem esse, Apostolorum acta declarant*.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

DISPVTATIO XI.

De Diuinis Notionibus.

Notio Vniuersim notitia, seu cognitio est, iuxta Cicer. 1. de legibus strictiùs autem est notitia rem vnam ab alia distinguens: teste eodem 4. Academicar. & Boetio ad 3. Topicor; strictissimè est notitia personam vnam ab alia eiusdem naturæ discernens, iuxta Cicer. 3. de officiis, Nysseu. orat. Cateche. init. Vndè affinitatis iure ad cuiusque personæ propria nomina significanda notio sumitur apud Aug. 11. de Ciuit. c. 10. sub init. quoniam verò plura cognitionum nomina earum obiectis accommodantur, vt vox *conceptus*, quæ obiecta etiam concepta significat: notionis nomen ad obiecta notitiæ dicernentis vnum ab alio iam vsus adaptauit. Cum autem notio, seu notitia distinguere posit vnum ab alio non eiusdem naturæ cũ illo, iuxta secundam notionis acceptionem, notio pro obiectiua formalitate vsurpata sumitur etiam pro formalitate diuersa eius, quod cum alio natura non conuenit: sic quamuis formalitatem diuinam, qua personæ diuinæ à creaturis differunt notio appellatur à Basil. ep. 43. ad Nysseu. longè à med. à Nysseu. de Trinit. ad Eustachiũ ante med. & ad Ablab. quod non tres Dij vers. med. Naz. orat. 35. de Theolog. inter med. & finem. Verum in re præsenti strictissimè accipitur à Theologis pro formalitate obiectiua, qua personæ naturæ eiusdem se differunt dignoscique vna ab alia possit, tanquam nota, sigillo, caractere, vel insigni proprio. Vnde constat non posse notionem personæ considerari in quo natura communis inuoluitur, sed in abstracto formaliter, & præcisè, vt recte adnotat S. Thom. 1. p. q. 32. art. 2. Tria ergo examinanda de sic acceptis notionibus erunt. Primum an sint in diuinis. Secundum an à proprietatibus personalibus differant? Tertium earum notionum numerus.

QVÆSTIO I.

An sint notiones in diuinis.

Ex præmissa notionis acceptione vix quæstioni & opinionum diuersitatis locus esse videbatur, nisi à consilio, dataque vt aiunt, opera à vero homines aberrarent.

CERTAMEN I.

Dantur notiones in diuinis à Patribus.

1 Præpositiuus apud S. Thom. citato art. 2. docet ex parte obiecti notiones, siue proprietates personales formaliter à personis ipsis diuersas nusquam esse in diuinis. Cui adstipulari videntur Mariar. 1. d. 26. q. vnica, Gregor. ibi & d. 27. q. vnic. art. 2. Gabr. d. 28. q. vnic. art. 3. concl. 5 dum asserunt proprietates personarum, & personas solũ ex parte modi significandi differre: addit que Gabriel in rigore, nec quatuor, nec quinque notiones in Deo esse admittendas. Qua in re ita eum interpretatur Ruiz. d. 46. sect. 2. vt solum negat notiones esse quatuor; vel quinque res in Deo quia, vt vidimus d. 6. q. 1. rei conceptum in diuinis multiplicari negat: atque ex alia parte inter relationes, seu personalitates, & essentiam distinctionem formalem, etiam ex natura rei ante opus intellectus admittit, vt vidimus d. 8. q. 2. cert. 1. n. 2. ac tandem idem Gabr. art. 2. & 3. citato notiones abstractè significatas in Deo concedit. Verum interpretatio hæc minimè placet: nam eo sensu negare deberet tres personales proprietates, seu notiones, sicut quatuor negat: quia in eius sententia, nec

ad ternarium numerum multiplicatur rei ; seu entis prædicatum. Mens igitur Gabrielis, Maioris, & Gregorij longè alia est : nempè ex parte rei obiectæ nempè Dei non esse formalem distinctionem notionis seu proprietatis personalis a persona, sed solum ex parte modi concipiendi, & significandi: iuxta suam, & reliquorum nominalium doctrinam negantium præcisiones obiectiuas in res realiter eiusdem prædicatis.

2 Quidquid autem de horum mente sit notiones reliqui Scholastici in diuinis nostro sensu admittunt. Magist. in 1. d. 26. cap. 2. d. 28. cap. 1. Scotus verobique q. 1. sub init. & q. 1. ad 3. Carthusian. cum Altisiodorensi q. 4. Duran. q. 2. n. 6. & 7. S. Bonau. art. vnic. q. 4. & d. 33. art. 1. q. 3. & 4. Ricard. d. 26. art. 4. q. 2. & d. 28. art. 1. q. 1. Capreol. q. 1. art. 1. concil. 5. & 6. Argent. d. 27. q. vnic. art. 1. Aureol. d. 29. art. 1. sub init. & circa fin. Marsil. in 1. q. 29. art. 1. S. Thom. vbi proximè ab art. 2. vbi Caiet. Molin. Val. Vazquez. Canar. atque interpretes reliqui. Albert. 1. p. q. 39. m. 2. art 1. partic. 2. & 3. Alex. q. 68. m. 3. & m. 5. art. 6. Henricus 2. p. art. 55. maximè q. 4. Soar. 5. de Trinit. cap. 9. & lib. 7. cap. 1. Ruiz vbi proximè n. 5. Gaspar. Hurtad. d. 5. diff. 5. Zuniga Perez. & alij. Porrò oppositam sententiam errori proximam censet Ruiz. d. citata sect. 1. n. 12. vbi ait: *notiones in diuinis conuenienter, atque fidei proximè inductas esse.* Sect. autem 4. aduersam sententiam temerariam, theologicisque disputationibus perniciosam appellat. Ego verò de more mitiùs cum aduersa opinione agam, neque temerariam adhùc censeo: video enim negatis præcisionibus obiectiuis, vti à plerisque antiquis, & recentioribus. Scholasticis negantur, notiones eo sensu, quo à nobis, & reliquis asseruntur defendi minimè posse: quare negantem sententiam theologicis disputationibus perniciosam iudico, sicut in logica negantem præcisiones obiectiuas, & theologicis, & physosophicis aduersam iudicaui. In præpositiuum autem, qui obiectiuas præcisiones non negat, temeritas censura meritò cadit imò in nominales etiam, si eiusmodi notiones & seu notas personarum fuit quamque personis identificatas ex parte obiecti negent, atque fundamenta esse, vt vna, Persona ad alia earumque munera formaliter cognitione nostra verè dignosci possint inficientur.

3 Probatur ex scriptura vbi nominatur persona Patris, & filij, in quibus nequit non abstratum Paternitas, & filiatio contineri, imò & exprimitur à Paulo Ad Ephes. 3. n. 15. *Ex quo omnis Paternitas in cœlis*, &c. quin, & si non ita expressis vocibus contineretur in scriptura, ex illa inferri satis esset, vt à Theologia tota, & notionis significatum, & nomen admitteretur. Sed quoniam hæc, & similia de notionibus formalibus, non obectiuis explicari à nominalibus possent : succedant Patres, qui ex parte obiecti cogniti apertè notiones in diuinis admittunt. Iustin. expos. fidei de Trinit. pagina 2. *Illud ingenitus, & subsistentiæ modus notæ sunt, quibus interstinguuntur Pater, & filius, & Spiritus S.* Sic vertit Gelenius langus vero Silesius hoc modo : *Veluti sigillum quoddam ingeniti verbum prolatum Patris statim subsistentiam designat : rursùs tanquam quoddam signum geniti appellationem audientes filij concipimus notionem.* Pergit inferiùs Iustinus : *Dum geniti Vocabulum, quasi notam quandam audimus, mox cogitamus filium: quemadmodum, & per procedentis notam Spiritus propriam personam dicimus.* Nyssen. de different. essent. & hypostas. longè à principio: *Solùm modo requiremus ea quibus vnusquisque notio dilucidè, & absque mixtione, ab ea, quæ vna consideratur segregetur.* Et versus medium signa, siue insignia, quibus personas dignoscamus recenset : ac versus med. *Hoc signum continet Spiritus S. quo ea, quæ circa hypostasim consideratur agnoscamus*, &c. *& filius hoc habet insigne &c. Nam filius vnigeniti in modum ex non genito lumine enitescens, atque relucens nullam (quantum attinet ad propriam notam, & peculiare insigne) communionem habet, vel cum Patre, vel cum Spiritu S.*

4 Alexander Alexand. epist. ad Alex. Constantinopolitan. col. 5. *Notas*, inquit, *ex quibus filius agnoscitur.* Cyrill. Alex. 1. Thesau. cap. 5. circa med. *Generate notio Patris est.* Et cap. 6. circa med. *Notio perfectionis fœcunditas est.* Athanas. q. 7. de natura Dei: *Tria propria, tria individua ; tres caractheres.* Damasc. epist. de Trisagio pag. 2. propria cuiusque personæ vocat *ostensiua hypostheseos* & circa med. *Caractheristicas vnius cuiusque hypostheseos proprietates*, de decretis primæ institutionis: *Proprietatem Caractheristicam, idest, insignitam*, 3. fid. cap. 6. sub init. *sunt caractheristicæ, signalesque proprietates.* & cap. 7. longè ab init. *Dei verbi filiationis caractheristicam, & discretiuam proprietatem, secundum quam discreta est à Patre, & Spiritu.* Tertullian. cap. 2. contra Praxam: *Tres sunt non substantia, sed forma, non potestate, sed specie: quia vnus Deus, ex quo gradus isti, & forma, & species in nomine Patris, & filij, & Spiritus S. deputantur.* Sed omnium præclarissimè, ac frequentissimè in hanc sententiam loquitur Basilius: Sic enim habet. 2. contra Iunom. vers. finè: *Proprietates, ac notæ, quasi caractheres quidam, & formæ in substantia inspectæ, distinguunt quidom, quod commune est, appropriatis caractheribus.* infra: *Proprietates declaratione notionum, tanquam lucem animis nostris imponentes, ad comprehensibilem mentibus intelligentiam ducunt. Nam, cum vna Deitas sit, impossibile est propriam notionem Patris, vel filij capere, nisi proprietatum accessione cogitatio nostra confirmata sit.*

5 In eandem scripsit sententiam 4. contra Iunom cap. 2. & epist. 43. ad Gregor. Nyssen. maximè à medio proprietates sæpè adeò notas, & caractheres personarum appellans, vt huc calamo toties transcribere longum sit; Sed aliqua tamen ex ea epistola transcribemus. *Necessarium est*, (inquit) *vt per proprias quasdam notiones inconfusa habeatur in Triade comparatio*, inferius : *causæ Patris insertam habet essentiam Spiritus sanctus, vndè, & progreditur. Hanc notionem, & cognoscibile signum eius, quæ secundum hypostasim est, proprietatis habet, quo cum filio simul, & ipse se facit internosci.* Post pauca: *Nullam prorsus notionum communicationem secundum proprietatem suam, tam cum Patre, quam cum Spiritu S. habet*, (filius) *sed ex dictis iam signis solus agnoscitur. Pater verò, qui super omnia Deus est, peculiarem hypostheseos suæ notionem solus habet, quod Pater est, & quod ex nulla omnino causa subsistit : atque isto iterum iudicio, & ipse propriè, ac separatim agnoscitur.* versus finem : *formam filium esse dicit Paulus hypostheseos non in propriis sed in patris indiciis, ac notionibus designatum.* Demum lib. vnic. de Spiritu S. cap. 5. ad id 4. ad Ephes. *Vnus Deus, & Pater, ex quo omnia* &c. scribit : *Has voces notare personarum discrimen. Nec enim in hoc adhibentur, vt naturæ diuersitatem inducant, sed, vt impermixtam Patris, & filij notionem approbarent.* Ex quibus omnibus, & singulis arguo. Forma, species, signum, caracther, insigne, ac nota, quibus vnaquæque persona ab aliis distincta dignoscatur synonimæ voces sunt notionis obiectiuæ in abstracto à Theologis definitæ, atque in diuinis admissæ : atqui ea omnes à Patribus vno ore admittuntur in diuinis : ergo notiones ab eisdem in diuinis admittuntur: quin propria voce notiones in diuinis admittant sæpè recitatis locis Patres.

CERTAMEN II.

Veritatis eiusdem probationes reliquæ.

1 PRobatur secundo: quia cuiusuis rei ratio propria nec alteri conueniens abstractum est vltima abstratione proprium illius, quo ab aliis dignoscatur, atqui in quauis persona diuina est ratio propria, nec alteri conueniens: ergo in quauis persona est abstractum vltima abstractione ipsius proprium, quo ab aliis dignascatur. Quod ipsum est notio, quam in diuinis asserimus. Minor sola probationem desideret fortasse. Dabo ex Nazianz. orat. 29. de dogmate, & constitut. Episcopor. sub med. sic scribente: *Ita nobis proprietatum ratio constabit, si Patrem quidem principij expertem, & principium cogitemus.* ex Athanas. orat. 2. contra Arrian. circa med. *Paternitatis ratio*, ex Nyssen. lib. ad Ablab. circa finem : *Alia est ratio, quod quid est essentiæ, alia eius, quod quomodo est personarum.* Pseudo Cyprian. de Cardinalibus Christi operibus cap. de natiuit. versus finem : *Spiritum infundens Discipulis*, Christus, Christus, *generationis, & processionis intimans rationes, subtiliter adstruens personarum proprietates.* Confirmatur: quia Patres, vt hanc veritatem apertiùs traderent proprie tales personarum abstractis nominibus, sæpè adinuentis, explicarunt. Alexand. Alex. citata epist. col. 5. *eius filiatas, vt ita dicam.* Nazianz. orat. 29. in sancta lumina circa med. n. 24. *Spiritus sanctus procedens à Patre, non tamen filiationis modo, vt nec generationis, verùm processionis. licèat enim perspicuitatis gratiâ nomina fingere.* Basil. 4. contra Iunom. cap. 2. sub init. *Innascibilitas ad nascibilitatem filij ex opposito distinctæ.* Damasc. 1. fid. cap. 9. longè ab init. *ignascentiam* Patris dixit, & post med. *Hoc scire opportet: nomen Paternitatis, & filialitatis, & processionis non esse ex nobis ad beatam illam diuinitatem translatum.* Hilar. 4. de Trinit. longè à med. *Proprietate videlicet in vnoquoque, & innascibilitatis, & originis*, lib. 9. med. *Vnigenitus Deus ex perfecta, atque inerrabili natiuitate subsistens.* lib. 11. col. 4. filium : *Beatæ naturæ plenissimam formam, & innascibilis substantiæ vnigenitam natiuitatem* appellat. similibusque abstractis proprietates personales explicauit lib. 12. col. 4. ac vers. med. August. serm. 38. de temp. à med. *Pater solus est in paternitatis persona.* Concil. Toletan. 11. profess. fid. post med. *Est vnicuique personæ manens sua proprietas. Pater enim æternitatem habet sine natiuitate: filius æternitatem cum natiuitate, Spiritus S. processionem, sine natiuitate.*

2 Sed dies, & calamus me deficient, Patres similiter vbiuis loquentes recitantes. Recitaui cert. 1. aliquos, plures verò disp. 7. q. 1. cert. 4. n. 6. & q. 2. cert. 2. n. 4. vide insuper Dionys. 2. de diuin. nomin. vsque ad med. Athanas. Dialog. 1. de Sancta Trinit. post med. & q. 5. & 6. de natura Dei: Nazianz. orat. 23. in laudem Heron. versus fin. orat. 25. ad Arrian. & de seipso fine orat. 29. de dogmate & constitut. Episcopor. circa med. & infra orat. 32. ad 150. Episcopos post med. orat. 37. 5. de Theologia longè à principio & vers. fin Nyssen. de different. essentiæ, & hypostheseos præcipuæ col. 2. ad vers. med. & infra & epist. aduersus Apollinar. longè à principio, de Trinit. ad Eustachium col. 2. lib. ad Ablab. post. init. Basil. homil. 25. de fide med. 28. contra Sabellian. vers. med. tract. de vera, & pia fide longè à med. epist. 43. ad Hyssen. maximè circa med. & infra, lib. 1. & 2. contra Iunom. vers. fin. lib. vnico de Spiritu S. cap. 18 post init. Cyrillus. Alex. 1. Dialogor. de Trinit. longè à med. & fine lib. 2. col. 2. lib. 5. col. 5. fin. lib. 6. Dialog. col. 4. lib. 7. circa med. & infra 1. in Ioann. cap. 4. circa med. Chrysost. homil. de incomprehensibili Dei natura col. 2. Epiphan. hæres. 37. circa med. Damasc. 1. fidei cap. 9. sub init. & fin. cap. 11. longè à med. lib. 3. cap. 5. 6. & 7. orat. 1. de natiuit. Beatæ Mariæ 1. de decret. primæ institutionis cap. 13. & 4. de duabus Christi voluntatibus sub init. Theodoret. Dialog. 1. immutabilis col. 1. 2. de principiis col. penult. atque in id ad Hæbreos 1. *figura substantiæ.* Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 142. & 143. fine lib. 3. epist. 112. sub init. & 145. & 149. Anastas. Synait. 1. de rectis fidei Dogmatibus col. 7. Thalas Hecatondade 4. n. 87. ex latinis Hilar. 4. de Trinit. longè à med. lib. 11. sub init. lib. 12. med. Ambros. in symbol. Apostol. cap. 10. sub init. & 11. med. Aug. serm. 38. de temp. à med. 3. contra Maximum cap. 10. fine q. 60. ex octaginta tribus sub init. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 1. longè à princip. Anselmus de Incarnat. verbi cap. 3. Bernad. lib. 5. de considerat. ad Eugen. sub med. Tertullian. contra Prax. cap. 11. fine Richard. Victor. 4. de Trinit. cap. 15. & sequentibus ex Concilio Constantinopol. 1. generali 2. ante init. epist. ad Damasum, Damasus ipse in symbolo apud Hieron. tom. 4. Sophon. Patriach. Constantinop. 6. Synod. act. 11. col. 3. & 4. Ioannes Pa. 1. lib. de duabus natur. post init. Concil. lateran. cap. *firmiter* de summa Trinit. Florentin. sess. 18. post med. §. *diuina substantia*, §. *dixi equidem*, sess. 19. col. penult. & vlt. totaque Ecclesia præfatione de Trinitate.

3 Hinc constat robur rationis alterius datæ à S. Thom. art. 2. corp. Hæretico enim, inquit ille, roganti, quo differant Pater, Filius, & Spiritus S. nequit responderi exactè nisi per proprietates significatas abstractè. personæ siquidem in concreto sunt, quæ distinguuntur, non distinctiua, siue rationes distinguendi: ergo proprietates abstractè, & præcisè ab essentia obiectiua præcisione, vel formali saltem admittendæ sunt à Theologia tota, cuius & exactissime respondere: eæ autem proprietates sic sumptæ sunt notiones: ergo notiones admitti à tota Theologia debent. Vndè Patres omnes ; bonæ scilicet Theologiæ Parentes, quæritis exquisitisque, vt vidimus, abstractis proprietatum nominibus propriam nobis vniuscuiusque personæ, vt ab aliis distinctæ, notitiam inferebant. Respondent aduersarij sufficienter responderi Patrem à filio distingui, quia generat filium. Contra: quia, vel *generat*, sumitur abstractè, vt præscindit à generante, & habetur intentum : vel concrete, & sic deuoluit generantem, qui distinguitur, non autem puram rationem distinctionis, quæ inquiritur, vt patet.

4 Arguo tandem: quia proprietates in concreto, seu complexè sumptæ, nequeunt vltra ternarium numerum multiplicari adhùc formaliter : atqui proprietates plures sunt, quam tres formaliter. Ergo nondebent sumi complexè, & in concreto, sed præcisè, & in abstracto. Maior probatur : quia in aduersiorum sententia de complexa acceptione formaliter cum personis (in quibus seorsim, ac singulatim sumptis simplicissimus solum obiectiuus conceptus est) conuertuntur: ergo nequeût esse plures proprietates, adhùc formaliter, quam personæ: sed personæ plures tribus nec sunt, nec esse possunt : ergo nec proprietates plures esse adhùc formaliter possunt. Minor suadetur : nam in vna Patris persona est duplex & dimidia proprietas: nempè innascibilitas, & Paternitas, seu generatio, & inadæquata spiratio; in filio autem vna, & dimidia; nempè natiuitas, seu filiatio, & inadæquata spiratio: atque in Spiritu S. passiua spiratio, quæ sunt proprietates formales quinque in personis tribus formaliter. Vrgetur: quia Pater, & filius, licèt inter se differant, non tamen spiratione actiua, qua ab Spiritu S. distinguuntur: ergo filiatio in filio diuersa formalitas est ab spiratione actiua: alioquin secundum idem formaliter distinguerentur, ac non distinguerentur inter se Pater, & filius, quod implicat.

5 Argumenta, quæ ex personarum simplicitate à Præpositiuo petuntur probarent, si formalem earum simplicitatem euincerent, quam minimè probant: quare ne solutionem quidem merentur. Aliunde verò obiiciunt aliqui. Sunt in Deo notiones : ergo de illis prædicari possunt, quæcumque de Deo: atqui hoc est falsum : falsum igitur est esse in Deo notiones. Subsumptum patet in his propositionibus: Paternitas intelligit, sapit, creat; quæ sunt falsæ; cum tamen verè de Deo sint. Item generatio, vel paternitas generat, quod verè de Deo dicitur. verum responderur facilè negando primam consequentiam. Diuersitas enim in modo significandi satis est, vt de notione prædicari nequeat, quod de Deo, cui identificantur, potest verè prædicari, imò de persona; cuius notio est, vt benè S. Thom. q. 49. art. 1. Albert. q. 39. m. 2. art. 3. post med. Alex. q. 68. m. 5. art. 4. & 5. Ricard. in 1. d. 33. art. 3. q. 1. ad argum. & q. 2. corp. qua de re plura d. vlt. vbi generales regulas enuntiandi in Trinitate assignabimus.

QVÆSTIO II.

An notio ab stricta proprietate differat.

RES hæc non nimis ardua de se est, nisi sua immensa eruditione. Ruiz minus veram opinionem muniisset.

CERTAMEN I.

Omnis notio proprietas formalissimè est.

1 PRoprium, siue proprietas largius dici solet, quidquid alicuius est, & si sit etiam alterius. Sic vsurpatur proprietas à Boet. de duab.natur. versus.med. Athanas.serm.4.contra Arrian.col.3.Dialog.1.de Trinit. post med.Hilar.12.de Trinit.col. 4. & lib. 9. med. Hormisda Papa epist.aduersus Nestor.& Euthyc.cap. 2. post med. Anselm.epist.de processi,Spiritus S. §. 3. sub init. Cyrill. Alex.2 Thesau.cap.1.versus.med.& apud S.Thom. opusc. 1. contra errores Græcor.cap.6. Ricard. Victorin. 4. de Trinit.cap.16.versus fin.Fundatur ea proprietatis acceptio in 16.Ioann. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*, & 2. Petri *qui vocauit nos æterna sua gloria* quo pacto cum essentialia propria sint, quæ notiones esse non possunt, latiùs proprietas patet, quam notio. Strictè autem proprietas dicitur, *quæ ita alicuius est, vt non sit alterius?* de qua inquirimus an idem quod notio sit. Notare verò oportet illud *alicuius*, quod subiectum possessionis est, posse esse vnum singulare simplex, vel coniunctum ex pluribus. Dummodo enim ita coniuncto conueniat, vt nec singularibus seorsim sumptis, nequè coniuncto, & singulari alteri vsquam competat, ita coniuncto illi conueniet, illiusque erit, vt nullius præterea sit, in quo proprietatis ratio consistit: sic propria, & proprietates oppidi cuiusuis bona nuncupantur.

2 Dico igitur primo: omnis notio formaliter proprietas stricta est. Conclusio est contra Ruiz d. 67. sect. 5.n.8.16.& 17.vbi suam communem scholasticorum esse ait. Ego verò reor nullius esse posse, qui Patrum sensum intendat. Probo de notionibus, in quibus aliqua difficultatis species esse possit: nempè innascibilitate, & spiratione actiua. In primis enim innascibilitas ita est Patris, vt nequeat esse alterius: deinde spiratio actiua ita est Patris, & filij coniunctim, vt neutrius seorsim sit, neque alterius cuiusuis, siue coniuncti, siue singularis esse possit: ergo tam innascibilitas, quam spiratio actiua proprietas stricta est: si vera sunt, vt sunt, quæ ipsis aduersariis annuentibus de proprietate strictè dicta docebamus n.1. Antecedens, quoad innascibilitatem negari catholicè nequit. Quoad spirationem actiuam probatum est d.4.q.2.cert.1.n.4.& q.3.cert.2. n. 2. vbi contra Ruiz, & alios ostendimus potentiam spiratiuam, & spirationem actiuam essentialiter duplici personalitate Patris, & filij constare, quare in neutra persona seorsim inueniri eas, sed solum in vtriusque personæ coniuncto: ac proinde non esse vtrique personæ communes, sed coniuncti propriasid quod aduertisse debebant, ne à vero, tam apertè descisserent.

3 Sed insurgit tamen multa, & accurata Patrum eruditione Ruiz vt ostendat apud eos tres solum proprietates, nempè paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam strictè admitti; cum tamen notiones sint plures. Mazianz. orat. 25.ad Arrian.& de ipso circa finem *vnam naturam in tribus proprietatibus* orat. 37. 5. de Theolog. longè ab init. *vnum est tria, si proprietatum rationem habeas.* vers. fin. *Tres proprietates vnam diuinitatem*, Basil. 2. contra Iunom. longè à med. epist. 78. ad Eustachium t.2. tractatu de vera pia fide longè à med. *Tria nomina seorsim singula suam peculiarem proprietatem aperiè significant.* Consonat. Hilar. 12.de Trinit. Ricard.Victor.4. de Trinit.cap.17.sub init. *Absque dubio in Trinitate oportet tot personales proprietates esse, quot sunt personæ.* Repetit cap. 18.& lib.5.cap.11.13.14.& 15. Verum hæc, & similia solùm probant tres has proprietates, paternitatis, filiationis, processionis, seu spirationis passiuæ eis locis à Patribus solùm memoratas esse; non autem innascibilitatem, & spirationem actiuam à ratione proprietatum fuisse ab illis exclusas, sed ommissas solùm: quia nimirùm ad personarum distinctionem contra hæreticos euincendam, quæ totum Patrum studium fuit fortius ex illis proprietatibus in scriptura expressis certabant. Et quia in tribus illis, siue ex illis, duæ aliæ innascibilitatis, & spirationis actiuæ proprietates facie emicabant.

4 Quid quod de innascibilitate proprietatem esse sæpè Patres asseruerunt Hilar.4. de Trinit.col.5.& longè à med.ac lib. 12. med. Athanas. q. 5. ex anonymis, siue de natura Dei, Nyssen. de dif. essent. & hipostha. fine. Nazianz. orat. 23. in laudem Heron. vers. fin. n. 32. orat. 29. de Dogmate & constitut. Episcopor. circa med. Basil. epist. 43. ad Nyssen. circa fin. Theodoret. Dialog. 1. immutabilis col. 2. Anast. synait.1. de rectæ fidei dogmatibus vers. med. Concil. Toletan. 11. profess. fidei; post med. quorum verba dedimus d. 9. q. 1. cert. 4. num. 6. Solum hic audi Damasc. 1. de fide longè à princip. ita loquentem: *Omnia, quæ habet Pater, filij sunt præter ignoscendi proprietatem*, & cap. 11. vers. finem. *Patre non discedente ab ignascibilitate, quia genuit*, &c. *Nam proprietas manet immobilis.* De spiratione verò actiua numquam meminerint, tùm quia ea siue in actu primo, siue in secundo ex processione, siue spiratione passiua Spiritus S. facile infertur: tùm quia plures ex Græcis an Patris solius esset, non filij, an vtriusque simul non ita exploratum habebant, tùm denique, quia sufficienter ex spiratione passiua Spiritus distinctio intenta à Patre, & filio, à quibus est, ostendebatur. Nec refert potentiam spiratiuam, & spirationem communem esse Patri, & filio, quare neutrius proprietatem, dixi enim n.1. excitata d.4. neutrius seorsim esse, sed coniuncti ex vtroque solius.

CERTAMEN II.

Notionis, & proprietatis formalitas rationis est, sed non eadem vtriusque.

1 PRoprietatis rationem formalem rationis non esse hi solum dicere possunt, qui vel realiter, vel ex natura res, vel virtualiter, independenter nimirum ab intellectu, personalitates, ac proprietates ab essentia, & natura distinctas existimant. Etenim proprietatis ratio distinctionem, constitutionemque personæ ex illa supponit, vt illa esse atque esse illius intelligatur: quæ, si solum per rationem sint, realis eius formalitas esse non potest. Prædictis consentire refertur à Caiet. 1.p.q.32. art. 2.& à Capreolo 1.d.26. Aureolus in 1.d.29.art.1.§ *sed nec iste*: quia ait Patrem concretiuè, & paternitatem abstractiuè à nobis apprehendi non sola consuetudine apprehendendi sensibilia, sed quia rei natura exigit. Deinde, quia sic arguit. Vbi abstractum solo modo significandi differt à concreto, quidquid realiter dicitur de vno, dicitur etiam de alio, vt constat in Deo, & Deitate: at non ita res habet in Patre & paternitate: ergo Pater, & paternitas non solo modo significandi differunt. Minor patet: quia paternitas se tota distinguitnr à filio; Pater autem non distinguitur se toto à filio.

2 Verum Capreolus, & Caiet. ea in re Aureolo imponunt de more. Primum enim, quod ex ipso referunt, solum probat agnosci ab illo fundamẽtum ad distinctionẽ rationis ratiocinatæ, quam inter personalitates, & proprietates, & essentiam solùm admittit citato loco posit. 1.& d.1.q.1.d.33.q.1.& 3. Argumentum autem nihil vlterius de eius mente probat. Negata enim distinctione ante intellectum proprietatis ab essentia verum habet, paternitatem, & patrem non solo modo significandi differre, cum ex parte obiecti Pater aliam formalitatem supra formalitatem Paternitatis includat, vt argumentum conuincit, cuius maior malè negatur à Ruiz, & Caietano exemplo Deitatis, & Dei: quia de Deo dicitur generare, quod de Deitate non dicitur. Etenim abstractum Deitas à concreto Deus non differunt solo modo significandi, sed ex parte etiam obiecti, cum Deus personalitatem deuoluat. Secus Deitas. Certa igitur est Aureoli maior, vt constat in entitate, & ente substantiuè

substantiuè dicto, & similibus. Censet igitur rationem formalem proprietatis, & notionis rationis esse per omnes, qui personalitates ab essentia independenter ab intellectu non distinguunt.

3 Quod autem vtriusque formalitas non eadem sit, sed diuersa Scolastici omnes fatentur, Albert.1.p.q. 30. m.2.art. 1. Alex.q.68.m.2.S.Thom.q.33.art.3.(vbi Caiet. Canar. Vasq. Molin. aliique interpretes & in 1.d. 26. q.2.art.3.corp. S.Bonau.art.vnic.q.4. Maior.9.vnica vers. fin. Carchus.q.4. Durand.q.2.n.7. Ricard. d. 27.art.1.q. 1.d.28.art.1.q.1. Ruiz vbi proximè. Probatur facile quia proprietas formaliter solum dicit personam in se singulariter constituere, atque ab aliis distinguere, notio vero addit insuper ordinem ad intellectum, qui ex illa personam, vnam ab alia discernere, ac dignoscere sua cognitione possit: qui ordo, licet rationem proprietatis supponat (idèò enim apta formalitas illa est, vt per illam vna persona ab alia dignoscatur, quia proprietas ipsius est) diuersus tamen formaliter est à proprietatis ratione, quam in prædicato illo supponit.

QVÆSTIO III.

De numero notionum.

TAM quousque diuinarum notionum numerus protrahendus sit examinandum est. Qua in re nulla ferè rerum inter Scholasticos potest esse dissensio: cum omnes conceptus cuique personæ proprios, siue proprietates enumeratas admittant. Sed verò, licet vocum controuersia sit, in re adeo graui, atquè à nostro captu remota, quia communi loquendi modo, Patrum exemplo inducto, discedens cum hæreticis offendit fusillandus merito erit; quia aliter, quam communis sententia fert. de numero notionum opinatur. vti temeritatis, vel ferè notatur à Bannes 1.p.q.32.art.3. Canar. Vasq. Molin. ad art.4. à Ruiz d.47.sect.1.n.13.

CERTAMEN I.

Quinarius notionum numerus statuitur.

1 IN numero notionem taxando per defectum peccauit Gabr. in 1.d.28.q.vnic.art.2.& 3. concluss. 2. & 3. innascibilitate relegata notiones quatuor solum admittens; nempè paternitatem, filiationem, spirationem passiuam, quæ à sanctis frequenter in notionibus, insignibus, ac notis distinctius personarum nominantur, atque insuper spirationem actiuam. Licèt enim hæc Anselmi tempore, imò, & Magistri, non nominaretur, vt constat ex c.d.26.27.& 29. posthac verò summo consensu, & iure, ab Scholasticis in notionibus numeratur: cum æquè ex spiratione passiua, actiua, atque ex filiatione paternitas inferatur. Secundò, licèt patres principium spiratiuum non integrè explicuerint, sed quandoque filium tacuerint, quandoque Patrem per filium spirare dixerint; tamen ab vtroque procedere sæpè docuerunt locis datis d.2.q.2.cert.4. Tertiò Synonimis vocibus spirationem actiuam, tanquam notam, & insigne Patris, & filij assignari à Patribus constat ex Athanas. Dialo. 1. de Trinit. contra Anomœum col.3. *Nulla*, inquit, *differentia neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum, aliqua quod gignere, & gigni, emittere, & procedere, siue emitti inter se differunt.* Hac emittendi Spiritum S. voce vtitur etiam q. 11.& 12. se natura Dei Augustus verò 5. de Trinit. à cap. 11. ad 15. æquiualenti voce *donatoris*, quem imitatus M. Cregor 3. Moral. cap. 11. alias 8. ait. *Is qui per processionem producitur, à proferentibus, non præitur.*

2 Dicendum tamen est Patris innascibilitatem quintam esse notionem in diuinis. Est reliquorum Theologorum S. Bonau. in 1.d.26.art.vnic.q.4. Der.q.2. n. 7. & 8. Carthus. cum Altisiodorens. q.4. Ricard. art.4. q.2. & d. 28. art.1.q.1. vbi Capreol. Argentina d.27. q. vnic. art. Aureol. d.29. art.4. circa fin. propositi. 2. Marsil. 1. q.29. art. 1. notabili 8. Henric. 2.p. art. 55. q. 4. Albert. 1. p. q. 39. memb. 2. art. 1. partic. 1. ad 1 Alexand. q.68. memb. 3. S. Thom. q. 32. art. 3.& 4. vbi Cajet. Banneo, Canar. Molin. Valent. Vasquez d. 137. cæterique interpretes Soar. 5. de Trinit. cap. 10. Bellarmin. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 5. circa med. § *Denique*, Zunniga d. 7. dub. 4. Granad. 1.p. tract. 7. d. 2. Ruiz d. 47. sect. 1. n. 2. Alarcon. d. 5. de Trinit. cap. 7. Martin. Perez d 7. sect. vlt. Gaspar. Hurtad. d. 5. de Trinit. dis. 6. ac Recentiores omnes in manuscriptis. Probatur facilè, quia innascibilitas, siue esse à se notionaliter, & non ab alio est Patris strictè proprietas, & nota, qua ab aliis personis, & distincta persona dignosci possit: insuper, est insigne, seu nota Patris diuersa formaliter à reliquis notis ipsius in quocumque gradu, & statu considerati: ergo est quinta notio diuina. Consequentia est legitima: solum igitur antecedens probandum nobis erit.

3 Prima igitur antecedentis pars perspicua est à Patribus recitatis q.2.cert.1.n.4.& d.9.q.1.cert.4.n.6.& q. 2. cert.2.n.4. & d.10.q.1.n.2.fine, & deinceps. Solum addo Nyssen. de dif. essent. & Hispolthas. post med. in hæc verba. *Præcipuum quoddam, & eximium insigne, notamque suæ hypostaseos solus habet quod Pater est, & quod ex nulla causa subsistat: ac per hoc rursus ipse quoque signum proprè, peculiariterque cognoscitur.* Neque eadem pars à ratione obscurior; siquidem innascibilitas solius Patris, & qua dignoscatur satis à personis reliquis. Secunda verò antecedentis pars facilè suadetur: quia neque est, adhuc realiter filiatio, neque spiratio passiua, vt patet; neque actiua cum hæc Patris, & filij coniunctim sit; innascibilitas verò Patris seorsim sumpti, & solius a Paternitate autem generatione, & potentia generatiua, siue formali siue radicali formaliter distingui constat ex d. 10.q.1.cert.3.per totum. Ergo innascibilitas est nota, & proprietas personalis Patris distincta à quatuor reliquis notionibus: ac proinde quinta notio diuina.

4 Opponit Gabriel; qui concedit quinque notiones, concedit quinque res in diuinis, cum tamen non nisi tres res distinctæ admitti catholicè possint: ergo non sunt admittendæ notiones quinque. Contra: quia neque quatuor admissæ à Gabriele admittendæ erunt, si quid eius argumentum probat: sed nihil probat in vlla sententia. In mea enim vnum tantùm ens, & res vna solùm in Trinitate est, nempè essentia, cuius solius formaliter est esse, & ratione cuius formaliter reliquæ personales & attributales formalitates sunt, & res, & entia adiectiuè; in alia verò sententia tres tantum realiter inter se distinctæ admittuntur, licèt non quinque solum, sed plures multo formaliter diuersæ catholicè admittantur: quæuis enim formalitas diuina essentiæ, attributi, personalitatis, & proprietatis personalis res, & ens est. Quia tamen tam essentia, quam attributa, & personalia extra tres personas realiter non sunt, sed ipsis identificantur, tres solum res realiter distinctas constituunt.

5 Arguit Secundo. Innascibilitas negatiuum quid est: ergo non est dignitas, & perfectio diuina: ergo neque notio diuina, quæ dignitas, & perfectio esse debet. Negat meritò antecedens Vasquez, si de innascibilitate in se sit sermo: quid enim positiuum est; licèt nostro modo concipiendi negatione explicetur, vt loco proximè citato cert. 2.& 3. docuimus, eo tamen absolutè admisso putat tenere argumentum ex negatione dignitatis, & perfectionis in innascibilitate, ad negationem notionis in eadem: quia notio esse non potest, quæ dignitas, & perfectio non sit. Ego verò, licet admisso antecedenti alias efformari argumentum posse iudicem, vt notionem innascibilitatis efficaciter impugnet: tamen, vt effirmabatur eo, & consequentia prima nihil præstare reor. Nego enim consequentiam secun-

dam:

dam. Nihil enim personale, bonitas, & perfectio formaliter est, vt d.7.q.3.monstrabam, atque iterum d.13. quare licèt innascibilitas, positiua, & in se bonitas q.4. cert.1.& 2. fusè ostendam) & perfectio non sit, tamen notio Patris est.

6 Denique contra spirationem actiuam argues nonionem non esse, quia notio, & proprietas, ita est vnius personæ, vt nequeat esse alterius. Id enim proprietas est, vt doctè Ioann.Theolog.sess. 18. Concilij Florent. §. *diuina substantia. Proprietas communicabilis non est, aliàs proprietas non est* & rursus. *Proprietates communicabiles, non sunt.* Ricard.4.de Trinit.cap.17. sub init: *Proprietas autem personalis pro certo est incommunicabilis*, Basil. 1. de fide cap. 11.vers.fin. *Quomodo autem maneat proprietas mutata, aut coincidens*: id est pluribus competens; atqui spiratio actiua communis est Patri, & filio: ergo non est proprietas, neque notio. Confirmatur magis in terminis obiectio. Quia Basil.epist. 43. ad Nyssen.circa med. sic habet de filio: *Nullam prorsus notionum communicationem secundum proprietatem suam, tam cum Patre, quam cum Spiritu S. habet filius.* & Nyssen.de different.& hypostas.versus med.de filio etiam ait: *Nullam quantum attinet ad propriam notam, & peculiare insigne communionem habet, vel cum Patre, vel cum Spiritu Sancto*, ergo spiratio actiua filio communis cum Patre notio filij, imò neque Patris erit. Respondetur concessa maiori, quæ per se nota est, & Patrum authoritate perspicua negando minorem iuxta dicta q.2. cert. 1. n. 2. vbi ostendimus spirationem actiuam nec Patri, nec filio seorsim conuenire, quare neque esse communem vtrique, sed coniuncto vtriusque personæ propriam. Vnde recitati Patres pro obiectiones confirmatione conclusionem propugnant potius, quam oppugnent.

7 Sed instas, Proprietas, & notio nequit esse nisi singularis personæ: at spiratio actiua singulare personæ non est per nos, sed coniunctim: ergo notio, & proprietas non est. Maior probatur ex Theodoreto Dialogo 1.immutabilis col.2.vbi ait: *Hypostbasim, personam, & proprietatem idem significare dicimus, ea, quæ à sanctis Patribus sunt definita, sequentes.* Eum autem persona de coniuncto duorum non sit, sed solum de singulari, neque notio, aut proprietas, quæ idem significat, de coniuncto, sed de singulari solum erit. Probatur secundo ex Ricardo 4. de Trinit.cap.17. sub init. dicente: *Proprietas personalis est, ex qua vnusquisque habet esse, is qui est.* nempè singulariter: quare proprietas, & notio personæ singularis erit, non coniuncti, iuxta Ricardum. Respondetur tamen facile iuxta dicta q.2.cert.1.n.3. Patres hos, & alios vetustiores, à quibus doctrinam accepit Theodoretus, curasse, vt plurimum, de iis proprietatibus, & notionibus, ex quibus facilius contra hæreticos sui temporis Trinitas personarum demonstraretur ex scriptura. Eæ verò sunt, quæ nominibus Patris, & filij, & Spiritus S. in Euangelio memoratis clarent: hæ autem singularium personarum sunt, non coniuncti, licet ex spiratione passiua, actiua quoque inferatur, quæ non ita priorem coniuncti ex vtraque persona Patris, & filij propriam esse, definita firmiterque traddita, præcipuè apud Græcos, fuit.

CERTAMEN II.

Notiones quinario numero minimè excedunt.

1 PEr excessum oppositè Gabrieli in numero notionum assignando peccauit Scotus in 1.d.28.q.1. post 8. *Ad argumenta huius quæstionis.* Ad 3. sex notiones in diuinis inducens: addita nimirùm numeratis quinque filij inspirabilitate ad innascibilitatis admissæ in Patris exemplum. Verum Scholastici omnes cert.1.citati, quibus assentior, contra ipsum constanter asserunt: quinque tantum nec plures notiones admittendas esse in diuinis; imò, & Gabriel argumenti Scoti metu, ne plures quinque notiones admitteret, intra quatuor videtur mihi cohibuisse notiones. Probatur ab absurdo contra Scotum ad hominem; quia non minus est ingenerabilis, seu ingenitus strictè Spiritus S. quam inspirabilis, seu inspiratus filius: ergo, si ratio inspirabilis constituit per te sextam notionem in filio inspirabilitatis, ratio etiam ingenerabilis constituet contra te septimam notionem ingenerabilitatis in Spiritu Sancto. Neque enim disparitas inter hæc, adhuc verò similis, hactenus ab Scotistis inuenta fuit, neque, vt reor, deinceps inuenietur. Nam, si dicas impotentiam passiuam, vt spiretur filius diuersum quid formaliter esse à potentia passiua ipsius, vt generetur: idem cogeris dicere de potentiæ passiuæ incapacitate, vt Spiritus S. generetur, diuersum quid ab spirabilitate ipsius fore; quod si hoc renuas idem de inspirabilitate conuinceris: vnde vel inuitus sextam tuam notionem deseras necesse est.

2 Probatio autem conclusionis à priori erit solida ratio disparitatis ad Scoti argumentum, quæ hactenus, me iudice, omnino explorata non est, & si in reddendis pluribus plus æquo fudatum ab Scholasticis fuerit. Prima sumitur ex S.Thoma 1.p.q.32. art. 3.ad 4.quia notio, dignitas, & perfectio personæ, quam insignit esse debeat, quod non habet inspirabilitas filij, cum sit pura negatio. Duo falsa continet solutio. Alterum, quod notio dignitas, & perfectio sit contra ea quæ diximus cert 1.n.5. alterum quod filij inspirabilitas pura negatio in se formaliter sit, cuius oppositum ostendemus. Imò inde solidè probabitur conclusio, atque Scoti argumentum disiicietur. Quod autem nostro modo concipiendi negatio sit, vel potiùs, vt negatio necessariò concipiatur, quominus notio sit obesse inspirabilitati filij magis, quam innascibilitati Patris, minimè potest, cum hæc etiam à nobis necessario, vt negatio cogitetur.

3 Secunda probatio & solutio ad Scotum, cui plurimum, pro hoc, & aliis hac in re argumentis diluendis, fidit Ruiz d.47.sect. 4.n.1. & 6. desumitur ex S.Thom. & aliis. Sic habet. Quia cum distinctio personarum per relationes originis sit, notio, qua persona ab alia dignosci possit, debet esse formalitas, quæ ad relationes originis dignoscendas inseruiat, quod non habet filij inspirabilitas. Contra primo: quia vt ostendi d.9.q.1.cert.3.& 4.& q.2. personarum distinctio per origines, ac relationes non est. Contra secundo: quia licèt origines, seu relationes distinctiua personarum præcipua, ac primaria personarum sint, proprietates reliquæ notiones essent; quia, licet non primario constituant, & distinguant vnam personam ab alia, tamen apta, sunt, vt per illas eiusmodi persona ab aliis distincta dignoscatur, vt patet. Sicut homo ab equo dignoscitur, per visibilitatem: id autem solum requiritur ad notionem. Contra tertio: quia conceptus innascibilitatis omnino absolutus est, & disparatè se habet formaliter ad relationes, origines, imò & fœcunditatem Patris, vt multis euicimus d.10.q.1. cert. 2. & præcipuè 3.nihilque proinde iuuat ad dignoscendas relationes, & origines: & tamen notio est per hosce. Ergo nulla ratio, & solutio est.

4 Igitur, reliquis aliorum rationibus omissis, duas solidas, ni fallor, ad conclusionem communem subiicio. Prima est: Nulla formalitas diuina pluribus communis potest esse notio; vt ex Patribus, & ratione ipsa perspicuum fecimus: atqui inspirabilitas communis est Patri, & filio, atque ingenerabilitas stricta communis est Spiritui Sancto, & Patri: ergo neutra est notio. Minor patet: Quia pater æquè incapax, & ineptus est, vt spiretur atque filius: æquè item ineptus est, vt generetur atque Spiritus S. Confirmatur: quia audito nomine inspirabilis, præcisè, nemo cordatus intelliget personam filij, vel audito nomine ingenerabilis strictè personam Spiritus Sancti; quod secus euenit in innascibilitate Patris, seu in processibilitate, quæ solius Patris est: quare, & ea cognita Patris persona ab aliis dignoscitur.

noscitur. Dices solum filium procedere inspirabiliter, & Spiritum ingenerabiliter, & hoc modo esse notiones. Bene ergo ingenerabilitas, & inspirabilitas sine addito processionis notionem est: at cum illo ingenerabilis Spiritus sanctus processio est spirabilitas; & inspirabilis processio filij est generalibilitas, seu generatio: quæ in quinque notionibus continentur: ergo non constituunt sextam, vel septimam notionem supra quinque.

5 Ratio secunda conclusionis esto: quia, licet geniti inspirabilitas, & Spiritus sancti ingenerabilitas nostro concipiendi modo negationes sint aptitudinis in altero, vt spiretur, in altero verò, vt generetur: ast re ipsa, & formaliter, vt in altero altera est positiuum quid est, neque formaliter intrinsecè, & in se diuersum à positiua aptitudine, vt filius generetur, & Spiritus sanctus spiretur. Sicut species, & differentiæ oppositæ, licet non esse quod est opposita verè dicantur (vt homo verè est, & dicitur, non equus, & rationale non hinibile) ac proinde negatione speciei, vel differentiæ oppositæ à nobis concipiantur, & explicentur, tamen, neque negationem suis positiuis conceptibus superadditam habent: cum identitas vtriusque oppositi impossibilis sit, ac seipsa à rerum natura remota ex sola veritate, & reali formalitate speciei, seu differentiæ cuiusuis: quare sine alia etiam formalitate superaddita seipso rationale formaliter non est hinibile, seu est non hinibile. Sic ergo generabilitas, & generatio filij seipso formaliter est inspirabilitas & non, spiratio; atque spiratio passiua Spiritus sancti est ingenerabilitas, ac non generatio: quare, & eadem in hoc notio cum spiratione, & in filio cum generatione. At innascibilitas diuersa formalitas est à potentia generatiua, generatione, & paternitate, vt citata d. 10. q. 1. cert. 2. & 3. monstrabamus.

CERTAMEN III.

Contra conclusionem vltimam obiectiones reliquæ, neque omnes leues solutæ.

1 DIces: In diuinis est prædicatum procedendi, seu processionis distinctum formaliter, vt superius ab inferioribus ab specialibus processionibus diuinis: ergo constituet notionem vt aiebat Basil.epist. 43. ad Nyssen.circa med.his verbis: *causæ Patris insertam habet*, Spiritus, *essentiam vnde progreditur. Hanc notionem, & cognoscibile signum, eius, quæ secundum hypostbasim est, proprietatis habet, quo cum filio simul, & ipse facit innotesci.* Sed tamen notio hic largè à Basil. vsurpatur, & explicuit ipse, cum non dicat dignoscit vnam personam ab aliis; sed simul cum alia innotesci; quia est prædicatum vtrique commune cum quo non stat proprietatem, & notionem alterius esse posse, vt patet. Rursus dices: in Spiritu S. est formalitas improductiui ad intra, sicut in Patre improducibilis formalitas, seu innascibilitas est: ergo, sicut hæc quintam, ita & illa sextam notionem constituet in diuinis. Plura hic impugnatu facilia responderi possent, eis solutionibus, quæ supra impugnatæ sunt similia. Solidiùs respondeo prædicatum improductiui ad intra Spiritus sancti ex parte rei, seu formalitatis obiectæ esse idem formaliter, quod spiratio passiua per voluntatem, ac proinde rationem ab ea diuersam non constituere; quod secus habet in Patris innascibilitate, quæ diuersa formaliter est à reliquis personalibus formalitatibus ipsius, vt sæpe diximus.

R.P.Christoph.de Ortega, de Deo vno & Trino.

2 Obiicies tertio. In Patre est formalis proprietas personalis loquutoris, fontis, ac primi principij Trinitatis: in filio ratio personalis etiam verbi, imaginis, ac secundæ personæ: In Spiritu S. ratio personalis doni, amoris producti immediatè à duobus, quod in propriis Spiritus S. numerant August. serm. 38. de temp. Insuper mediatè à Patre etiam per filium procedere, quod, vt nota, & insigne Spiritus sancti ponitur à Nyssen. lib. de different. essent. & hypostas. vers. med. Nulla verò harum formalitatum, vel ferè nulla, est ratio Paternitatis, innascibilitatis, filiationis aut Spirationis actiuæ, vel passiuæ in actu primo, vel secundo: ergo multò plures quinque notiones constituentur in diuinis. Pro solutione obserua ferè ex eo narienſi nihil quod pars, vel quasi pars notionalis proprietatis sit, vel complexum ex notionalibus proprietatibus notionem diuersam constituere. Si enim pars, vel quasi, notionis sit reductiuè solum ad notiones, & indirectè spectat: si complexum ex notionibus diuersa notio non est, sed plurium notionum aggregatum. In enumeratis autem non est, quod, vel aliqua notio ex quinque numeratis non sit, vel eius quasi pars ipsi implexa, vel complexum ex aliquibus notionibus ex quinque. Vnde nullam quinario numero addit. Sic ea percurrendo ostendo. Loqui Patris idem est, quod dicere, & generare: & ratio Verbi atque imaginis idem quod generari, & si aliquid additur implexum generationi actiuæ, vel passiuæ, atque in præscindibile est: vnde quasi pars earum est: Ratio amoris doni, spiratiab vtroque, & insuper mediate à Patre diuersum à processione passiua Spiritus per voluntatem similiter non est. Ratio denique fontis, & principij Trinitatis complexa est ex innascibilitatis, & fœcunditatis paternæ rationibus.

3 Opponis denique quarto. Diuersa adæquatè formalitas est in parte potentia generatiua à generatione, atque in eo, & filio potentia spirativa ab spiratione. Insuper relationes spiratoris, & Paternitatis in vulgari sententia de relationibus realibus superadditis diuersæ ex æquo à prædictis formalitates sunt: quod ipsum dictum puta de potentiis actibus, & relationibus passiuis personarum procedentium: vnde terdecim notiones deduces. Respondet Canar. ex quo Ruiz. citata sect.4.n.20. processiones esse vias ad notiones in facto esse; quare, & notiones solum in fieri, & reductiuè. Contra quia processiones viæ sunt solum ad personas productas non ad notiones, aut ad producentes personas, quas supponunt. Contra secundo quia origenes principaliter personarum distinctionem euincunt, easque dignosci faciunt, siquidem conceptus relationis nisi ratione oppositionis producentis, & producti non multiplicat, nec distinguit personas, vt patet in Patre, & filio, in quibus, duobus triplex relatio est quia neuter est terminus spirationis. Contra denique tertio: quia potentia spirativa non est via, seu notio in fieri, sed in facto esse, vt pater; ergo saltem erunt notiones septem.

4 Respondere posset Ruiz iuxta suam doctrinam d. 53.sect.5.& aliorum potentiam notionalem ab actu, & relatione solùm differre secundum implicitum, & explicitum, sicut de innascibilitate philosophantur, ac proinde diuersas à patern. vel spiratore etiam notiones non esse. Contra: quia (vt cum horum sententia de relationibus superadditis, intrinsecèque affixis fundamento loquar) potentia generatiua dicitur esse paternitas, non sub expresso conceptu, sed implicito paternitatis realiter, loquendo: quia vterque conceptus re ipsa in Patre identificatur; non autem formaliter loquendo, vt hic loquimur. Etenim formaliter loquendo simplex formalitas nequit clariùs, vel obscurius, siue expressius, vel confusius concipi ex parte obiecti, sed solùm ex parte modi cognoscendi ex maiori, vel minori intensione cognitionis, qua præsentatur, vel, quia instar rei magis similis: & affinis cogitatio informatur: qua ratione diuersæ voces aliæ aliis idem obiectum significantius exprimunt,

quorum neutrum in potentia notionali, & relatione paternitatis secundum se contingit, imò neque inueniri potest. Deinde innascibilitas solutione hac notionem quintam non constitueret: cum per hos solum secundum implicitum,& explicitum à paternitate differat.

5 Profundius ergo respondentem vidi Magistrum meum Patrem Didacum Daza. scilicet: notiones diuersas non solùm requirere diuersas formalitates personales,sed quæ sint lineæ diuersæ,nec inter se formaliter coordinata.Si enim eiusdem lineæ sint,atque inter se coordinatæ eadem ratio in eis est distinguendi? & dignoscendi personas magis,vel minus in ea linea proiectas in potentia nimirùm,siue actu primo, in via siue in actu secundo,in statu,siue termino. Si enim incompossibilitas principij productiui,& termini producendi superari posset,neque processio, neque relatio personam vnam ab alia diuersam monstraret: licèt ergo diuersæ formalitates sint, non autem diuersæ rationes distinguendi personas;& dignoscendi vnam ab alia:quare neque diuersæ notiones.Accedit: quod præfata omnia ita necessario inter se cohærent, vt ex vnoquoque teneantur reliqua in eadem persona v. g. generatio ex paternitatem, & ex potentia generatiua necessaria: quaquare nequit aliquo ex his dignosci Pater, quin,& aliis duobus dignoscatur: ac proinde eadem notio Patris sunt, non diuersæ & sic de reliquis coordinatis eiusdem lineæ. Quod secus euenit in non coordinatis, eadem linea vt innascibilitate,& spiratione actiua, vt patet.

DISPVTATIO XII.

De personarum comparatione quoad intrinseca.

PORTET iam post intrinsecam personarum constitutionem:atque proprietatum notionumque cuique intrinsecarum examen eas secundum intrinseca comparare: discutereque quomodo vnaquæque se ad alteram habeat;& de aliquibus comparationibus dictum hactenus est.Restant nunc examinandæ habitudines personarum ad se se.Prima circuminsessionis:secunda æqualitatis quoad communia:tertia æqualitatis quoad personalia: quarta de relationibus æqualitatis, & similitudinis diuinæ: quinta de amore, & intelligentia personarum per verbum & Spiritum Sanctum: Sexta de prioritate producentium respectu procedentium personarum.

QVÆSTIO I.

De personarum circuminsessione.

PERSONARVM circuminsessio est in existentia vnius personæ in altera de qua an,quidvè sit? examinandum est.

CERTAMEN I.

Circuminsessio diuinarum personarum,siue vnius in aliis inexistentia statuitur.

1 SVi insessionem,siue inexistentiam in Patre,ac Patris in ipso expresè Christus Dominus illis verbis Ioann.10.*Ego in Patre,& Pater in me est*, quæ repetit cap. 14.atque aliis c. 3. *Deus clarificauit eum in semetipso.* ad quæ Hilar.*Inse se inesse demonstrat*,Pater, *cum eum glorificat in se se*,ita 9.de Trinit.post med.Ioann.item 1.*Et verbum erat apud Deum*,Vnde idem deducunt Athan.Cyril. Nyssen.Naz. Clem. Alex. Origen. Augustin. Prosper, & alij apud Ruiz d.48.sect.1.& d.107. sect. 2. Quartò in super 2.ad Colos.de Christo dicitur:*in quo inhabitat plenitudo diuinitatis.*Ex quo idem probans Athanas.5.de vnita subst antia deitatis circa finem. Hilar. 8. de Trinit. col.vlt.& lib. 9. sub init. Naz. orat. 49. quæ est de fide post med.idipsum probat Ambros. ex 2. cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, in eius loci commentario,atque ex Eccles. 24. *Qui creauit ne requieuit in tabernaculo meo.* Euaristus Papa. epist. 1. ad omnes Episcopos Hispan. Athanas. Epist. ad Serapion. *ego quidem* siue compend.de fide circa med.Hilar. 4.de Trinit. longè post med.atque ex illo Deuterenom. 32. *Et non sit Deus præter me.* 5.de Trinit. col. penult. Hieron. col. 3. in Isaiam ad illud Isai 45. *Tantum in te est Deus, & non est Deus absque te.*Epiphan. hæresi 76. col. 6. ex illo Isai. 26. *Speraßis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum*, Vbi Aquila ex Græco, & Hebræo: *Confidite in Domino vsque in sæculum, quia in Domino Dominus, qui firmauit sæcula.* Nyssen. orat. de Deitate filij,& Spiritus Sancti: *Totus Pater in toto filio est, & totus filius in toto Patre*,Quæ & habent Basil. epist. 43.ad Nyssen. August. 6. de Trinit. cap. 10. fin. Anselmus cap. 57. Monolog. Fulgent. 3. ad Monim. cap. 7.med. de fide ad Petr. cap. 1. ad q. 3. ferrandi circa med. Cyril. Alex. 1. thesau. cap. 6. 7. & 8. ac lib. 8. cap.1.col. 2.& 3. de Hilar. 3. de Trinit. col. 2. lib.4. circa fin. lib. 5. col. penult. lib. 6. circa med. sæpiusque lib.7. Ambros. ex quo Ecclesia tota in laudem feriæ 2. *In Patre totus filius, & totus in verbo Pater.*

2 De inexistentia verò,& insessione Spiritus Sancti in Patre,& filio,& horum in illo, non tam multa extant, neque tam aperta testimonia. Solum enim est illud 1. Cor. 2. *Quæ sunt hominis nemo nouit nisi Spiritus hominis, qui in ipso est: ita quæ sunt Dei nemo nouit nisi Spiritus Dei*, nimirùm *qui in ipso est.* Ad vim argumenti à paritate: vt notat Athanas. 5. de vnita substantia Deit. circa fin. & epist. ad Serap. *Versatus sum.* Adde ex Patribus Naz. orat. 50. de fide Nicæna. Athanas.epist.longiori ad Serap. ante med. Thaumaturg. in regula cœlesti fidei apud Nyssen.in eius vita. Nyssen. ipsum orat. Cathecet. cap. 2. Cyril. Alex. in 12.Prophetas ad 2. Ioël versu 34. Cyril.Hierosol.cateches.17. sub init.Ambros.1. de Spiritu, S. cap.50.& lib.3.cap. 41. damasc. 1. de fide cap. 10.[vbi Spiritum S.*inseparabilem, & indigressibilem à Patre, & filio appellat.* Et sanè eadem est ratio inexistendi Spiritum in duobus, & horum in ipso, atque Patrem in filio,vel filium in Patre, in quocumque insessio vnius personæ,atque inexistentia in alia, iuxta varias opiniones,colloceturidcirco mutuam trium personarum insessionem tradunt Patres Fulgent. de fide ad Petr. cap.1.*Totus Pater in filio,& Spiritu S. totus filius in Patre, & Spiritu Sancto est: totus Spiritus Sanctus in Patre, & filio.* Dionys. post init. circuminsessionem definit:

Aliarum;

Aliarum personarum *in aliis omnia coniuncta, & nulla cum parte confusa manso,& sedes.*Rectè *alia*, & plura, *in aliis*, pluribus ad circuminsessionem posuit.Vnius enim in alio mutua insessio esset,non circuminsessio:circuitus enim in duobus esse non potest, sed vt minimum in tribus, in qua pluralitate solum,vt minimum, locus est, vt plura in pluribus mutuo insint ac longè à princip. ait;*Diuina, cœlestiaque lumina tota in totis sunt*, Damasc.1.de fide cap.10. *Has tres hypostbases inuicem adstruimus &c. Per consubstantialem verò immanentiam in se inuicem.* cap.19. *Immanentia,& stabilitas hypostbaseon inuicem.est Nam ipsæ inseparatæ, & inabscendentes sunt ab inuicem inconfusam habentes inuicem circumitionem.* Et sub med.*Nam si filius in Patre,& Spiritu S.* &c. Ratio à priori est: quia personæ omnes immanenter, & vitaliter, vel producunt, vel procedunt ab alijs ergo inuicem inseparabiles, atque in existentes sunt; quam rationem lucis exemplo illustrauit Damasc. 1. de fide cap. 9.*Quia lux*, ait, *ab igne gignitur, & ab eo non separatur, sed semper in eo est accidentis in modum persona autem in alia tanquam subsistens in subsistente.*

3 Obiicis primò.Nihil est in eo,à quo exit, vel qui exit ab ipso est persona diuina vel est, quæ exit,vel, à quo exit:iuxta illud:*Exiui à Patre*, & similia: ergo nulla est in alia. Distinguo maiorem; localiter concedo:actiuè immanenter, & vitaliter (quomodo persona diuina, vel producit, vel procedit) nego. Obiicis secundo. Quidquid est in alio continetur ab illo: ergo implicat personam vnam esse in alia, quæ vicissim sit in ipsa;quam, & circuminsessio. Consequentia est certa. Nam relationes contenti,& continentis respectu eiusdem in eodem implicant, cùm debeant esse maius,& minus respectu eiusdem distinguo antecedens. Quidquid est in alio *localiter* concedo antecedens; *insessiuè*,nego antecedens.Insessio enim, seu inexistentia solùm dicit vtriusque extremi coniunctionem, vel localem,vel identitatis &c.iuxta dicenda inferiùs dum circuminsessionis essentiam examinemus in quibus neque vmbra continentis,& contenti apparet.

4 Dices:vel personæ sunt aliæ in aliis ratione naturæ,& sic est identitas,non insessio; vel ratione relationum,seu personalium, & hoc nequit esse cum sint oppositæ in personalibus obiectio hęc plura tangit postea examinanda. Interim distinguo primam antecedentis partem, Ratione naturæ *tanquam ratione fundandi*,concedo;*tanquam extremi nego* de absurdo quid dicendum sit,constabit cert.3.secundam item partem distinguo:tanquam extremorum concedo; tanquam rationum fundandi nego.Huic enim locum non dat earum oppositio,& distinctio; primo autem dat locum. Ad coniunctionem enim quamuis extremorum distinctio requiritur,ad quam conducit personalium oppositio,& aduersitas in diuinis personis.

5 Quartò opponis: Pater est in filio, & vterque Deus ergo Deus est in Deo:ergo in se ipso. Quod, vel ridiculè,vel implicatoriè dicitur. Respondeo Deus *adiectiuè,seu personaliter acceptus*,est in Deo,sic etiam accepto fateor; substantiuè, & essentialiter acceptus est in Deo, sic accepto,nego; & nego consequentiam quia Deus adiectiuè,& personaliter acceptus, est persona diuina quæ insidet in Deo sic accepto, quæ est alia persona quare non in se ipso Instas:Pater est in filio, qui est in Patre:ergo pater est in Patre saltem mediatè,quod est æquè ridiculum, atque consequentia primi argumenti in sensu,quo negabatur. Nego consequentiam, neque enim opus est,vt,quod in alio est per identitatem in tertio,vel coniunctionem,sit, adhuc mediatè in omni eo,in quo alius est,vt patet nisi cum medio illo est in alio;quod secus hic euenit: cum nec Pater sit in filio ratione filij, nec filius sit in patre ratione Patris: cum neuter ratione alterius habeat identitatem in natura diuina,quæ est medium, & nexus seu coniunctio insessionis alterius in altero se enim ipso quisque est eiusdem naturæ cum alio; non ratione alterius. Instas denique Pater est in filio & contra:Ergo paternitas est in filio,& filiatio in Patre:Ergo pater est filius, & filius Pater: quare circuminsessio personas confundit. Distinguo primam consequentiam: Paternitas est in filio constitutiuè nego(quo solo sensu inferri potest,consequentia secunda)intessiuè,siue, vt quid identificatum cum natura filij concedo consequentiam: & nego secundam.

CERTAMEN II.

Aliorum de circuminsessionis essentia opiniones confutatæ.

1 SAnctus Thomas 1.p.q.42.art.5. in eo videtur circuminsessionis essentiam constituere; quod vna persona sine alia cognosci nequeat, siue independentia cognitionis vnius,à cognitione alterius. Suaderiquè videtur ex Ioann.14. cum enim petenti *Philippo: Ostende nobis Patrem*, respondisset Christus Dominus: *Philippe qui videt me,videt & Patrem meum*:sic videtur rationem reddidisse:*Quia ego in Patre, & Pater in me est*; nempè circuminsessionem Quæ verba mutuamque vtriusque inexistentiam ait Chrysost.tom.5.orat. 9. non esse intelligendam *corporaliter; sed secundum animi contemplationem: quia nec filius sine Patre,nec Pater sine filio cognoscitur.* Verùm inexistentia hæc non est personarum in se, sed in nostra cognitione:quam etiam in essentialiter connexis vulgo theologi admittunt,in quibus, ne somniarunt quidem,circuminsessionem.Secundò vnam personam sine alia cognosci posse multorum theologorum est:ergo & in eorum sententia poterit circuminsessio personarum, probabiliter aboleri.Tertio ex verbis Domini hæc sententia improbatur: Quia circuminsessionem dedit pro ratione connexionis necessariæ vtriusque personæ incognitione:ergo circuminsessio diuersum quid ab ea est:alioqui idem per idem Christus Dominus probasset:quod dictu est nefas.

2 Idem S. Thomas circuminsessionem in immanenti productione,& processione personarum constituit. Sequitur Alarcon d.3.c.5.n.4.mala fide referens Ruiz, & Granad.d.5.sect.2 videturque esse sententia Damasc.recitati cert.1.n.2.fine,Athenagoræ legat. pro Christianis col.7. Cyrill.Alex.1.thes.c.6.7.& 8.lib.3. c.1. col. 2. & 3. lib.13. c.2.post med.& circa fin.lib.2.Dialog.post med. & 1.in Ioann.5.Hilar. 3.de Trinit.col.2.lib. 4. circa fin. sæpe lib.5.& 7.Ambros.in symbol.Apostol. c.2.lib.3.de Spiritu S.cap.1.post med. Fulgent.3.ad.Monim.c.7. circa med. Athanas.orat.4.contra Arrian. post init. Probarique potest: quia Deus in creaturis, quas producit dicitur per potentiam esse:ergo citiùs vna persona in alia,quàm non, vtcumque, sed vitaliter, & immanenter producit,& quidem sic productæ, ratione virtualis continentiæ creaturæ, esse in Deo dicuntur Ioann. 1. *Quod factum est in ipso vita erat.*Nec refert Aureoli: obiectio:quod Pater,& filius hoc modo solum esse possint quatenus spirator sunt in Spiritu S. non autem secundum totas personalitates,seu quatenus Pater, & filius etiam. Erenim cum circuminsessionis relatio realis sit,totas afficit sine præcisione personas; licèt non ratione omnium prædicatorum,quæ in illis sunt. Secundo cum potentia spirativa duplici personalitate Patris, & filij constet, vt diximus, non est obiectioni locus;procedere enim ab vtroque,vt spiratore, est à toris personalitatibus Patris,& filij procedere;quas non esse paternitatem,& filiationem,supra monstrabamus.

3 Verum,licèt ex immanenti personarum processione earum circuminsessio apprimè mostretur à Patribus probandæ, non constituendæ circuminsessionis ratio est;alioqui in omni immanenti productione circuminsessio,quæ solius Trinitatis est,admittenda foret.Secundo circuminsessio formaliter æqua in personis est,neque in vlla dissimilis(vt benè S.Bonau.in 1.d. 19.p. 1. art. 1. q. 4. ad 5. Scotus quæst. 2. §. Contra istud. Marsil.

q.22.col.vlt.Henric. 2.p.art.53. q. 10. ad 15. Soar. 4. de Trinit. cap. 16.a.12.)conſtatque ex verbis Chriſti Domini,& Patrum datis cert.1. non diſſimili, ſed ſimili, & æquali modo perſonas alias in aliis mutuo inexiſtere: clarèſcerque adhùc ex cert. 3. vt nimirùm ſit Albertum à Carthuſiano in 1.d.19.q. 2.col. 2.& S. Thom. pro poſito referit:)atqui ſi circuminſeſſio formaliter proceſſio ſit diſſimilis,& inæqualis erit in producente perſona,& producta:Ergo. Tertiò:circuminſeſſio dicit perſonarum circuitionem in exiſtendo, quæ per proceſſiones formaliter non datur, vt patet. Quartò denique: Spiritus Sanctus non inexiſtet adæquatè, & ſeorſim in vtroque Patre,& filio,ſed in coniuncto,quod eſt ſpirator vnus,vt dogma theologorum fert.

4 Ruiz d.107.ſect.7.à n.9.circuminſeſſionem in præſentia inſeparabili perſonarum ſecundum immenſum vbi conſtituit. Refert pro ſe Scotum in 1. d.19. q.2. art. 3.OKam.q.2.med.Gabr. art. 2. adſonareque videtur Soar.4.de Trinit. cap 16.n.11. Multa Patrum conditione ſententia hanc conatur ſtabilire Ruiz. ſed quorum plura eam potiùs impugnant, quàm protegunt, ſolus Damaſc.eam videtur leuiter confirmare; etenim 1.fid.16.ſub med.*Si filius in Patre, & Spiritu S.* &c.*& eſt vnitas, & identitas motionis,Nam vna eſt profectio, & motus vnus trium perſonarum.* Dixerat.& cap. 11. circa med. *Non enim localem, diſtinctionem poſſumus in incircumſcripta aſſignare deitate. Nam immanentes,& in ſe, inuicem perſonæ exiſtunt:non quod confundantur,ſed quod ſe inhabitent.*ac lib. 3 cap.5.ſub init.*Vnitæ ſunt perſonæ ſubſtantia, & naturalibus proprietatibus,& eo quod non diſtant,neque diſcedunt à paterna hypoſtaſi ſunt vnus Deus.* Sed hæc localem perſonarum inſeparabilitatem adſtruunt, non autem in ea exiſtentiam mutuam, ſiue circuminſeſſionem conſiſtere; quia ex hac localem inſeparabilitatem probat Damaſc. recitatis locis:quare,ne idem per idem probat, fatetur circuminſeſſionem à locali inſeparabilitate eſſe diuerſam.

5 Aſſumptum probo. Nam primo loco ait:*Si filius in Patre,& Spiritu Sancto eſt,& eſt vnitas,& identitas motionis.*Ecce inexiſtentiam vnius in alio aſſignat pro cauſa vnitatis motus, ſiue inſeparabilitatis localis. Secundo autem loco eiuſdem inſeparabilitatis localis ſic reddebat rationem.*Nam immanentes,& in ſe inuicem perſonæ exiſtunt.*Ecce circuminſeſſionem. Nec iuuant quæ addit. *Non quod confundantur,ſed quod ſe inhabitent,*non eumdem locum,& immenſum vbi, ſed ſeipſas per identitatem naturæ, ex qua,netimeas, inquit, perſonarum confuſionem.Nemo autem confuſionem perſonarum ex neceſſaria coniunctione locali vbiuis earum,timeat,vt præcaueri à damaſceno deberet.lib.autem 3.cap.5.rem magis aperuit:quod indiſtantiam,& inſeparabilitatem non de locali,ſed de identica in natura intelligat: non ſolum prima parte teſtimonij,quæ clara eſt,ſed ſecunda, quæ videtur obſcurior. Neque enim *ex eo, quod non diſtant,nec diſcedunt à paterna hypoſtaſi,* localiter, ſed entitatiuè, *ſunt vnius Deus,*At per te hæc indiſtantia,& indiſceſſione ab hypoſtaſi alterius traditur à Damaſceno circuminſeſſio:ergo hæc ſtat per Damaſcenum in inſeparabilitate,ſeu indiſtantia entitatiua perſonarum,quæ eſt identitas naturæ,non vero in locali inſeparabilitate per immenſum vbi.

6 Ad hęc localis coniunctio non facit rem vnam eſſe in alia,ſed eſſe ſimul; eſt circuminſeſſio eſt perſonam vnam eſſe in alia,vt conſtat ex ſcriptura,& Patribus:ergo circuminſeſſio non eſt localis coniunctio.Tertio:circuminſeſſio eſt immanentia termini vitaliter producti &c. vitali enim proceſſione potiſſimè à ratione probatur à Patribus, & Scholaſticis : at immanentia termini vitaliter producti non eſt localis coniunctio, ſed inhæſio in producente : ergo. Quarto : ob hanc localem coniunctionem actio, & terminus in exiſtentiam mutuam dicentur habere. Quintò contra : Quia vt retuli cert.1. n. 1. Chriſtus circuminſeſſionem dedit pro ratione cur filius nequeat videri ſine Patre:at coniunctio inſeparabilis localiter non infert neceſſariam ſimultatem cognitionis vtriuſque : ergo non ſtat in locali coniunctione inſeparabili circuminſeſſio perſonarum. Tandem nemo Patrum in ea locali inſeparabilitate perſonarum circuminſeſſionem poſuit, vt dixi.

CERTAMEN III.

Circuminſeſsio ſtat in identitate Perſonarum in natura.

1 COnclusionem hanc docuit Ferrara 4.contr.gent. cap.9.Aureol.in 1.d.19. p.1.art 3.circa fin. Vaſq. d.169.cap. 2. Zuniga d.17. dub.5. Mærat. d. 56. Martin. Perez d. 16. ſect. vlt. Hurtad. d. 9. dif. 4. Probatur primo ex Ioann. 14. vbi, vt nuper aiebam, ſimultatem neceſſariam cognitionis perſonarum ex circuminſeſſione probat, probari autem ſolùm poteſt ex naturæ identitate. Secundo ex Ioann. 10. vbi, cum Iudæi lapidare Chriſtum vellent, quod n. 30.dixerat:*Ego, & Pater vnum ſumus*, ſic ad ipſos effatur n.38. *Si mihi non creditiſtis,operibus credite,vt cognoſcatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ergo idem eſt eſſe in ſe mutuo, ſeu circuminſeſſiuè, ac vnum in natura, dum hoc negantes,vt ad fidem eius inducat, ad circuminſeſſionem, tanquam ad ſynonimum. inducit credendam,vt aiebat Naz.orat.49.de fide med. *Hoc erit homo vſion,ideſt eiuſdem eſſentiæ cum Patre : ſicut ipſe Dominus ait.Ego in Patre,& Pater in me eſt.* Quæ autem continuo adiungit:*Et ego de Patre exiui, & qui videt me, videt & Patrem meum.* non vt ſynonima vnitatis naturæ duplici loco explicatæ, ſed vt rationes affert. ſubdit enim Non immerito : *Quia filius Dei de Deo Patre natus eſt: & ideo de vnitate ſubſtantiæ, & de maieſtate diuinitatis vnum ſunt.* Idem docuit Auguſt.1. de Trinit. cap. 8. dicens tantundem valere : *Ego & Pater vnum ſumus*, atque *Pater in me eſt, & ego in Patre*, Gregorius Bæticus conſone aiebat : *Ego in Patre, & Pater in me eſt audienda eſſe ſecundum indifferentiam eſſentiæ.*

2 Eundem locum expendens Ambroſ. in id 2.Corint. 5.*Deus erat in chriſto* in eandem ſententiam luculenter ſcribit : *Pater enim per id intelligitur eſſe in filio, quod vna eorum ſit ſubſtantia. Ibi enim vnitas eſt, vbi nulla eſt differentia.* Hilar.ſic eundem locum tractans 7. de Trinit. col. antepenult. ait : *inſeparabiles eſſe per naturalem ſimilitudinem*, (identitatis naturæ) *Patrem, & filium non poſſumus aliis verbis docere niſi filij: Ego in Patre,& Pater in me eſt.* Quid clarius, & tamen hæc pro ſe afferebat Ruiz, & quæ ſequuntur ex fine eiuſdem lib. 7. vbi ait : perſonam vnam *ita eſſe,& ſubſiſtere, vt in ſubſiſtente inſit ; ita verò ineſſe, vt ipſe ſubſiſtat. Nam vterque ſubſiſtens per id non ſine alio eſt ſecundum generationem, & naturitatem ſubſiſtentis : natura enim non alia eſt.* Paulo vero ante dixerat : *perſonas diuinas eſſe in ſe ſe per vnitatem, & proprietatem naturæ.* & 5.de Trinit. col. penult. *cum ipſe*, filius, *Deus ſit, etiam per naturæ vnitatem in eo Deus eſt.* Damaſc.1.de fide cap. 10. ſub fin. *Has tres hypoſtaſes in ſe inuicem adſtruimus ; vt non multitudinem, & quandam deorum turbam inducamus ; ſed vnum in natura Deum. Per tres quidem hypoſtaſes incompoſitum, & inconfuſum à per conſubſtantialitatem vero, & immanentiam in ſe inuicem hypoſtaſeon,& identitatis, & motus, vt ſic dicam, inſeparabilitatem vnum eſſe Deum deprehendimus.* vbi nota conſubſtantialitatem, & immanentiam hypoſtaſeon in ſe inuicem,vt idem, & ſynonima poſita à Damaſc.fuiſſe; motus autem inſeparabilitatem,vt conſequens, & diuerſum, quia & Dei vnitatem, ſicut illa ſuadet.

3 Secundus pro noſtra concluſione locus eſt Ioann.2. n. 17.vbi Chriſtus Patrem ſic pro ſuis orat. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te.* ideſt, ſicut ego, & tu vnum ſumus pro quo aperte circum

circuminſeſſio poſuit:ergo idem cenſet Chriſtus vnitatem ſui,& Patris in natura, atque vtriuſque mutuam inexiſtentiam, ſiue inſeſſionem. Vnde egregie Cyril. Alexan.d.3. Thesa.cap. 1.participatam noſtram vnitatem in natura cum Deo per gratiam circuminſeſſionis voce ſic explicans:*Nos gratia, & participatione in Deo viuimus, & mouemur,& ſumus,filius verò ſecundum naturam;quaſi à fonte ſemper viuo,ex ſubſtantia Patris emanans.Non ergo : vt nos in Deo viuit & eſt,ſed naturaliter ipſe vita eſt, & in Patre naturaliter eſt vnum cum ipſo ſecundum identitatem eſſentiæ.* Quid illuſtrius?Pudet his recitatis plura proferre.A ratione verò probatur. Quia eſſe aliquid in alio propriè per-inhæſionem, ſolùm eſt in creatis, in quibus, quia æquè non ſe habent ſubiectum ad formam,& forma ad ſubiectum non mutuo ſibi inſident,ſed ſola forma inſider ſubiecto : at in diuinis perſonis inhæſio per phyſicam informationem eſt impoſſibilis, vt patet;quare debet eſſe per id,quod inhæſionis ſimillimum in diuinis ſit:ad hæc eſt identitas in natura:quæ, quia in omnibus perſonis æqualis eſt, mutuo perſonæ ſibi inuicem inſunt.Secundò probatur : quia eſſe in ſeſe perſonas non ſaluatur ſimultate cognitiones, proceſſione, vel locali inſeparabilitate,vt vidimus:ergo identitate naturæ,quæ ſola reſtat.

4 Quæ opponit Ruiz ab authoritate Patrum pro nobis potiùs ſunt,vt in apparentioribus Damaſceni vidimus,& in Hilario.Nec meliori euentu contendit Chriſtum illud:*Ego, & Pater vnum ſumus.* probaſſe tanquam per quid diuerſum,per illud:*Ego in Patre, & Pater in me eſt.*atque vtrumque,vt diuerſum à Patribus, & Scholaſticis traddi.Sed ex dictis toto num.1.& 2.conſtat apertè oppoſitum.A ratione arguit:*circuminſeſſio eſt identitas* : atqui inter perſonas non eſt identitas : ergo nec circuminſeſſio.Diſtingue maiorem:eſt identitas in natura perſonarum concedo, & identitas perſonarum inter ſe abſolutè,nego maiorem. Similiter diſtingue minorem. Inter perſonas non eſt identitas perſonarum inter ſe ſe fateor,perſonarum in natura, diffiteor : & inde conſequentia euaneſcit.Poſſet contra noſtram concluſionem inſtantia alia proximè factæ obiectioni affinis efformari, eam tamen in ſequens certamen remittimus, quia difficultatem in eo expediendam tangit.

CERTAMEN IV.

Circuminſeſſionis relatio immediatè affi cit, & perſonalitates.

1 DIſputatur tandem de circuminſeſſione an toti perſonæ primario conueniat? an ſoli eſſentiæ, rationéque eius perſonæ toti?quemadmodum toti homini,eſſe in pergula ratione pedum, qui primario, & ratione ſui in illa ſunt, dicitur conuenire. Extremum docuerunt.Henric.apud Scot.in d.10.q.2.§.*de primo* Durand.q.3.referrique poſſent Ricard.art.2 q.3. ad 1. & 3. Carthuſian.q.2.ad 3.vbi aſſerunt naturam Patris eſſe per ſe in filio, paternitatem verò per accidens. Sed certè *eſſe per ſe*,pro eſſe eſſencialiter accipiunt;atque oppoſito modo *eſſe per accidens*,pro non eſſentialiter. Ratio huius ſententiæ ſit : circuminſeſſio conſiſtit in identitate per nos:ergo,cui primario, & ratione ſui competit identitas,competet circuminſeſſio,cui autem ratione alterius competet ſecundariò:atqui identitas cum perſona non competit perſonalitati, aut perſonæ toti ratione ſui, ſed ratione eſſentiæ, quæ rationeſui & primariò, & per ſe idem eſt cum perſona,& perſonalitate quauis:ergo ſoli eſſentiæ ratione ſui, & primariò competit circuminſeſſio ; perſonalitati verò,ac perſonæ toti ſolum ratione eſſentiæ,& ſecundariò.

2 Verùm ratio hæc futilis eſt. Etenim circuminſeſſio non eſt identiras extremorum inter ſe ſe,ſed in natura, tanquam in tertio:natura autem non eſt idem cum perſona in natura tanquam in tertio,nec primariò, nec ſecundariò.Hinc ſecunda ſententia excitari poſſet extremè oppoſita præfatæ:Nempè:perſonalitatibus ſolis ratione ſui, & primariò circuminſeſſionem conuenire; eſſentiæ verò, aut perſonis totis ſolum ratione perſonalitatum, & ſecundariò. Etenim ſolæ perſonalitates inuicem habent identitatem in natura tanquam in tertio;natura verò,quæ altera pars perſonæ eſt,neutiquam illam haber,vt modo dicebamus:nam inter naturam,& perſonalitatem,cui identificatur natura, alia, quæ tertium ſit identitatis non eſt, vt modo docebamus : ergo neque natura, neque tota perſona illa conſtans eſt ratione ſui idem cum perſona alia in natura, ranquam in tertio,ſed ſolum ratione perſonalitatis:quare,& ſecundariò tantum.Sed enim ratio hæc ſolum probat,neque eſſentiæ ſoli ratione ſui, neque toti perſonæ ratione eſſentiæ,tanquam extremi primario circuminſeſſionem conuenire ; non autem toti perſonæ ratione ſui non conuenire.Huius enim reſpectu,licèt eſſentia pars identificata ſit, perſona tamen tota vere tertium quid eſt, cui perſona alia tota,tanquam tertium aliud quid in natura,tanquam tertio,identificatur.

3 Vera ergo ſententia eſt circuminſeſſionem primariò,per ſe,ac ratione ſui totis perſonis conuenire;ita Scotus vbi proximè § contra illud.S.Bonau.1.d.10.q. 4. Gabr.q.2.art. 1.Capreol.q.1.art.1.ad 3.Marſil.q.22. art.2. Deza q.vnic.Ferrara 4.contra gentes,S.Thom.1.p.q.42. art.5.vbi Caietan.Canar.Molin.Vaſq.d. 16.cap.2.Soar.4. de Trinit.cap.vlt Ruiz d.107.ſect.3. referens Albertum Ægid.Tarantaſ.Vdalricum,& OKam,Alarcon.tract.5.d. 3.cap.5.n.3.Martin Perez.d. 16.ſect.vlt.Gaſpar.Hurtado d.9.dif. 4. Mærat. d. 56. Probatur ex recitatis patribus cent.1.n.2.dicentibus totum Patrem eſſe in toto filio,& contra totum filium in toto Patre &c. quod abſolutè verificari non poſſet,ſi ratione ſolius partis cuiuſuis alter in altero eſſet;ſicut neque totus Petrus in pauimento,vel pergulas eſſe abſolutè dicitur,quia pedibus, ſeu ratione pedum eſt. Confirmatur ex Hilar. 7. de Trinit. circa fin.& fine aiente:*ineſſe non aliud in alio, vt corpus in corpore.*quod ſolum parte ſui corpori inſidet,*ſed ita eſſe, ac ſubſiſtere,vt ſubſiſtens in ſubſiſtente inſit:ita vero ineſſe, vt ipſe ſubſiſtat.*Sed ſecundum ſe totum,vt integrum,& totum eſt ſubſiſtens. Similia habet Damaſcenus recitatus cert.1.n.2.& cert.2.n.4.& 5.

4 Rurſus probatur ex eodem Hilar.6.de Trinit.circa med.& ſæpe toto lib.7.8.& 9.poſt med.& 10.col. 4. dicente : *inuicem in ſe ſe eſſe perſonas, quantum ad totas perſonas.* Cyrill. Alex. 1. Theſau. cap. 6. 7.& 8.& lib. 13. cap. 2.ſub med.cap.4.med. ait eſſe perſonam vnam in aliis *ſicut hypoſthaſim, in hypoſthaſi, & ſubſiſtentem in ſubſiſtenti:filiumque in Patre ſicut characterem, & imaginem*; quæ omnia perſonis ſecundum ſe totas conueniunt, non ſecundum ſui partem, quæ nec hypoſthaſis, nec imago,neque filius eſt.Quod autem eodem cap.4.med. dicat *filium in ſua proprietate eſſe in Patre,atque perſonas, vt numero differentes inuicem ineſſe*, primæ potius ſententiæ aduerſantur,nec ſecundæ fauent. Solum enim contendit perſonis etiam, ſeu non naturæ ſoli, & præcisè ſumptæ,circuminſeſſionem conuenire ; ſed vt coniunctæ cum proprietatibus,& diſtinctiuis perſonarum:quo pacto integra perſona eſt. Soarij ratio ad eandem ſententiam ex locali inſeparabilitate perſonarum petita, quæ non eſſentiæ ſoli,ſed perſonalitatibns etiam competit,& perſonis admittenda non eſt:quia falſo nititur principio,nempè circuminſeſſionem localem eſſe inſeparabilitatem.

5 Probo ergo à ratione primò : quia immanentia perſonarum in ſe ſe ipſis competit, quia immanenter, vel producunt,vel procedunt,vt ex Patribus & Theologis vidimus:ergo, quibus per ſe,& ratione ſui competit immanens, & vitalis proceſſio actiua, vel paſſiua competit per ſe, & ratione ſui circuminſeſſio:atqui totis perſonis tantum competit per ſe actiua, vel paſſiua proceſſio,vt patet:ergo & eis totis per ſe & ratione ſui competit circuminſeſſio,non aliis. Probo ſecundò quia ratio primarij, & ſecundarij in eodem genere eſſe debet:atqui non eſt in eodem genere, & ordine denomi-

matio inexistendi vnam personalitatem in alia,atque vnam personam in alia:neque naturæ cum personalitate aliqua est in existentia, seu circuminsessio nequit parti alicui formali personæ primariò conuenire,secundariò vero, & ratione illius personæ toti. Minoris primam partem:probo quia personalitatibus præcisis formaliter ab essentia, quo solum pacto non tota persona sunt,diuersitas solumformalis competit, non identitas realis,quæ solum,est in statu realitatis, non præcisionis per rationem.In statu verò realitatis, in quo competit eis identitas cur à natura aliarum, siue inexistentia in aliis, sunt totæ personæ: ergo toti personæ primariò competit circuminsessio,vt contendimus; non vero ratione personalitatis,cui competat primario.

QVÆSTIO II.

De Personarum in communibus æqualitate.

EX dictis q.1.& d.2. de vnitate personarum in natura constare facile potest vnitas, & æqualitas earum in communibus attributis,quæ ipsam indiuidue comitatur, atque in operationibus adextra. Sed quia in his,& æternitate,ac omnipotentia peculiariter hæretici errarunt, atque in aliquarum eis in rebus difficultatum solutionibus minus probanda est Scholasticorum doctrina,hæretici hic confutandi solida doctrina sunt. Est autem æqualitas,de qua nunc, non molis,seu quantitatiua,sed imitatiua,& quam vocant perfectionis.

CERTAMEN I.

Persona quæuis cæteris omnipotentia,& operatione est æqualis.

1 OMnes in re præsenti errores ex Arrij delirio dimanant.cuius sunt vel explicatio, vel extensio. Ex nouis Arriànis Transiluani lib. 2. cap. 26. docent filium creationi nullatenus interuenisse, quod ex Arrianis antiquis nemo, quod sciam, asseruit. Arrius verò apud Athanas. serm. 3. contra Arrianos asseruit creata condidisse.iussu,& disciplina creandi à Patre acceptis, videlicet,vt eius ministrum.Secutus est Euseb. Nicomediens.apud August. contra sermonem Arrianor. cap. 3. sub init.Asterius,& Maximin. apud eundem lib. contra Maximin.col.2.qui etiam refertur à Cyril. Alex.1. Thesau.cap.2.init.& 4.Dialogor. de Trinit. à med. Lunom. apud Basil.2.contra ipsum sub med. Valentinus Gentilis Arrianorum instaurator protheſi 24.& Transiluani vbi proximè ex hipothesi, quod creationi interceſſerit. Tertiò Arrius apud Theophylactum in id Ioann.1.*Omnia per ipsum facta sunt.*creationi interceſſisse filium volebat, *vt Patris instrumentum,*quod minus,quam ministerio est. Idem quoque volebat Lunom. Paululum ante locum citatum Basilij, pro quo,vel simili errore refertur. Melanchthon.lib.contra Stancar.& epist. ad electorem Bandenburg.Nec honoratius res apud hæreticos cum Spiritu S.agitur. Alij enim inter creata filij ministerio Spiritum sanctum recensent.Ex his fuit Lunom. circa finem citati libri, atque alij apud Theodoret. 4. hæreticarum fabular.col.4.reliquique deterius de Spiritu S.quam de filio blasphemant prorsus illum à rerum conditione relegantes licet Maximus apud August. lib. 1. contra ipsum col.2.& 3.dicat Spiritum S. & filium vicissim alterum per alterum illuminare.

2 Hæreticorum fundamenta.Primum Patrem plura dedisse filio illumque accepisse;mandasse item, præcipisseque ipsi,etiam quæ loqueretur,filiumquè obedisse. de quibus d.2.q.4.cert.9. n.4.insuper illud Ecclesiastici 24.*In habitatione sancta coram ipso ministraui.* Videlicet in eorum etiam creatione, quæ ad Ecclesiæ constructionem pertinebant.Sed tamen Græcum Latino *ministraui* respondens significat munera publica gubernationis,directionis, & imperij obire:quod verbo sapientiæ genitæ,artisque diuinæ obiectiuæ, termino proprium est. Hoc sensu Clemens Romanus 8.Const.Apostol.cap.17. & noua diuisione cap.12.post med.de filio ait: *Tibi Deo suo,& Patri per omnia inseruiens, tum in varia creatione rerum, tum in prouidentia.* & paulum antiquiori cap. 12. post med. *Vnigenitus filius tuus Deus &c.in omnibus ministrauit tibi Deo ipsius,& Patri in vario opificio creaturarum, & in earum conuenienti prouidentia.* Neque alio sensu Iustin. M. Dialogo cum Triphone opera filij *ministeria appellasse fertur.* Et Clemens Alex. orat. ad hort. ad gentes pag.2.med.verbum *instrumentum concinnum.*3.Pædag.cap. 12.circa fin.*Ad ministrum.*Consonat Iræneus 4.aduersus hæres.cap.4.circa fin. *Omnia filius administrans Patri perficit.*cap.37.circa med.*Deus Pater ostenditur Spiritu operante, filio vero administrante* Basil.5. de Spiritu S. cap. 16 longè ab init: *Cogita mihi Patrem principalem causam eorum, qua fiunt:deinde conditricem causam filium, perfectricem Spiritum S. vt voluntate Patris sint administratores Spiritus.*

3 Præfacto verò sensu hos Patres loqui constat.Etenim Basil.lib.illo,cap.8.*ministrandi,*verbum præmolliens sub med.ait:*Neque, quod ipsis particularibus mandatis vniuscuiusque operis ministerium commissum sit. Nam istud quidem seruile est, & à diuina dignitate immenso semotum interuallo: sed verbum plenum paternis bonis,& à Patre splendens omnia facit ad similitudinem eius.* Confirmat: *quia quorum æqualis est essentia,& potentia,æqualis est operatio.* Nec nisi de largè sumptis ministerio,& seruitute,& obedientia insmptis sentire potest, quicumque filium Deum fateatur. Quo circa cum Clemens Rom. ipsum Deum esse fateatur ibidem,atque à cap.22.ad 28. & epist. 1. ad Iacobum Fratr. Domini Filij diuinitatem, & æqualitatem cum patre demonstret:idemque præstent Iustin.M. ibi, & Clemens Alex.1.Pædago. cap. 6. sub init. Iræneus 3. aduersus hæres.cap.6.8.10.12.16.& 20.ac lib.4 cap. 11. lib.5.cap.18. ita etiam interpretandi sunt vt ministrare, atque famulari dicantur largè:tùm,ad ostendendam authoritatem principij, quæ in Patre est, Trinitatis, tum etiam sicut cuiusuis ars,virtus,& affectus ipsi in operibus auxiliari, & famulari dicitur Isai. 63. *Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* atque Eutychianus Papa epist. ad Episcop.Bæticæ col.1.aiebat:*Dei filius natus ex virgine, & Spiritu S.ipso sibi in hac operatione famulante,& sua, Dei videlicet inumbrante virtute.* Cum ergo verbum obiectiua Dei ars,artisque terminus,ac Spiritus S.amor,& affectus in facto esse sint,facile,quæ de arte,& affectu dicuntur, ipsis accommodantur.

4 Sed adhùc obiicies Iræne.3.aduersus hæres.cap.8. longè à med.ad id psalm.44.*Ipse præcepit, & creata sunt.* ad quæ ille.*Cui ergo præcepit?verbo suo,per quod,inquit, cæli firmati sunt.*Concil. Syrmiense can. 3. recepto ab Hilar. lib.de synodis sub med. *Si quis Christum Deum ante sæcula filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur anathema sit.*can.27.anathematizat eum,*qui filium Dei ante sæcula subsistentem, & ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat.*Hilar.citato lib.vers.fin.in id Ioann.5. *Non potest filius à se facere,* scribit:*Authorem discreuit, cum ait:non potest à se facere;obedientiam significat cum addit:nisi, quod viderit Patrem facientem.*4.de Trinit. med. ad id Genes. 1.*Et vidit Deus quia bona sunt:*ita habet: *Placere Patri opera sua gaudet filius per se ex præcepto eius effecta.*lib.5.post med. ait filium *in creando mundo obedientem dictis Dei Deum.*Cyril. Hierosol.Catech.6 & 11.circa fin.*Patre volente omnia extruere Patris nutu filius omnia creauit, vt nutus custodiat Patris authenticam potestatem.*Epiphan. hæres. 73. vers.med.*Ex eo,quod ex Patre genitus est, & Patrem audit, & Patri ministrat.ipsum esse habet.*Nyssen.de Trinit.aduers. Iudæ.col.2.Hierom.Amos.6.longè à med.ad id:*Ecce Dominus mandauit,Patrem iubere,filium facere.*docent.Hæc tamen,& similia prioritatem solum originis, atque principij authoritatem in Patre denotant, non seruitutem, aut

aut inæqualitatem filij in potentia, & operatione; vt iam eorumdem testimoniis ostendo quamquam,& recitata id satis ostendant.

5 Hilar. verbis suis primo loco recitatis adiungit. *Non enim virtutis differentia est non posse,nisi videat:quia virtutem magis præstat natura,quam visus; at verò obsequela est tunc posse cum videat:atque ita per quod tunc potest cum videt, significat non ex visu accipere virtutem, sed authoritate visus præsumere potestatem.Non ergo differt naturæ virtus in Patre, & filio,cui hoc posse,quo Pater possit, non ex incremento aliquo natura profectus tribuat,sed authoris exemplum.* Secundo vero loco recitatus præmisit ante med. *In eo quod dicitur faciamus,& iussio exequatur, & factum.*Canonem vero Syrmiensem,quem recepit,ita explicat:*Non præstantem quamquam cuiquam genere substantiæ, sed subiectum alterum alteri natiuitate naturæ,*ac infra:*Patri subiectus est,vt authori.* & 5. de Trinit.col.4.*Deus est,per quem facta sunt omnia. Hoc mihi de eo creatio mundi locuta est. exequatur Deus Deo nomine: exequatur veritati veritas ex opere.*Quod confirmat col. 5. Cyril.Hierosol.solùm vult nutum filio à Patre communicari.Quod subdit vero:*Regnare voluit filium in his, qua ab illo facta sunt ipse exhibens illi rerum creaturum administrationem.*non significat rebus iam factis liberè earum regnum,& administrationem filio detulisse; sed voluntate communi creandi regnum,& administrationem ineuitabilem filij voluisse. Dixerat enim Catecheſi 4. cap. 3. med.de filio *Cum patre simul regnans,& omnium per Patrem opifex.*

6 Adhuc autem restare pro hæreticis videtur Naz. orat.13.2.de pace ferè med.n.13.sic fatus. *Primæ causæ,* Patris, *Magnificentius est diuinitatis* (Personæ diuinæ) *quam rerum creatarum principium esse:ac per interpositam Deitatem.*id est diuinam personam, *ad res creatas venire.* Sed tamen solum vult nobiliorem esse productionem Patris ad intra,quam ad extra;neque aliter res creasse potuisse,quam dictione quæ verbi, ac filij productio est, atque volitione,qua efficaciter creaturas dirigeret,quæ item Spiritus sancti est productio: cum orat. 36. circa med.atque alibi sæpè pro æqualitate,& identitate operationis filij cum Patre accerrimè pugnet. Ad Euseb. Cæsar. hæretici confugiunt: quia 4. demonstr. Euang. cap.2.post med.& cap. 4.initio ait:filium esse *ministrum, instrumentumque suffectum, & præfectum à Patre rerum administrationi.* Verum Eusebius in rebus hisce nullius est momenti, vt benè Bellarmin. 2. de Christo cap. 9. cum Arrianus aliquando fuerit, atque in re præsenti verba Arrij videatur transtulisse ex epist. ad Euseb. Nicomedien. & epist.ad Alexandrum teste Epiphan. hæresi 69. quare,licet eisdem capitibus æqualitatem omnimodam filij cum Patre defendat,recitata verba catholicis suspecta habentur;sicut & hæc Pseudo Augustini tom.4. lib. de Trinit.cap.5.sub init.*Dicitur filius Dei ex voluntate, & præcepto Patris visibilia,& inuisibilia,ex nihilo fecisse,*& infra: *In faciendo in omnibus expectans Patris iussionem.*

CERTAMEN II.

Patres instrumenti ac Ministri creationis voces in filio & Spiritu S. execrantur.

1 VT præfata Patrum interpretatio de filij ministerio,& obedientia, iussioneque Patris,vsque filij instrumentali in rerum effectione largè accipiendis, prout denotat solùm artis diuinæ terminum, seu diuinam artem,& inperium in facto esse,quod est verbum, eiusque origine posterioritatem,magis ex eorum mente demonstretur: videndum est quantum eis stomachum mouerint ministri, atque instrumenti creationis nomina applicita filio.Et in primis Concil. Nicæn.lib.2. versus med.§.*non ita* sic habet: *Manifestum est, quod verè Deus naturæ sit,filius,& non instrumentum.*& ex Isai.9. *Audi Philosophe Dominum eum prædicatum,non autem ministrum;*& §.*quid profunda*, ex multa scriptura concludit:*instrumentum non fuisse.*Denique §.*in libro Iob.*æqualitatem & identitatem operationis Patris,& filij confirmat. Synodus, Anthiochena prima in professione fidei ad Paulum Antiochen.§.2.cum his dixisset filium in mundi creatione *impleuisse voluntatem Patris:*addit:*Per quem omnia fecit Pater non tanquam per instrumentum.*

2 Id ipsum docet Athanas. orat. 1. & 2. & 3. contra Arrian. vbi ex eorum doctrina infert filium imperfectiorem reliquis creaturam fore:cum Pater in eius productione instrumento non egerit, & si creatura per Arianos sit:quo etiam argumento vtitur Cyril. Alex.5. Thesau.cap.2.sub init.& fine concludit:que cap.3.filium creationis instrumentum non fuisse, & 4. Dialogor. de Trinit.ait:*Si enim filius.creatura cum sit,meram Patris voluntatem sustinet;cur non creata reliqua sufferre possint?*Basil. 4. contra Lunom. circa med.sic arguit: *Si Patris virtus per filium creauit Pater creator est,non filius: sicut instrumentum non est artifex.* At filius creator est,vt probat lib.5.pag.2. ex Baruch.3.ab illis verbis:*Qui præparauit terram.* ad illa: *Post hæc in terris visus est.*Ergo filius instrumentum creationis non est. Idem subsumptum probat Ruiz. d. 110. sect.7.n.7.ex illis Ioann. 1. *Mundus per ipsum factus est, & in propria venit,& sui eum non receperunt.*Opera autem facta instrumenti,& ministri facientis propria non sunt, sed artificis,& principalis factoris.2. quia sapient. 7. de filio iuxta concilium Sardicense,qua Catholicum,professf. fidei circa fin.dicitur:*Omnium artifex sapientia &c.*

3 Probat 3.ex Eccles.24.de sapientia genita habetur: *Gyrum cæli circuiui sola,*id est mundum totum virtute, & operatione mea,non alterius principalis impellentis,& præcipientis,tanquam minister, & instrumenta virtuti associata,ac non sola;imò sola ego,& mea virtus Patris ars,& sapientia obiectiua sum. vt ideo dicam prouerb. 8.*Quando præparabam cælos aderam.* & sap.9.scribatur:*Est tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ adfuit tibi,cum faceres orbem terrarum.*vt explicat Fœlix Pap. 1. epist. ad Benignum.Probatur quarto ex 1.ad Hæbræ. vbi Paulus Christum filium ab Angelis discriminans ait:*Ad Angelos quidem dicit.* (nempè psalm. 103.) *qui facit Angelos suos spiritus,& ministros suos &c. Ad filium autem,* (nempè ait psal.44.) *Thronus tuus Deus &c. & tu principio Domine terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cæli.* Ac de Angelis rursus. *Nonne omnes sunt administratorij. Spiritus.* Est igitur discrimen à paulo assignatum: quod Angeli Dei ministri sunt,filius autem non minister, sed Deus. Succedat Damasc.4.de fide cap. 19. post initium dicens Patris beneplacitum per filium impletum:*non veluti per instrumentum,sed vt per substantiale, & hypostaticum eius verbum,& sapientiam,& virtutem. Propterea quod in Patre, & filio vna compellatur motio.*Demùm Theophylact.Ioann.1. Elias cretens.in orat.1.Nazianzeni n.169. probant. *omnia per filium facta,non tanquam per instrumentum.*

4 Porro cum hæretici Spiritum S. deteriorem blasphemarent,eam ab interuentu ad creandum prorsus relegabant:quare nullæ apud ipsos de illo voces ministri, & instrumenti creationis,quod sciam,audiuntur;idcirco neque à Patribus adeò frequenter; imo vix in illo ab aliquo reiiciuntur.Vnum audio Cyril.Alex. reiicientem 3.Dialogor.de Trinit.col.56.& tandem lib.7. circa med. hisce verbis: *Nonne Deus Spiritus est, qui transmutat ad Deum?non quod per gratiam, quasi minister &c.* ac deinceps cuncta ab eo,non vt ministro,seruo,virtutevè participata produci fusè probat.lib.autem 13. Thesau.cap.1. fine sic ait:*Si creatura Spiritus S.est,quomodo totam operationem Dei habet? Non enim puto posse aliquos adeo insanire, vt audeant dicere Deum verum organis,atque instrumentis aliquibus operationes suas adextra emittere.* Ratio autem æquè firma æqualitatis in potentia, & operatione vtriusque cum Patre est æqualitas, siue identitas vtriusque cum illo in Deitate,quam ostendimus d.2.Vnde,& identitas in potentia demonstratur d.5.q.vlt. atque inde in operatione etiam identitas,& æqualitas,neque ministri, aut instrumenti ratio in alterutro locum habet si hæc strictè vsurpentur.

CERTA

CERTAMEN III.

Validè alterum hæreticorum fundamentum contra ipsos regeritur.

1 ARrius, vt vidimus cert. 1. eo nitebatur fundamento: quod Ioannis 1. dicatur: *Omnia per ipsum*, nempè verbum, *facta sunt*, Illa enim præpositio *per*, vel instrumentum, vel ministerium denotat. Cui consonat sæpè Paulus 1. cor. 8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia: vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Ad Hæbræ. 1. *Per quem fecit, & sæcula.* Verum, quam futiliter hæc obiiciantur videat, qui viderit Patri operanti eandem præpositionem adhibuisse sæpè scripturam 1. Corint. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius.* Vocati autem sunt infusione, & productione auxilij. Atque ad Rom. 11 8. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt, omnia, ipsi gloria &c.* Si autem Deum, cui gloria est, non decet per ipsum esse omnia: ergo *per* nec significat ministerium, seruilitatem, nec instrumentum: quare filio applicitum ministrum, vel instrumentum creationis esse non probat. Confirmatur: quia *ex* & *de* etiam tribuuntur filio Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Colos. 2. *Ex quo totum corpus per iuncturas &c.* Ioann. 16. *De meo accipiet.* Vt obseruant Ambros. 4. de fide cap. 6. Basil. de Spiritu S. cap. 5. Bellarmin. 2. de Christo cap. 9.

2 Sed regeramus testimonium contra Arrianos: *Omnia per verbum facta sunt*: atqui nequeunt fieri per illud, tanquam instrumentum, vel ministrum Patris: ergo tanquam Deum consortem potentiæ, & operationis paternæ. Minor probatur: quia ministris vel instrumentis inferioribus is solùm vtitur, qui se ipso physicè, vel decenter exequi nequit, quæ vult: atqui Deus Pater physicè, & decenter exequi creata omnia potest: ergo non vtitur filio, & Spiritu S. tanquam instrumentis. Hoc argumento vtebatur Cyrillus proximè recitatus. Probatur proxima minor: quia Pater, quem solum Deum Arriani admittunt, solo voluntatis nutu omnia exequi, & facere potest: ergo physicè, & decenter omnia exequi potest. Antecedens probo ex illo Genes. 1. toties repetito: *Fiat lux, fiat firmamentum.* quæ optatiua cum sint, desiderium, & Dei nutum, quo cuncta peregit, significant; non autem præceptum important, vt volunt Arriani ad filium: Præceptum enim Imperatiuo *fac*, intimandum esset ad inferiorem aliquam potentiam, & virtutem; quin vbi ad hominem formandum personas reliquas Trinitatis adhortatur, id præstitit, vt eleganter obseruat Tertullian. *Non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso faciamus.* Item ex psalm. 44. *Ipse dixit, & facta sunt.* idem antecedens fulcitur. Hoc argumentum acutè presit Cyril. Alex. 5. in Ioann. cap. 3. circa med. his verbis: *Si nutu, & sola voluntate omnino Deus operatur, quid opus est medio? nonne supernacaneus filius videbitur.*

3 Probatur secundo eadem minor ex Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: & *Fecit Deus firmamentum.* Et: *fecit Deus bestias terræ*: Eccles. 1. *Vnus est altissimus creator omnipotens*, cap. 24. & Machab. 2. cap. 1. *Deus omnium creator*, Et Genes. 1. n. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* quo loco, de propriis, quæ fecerat Deus, operibus gaudet, non de aliena arte factis. Demùm Ioann. 5. *Pater meus vsque modo operatur.* Quæ ad rem præsentem egregiè expendit Cyril. citato cap. 3. ante med. Matth. 6. *Pater vester cœlestis pascit illa.* cap. 10. *Vnus illorum non cadit super terram sine Patre vestro: sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt*: Ergo immediata rerum creatio se ipso Deo physicè, & decenter conuenit, cum ei vbique in Scripturis tribuatur. Vrgeo Arrium, eiusque semina infausta. De quonam hæc intelliguntur De filio ne? ergo filius, & Deus & creator præcipuus: non minister Deo inferior inseruiens creationi. Secundo: ergo, & Pater, licèt Deus, immediatè potest physicè, & decenter exequi creatorum productionem. Sed voles intelligi de Patre, qui solus Deus est per vos: ergo Pater immediatè physicè, & decenter potest creare, & producere creaturas: ac proinde ministro, & instrumento creato, neque eget, neque vtitur in prima rerum creatione: quandoquidem rerum fabricandarum solus recensetur artifex, & creator vbique in scripturis.

4 Dices Deum Patrem creatorem dici, & authorem rerum; non autem alterius ministeria, & instrumentalia officia eis locis excludi, sicuti à nobis filij ministerium, instrumentaleque officium excluditur: opportere autem creationem Dei decenter ad ipsum, & congruè ad creaturas, quæ generaliter immediatam Dei virtutem ferre non possunt, intelligere. Contra primo: quia inde, vt Deus, vult nobis innotescere, quia creat omnia; creauit autem nulla facta mentione adiuuantis ministri, aut instrumenti, citatis locis. Vnde sola Dei executio nobis intimatur: ergo immediata Dei omnium operatio non indecens, sed dignissima Dei prærogatiua, signumque, quo Deus agnoscatur habetur ab Scriptura. Contra secundo: Qui solus aliquid exequitur, immediatè exequatur necesse est, sine instrumento, sine ministro: atqui Deus solus exequitur creationem, ergo immediatè sine ministro, sine instrumento exequitur Deus creationem. Minor suadetur ex Isai. 44. *Ego sum Dominus extendens cœlos, stabiliens terram, & nullus mecum.* Iob. 4. *Qui extendit cœlos solus.* Quo circa, vel filius, vel Spiritus sanctus creationi non interueniunt, contra locum, quem nobis Arriani obiiciebant; vel, vt Deus idem cum Patre, eademque potentia, arte, virtute, & operatione interueniunt. Illud de intollerantia creaturarum virtutis diuinæ immediatè stolidorum est. Etenim immediata Dei operatione virtutem Dei formaliter in se non recipiunt, quam nequit creatura vlla habere, & recipere; sed ex ea influxum, & esse participatum cuiusque creaturæ proprium, sine quibus neque sustentari, neque in se esse vsquam possunt insuper in filio verbo; quod & creaturam esse blasphemant: atque immediatè à Deo factũ fateri tenentur (ne in infinitum verborum Dei abeant, vel tandem in aliquo, quod Deus sit, vel immediatè à Deo creatum, sistant) euincitur apertè in se creaturas Dei operationem immediatè posse recipere.

5 Tertiò probatur illa minor: quia cum nullo prædicato diuino pugnat potentia immediatè operatiua rerum ergo est physicè in Deo possibilis: ergo, & decens Patet: quia si indecens, cum aliquo diuino prædicato pugnaret. ergo, & est de facto; quidquid enim possibile, decensque Deum est necessario, & actualiter in Deo est, ne aliquid Deo melius esse possit. Vt huic argumento respondeant hærerici aliquam indecentiam in immediata Dei operatione debent assignare; sed quia debitum à tempore Arrij non soluunt neque vnquam soluendo erunt. Præsto gratis, quod non debeo, neque ipsi sponte recipiant: immediata Dei operatio erga creata non solum non indecens, sed in primis honorifica Deo est, ergo stat illa minor. Antecedens probo. Ex immediata Dei operatione primæ, atque vniuersalissimæ causæ honos, & omnipotentis gloria Deo accrescit: inde creatorum omnium in fieri, & conseruari dependentia strictissima, atque ad ipsum rigida seruitus; atque in Deo contra, creatorum omnium supremum Dominum. Quæ omnia, nec gentiles Philosophos latere potuerunt. Vnde ter Maximus Hermes de natura vniuersa ad Asclepium teste Cyril. Alex. 2. contra Iulian. longè à med. scribebat: *Vna est ipsi gloria facere omnia.* Reliquorum philosophorum testimonia plura legat qui volet apud Cyrillum ibidem.

6 Arguo secundo ex eodem Arrianorum testimonio. Creare adhuc instrumentaliter cuius creaturæ repugnat: ergo, vel filius Deus est, & principalis creator, quod negant, vel creationi contra eorum testimonium, neque instrumentaliter interuenit. Infero secundo: ergo Deus solus, ac perinde immediate creat. Antecedens non est ita apud Recentiores nonnullos constans; quia creationis natura non satis ab omnibus penetratur, nec eius definitio intelligitur. Mihi autem est certissimum,

mum, vt controuers. physica de creatione facilè ostendi. Quia creare solius Dei est, quare locum instrumentalis creatio non habet, adhuc in creatura. Id quod nunc solum authoritate, ac theologicè probabo. Ita docet. Cyril. Alex. 2. thesau. cap. 2. fine lib. 5. cap. 3. sub init. & infra: lib. 6. cap. 2. med. lib. 12. cap. 15. col. 2. lib. 2. contra Iulian. post med. Athanas. orat. 3. contra Arrian. vers. me d. epist. ad African. vers. med. epist. *Admirabere*, ad Serapion. post med. dialog. 3. de S. Trinit. vers. fin. qui omnes creationem solius virtutis diuinæ esse defendunt, creatamque omnem virtutem excedere. Id ipsum contra Saturninum, vel Saturnilum, ac Basilidem, quia septem Angelis mundum creatum delirabant. Docent Irenæ. lib. 1. cap. vigesimo-secundo, lib. 2. cap. 66. fine Damasc. 2. de fide cap. 3. fine. Epiphan. hæresi 23. & 24. & contra Platonem (erroris huius auctorem teste Cyrillo 2. contra Iulian. med.) August. 12. de ciuit. cap. 24 post med. cap. 25. & 26. 3. de Trinit. cap. 8. & 9. Degenes ad liter. 9. cap. 15. Cum tamen tam verbo, quam septem Angelis præfati hæretici solam instrumentalem actionem defferrent: Denique Spiritus S. diuinitatem ex rerum creatione probant Athanas. citata epist. & d. Laodicea contra Arrium Concil. Nicæn. lib. 2. post med. §. *in libro Iob.* Nyssen. orat. catechet. cap. 4. Naz. orat. 44. in S. Pentecost. longe à med. Epiphan. in Anchor. post init. Cyrill. lib. argumentor. *quod Spiritus Sanctus sit Deus.* longè à med. Basil. 5. contra Eunom. fect. 16. homilia 17. in S. Baptisma post med. Gregor. Bœtic. de Trinit. circa finem.

7 Tertiò deniquè ex eodem testimonio argumentor. Quia quæ per verbum instrumentaliter creata, factavè à Deo dicuntur, sunt quæ liberè, vel etiam quæ necessariò à Deo producuntur. Rogo an filius verbum ad classem liberè effectorum, an necessariò productorum perrineat? Si ad hanc Deus æternus erit: cum sit in existendo terminus necessariæ connexionis Dei. Si ad classem liberè productorum attinet: cum nihil fine verbo instrumentaliter, vt volunt, producente factum liberè à Deo sit, fierivè possit, per se ipsum saltem instrumentaliter factum est verbum, quod implicat; vel per aliud verbum, de quo in infinitum redintegrabitur quæstio an per se, vel per aliud, & hoc per aliud, quousque in aliqua sistant, quod Deus sit, ac non factum, quodque author sit principalis, æquè, ac Pater creatorum, non minister, aut instrumentum creationis. Ita contra Arrianos arguunt Athanas. epist. ad African. post med. dialog. de S. Trinit. contra Anomæ. vers. med. Cyril. 5. thesau. cap. 1. med. lib. 10. cap. 4. longè ab init. Gregor. Bœtic. de Trinit. col. 3. Ambros. 1. de fide ad Gratian. c. 6. longè à princip. lib. 3. cap. 3. fine August. lib. contra sermones Arrianor. cap. 2. med. 1. de Trinit. c. 6. sub init. tract. 1. in Ioan. post med. & infra, Anselm. cap. 28. Monolog. circa medium.

CERTAMEN IV.

Haud segnius ex altero fundamento suo hæreticos impugno.

1 ALterum hæreticorum fundamentum est: quod Ioan. 5. Filius de se dicat: *non posse à se facere quidquam; sed solum, quæ viderit Patrem facientem hæc ipsum similiter facere*: quæ de se, vt Deus est, planè dixit, cum similia de Spiritu S. non incarnato dicantur, vt mox videbimus: quare iussu, abauditione, atque ex Patris arte, & disciplina filius, & Spiritus videntur operari. Sic autem salutem ex inimicis nostris eruunt Patres. Omnis rationalis creatura aliquid à se facere potest, quod nequeat Pater æternus efficere, v. g. peccatum, & mendacium Ioann. 8. *Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur.* Vnde Concil. Arausican. canone 22. ex Leone M. *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum*: atqui filius ratio-

nalis est, & à se ipso nequit facere quidquam, nisi quod viderit facere Patrem: ergo non est creatura, sed Deus eiusdem operationis cum Patre: alioqui, si eiusdem naturæ, & operationis cum Patre non esset, posset ab illo in operando, vel omittendo dissentire. Sic arguunt Basil. epist. 141. ad Cæsarium longe à med. Chrisostom. in Ioann 5. hom. 37. longè à med. Cyril. Alex. 2. in Ioann. c. 135. col. 1. ac versus fin. Ambros. 4. de fide ad Gratian. c. 3. longe à med. Hilar. 7. de Trinit. versus med. & 9. post med. August. 15. de Trinit. cap. 14. circa med. contra serm. Arrian. cap. 14. fin. tract. 20. in Ioann. col. 2. vbi ponderat ex contextu à nulla Patris operatione posse filium desistere: vnde identitas naturæ, potentiæ, & operationis cum Patre in illo efficaciùs arguitur, vt fine argumenti dicebam.

2 Secundò argumentor ex verbo illo *filius*, naturalis nempè: atqui filius eiusdem naturæ est cum Patre: ergo, & potentiæ, & operationis eiusdem. Ita arguebat olim 7. de Trinit. med. ac rursus lib. 9. Hilar. sic effatus: *Filius est, quia à se nihil potest: Deus est, quia quæcumque Pater fecit, & ipse eadem facit: vnum sunt, quia exæquatur in honore, & eadem facit, non alia.* Cyrill. Alex. 2. in Ioann. cap. 135. col. 1. *Impossibile est, cum filius eius, & ex eo naturaliter sim, me aliud velle, aut aliud facere, quam, quod Pater velit, & faciat. Non quia, quasi exemplo quoddam didicerim, aut quia voluntate imitandum esse Patrem iudicauerim; sed quia naturæ legibus ad eandem operationem, atque consilium conscendo.* Confirmatur primo: quia ex vnitate, & identitate naturæ æqualitatem, imo identitatem operationis filij cum Patre probat Ambros. 1. de fide ad Gratian. cap. 2. med. cap. 7. post med. lib. 2. cap. 3. cap. 4. post init. lib. 3. cap. 5. fine, lib. 4. cap. 5. & 6. lib. 5. cap. 1. ac 1. de Spiritu S. cap. 7. circa med. cap. 13. cap. 14. lib. 2. cap. 4. 5. 8. & infra, ac fusius cap. vlt. & lib. 3. Idacius Hispanus, aduersus Varinand. quatuor vltimis foliis.

3 Firmatur secundò: quia Christus ex identitate operationis sui cum Patre Dei filium, ac Deum esse calumniantibus Iudæis, quod se vtrumque prædicaret, ostendit Ioan. 10. n. 37. Quo argumento vsus est Nyssen. de Trinit. ad Eustachium sub med. *Necesse* (inquit) *est, vt ex pari eademque efficacia, & operatione vnionem naturæ ratione colligamus.* Quod pluribus operationibus numeratis confirmat ibi, & lib. ad Ablab. *Quod non tres dij.* circa med. orat. catechet. cap. 4. Athanas. ferm. in Euangel. de SS. Deipara sub init. Basil. 4. contra Eunom. sub init. *Quorum eadem sunt operationes substantia vna; operatio verò Patris, & filij vna est.* Repetit 3. de Spiritu S. contra Eunom. à med. hom. 27. de Spiritu S. fine, homil. 17. in S. baptisma post med. Chrysost. tom. 1. in id: *Saluum fac dextera tua* tom. 3. hom. 3. de Spiritu S. *Heri à nobis*, circa med. Cyrill. 1. thesaur. cap. 9. med. *Patris, & filij vna operatio est, & eadem virtus: ergo filius Patri consubstantialis est.* Similiterque pro consubstantialitate Spiritus S. arguit 4. thesau. cap. 2. fine, cap. 3. ante med. cap. 4. 5. & 6. ac 3. dialogor. de Trinit. longè à med. exposit. symboli Nicæni Anastasius Synait. 1. de rectæ fidei dogmatibus col. 6.

4 Arguo tertiò, vel potius distortum sensum hæreticorum emendo. Ideò enim à se ipso nihil filius facit, sed à Patre, quia ab eo naturam, potentiamque eandem recipit Patris; quare, & operationem. Sic eum locum interpretatur Damasc. 4. de fide cap. 19. post init. *Nam nisi Pater est, non est filius: ex Patre enim filius.* Athanas. orat. 4. contra Arrian. sub med. & dialog. 1. de S. Trinit. contra Anomæ. longè à med. Laodicæa cum Arrio vers. finem. August. contra sermon. Arrianor. cap. 14. *Ideo dictum est, quod non faciat aliquid filius à se, quia non est à se.* tract. 20. in Ioann. col. 3. *Quidquid filius habet, vt faciat, à Patre habet, vt faciat. Quare à Patre habet, vt faciat: quia à Patre habet, vt filius sit.* Notauit verò Hilar. filium, licèt à se non agat, per se agere, *Naturæ*, ait, *hæc vnitas est, vt ita per se agat, vt à se non*

agatur, & ita non abs se agat, vt per se agat. Ex quo ibidem notarunt Mag. 1.d.42.cap. vlt. vbi eius interpretes, & d. 20. vbi Argentin. q. vnic. Carthus. q. 1. Alex. 1. p. q. 21. memb. 1. art. 3. Albertus q. 77. m. 1. q. incidenti p. 1. ad 1. S. Thom. 1. p. q. 42. art. 6.

5 Argumentor quarto: quia ibidem filius, *quæ facit Pater similiter facere, dicitur.* Ergo non instrumentaliter, & seruiliter, nec dissimiliter, sed dominanter, vtpotè eiusdem substantiæ, & potentiæ cum Patre, vt benè Basil. 4. contra Eunom. sub init. *Quæcumque Pater facit, hæc, & filius similiter facit: vna est ergo substantia Patris, & filij.* Clariùs adhùc loquitur loco commodiùs citando n. 8. Iuculentiùs Naz. orat. 36. 4. de Theolog. circa med. n. 39. *Nonne perspicuum est verum formas, idæas, à Patre quidem designari, qui à se habet; à filio autem peragi,* tanquam verbo, quod dicit, & iubet, vt fiant, *non seruiliter, atque in doctè, sed peritè, & heriliter? atquè, vt aptius loquar, Paternè? In hunc quippè sensum verba hæc accipio: quæcumque Pater facit, eadem, & filius similiter facit. Non quia similia sint vtriusque opera; sed quod par sit vtriusque potestas, atque authoritas.* Athanas. lib. 3. de assumptione hom. col. 2. & d. contra Arrian. in Concil. Nicæno col. 3. dialog. 2. de S. Trinit. contra Anom. vers. med. *Vnigenitum,* ait, *esse Patri consubstantialem audiuimus ipsummet his verbis dicentem: omnia quæ facit Pater, & filius facit similiter.* Quibus verbis errorem Arrianorum euerti aiebat Chrysosthom. hom. 37. in Ioann.

6 In eandem sententiam scribebat Cyril. Alex. 2. in Ioann. cap. 135. sub init: *In eo, quod omnia potest similiter, sicut Deus Pater, facere, identitas, substantiæ confirmatur. Similiter enim operantur, quæ omnino eiusdem naturæ sunt: quæ autem diuersas essendi habent rationes, in iis idem operationis modus esse non potest. Sicut igitur Deus verus ex Deo vero eadem Patri similiter facere potest.* Hilar. 9. de Trinit. post med. *Exprobra infirmitatem Dei filio: adime quoque naturæ æqualitatem; si non quæcumque facit Pater, eadem, & filius facit similiter: si discrimen aliquod paternæ virtutis, atque operationis admittitur.* Ambros. 4. de fide ad Gratian. cap. 3. sub med. *Nec enim similiter potest quisquam facere idem opus, quod alius fecerit, nisi qui, & inæqualitatem non habeat operationis, & naturæ eiusdem habeat vnitatem,* Apprimè autem ad eamdem sententiam obseruant Augustin. tractat. 20. in Ioann. post med. ac t. de symbol. ad catechum. cap. 2. lib. 2. cap. 3. Leo M. serm. vnic. de Transfigurat. cap. 6. post med. filium non similia iis, quæ Pater, sed similiter facere. Lingua enim verba similia mentalibus facit, non autem similiter, ac mens: nam hæc facit mentalia imperando: at lingua instrumentaliter exequendo. Lege didimum 2. de Spiritu S. post medium vbi discursum ad Spiritum S. extendit.

7 Quintò ex iis, quæ sequuntur post verba recita Ioann. 5. ab Arrianis: *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic, & filius, quos vult, viuificat.* atqui Pater, quos vult, viuificat non instrumentaliter, ac ministerialiter, sed principaliter mortuos viuificat: ergo & filius, qui, quos vult, viuificat, sicut Pater, principaliter mortuos suscitat. Audi Chrysost. hom. 37. in Ioann. longè à med. *Illa particula: sicut Pater suscitat mortuos indiscretam potestatem, quos vult: æqualem demonstrat.* quam virtutis, potestatis, & operationis æqualitatem filij cum Patre, atque naturæ vnitatem ex eis verbis probant Athanas. dialog. 2. de S. Trinit. contra Anomæ tribus vltimis col. ac 3. de assumpt. homin. post init. Cyrill. Alexand. 2. thesau. cap. 2. circa fin. lib. 4. cap. 2. longè à med. Theodoret. 5. Epitomes diuinor. decretor. cap. 2. vers. fin. Confirmatur: quia Baruch. 3. de Deo, qui in terris visus est, nempè filio, dicitur: *Qui emittit lumen, & vadit: vocat illud & obedit ei cum tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis: vocatæ sunt, & dixerunt ad sumus.* Marci 9. *Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi.* Luc 4. *Increauit Dæmonium.* Matth. 8. *Imperauit ventis, & mari.* Ergo filius creaturarum, quibus imperat Dominus est, & auctor cui ad nutum obediunt, non minister, seu illarum creandarum instrumentum.

8 Confirmatur secundò: Filius Spiritui S. inferior non est, sed iuxta Arrianos superior in dominio, arbitrio, ac potestate, erga creaturas: at Spiritus Sanctus cum pleno Dominio, & potestate operatur creaturas: ergo & filius. Minor constat ex 1. Corint. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult.* Ad quæ Theodoret. proximè cap. 3. circa med. *Non enim seruilis ministerij, sed dominicæ authoritatis est, Sanctissimus Spiritus nec ad opus exequendum subseruit, sed cooperatur, & vt dominus operatur.* Confirmat fine, & cap. 4. init. Ambros. de Spiritu S. cap. 1. init. *Non enim Spiritus sanctus, aut potestati alienæ est subiectus, aut iuri; sed suæ libertatis arbiter omnia pro authoritate propria voluntatis diuidens singulis, prout vult.* Epiphan. hæres. 74. vers. fin. *Spiritus Sanctus cooperatur filio, & Patri, & æqualiter facie donans, ac largiens, prout vult.* Damascen. 4. de fide post init. *Similiter, & quæ facit ab ipso, & cum ipso facit. Nam vna, & eadem, non similis, sed eadem Patris, & filij, & Spiritus Sancti voluntas, actioque, atque virtus.* fulcitur eadem minor ex Ioann. 3. *Spiritus vbi vult spirat &c. sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* 2. Corint. 3. fine. *Dominus autem Spiritus est: & vbi Spiritus Domini ibi libertas.* Ex quibus eandem esse operationem Spiritus Sancti, quæ Patris, & filij probat Basil. 5. contra Eunom. pag. 2. 3. & 4. de Spiritu S. c. 16, hom. 17. in S. Baptisma sub init. Athanas. Dialog. 2. de S. Trinit. contra Anomæ. vers. fin. Dialog. 3. sub med. vers. & circa finem. Dialog. 1. contra Macedon. post med.

9 Audiamus Nyssen. hom. 3. de orat. Dominic. col. vlt. vbi pro *adueniat regnum, tuum.* luc. 11. legit: *aduenias Sanctus Spiritus tuus,* quem Dei regnum nulli subiectum inde concludit iterum orat. catechec. cap. 2. post med. de filio, & Spiritu Sancto sic habet: *Quomodo Dei verbum putauimus vim habere eligendi, esseque operans, & omnipotens: ita etiam Spiritus S. ad verbi similitudinem est in hypostasi vi eligendi prædicta, per se mobili, operante, & semper bonum eligente, & ad omne propositum cum voluntate concurrentem habente potentiam.* claudat rem hanc Chrysost. hom. 29. de Spiritu S. circa morale verba ex 1. Corint. 12. recitata n. 8. sic illustrans: *operatur agendo, non operatur patiendo: operatur, vt vult, non vt iubetur. Sicut enim de Patre dicit filius; quod excitat mortuos, & viuificat, similiter etiam de se, quod quos vult viuificat: ita etiam de Spiritu sancto alicuibi quidem, quod cum potestate omnia facit nec est, quod prohibeat. Illud enim, vbi vult spirat, etiam si dictum sit de vento, hoc confirmat: hic autem, quod omnia operatur, prout vult.* Hùc etiam faciunt Hilar. recitatus honore, ac potestate Patri filium exæquans, Cyril. vero consilio, atque cert. 1. simul cum Patre docens filium regnare.

CERTAMEN V.

Vltimum hæreticorum fundamentum regeritur.

1 EX eo autem, quod Ioann. 5. & 8. Pater demonstret, & doceat, filius videat, & audiat non destruitur catholica veritas, sed adstruitur, *Si enim contendunt,* (ait Cyril. 2. in Ioann. cap. 135. fine) *expectari à filio Patris operationem, vt eam imitari possit: ostendant nobis absque filio à Patre vmquam aliquid esse factum.* Sic rogabat Arrium Athanas. d. Nicæna contra ipsum col. 3. *Quod, nam cœlum, & mare fecerit Deus in principio? ac deinde, quid filius cum ea condita vidisset?* fatente verò Arrio vnicum mundum esse infert *igitur ex se,* idest arte suâ, non paternæ in operibus monstratis imitatione, *filius creauit omnia,* Eodem argumento vtuntur Naz. orat. 364. de Theolog. circa med. n. 39. concluditque verbis recitatis, cert. 4. n. 5. Augustt. tract. 20. in Ioann. col. 4. Ambros. 4. de fide ad Gratian. col. 3. longè à med. Hilar. 7. de Trinit. vers.

vers. med. atque in eius confirmationem notat Chrysost. hom. 37. in Ioann. non dixisse: *Quæ vidit Patrem facere, ea faciet, sed, nisi, quæ viderit Patrem facientem, temporis continuationem significans.* vt nimirum scientiæ, & operationis, coniunctio, siue identitas potius in vtroque significaretur. Dices non facienda, sed eorum exemplar à Patre cogitatum in specie, atque edoctum fuisse filium, vt operaretur. Sed cuius doctrina Patris sapientia, vt sciat egebit?

2 Audi Hilar. proximè: *An ne demonstratio operum aliquid hic nobis, præter quam natiuitatis fidem ingerit, vt subsistentem filium ex subsistente Patre credamus? Nisi forte per ignorationem credendus est vnigenitus Deus doctrina demonstrationis egisse.* ac infra demonstrata ait opera filio fuisse; *vt demonstratio ipsa natiuitatis esse substantia doceretur: cui, & per dilectionem Patris, operum paternorum, quæ per eum effici vellet, esset connata cognitio.* Repetit ibi sæpè, & lib. 9. præcipuè post med. connatam cognitionem *conscientiam*, appellans Augustt. tract. 40. in Ioann. circa med. ad Ioann. 8. *Sicut docuit me Pater, sic loquor.* ita habet: *Incorporaliter Pater locutus est filio, quia incorporaliter Pater genuit filium. Nec enim, sic docuit, quasi inductum genuerit; sed hoc est eum docuisse, quod scientem genuisse. Si enim simplex est natura veritatis, hoc est filio esse, quod nosse. Ab illo ergo habet, vt nouerit, à quo habet, vt sit.* Cyril. Alex. 2. in Ioann. cap. 135. longè à med. *Figuras quasdam operationis paternæ colligere filium credis, atque hoc modo Deum, appellari putas. Doctrina ergo quædam, & non natura Deus esse videbitur; & scientia quadam, & arte more humano Patrem imitabitur.* cap. 137. med. *Pater filio demonstrat, quæ ipse facit, non quasi depicta in tabula, nec quasi ignorantem doctrina iuuans, sed totum se ipsum in natura filij sic depingens, vt quæcumque in se habeat, in filio demonstret.* Tandem hæc loca de filio secundum humanitatem intelligunt Augustt. proximè, & tract. 99. col. 1. Cyrill. cap. 135. citato Ambros. 5. de fide ad Gratian. cap. 6. init. ad Ioann. 12. *Ego ex me ipso non sum locutus,* Epiphan. hæresi 59. circa fin. Chrysost. t. 3. circa fin. ad 1. corint. 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia.*

3 Eadem ferè argumenta continentur pro Spiritu S. Ioann. 16. *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Ad quæ Augustt. tract. 99. in Ioann. med. *Sic debemus accipere, quod de Spiritu Sancto dictum est: non enim loquetur &c. vt intelligamus non eum esse à semetipso.* atque eius explicata processione addit. *Ab illo audiet, à quo procedit. Audire illi scire est: scire vero esse: sicut superius disputatum est: quia ergo non est à semetipso, sed ab illo, à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, à quo nihil est aliud, quam scientia,* iisdem insistit tract. 100. ex quo de more Beda tom. 5. epist. 773. ad Ioann. 16 Præluxit huic expositioni Basil. 5. contra Eunom. cap. 16. med. Dydimus 2. de Spiritu S. med. aiens: *Quoniam non ex se est, sed ex Patre, & me est. Hoc enim ipsum quod subsistit, & loquitur à Patre, & me illi est.* ac post plura ad rem hanc: *loqui ergo Patrem, & audire filium, vel è contrario, filio loquente audire Patrem, eiusdem naturæ in Patre, & filio, consensusque significatio est.* Rursus: *Spiritus veritatis, spiritusque sapientiæ non potest filio loquente audire, quæ nescit: cum hoc ipsum sit, quod profertur à filio, idest procedens à veritate.* consonat Hilar. 8. de Trinit. circa medium.

4 Cyril. Alex. 13. thesau. cap. 3. sub init. sic in eandem sententiam scribit: *Non ergo potest Spiritus alia loqui, quam filius, cuius mens est. Nihil ergo ex ipso locuturum Spiritum dixit: quasi diceret: Ego ipse rursus locuturus vobis sum: quemadmodum si humana mens de prodeunte ab ipso sermone diceret: nihil loquetur à ipso, sed loquetur quæ audiet,* ac 10. in Ioann. cap. 41. fine: *Cum quasi mens mea sit, ea, quæ mea sunt reuelabit. Non, vt ministri locum habere Spiritus videatur, vt imperitè à nonnullis prædicatur, sed, vt eiusdem esse cum filio substantiæ confirmetur. Propterea præmi-*

sit: quia etiam ventura annuntiabit vobis, ac si diceret: id signum vobis sit ex mea illum substantia esse, & mentem esse, quasi meam, quia futura, vt ego vobis, prædicet: quod facere minimè posset, nisi in me esset; & cum per me procedat eiusdem mecum substantiæ sit. Confirmatur: quia rationem reddens Christus, cur Spiritus à se ipso locuturus non esset, ait: *quia de meo accipiet, & omnia, quæ habet Pater mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quibus Spiritus à filio processio continetur, vt d. 2. monstraui. Ad hæc Basil. 5. contra Eunom. sect. 16. post med. Chrysost. tom. 3. hom. 3. de Spiritu S. à med. *Non loquetur à semetipso id est, falsa, atque à Deo aliena.* Interpretatur. Ambros. 5. de fide ad Gratian. cap. 5. sub init. alias cap. 6. dictum notat, *vt adueteremus, quod quidquid Spiritus loquitur, loquitur, & filius: & quidquid loquitur filius, loquitur, & Pater: quia vna essentia, & operatio Trinitatis est.*

5 Accedunt pro vnitate potentiæ, & operationis Spiritus S. cum Patre argumenta omnia facta pro filio cert. 4. Denique communem, vnam, eandemque esse voluntatem, potentiam, operationemque Trinitatis docent Dionys. 2. de diuin. nomin. sub init. Damas. Papr. profess. fidei ante med. anathematismo. 13. & anathematismis aduersus Arrium, Apollinar. & Sabellium &c. Agatho Papa epist. apud 6. Synod. act. 4. Synodus 6. ibi in suggestione 125. Episcopor. & act. 17. Iustin. posit. fidei de Trinit. vers. med. Sophron. 6. Synod. act. 11. epist. professione fidei cap. 10. ante med. & fin. Augustt. sæpè hom. 20. in Ioann. à med. Leo M. serm. 2. de Pentecostes cap. 2. & 3. serm. 3. cap. 1. fine, cap. 2. init. Concil. Toletan. 6. cap. 1. post med. Toletan. 11. profess. fidei post med. Rem totam eleganti digitorum similitudine sic explicat Isidorus noster: *In tribus quippe digitis trinam diuinæ omnipotentiæ æqualitatem sub quadam mysterij lance libranit: & paritatem virtutis cooperationem potentiæ, & vnitatem substantiæ in tribus digitis declaranit.* nempè Isai. cap. 14. lib. autem 7. ethymolog. cap. 2. & 3. atque 2. de differentiis spiritualibus exemplo branchij, manus, & digiti eandem veritatem declarat. Tandem tres personas vnum esse creaturarum principium definitur cap. *firmiter,* de summa Trinit. sub init. docentque Naz. orat. 37. 5. de Theolog. col. penult. orat. 49. de fide longè ab init. Athanas. orat. contra Gregales Sabell. circa med. orat. 5. contra Arrian. init. Cyril. 12. thesau. cap. 15. sub init. Hilar. 6. de Trinit. col. 4. Augustt. 5. de Trinit. cap. 13. & 14. lib. 10. de ciuit. cap. 23. vers. fin. 3. contra Maximin. cap. 17. circa fin. tract. 29. in Ioann. ab init. Prosper. in id psalmi 109. *Tecum principium.* Anselm. epist. de proces. Spiritus Sancti post med. §. *diligentiùs.* Magist. in 1. d. 29. c. 2. vbi Scholastici interpretes, reliquique omnes Scholastici controuersistæ, & quotquot Catholici hæc de re scripserunt.

QVÆSTIO III.

An quòve pacto, filius, & Spiritus S. requirantur ad creaturas producendas?

IDIMVS creaturarum productionem æquè, & communiter cum Patre personas procedentibus, saltem identitatis iure cum omnipotentia competere: rogatur ergo an alio titulo per se, nec solùm materialiter requirantur?

CERTAMEN I.

Per se requiruntur ad creaturarum productionem.

1 SCotus quodlibet.3.art.1.fine, Vasquez d. 152. n. 5.Molina 1.p.q.45.art.6.§.vlt.Soar.1.de Trinit.cap. 11.Lorin.in Psalm.32.versu 6. asserunt filium, & Spiritum S. solum materialiter concurrere ad creaturarum productionem,& comitanter se ad illam habere, quatenus potentiæ productiuæ identificantur. Ad sentit dubitanter Dur. 1. d. 29. circa fin. videnturque fauere Bellarmin.2.de Christo cap.27.circa fin.§. *respondeo Patrem*,Caiet.1.p.q.45.art.6.fin.Capreol. in 2.d. 1. q. 3. art. 3.vers. fin. Argumenta verò solùm probant non requiri, vt constitutiua omnipotentiæ, seu cognitionis, & volitionis diuinæ ad creaturarum productionem: secus non requiri, vt necessarias conditiones: quin,cum in aliquorum ex eis,maximè Soarij sententia,actiones sint suppositorum,vt sonat:ac proinde Patris personalitas per se ad creaturarum productionem, saltem,vt conditio requiratur: atque aliunde filij, & Spiritus Sancti personalitates non minus propriæ naturæ diuinæ sint,quàm personalitas Patris:nescio quo demum pacto hæc per se ad creaturarum productionem requiratur,secus illæ.

2 Henricus quod lib.6.q. 2.ac 2.p. sum. art. 73.q. 3. corp.vers. fin.littera T. asserit verbum, & Spiritum S. per se ad creaturarum productionem requiri, tanquam practicam earum notitiam,& amorem:quia cognitio, & amor essentialis speculatiuus est, atque ad creaturæ productionem, & executionem insufficiens. Verum sententia hæc temeritatis, periculi, erroriſque notatur à pluribus, vt videre est in Molin. 1. p. q. 45. art. 6. longe à med. Valent.q.2. de productione rerum punct. 3. post med. Ruiz d. 109.sect. 1. n. 2. Ratio est: quia omnipotentia attributum essentiale est, quod proinde,neque claudit, neque supponit notionale quidpiam: est cognitionem, atque amorem practicum vel claudit, vel supponit. Ergo hæc essentialia sunt, non notionalia. Secundo: quia idæa, arsque diuina, & impulsus affectiuus, applicatiuus ad opus, qui sunt actus practici cognitionis,& amoris nullam inferunt, continent, vel supponunt oppositionem relatiuam: ergo personales non sunt.Tertiò:quia est cognitio, & volitio de re facienda, & modo, quo facienda est: atqui in his consistit scientia,& volitio practica artificis: ergo est in Deo practica cognitio, & ars rerum faciendarum in communibus. Quartò: quia nihil repræsentationis,aut volitionis formalis de re facienda,& modo, quo facienda est afferunt Deo sapientia, & amor notionalis, quibus formaliter cognoscere,& amare Deum hæreticum est. Quintò deniquè: quia in hac sententia nulla persona, neque Pater ipse principium adæquatum creaturarum erit, adhuc identiæ, sed solum inadæquatum: cum neque Pater duabus aliis personis identificetur.

3 Dicendum est filium & Spiritum S. requiri per se ad creaturarum productionem, vt terminos per se, & essentialiter requisitos cognitionis, & amoris necessarij ad illas producendas. Sic censet S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcor. cap. 7. & 4. contra 9. cap. 13. post med. vbi Ferrara col. 4. & 5. de potent.quæst. 1. art. 3. ad 6. quæst. 10. art. 2. ad 19. de verit. quæst. 4. art. 4. & in 1. d. 14. quæst. 1. art. 1. corp. d. 26. q. 12. art. 2. ad 2. d. 27. art. 3. ad 6. d. 32. q. 1. art. 3. corp. 1. p. quæst. 33.art. 3. ad 1.q.46. art. 6. Scot.in 2. d. 1. quæst. 1. §. *Ad quæstionem*. Capreol. quæst.3. art. 1. concluſ. 2. & art. 3. vers. fin. si legatur attentè inclinat Carthus. in 1. dist. 32. quæst. 1.col. penult. Ricard. d. 13. art. 1. quæst. 5. Bonau. d. 6. art. 1. quæst. 3. corp. & ad 2. d. 27. p. 2. art. 1. quæst. 2. corp. in 2. dub. 3. litterali Alex.1.p.q. 62.m.1.art.3.& 4. Albert. q. 35. m. 3.art.2.fin. art.4.ad 2. ad quam tandem sententiam se recepit Henricus loco vltimo citato ex Nouioribus consentiunt Valentia p. 1. q. 2. punct. 3. §. *Secundo*. & §. *Tertio*, Ruiz d. 111. sect. 2. Probatur facilè; quia cognitione, & amore essentiali procedunt per se filius, & Spiritus S. vt ferè dogmaticum est, satisque ptobatum d.3.ergo sunt termini per se illorum: ergo deficientibus illis cognitio, & amor essentialis per locum intrinsecum,ac per se deficeret: non minus,quam deficiente termino actionis creatæ actio ipsa per se, ac per locum,vt aiunt, intrinsecum deficeret. Atqui cognitio,& amor essentialis per se, & essentialiter requiruntur ad productionem creaturarum:ergo & filius, & Spiritus S. per se ad earundem productionem tandem requiruntur.

4 Probatio hæc plures continet à Patribus tactas, expensasque à Ruiz à sectione 3. Prima est: quia creaturæ nequeunt fieri, nisi dicantur, imperentur, ac iubeantur, vt fiant:at nequeunt Dici,iuberi, & imperari nisi per filium, qui solus verbum, & imperium in diuinis est: ergo filius per se requiritur, vt creaturæ fiant. Hoc argumentum indicatum, notatumque,quasi digito, est in vtriusque testamenti exordio:quippè in Genesi nihil sine dictione, atque imperio Dei productum,factumvè fuit, vt patet Genes. 1. *Dixitque Deus*,& statim:*fiat lux:fiat firmamentum*; *producat terra*: *germinet terra*: in nouo autem Testamento Ioann. 1. *In principio erat verbum* &c. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Eorum autem mysteriosam consonantiam ad rem hanc obseruabat Augustt.tract.1.in Ioann. post med. tract. 20. vers.med.2.de genes. ad liter. cap. 6. med. vlterius sap. 9. *Fecisti omnia verbo tuo*. Iudith. 16. *dixisti, & facta sunt*.Psalm.44.*Ipse dixit, & facta sunt*. psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt*. 2. Petri 2. *Terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo*, & infra: *Eodem verbo reposita sunt*. Pro quo argumento faciunt August. proximè, & 1.de Genes. ad liter. cap. 3. circa fin. contra serm. Arrianor. cap. 3. ante med. 15. de Trinit. cap.11.longè à med.11.confes. cap. 7. fin: Ambros. de filij diuinit.cap.6.circa med.Origen.hom.3. in vnarios ad Ioann.1.*In principio erat Verbum*. Nazianz. orat. 49. de fide vers.fin. Nyssen. de Trinit. & aduentu Domini contra Iudæos col. 2. Athanas. de decretis synodi Nicæ.med. Dialog. de S. Trinit. contra Macedonian. vers.fin.qui cum reliquis omnia per verbum, quo iubebat, & dicebat Deus creata asserit. Addit verò, neque aliter fieri potuisse orat. 2. & 4. contra Arrian. & tota orat.3,præcipuè sub init.ac vers. med. epist. *litteræ* longioris ad Serapion.col.antepenult. ex quo præsertim S. Thom.opusc.primo contra errores Græcor. cap. 7. post med.

5 Simile argumentum ducitur ex eo, quod filius sit sapientia,& ars (genita) iuxta Concil. Nicæn. lib.2. med.§. *sæpè numero*,sine qua sapientia, & ars essentialis necessaria ad creaturas efficiendas esse nequit. Sic arguit Concil. Nicæn. proximè orat. 1. contra Arrian. circa & post med.2.longè ab init.3. vers. med.& fin. d.contra Arrian. in Concil.Nicæn.col.4. Nyss. orat. catechet.cap.5.sub init.Naz.orat.q.35.3. de Theolog. vers. carmine arcan.1.post med.Cyril. Alex. 4. Dialogor. de Trinit.vers.fin.exposit.symboli Nicæni col.5.2.in Ioann. cap.133.post med.Ambros.4.de fide ad Gratian. cap. 3. longe à med.lib.5.cap.7.longe ab init. lib. 1.cap.6. longè à med.lib.3. cap.3.fin.Synod. Anthioc.profess. fidei Episcopor. ad Paulum Antiochen.tom.1.Concilior.Damasc.de Trisagio p. 2.pag.2.August.in id psalmi 61. *Semel locutus est Deus*,& 6.de Trinit.cap 11. post med. Nec est dissimile quod *Verbum* est imago, idæa, & exemplar faciendorum, sine quo artifex operari nequit, vt arguunt Basil. 2. contra Eunom. sub med. & lib. 5. longè ab init. sect. 6. & post med.sect. 13. Athenagor. legatione pro Christian. vers. med. Eusseb. Cæsarien. 4. præparat. euang. cap. 4. sub init

init.cap.5.fine.August. serm. 18. de verbo Domini secundum Ioann. col. 1. quos recitat Ruiz sect. 5. ego solum S.Thom. 1.p. 35. aptius ad Scholas loquentem art. 6. corp. *Deus est causa rerum per suum intellectum, & voluntatem, sicut artifex rerum artificiatarum*: *Artifex autem per verbum in intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis,ad aliquid relatum operatur:vnde,& Deus Pater operatus est creaturam per suum verbum, quod est filius, & per suum amorem,qui est Spiritus Sanctus*. subdit autem: *Et secundum hoc processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum,in quantum includunt essentialia attributa*. Rectè quidem,nec aduersè. Processiones enim,qua tales, nec exemplar,aut idæa, aut terminus per se requisitus ad essentiales cognitionem,& amorem sunt,sicut filius, & Spiritus S.

CERTAMEN II.

Specialia pro Spiritu Sancto argumenta, & obiectionum solutiones.

1 EIsdem ferè gradibus id ipsum de Spiritu S. notatur Genes. 1.vbi sæpè Deus ea quæ faciebat *vidit quod esset bonum*,quæ expendens Augustt. 11. de Trinit. cap. 4.post med. ait:*Satis significatur Deum nulla necessitate,nulla sua cuiusquam vtilitate,indigentia, sed sola bonitate fecisse,quod factum est:id est, quia æqualiter bonum: & quod Spiritus S.simul,& Patris,& filij bonum est: quod ideo posteà,quam factum est,dicitur,vt res,quæ facta est, congruere bonitati,propter quam facta est,indicetur. Quæ bonitas si Spiritus S.rectè intelligitur,vniuersa nobis Trinitas in suis operibus intimatur*. & 2.de Genes.ad liter. cap.6. *Cum audimus, & vidit Deus, quia bonum est,intelligimus in benignitate Spiritus eius:non quasi cognitum posteà,quam factum est, est placuisse; sed potius in ea bonitate placuisse, vt maneret factum, vbi placebat,vt fieret*. item Iudith.16.vbi de verbo asseritur creatio,æquè etiam de Spiritu Sancto: *Misisti Spiritum tuum,& creata sunt*.sicut & Psalm.....*verbo Domini cœli creati sunt,& spiritu oris eius omnis virtus eorum*.Sed filius requiritur per se ad illam:ergo & Spiritus Sanctus. Cõfirmatur:quia Spiritus S.Dei virtus appellatur æquè, ac filius à Damasc. Epist.de Trisagio pag. 4. & circa med.à Cyril.Alex.3.thesau. cap. 2. post med. & lib. 14. cap. 1.fine ex 15. ad Roman. vbi ait: *Naturalis quædam virtus,& viuens,& vt ita dicam,qualitas Deitatis filij Spiritus Sanctus est*. Ambros.2.de Spiritu S. cap.1.fine,& merito: quia terminus necessarius volitionis diuinæ est, quæ,vel est omnipotentia,vel eius applicatio:atqui virtus per se in vno quoque requiritur ad operandum; ergo,& Spiritus Sanctus ad creandum.

2 Confirmatur secundò:quia ad hanc necessitatem explicandam Spiritus S. Dei manus appellatur à Basil. 5. contra Eunom.sub init. ex Psalm. 18. *Opera manuum eius annuntiat firmamentum*.Psalm.101. *Opera manuum tuarum sunt cœli*.Iob. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me*. cap.33.*Spiritus Domini qui fecit me*. Synod. Nicæna lib. 2.post med. 6.*in libro Iob*,& §. *sufficiunt*, relata ab Ambros.3. de Spiritu S.cap.18.post init. Chrysost. tom. 1. in psalm. 107. ad id:*saluum fac dextera tua*. vbi manum dexteram, & digitum Dei Spiritum S. appellat: sicut Ambros. 3.de Spiritu S. cap. 2. ante med. cap. 3. & 6. Anastas.Synait.1.de decret.fid. dogmatibus post med. Isidor.7.Etymolog.cap.2. circa med. cap. 3. post med. de differentiis spiritualibus cap.1. circa med. Cyril. 1. thesau. cap.1.post init,lib.3.cap.3. post init. cap. 7. post med. lib.13. cap. 2. vers. med. & infra Leo M. serm. 8. de natiuit. circa fin. Lactanc. 4. diuinar. institut. cap. 29.circa med.quos dedimus d.10.q.6. cert.1. n. 3. Deniquè quia Pater omnium sententia per se requiritur ad creaturarum productionem: atqui pro illo nulla est specialis ratio, quæ non sit pro filio, & Spiritu S. atque æquè Patres, & scriptura tres personas operari creaturas docent:ergo filius, & Spiritus S. per se requiruntur ad productionem creaturarum.

3 Oppositiones,quas contra Henricum fecimus nos minimè tangunt: quia filium, & Spiritum S. tanquam omnipotentiæ,aut intellectionis, & volitionis diuinæ virtutem requiri negamus;solumque asserimus requiri, vt intellectionis,& volitionis, quæ vel omnipotentia, vel eius applicatio sunt,terminos necessarios: vnde ad creaturas producendas necessario requirentur mediatè, non secus, atque obiecta cognitionis, & volitionis diuinæ,quæ sunt primaria,& per se illarum, ad creaturas producendas,mediatè requiruntur per se, quatenùs illa sine eis esse nequeunt,neque sine illis creaturæ fieri possunt. Neque vero refert Philosophos filij,& Spiritus S.ignaros demonstrasse creaturarum productionem à Deo media intellectione,& volitione ipsius, ex effectis quippe,& principiis naturali discursu assequibilibus personarum Trinitatem humanus discursus assequi nequit:quare neque connexionem per se intellectionis,& volitionis diuinæ cum personis procedentibus,neque creaturarum per illas productarum mediatam dependentiam ab eis.

4 Oppones secundo: Filius,& Spiritus S. sunt termini per se intellectionis,& volitionis diuinæ, quibus procedunt:& tamen neuter per se ad sui productionem requiritur:ergo neque eodem titulo possunt per se requiri ad creaturarum productionem.Nego consequentiam: quia respectu suæ processionis, ita sunt termini per se,vt ipsa sint posteriores,vel simultanei natura, vel origine:quare nequeunt propriori ad illam constitui: eam autem posterioritatem, vel simultatem naturæ cum productione creaturarum non habent, sed solam connexionem cum principio earum:quare & ex parte illius pro priori naturæ ad earum productionem rectè constituuntur. Hinc languet altera obiectio.Pater solus est principium nobilioris productionis filij, quin hic ex parte principij supponatur:ergo,& erit ignobilioris productionis creaturarum, quin supponatur ex parte principij filius.Negatur enim ex dictis facilè consequentia. Neque enim ideò præcedit, vt impotem Patrem iuuet ad creaturas producendas: est enim Pater omnipotens, sed ratione connexionis essentialis cum cognitione,& volitione,per quas Pater producit,atque non posterioritatem,seu simultatem naturæ cum earum productione:qua negatione potest pro priori ad illam constitui,atque adesse,

5 Quartò obiicis:Filius,& Spiritus S. per se requiruntur ad creaturarum productionem: ergo Pater nihil potest creare,aut producere adextra fine illis:est euidens.Inde infero primo:Ergo absolute Pater non solum omnipotens,sed neque aliquipotens est. Infero secundo:ergo est imperfectè potens cum aliis egeat,vt faciat, & operetur creata. Nego consequentiam vtramque. Pater enim potentiam integram habet, atque omnipotentiam se solo,licèt in se solo non habeat conditiones omnes ad agendum, nisi adsint personæ procedentes: sicut ignis integram calefactiuam potentiam habet,& perfectam,licèt extra ipsum applicatio ad agendum,& calefaciendum requiratur. Secunda consequentia vim maiorem habere videtur contra potentiæ spiratiuæ constitutionem. in Patre enim integra, & adæquata non est,vt diximus d.4.Sed tamen respondit doctè S. Thom.opusc.primo contra errores Græcor.cap. 7.sub init. *Indigens est, cui in se considerato aliquid deest ad suam perfectionem*. nihil autem deest Patri ad suam perfectionem, vt patet:nam esse adæquatum principium spiratiuum non connexum inspirando cum filio perfectio Patris vera non est,sed chymærica:atque item filius Patri,cui in natura identificatur, necessarioque adiunctus terminus est deesse non potest: quare circuminsessiuè intra se alter alterum habet.

QVÆSTIO IV.

De Personarum æqualitate, quoad personalia.

QD plenum huius æqualitatis examen duplex comparatio personarum fieri potest : nempè vel vnius ad vnam, vel vnius ad reliquas, seu ad omnes.

CERTAMEN I.

Quæuis persona cuiuis ex aliis personaliter æqualis est.

1 EX hæreticis Arrianis nemo fuit, qui personaliter æquales Patri filium, & Spiritum S. non negaret; cum essentia etiam, inferiores assererent. Ex nouis verò Arrianis Valentin. Gentil. cum suis, licèt quandoque vtrumque increatum, & æternum fateretur; tamen Patrem cæteris eminentiorem, atque essentiatorem filium, & Spiritum S. essentiatos aiebat apud Bellarm. 1. de Christo cap. 2. ante med. atquè inconsequenter circumscriptæ substantiæ illos esse docebant teste Genebrard. 2. de Trinit. sub init. §. *Ex his igitur.* Neque ab hoc errore, & in consequentia distat Origen. 13. in Ioann. asserens Patrem tanto duabus personis superiorem esse, quanto ipsæ creaturis, vt refertur in collectanea de eius vita initio operum cap. 6. tit. 2. de Spiritu S. Clicthouæus in Damasc. lib. 1. cap. 11. longè ab init. catholice constans in Personarum consubstantialitate; docuit tamen modum existendi producentium, qui plane personalitas est, perfectiorem modo existendi procedentium esse. Id quod pie pluribus explicant, non magno operæ pretio. Suaderi posset ex Ioann. 14. *Pater maior me est.* quod, cum in essentialibus admitti salua fide nequeat, in personalibus videtur necessario admittendum. Secundo : quia teste eodem filio : *Beatius est dare, quam accipere:* sed producentes dant, procedentes verò accipiunt, vt filius ipse de se, ac de Spiritu S. sæpè fatetur : illæ ergo his beatiores, seu perfectiores erunt. Tertio : quia personæ personaliter, quasi specie differunt : at species teste Aristot. 8. met. textu 10. inæquales sunt, sicut numeri : ergo personalitates, atque personæ illis constitutæ inæquales erunt : quare producentes, maiores, perfectioresque procedentibus.

2 Confirmatur ex Aristot. 5. met. cap. 8. textu 18. dicente : *Si enim non similiter patet, quod alterum minus* : atqui personæ non se habent similiter in personalibus, sed potius dissimiliter, & oppositè : ergo se habent inæqualiter in personalibus : ac proinde producens producente personaliter erit perfectior. Vrgeo : quia, si Pater, & filius sunt etiam personaliter æquales duo Patres erunt, non filius, & Pater : argumento nimirùm Aug. 3. de libero arbitrio cap. 9. sub init. sic hæreticum, nescio quem, impugnantis. *Sed, si qualem videt solem, talem dicit lunam esse debuisse, non intelligit nihil aliud se dicere, quam non esset luna, sed soles duo.* Hoc faciunt Patres, qui Patrem caput filij, ac filium Spiritus Sancti appellant. Augustq. 9. veter. testam. Chrysost. 1. Cor. 11. hom. 26. col. 3. Ambros. ex Theodoret. ad locum eumdem Tertullian. 14. contra Prax. S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcor. cap. 1. ratione 1. Alij item, qui Patrem *Principem naturam verticem, in quem confirmatur Trinitas, principem, & præcipuum,* nominant. Nyssen. de different. essent. & hypothas. versus med. Dionys. Roman. apud Athanas. de decret. Nicæn. Synodi post med. ac de communi essent. Patris &c. cap. *quod Spiritus sanctus sedeat.* sic illud psalm. 109. *Sede à dextris meis.* expendit : *Ex eo autem, quod filius sedet ad dexteram intelligere licebit, quod per consequentiam dixerit suo Spiritui sede à sinistris. Vocabulum autem sessionis dignitatis significationem præ se fert.* Naz. orat. 26. de moderat. in disput. &c. col. 3. sic ait : *Spiritum Sanctum hoc solo nomine cedentem Patri, quod ingenitus sit, hoc item filio, quod genitus sit.*

3 Concors tamen, vtpote catholica, Patrum, & Theologorum sententia est quamuis personam, etiam procedentem, cuiusuis personalem perfectionem æquare, ita expressit Athanas. in symbolo : *In hac Trinitate nihil maius aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Anselm. 5. & 7. Monol. *Iucundum est inueri in Patre, & filio, & vtriusque Spiritu, quomodo sint in se inuicem tanta æqualitate, vt nullus alium excedat.* Infra : *Tanta igitur Pater, & filius, & vtriusque Spiritus æqualitate se se complectuntur, & sunt in se inuicem, vt eorum nullus alium excedere, aut sine eo esse probetur.* Naz. orat. 49. col. 3. & longè à med. sic de filio ait : *Esse totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto.* Similia scribit Ricard. Victor. 5. de Trinit. toto cap. 24. Fulgent. 3. ad Monim. cap. 7. med. *Verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est.* Rationem egregiam, & à priori quidem, licet hactenus ab Scholasticis non satis penetratam, dedit ad 5. obiect. Arrianor. sub init. his verbis *Contumelia est Diuinæ naturæ, si Pater filium generans, non potuit esse in filio, quantus permanet in ipso.* quia non erit summè perfecta natura diuina si filium, in quo à Patre ponitur, summè perfectum non constituat, sed Patrem minorem. Consonat. Naz. orat. 37. 5. de Theolog. longè à princip. *Neque filio aliquid deest ad hoc, vt sit Pater (neque enim defectus est filiatio) nec propterea tamen Pater est : alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit ad hoc, vt sit filius : neque enim Pater filius est. Sed hæc defectum procul dubio non arguunt, neque essentia summissionem.* Athanas. orat. contra Gregal. Sabell. sub med. *Vniuersa enim plenitudo & integritas Deitatis est Pater, vt Pater : vniuersa item plenitudo Deitatis est filius, vt filius : quandoquidem amborum vna forma intelligitur, quæ integrè se in vnoquoque, & solidè exhibet.* Ratio ergo his testimoniis assignata est : quia tota perfectio in diuinis naturæ est, ac proinde in naturæ contumeliam, summissionem, seu abiectionem verteretur, si minus perfectionis in aliqua persona inueniatur : cum eadem in omnibus, & singulis natura sit.

4 Hanc ipsam rationem dedit Ambros. 3. de fide ad Gratian. cap. 6. fine *cum omnem plenitudinem diuinitatis filius habeat : quid est, quod Patri æstimant amplius adscribendum ? cum amplius nihil sit plenitudine, & plenitudo perfectio sit.* & lib. 4. cap. 4. versus med. *Cur filius Pater non est? quia Pater filius non est. Cur ille non generauit? quia nec ille generatus est. Nec ideò minus habet filius, quia Pater non est : nec Pater minus habet, quia filius non est. Dixit enim filius : Omnia, quæ habet Pater mea sunt. Adeo generatio in paterna proprietate, non in iure est potestatis,* idest perfectionis, & dignitatis. Damasc. 1. de fide cap. 9. longè à princip. consone aiebat : *ignoscendi proprietatem non significare substantiæ differentiam, neque dignitatis, sed substantiæ modum.* Eandem rationem continent Patres alio aduocati, ac distorti à Ruiz d. 30. sect. 5. & 6. qui æqualitatem personarum in earum circuminsessione constituunt, atque ex circuminsessione probant. Satis enim ostendimus circuminsessionem in vnitate, siue identitate earum in natura sitam omninò esse : quare, qui æqualitatem ex circuminsessione probant, ideo probant, quia naturam diuinam vnicam, & eandem personarum perfectionem esse recognoscunt. Hi verò sunt Hilar. 3. de Trinit. col. 2 ac vers. fin. ex Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* lib. 9. sub init. ex 2. ad Colos. *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Naz. orat. 49. longè à med. ex loco Pauli, August. 6. de Trinit. cap. 10. fine, Anselm. & Fulgent. recitati n. 3. Cyril. Alex. 2. thesau. cap. 1. col. 2. & 3. Rectè igitur S. Thom. q. 9. de potentia aiebat : Personas *non differre secundum quantitatem,* (perfectionis nimirùm, quæ sola, non autem molis, locum habet in diuinis) sed secundum relationem.

5 Denique eandem veritatem & rationem docent Patres,

Patres, qui ex Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Ex Ioann. 16. *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* & cap. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* absolutè, & sine vlla limitatione asserunt, omnia quæ sunt Patris esse filij, & contra. Hi sunt Hilar. sæpè orat. contra Arrian. præsertim col. antepenult. compend. de Spiritu S. & 1. contra Macedon. fine, 3. de Trinit. vers. fin. ex Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus,* Cyrill. 1. thesau. cap. 8. fin. Ambros. 5. de fide ad Gratian. cap. 6. circa fin. Hieron. ad Matth. 24. *Nemo scit nisi solus Pater,* ad Isai 1. *Nisi Dominus exercitum.* Isidor. 1. sententiar. de sum. bon. cap. 15. sub init. Lactanc. 4. diuinar. institut. cap. 29. circa fin. Etenim si aliquid entiatis, & perfectionis in Patris, aut filij personalitate esset : nequiret dici filium omnia habere quæ Pater, & contra, essèque alterum quidquid alter est. Neque refert ab Athanas. Cyrill. Alex. August. sæpè atque à Concil. Florent. in litter. vnionis med. propositionem : *Omnia, vel quidquid habet, aut est Patris, habet, vel est Filij :* limitari *præter esse Patrem.* non enim adhibetur, quia paternitas, vel personalitas Patris, aliquid secundum se sumpta, vel perfectio esse ab eis credatur; Sed ne imperitis ea propositio absolutè à Christo Domino, & Patribus toties prolata confundendi personas occasio foret. Sapienter ergo S. Thom. ad 16. Ioann. lect. 4. post med. aiebat : *Simpliciter concedimus : quidquid habet Pater habet Filius, non tamen quod eodem ordine habeat Filius, quod Pater habet. Nam Filius habet sicut ab alio accipiens; Pater verò sicut alij dans.* Vnde 1. p. q. 42. art. 4. ad 2. *Verè ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius.*

6 Iam eorum, quæ pro errore opposito dedimus, facilis se dat solutio. Illud de Patris maioritate Ioann. 14. si strictè accipiatur respectu Filij, qua hominis solummodo Patres intelligunt : qua verò Dei delaxa maioritate interpretantur, vt idem sit, quod originaria Patris præcedentia. Hilar. 9. de Trinit. *Maior est Pater : quia natiuitas filij Patrem constituit maiorem.* quam maioritatem non significare perfectionem maiorem, quæ obsit æqualitati his expressit, August. 3. contra Maximin. cap. 18. post med. *Originis enim quæstio est, quis de quo sit, æqualitatis autem qualis, aut qualis sit.* quibus ad illas Patrum locutiones satisfactum est. Illæ enim omnes solùm significant originariam Patris præcedentiam, siue prioritatem. Secundum, de maiori perfectione donandi quam recipiendi, verum habet cùm donator, donum, & recipiens, non eiusdem prorsus essentiæ, & entitatis sunt. Si enim entitatem habent eandem, ac proinde bonitatem, & perfectionem, inæquales esse non possunt. Scio sensibilius ex hypothesi respondisse Naz. orat. 35. 3. de Theolog. sub med. *Si magnum Patris est à nullo profectum esse : non minus illustre filio est, ex tali Patre prodiisse. Nam præterquam, quod gloriæ illius, qui causam à nullo habet, particeps est : quia ex eo est : accedit etiam generationis decus, res tanta, tamque veneranda.* Repetit orat. 36. 4. de Theolog. vers med. & carmine arcan. 2. vers. med. *Quod si non vllam causam Deitatis habere. Ad decus est magnum genitori; non minus Hercle illustre est nato tali fluxisse Parente.* Ostendit enim adhùc ex hypothesi, quod personalia perfectiones sint adesse filio, quibus personalia Patris compensentur. Nec deessent in Spiritu S. qui Trinitatis vltimus terminus, & complementum personaliter est, atque vtramque personam respiciens. Sed adhùc in data à se solidiori solutione de identitate essentiæ, & perfectionis persistit, quod *filius paternæ gloriæ particeps sit:* nimirùm essentiæ eiusdem participatione.

7 Ex eodem principio æqua facilitate respondetur ad tertiam, eiusque confirmationem : quæ verum habent in iis solùm, quæ cùm diuersam habeant naturam, & entitatem, specie, seu quasi specie diuersa sunt; secus in iis, quæ eandem habent naturam, & entitatem, vt in diuinis personis contingit. Neque enim personalitas perfectio, sicuti, neque entitas, vlla est in illis præter essentialem : neque ex triplici personalitate perfectio aliqua conflatur, vt mox dicam, sapienterque obseruauit Damasc. 1. de fide cap. 10. scribens. *Non ex tribus imperfectis vnam compositam naturam perfectam intelligamus; sed in tribus perfectis personis vnam simplicem substantiam super perfectam, & ante perfectā.* nempè ad origines, & personalitates. Rationem verò, cur ex personis perfectis profectio tertia non confletur, reddit : quia imperfectæ esse deberent, quod in eas cadere nequit; quia inquit : *Imperfecta vocamus, quæ speciem non saluant in se eius rei, quæ ex ipsis absoluitur.* id est componitur, vt ligna & lapides non soluant in se speciem, siue essentiam domus, quam componunt : aut persona quæuis saluat in se essentiam Dei, qui tota Trinitas est, ac proinde ab omni imperfectione necessaria ad componendum abest, summéque perfecta quæuis persona est, neque altera, vel cunctis ignobilior : vnde constat, quare æqualis, imò eiusdem perfectionis quæuis persona sit cum alia, cum qua non est personalitatis eiusdem. Constat etiam, quam præter rem Augustini argumentum huic aduocetur. Denique ex sessione illa filij ad dexteram Patris, & Spiritus Sancti ad sinistram probat ibi Athanas. Spiritus sancti cum Patre, & Filio identitatem in natura, atque in perfectione æqualitatem, solúmque ea metaphora designat vltimo Spiritum S. loco procedere. In sensu verò aduersariorum eandem propositionem referens ex Origene Hieronymus in cap. 4. Zachariæ, licèt professo illius nomine, blasphemiam appellat.

CERTAMEN II.

Persona quæuis trium perfectionem etiam personaliter exæquat.

1 TRadirur conclusio ab August. 6. de Trinit. cap. 7. *Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus. Deus est. Alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, & filius,* cap. 8. init. *Cùm ita que tantus est solus Pater vel solus filius, vel solus Spiritus S. nullomodo triplex dicendus est.* Deus Repetit. serm. 38. de temp. med. adiungens : *Quantus est simul Pater, & filius & Spiritus S. nullomodo triplex dicendus est Deus, quia non est quo crescat illa perfectio summæ trinitatis,* vbi nota solo argumento, & multiplicatione deitatis posse intelligi ab Augustino augeri, ac multiplicari ex personarum multiplicatione in Trinitate perfectionem, seu magnitudinem, & lib. 6. de Trinit. cap. 10. fine : *In summa Trinitate tantum est vna persona, quantum tres simul sunt. Nec plus aliquid sunt, quam vna : & infinita sunt, sita, & singula sunt in singulis, omnia in singulis, & singula in omnibus, & vnum omnia.* lib. 15. cap. 3. med. *Intelligentibus clarum est in substantia veritatis non solùm Patrem filio non esse maiorem : sed nec ambos simul aliquid maius esse quam solum Spiritum S. aut quoslibet duos maiores esse quam vnum : aut omnes simul tres maius aliquid esse quam singulos.* ac 3. contra Maximin. cap. 10. post med. *Pater Deus est, & filius Deus est, & Spiritus S. Deus est, & simul hi tres vnus Deus. Nec huius Trinitatis tertia pars est vnus : nec maior pars duo, quam vnus est ibi : nec maius aliquid sunt omnes quam singuli : quia spiritualis hæc, non corporalis est magnitudo.*

2 Ioann. Pap. 2. epist. 2. ad Senator. seu lib. de duabus natur. contra Eutichian. hanc Augustini doctrinam à suis prædecessoribus, toraque Romana Ecclesia seruari testatur; atque vt catholicam tradit, recitatque duo postrema Augustini testimonia. In quorum vltimo non capias rationem, vt sonat : nam in spiritualibus locum habet absolutè maius quid esse tres, vel duos, Angelos v.g. quam vnum solum, aic August. non currere in spiritualibus vniuersim argumentum maioritatis ex pluralitate ad vnitates, sicut in corporeis : quia in spiritualibus est pluralitas in vnitate essentiæ, entitatis, & bonitatis : nempè in personis diuinis. Adde fulgent. 3. ad Maximin. cap. 7. circa fin. in hæc scribentem : *Tantum est ipsum verbum quantum mens ipsa,* Pater *cum verbo* simul Anselm. cap. 23. Prosolog. circa med. sic de Spiritu S. patrem alloquitur : *Nec est aliud à te, & ab illo* (filio) *quod dispar;*

dispar, sæ inæquale non est tibi, & illi. simul nempe: subdit post pauca: *Quod autem singulis quisque hoc est tota Trinitas simul Pater, & Filius, & Spiritus S.* Consonat Guitmund. Archiepisc. Auersan. tom. 6. alias 4. Bibliot. confess. de Trinit. Athanas. orat. contra Gregal. Sabel. sub med. *Vnus igitur, & vnus, & dualitas non diuisa est natura: cum sit indeficiens, ad suam integritatem. Vniuersa enim plenitudo, & integritas deitatis est Pater, vt Pater: vniuersa item plenitudo Deitatis est Filius, vt Filius.* & in Symbolo: *In hac Trinitate, nihil maius aut minus.* esset autem vtrumque, si Trinitas maius singulis personis esset, Concil. Toletan. 6. profess. fid. sub init. *Trinitas, nec minor in singulis, quam in omnibus: nec maior in omnibus, quam in singulis personis manet.* Toletan. 11. profes. fid. circa med. *Nec minor atur in singulis, nec augetur in tribus.*

3 Ratio à priori sola, & solida est: quia in sola essentia, non autem in personalitatibus est entitas, & bonitas, seu perfectio formaliter loquendo, vt vidimus: essentia autem vna, & eadem est in singulis, atque in tribus personis simul: ergo, & eadem bonitas, & perfectio in vna, atque in tribus erit. Hanc rationem expressit. August. duobus primis locis, vt notaui: tertio vero loco rationem eandem reddit; hempè circuminsessionem, & esse vnum in natura: & clarius eam sæpè assignauit serm. 38. de temp. circa med. vbi eandem posuit sententiam sic probans: *quia eadem natura est in vnaquaque persona simul,* (legerem: solùm) *dicta, quæ est in tribus simul nominatis.* 7. de Trinit. cap. 9. pod med. *Non maior essentia est Pater, & Filius, & Spiritus S. simul, quam solus Pater, aut solus Filius; sed tres simul illæ substantiæ, siue personæ (si ita dicendæ sunt) æquales sunt singulis.* idem ergo reputat non esse in essentia maiorem Trinitatem, quam personas singulas, atque esse quamlibet absolutè tribus æqualem: quia nimirum bonitatem personarum in sola essentia recognoscit, ac lib. 8. cap. 1. idem probat; *quia nihil amplius veritatis in tribus sit, quam in vna.* atque epist. 66. ad Maximin. ante med. *Trinitas vnius est, eiusdemque naturæ, atque substantiæ: non minor in singulis, quam in omnibus, nec maior in omnibus, quam in singulis: sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio quanta in Patre simul, & in Filio: & tanta in solo Spiritu S. quanta simul in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Neque enim Pater, vt haberet filium de se ipso, minuit se ipsum: sed ita genuit de se alterum se, vt toties maneret in se, & esset in Filio tantus, quantus, & solus. Similiter, & Spiritus S. integer de integro, non præcedit vnde procedit: sed tantus cum illo, quantus ex illo, nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo.* vbi ex identitate essentiæ duo probat, nec aliquid personis producentibus deperdi, cum de se producunt: neque aliarum accessu resultare maiorem, siue perfectiorem singulis personis Trinitatem.

4 Neque aliam suæ huius conclusionis rationem dedit Concil. Tolet. 11. post data verba dicens: *quia nec minus aliquid habet, cum vnaquæque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum totæ tres personæ vnus Deus enuntiantur.* Eandem conclusionis rationem adhibuit Anselm. immediatè ad verba ex ipso recitata: *quoniam singulus quisque non est aliud, quam summè simplex vnitas, & summè vna simplicitas.* Eadem ratio tangitur ab Athanas. primo loco recitato; sed reliquis omnibus illustrius eam dedit nobis Bernard. epist. 190. ad Innocent. col. 2. circa med. his verbis: *Totum est Pater, quod Pater, & Filius & Spiritus Sanctus. Totum Filius quod ipse, & Pater, & Spiritus Sanctus. Totum Spiritus Sanctus quod ipse, & Pater, & Filius: & totum vnum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum summumque bonum, quod sunt, inter se particulariter diuidunt, quoniam nec participialiter id sunt.* id est: non sunt Dei, siue Deitatis partes. Porrò his constat quanta dogmatum Theologicorum de Trinitate fructu conclusiones illas de immultiplicatione entitatis, seu entis, bonitatis, ac veritatis d. illa 6. docuerimus. Etenim, nisi eis admissis, dogma hoc sustineri minimè potest; vt ex argumento statim efformando, ac solutionum aliarum confutationibus facilè apparebit.

CERTAMEN III.

Insuperabilis in aliorum principiis difficultas.

1 COntra catholicam hanc conclusionem occurrit iam pridem difficultas, quæ in eorum opinione, qui pro personarum numero entitatem, & consequenter bonitatem, seu perfectionem in diuinis multiplicant, numquam mitescet. Etenim vnum in quouis genere minus est, quam tria: ergo vna personalis perfectio, & bonitas v.g Patris minor est tribus perfectionibus personalibus Patris, Filij, & Spiritus Sancti simul sumptis. Vnde arguitur secundò: cuiuis personæ seorsim sumptæ duarum perfectionem non adesse, ac proinde nullam seorsim summè esse, siue infinitè perfectam per negationem termini extrinseci, vt diuinæ solius perfectionis infinitatem decet; concedunt nonnulli tres personas simul magis perfectas esse singulis seorsim, extensiuè; sicut numerus aureorum æqualium extensiuè perfectior est quouis aureo seorsim. Contra: Ergo, sicut singulus aureus nequit absolutè dici tam magnus, tantúsque esse, quantus numerus aureorum: Neque singula persona tanta, tamque magna absolutè dici potest, quam omnes simul contra Patres. Contrà Secundò: quia Patres loquuntur de æqualitate vnius personæ ad tres simul, quæ est extensiua, sicut vnitatis ad numerum: & in ea afferunt æqualitatem vnius personæ ad omnes absolutè: negantque inæqualitatem. Pende cursim, vt te pudeat tam apertè à Patrum dogmatibus deficere, singula Patrum testimonia tibi è regione aduersantia. Athanas. *Vniuersam plenitudinem Trinitatis totius.* quamuis personam seorsim appellat, an non vniuersæ nomine etiam extensiuam plenitudinem claudit? vtrumque Concil. Toletan. *maiorem in omnibus, minorémque in singulis Trinitatem*, negat absolutè: quare, & extensiuè. Bernardus rationem tibi expressè opposita pro catholica sententia adhibet, quod scilicet singulæ personæ non sint partes summi boni, quod Trinitas est.

2 Sed plura pendenda contra hanc solutionem occurrunt in testimoniis, quæ ex August. duobus primis locis tripliciratem Deiratis, & perfectionis expressè negat. In tertio verò *omnia esse*, ait, *in singulis, & singula in omnibus*, id est singulus in magnitndine omnia, vel omnes simul est: *tantumque esse vnam personam quantum tres simul*, applica aureis. Quinto testimonio duo statuit. *Patrem Filio non esse maiorem.* Ecce tuam æqualitatem intensiuam. Deinde. *Nec vtrumque altero maius aliquid esse*, ecce extensiuam; quam negas. Sextò negat vnam personam esse *tertiam Trinitatis partem.* (vt diuisas, sicut personalitates: perfectiones neget) *ac maiorem partem duos esse, quam vnum*: quæ in maioritate extensiua plurium ad vnum prorsus falsa. Calcula tuos aureos, & compara ad vnum: additque ideo ita esse: *quia spiritualis non corporea est illa magnitudo.* ac si dicat: locum in corporeis æqualitas plurium ad vnum non habet: quomodo ergo tu eo sensu locutum ait, qui adeò facilè in scutis, argenteis, assibus, ac teruntiis, à quouis verus deprehendatur? an quia profundiorem Augustini mentem à nobis explicatam non penetrasti? Hæc ex testimoniis Augustini datis cert. 2. n. 1. quæ ex ipso dedimus n. 3. Pende illud ex epist. 66. ad Maximin. vbi *Trinitatem, non maiorem in omnibus, nec minorem in singulis: sed tantam in singulis, quantam in omnibus*, affirmat. tantum verò, & quantum extensiuam in suo genere rerum magnitudinem, sicut, & maioritas, & minoritas, imo primariò significat: quare tantum esse vnum: quam aliud, maximè, quam plura, neque inter ea esse maioritatem, & minoritatem, nisi æqualitas extensiua sit, asseri absolutè non potest.

3 Solutio secunda, & communis est: perfectiones personales

personales in essentia tanquam in radice virtualiter, & eminenter contineri: cum autem essentia eadem singulis atque omnibus adsit trium personarum perfectionem quæuis exæquat. Contrà: quia continentia hæc solùm est virtualis non formalis absolutè, & simpliciter: ergo formaliter, & absolutè, ac simpliciter loquendo plus est perfectionis personalis in tribus personis, quam in vnaquaque contra Patres. Confirmatur: quia quæuis essentia simul cum passionbus, quas virtualiter continet, maiorem absolutè entitatem, ac bonitatem saltem extensiuè constituunt, quam sit essentia nuda: ergo licet ratione essentiæ, quam continet quæuis persona cõtineat virtualiter perfectiones trium, aſt absolutè adiuncta duabus aliis personis, ac simul cum illis, extensiuè saltem maiorem perfectionem constituet. Eandem solutionem aliis verbis alij adhibent. Nempè esse in quauis persona perfectiones trium secundum absolutũ essentiæ, licet non secundum relatiuum. Sed quid inde: si in relatiuo, ac personali cuiusque personæ peculiarem perfectionem, diuersamque ab alia personæ alius recognoscis? Nec valet, si addas: etiam secundum absolutas personalitates aliarum personarum perfectiones esse in quauis, licèt non secundum relatiuum: Paternitatis, filiationis v.g in personalitate Spiritus Sancti: quia, si in relatiuo perfectionem personalem admittis perstat argumentum. Secundò: vt in Spiritu S. v.g. sit realiter formalis perfectio absoluta personalitatis Patris, debet esse in illo personalitas absoluta Patris realiter formaliter, quod salua fide fieri nequit; nisi recurras ad continentiam virtualem vnius personalitatis, siue personæ in alia ratione essentiæ, quam impugnatam deserebas.

4 Tertia solutio nostri Ruiz d. 30. sect. 3. & 6. quam obuuiis excepit vlnis Alarcon d. 3. de Trinit. cap. 5. à n. 3. ait: ratione circuminsessionis, in quauis personalitate duas alias personalitates, atque earum perfectiones esse: sicque illam omnium simul, personalem etiam, perfectionem æquare. Id quod multis Patrum testimoniis confirmat Ruiz. ex quibus iam nos præcipua recitauimus. Sed certè bene Patres ex circuminsessione probant vnius personæ ad omnes simul æqualitatem, quatenus circuminsessio vnitas, & identitas trium personarum in natura est, quæ tota Trinitatis perfectio est, quin alia personalis adsit. Sin autem alia admittatur pro singulis personis æqualitas vnius seorsim personæ in perfectione cum omnibus nullatenus probatur. Etenim circuminsessio est mutua insessio trium personarum: ergo continet tres omnes personas coniunctim inuicem sibi insidentes: ergo persona, vt circuminsessiuè habens in se alias est vna persona simul cum aliis sumpta. Ergo, licet, vt sic omnium perfectionem æquet, nihil aliud erit quàm tres personas simul æquare perfectionem trium personarum simul. Ecce nimis claram, & crassam veritatem. Atqui Patres docent quamuis personam seorsim, & singulam æquare trium simul perfectionem, vt ab eis neque personaliter excedatur in perfectione: idque hac quæstione examinatur: an verum, & qua demum ratione sit? ergo, nec quæstioni tua hac doctrina respondes, nec Patrum conclusionem defendis. Pende insuper Patrum testimonia omnia, sed præcipuè illud August. aientis vnam personam non *esse tertiam Trinitatis partem, nec duos maiorem.* atque illud Bernardi: *Neque enim summum bonum quod sunt inter se particulariter diuidunt.* idest per particulas singulas singulorum: *quoniam nec participialiter possident*, id est, per partem quisque suam: conuincitur autem per partes possideri perfectionem à personis, si vnaquæque nisi accessu aliarum per circuminsessionem Trinitatis totius perfectionem non exæquat: atque, vt contendit argumentum ex tribus imperfectis Trinitas perfecta constabitur contra Damasc. recitatum cert. 1. n. 7. Illud etiam August. *quod Spiritus S. non augeat personas, à quibus procedit adhærendo.* circuminsessiuè nimirum: solutioni contradicit.

5 Denique cum circuminsessio sit solùm localis

in existentia mutua Personarum per immensum vbi in sententia nostri Ruiz à nobis impugnata: quomodo per localem mutuam coniunctionem vna persona erit totum, quod tres simul? imò neque in vera opinione de circuminsessione verificari ea Patrum propositio potest. Solùm enim est identitas earum personarum in natura, ratione cuius inuicem sibi inexistunt personæ: quare eas solùm relinquit idem in natura, non autem facit personas, earumvè personalitates idem esse inter se: id enim esset Personas confundere, ac Trinitatem abolere. Tum sic: circuminsessio non facit vnam personam, seu personalitatem realiter esse tres personas, seu personalitates: ergo, nec facit perfectionem personalem vnius, adhuc realiter esse tres perfectiones personales. Est euidens. Cum perfectio peculiaris personalis, quæ ab his admittitur, adæquatè identificetur cum sua personalitate, atque ad conuertentiam dicatur cum illa Infero inde: ergo posita circuminsessione perfectio personalis cuiusque personæ non est in genere perfectionis totum, quod tres perfectiones simul, nimirum contra dogma Patrum. Mitto aliorum solutionem: qui ideo æquant vnam personam omnibus simul, quia illa sola potest terminare suppositaliter creatas omnes naturas possibiles, æquè, ac tres. Sed hanc diuinam adæquatè supposita re poterit sicut tres? Secundò an singulas, & omnes creatas ter, sicut suppositari possunt à tribus. Denique specialia plura, ita in vna inueniuntur, vt aliis desint.

QVÆSTIO V.

De relatione æqualitatis Personarum.

RES est non magni momenti, puréque scholastica: continétque difficultatem communem cum similitudinis relatione. Idcirco personarum similitudo statuenda primùm est, vt de vtriusque relationis essentia coniunctim agatur.

CERTAMEN I.

Catholica Personarum similitudo, atque de vtraque relatione sententia.

1 HÆreticorum Arrianorum plures similitudinem inter personas posuerunt; quidam verò negarunt: & quidem perfidè ex eodem errore vtrique. Nam Semiarriani similes Patri Filium, & Spiritum S. aiebant, vt non eiusdem naturæ cum Patre illos faterentur; sed solùm naturæ alterius, atque substantiæ, quæ adumbratione excellenti Patris naturæ assimiletur, eamque referat, quantum fieri potest apprimè. Huius erroris meminit Naz. orat. 29. de fide longè ab init. *Sublato homoüsion (id est vnius substantiæ vocabulo) similiudinem genitoris posuerunt: cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam, & homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est*, vocéque affini *omæusion*, ad incautos Catholicos decipiendos errorem ita explicabant, vt tegerent. Huius vocis architectus Patribus reclamantibus fuit Macedonius, vel Marathonius apud Ruiz d. citanda. Errorem, & vocem, Amplexi sunt Basil. & Georgius Semiarriani, quorum error confutatur à Patribus omnibus, qui personarum consubstantialitatem propugnant: & in specie à Nazianz. ibi Basil. epist. 82. circa fin. Anastas. Synait. 1. de rectis fidei dogmatibus med. Epiphan. hæresi 73. circa fin. contra Basil. & Georg.

2 Hi verò, atque Semiarriani alij tandem, eam etiam, similitudinem negarunt: asserentes personarum

similitudinem in sola voluntatum vnione,& concordia admittendam esse teste Hilar. de Synod.ad Can. 6. & 7. Orientalium,Cyrill.1.Thesau.cap. 9. toto lib. 2.& 3.à cap.1.ad 4.lib,4.cap.1.& 2.lib.6.cap.2.lib. 10. cap.1. lib.12. cap.13. lib.13. cap. 1. 2. & 3.sic etiam errarunt Arriani plures,qui æqualitatem , & similitudinem omnem personarum nulla vocum larua tecti negabant in quibus præcipui numerantur Eunom.ab Ambros. 1. de fide ad Gratian.cap.4.init.& à Basil. fæpè ,libris contra ipsum præcipuè lib.1.vers.fin. & Ætius apud Theodoret. 4.hæreticar. fabular. col. 4. Arguunt apud Basil. proximè.*Nec æqualis , nec similis Filius : quoniam nec quantus est,& absque qualitate est.*quibus si id solùm contenderent quod argumentum probat non esset multum cum ipsis decertandum. Sed consubstantialitatem eis inimicam non tangit : quare ad hæreticorum intentum nugæ non argumentum est.Rectè enim occurrit ibi Basil. *Quibuscumque forma,vel figura adiacet,iis identitate qualitatis inest formarum similitudo; quæ verò sine forma , & sine figura natura est,reliquum est,vt similitudinem in substantia ipsa* (nimirùm ad modum qualitatis significatæ,vt nominibus attributalibus)*& æqualitatem,non in mensura magnitudinis,sed identitate virtutis,*perfectionis *possideat.*Concorsaiebat Augustin.*In his,quæ non mole magna sunt , hoc est maius esse,quod est melius esse.*

3 Catholica verò sententia similitudinem inter diuinas personas admittit ob naturæ,& communium attributorum identitatem. Filij cum Patre tam certa est est similitudo,quam certo filius ille,hic verò Pater sunt. Athanas.q.9.de natura Dei:*Filius dicitur,quasi similis:qualis enim Pater talis Filius.*Beda ad Ioan.14.*Qui videt me,videt & Patrem meum* ait:*filium esse similem Patri,& talem qualis Pater,* Hilar.3. de Trinit. *Eandem in vtroque similitudinem & Deitatis plenitudinem confitemur.* Athanas. iterùm orat. contra Arrian.longè à med. Filij,qua verbum,& imago,similitudinem cum Patre docuit,formamque , non naturam,Deitatem, ratione cuius ipsi inest similitudo , nominauit:quia similitudo absolutè dicta non à natura vel essentia qua tali,sed concepta saltem vt forma conuenit rebus,vt doctè S.Tho.1.p. q.42.art.1. At verò Spiritus S.ad Filium similitudo traditur ab Athanas. Basil. Cyrill. Epiphan.Damasceno,à quibus Spiritus S. forma, & imago Filij nuncupatur,vt vidimus d.de propriis, & appropriatis Personarum ; & de omnibus ad inuicem illis symboli Athanasij verbis. *Qualis Pater,talis Filius, talis Spiritus Sanctus.*Quorum verò qualitas vna,similia esse textus est Arist. 5. met.cap.15.t.20.in diuinis autem , licèt physica qualitas locum in re non habeat,metaphysica verò,& in modo significandi locum habet,vt nuper dicebamus.Claudat rem hanc Hilar. 3. de Trinit. longè à med.*Qui dixit*(ait)*faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:inuicem esse sui similes in eo quod,similitudinem nostram dicat,ostendit.*

4 Cauendus tamen error eorum, qui apud Hilar. 2. de Synod. vers.med.ad can.8. Oriental.similitudinem , in personalibus etiam,inter personas ponebant,vt Trinitatem deponerent,atque abolerent, personasque confunderent in vnam ; qui error non solùm Trinitatem abolet,sed & similitudinem , quæ eiusdem ad se ipsum esse non potest.Est ergo personarum similitudo mutua in communibus, & essentialibus solummodo admittenda;in personalibus verò catholicè negenda;seis enim tantummodo personæ diuersæ sunt,primò:quare,& eis in aliquo illorum conuenientia,& vnitas realis omninò repugnat,ac proinde similitudo:quin potiùs in personalibus dissimilitudo inter personas admittenda catholicis est;secus verò inæqualitas:quia in eis etiam æquales personæ sunt,vt vidimus à Catholicis omnibus admitti; licèt ægrè ab Scholasticis aliis defendatur,vt q.4.cert. 3. ostendebamus:in nostris autem principiis facilis,vel nullo potiùs negotio defenditur ; relegatis à personalitatibus formaliter sumptis prædicatis entitatis , bonitatis , & perfectionis,ab essentiæ bonitate, & perfectione formaliter diuersis quo circa si de æqualitate, vel inæqualitate personarum,quoad personalia formaliter,non autè realiter sumpta,quæstio quarta procederet in rei veritate,principiisque nostris de subiecto non supponente foret;respondendumque esset:inter eas, neque æqualitatem neque inæqualitatem reperiri:non secus, ac si de duobus Angelis quæreres;an quantitate molis æquales inter se, an inæquales sint ;

5 Positis ergo Catholicis personarum æqualitate,ac similitudine, de earum relationum essentia scholasticè disputandum est.Aureol.in 1.d.31.art.3.propos.3. negat relationes adhuc rationis esse,sed solam realem vnitatem,& identitatem earum,in natura,& communibus. Secunda verò sententia docet esse relationes reales in ea personarum vnitate fundatas,ac superadditas; identificari verò cum relationibus originis Personarum. ita Scot.quodlib.6.art.2.& in 1.d.31.q.1.S.Bonauent.ibi , & q.2.OKam.q.vnica sub init. Gabr. ibidem art. 3. quibus tacitè subscribit Carthus.d.19.q.1.Tertia demum sententia eorum est,qui licèt relationes alias reales superadditas in diuinis,atque in creatis etiam,admittant,has tamè æqualitatis,& similitudinis in diuinis formaliter sumptas puræ rationis esse defendunt,ex his sunt Magist.in 1.d.31.c.*hoc idem*,Alex.1.p.q.47.m.1.ad2.& 3.Albert.ibidem ad 1.Clariùs S.Thom.1.p.q.42.art.1.ad 4.(vbi Caietan. Canar.Molin.d.2.reliquique interpretes) & in 1.d. 31.q.1.art.1.Capreol.concl.3.Ægid.& Argent.art.2. & 3.Ricard.art.1.q.2.Durandus ibi,& d.28.q.3.ad 2.Marsil. 1.q.33.art.2.concl.2. & notat.8. Henric. 1. p. art. 35. q. 8. corp.vers.med.& 2.p.art.55.q.6. corp. art. 62. q. 4. quodlibet.5.q.2.longè à med. Valent.1.p.q. 16. punct 1.Vasq.d.166.cap.2.Soar.4. de Trinit. cap. 15. n. 8. Ruiz d.103.sect.4.Luis de Torres d. 29. Mærat. d. 56. Gasp. Hurtado d. 9. diff. 1. Harum opinionum fundamenta, quatenus nostræ aduersentur sententiæ,dabo cùm soluã.

6 Illud hîc obiter notarim contra Ruiz : in eius , & reliquorum sententia qui in singulis personalitatibus, atque personis peculiarem bonitatem,& perfectionem admittunt,ægrè negari realem relationem similitudinis, & æqualitatis quoad personalia inter personas diuinas. Quod enim ait Ruiz esse partialem , & secundum quid bonitatem , & perfectionem essentialem , æqualitatem verò,& similitudinem non esse vnius ad alterum secundum sui partem,sed secundum se totum , leuis est solutio;quia partis compositi vnius ad partem compositi alterius datur absolutè æqualitas,vel inæqualitas , similitudóque,vel dissimilitudo : v.g. manus meæ ad manum Petri.De animabus item nostris disputatur absolutè an in perfectione æquales sint? an inæquales ? quibusdam absolutè asserentibus æquales esse,quibusdam verò inæquales esse propugnantibus:quin vllus quæstionem reiecerit eo,quod de partialibus entibus , & bonitatibus sit sed quid plura ? inter totum & partem realis inæqualitas absolutè inuenitur , vt in vulgari & naturali illo principio continetur expressè:*Omne totum est maius sua parte.*

CERTAMEN II.

Nostra sententia variis conclusionibus datur.

EX dictis Cert.1.n.4. constat inter personas relationem æqualitatis,vel inæqualitatis quoad personalia præcisè nullatenus esse, esse verò dissimilitudinem quoad personalia:quare de æqualitatis,& similitudinis relationibus personarum,quoad essentialia , quid sint statuendum solùm est. Dico primò. Relationes æqualitatis,& similitudinis personarum reales ac positiuæ sunt,ita Doctores secundæ sententiæ contra reliquos citatos. Probatur facilè : quia independenter à consideratione, figmentisque omnibus rationis verè,& realiter inuenitur in diuinis personis tantam esse in quauis perfectionem, quanta sit in alia quauis , vel in omnibus : atqui hoc ipsum est reperiri in eis relationes æqualitatis,& similitudinis:ergo independenter à considera

consideratione,& figmentis rationis inuenitur re ipsa in diuinis personis æqualitatis,& similitudinis,relatio.Negabis minorem:quia ad similitudinis, & æqualitatis relationes requiritur,vt habeatur tanta quantitas, & qualitas in vtroque extremo commensuratiuè, ad quod diuersa debet esse vtriusque extremi quantitas, seu qualitas,non verò tanta solùm identicè,vt est quantitas perfectionis,& qualitas essentiæ, seu attributi ad modum qualitatis significata ; idem enim se ipso mensurabile non est.

2 Hanc doctrinam multis suadere contendit Ruiz , quæ Certamine 3.diluemus.Illud vrgentius,quod ex S. Thom.producit. Nempe : relatione reali similitudinis , & æqualitatis prius, & primariò referri quantitatem , vel qualitatem,quàm eorum subiecta.Quod fieri nequit nisi,& diuersa qualitas,vel quantitas in extremis sit , atque alteri commensurabilis. Sed contra : quia Arist. 5. Met. cap.15.circa med.textu 20. ait:*Similia*,nempè sunt, *quorum qualitas vna,æqualia autem quorum quantitas vna*:ergo vnitas qualitatis,& quantitatis est conditio necessaria,imò verò ratio formalis essentialis similitudinis:ergo realitas huius conditionis (quæ solùm inuenitur in diuinis,in quibus tantum vna, & eadem realiter quantitas,& qualitas explicata est)nequit obesse realitati relationis,& similitudinis:ac proinde neque requiri quantitatis,aut qualitatis diuersitas in extremis.Inde eneruis maner ratio quæ S. Thomæ tribuitur. Dicitur enim ab Aristot.qualitatem similium &c.debere esse vnam, non similem alteram alteri : quare neque relatione similitudinis relatam alteri alteram.

3 Impugnatur insuper:quia qualitas ad qualitatem, & quantitas ad quantitatem conuenientiam essentialem,& identitatem metaphysicæ vnitatis habet,non autem similitudinis. Non secus,ac homo cum homine secundum essentialia, non similis , sed idem vniuoce , ac vnum metaphysicè est.Impugnatur secundò : quia , in creatis saltem relationes Paternitatis, & filiationis non petunt actionem,& passionem siue physicam,siue grammaticalem realiter diuersas , pro extremorum diuersitate,sed realiter inueniuntur posita identitate, & vnitate reali necessaria actionis,& passionis grammaticalis , & probabilissima,actionis,& passionis physicæ:ergo posita etiam identitate tanta quantitatis , & qualitatis in extremis,reales æqualitatis , & similitudinis relationes reperientur.Patet consequentia : quia non minus sunt rationes fundandi,seu essentiales conditiones relationes Paternitatis,& filiationis,siue producentis,& producti, actio,& passio,quam qualitas,seu quantitas tanta æqualitatis,& similitudinis.

4 Dico secundò.Relationes æqualitatis, & similitudinis in diuinis,si sumantur,vt quid ab extremis, & ratione fundandi diuersum , atque fundamento inhærens rationis entia sunt.Est Doctorum tertiæ sententiæ conclusio;non autem erit eorum ratio hactenus impugnata. Sed quia vniuersim relationes omnes reales , siue creatas,siue increatas realiter à fundamento,& termino diuersas,superadditasque non admitto,vt in Logica, atque hîc.d.7.q.3.fusiùs ostendi, satisque innuit Aristot. proximè præmittens immediatè:*Eadem sunt quorum substantia vna similia* &c. vbi eodem modo de relatione identitatis, ac de aliis duabus loquitur. Relatio autem identitatis in substantia, siue essentia in rebus creatis , de quibus Arist.rationis est;si , vt aliquid distinctum ab extremis cogitetur. Secundò : vnitas qualitatis , & quantitatis extremorum similium , vel æqualium requisita rationis est : quare , si strictè vnitas requiratur , non nisi rationis erit.Vnde relatio,quæ illam supponit , erit etiam rationis:Sed, licet vnitas requiratur ; quare , nec excludatur vnitas stricta,non tamen formalis stricta requiritur;sed fundamentalis,quæ in creatis etiam realis est,sufficiet.licèt autem personæ inuicem,eodémque gradu æquales sint;similes verò non æquo gradu sunt omnes. Nam Filius, & Pater maiorem inter se , quam cum Spiritu S.similitudinem habent ratione fœcunditatis ad intra,vt supra docuimus.

R.P.Christoph.de Ortega,de Deo vno & Trino.

CERTAMEN III.

Obiectionibus solutis sententia illustratur,ac de affinibus relationibus statuitur.

1 OBiectiones omnes è duobus principiis ortum trahunt. Altero falso de distinctione relationis realis a fundamento,& termino:altero verò non certo, licet probabiliori de identitate non solùm reali , sed & formali relationis originis actiuæ cum personalitate producentis,passiuæ cum procedentis personalitate.Inde enim arguit Ruiz sect.4.n. 12. Plures aliæ relationes reales,quam originis, atque ab his formaliter distinctæ sunt in diuinis:ergo, & sunt formaliter plures personalitates. Friget consequentia : tum quia , nec relationes quidem originis sunt personalitates formaliter,ne dum relationes istæ similitudinis, & æqualitatis. Ipse enim Ruiz sect.5.vers.*Ad confirmationem primam* , in hoc distinguit has relationes à relationibus originis,quod personas non constituant in esse personali,ac proprio cuiusuis:pluréque aliæ formalitates in propriis personarum numerantur , quæ formaliter personalitates non sunt.Instat sect.4.n.13.si hæ relationes reales sint,plures multò quatuor relationibus realibus admittendas in diuinis esse contra Patres,& Theologos. Verùm ex dictis constat à Patribus pluribus has etiam relationes admitti quas nullus ex Patribus alicubi negauit. Constat etiam admitti ab Scholasticis datis pro sententia secunda.

2 Obiicies tertiò. Relationes diuinæ, qua diuinæ , infinitæ esse debent formaliter in genere relationis adhuc per denegationem termini extrinseci:ergo Paternitas debet Patrem ad Filium referre omnimodo,quo ad illum referibilis est:& similiter filiatio Filium ad Patrem refert;& Spiritum S. referet spiratio passiua ad vtrumque,& actiua vtrumque ad Spiritum S.omnimodo,quo possunt referri:ergo non est in illis alia relatio realis possibilis. Distinguo primam antecedentis partem : debent esse infinitæ per negationem termini extrinseci in genere relationis *generico,& vniuersalissimo* , nego antecedens:*in genere infimo , in quo sunt* , concedo antecedens. Sic attributum scientiæ infinitum est in genere qualitatis metaphysicæ, seu attributi,non generalissimo,& vniuersalissimo,sed in adæquato,& totali , ac infimo,in quo est;alioqui non daret locum volitionis attributo;aut alteri cuiuis attributo ex admissis à Patribus,& Theologis.Inde distinguo consequens primum : in genere infimo paternitatis concedo:in vniuersalissimo relationis nego,& sic de aliis.

3 Hæc doctrina in aduersantium opinione ad hominem euincitur.Ipsi enim aiunt Patrem,& Filium absolutè paternitate,& filiatione constitui:ac insuper relatione spiratoris ad Spiritum Sanctum referri : ergo relatio diuina,qua diuina , non est infinita per negationem termini extrinseci in genere vniuersalissimo relationis:vt impediat omnem aliam relationem,qua eadem persona referatur vlterius:cum relationes ipsæ sint vlterius alia relatione referibiles.Dices relationem Spiratoris referre Patrem, & filium,ad alium terminum,nempè Spiritum S. ad quem illos non referebant paternitas,& filiatio. Benè:ergo diuersitas termini satis est ad multiplicandas relationes in diuinis:ergo,primò, absolutè non remouet relatio diuina omnem aliam relationem,quia in se omnem modum referendi iure infinitatis diuinæ debeat continere.Secundò:ergo,& diuersitas fundamenti sufficiet ad relationes multiplicandas ; cum non minus essentialiter requiratur fundamentum, quam terminus:at similitudinis , & æqualitatis fundamentum sunt identitas,& vnitas attributorum,& bonitatis,seu perfectionis:quæ diuersa à processionibus sút , in quibus fundantur relationes originis:ergo inducent in diuinis relationes reales diuersas formaliter ab illis.

4 Obiicies quartò, & contra conclusionem secundam: ergo nullum est prædicamentum relationis distinctum à prædicamentis rerum, quæ sunt fundamentum, & terminus relationis cuiusque. Nego consequentiam, vt in logica negabam. Satis enim est, si in prædicatione, vt quid diuersum à reliquis aliorum prædicamentorum concipiatur, vt diuersum prædicamentum constituat. Etenim prædicamenta pro diuersitate modi prædicandi generica diuiduntur. Sed instas: ergo poterit aliud prædicamentum pro denominationum extrinsecarum prædicatione constitui. v.g. dexteri. Nego consequentiam: quia denominationes extrinsecæ plures ad habere vel formaliter, vel reductiuè expectant, quia affines saltem modo prædicandi illius prædicamenti sunt: vel ad prædicamentum qualitatis, ad quod formæ extrinsecè denominantes expectant, quæ alia intrinsecè denominant, atque in allato exemplo *dexteri*, ad vbi: dicit enim localem positionem dexteritatis, & denominati. Neque tandem vlla inuenietur denominatio extrinseca, quæ in modo significandi ac prædicandi toto genere à prædicatione aliorum prædicamentorum differat, sicut differt relatio.

5 Denique relationum aliarum consortij, concordiæ, & societatis diuinarum Personarum meminerunt Petres. Nyssen. de Trinit. ad Eustachium ante, & post med. de different. essent. & hypostas. init. ac vers. & circa med. ac med. Basil. 15. de fide med. lib. vnico de Spiritu S. cap. 18. circa med. cap. 16. fin. cap. 19. longè ab init. Cyril. Alex. 3. Dialogor. de Trinit. vers. med. & vers. finem, quas relationes ratione identitatis personarum in natura recognoscunt hi Patres: possunt autem, & ratione identitatis in affectu, & voluntate æque commodè recognosci. De earum verò realitate eodem modo philosophandum est, ac de relationibus similitudinis, & æqualitatis. Neque aliter philosophandum erit de relatione identitatis personarum in natura, siue circuminsessione, & distinctione personarum ab inuicem.

QVÆSTIO VI.

An Personæ producentes reali prioritate procedentibus præcedant?

PRAEALIS prioritas vnius respectu alterius potest esse loco, duratione, natura origine. Et quidem præcedentiam, siue prioritatem localem, vel durationis inter Personas diuinas Hæretici solùm assignant, qui Filio, & Spiritui S. consubstantialitatem Patris negant. De naturæ verò prioritate stricta, quæ rigidæ causalitatis est, quæstio iam apud Catholicos esse nequit: cùm inter Personas diuinas nomen causæ, & causalitatis locum habere non possit, vt diximus d. 2. q. 3. Solùm igitur inquirimus de reali originis prioritate, quæ naturæ, & causalitatis prioritatem imitatur.

CERTAMEN I.

Doctorum sententiæ.

1 S. Tho. 1. p. q. 36. art. 1. ad 4. q. 42. art. 3. in 1. d. 9. q. 2. art. 1. ad 12. q. 1. art. 1. & à 2. ad 1. in 3. d. 15. q. 4. art. 12. ad 2. De potent. q. 10. art. 1. ad 10. art. 1. corp. & contra error. Græcor. cap 2. sub init. & cap 3. constanter realem prioritatem originis, & naturæ in diuinis negat personis; licet realem originis ordinem inter eas admittat. Sequuntur Capreol. in 1. d. 29. q. vnic. art. 1. conclus. 4. Caiet. & Dominicani reliqui ad q. 42. art. 3. vbi & noster Molina. Valent. q. 17. pun. 4. Becan. cap. 8. diff. 3. ex antiquis Albert. 1. p. q. 41. m. 2. art. 1. ad 5. art. 3. fin. Alex. q. 46. m. 2. fin. S. Bonau. in 1. d. 20. art. 2. q. 1. & 2. Ricardus q. 3. & 4. Dur. d. 9. q. 2. d. 12. q. 1. n. 15. d. 20. q. 2. ad 1. Carthusian. d. 12. q. 2. d. 20. q. 2. Henric. 2. p. art. 52. q. 3. corp. Horum sententia sustineri eo sensu posset, vt prioritatem originis, seu naturæ rigide acceptæ negaret. Cùm autem realem ordinem originis, seu naturæ inter personas diuinas admittat, & eum sensum excludit, & pugnantia inuoluit. Ordo quippè est habitudo plurium ad vnum primum in eo genere, in quo est: atqui per vos in personis est ordo realis ad vnum primum secundum originem: ergo, & secundum originem est habitudo realis ad vnum primum: ergo, & est realis prioritas, quæ simul negatur secundum originem.

2 Nec refert quod ait Dur. in d. 20. q. 2. circa fin. quod prioritas dicat excessum, posterioritas defectum. Tum, quia, si id obest prioritati, & ordini etiam, qui sine prioritate, & posterioritate esse non potest, obesse debet, contra ipsum. Tum, quia falsum est assumptum, vt contra Eunomium obseruat Basilius recitandus Cert. 2. n. 2. Sed certè nimia Patrum litteralis obseruantia Doctores hos in eam repugnantiam egit. Cùm enim ordinem realem originis in diuinis personis admitti à Patribus recitandis cert. 2. viderent: atque insuper ab eisdem prioritatem mordicus omnem, & posterioritatem in personis negari, eo etiam sensu negari putabant, quo asseri ordinem videbant. Verùm, cùm prioritatem & posterioritatem negabant, de prioritate, & posterioritate durationis contra hæreticos loquebantur: tanto verò in eiusmodi errorem odio, & conatu, vt omnem prioritatem, & posterioritatem realem inter personas diuinas videantur execrare; si sonus solùm vocum, non autem mens, & occasio eas proferendi attendatur.

3 Ne tamen deinceps Patrum littera contra eorum mentem alios decipiat, vt ipsis contradictio imponatur, atque ab aliis ipsorum authoritate incurratur; Patres, qui præfatæ hæresis odio tanto stomacho contra prioritatem, & posterioritatem realem loquuntur breuiter recenseo. Patres Concilij Nicæni lib. 2. post med. Athanas. in symbol. & q. 13. de natura Dei de communi essentia Patris, & filij, & Spiritus S. circa med. §. *de Patre*, & sequenti, Naz. orat. 37. de Spiritu Sancto 5. de Theolog. circa med. Basil. lib. de Spiritu S. ante med. Alexand. Alex. apud Epiphan. hæres. 69. pag. 2. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 149. Ambros. 4. de fide ad Gratian. cap. 6. lib. 5. cap. 4. & 3. de Spiritu S. cap. 18. circa med. & 7. exhaner. cap. 7. med. & post med. pendens id ad Roman. 11. *Quis prior dedit illi.* Augustin. 3. contra Maximin. cap. 14. Chrysost. tom. 3. serm. de consubstantiali. Trinit. tom. 5. orat. 2. de Trinit. & serpente post med. ad id 1. Corinth. 12. *Diuisiones gratiarum sunt idem autem Spiritus.* orat. 9. de illo Abraham: *Pone manum tuam.* longè ab init. hom. 1. in Ioann. med. Theodoret. epitome diuinor. decretor. lib. 5. cap. 3. de Spiritu S. ptope med.

4 Secunda sententia realem originis prioritatem, & posterioritatem in Personis diuinis admittit. Ita videtur meliora sapiens docuisse Henricus 2. p. art. 54. corp. post med. licèt naturę prioritatem, largè nimirum, eam appellet. Scotus insuper in 1. d. 12. q. 2. d. 28. q. 3. § *Ad quæstionem* quodlibet. 4. art. 1. §. *Contra ista arguitur.* OKam in 1. d. 9. q. 3. vbi Gabr. & Maior q. vnic. Marsil. in 1. d. 1. pag. 85. col. 2. Gregor. d. 9. q. 1. art. 2. concl. 2. ac demum Caiet. supra vbi Canar. Vasq. d. 167. cap. 2. Soar. 4. de Trinit. cap. 15. Luis Torres d. 29. dub. 3. Mærat. d. 56. Zunniga d. 17. dub. 4. Ruiz d. 105. sect. 4. & 5. Gaspar Hurtad. d. 9. dif. 2. §. *Scotus verò*, atque omnes communiter Recentiores, quibus, & nos subscribimus non inuiti.

CERTA

CERTAMEN II.

Nostra affirmatiua, & communis sententia authoritate probatur.

1 PRo communi sententia affirmatiua stat Naz. orat. 29. de dogmate, & constitut. Episcopor. longè à med. *Ita concurrit essentia Patris cum vnigeniti generatione, qui ex ipsa est; non post ipsum; aut saltem sola principij cogitatione.* id est ratione, vel formalitate. orat. 35. 3. de Theolog. maioritatis nomine prioritatem originis, quæ sola catholicè potest, intelligens, eam Patri sic concedit: *Maior causæ natura.* Chrysost. hom. 1. de fide in Christo ex variis in Ioann. sub init. *Priùs quàm nasceretur vnigenitus in suo genitore generandus manebat, non habens distantiam temporis.* & tom. 5. hom. 9. de illo Abraham: *Pone manum tuam.* longè ab init. *Patrem nomino, non qui ordine temporis primus sit, sed ratione, & sententia. Siquidem ille vnigeniti filij genitor existit. Siquidem radix ille est sancti illius fructus. Siquidem filius æternum lumen æterni luminis soboles.* Origen. hom. 2. in varios ad Ioann. 1. *In principio erat verbum. Præcedit Pater verbum, non natura,* id est nascendi tempore, *sed causa,* id est, quia principium, *Audi ipsum filium dicentem Pater maior me est. Substantia eius causa est meæ substantiæ. Pater præcedit filium causaliter.* Pseudo. Augustinus tom. 9. lib. de triplici habitaculo cap. 6. circa med. *Tunc iustis manifestum erit quomodo Pater non præcesserit Filium tempore, sed origine, nec Spiritum Sanctum.*

2 Ricard. Victor. 5 de Trinit. cap. 7. med. de filij prioritate præ Spiritu S. *Quod non potest esse prius temporaliter potest esse prius causaliter, & eo ipso naturaliter.* lib. 6. cap. 7. sub init. *Prius, & posterius hoc loco intelligi volumus non temporum successione, sed ordine naturæ.* Ephren. Syrus. tom. 3. opusc. de sui reprehens. vers. med. *Quod post filium Spiritum S. dicimus, id non temporis, sed personæ est significatiuum.* Cui originis competit posterioritas. Quod argumentum continetur in Patribus, qui Patrem primum, Filium secundum, tertium Spiritum S. nominant. August. q. 122. veter. & noui Testamenti fine: *vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso & c. vt primus gradus sit, ex quo sunt omnia, secundus, per quem omnia, tertius, in quo omnia.* Dixerat autem paulo ante gradus causalitatis esse, seu originis his verbis: *nihil planè differt in substantia, quia verus filius est; differt autem in causalitatis gradu.* Tertul. contr. Prax. à cap. 2. præsertim 8. & 9. & 10. vocat *Filium secundum, & secundum gradum; Spiritum tertium, & tertium gradum.* Basil. de Spiritu S. cap. 18. fine: *Nobis sufficit præscriptus ordo.* Matth. 28. *In nomine Patris & c.*) *quem, qui confundit, non minus peccat, quam istorum impietas.* Aerij, & sequacium, qui ex eo ordine filium, & Spiritum S. inferiores Patre colligebant.

3 Lib. item 3. contra Eunom. init. *Quemadmodum filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo est; & dignitate, quoniam origo, & causa essendi Pater ipsi est;* (non autem inferioris, & posterioris naturæ) *ita videlicet Spiritus S. & si dignitate, & ordine secundus à Filio est.* non tamen inferioris, & posterioris naturæ: ac infra: *Spiritus S. dignitate quidem ordinis tertius.* Athanas. epist. ad Serapion apud S. Thom. opusc. 1. cap. 2. init. *Spiritus S. tertius est à Patre; à Filio tamen est secundus.* Chrysost. tom. 5. orat. de Trinit. & serpente sub med. *Conuenientia illa, & quasi harmonia gloriæ, quæ Deo tribuenda est, non disturbatur, cum prænominibus sanctæ Trinitatis, vel primum, vel secundum, vel tertium ponitur. Namque primum, secundum, & tertium nullam naturæ diuinæ differentiam, sed Theologicæ doctrinæ institutionem quandam, quæ omni confusione vacet, declarat.* Processiones, scilicet, quibus personarum distinctio, ac inconfusio necessaria conuincitur. Epiphan. hæres. 62. vers. med. *Spiritus S. tertius nomen datura.* repetit hæresi 74. vers. fin. col. 1. Anchor. *lumenque tertium,* vocat apud S. Thom. opusc. 7. contra error. Græcor. *Tertiam verò personam,* omnes August. 12. de Trinit. cap. 5. 10. de ciuit. Dei. cap. 24. med. serm. 38. de temp. col. 3. Phæb. ad. lib. contra Arrian. circa fin Ambros. in symbol. Apostolor. cap. 1. fine concludat Hilar. 12. de Trinit. col. 4. ante fin. sic rationem reddens *Confessione communi secunda quidem ab authore nativitas est, quia ex Deo est.* col. penult. ad Patrem: *Dum ex te est secundus à te est.*

4 Id ipsum significant Patres qui filium *medium* Spiritum S. *extremum & terminum,* vocant. Athanas. suprà apud S. Thom. cap. 32. titulo 31. sub init. *Sicut, qui caput catenæ trahit, medium, & aliam extremitatem trahit; sic & qui in Spiritum blasphemat, scilicet tertiam personam, & in Filium medium, & in Patrem extremum, id est principium, caput catenæ tertij, discreti, inconfusi ordinis diuini blasphemat.* & ante med. *Spiritum Paracletum dicimus terminum beati, & super essentialis diuini ordinis, qui ineffabiliter terminet proprium finem in se sua hypostasi: sicut, & Pater tenet ipsius ordinis caput, & fontale principium imprincipiatus ipse: medium autem extremitatum ordinis veraciter tenet Filius.* Ac inferiùs: *Pater à se principio trini ordinis diuini per medium Filium genitum terminat ipsius ordinis finem naturali proprietate in tertio spirato Spiritu.* Cyrill. lib. thesaur. apud S. Thom. proximè: *Deus ergo ex Deo Filio Spiritus Sanctus est. Si enim Spiritus S. non esset à Filio non magis Spiritus Sanctus esset terminus Trinitatis, quam Filius. Nec ordo Trinitatis assimilaretur catenæ, sed magis triangulo.* Agnoscit ergo Cyrillus naturalem vi processionis, non arbitrariam prioritatem, & posterioritatem personarum. Nyssen. lib. ad Ablab. *Quod non tres Dij.* circa fin. Patrem appellat *primum,* Filium *medium,* quid ni Spiritum S. extremum? Damascen. epist. de Trisag. med. *Filium medium esse,* ait, *Patris, & Spiritus Sancti.*

CERTAMEN III.

Theologica Patrum ratio nostris solùm principiis apta datur.

1 RAtio theologica à Patribus tacta perspicua est, quia ex Aristot. 5. met. cap. 11. textu 16. Priora, *quædam secundum motum,* id est productionem. *quod enim propinquius primo mouenti,* producenti, *est, prius est, vt puer viro.* in post prædicam. c. de modis prioris, inter priora numerat. *Alterum enim, quod est causa, quouis modo, vt alterum sit, prius natura, non incongruè dici potest*: & 1. poster. cap. 5. textu 14. agens de prioritate primorum principiorum scientiæ ait primum esse, *per quod aliquid conuenit alteri, sed sibi non conuenit per alterum, sed ratione sui.* at Pater, & primum producens est, cui ratione productionis propinquior Filius est, Spiritus verò remotior, qui ab vtroque producitur. Secundò: Pater est realis causa largè accepta Filij, & vterque Spiritus Sancti: vnde tertiò filio conuenit realiter esse ratione Patris, & Spiritui S. ratione vtriusque, non è contra: ergo triplici modo prioritatis Pater est prior re ipsa Filio, & vterque Spiritu Sancto. Confirmatur: quia è suis personalibus proprietatibus Pater re ipsa & est producens improductum, ante quę non supponitur aliud producens: Filius verò productum, quod supponit Patrem, & producens suppositũ ad Spiritum S. productũm supponens Patrem; & filium, & improducens, post quem non est alius ab ipso productus (vt Patres citati, & alij reliqui, imò dogmata catholica docent) ergo re ipsa Pater sua proprietate personali in linea producentis, & producti primus est: Filius secundus, & medius: Spiritus Sanctus tertius, & extremus.

2 Sed occurrit hîc ardua difficultas in aliorum principiis ex S. Thoma. Nulla persona potest esse realiter prior origine, quam alia ratione essentiæ, siue secundùm essentiam solam, neque secundùm relationem solam, quia relationes sunt simul natura, & cognitione; neque secundùm se totam, quia, vt tota persona sit debet esse relatio in tua, & communi opinione, personas constituens: atqui vbi primùm est relatio producentis v.g. paternitas, simul natura est filiatio iuxta Aristot. &

communem,ac veram Phylosophiam: imò, si Paternitatis relatio non sit aggregatum ex fundamento, & termino, prius natura debet esse terminus: ergo tota persona producens nequit esse prior natura,quam producta. Respondet Ruiz d.103.sect.5.n.6.atque Hurtado supra §.vlt. Patrem esse priorem origine filio, non, vt Pater formaliter est sub expresso conceptu relationis, sed vt prima persona, & principium sæcundum est: sub quo conceptu non est simul natura cum filio; licet sub alio relationis simul natura cum illo sit. Sed contrà:quia prioritas originis,cùm realis sit, independenter ab intellectus consideratione,& præcisione esse debet:ac proinde inter res,vt re ipsa sunt,debet reperiri. Respondet Ruiz n.11.intellectus nostri præcisionem non facere prioritatem,cùm nihil reale adhibere rebus obiectis possit; sed ea prioritate reperta distinguere, ac designare,sub qua formalitate Personæ Patris conueniat: quemadmodum distinguit, ac designat formalitatem, sub qua Pater generet, nempè sub ratione intellectiui:item sub qua spiret: nempè sub ratione volitiui:quin id obsit realitati generationis,& spirationis.

3 Contrà tamen primò:quia aliud est assignare,sub qua ratione formali realis productio conueniat producenti,aliud negare eandem realiter indiuisibilem entitatem realiter secundùm aliquid sui operari,præcederevè effectum, cùm tamen realiter secundùm aliam operetur realiter,atque præcedat. Primum est verum, atque allato exemplo probatum. Solùm enim dicitur tori entitari productionem realiter conuenire ratione illius prædicati, ita, vt, si ab ea aufferretur prædicatum eiusmodi, nec produceret tota,nec præcederet; non autem secundùm alia prædicata, vel totam entitatem realiter non producere: quod est casus solutionis,& implicatorius. Asseritur quippe ad realem præcedentiam producentis,& producti præcisio, & diuisio formalitatum re ipsa indiuisibilium. Vnde infertur rem eandem operari ac præcedere realiter, ac rursus non operari,neque præcedere realiter. Contrà secundò: implicat rem realiter adæquatè, & conuertibiliter, esse realiter priorem, & posteriorem se ipsa in eodem ordine præcipuè:sed si Paternitas idem sit realiter cum prima personalitate res adæquatè, & conuertibiliter eadem realiter erit prior,& posterior realiter se ipsa per te:cùm prima personalitas sit realiter prior filio,& paternitas non sit prior,sed simul, vel posterior natura filio:ergo, vel neganda est identitas paternitatis cum prima persona,vel personalitate,vel prioritas realis originis primæ personæ ad filium, & sic de vtroque ad Spiritum Sanctum.

4 Distuli hùc vsque ex d.9.q.1.à cert. 2. rigidam argumenti proximi efformationem:quia opportunior hæc illud vrgendi sedes, vbi magis constitutionis personarum per relatiua absurditas ex hac difficultate se prodit.cui tamen in nostris principiis eiusmodi constitutionem per relatiua negantibus, imò neque realem identitatem adæquatam relationis singulæ cum persona singula admittentibus,vt constat ex d.7.q.3.cert.1.n.3.& cert.2.n.4.respondetur facilè: ad principium producens in diuinis relationem,neque formaliter, neque realiter expectandam esse:quare,licet Paternitas sit realiter posterior origine,in qua fundatur,Persona prima, quæ illam, ne realiter quidem claudit, re ipsa potest prior esse origine,& filio, atque vterque realiter prior Spiritu Sancto.etsi,vt probabilius esse docuimus. d.3.q.3.,processiones actiuæ,quæ illam fundant, nec sine termino esse possunt, cum producentibus identificentur. Hæ namque terminum è conceptu suo ponunt, non supponunt sicut relationes:quare, & pro priori originis è conceptu suo ad terminum esse possunt; secus relationes,quæ è conceptu suo sunt termino, quem supponunt posteriores.

CERTAMEN IV.

Alterius obiectionis occasione prioritas inter origines ipsas examinatur.

1 OPpones: prioritas hæc personarum producentium respectu procedentium ratione originis est:ergo prius debet ipsis originibus conuenire: atqui his non conuenit realiter:ergo neque personis Subsumptum probo. Quia generatio tam actiua, quam passiua prior spiratione actiua non est realiter:quare neque spiratione passiua in probabili opinione de identitate reali actiuæ,& passiuæ processionis. Etenim actiua spiratio simul natura est,atque generatio passiua, seu natiuitas filij:cùm nihil aliud sit, quam volitio essentialis Patris,& filij:quare re ipsa vbi primùm filius, eiúsque natiuitas passiua est,spiratio saltem actiua realiter est, & esse intelligitur, quin aliud naturæ instans expectetur. Respondetur primò concesso primo antecedenti negando consequens. Ecce ratione applicationis lignum calefit ab igne:& tamen prius applicatio non calefit aut ignitur.Item ratione albedinis paries dealbatur; nec tamen prius albedo dealbatur.Item actio,& passio creata physica communi opinione identificantur:quare nequit actiua prior realiter,quam passiua esse.Id quod iuxta doctrinam probabilem eorum, qui processiones actiuas,& passiuas identificant inter se, & cum persona etiam producta certissimum,in processione quauis actiua respectu suæ passiuæ haberi debet.In casu verò obiectionis de comparatione vnius processionis respectu alterius aliter adhùc in nostra,& omnium opinione phylosophandum est.

2 Dico ergo in omni opinione generatio est spiratione realiter prior, siue actiuè,siue passiuè,quouis modo altera ad alteram comparetur. Est conclusio Vasquez.1.p.d.168. cap.Valent.d.2.q.1.pun.1.luis Tortes d.29.Zunniga d.42.& partim Ruiz vbi proximè Hurtado d.9.dif.3.§.*Secundò existimamus.* Quia Ruiz.sect.2.concl.2.si comparetur generatio passiua cum actiua spiratione, imò & actiua generatio cum actiua spiratione putat nullam inter eas esse realem prioritatem, cui in comparatione vltima consensit Hurtado §. *his ergo positis.* In opinione probabili nuper memorata pater:quia generatio tam actiua, quam passiua identificatur cum Patre, qui prior est filio:atqui spiratio siue actiuè, siue passiuè sumpta,identificatur realiter cum vtroque; at vnitas prior est realiter,quam duæ personæ.In opinione verò,quæ actiuam,& passiuam processionem identificat cum persona procedente, actiua, & passiua generatio identificatur cum filio,spiratio verò vtraque cum Spiritu Sancto,qui est filio posterior:quare,& spiratio quouis modo sumpta posterior generatione quouis modo sumpta necessariò erit.

3 In antiquiori vero probabiliori,& nostra opinione, quæ processiones actiuas cum producentibus,passiuas verò cum procedentibus personis adnat, siue identificat. De actiua generatione, quæ identificatur cum Patre respectu spirationis passiuæ, quæ identificatur cum Patre respectu spirationis passiuæ, quæ identificatur cum Spiritu S.est prioritas realis manifesta.Item de generatione passiua, quæ identificatur cum Spiritu S.De generatione passiua respectu spirationis actiuæ constat:quia passiua generatio identificatur cum persona filij;at spiratio actiua cum vtroque Patre, & filio: vnitas autem personæ prior natura re ipsa est, quam duæ personæ in genere causæ intrinsecæ materialis,licet altera ex eis ad vnitatem personæ filij supponatur origine prior;ac proinde realis posterioritas originis expectanda vlterius ad spirationem actiuam non fit,quod nostrum Ruiz decepit.De generatione verò actiua respectu spirationis actiuæ res est faciliorrùm,quia generatio actiua identificatur cum persona Patris, spiratio verò

verò actiua cum hac, & persona filij simul,ac proinde stat prioritas vnitatis ad qualitatem: deinde prioritas alia originis cum expecterur persona Filij Patre, & generatione filij origine posterior,vt fit spiratio.

4 Obiiciunt autem Hurtado,& Ruiz.vbi proximè. Spiratio actiua identificata cum Patre in hac opinione antiquiori, quam sequimur; atqui cum Patre etiam identificatur generatio actiua: ergò vtraquè identificatur in Patre,& cum Patre: ergò neutra est prior, quàm altera realiter. Patet: quia idem nequit esse prior realiter seipso. Antecedens est falsum, imò errori proximum. Etenim; si spiratio adæquatè sumpta identificetur cum Patre, Pater solus spiraret, neque filius ad spirandum expectandus esset. Quod si id ineptè concederetur, duo essent spiratores, ex quibus plura contra catholicam doctrinam de processione Spiritus sancti deducerentur. Insuper his omissis, datóque antecedenti, non tenet consequentia: nam licet provt est in Patre, spiratio actiua posterior realiter origine non foret generatione actiua, tamen provt spiratio esset in Filio, qui Patre posterior est, posterior etiam generatione actiua foret.

QVÆSTIO VII.

An diuinæ personæ, se & alia aliis, seu per alias diligant, vel intelligant.

NTER Catholicos quæstio esse non potest, an personæ verbo, & Spiritu sancto intelligant, & ament, tanquam formis,aut principiis, vel conditionibus se ex parte principij tenentibus ad amandum, vel tanquam modis intelligendi, vel amandi, cum formaliter amor, aut intellectio formalis non sint, neque intellectionis, aut amoris formalis modi, atque alter sit principio intelligendi expedito, alter verò principio expedito amandi origine posterior prorsus:alioqui filius Patris, qui essentia sua sapiens est, aliquomodo saltem principium foret vt Augustus.post multam hac de re disputationem 6.de Trinit.cap.1.& 2.& lib.7.cap.1.fin.cap.3.ac lib.15. cap.6.sub init. cap. 7. circa med. arguebat. Ad quæ loca se refert, 1. Retractat. cap. 26. post init. vbi retractat propositionem suam quæstionis 23. ex lib.octaginta trium: *Quod eam ipse,* Pater, *genuerit, qua sapiens dicitur sapientiam.* Solùm ergò est quæstio an aliquo alio proprio sensu vtraque vel altera saltem propositio præfixa vera esse possit, atque de similium aliarum propositionum varietate.

CERTAMEN I.

Varij opinandi modi reiiciuntur.

1 DVr. in 1.d.6. q.2.d.10.q.2.d.27.qu.3. disput.31. qu.1.ait nullo proprio sensu eas propositiones veras esse; sed solùm accommodatione quadam, qua essentialis amor, & cognitio, siue sapientia eis tribuitur:etenim mentri amorem, vel sapientiam, productam adhuc,esse proprietate sua conuenit; cùm nec filius per intellectum, nec Spiritus per voluntatem procedat. Tria continet Durandi sententia. Primùm eodem modo de vtraque propositione, quoad improprietatem Philosophandum esse: quod à veritate non omninò deuiat, neque à Gotfredi Pictauiensis sententia, qui vtramque impropriam censuit, id quod absolutè falsum esse ostendemus cert. 2. nec Spiritui sancto proprietate conuenire esse amorem productum, nec Filio sapientiam genitam esse, quod est contra Patres, ac temerarium, vt vidimus disput. 10.quæst. 2. & deinceps. Tertium ex quo pendet secundum, nec Filium procedere per intellectum, nec Spiritum sanctum per voluntatem, æquè est temerarium, vt constat ex disputatione 3.

2 Simon Tornaciensis apud Scotum in 1.d.32.q.2. docet, *Pater, & filius diligunt Spiritu.* S. veram solùm esse in sensu proprio,quatenus Spiritus sanctus,amoris quo producitur,atque vterque diligit, signum est: quocirca eodem modo de altera propositione iudicaturus videtur: Cùm filius sapientiæ essentialis, qua producitur, æquè signum sit. Inde impugnaretur à pluribus, qui diuersimodè de veritate propositionis: *Pater sapit sapientia genita* censent, ac de illa admissa à Tornacensi, ex qua & hæc eodem sensu admittenda est, videtur contra August. sed tamen exiguo fructu, vt cert.2. patebit. Sic ergò Tornacensem impugno quia sensit contra sensum Patrum in ea propositione, vt infra constabit. Secundò quia eodem modo agentia omnia suis quæque effectibus agere dicenda forent: cùm effectus omnis actionis suæ signum sit, æquè, atque Spiritus sanctus processionis suæ per amorem; imò fumus proprius signum igne factionis est, quam terminus notionalis suæ processionis.

3 Communis sententia in hac propositione: *Pater, & Filius diligunt Spiritu sancto*: proprium,& verum sensum admittit; secus in illa: *Pater, seu persona sapiunt sapientia genita.* Ita sanctus Thomas 1. part. quæst. 83. artic. 2. cum interpretibus qu. 9. de potent. artic. 9. ad 13. in 1. disp. 31. qu. 1. tribus articulis, Richardus, & Bonauent. artic. 1. duabus quæstionibus, Scot. q. 2. §. *Ad aliam quæstionem,* Argent.Capreol. & Maior:quæst. vnic art.1. Præposit. Altisiodor. & Ægyd. approbati à Carthus.q.1. OKam. quæst. 2. vbi Gabr. articul.2. concluſ. 1. & Aureol. articul. 1. Marsil. 1. qu. 14. artic. 4. concl. 2. quæst. 33.art. 1. Henric. 2. part. art. 61. q.u. 7. Vasq. 1. part. disp. 151. Soar. lib. 9. cap. 10. & lib. 11. cap. 3. Luiz Torres d. 21. dub. 1. Ruiz. disp. 74. à sect. 2. Martin. Perez disp. 17. sect. 4. Aloiz. tract. 4. disp. 9. sect. 7. Gasp. Hurtad. disp. 8. dif. 7. & Theologi reliqui; quod adeò expressum in Aug. censuit Magister, vt disparitate ignorata, eius tamen authoritate fractus primam propositionem in sensu proprio admiserit; secundam reiecerit citata disput. 32. cap. 2. verum in vnius propositionis ab alia discrimine nulli ferè ex tot Doctoribus cum alio conuenit. Plura vetustiorum referunt, refelluntque Albert. 1. p.quæst. 50. m. 1. qu. 3. incidenti Alex.q.67.m.3.art.3.quæ recencere operosum atque inutile foret.

4 Eis igitur omissis sanctus Thomas loco citato 1. p. Caiet. & sui aiunt: agentia extra secus denominari denominatione actionis à termino, qui ab ea determinatè respicitur, sicut arbor florere dicitur floribus, quos, dum florescit producit: atque loquens verbis, quę producit, dum loquitur, loqui dicitur. Cùm ergò Spiritus sanctus determinatè respiciatur volitione notionali, qua producitur, denominat meritò Patrem, & Filium qui ipsius principium sunt, diligentes ipso. Contra quia hac regula artifex ædificio ædificare,Paterque generare Filio,& vterque spirare Spiritu sancto, sensu proprio diceretur, siquidem hi omnes termini sunt, quos sua quaque actione determinatè respicit. Secundò: hac etiam ratione Pater saperet sapientia genita, quod hi refugiunt. Tertiò notionali amore, qua notionali, siue secundum, quod additur essentiali, & quo Spiritum sanctum determinatè respicit, non amatur,in diuinis, sed solùm essentiali, qua tali, vt patet, cum illud additum sit duplex personalitas Patris, & Filij; quare denominatio amandi non est actionis, qua determinatè respicientis Spiritum sanctum, quare, & doctrina regulæ falsa est,neque ad discrimen assignandum sufficiens; ac tandem ad intentum incongrua.

5 Vt primam impugnationem vitarent Vasq. Torres, & Hurtado limitant regulam ad actiones, quæ significantur non solùm cum ordine ad terminum, sed cum

cum ordine etiam ad obiectum, vel subiectum. Tunc enim, aiunt, denotatur agens medio termino actionis subiectum, vel obiectum respicere. Sic ignis calore producto dicitur lignum calefacere, & dealbans albedine dealbare, verbisque res obiectas loqui dicitur, arborque floribus florere. Contra primò: quia ea denominatio agentis à termino non est denominatio actionis, vt respicientis obiectum, vel subiectum, sed alia similis proueniens à termino producto per actionem sic per se ipsum formaliter denominante, quæ proinde mediatè iure optimo tribuitur agenti, vt patet in exemplis allatis. Florere enim proprius floridum esse, siue habere flores significat, quam producere, vt patet in virga Aaron cuius meminit Paulus ad Hebr. 9. quæ floruisse dicitur floribus quas habuit; insuper albedo inducta parietem dealbat formaliter, calor calefacit, ac verba formaliter sensus manifestant, ac proinde media sunt, quibus loquimur: ast Spiritus sanctus se ipso neminem denominat formaliter amantem, aut est medio quo personæ diuinæ ament: ergò nullius est momenti limitatio adhibita ad regulæ illius veritatem, vel etiam ad intentum euincendum.

6 Contra secundò: quia intelligere etiam significat actionem cum ordine ad obiecta: ergò etiam Pater dicetur, *se & alia intelligere verbo, siue sapientia genita* contra eosdem. Admittunt consequentiam Vasq. & Hurtado suprà, atque hìc rursus disp. 8 §. 2. licet negent *Patrem esse intelligentem, siue sapientem sapientia genita, vel verbo, aut esse amantem Spiritu sancto.* quia his nominib. seu participiis non denotatur actio intelligendi, vel sapiendi, aut amandi, sed solus effectus formalis sapientiæ v. g. habere sapientiam, vel amorem; sed solutio hæc in primis fatetur nullum esse inter vtramque propositionem discrimen contra Augustini mentem, vt autumant ipsi. Secundò verba dat, vt retractionem existimatam Augustini verbo tenus tueatur. Etenim participium potest sumi participaliter, & sic denotat sui verbi actionem, licet nominaliter sumptum actionem non denoret; ast cum absolutè retractasse eam vocem participialem censeatur Aug. sine limitatione acceptionis, non est cur vna acceptione non alia retractasse dicatur.

7 Ruiz sect. 2 hanc rationem Vasquez paulò aliter explicuit. Nempè id totum, quod quomodoliber requiritur, vt actio grammaticalis, circa passum grammaticale versetur ablatiuo modi actionis in bona grammatica boni in oratione debere: cùm autem Spiritus sanctus requiratur, vt terminus necessarius notionalis amoris, vt amor, seu dilectio circa obiecta, quæ sunt grammaticale passum, versetur, fit, vt in bona grammatica in ablatiuo poni in oratione debeat: vnde sumpto diligere notionaliter propriè rigidaque grammatica locutione *Pater, & Filius Spiritu sancto diligere dicentur*; secus sumpto diligere, seu dilectione essentialiter: quia sic Spiritus sanctus terminus necessarius ipsius non est. Exempla affert ex phrasi Terentij *verbis dicere aliquid*, & ex Theologia: quia *Pater dicit verbo suo quæcumque dicit.* Sed exempla impugnata à nobis sunt num. 5. Secundò hac ratione Pater etiam *intelliget, ac sapiet sapientia genita.* Negat secundum Ruiz. sect. 3. n. 1. quia, vt ex pluribus aiebat sect. 2. concluf. 1. num. 5. amare sumi potest notionaliter ob inopiam vocabuli, quo significetur terminus per voluntatem procedens, eiusve processio; secus intelligere, vel sapere, cum adsit verbum dicere, quo processio termini per intellectum apprimè explicatur. Contra: quia spiratio apprimè significat processionem termini per voluntatem: & tamen amare sumi notionaliter potest: ergò, & intelligere. Secundò nemo negabit Patrem intelligendo generare, vbi intelligere notionaliter sumitur. Tertiò cùm intelligere notionale solùm addat de connotato Patris personalitatem, atque in hac propositione: *Pater sapit, vel intelligit sapientia genita*: intellectio, & paternitas exprimantur exprimitur notionalis intellectio.

8 Albiz à §. *Probatio omnium conclusionum*, num. 3. 4. & 5. ait eius propositionis: *Pater, & Filius diligunt Spiritu sancto.* Sensum esse *dilectione notionali producunt Spiritum sanctum, cui omnium dilectionem communicant, & quem omnium dilectorem proinde producunt*; quare medio illo omnia obiecta amant, non secus atque medio verbo, quod producit, cuique omnium intellectionem pater communicat omnia dicere asseritur. Posset doctrina hæc Ricardi verbis recitandis cert. 2. non parum illustrari, sed ibi eius mentem aperiemus. Nunc exemplum illud de dictione Patris ère non esse satis monstratum à nobis est; Siquidem est medium ad manifestationem sensus, quæ dictione exprimitur, ac significatur: quod in Spiritu sancto ad amandum non inuenitur. Secundò: non minus communicat Pater verbo, seu filio, quem intellectione producit, omnium cognitionem, & sapientiam, qua omnium cognoscens, & intelligens sit quam Spiritui sancto omnium amorem: ergò non minus medio Filio respicit, seu intelligit mediatè omnia obiecta cognita, quàm medio Spiritu sancto omnia obiecta amata respicit, & amat: ergò eodem modo dicetur Pater sapere sapientia genita, atque amare spiritu S. Recurrit ad solutionem Ruiz proximè impugnatam, quod intellectio Patris notionaliter non accipitur.

CERTAMEN II.

Nostrum de præfatis propositionibus iudicium.

1 Dico primo. Nullum est prædictarum propositionum quoad proprietatem, vel improprietatem sensus, & veritatem discrimen. Ita Gotfredus Pictauiens. sect. 1. num. 7. atque si attentè omnia conferantur Vasq. Hurt. & Torres. Constat primò ex impugnatione datarum explicationum, & differentiarum. Constabit secundò ex conclusionum sequentium probatione. Constat tertiò, & præcipuè, quia sic censet Auguſt. licet enim, postquam citato libro de Trinit. cap. 1. & 2. illam propositionem: *Pater sapit sapientia genita*, ob rationes datas in quæstionis procemio retractauit cap. 5. dixerit, Spiritum sanctum esse, *quo genitus à gignente diligitur, generatorem quoque suum diligat.* quo aliter de hac propositione censere videtur, vt ait Ruiz num. 3. tamen hanc in sensu materiali solùm admisit, vt statim dicam in quo primam illam non retractauit. In sensu autem formali, & causali proximo, hanc cum illa simul retractauit, postea de vtraque agens 15. de Trinit. cap. 7. post init. dicens: *Quis audeat dicere Patrem, nec seipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere, nisi per Filium, nec diligere, nisi per Spiritum sanctum.* Et post pauca: *tanquam memoria sit Pater, & sua, & Filij, & Spiritus sancti: Filius autem intelligentia, & sua, & Patris, & Spiritus sancti: Spiritus verò sanctus charitas. & sua, & Patris, & Filij. Quis hæc in illa Trinitate opinari, vel affirmare præsumat.* Accedit Richard. Victor. in declarationibus ad Bernardum, capite vltimo fin. *Quod Pater Spiritu sancto diligere dicitur, non sic intelligitur, quasi Spiritus sanctus auctor, & origo existat dilectionis, quæ Pater est.* Quæquidem ratio est Augustini, vt Pater sapiens sapientia genita non sit in sensu formali, & causali proximo, vt in præfatione quæstionis recitabamus, atque in amare Spiritu sancto, seu per Spiritum sanctum militat æquè.

2 Dico secundò: vtraque propositio vera est in sensu materiali proprio. Atque altera quidem amandi Spiritu sancto eo sensu admissa ab Auguſt. fuit 6. de Trinitate, capite 5. citato, vt docet Ruiz. proximè Albert. 1. part. quæst. 50. m. 1. qu. 3. incidente Alex. q. 67. m. 3. art. 3. præsertim fine, Canar. q. 37. art. 2 post. 4. concluſ Mol. ibid. §. pen. supponuntque reliqui Doctores ratio est: quia licet sapientia, & amor, quibus Pater sapit, ac diligit, communes toti Trinit. sint, non verò personales personæ alicui us: attamen amor ita est proprius vi suæ proceſſionis Spiritus S. ac sapientia Filij, quorum alter, per amorem, alter verò per sapientiam formaliter procedit, vt proinde vi formaliter illius amor Spiritui S. ac sapientia filio communicetur: ac proinde alter sapientia genita, siue in facto esse, & notionalis; alter verò amor in facto esse, siue notionalis à Patribus, & conciliis asseratur d. 10. q. 2. 3. & 4. quare & amor proprior Spiritus S. est, quam Patris, & Filij, & sapientia Filij, quàm Spiritus S. & Patris proprior est: vnde verum est, Patrem, imò, reliquas etiam personas sapere sapientia, quæ propria est Filij, & amare, seu diligere amore, qui proprius est Spiritus S non autem ita propriè dicetur personas diuinas sapere, aut diligere Patre: cum sapientia, & amor, quo formaliter diligitur, & intelligitur, non ita sint proprij personæ Patris, vt patet.

3 Dico tertiò. Vtraque propositio vera est in sensu formali, causali remoto: ideſt quatenus amor formalis Spiritus S. & sapientia formalis Filij tribuitur eorum principio. Sentio cum Albiz supra in sensu, dissentio verò in discrimine alterius propositionis ab altera. Est expressa sententia Ricard. Victor. proximè recitatis adnectentis: *Pater, & Filius diligunt Spiritu Sancto, quod Pater eam dilectionem. qua filius diligitur, & Spiritus Sanctus est spiret, & illius author, & origo existat? Dicitur ergo Pater Spiritu Sancto diligere, non quod per eum amorem habeat, sed exhibeat*, id quod in altera propositione explicuit olim Athan. orat. contra Gregal. Sabellij versus med. scribens: *Sapientia Patris est Filius, non ita, vt in homine, vbi per sapientiam homo fit sapiens, sed ex sapienti sapientia ista ortum trahit*; ac proinde illum sapientem rursus denominat. Ratio est: quidquid à termino producto præstatur vi præsertim productionis, quæ est naturalis agentis intentio ipsi agenti tribuitur. atque hoc medio termino præstare censetur: sic formalis dealbatio ab albedine formaliter proueniens, & calefactio à calore igni, & pictori tribuuntur: atqui vi processionis naturalis communicat Pater Filio sapientiam, & vterque Spiritui sancto amorem: Ergò Pater sapientia Filij, & vterque amore Spiritus S. quos producunt formaliter remotè intelligere, atque amare dicentur.

4 Eodem porrò sensu Pater Filium sapere, & intelligere, atque vterque per Spiritum S. diligere æquè benè dicentur; secus autem Filius sapere, vel diligere Patre, vel per Patrem, vel Spiritus sapere, vel diligere Patre, aut Filio, vel per Patrem, & Filium. Cùm nec Filius Patris principium vllo modo sit; nec Spiritus S. principium vtriusque, vel alterius: nedum vi processionis dilectionem, vel amorem in altero ponens. Potest autem eodem sensu causali remoto, licet non adeò formali, & proprio Pater dici amore Filio, seu per Filium, & vterque sapere Spiritu S. seu per Spiritum S. quia Pater licet non adeò formaliter vi processionis amorem, quò formaliter amet, Filio communicat, in eoque ponit, atque vterque Spiritui S. communicat sapientiam, qua formaliter sapit, in eoque illam ponit: ergò, licet non adeò formaliter, tamen reuera causæ seu principia sunt Pater, vt Filius amet, atque vterque, vt Spiritus sanctus sapiat: ergò absolutè causaliter, remotè licet non adeò formaliter dici possunt Pater amare Filio, & vterque sapere Spiritu S.

5 Dices ergò eodem sensu minus formali, causali tamen remoto, Pater dici poterit omnipotens, sanctus, immensus, intellectiuus, volitiuus &c. Filio, & Spiritu sancto, seu per Filium, & Spiritum S. Patet, quia non minùs propriè communicat eis ea omnia attributa, quam Filio amorem, & Spiritui sancto sapientiam, vt eis formaliter omnipotens sint sanctus, &c. sicut his formaliter sunt amans Filius, & sapiens Spiritus sanctus: atqui propositionem illatam negant prorsus Scholastici communiter S. Bonauent. 1. disputatione 31. articul. 2. quæstione 2. corp. Ricard. quæstione 1. ad 5. Carthus. quæstione 4. Ruiz. proximè sectione 5. ac tanquam Patribus inauditam reliqui omissione ipsa videntur falsitatis damnare: ergò & altera nostra, ex qua infertur, est falsa: Respondetur negando facilè illationem cum omni Scholasticorum: quia denominationes omnipotentis, sancti immensi &c. sunt natura sua purè formales proximæ denominationes; secus denominationes, amandi, & intelligendi. Etenim licet hæ vitales, & immanentis formę sint, ac proinde ea ex parte formales proximæ sint: Ast quia ex alia parte admixtum habent aliquid actionis ex loquendi vsu, qui tota denominationum lex est, cum verbo actiuo significantur, in agens etiam remotum cadunt, quoties forma, & actio termino communicatur, poniturvè in termino ab agente in casu nostro. Vnde constat in creatis patrem non posse dici Filio sapere, quia neq; in illo sapientiam, aut dilectionem ponit, sed potentias.

6 Dico quartò. In sensu proprio causali veræ etiam sunt propositiones istæ: *Filius intelligit Patre, vel per Patrem*; atque *Spiritus vtroque, vel per vtrumque diligit.* Hæ insuper, licet minus formaliter: *Filius amat Patre*; atque *Spiritus diligit vtroque, vel per &c.* Ratio est: quia ablatiuo, vel accusatiuo cum præpositione per ritè rectèque principium amoris, sapientiæ personæ procedentis significatur: sed vtriusque principium, licet formalius sapientiæ, in Filio est Pater, & vterque vtriusque etiam, licet formalius amoris, principium est in Spiritu sancto: ergò in sensu proprio causali, formalius quidem veræ sunt duæ propositiones primæ, ac minus formaliter duæ secundæ. Maior est regula grammaticæ bonæ, probata etiam ab Augustino in re præsenti, in ratione, quam adhibuit, vt retractaret propositionem: *Pater sapit sapientia genita.* in quæstionis præfatione, atque à Ricardo recitato ad finem numeri primi. Solùm videntur obstare dictis ex Augustin. & Ricardo eodem num. 1. Athanas. orat. 3. contra Arrian. vers. med. orat. 2. vel 4. longè à princip. orat. 49. de fide post med. Basil. 2. contra Eunom. circa med. & lib. 4. med. dicentes Filium esse ab æterno, ne Pater irrationalis insipiens, ac sine ratione, & sapientia fuerit. Verum; vt iam dixi, solùm contendût Filium terminum necessarium essentialis cognitionis esse, ac proinde sapientiam abolendam à Patre, si Filius deficeret.

DISPVTATIO XIII.

De Personarum missione

HACTENVS personas, quoad intrinseca comparauimus: nunc autem quænam personæ ab aliis mitti possint, in quo extrinsecum aliquid, vel clauditur, vel concernitur disputamus; ac proinde eas quoad extrinseca comparamus.

QVÆSTIO I.

De Existentia, Essentia, Affectionibus, & Missionis diuinarum Personarum

TRia in hac quæstione eo, quo proposita sunt, ordine, suis quæque certaminibus examinanda, ac definienda à nobis sunt.

CERTAMEN I.

Missio propriè, nec solùm metaphoricè diuinarum Personarum statuitur.

1 Diuinarum personarum missionem, aliquo saltem sensu acceptam, negare prorsus nemo, etiá hæreticus, fuit ausus, licet ex ea veteres, ac noui Trinitarij personas missas, minoris perfectionis, inferioriſque naturæ, quam mittentes probare contendant, quorum argumento fiet inferius satis. Cæterùm missionem diuinarum personarum metaphoricam solùm esse ignominati recentiores asseruerunt, apud Ruiz d.108.n.12. qui nobiles illos bonæque notæ Doctores esse testatur. hoc ipsum inferre conatus est Aureol. in 1.d. 15. art. 1. argum. 8. ex suppositione, quod missio æternam processionem personæ missæ inxta communem Theologorum sententiam importet, de quo cert.2.

2 In quocumque autem missionis essentia consistat; dari tamen in personis diuinis in se, & secundum se de fide est. Etenim de sapientia genita, seu filio postulatur, Sapient capite 9. qui propterea Angelus, siue missus dicitur Malac. 3. Isai. 9. vers. 6. iuxta septuaginta. Matth. 10. Ioann. 3. bis, ac tories cap. 6. & cap. 7. cap. 8. versic. 42. capite 10. 11. & 12. & pluries à cap. 15. ad 17. Roman. 8. Galat. 4. de Spiritu sancto missio futura prædicitur, Ioann. 14. 15. 16. præterita verò ad Galat. 6. 1. Petri 1. ac postulatur psalm. 103. quæ si attentè legantur personam veramque secundum se, nec solùm ratione doni creati missas, vel mittendas suadent, Ioann. 14. mittendus Spiritus sanctus, docturus, suggesturusque omnia discipulis dicitur cap. 15. testificaturus de Christo, quæ donum accidentale præstare nequit, sed persona Spiritus sancti. 1. Petr. 1. de Spiritu sancto misso dicitur: *in quem desiderant Angeli prospicere.* Personam autem eius, non donum creatum desiderant intueri. Secundo Romanor. 5. Actor. 1. Ioann. 4. à cap. 1. Corinth. 6. *Templa dicimur Spiritus sancti, qui in nobis est.* Templum verò non doni creati, sed Diuinæ personæ est. vide August. tract. 74. in Ioann. sub init. tract. 32. ante med. serm. 42. de verbo domini col. 2. & 15. de Trinit. cap. 26. sub. init. Ambros. 1. de Spiritu sancto cap. 4. cap. 5. & sermonibus aliis de eodem Melchiad. Pap. epistol. ad certos quosdam, & epist. ad omnes Episcopos Hispaniæ post med. Athanas. epistola longiori ad Serap. Richard. 6. de Trinit. cap. 14.

3 Tertiò probatur Spiritum sanctum secundum se mitti, quia admissionem solum requiritur processio à mittente, & donari ei cui mittitur ad quod opus est, vt speciali aliquo modo ab hoc habeatur, quæ habitio, seu, vt sic loquar, possessio, licet ratione alicuius creati sit, tamen per hoc persona ipsa diuina specialiter habetur, atque donatur, quare, & in se, ac secundum se donatur, vereque est donum, vt satis multis ostendimus de Spiritu S. d 10.q. 4. cert. 3. Inde etiam probatur Filium in se, & secundum se mitti à paritate Spiritus sancti, & tertia hac ratione quæ æquè de Filio Probat. Licet enim donum personaliter Filius non sit secundum rationem positiuam formalem, & intrinsecam doni, quam personaliter Spiritus sanctus habet: vt eo certamine num. 4. docebamus; at verò habet non repugnantiam, seu aptitudinem extrinsecam, in se, ac secundum se donetur, donatusque de facto est iuxta scripturæ, & Patrum testimonia quæ eodem certam. dedimus, num. 3. vers. fin. Aſt dices Filium donari ratione humanitatis, per idiomatum communicationem. Audi contra solutionem Naz. orat. 38. column. penult. num. 22. *Quod si etiam; vt Deus: quid propterea? Beneplacitum Patris missionem esse existima; cui sua quoque adscribit: tùm vt principium temporis expers honore afficiat; tùm ne Dei aduersarius videatur.* Ad quæ Nicetas Filij missionem, etiam secundum diuinitatem, fusius exponit. Audi Cyrill. Alex. 4. in Ioann. cap. 42. vers. fin. *Mittitur etiam, vt verbum ex mente, vt splendor Solis, ex Sole, ac generaliter fulgor ex refulgente.* Quartò denique id de Filio, & Spiritu S. probant Patrum testimonia recitanda cert. 2. quæ vtrumque mitti in se ipsis asseuerant.

4 Dico secundò. Missio diuinarum personarum propria absolutè, & simpliciter est, non metaphorica. Est contra nobilem recentiorem, qui ad octauum Aureoli argumentum metaphoricam solum esse concedit teste Ruiz supra. Supponitur tamen ab Scholasticis reliquis, dum missionis essentiam, quam quisque statuit missioni personarum conuenire ostendit, sed expressius conclusionem istam tradunt sanctus Bonauent. in 1. disput. 15. p. 1. artic. 1. quæst. 1. corp. Ricard. ibi ad 2. Ruiz vbi proximè oppositam temerariam appellans. Probatur: quia personarum missio frequentissimè à Christo Domino, etiam in sermone Cænæ (de quo Apostoli dixerunt: *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis*) traditur, atque ab Apostolis, & Patribus asseritur: ergò proprio sensu accipienda est, nisi aliundè scripturæ expressæ, vel rationi theologicæ aduersetur: nec nisi temerè ad improprios, & figuratos sensus recurretur iuxta statam regulam interpretandi scripturam; atqui missio propria personarum neque scripturæ expresse, neque Theologicæ rationi aduersatur: ergò sensu proprio, non metaphorico, accipienda est. Subsumptum quoad scripturam est certum; quoad rationem Theologicam non obscurius: quia resecatis imperfectionibus missionis creatę remanet ratio missionis Deo digna, vt cert. 3. constabit: quare non aliter, ac ratio entis, ac generationis Deo digna inuenitur, & propria, quia à creatis imperfectionibus potest refecari, quin proprietatem admittatsita, & missionis ratio propria, Deoque digna admittetur.

5 Obiicies. Exire verbum à Patre, venire in mundum, nouoque mundo esse in illo metaphoræ sunt, sicut aduentus, & mansio Ioann. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Respondetur nihil horum, resecatis imperfectionibus, quæ in creatis similibus inserunt, metaphoricum, sed proprium in diuinis esse. Sic enim propriè significant processionem vnius personæ ab alia, à qua ipsi communicetur auctoritas, consilium, potestas, determinatio, & voluntas efficax aliquid exequendi temporaliter, quo persona missa, quia ipsi appropriatum manifestetur, vel habeatur peculiariter ab eo, cui mittitur. Sed instas: Missio vnius personæ ab alia, ad exterius præcipuè ministerium, dicit essentialiter inferioritatem personæ missæ respectu mittentis: ergò vel nequit dari missio propria personæ diuinæ ab alia, vel illius inferioritatem, & subiectionem personæ mittenti cum Arrianis, & Eunomianis fateri cogemur. Antecedens videtur notum. Missio enim in mittente maioritatem, & imperium sonat; in misso verò obedientiam, & summissionem, quæ inter æquales locum prorsus non habent: vt proterea Angelos superiores nunquam ad exterius ministerium mittiin sui primatus honorem asseuerent Scholastici omnes cum Mag. in 2. disput. 10. capite vlt. & S. Thom. q. 112. art. 2. ex Greg. M. hom. 34. in Euangel. sub med. & Dionys. 8. de cælesti Hierarchia sub init.

6 Respondetur facilè negando antecedens: sicut Arrianis arguentibus negauit August. 4. de Trinit. sub fin. his verbis: *Potius propter principij commendationem, non propter inæqualitatem, vel imparilitatem, vel dissimilitudinem substantiæ in Scripturis hæc* (de Filij à Patre missione) *posita intelliguntur.* & cap. 20. post init. dixerat: *Non secundum imparem potestatem, vel substantiam, vel aliquid, quod Deo Patri non sit æquale, missus est Filius, sed secundum id, quod Filius à Patre est non Pater à Filio.* In eandem sententiam scribunt cæteri Patres præcipuè Naz. recitatus numer. 4. illis verbis: *Beneplacitum Patris missionem esse existima, cui quoque adscribit* Filius; id est missio hæc non seruilis ex Patris imperio est, sed ingenua ex communione beneplaciti, & consilij paterni Filio per processionem communicati. Quemadmodum amicus etiam nobilior, amici consilio accepto quandoque mittitur consonæ Cyril. ibidem recitatus. *Non enim seruilis hæc missio est &c.* imò ex missione sui à Patre æqualitatem cum ipso probat Ioann. 5. *Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui misit illum;* Missio autem ad exterius ministerium, qua excusantur Angeli superiores in sui primatus dignitatem, & quia ab inferioribus illud potest exhiberi seruilis est, atque ad rem nostram impertinens.

CERTAMEN II.

De essentia missionis diuinarum Personarum sententiæ.

1 Ignominati Doctores apud Magist. in 1. disput. 15. cap. *Ad quod dicimus*, asserunt missionem Personarum in sola æterna processione earum consistere. Fauent Cyrill. proximè & 12. Thesaur. cap. 15. post med. Hilar. 5. de Trinit. col. 7. dicens: *Missi, & mittentis significatio hic, non aliud quam Patrem, & Filium docet.* Greg. M. hom. 26. in Euang. sub init. *Eo enim ipso à Patre Filius mittitur, quo à Patre generatur;* ac de Spiritu sancto infra: *Eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit, & Filio.* Verum cum aliquid vlterius ad missionem iidem requirant, vel inadæquatè, vel præsuppositiuè sunt intelligendi. Magister ibidem cap. 1. & 2. cap. *Ex prædictis*, disp. 14. cap. 2. cum Beda in sola temporali, & extrinseca operatione missionem constituit: cui fauere videntur Higinus Pap. epist. decretali sub init. dicens deitate, à qua non est processio, personas mitti: Nec enim à sola intelligendus est deitate, ac fine dono proprio personæ missæ, quo manifestetur, vt videtur docere Chrysost. tom. 2. orat. 2. vers. med. & infra, atque tom. 3. hom. 3. de Spiritu S. cum sub huius finem doceat missionem Spiritus S. à suo principio esse: quam solum, quatenùs creato modo localem motum, & discessum missi à mittente: sicut & Nyssen. orat. de deit. Filij, & Spiritus S. circa med. Basil. 5. contra Eunom. sect. 2. Athanas. orat. 5. contra Arrian. circa fin. qui, & pro hac sententia referri specie tenus possent: denique Aug. 2. de Trinit. c. 5. fine, & lib. 4 cap. 19. init. licet huic sententiæ adsonet missionem in temporali manifestatione completiuè solùm, ponit, quin mittentis authoritatem saltem præsuppositiuè neget.

2 Tertia igitur sententia, & communis est missionem in æterna processione, & extrinseca manifestatione per donum, quod personæ missæ attribuatur, atque approprietur constituit adæquatè. Sed adhuc tamen tripartita sententia. Nam S. Thom. 1. p.q.43. art. 1. & 2. (vbi Caiet. Molin. Valent. ac non nimis constanter Canarienſ.) & 4. contra qu. c. 23. ad tertiam rationem (vbi Ferrara) Carthus. in 1. d. 15. S. Bonau. p. 1. art. 1. q. 1. & 2. asserunt ex æquo, & directè vtraq; constitui. Sequi videtur Mær. d. 56. Mart. Perez. d. 19. sect. 1. Alb. d. 14. At verò Al. 1. p.q. 71. m. 2. 3. & 4. & tot. q. 72. Alb. q. 32. m. 2. art. 1. corp. Vasq. d. 170. cap. 2. Suar. 12. de Trinit. capit. 1. Luiz. Torres d. 30. dub. 1. Gasp. Hurtad. d. 10. dif. 1. §. *Nihilominus*, asserunt missionem in recto solam processionem æternam dicere in obliquo autem, & de connato creatam manifestationem per gratiam, aliudvè creatum donum proprium, siue appropriatum personæ missæ. Quibus non parum videtur fauere S. Thom. in 1. d. 15. q. 1. art. 1. & 2. & OKam. q. vnic. ex aduerso Rich. eadem d. art. 1. q. 1. corp. Scotus q. vnic. §. *Videtur*, & §. *Licet autem*, Argentina q. vnic. ad 2. Maior. q. vnic. sub init. Marsil. quæstione 18. articul. 1. Capreolus quæstione prima, articulo primo, ad argumenta Aureoli Ruiz. disputatione 108. sectione 6. numero 3. referens numero 7. Canariensem (cum quibus Hurtado §. antecedenti ad citatum videtur conuenire) Durand. quæstione 2. à numero 7. Gabr. quæst. vnic. sub init. asserunt de formali, & principalius dicere missionem, extrinsecam manifestationem per donum creatum, de materiali verò processionem.

3 Hoc autem licet Hurtad. §. *Nihilominus*, stare benè putet, & si in recto dicatur processio, in obliquo verò extrinseca manifestatio, quo pacto id ipse capiat ego non capio. Etenim significari in recto subiectum solùm in concretis adiectiuis locum non habet; in abstractis verò nominibus, cuiusmodi missio est, minimè gentium. Qui ergò de materiali processionem significari aiunt, ac de formali extrinsecam manifestationem, in recto hanc, illam in obliquo significari nomine missionis volunt, tanquam conditionem mittentis, si actiuè sumatur processio, & missæ personæ, si sumatur passiuè quia nec missio à persona non producente potest manare, neque mirti, nisi procedens, persona potest, quare essentialiter est respectiua personæ producentis, tanquam principij, & procedentis tanquam termini qui mittitur: non secus, atque actio physica agentis respectiua est, & effectus nec satis significari potest nisi eis consignificatis, siue connotatis, vt aiunt. Atque hoc sensu videtur esse opinio hæc non solùm Doctorum proximè citatorum, sed etiam Magist. in 1. d. 15. c. pen. & vlt. vbi sententiam ex ipso recitatam in d. 14. c. 2. quod in sola extrinseca manifestatione personæ missæ missio consistat, quasi explicans ait: requiri ad missionem præterea in mittente authoritatem principij producentis respectu personæ missæ: quare Patrem respectu cuius principium producens neque est, neque esse potest, mitti nequaquam posse.

CERTAMEN III.

Nostrum de essentia missionis iudicium.

1 Steteram diù pro tertia sententia iuxta primam eius explicationem Patrum authoritate motus; eamque, ni fallor, subtilius, & consequentius alijs fortasse explicabam Iam vero eorum testimonijs sæpius perpensis eidem sententiæ, iuxta tertium tamen modum illam explicandi amplexus sum, quam sequentibus conclusionibus declaro. Dico primò, æterna processio actiuè sumpta essentialiter requiritur, vt minimum, in actu primo, siue ex parte principij mittentis; passiuè verò accepta ex parte principij passiui, scilicet personæ missæ, vt mitti apta sit ad personarum missionem. Conclusio hæc dogmatica meo iudicio est. Id enim, vt minimum, docent consonè Patres, & Scholastici omnes, quin recitati pro secunda Magistri sententia discedant, vt ex eius Antesignano Magistro vidimus cert. 1. num. 3. fine. Probatur verbis Augustin. 4. de Trinit. sub fin. & cap. 20. post init. & capit. 21. certamine 1. datis Anastas. & Synait. 1. de rectæ fidei dogmatibus: *Ipse Spiritus, & ab ipso procedit Filio, & mittitur non à Patre solo, sed & à Filio; quemadmodum ait ipse Dominus. Paraclitus autem, quem mittet vobis Pater in nomine meo.* Ioann. 14. & rursus: *Si abiero mittam eum ad vos.* in nomine meo eius denotat authoritatem principij; sicut ad id Ioann. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre.* Explicuit Naz. orat. 37. num. 59. *Mittam, vt propriam authoritatem ostendat.* & nu. 72. *Quod detur mittatur, &c. & si quid aliud huiusmodi,* (*ne singula commemorem*) *ad primam causam referri debet; vt ex quo sit ostendatur.* Aug. 4. de Trinit. cap. 20. vers. fin. vtrumque Ioann. locum expendens ait: *Mittam vobis à Patre ostendit Spiritum, & Patris, & Filij.*

2 Anselm. epist. de Process. Spiritus S. cap. *Consideremus*, 7. med. in hæc scribit: *Cùm vtique Filius tanta diligentia ostendat vnam esse missionem Patris, & suam, vt nec Pater mittat, nisi cum Filius mittit* (Spiritum S.) *nec Filius mittat, nisi cum mittit Pater quid vult significari, aut quid vult intelligi: nisi, quia non aliter se habeat*

habeat ad Patrem Spiritus sanctus, & aliter ad Filium, non magis est vnius, quam alterius; quamobrem nimis difficile, imò impossibile est ostendere, quomodo non procedat ab vtroque. Adde Naz. & Cyrillum recitatos cert. 1. num. 3. & Nicetam recitandum infra ad eum locum Nazianzeni. Insuper eundem Cyrilli 12. Thesaur. cap. 15. post med. & 16. in Ioann. cap. 9. sine alientem illud Ioann. 13. 16. & 17. *Exiui à Patre, & quia à Patre exiui.* dictum à Christo Iudæis fuisse, vt exitu siue processione (quod idem est iuxta ipsum proximè medio Hilarium 6. de Trinit. cap. 5. sub init. tract. 102. in Ioann. fin. Naz. orat. 49. de fide cap. 7. sub med. Anastas. Synait. de rectæ fidei dogmatibus longè à princip. Epiphan. hæres. 69. longè à med. Damasc. 4. de fide capit. 19. sub init. Hieronym. Theodoret. ad id Micheæ. 5. *Egressio eius ab initio à diebus æternitatis.* Isidor. 1. contra Iudæos, cap. 2.) suaderet se à Patre missum, à quo exiuit, siue processit. Hinc neutro Angelorum, qui Sodomam absumendam venerunt Patrem repræsentatum esse, quia dixerunt se à Domino missos Genes. 19. acutè obseruant Athanas. dialog. 3. de S. Trinit. contra Macedon. longè à princip. Augustin. 2. de Trinit. cap. 12. fine Isidor. 7. etymolog. cap. 3. cùm enim Patri repugnet principium habere, à quo procedat, ita & authoritas alterius necessaria, vt ab aliquo mitti possit.

3 Rationibus insuper theologicis eadem veritas probatur. Prima quam dedit Ioann. Theologus in Concil. Trident. sess. 24. ante med. ad verba recitata Ioann. 15. Ante med. his verbis : *Qui verò quidpiam mittit, is suum mittere videtur, & id quod mittitur, ex ipso dicitur esse : vt si Præfectus Prouinciæ quidquam fecerit, is non ex se, verùm Imperatoris iussu, id fecisse videtur : ita etiam Filius, qui cùm in generatione à consubstantiali Patre Spiritum sanctum accepisset, eandem, & paternam facultatem, ac naturam habens, eundem Spiritum mittere dicitur.* Quam rationem taciti Patres approbarunt, est autem huiusmodi, vt aliquis ab aliquo mittatur aliquo modo in potestate eius, à quo mittitur esse debet ; nemo enim, quod suum non est aliquo mittit. Atqui persona vna solummodo est in potestate alterius, siue alterius esse dicitur, quatenus hæc altera potestatem principij in ipsam habet, suamque processione facit, ergò processio supponitur actiuè ex parte mittentis, passiuè ex parte personæ missæ essentialiter ad missionem. Probatur secundò: quia in omni missione siue physica, siue morali, res, vel persona missa accipere debet à mittente determinationem, siue Physicam siue moralem ad finem missione intentum, à mittente; vt patet in floribus missis ab arbore ad fructus edendos, à qua recipit determinationem ad fructuum productionem : in sagitta missa ad ictum, ad quem recipit à mittente impulsum; in legato; qui ex consilio, & voluntate mittentis determinatur ad negotia tractanda: atqui hanc determinationem recipere nequit vna persona ab alia, nisi per processionem, qua ipsi communicatur producentis scientia, & volitio : ergò processio essentialiter requiritur, vt minimum, ex parte principij actiui, & passiui admissionem. Confirmant hanc conclusionem, quæ deinceps ex Patribus conclusionibus sequentibus proferemus.

4 Dico secundò. Processio non intrat formaliter missionem generatim, imò nec moralem in specie, sed solùm præsuppositiuè ; extremum hoc probatum est conclusione prima ; Primum autem probatur, primò ex dictis pro illa, siquidem ad missionem authoritatiuam legationis, qualis est missio personarum, ad quam requiritur principij auctoritas opus est, vt missa persona eius aliquo modo præsupponatur esse, à quo mittitur, vt accidat Ioann. Theologus : atqui ante processionem persona missa non est vllo modo mittentis, cum nec in se sit, neque debeat illi suum esse, sed ipsa processione illius est : ergò processio non intrat formaliter missionem, sed ad illam supponitur : hoc totum, & solum processione personarum fit : ergò non intrat missionem formaliter, sed solùm ad illam supponitur. Probatur secundò, quia missio tota ex fine, & intensione alicuius rei peragendæ liberi præstituto à mittente est : atqui personarum processio ex nullo fine, neque liberè præstituto à producente est : ergò missio adhuc partialiter non est. Quod autem libera Dei volitio cùm necessaria, qua persona altera procedit, realiter identificetur, nihil præstat magis, quam quod identificetur cum intellectione, essentia, & attributis, vt hæc partialiter ingredi missionem dicantur. Probatur tertiò : quia adhuc volitio libera, & consilium mittentis, eorum communicatio personæ missæ, vt negotia intenta peragat, supponitur ad eius expeditionē, & missionem, vt patet : ergò licet id totum per processionem formaliter communicaretur personæ missæ adhuc processio non intraret formaliter in missionem.

5 Probatur quartò : quia mitti personam diuinam idem est, ac donari. Sic missio filij à Patre in nostrum remedium donationis, vel missionis nomine indifferenter explicatur in scriptura Ioann. 316. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* quod ad Galat. 4. dicitur : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* : atqui in personæ donationem non ingreditur processio donati à donatore, sed solum supponitur : ergò neque in missionem ingredietur. Quintò quia missio tota medium est ad finem intentum ea consequendum, at processio medium non est ad vllum finem : ergò neque partialiter, seu inadæquatè missio. Sextò : quia patres ex missione personarum procedentium probant earum processionem passim, vt locis citatis hic, & d. 2. ergò processio missionem non ingreditur, alioqui idem per idem probarent : quod æquè facilè, imò cum risu, negaretur ab hæreticis. Si enim missio processio esset, vel sola, vel cum aliquo alio, eodem sensu negaretur missio qua processionem dicit, atque ipsa processio. Solum itaque ex missione tanquam medio diuerso processionem necessariò præsuppositam ostendebant. Septimò quia venire ab aliquo ad aliquem, & mitti ab aliquo ad aliquem idem sunt : at procedere notionaliter non est venire, seu mitti, sed quid ex æquo distinctum : ergò processio, neque partialiter est missio, quod in sexto, & septimo argumento probatione eget. Suadet Hilar. 6. de Trinitate post med. illa verba Ioann. 13. 16. & 17. *Exiui à Patre, & veni in mundum;* & similia sic expendit : *Non vtique dici potest id ipsum, ex Deo exiui, quod & veni : nam vtrumque,* vt diuersum, *significat; Quoniam à Deo exiui, & quid esset, & veni : continuò subiecit. Nec enim à me veni, sed ille me misit. Non à se sibi esse originem docuit, cum ait, nec enim à me veni.* Ecce negationem essendi à se significatam, & rursum *se ex Deo exiisse*, ecce positiuam processionem, *& ab eo missum esse*, testatur : ecce tertium missionis conceptum distinctum, ac inferius laudat fidem ; *Quæ natum ex Deo Filium, missumque confitetur. Natiuitas itaque eius processio, & aduentus ostenditur, missio, cum absolutissima significandæ proprietatis veritate.* Excipe Filij missionem physicam ad Spiritus sancti productionem, quæ processio est Filij, imò sola Processio, vt patet. Insuper missionem physicam vtriusque ad terminum creatum producendum, in qua nullus alius exitus à mittente, sine quo missio non est, considerari potest præter personæ missæ processionem, ex quibus liquet ad missionem diuinam generatim, imò moralem in specie, processionem essentialiter non esse aduocandam ; aduocandam tamen esse physicam missionem.

6 Dico tertiò. Libera volitio effectus, seu doni, quo persona missa specialiter manifestatur, seu habetur à creatura, provt personæ alterius, quæ ipsam produxit in essentiam missionis ingreditur. Est expressa sententia Naz. recitati, cert. 1. n. 4. *Beneplacitum Patris missionem esse existima.* Ad quem locum Nicetas circa med. sic cōmentatur: *Vt hoc demus eum,* Filium, *vt Deum missum esse; non tamen tunc eum Patre inferiorē esse colligitur; nā quatenus Patri filium incarnari placuit hactenus eum misisse dicitur.* Damasc. orat. de Deit. filij, & Spiritus S. circa med. *Descensus igitur filij Dei, ad nostram humilitatem, & infirmitatem, qui voluntate*

luntate Patris accidit, missio dicitur. Ratio est: quia missio legataria, & moralis, qualis est Personæ diuinæ ab alia ; cuius processionis iure est, nequit non fieri medio actu voluntatis, scilicet Personæ mittentis, vt eo tendat, quo vult mittens: qui licèt imperium non sit, vt volebant nefariè Arriani, & Eunomiani, atque nostri sæculi nouatores, sat imperio Principis quempiam ad aliqua peragenda, siue pertractanda legans respondeat. Hæc autem eadem voluntas communis, quæ respectu Personæ, quæ produxit missio actiua saltem inadæquatè, est, respectu Personæ productæ, saltem inadæquatè, est passiua formaliter missio, vt patet de se se.

7 Dico quartò: præter eiusmodi voluntatem extrinseca effectione doni creati, quo persona missa manifestatur, vel habetur specialiter à creatura, missio intrinsecè, & essentialiter constituitur. Doctores secundæ sententiæ adsentiunt, & Patres pro illa citati, quibus adde Cyrill. & Ambros. & alios pro secunda sententia recitatos à Ruiz sect. 2. à num. 5. Repete hic verba Damasc. proximè: vbi non in sola Patris voluntate, sed in descensu per Incarnationem Filij missionem posuit. Quod clarius post pauca sic expressit : *Descendit igitur non nudum verbum sed caro factum, non Dei forma per se se, sed in forma serui apparens.* Basil. 5. contra Eunom. sect. 2. ad id: *emite spiritum tuum, & creabuntur,* ait: *Nec ipse se ipsum mittit missionem autem vocat exitum ad opus.* Cyrill. 11. in Ioann. cap 25. fine: *Missum, se in mundum dicit, non aliud per missionem intelligens, quam, quod homo factus, Spiritusque peruectus prophetici similitudine mysterij magni fuit consilij Angelus.* Athanas. orat. 5. contra Arrian. circa fin. ad ea: *Qui misit me Pater: & à me non veni, sed Pater me misit.* sic habet: *vnitionem enim cum homine, quo hominibus inuisibilis natura Dei innotescere posset missionem nominauit.* Aug. 2. de Trinit. vers. med. *Cum itaque ait Misit Deus filium suum factum ex muliere, satis ostendit eo ipso missum Filium, quo factus est ex muliere.* Atque inter med. & fin. *Pater inuisibilis vna cum filio secum inuisibili eumdem filium visibilem faciendo misisse eum dictus est.* Quia, vt Patris ea actio est, missio actiua est, vt filij missio passiua, vt de voluntate communi dicebamus. Beda lib. 2. hom. 11. *Cum gratia Spiritus S. datur hominibus profecto mittitur Spiritus à Patre, mittitur, & à filio procedit à Patre, procedit, & à filio: quia, & eius missio est ipsa processio.*

8 Succedat ratio. Non illa, quod missio temporalis esse debeat: ac proinde in volitione, seu processione diuina, quæ necessariò æterna est, nequit adæquatè consistere, sed in aliquo creato : etenim missionem æternam esse posse reor, cum creatis pluribus ab æterno esse non repugnet. Ratio ergo sit: quia missio Personarum temporalis, futuraque absque dubio fuit iuxta illud Moysis. exodi 4. *Mitte, quem missurus es, & emitte agnum dominatorem terræ: & emitte Spiritum tuum, & creabuntur. &: Quem mittet Pater in nomine meo. &: Mittam vobis à Patre.* quibus similia habentur Malach. 3. & Isait. 9. atqui, si sola Dei volitione staret missio, quin creato dono, cuius effectione compleretur, non posset esse temporalis, & futura absolutè, sed necessariò foret æterna: ergo completur effectione doni creari, quo specialiter, vel manifestatur, vel habetur. Sit ratio secunda : quia omnis missio dicit mediatum influxum mittentis in finem missione intentum, vt patet in missione sagittæ ad ictum, florum ad fructus, & (quod magis è re præsenti est) legati ad negotia pertractanda: atqui nisi aliquid creatum in missione fit, nequit esse mediatus influxus mittentis. Sola enim volitione communi immediatè peragit mittens : ergo aliquid creatum interuenire in missione debet, ratione cuius mediatè influat in finem, intentum. Solùm hîc reprehendi nostrum Ruiz sect. 4. qui vlterius, effectionem finis intenti per missionem ad constitutiuum missionis vocat: cum missio medium ad eum fit, nullumque medium fine, eiusve executione constitui intrinsecè possit.

CERTAMEN IV.

Obiectiones, & corollaria.

1 OBiicies : omnis missio dicit, qua actiua, expeditionem, & electionem personæ, seu rei missæ à mittente, passiuè autem exitum missi à mittente: atqui cum exitus hic vnius Personæ diuinæ ab alia nequeat esse localis (cùm omnes sint vbique, nequeantque Spatiis separari) solùm potest esse exitus originarius procedentis à producente, qui formaliter per processionem ; siue processio ipsa est: ergo nequit non processio esse de ratione essentiali missionis. Respondetur negando exitum vnius Personæ ab alia non posse esse nisi originarium. Descensum enim filij à Patre sola Incarnatione factum aiunt Patres recitati n. 7. atque alij passim, atque ex Symbolo quotidie recitamus in Missa, & Spiritus Sancti per gratiam; quin in eis processio formaliter intercedat. Sola ergo specialis existentia in hac, vel illa creatura, quam Persona missa habet, non autem mittens, quasi præsentia est, quam non habet mittens, neque missa ante missionem, & doni creati productionem, quæ cùm efficitur, exire, & discedere à mittente dicitur à Patribus.

2 Obiicies secundò illa verba Bedæ recitata Cert. 3. n. 7. fin. *Quia & eius missio est ipsa processio.* Consonat Gregor-M. hom. 26. in Euang. sub init. scribens: *Eo enim ipso à Patre Filius mittitur, quo à Patre generatur.* Ac infra de Spiritu S. *eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit, & filio.* Hilar. 5. de Trinit. col. 7. *Missi, & mittentis significatio hîc non aliud, quam Patrem, & Filium docet.* ergo missio essentialiter ad processio, imò nil aliud est missio per hos Patres. Respondetur processionem missionem esse, alio tamen sensu, quam hic accipitur. Cuiusuis enim effectus, seu termini productio missio, vel emissio dicitur : atque eo sensu productio Personæ procedentis missio dicitur à Patribus, vt obseruauit Georgius scholarius in Concil. Florent. sess. 24. circa med. §. *quid equidem* & §. *Ego ab ineunte.* eodemque sensu Clem. Roman. 3. constitut. Apostolicar. cap. 17. Patrem *emissorem*, vocat. At verò missio moralis, & legati ad negotia pertractanda, numquam Personæ missæ productio est: imò neque esse potest in diuinis ob rationes, & testimonia data Cert. 2. à n. 4. licet requiratur, ex parte mittentis, missi, vt vidimus ibi à num. 1.

3 Ex dictis procliuis est plurium quæstiuncularum de diuina missione solutio. Constat enim missionem absolutè creatam, & temporalem esse, vt docent Doctores omnes secundæ, & tertiæ sententiæ præter Alex. citato. m. 2. corp. & ad 1. qui parum constans docuit increatam absolutè esse, non creatam, contrarium docens expressè m. 4. ad argumenta: quod negare nequit cùm dicat creato, & temporali aliquo compleri : quare necesse est missionem non existere, quousque temporariè creatum, quo completur, existat: sicuti neque Cæsar absolutè existit, quousque eius pars: nempe anima, extitit vnita materiæ, quæ præcessit. Inde etiam constat esse absolutè creatam; tum, quia, quod, vt sit in se, creatum expectat, increatum absolutè non est: tum, quia compositum ab ignobiliori sui parte denominatur Ideò enim homo materialis, & corporeus dicitur. Christus aurem æternus, & increatus dicitur, licet temporali, & creata humanitate consteter: quia nomen personale est, quod in recto Personam dicit, quæ est æterna : quod si non sumatur personaliter temporalis dicetur, & mortuus, vt patet.

4 Constat secundò missionem tam actiuè, quam passiuè sūptam notionale quid esse. Est contra Durand. supra q. 2. n. 6. Scotum §. *videtur*; & §. *licet autem*, Ruiz sect. 6. n. 13. qui Scholasticos omnes pro se, falsò tamen allegat, n. 12. Qui enim sola processione missionem constare docent, vt Doctores primæ sententiæ irrationales

essent,si nunc cum ipso sentirent:nec nimis consequentes,qui solam processionem in recto à missione dici autumant. Igitur nobiscum sentiunt Doctores reliqui supra Albert.art.1. corp. Alex. S.Thom. 1.d.15.q.1. art. 2. corp. Carthus.q.2.col.3. Vasq. cap.3.§. vlt. Albiz. tota sect.2.ex August.1.de Trinit.cap.20. & lib.2. cap. 5. & 15.Ratio est:quia,licèt aliquo communi partialiter missio constet,imò iuxta Doctores secundæ sententiæ, & iuxta doctrinam nostram actum notionalem nullatenus includat,sed sola communi volitione, & communi effectione doni creati adæquatè consistat; ast quatenus à solo mittente est missio dicitur actiua, & quatenus à Persona missa missio passiua,eisque solùm,vt missio tribuitur.Exemplis declaro.Mittat dux milites, vt arcem expugnent, quos postmodum ipse sequens cum aliis pugnando adiuuet in expugnatione:an expugnatio illa respectu militum secundorum, & ducis, quatenus communiter pugnantis,erit missio actiua, vel passiua, eisve,vt talis tribuetur?minimè:licèt æquè, imò fortius expugnauerint, atque primi. Insuper misit Deus Apostolos ad mundi conuersionem, quibus Deus in ea præstanda magis,ac principalius cooperabatur, & tamen?quatenus à Deo cooperante est,ipsi, vt mittenti, non tribuitur, neque est missionis effectus: imò, licet executio finis intenti in sententia Ruiz missionem constituat,missio non esset. Eodem igitur modo,licèt doni creati volitio, & executio, quibus adæquatè missio constituitur communes Personarum sint,non tamen illam constituunt,qua actiua est, nisi quatenus proueniunt à mittente,qua verò passiua est,nisi quatenus proueniunt à Persona missa.

5 Denique inde constat missionem, neque actiuè, neque passiuè sumptam esse physicè,aut logicè personis missis aut mittentibus communem. De logica communitate docent Alex.m.3.ad 2.S. Thom. proximè fin. & 1.p.q.43. art.4.ad 3. Carthus.in 1. d.15.q. 2.fin.Ruiz sect.6.n. 17. qui id asserunt, quia processionem includi in missione putant:Ego verò,quia, licèt communibus constet, tamen volitio diuina, qua constat, & singularissima est, & Personam mittentem concernit, vt actiua est, missam verò,vt passiua à quibus conceptus logicè communis abstrahi nequit, vt suprà docuimus. Quod autem neque physicè communis sit supponitur ab omnibus, expressèque asseritur à Ruiz de missione filij, secus de missione Spiritus Sancti actiuè sumpta, quam,sicut, & processionem communem esse putat physice Patri,& Filio. Sed cùm d.4.q.3. ostenderimus processionem Spiritus Sancti neutri seorsim competere: idem de missione, licèt processione constitueretur,imò licèt processio esset, dicendum esse conuincitur. Nostra ratio est:quia missio,vt producentem Personam, seu principium concernit, vel Personam productam, physicè non magis potest esse communis,quam Personæ ipsæ inter se se posint communes physicè esse.

QVÆSTIO II.

De missionis diuinæ diuisionibus.

TATVTA existentia,essentia,& affectionibus missionis diuinæ eius diuisiones statuere proximum est.

CERTAMEN I.

Generaliores missionum species enumerantur.

1 DIuiditur primò diuina missio in physicam, & moralem. Physica est, qua Persona procedens mittitur à producente ad alicuius physicam productionem.Hoc pacto processio Filij à Patre missio est,vt Spiritus S. edat Moralis verò, qua Persona procedens ad creaturam rationalem mittitur, vt aliquid ab ea obtineat v.g. bonos mores, animi salutem,& beatitudinem, quæ præcipuus missionis diuinæ moralis scopus,& finis est.Physica rursus diuiditur in eam,quæ est ad terminum increatum,cuiusmodi sola est processio filij, vt benè Albiz.sect. 1. quia ea sola determinatam virtutem recipit Persona diuina ad physicam alterius Personæ diuinæ productionem:quemadmodum flores ab arbore ad fructus vlterius edendos:ac proinde mediatè per illam Spiritum S.producit Pater,vt mittentem opportet: vt hunc mediatum influxum Patris per filium in Spiritum Sanctum Patres ostendant natura, & causalitate secundum filium,ac medium,Spiritum S.tertium,& extremum in Trinitate vocabant d.12.q.6.cert. 2.à num. 2. Atque alij passim diuinas processiones Trinitatis exemplo productionis florum, & fructuum ab arbore explicant:alij verò radij,& splendoris, seu fulgoris ex ipso producti;qua similitudine vtitur nicetas Filij processionem missionem vocans,& explicans iis,quæ immediatè adnectit eis,quæ ex ipso recitauimus q.1.Cert. 3.n.6.*atque ettam eodem modo,filium misisse dicitur Pater, quo solum radium suum misisse diximus*.Cùm autem Spiritus. S. quem producit filius, & Pater immediatè indiuisibiliter, nequeat aliam Personam diuinam producere, eius immediata productio missio non est,sed solùm filij productio,quæ mediata productio Spiritus Sancti à Patre est.

2 Altera Personarum missio physica est ad termini creati productionem. Hæc,& frequens est, & vtrique Personæ procedenti communis,ac cuius ratione Ioann. 1.dicitur:*Omnia per ipsum*,Verbum,*facta sunt*. &: *mundus per ipsum factus est*. & à Paulo: *Per quem fecit, & secula*. de vtroque ad Roman.11.*Per ipsum*,filium,*& in ipsum*,vt legunt nonnulli,seu iuxta vulgatam, *In ipso, sunt omnia*. iuxta interpretationem Ambros. August. Chrysost. Nyssen. & Theophylacti,& aliorum locis datis d.12.q. 2.per totam Ratio est:quia communia omnia primariò competunt Patri,secundariò filio, tertio loco Spiritui Sancto:vnicuique nimirùm, eo signo, & ordine originis,in quo est:quousque enim in se sit,operari,aut velle non potest: quare prius origine Pater est realiter potens:volens,& operans,quam filius, & vterque quam Spiritus Sanctus;quia potentia,& volitio, atque sapientia Patrem vbi primum est comitantur realiter:imò ratione antecedunt,provt essentia radix primæ personalitatis intelligitur:atque inde extrinseca operatio,primariò competit Patri,secundariò filio &c.quia ab eis, eorumque communi potentia,consilio, & volitione progreditur,eo etiam gradu, quo in eis sunt. Quare cum Pater physicè producit filium, eo ipso illum producit Personam productiuam creaturarum: quare mediatè producit per illam,seu media illa creaturas;& vterque, dum producit Spiritum Sanctum, producit Personam, media qua producant creaturas:quod solùm admissionem physicam requiritur.

3 Sed dices:processio est necessaria:ac propterea, processio non potest esse missio moralis,& legationis, vt dicebamus q.1.cert.3. atqui missio physica Personæ diuinæ ad producendum terminum creatum libera est: ergo nec missio hæc potest esse processio.Minor patet: quia creaturæ productio,& volitio efficax diuina libera est. Nego tamen minorem. Ad cuius probationem dico:

dico:termini creati volitionem, & productionem liberam quidem esse; ast eam missionem non esse, sed missionis effectum:sicut effectio, productióve fructus non est missio floris,sed missionis terminus,& effectus. Instas:mittens physicè debet productione, seu missione physica producere rem missam cum determinata virtute ad edendum terminum missionis: sed determinata virtus Personæ missæ est non omnipotentia nuda, sed, vt coniuncta cum volitione efficaci termini producendi:ergo processio, vt communicatio volitionis liberæ, ac proinde libera volitio est missio; quare libertas volitionis non obest vt processio sit missio contra ea, quæ dicebamus de missione morali, à qua processionem, quia necessaria est,relegauimus citato loco. Respondetur in processione necessaria, quia communicatio est volitionis infinitæ, necessariæ, eiusdémque cum Patre satis determinari Personam productam ad volendum determinatè terminum eodem prorsus modo quo Pater:quare cum in suo signo vult terminum Pater, nequit non eodem modo filius in suo velle fine noua communicatione:vnde processione determinatur ad terminum,quem vult Pater producere, quin libertas volitionis processionem, siue missionem Patris physicam ingrediatur:quod in legatione,siue missione morali secus euenit:in qua libera volitio necessariò intercedit,vt diximus citato in loco.

4 Secundò,tam physica,quam moralis missio diuiditur in visibilem, & inuisibilem.Physica à termino,qui per illam producitur visibili, vel inuisibili, inuisibilis dicitur,vel visibilis. Quare diuisio hæc terminorum potius est,quàm physicæ missionis, quæ sola processione æterna,atque inuisibili constat.Secus euenit in processione morali,quæ in se ipsa visibilis, seu inuisibilis est. Cùm enim Dono creato,quo Persona missa specialiter, vel habetur,vel manifestatur constitat:si donum, quo, vel manifestatur,vel habetur,sensibile sit, vel visibile; missio ipsa visibilis est,sin verò sit inuisibile, & missio inuisibilis erit.Extremum patet.Primum est August.2.de Trinit.c.5.fin.scribentis:*Pater filium visibilem faciendo eum misisse dictus est:quare iam in promptu est intelligere de Spiritu S.cui missus,& ipse dicetur?Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore,in qua visibiliter ostenderetur Spiritus Sanctus*.Et post pauca: *Hæc operatio visibiliter expressa oculis oblata mortalibus missio Spiritus Sancti dicta est*.Porro inuisibilis missionis plures species considerari possunt pro donorum inuisibilium,quibus ad creaturam rationalem valet Persona procedens aduentare:de quibus integra, iustaque instituetur quæstio; de eis verò, quibus visibili dono aduenire, mittique potest, Cert. 2. statuemus.

5 Obseruandum est missionem visibilem aliquando inuisibilem aliam supponere,aliquando præcedere, aliquando & supponere,& præcedere.Supponit quidem, cùm signum,quo manifestatur, seu mittitur visibiliter, aut sensibiliter Persona missa, solùm est ad ostendendum aduentum, seu missionem eiusdem in creaturam rationalem per interius donum,quo pacto, vt gratiam eximij alicuius Sancti spectantibus ostendat, columbæ specie Spiritus Sanctus aduenit, qui prius natura per gratiam in eius animam aduentarat. Supponitur autem cùm vel aduentum futurum pertendit, vel vt consolationem,gaudium,vel spem,aut fidem in eodem,cui mittitur ingeneret.Præcedit simul,& supponitur, cum eidem cui per donum insensibile aduenit, & aduenisse demonstrat,& gaudium è suo aduentu, aut quid simile inuisibile in eo interius inducit. Potest autem non supponere:cùm scilicet ad solam consolationem, vel quid simile interius in generandam in aliquo eidem visibiliter mittitur;at non præcedere missionem inuisibilem tunc solùm potest,cùm id,quod interius generandum in eo, cui mittitur, Personæ missæ appropriari minimè potest:quod difficile, & rarum inuentu erit:siquidem ferè omnia secundum considerationem aliam personæ vni, alteri verò secundum aliam possunt appropriari, iuxta à nobis dicta disp. de propriis, & appropriatis q. vltima.

6 Sed obiicies nullum esse posse signum visibile, quod determinatè Personam missam, potius, quam aliam manifestet:tum,quia nil creatum ea repræsentare potest exactè,vt à nobis dignoscatur: tum, quia nihil est, quod secundum aliquam considerationem alteri Personæ accommodari nequeat.Verùm:quod signo deficit,vt determinatè significet Personam, vel fides, & inspiratio,vel aduinctæ circunstantiæ supplebunt,vt ex dicendis Cert.2. patebit.Instas: aliud est mitti, aliud Personæ missæ ornatus,quo mittitur:at speciesillæ ornatus,& tegumenta sunt Personæ missæ:ergo non missio,aut quid illam integrans. Respondetur in creatis missionibus moralibus veram esse maiorem; secus in visibilibus diuinis, in quibus nullo alio modo Persona missa diuiditur,exitque à mittente, quam speciali illa manifestatione:cùm nec localiter exeat à mittente,nec exitus per processionem sit missio,vt diximus q. 1. cert. 3.Dices tertiò August.4.de Trinit.cap. 19. init. docuisse sensibilia omnia signa,non missionem, sed eius signa, missione nimirum posteriora,eiusque testimonia nominasse,his verbis: *Quæcumque propter faciendam fidem, quæ mundaremur, ad contemplandam veritatem in rebus ortis, ab æternitate prolatis,& ad æternitatem ordinatis temporaliter gesta sunt,aut testimonia missionis huius fuerunt,aut ipsa missio filij Dei*.Sed vbinam negat apparitiones alias factas Personarum missiones non fuisse? Potest enim missio vna alterius, vel factæ, vel faciendæ testimonium esse: quin missionem filij Dei sensibilem apparitionem esse nunc dicebat, dicétque pluries Certamine secundo.

CERTAMEN II.

Missiones visibiles hactenus factæ examinantur.

1 RViz d.109. sect. 9. cum multa prius eruditione missiones filij Dei visibiles ad antiquos Patres tradidisset num. 18. docet eas propriè Theologicas, & strictas non fuisse: quia sine gratiæ infusione fuerunt, nullam tamen censuram mereri,qui dicant eas absolutè missiones,quia explicari delaxa missione, & secundum quid debebunt. Ego verò piæ huic explicationi abrenuncio;atque eas absolutè, & rigidè Theologicè missiones assero.Tum,quia ad rigidam missionem Theologicam,etiam inuisibilem,donum gratiæ necessarium non iudico, imò neque donum supernaturale, vt q. 3. ostendam:tum,quia ad missionem visibilem constituendā quodvis interius donū extra rem est,etsi ad inuisibilē aliquod requiratur,vt ex dictis patet.Solùm enim debet esse effectus,& terminus *qui*,missionis visibilis. Tertiò: quia visibilis moralis missionis,ets ētia sola volitione mittētis,& missi,atque sēsibili apparitione,& manifestatione continetur,vt ostendimus q. 1. cert. 3. quare missiones,& manifestationes ad antiquos Patres, in quibus ea omnia inueniuntur, veram ac propriam missionis moralis essentiam habent. Quartò:quia missio filij per Incarnationem propriè est missio, & nil habet vlterius: imò quia id habet;missionem esse testatur Aug. citatus cert.1.n.4.pluréſque alij Patres recitati q.1.n.3. Quintò,& principalius:quia Patres consonè eas missiones expresè appellant,vt à n.2. constabit:neque fas est asserere eos impropriè locutos, nisi firma, & aperta ratione Theologica oppositum euincatur,quæ adhuc verosimilis pro Ruiz non est: quare à se potius, quam à nobis censuram diuertat.

2 Iam ergo singulatim missiones visibiles,quę extiterunt aduentus, quæque certo futuræ habentur breuiter assignandæ, ac percurrendæ sunt. Prima vtriusque Personæ procedentis fuit ad Abrahamum Gen.18.vbi tres vidit Personas, & vnum in eis Deum adorauit, ex quibus duo, qui missos se adeo ad perdendam Sodomam dixerunt, Genes.19.n.13.filium, & Spiritum esse, non

Patrem,

Patrem, qui mitti non potest docent Aug. 2. de Trinit. c. 12. fine his verbis: *Missos se dixerunt, quod de filio, & Spiritu Sancto dicimus. Nam Patrem missum* &c. Athanas. & Isidor. citati q. 1. cert. 3. n. 2. fine. Missio autem Patri repugnans propria est. Eodem discursu filium ad Mosem in rubo, & colloquio montis Synai Exod. 3. missum, quia Angelum se, id est missum, ac Deum simul profitetur apud Steph. Actor. 7. colligunt Theophylact. ibi, Tertull. contr. Iudæ cap. 9. post med. text. 114. Clem. Roman. 5. constitut. Apostolicar. cap. 21. ante med. Iustin. dialog. cum Triphon. sub med. apolog. 2. pro Christianis post med. Basil. 2. contr. Eunom. med. Chrysost. hom. 16. in Acta. circa morale, Euseb. 5. demonstrat. euangelic. c. 11. post med. & è cap. 13. ad 16. Hilar. 4. de Trinit. post med. & lib. 11. versus finem.

3 Missum item Dei filium Daniel. 3. ad Pueros fornacis Babiloniæ constat: quia dicitur: *Angelus Domini descendit in fornacem*. De quo Nabuchdonosor testatur ibi: *& species quarti similis filio Dei.* ad quæ Isidor. tom. 3. lib. 1. contra Iudæ, qui est de natiuitate Dei contra Iudæos. *Christus enim in eo, quod à Patre genitus est, filius Dei vocatur: in eo, quod sæpè missus ad nuntiandum Patribus legitur, Angelus nominatur.* Ac filium tunc missum docent Tertull. contra Marcion. text. 117. contra Prax. text. 101. Aug. concion. ad Cathecum. aduersus Paganos, Iudæos, & Hæretic. cap. 14. Hyppolit. & Rupert. 6. de victoria verbi Dei cap. 12. quos recitant Pererius ad eum locum, Thyræus de apparitionibus veter. Testam. quibus adde Ambros. 1. de fide, cap. 5. vers. fin. Quartò idem filius missus Iacob. dicitur Genes. 32. ex illis verbis: *Vidi Dominum facie ad faciem*, quia filius facies Dei est, à Clem. Roman. 5. const. Apostolicar cap. 21. ante med. Clem. Alex. 1. Pædagog. post med. Athanas. orat. 4. contr. Arrian. post init. Cyrill. Alex. 3. Thesaur. c. 1. col. 7. & exposit. symb. Nicæni sub med. Euseb. 1. demonstrat. Euangelicar. cap. 5. post med. lib. 5. cap. 10. & 11. Basil. 2. contra Eunom. med. Theodoret. q 91. in Genes. Iustin. dialog. cum Triph. citatur Tertull. 2. contra Marcion. (apud quem Nouatian. de Trinit. cap. 9.) & citato lib. contra Iudæ. cap. 14. Hilar. 4 de Trinit. post med. & 12. vers. fin. Cyprian. 2. aduers. Iudæ. c. 5. Ambros. in Psal. 43. col. 3. & init. ad Colos. 1. *Qui est imago Dei*, Concil. Syrmiens. can. 13. aliàs 15. apud Hilar. lib. de Synod. circa med. Leo M. epist. 13. ad Pulcheriam.

4 Quintò: Dei filium missum apparuisse Agar, Angelúmque dictum esse, vt missus, procedénsque à Patre monstraretur docet Hilar. 4. de Trinit. post med. & 5. post init. dicens: *Volens Deus Personam paterni nominis intimare Dei filium Angelum Dei locuta est: idest nuntium Dei. Significationem enim officij testatur in nuntio: naturæ autem veritatem confirmauit in nomine, cùm Deum dixit.* Ac generaliter, quoties apparens Deus Angelus nominatur ita ratione missionis appellari docent Iustin. citatus n. 3. Tertull. de carne Christi, c. 14. Athanas. Basil. & Cyprian. proximè Chrysost. hom. 80. in Ioann. 16. in Acta circa morale, vbi Theophylact. Euseb. 1. demonstrat. Euang. c. 5. & 25. lib. 6, cap. 10. lib. 7. c. 4. lib. 9. c. 8. Theodoret. q. 5. in exod. Beda tom. 8. lib. quæstionum q. 9. post med. imò Isidor. 1. sentent. de summ. bon. c. 10. circa finem, solius filij missionem significari his docuit: *Vbicumque in Scripturis pro Deo Angelus ponitur, non Pater, non Spiritus S. sed pro Incarnationis dispensatione solus filius intelligitur.* Tandem: Dei filium missum apparuisse, quoties hominis specie ab Abrahamo, & veteribus Patriarchis Deus visus est, asserunt Clem. Roman. Iustin. Leo M. & Hilar. supra, August. contra Adamanti. cap. 9. Niceph. 1. Histor. c. 2. & 3. A Christo verò nato Spiritus S. visibiliter missus est in Iordane, in Transfiguratione, in die Pentecostes, vt constat ex Euangelio, atque ad plures Sanctos postea, quos recensere Historici, non Scholastici negotij est.

5 Plura hîc extra rem ab Antiquioribus, & à nostro Ruiz de his manifestationibus disputantur. Primùm an rerum species, quibus personæ missæ manifestabantur rebus vacuæ, ac solùm apparentes fuerint? v.g. an non vera columba, & linguæ, quibus Spiritus S. aduenit? Scripturarij negotij quæstio. Et quidem si ex his sint; quæ ex me theorologicis impressionibus efformari ab Angelicis ad speciem possunt, vt exempla adducta, solidas res non fuisse verosimilius repetat iure Ruiz d. 109. sect. 12. n. 10. Secundum: an species illæ ministerio Angelorum fuerint elaboratæ de facto? Quæstio de Angelis est. In qua merito affirmat Ruiz ibi cum Dionys. 4. de cœlesti Hierarch. circa med. Tertium: An speciebus illis, vel rebus si fuerint, Personæ missæ hypostaticè fuerint vnitæ? Quæstio ad materiam de Incarnatione reducenda, in qua negatiua est omnium resolutio cum Aug. 2. de Trinit. c. 6. sub init. & lib. 4. c. 21. sub init. & post med. tract. 99. in Ioann. vbi de fide esse ait: quia Lucæ, 3. Matth. 2. Marc. 1. Ioann. 1. Spiritus Dei *sicut columba*: & *quasi columba*, dicitur descendisse. Nec res momenti tanti, si contigisset, taceretur ab Scriptura, sine cuius authoritate, non, nisi temere, asseretur, & periculosè: quare iure ab omnibus fugillatur Tertullianus affirmans lib. de Carne Christi cap. 3. fine. Quartum: an tunc Persona missa fuerit secundum se ostensa, visaque ab iis, quibus ea specie apparebat? Quæstio ad materiam de visione. Verior, & communior est negatiua resolutio: ac, si sermo sit de visione per illam corpoream speciem, certa: quia sic oculis corporeis, atque alterius ad instar videbatur. Simul autem oculis mentis secundum se visas esse Personas, neque facilè ex Scriptura deducetur, neque defendetur.

6 Vltimò, & ad rem, disputari hic posset: an in quauis Eucharistiæ. & Chrismatis consecratione, bonaque cuiusuis sacramenti receptione missæ Personæ procedentes sensibiliter adueniant? cum sacramenta omnia sint inuisibilis gratiæ sensibilia signa. Atque de Eucharistiæ consecratione mihi dubium non est, quin filius missus sensibiliter adueniat: siquidem consecrantis voce sensibilis eius aduentus est. Sed tamen missio, & aduentus Christi Eucharisticus, licèt sensibilis sit, non tamen apparitio dicenda est: quia ad apparitionis rationem requiritur quod sit insolita, & inopinata, atque repentina manifestatio, vt obseruat Glossa in 1. Actor. Aug. 2. de Trinit. c. 5. circa fin. cap. 6. fin. Cassian. 2. de Incarnat. sub med. in id, 2. ad Titium: *Apparuit gratia Dei*, S. Thom. 1. p. q. 45. art. 7. ad 2. In Chrismatis verò consecratione censeo missionem non esse: quia nulla ibi Persona diuina adest, sed solùm morale instrumentum gratiæ producendæ ea constituitur. Neque in vlla receptione Sacramenti præter Eucharistiam: quia, licèt sit signum gratiæ per sacramentum sic recipienti communicatæ ac proinde missionis inuisibilis Spiritus Sancti; ast non immediatè ipsius Spiritus Sancti, eiusvè secundum se manifestatiuum. In receptione verò bona Eucharistiæ sensibilis illa intromissio vnionem realem Personæ Christi secundum se cum communicante manifestat.

QVÆSTIO III.

De iis, per quæ Persona missa inuisibiliter mittatur.

DIXIMVS missionem moralem inuisibilem eis omnibus compleri, quibus speciali modo à Persona, cui mittitur Persona missa habetur, possideturque inuisibiliter, atque præsens assistit. Iam quænam hæc sint examinanda sunt.

CERTA

CERTAMEN I.

Per gratiam, & Dei visionem mittitur, atque aduenit Persona missa.

1 Est omnium conclusio. De Dei visione constat: quia per eam speciali modo adest Persona procedens in Personam Deum videntem, ad quam mittitur, quatenus visio Personæ procedentis est: sub ea enim formalitate Persona mittens non adest: ac proinde missio actiua, & passiua, seu discessus à mittente necessarius ad missionem considerari optimè potest: licèt missam Personam mittens ipse aduentu suo comitanter associet. Vnde realis eadem visio aduentus erit respectu mittentis, non missio; respectu verò procedentis Personæ missio: quare respectu filij secundum se, & missio passiua erit, respectu verò eius, vt Spiritus S. producit, missio actiua. Quod si visio Dei forma sanctificans sit alia specialis Personarum procedentium assistentia in anima Beati probatur, de qua statim dixi de visione Dei missionem esse, quin eam beatitudinem dixerim: tum, quia non in visione, sed in gaudio de Deo viso formalem beatitudinem suo loco constituebam, euincebámque: tum, quia beatitudo effectus vltimus missionis supernaturalis est potius, quam missio, quæ ad effectum alium ordinatur, in quem mittens debet habere mediatum influxum: at verò, cùm beatitudo vltimus terminus missionis, imò missionum omnium supernaturalium sit, nil sic mittenti restat vlterius per missam Personam agendum media missione: quare, & ipsa beatitudo missio non erit, sed missionis effectus.

2 De gratia etiam facilè, & multis probatur assistentia specialis Personæ missæ diuinæ, siue eius specialis præsentia in eo, cui per illam mittitur. Primò ex Ioann. 14. *Qui diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus, diliget eum, & ad eum veniemus.* & 1. Ioann. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Charitas autem, & amicitia habitualis gratia, & iustitia est. Secundò: quia per gratiam donatur nobis Persona Spiritus S. à producenti principio, per quam ius vtendi, & fruendi illa, ac reliquis personis diuinis, qui comitanter aduenient, nobis confertur; resecatis nempè dominij imperfectionibus, expressit Paul. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* nempè per ipsam charitatem, quæ eius donatio, ac missio est. Rectè enim Beda lib. 2. hom. 11. Dominicæ 1. post Ascension. *cùm gratia Spiritus Sancti datur hominibus mittitur Spiritus Sanctus à Patre, & Filio.* Tertiò: quia omnis amans in amante est, ex omnium Philosophorum sententia: atqui gratia, & charitate à Deo amamur: ergo speciali modo Deus nobis est, atque specialiter Spiritus sancti cui gratia, & charitas appropriantur. Hinc 1. Corinth. 2. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus S. habitat in vobis?* & c. 6. *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* 2. Corin. 6. *Vos estis templum Dei viui; sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in eis, & ambulabo inter eos.* Leuitici cap. 25.

3 Quartò: quia, per amicitiam est coniunctio moralis, & affectiua amicorum, quæ adeo physicam identitatem emuletur, vt amicus *alter ego* dicatur. Ad quem sensum facit illud Genes. 2. num. 25. *Adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quod magis ad rem nostram explicuit Paulus ad Ephes. 5. *Sacramentum*, ait, *hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* facit & illud 1. Corint. 6. *Qui autem adhæret Domino vnus spiritus est.* Vnde aiebat Deus Zacha. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quintò: amor præter affectiuam vnionem ad realem tendit. Audi August. 8. de Trinit. *Amor est, quasi iunctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur.* Ad quæ S. Thom. 1. 2. quæst. 28. art. 1. corp. *Quod enim dicit copulans refertur ad vnionem affectus, sine qua non est amor: quod verò dicit copulare intendens pertinet ad vnionem realem.* Consonant Dionysio 4. de Diuin. Nomin. p. 1. & 2. appellanti amorem *virtutem vnitiuam.* Aristoteli 2. Polit. cap. 2. post med. Laudanti Aristophanem aientem: *amicorum desiderium esse, vt simul conuersentur*, atque 8. Ethicor. c. 5. circa med. ait: *Nihil est tam proprium amicorum, quam viuere simul.* Hinc de se, ac reliquis Dei amicis aiebat Paul. ad Philip. 3. *Nostra conuersatio in cœlis est*, ac de se Deus Prouerb. 8. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Ex quibus constat vi sanctitatis, & amicitiæ specialiter Deum esse in creaturis rationalibus secluſa etiam per impossibile imitationis, imitatis, & potentiæ præsentia: quæ, & si de facto adsit, non obest, vt Spiritus S. cui gratia, & amor appropriantur, speciali illo modo sit præsens iustis, atque per eam missus, datusque adueniat: sicut neque puellæ obest, vt sponsus nouo modo illi detur, illiusque, ac cum illa sit, quod domi antea cum illo coniunxerit.

4 Dubitatur tamen: an gratiæ augmento mittatur denuo ad iustos Spiritus S. Quod si augmento gratiæ ad nouum statum v. g. Prophetiæ, miraculorum, affectus Martyrij, arduivè operis iustus euehatur asserunt omnes. Ita expressit Augustin. tract. 74. in Ioann. à med. *Non solùm non habenti gratiam, & per illam Spiritum S. verùm etiam habenti, non in cassum promittitur Spiritus S. Non habenti, vt habeatur; habenti autem, vt amplius habeatur.* & post pauca ait: *cæteris* à Christo, *autem ad mensuram datur*, Spiritus S. *& datus additur, donec vnicuique pro modo suæ perfectionis propria mensura impleatur.* 4. de Trinit. prope med. ait: *filium tunc vnicuique mitti, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantum cognosci, & percipi potest pro captu proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis.* Deinde: Apostolis Spiritus sanctus promittitur Ioann. 14. & 15. atque iterùm: *Si autem abiero mittam eum ad vos.* & Actor. 1. *Accipietis virtutem superuenientis. Spiritus Sancti in vos.* Tertiò: Melchiad. Pap. epist. ad certos quosdam, & ad omnes Episc. Hispaniæ relatus c. *Spiritus S.* 2. de consecrat: d. 5. ad id: *In diebus illis, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Iohel. 2. *Aduertamus*, inquit, *summas diuitias bonitatis Dei, quod in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio donauit vniuersis.* Ac infra de augmento gratiæ, & confirmatione Apostolis facta. *Quid Apostolis profuerit aduentus Spiritus sancti, ipse Dominus eis euidenter exponit. Quæ dico vobis, inquit; non potestis portare modo; cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, ipse docebit vos omnem veritatem. Videsne, quod cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur.* Innocent. Pa. epist. 1. ad Decentium Episc. c. 3. relatus c. Præsbyteris, 119. de consecrat. dist. 4. ait: *frontem ex eodem oleo consecrata signare.* in baptizatorum confirmatione *solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Consonat Rabanus 1. de institut. Clericor. cap. 30. relatus cap. *Nouissimè* 5. de consecr. d. 5. dicens: *Nouissimè à summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus truditur baptizato, vt roboretur per Spiritum Sanctum.* Denique Bernard. serm. 3. de Pentecost. circa fin. ait: *dari, & infundi Spiritum Sanctum ad auxilium, cum in omni colluctatione adiuuat infirmitatem nostram: ad feruorem, cùm in cordibus perfectarum validum ignem charitatis accendit.* Quæ tribus penultimis testimoniis responderi poterant argumentis pro sequenti resolutione instruendis præcludentur.

5 Maior est difficultas: an quodvis gratiæ augmentum secundum se sit noua missio, & aduentus Spiritus S.

Negat propriè loquendo Alex.1.p.q.44. m. 4. art. 3. S. Thom.q.43.art.6. ad 2.(vbi Caiet. Canar.& Vazq. & in 1.d. 15.q.5.art. 1. post med. S.Bonau. p.2.art.1.q.3.Ruiz d 109.sect.4.Gasp.Hurt.d.10.dis.4.§. *Bonaventura*, Verum affirmo cum Magistro in 1.d.17.Ricard.d.15.art. 5. q. 2. ad 2.Durand.q.4.fin. Cathus.q. 3. circa fin. Cordub a 1. quæstionar.q 41. Soar.12.de Trinit. c.5. §. 18. Probatur ex locis Augustin.& Bedæ nuper recitatis, qui ad Spiritus sancti, ac filij aduentum solùm gratiæ augmentum requirunt, sit & Bernard. proximè. Accedit Melchiades; qui aduentum Spiritus Sancti ad baptizatos explicans post primum locum ait: *In confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Ratio est: quia quiuis gradus gratiæ Deum explicitis modis præsentem animæ facit, & amicum de se fe: ergo id præstabit gradus augmenti, nisi rationem essentialem gratiæ deponat, quam sine contradictione nequit exuere: Secundò: cum gratia, & amicitia de se sit vnio modis dictis, maiori gratia intimior, arctiórque necessariò erit, quam sine illo. Tertiò: cum gratia augescit ratione donorum, & gratis datarum gratiarum dicitur Spiritus S. mitti, & aduenire: ergo citius perfectiori illa coniunctione, quam affert augmentum gratiæ. Dices missionem, & aduentum absolutè, & propriè talem prærequirere negationem præsentiæ eiusdem ordinis, & rationis saltem: vt patet in locali missione, & aduentu, cuius ad instar missio diuinarum Personarum, earumque aduentus est. Sed contra: quia quotiès nouus modus est præsentiæ, ac perfectior, & intimior, ac penetratior, vt sic loquar, satis est ad aduentum proprium, & absolutum, qui nequit esse in præsentia locali adæquatè penetrationis, ac proinde deficit in ea exemplum. Potest autem esse in vnione affectiua, imò & reali vnione amicorum, si magis amici, & gratiores sibi sint.

6 Subtiliùs inquires: an ex hypothesi, quod sola extrinseca Dei voluntate remittendi, & condonandi peccatum, atque acceptandi peccatorem ad amicitiam, & peccatum remitteretur, & homo Deo gratus, & amicus esset, per eam peccati condonationem, & acceptationem ad amicitiam, seu ad amorem diuinum, sine gratiæ infusione Persona diuina procedens, v. g. Spiritus S. absolutè mitteretur, atque in hominem aduentaret? Negat Capreol. in 1. d. 14. art. vlt. ad argum. Gregor. contra 4. conclusionem, Molina 1. p.quæst.43.art.3.fin. Soar.12. de Trinit.c. 5. n. 3. & 4. Ruiz d. 109. sect. 7. n. 10. Becanus cap. 9. quæst. 6. Luiz.Torres d.30. dub. 5. Martin Perez. d. 19. sect. 7. Ego verò data hypothesi, (quam falsam reor) affirmo cum Gabriele in 1.d. 14. q.vnic. art. 3. dub. 3. Gregor. art.1.concl. 3. art. 2. ad 2. OKamo q. 2. ad 1. & Gaspare Hurtado d. 10. dis.4. §. *capreol.* fine; quia tunc modis omnibus specialibus enumeratis num. 2.[& 3. esset in homine non secus, ac per gratiam esse de facto docuimus. Aduersariorum fundamenta sunt leuia. Primùm, quod missio tunc esset increata, & æterna, sicut, & voluntas condonans, & acceptans. Sed quid est absurdi? Instat Ruiz tunc non fore Deum in homine, sicut amatum in amante, & cognitum in cognoscente. Quid etiam inde? Vt Persona mittatur, aduenìatque ad aliquem talis est, vt Persona missa sit in eo, quod potiùs fit amore, quem ipsa erga hominem à se amatum habet, quàm, quo homo ipsam prosequitur. Sed dices: ergo deserimus conclusionem de constitutione missionis per donum creatum. Nego consequentiam: quia hypothesim iudico falsam: quare non defero, sed desererem, si veram putarem.

CERTAMEN II.

An Fide, Spe, aliisque Gratiis gratis datis, aliisque naturalibus donis Persona diuina absolutè ad Personam creatam mittatur, & aduenìat?

1 GRatiæ gratis datæ sunt Prophetia, genera linguarum, potestas miraculorum, gratia curationum, & similia. De quibus vt gratiæ coniunctis, conueniunt omnes sufficientes admissionem, & aduentum Personæ diuinæ absolutè esse, vt vidimus Cert. 1. n. 4. Quod satis euincunt testimonia ibi recitata. Præsertim, quæ de aduentu Spiritus S. in confirmatione baptizatorum, & Apostolorum sunt. Secundò idem probabunt, quæ dabimus pro conclusione sequenti. Tertiò illustre ad rem istam est testimonium Bedæ in c.1.Ioan. relatum c. *quærendum*, 6. de pœnit.d.2. vbi ait à sanctis viris ad tempus recedere Spiritum S. ad tempus manere. *Recedit autem ad tempus: ne semper infirmos curandi, mortuos suscitandi, Dæmones eiiciendi, vel etiam prophetandi habeant facultatem. Manet semper: vt possint habere virtutes, & vt mirabiliter, ipsi viuant. Venit ad tempus: vt etiam aliis per miraculorum signa, quales sint, intus, effulgeant.* Quartò: cùm potestas absoluendi data Apostolis est Ioann.20. dicebat eis Dominus: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* & quidem in hac conclusione conueniunt omnes, vt dixi.

2 An verò Fide, Spe, Gratiisque gratis datis, secundùm se, ac sine gratia missio, & aduentus Personarum absolutè simpliciterque sit, nec solùm secundum quid: quatenus iustificationem inchoant, & disponunt? Quæstio est difficilior. Negat Mag. in 1. d. 15. c. *ad quod dicimus*, d.17.c. *Tunc enim* S.Bonau.d.14.art. 2. q. 1.d.15.p.2.art. 1. q. 1. Ricardus art. 4. quæst. 2. & art. 5.q. 2. Carthus. q. 3. Capreol. quæst. 1. art. 3. concl. 2. & 3. Marsil. in 1.q. 17.art. 1.post med. Dur.d. 14 q.3. à num. 4. Argent. q.vnic. art.4. concl.2. OKam.q.2. post med.vbi Gabr.art.2.fin.& art.3. Alex. 1. p. quæst. 73.m. 4. art. 2. Albert. q. 33. m. vnic. ad particulam 2. & 3. S. Thom.q.8. art.3. q. 43. art. 3. ad 4. vbi Canar. Vazq. Caiet. Molin. explicatione, 1. concl. circa fin. Soar. 12. de Trinit. cap.5.§. 7. Ruiz d. 109. sect. 1.num. 19. Mæratius d. 56. Granad.tract. 15. d.3. Martin. Perez d.19.sect. 8. Gaspar. Hurtado d. 10. dis. 4. §. *Sanctius Thomas*, dicendum tamen: est per ea omnia, & singula, absolutè simpliciter, & propriè mitti, & aduenire Personas diuinas ad creaturas. Ita expresè Aureol. in 1.d. 15. art. 2. atque de fide specìatim Caiet. proximè §. *ad secundum verò*, quare, & de reliquis eodem modo videtur dicturus. Probatur ex verbis Aug. 4. de Trinit. cap. 20. circa med. recitatis cert. 1. num. 4. vbi mitti, & aduenire filium docet ad eum, *à quo cognoscitur, quantum potest pro captu proficientis in Deum, vel perfecti.* Ast fide informi etiam, pro captu proficientis in Deum cognoscitur: ergo ad fidelem informem mittitur, & aduenit filius. Clarius infra. *Missus dicitur filius, vel eo, quod ex tempore cuiusque mente percipitur: sicut dictum est: mitte illam, vt mecum sit.* Sap. 9. Secundò probatur de fide etiam informi: quia per eam membra Christi, & Dei reddimur, Deusque, ac Christus nostrum est caput: quare specialem cum illis vnionem, atque vnitatem nobis affert. Vnde Apostolus meretricantibus, & scortantibus fidelibus exprobrat, quod sua membra, quæ Christi sunt, sacrilega monstrositate membra meretricis efficiant. Deinde specialiori prouidentia supernaturali fidelibus peccatoribus adest, vt rector, curatorque prouidus, etiam iniquorum pupillorum: specialis autem hæc vnitas, seu vnio cum Christo, & Deo capite, huiusque tanquam prouidi Rectoris, & curatoris præsentia satis est des

per Ruiz d. 109. sect. 3. ad proprium simpliciter aduentum missionis: ergo per fidem, etiam informem, diuinæ Personæ mittuntur, veniúntque propriè, & simpliciter ad creatas. Denique Bernard. recitatus cert. 1. n. 4. fine, expresè docet mitti Spiritum S. *cum in omni colluctatione ad imat infirmitatem nostram*: quod in fidei veritatibus in primis præstat.

3 De gratiis verò datis gratis, probatur: quia eis est Deus specialiter, etiam in peccatore, tanquam in templo, vt colatur, & adoretur. Celebris ad hanc rem est illud 1. Corinth. 4. post med. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta cordis eius manifesta fiunt: & ita cadens in faciem, adorans Deum, pronuntians: quod verè Deus in vobis sit.* Secundò: quia, dum Pontifex potestatem absoluendi, peccatoribus etiam, Sacerdotibus confert, ait ex Ioann.20. *Accipite Spiritum Sanctum*, eisque verè illum instrumentaliter confert. Tertiò: cum prophetiæ donum Sauli iniquo collatum est, Regum 19. circa fin. dicitur: *Facius est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat.* Ac de Samsone post illicitum matrimonium, & fornicationem, cum alienigena dicitur, Iudicum 14.15. & 16. *Irruit in illum Spiritus Domini, nec recessit ab eo quousque tonderetur.* nempè per miraculosam fortitudinem inditam. Quartò probatur ex Beda verbis datis num. 1. ait enim à iustis recedere Spiritum Sanctum cum eis potestatem curandi infirmos, & edendi miracula subtrahit; ac rursus venire ad eos, cum eam illis restituunt: ergo præter specialem præsentiam, & aduentum Personæ diuinæ per gratiam, est alia præsentia, & aduentus eius, per gratias gratis datas, per quarum defectum Spiritus S. recedat perseuerante præsentia gratiæ, ac denuò aduenìat, cum illæ restituuntur, licet eius præsentia per gratiam præextiterit. Dices intelligi hæc omnia de aduentu secundum quid. Contra primò: quia quod absolutè ab scriptura, & Patribus tale dicitur, neque esse solum secundum quid tale, nisi impropriè fateamur esse locutos: sicut, qui diceret absolutè Æthyopem album: quod nisi expresso testimonio scripturæ, vel euidenti rationi Theologicæ aduersetur) non autem hic aduersatur) nefas est dictu. Secundò: quidnam intelligis per aduentum secundum quid? quod non sit perfectissimum? sic dicito equum esse animal secundum quid, quia non est animal perfectissimum. Tertiò: per vos augmentum gratiæ non est missio, siue aduentus simpliciter, sed secundum quid, atque si hæc dona adiungantur est tunc aduentus simpliciter: ergo quia hæc dona sunt aduentus simpliciter, nec solùm secundum quid. Patet: quia ex coniuncto duorum secundum quid talium non resultat vnum absolutè tale, v. g. ex duplici Æthyope secundum quid albo, non resultat vnum absolutè album. Confirmatur: quia modus præsentiæ nouus, &, qui præsupponat carentiam præsentiæ eiusdem ordinis, necessariam ad rationem aduentus per vos, in solis donis, non in augmento gratiæ est: ergo si in eo casu est aduentus simpliciter, in solis donis hisce est.

4 Oppositiones, licèt leues recenseo. Prima quia Sap. 1. dicitur: *In malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* & rursus. *Spiritus enim Domini disciplinæ effugiet fictum.* & Proverb. 15. *Longè est Dominus ab impiis.* Eccles. 15. *longè abest à superbia, & dolo.* Hieron. 17. *Recedentes à te in terram scribentur.* Sed hæc solùm recessum, & non habitationem, fugamque secundum specialem modum, licèt nobilissimum, amicitiæ asserunt: non autem secundum omnem alium, vt patet. Secunda ex Augustin. 15. de Trinit. cap. 18. init aiente dona reliqua sine charitate nihil prodesse iuxta illud 1. Cor. 13. & ad Galat. 5. Nec Spiritum S. dici donum, nisi propter dilectionem. Sed hæc extrà rem sunt: extremum solùm assignat rationem cur Spiritus S. donum personaliter sit, vt vidimus d.10. non autem, quod per alia dona præter charitatem non donetur. Quod autem sine charitate nihil profint ad salutem animæ æternam, non obest, quominus dona sint, & per quæ speciali modo Deus in anima sit. Tertia: Per hæc dona non est Deus, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Quid inde? si est aliis modis enumeratis? Quarta: per hæc dona non est donatio, neque inhabitatio propria Dei: ergo neque aduentus, qui sine propria inhabitatione esse nequit, neque missio, quæ nequit esse sine propria donatione. Antecedens probatur: quia per hæc dona nequit homo frui, & vt Deo, tanquam re sibi propria, neque redditur Dei templum: ergo in eis non est donatio, aut inhabitatio propria. Distinguo antecedens primum: non est donatio, & inhabitatio propria, idest perfectissima, fateor, & probat antecedentis probatio; propria, vt apponitur impropriæ, nego antecedens. De inhabitatione constat ex Paulo, vbi per prophetiam cognosci, & adorari Deum in nobis ait. De donatione Dei, tanquam Rectoris prouidi, & curatoris, qui per hosce propriè pupillo, & subdito donantur, constat etiam ex dictis.

5 Dico tertiò: per dona etiam naturalia mittuntur, aduenìuntque simpliciter Personæ diuinæ ad creaturas sui aduentus capaces, de quibus dicemus quæst. 4. Non sentio cum pluribus, sed cum Aureolo in 1.d. 15 art. 2. fine, Durando 13.quæst. 3. num. 4. qui, licèt hanc missionem, & aduentum imperfectos appellent, aliud tamen est improprietas, aliud imperfectio, vt patet. Est insuper expressa sententia Albiz d. 14. sect. vlt. &, licèt de hac missione exigua sit apud Patres, & Scholasticos mentio, qui de altiori per dona supernaturalia curarunt: tamen videtur sententia Bernardi loco recitato cert. 1. num. 4. fine dicentis: mitti *Personas ad auxilium eum in quauis colluctatione nostram adiuuant infirmitatem*, id quod auxiliis ordinis naturalis frequenter præstant. quin eodem serm. 3. de Pentecoste circa fin. etiam in naturalis ordinis prouidentia, nec solùm in supernaturalis ordinis gratia, per dona naturalia mitti, atque aduenire Spiritum S. docet aiens: *Spiritum Sanctum hominibus inspirari, ad vsum quidem vitæ, bonis, & malis, dignis pariter, & indignis communia bona abundantissimè tribuentem.* Consonat illud Genes. 2. num. 7. *Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Quod de Spiritus sancti immissione plures explicant Patres. Ratione probatur: quia per naturalia dona præsens sit Deus, ac tota Trinitas per effectum: tum, quia eius aliqualis imitatio essentialiter est creatura: per potentiam, & operationem, cùm à Deo eiusque omnipotentia & concursu pendeat: ac per immensitatem. Insuper, cum naturalia hæc dona creaturis impertitur, adest vt Rector, procurator, ac dominus creaturarum. Nec refert iam præsentem eisdem titulis esse creaturæ, cui ea donat. Etenim replicata præsentia, etiam ordinis eiusdem, mitti, aduenìréque simpliciter, & absolutè denuò potest Deus, vt de augmento gratiæ docebamus Certamine 1.

6 Obiicies: quæ naturalis ordinis, & prouidentiæ sunt, causis naturalibus deberi: quare neque esse dona. Respondeo primò plura naturalia dari posse à Deo creaturis, quæ non debebantur illis iure naturæ. Secundò debitum hoc naturale non est iuris exactiui, quod donationi simpliciter tali obest, sed indigentiæ, & precum, seu rogationis. Instabis primo: ergo cum Deus aliquid creatum in Dæmonibus operatur mitteturad ea Persona diuina. Respondetur in eis præcipuè operari Deum supplicia; ad quæ, non secus atque ad Sodomorum pœnas mitti Personæ diuinæ possunt, mittunturque, vt vitam maioribus tormentis superstitem æternum illis seruent. Instas secundò, & difficilius cum Deus concurrit ad actum peccaminosum personæ mittuntur ad id ad peccatorem. Nego tamen facilè consequentiam: tum, quia nemo mittit nisi volens aliquem ad aliquid: nulla autem Persona diuina vult actum peccati. Secundò: quia missus semper recipit determinationem à mittente ad id peragendum, ad quod mittitur: ast ad actum humanum præcipuè ad peccaminosum indifferenter potentiam, & concursum offerunt Personæ diuinæ: totaque determinatio creaturæ peccantis est. Imò

ideò peccat, quia eius tota est determinatio: quare neque Persona producens mittit, neque procedens mittitur ad actum peccaminosum peragendum.

CERTAMEN III.

De iis, ad quos facta est inuisibilis missio.

1 AD quosnam inuisibilis, moralis missio per dona creata naturalia facta faciendaque sit, opus non est recensere. Constat enim factam, faciendamque esse ad omnes aduentus Personarum capaces creaturas: quare de eis quibus per dona supernaturalia Personæ diuinæ missæ de facto fuerint, atque aduentauerint statuendum hic erit: sicut quæst. 2. cert. 2. de eis, quibus visibiliter aduenerunt statutum est. Dico primò factam fuisse ad Christum Dominum in primo conceptionis instanti, sequor Alexand. 1. p. q. 73. m. 3. art. 3. ad 2. S. Thom. q. 43. art. 6. ad 3. art. 7. ad 6. vbi Caiet. Canar. & reliqui interpretes, S. Bonauent. in 1. d. 16. art. primo, quæst. 1. fine, S. Thom. iterùm art. 3. & d. 15. quæst. 5. art. 1. Carthus. quæst. 4. Durand. ibidem §. vltimo, Ricard. artic. 5. quæst. 1. ad 2. Ruiz d. 109. sect. 5. num. 4. Probatur primo ex Ioann. 3. vbi Christus de se: *quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Ergo Christo Domino datus est à Deo Spiritus procedens, ac proinde missus ad eum est. Secundò: quia visibilis missio ad aliquem facta, vt ipsi fides adhibeatur, signum est missionis inuisibilis ad eum factæ: atqui Spiritus S. missus visibiliter fuit ad Christum in Iordane, & in transfiguratione, vt ei authoritatem, & fidem conciliaret: ergo signum, & testimonium fuit missionis inuisibilis factæ ad eundem. Tertiò à priori: quia in ipso conceptionis instanti dona omnia, & gratiæ supernaturales, quibus Spiritus Sanctus mittitur, & aduenit, datæ Christo Domino sunt: ergo, & ad eum missus Spiritus Sanctus aduenit.

2 Dices ergo verbum, & sibi Spiritum misit, & ad se cum Spiritu Sancto venit: quandoquidem donis gratiæ omnes Personæ aduentant. Vtrumque autem implicat: vt patet. Respondeo missionem Spiritus Sancti ad humanitatem cui dona, & gratiæ collatæ sunt physicè fuisse factam, sicut & aduentum. Quod si per idiomatum communicationem mitti Spiritum Sanctum ad Verbum ab ipso verbo, quemadmodum à se ipso creari per idiomatum communicationem dicere velis, atque eodem modo ad se aduentare, non est maius in vna, atque in aliis propositionibus absurdum. Dices secundò: Dona gratiæ hæc in primo instanti conceptionis humanitatis collata ipsi sunt; ergo nunquam præextitit humanitas cum carentia præsentiæ Spiritus Sancti per illa Dona: ergo neque aduenit per illa ad Christi humanitatem. Patet: quia aduentus Personæ missæ dicit carentiam præsuppositam præsentiæ aduenientis in eo, ad quam mittitur, & aduenit. Respondetur non requiri præexistentiam carentiæ illius præsentiæ tempore, sed natura, quam humanitas ad receptionem eiusmodi donorum præsupposita dubio procul habuit. Postea verò nulla facta fuit missio Spiritus S. nullúsque fuit eius ad humanitatem Christi factus aduentus per dona supernaturalia: quia nullum in eis succeſſu temporis recepit augmentum, vt communis Theologorum sententia fert.

3 Dico secundò: ad beatam Virginem, & Angelos, ac Protoparentes nostros in instanti creationis, & conceptionis vniuscuiusque, Personæ diuinæ missæ fuerunt, & aduenerunt. De beata Virgine suadet veritas ferè dogmatica de immaculata ipsius conceptione in gratia, & iustitia originali. De Angelis verò, ac Protoparentibus veritas dogmatica de eorum creatione in gratia. Atque his quidem, cæterisque iustis mitti cum gratia, cæteraque dona vel inducuntur, vel augentur constat ex dictis. Audi Cyril. tom. 5. lib. 5. in Isai. ad id cap. 16. *Spiritus Domini super me*, dicentem: *Cumque ex se procedentem Spiritum immittat superis potestatibus.* Augustin. 4. de Trinit. cap. 20. longè ab init. aientem: *Aliter mittitur sapientia increata genita, vt sit cum homine, aliter, missa est, vt ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei, & Prophetas constituit, sicut etiam implet sanctos Angelos.* Cæterùm de iustis veteris, imò, & noui Testamenti ante Christi ascensionem, & clarificationem oppositum dici videtur Ioann. 7. *Spiritus nondum erat datus; quia Iesus nondum erat clarificatus.* atque Actor. 8. *Nondum enim in quemquam illorum venerat.* Spiritus Sanctus ergo ante Pentecostem, nec missus fuerat in iustos veteris, aut noui Testamenti contra ea; quæ docuimus.

4 Incidit in hanc difficultatem Augustin. 4. de Trinit. vers. fin. ac respondit negari missionem, & aduentum non omnem. *Quia* (inquit) *certa illa Spiritus Sancti datio, vel missio, post clarificationem Christi futura erat. Neque enim antea nulla erat; sed talis non fuerat. Si enim antea Spiritus S. non dabatur, quo impleti Prophetæ locuti sunt?* Adducitque in exemplum Baptistam, & Zachariam, qui Lucæ 1. Spiritu Sancto repleti prophetasse dicuntur: ac Simeonem, in quo Spiritus S. fuisse dicitur Lucæ 2. Consonat sibi tract. 32. in Ioann. itaque, talis, qualis fuit in die Pentecostes, missio, & aduentus Spiritus S antea negatur; non autem omnis eius missio, & aduentus. Audi Leonem M. serm. 2. de Pentecost. cap. 3. post med. *Cum discipulos Dominus Spiritus Sancti impleuit non fuit inchoatio muneris, sed extensio largitatis, quoniam, & Patriarchæ, & Prophetæ,* &c. Cui accinunt Chrysost. Cyrill. Alexand. Theophylact. & Beda iam citandi. Fuit autem illius ab aliis missionibus Spiritus S. ad Iustos differentia. Prima: in abundantia intensiuè, & extensiuè maiori obseruata à Leone, prædicta à Iohele cap. 2. *In diebus illis effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* ac 7. Ioann. vbi ad Iohelis testimonium alludens clamabat Iesus: *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* commentante, Ioanne: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Expressa insuper Actor. 2. vbi Iohelis testimonium recitatur. Secunda differentia: in maiori extensione ad opera gratiæ gratis datæ. Tertia: in insolito visibili aduentu. Quas omnes obseruarunt Augustin. supra, Chrysost. homil. 20. in Ioann. Cyrill. 5. in Ioann cap. 10. post med. Theophylact. & Beda ad locum Ioann. supra, vbi S. Thom. lect. 7. & in 1. d. 15. quæst. 5. artic. 2. S. Bonauent. p. 2. dub. 3. litterali ex quibus Scholastici reliqui.

QVÆSTIO IV.

De terminis missionis diuinarum Personarum.

MISSIONEM in physicam, & moralem diuisimus, quibus terminus *à quo*, diuisus non est in re præsenti, sed idem. Est enim Persona diuina quæuis producens, terminus *a quo* producens. Idem etiam vtrique est terminus *qui* mittitur, nempè quæuis Persona procedens: quare in his quæstio est vtrique communis. Insuper terminus *ad quid* siue *ad quod*, missionis est effectus ea missione intentus; qui etiam in vtraque missione inuenitur. In morali verò missione est terminus vlterior, qui in physica non est: nempe terminus *cui*, vel *ad quem*, Persona mittitur. Et de termino *ad quod* vel *ad quid* missionis nihil restat dicendum: cùm id omne sit, quod à Deo intendi, efficique potest. De aliis verò tribus, nempè termino *à quo* missionis, siue de mittente: de termino *quo*, siue Persona missa: de termino *ad quem*, siue *cui* mittitur, quæstio erit

erit præsens suo quemque ordine examinans, quisnam esse debeat. Licet enim de termino à quo, & qui aliqua diximus non tamen ex professo, vt nunc, de eis disputauimus.

CERTAMEN I.

Terminus à quo siue Persona mittens statuitur.

1 SIt vnica conclusio. Terminus à quo siue persona mittens solum esse potest persona producens respectu productæ. Est omnium Theologorum imò, & Patrum conclusio. Ratio verò est facilis, & data quæst. 1. certam. 3. à num. 1. ad 6. ex Patribus & rationibus. Licet enim sola physica missio processionem actiuam dicat in mittente, & passiuam in persona missa: ast moralis quæ illam essentialiter non dicit, tamen essentialiter illam supponit, vt ibidem ostendimus: ergo solæ personæ producentes mittentes, seu termini *à quo* missionis esse possunt personarum, quas producunt: Vnde solus Pater potest esse terminus *à quo* missionis Filij, & vterque missionis Spiritus S. Fit inde primò nullam personam posse terminum *à quo* missionis, qua mittitur; sicut neque à seipsa produci; in quo valdè à donatione, quæ authoritatem principij producentis in donante non requirit, missio differt, vt benè Vasq. Suar. Ruiz, Perez, Hurtado, & alij iam citandi: donatio quippè ab eo, qui donatur esse potest; vt in sponsis quotidiè vsu venit; neque rarius Ecclesia canit: *Cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus.* Atque Augustin. 15. de Trinitate cap. 19. post med. *Nec quia illi*, Pater, & Filius, *dant*, Spiritum sanctum: *ipse datur, & ideò minor est illis. Ita enim datur, sicut donum Dei; vt etiam se ipsum det, sicut Deus. Non enim dicit potest, non esse sua potestatis, de quo dictum est: Spiritus vbi vult spirat.* Et post pauca: *Non est illi conditio dati, & denominatio dantium, sed concordia dati, & dantium.*

2 Quod si Higin. Pap. epistol. decretali sub init. Augustin. 2. de Trinit: cap. 5. circa med. Concil. Toletan. 11. profess. fid. col. vlt. Naz. orat. 38. col. penult. subobscurè dicant filium se ipsum misisse; ex contextu tamen constat, eos loqui de filio secundum diuinitatem respectu eiusdem; secundum humanitatem, cuius vnionis effectio, vt pote Trinitati communi, Filij etiam necessariò est, eamque missionem vocant. Neque aliter sentire possunt cum ad missionem, saltem præsuppositiuè, processionem à mittente, & authoritatem principij in hoc requirant. Et quidem Hieron. 5. in Ezech. cap. 16. part. poster. ad illa verba: *Et conuertens restituam eas.* impossibilitatem missionis eiusdem personæ à se ipsa multis explicat exemplis. Et Basil. 5. contra Eunom. sect. 2. Peti à Psalmo 103. *Emitte Spiritum tuum.* ait, *quia nec ipse seipsum mittit.* Idcircò nullam personam se ipsam mittere posse docent Altisiodor. 1. sum. Carthus. dist. 15. quæst. 1. fin. Durand. quæst. 3. Scot. quæst. vnic. §. *Licet.* §. *Videtur.* Vasq. disp. 107. cap. 2. init. cap. 3. §. 4. Soar. 12. de Trinit: cap. 2. num. 3. & cap. 3. num. 6. Ruiz vbi proximè Zuniga disp. 18. dub. vlt. Albiz disput. 14. sect. 3. à num. 4. Luiz Torres disp. 30. dub. 3. Perez, disput. 19. Gaspard. Hurtad. disp. 10. dif. 2. ac dum reliqui personam se ipsam mittere asserunt improprie se loqui fatentur.

3 Fit inde secundò spiritum sanctum non posse esse terminum *à quo* missionis Filij; ita Doctores citati, quia Filij principium non est. Obicis Ambros. 3. de fide ad Gratian. longè à princip. vbi ostendens missionem non inferre personæ missæ inferioritatem respectu mittentis illud Isai. 61. *Dominus misit me, & Spiritus eius.* de Filio sic explicat: *Iesus Christus in Esaia locutus est ab Spiritu S. se esse missum. Nunquid ergo Spiritu minor Filius.* at 3. de Spiritu sancto cap. 1. fin. eadem sententia, & interpretatione concludit; *Si ergo se inuicem Filius & Spiritus mittunt, sicut Pater mittit, non subiectionis iniuria, sed communitas potestatis est.* In eandem sententiam scribit Athanas. 3. de assumpt. hominis: *Memento reciprocam esse hanc virtutem mittentis, & missi, dum h'c.* Spiritus sanctus, *qui nunc missus est, ipse iampridem mississe mittentem inueniatur:* citato loco: post quem concludit: *discе tandem aliquando vnicam esse hanc naturæ diuinitatem mittentis, & missi: dum qui nunc in Euangelio, quamuis missurum se Spiritum Paracletum testatus sit, tamen se ipse ab eo iam prius missum per inclytum Esaiam professus est,* & epist. longiori ad Serapion. col. 4. vers. med. Spiritus diuinitatem probat ex eo, quod citato loco Filium misisse, dicatur; quo argumento vtuntur Chrysost. serm. de trinit. cap. penul. Anast. Synait. de rectæ fidei dogmatibus longè à med. Euseb. 5. demonstrat Euang. cap. 6. à med.

4 Nec valet Isaiam de se ipso loqui, vel de Cyro Babil. Rege facto, vt Deum cognosceret, populumque libertate donaret, vt Hebræi, & Catholici aliquot cortici attendentes defendunt, Obstat enim tot, tantorumque Patrum authoritas suspicienda, vt ille etiam sensus non admittatur. Item Augustin. qui 2. de Trinit. cap. 5. à med. ter, quaterque cùm sensum probat. Secundò obest contextus in quo missus de se ait: *Ex tempore antequam fieret, ibi eram*, quibus æternitas Filij loquentis exprimitur; ac rursus *Spiritus Domini super me propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me.* quæ incarnatus Filius in se impleta, quare, & de se dicta testatur Lucæ 4. *Quia hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Nec præstat spiritus nomine intelligi diuinitatem ab Hilar. 8. de Trinit. vers. med. Cypriano 2. aduersus Iudæos; cap. 10. Euthym. in Lucæ 4. Sed neque expositio hæc aliam excludit, neque Patrum, qui pro illa sunt authoritati satisfacit. Secundò missio non competit essentiæ nudæ, cum notionale quid omnium sententia sit. Si ergo præter Dominum absolutè dictum, nempè Patrem, Spiritus, id est diuinitas, non nuda, sed personata alterius è duobus personalitate, misit Filium: elige quam è duobus velis, vel Filij, vel Spiritus sancti adiungi personalitatem deitati ad missionem hanc, atque è duobus æque absurdis alterum admittas nec esse est: nempe vel Filium se ipsum mittere, vel mitti ab Spiritu S. vt aduersarij ex Patrum explicatione contendunt.

5 Communis solutio est, Filium mitti à tota Trinitate ratione humanitatis siue, vt hominem, ad docendum, & redimendum genus humanum: quare & ab Spiritu sancto; quæ missio per communicationem idiomatum, sicut, plura alia, dicitur de Filio absolutè. Ex qua missione, in qua tot supernaturalia intercedunt, rectè inferunt citati Patres Spiritus sancti, à quo est, æqualitatem cum Patre, & Filio: quia non nisi à diuinitate esse potest, eadem propterea in Spiritu sancto, atque in Filio, & communi vtriusque potestate, authoritateque mittendi, vt aiebat Ambros. & ab vnica cum Filio naturæ diuinitate, vt aiebat Athanas. de Filio enim secundùm se, ac non vt homine, mitti ab Spiritu sancto hæreticum putat ipse serm. 3. Concil. Nicæni apud sanctum Thom. opusc. 1. contra error. Græcor. capit. 14. init. his verbis: *Non vt asserunt alienati à gratia Euangelij, Ariani, Spiritus gratificat, & mittit Filium propter hoc, quod audierunt. Et nunc Dominus misit me, Spiritus eius. Et alibi Spiritus Domini super me.* Sed audi intepretationem, & solutionem ex Augustin. proximè: *Quod autem de Maria natus est in hunc mundum Missus aduenit, proindo missi à Patre sine Spiritu sancto non potuit.* ob operationis identitatem, & quia Lucæ primo dicitur. *Spiritus sanctus superueniet in te* & Matth. 1. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu S.* & post med. *Sic ergo intelligat illam incarnationem, & ex Virgine natiuitatem, in qua Filius intelligitur missus vna eadëque operatione Patris, & Filij inseparabiliter esse facta: non vtique inde separato Spiritu sancto de quo apertè dicitur inuenta est in vtero habens de Spiritu S.* Consonat Concil. Tolet. 11. profess. fid. col. pen. *Filius non solum à Patre, sed etiam ab Spiritu S. mitti credendus est; in eo quod per Prophetam dicitur: & nunc &c. à se ipso quoque missus accipitur: pro eo quod inseparabilis, non*

solùm voluntas, sed & operatio ad extra totius Trinitatis agnoscitur.

6 Scio equidem sanctum Thomam, quæstione 43. articulo 8. referre ex August. Filium ab Spiritu sancto missum, vt incarnaretur: ex quo Scholastici reliqui. Sed certè ex aliquo citatum falsò Augustinum, qui nil tale habet, transtulit; sicut sanctus Thomas ipse, & plures ex magistro tanquam Augustini sententiam referunt, quod Spiritus sanctus seipsum miserit: cùm solùm asserat 15. de Trinitate, *seipsum dedisse*, quod idem esse atque misisse magister putabat. Tamen oppones: quia si missio Filij ab Spiritu sancto asserta ab Ambrosio, & Athanasio est, Filij secundùm humanitatem tantum, seu qua homo est; Spiritus verò sancti secundùm se: malè inferunt æqualitatem eorum ex eo, quòd communiter, ac indifferenter alter ab altero mittatur; alter secundum se, & ratione sui mittatur; alter verò non ratione sui, sed naturæ humanæ inferioris, quam assumpsit, atque inde per idiomatum communicationem tantum. Neque melius infertur communitas potestatis ad mutuam missionem: cum non sit vtriusque personæ secundum se. Respondeo ergò, ad missionem duo requiri, & rationem principij productiui ad intra, & potentiam ad extra productiuam, & voluntatem, qua persona diuina mittatur. In primo non est augmentum perfectionis in principio fœcundo ad intra, sed omnimoda æqualitas eius cum persona producta, vt supra ostendimus ex Patribus iisdem, & ratione: quare solum posse esse mittentis, præmissa persona, superioritatem in missione ratione potestatis; seu potentiæ ad extra, & voluntatis. Has verò ostendunt Patres communes, & eadem in Filio, & Spiritu sancto, & Patre: cùm nec Pater mittat sine Spiritu sancto, & Filio volente, & cooperante ad extrinsecum, quod missio moralis includit, communi, eademque potestate: ita, vt missionis ipse Spiritus operator sit, atque propriè mittens, licet mittens formaliter, seu terminus *à quo* missionis non sit.

7 A ratione oppones: quia creaturæ imperfectiores Spiritu sancto, ac diuinarum personarum effecta, donant, ac mittunt diuinas personas: ergò citius Spiritus S. Filium. Antecedens probatur primò ex Paulo qui de se ad Galat. 3. ait: *Qui tribuit vobis Spiritum.* Secundò ex Innocentio, Rabanno; & aliis quæstione 5. dicentibus, tradi à summo Sacerdote in confirmatione Spiritum sanctum baptizatis. Tertiò quia probabile est sacramentum, imò & eius ministrum physicè causare gratiam, per quam mittitur, aduenitque Spiritus sanctus. Negatur antecedens: Paulus iuxta Chrysostomum, de Deo, non de se loquitur. Sed loquatur de se: an principaliter illum dabat? minimè, sed solùm impetratoriè, & suasoriè disponendo prædicatione, & impetrando oratione. Item summus Sacerdos, & reliqui sacramentorum ministri (esto physicè hæc gratiam causent) gratiam quidem, qua Spiritus sanctus aduentat instrumentaliter solùm causant, non, vt eius, ac Spiritus authores, ac Domini, & principales causæ donationis, sicut Deus; qui sine precibus ad alium fusis dat, & proinde mittit: vt sapienter obseruabat August. 15. de Trinit. cap. 26. longè à princip. ac vers. med. imò neque mittens ipsa persona missam cooperatione adiuuans: siue creatam, vt Apostolos in mundi conuersione, siue increatam, vt Filium in incarnatione Pater cooperando, quatenus, cooperatur, mittens est. Nam hæc denominatio solum cadit in Dominum, seu authorem personæ missæ, quatenùs talem, vt exemplis patet ducisa diuuantis milites in expugnatione arcis, ad quam eos miserat, & aliis mille.

***

CERTAMEN II.

De termino qui, seu persona missa.

1 Dicendum est omnes, solasque personas procedentes esse posse terminos *qui*, siue personas missas: ac proinde solus pater nequit esse terminus, *qui*, missionis diuinæ, suaptéque natura est immissibilis. Ita omnes Theologi. Ratio prompta: quia missio quæuis, vel supponit essentialiter, vel includit processionem actiuam in mittente, passiuam in missa persona, siue termino, *qui*, missionis: ergò illæ solùm personæ mitti possunt, quæ possunt procedere: atqui procedentes solùm possunt procedere: ergò procedentes solùm mitti possunt, seu esse termini, *qui*, missionis. Quare Patri, cui suapte natura repugnat procedere, mitti repugnabit. Recole Patrum testimonia data quæst. 1. cert. 3. addeque Isidor. 7. Etymologiar. cap. 3. §. 4. *Pater nunquam legitur missus.* Aug. 2. de Trinit. cap. 5. longè à princip. *Solus Pater nunquam legitur missus.* lib. 4. cap. 20. post med. *Pater cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet, de quo missus sit, aut, ex quo procedat.* cap. 21. fin. ait: *Et si pater visibiliter appareret absurdissimè, aut à Filio, quem genuit, aut à Spiritu sancto, qui de illo procedit, missus diceretur.* contr. serm. Arrianor. cap. 4. med. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet authorem, à quo genitus sit, vel à quo procedat. Non enim splendor, aut fervor ignem, sed ignis mittit splendorem, siue fervorem.*

2 Rectè ergò singularis absurda, maleque tuta censuratur Cordubæ sententia (1. quæstionar. quæst. 41. post med. ad 3. dicentis: fortè rectè, & catholicè concederetur, quod Pater mittitur à se ipso, & datur à seipso) à nostro Ruiz disput. 108. nisi ipse sect. 9. num. 16. concederet rectè dici posse Filium à se ipso mitti, & sect. 10. num. 17. Filium mitti ab Spiritu sancto, atque sic ferre sententiam communem: quibus censuram suam debilitat, atque eidem ipse patet. Augustinoque aduersatur: Etenim, quod has propositiones improprias dixerit, sect. 8. num. 4. rationeque cooperationis totius Trinitatis ad effectum, quo missio aduentus completur, & Cordubæ fauet, & retractatur ab ipso, cùm sect. 9. & 10. dicat, *recte*, eas dici? Quod enim impropriè dicitur nusquam rectè, & absolutè dicitur. Cæterùm si Pater incarnarerur, ad hominesque redimendos, aliudvè in mundo peragendum deinceps mitteretur terminus, *qui*, missionis suæ, qua homo erat tunc foret, à totaque Trinitate, etiam à seipso mitti per idiomatum communicationem diceretur quia tunc humanitas vnita, siue homo ille creata omninò missione Trinitati communi mitteretur; ergò per idiomatum communicationem, quæ tunc inter hominem illum, & Patrem intercederet à tota Trinitate missus Pater etiam à se ipso diceretur, vt supra ex Patribus de Filio misso ab Spiritu S. dicebamus.

3 Dubitatur hic an vna persona ex procedentibus sine alia, seu, quin alia mittatur, mitti possit? negat de omni missione, tam visibili, quam inuisibili, Corduba quæstione citata init. Affirmat de vtraque Alexand. 1. part. quæst. 73. m. 2. articul. 2. m. 4. art. 2. ad 3. Aureolus in 1. disputatione 15. articulo 2. post med. Ricardus, articulo quarto, quæstione secunda. Tertia sententia de missione visibili affirmat, de inuisibili negat. Ita Albertus, prima parte, quæstione trigesimatertia, m. vnic. circa fin. sanctus Thomas, quæstione quadragesima tertia, articulo quinto, ad 3. & in 1. disputatione decima quinta, quæstione quarta, articulo secundo, fin. sanctus Bonauent. parte secunda, articulo primo, quæstione secunda. Durandus, quæstione quarta, articulo tertio, numero octauo, & nono, Carthus. quæstione prima, à columna tertia, cum Tarant. & aliis, Capreolus quæstione prima, articulo tertio, conclusione tertia. Vasquez disputatione 170. cap. 3. §. 4. Ruiz

Ruiz d. 108. sect. 8. à n. 9. colligitq; à n. 11. fin. ex Mag. d. 15. cap. *Ad quod*, & cap. *Præterea*, citaturque Richard. proximè, vt clarè me ab hac quæstione expediam, Noto primò: quæstionis duplicem esse posse sensum. Primus: an vna persona necessariò terminet missionem alterius, vt neutra fuam, quin, & alia terminet eandem terminare queat. Secundus est: an licet persona quæuis suam terminet missionem, tamen vnius missio necessariò comitetur missionem alterius? Atque in hoc secundo sensu quæstio versatur. In primo enim tam certum est quamque personam suam, ac non alterius missionem terminare, quam est certum distinctam ab ea esse personam missam, & mittens principium. Noto secundò Doctores citatos non agere de missione physica ad terminum increatum, vel creatum, quæ tota est processio diuina. De hac enim, ne dubitationi quidem locus est: cum de fide sit non terminare processionem Filij Spiritum sanctum: quare neque eius physicam missionem, illamvè comitari in eodem gradu, licet posterius origine necessariò sequatur missio physica eius ad terminum creatum: nam ad increatum eius missio non est, vt dixi, & patet. Quæstio ergò est de missione morali.

4 Dico ergò: Missione morali inuisibili numquam vna persona mittitur, quin mittatur & alia, nisi per cognitionem extraordinariam fit. Est Doctorum tertiæ sententiæ, & Cordubæ citato loco. Ratio est: quia ex vna parte vtriusque personæ processiones suo quæque gradu separari nequeunt, neque earum præsentia, vel assistentia per amicitiam, siue tanquam in templo, siue per prouidentiam, & protectionem naturalem vel supernaturalem: atqui his omnibus solisque modis mittitur moraliter, aduenitque inuisibiliter persona procedens: egò nequit vna persona procedens moraliter inuisibiliter mitti, aduenireque sine alia, seu quin alia eodem modo mittatur: licet quia dona creata, quibus mittuntur, & aduenium, alia Spiritui sancto, verbi gratia charitas, gratia, attribuuntur: alia verò Filio appropriantur, vt fides quæuisque alia intellectus illuminatio, sæpè missio communis vni potius, quam alteri approprietur. Solum ab hac generali regula excipe casum, quo vna persona sine alia, vt in nostra sententia potest, per fidei, vel etiam visionis actum cognita mittatur, & aduenias; tunc enim vna sine altera moraliter mitetur & aduentabit, vt patet. In quo casu à prædictis Doctoribus discedo.

5 Dico secundò: missione morali visibili potest vna persona mitti sine alia. Ita Doctores secundæ, & tertiæ sententiæ: imò quod potius est, August. de Trinit. cap. 5. versicul. fin. lib. 4. cap. 20. post med. salua fide negari nequit, Filius quippè missus est visibiliter in carne sicque aduenit, quin Spiritus sanctus ita mitteretur, & veniret. Secundò; quia Spiritus sanctus bis ad Christum visibilis in columbæ specie, ac semel ad discipulos in igneis linguis in die Pentecostes, missus quin Filius tunc visibilis mitteretur. Ratio sancti Thom. quia missio sensibilis per signum sensibile constituitur, atqui signum sensibile potest esse vnius personæ, quin alterius, vt patet in vocibus, aliisque signis ad placitum: ergò potest esse missio sensibilis vnius, quin sit alterius. Cæterum signum quoduis sensibile, cum effectus sit trium personarum missio physica procedentium personarum coniuncta, & inseparabilis in illo efficiendo intercedit, iuxta superius dicta.

Id quod Doctores citati non negarent, nisi morali missioni intenti toti, physicam non curarent.

***

CERTAMEN III.

De termino cui *missionis, siue eo, cui Persona mittitur.*

1 Dico primò: Missionis physicæ terminus, *cui*, quandoque adest, estque is, cui vel effectus proficuus vel perniciosus est, si sit missio benefica, vel vindicativa, & ad eius damnum. Probatur ex loco citato Genes. 19. vbi procedentes personæ ad Sodomitas eorumque vrbem perdendam missi sunt. Secundò qui in missione physica increata Filius à Patre mittitur ad producendum Spiritum, cui per processionem esse cum Patre communicat, influitque personalitatem bonum scilicet, licet non bonitatem, infinitum: atque cum Spiritu sancto influit esse in creaturas. Vtrisque autem bonum est, atque proficuum. At dices terminum *cui* à termino qui processionis distingui realiter debere: quod in Spiritu sancto, & creaturis respectu sui esse nequit inueniri. Distinguo antecedens: in missione morali tranfeat, in physica nego. Physicum enim bonum primum, ac primarium vnius cuiusque est; suum esse, quod qui physicè ipsi dat in primis beneficus ipsius est. Dixi, in morali tranfeat, quia sicut donum opus non est, vt à donante distinguatur, ita fortassis opus non est, vt distinguatur à recipiente.

2 De missione morali dico secundò: quæuis rationalis creatura potest esse teminus *cui* missionis moralis per dona supernaturalia; per naturalia verò irrationales etiam. Probatur primò ab actu ad potentiam, quia creaturæ rationales, vel possunt esse non puræ creaturæ; vt Christus Dominus, vel puræ quæ diuiduntur in spirituales, & corporeas. Sed tam homini Deo missus Spiritus S. est per dona supernaturalia, quam Angelis, ac beatæ Virgini, innumerisque aliis hominibus, ergò hi capaces erant; vt eis missio personarum fieret; ergò & reliqui eiusdem naturæ, & conditionis sint capaces erunt, quibus personarum missio fiat. Secunda pars probatur, quia sicut Angeli mittuntur ad custodiam, & protectionem, vrbium, prouinciarum, arborum, segetum, ita si Deus volet mitti personæ procedentes possent, quin in eo vllum repugnantiæ vestigium esse possit. Quod enim ex hominum beneuolentia esset non obstaret, neque apparet cur earum rerum custodia; & protectio necessariò ex hominum amore pendere debeat.

3 grauior est difficultas an ad irrationalia mitti persone, atque aduenire queant supernaturali aliquo assistentiæ modo? difficultatis ratio est, quia Deus totus trinus, ac proinde personæ procedétes speciali aliquo, & diuino assistentiæ modo sunt in cœlo empireo, atque in templis etiam, vt constat ex 2. Regum cap. 7. num. 5. & 3. Regum cap. 6. num. 13. & cap. 8. *ædificans ædificaui domum habitaculum tuum.* De qua speciali inhabitatione Dei, & præsentia in templo Salomonis videatur cap. 9 & 15. eiusdem lib. de habitatione Dei, eiusque assistentia in tabernaculo portatili, atque speciali huius sanctificatione per sacrificia frequens est mentio Exod. 29. num. 33. & 44. Leuit. 5. & 21. denique Deum speciali modo adesse sacramentis, eorum materiæ consecratæ constat ex Leone M. serm. 2. de Pentecoste cap. 3. dicente, *Sine hac gratia*, Spiritus S. *nulla vnquam instituta sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria*; atque in baptismalis fontis benedictione cereum in aquam mergens Sacerdos precatur; *descendat in hanc plenitudinem fontis aquæ virtus Spiritus S.* qua nimirum media Spiritus S. assistat.

4 Dico tamen tertiò (quidquid de hac speciali assistentia personarum procedentium in empyreo templo, & sacramentis sit) nulla creatura irrationalis est terminus cui missionis personarum aliquo modo ex enumeratis supernaturalibus, Ita Alex. 1. part. quæst. 73. m. 2.

m. 3. art. 1. S. Thom. q. 43. art. 6. fine, vbi eius interpretes, & in 1. disput. 15. quæst. 5. artic. 1. Carthus. quæst. 4. Magist. disput. 17. c. cumque Ruiz disput. 109. sect. 6. num. 4. Ratio est: quia de ratione termini est in sua linea vltimum esse: vnde puncta continuatiua lineæ termini non sunt, atqui creatura irrationalis non est vltimum cui mittitur persona diuina in ea assistens etiam: ergò neque est terminus *cui*, missionis. Minor probatur, quia; cum templo, sacramentis, rebusque illorum, speciali illo modo adest, solùm adest tanquam mediis, vt gratia donisque supernaturalibus, specialique præsentia assistat viuo templo, & amico homini, vt dicitur Malach. 5. *Non propter locum genitem, sed propter gentem locum Deus elegit: ideò & ipse locus particeps factus est populi malorum.* Confirmatur apositissimo exemplo. Mittitur quis Matritum, vt Regem alloquatur: in via obuiis locis præsentatur, atque incolas alloquitur: an illis vel locis, vel in incolis, tanquam termini *cui* mittitur? minimè gentium, sed Matrito Regi, quibus emittentis intentione missio destinatur, licet eis tanquam intermediis, vt Regem, & Matritum adeat, pergat. Ecce casus noster adest.

DISPVTATIO XIV.

De modis loquendi in rebus Trinitatis.

GRAVIS adeò lubrica, ac delicata materia hæc est, vt in ea, non nisi scrupuloso examine, voces etiam loquendique modi admittendi à Theologis sint. In ea quippè locum in primis habet, quod aiebat Hieronymus, *ob vocum nempè incuriam hæresim incurri.* Quod vt lectores vitent præsentem disputationem solertius fortasse, exactiusque, quam alij discutiemus. Primò ergò concretorum significationem expendemus. Secundò, quo sensu verum sit. *Hic Deus est, hic Deus.* Tertiò, quæ concreta singulariter, quæ pluraliter continentur in diuinis. Quartò: an pluralitas personarum nominibus: alius, & alter, ac numerariis malculinè, aut neutrè significetur? Quintò quibus vocibus distinctio, & pluralitas personarum asseri debeat. Sextò sit ne numerus in Trinitate admittendus? Septimò verumne sit *Deus*, vel *hic Deus generat Deum*, vel *hunc Deum.*

QVÆSTIO I.

De Concretorum significatione.

CONCRETA nomina substantiua alia, alia verò adiectiua sunt. De vtrisque verò rigida significatio statuenda est, vt vniuersalia præcepta sacris dogmatibus accommodata assignentur.

CERTAMEN I.

De recto, & obliquo significato nominum concretorum, & aliorum sententiæ.

1 OKamus in d. 12. q. 1. art. 2. post init. Gregor. q. 1. circa med. Pert. Aliacens. in 1. quæst. artic. 1. vers. fin. §. *Ad secundum.* Marsil. ibi art. 2. ad 5. & in 3. q. 2. art 3. dub. 1. Gabr. ibi, dub. 4. ad 2. docent concreta quæuis in recto subiecta, vel suppositа significare; formam verò, vel naturam in obliquo, ita vt Deus, & omnipotens, habens deitatem, vel omnipotentiam sonet. Vnde inferunt pro numero, & pluralitate suppositorum, siue subiectorum, eorumvè vnitate singularizari, vel multicari concreta: quare nisi iustis de causis contrario vsu Ecclesia obstaret tres personæ tres Dij, rigida nominis primæuaque significatione dicendæ forent, vt expresè docent Aliacēsis, & Marsil. atque item, si tres personæ diuinæ eandem humanitatem assumentes suppositarent, tres homines absolutè dicerentur, cum essent tres habentes humanitatem, licet eandem. Huius sententiæ fundamenta leuia dedit Marsil. quibus oportunius q. 2. occurretur.

2 Hæc tamen sententia meritò periculosa censetur à Ruiz disputatione septuagesima-septima sectione secunda, numero decimotertio. Si enim ex propria significatione Deus habens deitatem significat, proprius loquentur hæretici Tritheitæ, vel noui Trinitarij, qui tres Deos affirmant, quam Catholici qui vnum esse tres personas defendunt. Imò proprius quam scriptura, quæ eius nominis propriam significationem, atque apud homines vsitatam apprimè sapiens, neque nouam eius significationem præscribens, tres personas vnum esse Deum toties hominibus inclamat. Vnde vel fateri debes Patres omnes, atque ipsum scripturæ authorem Deum nominis eius proprietatem ignorasse, longiusque, quam hæreticos à veritate aberrasse, quod blasphemè erroneneum est: vel propriori significatione conceptum *Deus* naturam significare absolutè in recto; in obliquo verò personam. Contra secundò: quia alioquin Patres otiosè Ethnicos de Dei vnitate, atque Hæreticos conuincerent: cum ipsi proprietate significationis potius illos reuincerent ex pluralitate personarum, quam fatebantur. Item vitiosè Ecclesiam improprium sensum retinere proprio neglecto docerent.

3 Arguo secundò: quia ex hac sententia dogmatica alia veritas pessum ibit. Infertur quippè ex illa in diuinis vnicam solum personam esse, non trinitatem personarum. Probatur illatio: quia huius concreti *Persona*, forma personalitas est, subiectum verò natura, quæ est habens personalitatem: atqui natura vnica est: ergò & concretum *Persona* vnicum, & singulariter solùm in diuinis erit, ac proinde persona vna, non trinitas personarum. Consequentia (præter quam, quod admissa est ab aduersariis in nomine Deus) ad pluralitatem eius admittendam ex eodem principio est legitima: quia pluralitas, vel vnitas nominis pluralis, vel singularis ex recto significato, cum quo concordat pensanda necessariò est, non autem ex obliquo, vt Grammaticis est notum.

4 Ob hæc secunda sententia omninò aduersa esse posset concreta omnia in recto formam, vel naturam propriè dicere, suppositum verò vel subiectum in obliquo. Hanc à nescio quibus recentioribus assertam recordor, typis verò mandatam non vidi. Ratio est: quia id significari in recto videtur, quod clarius significatur: rectum enim significatum, Principalius significatum est: principalius autem est, quod clariùs exprimitur: atqui in quouis concreto forma, seu natura clarius exprimitur, quam suppositum, vel subiectum, vt patet in nominibus: *Homo*, *Deus*, *Persona*, *Album*: ergò illæ sunt rectum concretorum nominum significatum, hæc verò obliquum. Secundò: quia in hac sententia rectè consistunt dogmata fidei, quæ in opposita labefactantur. Sed tamen in hac sententia dogmata alia æquè fortiter quatiuntur, vt ruant. Iuxta eam quippè non posset dici homo Christus esse Deus: cùm homo sit in hac sententia idem, quod humanitas cum subsistentia, seu personalitate, ac Deus deitas cum personalitate: deitas autem cum personalitate humanitas, etiam Christi, cum personalitate non est. Nec ratio est firma: claritas enim maior non arguit in concretis rectum significatum, sed esse rationem, seu formam denominationis, quod benè stat cum obliquo significato, vt ex dicendis constabit.

5 Tertia sententia esse posset: Concreta omnia naturam, seu formam, atque suppositum, vel subiectum dicere in recto: fundamentum est quod nulla præcedentium sententiarum saluis dogmatibus stare possit. Secundum: quod vtrumque essentialiter inuoluat concreti significatum: quare vtrumque in recto dici debet. Sed contra; quia opinio hæc vtrique dogmati simul opponitur: quia si *Deus*, vtrumque in recto dicit non erit idem *Deus*, Pater, & Filius. Nam Deus Pater est, deitas eiusque personalitas Filij, quod coniunctim in recto est Deus Filius ac multò minus homo Christus erit Deus, cum personalitas Filij, & Deitas, non sint personalitas Filij, & humanitas, quare plus dissonat sententia hæc sacris dogmatibus quauis præcedentium. Quod autem reipsa concreta vtrumque essentialiter claudant re ipsa est quod non cogit modum concipiendi nostrum, vt aliquid eorum aliter, quam in re sit declaret. Hanc sententiam tenuit Ricard. in 3. disputatione 1. quæstione 1. articulo quinto, eamque impugnat Scotus, quæstione 3. ad 1. est etiam si memoria non nutat, sententia Durandi.

6 Quarta demum sententia, & communis docet concreta substantialia, seu substantiua naturam, seu formam in recto dicere, subiecta verò vel suppositа in obliquo accidentalia autem, siue adiectiua subiecta, ac suppositа in recto, naturam, seu formam in obliquo. A qua regula Albertus, Alexand. sanctus Bonauent. sanctus Thomas, Henricus, Ægydius, Carthus. Durandus, & Ruiz proximè sectione tertia, numero nono; Substantiua verbalia excipiunt: vt *Opifex*, *Donator*, *Iudex*, *Rector*, *Imperator*, quæ, & similia adiectiuorum regulæ volunt subiacere. Licet autem sententia hæc adeò sit communis difficultatibus primæ, & secundæ patet. Nam in primis tres omnipotentes, æterni, immensi &c. dicendi in diuinis erunt, contra Athanasij symbolum: vt de nomine *Deus* contra primam sententiam dicebamus: atque insuper homo Christus Deus dici non poterit, vt inferebamus contra secundam: quare vt vera hæc sententia sit aliquibus explicationibus, & limitationibus ipsius generalitas eget, quas in nostra sententia subiiciemus.

***

CERTAMEN II.

Nostra, & verior sententia.

1 DIco primò: concreta substantiua substantialia, è sua primæua, propriaque significatione naturam, seu formam in recto significantia sita Alex. 1. part. quæstione 50. med. 2. quæstione 70. med. 3. art. 5. ad 2. Albert. quæstione 40. med. 2. articulo 2. quæstione 51. fin. sanctus Thomas, quæstione 3. articulo 3. (vbi Caiet. Canar. & reliqui interpretes) & in 1. disputat. 9. quæstione 1. articul. 2. sanctus Bonauent. dub. 2. literali, & disp. 22. dub. 4. lit. disp. 23 artic. 2. quæst. 4. Ricard. in 1. disput. 11. articul. vnic. quæst. 5. in 3. disp. 1. artic. 1. quæst. 4. ad 2. Durand. quæstione 3. & in 1. disput. 9. quæst. 3. disput. 29. quæst. 3. Carthus. disp. 9. quæst. 1. col. 3. fin. disput. 23. quæst. 2. ad vlt. cum Ægyd. Petro, Nigro, & aliis, Scot. disput. 12. quæst. 1. §. *Iuxta quæstionem*, Aureol. artic. 4. Capreol. artic. 1. conclus. 1. & 3. art. col. penult. & disp. 4. q. 1. art. 1. col. penult. Henric. art. 34. summ. quæst. 2. ad 6. art. 64. q. 6. ad 9. art. 60. q. 6. & 7 art. 75. q. 3. licet ad 2. nutet. Ferrara 4. contra q. 11. §. *Circa istam propositionem.* Caiet. rursus, 3. part. quæst. 3. art. 3. ad 2. Molin. 1. par. quæst. 36. artic. 4. disput. 3. &. 4. Vasq. disput. 115. cap. 4. Valent. disput. 13. de Trinit. puncto 3. longè à med. & lib. tertio de Trinitate Soarez. 3. de Trinitat. capite vndecimo numero octauo, ac libro quarto, capite duodecimo, Ruiz, disputatione 77. sectione 2. Martin. Perez, disp. 20. sectione prima, numero decimotertio, qui omnes, vel conclusionem defendunt, vel supponunt.

2 Probatur primò ab absurdis contra primam sententiam monstratis. Probatur secundò, quia primæua concretorum substantiuorum substantialium significatione, nihil amplius, quam nomine abstracto significatur: atqui abstractum solum significabat naturam, seu formam, & nunc, in recto: ergo, & tunc in primæua significatione concretum substantiale substantiuum naturam, seu formam solùm in recto significabat. Maior est certa; quia ante Trinitatis & incarnationis reuelata, & manifestata mysteria, quibus suppositi à natura distinctio primum hominibus innotuit, nihil ex parte obiecti in substantia præter naturam erat apprehensibile, ac significabile, siue in recto, siue in obliquo, hanc autem totam abstracta significabant; sicut & nunc vt modo dicebamus.

3 Dico secundò, concreta substantiua substantialia ab Ecclesiæ exordio, Euangelijque promulgatione propriè etiam, & rigidè formam, seu naturam in recto significant, atque in obliquo suppositum, vel subiectum. Primum patet, quia Ecclesia voces quantum veritates reuelatæ patiuntur in sua rigida significatione primæua relinquit: vt meijus mysteria reuelata percipiantur, insinuenturque hominibus; atqui in primæua significatione in recto significabant naturam: ergò eandem post reuelata mysteria significabunt. Secundò probatur quia substantiæ conceptus est per se stare; ergò nominis substantiui substantialis significatio proprior; reique significatæ, eiusque conceptui naturali accommodatior est per modum per se stantis: at solùm, quod significatur in recto per se stans significatur; quod autem ex tunc propriè de connotato, & in obliquo suppositalitatem, siue personalitatem significent probatur, quia abstractis nominibus natura, seu forma solum significari potest, quare id, quod persona addit supra illam concretis substantialibus significandum fuit, quæ concretis accidentalibus sunt similia, quibus forma denominans & totum denominatum, quare simul, & subiectum. Ast nequè

vtramque in recto significari, tum quia tres personæ non essent vnus Deus, vt supra ostendimus, tùm etiam quia subsistentia, vt modus naturæ significatur: quare, & eam afficiens, ipsique adiacens (ac subiectum in nomine, persona, vt id in quo forma directè significata inest) quare in obliquo. Hæc conclusio est etiam omnium, quos dedimus pro prima.

5 Dico tertiò: concreta substantiua non substantialia etiam formam in recto è sua proprietate significant. Ratio est facilis: quia, etsi concreta substantiua non substantialia, accidentalia sint, ac proinde eorum formæ physicè adiaceant, nec per se sint, & in recto, sed potius earum subiecta per se sint, atque eas sustentent: quare si modo proprio, & accommodato earum naturæ concipiendæ, ac significandæ forent, in obliquo significarentur, earumque subiecta in recto, tamen ad vsus aliquos potuerunt homines pro sua libertate eas ad modum substantiæ, ac per se tantum concipere: quod præstiterunt, cum eorum concreta substantiua efformarunt. Sic enim dicuntur: quia in modo significandi, & concipiendi eiusmodi accidentia modum concipiendi substantiam, eamque significandi eis nominibus homines imitati sunt. Quæ regula generalis est etiam pro concretis substantiuis accidentalibus, verbalibus, quæ ab ea Doctores citati num. 6. cert. 1. excepta volebant.

5 Dico quartò: Nomina concreta adiectiua, quæcumque sint, è qua primæua, propriaque significatione in recto significant suppositum, vel subiectum; formam verò vel naturam in obliquo. In hoc Doctores omnes conueniunt, quod satis ad eius probationem foret; sed addamus rationem, quæ in tanto Doctorum consensu nequit non lumine naturæ clarescere. Et quidem in ipso nominis adiectiui significatu se prodit. Ideò enim adiectiua dicuntur, quia formam, seu naturam denominantem, vt adiacentem significant subiecto, vel supposito; ergò in modo significandi, non dicunt eam per se, & in recto; sed in obliquo, subiectum verò, vel suppositum, vt sustentans, ac non in alio sed per se, & cui illæ innitantur, quare, & in recto. E duobus enim significatis, quod, vt adiacens significatur, nequit significari, vt per se, & in recto; quod autem vt sustentans, ac non in alio, per se, & in recto significatur. Confirmatur: quia cuiusuis nominis aliquod debet esse rectum significatum: ast in his nequit esse forma, seu natura, quæ significatur vt adiacens: ergò subiectum, seu suppositum erit.

6 Venit autem hic singularis nostra, magnique momenti in re theologica obseruatio: plura scilicet nomina adiectiua esse primaria, ac secundaria simul; ea nempè quæ duplex habent denominationis subiectum, alterum quod primò, alterum quod secundò denominant: huiusmodi sunt concreta omnia adiectiua ex attributis diuinis, vt omnipotens, omniscius, creans quæ immediatè formaliter naturam diuinam denominant, mediatè verò, & secundario personas iure identitatis earum cum deitate. Atque in his quidem, si absolutè proferantur sine adiuncto, quo secundarium subiectum denominationis denotetur, primarium solùm subiectum significatur. Vnde eo immultiplicato multiplicari, seu pluraliter enunciari eiusmodi concreta non debent: vnde asserunt Patres in diuinis tres omnipotentes non esse. Placuit hæc nostra nobis cogitatio: tum quia dogmati huic Patrum accommoda: tum quia insinuatam demùm vidimus à sancto Thoma, prima parte, quæstione 39. articulo 4. dicente in hac propositione: *Deus creat.* Deum immediatè pro essentia supponere, atque ab Scoto in 1. d. 4. q. 2. circa med. non intelligi in ea suppositum.

7 Dico quinto: Concreta substantiua adiectiuè quandoque vsurpantur, atque adiectiua substantiuè propria, licet non primaria, significatione de substantiuis vtramque acceptionem dedit nobis Damasc. 3. de fide, cap. 4. sub init. dicens: *Deus & homo de vna natura ordinatur: quèadmodum cum dicimus vnus est Deus. Sumitur etiam & de hypostasibus, vt particulariori suscipiente vniuersalioris nomen.* id est denominato, ac communi naturâ clarius c. 11. sine: *Deitas naturam ostendit, Pater verò hypostasim. Quemadmodum humanitas naturam, Petrus hypostasim; Deus autem, & communem naturam significat, & vnamquamque hypostaseon. denominat. Nam Deus est diuinam naturam habens, & homo humanam.* Deinde probatur: quia licet in substantiuis, etiam substantialibus, naturæ per se sint, sicque significentur, ast formæ plures substantiales naturæ adiacent, vt personalitas extranea, imò, & propria adiacet, saltem metaphysicè, ac physicè in communi recentium sententia: quare concreta substantiua harum iuxta earum naturam significabunt, si adiectiuè significent. Sed vniuersalius probo, quia sicut pro hominum libertate, quæ verè adiacent, vt per se stantia, concipi, & significari valent, ita, & nomine per se stantia possunt significari, & concipi, vt adiacentia, quoties nomen aliud noluerint ad id significandum addere. Secundò probatur: quia aliter vera esse non posset hæc propositio de homine Christo: *Homo est Deus.* Et contra nisi enim *homo* hic habens humanitatem significet, & *Deus habens deitatem.* rectum subiecti, & prædicati idem esse non potest, vt ad propositionis veritatem oportet.

8 De adiectiuis concretis substantiuè accipi, ac significare posse argumentum idem est à libertate, & consensu hominum petitum: ex quo tota, ac propria nominum significatio pender. Sed dices libertas hominum est in concipiendo, & significando, quod adiacet ad modum per se stantis, & quod per se stat ad modum adiacentis, secus autem, quod conceptus rei per modum per se stantis, sit conceptus rei per modum alteri adiacentis, vel, è contra, ac vox illi in modo significandi respondens. Verum in conceptu interno apparentem vim habet argumentum; ast in significatione vocis externæ, nec apparentem vim habet: cum hæc ex impositione hominum, vsuque libero pendeat: quare ex eo extendi, vt vtroque modo significet idem nomen, facilè potest. solùm autem primæ, vt significationi horum concretorum id honoris defertur, vt cum absolutè proferuntur sine adiunctis aliis in primæuo significandi modo accipi debeant: in minus autem antiquo, vt accipiantur, ex adiunctis aliis coniici oporteat: quare huius acceptionis dignoscendæ regulas præscribere oportebit.

CERTAMEN III.

Regulæ dignoscendi quando substantiua concreta adiectiuè, adiectiua verò substantiuè à Patribus, & Scholasticis sumantur.

1 PRima regula sit. Quoties de concreto substantiuo prædicatur aliud concretum substantiuum distinctam formam, seu naturam significans in Patribus conciliis, suscipiendæque authoritatis Doctoribus adiectiuè ea sumi certum est: Probatur quia tunc veram esse propositionem fateri, ac credere tenemur: ast nequit esse vera, nisi eiusmodi concreta substantiua adiectiuè sumantur: ergò adiectiuè ea sumi certum est. Minor est certa: quia concreta substantiua diuersæ formæ ac naturæ, si substantiuè sumantur, cum rectum vnius sit, vna forma, vel natura, & alterius altera, nequit rectum vnius esse idem cum recto alterius: quare neque vnum de altero verè prædicari. Ex hac regula constat in hac propositione, *Deus est homo*, & *homo est Deus.* quæ frequentes in Patribus conciliisque sunt concreta, *Homo*, & *Deus* adiectiuè vsurpari.

2 Dico secundò quoties apud probatæ suscipiendæque authoritatis Doctores propositiones inueniuntur, quæ

quæ nisi altero extremo substantiuo, adiectiuè accepto altero substantiuè verificari nequeunt a ea accipi certum omninò est. Sic in Hilar. 2 de Trinit. longè à med. cum *Pater, & Filius dicuntur Spiritus sancti authores.* nomen *authores*, adiectiuè vsurpatur pro habentibus authoritatem, seu potentiam spirandi; Si enim substantiuè sumatur, cum potentia, & spiratio in recto significata vna sit, authores verè dici non possent; Pater aurem, & Filius substantiuè sumuntur significatis in recto Patris, & Filij personalitatibus, & in obliquo deitate communi; alioqui, si hæc in recto significaretur authores pluraliter dici non possent. Similiter accipiuntur, cum ab Hugone Ætheriano 3. contra Græc. cap. 3. dicuntur initio: *donatores Spiritus S.* item, cum in Concil. Nicæno lib. 2. post med. §. *in libro Iob*, æqualis peritia *Artificum* dicitur, ac rursus: *æqualis opificum appellatio.* Etenim *Artifexque*, nisi adiectiuè, & pro suppositis in recto, siue habentibus artem, & opificationem pluraliter enunciari nequeunt in diuinis.

3 Dico tertiò; adiectiua substantiuè sumuntur, quoties aliter suscipiendæ authoritatis; authorum propositiones verificari nequeunt. Ratio est eadem, quæ pro præcedentibus conclusionibus: sicque vulgò illæ propositiones dogmaticæ: *Non tres omnipotentes, nec tres immensi, aut æterni, sed vnus omnipotens, æternus, immensus.* Adiectiuè enim tres æterni dici possent, tresque immensi, quia revera tres personæ sunt habentes omnipotentiam &c. Neque verò mirandum est ex adiunctione prædicati, vel subiecti concreata aliter, atque aliter supponere, vel supponi subiecta facere; & è contra subiecta prædicata, vel confusè: vel determinatè, vel personaliter, vel coniunctim, & copulatiuè monstrauimus in logica; iterumque in controuersiis de incarnatione dicemus.

4 Ex duabus primis regulis facilè expeditur difficultas in scriptura frequens, Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, &c.* Hebræa *elohim.* id est *Dij, vel Iudices.* Genes. 20. *postquam eduxit me Deus.* Hebræa *declinare me fecerunt elohim.* 2. Reg. 7. *iuit Deus, vt redimeret eam.* Hebræa: *Iuerunt elohim ad redimendum.* Genes. 35. *Apparuit ei Deus.* Hebræa: *Apparuerunt ei elohim.* Vbique autem adiectiuè vsurpari nomen *elohim*, ac *Deus*, vt inde etiam Trinitatis mysterium insinuaretur, docent Magist. in 1. disp. 2. cap. *Nunc verò*, Carthus. quæstione 8. & reliqui interpretes, sanctus Bonauent. disput. 8. litterali, & disput. 4. articul. vnic. quæstion. 3. sanctus Thomas disputat. 2. in exposit. text. & in 1. part. quæst. 39 articul. 3. ad 2. Alex. quæst. 50. med. 2. ad 2. Lyra & Burgens. ad 1. Genes. vbi etiam Caietanus, & Eugubin. & Genes. 20. Cathar. in 4. contr. Caiet. §. *Ex aduerso verò.* Abulens. tractatu de Trinitate, Perer. disp. 17. in Genes. Bellarminus 2. de Christo, capite 6. column. 1. Vasquez 1. part. disputat. 108. cap. 2. Suar. de Trinitate capite 12. Ruiz eos referens disput 77. sect. 5. num. 1. ad 3. obseruat autem cum Eugubino & pereria contra Caiet. num. 4. vocis *Elohim* singularem terminationem esse *Eloha*, inuenitur in Hæbrea Iob capite 12. cap. 36. Habachuch. 1. & 3. licet elohim, singulariter etiam apud Hebræos, significet. Alioqui enim idololatriæ assuetis, propensisque Iudæis magnam aberrandi occasionem præberet, si de Deo nomine pluralis numeri ad ipsos loqueretur. Secundò; quia frequens esset in scriptura Deum vno nomine vnum asserentis, contradictio, & mala concordantia verbi singularis cum ne vtrum asserentis, contradictio, & mala concordantia verbi singularis cum illo sæpius posita, quæ & à Rabbinis, origine, Hieronymo, aliisque eius linguæ peritis notaretur. num. 3. ait elohim relatè ad Deum semper in scriptura singulariter, & substantiuè vsurpari, mala tamen consequentia ad ea, quæ dicit numero 9.

¶ 5 Duo tamen dicenda nobis hac super re sunt, iuxta regulam à nobis datam. Primum esto: quoties prædicatum, siue expressum: siue in verbo inclusum, ipsumque verbum singularis numeri coniungitur in oratione cum nomine *elohim*, sumitur *elohim* substantiuè, & singulariter. Concl. est Abulensis proximè, & recitatorum post ipsum. Ratio est facilis ex data regula: quia indifferentia, vt singulariter, & substantiuè, vel pluraliter, & adiectiuè nomen *elohim*, significet, determinatur, vt alterutro modo vsurpetur ex adiunctis, nomine, verbo, aut similibus. Secundò argumenta proximè facta pro significatione nominis *elohim*, in singulari hoc etiam suadent. Tertiò, quia ea loca (quæ sequentia sunt Genes. 1.) in quibus nomini *elohim.* adiungitur verbum in singulari nemo peritus, etiam Hebræus, vertere, aut legere illud in plurali ausus est. Legerent autem Patres, vt inde Trinitatis mysterium Iudæis suaderent, si ita legere possent: sicut ex quauis voce, qua pluralitas in diuinis insinuari posset, Trinitatem, seu pluralitatem personarum contra illos deducunt, vt ex illo: *faciamus hominem.* Patres arguunt citati d. 2.

6 Alterum verò dicendum est contra Ruiz, n. 3. licet cum ipso, n. 9. nomen *elohim* cum ei adiungitur in propositione nomé, aut verbum numeri pluralis pluraliter & adiectiuè significare, ita Abulens. Caiet. Perer. Vasq. & Bellarm. citati, dum asserunt ex *elohim* cum adiungitur verbum singulare, non colligi Trinitatem construique obseruant cum verbis adiectiuis numeri pluralis: quod nisi accepto pluraliter & adiectiuè, fieri minimè potest vt ex dicendis q. 3. patebit. Probatur insuper ex locis datis n. 4. atque ex Iosue 24 *deus Sanctus est.* Hebræa: *elohim sancti ipse.* & Genes. 1. *Faciamus hominem.* Cum enim personæ ibi colloquentes inducantur, præmissumque fuerit, *Dixitq; Deus*, idem nomen quod cum verbo *dixit*, substantiuè, & singulariter sumitur; cum verbo *faciamus* pluraliter, & adiectiuè vsurpatur. Pro qua explicatione stant Patres citati d. 2. ad hæc loca. Tandem probatur ratione facta proximè: quia nomina indifferentia, vt singulariter substantiuè, vel pluraliter, & adiectiuè accipiantur, ex adiunctis in oratione vocibus, quibus concordat, determinari debent, vt alterutro modo significent, & accipiantur.

QVÆSTIO II.

An quovè sensu verum sit, Hic Deus, est hic Deus.

ERA quæstionis huius resolutio pendet ex rigida significatione *Dei* adiuncta ecceitate: quare hæc primùm exactè inuestiganda est.

CERTAMEN I.

An hic Deus *significet aliquid personis aliquo genere prius.*

1 EX dictis proximè constat ecceitatem singularem adiunctam voci concretæ substantiuæ *Deus* denotare singularitatem naturæ diuinæ, quæ rectum eius vocis significatum est, cum quo pronomen *hic* grammaticaliter concordat. An verò & personalitatem in obliquo significatam denotet in singulari. Aureolus in 1. disputatione 4. capite 1. articulo 2. & capite 2. articul. 4. censet & nomine Deus de connotato tres personalitates singulares significari: quare neque Deum, neque hunc Deum concipi aliqua prioritate posse ante personas. Citantur falsò pro hac opinione Henricus, & Durandus. Sed contra: quia nulla persona esset adhuc identice Deus, cum nulla persona sit deitas cum tribus personalitatibus. Secundò: quia totum significatum Dei, huiusque Dei monstrabatur ante notitiam Trinitatis. Tertiò: quia ecceitas solùm afficit rectum significatum nominis, cum quo genere, numero, & casu concordat pronomen

hic quod eam significat: non autem obliqua, cum quibus non concordat: quare neque designat personalitates in singulari; Quæ duo extrema argumenta probant, neque denotare vllam personalitatem singularem. Quod vlterius probatur, quia neque substantiuè dici posset eundem Deum esse Patrem cum Filio: neque adiectiuè cum non sit idem habens deitatem cum Filio, neque Deitas cum personalitate Patris, sit deitas cum personalitate Filij.

2 Communis igitur sententia fert Deum, etiam pronomine *hic* affectum nullam personalitatem significare, si substantiuè sumatur. Ita Molin. 1. part. quæst. 36. art. 4. d. 3. q. 39. disp. 1. Valent. q. 13. de Trinit. punct. 3. colum. 3. & 6. Vasq. disp. 156. cap. 12. Ruiz, disp. 78. num. 6. 7. & 8. apud quem Alex. Albert. sanct. Thom. S. Bonauent. Ricard. Carthus. Maior. OKam. Gabr. Marsil. Henric. Durand. Canar. & Cliououæus in Damasc. 3. de fide cap. 4. init. ac Theologi reliqui. Hoc autem statuto Caiet. Miranda Soar. citati à Ruiz, sect. 1. & disp 34. sect. 1. & alij citati etiam à nobis disp. 7. sect. 1. cert. 3. num. 1. & q. 2. cert. 1. num. 1. consequenter ad suam doctrinam de substantia physicè communi, quam in Trinitate admittunt, asserunt hanc de connotato nomine *Deus*, & *hic Deus* significari. Quod significatum semisuppositum, vt vidimus citata quæst. 2. appellabat ibidem reprehensus Caietanus. Vnde inferunt rursus, *Huius Dei*, significatum totum ratione personis in singulari procedere. Addit Martinus Perez, disp. 20. nisi sua illa opinione de communi subsistentia admissa præcedere *Hunc Deum*, Personis singularibus nullatenus posse. Verum prioritas hæc his fundamentis innixa placere nobis nusquam poterit: cùm opinionem de substantia physicè communi, siue sola in diuinis, siue aliis personarum subsistentiis associata, non solum falsam, quæstione 1. & 2. citatis affatim ostenderimus. Sed iam quid de prioritate sentiendum sit, aperiamus.

3 dico primò: *Deus*, vel *hic Deus* substantiuè sumptus ratione singulis, & omnibus personis præcedit. Ita Doctores citati, num. 2. init. & Scot. in 1. disp. 4. quæst. 2. probatur primò quia naturalis cognitio prior est supernaturali fidei: atqui *Deus*, & *hic Deus* substantiuè acceptus naturali cognitione cognoscitur? personæ autè singulares cognitione solùm supernaturaliter: ergò *Deus*, & *hic Deus*, substantiuè prior est ratione, & cognitione, non autem de obiectiua. De hac autem probatur ex Aristot. in post prædicamentis, cap. de modis prioris, vel id etiam prius aliò vocat: *Quod non conuertitur essendi consequentia, quo posito vnum duobus est prius. Nam si sint duo, & vnum continuo sequitur esse; at si vnum sit non necessariò sequitur duo esse:* Atqui quantum ad rationem *si Deus*, vel *hic Deus*, substantiuè asseratur, non sequitur esse aliquam personam determinatè, & singularem diuinam, ex eo autem quod diuina persona determinata, asseratur sequitur necessariò esse *Deum*, & *hunc Deum*, ergò *Deus*, & *hic Deus* substantiuè prior ratione ex parte obiecti etiam, est singulis personis diuinis. Confirmatur: quia vagum & indeterminatum non infert singulare aliquod, bene autem contra: Vnde si oculus requiritur ad videndum, non infertur hunc requiri, vel illum requiri; at si hic requiritur non infertur bene vagè, vel hunc, vel illum requiri: quæ est prioritas maioris vniuersalitatis.

4 Dico secundò: *Deus*, & *hic Deus* adiectiuè sumptus pro habente deitatem ratione obiectiuè præcedit personis singularibus omnibus realiter etiam aliquibus non omnibus. De præcedentia rationis constat ex ratione proximè data; est enim præcedentia indiuidui vagi respectu Petri, & Pauli. De præcedentia reali constat: quia *Deus*, & *hic Deus*, Pater præcedit duobus reali originis prioritate: atque *hic Deus* Filius Spiritui sancto realiter procedit; nulla autem persona, siue *hic Deus* Patri præcedit. Designatur autem nomine Dei persona Patris Ioann. 1. *Verbum erat apud Deum.* 1. Corinth. 1. *Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius.* Matthæi decimo-sextò. *Tu es Christus Filius Dei viui.* & Ioanne tertio, atque ad Galat. quarto. Similia habentur 1. Corinth. 8. aliisque locis, quibus disputatione secunda, nomine *Deus* intelligi personam patris ex Patribus ostendebamus. Filij verò persona *Dei* nomine designatur Baruch. 3. *Hic est Deus noster, non æstimabitur alius aduersus eum.* Aliisque quibus Filij diuinitatem probari disputatione secunda, notabamus: quandoque verò pro duabus personis collectiuè sumptis *Deus* substantiuè accipitur, vt cum Spiritus sanctus *Dei Spiritus* dicitur 1. Corinth. 2. & 6. ad Roman. 8. 1. Petr. 4. Cùm enim adiectiuè *Deus* sit habens deitatem: atque in principio spiratiuo duo habentes deitatem sint non magis adiectiuè Deus in singulari principium spiratiuum dici potest, quàm duo homines singularis homo dici possint.

CERTAMEN II.

Veritas propositionis: Hic Deus, est hic Deus. *Examinatur.*

1 IAm de veritate huius propositionis titulo quæstionis præfixæ oportet statuere. Et quidem Vasquez disput. 156. Molin. 1. p. q. 39. art. 4. veram esse solùm in sensu identico aiunt; sicut hanc: *Petrus est Petrus*: censent enim orationem *hic Deus*, in vtroque extremo solùm designare vnum, & eundem Deum substantiuè acceptum pro natura diuina, siue deitate in recto: qua acceptione idem est asserere: *Hic Deus est, hic Deus.* atque asserere *Petrus est Petrus*, quæ vera est in sensu identico reali, & formali. Ruiz disputatione 78. sectione 6. numero 51. contendit nomine *Deus*, substantiuè etiam accepto si adiungatur pronomen *hic*, non solum deitatis singularitatem significari, sed & singularem personalitatem. Fallitur tamen: quia pronomen *hic*, solum afficit rectum substantiui, cum quo concordat: ac proinde recti solum singularitatem designare potest. Nec ad rem adducitur in oppositum Anselm. de incarna. Verbi capite quinto dicens pronomine *hic* adiuncto voci concretæ *homo* designare personam, non naturam, quæ voce communi homo significatur. Continet enim doctrinam profundiorem nostram de subsistentia, & personalitate, quam d. præmiali statuimus, quæquè locum in re præsenti non habet. Si ergò Deus in ea propositione vtrimque substantiuè accipiatur, singularis persona designari nequit, aut aliter vera esse ea propositio, quam in sensu identico, reali, & formali.

2 Verum tam Ruiz, quam Vasquez, & Molina in eo decipiuntur, quod Deum in ea propositione solum posse vsurpari substantiuè defendant, ac proinde solam naturam designari, ac demonstrari pronomine *hic* adiuncto voci *Deus*. Etenim, vt satis quæstione 1. monstratum est certam. 2. num. 7. & cert. 3. substantiua concreta posse adiectiuè sumi, proprio etiam sensu, certum est. Quis ergò prohibet sic à disputantibus vsurpari: aut vsurpato nomine Deus adiectiuè pronomen *hic*, designat singularitatem recti significati *Deus*, cum quo concordat: nominis autem *Deus* adiectiuè sumpti rectum est persona; ergo designat personam singularem. Sed potest adhuc designare personam singularem vagè sicut superius diximus certam. 1. numero 4. vel demonstrando personam determinatam, v. g. Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti, quod ex disputantium arbitrio pendet, cùm pronomen *hic* indiuiduo vago, seu singularitati vagæ, vel determinatæ significandæ aptum sit. Quo posito veritas propositionis in quadruplici acceptionum harum nominis *Deus* combinatione inquiri potest. Prima, accepto nomine *Deus* substantiuè ex parte vtriusque extrem. Secunda; accepto ex parte vnius substantiuè, adiectiuè vero ex parte alterius. Tertia: accepto vtrinque adiectiuè. Quarta est subdiuisio acceptionis adiectiuæ. Potest enim sumi Deus, & hic Deus adiectiue pro singulari persona vage habente deitatem, vel pro singulari Persona determinata habente Deitatem.

3 Porro ex minus acurata vetustiorum distinctione, & conbinatione acceptionis nominis *Deus*, sæculi proximi Doctores Andabatarum more pugnabant, æquaque cæcitate, & furore quilibet in alios, aliter, quam ipse de eius propositionis veritate, vel falsitate censentes, ad extremas vsque censuras decertabat, vt de sua ætate testatur Canar. 1. p. q. 39. art. 4. p. 3. commentarij, imò, & nostro sæculo Ruiz d. citata ex incuria eadem multa in consequentia, tantoque, ac tam erudito Theologo indigna docuit à num. 6. vbi docet prædictam propositionem falsam esse designata diuersa Persona ex parte subiecti, & prædicati: & num. 7. negatiuam etiam falsam absolutè esse, neque contradictoriam primæ: quia terminus *Deus*, etiam designatus singularis, manet adhuc communis tribus Personis. Sed certe vel variatur suppositio ex parte alicuius extremi in negatiua, vel non variatur, sed eadem acceptio termini *Deus*; atque in affirmatiua seruatur. Si variatur non negatur prima, si seruatur negatiua primæ contradicit.

4 Secundo: vt negatiua sit falsa, oportet, vt hic Deus significet substantiuè Deum singularem metaphysicè, ac physice communem: at si ita accipiatur, & significet in affirmatiua vera erit, neque Personam singularem determinatam designabit: ergo vel in damnanda prima deciperis, vel in negatiua eius assignanda varias suppositionem: cum in affirmatiua assignari vtrimque Personas duas nomine huius Dei asseris, ac proinde accipi adiectiuè debes faterisin negatiua vero ex parte prædicati Deum vnum communem; quare, & substantiuè significatum ponis, quem si ita in prædicato affirmatiuæ adhiberes veram inuenires, atque eius sensum, quem in illa primo loco probas n. 10. Addit ibidem alio sensu veram affirmatiuam esse: si Deus, etiam pro habente Deitatem acceptus, sumatur pro habente non secundum rationes proprias paternitatis v. g. & filiationis, sed præcisè, secundum rationes habendi deitatem, qui sensus verus est sed maiori eget explicatione.

5 Diximus n. 1. sumpto *Deus*, vtrinque in ea propositione substantiuè esse veram identice formaliter adhuc, *vt Petrus est Petrus*, eademque ratione vera est sumpto adiectiuè vage, ex parte vtriusque extremi, est enim idem sensus, atque huius: *Indiuiduum est indiuiduum.* & hic est secundus sensus probatus à Ruiz. Tertiò eadem ratione est vera sumpto adiectiuè determinatè vtrimque, designataque ex parte vtriusque extremi eadem Persona determinata: est enim sensus idem atque huius: *Persona Filij est Persona filij.* Tota difficultas est, cum designantur diuersæ Personæ pronomine *hic* ex parte subiecti, & prædicati, sumiturque, vel adiectiuè determinatè ex parte vtriusque, vel adiectiue vage ex parte vnius extremi, & adiectiuè determinatè ex parte alterius, vel adiectiuè, siue vagè, siue determinatè ex parte vnius, & substantiuè ex parte alterius de quibus breuiter, ac dilucidè sigillatim ferenda sententia est, vt confusionis occasio omnis propellatur.

6 Dicendum est primo. Designatis Personis diuersis, atque adiectiuè determinatè accepto vtrinque nomine *Deus*, propositio est non solùm falsa, sed hæretica Sabelliana, quia est sensus: *hic habens Deitatem* nempe, *Filius* v.g. est *hic habens Deitatem* nempe, *Pater*; quod est Personas confundere. Dico secundò: sumpto adiectiue vage ex parte vnius extremi *hic Deus*, ex parte verò alterius adiectiue determinatè est vera in sensu formali propositio; est enim sensus: *Hæc Persona diuina est hæc vel illa Persona diuina*: quod verum est æquè atque hæc: *Hoc indiuiduum est indiuiduum.* Quod si adiectiuè vage ponatur *Deus*, ex parte subiecti erit vera, & formalis propositio, sed indirecta, sicut hæc: *homo* vel *aliquis homo*, est Petrus. Dico tertio: sumpto *Deus*, adiectiuè vage ex parte vnius extremi; substantiuè autem ex parte alterius, propositio est vera in sensu identico reali. Pater: quia sensus est: *Hoc* vel *illud habens Deitatem est deitas cum subsistentia.* quod realiter, & identicè est verum, & de fide. Dico quarto: sumpto *Deus*, ex parte vnius extremi adiectiuè determinate, ex parte vero alterius substantiue est propositio vera, & de fide in sensu identico: quia sensus est: *Hoc determinatum habens Deitatem*, v.g. Filius, *est Deitas cum subsistentia, quæ est in alio habente deitatem*, nempè *Patre.*

7 Eodem prorsus modo censendum putat Ruiz n. 11. de hac propositione: *Hic spirator est hic spirator.* designatis Patre ex parte vnius extremi, & filio ex parte alterius. Ego verò longè aliter censendum puto: quia neque adiectiuè, si propriè loquendum sit, neque substantiuè Pater solus spirator est, neque filius solus: cum vtriusque personalitas, tam potentiam spiratiuam, quam actum spirandi constituat: quare in neutro seorsim est potentia, vel spiratio vnde neuter seorsim est habens potentiam spirandi, siue spirationem. Quod enim Hilarius, & Hugo Ætherianus adiectiuè eos auctores, donatoresque Spiritus Sancti dicant locis datis q. 1. cert. 3. n. 2. non admodum proprium est, neque vt tale dictum, sed vt ostendant Spiritum Sanctum à duplici Persona procedere. Sed, neque substantiuè diuersus spirator est, vt patet: quare, nisi in sensu identico reali formali sumpta, & significata ex parte vtriusque extremi, ac repetita Persona vtraque, propositio est de subiecto non supponente: atque eius etiam negatiua: quare vtraque falsa. Vnde constat Spiratoris conceptum, siue relatiuum prædicamentaliter, siue transcendentaliter, vt spirantem in actu primo, vel secundo, nusquam præintelligi adhuc ratione ad Patris, & Filij Personam. Quidquid oppositum vt commune asserat Hurtado d. 11. difficult. 4. allegans Gabrielem, Molin. Granad. Ruiz, Martin. Perez, Gregor. Bannez, Zumel. Vasq. Arrub. Luisium Torres, & Zunnigam.

QVÆSTIO III.

De veritate huius propositionis: Deus *vel*, hic Deus generat Deum, *vel* hunc Deum, *& similium.*

DE huius propositionis veritate non potest esse magnum dissidium, sed negatiuæ falsitate, ac de affini alia nempe: *essentia generat, vel generatur.* de qua hic etiam definiendum erit.

CERTAMEN I.

Veritas, & proprietas eius propositionis statuitur.

1 PRopositæ propositionis veritas Catholica, & dogmatica est deducta, vel potius inclusa in Scripturæ locis, vbi Christus filius Dei dicitur, vel Patrem suum dicit Deum, vt Matth 16. & similibus. Propterea quotidie sæpius Ecclesia ex symbolo canit *Deum de Deo Deum verum de Deo vero.* id est Deum genitum de Deo generante. Dionys. 2. de diuin. nominibus. *De Deo quidem, qui Deum genuit.* Athanas. Dialog. 2. de S. Trinit. contra Anom. *Deus Deum genuit.* Basilius. *Aduersus eos, qui calumniantur quod tres Deos colamus.* fine: *Deus genuit dignum se ipso.* Epiphan. hæresi 76. ad c. 1. Aëtij: *Deus genuit ex se ipso Deum.* In qua propositione, licèt Deus priori sensu, vt mox dicam, adiectiue vtrinque sumatur, eadem

veritate poteſt ſubſtantiuè ſumi. Sapienter enim Iuſtinus q.18.ad Orthodoxos: *licèt diſtinctè dicamus filium modo Patris, modo Dei filium; at diſtinctè eum nunquam cogitamus filium modo Patris, modo Dei filium; at diſtinctè eum nunquam cogitamus. Eſt ergo filius Patris filius eius, qui ſubſtantia Deus eſt: eſt autem idem dicere Filium Patris, & Filium Dei. Siquidem quidquid eſt Perſonæ, idem eſt etiam ſubſtantiæ Perſonæ.* Sic cum Petrus currit, aut generatur Homo currere, aut generari dicitur. Hilar.6. de Trinit. longè ab init. *Deus, vt eſt Deus, quod eſt permanet: & permanens Deus Deum genuit.*

2 Siue ergo adiectiuè, ſiue ſubſtantiuè Deus in ea propoſitione accipiatur vera, catholica, & dogmatica propoſitio eſt. Subſtantiuè, quia generans, & genitus, Deus ſubſtantiuè ſunt: adiectiuè, quia aliqua perſona habens Deitatem nempe Pater, generat habentem Deitatem, nempè filium. At vero quæ acceptio proprior eorum terminorum in ea propoſitione ſit dubitari poſſet. In quo Doctores, cum S. Dhom. 1. p. q. 39. art. 4. ad 3. eiuſque Interpretibus, docent proprietate maiori ſumi vtrimque terminum *Deus*, adtectiuè. Ratio eſt in noſtris principiis prompta: quia ſuppoſitio, & ſignificatio, ſeu acceptio terminorum non ſolùm ex ſignis, *aliquis, omnis*, ſed ex adiunctis aliis ex parte Verbi, aut aliis adiunctis ex parte terminorum variatur: quare ex eis penſanda propria ſuppoſitio, ſignificatio, & acceptio terminorum eſt, vt multis euincebamus in Logica: ergo, cum Verbum aliquid nationale importat, propriumque Perſonæ, qua talis, atque vt perſonalitatem includit, *Deum*, qui terminus indifferens eſt, vt pro Perſona in recto, vel pro Deitate ſupponatur, atque vſurpetur, determinabit: atqui generare, quod in ea propoſitione includitur notionale, ac proprium Perſonæ, qua talis, includit: ergo Perſonam adiectiuè Deum, ſeu habentem Deitatem proprius, quam Deitatem cum ſubſiſtentia, ſiue Deum ſubſtantiuè ſignificabit.

3 Opponunt Hæretici: Deus, vel hic Deus genuit Deum: ergo genuit eundem Deum, vel alium. Si eundem: ergo genuit ſe, quod implicat, atque à Patribus, & Scholaſticis conſtanter reiicitur: ſi alium: ergo ſunt alius, & alius Deus: ac proinde plures ſunt: quod non minus, & veritati, & dogmati catholico repugnat: quare reſtat, vt Deus non ſit, qui generatur. Conſequentia prima videtur certa ex Ariſt. 10. metaph. c. 5. text. 11. vel 12. apud S. Thom. lect. 4. poſt med. dicente: *Diuerſum, & idem omne dicitur, quæcumque dicunt, & vnum, & ens:* quare ſiue idem, & alius adiectiuè, ſiue ſubſtantiuè ſumantur, vel identitas, vel diuerſitas geniti à generante Deo admittenda neceſſariò videtur, niſi quis contradictionem velit incurrere. Albert. 1. p. q. 51. quæſtiunc. 1. incidenti, & S. Bonau. in 1. d. 4. art. 1. q. 2. admittunt genuiſſe alium Deum appoſitiuè: ideſt Deum, qui alius à generante eſt, non alius Deus. Sed hæc ſolutio nomen *alius*, ſubſtantiuè accipit inuſitata, atque æquiuocationibus, ſophiſmatibuſque hæreticorum appoſita acceptione: quare tandem deſeritur à S. Bonau. reiiciturque à S. Thom. 1. p. quæſt. 39. art. 4. & in cap. d. 4. quæſt. 1. art. 4. Argent. q. vnic. art. 4. Henrico art 54. ſum. q. 3. ad 3. & à reliquis Theologis nouioribus.

4 Scotus in 1. d. 4. q. 1. ad 1. Vaſq. d. 157. c. 7. col. 1. adiectiuè accepto, *idem*, & *alius*, *Deus*, negant primam partem conſequentiæ primæ, & admittunt ſecundam: quia accepto Deo adiectiuè Filius genitus idem cum generante non eſt, ſiquidem eſt diuerſa Perſona. Si autem ſumatur ſubſtantiuè eundem genuiſſe videntur fateri: quia genuit Perſonam Filij, quæ idem Deus ſubſtantiuè, ac Pater eſt, vt dicebamus. Et tamen negandum eſt genuiſſe ſe: quia pronomen *ſui*, *ſibi*, *ſe*, perſonale cùm ſit, ſolùm afficit Perſonas, ſeu Deum acceptum pro Perſona. Nec refert actionem dicere diuerſitatem generantis à genito, ac proinde Deum eundem non poſſe generare eundem Deum. Identitas enim, & vnitas Dei, vel huius Dei ſubſtantiuè ſumpti non excludit communitatem quaſi phyſicam ipſius, quæ perſonalem diuerſitatem excludat: quare eſt terminus communis, ſicut homo: vnde ſicut ex eo, quod homo generare hominem dicatur, non infertur eundem ſine diſtinctione hominem generare, quia generatio ad eum in ſtatu præciſionis, nec ab eo, vt in eo ſtatu eſt, ſed, vt re ipſa, in aliquo, cui identificatur, indiuiduo competit: ita, licet Deus ſubſtantiuè ſumptus, qui terminus, quaſi phyſicè, communis, eſt, generare dicatur eundem, non generat eundem omnino, ac ſine vlla diſtinctione: quia non terminatur ad Deum ſecundum ea, quæ formaliter, vt ſubſtantiue ſignificat, ſed, vt re ipſa, eſt idem cum perſonalitate generantis, & geniti. Ex eo autem quod indiſtinctis ſingularibus exercetur denominatio ſecundariè cadit in commune: ſicut ex eo, quod Petrus currat homo, qui in eo eſt currere dicitur.

5 Hæc ſolutio, quidquid alij reclament, nobis probatur: poſſetque doctrina hæc de ſubſtantiue accepto Deo, quam addidimus, atque explicuimus ad formam diſputationis aptius explicari: *genuit eundem Deum ſubſtantiuè acceptum Deus idem.* denominatione primaria geniti, & generantis nego conſequentiam: hæc enim ſolum cadit inter eas, quibus primariò, & per ſe phyſice exercetur generatio, quæ non exercetur in ſignificato Dei ſubſtantiue accepti præciſo, ſed vt coniuncto cum ſingularibus perſonalitatibus geniti, & generantis, in quibus debet eſſe diſtinctio ad reale exercitium actionis; denominatione ſecundaria ex particularibus ad commune, quod re ipſa includunt, concedo conſequentiam: ad quam diſtinctio in communi à ſe ipſo non requiritur in ſe, & ratione ſui formaliter, quia, nec in eo actio per ſe exercetur, ſed in ſingularibus, in quibus actio exercetur per ſe. Adhuc inſtabis contra ſolutionem de Deo accepto adiectiue: quia per nos ex adiunctione termini notionalis in propoſitione ſignificat *Deus* adiectiue, & proprius, quam ſubſtantiue: ac proinde vere, ac proprie admittebant Scotus, & Vaſq. *Deum*, vel, *hunc Deum genuiſſe alium Deum*, adiectiue: ergo cum in hac propoſitione: *Pater eſt alius Deus à Filio*, ſint termini notionales Pater, & Filius, proprio, imò propriori, ſenſu admittenda erit. Hoc autem eſt erroneum: ergo, & principium, & ſolutio, ex quibus infertur erronea, vel proxima errori erunt. Fateor non poſſe admitti genuiſſe alium Deum abſolute: quia, licet genuiſſe notionale quid importet aſt *alius* concordans adiectiue cum Deo, afficienſque immediate Deum concordantia adiectiui cum ſubſtantiuo præſtantior eſt, vt Deum ſubſtantiue ſignificare efficiat, quam notionale Verbum genuiſſe: quod niſi adiecto alius impediretur. Deum adiectiue ſignificare, ſupponique faceret iuxta regulam datam: quare principium verum eſt, licet ſolutio, quod Deum alium abſolute genuerit non magis admitti poſſit, quàm quod Pater abſolute alius Deus à Filio ſit. Si autem addatur expreſſe alius Deus adiectiue, quo à proprio modo ſignificandi in oratione abſoluta *Deus* extrahi denotetur, vtraque propoſitio eſt vera, bonaque ſolutio.

6 Theologi reliqui fere omnes negant abſolute primam conſequentiam apud Ruiz d. 79. ſect. 4. §. 2. ex implicantia, & contradictione terminorum. Etenim *genuit eundem*, vel ſe *Deum* ratione generationis dicit abſolute diuerſitatem; ratione identitatis vox *idem* dicit vnitatem abſolute, & indiſtinctionem: quare primum membrum conſequentiæ abſolute eſt implicatorium. Neque minus implicat abſolute eundem: nam *alius Deus*, cum contineat concordantiam adiectiui alius; concordare debet, vt adiectiuum cum Deo: quare Deum ſubſtantiue accipi facit, implicationémque manifeſtam pluralitatis Deorum importat. Quod autem ex Ariſt. afferebatur: nihil eſſe, quod reſpectu alterius non ſit, vel idem, vel diuerſum; verum habere aiunt in creatis, quibus abſolute competit diuerſitas, ſine identitate, & identitas ſine diuerſitate, ac nomini Deus ſine adiuncto generationis, aut generationi ſine adiuncto identitatis; nam his adiunctis ſignificatur identitas cum admixta diuerſitate extremorum generatione importata, & horum

horum diuerſitas cum admixtione identitatis, & vnitatis ſignificata nomine Deus. Quæ ſolutio eſt S. Thom. in 1. d. 4. q. 1. art. 3. ad 1. Durand. quæſt. 2. num. 16. Sed doctrina hæc potius probat admittendum eſſe primum conſequentiæ membrum: nam ex concurſu duorum alterius denotantis diuerſitatem, alterius vnitatem abſolutè vtriuſque ſignificatum alterum ab altero temperatur, atque identitas cum diſtinctione, & diſtinctio cum vnitate ſignificatur: quare, & appoſitiſſimè myſterium diuinæ generationis exprimitur.

7 Atque hoc idem ipſiſſima ſolutio noſtra eſt data, & explicata n. 4. probata, & ad Scholarum vſum diſpoſita n. 5. imò, & ſubtiliùs, theologiùſque loquentium Patrum. Audi Aug. epiſt. 66. ad Maximum medicum ante med. *Pater, vt haberet Filium à ſe ipſo, non minuit ſe ipſum, ſed ita genuit de ſe alterum ſe, vt totus maneret in ſe.* Nazianz. orat. 49. de fide poſt med. *Eſt enim Filius, Dei eo, quod Pater eſt alius idem.* ac poſt duas col. *Hoc eſt, quod Græci homouſion appellant: ideſt alium ipſum.* Conſonat Ambroſ. lib. vnic. de Filij diuinit. rogans: *quid eſt Filius? Deo eo, quod Pater eſt alius idem.* Quod ſi membrum primum conſequentiæ negetur, ſecundum debet erroneè admitti: quia implicatio illa non eſt in terminis adiunctis; nam alius, & generatio dicunt diuerſitatem, quæ ſi termino Deus non conuenit, ſed contradicit; aſt ea contradictio eſt cum fide, non cum terminis ſe implicantibus: quare non implicita in illis, ſed intenta ab arguente, & deducta ab Hæreticis ex antecedenti. Alias hæreticorum argutias mitto: quia variari in illis terminorum ſuppoſitiones mediocri attentione deprehenditur. Legant de ſe diſſidentiores apud Ruiz ſect. 5. n. 2. & 7. ac deinceps.

CERTAMEN II.

Sit ne falſa hæc propoſitio: Deus: *vel*, hic Deus non generat?

1 STatuendum in primis eſt in ſenſu hæreticorum falſam eam propoſitionem eſſe. Illi enim de Patris Perſona, ac Deo, vt coniuncto cum Patris perſonalitate generationem actiuam, de Filiique Perſona, ſiue de Deo, vt coniuncto cũ Filij perſonalitate, vtque idem eſt cum Perſona Filij, paſſiuam generationem negabant: quod ſacris fidei dogmatibus, & Scripturæ contradictorium eſt. Cùm enim terminus omnino ſingularis ſit, de quo illi loquuntur, negatio ſiue præpoſita; ſiue poſtpoſita idem omnino præſtat, vt contradictionem efficiat, vt in hac patet: *Petrus currit. Petrus non currit.* quæ in omnium opinione contradicunt ſibi, ac repugnant. Difficultas ergo eſt an ea propoſitio non ſolum in hæreticorum ſenſu falſa ſit, atque ob illum reiicienda? (vt à Patribus, & Scholaſticis omnibus locis infra allegandis abſolutè reiicitur) ſed, an etiam abſolutè in rigore, & proprietate ſermonis, & vi ſignificationis falſa cenſenda ſit?

2 Affirmant S. Bonau. in 1. d. 4. art. 1. q ad 3. Ricard. ad 2. Carthuſ. q. 2. poſt med. Capreol. q. vnic art. 2. & 3. S. Thom. q. 1. art 2. & 1. p. q. 39. art. 4. ad 3. vbi eius Interpretes, Molina q. 36. art. 4. ad 3. Vaſq. d. 157. à cap. 3. Valent. q. 13. de Trinit pun 3. §. *quoad tertiam quæſtionem* col. 7. Soar. 6. de Trinit cap. 7. verſ. fin. Henric. art. 54. ſumm. q. 3. ad 4. Ruiz d. 79. ſect. 2. n. 2. Zunniga d. 14. m. 3. Perez d. 1. ſect. 2. Hurtado diſp. 11. dif. 7. §. 5. Eorum fundamentum eſt: quia in affirmatiua ſupponitur terminus Deus pro Perſona, ſeu Deo adiectiuè ſumpto propriiſſima vocum acceptione, vt diximus cert. 1. n. 2. vel propriè pro Deo ſubſtantiuè ſumpto, de quo eodem negatur generatio. Vt enim rectè aiebat Auguſt. 5. de Trinit. c. 7. longè ab init. termini propoſitionis negatiuæ pro eiſdem ſupponunt, pro quibus in affirmatiua ſupponebant. *Negatiua*, inquit, *particula non id efficit, vt quod ſine illa relatiuè dicitur, eadem propoſita ſubſtantialiter dicatur. Sed id tantum negatur, quod ſine illa aiebatur.* quare, ſi de eodem Deo vtrouis modo accepto verè affirmatur, quod generet Deum in rigore ſermonis, de eodem in rigore ſermonis negari verè non poteſt, niſi ab eo, qui duplex contradictorium ſimul verum admittat.

3 Nihilominus veram etiam abſolutè, & de ſermonis rigore, ac ſignificationis vi eſſe negatiuam aſſerunt Aureol. in 1. d. 4. art. 2. Okamus q. 1. col. pen. ad 1. Gregor. q. vnic. poſt med. Maior. q. vnic. ad 1. Marſil. in 1. q. 8. art. 3. ad 2. Durand. d. 4. q. 2. n. 12. Argentina q. vnic. art. 3. ex ſuo Præceptore Ægydio, quibus aſſentior. Probatur: quia *Deus*, & etiam *hic Deus*, terminus communis eſt formaliter quaſi phyſicè, ſi ſubſtantiuè ſumatur, & ſi adiectiuè, communitate vaga, vt pluries oſtendi, tum hic q. 2. tum etiam d. 7. Primúmque conſtat: quia hic *Deus*, ſiue *Deus* ſubſtantiuè terminus eſt communis tribus Perſonis, de quibus omnibus aſſeritur. Secundum etiam patet. Nam habens Deitatem terminus communis eſt vagè tribus Perſonis, & qui de ſingulis, & omnibus Perſonis verificetur, vt patet. Item, & hoc habens Deitatem, ſiue ſingulare habens Deitatem terminus etiam communis eſt vagè, ſicut terminus indiuiduum, ſeu ſingularis homo, aut hic homo in ratione huius hominis: omnes quippe homines ſunt indiuiduum, ſingularis homo, & hic homo, quare eæ voces ſingulares homines vagè ſignificant, niſi alio ſigno aliquod determinatè deſignetur: atqui de termino communi ſiue vagè ſiue vniuocè, quoties ratione vnius ſingularis in eo contenti operatio aliqua exercetur, ac ratione alterius non exercetur, poteſt actio affirmari, & negari verè, ac ſine contradictione; quia ſolum eſt affirmatio, & negatio ſub contraria, vt *aliquis homo currit, aliquis homo non currit.* Ergo, cum, ſiue Deus, etiam ſubſtantiuè ſumptus, vel adiectiuè, terminus communis ſit, atque ratione vnius Perſonæ generet, ratione alterius non generet, poterit de eo vere, ac ſine contradictione de illo, vtrouis modo accepto, affirmari, & negari ſimul generatio.

4 Obiicies: terminus *Deus* adiectiuè ſumptus, ſeu habens Deitatem ſupponitur pro Perſonis tribus vagè: quia nihil commune vniuocè Perſonis tribus, qua talibus eſt, vt dicebamus d. 7. ergo adiuncto pronomine *hic* vi ſuæ ſignificationis determinatam Perſonam in affirmatiua vera deſignauit, nempe Patrem: quare iuxta Auguſt. regulam eadem deſignabitur, in negatiua, eritque contradictoria falſa, imò hæretica vi ſignificationis. Hoc argumento vti aduerſarij non poſſunt: cum omnes q. 2. cert. 2. docuerint: *Hic Deus* terminum communem eſſe, etiam adiectiuè ſumptum: ac proinde ratione omnibus Perſonis priorem. Reſpondeo tamen pro aduerſariis, & pro me pronomen: *hic*, niſi digito, oratione, aut pacto Perſona in particulari demonſtretur, ſolum dicere expreſſius rationem ecceitatis, ſeu indiuiduationis vltimæ, cuiuſque Perſonæ, quam non adeò expreſsè habens Deitatem, ſeu Perſona diuina dicebat: non autem aliquam determinatè ſignificare, ſed vage, non ſecus, atque idem pronomen *hic*, adiunctum nomini *Deus*, ſubſtantiue vlteriorem aliquam ſingularitatem Dei minime ſignificat, quàm nomen *Deus* ſolus non ſignificabat, ſed ſolum expreſſius eandem.

5 Secundò oppones: terminus notionalis adiunctus nomini *Deus*, ſiue per verbum, ſiue per nomen, determinat illud, vt adiectiue, & notionaliter ſupponat, licet ſecundum ſe poſſet accipi, & ſupponi ſubſtantiue: ergo terminus notionalis proprius determinatæ Perſonæ, vt eſt *generare*, determinauit Deum, vt ſupponatur pro Perſona determinata Patris in rigore, & proprietate ſermonis. Confirmatur: quia de eo propriè, & primario dicitur actio, à quo per ſe, & ratione ſui propriè procedit: atque generare per ſe ratione ſui, & proprie ſolum competit Perſonæ Patris, Perſonæ autem vage ſumptæ, non ratione ſui primariò, & proprie, ſed ratione Perſonæ determinatæ Patris, vt dicebamus cert. 1. num.

num. 4. & de se patet, ergo proprietate sermonis cum dicitur in affirmatiua: *Deus generat.* terminus *Deus*, significat Personam Patris: quare, & in negatiua iuxta dictam regulam Augustini eandé significabit, eritque proinde falsa, & hæretica vi significationis, & sermonis proprietate. Ad primum nego consequentiam: nihil enim notionale est, quod non sit vnius Personæ determinatæ: quare nullum esset, quod faceret supponi adiectiuè vagè Deum, si teneret argumentum, quod est contra omnes. Totam ergo vim impendunt notionales voces adiunctæ nomini *Deus* in extrahendo illud à significatione substantiua ipsi, vtpote substantiuo concreto propriori, ad adiectiuam, quin vlterius determinandi eo nomine communi Personam habeant facultatem.

6 Secundum multa confunditur nempè: id, cui primariò, & ratione sui competit physicè, cum eo, de quo, in significatione propria vocis, ac rigida termini suppositione, verè prædicatur. Ecce Petro physice currente, &, cuius, vt pote singularis, proprius cursus est, cuique ratione sui competit primariò, & ratione cuius competit homini, & alicui homini, dicitur: *aliquis homo currit.* an vi significationis *aliquis homo* in hac propositione homo supponitur propriè pro Petro, ratione cuius verificatur, eique solú hominé propriè significat: an pro omnibus disiunctiuè? Hoc vtique, vt probat descensus. *Hic homo currit, vel ille homo currit*, &c. cuius ratio est, quia cursus, qui prædicatur, quique nequit nisi à singulari exerceri, hominé, qui de suo conceptu singularia nõ significat, sed naturam specificã extrahit, vt singularia, non singulariter determinatè, vel distributiuè significet; contra signum aliquis, omnia, hoc nimirum, vel illud disiunctiue significet: quare non magis Petrum currentem, quam alios licet ratione illius verificetur; eadémque propositionis significatio, & veritas esset, si non Petrus, sed Ioannes curreret. Ita etiam cum terminus *Deus* vel *hic Deus*, communis saltem vage sit, licet de eo verificetur generare ratione Patris, aft sua proprietate significationis, & suppositionis tres Personas vagè significat, non solùm Patrem: de illisque disiunctim prædicatur, & verificatur proprio sensu vocis Dei in ea propositione positæ.

CERTAMEN III.

Essentia, *vel* generatur, *vel* generat, *errori, vt minimum, propositio proxima est.*

1 ERroneam absolutè esse propositionem censet Argentina in 1. d. 5. q. 1. art. 1. Canar. 1. p. q. 39. art. 5. col. 2. commentarij, Vasq. init. Soar. 6. de Trinit. c. 7. n. 10. S. Thomas, & ferè reliqui eam errorem Ioachini Abb. appellantes damnatum ab Innoc. 3. cap. *Damnamus* circa fin. Ruiz verò eruditè obseruat Ioachimi errorem eam propositionem non fuisse, sed quod Patris, & Filij essentia non eadem physicè, & realiter vna sit, sed similitudine, & collectione, vt Adami, & Abelis ex eo geniti. Cum autem ex generatione essentiæ ab essentia realis distinctio genitæ à generante euidenter inferatur, absolutè prolata propositio errori, hæresique proxima est; quin requiratur, quod proferens addat *se rigore sermonis loqui*, vt malè ad eam ita censurandam requirit Ruiz d. 80. Dices essentiam idem esse cum Persona: ergo potest ea propositio verum sensum habere. Nego consequentiam: quia, vt verum sensum habeat identitas cum Persona significanda est, quæ nomine essentiæ, & Deitatis absolutè, ac nudè prolatæ nusquam significatur, nisi addatur aliud illam significans. In quo differt à termino Deus, qui vtrumque se ipso significat, & personalitatem, & naturam, siue in recto, siue in obliquo. Confirmatur: quia Innocentius oppositas Magistri propositiones, ex quorum contradictoriis in errorem Ioachimi damnatum itur, ibidem definit, atque illius rationes. Inter eas autem, quibus arguit propositio præfixa adest: quare, vt illatiua hæresis reprobatur ab Innocentio, si absolutè proferatur. Vnde temeritatis reprehendes Holcot. qui q. 10. determinationum ad dub. 4. ait nulla ratione naturali Ecclesiam ibi eas propositiones negare, sed sola reuelatione.

2 Cæterum quoties ex adiuncto termino, vel sermonis contextu constiterit essentiam pro Persona, siue, vt identificatam cum illa sumi præfata propositio nullam meretur censuram adhuc improprietatis, vt putat Ruiz d. 80. n. 4. Sed vera est, ac propria. Probatur: quia plurimi Patres recitati ab eodem Ruiz d. 80. sect. 1. & 2. addendo aliquid notionale Patris, Filij, v. g. *ingenita innascibilis, propria Patris*, vel *genita, vnigenita* aiunt naturam, vel substantiam generare, aut generari: impium autem est tot, tantorumque Patrum locutiones frequentes temeritatis, aut inconsiderationis, vt temerè nonnulli Theologi, aut improprietatis damnare. Confirmatur: quia sapientia non minus communis est quam essentia, & Deitas, & tamen cum addito *genitæ* dicitur generari ab omnibus Patribus, & Theologis: quare, & sapientia innascibilis, seu Patris generare dicetur: ergo, & Deitas, seu essentia genita generari dicetur, atque innascibilis generare æquè proprie, atque illa dicuntur. Ratio à priori: quia ex eis adiunctis tota persona Patris, seu Deus Pater, ac Deus Filius significatur; siquidem significatur essentia, & personalitas Patris, & Filij: aft propriè, dicitur personam Patris generare, ac Filij personam generari, seu hunc Deum generare, & hunc Deum generari; ergo, & essentiam ingenitam, seu innascibilem generare, & genitam generari. Confirmatur: quia ex similibus propositionibus proprietate sermonis admissis non infertur distinctio naturæ geniti, & generantis.

3 Confirmatur secundò: quia, licet significatum essentiæ de se ineptum sit, vt de ea proprie accepta generatio actiua, & passiua enuntiari catholicè queant, aft ex adiunctis ex parte ipsius, ita significatio, quam de se alias habet, temperatur, vt coniunctum tertium quid significet proprie, vt de eo verificetur, quod de essentiæ significato secundum se, ac extra coniunctum non posset verificari. Non secus, atque aliis vocibus in diuinis contingit: quæ secundum se locum non habent, habent autem adiuncto temperamento significationis, quam de se habent. Sic pluralitas, distinctio, numerus, quæ totalem distinctionem de se significant, ac proinde locum in diuinis non habent, adiuncta identitate essentiæ temperantur, vt non totalem distinctionem significent, sed inadæquatè. Confirmatur tertiò: quia Ricard. Victor. 5. de Trinit. cap. 22. longè à princip. insultanter damnat Magistrum sententiarum, reliquósque ipsius, & suos coætaneos Theologos, *qui nullo* inquit, *modo concedunt, quod substantia gignat substantiam, & sapientia sapientiam.* multaque Patrum testimonia pro affirmatiua adducit cum adiunctis temperamentis: quare illud: *nullomodo.* idem est, ac etiam, cum notionalibus adiunctis: cumque, & Ricardus, & Magister floruerint anno 1140. Innocentius Papa cap. *Damnamus*, de summa Trinit. & Concilium Lateranense sexaginta post annis damnant errorem Ioachimi, statuuntque. *Natura, quæ est vniuersorum* (creatorum) *principium* &c. *non est generans, neque genita; sed est Pater qui generat, & Spiritus, qui procedit, vt distinctiones sint in Personis, & vnitas in natura*: quin Ricardum, eiusque propositionem tangant, quam defendimus, quæque à sexaginta retro annis magna contentione disputabatur.

4 Durius autem agendum est cum sequentibus Raymundi Lullij propositionibus relatis ab Eymerico 2. p. director. quæst. 9. Prima art. 15. *Deus Filius est à Deo Patre totus generatus, & tota eius essentia, & natura.* Secunda art. 16. *Deus Filius sic essentialiter est de essentia producti, sicut personaliter de Persona*, art. 17. *Dei Filij essentia relata ad Personam Filij, sic est genita, sicut est ingenita essentia Patris relata ad Personam Patris.* Rursus *essentia, & natura Dei Patris generat Filium.* Has omnes, & singulas temerarias, & suspectas de errore in fide iudicat Ruiz. Ego verò duas primas ita etiam censuro: attentaque proferentis ignorantia, ac temeritatem tertiam. Terminus enim ille relata non significat identitatem. Quartam, nisi reliquæ præcessissent damnare non auderem: quia illo genitiuo *Patris*, sufficienter identitatis cum eius personalitate monstratur, ac proinde est doctrina Ricardi, quam defendimus; sed ex aliis præmissis malum sensum reddit, atque suspecta haberi meritò debet.

CERTAMEN IV.

Obiectionum, occasione statuitur essentiam propriè communicari, non autem communicare.

1 OBiicies. Identitas essentiæ cum quauis Persona satis est, vt quæuis Persona de essentia prædicetur: aft æqua identitas est essentiæ cum generatione actiua in Patre, & passiua in Filio: ergo satis habet vt generans dicatur, & genita. Confirmatur: quia nihil est Pater, quin generet, aut Filius quin generetur: atqui essentia est Pater, & est Filius: ergo, & generat, & generatur. Nego primam consequentiam: solum enim infertur essentiam esse generationem actiuam, & passiuam. Rationem subdo dum confirmationi respondeo distinguendo maiorem. Quod est *realiter formaliter* Pater, aut Filius concedo maiorem, quod est realiter solum, nego maiorem: essentia autem solum est *realiter* Pater, aut Filius; non autem etiam formaliter; & nego consequentiam. Ratio est: quia nomina substantiua suum formale significatum, alterum ad alterius rectum, cum quo concordat, non applicant, cum formam per se in recto, ac non in obliquo significent: quare in prædicatione vnius de altero sola dicitur eius identitas cum illo, quæ, si adsit, verè prædicatur.

2 Adiectiua verò suum formale significatum per modum adiacentis significant: quare, & applicant rectò subiecti substantiui, cum quo concordant: ac proinde de iis solum, quibus non solum realiter, sed formaliter illud prædicatum competit, verificantur. Solum autem competit formaliter etiam principio generationis adæquato, & termino adæquato producto generatio actiua, & passiua, non autem essentiæ. Ita vtraque schola Scotica, & Thomista cum S. Thom. 1. p. q. 39. art. 5. ad 5. & Scoto in 1. d. 5. q. 1. col. penult. atque tota schola societatis teste Ruiz d. 80. sect. 7. n. 18. fine, vbi omnium esse ait. Quapropterea aliam subiicio, vel facilius explico eandem. Denominatio generandi actiuè, vel passiuè competit solum principio, vel termino adæquato, non inadæquato: essentia autem, & Deitas, vt eo nomine, significatur neque principium adæquatum, neque adæquatus terminus est formaliter, neque realis eius identitas cum illis significatur eis nominibus: quare vt eis nominibus essentia significatur, non significatur principium adæquatum formaliter, & realiter: quare neque in eam genitæ, aut generantis denominationes cadunt.

3 Obiicies secundò: essentia communicatur propriè: at communicari est producì: ergo producitur propriè: ac proinde generatur, & spiratur. Nego minorem: licet enim productio, siue influxus, & communicatio idem in processione sint: aft productio, siue influxus actiuè, vel passiuè sumptus, vt denominat terminum, vel principium distincta realiter supponit, quod in essentia locum non habet: cum, nec à producente, nec à termino distinguatur realiter, vt autem passiuè communicetur distinctione rei communicatæ ab eo, cui communicatur, opus non est. Sed instas: etiam communicatio passiua dicit actionem, seu passionem: neque enim communicatio, qua communicatio dicit solam formalem identitatem cum termino, cui communicatur essentia, vt contrà Albiz ostendebamus d. 4. ergo dicit distinctionem extremorum: sed hac non obstante dicitur propriè communicari essentia: ergo, & ea non obstante dicetur produci, ac generari propriè; vel si hoc non dicitur propriè, neque illud propriè dicetur. Distinguo antecedens: dicit actionem, seu passionem termini producti à producente, fateor; rei communicatæ à communicante, vel termino, cui communicatur, nego antecedens. Et similiter distinguo consequens primum, & nego vltimam consequentiam.

4 Dices contra: communicari physicè, & realiter aliquid alicui est dari realiter aliquid alicui. Sed physica donatio realis dicit actionem dantis physicè ad donum: ergo, & communicatio physica & realis, cuiusmodi est communicatio essentiæ Personæ procedenti, dicet actionem physicam donatoris ad donum. Nego minorem, quæ apertè instatur in rationalis substantia nutritione: in qua anima eadem viuentis physicè, ac realiter proximè, vel remotè, iuxta varias opiniones, communicat se materiæ alimenti, quam præexistentibus partibus viuentis vnit, & tamen se ipsam neque proximè, neque remote producit, sed terminum, quin suprema, nobilissimaque donatio, & communicatio ea est, qua se ipsum aliquis alicui communicat, & donat, vt Deo sæpe accidere superius dicebamus. Stet communicationem essentiæ non dicere actionem physicam ad ipsam, vt benè Scotus in d. 5. quæst. 1. §. *Ad argumenta in oppositum* fine, Aurcol. art. 4. col. 2. OKam. paragrapho *contra ipsam opinionem.* Marsil. q. 9. art. 2. Vasq. 1. p. quæst. 39. art. 5, col. 2. Ruiz d. 80. sectione 6. n. 9. asserentes solum dicere relationem, seu quasi actionem rationis: quia formaliter connotat actionem in terminum, siue influxum secum identificatum: in quo necessariò relatio significatur, quæ ad se ipsum realis esse non potest.

5 Dices vltimò: communicatur propriè essentia passiuè: ergo se communicat actiuè. Nego consequentiam. Etenim *communicatur* impersonalis est, nec denotat communicantem determinatum, sed dum ab aliquo communicetur verum est communicari, licet à se non sit: aft in alia propositione: *se communicat* iam denotat à se tanquam à principio actiuo termini, cui communicatur communicari: ac proinde non magis valet consequẽtia, quam si dicas Petrus verè amatur: ergo amatur à Ioanne. Sed dices: communicatio passiua non dicit formaliter passionem, sed actionem per nos: ergo neque distinctionem: ergo poterit propriè dici communicatur à se: ergo & communicat se: sicut dicitur benè amatur à se; ergo amat se. Respondi iam non dicere actionem, & passionem respectu sui, tanquam producentis, & producti: aft eam dicere de connotato respectu producentis, & termini: respectu autem sui, neque principium producens, neque terminus esse potest, vt patet; neque terminum producere, aut à producente produci, cum eis re ipsa identificetur. Quæ est solutio Marsil. Vasq. Ruiz proximè, & Soar. 6. de Trinit. cap. 7 & vlt col. 13.

6 Rogas vltimo. An Deitas, seu essentia sit Trinitas? Negant nonnulli, puto ex Gilbertinis apud Magistr. in 1. d. 4. cap. vlt. catholicè tamen est affirmandum ex identitate essentiæ omnimodo reali cum personalitatibus. Licet Damasc. 3. de fide cap. 11. dicat: *Deitatem dicere de hypostasi non possumus*: quare multo minus de hypostasibus tribus negaturus videtur. Sed longè alius est Damasceni sensus. Subdit. *Nam Deitatem Patrem solum, aut Filium solum, aut Spiritum Sanctum* (solum) *non audiuimus.* ergo tres simul dici poterunt. Sensus ergo non posse dici Deitatem Personam vnam tantum in sensu reali; formaliter autem nullam dici posse: quare licet Persona Filij incarnauerit non incarnasse naturam secundum se: quare nec tres Personas, quod solum ibi contendit. Subdit enim: *Deitas enim naturam ostendit Pater verò Personam.* Si enim Deitas realiter, seu in tota sua realitate incarnasset, tota Trinitas quæ est incarnasset. Dices: Deitas est Trinitas: ergo trina. Negant S. Bonau. in 1. d. 24. art. 3. q. 2. fine Ricard. q. 1. fine, Ruiz d. citata, sect. 4. numero 10. quia adiectiuum Trinus applicat suum formale significatum substãtiuo *Deitas*, eamque proinde

multiplicant. Sed sui sane immemores. Aiunt enim nomen *Trinus, & Trinitas*, è sua propria, & nativa Patrum impositione significare pluralitatem in Personis cum vnitate naturæ: quare, licet essentiæ applicetur non illam multiplicat. Ad mittenda igitur est consequentia cum Ecclesia, quæ quotidie canit: *Te Trina Deitas vnaque poscimus.* Obiectiones reliquæ futiliores legantur apud Ruiz d. 81. sect. 1. solutiones sect. 4. animis tardis.

QVÆSTIO IV.

Quæ concreta singulariter, quæ pluraliter in diuinis enuntientur?

DE concretis omnibus, siue vnica eorum forma in diuinis sit, siue plures, siue adiectiua, siue substantiua ea sint. Quæstio procedit facile ex dictis q. 1. profliganda.

CERTAMEN I.

Aliorum sententiæ.

1 DOctores cicati q. 1, cert. 1. n. 1. docent concreta omnia, siue formæ vnicæ, siue multiplicis, siue adiectiua, siue substantiua pluraliter in diuinis enuntianda esse pro suppositorum, quæ in recto dicunt, pluralitate, non secus, atque tria alba dicuntur tres parietes eandem habentes albedinem. Trésque homines, Tres personæ eidem humanitati hypostaticè vnitæ dicerentur: ergo enunciatio concretorum pluraliter è sola subiecti, vel suppositi pluralitate pendet. De adiectiuis est certum. De substantiuo probatur primò: quia actus si eadem humanitas dimitteretur à tribus Personis, ac in propria subsistentia maneret, idem homo foret. Secundo: quia, si in casu dicto vnus esset homo idem esset Pater, & Filius, & Spiritus S. ac proinde Pater esset Filius, & contra. Tertiò: quia, nisi suppositi solius vel subiecti ratione habenda sit ad multiplicationem concreti substantiui, perperam Christus vnus, ac non duo masculinè dicetur in Symbolo: *Qui licet Deus sit, & homo, & non duo tamen sed vnus est Christus.* & Marci 12. *Vnum habens Filium clarissimum.* De quo Matth. 13. *Hic est Filius meus dilectus*; cum duas habeat naturas Christus Dominus. Perperam etiam pater vnum dicitur principium: cum duplicem habeat potentiam generatiuam, & spiratiuam. Perperam denique vnus artifex dicetur, qui pluribus artibus, vnus Rex, qui pluribus regni polleat. Verùm hac opinio eo loci satis est reiecta ex periculo in fide in eius principio deprehenso. Eius argumenta futilia sunt ex æquiuocatione, & variatione suppositionis terminorum, atque acceptionis vocum profecta pro supposito, vel subiecto in recto, ac proinde adiectiuè modo, modo verò substantiuè, pro forma, seu natura. Nam substantiua etiam substantialia adiectiuè posse vsurpari docuimus q. 1. cert. 2. n. 7.

2 Idcirco secunda sententia esse posset concreta omnia ex sola formæ, seu naturæ singularitate, seu vnitate, aut pluralitate singulariter, vel pluraliter enuntianda in diuinis esse, siue substantiua, siue adiectiua, illa sint: quia illas solum omnia concreta in recto dicunt, vt q. 1. cert. 1. n. 4. ex nonnullis Recentioribus referebamus. Sed cum ibi fundamentum hoc euulgerimus, & sententia hæc, quæ illi innitebatur facilè subruit. Tertia sententia sit Ricardi, & nescio an Durandi citati ibidem n. 5. asserentis concreta, neque ex solius naturæ, aut formæ, neque suppositi, aut subiecti solius vnitate, vel pluralitate posse pluraliter, vel singulariter enuntiari. Sed vtriusque vnitatem, vel pluralitatem requiri, vt alterutro modo enuntietur. vnde, inquit, si eadem humanitas à tribus Personis assumeretur, neque vnus, nec plures homines dici propriè possent. Fundamentum est: quia nomen concretum vtrumque dicit in recto in huius opinione: quare, nisi vtrumque vnum sit, vnum dici significatu nequit, ac, nisi vtrumque plurificetur, nequeunt absolutè dici significata plura. Sed hanc etiam sententiam à fundamento subuertimus n. illo. 5. vbi ostendimus ex hac sententia, nec Deum dici posse vnum, neque Christum Deum, neque Personas plures dici absolutè, & propriè posse: quod est contra dogmata expressa fidei. Nec valet Ecclesiæ vsum obtinuisse: etenim hæc quantum mysteria reuelata patiuntur, genuinæ, ac propriæ vocum significationi se accommodat. Insuper, vt bene Scotus ibidem dicitus, vnum vel plura passio entis est. Sed homo ea voce significatus in eo casu est ens: ergo vnum vel plura.

3 Quarta sententia est substantiua concreta ex formæ, vel naturæ solius vnitate, vel pluralitate singulariter, vel pluraliter enuntiari in diuinis. Adiectiua verò è sola vnitate, aut pluralitate suppositi, vel subiecti: quia substantiua solam formam, vel naturam dicunt in recto; adiectiua verò solum suppositum, vel subiectum. Cæterùm fundamentum hoc eruimus etiam citato art. 1. n. 6. quia tres omnipotentes, immensi &c. dici deberent in diuinis. Secundò: quia Christus Dominus non vnus, sed duo diceretur. Extremam hanc impugnationem vt vitaret Ruiz d. 77. sect. 6. n. 7. eam limitationem adiecit huic sententiæ, quæ quintam planè in re præsenti opinionem constituit. Nempè vnitatem formæ, seu naturæ satis esse, vt substantiua concreta singulariter in diuinis dicatur; aſt, vt pluraliter enuntietur non sufficere formæ, seu naturæ pluralitatem, nisi etiam subiecti, vel suppositi pluralitas accedat. Pro se refert S. Thom. 3. p. q. 3. art. 7. ad 2. (vbi Caiet. Ji. p. q. 39. art. 3. ad 1. vbi Canar. ad 1. dub. & Thomistas. Molin. Valent. supra, Marsil. in 3. q. 2. art. 3. dub. 3. Almayn. d. 1. q. 2. dub. 3. Gabr. art. 3. dub. 4. ad 2. Carthus. q. 6. post med. Aureol. in 1. d. 4. c. 4. art. 1. Soar. 3. p. tom. 1. d. 13. sect. 3. fundamenta sunt, quæ dedimus num. 1. pro sententia prima, quibus satis faciemus facilè inferius. Præcipuum autem fuit secundi absurdi metus. Sed enim, qui non tam firmo rationis fundamento in suas sententias eunt, quam metu fugiunt, rarò non peius offendunt. Contrà: quia nominis Personæ non multiplicatur subiectum, seu Deitas, sed sola forma, seu personalitas: ergo iuxta hanc sententiam nequit pluraliter enuntiari: cum concretum substantiuum sit: quod est contra fidem.

4 Contra secundò quia ad vnitatem concreti substantiui requiritur per te vnitas formæ, seu naturæ: ergo, si duplex humanitas eidem suppposito vniretur vnus homo non esset: ergo plures. Consequentia est Ruiz ipsius contra Ricardum: quia vnum, vel plura passio entis est: atqui in eo casu non est pluralitas vtriusque, cum suppositum sit vnum: ergo ad pluraliter enuntiandum concretum substantiuum satis est pluralitas naturæ, seu formæ, quin subiecti etiam, seu suppositi pluralitas requiratur. Contra tertiò: quia ad vnitatem conuenientia maior requiritur, quam ad pluralitatem: atqui ad vnitatem concreti satis est conuenientia in vno, quin obsit disconuenientia in alio: ergo ad pluralitatem satis erit disconuenientia in vno, quin obsit conuenientia in alio. Respondet Ruiz sect. 7. num. 5. ad 3. ex notatione numeri 1. vnitatem, & multitudinem primariò de quantitate continua, & discreta dici, de reliquis secundariò, & per analogiam. Vnde, sicut quanta ex quauis continuatione vnum sunt, non plura, licet sint entitatiuè diuersa dicente Arist. 5. met. cap. 18. *dicitur multitudo, quod est diuisibile potestate in non continua.* ita, & reliqua pluralitatem amittunt ex quauis vnitate. Contra: quia vnum, vel plura est entis, vt sic, passio per Aristot. & Ruiz (vt modo dicebamus) ergo non quantitatis. Confirmatur: quia multitudo discreta quantitas tam propria est reliquorum, quam

quam quantitatis. Confirmatur secundò, ex Aristot. 10. met. text. 9. dicente *vnum dicitur indiuisibile, aut indiuisum.* indiuisibile autem quantitas non est: indiuisum verò additur, vt quantitas continua ab vnitate non excludatur. Tantum abest, vt vnitas, & eius opposita pluralitas primariò quantitati continuæ conueniat, vt potius hæc laxiori modo sit vna, quam entia indiuisibilia, vt spirituales substantiæ, quæ repugnante quantitate vnitatem singulæ haberent, pluralitatem omnes.

5 Contra tertiò: quia, vt num. 3. dicebam, tota hæc doctrina Personarum pluralitatem catholicam in diuinis euertit. Contra quartò: quia, licet ea doctrina, vt re ipsa entia sunt, vera foret; aſt, vt concretè concipiuntur, nominibúsque concretis substantiuis significantur vera esse in Ruiz, atque aduersariorum sententia minimè potest. Ipsi enim docent concreta substantiua solam formam, seu naturam in recto significare: atqui vnitas vel pluralitas solùm cadit supra rectum, de quo prædicatur, seu quod afficit: ergo, si forma, seu natura vna sola sit, sine admixtione pluralitatis singulariter dicetur concretum. si plures verò sine admixtione vnitatis pluraliter. Probatur minor: quia vnitas solùm cadit, afficítque illud nominis concreti, cum quo concordat cum recto solum v. g. Deus est vnus, Persona est multiplex, seu Personæ sunt plures: nempe deitas cum subsistentia vna est, Personalitas cum natura est multiplex. Pergo: atqui rectum primi est natura vna sine admixtione pluralitatis; secundi verò rectum multiplex est, seu plures sine admixtione vnitatis. Deitas enim vna est sine vlla sui pluralitate, & personalitas multiplex sine vlla vnitate in personalitate: ergo concretum Deus singulariter, Persona verò pluraliter enuntianda in diuinis est, etsi extremum hoc in obliquo significato naturæ, seu subiecti pluralitatem non habeat: ficque de concretis aliis substantiuis philosophandum est, cum in omnibus eadem ratio à priori militet.

6 Deniquè Christus Dominus alius, & alius masculinè non est ob vnitatem suppositi, ea verò non obstante aliud, & aliud est, duóque neutrè: at esse aliud, & aliud, duóque neutrè sine pluralitate non potest; ergo ad pluralitatem absolutè satis est pluralitas naturæ, etsi non adsit pluralitas suppositi. Maior est ipsius Ruiz sect. 6. n. 8. & d. 39. sect. 5. ab init. vbi plures pro ea Patres recitat, ex quibus recitabo non paucos, quorum verba præcipuam contra nostram doctrinam difficultatem soluent. Nazian. orat. 51. co. 2. *Aliud quidem, atque aliud sunt ea, ex quibus Saluator; non tamen alius, atque alius. Absit. Ambo enim hæc connexione vnum sunt, Deo nimirum humanitatem, atque homine diuinitatem suscipiente. Porro aliud dicitur contra, quam in Trinitate res habet. Illic enim alius, atque alius, ne Personas confundamus,* &c. Concil. Ephesin. tom. 2. actor. cap. 7. sub fin. *Non est alius, & alius,* Christus; *sed aliud; & aliud; licet in sacræ Triados mysterio contrarium reperiatur. Ibi enim est alius, & alius, ne hypostbases confundantur.* Leo M. serm. 1. de resur. cap. 3. fin. ait: *Verbum non hoc esse quod carnem.* epist. 10. cap. 4. fin. *Quamuis in Christo Dei, & hominis vna Persona sit; aliud tamen est vnde contumelia. in vtroque communis; aliud vnde communis est gloria.* cui sententiæ sic annuit Concilium Chalcedon. generale 6. act. 17. sub fin. *Vnius eiusdémque, tam miracula, quam passiones secundum aliud, & aliud, ex quibus est.* Sophronius act. 11. eiusdem 6. Synod. in sua epist. cap. nono, ait: *Christum esse vnum, & duo, hoc ipsum agnoscibile: vnum quidem secundum subsistentiam, atque Personam, duo, secundum ipsas naturas.*

7 Anathas. epist. ad epictet. pag. penult. vt *enim Filius secundum Patres consubstantialis Patri non est idem, qui Pater, sed Filius consubstantialis respectu Patris: ita quoque corpus consubstantiale verbo non est idem, quod verbum, sed aliud respectu verbi.* Cyrill. scholiis de Incarnat. cap. 26. sub fin. *Ipse est hoc, & illud secundum aliud, & aliud.*

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

Damasc. 3. de fide, cap. 7. post med. *Totus igitur, est Deus perfectusque sed non totum. Deus. Nam non solum Deus, sed & homo, & totus homo perfectus, non totum autem homo. Non solùm enim homo, sed & Deus. Nam totum est naturæ representatiuum, totus autem hypostbaseos: quemadmodum aliud naturæ est, alius hypostbaseos.* Origen. lib. 7. in caput 9. ad Roman. ait: *Christum aliud secundum carnem esse aliud secundum Spiritum.* Anselm. de Incarnat. cap 5. ante med. *Non est alius Deus, alius homo in Christo; quamuis aliud sit Deus, aliud homo: sed idem ipse est Deus, & qui homo.* August. contr. fœlician. Arrian. c. 11. fin. *in Mediatore Dei, & hominum aliud Dei Filius, aliud hominis fuit: vnus tamen ex vtroque Christus Dominus fuit. Aliud, inquam, pro differentia substantiæ; non alius pro vnitate Personæ.* consonat. cap. 35. & 36. enchirid. Gregor. 18. moral. cap. 27. aliàs 39. vers. fin. Fulgent. 3. ad Trasimund. cap. 6. med. Nizetas 3 thes. cap. 35. Isidor. 1. sententiar. cap. 14 subinit. Rusticus d. contra Acephal. post init. tom. 4. Biblioth. vbi Theorian. legat. ad Armen. med. commentator. Boëtij de Trinit. longè à med. apud Bedam. tom. 8. & alij recitandi controu. & d. vlt. de Incarnat.

CERTAMEN II.

Nostra, ac verior sententia.

1 DIco primò: concreta adiectiua adiectiuè accepta è sola subiecti, vel suppositi singularitate, vel pluralitate singulariter, vel pluraliter enuntiantur, tam in humanis, quam in diuinis. Est omnium, qui Typis mandarunt. Ratio ex dictis q. 1. cert. 2. est prompta: quia concreti adiectiui directum significatum est suppositum, vel subiectum: ergo pro eius pluralitate, vel singularitate debet pluraliter, vel singulariter enuntiari. Patet consequentia: nomina numeralia in bona grammatica cum recto nominis significato concordare debent: quare & illud afficere: at rectum significatum adiectiui concreti est suppositum, vel subiectum: ergo cum eo concordare debent, ipsumque afficiunt: ac proinde vnum, seu singulare dicetur, si suppositum, vel subiectum singulare sit, ac plures si plura: qua in re subiecti primarij habenda ratio præcipuè est iuxta dicta citato cert. 2. n. 6. vt constet omnipotentem, omniscium, immensum, æternum propriissimè singulariter esse in diuinis enuntianda. Porrrò hoc ipsum dicendum est, cum concreta substantiua adiectiuè sumuntur: quia tunc suppositum, vel subiectum in recto dicunt, vt cert. eodem monstrabamus n. 7. ficque accipi nomina *Deus* & homo cum dicitur de Christo *homo* est *Deus* ostendimus ibidem, atque insuper cum dicitur Christus vnus, idem, & ipse, ac non alius, & alius vt proximo cert. ex Patribus recitabamus. Id quod expressit S. Thom. loco citato tertiæ partis.

2 Dico secundò: concreta substantiua substantiuè accepta pro solius formæ, vel naturæ singularitate, vel pluralitate singulariter, vel pluraliter enuntiantur in diuinis, & humanis. Est Doctorum secundæ, & quartæ sententiæ, quibus adde Altisidior. 3. summæ tract. 1. cap. 1. q. 5. & Scotum rursus in 3. q. 3. quam doctrinam, eiusque rationem dedit S. Toom. 1. p. q. 39. art. 3. dicens: *singularitas, vel pluralitas nomini substantiui attenditur secundum formam significatam: quia nomen substantiuum significat per modum substantiæ, quæ sicut per se habet esse, ita per se habet vnitatem.* Repetit sententiam in 1. d. 9. q. 1. art. 2. quare eam retractare non potuit 3. p. quæst. 3. art. 7. ad 2. vt malè censet Ruiz; cum distinctionarios plurium opinione posterius, quam partes S. Thomas scripserit. Licet autem ibi dicat duplici humanitate ab vna Persona assumpta vnum hominem dicendum fore (quod malè Ferrara, & nouiores Thomistæ cum vera hac nostra & S. Thomæ conclusione conciliant apud Vasq. d. 155. cap. 7. à n. 26

què etiam huius loci conciliationem desperat) nullatenus huic tuæ fixæ conclusioni repugnat. Subdit enim rationem profundiorem: *quia nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur propter suppositа.* quæ nimirùm denominat: forma autem concipi, vt denominans, & suppositum vt denominatum nequeunt nisi nomen, licèt substantiuum, adiectiuè sumatur: quo casu, sicut de adiectiuis philosophandum est, vt dicebamus num. 1.

3 Atque hunc eundem sensum habere videtur, dum 1.p.q.36.art.4.ad 2.ait: Patrem non dici plura principia ex duplici potentia generatiua, & spiratiua: *quia implicaretur pluralitas suppositorum.* Sed alius fortasse sensus subtilior est: nempè in principio spiratiuo duplex suppositum includi: cum neutra Persona Patris, vel Filij seorsim potens spirare, seu principium spiratiuum sit: quare, si Pater solus non solum principium generatiuum, sed & spiratiuum, adhuc substantiuè diceretur, in eius supposito diceretur, & inuolueretur suppositum Filij, quod essentialiter potentiæ, & principium spiratiuum includit. Cæterùm, etsi intelligatur à S. Thom. sententia nostra hæc, suaque retractata loco citato 3. p. vt vult Ruiz ipsius opinioni iam impugnacæ minimè fauet, cum dicat *nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dici propter suppositа*: ergo, etsi forma aliqua solum, & in singulari, ac proinde vna sit è sola suppositorum pluralitate pluraliter concretum substantiuum, etiam cum vnitate formæ esset enuntiandum: quod vtraque parte Ruiz sententiam oppugnat. Iam verò ratio S. Thom. aperta est: quia nomina, etiam concreta substantiua formam, seu naturam per modum per se stantis significant, non vt adiacentem: quare, & in recto: cum autem pluralitas, vel vnitas recto nominis, cui grammaticaliter concordat, conueniat, non obliquis, pro formæ, vel naturæ vnitate, aut pluralitate singulariter, vel pluraliter enuntianda concreta substantiua erunt, si substantiuè accipiantur: quæ ratio, cum vniuersim, in adiectiuis recipiatur in substantiuis reiici nequit. Denique, si adiectiua, vt posse diximus, substantiuè accipiantur, siue accidentalia, siue substantialia ea sint, vt singulariter, vel pluraliter enuntientur, pro substantiuis debent haberi, atque ex eorum lege iudicari.

4 Ex dictis constat in casu, quo eadem humanitas, siue simul, siue successiuè à pluribus Personis assumeretur *hominem*, si substantiuè sumatur, dicendum vnum, & singulariter enuntiandum: si adiectiuè vsurpetur, tres dicendos esse, & pluraliter enuntiandum. Quo soluta est prima Marsilij difficultas. Secunda; quod Pater in eo casu Filius esse diceretur, nullius est ponderis: quia solum sunt veræ præmissæ sumpto homine adiectiuè, nam si substantiuè sumatur Pater in eo casu non est homo, neque Filius: quia humanitas in recto significata non est Paternitas, aut filiatio, aut alterutrius personalitas: aſt adiectiuè sumpto *homo* pro personalitate in recto *hic homo* Pater est hæc personalitas Patris sustentans humanitatem, quæ non est personalitas Filij sustentans eandem, & est *hic alius homo* adiectiuè sumptus. Difficilius argumentum est in hoc concreto *Deus*, qui substantiuè acceptus identificatur cum Personis, quæ sunt hic, & hic Deus adiectiuè sumptus: cui tamen difficultati satis fecimus d. 2. Sed instat Marsilius quia *hic homo* substantiuè sumptus dicit hanc humanitatem cum hoc supposito singulari, quæ in casu illo non esset hæc humanitas cum alio supposito singulari, ac proinde plures homines essent, licèt eadem esset humanitas. Sed negatur facilè assumptum: vox enim *homo* & *hic homo* solum dicit suppositum in obliquo, & vagè, neque ex adiunctione pronominis *hic*, quod cum ipso non concordat, singularitatur: aſt de supposito quouis singulari verificatur, quòd sit aliquod suppositum. Ad tertium constat ex doctrina eadem, licèt in Christo Domino, quia duæ naturæ sunt, duo etiam sint concreta substantiua, ac proinde esse vtrumque, & duo neutrè, & aliud, & aliud; tamen idem masculinè, ipse & non alius dicitur, vt constat ex datis testimoniis Patrum: vt vnitas suppositi denoteturr, ob quam idem est habens Deitatem, atque habens humanitatem: ac proinde idem est *Deus* adiectiuè sumptus, qui homo adiectiuè etiam vsurpatus.

5 Illud autem hic obseruandum est Christum in eis, aliisque Patrum testimoniis nusquam absolutè dictum esse *duo*, adhuc neutraliter, nisi adiungendo simul esse vnum, vel quid simile, quo Personæ vnitas denoteturr. Cuius rei duplex mihi ratio succurrit: propria vna, Vazquezij altera. Propria: quia cum Hæretici plures Personas in Christo diuiderent, opportuit, atque opporter, cum absolutè de diuisione sermo in Christo sit erroris correctiuum adhibere. Et quoniam hæretici alij eius naturas confundebant, cum vnitas eius asseritur, naturarum diuisionem denotare. Ratio Vasquez quam perperam adducit Ruiz pro sua doctrina cert. 1. n. 3.) facilius, vrgentiusque efformata à nobis prima m nostram confirmat, sic habet: quia duo absolutè de totis dicitur, sicut vnum, & ens, ac proinde non componere, neque esse partes Christi naturas, quare, & esse tota, & suppositа diuersa iuxta nostram, ac veram doctrinam hæretice denotaretur, nisi adderetur secundum naturâ: aſt, si Dei, & hominis substantiue acceptorum nomen commune esset pluraliter enuntiari, dúoque masculine absolute possent dici: vt in casu, quo duplex humanitas eidem personæ vniretur duo homines absolute dicerentur iuxta Vasq. d. 155. cap. 5. n. 18. §. *secundò colligitur.* quia rectum significatum, cum quo *duo*, concordat, multiplex, seu duplex est.

QVÆSTIO V.

An distinctio, quæ ex Personalitatibus prouenit nominibus alius, alter, *& numeralibus solum masculinè, & quæ ex natura neutrè solum, & quare significari queat?*

LICET data ex Patribus q.4.cert. 1.n.6. satis ostendant distinctionem, ac pluralitatem, quæ ex personalitatibus prouenit eis nominibus in masculina solum terminatione significari debere; contrà verò eam, quæ prouenit ex naturis diuersis terminatione neutra solum debere explicari: tamen quia res magni (si quæ alia in præsenti materia) momenti est, & amplius confirmanda eiusque, ratio indaganda est.

CERTAMEN I.

Personarum distinctio masculæ eorum nominum terminatione explicanda, naturarum verò neutra.

1 VTrumque catholicum Dogma est satis expressum à Patribus recitatis q.4.cert. 1. n. 6. quibus testimoniis adde illud Ioann. 5. *Alius est, qui testimonium perhibet de me.* Pater; Ignat. Martyr. epist. ad Tarsens. circa med ex 1. Corint. 15. concludit: *ergo alius est, qui subiecit Filio, omnia, & alius Filius, cui subiecta sunt omnia.* Nazianz. orat. 37. 5. de Theolog. *Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appellatur.* carm. arcano. 1. post med. ait: *sermonem*, verbum, *esse alium à Patre*: Athanas. serm. de propriis Personis med. & 4. aduersus Vrbi cum Potent. sub init. nomine *alius*, & *alter* pro Personis vtitur ex Ioann. 14. *Alium Paracitum dabit vobis.* Basil. hom. 18. contra Sabellium post init. *Alius est Pater qui misit, & alius Filius qui missus est.* Epiphan. in anchorato col. 3. ait: *Patrem esse alium à Filio*; ex Ioan. 5. Theodoret. in id ad Hebræ. *Figura substantiæ.* Cirill. Alex. 2. thesor. cap. 1. sub init. *Alius est pater, alius filius alius principium, alius ex principio.* lib. 10. ap. 1. longè ab init. ait *Aliam esse personaliter filium à Patre.* lib. 12. cap. 15. sub init. *Alius quidem hypostathicè a Patre.* Origen. hom. 12. in 21. numeror. col. 2. ait: *Filium alium à Patre, Spiritum sanctum ab vtroque.* Euseb. Cæsar. 4. demonstrat. Euangel. cap. 3. ante med. *Tanquam ex causa profectus Filius alius ab alio, cuius est Filius existit.* lib. 5. cap. 1. longè ab init. *Se ipsum genitum, neque eundem cum ingenito docet.* Hilar. de Trinit. circa med. *Alius ab alio, quia Pater, & Filius* de Synod. col. 7. ad cautelam. 2. Oriental ex Ioan. 5. *Sic dedit, & Filio: Alius est sibi viuens, alius prosirens se viuere per authorem.* Post can. 8. *Cùm possit nisi alius, atque alius esse generans, & genera tus;* Can. 9. ait: *Filium esse alium præter Patrem.* Cui consonat Ambros. 2. de Spiritu S. cap. 10. longè à med. ac circa fin. lib. de Synod. approbat hunc Canonem 20. fidei Syrmicæ: *Si quis sicut docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum à Filio, & c. Anathema sit.* Leo M. epistola nonagesima tertia, ad Turib. Asturic. Episcop. capite primo. *Alius, qui genuit, alius, qui genitus est, alius, qui ex vtroque processit.* serm. 1. de Pentec. cap. circa med. *Cùm in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.* Phæbad. lib. contra Arrian. sub fin. *Alius à Filio Spiritus, sicut alius Patre Filius.* Beda in id Ioan. 14. *si cognouisses me*, ait, *Alius enim ego sum, alius ille.*

2 Sic etiá masculà nominis *alter* terminatione personarum distinctio notatur. Chrysost. hom. 2. ad Hebr. 1. *Caracter alter est à suo exemplari?* Athanas. 1. de vnica deit. longè à med. *Alter est in persona, qui genuit: alter in persona qui genitus est, alius æquè in persona, qui nec Pater, nec Filius est.* lib. 2. de propriis personis med. *Vides, quod alter ab altero, siue alius ab alio in persona tantum differt.* Orat. contr. Gregal. Sabel. versus med. *Cùm Pater qui vnus est, sit Deus, & Filius, qui alter est, sit Deus.* Cyril. Alex. 3. Thesaur. cap. 1. longè ab init. *Nihil habet alter, quod alter non sit, nisi quod hic Pater, ille Filius est.* Rursus: *Alter in altero necessario est, & alter in altero intelligitur*, lib. 10. cap. 1. vers. med. *Cùm alter det, alter accipiat.* Euthym. cap. 16. Ioan. ad id Ioann. 14. *Qui videt me*, ait, *vnus per alterum mundo cognoscitur.* Hilar. de Synod. ad can. 9. orientalconfirmat: *Alterum ab altero* distingui. August. serm. 53. de verbis Domini secundum Ioann. circa fin. *Sic æqualis alter alteri, vt tamen alter ex altero*: Quod ipsum æquiualenter docuit Ambros. 1. de fide ad Gratian. cap. 2. vers. med. *Non enim*, inquit, *Pater ipse qui Filius.* Consonat Beda vbi proximè, Hilar. paulò ante verba data ad can. 2. Oriental. col. 7. *Discernitur Persona accipientis, & dantis, nec ipse sit idem, vnus, & solus.* Euseb. Cæsar. 5. demonstrat. Euang. cap. 1 longè ab init. *Se ipsum genitum, nec eundem cum ingenito docet.* Quod si Filius non ipse, aut idem, qui Pater est, alter necessariò esse dicatur. Scio S. Bonau. in 1. disp 4. dub. 9. litterali dubitasse, imò insinuasse proprius dici Filium alterum à Patre, quam alium: quia alius inquit, maiorem differentiam significat fortè, quia iuxta quandam Porphirij translationem differentiæ non essentiales cuius modi sunt propria, & communis *alteratum* faciunt, *aliud* verò essentia. Iem, seu propriissimam; sed in primis alterum idem quod alteratum non non est, vt verè Ruiz. disp. 39. sect. 4. Secundò *Alius*, & *alter*, atque *aliud*, & *alterum*, idem significare docet Boëtius in l. Sagogem Porphyrij, constatque ex dandis, datisque Patrum testimoniis, quibus suspicio omnis aboletur. Tertiò idem ipsum ex genuina vocum proprietate, & significatione cert. 2. constabit.

3 Hæc autem eadem nomina, ac numeralia in neutra terminatione diuersitatem in essentia designare quoties aliud, & aliud, vel alterum, & alterum dicitur, ac proinde non posse de Trinitatis personis enunciari: neque numeralia nomina; Constat ex datis testimoniis quæst. 4. cert. 1. num. 6. Insuper ex Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus.* & epist. 1. cap. 5. *Hi tres vnum sunt.* Ad quæ Athanas. 1. de vnitate deit. longè à med. *vnum sunt non tamen vnus est: quia non est eorum vna persona.* Nazianz. orat 37. 5. de Theolog. longè ab init. *Neque Filius est Pater; sed, quod Pater, nec Spiritus est Filius quia ex Deo est, sed quod Filius. Tria hæc vnum* Basil. lib. de Spiritu S. cap. 18. vers. med. *Vnus sunt, & vnus Pater, & Filius, aut iuxta communem naturam vnum sunt ambo.* Cyrill. Alex. 1. Thesaur. cap 8. fine de Filio ait: *Procedit ab ipso*, Spiritus, *alius quidem ab ipso, sed vnum.* lib. 12. cap. 6. sub init. *Non est aliud ipse, aliud virtus sua, hoc est Filius, sed vnum, & idem.* Cyril. Hierosol. cathec 17 post med. *Vnum ex siem cum Patre, & Filio hic Spiritus* Cathes. 11. *Non dixit, I. ano. Vnus sum; sed ego, & Pater vnum sumus, vt neque abalienemus neque contrahamus Filio paternæ* (Patris, & Filij confusionē) *fabricemur*: Epiphan. hæres. 62. *Duo dixit, & non dixit, vnus sum, sed vnum.* Ioannes cuius verba sic etiam ponderant Gregor. Bætic. de Trinit. sæpè sæpius Ambros. libris de fide ad Gratian. ac de Spiritu sancto 1. de Filij diuinit. cap. 2. 6. exhamer. cap. 7. med. quæ, & alia verba Ioann. 17. *Sicut & nos vnum sumus.* ita etiam expendit August. 4. de Trinit. cap. 9. lib. 5. cap. 6. lib. 6. cap. 2. fine, & 3. ferm. 38. de temp. vers. med. & fin. Hilar. 6. de Trinit. longè ab init. & lib. 3. colum. 2 ait: *Vterque vnam, non duo vnus.* lib. 7. col. 2. *Quod vnum sunt refertur ad vtrumque, & vterque non vnus est*, lib. 8. col. 4. errores abigi circa Deum ait; *Cùm qui vnum sunt, non sit vnus, & qui non vnus est; non tamen ab eo, qui est ita ex aliquo differat, vt vterque vnum sint.*

4 Anastas. Synait. 1. de rect. fidei dogmatibus ante med. *Quod est generans Pater, hoc est quod genitus est Filius.* Ignatius Epifcopus ad Trallian. Post med. *Hoc ipsum & Filius, quod & Deus Pater.* Leo Mart. sermone secundo. de Pentecost. capite tertio. *Quod enim Pater est, hoc est Filius, hoc est Spiritus sanctus.* Ilidor. 2 de differenti. spiritual. capit. 5. *Filius est hoc quod Pater, non tamen ipse, qui Pater.* Sixtus Pap. 2. tom. 1. concilior. post Carthaginens. epist. ad Gratum Episc. *Quod Pater est, idem etiam est Filius.* Concil Tolet. 11. confess. fid. init *Non aliud, quam, quod ipse est, Deus genuit Deum.* Post med. *Non ipse Pater, qui Filius, sed ipsum est.* Ex quibus liquet non posse dici de personis esse aliud, & aliud; cum in eis idem, ipsumque esse dicantur, vt expressit Concil. Toletan. Nazianz. orat. 32. ad 150. Episcopos sub med. *Id quod cum principij experte Patre, & cum principio Filio est*, Spiritus nempè, *nihil omninò est aliud, quam quod illa.* Chrysost. tom. 5. orat. 1 de *In principio erat verbum*: ait Spiritum S. *non esse aliud quidpiam à Dei natura.* Epiphan. hæres. 76. vers. fin. ad caput 47. Aetij: *Non aliud à sua essentia Pater gignit.* Cyrill. Alex. 12. thesaur. post init. ait? *Non esse aliud Patrem, aliud Filium.* ac statim: *Quomodo verus genitoris fructus aliud, natura, quam genitor suaserit?* Sophron. Patriarcha Constantinopolit. 6. Synod. act. 11. epist profess. fidei col. 4. *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus aliud, & aliud, & aliud non dicantur.* Euseb. Cæsar. 5. demonstrat. Euang. cap. 1. sub init. de Patre *Non habet in se ipso aliquid, quod à se ipso sit aliud. Nou igitur, tanquam aliud in alio, erat Filius in Patre.* Hilar. 5. de Trinit. col. penult. *Neque aliud, quam Deus est*, Filius; *quia non est aliunde, quod genitus est, & per hoc non refertur ad aliud, quod in vnum subsistit ex vno.* Anselm. cap. 41. Monolog. fine. *Impossibile est aliud esse genitorem, quàm quod genitus: aliud esse Patrem, quam quod Filius.*

5 Vtrumque autem, & quod nomina *alius, alter*, & numeralia masculinè diuersitatem personalem, neutrè verò essentialem importent, docuerunt proxime recitati, Isidor. Hilar. Basil. Cyrill. Heroſolim. Naz. & Concil. Tolet. 11. reliquique commentatores ad verba Ioan. 10. & 17 & epist. 1. cap. 5. recitata. Insuper ferè omnes Patres, quos dedimus quæst 4. cert. 1. num. 6. adde concil. Lateran. sub innocent. 3. cap. *damnamus*, de summa Trinit. *Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, idem omninò; vt secundum orthodoxam & catholicam fidem consubstantiales esse credantur.* Theophilact. in id Ioann. 1. *Et verbum erat apud Deum.* ait: *Manifestè hoc loco alium esse verbum, & alium esse Patrem declarat magnus*

Ioannes vtrumsi non sit aliud, & aliud. Alius enim & alius de personis dicitur; alind, & aliud de naturis. August. 11. de ciuit. cap. 11. sub init. de Spiritu sancto scribit: *Alius est autem quod Pater, & Filius: quia nec Pater est, nec Filius. Sed alius dixi, non aliud, quia & hoc pariter simplex, pariterque bonum est incommutabile, & coæternum.* serm. 56. de verb. Dom. secundum Ioann. circa fin. *Intelligatur non bis vnus, sed duo vnum.* Isidor. 1. Etymolog. cap. 4. §. 1. *Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, sed alius quidem, non aliud.* Anselm. cap. 42. monol. init. *Cùm sit alius ille, & alius ille, vt omninò pateat, quod duo sint, sic tamen vnum, & idem ipsum est id, quod est ille, & ille, vt penitus lateat, quod duo,* neutrè, *sint.* Cyrill. Alex. 3. Thesaur. cap. 1. longè ab init. *Nihil habet alter, quòd alteri non insit; nisi quod hic pater, &c.* Hilar. 3. de Trinit. col. 2. *Quod in ingenito, hoc in vnigenito est, alter ab altero, & vterque vnum, non duo vnus, sed alius in alio, quia non aliud in vtroque.* Bernard. epist. 109. ad Innocent. colum. 2. *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sanè designatio est; non vnitatis diuisio. Licet namque in hac ineffabili, & incomprehensibili deitatis essentia alter, & alter & c. Sobriè, catholicèque dicatur: non tamen ibi est alterum, & alterum.*

CERTAMEN II.

Ex rigore, & proprietate sermonis ea prouenit diuersitas contra nonnullos.

1 DVrand in 1. disp. 9. quæst. 1. post med. Soar. 3. de Trinit. cap. 13. num. 5. non ex sermonis proprietate, ac significationis rigore, sed ex mero Patrum arbitratu ortum aiunt, quod præfata nomina masculine personalem distinctionem sonent, neutrè verò essentialem, seu naturæ. Primò cuiusuis hominis idem vnumque significatum est; quin terminatio aliud quam genus rei in qua illud idem significatum inuenitur, designet. Secundò: quia differentia essentialis, siue propriissima nomine *alius, alia, aliud.* in quauis terminatione explicatur iuxta Porphyr. cap. de differentia, ac non essentialis nomine: *alter, altera, alterum.* Cuius doctrinam tota Philosophia, & Theologia veneratur cum Magist. & sancto Thoma, in 1. disp. 9 quæst. 1. articul. 1. corp. & artic. 2. S. Bonauent. disput. 4. art. 1. quæst. 2. sed tamen dicendum eam differentiam significandi in masculina, & neutra significatione prædictorum nominum à sermonis rigore, ac linguæ proprietate venire, ita S. Thom. & Bonauent. proximè Richard. disput. 1. artic. 1. quæst. 2. Carthus. quæst. 1. column. 2. & 3. Albert. 1. part. quæst. 40. med. 1. corp. & ad argumenta S. Thom. iterum 1. part. quæst. 31. art. 2. vbi Commentatores Luculentissimè Molin. post med. articul. 5. à num. 16. Probatur primò ab absurdo: quia cum Patres primùm eis nominibus ea diuersitate significationis vtebantur: vel ea diuersitas significandi ex proprietate sermonis, & rigore significationis recepta iam erat, vel non? Si erat: ergò ex proprietate sermonis erat, vt contendimus; si non erat ergò Patres tunc sine vlla authoritate, ac ratione impropriè, ac superstitiosè sunt in re tanta locuti; hæretici verò propriè, religiosè, multaque authoritate, & ratione: quod solus Durand. non sine impietatis, ac temeritatis nota, deglutit. Confirmatur: quia, quod sine firma ratione, atque certa regula, imò contra certam, statamque in vocum vsu, pro puro aliquorum arbitratu profertur, statim emendatur, repelliturque à peritis: atqui diuersitas significationis horum nominum in masmascula, & neutra terminatione non quidem emendata, aut repulsa, sed constans perpetua Patribus succedentibus, Conciliis Theologis, ac Philosophis fuit: ergo non contra, sed iuxta certam, ac firmam regulam semper fuit.

2 Ratio à priori est: quia neutrum genus non important distinctionem sexus, sicut masculinũ, & fœminum, sed commune est, & indifferens, ad vtrumque: ergò neutro genere conuenienter significatur essentia communis masculino vero personæ determinatæ, nec indifferentis, vt satis acutè, & theologicè discurrunt Doctores citati. Secunda ratio à priori sit, quia adiectiuorum sola neutra terminatio seorsim posita in grãmatica regulari significat substantiuè: ac proinde significatum eius est per modum substantię, & per se stantis, aliaque omnia sustentantis, quod munus in quauis entitate essentiæ est proprium ergò hæc ritè, ac rectè neutra eorum nominum terminatione significatur. Tertia: quia nomen substantiuè significans (cuiusmodi neutra eorum nominum terminatio significat) significat per modum per se stantis, ac substantiæ suum obiectum: ergò significat simpliciter ens, atqui quod in personis est simpliciter ens, est sola essentia, vt latè probauimus: ergò eam significat: ergò si aliud esse in personis diceretur diuideretur essentia: ast in masculina, vel feminina terminatione adiectiuè sumitur, afficitque terminum, cum quo concordat in recto: rectum autem personarum cum dicitur Pater est alius à Filio, & contra, personale est, ac proinde solum personalia catholicè multiplicat. Quod si terminus cum quo concordaret, essentialis esset substantiuus substantiuè acceptus, *alius*, aut *alter*, & *alius* dici in diuinis non posset, vt constat ex Isai. 45. num. 6. *Ego Dominus, & non est alter.* num. 18. *Et non est alius.* num. 22. *Ego Deus, non est alius* Baruch. 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius.* Vnde Concil Nicæn. lib. 2. inter med. & fin. §. *Siquidem*, initio: *Non alium Deum, atque alium protulimus, sicut impius Arrius blasphemauit.* Probatque ex datis locis vers. fin. §. *Illud etiam.* Sophron. citata epist. col. 4. *Deus, & Deus, & Deus, sed vnus est hæc tria Deus. Non enim alius Deus Pater, neque alius Deus Filius; neque alius iterum Deus Spiritus sanctus.* Ideo Theologi cum Magist. in 1. disp. 4. constanter negant *Deum genuisse alium Deum.* Vnde patet ad argumenta. Nam *aliud* neutrè, prolatum non mutat solum genus, sed acceptionem, & significationem: nam significat substantiuè, vt Grammaticis est notum. Quod si adiectiuè, afficiensque terminum personalem poneretur, v. g. *Suppositum* aliud, & aliud suppositum rectè diceretur: quia significatio nominis non variatur, nec aduersatur Porphyrius, sed fauet. Non enim docuit quouis genere nomen *alius* differentiam essentialem significari, sed in neutra solùm: nempè facere *aliud*, aliàs verò non dixit facere *alterum*, sed *alteratum*.

3 Obiicies primùm Iustinum dial. cum Triphone longè ante med. vbi Iudæos pluralitatem personarum negantes ita alloquitur: *Rursus vobis persuadere conabor, qui scripturas cognitas habueritis, id quod dico: esse atque dici Dominum; alium, præter vniuersi Parentem.* Sed nisi prauè, *coma illud* postponatur difficultate locus caret: maximè cum se ita inferius explicet: *Hunc qui Abrahamo, Iacobo, & Moysi visus esse dicitur, scripsusque est Deus, diuersum esse ab eo Deo, qui omnia condidit. Numero dico non consilio, & sententia.* Quare nec deitate, sed persona, vt explicatius docet Naz. carm. arcan. debetque intelligi in illis locis Genes. & Zachar. *Pluit Dominus à Domino, & increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te;* ac similibus ex quibus Hieronym. in 3. Zachar. aliique Patres plures Dominos in diuinis asserunt non in dominio, & deitate; sed in personis, vt plures, aliumque, & alium, qui idem dominus, Deusque sint, ostendant nisi velis adiectiuè in his omnibus Deum vsurpari. Quæ solutio cadit etiam in aliam obiectionem: quia *Paracletus* nomen substantiuum, & commune tribus personis est: & tamen alius, & alius Paracletus dicitur in diuinis Ioann. 14. *& alium Paracletum dabit vobis.* Alium nempè à me, ergò licet Deus nomen commune sit, alius, & alius dici poterit. Vtrumque enim ea nomina sumantur concedendum est, neutrum si substantiuè. Ita respondet Vasq. disp. 157. cap. 7. licet in eo peccet, quod Paracleti nomen de se adiectiuum esse dicat. Vt enim benè Ruiz. disput. 39. sect. 7. num. 15. substantiuum nomen græcum

græcum est, iuxta notationem Erasmi, ad id Ioann. 13. *Paracletus autem Spiritus S.* Cui proinde masculina solùm terminatio assignatur in Lexicon Roberti Constantini, & Iudæi, atque in dictionario Ariasmontani. Id autem non prohibet adiectiuè vsurpari, & pro personis in recto, vt diximus q. 1. ac proinde alium, & alium in diuinis numerari.

4 Grauius peccat Ruiz negans *Paracleti* nomen cõmune Patri, cum duabus personis esse, sed his tantùm, cùm ille etiam dicatur *Deus totius consolationis.* iuxta Basil. cap. 19 de Spiritu sancto, sub init. Hieronym. epist. ad Hedibiam. quæst. 9. versic. fin. & patet, quia consolatio operatio ad extra est: quare Patri etiam communis, atque à communi potestate Trinitatis proueniens. Quod autem Paracletus mittendus, & donandus dicatur, non ideò est, quia ratio doni, & missibilitas sit de ratione Paracleti, sed quod hæc communis cum sit, in personas missibiles, & donabiles quadrat. Sed licet duabus tantùm personis commmunis esset Paracleti ratio, nequiret dici alius, & alius substantiuè: non enim minus repugnat, id quod commune, & idem est in duobus diuidi, ac multiplex in illis dici, quam quod commune tribus est in eis multiplicari. Vrgeo ad hominem, quia in huius sententia ratio Spiratoris eadem in Patre est, eademque in Filio, & vtrique communis: & ideò non posse dici de illis alium, & alium Spiratorem siue aliud & aliud principium spiratiuum docet ipse disp. 70. ergò licet Paracleti ratio duobus tantùm Filio, & Spiritui sancto communis esset, non possent per te dici alius, & alius Paracletus. Respondet rationem Spiratoris totam esse ad intra eandem, vnicam, & indiuisibilem; at consolationem extrinsecam esse, ac diuersam à Filio exhibitam conuersatione, doctrina, & redemptione, quam ab Spiritu sancto per donaque diuersitas nomine alius, & alius consolator potest rectè explicari. Sed contra: quia vtraque consolatio à consolatore, & principio consolationis, qua tali prouenit: sed hoc idem est in vtroque per te; ergo non alius, & alius substantiuè consolator, sicut neque alius & alius artifex, conditor, & creator, & doctor creaturarum, in diuinis dici potest. Et ratio est, quia substantiua concreta in recto solam formam dicunt, qua immultiplicata nequeũt pluraliter enunciari, aliusque proinde, atque alius dici.

5 Oppones tertiò. In diuinis est *Deus, & Deus, & Deus.* teste Athanas. 1. de vnit. deit. post med. dialog. 3. de Trinit. contra Macedon. longè à med. compend. de Spiritu sancto circa med. Sophron. immediatè post verba proximè data, Chrysost. hom. 1. in Symbol. Apost. circa med. Gregor. Bætico de Trinit. col. 4. Hilar. sæpè 5. de Trinit. longè ab init post med. ac circa fin. sæpius lib. 6. & 7. ergò est alius, & alius Deus in diuinis. Patet: quia coniunctio significata voce, & non nisi distinctorum est, quare idem Petrus nequit dici *Petrus, & Petrus.* Respondet Ruiz citata sectione 7. satis esse, si denotetur distinctio personarum ea conjunctione, quæ in Petro, personaliter etiam vno locum non habet. sed contra: quia si Deus substantiuè sumatur, rectum cum recto coniungi denotatur, quod est deitas, ac proinde eius pluralitas inducetur. Vera solutio est Deum ibi adiectiuè vsurpari: quo sensu alius, & alius dici posset in diuinis, nisi abusus hæreticorum timeretur, quem vt Patres citati vitarent addiderunt *esse vnum Deum*, substantiuè, vt primis verbis aliter Deum ab ipsis vsurpatum testarentur, Dum Deum Deo coniungebant.

6 Tandem opponis posita constantia terminorum, quidquid idem non est cum aliquo diuersum est, aliusq; ac illo ex Aristot. 10. met. cap. 5. text. 10. atqui Filius non est idem Deus ac Pater: ergò est alius Deus, diuersusque à Patre. Minor est Hilarij 6. de Trinit. longè à principio dicentis: *Nec idem Deus, qui erat, sed Deus ex Deo, qui erat natus est.* Item peruetusti Commentatoris Boetij, lib. de Trinit. post med. hanc propositionem, vt falsam reiicientis: *Pater est Deus, & idem Deus est Filius.* Missis Commentatoris huius inutilibus distinctionibus, aliisque Ruiz non vtilioribus, quas disput. 39. sect. 8. à num. 3. totis quatuor conclusionibus persequitur. Nego minorem absolutè Hilarius Deum ibi adiectiuè vsurpauit. Quo sensu tam certa est propositio, ac ista: *Persona Patris eadem persona Filij non est* Hoc autem solum contra Sabellianam personarum confusionem contendebat Hilarius. Aliàs verò tàm ipse, quàm alij Patres Filium, & Patrem eundem esse Deum sæpè docuerunt: quia absolutè prolatus Deus substãtiuè accipitur quare commentatoris censura de propositione illa acriorem procul dubio meretur.

QVÆSTIO VI.

Quibus vocibus Personarum distinctio, & pluralitas asseri debeat.

LVRES voces sunt, quibus increatis distinctio, & pluralitas explicatur. Videndum autem est, an omnibus ad pluralitatem, & distinctionem personarum explicandam vti in diuinis possimus. Potissimæ verò sunt, *distinctio differentia, discrimen, discretio, diuisio, separatio diuersitas*; earumque concreta. Et quidem si adiungatur aliquid in oratione, quo secundum personalia esse sermonem constet, vel vnitas insinuetur in natura, eis omnibus vti possimus exemplo plurimorum Patrum quos recitat Ruiz disp. 39. à sect. 9. ad 13. vsque. Quæstio igitur est quænam absolutè, ac sine addito ex eis vocibus prolatæ personarum distinctionem, sine præiudicio vnitatis essentiæ significare queant.

CERTAMEN I.

De vocibus pluralitatis, distinctionis, & differentiæ, earumque concretis.

1 DIco primò: Pluralitatis, ac distinctionis nomen adeò in diuinis receptum est, eorumque concreta, vt contrarium sentiendi locus non sit, nisi dogma de Trinitate euertere tentetur. Docet enim fides pluralitatem personarum absolutè, personasque plures. In quo & earum distinctio asseritur: quæ enim idem, ac non distincta sunt, plura esse non possunt; idcirco Patres, Cocilia, & Theologi consonè distinctionem in diuinis personis, distinctasque personas absolutè pronunciant Dionys. 2. de diuin. nomin. vbi discipulus Hierot. fine Concil. Tolet. 1. fin. in assertione fidei, & in confess. fid. vbi etiam Tolet. 11. Nicen orat. Catech. 1. fine, Cyrill. 1. Thesaur. cap. 1. fine, Hilar. 4. de Trinit. post med. Ambros. 1. cap. 2. lib. 4. vers. med. lib. 4. cap. 4. vers. ac circa med. 1. de Spiritu sancto, cap. 8. post med. & 2. cap. 10. post med. Tertulian. 4. contr. Prax. cap. 11. de Spiritu S. post med. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 1. longè à princip. Beda ad id Ioann. 16. *Si enim non abiero.* Richard. victor. 4. de Trinit. cap. 20. lib. 5. cap. 1. Scholastici cum Magist. in 1. disp. 24. cap. *cum autem*, & cum sancto Thoma, 1. part. quæst. 31. atq; vniuersim, quotquot Concilia, Patres, & Scholastici de Trinitate egerunt.

2 De differentiæ, ac differentis nominibus non nihil scrupuli fecit S. Thom. quominus eis personarum pluralitas, ac distinctio significari expediat, suaque authoritate traxit non paucos. Negat enim 1. part. quæst. 31. corp. (vbi Caiet. assectæ, & Canar.) de potent. quæst. 9. artic. 8. & in 1. disput. 24. quæst. 2. artic. 1. sanctus Bonau. dub. 1. litterali, Albert. 1. part. quæst. 40. m. 1. corp. & fin. Henric. part. 2. sum. art. 53. quæst. 8. ad 2. art. 75. quæst. 5. corp. ante med. Porrò sententiæ huius

in

in Patribus, vel nullum fundamentum est, vel per exiguum. Licet enim quandoque personas non differre dicant, subdunt tamen in æqualitate, in gloria, in substantia, in voluntate. Verum est peruetustum illum Boëtij de Trinit. commentatorem post med. hæc apud Bedam habere: *Tres personas non differre, si propriè differre accipiantur.* Eum tamen acutulum, futilem grammaticum non virum Theologum æstimare debemus, & qui inutilibus (vt benè Ruiz disput. 39. sect. 8.) subtilitatibus sua commentaria repleuerit: quare parui est, cum de suo loquitur, faciendus. Fundamenti tamen vmbram habere hæc opinio potest in Aristot. 10. met. cap. 5. text. 10. dicente: *Differens ab aliquo, aliquo differens est: quare necesse est aliquid idem esse, quo differunt. Hoc verò idem, aut genus aut species est.* Id autem quo differunt, quæ genere, aut specie idem sunt, differentia essentialis est: atque ideò hæc differentia propriissima nominata à Porphyrio videtur: quasi aliæ minus propriæ differentiæ dicantur. Sed certè Aristotelis ratio probat personalitates differentias esse: in quibus nō potuit exēplum: quia mysterium Trinitatis ignorauit. Porphyrius autem differentiam essentialem propriissimam dixit relatè ad subiectum, & possessiuè, quia intimissima constituto est, non ad alias differentias, quasi minus propriè tales. Nam capit. de differentia sub init. communem, & propriam simpliciter, & absolutè differentias esse docuit, ac Damascenus de decretis primæ institut. notat, quod differentia specifica vocatur naturalis, & essentialis; *Aſt qua hypostbasis eiusdem speciei, atque naturæ hypostbasi differt, ea omnis aduentitia, differentia, & qualitas, proprietas hypostbatica, &c.*

3 Dico secundò: Nominibus differentiæ, ac differentis rectè explicatur, ac propriè distinctio, & pluralitas personarum in diuinis, vt scrupulum, quem S. Thomas, & Bonauentura iniecerunt, excutiam plura patrum testimonia, qui ad distinctionem personarum explicandam eis nominibus vtuntur recitanda sunt. Iustin. exposit. fid. de Trinitat. sub init. *Pater à Filio iuxta subsistentiæ modum differunt.* Athanas. lib. 2. de vnito nomin. deit. seu de propriis personis, med. *Alius ab alio in persona tantum differt.* dialog. 1. de S. Trinit. contr. Anom. sub med. *Verè dicimus esse proprietatum differentiam in hypostbasi.* longè à med. *differentiam Filij, & Spiritus sancti*, ait, *Quod vnus quidem ex vtero sit, alter ex ore.* Naz. orat. 35. 3. de Theolog. column. 2. numer. 2. *Personas differre numero*, ait Nyssen. orat. Cathech. cap. 1. init. *Personarum differentiam dixit.* lib. ad Ablab. *Quod non tres Dij*, circa fin. *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur differentiam non negamus.* Postea: *rursus aliam differentiam consideramus.* lib. de different. essent. & hypohas. *Cùm nec differentia hypostaseon continuitatem naturæ diuellat.* Basil. homil. 28. contra Sabellian. longè ab init. *differentiam personarum.* Chrysostom. hom. 74. in Ioan. sub init. ex Ioann. 14. *Alium Paracletum.* ait, *dicendo alium personarum differentiam demonstrat.* Hom. 17. med. Ioann. 16. *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Obseruat, *Personarum differentiam ostendi.* Cyrill. Alex. 2. thes. cap. 1. sub init. *Differentia quædam inter Patrem, & Filium inuenitur* capit. 2. longè ab init. *Differunt, quia Pater ingenitus, Filius verò genitus est* cap. 3. post init. *Inueniri differentiam secundum rationem.* Similiterque ad rem hanc differentiæ voce vtitur 1. Thesaur. cap. 8. fine, lib. 7. cap. 1. ante med. lib. 12. cap. 15. longè à med. 1. dialogor. de Trinit. longè à med. lib. 7. circa med. Theodoret. epitom. diuinor. decretor. lib. 5. cap. 2. col. 1. *Eo, quod dixit Deum apud Deum, personarum differentiam declarauit.* longè à med. *characther substantiæ, & perfectam similitudinem ostendit, & personarum docet differentiam.* 2. de princip. column. penult. *Vnita quidem, supposita, eo quod eiusdem naturæ sint, proprietate verò differentia.*

4 Damasc. 1. fid. cap. 10. *differentiam processionis, & generationis.* cap. 11. circa med. *Secundum existentiæ modum differentiam intelligimus personarum.* lib. 3. cap. 5. sub init *differentiam hypostaseon.* cap. 6. sæpè: *hypostbases differre* ait, cap. 1. de decret. 1. institut. *differentia, qualitas, & idiotis, siue idioma, id est proprietas, vnum, idemque declarant.* Repetit cap. 3. 4. & 5. Origen. hom. 2. in varios col. 2. illis Ioann. 1. *In principio erat verbum, &c.* dici ait, *vnitatem essentiæ, & substantiarum*, subsistentiarum, *differentiam.* Anastas. Synait. 1. de rectæ fidei dogmatib. longè ab init. ac vers. med. *differre personas earumque differentiam;* dixit Anastas. Theopolitan. compendiaria exposit. fid. sub init. *Personas differre hypostas.* Hugo Ætherian. de hæresibus, quas Græci in Latinos deuoluunt: *differre personas, & earum differentiam.* Hilar. 9. de Trinit. longè à med. *Cùm differre significatione ipsa existimetur innascibilitas à natiuitate.* Græg. Bæticus de Trinit. post med. *Hoc loco differens à Patre Filius, quod ille Pater est, & hic Filius.* Marcus Bessarion. & Ioannes theologus in Concil. Florent. sess. 19. column. vltim. annuentibus Patribus statuunt: *Patris personas ab aliis, re etiam, differre.* Ac Ioann. Theolog sess. 18. sæpè præsertim §. *Diuina substantia.* §. *Dixi equidem.* ait, *Personas proprietatibus, & relationibus differre.* Consonat. Richard. Victor. 4. de Trinit. cap. 20. circa med. ac med. lib. 5. cap. 1. ante med. & circa fin. Constantinus autem in hac conclusione Scholasticis reliquis, Magistro in 1. disput. 24. cap. *Cùm autem.* S. Bonau. disp. 8. part. 2. art. 1. quæst. 1. fin. Alex. 1. part. quæst. 44 ad 1. Vasq. disput. 131. cap. 2. Soar. 3. de Trinitat. cap. 13. num. 3. & 4. Ruiz disput. 39. sect. 10. qui omnes, alijque plures distinctionis, ac differentiæ nomine hac in re indifferenter, & indiscriminatim vtuntur. Et sanè me iudice purior ad rem hanc explicandam differentiæ vox est, cùm importet differentium vnitatem, quam non dicit absolutè distinctio, vt quæstione sequenti videbimus.

CERTAMEN II.

De reliquis nominibus.

1 Dico tertiò: Voce *discriminis*, & *discreti* vti licet ad pluralitatem, ac distinctionem personarum explicandam. Probatur primò: quia *discrimen, & discretus*, apud latinæ linguæ peritos idem est, ac *differentia*, & *differens.* Secundò quia Nyssen. 2. de different. essent. & hypostas. longè ab init. sic habet: *Per propria, ac peculiaria signa inconfusum Trinitatis discrimen habere oportet.* ante m. *Vnaquæque personarum propriis insignibus discriminatim intelligatur.* Medio repetit *discrimen.* Inferius. *Tum discrimen coniunctum, tum discretam coniunctionem.* Similiter discrimen vsurpat Isidorus Pelus. lib. 2. epistol. 143. init. Concil. Lateran. cap *firmiter*; de summ. Trinit. *Secundum personales proprietates discreta.* Concil. Toletan. 6. cap. 1. *discretam inseparabiliter personis.* Nyssen. lib. ad Ablab. *Quod non tres Dij*, circa fin. *Per quod* originem, *discerni alterum ab altero deprehendimus.* Rursus: *Hypostb. S. Trinitatis ratio causæ discernit.* de different. essent. & hypost. sub med. *Idem, & coniunctum, & separatum, atque discretum dicimus.* fine: *Hypostaseon discretionem.* cap. 3. sub init. *Distinctum, ac discretum consistentia, & hypostbasi.*

2 Isidor. 2. de differentiis spiritualibus cap. 2. init. *In personis discretio est.* Richard. Victor. 4. de Trinit. cap. 20. circa med. *discretiua, & differenti proprietate.* lib. 5. cap. 1. circa med. repetit *discretionum, discretum, discretionem.* Magist. in 1. disput. 24. cap. *Ita est.* sic ait: *Eodem modo in diuinis personis accipitur distinctio, quo discretio, & congruè ibi dicitur esse discretio.* S. Thom. quæst. 2. art. 1. corp. *Ecclesia prædicat discretionem.* Annuit Carthus. q. 4. S. Bonau. dub. 1. litteral. & disp 8. part. 2. art. 1. quæst. 1. ad 2. Albert. 1. part. quæstio. 40. med. 1. corp. quod si Sixtus Pap. 1. epistol. 1. sub init. S. Martialis epist. 1. ad Burdegal. cap. 1. fine, Tertullian. contr. prax. cap. 8. Lactant. 4. diuinar. institut. cap. 29. & Ecclesiæ præfatione Missæ de Trinit. *Discretum*, ac *discretionem* negare in diuinis videtur, quod ad essentialia intelligi debent. Ratio verior est, quia discretio intellectus solius est, qui sine identitatis etiam realis, præiudicio potest discernere identificata, nedum realiter distincta, vt personas: quare non laudo nostrum Ruiz, qui disputatione 39. sectione 12. numero 12. his perspectis suspiciosam discretionis vocem in diuinis appellat, nisi addatur in proprietatibus, vel simul omnimoda identitas in natura.

3 dico quarto: *diuisionis, separationis, distantiæque* nomina de personis diuinis nequeunt enunciari nisi addito temperamento: *in proprietatibus*, vel simili. Ratio est: quia hæc omnia nomina identati personarum in natura, earumque personarum circuminsessioni aduersantur. Vnde Concil. Nicæn. lib. 2. longè à med. §. *Audiam.* fine: *Trinitatem inseparabilem*, dixit. Toletan. 11. confess. fid. circa med. & profess. fid med. *Inseparabiles esse personas.* Ac *verbum non esse à Patre separatum.* Docent Tertullian. contr. prax. capite octauo, nono, & decimo. Euthym. capite decimo-sexto, in Ioannem, Athanas. Synait. de rectæ fidei dogmatib. med. Leo M. serm. 2. de pentecost. capite tertio. Neque vllus est Patrum, qui separationis nomine propriè accepto hac in re vtaturset provt solum dicit distinctionem: vt videre est in Nyssen. de different. essent. & hypostbas. ante med. & longè à med. ac lib. de fide ad simplicium vers. finem. De diuisione eadem est ratio. Nam diuisio propriè separatio est, supponitque necessariò vnionem: quare Fulgent. de fide ad donatum cap. 3. longè ab init. & Concil. Nicæn. vbi proximè synonyma separationis, & diuisionis nomina putant, ac de personis negāt. Quibus accordes, Magist. S. Thom. S. Bonauent. Carthus. Albert. supra ad 3. vtrumque absolutè in diuinis proferri meritò verant.

4 Dico quintò. *Diuersitas*, & *diuersus* absolutè dici nequeunt de diuinis personis sine addito temperamento dicto. Ita Magist. & Carthus. supra, S. Bonau. in disputatione decima-nona, parte prima, articulo primo, quæstione prima fine, sanctus Thomas, prima parte, quæstione 31. articulo secundo, Ruiz, disputatione trigesima-nona, sectione vndecima. Nec vllus Patrum, qui sine correctiuo diuersitatem doceat personarum præter Damascenum de duabus Christi voluntatibus post init. qui tamen in contextu illud sæpè subiunxit. quocirca obseruandum est, non omnes Patrum locutiones seorsim nobis absolutè vsurpare in re adeo periculosa licere. In eis enim contextus verum explicat sensum; nos autem de eis præcisè, atque absolutè sumptis disputamus. Quare si explicatione egent, ea non adhibita à nobis proferenda minimè sunt, ne vel eberrandi, vel reprehendendi aliis occasio præbeatur. Ratio autem est: quia vt benè Arist. 10. met capit. 5. post med. *Diuersum, & illud à quo diuersum est, non est necesse aliquo esse diuersum.* Quare diuersum, & diuersitas personarum conuenientiam, & vnitatem in natura non explicant: ergò & periculum est intelligendi eas se totis distingui.

5 Dico sextò. *Alienationis, alieni, extranei, atque extraneitatis*, voces prorsus à diuinis personis relegentur. Ita Concil. Nicæn. lib. 2. post med. §. *Cùm sit copiosa.* fine, & circa Nazianz. oratione secunda, de dogmate, & constitut. episcopor. vers. med. Cyrill. Alex. 9. in Ioan. capite vigesimo-quarto, circa med. & fin. epiphan. sæpè hæresi 69. Iustin. edicto fidei columna prima, & Scholastici citati proximè: neque vllus est, qui aduersetur Catholicus quia eiusmodi voces non solùm vnitatem personarum, identitatemque in natura non explicant, sed apertè excludunt. Quod enim alienum extraneum ab aliquo est, ne proprium quidem; nedum idem cum ipso est.

†

R. P. Christoph de Ortega, de Deo vno & Trino.

QVÆSTIO VII.

Sit nè numerus in Trinitate admittendus.

Esse in Trinitate personas, ac tres etiam personas esse certum, statumque de fide est. An verò ea personarum pluralitas, Trinitasque satis sit, vt numerum absolutè constituas subtiliori indagine eget.

CERTAMEN I.

Aliorum sententia, ac nostra conclusiones.

1 Reicienda in primis est sententia Magistri in 1. disputatione vigesima-quarta, asserentis numerum metaphoricè solùm diuinis personis conuenire: cum Ioannes dixerit: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Quare apud Scholasticos reliquos malè audit Magistri sententia. Aureolus tamen ibi, articulo quarto, circa fin. propositione secunda, & tertia; veram putat, quatenus ea sola numerum constituunt, qnorum quoduis accipi seorsim sine alio potest: quod personis ratione circuminsessionis nequit conuenire. Sed hæc ratio nisi in statim adducendam recidat nullius est momenti, neque in sententiam Magistri cadit. Hoc patet: quia non probat numerum metaphoricè solùm Trinitati conuenire, sed solum non conuenire simpliciter, & absolutè. Primum etiam constat: quia ex relatiuis, quæ realiter, imò in communi sententia per rationem accipi seorsim nequeunt, sine correlatis, institui numerus potest. Ruiz disputatione trigesima septima, sectione secunda, docet personas diuinas, propriè, simpliciter numerum constituere, sumpto simpliciter ex parte numeri, qui de personis prædicatur: quia tota numeri formalitas in eis est, ast sumpto simpliciter ex parte subiecti, seu personarum non constituere numerum simpliciter, sed secundum quid: quia personæ de quibus prædicatur numerus aliquæ sui parte, plures non sunt, sed vnum, nempè in essentia; licet aliàs plures sint: nempè in personalitatibus. Non secus, inquit, atque homo est corporeus simpliciter ex parte prædicati; ast ex parte subiecti corporeus simpliciter non est, secundum quid, quia altera sui parte spiritualis, nimirum animo est. Pro qua opinione refert sanctus Thomas, prima parte, quæstione trigesima, articulo tertio, corp. & de potentia, quæstione nona, articulo septimo corp. vbi numerum, sicut vnitatem, quæ simpliciter est, in diuinis admittit. alios antiquos refert, numero tertio, qui ipsi nullatenus fauent. Vasquez, & Suarium numero 4. qui numerum in personis admittunt. Sed tamen, & nos, qui ab ipso dissentimus numerum personarum admittemus.

2 Cæterùm: quis vnquam hominem secundum quid corporeum dixit, quisvè ex parte subiecti: siue ex parte prædicati? dices: animus corporeus

non est: ergo non secundum sui partem, vel totus homo corporeus est. Benè: aliud est non conuenire prædicatum ratione omnium partium subiecti; aliud est subiectum *non* esse simpliciter tale, etiam ex parte sui. An *Petrus albus non est simpliciter*, & absolutè omninò, quia ratione animi albus non est, sed materiæ solius, quæ sola in eo albedinem habet? Contra secundò: quia implicatur in adiecto, cum dicitur prædicatum aliquod simpliciter enunciari de subiecto, & illud ex parte sui non esse simpliciter tale, sed secundum quid solùm. Nam vel subiectum habet rationem formalem, seu formam eius, quod prædicatur sufficienter simpliciter, siue ratione sui totius, siue partis, quæ sit ad effendum ex parte sui simpliciter tale, vel *non* habet? si non habet, nec prædicatum simpliciter tale, de eo verè enunciabitur; si habet ergo ex parte subiecti etiam simpliciter tale est, sicut dicitur esse ex parte prædicati. Atque vt generale hoc principium in speciali hac materia comprobetur. Rogo: quid dicat numerus, qui prædicatur simpliciter talis, vt talis simpliciter sit, nonne vnitates plures simpliciter tales? Rogo iterùm an in diuinis sint tres vnitates simpliciter tales? Negas, quia est pluralitas, seu Trinitas, non omninò, & simpliciter, sed cum vnitate: atque adeò ex parte subiecti numerus simpliciter non est, sed secundum quid. Benè: ergò neque est numerus simpliciter, sed secundum quid. Patet: Numerus simpliciter talis dicit plures vnitates simpliciter tales: atqui per te in diuinis non sunt plures vnitates simpliciter tales, ergò nec numerus simpliciter est talis, de eisvè prædicari potest verè. Ex eo enim, quod est, vel non est propositio est vera, vel falsa. Et sanè Ruiz ipse sect. 3. dum suam explicat conclusionem retractat. Ait enim. n.3. non participari à diuinis personis totalem, & adæquatam numeri rationem.

3 Dico primò in diuinis personis, vt re ipsa sunt, numerum simpliciter non est, sed secundum quid. Ita ferè omnes Scholastici, S. Thom. in 1.d.24.q.1.art.2. Scot. q.vnic. Argentina art. vlt. Carthus. q.2.fin. q.3. sub init. Aureol. à q.2. art. 4. circa finem propos. 2.& 3. Capr. q.1.art.2.concl.4. Greg.q.2.art.4. Gabr. art. 2. Marsil. q. 27.art.2.Ricard.art.1.q.1.ad 4.art.2.q.2.&.3.d.19.art.3.q. 1.ad 4.d.2.art.1.q.1.fin.S.Bonau.dub.7. literali, Albert.1. p.q.42.m.1.q.45.m.1.art.2.ad 2.Alex.q.45.m.2.3.p.q.66. m.1.art.2.Henric.2. p.art.43.q. 3.art.73.q.1 1.art.75.q.4. ad 2.Vasq.1.p.d.122.c.7.§.3.med.Soar.1.de Trinit.longè ab init. *Hoc verè vnum in quo nullus est numerus.* Concil. Toletan. 11. confess. fid. *Quod nec recedit à numero, nec comprehenditur in numero.* Isidor. Pelus.lib.3. epist.ol. 149. *Diuinum numen numero excelsius est.* Bernavd. 5. de considerat. ad Eugen. ante med. *cùm sint tres personæ, quis numerum neget, nam verè tres sunt: quis numeret tamen, nam verè vnum sunt.* Ac rursus: *Habes quid numeres, & quid non numeres. Substantia vna est, personæ tres sunt.* Subditque: *Dicamus itaque tres sed non ad præiudicium vnitatis. Dicamus vnum, sed non ad confusionem Trinitatis.* Concludit post med. *Non habens quod ad numerum diuidat, non quod colligat ad vnum.* Firmatque Boëtij verbis recitatis. Nissen. orat. Catechet. c.3.init. miratur. *Quomodo idem cadat sub numerum, & non cadat, & diuisum cernatur, & comprehendatur in vnitate.* Sed omnium præclarissimè August. tractat. 39.in Ioann. circa med. *ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit. vt, & numerus sit, & numerus non sit. Videte enim, si non quasi apparet numerus, Pater, Filius, & Spiritus S. Trinitas. Si tres, quid tres? deficit numerus, ita Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero: quia tres sunt, tanquam est numerus; si quæris quid tres, non est numerus vnde dictum est: Magnus Dominus Deus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus. Si cogitare cæperis incipis numerare: vbi numeraueris quid numeraueris non potes respondere.*

4 Ratio theologica à priori est: quia numerus absolutè, & simpliciter dicit pluralitatem absolutè, & simpliciter, atqui in personis, vt reipsa sunt, pluralitas absolutè, & simpliciter non est: ergò in personis, vt reipsa sunt, numerus absolutè, & simpliciter non est; Minor probatur primò: quia pluralitas absolutè & simpliciter talis, excludit vnitatem: atqui pluralitas personarum, vt re ipsa sunt, non excludit earum vnitatem: ergo non est pluralitas absolutè & simpliciter in personis, vt re ipsa sunt: idcircò doctè Ambros. 4. de fide ad gratian. c. 4. circa med. aiebat: *Distinctionem accipimus Patris, & Filij, & Spiritus S. non pluralitatem.* Confirmatur eadem minor ex locis datis Ioan. 10. & 17. & epist. 1. c. 5. in quibus nunquam plures personæ dicuntur, quin simul vnum esse dicantur. Item ex locis datis Patrum vbi Pater, & Filius *Duo vnum, ambo, & vterque vnum* dicuntur. Item ex aliis Patribus, & Ecclesię in inuitatorio Trinitatis dicentibus: *Vnitatem, in trinitate, & trinitatem in vnitate.* Ita Marti. 1. de decret. Synod. contr. Theod. & Cyrum, c. 1. Iustin. exposit. fid. de Trin. circa med. Naz. orat. 23. in laudem Hieron. circa fin. Cyril. sæpè libris Thesaur. & de Trinit. Epiph. hæres. 69. post init. & longè ab init Anchorato post init. Agatho. Pap. epist. instructionis col. 2. apud 6. Synod. act. 4. & Sophron. action. 11. epist. profess. fid. col. 2. Theod. fragm. pen. in Breuiar. liberati, Ambros. sæpè in symbolo & de fide ad Gratian. Conc. Anglic. apud Bed. 4. histor. Anglic. c. 3. Bernard. de confid. sub med. in quibus omnibus pluralitas absoluta in Trinitate non admittitur ab scriptura, & Patribus, sed solum admixta cum vnitate, & identitate personarum in essentia.

5 Sed Clarius Athanas. 2. de propriis personis circa fin. *Trinitas diuisa est in nominibus personarum; in deitate autem indiuisa.* Gregor. M. 30. moral. *Tunc videbimus quomodo, & vnum diuisibiliter tria sint, & tria vnum.* Martiak epist. 1, ad Burdegal. cap. 10. fin. *Hæc in personis tria diuisa in diuinitate vnus Deus indiuisus est.* Anselm. de process. Spiritus S. cap. penult. fin. *Nec vnus homo pluralitatem recipit personarum; Deus verò vnus est tres personæ, & personæ tres vnus Deus.* Iacob. frater Dom. sub Liturg. init. *Luci diuinitatis, quæ singulariter est in Trinitate, & sine diuisione diuiditur.* Nyssen. de different. essent. & hypostas. sub med. *Idem, & coniunctum, & separatum, atque discretum dicimus, ac nouo ænigmate, tum discrimen coniunctum, tum discretam coniunctionem.* Dionys. ex quo Hieronym. 2. de diuin. nomine fine: *In diuinis rebus coniunctiones, diuisiones vincunt, & antecedunt. Nec minus tamen coniunctæ sunt, etiam post vnius, non abeuntem, singularémque diuisionem. Has nos communes coniunctásque totius diuinitatis diuisiones.* &c. Naz. orat. 39. in Christi natiuit. num. 16. *Vnum diuisum existentia*, circa med. *Distinguitur indistinctim, vt sic loquar, & distinctim connectitur.* Cuius testimonio aliter translato decreta sua firmat Ioann. Pap. 2. ad Senator. seu de duab. natur. contr. Euthych. longè ab init. Anastas. Synait 1. de rectæ fidei dogmatib. *Trinitatem admirabili prorsus vnione simul, & diuisione subsistentem.* Damasc. 3. de fid. capite quinto med. *Tres hypostases supernæ Trinitatis inconfusè vniuntur, & indiuisibiliter discernuntur, & numerantur: & numerus diuisionem, distantiam, alterationem, aut sectionem non inducit.* Sophronius 6. Synod. actu vndecimo, epistol. profess. fid. columna secunda *Numeratur personalibus alteritatibus*, Trinitas, *essentiæ, atque naturæ coniungitur, & omnimodam partitionem non recipit.*

6 Idem argumentum paulò alteri instructo explicatiùs, & simul maiorem eius confirmo: quia numerus absolutè non est, nisi indistinctis omninò, & totaliter vnitatibus: atqui personæ re ipsa totaliter distinctæ vnitates non sunt: ergò in personis, vt re ipsa sunt, numerus absolutè non est. Minorem probant recitata ex scriptura, & Patribus, præsertim duo postrema, in terminis solum addo Cyril. Alex. 1. Dialogor. de Trinitate longè ab init. *Non sicut nos inter nos, vel certè iuxta legem corporum distinctus erit*, Filius, *habens, & ipse in Patre in vniuersum sectionem.* libro sexto, columna quarta. *Non secernitur Pater à Filio, sicut Angelus ab Angelo: neque etiam vtrimque vnum differentiæ ratio seorsim omnibus modis vtrique constituit.* Maior probatur: quia si aliquid inclusum in vnitate potest assumi ad aliam ex qua numerus verus constet, probabo in quauis vlna plures vlnas esse: quia assumpto semipalmo secùdi palmus alius numerabitur, & sic de reliquis semipalmis & sanè, si ex vnitatibus iam inclusis assumere ad vlt. n. liceat

liceat, euenietque ferò, quod per locum probari puerulis solet: scilicet duobus ouis, vel malis multò plura contineri adscitis ex duali vnitate ad ternarium, & ex hoc ad quinarium vnitatibus duabus, & sic deinceps ad numeros vlteriores. Hoc argumento, segnius instructo fatetur Ruiz. sectione tertia, numero septimo, non esse in personis completam numeri rationem, esse tamen numerum absolutè, & simpliciter: quod non magis capio, quàm si in animo solùm diuisionem absolutè prædicat, quam hæretici non negabant, sed de personis, vt eis nominibus significantur: non re ipsa. Nam re ipsa plures, ac diuisas absolutè personas negauerat sæpè sicut Naz. qui tamen orat. 45. de diuinit. ad Euagr. sic se ad nostram conclusionem explicuit: *Cæterùm ad salutis animarum nostrarum vtilitatem, partitionem quoque propter appellationes*; Patris, & Filij; & Spiritus S. *subire videtur.*

CERTAMEN II.

De numeri ratione, & realitate in diuinis statuitur.

1 Duo hic examinanda sunt. Primùm an ratio numeri in diuinis in negatiuo, an in positiuo sit posita? Secundo, an realis illa, an rationis sit? Circa primum Magist. in prima dist. secunda capite. *Hilarius asserit rationem numeri in diuinis consistere, in negatione vnitatis, & solitudinis, solumque eo dici, non solum Patrem, vel Filium esse Deum.* Reiicitur communiter primò: quia ad eiusmodi negationem satis esset numerus binarius: ergò non stat in ea negatione solitudinis. Secundò quia solitudo dicit negationem numeri, vel pluralitatis: ergò numerus nequit consistere in negatione solitudinis: alioqui consisteret in negatione suæ negationis, dabiturque negationis negatio, quod implicat. Tertiò solitudo, atque opposita pluralitas, & numerus circa idem esse debent: ergo cum pluralitas, & numerus sit in personalibus, solitudo, cuius negatio dicitur, in essendo personam erit non in essendo Deum, vel plures Deos inducet Magister, argumento, & consequentia inuersa. Quartò; sicut ille vnus positiua personalitate, & deitate Deus est; ita vt non sit solus; oportet vt sit alius, qui positiua personalitate, deitateque sit Deus; ergo non sola negatione pluralitas, & numerus in diuinis personis est.

2 Ruiz disputatione trigesima-septima, sectione quarta, numero quinto, docet partim in positiuo, partim in negatiuo, numerum in diuinis consistere, sicut in creatis. Numerus enim includit formaliter vnitates, quæ essentialiter negatiuum quid important: nempè negationem diuisionis in se. Citat pro hac sententia S. Thom. prima parte quæstione trigesima, articulo tertio, corp. (vbi Caietan. Canar. Molin. & Vasquez.) & in 1. dis. vigesima-quarta, quæstione prima, præsertim articulo tertio; & quarto. Ricard. articulo secundo, quæstione secunda. Carthus. quæstione tertia, Capreol. articulo secundo, conclusione secunda, & tertia. Alexand. & Albertum: qua verò fide eos referat Doctores non satis video. Nam Albertus, prima parte, quæstione quadragesima secunda. med. 2. Alexand. quæstione 45. m. 2. articul. 1. argumento 3. & solut. solùm dicunt, numerum esse collectionem vnitatum; nusquam autem aiunt vnitatem negationem diuisionis includere. Vasquez verò, & alij oppositam sententiam ferunt, vt statim recitabo. Sed quidquid de huius sententiæ patronis sit, reiicienda est: Primò: quia licet vnitas ea negatione diuis. rei in se explicetur à nobis,

tamen in negatione ea, qua negatio est, minimè consistit: siquidem vnitas intrinseca identitas rei cuiusque ipsi identificata realiter est; nequit autem negatio cum antepositiuo sine contradictione manifesta realiter identificari, licet à nobis negatione explicari queat: quemadmodum infinitas, æternitas, immensitas, pluraque alia, quæ dubio procul positiuæ Dei perfectiones sunt, negationibus explicantur. Secundò: quia, etsi negatio diuisionis in se in vnitatibus re ipsa inuolueretur, solùm esset negatio in materia numeri, quæ vnitates sunt, non autem in eius formali ratione.

3 Dicendum igitur est rationem numeri diuinarum personarum positiuam esse. Ita Vasquez, disput. 129. cap. 2. sanctus Bonauent. in 1. dist. 24. articul. 2. quæstione 1. Durand. ibi, Henric. 2. part. articul. 43. quæstione 3. init. Scotus, & reliqui citati à Ruiz citata sectione quarta, numero tertio. Probatur ex impugnationibus præcedentium sententiarum. Secundò: quia numeri, seu quantitatis discretæ ratio positiua est, non negatiua, vt fusè in Logica ostendimus, disputat. de quantitate. Tertiò demum: quia in ternario personarum quidquid est, triplex vnitas realis est, siue totaliter diuersa, vt substantiuis personalibus nominibus significatur, siue inadæquatè diuersa, vt re ipsa sunt, quin negatio aliqua intercedat ex parte personarum numerandarum, quæ sunt numerus in actu primo: in actu verò secundo numerus solum addit intellectus numerationem, vt iam dicam, quæ realis etiam positiua cognitio est: ergò nihil claudit negatiuum. Dices claudere negationem quartæ personæ. Si enim quarta persona in diuinis esset, non idem numerus ternio esset, sed quaternio; verum, licet negatione explicetur; negatio non est, sed ipsæmet positiuæ entitates trium personarum: sicut negatio identitatis impossibilis inter hominem, & equum negatio non est, sed hominis, & equi positiuæ entitates; licet negatione explicetur. Et quamuis hæc negatio admittatur extrinseca est numeri ratio.

4 Circa secundum; an ratio hæc numeri personarum realis, vel rationis sit? Aduerte numerum ex parte subiecti dicere determinatam numeratorum pluralitatem, siue multitudinem, quæ magnitudo quantitatis discretæ est, vt sapienter Damasc. 2. de fide, capite 5. circa finem aiebat: *Numerus est eorum, quæ discreta sunt, quantitatis significatiuus.* Secundò addere numerantis numerationem, siue cognitionem sensibilem iuxta modum numerandi; id quod docuit Aristot. 4. Physicor. capite 14. text. 131. his verbis: *Si numerans non est, numerata non erunt.* His apud omnes statutis Vasquez, disputatione 129. capite 3. docet formalitatem additam multitudini cuiuis, vt numerus absolutè sit, esse ens rationis: quare rationem formalem, & vltimò constitutiuam numeri personarum diuinarum rationis esse. Fauet Gregorius in 1. disputatione 24. quæstione vnica, articulo secundo, dicens: id, quod numerus supra multitudinem addit, vt in varias species diuidatur, realiter à multitudine non differre. Si autem additur multitudini, à qua realiter non differt, rationis solùm additamentum videtur. Sed tamen Doctores hos facilè in nostram afferemus sententiam. Vazquium præcipuè, si eius doctrinam de extrinsecis denominationibus, quas omnes rationis entia vocat, calleamus. Neque enim, vt sonat, id docuit Doctor profundus, sed si ex parte denominati, ipsique inhærentes cogitentur.

5 Ruiz, disputatione 37. sectione 5. numero 3. docet in plurium creatorum numero ens rationis intercedere: cùm scilicet plura numerari possunt, quam numerantur. Verbi gratia, in ouibus, ex quibus numerantur centum: cum plures possent: quia, inquit, quod ibi numerus steterit, nec ad plures processerit meri arbitrij, & rationis opus est, aliorum verò nullum ens rationis intercedere: tunc, scilicet, cum plura numerari nequeunt, vt cum septem numerantur planetæ, vel cælestes capellæ: in his enim numerus progredi vlterius nequit: Cùm ergò, neque in personis diuinis vltra ternarium numerum, progredi quis pro arbitrio possit, diuinarum personarum numerum nihil rationis habere concludit. Futilis tamen distinctio. Binarij enim, vel ternarii formalitas eadem eiusdemque rationis in rebus omnibus est: ex hac autem doctrina in aliquibus realis, in aliis rationis erit. Secundò: ex eadem infertur, non omnem numerum diuinarum personarum realem formaliter esse. In eis enim numerus binarius, siue dualitas esse potest, si Patrem, & Filium numeremus, quin ad Spiritum sanctum progrediamur: vt possemus. Tertiò: non quicquid ab arbitrio pendet ens rationis est. Ecce amari, videri, cognosci ab arbitrio, vel meo pendet, vel alterius, & tamen ens rationis non est. Atque in casu nostro, quod vlterius numeratio possit, vel non possit procedere, procedat, vel non procedat: quidnam rationis ponit in numeratis?

6 Dicendum est secundò. Numerus personarum, quicumque fiat, realis est. Probatur: quia quæcumque personæ diuinæ numerantur, siue duæ, siue tres, verè sunt duæ, vel tres, vel totaliter, vt nominibus personalibus substantiuis significatur, vel partialiter, vt re ipsa sunt: item actus cognitionis numerans realis entitas est: ergò tam materia, quam forma vltima numeri diuinarum personarum realis est, non secus ac paries visus. Quod si numeri formam inhærentem, & intrinsecam diuinis personis fingas, & cogites, ens rationis confinges, in quo veri numeri ratio non stat, sed, quod extra illam est. Solum obiici potest, quod negatio numerandi vlteriorem vnitatem ingredi videatur rationem numeri, etiam in diuinis. Respondetur tamen: non aliter pertinere negationem vlterius numerandi vlteriorem vnitatem, quam negatio vnionis vlterioris quantitatis ad punctum, seu extremum vlnæ, vt totum coniunctum non maius vlna sit; non autem, vt eo vsque vlna sit: quod vlnæ, qua tali extrinsecum prorsus est. Sic tribus vnitatibus numeratis negatio vlterioris numerationis proficit, non vt tres illæ numeratæ ternio sit; sed ne omnes numeratæ ternione maius sint: etsi enim numerarentur tres illæ, ternio forent. Ex parte materiæ argues. Personæ eo nomine significatæ non dicunt naturam singularem, & eandem: ergò ab identitate præscindunt, ac proinde ens rationis negatiuum includunt ex parte obiecti iuxta nostram doctrinam, qua in omni præcisione prædicatorum ens rationis negatiuum intercedere docebamus in Logica: ergò ex parte materiæ in numero personarum eo nomine significatarum est negatio, & rationis contra vtramque conclusionem. Distinguo antecedens primum: non dicunt naturam singularem, & eandem in quauis persona numerata: nego antecedens; *cum alia eandem*, concedo antecedens, & nego consequentiam primam. Nam quæuis dicit suæ personalitatis identitatem cum essentia: ac proinde nulla personalitas præcisa ab essentia, siue non eadem cum essentia cogitatur, aut afferitur, quare neque ens rationis, adhuc negatiuum, ex parte obiecti intercedit.

***

CERTA

CERTAMEN III.

Obiectionibus occurritur, vbi triplex, & triplicitas à diuinis relegatur.

1 Obiicis. Numerus inuoluit, & vnitatem per accidens, & ex vnitatibus tanquam partibus componitur: at repugnat Trinitati vnum esse per accidens, & Personis esse partes Trinitatis: ergo & numerus repugnat in Trinitate. Minor probatur, quod primam partem: quia Trinitas vnum per se est iuxta Ioan. 10. 16. & epist. 1. c. 5. ergo non per accidens. Sed quoad hanc partem missis aliorum solutionibus. Respondeo: numerum simpliciter vnum esse per accidens, secus numerum secundum quid, qui solus in Personis, vt re ipsa sunt, inuenitur. Quod autem, vt nominibus personalibus substantiuis à nobis significantur, & concipiuntur, numerus simpliciter, & vnum per accidens sint, quid absurdi, nisi contra nostrum modum significandi, & concipiendi.

2 Quoad secundam partem probatur: quia cum Trinitas Deus sit si Personis tanquam partibus constet, pars componens Deum, vt totum, erit, quæ est Sabellianor. hæresis 62. apud Epiphan. init. & orat. contr. Gregal. Sabell. vers. fin. in annotato post med. reiiciturque ab eo col. 7. & citata orat. à Basil. hom. 28. contra Sabellian. circa, & post med. 1, & 2. contr. Eunom. fine, lib. vnico de Spiritu S. c. 8. fin. c. 18. longè à med. à Dionys. & Hierotheo 2. de diuin. nomin. vers. fin. Irenæo 2. aduersus hæres. c. 28. init. Concil. Nicæn. lib. 2. post med. §. *Ne quæras*, §. *Cum sit copiosa*, Iustin. q. 129. Naz. orat. 32. ad 150. Episcopos post med. orat. 35. vers. fin. orat. 45. de diuinit. ad Euagr. col. 1. fin. orat. 49. med. Athanas. dialog. 1. contr. Anomæ. pag. 4 ac circa sub, & longè à med. Nysseu. orat. Catechet. c. 1. circa med. orat. 1. in *Faciamus hominem.* col. 3. Chrysost. serm. de S. Trinit. vers. fin. Cyrill. Alex. 2. thesaur. c. 2. post med. c. 3. post init. lib. 3. c. 1. col. 2. c. 4. circa fin. lib. 6. c. 3 circa fin. lib. 7. col 3. Sophron. 6. Synod. act. 11. epist. profess. fid. col. 3. Anasthas. Synait. 1. de rectæ fidei dogmatib. circa med. Ambros. in Symbol. Apostolor. c. 1. post med. 1. fid. c. 7. med. Hilar. 8. de Trinit. longè à med. & 9. vers. fin. August. 6. de Trinit. c. 6. & 7. de ciuit. 11. c. 10. Fulgent. ad obiectiones Arrianor. respons. vlt. circa fin. Isidor. 7. ethymolog. c. 4. §. 1. Boëtio de Trinit. med. de prædicatione substantiali sub init. Anselmo de Incarnat. verbi cap. 3. longè à med. De process. Spiritus S. c. 3. & 23. prosologij, Bernard. 5. de considerat. post med. Denique à Ricardo Victor. 3. de Trinit. cap. 21. 22. ac sæpius alibi.

3 Neque verò quis, vt Personas singulas Dei, & Trinitatis partes admittat, decipiatur verbis Dionys. 2. de diuin. nomin. init. dicentis: Personas *non sigillatim per partes, sed in tota, perfecta, integra, plenaque diuinitate laudari.* Id enim de singulis Personis, nec solùm omnibus dixit, vt ostenderet omnem perfectionem diuinitatis, & Trinitatis vnicuique Personæ conuenire: quod fieri non posset, si quæuis seorsim pars Dei, & Trinitatis esset. Quod autem Alexander Alexandr. epist. ad Alex. Constantinopol. col 5. dicat: *Patrem expletum omnibus suis partibus esse.* ad rem non est, quomodocumque intelligatur; sed phrasis est, qua omninò perfectum prædicat. Minus refert, quod Græci plures Personas, *coniunctas, contiguas, cohærentes sibi*, dicunt: solum enim earum in essentia identitatem eis vocibus intelligunt, quibus abstinent Latini omnes, præter August. bis serm. 2. de Natiuit. vers. fin. quia compositionem sonant, potius, quàm vnitatem: imò neque propriè vnionem Verbi cum humanitate teste Alexandrina Synodo epist. 10. quæ est ad Cyrill. Alex. apud eius tomum 4. Eadémque de causa vnionis voce ad significandam naturæ vnitatem abstinendum docent. Hilar. 5. de Trinit. col. 2 lib 6 & 7. longè post med. lib. 8. ante, & post med. lib. 10. col. 3. lib. 11. sub init. de Synodis longè à princ. ad can. 8. 9. 12. Oriental. vers. med. expos. fid. antiochen. inferius ad can. 23. Synodi Syrmicæ, Bernard. 5. de considerat. med. commentator Boëtij de Trinit. post med. apud Bedam tom. 8. vers. Itaque compositionem, & partes, in Trinitate, & diuinis Personis admittere execrantur. Patres omnes: in idque solum inducere Catholicos ex pluralitate Personarum tentabant Sabelliani apud Epiphan. in Ancorato post med. Arrius, epist. ad Alex. Alexandrin. apud eundem hæresi 69. idcirco totius, & partis voces constanter negantur ab Scholasticis omnibus in Trinitate. Magister in 1. d. 19. § *nec est aliqua*, & d. 34. S. Thom. 1. p. q. 30. art. 1. ad 4. cum suis interpretibus. Ad argumentum verò non omnes genuinè respondent. Plerique enim respondent ab absurdis, quibus hæretici ex pluralitate Personarum Catholicos vrgent: alij verò in respondentium principiis non constant: vt videre est in Ruiz d. 38. sect. 1, n. 11. 16. 18. 20 & 21.

4 Firma ea solutio est, quæ traditur à Basil. 2. contr. Eunom. vers. fin. Cyrill. 11. thesaur. c. vnic. vers. fin. lib. 14. c. 3. fin. Angust. 5. contr. Maximin. c. 10. circa med. & finem, Bernardo, 5. de consideran. à med. Anselm. epist. de process. Spirit. S. c. 3. Ricard. Victor. 3. de Trinit. c. 22. præsertim fine. Est autem ab vnitate Personarum in essentia petita. Sed, quæ melius, quam Ruiz citato num. 11. explicetur, vt iam ostendam. Respondeo ergo numerum simpliciter totum, & partes dicere, aut secundum quid (qui in diuinis, vt re ipsa sunt inuenitur, solus) cum vnitatem in essentia includat, non dicere totum, nec partes numerales, ad quod pluralitas absoluta earum requiritur maximè in entitate, quæ cum in sola essentia sit, communis, & vna Personarum, neque partialiter, nedum totaliter, est diuersa. Ex qua solutione respondetur ad instantiam, quæ fieri posset ex numero simpliciter, quem admittimus in Personis significatis nominibus personalibus substantiuis. Item ad aliam de maioritate perfectionis numeri respectu cuiusuis suæ vnitatis, quare, & Trinitatis respectu Personæ cuiusuis: vt diximus d. 6. q. 3. à cert. 3, præsertim cert. 5. n. 2. *Sed instas*: totum est, cui aliquid conuenit, quod non conuenit alicui eorum, quæ includit: sed esse Trinitatem competit Trinitati, non autem Personæ cuiuis, quam includit: ergo Trinitas totum est, Persona autem quæuis est pars. Negat maiorem Ruiz absolutè sect. 3. nisi addatur, *& in essentia differt ab eo, quod includit*, iuxta suam doctrinā citati n. 11. Sed cōtra: quia vel nomine essentiæ intelligit naturam, vel entitatem, seu essentiam metaphysicā quamuis. Si primum: Personalitas creata non differt in natura à suppposito, seu Persona, & tamen ex illa, & natura totum resultat. Si secundum: cum in eius sententia Personalitates, suam etiam habeant entitatem, tres personalitates, ac proinde Trinitas, à quauis Personalitate, essentia, vt totum à partibus, differet, maiúsque etiam in perfectione erit, vt d. 6. quæst. citata euincebam, & q. 1.

5 Instantia tamen ista facilè soluitur de numero Personarum, prout re ipsa sunt, loquendo. Nam sic nihil conuenit Trinitati, quod non conueniat cuiuis Personæ, seu alicui, quod persona includit, nempe essentiæ: ea quippe Trinitas est. Vnde etiam constat non esse in Trinitate maioritatem, pluralitatis adhuc, ac non perfectionis, respectu vnius Personæ, vt re ipsa est, licet illam admittant Gabr. in 1. d. 24. q. 2. art. 3. sub init. Vazq. 1. p. q. 30. art. 1. Soar. 1. de Trinit. c. 10. n. 8. Nam re ipsa numerus, *secundum quid* solum, Trinitas est; qui, sicut non constat pluribus absolutè, ita nec constituit absolutè pluralitatem maiorem: cum in quauis vnitate essentia vna fit, quæ omnes pluralitates, seu tota Trinitas est. Negant igitur maioritatem, pluralitatis adhuc, Trinitati respectu cuiusuis Personæ seorsim. Magist. in 1. d. 19. c. *nec est*, S. Bonau. p. 2. art. 1. q. 1. S. Thom. q. 4. Ricard. art. 3. q. 1. Durand. q. 4. Carthus. q. 3. Alex. 1. p. q. 47. m. 4. Albert. m. 1. circa fin. med. 3. post med. Ruiz vbi pro-

ximè. Confirmiuſque eſt locutionibus Auguſtini, Bernardi, & aliorum Patrum; quod ſi de numero Perſonarum, provt ſubſtantiuis nominibus perſonalibus ſignificantur, qui ſimpliciter numerus eſt, contendas maioritatem pluralitatis, quauis ſua vnitate habere, libenter concedam; non autem perfectionis, quæ eadem in ſingulis, quæ in omnibus, & infinita eſt. Hic etiam obiici ſolet: Deum eſſe infinium, & proinde Perſonas, numerum autem, finitum, atque infinito repugnantem. Sed futile eſt: infinitudo enim Dei, & Perſonarum in eſſendo, & perfectione, ac bonitate eſt, non in numero, in quo eſt finitudo.

6 Denique opponis. Sicut Trinitas, ſeu Trinus dicitur à numero terminario, ita triplex, ſeu triplicitas: ergo in diuinis dicetur triplicitas, & Deus triplex. Sicut Trinus, ſi numerus ternarius admittatur. Conſequens autem non admittitur à Nazianz. orat. 45. de diuinit. ad Euagr. longè à principio rogans: *Diuinum numen ſimplexne, an triplex? Sic enim & loqui, & credere nominum ternio cogit.* ſtatimque *ſimplex* dicendum ſtatuit, prohibetárque à Concil. Tolet. 11. profeſſ. fid. col. 2. *Non triplex, ſed Trinitas, & dici, & credi debet*, Deus à Clemente Roman. 6. conſtitut. Apoſtolicar. c. 11. ſub init. in ſimili hac: *Nec multiplex, quod indifferens.* nempe Deus. à Bernardo 5. de conſiderat. circa med. *Nec is quidem, qui duplex fuerit erit meus.* Deus pro qua veritate acriter pugnat Aug. 6. de Trinit. c. 7. & 8. Iſidor. 7. Ethymolog. c. 4. poſt med. Atque eius fundamenta iecit Boëtius 1. Arithmeticæ c. 23. Nec oppoſitæ locutioni fauent Naz. orat. 39. in ſancta lumina, vbi Perſonas *triplex lumen* appellat, quem Nicetas imitatur, ac Cyrill. Alex. 3. Dialogor. de Trinit. col. 4. *Duplicitatem* in Perſonis Patris, & Filij admittit, verſ. med. *Triplicitatem*, Auguſt. c. 30. meditat. init. ait. Diuinitas *Perſonarum pluralitate multiplex.* ac ſerm. 38. de temp. med. licet Trinitatem probet, Triplicitatem non condemnat dicens: *Trinitas potius, quam triplicitas dicenda eſt.* Sed hæc ſatis non ſunt, vt ab his Patribus admiſſa abſolutè intelligatur locutio, quam alibi ex profeſſo abſolutè damnarunt. Atque Auguſtini *potius* illud, nòn oppoſiti probationem, ſed improprietatem deſignat: ſenſum tamen eorum in fine aperiam. Idcirco voces triplicis, multiplicis, duplicis, & eorum abſtracta abſolutè à diuinis Perſonis relagandas cenſent Theologicum Magiſt. in 1. d. 19. c. penult. Ricard. & Durand. expoſit. litteræ, vbi Sanctus Bonau. dub. 3. Carthuſ. cum Petro q. 3. Henrico 2. p. art. 73. q. 11. verſus fin. Alex. 1. p. q. 66. m. 1. art. 4. S. Thom. q. 31. art. 1. ad 3. vbi eius Interpretes. Fuſius Vaſq. d. 13 1. c. 3. Soar. 3. de Trinit. cap. vlt. §. vlt. Ruiz, d. 38. ſect. 4. à num. 2. Zuniga d. 6. Granad. tract. 5. d. 2. Martin. Perez, d. 20. ſect. 4. Hurtado d. vlt. difficult. 5. §. *circa nomina triplex.*

7 Ad argumentum aduerte: ſiue numerus in diuinis admittatur, ſiue non eandem vim habere ex eo, quod nomen *Trinitas*, vel *Trinus*, admittatur. Negatur ergo conſequentia: cuius vnica ratio eſt (licet ab aliquibus in plures Dilanietur) quia nomen *Trinitas*, & *Trinus*, voces à Patribus, & Theologis adinuentæ ſunt ad ſignificandam Perſonarum pluralitatem in vnitate naturæ: quare ſiue Perſonis, ſiue Deo applicentur, idem, atque eodem modo ſignificant: aſt duplex, triplex, multiplex è ſua primæua ſignificatione totalem dicit pluralitatem, ac diſtinctionem: quare multiplicitas ſi diuinis abſolute applicetur, Deitatem; quia Patres Trinitatis, ac Trini voce ad myſterium adinuenta immutare ſignificationem harum vocum neque eguerunt, neque voluerunt. Hac ratione vſus eſt Bonau. vbi proximè, eamque attigit Iſidor. vbi nuper. Neque alia eſt quam dedit Auguſt. 6. de Trinit. c. 7. & ex eo S. Thom. citato loco 1. p. quod triplex, & multiplex *ſunt ſpecies maioris inæqualitatis.* & Boët. ſupra: nempe trium, aut plurium ad vnum eorum, quæ in diuinis locum non habet, vt vidimus: quia vna in eis eſſentiæ bonitas eſt, ſicut, & entitas: Si autem roges: cur dicant eæ voces proportionem, ſeu ſpeciem maioris inæqualitatis, quam non dicunt *Trinitas*, & *Trinus*? eo deuenies: quia illæ dicunt totalem termini diſtinctionem, quæ erat ſolutio dicta; & ratio ob quam Synod. Alexandr. epiſt. ſæpè citata ad Cyrill. Al. aiebat longè à med. *Neque enim duplex eſt, ſed vnus, ac ſolus Chriſtus etiã ſi ex, duabus, ac differentibus rebus in vnitatẽ, quæ diuidi nequeat, coierit.*

8 Tandem hic obſeruo noſtrorum Vaſq. Soar. & Ruiz ſupra n. 11. in conſequentiam: qui cum præfatam rationem probent, de Perſonis, & perſonalibus dici poſſe triplicitatem, duplicitatem, & multiplicitatem abſolutè docent: cùm tamen Perſonæ abſolutè, & ſimpliciter dictæ perſonas, vt in re ſunt, ſonent: in re autem totaliter diſtinctæ non ſint, vt ea nomina ſignificant è ſua primæua ſignificatione contrario vſu Patrum, & Scolaſticorum non abrogata, vt ipſi fatentur. Secundò multiplicitas, & triplicitas ſignificant maioritatem inæqualitatis, quam in tribus Perſonis ſimul reſpectu vnius, ne numeralem quidem admittit Ruiz, vt vidimus n. 6. in perfectione verò eam negant omnes, licet; inconſequenter etiam ad ſuam doctrinam, de entis pro numero Perſonarum multiplicatione in diuinis. Cæterùm de Perſonis, provt nominibus perſonalibus, v. g. Perſonæ Patris, & ſimilibus ſignificantur, poſſe dici triplicitatem, & multiplicitatem cenſeo; quia ea re duplicatione rigida earum vocum ſignificatio temperatur: ſicut & addita vnitate naturæ, ſimulivè temperamento, quo vſi proximè, vel in contextu ſunt Patres recitati n. 6. med. dum multiplicis, triplicis, ac triplicitatis vocibus in diuinis vtebantur. Atque hæc ad Sacroſanctæ Trinitatis, eiuſque Auguſtiſſimi complementi Mariæ laudem fuerint ſatis.

CONTRO

CONTROVERSIÆ
DE DEO INCARNATO, SIVE DE DIVINI Verbi Incarnatione.

IACARI auſu, vtinam non exemplo, inacceſſum Trinitatis myſterium mens hactenus aduolauit cumque Spiritum nec dum reſumpſiſſet anhela eodem vtilitatis veſtræ amore (quæ præcipua ingenioli noſtri portio eſt) Incarnati Verbi Myſterium ſcandere cogitur. Eius precor, Spiritu, ad eiuſque vmbram diſcurſus reſpiret, qui Viuens æternum halitus in Trinitate eſt, quique Deiparæ ad myſterium tantum obumbrauit. Illo igitur fauente Spiritu ſic difficultates, quæ in re tanta occurrunt, diſcutiam, vt generatim eas in ſeptem controuerſias diſtribuam. Prima exiſtentiam Incarnationis examinabit. Secunda eius neceſſitatem. Tertia illius cauſas. Quarta intrinſecos effectus à verbo vnito tum Chriſti humanitati, tum toti compoſito Chriſto Domino præſtitos meditabitur. Quinta phyſicas perfectiones Chriſti humanitati vnionis titulo collatas ediſſeret. Sexta honorarias Chriſti, qua hominis, dignitates expendet. Septima demum circa modos loquendi in hac materia verſabitur.

CONTROVERSIA I.
De Incarnatione, de Exiſtentia, cauſisque Incarnationis.

NE difficultates confundamus, ſic controuerſiæ huius diſputationes ordinabo: vt primùm de Incarnationis exiſtentia diſputem: vbi in primis ipſius poſſibilitatem ſtatuam: deinde eius exiſtentiam contra gentes euincam. Tertiò per eam contra Iudæos, aduentum Meſſiæ mundo contigiſſe probabo quartò myſterium ipſum ab aliorum hæreticorum deliriis vindicabo. Diſputabo ſecundò de iis, quæ Verbum aſſumpſit, ordinéque, & modo ea aſſumendi. Diſputabo tertiò de qualitatibus humanitatis aſſumptæ.

DISPVTATIO I.
De Incarnationis exiſtentia.

INCARNATIONIS exiſtentia poſſibilitatem ipſius logicè, ac metaphyſicè ſupponit prioritate maioris vniuerſalitatis, quam dicunt: quare poſſibilitate Incarnationis non adſerta, atque fundata eius exiſtentia firmo, vt aiunt, pede ſtare nequibit. Primò ergo incarnationis poſſibilitas ſtatuenda eſt. Deinde eius exiſtentia contra gentium, Iudæorum & hæreticorum errores demonſtranda.

QVÆSTIO I.
De poſsibilitate aſſumptionis vnius creaturæ ab alia, vel à Deo.

AXIOREM poſui quæſtionis titulum, quàm res præſens poſtulabat, vt ſimul quæſtiones plures præſenti affines profligarem. Incarnatio enim carnis aſſumptio eſt, in réque præſenti à Deo verbo; titulus autem, non de carne ſolùm à Deo verbo aſſumenda, ſed de creaturis omnibus à quauis Perſona diuina, & à deitate ipſa, imò à creatura alia, an aſſumi queant? inquirit. Ex cuius deciſione conſtabit quid de aſſumptione creaturæ à ſubſiſtentia communi dicendum eſſet, niſi ſubſiſtentia eiuſmodi chymerica foret iuxta dicta d. 7. de Trinitate.

CERTAMEN I.
Subſtantia creata quæuis aſſumi poteſt ad vnionem hypoſtaticam cum quauis, vel pluribus Perſonis, ſiue increatis, ſiue creatis.

1 PORphyrius, Iulianus, Carpocrates, Cherintus, Ebion, quidamque Baſil. apud Irenæum lib. 1. c. 24. & apud Tertullian. de præſcriptionibus circa fin. vt Verbi Incarnationem, ſiue vnionem hypoſtaticam ad humanitatem liberiùs negarent creaturæ cuiuſuis aſſumptionem ad hypoſthaticam vnionem cum Deo impoſſibilem affirmabant. Theodotiani apud Epiphan. hæreſ. 54. & apud Aug. hæreſ. 44. & 45. Paulus Samoſaten Photim. & Artemon. apud eundem proximè, & apud Epiphan. hæreſi 55. carnis aſſumptionem à Deo prædicabant impoſſibilem. Triplicem repugnantiam notarunt hæretici. Primam ex Dei immutabilitate poſitam; vnione enim ipſius ad creaturam, creaturæque ad ipſum mutatum ire Deum clamabant. Conſtabit autem q. 2. vnione hypoſthatica humanitatis ad verbum non mutari Verbum in ſuæ immutabilitatis præiudicium. Secunda repugnantia ex indiſtinctione omnimoda ſubſtantiæ indiuiduæ à ſuppoſito. Non probat non poſſe aſſumi natur. creat. ſed debere in aſſumpt. in proprio etiã ſuppoſito perſeuerare, quod eſt cum Neſtor. impugnando q. 2. errare, vbi, & ex dictis d. procem. ſatis conſtat, neque id probari. Tertia repugnantia deſumitur ex infinita diſtantia, & improportione inter Deum, & creaturam, quæ proinde eſt inſuperabilis: cum tamen ad vnionem proportio inter extrema vnienda requiratur: quare, & ſupponitur neceſſariò improportio ſuperata. Sed enim diſtantia; & improportio inter Deum, & creaturam inſuperabilis entitatiua eſt, quæ, vt aliqua vnian-tur, ſuperari non debet, vt patet in materia & forma, ſiue rationali, & ſpirituali, ſiue irrationali, & materiali.

Non

quos si nequeat omnes passiuè causare, poterunt aliqui creari à Deo sine eius passiuo influxu. In opinione de modis superadditis subsistentiæ videtur maiorem vim habere argumentum, atque eandem tangere difficultatem cum illa: an materia prima plurium formarum simul sit capax? Sed certè in subsistentiis alienis alia ab ea difficultas est: cùm eas, vt habeat, non causet, sed solum vnionem ad illas: quare nostra proxima solutione vti modales etiam poterunt.

6 Dico quartò. Natura substantialis creata in propria existens subsistentia nequit assumi ad vnionem hypostaticam cum Deo, vel cum aliis suppositis. Ita Durand. Paludan. Caietan. Marsil. proximè. Soar. citatus sect. 1. Vasq. d. 33. c. 2. Becan. c. 4. q. 6. licet contra Scotum. Probata etiam à nobis est d. procem. q. 3. cert. 3. quia, vt assumatur ad vnionem hypostaticam cum alio supposito siue creato, siue increato, opus est in nostris principiis, vt detur illi existentia dependenter ab vnione ad illud; vt autem in proprio supposito existat, opus est, vt detur illi existentia independenter ab vnione ad aliud, quæ inter se contradictoriè pugnant, vt patet. Qui autem modos superadditos subsistentiæ admittunt, vt Vasq. Suar. Becan. & Recentiores, conclusionem hanc probare non poterunt; nusquam enim contradictionem solidam subsistentiæ alienæ cum propria reperient.

7 Dico quintò. Plures naturæ creatæ assumi possunt ad vnionem cum vno supposito siue diuino siue creato. De creato nullus disputat: imò modales nihil hac de re cum fundamento asserturi videntur, vt idcirco videantur quæstionem omittere. Sed intelligenda conclusio est de supposito creato, non qua suppositum est: vt sic enim formaliter dicit negationem dependentiæ in sui existentia ab vnione ad aliud, vt diximus d. procem. q. 2. ad quam vnio realis nequit terminari, vt ibidem q. 4. cert. 2. à n. 2. docebamus, quod ipsum de antecedentibus conclusionibus intellige. De supposito diuino nullus negat: imo verò affirmant. S. Thom. q. 3. art. 7. Bernal. d. 24. sect. 2. §. 1. n. 23. & sanè in quauis opinione de subsistentia facilem habet probationem: cum capacitas terminandi subsistentiæ diuinæ infinita sit, atque naturæ creatæ terminatiua etiam deprehendatur in vnione hypostatica humanitatis ad Verbum. Sed tota conclusio probatur facilè in nostris principiis. Quia nulla est repugnantia in eo, quod Deus decernat plurium creatarum substantiarum existentiam dependenter ab vnione cum vno supposito siue creato, siue increato. Sed dices tunc fore idiomatum communicationem inter creata diuersa: quia, si naturæ assumptæ ab vna Persona diuina, vel creata essent humana, & equina posset dici homo, & hic homo est equus. Sed per idiomatum communicationem nihil est absurdi, vt controu. vlt. d. de idiomatum communicatione ostendemus. Difficilius obici putat Bernal. contra suam, & nostram tertiam conclusionem ex eo, quod eadem natura assumeretur à triplici Persona diuina inferri posse Patrē esse Filium: cum hic homo esset Pater, & idem homo esset Filius: ergo Pater esset Filius. Id quod non minus absurdum reputat Bernal. d. 4. sect. 2. n. 22. Sed tamen, cum id solum haberet tunc humanitas assumpta per vnionē, respectu trium Personarum, quod habet natura diuina per identitatem. Sicut negatur constantèr à Patribus consequentia in simili expositorio Syllogismo. *Hic Deus est Pater, & hic Deus est Filius ergo Pater est Filius* quia, si nomen Deus accipitur substantiuè in antecedenti (vt de se accipi debet, maximè, vt idem sit subiectum vtriusque præmissæ, veráque vtraque sit) est terminus communis, ineptúsque syllogismo expositorio: quia physicè, seu quasi physicè communis tribus Personis. Deitas est, sicut in casu præsenti humanitas est terminus, tribus etiam Personis physicè communis. Quod si vtrobique Deum adiectiuè, seu denominatiue accipias, vt potest iuxta dicenda citata controu. vlt. de diuersis Personis verificatur vtraque præmissa. de eadem autem verificari non potest: quare neque inferri potest consequentia; quia quatuor terminis constat syllogismus.

8 Denique dicendum est eodem modo repugnare, vel non repugnare assumptionem naturæ substantialis creatæ ad vnionem cum natura diuina, vel creata, quo diximus repugnare, vel non repugnare assumi ad vnionem cum supposito creato, vel diuino. Imo verò de natura proprius, & formalius conclusio hæc procedit: siquidem de supposito formaliter, qua tali, si creatum sit, non posse assumere ad sui vnionem naturam aliam, siue eius ad se vnionem terminare dicebamus num. 7. De assumptione ad vnionem cum natura diuina probatur ex doctrina Concil. Toletan. 6. & 11. in confess. fid. & Theologorum omnium, quos dabimus d. 2. q. 4. cert. 2. à num. 2. solum enim arguunt contra hæreticos afferentes vnionem factam esse in natura diuina immediatè non in Persona & contra Doctores afferentes factam esse in natura, & Persona Filij, quod ex vnione in natura tota Trinitas incarnata; passáque dicenda foret Triadopaschitarum errore: nemo autem Patrum aut scholasticorum repugnantiam vllam in eiusmodi vnione aduersariis obiecit; certè, quia neque recognouit. Sed vniuersim de vtraque natura creata, & increata probatur. Quia in eo, quod natura substantialis creata producatur dependenter in sui existentia ab vnione ad naturam siue creatam siue increatam nulla est repugnantia: ergo assumi ad illam poterit. Dices: assumatur natura humana dependenter ab vnione ad equinam, & hæc etiam dependenter ab vnione ad humanam: neutra subsistet adhuc in alio in nostris principiis. Fateor vt docui d. procem. q. 2. cert. 6. n. 4. sed vbi repugnantia, quod natura vna creata, vel plures conseruentur sine subsistentia? Non, inquam, in nostris principiis, sed adhuc in modalium opinione?

CERTAMEN II.

Substantiæ partes, imo, & accidentia ad vnionem cum Persona, vel natura diuina, aut creata assumi possunt.

1 SVarius Noster d. 14. sect. 3. de solis formis substantialibus materialibus negat assumi posse ad vnionem cum Persona diuina Aluarez d. 22. Becan. c. 5. q. 4. & Gaspar. Hurtado de omnibus partibus essentialibus materialibus negandum etiam censent. Vasquez d. 30. 32. & 39. Ragusa, & Cabrera d. 4. de omnibus substantiæ partibus essentialibus, & integralibus ætherogeneis negant: omnes tamen fundamentis infirmis. Tota enim eorum in opinando varietas, atque in probando infirmitas ex nouiori illa sententia de modis perfectatis, quibus suppositum constituunt omnino dimanat. Etenim, cum ea solum per se, & immediatè terminari posse subsistentia aliena admittant, quæ per se, & in ratione sui capacia sint subsistentiæ propriæ; atque effectum, quem subiecto subsistentia præstat aliter, atque aliter explicent, quin aliquis in eo assignando cum alio, vel cum veritate concordet, imò neque secum; cum nihil firmum assigner, nequeunr in re præsenti non variare, eorumvè probationes consistere: circa accidentium assumptionem impossibilem putant Bassolis in 3. d. 2. q. 1. §. *Ideo igitur*, Maior, & Medina, Vasq. d. 30. c. 5. n. 19. Soar. d. 14. sect. 4. Palacios, Gasp. Hurtad. Becan. c. 4. q. 5. licet hic probabile etiam iudicet oppositum, Bernal. d. 26. sect. 3. n. 25.

2 Dico primò: quæuis pars substantiæ assumi potest ad vnionem cum Persona diuina. De essentialibus constat in animo rationali, quem de facto in triduo vnitum per se immediatè hypostaticè verbo mansisse dogmaticum est. Item de materia prima in triduo eodem vnitatem per se immediatè verbo perseuerasse mihi plus est quam probabile. Neque enim verbum formæ cadaueris etiam vnitum eo tempore fuisse dicendum est: ne quod semel assumpserit verbum

Non est autem imporrio capacitatis, in qua sola proportio extremorum ad vnionem requiritur, inter Deum, & creaturam, neque ostendetur ab hæreticis, nisi aliud medium assumant. Etenim capacitas hæc est posse extremā vniri: quare incapacitas opposita est non posse vniri, quæ est ipsissima hæreticorum conclusio, non medium contra nostram conclusionem iam dandam.

2 Dico primo. Natura quæuis rationalis assumi à Deo hypostaticè potest. Communis Theologorum omnium conclusio, si Albertum excipias, qui eam quoad naturam angelicam negasse in 3. d. 2. art. 2. refertur à Soar. de Incarnat. d. 14. sect. 2. & à Becano c. 5. q. 3. De humana natura probant assumi posse, quæ 2. q. assumptam à verbo de fide probabunt. Inde autem satis probarur possibilitas assumptionis naturæ angelicæ: cum nulla in hac appareat repugnantia, ac difficultas, quæ non in illa. Sed de natura angelica probat apertè locus Pauli ad Hæbr. 2. n. 16. *Nusquam* enim *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* vbi, cum speciali Dei erga homines beneuolentiæ tribuat, quod humanam, præ angelica natura, suscepерit, supponit potuisse angelicam suscipere. Etenim, si eam assumere non posset, nostræ ad assumptionem præelectio non esset æstimariuè, vt præelectio, non deberet, licet esset electio æstimabilis. sicut neque æstimabilis Dei præelectio est, quod nos rationales condiderit, non verò equos fecerit rationales: quia, quamuis equos præ nobis adamaret, rationales illos facere non posset. Denique à priori probatur. Quia in assumptione naturæ rationalis cuiuluis ad vnionem hypostaticam cum Deo nulla apparet repugnantia maximè in nostris principiis quid enim prohibet Deum producere naturam rationalem quamuis dependentem in sui existentia ab vnione ad se ipsum? Afferantur repugnantiæ præter iam cicuratas, vt earum complanatione antecedentis veritas illustretur? ergo quæuis natura rationali, assumi à Deo potest. Quod contra naturæ angelicæ assumptionem afferri potest ex S. Thom. 1. p. q. 3. ad 3. & 4. contra gent. c. 55. ad 4. (nimirum naturam angelicam à supposito non differre: quare nec magis esse posse cum subsistentia aliena, & consequenter in nostris principiis sine propria, quam sine se ipsa) constat falsò referri. S. Thom. vt vidimus d. procem. q. 2. cert. 5. n. 2. Dices ergo Persona Angeli poterit corrumpi, cum tamen incorruptibilis sit. Distinguo *corrumpi* vi agentium naturalium, atque vt opponitur annihilationi nego *destrui* fateor. Destruetur enim negatio dependentiæ in sui existentia ab vnione ad aliud, per positiuum dependentiæ in sui existentia ab vnione ad Deum, vt citato loco aiebat S. Thom.

3 Dico secundò. Natura quæuis substantialis, etiam irrationalis, potest assumi ad vnionem hypostaticam cum Deo. Docuit peruetustus Tertullian. 4. contra Marcion. Nyssenus orat. Catechet. c. 27. S. Thom. 3. p. q. 4. art. 1. vbi Caiet. Medin. Aluar. reliquique Thomistæ. Scot. in 3. d. 2. q. 1. §. *Ad secundum argumentum*, Masil. q. 3. art. 1. OKam. q. 1. art. 3. ad 9. reliquique Scotistæ, Durand. q. 1. vbi Capreol. art. 1. concl. 1. Almain. d. 1. q. 2. Vasq. d. 30. c. 2. Becan. c. 5. q. 3. n. 3. referens Paludan. Bernal. d. 24. sect. 1. n. 3. Gasp. Hurtad. Perez, & vulgus Recentiorum. Huic tamen conclusioni directè aduersantur Vviteleff. apud Vvaldens. tom. 1. c. 44. Vvadingo d. 4. de Incarnat. dub. 8. post med. §. *dices ex ista concluſ.* Petrus Hurtado d. 1. de anima sect. 6. d. 43. de Incarnat. sect. 2. asserentes nullam naturam irrationalem assumi posse ad vnionem cum Deo. Origen. verò Periarchon. c. 6. Henric. Quodlibet. 13. q. 5. Alex. 3. p. q. 2. m. 7. q. 11. m. 1. q. 12. m. 1. art. 1. S. Bonauent. in 3. d. 2. art. 1. q. 1. Ricard. quæst. 4. Gabr. d. 1. q. 2. art. 1. & 2. Picus Mirandul. Apologia pro 4. posit. non adeo directè nostræ conclusioni aduersantur. Aiunt enim: licet natura irrationalis per se, & secundum se non sit à Deo assumptibilis; posse verò assumi à Deo ratione respectus, quem dicat ad substantiam rationalem. Id quod addiderunt, ne verbi vnionem ad cadauer in triduo mortis negare cogantur. Satius autem esset capacitatem subsistantiis irrationalibus, vt hypostaticè Deo vniantur, asserere ob dogma de vnione verbi ad cadauer, quam respectum illum ad substantiam rationalem in irrationali requirere, vt Deo vniri possit. Etenim cadauer nullum respectum realem ad hominem dicit, qui præcesserit, ac periit, nisi rationis tantum: ex ente autem rationis nescio, imò neque ipsi sciunt, quomodo realis capacitas ad vnionem substantiæ cadaueris possit accrescere.

4 Nostra verò conclusio præter Irenæi, Tertulliani, & S. Thom. authoritatem probatur ex Aug. cap. 16. de vera, & falsa religion. vbi de verbi aduentu habet. *Poterat, & in aliquo æthereo corpore venire ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato.* Nempe, sicut venit in carne: quare non apparenter, & corporis specie, sed verò corpore per physicam vnionem assumpto, quemadmodum venit in carne. Ratione probatur. Quia in nulla opinione inuenitur assumptionis naturæ irrationalis ad vnionem cum Deo repugnantia. Maximè in nostra de subsistentiæ essentia. Quid enim prohibet irrationalem substantiam produci, existentiámque recipere dependenter ab vnione ad Personam diuinam? Sed inquies. Implicat aliquid vniri formæ, seu termino, cuius effectus formalis primarij incapax est: atqui substantia irrationalis incapax est effectus formalis primarij Personæ diuinæ, v. g. Verbi: neque enim constitui posset Persona, neque sancta, neque filia naturalis Dei, vt patet: ergo implicat substantiam irrationalem vniri Personæ diuinæ. Sed negatur minor. Neque enim constituere substantiam sibi vnitam sanctam, Personam, filiamque naturalem Dei sunt effectus formales primarij. Atque vniuersim effectus formalis primarius non præstatur à forma materiæ, vel subiecto, sed toto compositio, quod ex vtroque resultat: licèt quandoque secundariò nonnullæ denominationes materiæ, si capax earum sit à forma, cui vnitur, proueniant. Cum ergo natura irrationalis vnita diuino supposito totum quoddam vnum componat ad quod constituendum de suo conferat etiam suppositum diuinum, effectus formalis primarius suppositi diuini obtineatur: atque insuper aliquis effectus formalis secundarius, cuius natura irrationalis est capax. Redditur enim suppositata, constituitque suppositum, licet non Personam, quia hæc dicit ex parte subiecti rationalem naturam. Dices: ergo erunt natura irrationalis, & natura diuina in vno supposito diuino: ac proinde dicetur Deum esse equum, vel lapidem, & alia absurdiora, pro naturæ irrationalis assumptæ abiectione, & vilitate maiori. Respondetur admissa integra consequentia, in qua nemo doctus patiatur scandalum; sed tamen ad pium, atque indoctum vulgus etiulganda minimè sunt.

5 Dico tertiò: Quæuis natura substantialis assumi potest à triplici Persona diuina, & etsi præexistat vnita hypostaticè pluribus aliis suppositis creatis. Est conclusio contra Scotum in 3. q. 2. §. *Ad quæstionem* Ricard. q. 4. eam tamen docent Tertull. supra Alex. 3. p. q. 2. m. 4. S. Thom. q. 3. art. 6. cum suis. S. Bonau. in 3. d. 1. q. 1. & q. 3. circa fin. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 3. vbi OKam. Almain. & Capreol. art. 1. concl. 2. Durand. & Paludan. q. 3. Marsil. q. 2. art. 3. Henric. quodlib. 6. q. 7. Vasq. d. 29. c. 2. Soar. d. 13. sect. 2. Becan. c. 4. q. 3. n. 2. Gasp. Hurtad. & vulgò Recentiores Probata est conclusio d procem. q. 3. cert. 3. n. 4. vbi ostendimus plures, imò omnes subsistentias alienas in eadem substantiali natura non pugnare. Quid enim prohibet Deum naturam substantialem creatam producere dependenter in sui existentia ab vnione ad plura, vel omnia supposita creata, & diuina? Sed dices. Non implicat natura creata capax vnius solum subsistentiæ, quæ expleatur adæquatè: ergo saltem repugnabit aliquam substantiam creatam saltem possibilem, & quis nouit an actualem? capacem esse plurium subsistentiarum simul. Respondeo in nostra opinione negante modos superadditos subsistentiæ nullam vim habere argumentum. Nihil enim de suo natura conferre debet, vt subsistat, quod vna, vel pluribus subsistentiis alienis exhauriatur, nisi fortè vnionis modos ex ipsa educendos,

dimiserit. Secundò, vt d. 2. videbimus, non fuit vnitum verbum partibus essentialibus humanitatis mediatè ratione vnionis suæ ad totum; quin eatenus solum toti vnitum est, quatenus vnitum fuit partibus essentialibus ipsius. Quo argumento de partibus integralibus, siue homogeneis, siue ætherogeneis humanitatis eiusdem per se immediatè solum, non autem ratione totius assumptas à verbo fuisse, quare & de aliis assumi potuisse facilè deducitur. Deinde tam de his, quam de materia prima à paritate animi rationalis probatur. Quem idcirco assumi per se, & immediatè potuisse ad vnionem cum verbo, aiunt, aduersarij, quia licèt pars sit, est tamen à comparte, à quo nullatenùs educitur independens: atqui materia prima tam est ab animo rationali, cœterisque formis independens, quam sit independens animus rationalis ab ipsa: item quæuis pars integralis, siue homogenea, siue ætherogenea non educitur à comparte, nec ab ea causatiuè dependet: ergo tam materia prima, quam partes ætherogeneæ possunt assumi ad vnionem cum Persona diuina æquè, atque animus rationalis.

3 De formis autem educibilibus probatur argumento, quod vniuersim de omnibus partibus conclusionem confirmet. Etenim dependentia vna à subiecto, vel aliter non opponitur contradictoriè proximè, vel remotè dependentiæ alteri à supposito alieno, vel ab vnione ad illud: ergo vtraque in eandem substantialem partem cadere optimè potest. Denique de omnibus à priori probatur simul, semelque conclusio. Quia non est repugnantia in eo, quod Deus quamuis substantiæ partem producat dependenter in sui existentia ab vnione ad suppositum diuinum, vel etiam creatum. Quod ipsum dictum puta de assumptione partium substantialium ad vnionem cum natura diuina, vel cum alia creata vt benè Bernal. d. 24. sect. 1. §. 3. aliique innominati à Becan. cap. 4. q. 2. nec dissensuri videntur Thomistæ, qui in humanitate Christi vnionem ad subsistentiam absolutam agnoscunt, vt illius existentia existat: id quod & natura diuina præstare potest. Scio tamen reclamare huic conclusioni Vasq. d. 27. c. 2. Soar. d. 13. sect. 1. addo tamen intelligi hoc de vnione cum substantia, non cum supposito creato, siue partiali, siue totali, vel ad plura supposita, vel naturas, siue partiales, siue totales, vel plurium ad vnam, vel vnum suppositum, iuxta dicta cert. 1. Neque video quid his conclusionibus incommodet, si benè teneantur, quæ in similibus de possibilitate assumptionis naturæ totalis dicta à nobis sunt citato cert. 1.

4 Dices contra hanc conclusionem vnionis substantiæ, siue partialis, siue totalis ad naturam, siue totalem, siue partialem: constanter Patres contra Eutychetem vnionem humanitatis in natura, seu cum natura diuina asseruisse impossibilem: ergo tam conclusio hæc, quam similis cert. 1. est contra Patres expressè. Respondeo facilè Patres vnionis nomine intellexisse vnitatem, quam Eutyches eo etiam nomine intelligebat. Cuius error non fuit vnitas permansisse per Incarnationem duas naturas, humanam, & diuinam; sed ne argumenta Nestorij, quem cum Catholicis patribus impugnabat, cogeretur (si duplicem indiuiduam substantiam rationalem, humanam nempe & diuinam, in Christo recognosceret) duas in Christo Personas, humanam & diuinam admittere, vnam tantum naturam, vel confusione duarum, vel alterius in alteram controuersione, asserebat, vt vidimus d. procœmiali q. 1. cert. 1. rursusque videbimus hic q. 2. cert. 1. Quo circa, si de vnione naturarum diuersarum contra Eutychetem Patres loquerentur, contra ipsum non agerent, sed potius pro ipso. Ipse enim vnione confundi naturas aiebat, nec perseuerasse distinctas. Vt ergo ipsius errori aduersarentur vnionem pro vnitate vsurparunt.

5 Dico secundò. Accidens assumi potest ad vnionem cum quauis Persona diuina. Est conclusio Marsil. in 3. d. 2. q. 1. art. 2. dubio incidenti concl. c. Almain. q. 2. Gabr. dist. 1. q. 2. Aluarez & Valent. 3. p. q. 4. Idem dictum puta de accidentis vnione ad Personam creatam. Ratio est quia, non repugnat produci accidens dependenter in sui existentia ab vnione ad suppositum quoduis. Insuper in modalium opinione accidentibus separatis modus etiam perfectatis affigitur. Quid ergo prohibet hunc suppleri per subsistentiam alienam? Sicut suppletur modus perfectatis naturæ humanæ per Verbi subsistentiam. Hic enim, & improportio essentialis naturæ creatæ, & suppositi increati superatur; & qui se ipso modus est naturæ diuinæ essentialiter identicè affixus, media vnione extraneam terminat entitatem. Quod autem nequeat cum accidenti subsistentia suppositum constituere, nihil infert. Sicut nec quod personalitas diuina nequeat cum substantia irrationali constituere Personam, repugnantiam affert, quominus substantia irrationalis possit ad vnionem cum Persona diuina assumi. Item, quod non sit capax accidens subsistentiæ propriæ, non infert non futurum alienæ, cum sit capax perfectatis, quia subsistentia aliena suppleatur. Neque tandem obest fore idiomatum communicationem inter Deum, & accidens assumptum: ac proinde dicendum tunc Deum calidum, vel frigidum, nigrum vel album. Accidentales quippe denominationes, vel non cadunt nisi in subiectum inhæsionis proximum, vel remotum, vel, si cadunt, in vnione hypostatica verbi ad humanitatem admittendæ eiusmodi denominationes erunt.

QVÆSTIO II.

Incarnationis Mysterium contra gentes euincitur.

AMETSI verbi Dei Filij incarnatio peculiare adeo diuinæ sapientiæ, potentiæque Mysterium sit, vt nulla illud naturalis ratio euincere imò subodorari queat: vti ex his, quæ de notitia Trinitatis, & de existentia humanitatis dependenter ab vnione ad verbum. d. procem. & controu. de Trinit. d. 1. docebamus facilè patebit: me tamen aliquid pro Incarnationis Mysterio omnibus monstrando in nostro hoc opere desideretur, nonnulla contra gentium idololatrarum cæcitatem è locis illis, quæ admitti ab ipsis debent, argumenta petenda à nobis pro illo euincendo hic erunt.

CERTAMEN I.

Ex libro primo Sybillinorum oraculorum expressa pro hoc Mysterio testimonia.

1 SYbillinorum oraculorum orpheo (vt aiunt Iust. Mart. apol. pro Christianis. 1. & Clem. Alex. in Protreptico) antiquiorum testimonia ad fidei nostræ mysteria ethnicis probanda, quam magno vsui primis ecclesiæ Doctoribus, & quasi parentibus (nimirum à Paulo edoctis, teste Clem. Alex. 6. Stromatum) fuisse, author nobis est Origenes. 5. contra celsum, multaque eruditione probatur in apparatu ad annales ecclesiasticos, idcirco nascente Ecclesia idololatræ Christianos Sybillistas per irrisionem vulgò compellebant. Cæterum cum Sybillarum testimonia oraculorum diuinorum loco, ac proinde inconcussæ veritatis, atque authoritatis infallibilis multo ante Ecclesiæ Christianæ ortum ab ethnicis haberentur, vt cicero 2. de diuinat. illis verbis fatetur. *Sybillæ versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur*: rideri ab eis illorum testimonium in Christianis vsus minime potuit, nisi & se ipsos Ethnici, riderent.

riderent. Et quidem plus eos Sybillarum testimoniis ab illis primis Ecclesiæ Doctoribus vexari, quam ridere, vel inde satis constat, quod nullum Sybillæ Romanæ, quæ sanè multis de Christianæ fidei veritatibus editis testimoniis floruit, testimonium extet: eius nimirum libros Romanis gentilibus, rerum tunc dominis, occultentibus, ne infensis religioni suæ Christianis arma inde suppeterent, quæ timebant: vt testatur Lactantius. 1. institution. c. 6. & 1. de ira Dei c. 13. De Sybillarum vero oraculis, eorumque authoritate apud Ethnicos, & Christianos multa Pausanias in Achaicis, & Phocicis, Plinius, Macrobius, Cicero, Dio, Plutarchus, Lucianus, Zosimus, Euseb. S. Augustinus, Eustathius, Marcus Varro Clemens, Alex. Lactantius, aliique plures, quorum testimonia reperies citato tom. 8. Bibliot. cussæ Parisiis à fol. 70. ad 94. in quibus fragmenta aliquot è Sybillinis oraculis ab his recitantur authoribus.

2 Sed enim circa Sybillina hæc oracula nonnulla aduertenda sunt. Primò eorum omnium libros ex vnius, tantum, quæ sola fuerit, Sybillæ responsis, & vaticiniis constare putasse Clementem Alexandrinum vbi proximè, ac Ciceronem recitatis verbis, at verò plures fuisse Sybillas, è quorum oraculis Sybillini libri componantur certum prisci, atque eruditis Doctoribus est, vt videre licet apud Marcum varronem citatum à Lactantio 1. institution. c. 6. & 1. de ira Dei cap. 22. secundò eas omnes virgines fuisse, atque in virginitatis præmium prophetiæ donum à Deo accepisse docent Hieronymus, aliique Patres, cum tamen ex illis vna scortum se fuisse fateatur Sybillinorum oraculorum lib. 7. Tertiò obseruandum est in eorum carminibus, non semel, rerum ordinem inuerti, atque antiquiora nouioribus sæpè postponi vel quia rerum ab spiritu eas in vaticinium agente non curabatur ordo, vel quia ab eis, per quos earum oracula in libros redacta sunt, res ad litteras, sonum intelligebantur: quippe genuinus oraculorum sensus audientium, & componentium tunc mentes longè superabat. Patet hoc in testimonio, quod ex lib. 3. recitabimus cert. 2. ab illo versu *Tum Deus è cælo*, &c. in quo de renouatione spirituali templi Dei per Christum faciendæ: cui obsoni, & vocum affinitatem adiuncta posterius fuit materialis reædificatio templi Hierosolimitani anterius multo Regis Persarum munificentia à Iudæis facienda.

3 Denique animaduertendum est plura Sybillarum oraculis, eorumque libris falsò ab aliquibus inserta fuisse, vt pluribus locis diligentes, atque eruditi scriptores notarunt. Idque satis constat ex nonnullis, quæ in non adeo emendatis Sybillarum libris leguntur, quæ post Christum natum scripta fuisse apertè præ se ferunt: cum tamen eiusmodi oracula omnia multò ante Christi ortum edita fuisse, & constans traditio, & firma Patrum, atque sapientium Ethnicorum sententia fit. Imò Iustinus Martyr. & Clemens Alex. citat. num. 1. Sybillas vetustissimi Poetarum Orphei, ante cuius ætatem floruerunt, temporibus omnes vita iam functas esse docuerunt. Cuius autem Vafritiè ita fuerint, Sybillina oracula corrupta in occulto hactenus fuit. Si tamen dolum ex commodo liceat coniectari, crederem id gentium idololatrarum astu, & opera fuisse peractum, vt ex falsis, quæ oraculis illis supponebant eorum omnium authoritas, qua, vel maximè oppugnabantur, nutaret; idcirco eis solum ad institutum præsens testimoniis vtemur, quæ vel antiquorum ex gentibus sapientium, vel Patrum authoritate confirmata à Margarino Parisiensi in Bibliotheca magna veterum Patrum coloniæ Agrippinæ cussa anno. 1618. septem Sybillinorum oraculorum libris sunt dispositæ. t. 1. sæculo. 1. à pagina. 189. ac deinceps. ac. t. 8. editionis Parisiensis quartæ anno 1624.

4 Primum testimonium esto ex lib. 1. col. 6. circa finem, quod Cumanæ Sybillæ tribuitur, sicque habet.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis.
In terris similis, natus Patris omnipotentis.
Corpore vestitus vocales quatuor autem
Feri, non vocales que duas binum geniorum.

Id est duas consonantes initiantes nomina duorum Principum Angelorum Sathanael ex bonis, & Sathan. ex malis: ac proinde duplex sigma habiturum esse nomen Filij Dei incarnati, sicut habuit eius nomen *Iesus* prædixit apertè. Pergit autem oraculum.

Sed quæ sit numeri totius forma docebo.
Namque octo Monadas, totidem Decadas super ista,
Atque hec Atomadas octo insidis significauit
Humanis nomen. Tu verò mente teneto.
Æternitatum Christum, summique Parentis.

Itaque literis nominis Iesu omnibus, in quibus græcè præter duplex sigma. Σ. Σ. quatuor vocales continentur. T. H. O. Y. Ex. 1. valet decem. H. valet octo. Primum. Σ. valet ducenta. O. septuaginta. Y. quadringenta. vltimum. Σ. ducenta, quibus summa numeri vaticinio hoc expressa continetur, vt doctè obseruauit Beda lib. 1. Commentarior. in Lucam.

5 Secundum sit, quod proximo immediatè subnectitur, tribuiturque Sybillæ Helesponticæ à Sixto Senensi. Est autem huiusmodi.

Ille Dei legem compleuit, non violabit.
Per similem formam referens, & cuncta docebit.
Illi libabunt aurum mirrhamque ferentes.
Tbusque facet dotes, Hæc omnia namque patrauit.

Quibus verbi incarnati sanctitas, doctrina, atque Magorum adoratio singulariter describitur. Quod enim sacerdotes hic nominentur, eorum sapientiam, & regnum asserit, non excludit. Reges enim sacerdotes simul apud gentes, imò, & legem naturalem, esse obuia est apud sacros, & prophanos eruditio, exemplo Melchisedech Regis Salem, & sacerdotis satis comprobata, atque aliis sexentis ac interpretibus Geneseos. Atque ex rei natura Regum sapientia ad regnum supponitur, vt iidem Doctores, populorum esse possint; qui fuerint eorum ductores. succedunt statim carmina, quibus Ioannis Baptistæ prædicatio Christi prædicationi præuia, illiusque in saltatricis puellæ gratiam obtruncationem, Persica (vt Sixtus Senens. & Stratonicus Episc. Eumanus, volunt) Sybilla præcantauit. eis verò subduntur sex carmina Christi ab Ægypto reditum doctrinam, ac iudicium finale consonè prorsus Euangelio describentia, in hunc modum.

Cum lapis Ægypti fælix seruatus ab horis.
Venerit: huic populus impinget Hebræus: & huius.
Ductu conuenient gentes: per eumque supremum
Cognoscent numenque, viamque in lumine rectam.
Æternam vitam mortales namque docebit.
Electis, ignemque malis feret omne per æuum.

6 Nec minus Euangelicæ historiæ concordant Lybicæ, iisdem testibus carmina:

Ille quidem morbis pressos sanabit, & omnes.
Læsos quotquot ei fident: cæcique videbunt.
Incedent claudi: surdis audire licebit:
In solitas mutis dabitur formare loquelas:
Expellet furias: Oppressi morte resurgent.
Placabit fluctus: in desertisque locorum
Largè panibus ex quinis, & pisce marino
Millia quinque virum satiabit: reliquiæque
Bis senos cophinos implebunt Virginis almæ.
Et tunc obvius Israel non mente videbit.
Non oculis cernet, non auribus audiet ipsis.
Hebræos sed enim summi lymphata Tonantis.
Competet ira, fide, sublata prorsus eorum;
Propter cælestem diuino semine cretum.
Offensum puerum.

Ex inde verò Delphica, vt iidem censent, Sybilla Christi alapas, sputa, fel, & acetum, spineam coronam, lateris lancea perforationem, solis die medio tenebras veli in hierosolimitano templo disruptionè, descensumque

animæ christi ad Lymbum singulatim scribit. Deinceps Tiburtina Sybilla,iuxta Sixtum Senensem, Christi post triduum resurrectionem,atque post discipulorum confirmatrices,& consolatrices visitationes eiusdem ad cœlos ascensionem depingit.Subditúrque statim sequentibus carminibus legis euangelicæ perpetuitas, Prophetarum cessatio,vrbis Hierosolimæ excidium, ac populi iudaici dispersio.

CERTAMEN II.

E reliquis Sybillarum libris pro eodem Mysterio testimonia.

1 EX lib.2.qui est de Deo,hæc de Christo in primis habentur.

Sed postquam Roma AEgyptum reget,imperioque
Frenabit,summi tum potentia regni.
Regis inextincti mortalibus exorietur.
Rex etenim sanctus veniet,qui totius orbis.
Omnium seclorum per tempora sceptra tenebit.

Atque lib.3.pag.4.propè finem,quæ paulò aliter ab aliis, atque ab aliis in eandem tamen sententiam leguntur.

Tum Deus è cœlo Regem demittet:is autem
Sanguinis,quisque homines,ignisque probabit in æstu.
Regalis quædam Tribus est:genus huius ab omni.
Peccato planè vacuum dominabitur olim.
Incipiéque Dei renouatam construere ædem.

Ac sub libri eiusdem finem huiusmodi ad virginem Deiparam alloquium legitur.

Gesti læta puella,tibi nam gaudia semper
Duratura dedit cœli,terræque Creator
In te habitaturus:tibi lux æterna manebit.

Hæc carmina Sybillæ cumeæ tribuit Virgilius cæsaris adulator Cologa. 4.versu 4.

Ultima cumæi venit iam carminis,ætas.

Licet sententiam, quam non capiebat suis gentium fabulis congruenter immutaram duobus illis versibus suis clauserit.

Iam redit, & virgo:redeunt saturnia regna.
Iam nova progenies cœlo demittitur alto.

scilicet Virginem,de qua ibi Sybilla loquebatur fabulosam illam Astræam virginem interpretatus est, quam Poëtæ ob hominum scelera in cœlum cum virtutibus fugisse fingebant. Cum tamen Sybilla de Virgine Deipara Maria expressè eo Vaticinio loqueretur,vti ex eius recitatis versibus apparet.id,quod,& à Virgilio intellectum,licet aulico,& polytico timore hisce, & aliis dissimulatum credit Eusebius in vita Constantini:abstrusos versuum plurium huius eclogæ versus aperiens. Sed quidquid de hoc sit,sed nec secundum versum fideliter ex Sybilla recitauit Virgilius,*quæ ad verbum vertebat eruditissimus noster Ludouicus Corda ad eum virgilij locum n.7. commentarij.*

Tum Deus è magno Regem demittet olimpo.

Toris autem libris 4.& 5.nihil prorsus ad rem præsentem scriptum à Sybillis deprehendi.

2 Verùm sextus liber totus ea de re est, vti ex hac illius transcriptione clarebit.

AEterni magnum Natum cano pectore ab imo:
Cui solium genitor tribuit supremus habendum.
Nondum progenito: (secundum carnem) siquidem de
corpore duplex.
Exiitit.Est autem per lutus fluctibus amnis.
Iordanis glauco,cuius pede voluitur vnda.
Ex igne primo primus Deus,qui & suauem.
Spiritui factum albis alis columbæ.
Flos autem purus florebit cuncta serenans.
Offendétque hominum generi caliéque viáque.
Cœlestes:omnes sapienti voce docebit.
Iustitiam tradet populum alliciendo,vel hostem.
Cœlestis iactando genus laudabile Patris.
Pacabit fluctus:à morbis eruet egros
vitam defunctis reddet,pelletque dolores.
Et danis defonte hominum fatias erit vno.
Cum domus effundet stirpem Dauidica:cuius
in manibus totus mundus, tellus,mare,cœlum.
Emicabit autem in terra,qualem olim primò apparentem
Viderunt ex mutuis costis duo illi facti.
Tempus erit,cum spe tellus gaudebit alumni:
At solam,Solomæ tellus mala dira manent te.
Namque Dei male sanatui te notio fugit
sensibus humani ludentis:nempe coronam.
De spidis illi posuisti:iniuria maior
Quo foret:& potum fudisti fellis amari.
Ergo tibi strages in gentes spiritus edet.
O lignum felix,in quo Deus ipse pependit!
Nec te terra capit,sed cœli tecta videbis.
Cum renouata dei facies ignita micabit.

Anne hanc satis erit euangelica historia phophetiam æquari?

3 Nec minus sacris euangeliis concordant, quæ libro 7.Pag.2.post med.sic leguntur.

Non nostri miseranda tuum, quem protuit olim
In Iordane Deum,& volitabat spiritus.
Qui prius & terra fuit,& stellantibus oris.
Factus voce Patris Princeps,& Flamine sancto
Corpus,& indutus celer in Patris euolat ædes.

Libro autem octauo, col. 4. extant acrosticha Sybillæ carmina,è quorum initialibus hæc sententia ad rem nostram construitur.*Iesus christus Dei Filius,seruatur, crucifixus.*licet vltima dictio abbreuiatim sit posita hic solum litteris *C.R.V.X.S.* neque omnes litteris latinis, id græcis quandoque concluditur acrostichum hoc poëma duobus hitce carminibus.

Omnipotens Deus est præscriptus versibus hisce.
Seruator nostro æternus Rex passus amore.

Totum hoc poema Eusebius in vita constantini Eryhreæ tribuit, quæ de se ætate post diluuium. 6. vixisse testatum reliquit,cuius acrosticis Sybillinæ meminere Cicero 2.de diuinat.Constantinus Magnus orat.ad Sanctor.cætum c.18.August.18.de ciuit.cap.23.& passim antiquiores Patres ad col.eadem vers.fin ac deinceps euangelicam totam ab Incarnatione verbi historiam, licet temporum,& rerum ordine non seruato ita proponit.

Ergo ad iudicium veniet dicti memor huius.
Per similem formam portans in Virginis alienam,
Collustrans tympha manibus senioribus omnes,
Cuncta iubens facies:morboque medebitur omni,
Pacabit ventos dicto,sterneteque profundum,
In sanum,placidis pedibus calcando,fiáque.
Ad viros a genas præbebit sputa pudentes.
verberibusque sacrum tradet proscindere tergum.
Perque feret tacitus colaphos:

Paucisque interiectis additur.

Horrentémque feret de vepre coronam.

Post pauca verò:

Tunc calamo compungent ilia,legis
More suæ.

Nec post multa subditur.

Verum,cum fuerint,quæ dixi cuncta peracta,
Soluitur omnipotens in eum,quæ tradita quondam
Est placitis hominum ob populum non morigerantem.
Expandetque manus,totum metiatur vt orbem.
Panibus & quinque,& binis ex piscibus olim
Millia quinque virum in desertis exsaturabit.
Quin ex fragmentis collectis reliquiarum
Bis senos cophinos,vt sit sperare,res, leuit.

4 Nonnullis autem intercallatis hæc eodem libro extant.

Hunc tandem natiæ,sceleratæ,& perfidiosæ.
Contundere lapis palmæ(prob crimina)diuum.
Felle fames eius,sitis eludetur aceto.
Hanc apponet ei gens scilicet hospita mensam.
Scindetur templi velum:mediumque diei.
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis.
Non etenim deinceps templum,legémque colendam
Arbitrio mundi monstratum est:idque latebat.
Arbiter,vt terras æternus venit in imas,

deuenietque

Deuenietque bonam spem portans omnibus, orcum,
Et triduí somno peraget mortalia fata.
Tum demum linquet Manes, lucemque reuiset,
Prima resurgendi lectis vestigia monstrans.

Pergit inferius Paulò.

Porrò suis primùm Dominus patefiet,eritque
Corporeus sicut fuit ante,manusque,pedesque,
Ostendetque impressa suis vestigia membris.

Ac ferè statim ita Sionem,ac Virginem (vti reor) Mariam alloquitur Sybilla:

Salue casta Sion, permultaque passa puella
Ipse tibi incenso,Rex ante tuus intrat asello,
Hunc,agnosce tuum numen de numine natum.

Columna verò 7.sub initium ita legitur:

Temporibusque perit postremis terram:
Et breuis egressus Mariæ de virginis aluo
Exorta est noua lux.
E cœlo veniens mortales induit artus.

Postmodum autem Gabrielis aduentum ad Virginem depingit: Deique per illam ad ipsam nuntium: sicque Gabrielem Virgini alloquentem inducit:

Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico.

Deinde cùm Mariæ ad eiusmodi nuncium stuporem describisset, pergit:

Tunc ad se rediit, Verbumque volauit in aliuum:
Idque suo factum, atque animatum tempore corpus
Mortali facie cretum est, perinde creatus
Virgineo partu. Mira est mortalibus hæc res;
Sed res nulla Deo Patri, natuque stupenda,
Hoc puero natu properauit gaudia tellus:
Cœlestis risit sedes & gestiit orbis,
Diuinamque Magi stellam coluere recentem,
Monstratusque Dei præcepta sequentibus infans
Est in præsepio quem fascia circuit, (estque
Dicta logi Bethlem diuino patria nutu)
Capratum atque ouium posteribus, atque bubulcis.

Atque hæc quidem sunt testimonia omnia, quæ è Sybillinis oraculis pro Verbi Dei Filij incarnatione, Christique aduentu extant: quamquam eorum, non eisdem vocibus, eisdem tamen sententiis, plura apud Lactantium,altosque Patres ex antiquioribus legantur. Et verò oraculorum,cùm inter se,tùm cùm euangelica historia concordia mirabili efficax & multiplex ad gentes super huius mysterij veritate conuincendas argumentum desumitur. Nec leue ex eisdem Christianorum solatium prodit, atque in fide huius mysterij confirmatio. Cùm videat eius non solum vestigia, sed historiam totam, sicut hebraico quondam Dei populo per legis antiquæ Prophetas, ita gentibus per suas fatidicas esse prænunciatam, vt historiæ euangelicæ priùs iam scriptæ transcriptio potius videatur, quàm rerum in ex contentarum, totque sæculis futurarum vaticinium.

CERTAMEN III.

Alia quædam Sybillarum ad rem eandem testimonia singula Sybillis singulis nominatim attributa excerptim ab Oraculorum libris.

NE verò aliquid generis huius in nobis desideretur, subiungenda sunt alia veritatis huius Sybillarum vaticinia, quæ ex vetustissimo codice vnumquodque sub Vatis suæ nomine apposuit Margarinus de Labigne in bibliothec. veterum Patrum editione 4. Paris. anno 1624. t. 8. citato pagina 81. fine, & 89.

Sybilla Persica.

Virgine matre satus pando residebit asello
Iucundus Princeps: vnus,qui ferre salutem
Rite queat lapsis. Tamen illis fortè diebus
Multi multa ferent immensi fata laboris:
Solo, sed satis est oracula prodere verbo:
Ille Deus casta nascetur Virgine magnus.

Sybilla Lybica

Ecce dies venient, quo æternus tempore Princeps
Irradians fata læta, viris sua crimina tollet,
Lumine clarescet,cuius Synagoga recenti
Sordida, qui solus referabit labra reorum,
Aequus erit cunctis: gremio Rex membra reclinet
Reginæ mundi sanctus per sæcula viuus.

Sybilla Delphica

Non tardè veniet, tacita,sed mente tenendum
Hoc opus. Hoc memori qui corde reponet,
Huius pertentant cor gaudia magna Prophetæ
Eximij: qui virginea conceptus ab aluo
Prodiuit sine contactu maris. Omnia vincit
Hoc naturæ opera. At fecit, qui cuncta gubernat.

Sybilla Cymmeria.

In teneris annis facie præsignis, honore
Militiæ æternæ Regem sacræ Virgo cibabit
Lacte suo perquem gaudemus pectore summo
Omnia: & Eoo lucebit fidus ab orbe
Mirificum sua dona Magi cum laude ferentes
Obiicient puero Myrram, Aurum Thura Sabæa.

Sybilla Samia.

Ecce dies,nigrasque Tollet læta tenebras,
Mox veniet soluens nodosa volumina vatum
Gentis Iudeæ, referent,vt carmina plebis;
Hunc potuerunt clarum Viuorum tangere Regem,
Humana quem Virgo sinu inuiolata fouebit;
Annuit hoc cælum, rutilantia sidera monstrant.

Sybilla Cumana.

Iam mea certa manent,& vera nouissima verba:
Vltima venturi, quod erant oracula Regis,
Qui toti veniens mundo, cum pace placebit,
Vt voluit, nostra vestitus carne decenter
In cunctis humili; castam pro matre puellam
Deliget: hæc alias forma præcesserit omnes.

Sybilla Helespontiaca.

Dum meditor quondam vidi decorare puellam,
Eximio, castam, quod se seruaret, honore.
Munera digna suo, & diuino numine visa,
Quæ sobolem multo pareret splendore micantem
Progenies summi speciosa,& vera tonantis,
Pacifica mundum, qui sub ditione gubernat.

Sybilla Phrygia.

Ipsa Deum vidit summum punire volentem
Mundi homines stupidos, & pectora cæca rebellis;
Et quia sic nostram complerent crimina pellem;
Virginis in corpus voluit demittere cælo
Ipse Deus prolem quam nuntiet Angelus almæ
Matri quo miseros contracta corde leuaret.

Sybilla Europæa.

Virginis æternum veniet de corpore verbum
Purum, qui valles, & montes transiet altos
Ille, volens etiam, stellatus missus olimpo
Edetur mundo pauper: cui cuncta silenti
Rex erit imperio. Sic credo, & mente fatebor,
Humano simul,& diuino semine gnatus.

Sybilla Tyburtina.

Verax ipse Deus dedit hæc mihi munia fandi:
Carmine quod sanctam potui monstrare puellam,
Concipiet, quæ Nazareis in finibus illum,
Quem sub carne Deum bethlemitica rura videbunt.
O nimium felix, cælo dignissima Mater,
Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem.

Sybilla Agrippa.

Summus erit sub carne satus, charissimus atque
Virginis,& verè compleuit viscera sanctum
Verbum consilio,sine noxa, Spiritus almi
Despectus multis, tamen ille salutis amore,
Cuius honos constans, & gloria certa manebit.

Sybilla Erythræa.

Cerno Dei natum qui se demisit ab alto.
Vltima fœlices referent cum tempora soles,
Hebræa quem Virgo feret de stirpe decora,

In terris multum teneris passurus ab annis;
Magnus erit tamen hic diuino carmine vates,
Virgine matre satus, prudenti pectore verax.

CERTAMEN IV.

Argumenta pro hoc mysterio reliqua contra gentes perstringuntur.

1 IAm ex aliis locis à gentibus admittendis alia pro mysterij huius veritate argumenta petenda nobis sunt. Atque quæ generatim ex idolis, seu potius Dæmonum oraculis pro fidei nostræ mysteriis omnibus, Deo ita Euangelio suo viam sternente, gentes acceperunt. Ea enim dum fidei nostræ veritates omnes gentibus suadent, nequeunt, non & hanc de Filij incarnatione, Christique aduentu, quæ in illis est, gentibus idem confirmare. Eiusmodi sunt illa, quæ ex oraculis Apollinis dedimus controu. de Trin. d.4.q.1.cert. 2.n.1. recitabamus: vbi afferebatur veram Dei notitiam, & legem apud Hebræos solum haberi, in quorũ libris Euangelium nostrum, eiusque veritates continebantur. Eis autem huc inde aduocatis, vitandæ repetitionis causa, in præsentiarum non repetitis illa solummodo testimonia attexam, quæ specialia pro Incarnationis veritate monstranda notaui. & primò quidem illa Platonis, quæ ex lib. de legibus habentur: ibi enim aiebat. *Mensura omnium non homo sed Deus est: maximè verò si Deus fiat homo.* Ex quibus non solum incarnationis Filij Dei congruentia, & votum Platonicum continetur: sed Deo certè ad gentium vtilitatem inspirante prophetia. Rogatus enim ibidem Plato quandiù standum ipsius legibus foret, respondit: *Donec*, inquit, *aliquis sacratior homine in terris appareat, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique sequantur omnes.* Sed illud sanè ad rem hanc luculentissimum testimonium extat, quod Lactant. Firman. 4. diuin. institut. his verbis proposuit: *Milesius Apollo consultus vtrumnè Deus, an homo fuerit?* (Christus nempè) *hoc modo respondit.*

Corpore mortalis, sapiens perfecta stupenda
Iudicibus caldæis; sed enim captus, & armis
Clauis, & palo finem tolerauit acerbum.

2 Succedat à ratione probatio illa generalis quæ ad omnes fidei nostræ veritates confirmandas fieri à Patribus solet Athenagora legationibus pro Christianis Iustino Martyre Apologiis pro Christianis, Theodoreto Cyrensi Episcopo erat exortatoria ad gentes & latissimè ab August. libris de ciuitate Dei, aliisque innumeris Doctoribus sacris. Etenim fidei tot tantisque à Deo miraculis confirmatæ, quæ ita rectè de Deo sentit, quæ homines ad rectè honestéque viuendum instituit, atque à prauis moribus abducit, atq; coercet, ad rectam viuendi formam, non conciliis, ac legibus modo, sed & tanta præmij opulentia, & magnitudine, quanta ritè, atque æternæ gloriæ est, sollicitando, tantoq; æternorum cruciatuum supplicio à peccatis deterrendo non nisi Deum possumus agnoscere authorem. Item in fide, quæ de aliis omnibus, quæ naturalis hominum ratio assequi potest, multò amplius reliquis omnibus religionibus mundi affecuta est. Nihilque quod non mirificè rationi naturali, rectoque eius discursui concordet homines docet: nihil etiam ex eis quæ supra humanum captum docet: non verum, ac certum esse ratio ipsa conuincit. Accedit tot sapientum hominum, quot in cunctis aliis sectis nusquam à mundi principio extiterunt, de totius nostræ fidei, rerumque omnium, quæ docet consensus, & approbatio, è quibus plures maiorum sectis, ac religionibus, in quibus eminebant, abiectis ad nostram fidem nullo commodo, imò magna honorum, & copiarum iactura conuolarunt, eamque per vincula, verbera suorum corporum excarnificationem, sanguinisque, ac vitæ prodigam, vt sic loquar, effusionem professi sunt; quid fidei huius fructus commemorem cuius doctina, vitæ integritas, & sanctimonia diei è mundo exul fuit mortalibus restituta.

3 Vernant laureis canditati Virginum chori præ copia confusi, & quæ in corpore solum seruata integritas, præ singularitate miraculum, hactenus erat, mente etiã, & affectu custodita præ multitudine vulgus iam Christianis est. Tripudiant vbique religiosorum cœtus Dei laudibus intenti: Libiæq; atque Ægypti deserta ab hominibus loca, quia hisce Angelis seruabantur, tota horũ psalmis, hymn. cantic. atque orat. personant; hilaresq; ac solis Dei laudibus saturi Monachi in summa rerum angustia, quam pro Christo lætiori fortunæ renunciantes elegerunt, satis ostendunt habere se, *meliorem, & manentem substantiam, nec solo pane hominem viuere, sed verbis potius, quæ de ore Dei procedunt.* Perstrepit equuleis, Catastis, ferreis vncis, ensibusque perpetuæ suæ vitæ, atquepurpureæ coronæ instrumentis Martyrum cohors multitudine numerum, fortitudine omnem admirationem exhauriens, fidei totius veritatem sanguine contestans suo. Quid ardentem Christianorum in proximos charitatem commemorem temporalibus eorum vitæ, atque impensius multò spiritualibus animæ commodis propriis, etiam vitæ propriæ amore, posthabitis initiantem: vt licet in Apostolis, ac apostolicis viris, totqsmendicantium sacris ordinibus videre. Tacebo tot viduarum continentiam virginitatis æmulatricem gloriosam, post expertam etiam pudicitiæ inimicam coniugij voluptatem. Præceribo in coniugiis castitatis nuptialis fidem, etiam dum necessariò eorum vsu parit libido proritata. Atque singula prolixius percurram, sed rem hanc simul, semelque vno verbo absoluam virtus omnis apud Christianos consuetudo fuit, quæ apud Paganos vix alicuius fuerit studium. Quæ omnia, licet aliorum etiam fidei mysteriorum veritatem confirment, præsentis autem de Verbi incarnatione, ac Christi diuinitate veritatem in primis euincunt. Cùm hic, & legis Christianæ author fuerit, atq; ad ipsius deitatem comprobandam tot fuerint miracula edita, pro eaque vel vnicè, vel præcipuè tuenda Martyres certarint. Accedit Christi contra idola Imperatores, reliquosque mundi Principes per abiectos, ac seminudos, rudesque aliàs piscatores; & Apostolicos viros toto orbe decantata victoria, vt diuinæ virtutis, ac planè Deum esse, qui totam Dæmonum atq; orbis potentiam domuerit, non liceat dubitare.

4 Denique potentissimum contra gentes argumentum ex tot, tamque apertis Prophetarum Hebræorum testimoniis dandis q.3. desumitur. Cùm enim omnia simul casu in eandem personam concurrere nequeant, atque in Christo ea omnia completa fuisse monstrauerimus: fuerintque tot ante sæculis prænunciata, neque à Christianis conficta, vt insensissimi Christianæ religionis hostes Iudæi toto orbe dispersi fatentur, & illa esse vera Dei oracula, quæ sic fuere completa, & Iesum nostrum de quo fuere prænuntiata euidenter etiam idololatris ostendunt. Id circo aiebat Augustinus 18. de Ciuit. cap. 46. Iudæi in gentes omnes dispersi à Deo sunt, vt horum oraculorum notitia è Christi inimicis accepta Paganis ad Euangelium recipiendum muniret viam. Ea item de causa peractum à Deo fuit, vt primo ante Alexandri, & Persarum imperium libri sacri Græcè scriberentur, ex eisque plura Pythagoras, Plato, Aristoteles, aliique Philosophi decerpserint, teste Aristobulo Ptolomei Philometeros Magistro Machabæis Cœtaneo apud Clement Alex. 1 Strom. & Eusebium. 9. præpar. Euang. Deinde vt cura Philaderphi Regis Ægypti post Alexandrum II. sexaginta duo Hebræi peritissimi vetus testamentum summa concordia, licet alteriùs quisque ignarus, in Græcum sermonem verterint tercentis circiter ante Christum ortum annis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

De Messiæ per Verbi diuini incarnationem Aduentu contra Iudaicam perfidiam.

DVo circa incarnationis existentiam fides docet. Dei nimirum filium naturalem, & æquè cum Patre, eundem, Deum hominem factum & hunc ipsum esse Messiam Iudæis promissum. Hoc si eis probemus secundum primum illud facilè credent: nempè Deum esse Christum: cum de Messia fausta omnia atque humanis maiora ex veteri testamento meritò conceperint, quocirca Iesum nostrum Messiam, & Christum esse euincendum hic erit, vt plenè, quoad præsens attinet, de Iudaica triumphetur perfidia: quamuis, & Deum Christum esse ex multis veteris testamenti locis, siqua super eo iudaica obstinatio superfit, simus ostensuri q.seq. sed tamen nonnulla pro aduentu Messiæ contra Iudæos circumferuntur, quæ licet verè illum contineant, minus tamen firmiter contra illos probant: quia, vel tempus non definiunt (quale est illud Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* & Isai. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos*: atque illud *vtinam dirumperes cœlos, & descenderes*) vel signum aduentus Messiæ continent, quod Iudæi negant. Huiusmodi est illud: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*: quod ipsum similitudine lapidis monte sine manibus abscissi, Danielis 2. præsignatur. Sed Mariæ virginitatem negant obstinato Iudæi nusquam ex veteri, quod solùm admittunt testamento conuincendi. Aliis igitur efficacioribus contra ipsos testimoniis vtendum in præsentiarum nobis erit.

CERTAMEN I.

Efficacia plura contra Iudæos de aduentu Messiæ in Iesu ortu testimonia.

1 PRimo loco rem probat Iacobi prophetia, Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius donec veniat, qui mittendus est.* Constat autem ex Herode linea paterna Idumæo, materna verò Arabe apud Iudæos regnante, ac proinde tunc primum deficiente è tribu Iuda regno, natum esse Christum. Item Aggæi. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria.* Porrò hæc regnante Dario Histaspis dicta ab Aggæo sunt: quingentis nimirum ante Christi ortum circiter annis: quod tempus respectu antecti ab orbe condito: nimirum quatuor milium septingentorum annorum modicum tempus reliquum est: respectu autem duorum millium annorum à promissione Abrahæ facta, vsque ad christi aduentum modicum adhuc dici vtcumque potest: at verò duo millia ducenti anni, qui ab hoc vaticinio effluxerunt, quin Christus Messias, vt Iudaica obstinatio putat, aduentarit, quo pacto modicum vnum dici poterit? Tertiò Michææ 5. *Et tu Bethleen terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israel.* Iesum autem nostrum in Bethleen natum Iudæi non negant: torique populo notum Herodes fecit, cum Magi eum adoraturi Hierosolimos aduentarunt. De illius præcursore Ioanne ita Esaias prophetauit cap. 40. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini* quæ de se dicta esse Iudæis ipsis Ioannes contestatus est, Ioann. 1. 22. *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.* Scatim autem venturum Messiam prædictum à Malachia fuerat cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sũũ dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Ius autem sex tantum post Ioannem præcursorem Messiæ ab Isaia, & Malachia designatum, mensibus venit.

2 Hæc de eius ortu, & aduentu: De eius autem prædicatione, vita, & morte extant non minus illustria Prophetarum veterum testimonia, Isai. 61. *Spiritus Domini super me ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam.* Totam autem Iesu doctrinam de mansuetudine, humilitate, ac pœnitentia fuisse, ne Iudæi quidem dubitant. De eius miraculis, quibus doctrinæ veritas, aduentus ac diuinitas agnosceretur Isaias cap. 35. prædixerat: *Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut feruus claudus, aperta erit lingua mutorum.* & cap. 16. *Spiritus Domini super me ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam;* Quæ solum à Christo peracta fuere, vt ipse discipulis à Ioanne missis, vt eum an esset Messias rogarent Matth. 11. num. 4. & Lucæ 7. n. 22. aiebat: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, Pauperes Euangelizantur.* Ad hæc nimirum Isaiæ prophetica oracula alludens; de ramorum triumpho Zachar. 9. *Exulta satis filia Sion? Iubila filia Hierusalem; ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum asinæ.* De eius proditione à perfido discipulo Iuda Ptalm. 40. *Homo pacis meæ qui edebat panes meos mecum, magnificauit super me supplantationem.* Quo in psalmo maledictiones triginta pro numero argentorum, qui eius proditionis pretium fuere, apponuntur iuxta Rupertum, & Pererium. Pretium autem ipsum proditionis prædictum etiam fuerat Zachar. 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Iudæorum super ipsius nece consilia. Sap. 2. numero 18. *Videamus ergò, si sermones illius veri sint, & tentemus, quæ ventura sunt illi, & nouissima illius. Si enim est verus Filius Dei suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. contumelia, & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. morte turpissima condemnemus eum; erit enim respectus ex sermonibus illius.* Hæc autem ac Christi patientiam cum comprehensus duceretur sic prophetauit Hierem. c. 11. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Cogitauerunt super me consilia dicentes; mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Tota autem passionis, non prophetia tantum, sed historia habetur Isai. 53. Psalm. 21. vers. 7. 8. 9. 17. 18. & 19. psalm. 68. vers. 9. 10. 21. & 22. *Tenebræ moriente Christo subortæ,* Amos 9. *Et erit in die illa dicit Dominus, occidet vobis sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.*

3 Christi insuper à morte, & cruce regnum, resurrectio, ad inferos descensus, ad cœlos ascensio, atque Euangelij ipsius ab Apostolis per totum orbem prædicatio æquè clarè fuere à Prophetis veteribus prædicta, Isai. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum.* & cap. 9. *Principatus eius super humerum eius.* psal. 94. *Dominus regnabit à ligno.* Quod Iudæorum malitia è translatione septuaginta interpretum primæua expunctum testatur Iustin. M. dialog. cum Tryphone Iudæo stattim consentiente, & Tertullianus 3. aduersus Marcion. Resurrectio psalm. 3. *Ego dormiui, & somnum cæpi; & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* psalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Vbi etiam descensus ad inferos prædicitur: nam *Seol* hæbræa vox inferno respondens per *He* redundans in fine secundam mortem, siue infernum significat. Vnde illud psalm. 9. *Conuertantur peccatores in infernum.* græcè in *Seol*, Rabichimchi *in gehennam* vertit, ac numer. 16. descensus Dathan, & Abiron in infernum eadem voce, *Seol*, dicitur, ac Genes. 37. *descendam ad filium*

filium meum Ioſeph lugens in infernum. Non quidem ſepulchrum, quod ferè venter eſſe ab illo credebatur vbi illi iungi *non* poterat, ſed locum ſanctis animabus deputatum quem Hebræa ibi voce eadem *ſeol* expreſſit. Malè ergo hæretici illud *in inferno*, in ſepulchro, & *animam*, corpus legunt. Sed clarius Eccleſiaſtici 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Et Zachar. 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti educes vinctos de lacu in quo non eſt aqua.* Item ſepulchrum Chriſti gloriоſum (ſicut etiam nunc, & barbaris Mahometanis tenetur, exiſtit) fore prædicitur Iſai. 11. eius in cœlum aſcenſus Micheæ 2. *Aſcendet pandens iter ante eos*: (ſicut ipſe aiebat: *eo parare vobis locum.* & pſalm. 4. vel. 19. *Aſcendiſti in altum, cæpiſti, captiuam duxiſti, captiuitatem, accepiſti dona in hominibus*, ſeu *dediſti dona hominibus.* De diſcipulorum miſſione à Chriſto ad euulgandum in omnes gentes Euangelium Iai. 66. *Mittam ex eis qui ſaluati fuerint, ad gentes in Africam, & Lydiam in Italiam, & Græciam ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam; & annunciabunt gloriam meam gentibus adducent donum Dei.* & cap. 49. *Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas. Ecce enim dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.*

4 Cùm autem ex his, nonnulla ſeorſim etiam accepta Meſſiam eſſe illum probent Iudæis cui conuenerint, omnia autem demonſtrent: atque in Chriſto Domino completa eſſe omninò certum ſit, vt de pleriſque notarunt Euangeliſtæ, teſteſq; oculati Iudæi tunc fuerunt, cum eueniebant, nec reliqua eueniſſe in Chriſto inficientur, ac non videmus non pauca, non contra Iudæos tantum, verum, & contra gentes, & Paganos Ieſum noſtrum Meſſiam eſſe apertè ex datis teſtimoniis conuincitur, vt ſuſius quæſt. 3. quæ tota de hoc myſterio gentibus demonſtrando erit, perſequemur. Cæterùm, vt hæc omnia deeſſent claris adeò, multiſque notis Meſſiæ aduentus Danielis capite nono, denunciatur, vt vel eius ſolo teſtimonio, ſatis ſuperque de Iudaica triumphetur perfidia. Sic habet oraculum Gabrielis ad Danielem, à verſu vigeſimo-quarto, quo ſummatim, & quaſi per anache phaleoſim rei euentus totus, ſingulatim, ac per partes, ſtatim denunciandus, proponitur.

5 Numer. 24. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Hebdomas*, græcum, & hebræum reſpondens *Sabuahh.* ſeptenarium temporis alicuius numerum ſignificat, ſiue dierum, ſiue annorum teſte Beda de ratione tempor. à capite ſexto, ad octauum. Quoniam autem ſeptuaginta Oraculi huius hebdomades non tam hiſtoria ſunt, quam prophetia, quæ teſte Irenæo, libro quarto, capite quadrageſimo-tertio, priuſquam impleatur enigma eſt, quæ rei euentum, quo clareſcat deſignat: Cuiuſnam temporis numerus earum ſeptenarius eſſe debeat in aperto non eſt. Rabbini, vt Meſſiam aduentaſſe obſtinato negarent; hebdomadas Iubilæorum intelligebant, ideſt, vnamquamque 350. annis conſtantem, omnes verò ſeptuaginta, annis 24500. centenariorum faciebant. Alij, vt earum quæuis 700. annos contineret: omnes verò 49000. annos. Sed miſeri perditique homines non vident tot ante ſæculis impleta non ſolum quæ hic de Meſſiæ aduentu, ſed de vrbis, & templi excidio, deque gentis ſuæ ſupplicio fuere denunciata. Secundò cum alterius, quam dierum, vel annorum durationis ſeptenarius hebdomadarum numerus inuſitatus Iudæis fuerit (dierum quidem Leuit. 23. numero decimo-quinto, & Daniel 10. numero ſecundo; annorum verò Leuit. 25. numero octauo,) imò, & aliis omnibus gentibus, alterutra ſignificatione hebdomada accipi in ea prophetia ad Iudæos in primis directa debebat, vt ex illius & euentus comparatione an impleta eſſet poſſent dignoſcere: cumque in ſeptuaginta hebdomadibus dierum impletam non viderent annorum hebdomadas ſignificari certò cognoſcerent. Quibus impugnatur Origenes hebdomadas haſce non ex decem annis ſingulas componens, vt falsò refert Cornelius à lapide (id enim nimis bardum eſſet) ſed ex decennariis compingens tractatu 29. in Matth. itavt omnes 4900. annos cohiberent. Conſenſit quoad extremam hebdomadam tantum, Euſeb. 8. demonſtrat Euangel. expoſit. 3. eam decenniorum facіens errore apertiori: niſi enim earum omnium materia eiuſdem menſuræ ſit, nihil vnquam ex ea prophetia certò dignoſci poterit. Secundò quia iuxta Euſebij ſententiam ſeptuaginta hebdomadæ 553. annos continent; cùm tamen Titi deuaſtatio, quæ poſt ſeptuaginta totas hebdomadas futura erat, ac ſeptuaginta tribus annis poſt Chriſti aduentum, & quadraginta poſt eius necem, & ſacrificiorum ceſſationem, quæ ſeptuaginta illis hebdomadibus euentura dicuntur, contigit, non niſi poſt 530. circiter annos, ab hebdomadarum initio acciderit. Tertiò: quia hebdomadæ iſtæ *abbreuiatæ* dicuntur: hebraicæ *Nectach*, id eſt *conciſſæ, & præciſſæ, determinatæ*, quibus & græca lectio concordat: vel quia pauciores annos, quam Deus poſſet ſtatuere continet, vt ait Perer. 10. in Daniel. Cornel. & venerabilis Gaſpar. Sanct. Vatab. Lyra, Dionyſ. & Theodor. ad hunc locum, Galatin. lib. 4. cap. 14. Soar. tom. 1. 3. p. d. 1. ſect. 2. Vel certè: quia annorum lunarium minorum ſolaribus futuræ hebdomades erant, vt docere videntur Ambroſ. exhamer. c. 4. Baſil. homil. 6. ſub fin. reputatque probabile Pererius, imò, & amplectitur lib. 11. docentque expreſsè Tertul. 8. aduerſ. Iudæos, Clem. Alex. 1. Stromat. Euſebius ipſe 8. demonſtrat. cap. 2. Iulius African. 1. de temporib. c. 17. Zonaras 1. Annal. Rupert. in Daniel. c. 16. Petrus Comeſtor Author Hiſtor. Scholaſticæ in Daniel. cap. 10. Hugo Dionyſ. Gloſſa, Albertus Carthuſ. in præſenti, Salmeron. prologom. 43. Salian. tom. 5. annal. anno mundi 3609. numero 9. Rationem dederunt Ambroſ. & Baſil. quia lunares anni familiares erant Hebræis, ad quos dirigebatur vaticinium, licet per emboliſmos, vt annis ſolaribus gentium concordarent, atque ſtata luna decima-quarta primi menſis Paſcha ex præſcripto Moſaico immolarent, ſecundo quoque, vel tertio anno menſem intercalarent: quare addita voce *abbreuiatæ*, lunarium annorum ſolaribus minorum hebdomades illas fore ſatis denotabatur: quo igitur pacto decenniorum vel omnes, vel extrema hebdomadas dici poteſt.

6 Illud: *ſuper populum tuum, & ciuitatem ſanctam tuam*, nihil myſterij niſi concionatorij habet. Pergit: *vt conſummetur præuaricatio.* Hebræa, Pagnini, & aliorum lectio, *Lacton*, id eſt *ſignetur*, ſeu *ſigilletur, & finem accipiat*, ſiue *ſigilletur, & ſignetur peccatum.* Chryſoſt. Euſeb. & Theodoret. citati. *ſacrilega Chriſti cæde ad ſummum perueniat, impleaturque*: iuxta Matth. 23. *Implete menſuram Patrum veſtrorum.* & 1. ad Theſal. 2. *vt impleant peccata ſua.* Id quod explicatius vulgarior alia lectio Hebræa *Lehatem*, id eſt, *perficere, finem imponere*, videtur ſignificaſſe. Licet ſatis idem explicet prima, quia non niſi quæ plena, & abſoluta ſunt ſigillantur, vt patet in ſauis mellis, & epiſtolis, vnde hæc ex Cicerone venerabilis Gaſpar. ſanctius. *Mater Lagenas, etiam inanes obſignabat, ne diceretur inanes aliquæ, quæ furtim eſſent excitatæ.* Atque inde vniuerſim Hiſpanè *Echar el ſello*, idem omninò eſt, ac perficere, & conſummare. Et quidem cum hic verſus ſequentium in quibus ſacrilegi excidij Chriſti expreſſa mentio, anachephaleoſis quædam ſit, ac nulla alia, quam hac dictione memoraui in eo poſſit de ea his verbis agi videtur; verius tamen Perer. ſanctius, Cornel. ac ferè reliqui interpretes peccati interitum ſignificari volunt. Conſummari enim peccatum, ſinemque illi poni id prorſus valet iuxta illud Sap. 4. *Conſummatus*, extinctus, *in breui expleuit tempora multa*, ac Lucæ 2. 24. *conſummatiſque diebus.* ac Seneca de vltima vitæ hora extremæ guttæ eclepſidra ſtillantis exemplo aiebat: *Non ſola exhaurit, ſed ſola conſumat*, pro *abſumi, & perire* peccatum ponitur Iſai. 40. *Quia completa eſt malitia eius dimiſſa eſt iniquitas illius.* Eundem ſenſum reddunt lectiones illæ *ſignare, ſigillare.* Sigillantur enim vt doctè Pineda Iob 37. numero ſeptimo, & Sanctius proximè, quæ ita abſconduntur; vt vltra non appareant. Vnde impij reſurrexionem, animique immortalitatem diffitentes aiebant Sap. 2. numero quinto. *Vmbræ tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo reuertitur.* Iuuat & lectio Tertull. & Theodoreti: *inueteretur delictum.* Vetus enim omne propè interitum eſt natura ipſa teſte & Paulo ad Hebr. 8. quare inueteratum idem eſt, atque abolitum, antiquatum, & obſoletum. Denique hanc interpretationem valide confirmat dictio ſequens harum periphraſis: *Et deleatur iniquitas*, ſiue vt Tertull. legebat, *& exoretur iuſtitiæ.* Precibus nimirum meritis, & ſatisfactione Chriſti Domini, quibus quantum ſatis ſuperque fuit ex parte ſua Deo dedit, vt gratia nobis ad peccata delenda, diabolumque iam catenatum ab ipſo vincendum, donaretur iuxta id Iſai 44. *Deleui, vt nubem, iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua: reuertere ad me quoniam redemi te.* & ad Colloſſ. 2. numero duodecimo: *delens quod aduerſus vos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* Pergit textus: *& adducatur iuſtitia ſempiterna.* Hebræa *Tſedecolamin*, id eſt, *iuſtitia ſæculorum.* Tertullian. cui annuit ſanctus Thomas: *Inducatur iuſtitia æterna*: vel quia, vt aiunt Hugo, & Perer. Euangelium exinde inducendum per metonymiam iuſtitiæ; ſicut lex vetus, Pſalm. 118. paſſimque à Prophetis dicatur, duraturumque perpetuò eſt vſque ad mundi finem: quia iuſtitia, & ſanctitas intrinſeca, & inhærens in militante Eccleſia quandiù mundus durabit, atque in triumphante æternum perennabit: vel quia iuſtitia noſtra: & ſatisfactio Chriſtus eſt, vt iidem, & Cornel. aiunt. Sed nihil horum iuſtitia abloluerè æterna eſt, cum tempore cæperit: quare iidem, & Hebræi plerique Hieronymo teſte Theodoret. ſancto Thoma, Vatabl. iuſtitiæ æternæ nomine Chriſtum, Meſſiam intelligunt iuſtitiæ noſtræ authorem, cuius iuſtitia, & ſanctitas, quæ deitatis ipſius, vel potius ipſa deitas eſt, æterna procul dubio eſt.

7 Et: *impleatur viſio, & prophetia.* eaſdem habet lectiones quas ſupra dedimus, *ſigillatur, ſignetur*, id eſt euentu ipſo prædictorum veræ probentur, fidemque etiam apud Ethnicos omnes, quemadmodum chartæ ſigillo recipiant. Quod ſic explicuit Tertull. contra Iudæos capite octauo: *veriſſimè dicit aduentum eius firmare viſum, & prophetiam.* Idem autem Tertull. ibi, & Chryſoſtom. impleri, & ſignari, id eſt ceſſare, & ſiſtere intelligunt, quibus reliqui interpretes annuunt. Chryſoſtomi verba: *Siſtere oportuit poſt Chriſtum prophetias: hoc enim ſignare viſionem id eſt ſiſtere viſionem. vnde Chriſtus dixit lex, & prophetæ vſque ad Ioannem.* Tertulliani verò: *Ipſe enim fuit ſignaculum omnium Prophetarum adimplens, quæ retrò de eo Prophetæ nunciauerant. Poſt aduentum enim Chriſti, & paſſionem ipſius iam non viſio eſt, neque prophetia, qui Chriſtum nunciet venturum.* Sed eodem hæc omnia, & Aquilæ lectio: *Ad conſummandam viſionem, & prophetiam.* Plane recidunt, vt Chriſtus Dominus hic prænunciatus, ſicut dixit Matthæi quinto: *Non veneri ſoluere legem, & Prophetas, ſed adimplere.* Denique concludit textus: *& vngatur Sanctus Sanctorum.* Hebræa *Kodes, Kadaſcim.* quæ Pagninus Vatabl. Arabicus vterque vertunt.: *Sanctitas ſanctitatum*, vel *Puritas puritatum.* Tigurina *ſanctitas ſuprema.* Rabbini *Bernahaman*, & Moſes Gerundenſis apud Finum Adrianum 5. flagelli Iudæorum *Sanctuarium Sanctuariorum*: alij *Sanctum Sanctorum*, quibus Syrus Codex concordat: Aquila, *Sanctificatum Sanctificatorum.* Rabbini citati, & Salomon apud Finum, & Galatinum quartum, de arcanis capite decimo-quarto, templum, quod propriè *Sanctum Sanctorum*, ſeu *Sanctuarium Sanctuariorum*, vt ipſi vertunt, eſt, hiſce verbis intelligunt. Probant, quia vox *Kodes* templum ſignificat verſu vigeſimo-ſexto, quare, & hic etiam idem ſignificabit. Sed primùm Cornelius noſter aduerrit melius aliis punctis legi hic *Kedos Kedoſcim*,

R. P. Chriſtoph. de Ortega, de Dei incarnat.

quod eſt Sanctus Sanctorum, vt codex quo vſa vulgata fuit, viderur habuiſſe. Secundò vox *kedos* indifferens, vt minimum, eſt vt ſignificet *Sanctus, Sanctitatem*, vt Rabbi Salomon vertebat, vel *Sanctuarium*, vt alij. Ergò ex adiunctis pro quo ex eis ponatur determinandum erit: quare cum adiungitur ciuitati, & diſſipandum cum illa dicitur Sanctuarium, ſiue templum ſignificat verſu vigeſimo-ſexto, at hoc verſu vigeſimo-quarto vngendus dicitur, quod ab huius prophetiæ tempore templo non contigit, ſed euerſio potius, ac prophanatio: ergò hoc verſu non ſignificat templum. Audiant, legantvè Rabbinos ſuos in libro *Sanedrim* cap. *Elluben, Haggolim*, vbi Rabbi Samuel, & Midras *Sirhoſſirim* inter alia, quæ in ſecundo templo inſtaurato regnante Cyro defuerunt oleum vctionis recenſent. Hic ergò ſanctum, ſanctitatem ſanctorum, ſeu ſanctitatem ſignificat, quam nullam pura cratura poſſit pertingere: Chriſtum nempè inunctum oleo lætitiæ deitatis præconſortibus ſuis, vt pſalm. 45. dicitur. Abſtractis quippè pro concretis ad præſtantiam formæ explicandam vtimur, ſic ſummum Pontificem beatitudinem, Regem maieſtatem compellamus. In hunc tandem ſenſum Talmudiſtæ reliqui veniunt, Rabbi Barnahaman, Barachias, Hioces, Dauid, Abraham, Caldias, Moyſes. Moſes Gerundenſis in *Sederolam* ſcribens. *Meſſias vocatur Sanctuarium ſanctuariorum: quia futurum erat, vt in eo ſecundum humanitatem omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei requieſcerent: eratque ipſe ſuper omnem creaturam oleo gratiæ, ac beneplaciti Dei vngendus. Vnde merito hebraicè dictus eſt Meſſias, græcè Chriſtos, latinè vnctio.* Hæc ille, cui conſonat Rabbi, Ozia, & Ioſue apud Finum, & Galatinum citatos. Ex quibus ridere, an plorare eſt Rabbi; Salomonis, & aliorum cæcitatem, qui his hebdomadibus non aduentus Chriſti, ſed ingentium meritorum, & iuſtitiæ, ac ſanctitatis Iudæorum tempus deſignari aiunt, vt Meſſiæ aduentum à Deo obtineant. Sed quid precor illis ſeutuaginta hebdomadibus ſunt Iudæi promeriti? An excidium Titi? Quid poſtea? Nonnè extremam ſeruitutem vſque, & vſque durantem, ac certè duraturam, ac perpetuam Dei obliuionem? Cùm tamen Ethnicis etiam, notum ſemper fuerit, vti ex lib. Iudith patet, nuſquam Hebræos in malis, atque alienorum ditione, ac ſeruitute à Deo derelictos, niſi quandiù ab eo, & iuſtitia defecerint, vbi ergò per mille ſexcentos annos deploratæ ſeruitutis ingens illa Iudæorum iuſtitia, ſanctitas, & merita? Sed delirium hoc amplius reuincietur in ſequentibus.

CERTAMEN II.

Hebdomadarum initium ſtolidè, & negatur à Rabbinis nonnullis, & aſſignatur ab aliis.

1 QVæ ſummatim explicato numero 24. prædicta à Gabriele, & Daniele ſunt iam ſingulatim explicatius dicuntur à numero vigeſimo-quinto: *Scito ergo, & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterùm ædificetur Hieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt.* & illud; *vt iterùm ædificetur Hieruſalem*, Hebraicè *Lehaſib*, quod vertit Pagninus *ad reuerti faciendum, & ædificandum*: id eſt, *vt reuertatur ædificari*; Hiſpanè: *Se torne à edificar.* Phraſi vtrique linguæ communi, qua pro aduerbio *iterum* verba iterationem ſignificantia adhibentur. Iudæi tempus, ex quo hebdomadarum initium capiatur notatum hic nolunt, ne adeò apertè de Meſſiæ aduentu conuincantur, quare *non ab exitu ſermonis*, &c. ſed *de exitu ſermonis* ex hebr. legi contendunt, quaſi moueat Gabriel Danielem materiam ſerm. quem

initio precum eius egressum antea dixerat, fuisse de erigenda Ierusalem septuaginta hebdomadibus. Sed primò ex Hebræa Galatinus, Pagninus septuaginta, Leo Hebræus,& reliqui Hebræi recentiores cum vulgata legunt: *Ab exitu sermonis.* Secundò illud: *vsque ad Christum ducem*, terminum, ad quem septem, & sexaginta duarum, idest sexaginta nouem hebdomadarum designat, ineptè autem, ac sine vllo sensu, & fructu non statuto initio earum diceretur, nihilque ex eo oraculo Daniel à Gabriele, & populus ab vtroque de Christi aduentu edoceretur: ac nisi lectio vulgata teneatur, ac proinde ea dictione hebdomadum initium notetur, non notatur alia dictione huius prophetiæ: ergò ea notari dicendum est. Rabbi Salomon, & Talmuditæ proinde asserunt designari eiusmodi initium; sed tamen illud fuisse in primo excidio templi Salomonis per Nabuchodonosorem. Sed contra: quia initium hebdomadum ponitur ab exitu sermonis reædificandi, non destruendi. Secundò expresè dicitur sermonem vt iterum ædificetur iam diu destructum templum: ergò initium huius sermonis supponit tempore destructionem ante actam: non autem est simul tempore cum illa. Tertiò illud *ædificetur*, quod subiunctum optatiui est futurum tempus, in quod solùm optatæ res cadunt, designat non euersionis ante actum. Quartò: nihil horum, quæ sexaginta nouem, vel septuaginta hebdomadibus futura nunciantur illis 490. annis in eis hebdomadibus contentis, si ab ea euersione numerentur, accidit, vt patet: alioqui cum is annorum numerus, & amplior etiam ante Christi aduentum excurrerit cum etiam post mille septingentos annos. desperato Christi, seu Messiæ aduentum sperant; Quartò efficaciter, quia initium hoc cum termino harum hebdomodarum à Rabbinis designato nullatenus in bona chronologia concordat, sed discordat apertè, etiam in sua, vt ostendemus certamine quarto, iisdem argumentis fortiùs adhuc, vel clariùs impugnantur Rabbini alij, qui ponunt initium hebdomadum in anno decimo-tertio, regni Iosiæ, quo Hieremias cæpit Ierosolymorum euersionem prophetare, cum multis ante euersionem præfatam, quæ fuit anno decimo-octauo, Nabuchodonosoris, & vltimò Sedeziæ, annis Hieremiæ prophetæ contigerit. Argumentis hisce melius impugnatur iudaica perfidia super hebdomadarum initio, quam ex eo quod aliundè cæptæ hebdomades in Iesum nostrum, eiusque mortem non desinant. Cùm enim hi illum messiam, siue Christum promissum suo populo obstinato negent, leuiter inde refellentur quamuis argumentum hoc contra alias à vera Christianorum opiniones circa hebdomadum initium efficacissimum sit.

2 Origenes tractatu vigesimo nono, in Matth. hebdomadas hasce ab Adami tempore inchoauit. Hypolitus quinquaginta annis ante captiuitatis solutionem. Sed hi eisdem argumentis refutantur, atque insuper: quia inde inchoatæ hebdomades in Christum non desinunt. Quibus etiam repellitur Appollinaris ab ortu Domini eas hebdomades inchoans. Lyra, Burgensis, Verablus hic, Galatin. 4. de arcan. citato capite decimo-quinto, Porchetus 1. p. victoriæ contra Iudæos, capite vndecimo. Rabbinos aliquot, eorumque Chronologiam secuti hebdomadarum initium in exitu sermonis prophetici de vrbis reædificatione Hierem. 29. id est anno quarto Sedeciæ. Sed quatenus ad Rabbinos attinet omnibus ferè argumentis datis contra primam eorum sententiam, & tertia hæc confutatur: quatenus ad Doctores eius Christianos, quia inde exorsæ hebdomades in Christum, eiusque mortem terminari nequeunt, vt supra ab vltimo anno Sedeciæ inchoantes ostendebamus, nihilque quod vel sexagesima nona, siue septuagesima hebdomade futurum prædicitur euenerit. Insuper hi, qui exitum sermonis de instauranda vrbe propheticum intelligunt, cur non ex priori de reparandis vrbe, & templo prophetia eiusdem Hieremiæ populique libertate c. 25. & 27. vndecim retro annis habita, nempè Olympiade 45. hebdomadas dicunt, vel potius ex Olympiade 4. vel 5. quo tempore Isaias cap. 44. & 45. qua & populi libertatem, & templi, atque vt plures volunt, templi instaurationem prædixit, cum prima ea de re prophetia hæc extiterit? Tertiò: quia nec dum tempore Hieremiæ, nedum Isaiæ vrbs, & templum fuerant euersa. Gabrielis autem oraculum Danielem de euersa vrbe, & captiuitate Babylonica lachrymantem consolatur spe, & facultatis faciendæ in posterum ad eorum instaurationem, & reædificationis de facto futuræ. Quartò Rabbini antiquiores teste Hieronymo hic ab anno 1. Darij Medi quo Danielis oraculum istud habitum est de vrbis, & templi prostrati erectione. de eo enim Gabriel ipse ad Danielem dixerat numero 23. *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo*, vt hic sermonis egressus, siue exitus statim ab ipso notaretur pro hebdomadum initio numero 25. consentiunt Tertullianus citatus,& Orig. seu potius Clemens Alex. 10. stromat. apud Hieronym proximè. sed tamen cum hoc Gabrielis, & Danielis oraculum eo anno 1. Darij habitum sit, atque vsque ad prophetiæ euentum, sexcenti septem anni decurrerint, nimirum amplis octoginta quinque hebdomadibus, quomodo septuaginta hebdomadibus, quæ continent solos 490. annos propheta hæc impleretur, vt supra de aliis prophetiis antiquioribus dicebamus, quocirca vel eas omnes falsas, vel vtramque opinionem improbabilem dicere cogimur. Denique contra sententiam vtramque est quod prophetiæ istæ licet publicæ populo, & ex quibus possent hebdomades ab omnibus notari, ac numerari, non Dei facultates erant, vrbis ac templi extruendi, sed solum prædictiones; alioqui nulla alia expectata facultate humani Regis operi Iudæi incumberent. Sermo igitur Gabrielis alium refert sermonem in quo facultas alicuius, sub cuius imperio, ditioneque Iudæi exules essent, extruendæ iterum vrbis Ierusalem, quæ cum adeo facta nullibi legatur, ab humano Principe facienda prædicitur.

3 Clem. Alex. 1. stromat Euseb. 8. demonstrat. cap. 2. exposit. 1. Genebrard. 2. Chronol. init. Maldonatus in 2. Ioann. numero vigesimo, docent ab anno primo regni Cyri quo soluta captiuitas Babylonice fuit esse hebdomades computandas. Probatur: quia ab exitu sermonis, siue facultatis primæ, vt ædificaretur iterum Hierusalem hebdomades istæ computandæ sunt, tum quia id verba ipsa sonant, cùm tantumdem valeant, atque: *ex quo facta fuerit à Principe facultas reædificandæ Hierusalem.* Facta autem absolutè fuit cùm prima principis facultas extitit: tum etiam quia cum plures fuerint regiæ facultates ad reædificandum, si ea de re hæc Cyri facultas extitit, nimis obscurè designaretur initium hebdomadarum, nisi de prima intelligatur: Quod autem de vrbis reædificatione eo anno Cyri facultas, & prima quidem Iudæis extiterit suadetur ex Isai. quadragesimo-quarto: *Qui dico Cyro Pastor meus es; Qui dico Hierusalem ædificaberis.* & clarius capite quadragesimo quinto; *Ipse ædificabit ciuitatem meam.* scilicet facta Iudæis ædificandæ, & sumptuum copia. Licet enim ad templi instaurationem data ab ipso tantummodo sonet 1. Esdræ cap. 1. tamen ex bono eius in Iudæos animo pro vrbe etiam reædificanda eam copiam factam fuisse credendum cordate est, maximè, cùm tot hominum millia nempè 42360. absque seruis, & ancillis, totque Sacerdotes qui ad templi fabricam, & ministeria ascenderunt, absque domibus prolixo operi incumbere non possent. Secundò absque Regis facultate Iudæi vrbem ædificare non auderent: eam verò ex tunc reædificasse constat ex hostium delatione ad Cambysem Cyri filium, & successorem cognomento Artaxerxem Esdræ 1. cap. 4. num. & lib. 3. cap. 2. num. 18. quæ sic habet: *Notum sit Regi, quia Iudæi qui ascenderunt à te ad nos venerunt in Hierusalem ciuitatem rebellem, & pessimam, quam ædificant extruentes muros eius, & parietes componentes.* Et sanè Cyri facultatem extare in quadam ipsius epistola ad Syriæ Satrapas testantur Iosephus, libro 11. cap. 1. Iulius Africanus 5. de temporib. Euseb. libro 8. capite 2. qua in re consentit venerabilis Gaspard. Sanctius numero

mero 49. & 105. Quod autem ea facultas instaurandæ vrbis prima fuerit apertum est: cum nulla extiterit prior. Sed tamen sententia hæc prorsus est falsa cum ab eo anno ad prophetiæ euentum amplius 85. hebdomades fluxerint. Negandum ergò est vrbis instaurandæ factam à Cyro facultatem, sed solum templi reædificandi; alioqui de ea scriptura non taceret, sicuti nec de hoc tacuit. Secundò quia alioqui hostes ad Cyri successorem Cambysem non deferrent, si regia id facultate publica agerent, sicut de templi reædificatione, quam è regis præscripto moliebantur, nihil detulerunt. Detulerunt autem falsò, & cum exaggeratione, vt Regis animum, vtpotè hostes Iudæorum, contra ipsos mouerent, vel quia, vt securius ab hostium incursionibus templum extruerent, atque vtcumque se à noctium, & temporis iniuriis protegerent, casulas aliquot tumultuario opere erigebant murorumque ruinas leui pariete componebant: vel quia nihil adhuc tale agentibus ab hostibus imponebatur, verius puto. Habito enim ab hostibus Regis rescripto prohibente vrbis ædificium impeditum ab eis dicitur citatis locis: vtique, quia illud solum, non autem ciuitas ædificabatur; alioqui eius potius ædificium ex Regis præscripto impediendum ab eius ministris Iudæorum hostibus foret. Isaiæ prophetia vera quidem probatur: tum quia facultate ædificandi templum, & populi libertate, vt eo rediret, instaurandæ vrbis initium magnum fecit, vt ei vrbis reædificatio meritò tribuatur: maximè, si casulas, & tumultuaria muros extruere tacitùs permisit: tum quia, vt benè Salianus citandus ciuitas propriè ciuium cætum in reipublicæ formam redactum significat, quod populo Iudaico per varias prouincias dispersо facultate Cyri, vt in Iudæam rediret, & Hierusalem contingit: ac proinde verè, ac propriè de Cyro dictum ab Isaia fuit: *Ipse ædificauit ciuitatem meam.* numero quadragesimo quinto. Cùm autem de Hierusalem ædificanda numero 44. loquitur, non dicit à Cyro præstandum, sed solùm: *Qui dico Hierusalem ædificaberis.*

4 Euseb. 8. demonstrat. c. 2. exposit. 2. & in chron. Cyrilli. Hierosol. cathech. 12. Sulpitius 2. Sacræ histor. Driedo 2. de sacris scripturis, capite 5. Iansen. capite 122. concordiæ ab anno 2. Darij quo templi atque vrbis erigendæ factam credunt facultatem, cuiusque 6. anno templum absolutum est 1. Esdræ capite 6. Hebdomades ducunt. Sulpitius Darium nothum credit, ac per æquiuocationem Ochum appellat: cum Nothus 60. post hunc Darium annis nonus Persarum Rex fuerit nominatus. Eusebius Darium Medum air, qui tamen vno solum anno regnauit, quare nec secundo anno eam facultatem facere Iudæis potuit, neque eius octauo anno templum absolui, vt falsò idem Eusebius docet. Hic ergo fuit Darius Histaspis, siue Histaspidis filius, qui 3. Esdræ capite quarto prohibitionem memoratam Artaxerxis abrogauit, renouauitque Cyri facultatem Zachar. 1. Cum autem ea prohibitio de vrbis erectione fuerit de eadem fuit facta facultas. Secundò Zachar. 7. & Aggæi 1. Zorobabel Iudæos fabricæ incumbentes corripiebat, quod impensius domibus suis, quam templo extruendo studerent, quod sine Regis facultate non agerent. Tertio Esdræ 3. capite 4. numero 43. sic Esdras Darium affatur: *Memor esto voti tui, quod vouisti ædificare Hierusalem.* numero 47. Rex acquiescens *scripsit epistolas ad omnes dispensatores, & præfectos, & purparatos, vt deducerent eum, & eos, qui cum illo erant ascendentes ædificare Hierusalem.* num. 48. *Omnibus præfectis qui erant in Phœnice, & Libano scripsit epistolas, vt traherent ligna cedrina à Libano in Hierusalem, vt ædificarent cum eis ciuitatem.* num. 49. immunes esse iubet eos, eorumque filios, *qui procedunt à Babylonia condere ciuitatem*: numero 62. Benedixerunt *Deum Patrum suorum, quoniam dedit eis remissionem, & refrigerium, vt ascenderent, & ædificarent Hierusalem &c.* eaumque vbis extruendæ à Dario tunc factam testatur Iosephus libro vndecimo, capite quarto, & quinto, fateturque Gaspard. Sanctius. Sed tamen in deductis hebdomadibus prophetiæ euentus non septuaginta hebdomadis, sed 80. & ferè de dimidia accidit, cum ab eo Darij anno ad Christum, eiusque necem 563. anni effluxerint: Quare negandum est factam fuisse à Dario extruendæ vrbis facultatem, ne falsa reddatur prophetia. Illud de correptione Zerobabel super domorum suarum ædificandarum impensiori Iudæorum cura fatemur: at id è Regis facultate factum negamus, sed ex præsumptione, quod benè erga illos animatus Rex patienter ferret, maximè cum in facultate templi erigendi tacita domorum leui opere struendarum, vt operi possent incumbere videretur contenta: non autem vt aliquot domus præcipuè in palatio, quod iuxta templum fuerat, splendide Principes populi extruerent laborem templi fabricæ suffurantes, sicut fortè tempore Cyri cæperunt, vt ideò ab Artaxerxe ædificio prohiberentur, quia vltra Cyri facultatem ædificassent: quo effectum fuit, vt nec templum, quod licitè potuissent absoluerint. Eo sanè respicit Aggæus numero sexto: *Seminasti multum, & intulisti parum.* & numero nono: *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus.* Item si Regis adesset vrbis erigendæ facultas tempore Gabrielis oraculo à Deo præstituto, cur ab ipso per prophetas obiurgandi essent, quod id exequerentur atque sterilitate punirentur, testimonia ex 3. Esdræ nihil probant: tum quia liber ille apocryphus habitus à Saliano anno mundi 3596. pagina 120. numero quadragesimo-primo: tùm quia ciuitas ibi, & Hierusalem pro templo, præcipua nimirum sui parte vsurpatur. Sic enim Esdras de voto illo Regem conueniens, ait numero quadragesimo-quarto: *Et omnia vasa quæ accepta sunt ex Hierusalem remittere, quæ separauit Cyrus quando mactauit Babylonem, & volnit remittere ea ibi.* At nec Cyrus voluit remittere, nec Darius nisi vasa templi; ergò Hierusalem pro templo vsurpatur. Proinde num. 45. explicatius illud Darij votum memorans ait: *Et tu voluisti ædificare templum, quod incenderunt Idumæi.* Nec dubium esse potest, quin solius templi erigendi copia à Dario facta tunc fuerit, si legatur attentè caput quintum, ex primo Esdræ, vbi cum Præfecti Darij de templi structura sub Zorobabele, Zacharia, & Aggæo Regem monerent, vt sisterent, vel progredi opus iuberet capite sexto, perquisitis Cyri commentariis; & facultate ipsius de templi ædificio reperta, ne impediretur rescripsit numero sexto, & numero octauo, ait: *Sed & à me præceptum est quid oporteat fieri à præsbyteris Iudæorum illis, vt ædificetur domus Dei.* & Sulpitius contra quem agimus, sic tandem scribit: *Sexto anno, quam Darus regnare cæperat consummatum est templum: idque fatis Iudæis visum est: Et quia magnæ molis erat vrbem restituere dissisi viribus opus magni laboris incipere non ausi templo continebantur.* Demum Iosephus Scaliger. 6. de emendat. tempor. Sulpitij æquiuocatione seductus initium hebdomadarum in secundo anno Darij nothi, ac rursus anno quinto Artaxerxis Mnemonis. Sed à primo 64. hebdomades ad rei euentum numerantur: à secundo verò pauciores. Secundò neuter in Iudæos beneficus legitur, nec si fuisset vrbis viginti retro annis instauratæ reædificandæ feciſſet facultatem: nedum facultatem primam, vt inde hebdomades inchoarentur, cum viginti quatuor annis ante secundum Darij sermo, seu facultas instaurandæ vrbis ab Artaxerxe cognomento Longimano procul dubio prodierit, vt statim monstrabimus.

Nec plura ad confutendam sententiam sola sulpitij æquiuocatione subnixam.

***

CERTAMEN III.

Hebdomadum Initium ſtatuitur.

1 REgnante Artaxerxe longimano Xerxis filio ſexto Perſarum Rege in Babylone (ſi tyrannum Artabanum excludas) facultatem, ſiue ſermonem inſtaurandæ Hieruſalem primo factum eſſe, ac proinde initium hebdomadarum eſſe collocandum meliorum Doctorum concors ſententia eſt. Cepit eius regnum olympiade 79. nempè Olympiadibus 24. ſiue 96. annis poſt Cyri in Babylone imperium, mundi verò anno 3590. quoto autem eius regni anno ea facultas prodierit non nihil eſt diſſidij. Theodoret. or. 9. in Daniel. docere videtur anno 7. prodiiſſe, ſcribens: *Quo tempore prius Eſdram, poſtea Nehemiam miſit, vt muros Ieruſalem iterum conſtruendos curarent.* Miſit autem Eſdram anno ſui regni 7. ſic etiam docet Cedrenus in compendio hiſtor. venerab. P. Gaſpard. Sanct. à num. 104. ad 111. reputantque probabile Salmeron, Perer. & Salian. citandi. Probatur 1. Eſdræ 7. num. 6. Artaxerxes dicitur ei dediſſe *ſecundum manum Domini Dei eius ſuper eum omnem petitionem eius*; quæ de templi ædificio abſoluto iam ab anno 6. Darij nulla eſſe potuit, ſed de vrbis inſtauratione, quæ ſola in votis eſſe poterat. Secundò, num. 13. dicitur: *A me decretum eſt, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis ire in Hieruſalem, eant.* Laica verò multitudo quorſum, ſi de templi ædificio ſolo, ac non vrbis ageretur, quovè habitatura mitteretur. Tertio, num. 18. ait: *Sed & ſi quid tibi, & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento, & auro, iuxta voluntatem Dei veſtri facite.* Quibus perampla licet tacita ob hoſtium ſtomachum, vrbis extruendæ maximè optatæ facultas continetur. Quarto, capite nono, numero 9. dicitur: *Inclinauit ſuper nos miſericordiam ſuam coram Rege Perſarum, vt dare nobis vitam, & ſublimaret domum Dei, & extrueret ſolitudines eius.* Id eſt: vrbis ædificio cingeret comitareturque, nec ſolam eſſe pateretur. Demum, quia ab hoc anno ſolum non autem à 20. ſexaginta nouem hebdomadæ in Chriſtum, ſeptuaginta verò in eius necem cadunt, vt mox vrgebimus. Cæterùm, vt huius argumenti ſolutionem tantillum in ſuam ſedem referuem reliqua nihil probant. Vota enim, vt petitio Eſdræ ſatis clara ſunt eo c. 7. num. 10. illis verbis: *Eſdras autem parauit cor ſuum, vt inueſtigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Iſrael præceptum, & iudicium*, vt bene docuerit Sulpitius, *Eſdram nihil ſuper reficienda vrbe egiſſe comperio: credo potiorem curam raptus plebem corruptis moribus reformare.* Hinc collectitiam, & ex Fiſco, & arca ſua Rex petitioni, vetiſque Eſdræ acquieſcens argẽti, & auri ſummam ad templi ornatum, & ſacrificia deſtinatam decreto ſuo voluit à num. 13. ad 24. à num. vero 25. Eſdram, vt religionis, reique publicæ gubernandæ curam gerat hortatur, vtque ignaros iudices, & Præſides deſignet. Sic ſacrificiorum penuriam quæ templi ſolitudo propria eſt datis opibus, vt iuxta gentis, & legis ritum iugiter ſacrificaretur, relegauit, templique ſolitudines erexit: vt dicebatur c. 9. Remiſit autem plenis multitudinem, vt moribus, ac ritibus ſuis inſtauraretur in iudæam, quæ de domibus iuxta templum prouidere non debuit: cùm nec laica multitudo iugiter templo deberet aſſiſtere. Denique numero illo 18. quæ ex copiis ſupereſſent in Dei obſequium, & cultum Rex iuſſit impendi, vt verba ipſa ſonant.

2 His ſanè ſententiæ huius fundamenta eneruantur. Ipſa verò ſententia confutatur primò: quia anno Artaxerxis huius 20. cùm triſtis marciduſque Nehemias Pincerna Regi miniſtraret, atque ab ipſo de maciei, ac triſtitiæ cauſa rogaretur Nehem. 2. reſpondit: *Quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus ſepulchrorum Patris mei deſerta eſt, & portæ eius combuſtæ ſunt igne?* Roganti vero Regi iterum: *pro qua re poſtulas?* reſpondit: *Si videtur Regi Bonum, & ſi placet ſeruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudæam ad ciuitatem ſepulchri Patris mei, & ædificabo eam.* Et poſt Pauca. *Et placuit ante vultum Regis, & miſit me.* Ergò credecim antea annis non fuerat à Rege eodem extruendæ vrbis facultas; alioqui fruſtranea facultatis petitione Regis fauorem abſumeret. Reſp. Sanctius non petiiſſe à Rege ædificij, ſed abſentiæ ſuæ, Regi, & Reginæ quibus gratiſſimus erat, ingratiſſimæ facultatẽ. Repugnat ſolutioni textus, qui ait non abſentiæ ſolùm ſuæ, ſed & vrbis ædificandę petitam à Nehemia facultatem, quia deſerta erat, ac diruta, portiſque combuſtis Impugnatur ſecundò: quia Eccl. 49. n. 15. vbi qui aliquid in templi vrbiſque inſtauratione præſtiterunt laudantur, de Eſdra tacetur, totaque erectæ vrbis gloria Nehemiæ tribuitur. Sic textus habet: *quomodo amplificemus Zorobabel: nam & ipſe quaſi ſignum in dextera manu. Sic & Ieſum filium Ioſedech, qui in diebus ſuis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum ſanctum Domino paratum in gloriam ſempiternam. Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros eorum, & ſtare fecit portas, & ſeras, qui erexit domos noſtras.* Reſp. Sanctius operis gloriam non ei qui fundamenta ponit, vt inſtauratæ vrbis Eſdras, ſed qui faſtigium, vt ibi, & Daniel 4. n. 55. Sed quidem, cum cæptis addere minus glorioſum, ac difficile ſit, quam inchoare, neſcio cur perficientibus, non autem inchoantibus, operis gloria ſit potius tribuenda: quin in Romulo, Didone, Nino Nembrodo, Alexandro, Seleucho, Antiocho, atque aliis oppoſitum eruditè oſtendit Salianus. Imò Eſdras, qui rebus templi faſtigium impoſuit, vt nuper videbamus iuxta eam Sanctij regulam, omittendus ab Eccleſiaſtico in eis laudibus non foret. Sed certè ibi, vel qui opus à capite, vt aiunt, ad calcem perduxerunt, vel qui inchoarunt laudandi ibi dicendi ſunt: quare vrbis inſtaurationem non ab Eſdra, ſed à Nehemia regia facultate primum obtenta inchoatam: quod ſatis ad ſententiæ huius confutationem ſuperque fuerit. Denique, vt benè Pererius, ſi eo anno 7. facta fuiſſet reædificandæ vrbis facultas cum inde planior, facilioreque: eſſet vſque ad rei euentum ſeptuaginta hebdomadum computatio, adeò antiquis præſertim perplexa in eam ſententiam antiqui interpretes vulgatius irent; iuit autem ex antiquis nemo, adhuc Theodoretus recitatus, vt videbimus infra.

3 Dicendum eſt hebdomadum initium ab anno 20. Regis Artaxerxis Longimani eſſe capiendum, quo primum datam eſſe erigendæ vrbis oſtendimus hactenus facultatem. Ita Iul. Afric. S. Annal. teſte, & aliis ſententiis reiectis conſentiente Hieron. in 9. Daniel, Chryſoſt. hom. 3. aduerſus Iudæos, licet alio reſpiciens in euerſione Hieruſalem eas terminet. Theodoret. ſupra explicans locum oppoſitum, vbi coniunxiſſe Eſdram cum Nehemia, ait, quia vtriuſque memoria facta eſt ædificatio illa. Beda 3. allegor. expoſitionis in Eſdram cap. 16. ac 6. de ætatibus mundi in Artaxerxe Longimano anno 3496. & de ratione tempor. c. 7. Rupertus 15. in Daniel. Euſeb. in chronico, vbi ſub conditione de alia ſua opinione loquitur, Carthuſian. in 9. Daniel. Author. hiſtor. Scholaſticæ in Danielem c. 10. Zonar. tit. 1. Annal. S. Antonin. 1. part. chronicæ tit. 3. c. 8. Galatin. 4. de arcanis c. 16. Ioann. Lucid. 7. de emendat. tempor. cap. vlt. Perer. 10. in daniel. ad hunc verſum opin. 7. & lib. 11. 3. p. diſp. Villap. tom. 3. p. 1. lib. 3. c. 3. communem ſententiam vocans Salmeron. tom. 1. prolog. 43. Tornel. ætate 6. mundi anno 70. num. 7. & anno 163. num. 4. Gordon. anno 20. Artaxerxis, & capite 15. numero 17. Soar. tom. 3. part. diſput. 1. ſection. 2. Cornel. in 9. Daniel. Salianus tomo quinto, annomundi 1609. Ratio à priori eſt: quia hebdomadæ iſtæ inde inchoandæ ſunt, vnde primum ſermo, ſeu facultas erigendæ vrbis primùm prodiit: at ex vigeſimo anno hoc Artaxerxis Longimani prodiit primum, vt hactenus oſtendimus ? ergò inde ſunt hebdomadæ inchoandæ. Ratio à priori quia ab hoc anno ad Chriſtum ducem decurrerunt hebdomadæ 69. ad eiuſque mortem dimidia, & reliqua ibi prædicta à Daniele, in vna ſiue

ſiue poſtrema è ſeptuaginta euenerunt, vt ſtatim ſingulas oraculi particulas exponentes oſtendemus: ergo ab eo anno hebdomades 70. numerandæ ſunt. Aſt ardua hic ſe attollit difficultas, quæ eſt principium proximæ impugnatæ opinionis fundamentum. Nam ab hoc anno, qui, vt demonſtrat Perer. 11. in Daniel. p. 1. q. 4. concurrit cum anno 4. ſeu vltimo olympiadis 83. vſque ad Chriſti ducis cædem, quæ contigit, anno 4. ſeu vltimo Olympiadis 202. his etiam extremis inclusis intercedere tantum 119. Olympiades, & vnus annus, ſiue anni 477. decem nimirum minus, quam continent hebdomadæ. 69. cum dimidia circiter, vt futura prænuntiatur à Daniele. Quod autem anno vltimo olympiadis 202. Chriſtus fuerit cæſus teſtatur Euſeb. in Chronico anno 18. Tiberij Cæſaris: vbi eo anno ab Ethnicis hiſtoricis notatam eſſe ſolis moriente Chriſto defectionem mirabilem plurium, & præcipue Phlegonis excellentiſſimi olympiadum computatoris teſtimoniis obſeruat. id quod ex Euangelio, & aſtronomia demonſtrat Pererius 11. in Daniel. p. 1. q. 7. à §. *Terræ rationi fides*, quo circa Lucidus citatus deceptus (ſicut alij Nobiles Scriptores (in quibus Driedo, Nauclerus, Valerius, Anſelmus, Michaël Medina, Sixtus Senenſis) chronologiæ à Ioanne Annio Viterbienſi vere confictæ ampliſſimis nominibus Metaſthenis, Philonis, & ſimilium, quibus inſcribitur, falsò docet ab anno 20. Artaxerxis ad Chriſti mortem fluxiſſe annos 487. ac quarto poſt anno 490. in quo hebdomades 70. complerentur. Sed has tantorum nominum laxuas, & Ioanni Annio, & eius Chronologiæ magno, & iudicio, & eruditione detraxit Perer. noſter 11. in Daniel. p. 1. q. 1. §. *Sed cur nos*, & repugnantias in ea chronologia plures, & cum his, quæ veteres, quibus adſcribitur, docuerunt contradictiones non pauciores deprehendit.

4 Dices: In tanta Regum, annorum, & olympiadum multitudide decem annorum errorem facilè hiſtoricis obrepſiſſe corrigendum huius oraculi euentu certiſſimo. Contra vero: quia olympiades per quadriennia ſingula à toto orbe obſeruata numerataque ſunt: quare in eis error eſſe non poteſt, ſicut poterat in Regum Chronologia. Secundo: quia vtraque in hac annorum ſupputatione concordat: quare ſibi mutuo certam faciunt fidem. Dices ſecundo cum Gerardo Mercatore, Turcellino, & Samerio in ſuis Chronologiis Artaxerxem à Xerxe Patre belli cauſa à Perſide diſcedente Decem retro annis regni collegam dictum Perſarum more notato ab Herodoto lib. 1. & 7. init. quo difficultas componitur. Etenim Themiſtoclem, qui obiit teſte Diodoro lib. 11. & Euſeb. ineunte olympiade 77. capite à Græcis damnatum ad iam regnantem Artaxerxem confugiſſe docent Tucydides, Charon, Lampſacenus apud Plutarchum in eius vita Cicero 10. epiſtolar. ad Atticum, Æmilius Probus in eius vita Philoſtratus 1. de vita Apollonij c. 19. quare ſine olympiadis 76. vt minimum, regnabat iam Artaxerxes. Sed hæc opinio ſola affinium nominum Artaxerxis, & Xerxis æquiuocatione nititur. Nam Xerxem fugiſſe Temiſtoclem docent Ephorus, Dimon, Clytarchus, Heraclides apud Plutarchum ibi, Diodorus citatus. Secundo ſemel tantum belli cauſa Xerxes pedem ex Aſia extulit initio Olympiadis 74. teſte Diodoro in exordio lib. 11. retulitque eodem anno, vt notat Salianus citatus num. 8. quare dicendi collegam regni non neceſſitatem, ſed neque occaſionem habuit. Quod ſi eam neceſſitatem dicas Darium ætate maturiorem filium diceret, ſicut vltimo regni ſui anno dixiſſe referunt Diodorus, & Iuſtinus, non Artaxerxem natu minorem. Sed poſt habuerit Darij primogenituram, & maturitatem regimini maiorem ab anno primo olympiadis 75. ad 20. prelati Artaxerxis, qui concurrit cum vltimo Olympiadis 79. eſtque hebdomadum initium fluxere terdecim; indeque ad vltimum Olympiadis 202. reperies annos 492. qui faciunt 70. hebdomadas, & annos duos, non 69. & dimidiam circiter, vt ait Danielis oraculum. Vnde rurſus, non decem, vel vt ſummum, vndecim annis tantum regnaſſet cum Patre Artaxerxes, vt contendis, ſed ſexdecim, vel ſeptemdecim: quos totos ſine authore, imò contra omnes, Perſarum monarchiam minorem facere teneris: item negare annum primum regni Artaxerxis concurrere cum 1. Olympiadis 79. ac vigeſimum cum vltimo Olympiadis 83. contra omnes hiſtoriographos peritos, quod eſt totam hiſtoriæ, & Chronologiæ fidem euertere. Denique iuxta horum doctrinam annus 7. regni Artaxerxis viuente Patre fuit: quare eo non Rex ille, ſed regni pater ni collega erat: Malè ergo annus hic regni Artaxerxis 7. numeratur 1. Eſdræ c. 7. Reſpondetur ergo per annos ſolares difficultatem oppoſitam componi minime poſſe; facile vero per lunares, quorum ſinguli ſolaribus vndecim diebus minores ſunt: quare annis 477. ſolaribus duodecim, & duos circiter menſes plures ex lunaribns contienenter: vt conſtabit reducenti ad annos Lunares 354. diebus conſtantes 4247. dies, quibus anni 477. Lunares à totidem ſolaribus ſuperantur. Quare efficient anni 477. Solares annos Lunares 489. & tres fere menſes: quod ſi annus eorum primus non includatur in ſupputatione, ſed ſit terminus numerandi extrinſecus, atque inſuper annus etiam extremus non numeretur eadem ratione, & quia Chriſtus 14. die menſis primi Lunaris Hebræorum obiit, reperientur ab exitu ſermonis ſeu facultatis regiæ de erigenda Hieruſalem deſignato, vt hebdomadarum initio, ad Chriſti necem fluxiſſe annos lunares 487. & tres fere menſes, qui faciunt ſexaginta nouem hebdomadas cum dimidia, & pluſculum, ſicut Danielis oraculo edocebamur. Excludi vero terminos in ſupputationibus æque familiare, atque includi non ſolùm in prophanis, ſed & in ſcripturis ſacris eſt. Sic Lucæ 9. dicitur fuiſſe transfiguratio octo diebus poſt ſermonem Domini de paſſione; Matth. vero 17. & Marci 9 poſt dies ſolum ſex, quia hi excluſiua ſupputatione vſi ſunt, ille vero inclusiua. Quod autem anni hebdomadarum iſtarum lunares eſſe debeant conſtat: quia eis ſolùm veritas oraculi comprehendebatur, vt vidimus. Secundò, quia Hebræis, ad quos oraculum dirigebatur primo, familiaris erat. Tertiò: quia ideo dicuntur hebdomades abbreuiatæ. Quarto: quia ſic magnorum Patrum, Doctorum, & Hiſtoriographorum opinio fert. Hieronymi, Theodoreti, Ruperti, Bedæ, Alberti, Carthuſiani, Iulij Africani, Authoris hiſtor. Scholaſticæ, Ioannis Zonaræ, Salmeronis, Saliani vbi proximè, ac Pererij lib. 11. in Daniel. 3. p. initio.

CERTAMEN IV.

De terminis hebdomadarum.

1 TOto deinceps oraculi textu termini hebdomadarum deſignantur: *vſque ad ducem Chriſtum hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt.* Rabbini, præcipuè Salomon, hebdomadas ſeptem ſeorſim à ſexaginta duabus capiendas docent, quia diuerſum terminum, atque iſtæ habent, vt ſcilicet à templi excidio primo vſque ad reædificationem, ſiue primum annum Cyri regnantis terminentur priores ſeptem: atque inde dictæ ſexaginta duæ in eius euerſione ſecunda per Titum. Ita vt dictio ſequens: *& rurſum ædificabitur platea, & muri.* hebraicè *& reuertetur ipſa*, ciuitas, *& ædificabitur platea, & ſuſſatum*, ſiue, *foſſa, & murus.* vt vertunt ſeptuaginta, Leo Hebræus, Galatin. Cornel. & alij plures, iungenda ſit illi *hebdomades 7.* quoad vrbis inſtaurationem conſentit Cornel. noſter vbi proximè pag. 93. §. *Itaque cum certum* ob illam ſeptem hebdomadas ſeorſim numerari, atque dictiones haſce coniungendas eſſe cum non poſſit cum ſexaginta duabus: quia minori multo tempore ab exitu ſermonis erecta vrbs fuit. Sed certè ab exitu ſermonis, quem & initio hebdomadarum, quod ipſe nobis cum conſtituit multo breuiori, quam ſeptem hebdomadum tempore erecta, reſtitutáque vrbs fuit: nam muri diebus 52. nec ſegnius reliqua, vt

patet Nehemiæ,ſiue Eſdræ 2.c.6.num.15.Secundo,vt ipſe contra Rabbinos obſeruat verſu: *Itaque ex textu Hebræo*,nihil eſt in hebræo græco,aut latino textu, quod indicet reædificationem vrbis alteri hebdomadum numero fore iungendam:cum ſit dictio ſeiuncta, atque ab aliis diſpuncta duobus, vel potius vnico puncto: quin ſit in aliqua ex eis dictionibus verbum aliquod perſiſtentiæ,vt falſo volebat Rabbinus.Venerabil. Gaſp.Sanctius n.124.fatetur ſeptem hebdomadas ſeorſim numeratas, quia vrbi reædificandæ impenſas. Sed fundamentum ignorò cum oppoſitum potius ex Nehemia citato loco conſtet. Pererius 10.in Daniel.verſu: *de illo ſeptem hebdomades*,ſeorſim numeratas ait, quia earũ initio vrbs erecta,ſine vero Eſther gratia apud Artaxerxem inualuit. Verum ſexto anno regni Artaxerxis, id eſt quatuordecim ante exitum ſermonis, & hebdomadarum initio Eſtherem gratia apud Artaxerxem valuiſſe, eique nupſiſſe ex Ioſepho,& aliis oſtendit eruditè Salianus anno mundi 3596.

2 Sed ad Rabbinorum deliria veniamus. Et primò coniunctio illa dictionum errori ſuo nequit inſeruire cum in extrema de vrbis,non autem templi, erectione agatur. Secundò ab euerſione templi prima, vnde iſti hebdomades inchoabant ad reædificationem adhuc inchoatam,& captiuitatis Babylonicæ ſolutionem anno 1. Cyri factam fluxere anni ſeptuaginta ideſt hebdomadæ decem. Atque Rabbinorum ſententia in Megilla c 1. ſeptuaginta octo anni: ideſt vndecim hebdomadæ, & annus vnus: quomodo ergo ſeptem hebdomadæ in templi erectione adhuc inchoata terminantur, ſi vnde Rabbini volunt inchoentur?Secundo reædificatio abſolutum ædificium abſolute ſignificat,quæ contingit, vt ſupra vidimus anno 6. Darij Hyſtaſpis: nempe annis 40.poſt inchoationem, ſiue ſex hebdomadis aliis anno vno minus ſupra vndecim illas,ſi annum, qui ſupererat adiungas. Vbi ergo veritas huius partis oraculi in ſententia Rabbinorum? Ob hæc Rabbini alij aiunt decem priores terminari in templi reædificatione: Sed quid eſt in toto textu, quoad ſeorſim accipi, & terminari hebdomadas decem ſonet? Item ad inchoationem reædificationis templi,& primum Cyri annum fuere in eorum computatione anni octo ſupra decennia ſeptem. In alia vero eorundem computatione ab excidio ad Baltaſarem, qui Cyro præceſſit in Babylone,fluxere anni 49.& inde ad Cyrum anni tres, qui omnes quinque ſolùm hebdomades decenniorum faciunt, & annos duos. Inſuper cum exitus ſermonis hebdomadæ,vt vidimus,contigerit anno 20. Arthaxerxis longimani,& 4.Olympiadis 83. Cyrus autem cæperit regnare in Babylone anno 1.Olympiadis 55. annis ſcilicet 116. retro: quomodo terminabantur hebdomades futuræ in eum qui præceſſit?Denique viſio, & oraculum hoc vanum eſſet,ſi ad Cyrum terminarentur iam regnantem, & eo ipſo anno, quo facta eſt ab illo,& populi libertas,& erigendi templi facultas atque editum oraculum.Ad hæc Cyrus occiſus à populo non fuit, nec dux fidelis hebraicè *Magid* ſicut forè dicitur Chriſtus, de quo hic:nec defecere cum eo ſacrificia, & populi libertas,ſed reuixerunt:nec venit iuſtitia ſempiterna,& peccatorum exterminium,& finis quorum pleraque eos impugnant, qui hebdomades eaſdem terminant in Zorobabele, Ieſu Ioſedech filio,Nehemia, Herode Agrippa:in quibus contradictiones plures deprehendemus infra. Sed Ieſu,& Zorobabel ſoluti è Babylonia populi duces,Nehemias vero vrbis etiam erector vncti nuſquam fuerunt, ſeu Chriſti; nihilque ſiue eis, ſiue eorum tempore euenit ex his,quæ de Chriſto,eiuſque tempore hic prænuntiantur neque in eis potius quam in Cyro ſeptem hebdomadas terminari chronologia patietur,cum poſt Cyrum fuerint, & Nehemias cum exitu ſermonis coincideritreliqui illum anteceſſerint. Nec magis Chronologia patietur in illis terminari hebdomadas ſexaginta duas ſequentes, vt dictionem ſequentem explicantes monſtrabimus.

3 Senſus igitur eſt:*uſque ad ducem Chriſtum hebdomades ſeptem,& hebdomades ſexaginta duæ erunt.* id eſt, *hebdomades erunt ſexaginta nouem.* Quod non ita clarè dictum eſt,inquit Hieronym.ad c.45.Ecechiel. & contra Iouinian.prophetico modo ſemper obſcuriori,vel iuxta vſitatam Hebræis, & Latinis phraſim, qua minor ſumma maiori ſæpe præponitur,vt cum dicimus *quatuor* vel *viginti* pro *viginti quatuor*. Illud vero: *Et rurſum ædificabitur platea,& murus*, ſolum denotat intra earum hebdomadum tempus vrbem eſſe erigendam,id,quod ſiue initio, ſiue fine,ſiue quauis alia earum parte euenerit verè prænuntiatur. Solus ergo dux populi Chriſtus terminus ſexaginta nouem hebdomadarum aſſeritur. Ecquis autem is fuerit videndum reſtat.Et ſanè Rabbini Cyrum, aut aliquem ex memoratis eum eſſe defendere nequeunt. Nam ab excidio primo ad ipſum decem ſolum hebdomadæ, vel vndecim eorum ſententia fluxere, vt vidimus nuper. Dicunt autem terminum ſexaginta duarum hebdomadum eſſe ſecundam templi vaſtationem per Titum. Sed contra:quia nihil eſt in textu, quod id, vel ſonet,ſed vnicum terminum ducem Chriſtum deſignat. Contra ſecundo:quia teſte Ioſepho 7. de bello Iudaico c. 18. à Dauid ad Titum fluxere 1179. vt per partes probat lib.20.antiquit.c.8. ex quo nunc ſi demus annos 470.qui fuere à Dauid vſque ad Sedeciæ annum vltimum,quo euerſum eſt templum, vt patet ex libris Regum,reliqui erunt anni 709.ideſt plus vna, & centum hebdomadis non ſexaginta duæ. Quod ſi has dicas computandas à reædificatione, vel inchoata, vel abſoluta templi,vel decem, vel quindecim, & dimidiam hebdomadas detrahes,quas ab excidio templi ad eius reædificationem interceſſiſſe oſtendebamus num.2.remanebunt hebdomades octoginta quatuor, & dimidia. Quod ipſum ex olympiadum ſupputatione argumentum fiet.Nam inchoata eſt templi erectio anno 1. Cyri, & 1. item Olympiadis 55. repetita vero ſecundo anno Darij Hyſtaſpis ſeu quarto Olympiadis 65. Sexto vero Darij anno,ſiue vltimo olympiadis 64.abſoluta reædificatio.vrbis verò erigendæ facultas facta fuit olympiade 83.anno vltim.à Cyro ergo ad facultatem eiuſmodi decurrerunt Olympiades 29. ideſt anni 116. qui numerus per Regum annos æqua certitudine,& conſtantia Chronologiarum deducitur. Nam Cyrus regnauit 30.annis: ſucceſſor Cambyſes,& Magi annis 8. Darius Hyſtaſpis 36. Xerxes annis 22. incluſis. Tyranni Artabani menſibus 7.Artaxerxes longimanus annis 20. vſque ad facultatem de erigenda vrbe factam, qui omnes numerum 116.annorum faciunt, hebdomadas vero 16. cum dimidia,& annum dimidium. Ab huius autem facultatis tempore ad Chriſti baptiſma tribus, & pluſculum ante eius mortem annis fuere hebdomades 69. vt ex dictis liquet, inde ad excidium templi per Titum anni 43. qui faciunt ſex alias hebdomades cum dimidia,& anno dimidio,quas omnes hebdomades ſi componas ab inchoata reædificatione templi ſiue à Cyro ad excidium templi per Titum hebdomades 92. non autem 62. interceſſiſſe reperies, & duos inſuper annos: quod ſi à templi ruina prima inchoare velis addendæ erunt hebdomadæ decem, quæ ab illa ad eius erigendi facultatem,& populi libertatem à Cyro factam fluxere, & inuenies centum duas hebdomadas interfuiſſe, annosque duos:quod cum Ioſephi ſupputatione fere concordat; ſed à ſexaginta duabus hebdomadis Rabbinorum diſcordat magis.

4 Euſebius,& Theodoretus citati, atque ex ipſis alij Chriſtum ducem harum 69.hebdomadarum terminum Hircanum vltimum è legitimis Pontificibus è familia Aaron,qui, & vnctus fuit,& dux populi, ſicut Pontifices reliqui poſt ſolutam Babylonis captiuitatem, maximè à Machabeorum tempore.Sed tamen, ſi ab initio hebdomadis per nos Euſebium, & Theodoretum conſtituto cert.3.n.3. eas ordiamur quatuordecim hebdomadæ minus quam 69. inuenientur; ſin autem à Cyri, qui 116. annis præceſſit,nempe anno 1.olympiadis 55.Duæ fere hebdomadæ ſupra 69.ad Hircanum erunt:cum 500.fere poſt Cyrum annis teſte Ioſepho 14. antiquitatum,ideſt Olympiade 179.vel 186. iuxta Gaſpar.Sanct.num.114. à Pompeio Magno comprehenſo

Ariſtobulo

Ariſtobulo fuerit Pontifex confirmatus, Quod autem vnctus Hircanus fuerit in Pontificem, atque ex hebræo aliqui pro voce, *chriſtus* legant *vnctio*,nil præſtat.Etenim vnctus, & vnctio anthonomasticè Ieſus ſolum dicitur. Item quidnam in Hircano dignum tanto oraculo fuit? Aut quid eorum, quæ ſequuntur in eo reperiemus. Id quo Herodem Aggripam, quem hunc ducem Chriſtum eſſe Iudæi volunt ab ea reiicit dignitate, vt dictionibus ſequentibus oſtendemus. Terminus ergo harum 69.hebdomadarum Ieſus fuit Chriſtus,vnctuſque anthonomasticè oleo lætitiæ deitatis præ omnibus aliis, dux,Saluatórque omnium iuxta Iſai.55. *Ecce dedi eum teſtem gentibus,ducem, & præceptorem populis.* Micheæ 5. ex quo Matth. 2.*Ex te enim* (Bethleem vbi Ieſus de Tribu Iuda iuxta antiqua oracula prodiit)*exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Quo autem Chriſti tempore fuerint hebdomadæ iſtæ 69. terminatæ. Hyppolitus Martyr teſte Hieronymo, Cyrillus Hieroſol. catecheſi 12. Tertullian. contra Iudæ.c.2.illas in eius natiuitate terminant. Sed tamen cum certum omnino ſit cæſum fuiſſe Chriſtum olympiadis 202.anno vltimo, ad quem ab vltimo Olympiadis 83. vnde enumerantur hebdomadæ interceſſere anni ſolares 475. Lunares vero 487. terminis exclusis,qui faciunt 69. hebdomadas cum dimidia,vt vidimus cert.3.n.3. & 4. certumque item ſit ex Euangelio Chriſtum triginta tres circiter annos natum fuiſſe occiſum:hebdomadæ ab exitu ſermonis ad Chriſti natiuitatem non 69. iuxta Danielis oraculum, ſed 65. numerabuntur. Communis ergo Patrum, & interpretum ſententia eſt has 69.hebdomadas terminari in Chriſti baptiſmate,ex quo declaratus dux, Doctorque populi à Patre fuit illis verbis Matth. 3.*Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui:ipſum audituni.* Ex quo etiam tempore docere, ac ducere populum, ſua prædicatione,& exemplis cæpit: cum hactenus priuatam egiſſet vitam.Facta vero hæc ſunt ætatis ſuæ anno 30. vt ibidem notatur,qui fuit primum olympiadis 202. tribus circiter ante necem annis quos docendos, ducendoque populo totos impendit. Ab anno vero vltimo Olympiadis 83. ad annum illum fluxere olympiades 118. & vnus annus,quæ excluſis terminis faciunt annos Solares 473. Lunares vero 483. quos continent hebdomadæ 69.Lunarium annorum, idcirco in Chriſto baptizato hebdomadas haſce terminari docent Euſeb. 8. demonſtrat. cap.2. expoſit. 2. Zonar. 1. Annal. Theodoret. ad hunc locum, Albert. M. & Dionyſ. Pererius 2.d eum locum, Salmeron Prologom. 43.Ioannes Lucidus ſupra,venerabilis Gaſpar Sanctius num.119.

5 Verſu 26. *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus.*Alia hic cum Rabbinis concertatio Cum enim, quos Chriſtos duces deſignarunt:nempe Cyrus, Ieſus, Ioſedech. & Mehemias mortui fuerint non occiſi; de alio Chriſto hæc intelligunt nimirum plures pſeudo Chriſtos accerſunt, vt verum abiiciant:verum, & prænunciatum Chriſtum Ieſum noſtrum probantes, dum abiiciunt, vt ſequenti dictione patebit. Dicunt Aggripam Herodem eſſe Chriſtum occiſum euerſionis Hieroſolimitanæ tempore à Romanis, quod Iudæis faueret tempore excidij per Titum; ſed Ioſephus.3. de bello Iudaico à cap.3. præcipuè 16. tradit Agrippam à Iudæis per contumelias ab vrbe expulſum,quod oratione habita eis, vt ſe Romanis dederent,ſuaderet,à Romanis receptum, opibuſque,& honore auctum,cui concordat Tacitus 5. annal.multiſque vrbis excidio annis ſuperſtitem aſſerit idem Ioſeph.lib. de eius vita. Secundo ab initio hebdomadum Rabbinico ad hoc excidij tempus intercedunt plus centum, & vna, vel duabus hebdomadibus,vt oſtendimus n.3.quare delirium hoc Chronologia non patitur. Tertio: magna oraculi æquiuocatio indignaque eſſet alterum viuentem, alterum occiſum Chriſtum eodem,& ſermone,& nomine deſignare. Quartò à populo negandus Chriſtus occidendus dicitur dictione ſequenti. Aggrippa vero non negatus, ſed magno in honore à Iudæis habitus ab his Rabbinis traditur.Hoc argumentum impugnat Theodoretum, & Euſebium,qui aiunt Hircanum ab Hærode cæſum. Secundo:cum hic cæſus fuerit teſte Euſebio olympiade 186. teſte vero Ioſepho Olympiade 187. ſi recurratur ad exitum ſermonis anno vltimo Olympiadis 83. interſunt ſolum 103.Olympiades,quæ faciunt nedum 69. hebdomades; ſin autem ad Cyrum recurratur hebdomades plures quam 69.reperiuntur,vt n.4. oſtendebamus:quare nec ſexaginta duæ,vt vult Theodoretus, ſiue à Cyro,ſiue à Dario Hyſtaſpis initium capiatur. Sed Theodoretus adhuc peius ſexaginta duas hebdomadas terminans in morte Hircani,ab ea ad Chriſtum docentem,ſeu ducentem ſeptem alias terminet, cum tamen inde ſexaginta anni,ſeu prope nouem hebdomadæ, vt vult Pererius ad Chriſti baptiſma, & prædicationem, ſeu ducatum,vt autem ego reor pluſculum decem hebdomadis effluxerint,ex quibus, & aliis hebdomadis 69. quæ ab exitu ſermonis ad Hircani cædem numerantur,vt vidimus, conſtent 69.hebdomadæ, quas diximus in Chriſti baptiſma, & prædicationem terminari. Peccat ſecundo Theodoretus: quod non de eodem Chriſto,& adueniente duce,& cæſo prophetiam interpretetur. Stet ergo Chriſtum,& ducem, & occiſum eundem eſſe,noſtrum ſcilicet Ieſum, qui poſt hebdomades ſexaginta duas numeratas ſupra ſeptem initio verſus 25. ideſt poſt hebdomades ſexaginta nouem pro omnium ſalute fuit occiſus. Ita commentatores veteres, etiam Hebræi.Tertullian.contra Iudæ. c. 8. Origen. ad c. 21. Matth. Affricanus, Cyrillus Hieroſol. Petrus Commeſtor author hiſtor.Scholaſticæ,Rupertus,Driedo, Galatin. Salmeron, Soar. Perer. & venerabilis Gaſpar Sanctius.

6 Sed tamen quo tempore poſt hebdomades ſexaginta nouem,ſiue qua ſeptuageſimæ hebdomadæ parte prima an media, an vltima Chriſtus fuerit cæſus quæſtio interpretibus eſt. Venerab. Gaſp. Sanct. n.100. Salianus citatus vt certum iam apud interpretes docent fine ſeptuageſimæ hebdomadæ,quæ ideo Chriſti morte terminetur occiſum fuiſſe. Id quod probabile reputat Pererius citata p.3.§.*Altera ratio*, eſtque ſententia Iulij Africani,Bedæ,& Ruperti. Cæterum Chriſti mortem circa hebdomadis ſeptuageſimæ medium contigiſſe tenendum omnino eſt cum Ioanne Lucidoui probabile reputat Pererius proximè, §. *Poſtremo exiſtimamus.* Id quod probatur primo:quia hebdomadæ 69. annorum lunarium in Chriſti baptiſmate rigore ariſthmetico terminantur: tribus autem poſt annis totis prædicaſſe Chriſtum certiſſimum eſt,vt inde ad mortem eius tres circiter anni decurrerint,vt oſtendit Pererius lib. 11. p. 1.q.7.§.*Quinta ſententia*,& ex euangelio Ioann. §. *Quartam rationem*:ergo Chriſti mors circa medium hebdomadæ ſeptuageſimæ contigit.Secundo:morte Chriſti ceſſarunt ſacrificia:at hæc in dimidio hebdomadæ ceſſatura dicuntur,ſcilicet ſeptuageſimæ:ergo tunc Chriſtus fuit occiſus.Reſpondent Beda, & Rupertus ceſſaſſe ſignificatiuè Chriſti baptiſmate, quod fuit indubitatum ſignum defectionis eorum.Contra:quia baptiſma contigit fine ſexageſimæ nouæ hebdomadæ: ergo ceſſatio hæc ſignificatiue ſacrificiorum per illud non fuit in dimidio ſeptuageſimæ. Reſponder Pererius hebdomadæ dimidium non deſignari cuiuſnam ſit,ſed quamuis ex annis ſeptem incluſis in 70.hebdomadis:quare non deſignari dimidium ſeptuageſimæ:quod ſi anno 4. hebdomadis ſexageſimæ nonæ hebdomada vna compuretur in dimidio eius,& Chriſtus mortuus, & ſacrificia ceſſaſſe deprehenditur.Contra:quia poſt 69. hebdomadas Chriſtus occidendus dicitur atque poſt illam numeratur vna hebdomada, quod ſcilicet ſeptuaginta, de quib.loquitur Daniel, compleantur, & in cuius dimidio hoſtia, & ſacrificium ceſſet: ergo dimidium hebdomadæ non eſt hebdomadæ compactæ ex parte ſexageſimæ nonæ,& parte ſeptuageſimæ,ſed ſeptuageſimæ ipſius:quare tunc obiit Chriſtus. Secundo ſolutiones iſtæ non defendunt in fine ſeptuageſimæ hebdomadæ Chriſtum fuiſſe occiſum,ſed in huius medio,vt contendimus, & fine alterius ex initio huius, & fine ſexageſimæ nonæ compactæ. Dicit ſecundo Perer.us dimidium hebdomadæ

domadæ non significare illius medium, sed vnam illius medietatem: extrema autem pars medietas est: quare quod huius fine euenit, in dimidio hebdomadæ euenit. Sed contra: quia licet finis cuiusuis durationis in extrema medietate claudatur, nihil quod eius fine euenit in dimidio illius dicitur euenire. Secundo: quia quando dimidium alicuius temporis, in quo dicitur aliquid peragendum iungitur alteri durationi, nequit intelligi de extremo dimidio, siue medietate temporis illius, sed de medietate prima: ast hic hebdomas vna iungitur sexaginta nouem hebdomadis, cum quibus complet septuaginta, & in dimidio illius dicitur Christus occidendus: seu quod idem est sacrificium & hostia cessatura: ergo in prima illius medietate futura prænuntiantur. Maior est certa. Etenim si quis vno, vel pluribus annis, & dimidio sequentis vlterius dicat se soluturum centum in prima mediate illius anni dicit se soluturum, teneturque soluere, eaque elapsa à creditore non satisfacto cogi potest vt soluat. Probatur tertio conclusio: quia hebdomada vna post sexaginta nouem terminatas per ipsum in baptismate Christi non solum dicitur morte Christi cessatura sacrificia, sed alia facienda, quæ tribus post annis peractæ sunt, vt confirmatio testamenti, & pacti Christi per se, perque Apostolorum prædicationem, vt mox videbimus: ergo hi etiam anni tres circiter in vna illa hebdomada septuagesima continetur: quare in eius medio occisus euincitur Christus non in fine. Probatur quarto: quia dubium non est, quin prophetia hæc fit etiam de his, quæ tribus circiter annis à Christo per se, perque suos peragenda erant: ergo & hi in 70. hebdomadis etiam continentur: siquidem de his, quæ hebdomadibus septuaginta euentura erant oraculum hoc esse constat ex num. 24. Respondet Pererius citato §. *Postremo existimamus.* in scriptura, numeros, vt sic loquar, fractos, & qui non perueniunt ad vnitatem temporis, secundum quam numeratur frequenter omitti. Sic 3. Reg. 2. annis 40. regnasse dicitur Dauid sex mensibus vlterioribus, quibus regnasse traditur 2. Reg. 5. omissis: quia per vnitates annorum numerabatur primo loco. Sic Genes. 15. peregrinatio Abrahami dum ab ortu Isaac ad exitum de Ægypto per 400. annos futura prædicitur: missis eadem de causa quinque peregrinationis annis vlterioribus. Sed contra: quia hebdomades istæ præcisæ, determinatæ, abbreuiatæ dicuntur, atque ideo lunarium annorum breuiorum solaribus fore dicit Pererius. Cum hæc verò præcisione non est locus vlteriori tempori, qui esse posset sine illa, vt non arithmetico rigere, vt ipse vult, septuaginta hebdomadæ annorum lunarium rigorosæ in Christi morte terminatæ, illis tribus circiter post annis terminentur. Respondet tandem §. *Hanc igitur si ampletiamur*, septuagesimam hebdomadam computandam esse ab anno 483. ad 493. inclusiuè: sicque in dimidio illius cessasse sacrificium, & hostiam, & Christum fuisse occisum. Sed, vt quid adeo longa hebdomada septuaginta abbreuiatas esse non finit? Secundò ipse contra Rabbinos, & alios fidem, & comprobationem oraculi hebdomadas omnes æquales esse oportere merito statuit. Denique in has angustias Pererium coniectat error ille de expletione 70. hebdomadarum annorum lunarium rigore arithmetico tempore mortis Christi, cuius oppositum ostendimus cert. 3. num. 4. & hoc num. sub init. Stet ergo in dimidio, seu medio septuagesimæ hebdomadæ Christum occisum, & defecisse hostiam, & sacrificium, eamque hebdomadam præcisatione Apostolorum in Iudæa triennio post integro fuisse absolutam, & terminatam, vt fusius statim dicemus.

CERTAMEN V.

Reliquorum explicatio, & omnium conclusio.

1 Pergit versus 26. *Et non erit eius populus, qui eum eſt negaturus.* Dicant Rabbini Hircanum ne, aut Aggrippam, quos nunc etiam venerantur, an Iesum nostrum solum negarint, vt sic Messiam etiam probent? Ioann. 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt*; c. 9. sanato cæco succensentes improperabant. *Tu discipulus illius ſesinos autem Moysi discipuli sumus.* c. 19. *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Ad Pilatum vociferabantur, & Lucæ 19. *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Hebræa: *veeno & non ei.* Syra. & *non eſt ei.* Galatin. lib. 4. c. 18. & *non erit ei*, omnes in eandem recidunt sententiam Oseæ 1. denuntiatam: *Voca nomen eius, non populus meus: quia vos non populus meus, & Ego non veſter Deus*, Venerab. Sanct. *Et non erit eius, vel ei populus*, id est: gladio, inquit, & excidio superstes populus dissipabitur, quem sensum potius indicat Bacabi lectio: *Et non erit populus.* Septuaginta: *Et non erit ei iudicium.* idest benignum in renuentes subditos, in quos, tanquam in hostes animaduertet, vt Hebræorum periphrasis apud Hieronymum habet his verbis: *& non erit illius imperium, quod putabat ſe redempturum.* vel non erit ei iudicium, & iustitia à populo, à quo per summam iniustitiam occidetur. Vnde Arabica: *Et non eſt illi defenſor.* Ex eo autem, quod populus eum negauerit, & occiderit, ac Christus eum abiecerit, ab eoque clementiam, & benignitatem, *& ciuitatem, & sanctuarium diſſipabit populus*, Romanus, *cum duce venturo*, Tito, *& finis eius vaſtitas.* siue vt Hebræi: plures legunt: *in inundatione*, Theodotio: *velut in cataclismo, vel diluuio.* Theodoret. *Perniciem talem ſuſtinebunt, qualem olim ſuſtinuerunt homines, cum omnem terram diluuium contexit.* Vastitas enim, & metaphoricè *inundatio*, generale excidium gentis, & vrbis significant: *& poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* pro *post* hebraicè habetur *bhad*, id est *vsque.* Vnde Rabbini, Salomon, & alij apud Lyram, & Galatin. legunt: *& vſque ad finem belli præciſi*, id est *ſtatuti, vel prædeſtinati gog, & Magog.* (Ezechiel. 38.) *deſolationes perdurabunt.* quasi eius fine per Antichristum sint Iudæi restituendi. Sed Antichristi bellum ex Ezechiele accitum vane hic intrudunt cum aliud hic bellum, & excidium, denuntietur perpetuò duraturum, ita vt illud belli non regatur à fine, sed desolatione iuxta acutam Venerab. Sanct. *& vſque ad finem ſtatuta deſolatio belli*, sicut explicatius repetitur num. 28. *& vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio.* obseruat Lyra illud *bhad* adiuncto puncto idem valere quod *adhuc*, siue *post*, vt videre est Ioann. 3. *Adhuc quadraginta dies* &c. quomodo vulgatus interpres noster in Hebræo legebat, sed ab illis verbis: *& ciuitatem* &c. nihil conrentum septuaginta hebdomadibus prænuntiatur, sed cædis Christi in eis contentæ supplicium post futurum, quod fortasse innuitur si in vulgata lectione, illud *belli* à desolatione regamus vt sensus sit *post finem* hebdomadarum *ſtatuta belli deſolatio.*

2 Versus 27. *Confirmabit autem pactum.* hebraicè *Berith.* etiam *teſtamentum* vtrauis lectione legis euangelicæ confirmatio continetur, vel per prædicationem, & miracula Christi, & Apostolorum vel, per Sanguinem vti apud Hæbreos, & gentes pactum sæpè confirmabatur, & testamentum sanguinis effusione, provt vitæ effusionem, & mortem significat *multis hebdomada vna* Iudæis quibus tota hebdomada septuagesima per se, & Apostolos legem confirmauit euangelicam. Confirmatione verò sanguinis, & mortis, omnibus gentibus etiam: multorum enim nomine omnes significari constat ex Marci 14. 24. & Matth. 26. 26. *Pro multis effundetur. Hebdomada vna* in abblatiuo. Theodoret. Rupert. & Hugo ex Græca in nominatiuo legunt, nulla tamen sententiæ discordia. *& in dimidio hebdomadis* huius vnius, & septuagesimæ, *deficiet hoſtia, & ſacrificium*, morte, & sacrificio Christi tunc peracto, quod vmbræ, & figuræ illius lux, & veritas erat quæ veterum vmbras fugaret, & mysteria aperiret numquam reditura; quare morte ipsius *velum templi ſciſſum eſt*, palamque facta legis veteris mysteria omnibus aperta: ac proinde noua hæc lex tunc confirmata æternè durabit, vt habetur Hierem. 31. vocibus legis, & fœderis, templique & Hierusalem, quibus Christi significabat Ecclesiam: contra quam Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt*: & in qua cap. 28. Christus erit *vsque ad conſummationem sæculi.* subditur: verum appendix necis Christi supplicium vltra hebdomadas exequendum: *& erit in templo*, Hebræa *Alkenaph.* id est *ad*, vel *ſuper alam*, 'ideſt extremam vrbis, & templi vastandi partem (id enim cuiusque rei, vestis, exercitus &c. Ala est) scilicet muros *Abominatio deſolationis.* Hebræa *Meſcomem: extreme deſolantis*: quod abstracto pro concreto vulgata, & septuaginta vsi satis emphaticè expressere. idolum aliquod in templo positum hic prædici ex phrasi scripturæ 1. Machab. 1. vbi pro *idolum abominationis*, Antiochi ex græco *Abominationem deſolationis* legunt, plures censent; vbi Carpendus, Caietan, quod loco Machabæorum alludi ad præsens oraculum contra subiiciendam saluatoris sententiam doceat, & ideo eorum libris contra Tridentinum canonicam authoritatem impiè negauit: cum locus ille historia sit, non allusio, quæ potius admitti posset ad illud Daniel. 11. *& dabunt abominationem in deſolationem.* vbi de Antiochi Epiphanis persecutione, & idolo agi interpretibus conuenit. Aliqui hoc idolum prænuntiatum hic volunt. Sed hoc 160. annis ante Christum natum, nec post 70. hebdomadas, nec ob Christi ædem positum est, nec fuit perpetuo durans abominatio desolationis vt nostra dicitur fore, sed triennio solum stetit ex 1. Machabæ. 4. Denique nostra hæc futura à Christo dicitur Matth. 24. vt statim referam. Hieronym. in 24. Matth. Theodoret. in 9. Daniel. de statua Cæsaris à Pilato in templo posita interpretantur. Sed hæc non perpetuò ibi stetit, sed statim Cæsaream perlata teste Iosepho apud Pererium, positaque fuit 25. anno ætatis Christi: quare ab eo futura prædici non potuit. Idem Hieronym. ibi, S. Thom. Lyra, & Hugo. De imagine equestri Adriani ad Lyræ tempora in Sancta sanctorum, vt ipse ait, persistente. Chrysost. Theophyl. & Euthym. ad Matth. 24. Rabbi Salomon cum suis. De Titi statua in ipsis templi adytis collocata. Sed de hac dum Iosephus diligentissimus illius excidij Historiographus tacet nullatenus extitisse probat: equestris illius perdurationem impugnat templi eradicati ruina. Secundo neutra adhuc, nedum perpetuò durat: neutra item imminentis excidij vrbis, vt fugerent quantocyus Iudæi esse non potuit, vt fore abominationem desolationis nostram voluit Christus iam recitandus, sed potius excisæ vrbis trophæum. Alij de Caij Caligulæ statua. Sed hanc ponere tentauit quidem Petronius, non posuit, teste Iosepho 2. de bello Iudaico c. 9.

3 Author histor. Scholast. Daniel. cap. 10. Carthus. ad hunc locum sacrificia Iudæorum post Christi mortem abominabilia intelligunt. Sed licet ex tunc mortua, ante apostolicam euulgationem euangelij triennio absolutam, non erant mortifera, & abominabilia: nec Iudæis erant signa imminentis à Deo ruinæ, quæ locum assumendi tunicam ad fugam non daret. Alij de summis Pontificibus venalibus, pretioque in templum intrusis. Sed id ante Christum natum acciderat, nec iam iam imminentis excidij signum esse poterat, & futurum ab illo denuntiari. Tostatus, Ioannes Hesselius Louan. ad Matth. 24. Cornel. Ianſen. in concordia c. 122. abominationem desolationis abominandæ, infandaque scelera, quibus obsidente Tito templum Zeloræ replebant (vt legere est apud Iosephum 2. de bello Iud. c. 28. lib. 4. cap. 5. lib. 5. c. 2. lib. 6. cap. 16. Egesippum lib. 2. à c. 8.) fuisse censent. Id quod non nimis improbabile reputat Pererius, licet ipse non probet. Sed id excidij vrbis signum non fuit, maximè ad fugam capiendam, cum iam obsidio arcta esset cum horum scelera increscebant, nec locum fugæ daret Maldonatus in hunc locum immane vrbis, & templi excidium hic designari credidit: quia scriptura dirum quoduis excidium abominationem desolationis appellat. Neque id dubito; sed quoniam pacto excidium ipsum, quo iam tenerentur Iudæi signum ad ipsum mature fugiendum esse posset? vt Christus aiebat. Salmeron, Franciscus Lucas, Bruxens. in 24. Matth. Baron. Cornel. à lapide per abominationem desolationis duo intelliguntur: & Zelotarum scelera, & exercitum Romanum desolaturum vrbem, non quidem sub Tito, sed sub Cestio, duce, sub quo locus erat fugæ. Sed tamen cũ adeò laxe vrbem Cestius obsederit semper, quousque repente, ac fugienti similis breui, ac repente obsidionem soluerit præpopera adeo fuga, vt Christus dixit, opus non erat. Idcirco Venerab. Gasp. Sanct. ad hunc locum n. 104. Maldonat. ad 24. Matth. ab hac sententia parum discrepantes asserunt abominationem, Zelotarum scelera quidem esse, per desolationem vero exercitum Titi tanquam duo signa excidij futuri, & fugæ maturè capiendæ à Christo datæ primum locis Matth. & Marci, secundum Lucæ loco statim recitandis: neque enim per loci naturam statim ac peruenit exercitus Titi ita arctè potuit vrbem cingere, vt locus diligenti, ac maturæ fugæ Hierosolymitanis non esset, cum tres, vt minimum, cingendæ obsidione vrbi dies Titus impenderit. Fauent. August. 2. de consensu Euangel. cap. 77. Euthym. ad Matth. 24. Sed tamen in veraque opinione displicet, quod duo signa data à Christo, & Daniele arbitretur, cum vnicum fuerit, vt statim ostendam. Irenæus 5. aduerſ. hæreſ. pluresque alij Patres abominandam Antichristi in templo Hierosolimitano sessionem hic prænuntiatam docent. Id quod non leuiter videtur suadere locus Matth. 24. vbi Christus ad hunc Danielis se referens de Antichristo, & iudicio finali egit. Sed tamen, licet à desolationis abominatione, de qua hic Daniel, quæque finalis persecutionis Antichristi, & vniuersalis mundi excidij aliqualis typus erat, ad finale iudicium, quod Antechristi persecutio præcedet, traxerit sermonem, nusquam tamen abominationem desolationis à Daniele dictam Antichristi persecutionem, siue vniuersale mundi, siue excidium, siue iudicium esse dixit, vt statim ostendam. Sic Daniel ex Antiochi persecutione, quam prophetauit c. 11. ad Antichristi persecutionem ob aliqualem vtriusque similitudinem transiuit c. 12. Sic etiam Isaias cap. 24. à Tyri deuastatione ad totius mundi vniuersale excidium vaticinium traduxit. Secundò: sessio illa abominabilis Antichristi in templo Hierosolimitano breui, cum mundo finietur; abominatio vero desolationis nostra perpetuo est duratura. Tertiò: Iudæi post hanc abominationem desolationis captiui in omnes gentes ducentur, vt Christus per Lucam iam citandum testatur donec impleantur tempora nationum: id quod à fautore Antichristo non patientur, ab eo enim, quem Messiam reputabant, & colent expectant potius Titum iam nunc 1600. annis mortuum cum suo idolo destruendum, consummendumque. Quartò: persecutio illa Antichristi non erit Iudæorum supplicium ob Christi necem, de quo solum hic agit Daniel.

4 August. epist. 80. ad Hesychium, Origenes hom. 29. in Matth. Caiet. &, si attente legatur Salmeron ad 24. Matth. Pererius ad hunc locum Daniel. Soar. 3. p. q. 59. art. 6. d. 54. sect. 5. exercitum Titi obsidentis, atque extremè vrbem desolantis, siue iam iam vrbem desolaturi vnicè à Daniele hîc prænuntiari, ipsúmque esse vnicum præproperæ fugæ capiendæ Iudæis signum à Christo Domino datum nihilque aliud. Probatur: quia horridus ille exercitus tanti excidij causa merito abominatio desolationis dicetur, maximè in Scripturæ phrasi. Accedit: quod in eius exercitus vexilis abominabilia idola; atque immanium belluarum

imagines aderant, quæ abominationes in scriptura dicuntur, vt de actiatica pugna 8. Æneid. dicitur:

Omnigenumque Deum monstra, & latrator Anubis.
Contra Neptunum, venerem, contraque Minervam
Tela mouent.

Secundò: quia hæc, & sequens dictio repetitio est illarum num. 26. *Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*, id est Romanus cum Tito, *& finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.* Nec refert quod in templo dicatur futura: tum quia hebræa *ad*, vel *super alam*; id est, *muros* fore legit, quod proprie exercitui contigit. Secundò: quia frequenter alicubi esse dicuntur, quæ prope. Tertiò: quia Christus locis citandis non in templo, sed *in loco sancto* futuram dixit: quomodo, & tota vrbs Hierusalem sæpè nominatur. Sed vrgentius probatur ex Euangelio. Nam illud, quod, vt signum fugæ quantocyus capessendæ Iudæis à Christo datum fuit, atque abominatio desolationis à Daniele prænuntiata appellatur Matth. 24. & Marci 13. sic à Luca posterius scribente, quasi periphrasi, & commentario explicatur c. 21. num. 20. *Cum autem videritis circumdari, ab exercitu Hierusalem: tunc scitote, quia appropinquat desolatio eius. Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in medio eius discedant, & qui in regionibus non intrent in eam: quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia, quæ scripta sunt* (scilicet à Daniele, vt Euangelistæ alij dicebant) *væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic: & cadent in ore gladij: & captiui ducentur in omnes gentes: & Hierusalem calcabitur agentibus donec impleantur tempora nationum.* quod ipsum est dictionis nostræ sequentis sententia Iunat vulgata tunc Iudæorum communis opinio quæ iussu Titi ab eorum eloquentissimo ad Ioannem Zelotarum templum occupantium ducem sic oratione habita proposita est vt refert Egesippus lib. 5. cap. 31. *Mirum, quod perituram non credis vrbem, cum legeris propheticos libros, quibus excidia Patriæ nobis annuntiata sunt, & reparata culmina rursus à Romano diruenda exercitu. Quid enim aliud clamat Daniel? Non enim, quod iam factum erat, sed quod post futurum prophetabat. Quæ est abominatio desolationis, quam vociferatus est venientibus Romanis, nisi ista, quam patimur.*

Et vsque ad consummationem, & finem hebræa *Tuttach. liquefiet.* velut in conflatorio vrbs. *super desolationem.* Pergit vulgata: *Perseuerabit desolatio.* Perpetua hæc irreparabilis vrbis, templi, & populi ruina prædicta etiam à Hieremia fuerat cap. 19. *Hæc dicit. Dominus: conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari.* Quod de nullo alio excidio intelligi potest. Isai. 5. *Abiecerunt legem Domini, & eloquium sancti Israel* (Messiæ, seu Christi) *blasphemarunt. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & percussit eum, & conturbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum.* (quod huius excidij euentus probauit teste Iosepho 6. de bello cap. 14.) *in his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta*, ad cladis perpetuitatem cap. 25. *Domine Deus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles*: (veras) *quia posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam domum alienorum, vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis: ciuitas gentium robustarum timebit te.* Et quidem, cum totis 1600. & amplius ab excidio illo annis ruinis suis sepulta ciuitas iaceat Romanis, gentilibus, Christianis, ac demum Turcis seruiens, quis perpetuitatem excidij illius dubitet? maxime cum Iudæi 50. post annis vrbem & libertatem instaurare tentantes ab Hadriano maiori ex parte trucidati fuerint, reliqui exterminati, & eo redire prohibiti vnde Hierosolimam aspicere possent. Eademque sub Constantino tentantes generali clade prostrati sunt; superstites amputatis auriculis ad exilium, & ignominiam in varias regiones dispersi, vt referunt Eusseb. 4. histor. Eccles. & Chrysost. orat. 2. contra Iudæ. Demum cum à Iuliano apostata in Christi odium copiis datis erectioni templi incumberent diuinitus prohibiti sunt. Primum terremotu iacta fundamenta eruente. Secundo igne de cœlo fabricæ instrumenta, & materiam absumente. Tertio: cruce vestibus Iudæorum diuinitus indelebiliter impressa vt refert Socrates lib. 3. c. 17. Ruffin. lib. 1. c. 37. Chrys. citatus dicens, *Huius rei nos omnes testes sumus: nostra enim ætate hæc non ita pridè acciderunt.* qui & addit ignem è fundamentis eorum erumpentem multos Iudæos exussisse. Legite Nicephor. Calist. lib. 10. c. 32. & 33. vt Iudæos sæpe vrbis, & templi instaurationem aggredientes prodigiis adeo cohibitos videatis, vt excidij illius perpetuitas hic à Daniele prædicta confletur. Sed præter hæc audiant Iudæi argumentum, quod ex prolixa hac hebdomadarum quæstione eductum Messiæ in Iesu nostro, vero scilicet homine & Deo ipsis euincit, à suis efformatum. Lyra ex eorum genere, licèt ab eorum errore ad Christianam religionem nobiliter degenerans, ad 9. Daniel. sine sic habet: *Non remanet Iudæis excusatio ex diuersitate computationum, cum tempus 70. hebdomadarum, de quo hic agitur qualitercumque computetur, iam per mille annos* (adde iam 650.) *transierit in præteritum, & amplius: Sola ergo obstinatio malitiosa tenet eos in perfida expectatione Messiæ.* Rabbi Samuel epist. ad Rabbin. Isaac apud Dionys. Carthus. extremo comment. ad 9. Daniel. ita scripsit: *Videtur Domine mi Danielis prophetia, quæ scribitur nono capite iam completa esse: vbi sic dicitur. Post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus. Et veniet populus cum Principe venturo, destruetque ciuitatem, & domum, & erit consummata destructio desolationis perpetuæ. Et non est Domine mi dubium, quin destructio perpetuæ desolationis sit hæc captiuitas, in qua iam sumus. Nam iam sunt mille anni, & apertè dicit Dominus per prophetam, quod erit desolatio perpetua propter occisionem Christi. Non enim comminatus est desolationem perpetuam, nisi post occisionem Christi. Etsi voluerimus dicere, quod ante occisionem Christi fuerimus in desolatione: respondebunt nobis Christiani, quod ante illam mortem non fuit desolatio nisi 70. annis; & post hoc fuimus reducti in terram promissionis: & fuimus apud Deum in gratia, & honore. Certè Domine mi non video euasionem. De facto enim probatur nobis, quod, postquam à reædificatione templi completæ fuerunt 70. hebdomades annorum, tunc fuit Iesus occisus à Patribus nostris: & postea venit dux* (scilicet Titus) *& populus* (scilicet Romanus) *& fecerunt nobis secundum prophetiam istam. Hodie sunt mille anni, & nihilominus in ira Dei sumus; & tamen nos in ipso speramus expectantes adhuc venturum Messiam, & reuersuros nos in terram promissionis, & ciuitatem, atque templum instauraturos, futurosque in gratia, & honore apud Deum, nec desolationem hanc fore perpetuam. Heu mi Domine non est ista excusatio, & euasio consona, & vana videtur talis expectatio.* Quod si his Messiæ aduentum, vt debent Iudæi, fateantur, eum Deum esse facile credent, cum de Missia suo fausta omnia, atque humanis maiora ex datis certam. 1. locis conceperint.

***

CERTA

QVÆSTIO IV.

Incarnationis existentia contra Hæreticos.

INCARNATIONEM hic in facto esse vsurpamus pro duabus naturis diuina, & humana in Persona verbi physica vnione coniunctis.

CERTAMEN I.

Errores circa naturarum pluralitatem in Christo.

1 DE naturæ vnitate in Christo primus erraße putatur Eutyches, cùm tamen is error duobus ante sæculis referatur ab Irenæo expos. fid. ab Athanas. sæculo vno, quam Eutyches antiquiori epist. ad Euopt. & in symbolo à Leone 1. epist. 1. siue 11. ex decretalib. ad Flauian. & epist. 83. ad Episcop. Paleſt. c. 2. à Cyril. Alex. anathematis 1. 2. & 4. Item Apollinaristæ ex materia pro corpore, & deitate pro anima naturam vnam in Christo admittebant, & ipsi Eutychete vetustiores. Manichæi solam naturam diuinam in Christo agnoscebant. Alij vetustissimi solam humanam, vt dicemus n. 7. vtris autem Eutyches accesserit, an naturarum confusione, & mixtione, an alterius ex vtraque resultantia, an alterutrius in alteram conuersione asserta errauerit? non satis constat inter Doctores. Ego vero censeo inconstantiam hæreticam in diuersa semper, imo in aduersa iactari: ac proinde Eutychetem iam Manichæis, am Merinthianis, & Cerinthianis adhæsisse, vt testatur Leo epistol. 83. citata. Nam Deitatem conuersam fuisse in carnem asseruit teste eodem Leone tract. aduers. error. Eutychet. Contra vero Gelasius Pap. tom. 4. Biblioth. lib. 4. de duab. natur. carnis in Deitatem conuersionem errorem Eutychianum appellat. Alij demum alios ex enumeratis errandi modos Eutycheti adscribunt, vt videre est apud Vazq. Bellarmin. 3. de Christo c. 2. Granad. tract. 4. d. 1. sect. 2. Lugo de incarnat. d. 9. sect. 1. n. 6. Vuadingo d. 4. dub. 1. §. 3. Bernal. d. 14. sect. 1. §. 2. & 3. verum is frequentius error Eutychi adscribitur, qui in Christo solam naturam diuinam agnoscit. Hunc etiam docuit Dioscorus Episcop. apud Breuiar. liberati c. 12. tom. 2. Concilior. post Arelatense, qui à Theodosio Synodum Ephesinam secundam hæreticam impetrauit. In hac Synodo Anatolius Patriarcha Constantinopolitan. errori pro tunc consensit; Flauianus vero quod Leonis Pap. 1. authoritate Eutychet damnasset, damnatus, carceratus, plagisque, & ærumnis cæsus obiit teste Nicephoro 15. histor. c. 8. & 30. Prateolo verbo *Dioscorus.* & licet in Calcedon. Concilio post Imperatoris Epistolam simulatè se purgare voluerit, conuictus tamen act. 3. atque de aliis appellatus. Concilio valetudinem causatus decessit, terque vocatus parere noluit, fuitque propterea depositus, vt constat ex act. 6. fine, atque ex Anatolio act. 5. post init. in exemplari Paschasiani. Qua de re vide Nicephorum proxime c. 4. Euseb. 15. histor. c. 30.

2 Eidem errori accesserunt Acephali, seu Acephalitæ anno circiter 494. sub Anastasio Imperat. & Symacho Pap. teste Prateolo verbo *Acephali*, quos sic nominatos indicat Nicephorus 17. histor. c. 45. colligique videtur ex Synodo 2. Nicæna, act. 1. in fragmento vitæ S. Sabbæ, quod Seueri, qui *Acephalus* dictus est sequaces fuerint. Sed tamen hic potius Acephalos secutus fuit, quam duxit, vt iam ostendam, docetque Nicephor. ipse lib. 16. c. 27. & Sanderus lib. 1. hæresi 106. ac proinde de sectæ nomine fuit cognominatus: Castro hæresi 4. verbo *Christus*, sic dictam fuisse ait, quod sine duce, & capite emerserint. Sed tamen, & incredibile est tot sine duce, & Doctore conspirasse, & negari minime potest in eo errore ducem, & Doctorem Eutychetem habuisse. Alij cognomenti huius rationem reddunt, quod sub Episcopis non essent: cum tamen in Concilio Hispalensi 2. c. 12. Episcopus Acephalus natione Syrus hunc errorem fuerit professus. Dicti ergo Acephali sunt, quod simul Ecclesiam, eiusque cum suo capite vnionem negarent. Sic enim de Seuero scribunt Monachi lib. ad Menam Patriarcham apud 5. Synod. general. act. 1. *Negauit statim Ecclesiam, & cum baptizatus est; processit ad Acephalos hæreticos, qui eadem, quæ Eutychis sunt, sapiunt.* Postmodum in hunc venit errorem Petrus Gnaphæus Antiochenus Episcopus sub Fœlice Papa, qui eum epistola confutauit teste Nicephoro 18. histor. c. 45. dictus etiam fuit Petrus fullo Theopaschitarum Princeps à Tarasio in 7. Synodo act. 1. post epist. Athanasij ad Ruffinianum: Hi, quod vnam tantum naturam diuinam, qua passus esset, in Christo recognoscerent Monophysitæ etiam dicebantur. Idcirco Gnaphæus, vt refert Damasc. 3. de fide c. 10. init. & Nicephor. 15. histor. c. 28. Trisagio *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus, & immortalis.* addidit: *Sanctus, qui passus es pro nobis.* vel totam Trinitatem, vel quampiam aliam Personam passam denotans, inquit Damascenus quia & ad Nestorium declinauit, vt mox ostendam. Accesserunt, & huic errori Iacobus Syrus, à quo Iacobitæ apud Nicephor. lib. 18. c. 45. & Ioannes Philopponus cognomento Grammaticus apud eundem c. 43. & nuper Mennon, Gaspar Suenefeldius, Adam Pastoris apud Lindanum dialog. 2. dubitantij, & Georgium Cassandri, qui Adam excusat, Zuingliani in Bernensi disputatione apud Eckium contra confessionem Zuinglij.

3 Sed magna hic inter eruditos concertatio an Ioannes Maxentius, Petrus Diaconus, eiusque Scithæ Monachi Eutychistarum, & Theopaschitarum errori consenserit? Asserit Baron. tom. 7. annal. sub Hormisda. Primò: quia contra victorem non semel, ac rursus coram dioscoro, reliquisque Hormisdæ legatis ad Iustin. Imperator. contenderint definitionibus Concilij Calcedonens. addendum, *vnus de*, vel, *ex Trinitate passus est pro nobis.* Quibus ea in re, vtpote suo errori fauente, consensit Eutychianus Imperator Anastas. vt refert Dioscorus epist. ad Hormisdam tom. 1. Epistolar. Pontificum post epist. 64. Hormisdæ. Reiecti verò à Dioscoro Hormisdam ea de re adiere, à quo sunt reiecti: quia ea propositione, vel Deorum pluralitatem, vel Eutychis errorem admitterent, vt constat ex epist. 76. Hormisdæ, & epist. Ferrandi Diaconi Carthas. ipsis, & Fulgentio coætanei ad Anatolium Ecclesiæ Romanæ Diaconum; vbi etiam addit eam propositionem in diuinis processionem denotare, quare & illa innui quàrtam Personam à Trinitate procedentem. Contra vero Ioannes Coclæus Maxentium ab eo purgat errore, atque inter acerrimas catholicæ contra Eutychem, & Nestorium veritatis defensores recenset; eumque & Scithas Monachos apprimè eruditus Theologus Vazq. ab omni eius hæresis suspicione vindicauit. Primo: quia Maxentius in sua confess. sub init. & contra Nestorianos c. 1. & lib. seu d. contra Acephalos Latina per nostrum Turrian. ac petrus Diaconus. eum reliquis Monachis lib. de incarnat. & grat. Christi c. 2. init. duas in Christo naturas in vnitate suppositi, & naturæ profitentur. apud tom. 5. Biblioth. Id quod professus etiam fuit Maxentius in responsione epist. Gormisdæ ad Possessorem. Porro Hormisdę illatio bona tunc, & cordata fuit. Si enim *vnus de vel ex Trinitate*, ad Deum referatur, vel plures Deos inducit, vel Deum ex tota Trinitate quasi compactum passum facit, qui est Eutychianus Theopaschitarum error, vel quartam Personam ex, vel de Trinitate procedentem affirmat, vt de Theopaschitis, &

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

Seuero suspicabitur Damascen. num. 2. memoratus, atque hoc num. Ferrandus, & Hormisda prudenter, & iuste in Maxentio, eiusque Monachis, cum nec dum Theopaschitarum error emarcuerat, neque horum animum satis perspectum habebant.

4 Cæterum, cum nomina adiectiua numeralia proprio sensu, & iuxta concordem Patrum, & Scholasticorum sententiam masculine probata Personas, non naturam in Trinitate designent: atque in quauis pluralitatis materia (cuiusmodi Trinitas Personarum est) illum vnum, de quo est sermo ad illam pluralitatem spectare rigore sermonis nomen *vnus* significet catholicum doctúmque Maxentium eiusque Monachos eo proprio, sensu locutos credendum est, quo à Catholicis omnibus ea propositio admitti debet. Nam Christus est vnus de, vel ex Trinitate: sed Christus seu filius Dei passus est: ergo vnus ex, vel de Trinitate passus est: vt Affricani Episcopi cum Fulgentio Monachis Scithyæ rescribente lib. de incarnat. & grat. c. 1. init. admittunt, & sub nomine vna Persona ex Trinit. c. 10. Eandemque propositionem tradit Germanus Patriarcha Constantinop. in Theoria rerum Ecclesiasticar. §. *Troparium autem*, .om. 6. Biblioth. *Vnus de sancta Trinitate homo factus, & lubens crucifixus*. idque tradit ex edicto fidei Iustiniani Imperat. tom. 2. Concilior. can. 6. cuius ea sunt verba: *Si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, qui carne crucifixus est, Deum esse verum, & Dominum gloriæ, & vnum de sancta Trinitate, talis, anathema sit.* Quin eiusmodi propesitionem, vt catholicam, atque ad confutandam eorum hæresim, qui quartam Personam vltra Trinitatem effuciebant statuit Proclus Episcop. Constantinop. epist. ad Armenos verbis hisce: *Confitentes Deum verbum vnum ex Trinitate incarnatum tribuimus intelligendi materiam iis, qui fideliter scisitantur.* Eiusque interpres Dyonisius Abbas cognomento exiguus definitam ab ipso ait epist. ad fœlicianum Pastorum acriter aliter sentientes Sugillans. Verum, licèt Maxentius eiusque Monachi scithæ nihil in doctrina errarint, neque in Eutychetis, ac Theopaschitarum venerint partes, non leuiter reprehendendi sunt, quod sine noua causa, atque necessitate Calcedonensi Concilio, tanquam defectuoso suam hanc propositionem addendam temerè, atque enixè adeò contenderint. Item, quod Hormisdæ epistolam negauerint, Dioscoroque, ac cæteris Hormisdæ legatis procaciter restiterint, nonnullaque imposuerint.

5 Naturæ etiam vnitatem, aduersè tamen Eutycheti, in Christo docuit ex Apostolorum tempore Carpocrates vnam naturam humanam in illo recognoscens, sicut, & Iudæi, qui Christum, quod se Deum, Deique filium diceret blasphemiæ appellabant. Quem errorem secuti sunt cognostici, & Ebion, ex quo Ebionitæ; Kerinthus, ex quo Kerinthiani, contra quos Episcoporum Asiæ rogatu Euangelium suum Ioannes euulgauit teste Hieronymo de scriptoribus Ecclesiast. c. de Ioanne Merinthiani item, & Artemon, ac Montanus teste Prateolo verbo *Artemon*, & Eusebio 5. Histor. cap. 28. Theodotus, Bizantius Coriarius, ex quo Theodotiani teste Prateolo verbo *Theodotus*, Epiphanio hæresi 54. Philastro cap. de Theodoto, licet August. hæresi 33. Theodotianos ex Theodotione dictos putet. Eidem hæresi accesit Paulus Samosaten. sub Seuero Imperat. & Victore Papa teste Castro verbo *Christus* hæresi 71. Augustin. hæresi 45. Item Bonossius, ex quo Bonossiani teste Isidoro 8. Origin. cap. de hæresibus Christianorum Elipando epist. ad Beatum, & Etherium, Innocentio 1. in titulo epistolæ 20. tom. 1. Concilior. Gregor. M. 9. Epistolar. epist. 61. Sandero 7. de visibili Monarch. hæresi 67. Prateolo verbo *Bonossiani* Petrus Gnaphæus, licet Eutychi accesserit (vt supra diximus, constatque ex Epistolis ad ipsum Asclepiadis, & Iustiniani Episcopor. Fœlicis Pap. & aliorum act. 1. Concilij Constantinop. 5.) In hunc etiam init. errorem Christum puram creaturam credens apud Castrum hæresi 3. Prateolo verbo Petrus Gnaphæus atque diuersam à Trinitate tota personam, vt supra vidimus ex Damasc. 3. de fide init. Neque aliter errauit Theodorus Mopsuestensis Nestorij Magister, vt habent Cyrillus libr. contra ipsum, & fragmenta Epistolar. ad Acacium Episcop. Melitens, & ad Theodosium, & libelli Monachorum in 5. Synodogener. act. 5. Eam vero hæresim adeò Nestorius Discipulus promouit, vt de eius quasi ducis, & Magistri nomine, & ipsa, & hæretici Nestoriani dicerentur. Vt autem Catholicorum inuidiam vitaret inter purum physicè hominem Christum, & Deum vnionem quandam affectiuam, qua speciali affectu in hominem Christum Deus ferretur, admisit. Floruit, vel potius gehennæ aruit Nestorius sub Theodosio Imperat. teste August. hæresi 63. Socrate 7. Histor. c. 32. Theodoreto 2. hæretic. fabular. cappenult.

CERTAMEN II.

Errores circa naturam Incarnatione assumptam & personam assumentem recensentur.

1 NIcolaus Apostolorum Discipulus, ex quo Nicolaitæ, & Gnostici memorati Christum hominem è cælo lapsum, ac per Virginem tanquam per fistulam ad nos transmissum esse docuerunt teste Epiphanio hæresi 3. & Irenæo 3. de hæresib. c. 11. quibus accessit Valentinus cum suis Valentinianis teste Philastro aduersus hæreses c. de ipso, Augustino de hæresibus cap. 11 Tertul. de præscript. cap. 49. & de carne Christi cap. 15. init. Polycarpo epist. ad Philipp. Epiphanio proximè, & Damasceno. An verò alterius naturæ à nostra humana homo ille è cælo lapsus ab ipsis haberetur? affirmasse videntur. Sed clarius corpus Christi alterius à nostris rationis esse asseruit Valentinus cum suis valentinianus apud proximè citatos. Doctores, atque apud Prateolum in Elencho verbo *Valentiniani*, & Sanderum de visibili Monarchia hæresi 22. Nec multum ab hoc discrepauit errore Cerdon, qui circa Apostolorum tempora verbum phantasticam solum, & apparentem carnem, atque humanitatem assumpsisse docuit, vt referunt Tertul. de præscript. hæreticor. cap. 51. Augustin. hæresi 21. Epiphanio hæresi 41. cuius ea in re tunc discipulum egit Marcion genere Ponticus, atque Episcopi cuiusdam filius sub Higino Pap. & Antonino Pio Imperat. ex quo Marcionistæ teste Tertul. de præscript. cap. 31. & 51. ac de carne Christi cap. 1. Irenæo aduersus hæres. cap. 29. Epiphanio hæresi 42. Hic curauit, quæ de temporali Christi generatione apud Euangelia sunt, abradi, vt aiunt citatis locis Tertul. & Irenæus. Marcionem secuti sunt Lucanus citato cap. 51. & Manes, seu Manim natione Persa, qui prius Vrbicus, seu curbicus nominabatur, vt referunt August. hæres. 45. Epiphanio hæresi 66. ex hoc propagati, atque appellati sunt Manichæi. In eundem successerunt errorem Prodianitæ, seu Hermiatitæ apud Philastrum de hæresibus, quos Prochianistas appellant August. hæresi 60. & Sanderus lib. 7. hæresi 83. Hos imitatus in Hispania fuit Priscillianus Abulens. Episcop. sub Leone 1. vt constat ex huius epist. 91. ad Turib. cap. 4. & 17. ex quo Priscillianistarum genus. Nec minus eum errorem propagarunt in Gallia noui Manichæi, vt constat ex Alexandro Pap. tertiò cap. *cum Christus.* de hæreticis. Demum ad hunc etiam, errorem hæretica mentis tempestate appulit allisus Eutyches teste Leone primo, epist. vndecima decretali sub init.

2 Hæreticæ inconstantiæ exemplum Apollinaris fuit, doctissimus quondam fidei Agonista, vt scribit Cyrill.

Cyrill. epistola decima-quinta; hic sub Damaso Papa, & Valentiniano Imperatore docuit, verbum corpus solùm seu carnem assumpsisse, non autem animum rationalem, pro quo verbum ipsum substituere volebat in Christo. Cumque animum concedere cogeretur; illum tamen in Christo sine mente solummodo admittebat: huiusque defectum verbo suppleri delirabat. sic de illo referunt Augustinus de hæresibus, capite quinquagesimo quinto; Vincentius Lirineris contra prophanas hæresum nouitates capite decimo-septimo, Epiphanius hæresi septuagesima-septima; Nazianzenus oratione quadragesima-sexta siue epistola ad Nestorium. Quem errorem ex vetustioribus Hæreticis tractum affirmant Doctores Cyrillus homil. 5. Athanasius epistola ad Epitectum: expresséque illum Arrianis adscribit Nazianzenus epistola prima, ad Cledonem, siue oratione quinquagesima prima, Augustinus de hæresibus, capite quadragesimo-nono, & quinquagesimo quinto; de corpore verò, seu carne, à verbo assumpta non solum cælestem, Deoque coæuam, sed eiusdem cum Deo naturæ esse prædicabat Apollinaris: quare, & in Lutychianam hæresim labebatur, vt testantur Augustinus, Vicentius, Lirin. Athanasius, & Nazianzenus citati, ac M. Gregorius 7. epistolarum, epistola quadragesima. septima, circa finem: & Arrio contentiens secum ipse pugnabat. Etenim verbum idem cum creatura faciens assumpta verbum creaturam esse Arrianè fatebatur, & creaturam verbo Deo identificans solum Deum in Christo re ipsa cum Eutychete agnoscebat, nihilque creatum re ipsa à verbo assumptum contra se ipsum cogebatur fateri Appollinaris errorem, quatenus corpus cum animo sine mente à verbo assumptum aiebat, secuti sunt Thimotheus quidam apud Damasum epistola citata, & dimerita apiphan. hæresi septuagesima-septima, & septuagesima octaua. His proximè accepisse censentur Menothelitæ: putantur enim vulgò animum rationalem mente prædituum humanitati Christi concedere negare verò eidem naturæ humanam voluntatem: cùm tamen longè alia eorum hæresis fuerit, vt de Theandricis Christi ope rationibus disputantes ostendemus infra.

3 Ex parte verò assumentis incarnatione humanitatem errarunt quotquot solam vnam personam Iudæi, vel Hæretici in diuinis agnoscunt memorati fusè à nobis controuers. de Trinitate, disputatione secunda, quæstione prima. Hanc enim solam iucarnasse, imò, & incarnare potuisse, non autem filium necessariò defendunt. Vnde, cũ Deum Patrem omnium solum agnoscant, licet qui ex eis non Iudæi, sed Christiani hæretici sunt, eius personam vocibus etiam Filij, & Spiritus Sancti congruè in Euangelio explicari admittant, Solum Deum Patrem incarnasse, passumque esse defendunt: Ac proinde Patro-passiani meritò nuncupantur. Sabellij germina fuere, qui eius erroris de vnitate personæ in diuinis extitit Princeps, asserens vnionem humanitatis, & naturæ assumptæ, ad naturam Dei tribus personis communem factam esse: quare solam deitatem secundum se formaliter, & primariò humanitatem assumpsisse. Neque enim solum docuit, quod ex ipso referebamus certamine primo: nempè solam deitatem in Christo esse, vnde inferebat Damascenus ibidem citatus 3. de fide, capite decimo, sub disiunctione totam Trinitatem esse passam, sed contrario etiam sibi errore, carnem & humanitatem, à deitate tribus personis communi assumptam fuisse, vt constat ex Concilio Toletano sexto, in quo centum post annis huic Gnaphæi error damnatus est, atque in Concilio Toletano vndecimo, quod vocatur ab Innocentio epistola ad Petrum Compostellanum authenticum Concilium. Vtrobique autem contra Theopaschitas, eorumque caput Gnaphæum deducitur totam Trinitatem ex æquo incarnasse, passamque fuisse. Idcircò eos non Theopaschitas solum, sed Triadopaschitas etiam merito compelles. Huic Gnaphæi errori aliunde accessit Clericus Gallus teste Anselmo lib. de incarnatione Verbi, qui ex hypothesi, quod personalitates ab essentia realiter nullatenus differant totam Trinitatem incarnasse certissimum putabat, cuius errori inibi Bernardi tempore accessit Gilbertus Porretanus, qui tamen, vt totam Trinitatem incarnatam passamque absolutè non admitteret, vti ex identitate omnimoda reali personarum cum essentia argumento postmodum à nobis diluendo conuinci putabant, personalitates ab essentia reali saltem modali distinctione distinguere maluerunt, vt vidimus cnntrouersia de Trinitate disputatione septima; Ex parte assumentis rursus errauit Gnaphæus quartam personam à Trinitate diuersam incarnatam, passamque asseruit, si errorem proximum non admisit, vt arguebat Damascenus sub disiunctione loco citato ex 3. de fide, capite decimo. Tandem ex parte assumentis errarunt etiam Arrius, & sequaces Verbi personam incarnatam puram creaturam, licet cæteris longè perfectiorem asserentes, quos latè confutauimus contron. de Trinit. d. 2.

4 Denique circa assumptionem ipsam, siue vnionem Dei verbi ad humanitatem assumptam errauit Nestorius cum suis asserens non fuisse physicam, sed affectiuam solum, & quotquot in Christo naturam diuinam recognoscunt, ij enim omnes physicam abolent naturarum vnionem in ipso, in quo plures esse negant, eiusdem enim vnius naturæ ad se ipsam physica vnio esse non potest: quare eos certamine primo, meritò retulimus. Quoad modum verò, seu circunstantiam temporis, in quo facta fuit vnio Verbi ad humanitatem citatus Apollinaris humanitatem, siue corpus à Verbo assumptum, Deo coæuam dicens æternitate ante vnionis, & assumptionis suæ instans præextitisse asserebat. Euthyches etiam teste Nicæphoro decimo-octauo Histor. capite quadragesimo-quinto, duas naturas ante suæ vnionis instans præcessisse docuit. Id quod de præxistentia naturæ, non temporis malè explicat Vasquez disputatione decima-quarta, capite primo, numero decimo-octauo. Nihil enim natura verè præcedit physicè, quin in aliquo instanti reali durationis existat, atqui Eutyches in instanti durationis, quo primum facta vnio fuit, ac deinceps vtramque naturam confusam esse, vt neutra ex tunc in se existeret, sed vel humana in diuinam esset conuersa, vel vtraque in tertiam quampiam: ergò vt natura præexistere ab Eutychete humanitas diceretur, ante instans vnionis debebat tempore præexistere, cum exinde existere absolutè per ipsum non posset Origenes 2. Periarchon. capite 6. docuit animam Christi ab initio mundi conditam esse cum animabus reliquis, ac verbo per amicitiam inseparabiliter vnitam, priusquam, & verbo, & carni eidem vniretur physica vnione teste Nicephoro 17. histor. capite vigesimoseptimo, Concilio 5. generali can. 2. & 10. quosille refert, sanctus Thomas tertia parte, quæstione sexta, articulo tertio; Photinus apud sanctum Thomam, & Theodorus Mopsuestens. apud Theodorum Præsbyterum in sua Isagoge Christum communem primo hominem per gradus ad vnionem hypostaticam euectum blasphemarunt. Fereque impudentia æqua caluimus apud Canisium 3. de beata Virgine capite 22. humanam Christi carnem prius tempore, quam verbo vniretur, à Virgine conceptam effutiit.

**

CERTAMEN III.

Errores contra pluralitatem naturarum Christi Domini confutantur.

1 HVmanitatis Christi veritas toties contra Luthychianos in scriptura exprimitur, quoties ex semine Dauid. ex Abrahæ fore permittitur, fuisseque ab Euangelistis narratur. Quoties item se Filium hominis, id-est virginis Christus profiteatur: qui enim homo non est, filius hominis esse nequit; quoties insuper tristatus, lachrymatus, fatigatus, esuriens comedens, cæsus, ac mortuus in Euangelio scribitur. Hæc enim omnia, & similia ea proprietate, qua debent, intelligi nequeunt, ni verum humanum corpus, ac non deitatem solam habuerit. Teriò, quia ex Ioanne 14. Christus animam habuisse dicitur illis verbis: *Tristis est anima mea*; rursus habuisse corpus dicitur 1. Petri 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* & c.4. *Christo igitur in carne passo*: Ergò constat ex scriptura verum fuisse hominem: quidquid enim corpus, & animum habet rationalem homo est, ergò non fuit solus Deus. Contra varias hæreticorum Lutychianorum sectas singulatim disputare longissimũ esset; generatim verò sic eas refello. Cùm enim admixtionem, & conuersionem, natura quæ conuertitur definere debeat, & quæ miscetur mutari: deitas, quæ nec definere, nec mutari potest, nec potuit in humanitatem converti, neque cum illa misceri. Vnde neque humanitas misceri cum deitate potuit: manente enim integro, & immutato alterutro ex miscibilibus mixtio fieri non potest. Restat ergò, vel humanitatem in deitatem conuersam desiisse, nec mansisse in Christo contra scripturæ testimonia data, vel vnionis interuentu tertiam aliam resultasse, vnde nec homo nec consubstantialis matri Christus esset, nec Deo Patri contra scripturam, & Lutychianos ipsos, vt rectè arguunt Iustinian. Imperat. edicto fidei t.2. Concilior. & Damascen. lib. de composita natura contra Acephalos. Modus constituendi vnam naturam in Christo per deitatis informationem. Apollinaris est contra ipsum confutandus.

2 Definita est humanitatis Christi veritas contra Lutychianos epist. Concilij Alex. 10. ad Nestorium Cyrilli recepta ab Ephesino, & approbata à calcedonensi à Constantinop. 5. collat. 8. can. 9. & act. 1. circa fin. à Lateranensi sub Martin. 5. consult. 5. 6. 7. & 8. & Lateranensi alio sub Innoc. 3. sub fin. definit. 2. fidei. Ab vtroque symbolo, à Leone Pap. 1. epist. 10. ad Flauian. & 11. ad Iulian. à Gelasio Pap. lib. contra Lutychet. quocirca Flauius, Iustinian. Imperat. seueri Lutychiani libros comburi iussit epist. ad Menam Patriarch. Definita denique ea veritas est à Concil. Hisp. 2. c. 13. Contra oppositum verò errorem scripserunt S. Vigilius Mart. quinque libris contra Eutychetem Boëtius lib. de duab. naturis, Athanas. fragmento contra eos, qui dicebant non esse duas naturas apud Euthym. 2. p. Panopliæ tit. 5. Theodor. Dialogo *inconfusus*, Damasc. lib. de natura composita contra Areophalos, ac 3. de fide, c. 3. 5. & 8. Fulg. 1. ad Trasimundum. Quod autem Lutychiani authoritatibus Augustini epist. 3. post med. & 4. de Trinit. c. 13. Cyrilli aduersus Antropomorphitas c. 28. Naz. orat. 24. & 42. se protegebant: quia hi Patres duarum naturarum mixtionem eis locis dixerint refert parui. Nam impropriè se loqui dixere, scilicet de mixtione locali per physicam vnionem Dei penetratiuam totiùs humanitatis, vt patet ex his, quæ circa med. dixit Cyrillus autem propriam, & substantialem Lutychianam mixtionem naturarum in Christo eo etiam libro execratur sic c. 2. inscribens, aduersus dicentes, quod corpus assumptum S. Trinitati admixtum fuerit.

3 Difficilius pro se obiiciebant, Eutyches, & sequaces, Dioscorus, & Eustachius Episcop. Berytens. in Calcedonensi act. 1. & fragm. actor. Constantinop. 1. recitato in Ephes. 1. & Calcedonensi Cyrill. & Athanas. & Naz. dicentes: Non oportet igitur intelligere duas naturas, sed vnam naturam Verbi incarnatam. Quibus Calcedonenses Patres reclamauerunt; ista Lutychiana hæresis est. Verum Cyrillus viuens se ab hac impostura vindicabat epist. 28. quæ est ad Ioann. Episcop. Antioch. Resp. Iustin. Imp. edicto fidei ad Ioann. 2. t. 2. Concilior. Ioan. Maxentius confess. fid. t. 5. Biblioth. Leontius Bizantinus apud Damasc. 3. de fide c. 11. & hic c. 6. Rusticus lib. de incarnat. contra Acephalos. Turrianus in Hoploteca in versione Damasceni contra Acephalos, c. 47. naturam ab Athanasio, & Cyrillo sumi pro subsistentia, & persona. Probat Imperator ex testimonio Cyrilli epistola 1. ad succession, cuius fragmentum extat in Panoplia Euthymij tit. 17. & scholiis de incarnat. Posset autem ex alio eiusdem testimonio illustriori lib ad Euoptium defensione anathematismi 2. quod sic habet: *Vnionem secundum subsistentiam factam dicimus: nihil aliud dicendo, secundum subsistentiam significare volentes, quam hoc solum: quod Verbi natura, hoc est subsistentia, quæ est ipsum verbum, humanæ naturæ vnitum sit.* Cæterùm subsistentiam pro substantia sæpè apud Patres vsurpari, quare, & pro natura substantiali, eiusque existentia certissimum; ast naturam, siue *Physim*, vt testimonio obiecto ab Eutychianis habetur, nusquam pro subsistentia, & persona à Patribus vsurpatur, vt benè Vasq. hic d. 14. c. 3. num. 46. Sed tamen, vt ait Maxentius, & Damascenus citati, licet natura seorsim subsistentiam non significet, ast cum addito illo *verbi*, quod vtroque loco Cyrillus habet, cùm verbum claudat personam significat. Respondet secundò Vazq. non negari ab his Patribus duplicem naturam in incarnatione, sed in ratione adorabilis, vt vna adoretur. Latria, secus altera, vt ex Athanas. lib. de incarn. & Cyrill. 1. de recta fide ad Reginas sub init. recitat in primis licet his locis ita loquantur negari nequit, quin oppositio illo loco vnam naturam verbi incarnatam dicant; ergò, si eam solùm agnoscunt in incarnatione illis verbis, sequenti doctrina de vnitate adorationis error non vitatur. Secundò vnitas adorationis carnis Christi cum verbi natura, nec vera, neque à Patrum horum mente est, vt videbimus contr. pen. d. de adorat. Præstat solutio prima, atque alia potior eiusdem Cyrilli epist. 2. citata ad successum probata à Damasc. contr. Aceph. & 3. de fide c. 11. atque à S. Th. 3. p. q. 2. à 1. sc. ex duabus naturis, quas in Christo constanter asseruerunt Athan. & Cyrill. vnam solam verbi incarnatam esse, nam caro, seu humanitas non incarnauit, nec carni vnita fuit, sed caro ipsa erat. Quem sensum non Eutychianum, sed sanctorum patrum esse aiebat, Synod. 5. Constantinop. collat. 8. can. 8. & Martin. Pap. 5. in Lateranensi consult. 5. can. 5.

4 Carpocratis, Nestorij, & similium error de sola humanitate in Christo ex his omnibus confutatur, quibus Christus se Deum, Deique Filium profitetur, quæ falsa in sensu proprio sunt, nisi Deus esset, atq; haberet deitatem. Secundò cùm dicit se vnum esse cum Patre; quod neutrè dictum substantiæ cum illo identitatem demonstrat. Tertiò ex remissione peccatorum Dei propria à Christo facta: Quartò ex propositionibus communicationis idiomatum per scripturam passim sparsis, quæ nisi idem, qui homo Deus esset, falsò proferrentur. Quintò ex maternitatis Dei Mariano priuilegio, quæ duo vehementer Nestoriani exhorrent, nec admittere vnquam sunt ausi. Sextò ex pluribus scripturæ locis, quibus controu. de Trinit. d. 2. contra Iudæos, Arrianos veteres, & nouos Filij diuinitatem probauimus, quia de homine Christo deitas in illis prædicta, prædicataque fuerat. Hæc autem veritas definita, ac Nestoriana hæresis damnata est ab his Conciliis, in quib. fuit & idiomatum communicatio, & Mariana Dei maternitas definita. Sed primum à Ioan. in Euang. pluries c. 1. sui Euangelij, ac deinceps ad c. 13. deinde in epist. Concil. Alex. ad Nestor. 10. Cyrilli approbata ab Ephes. 1. & Calced. toto item edicto Iust. Imp. à Constantinop. Conc. generali 5. collat. 8. fine, & can. 13. vbi damnatur Theod. quod pro Nestor. contra Cyrilli anathematismos scripserit, erit, licet ante Concilium Calcedonense resipuerit. etiam Nestoriana hæresis damnata est act. 1. post Ep. Theodos. & Valent. Imper. Demum in Conc. Ephes. recens edito per nostrũ Peltanum, vbi Græci Patres epist. & homil. contra eum errorem plures habent. Scripsere etiam contra illum Cyrill. Alex. in anathematismis, ac lib. de eorum defensione, & declaratione, & opusc. ad Euoptium, Damasc. 3. de fide c. 14. Naz. orat. 51. ad Cledonium vbi Niceras, Athanas. in Euang. Deiparæ, & 4. de Trinit. Epiphan. serm. laudatorio de Virgine Latino per Picum Canonicum Parisiens. pluresque Patres Concilio Ephes. Antiquiores relati à Cyrillo epist. 14. ad Acacium à Theod. 4. hæret. fabular. à Rustic. Diac. & copiosius à nostro B. Canisio Germaniæ Apost. 3. de B. Virgine c. 14. de hac veritate videat, qui fusiores eius probationes ex scriptura desiderat. Galatin. de arcan. fid. Porchet. 2. p. de victoria contra Iudæos à c. 1. ad 4. Paul. Burgens. l. p. scripsij scriptur. per capita 9. Lyram. glossæ ad fin. lib. contra Iudæos, recolarque quæ scripsimus controu. de Trinit. d. 2. atque hic q. 3. contra Iudaicam perfidiam.

5 Opponi contra pluralitatem naturarum in Christo, siue pro Nestoriano, siue pro Eutych. errore poterit. Totum nihil aliud est, quam ea, quibus constat simul sumpta, ac proinde nihil aliud dicitur esse ab Athanas. vnus homo, quam anima, & corpus: *Sicut anima, & corpus vnus est homo*: Sed si Christus duplici natura constet erit vnũ quid compositum ex duab. naturis: ergo Christus erit duæ simul naturæ. Ast hæc propositio; *Christus est vtraque natura*, vel, *duæ naturæ simul*. Damnata est contra Huñas in Concil. Constantiensi sess. 12. & post sess. 45. Resp. Husitarum Principem Ioann. Huf. Vvitcleffi in omnibus discipulum eam propositionem ex ipso, eiusque sensum didicisse. Vvitcleffus autem lib. de incarn. reste Vvaldense t. 1. doctrinalis fid. lib. 1. à 3. c. 39. 40. 41. & 42. sic eam propositionem docuit. *Christus est tres naturæ incommunicantes, deitas, corpus, & anima, & earum qualibet.* Id est vnaquæque earum seorsim: quo sensu rectè damnata in eo concilio fuit. In nostro autem catholica prorsus propositio est: probaturque Gregor. in 1. d. 28. q. 2. ad 18. vasq. d. 16. c. 5. Cardin. de Luge d. 10. n. 19. Bernali d. 15. sect. 3. licet Suar. d. 35. sect. 2. §. pen. & vlt. explicatione, egere impropriamq; immeritò dicat, cùm sit apud Patres frequentissima. August. c. 38 Enchirid. *Veraque substantia diuina, scilicet, & humana, Filius est vnicus Dei.* t. 10. serm. 58. de verb. Dom. *Vtrumque simul, non duo, sed vnus est Christus.* Leo Pap. 1. epist. 11. ad Iulian. *Verbum, & caro atque anima vnus Iesus Christus.* Damasc. 3. de fide c. 19. ante med. *Duæ naturæ vnus Christus est, & vnus Christus duæ naturæ*, lib. 4. c. 7. post med. iuxta. addictiorem græco fabri-versionem: *Qui est sancta parente genitus duæ naturæ est, fatemur certè duæ naturæ est.* Vvaldensis acerrimus fidei Comma Husitas, & Vvitelepsistas defensor citatum c. 42. sic inscript: *Quod Christus non est tripartitus, sed est deitas, anima, & caro, coniunctim.* Ratio theologica est: quia deitas est Deus, & verbum: sed Deus, seu verbum, & humanitas simul est Christus, ergo deitas, & humanitas duæ naturæ simul est Christus. Imo eadem hæc propositio est cum illa symboli Athanasij: *Deus, & homo vnus est Christus.* An autem formali, an identico sensu vera sit parua lis est; magna tamen apud citatos Doctores ex æquiuoca propositionis formalis, & identicæ acceptione. Reprehendendus hic venit Soar. quod hanc propriorem propositionem dicat: *Christus est diuinitas*: quæ & Eutychis est, & Husitarum: licet autem eam scribat August. tract. 47. in Ioann. per synedochem solum dici posse ait, 4. de ciuit. c. 2. ac 2. de anima; & eius orig. capite decimo quarto, & sermone 58. de verbis Domini, quo pacto Gregorius M. homil. 25. in Euangel. illud Ioan. 20. à Magdalena dictum: *Tulerunt Dominum meum*, eleganter explicuit.

CERTAMEN IV.

Errores ex parte naturæ assumptæ, & assumentis confutantur.

1 NIcolaitarum, & Valentinianorum error damnatus est iisdem Conciliis, quibus Eutyches, qui verum hominem: sicut nos Christum esse negant, iisdemque scripturæ testimoniis venit confutandus. Damnatus item est à Calcedonensi act. 5. confess. fid. à Carthaginensi 4. c. 1. ab Eutychiano Pap. epistol. 1. ad Episcop. Bæticæ. Scripserunt contra illum Tertull. de carne Christi; Athanas. de incarnat. Christi post init. Nyssen. orat. catechet. c. 27. alijque patres locis citatis contra Eutychem, & proximè citandis contra Cerdonem, & assecl as. Sed opponunt tamen valentiniani illud 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cælo cælestis*: ex Christus secundus hic homo est, ergò eius corpus, & humanitas fuit cælestis, non ficus nostrum, corpus terrenum. Secundò Ioann. 3. dicitur: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*: Ergò Christus qua homo, seu qua hominis filius, id-est secundum corpus, & humanitatem, cælestis est, alterius que rationis à nostris. Respondent Naz. orat. 51. seu epist. 1. ad Cledon. August. 13. de ciuit. cap. 23. post. med. & epist. 57. q. 2. & contra Faustum cap. 3. Beda in locum Pauli, Tertull. de resurrectione capite 40. Hillar. 10. de Trinit. fol. 2. Christum, secundum illum hominem, de cœlo descendisse, dicique cælestem: quia qua homo, seu hic homo dicit formaliter personam diuinam, & identicè deitatem. Quæ solutio omninò difficultatem euacuat. Verum nescio an ad textum Pauli accommodatior interpretatio, ac difficultatis solutio sit. Primum hominem terrenum affectibus, siue ad terrena inclinatum fuisse, quique nihil cælestibus, ac resurrectioni inhiaret, sed totus ad terrenam vergeret corruptionem; Secundum verò, nempè hominem Christum, totum ad cælestia, & incorruptibilia, atque ad suæ, & nostræ incorruptibilitatis, atque æternitatis gloriam fuisse intentum; indeque præcipuum eius capitis intentum Probat: nempè mortuorum resurrectionem: quia videlicet primus homo ex corporis corruptibilitate egit, secundus ex animæ incorruptibili nobilitate se gessit, nesque agere impensè curauit. Concludit autem num. 49. *Sicut portauimus imaginem terreni*, qui, vt alibi ait, terrena solùm sapuit; *Sic portemus imaginem, cælestis*; qui solum sapit cælestia.

2 Affinis huic Cerdonis, & Manichæorum error eisdem argumentis confutatur, eisdem damnatur Conciliis, quibus Eutyches, & Nicolaitæ, ac Valentiniani. Item à Leone 1. epistol. 91. ad Thuribium, atque epist. Concilij Alex. 10. Cyrilli approbata vniuersim ab Ephesino, & Calcedonensi, & licet obiter, quoad huius erroris damnationem ab Ephesino 1. can. 2. & 5. ex professo verò damnatus hic error fuit à Concilio Toletano 1. confess. fid. ab Hispalensi 2. cap. 13. à Bracharensi cap. 4. à Lateranensi sub innoc. 3. & c. *firmiter* de summa Trinit. Eundem errorem confutat sanct. s Thomas ratione sancti Augustini quæstione 14. ex lib. octoginta trium, quæ sic ad verbum habet in Augustino: *Si phantasma fuit corpus, fefellit Christus, & si fefellit veritas non est: est autem veritas Christus: non igitur phantasma fuit corpus Christi.* Simili discursu Ambrosius in Lucæ 23. de tædio, dolore, ac tristitia Christi aiebat. *Non est tristis sapientia, non diuina substantia, sed anima. Suscepit animam meam: suscepit corpus meum: non me fefellit, vt aliud esset, aliud videretur.* Dices: Deus sine sua veritatis iactura sæpè in veteri testamento per se, vel per Angelos sui ipsius nomine in corpore phantastico, ac non in suo vero apparuit, ergo sine suæ veritatis iactura potuit, vt nos doceret nobiscumque conuersaretur toto illo tempore, quo

quo ab incarnatione ad mortem numeratur, corpore phantastico, ac non suo vti. Negatur facilè consequentia. In illis quippè historiis veteris testamenti apparuit solùm, atque apparuisse solùm dicitur, in hoc verò per incarnationem aduentu incarnasse dicitur, corpus suum esse dixit, cum se consecrauit: post resurrectionem cogitantibus discipulis phantasma esse Lucæ vltimo aiebat: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quæ corpore solùm phantastico, & apparenti, ac non verè suo vera esse non possent. Item lachrymatus tristatusque est, doloresque passus, quæ si ad speciem solùm peregisset opere mentiretur: neque enim dissimularet solum, sed simularet. Verè autem ea peragi, nisi vero, proprioque corpore non potuerunt.

3 Apollinaris error, de corporis per verbum loco animæ, quæ aberat, informationem, confutatur eidem testimoniis, quibus vera humanitas Christi, verusque homo Christus asseritur; siquidem homo verus anima, & corpore essentialiter constat. Secundò ex illis quibus Filius hominis dicitur; Etenim, vt ex Aristotele referebamus disputatione 3. de Trinitate, quæstione 3. cert. 2. num. 3. & certam. 6. numero 5. quo perfectior generatio, & filiatio, ac perfectiorum viuentium est maiorem similitudinem, & conuenientiam geniti cum generante requirit: ac proinde perfectiorum brutorum generatio, & filiatio conuenientiam in specie athomageniti cum generante requirit per Aristot. ergò generatio, & filiatio hominis qui longè perfectius brutis animal est, conuenientiam, & similitudinem in specie athomageniti cum generante potiori iure requiret: atqui non esset ea conuenientia inter hominem, scilicet Virginem, corpore, & anima constantem, & hominem constantem corpore, & verbo, vt patet: ergò homo Christus filius virginis, atque hominis, vt in scriptura dicitur non esset, si verbo pro anima constaret. Tertiò Ioann. 10. Christus ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterùm sumendi eam*: ergò animam se habere testatur. Quartò Matth. 26. ait: *Tristis est anima mea*: ergò animæ Christi verbum, ac Deus non fuit, cui tristari repugnat, vt Ambrosius aiebat in 23. Lucæ recitatus numero 2. & Constantinus Pogonatus Imperat. in edicto fidei citando. Quintò ex 2. ad Hebr. vbi dicitur. *In eo enim in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & iis qui tentantur auxiliari.* ac proinde quem perdiram hominis humeris susceperit, id est media vnione ad se reuocauit totam, vt totam sanaret, non totum hominem integrum sanaturus, nisi totum reuocaret ad se, atque in toto ex anima, & corpore constante pateretur, vt arguit Damascen. 3. de fide med. his verbis: *Totus toti vnitus est, vt toti salutem afferret: alioqui, ne medicina quidem ei allata esset, quod assumptum non est.* Sic etiam arguit ex eius parabola, & Pauli loco Fulgent. 1. ad Trasimundum cap. 8. & 33. Ambros. de incarnationis Domin. Sacramento, atque ex Nazianzeno Imperat. Constant. Pogonatus edicto fidei citato, synodo 6. generali act. 18. ratione confutatur. Sextò quia Deo repugnat formam esse atque corpus, seu materiam speciali respectu respicere.

4 Is autem Appollinaris error damnatus est Conciliis omnibus, quibus Christus Dominus perfectus homo contra proximos Nicolaitarum, & Valentinianorum, & Manichæorum, atque Eutychianorum errores definitur. Etenim perfectus, propriusque homo sine anima esse non potest. Additurque explicatius in symbolo Athanasij, siue Nicæno. *Ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Damnatus insuper est à Damaso Papa profess. fidei catholicæ ad Paulin. Episcop. Thessalonic. tom. 1. Concilior. inter eius decreta, atque in quodam Concilio Romano teste Hieronymo in additamento Chronicon Eusebij anno 379. à Concil. item Ephesin. post 12. anathematismos Cyrilli, & à Calcedonensi act. 1. vbi approbantur verba Cyril. epist. 8. aientis: *ex virgine natum esse illud sanctum corpus rationaliter animatum.* Insuper à Constantinopol. 5. act. 8. can. 4. & 11. à synodo 6. gener. act. 1. in epistola Sophronij, & act. 18. in edicto fidei Constantini Pogonati, à Concil. Toletan. 1. confess. fid. à Toletan. 2. confess. item fidei, à Carthagin. cap. 1. contra eum verò errorem scripserunt Athanas. de incarnatione Christi, & epist. ad Epitectum, Naz. oratione 51. & 52. seu epist. 1. & 2. ad Cledonium orat. 46. siue epist. ad Nectarium, Epiphan. hæresi 77. Cyrill. supra Damasc. 3. de fide c. 6. Ambros. de incarnat. dominicæ sacramento cap. 7. Fulgent. 1. ad Trasimundum à c. 8. Quod verò attinet ad animam sine mente, quam Christo tandem Appollinaris solummodo concessit, damnatur ferè eisdem locis, confutaturque primò: quia homo sine mente perfectus homo non est, qualis esse definitur Christus. Secundò ex loco illo Matthæi 27. *Tristis est anima mea*: Anima enim sine mente tristari non potest, vt inquit Constantinus Pogonatus edicto fidei citato: ampliusque constabit controu. 4. disput. 3. qu. 3. certam. 2. vbi nullam creaturam Dei cognitione intelligere posse monstrabimus. Tertiò: quia Hierem. 7. de christo dicitur: *Antequam puer sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Atque in Euangelio: *Puer autem crescebat sapientia*: quæ sine intellectu, & cognitione creatis, in quibus, & noua scientia experimentalis, & eius augmentum, non autem in Deo, eiusque scientia locum habent, vera esse non possunt. A ratione confutatur primò: quia in Christo fuit creata voluntas: ergò & intellectus: quia sine intellectiuo esse non potest, licet intellectiuum sine volitiuo aliquorum sententia esse queat. Secundò: quia potentia intellectiua, & volitiua non identificatæ realiter cum anima prorsus repugnant, vt controuers. de anima, & eius potentiis ostendebamus: ergò implicat esse in Christo animum rationalem sine mente, non minùs, quam sine se ipso.

5 Obiicis pro Appollinari illud symboli Athanasij: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus*; Ergò sicut anima rationalis est forma carnis in homine Ita Deus est forma in Christo. Melius inferres: est forma informans hominem in Christo, sicut anima est forma informans carnem. Sed inde concedere contra Appollinarem debes verum integrum hominem esse in Christo æquè atque in homine integram carnem: quare, esse animum rationalem in Christo, sine quo integer homo non est. Sensus ergò eius paritatis est: sicut ex anima, & corpore vna non multiplex natura, vt ait Damascenus 3. de fide, capite vigesimo-sexto, vel non duplex, sed vnum suppositum constatur: ita ex duplici natura in Christo non duplex suppositum, & persona, sed vna tantum, quæ Christus est consurgit. Obiecit Appollinaris; habuit Christus creatum intellectum, ergò, & cogitationem inducentem ad malum; ergò, & pugnam peccati, quod est absurdum. Negatur vtraque consequentia de cogitatione potente adhuc ex parte actus primi inducere ad malum; erat enim impeccabilitate antecedenti humanitatis Christi adhuc in actu primo impedita; quare vt infra dicemus internas tentationes non habuit, sed externas solùm ad materiam victoriæ certam; quare hostes solum habuit ad triumphum. Oppones tertiò; in christo sunt anima corpus, & deitas, ergò sunt tres substantiæ in Christo; contra Damascen. 3. de fide capite decimo-sexto, Paulinum Aquileiensem in sacro syllabo columna nona, Francfortd. Concil. Contra concilium ipsum, ac tandem contra Benedictum Pap. 2. Respondetur primò negando consequentiam. primò, quia cum compositi partes quibus constat numerantur, proximas solum, non autem, quibus earum quæuis constat, numerare ex vsu communi est. Secundò quia substantiæ partiales, quæ essentia sua partes substantiæ sunt, substantiæ absolutè dici non solent, corpus autem, & anima essentia sua substantiæ partes sunt. Tertiò, quia hinc fit substantiam absolutè, & simpliciter prolatam naturam significare, ac proinde admitti tres substantias absolutè in Christo, non sine occasione æquiuocationis periculosæ audientibus oblata fieri posse videatur. Quamobrem citati Patres

ea propositione meritò abstinuerunt, purioremque alia (*scilicet duas substantias in christo esse*) iudicarunt.

6 Cæterùm nihil ea Propositio absurdi continet: quin frequens apud Patres est, apud Augustinum 13. de Trinit. cap. 17. init. Isidorum lib. de differentiis, capite sexto, Stephanum Educensem Episcopum de Sacramento capite decimo septimo, Bernardum, sermone tertio, de vigil. natiuit. post med. apud Concilium Toletanum vndecimum in confessione fidei à Toletano decimo-quarto in suæ fidei confessione, apud Toletanum decimum quintum nouæ editionis, atque approbata à 6. Synodo generali, vt constat ex actis præfati Concilij Toletani 15. §. *Tertium sanè*. Quoad Benedicti verò Pap. 2. ab ea propositione dissensum sciendum est ex §. citato eam propositionem cum aliis suæ confessionis à Concilio 14. Toletano ad Benedictum cum approbatione 6. Synodi generalis missam esse ad Benedictum 2. per Petrum Notarium regionarium, quem Leo 2. Benedicti antecessor pro Synodo 6. generali Hispaniam miserat datis epistolis ad Episcopos Hispaniæ: quæ sunt 2. Leonis ad Quiricum Archiepiscopum Toletan. ad Simplicium Comitem, ad Eruigium Regem, t. 2. epistolarum Pontificum, Cum autem Benedictus in ea propositione verbo solo, quod Patrum testimoniis confirmata non erat, notasset, Quirici successor Iulian. Tolet. Archiepiscopus de Benedicti nota certior factus per virum Hispanum redeuntem Petri Notarij Comitem Apologeticum multa Patrum eruditione refertum ad Benedictum remisit, Biennio ante Concilium Toletanum 15. vt constat ex eius §. *Tertium sanè*, & §. *Post huius*, atque ex Fælice historico vetusto quem laudatum à Benedicto docet Garsia Loaisa annotat. ad 15. Concilium Toletanum; Ambrosius verò moral. 12. histor. Hispan. ab eius successore Sergio mauult laudatum. Vterque pro sua sententia Rodericum refert capite decimo tertio, suæ historiæ, qui tamen Pontificis nomen non posuit. Illud verò similius est Benedicto statim vita functo, schismateque in Ecclesia suborto ipsius de Apologetico laudes non illico ad Hispaniam perlatas, sed successoris Sergij tempore pacatiori: siquidem eas Concilio Toletano decimo-quinto non innotuisse constat ex §. citato *Tertium sanè*: illis verbis: *tam verò, si post hæc, & ab ipsis dogmatibus Patrum, quibus hæc probata sunt, in quocumque dissentiant* (Romani) *non cum illis est amplius contendendum.* Secundò: quia Iuliani apologia aucta ab eodem Concilio fuit, vt Romam mitteretur, vt ex verbis datis constat, quod minimè fieret, si eius propositionis, & apologiæ Iuliani laudes Concilio innotuissent. Ex quo etiam constat apologiam hanc Concilij non fuisse eam, quæ Romam missa, atque à benedicto laudata fuit, siquidem elaborata hæc à Concilio fuit in subsidium prioris, de cuius approbatione pontificia nondum constabat. Secundò: quia, quæ Romam missa fuit, vt Rodericus ait, imperij Romani laudes etiam continebat, qua de re in Apologia Concilij Toletani 15. habetur.

7 Quod autem, neque anima, neque caro, ac proinde, neque humanitas sui vnioni ad verbum, & conceptioni ex Virgine præextiterit definitum pluribus Conciliis est, atque oppositus error damnatur. De anima contra Origenem in Concilio Constantinopolitano generali 5. can. 2. ex quo hæc Nicephorus 17. histor. capite vigesimo-septimo: *Si quis dicit, aut sentit animam Domini præextitisse, vnitamque esse Deo verbo ante incarnationem, & natiuitatem ex Virgine anathema sit.* De carne etiam damnatur in 6. Synodo generali, epistola Sophronij actu 11. approbata, actu decimo-tertio, in Concilio Ephesino primo, can. 13. ex epistola ad Nestorium 10. Cyrilli approbata etiam à Calcedonensi actu primo, pagina trigesima prima, vbi definitur: *In ipsa conceptione hominis Deus carni vnitus est*, & pagina octuagesima plura in huius dogmatis confirmationem ex Patribus congerit. Definitur item in sexta Synodo generali epistola Synodica Theodori Hierosolymitani recepta à Patribus Concilij

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

Francfortd. epistola ad Episcopum Hispan. vbi hæc refert ex Naz. *Non prius in vtero Virginis caro concepta est, & post modum diuinitas venit in carnem.* Item in Concilio Tolet. 11. profess. fidei. Definitur insuper idem dogma à Leone 1. epistola 11. ad Iulianum Episcop. Comens. epistola 10. & 97. à Vigilio Pap. 3. contra Eutychet. pro eoque dogmate, & contra oppositum errorem scripsere Fulgentius de fide ad Petrum c. 13. & 18. Damasc. 3. de fide cap. 2. & 12. August. contra sermonem Arrianorum capite 8. & 28. ac sermon. 58. de verb. Domini, item Patres omnes, quos dedimus d. procem. qu. 2. pro nostri Bernalis sententia de subsistentia, atque pro nostra. Ratione Theologica probatur: quia si caro, & humanitas prius concepta, & existens esset, quam verbo vniretur beata Virgo, nec Deum concepisset, nec Dei genitrix foret, vt sæpè arguunt Patres, Cyril. t. 1. Concil. Ephesini. Athanas. serm. de sanctiss. deipara: quare marianæ Dei maternitatis definitiones contra hunc militant errorem, & anticipato quidem contra Caluinum 5. Synod. generali, apud Nicephorum proximè, 6. Synodo general. act. 11. epist. Sophronij Concil. Ephesin. can. 13. edictum fidei Iustiniani Imperatoris. Aliam adducit rationem sanctus Thomas quæstione 6. à 3. quam dum pluribus subtilitatibus explicat Caietanus magis obscurat, estque in illa quam nos luci donauimus dicto procœmio, quæstione 2. certamine 5. quod si humanitas præextitisset independenter ab vnione ad verbum, & suppositum, ac persona creata esset, cum assumeretur ex vi decreti, quo primo præexistebat, corrumpenda foret.

8 Denique, quoad errores ex parte assumentis attinet Patropassiani confutati sunt controu. de Trinit. d. 2. ibidemque Gnaphæus, quatenus personam quartam diuinam incarnatam videtur innuere; quod si non diuinum, sed creatum dicat, definitionibus datis contra Nestorianos confutatur. Arrius confutatus manet citata d. 2. de Trinit. Triadopaschitæ, quatenus asserunt totam Trinitatem incarnasse, passamque fuisse (à quo errore immunis non indicabatur Gnaphæus à Damasceno) damnantur Conciliis, & Pontificibus omnibus, à quibus solum verbum incarnasse, passumque esse definitur: ac proinde, qui vnionem factam in deitate communi, dum à Conciliis damnantur, confutanturque, in id absurdum deducuntur. Contra hunc autem errorem, de assumptione humanitatis à deitate communi, non à persona verbi definitum est in Concil. Lateran. sub Martino Pap. 1. in Vormacien si professi. fid. in Lateran. sub Eugen. 3. in Carthagin. 4. & 5. c. 1. in Tolet. 6. sic contra Gnaphæum Triadopaschitam centum post ipsum annis defenditur in fidei confess. *Solum verbum caro factum est, & habitauit in nobis* (Ioann. 1.) *& cum tota cooperatione sit Trinitas formationem suscepti hominis: solus tamen Filius accepit hominem in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ in eo quod est proprium Filij, non quod commune est Trinitati.* Subditque rationem satis obscuram, claritate donatam versione nostri Bernalis d. 22. sect. 1. n. 5. ex Gottico codice. *Nam si naturam hominis Deique in alteram confudisset* (legi mallet Bernal. *infudisset*) *tota Trinitas corpus assumpsisset: quoniam constat naturam Trinitatis esse vnam, non verò personam.* Similia habet Concil. Tolet. 11. quod vocatur ab Innoc. authenticum epist. ad Petrum Compostellan. Etenim cum natura æquè omnibus communis sit, æquè personæ omnes, vel nulla humanitatem assumpsisset, aut incarnasset. Gallus Clericus damnatus est in Conc. Rhiemensi sub Raynald. Archiep. tempore Anselmi, ac Gilbertus, qui illi in errore successit, in Concilio Rhemensi posteriori sub Eugen. Pa. 3. tempore Bernardi.

9 Opponunt Clericus Gallus, & Gilbertus. Personalitas verbi re ipsa immediatè terminat vnionem humanitatis: atqui idem re ipsa est cum essentia ergo essentia re ipsa immediatè terminat vnionē humanitatis, alioqui de ead. entit. duplex contradictorium verificatur: insuper essentia idem re ipsa est cum Patre, & Spiritu S. ergò P. & Spir. ac proinde tota Trin. terminat eā vnionē

ac proinde assumpsit formaliter humanitatem, estque incarnata, alioqui in vtraque persona contradictoria admitteentur. Simile argumentum pro sua reali modali distinctione personalitatum ab essentia iidem efformabant in illis prædicatis essentia communicatur Filio, Patris personalitas non communicatur, ac proinde alij ad distinctionem virtualem, alij ad Scoticam ex natura rei confugiunt, secundam illationem ex prima non deduci ostendimus controu. de Trinit. quia ratione identitatis inadæquatæ, quam habet essentia cum personis singulis non infertur id, quod in vna habet, habituram in reliquis, sicut neque, vt identificatam cum vna reliquas fore. Primæ argumenti parti respondetur terminare, & non terminare respectu entis illimitati, & infinitè vnius siue (vt sic cum Bernardo loquar) vnissimi, atque simplicissimi, cuiusmodi est diuina verbi persona contradictoria non esse, quæ respectu creaturarum contradictoria sunt: quæ, quia limitatæ entitatis, & perfectionis. & vnitatis sunt, non possunt diuersa adunare, nedum aduersa, & repugnantia. Deus autem summam habens vnitatem, quæ aliàs de se pugnant, nec solum diuersa, sed opposita sunt, in se adunat, amiceque sine contradictione sed positiuis suis perfectionibus, componit id enim vnitatis munus est, aliàs diuisa adunare, ad vnumque redigere: quare summæ vnitatis diuinæ, quæ summè aliàs discordant increatis, vt quæ in illis contradicunt in se sine eorum contradictione adunare: igitur tantum abest, vt ex contradictoriorum aliàs verificatione in Deo ipsius realis vnitas impugnetur, vt inde potius immensum excedens creatis vnitatibus ostendatur vt docebamus controu. de Trinit. disp. 8. q. 2. cert. 2. n. 4. fine. Neque melior nobis ratio in hac vita de re tanta occurrit: quamuis non sit contemnenda ea, quam subodoratus fuit Canar. 1. p. q. 28. à 2. d. 3. p. 3. valdéque promouit, atque illustrauit Vasq. 1. p. t. 2. d. 20. c. 6. n. 2. nimirum, quantumuis in eis propositionibus, *realiter*, addatur à nobis, cum non, nisi nostris conceptibus, loqui possimus, quibus eandem rem simplicissimam in varias formalitates necessariò dissecamus, nullatenus realem distinctionem inferri posse. Si autem, vt Deus se ipsum, atque vtrumque hoc terminandi, & non terminandi munus, ac beati concipiunt concipieremus, vno conceptu, ac sine vlla terminorum contradictione mysterium hoc intelligeremus, sicuti re ipsa est: nunc autem ratione nostra, quantum fieri in hac vita potest, explicatur à nobis, & adeo nobis se nostro captui accommodante reuelatur.

DISPVTATIO II.

De vnionis hypostaticæ immediatis terminis, ordine, & natura.

NOTAM naturam humanam corpore scilicet, & animo rationali constantem assumptam à verbo fuisse dogmaticè contra Iudæos, & hæreticos proxima disputatione euicimus. Nunc autem liberiori theologia examinandum restat, an tota humanitas in se indiuisibili vnione assumpta, vnitaque verbo fuerit? An vnione diuisibili, qua animus, & materia, seu corpus, eorumque vnio vnita verbo sint? Secundo; quo ordine partes assumpserit, an corpus media anima, vel contra? an vtramque simul? Tertiò: an partes omnes integrantes humanum corpus assumpserit? Quartò de termino formali, seu immediato vnionis ex parte verbi assumentis. Quintò de vnionis hypostaticæ natura.

QVÆSTIO I.

An humanitas assumpta à verbo fuerit vnione sui indiuisibili? An diuisibili eorum, quibus essentialiter constat.

NOTA, vt videbimus humanitas assumpta à verbo hypostaticè fuit. Id autem dupliciter excogitari potest, vel assumptione omnium, ex quibus essentialiter constatur, diuisibili quidem, pro earum inter se distinctione, vel indiuisibili totius humanitatis simul, semelque verbo vnitæ. Vtro autem ex his modo humanitatis Christi assumptio, vnionè ad verbum contigerit præsentis quæstionis materia est.

CERTAMEN I.

Sola vnione diuisibili compacta ex vnionibus partium, quibus constat humanitas, vnita verbo, ab eoque assumpta fuit.

1 VAsquez d. 39. ex Scoto in 3. d. 2. q. 2. § *Ideò quantum*; & Almaino ibi q. 1. post concl. 3. quibus consensit Durand. ibi q. 2. asserit vnica solum, & indiuisibili vnione totam humanitatem à verbo assumptam fuisse, neque aliter fieri potuisse. Putat enim, cùm ibi, tùm d. 37. c. 8. aliasque sæpè, animam, & materiam atque vniuersim partes omnes, quandiù vnitæ inter se sunt, totumque componunt sustentari ab alio, atque aliena subsistentia suppositari per se minimè posse, sed solùm ratione totius in quo sunt: cui soli, sicut esse per se, & in propria subsistentia competit, ita, & ab alio sustentari atque suppositari subsistentia aliena: cùm autem anima, & corpus, quibus humanitas Christi actu componebatur, cum actu vniebatur inter se vnitæ essent, totumque componerent, non poterant per se hypostaticè vniri, siue ab eo sustentari, eiusque subsistentia subsistere; quare sola humanitas assumi ad vnionem hypostaticam cum verbo indiuisibiliter, ac tota simul per se potuit: anima verò, & corpus, seu materia non per se, sed quatenus in ipsa erant. Verum præter præsentis concl. subiiciendam confutationem, cum nostram statuamus aduersam, doctrina principij, ex quo illam deducit confutata à nobis est. d. 1. q. 1. cert. 2. n. 3. vbi ostendimus quamuis substantiæ partem assumi posse hypostaticè à verbo siue dependenter ab vnione ad personam diuinam quâuis existere, etiam cum actu componit, vt patet: quo in casu ab ea dubio procul sustentaretur, atque in eius hypostasi existeret, licet non esset persona, neque suppositum: quia omnium sententia totalitatem non habet naturæ, quam ex Patribus necessariò dicit suppositum, vel persona. Quoniam autem eruditus Pater, Patrum locutionibus, vt debebat, intentus erat, atque sustentari ab alio, atque esse personam idem reputabat, vnionem ad hypostasim partibus denegauit. Imò, & separatis etiam partibus essentialibus, & ætherogeneis, vt ibidem referebamus numero 2. insuper falsum est, vt numero 3. ostendimus, ea, quæ incapacia sunt subsistentiæ propriæ incapacia esse, vt in se, & per se assumantur ad hypostaticam vnionem: etenim anima, & materia humanitatis Christi, cum partes essentia sua sint, subsistentiæ propriæ incapacia sunt, ipso Vasq. consentiente d. procem. q. 3. cert. 1. num. 2. & tamen verbo *Vnitas*, in se, & per se in triduo mortis fuisse dogmaticum est.

2 Soarius disput. 17. sect. 5. à §. *Secundo modo*; docet vtroque modo humanitatem verbo vnione hypostathica assumptum fuisse, & diuisibili partium vnione ad verbum, & indiuisibili totius humanitatis simul. extremum hoc, in quo Soario cum Vasquez conuenit, statim, vt dixi, confutabo; quatenus verò ab eo discordat asserens, & vnione diuisibili partium, quibus constat humanitatem vnitam verbo fuisse, ab eoque assumptam, ac rursus totam simul vnione sui ad verbum indiuisibili impugnatur facilè: quia si tota vnione diuisibili ex vnionibus partium constata assumpta humanitas est, indiuisibilis alia totius humanitatis vnio omninò supersluit; vel contra, si indiuisibili hac vnione totius humanitatis simul fuit assumpta, diuisibilis alia prorsus redundabit: quare alterutra redundante falsò vtraque asseritur: cum alterutra sola constet mysterium totum secundum omnia, quæ de illo fides, & Ecclesia docent. Secundò: nullam substantiæ partem essentialem subsistentiæ propriæ capacem esse ostendimus d. procem. quæst. 3. cert. 1. num. 3. & 4. atqui per Soarium, quæ capacia subsistentiæ propriæ non sunt, neque alienæ sunt capacia, nequeunteque ad vnionem hypostaticam cum alieno supposito assumi: ergò partes essentiales, quibus humanitas Christi constabat per ipsum assumi hypostaticè ad vnionem cum verbo non potuerunt. Tertiò: cùm ipse constanter doceat formas educibiles, quæ à subiecto pendent, quandiù pendent, in illóque patiuè, nec solùm informatiuè, recipiuntur, subsistentiam partialem non habere, nescio quo pacto sanguinis Christi formam hypostaticè à verbo assumptam fuisse defendat in statu compositionis, in quo propriam subsistentiam habere non potest: quare neque terminare alienam, iuxta principium Soarij, & modalium cæterorum proximè memoratum. Etenim pro quo modulo subsistentiæ propriæ aliena illa subsistituet (vt necessariò subsistentia aliena in eorum opinione substituere debet) in forma materiali componente, quæ nullam adhuc partialem subsistentiam in Soarij opinione habet? sed de hoc quæst. 3. iterum.

3 Petrus Hurtado consectariè ad ea, quæ in physicis docuit de duplici modo vnionis formæ, & materiæ in quouis composito, quorum alter se ex parte materiæ teneat, alter verò ex parte formæ, vt æquè alterutra alteri vnita sit, vnionem diuisibilem, licet alio modo assistere tenebatur: cùm enim æquè verbum humanitati vnitum sit, atque humanitas verbo, imò, vt Athanasius in symbolo aiebat, *sicut anima rationalis, & caro*; atque intimitas vnionis ex eo pendeat, quod id, quod vnitur, ex parte sui vnionem habeat, nec satis sit vnione alterius ad ipsum alteri reuinciri, vnionem ex parte verbi se tenentem asserere debebat: sed tamen cum in illo intrinsecè subiectari nequeat, idque se tenere ex parte extremi vniti in eius sententia sit, nequit hic duplicem vnionem hypostaticam creatam admittere, sed alteram earum increatam esse ait: quo ex parte Thomistizat, vt videbimus quæstione quinta, certamine primo, nec difficultatem, cuius metu duas vniones in quouis composito excogitauit, effugit, vt videbimus ibi certamine tertio: quo satis, vt alia, quæ ibi contra ipsum dedimus præter eam, opinio illa physicorum impugnatur: Denique Gabriel in 3. disp. secunda, quæstione prima, articulo secundo, conclusione secunda, alio modo vnionem hypostaticam verbi ad humanitatem indiuisibilem docuit: quia scilicet vnio hæc ad solam animam Christi per se, & in se fuerit terminata, ac ratione vnionis materiæ cum anima, tam materia, quam humanitas tota solummodo fuerint verbo vnitæ, mediatè quidem, & in se immediatè: quo pacto Patrum locutiones proponendas quæstione secunda, explicuit. Verum sententiam hanc Almainus citatus periculosam meritò censet humanitatem. Primò enim non assumpsisset verbum totam integram, vt Patres, & Concilia memorata disputatione prima, quæstione tertia, docuerunt. Secundò non esset communicatio idiomatum ab iisdem asserta: cùm verbum propriè non humanitatem, sed animam haberet solum: quare neque habens humanitatem, & habens deitatem idem foret. Tertiò: quia si ratione vnionis ad animam materia, seu corpus verbo dicatur vnitum, pereunte eius vnione ad animam verbo nullatenus vnitum

retur: at permansit materia verbo vnita in triduo mortis Christi, vt dogmaticum est: ergò non, quia vnita erat animæ à verbo assumptæ, assumpta solummodo materia à verbo fuit, sed, quia per se, & in se fuit etiam verbo vnita. Dices materiam in triduo vnitam fuisse verbo denuò in se, licet antea non ita voiretur. Contra primò: quia eius nouæ assumptionis nulla erat ratio, aut motiuum redemptionis, ex quo solummodo vnio verbi facta fuit. Contra secundò: quia patres æque, atque ex eadem ratione concludunt animam, & materiam in triduo separatas, vnitas verbo permansisse: *Opera, quod semel assumpsit numquam dimisit*: quare, non denuò materiam vnitam, sed in vnione æquè, atque animum, conseruatam tunc fuisse docent: ex eo nimirum, quod vtraque in incarnatione æquè immediatè in se fuerit verbo vnita.

4 Dico primò verbum humanitatis assumptæ partibus singulis vnitum hypostaticè fuit. Est contra Vasquez conclusio; sed est Altisiodorensis 3. summ. tractatu primo, capite primo, quæstione secunda, Richardi in 3. 2. quæst. 2. à 2. Abulens. Paradox. 2. capite quarto, Caietanum tertia parte, quæstione 6. à 1. & 5. vbi eam docet sanctus Thomas ad 1. Soar. proximè citati. Quatenus autem Gabrielis opinioni aduersatur probata proximè est. Nunc probatur contra Vasquez: Quia tota humanitas assumpta in se, atque vnita hypostaticè verbo fuit: non vnione indiuisibili ad totam indiuisibiliter terminata; ergò vnione diuisibili ex partium omnium, quibus constat, vnionibus ad verbum compacta. Maior est de fide, & executio legitima. Minor probatur primo ex Ambrosio recitato, disputatione prima, quæstione tertia, certamine quarto, numero secundo, illis verbis; *suscepit animam meam: suscepit corpus meum.* Secundò; quia in triduo mortis animæ, & materiæ separatis manssisse vnitum verbum, Patres, & Concilia, totaque Theologia asserit; quia, quod semel assumpsit nunquam dimisit, theologicum axioma fert: Nisi autem partes humanitatis, nempè materia, & anima, assumptæ in se essent, ac non solum ratione humanitatis totius in se solùm assumptæ in qua continebantur, cum destructa in triduo mortis humanitate in ea non continerentur, vi assumptionis in humanitate perseuerare non deberent: maximè, cùm tunc temporis vnio materiæ, & in se ad verbum nullatenus ad hominum reparationem inseruiret. Tertio minus philosophicè vnio noua partium humanitatis in aduersa sententia astruitur, præter eam, qua viuente Christo verbo vniebantur, ac prorsus tunc temporis periit, quod non eueniret, si partes in se in incarnatione verbo vnitæ fuerunt, vt asseruimus. Quartò à priori ex nostris principiis: quia assumptio ad vnionem hypostaticam nihil aliud est, quam existentia assumpti dependenter ab vnione ad hypostasim, ad quam assumitur: ergo pro signo, quo rei assumptæ competit, existentia in se, competet, & existentia in se dependenter ab vnione: atqui partibus humanitatis assumptæ competit existentia in se pro priori naturæ ad existentiam humanitatis, quæ vtriusque existentiæ effectus est, vt totum ex vtraque constans: ergò pro priori naturæ partes humanitatis habent in se existentiam dependenter ab vnione hypostatica.

5 Dico secundo contra Vasquez, & Soar. Humanitas tota non fuit assumpta à verbo per aliam vnionem hypostaticam indiuisibiliter; nec ita assumi potuit. Quoad primam partem habet patronos, quos dedimus pro conclusione 1. Soar. excepto, pro quo ex suppositione primæ adest nobis Vasquez, citata disputat. 39. cap. 2. numero 9. Probatúrque facilè: quia, vt suprà dicebamus, posita vnione partium omnium simul in se ad verbum, nequit non tota humanitas, quæ ab eis simul non differt, vnita esse verbo: ac proinde alia vnio humanitatis totius simul, & indiuisibiliter illam verbo vniens, est superflua. Secunda conclusionis pars negatiua de possibili etiam, quæ contra Vasquez, & Soarez est, probatur. quia percipi non potest totum compositum, quod nihil est, quam partes omnes in se simul

simul sumptæ, siue vnitæ in se vniri non vnitis in se partibus, à quibus omnibus vnitis, neque realiter, neque formaliter differt: inferretur enim totum in se vnitum non esse à definitione physica ad definitum. Nec quidquam præstat illud Vasquez paradoxon de quarta entitate compositi substantialis viuentis, quæ sit materiæ viuificatio ab vnione diuersa. Solum enim probabit & illam etiam in se vniendam necessariò esse, vt tota humanitas in se vniatur. Confirmatur ex omnibus vnionibus rei indiuisibilis ad rem diuisibilem: anima enim ita materiæ toti vnitur in homine, vt tota vniatur cuiuis parti materiæ in se, ac Christus ita quantitati Eucharistiæ, vt totus cuiuis parti quantitatis vniatur: sicque totus toti quantitati vnitus est: nec totus vnitus concipi potest quantitati toti in se, nisi totus singulis, & omnibus eius partibus vniatur. Probatur secundò ex nostris principiis: quia existentia totius humanitatis nihil est aliud, quam existentia diuisibilis partium in se omnium simul: ergo existentia totius humanitatis dependenter ab vnione ad aliud, quod pars huius compositi non sit, nihil aliud erit, quam existentia partium omnium in se simul dependenter ab vnione ad aliud, quod pars humanitatis, seu huius compositi non sit: atqui per assumptionem partium humanitatis in se ponitur solummodo existentia partium omnium in se coniunctim dependenter ab vnione ad verbum, quod pars humanitatis non sit; ergò per hanc solummodo ponitur existentia humanitatis dependenter ab vnione ad verbum, quod pars ipsius non est; at hoc formalissimè est assumi humanitatem à verbo, ac non esse in propria persona, sed in aliena verbi, vt ostendebamus d. procem. q. 2. cert. 1. ergò non alio modo assumi à verbo humanitas potest, quam omnibus partibus in se assumptis.

CERTAMEN II.

Vnio etiam partium humanitatis in se assumpta ad vnionem cum verbo monstratur.

1 ABulens. vbi proximè, Soar. dicit. sect. 5. §. *Dico tertiò*; Vasquez, citato capite, numero 10. asserunt absolutè vnionem animæ, & materiæ humanitatis Christi in se, neque assumptam à verbo, neque ipsi hypostaticè fuisse vnitam: quin oppositum ridiculum esse ait Vasquez, ipse verò, & Soar. cùm asserant, vt vidimus, totam simul humanitatem de facto vnitam verbo fuisse, ac proinde, quatenus in ea est, quicquid in illa est verbo fuisse vnitum, licet in se vnitum non fuerit; saluari tamen putant, adhuc non vnita vnione partium ad verbum, totius humanitatis vnionem posse defendi. Quæ quidem in Abulensis sententia defendi minimè potest. Cum enim vnio totius compositionem, non minus, quam partis, intimè, & essentialiter ingrediatur, sicut altera non vnita, tota humanitas non esset vnita, ita neque non vnita vnione humanitas tota vnione eorum, quibus essentialiter constat, quam solam Abulensis admittit, poterit vniri. Sed quatenus hanc difficultatem Vasquez, & Soarez euadant proximè videbimus. Ex suppositione autem, quod tota humanitas simul vnita verbo non fuerit, sed vnionibus solummodo partium in se, vt docuimus, fore etiam verbo vniendam partium vnionem in se sumptam probat Vasquez ab absurdo: quia aliàs tota vnio humanitatis ad verbum facta esset ante vnionem partium inter se se. Ego verò eiusmodi illationem non assequor; quia neque humanitatem existere posse ante vnionem vlla prioritate intelligo; neque vniri verbo, quin propriori naturæ in se absolutè existat. Quod si vnionem humanitatis sola vnione partium ad verbum intelligat nihil est in illatione absurdi, vt ex quæst. 2. constabit: vnionem autem partium ad verbum, quin vniatur ad verbum vnio earum inter se se, humanitatis vnionem absolutè vocare putarem ego absurdius; Sed nec Soarij, & Vasquez effugium securum est; eo quippe modo, quo animam, & materiam humanitatis à verbo assumptas, ipsique vnitas ratione vnionis indiuisibilis totius humanitatis ad verbum defenditur, de vnione earum inter se vnitam verbo negant: cùm tamen æquè essentialiter vnione animæ, & materiæ, atque his partibus constare humanitatem doceant, in quo à consequentia apertè deficiunt.

2 Dicendum igitur tertiò, in hac quæstione esse vnionem partium humanitatis inter se se, nec solùm partes ipsas, in se ipsa vnitam verbo fuisse, atque ab illo assumptam. Probatur: quia humanitas absolutè, & tota atque perfecta, & integra, saltem quoad essentialia, in se absolutè vnita hypostaticè verbo fuit ex fidei dogmate probato d. 1. q. 3. atqui non potuit vniri tota humanitas quoad essentialia in se ipsa, nisi vniatur in se vnio partium inter se se: ergò vnio partium inter se se fuit verbo in se ipsa vnita. Minor probatur: quia humanitas tota non potuit vniri verbo vnione indiuisibili, qua tota simul indiuisibiliter vniatur, vt probaui cert. 2. n. 5. ergò vnione diuisibili eorum, quibus essentialiter constat, solummodò potuit vniri: ac proinde sic fuit solummodo vnita; atqui non minus essentialiter constat vnione partium, quàm partibus ipsis; ergò vnita fuit partialiter vnione ad verbum vnionis suarum partium inter se se. Minor probata abundè à nobis est in physicis. Etenim implicat manentibus omnibus, quibus essentialiter res constat, non manere rem ipsam, cùm nihil aliud realiter, & formaliter res sit, quam ea omnia, quibus essentialiter constat; atqui manentibus partibus omnibus humanitatis, solaque pereunte vnione non manet humanitas; ergò non partes solùm sunt omnia, quibus humanitas essentialiter constat, sed præterea vnio ex essentialibus humanitatis est. Dices non esse essentiale constitutiuum, sed essentiale requisitum ad humanitatem. Verba das, quæ non accipio. Si n. humanitas solum constat tanquam essentialibus constitutiuis partibus, nempè anima, & corpore seu materia: ad nihil horum vnio requiritur essentialiter, ac necessariò cùm sine illa existant: ergò aliquid aliud assignare in humanitate debes, ad quod essentialiter, ac necessariò vnio requiratur; quod nequit esse ipsa vnio: cum ipsa sua essentia, non requisitum ad seipsam sit: quare dum tria incompossito quibus essentialiter constet refugis admittere, atque ideò vnionem à constitutiuo reiicis essentiali, ignorum, & paradoxe aliud admittere cogeris, atque insuper aliud essentialiter requisitum.

3 Confirmatur à paritate vnionis partium subiecti, quæ in se ipsa ad vnionem quantitatis, & qualitatis extensæ vnitur, vt totum subiectum, quantum vel quale constituatur. Secundò aptius à paritate vnionis partium materiæ; quæ vt tota animo rationali vniatur, & ipsa vnio partium in se, ac secundum se vniri animo rationali debet. Sed dices corpus Christi in Eucharistia toti quantitati panis indiuisibiliter vnitum esse vnione indiuisibili, cùm ex parte sui, licet corpus diuisibile sit, tum ex parte quantitatis diuisibilis. Hoc impugnat concl. 2. cert. 1. n. 5. positam, ex qua hanc probauimus ex parte. Et licet admitti posset, & negari consequentia illi concl. opposita ob rationem qua illam ex nostris principiis à priori probabamus, tamen falsum omninò est, & prorsus negandum. Oppones 2. directè contra hanc concl. dogma illud Cathol. *Quod semel assumpsit nunquam dimisit*, atqui, si vnionem in se assumpsit cùm in triduo, quo periit, vnio, non potuerit esse verbo vnita, vt patet, quod semel assumpsit, dimisisset à se: ergo non fuit vnio partium essential. hum. in se, ac secundum se verbo vnita, ab eoque assumpta. Vrgetur: quia, si hoc proloquium dogmatic. vniuersim saltem de essentialib. constitutiuis humanitatis verum, ac fixum non sit, corruit veritas de vnione corporis, & animæ in triduo mortis ad verbum, quam vnicè Patres, & Concilia ex eo proloq. stabiliunt. Resp. facilè dimissionem propriè dicere aliquid separare à se dimittentem; ad quod opus est, vt dimissum, ac separatum in se maneat, an seruus, qui moritur, dimitti, aut manumitti dici poterit; & tamè sub dominio heri non manet; quare in vnione partium, quæ

quæ in triduo mortis periit dimissio locum non habuit, nec potuit; haberet autem in corpore, & anima, quæ tunc permansere, nisi tunc vnio persisteret: quare rectè Patres ex proloquio illo vnitas tunc verbo manisse probarunt. Quam solutionem è Patrum, & Conciliorum mente esse illud facilè probat: quod cum totam humanitatem, quæ in triduo illo neque in se fuit, neque verbo vnita assumptam in se, verboque vnitam dogmaticè doceant, tamen illo proloquio ad constantiam vnionis animi, & corporis, quæ tunc permanserunt, statuendam vtebantur: quia dimissio persistentium solum esse potest, non pereuntium, ex quibus pro triduo illo, & vnio partium, & humanitas fuit.

4 Difficilius obiicies vt tota humanitas vniatur hypostaticè verbo opus est, vt vnio partium illius in se verbo vniatur: ergo pro priori naturæ supponi debet earum vnio producta à Virgine, quam tota humanitas vnita: ergo pro priori naturæ B. Virgo produxit, siue genuit humanitatem, quam esset homo Deus. Patet: quia homo Deus formaliter est per vnionem totius humanitatis ad verbum: atqui pro priori naturæ, quo B. Virgo produxit vnionem, & ratione illius humanitatem, humanitas non erat vnita hypostaticè verbo: ergo produxit B. Virgo humanitatem pro priori naturæ, quam esset homo Deus. Inde verò arguo sic: ergo B. Virgo non fuit mater Dei, imo neque hominis. Probatur: quia pro illo signo quo humanitatem genuit, ac produxit, neque Deus erat, neque homo: cum non esset pro illo in proprio supposito. nec in diuino. Secundo: quia id solum dicitur aliquod totum absolutè facere, quod facit vltimum, quo illud in esse talis totius constituitur; non autem, quod facit alia, quæ ad illud vltimum præsupponuntur: vnde productio materiæ, & animæ generatio, & effectio hominis non est, sed sola vnionis productio: atque, si equus formam equinam produceret, non autem illam materiæ vniret, non diceretur equum generare: atqui vltimum, quo homo Deus resultat, si vnio partium vnienda hypostaticè verbo sit, vt tota humanitas absolutè vniatur, est vnio huius vnionis ad verbum, quam B. Virgo non attingit, estque vltimum quo resultat homo Deus: ergo B. Virgo non efficit, nec generat hominem Deum. Qui potentiam actiuam obedientialem in rebus omnibus ad effectus quosuis admittunt facile responderent B. Virginem concurrisse ad vnionem hypostaticam vnionis partium humanitatis cum verbo, quod ego respondere non possum, qui eiusmodi potentiam nullatenus admitto.

5 Dicent alij nullam causam generantem attingere productionem subsistentiæ, sed solum vnionis partium naturæ, cui pro posteriori naturæ subsistentia adnascitur: & tamen suppositi, seu personæ efficientem, seu generantem causam dici: quia producit id ad quod immediatè suppositum, seu persona resultat. Sic ergo quia B. Virgo productione vnionis produxit humanitatem, quam immediatè secuta est vnio hypostathica, & Deus homo rectè hominis Dei genitricem, & Matrem dici posse. Sed neque hac solutione vti nos possumus. Cum enim modos subsistentiæ, & personalitatis naturæ superadditos, & agnascentes distecimus d. proæm. q. 2. eam rationem, & paritatem admittere nequimus. Secundò: quia eo adhuc admisso paritas non tenet. Etsi enim ita res in exemplo illo habeat: quia subsistentia, & personalitas naturaliter ex humanitate, vel alia quauis natura producta naturali sequela prouenit, qua naturaliter suppositum, & persona constituatur: ac proinde productione vnionis, qua natura substantialis producitur, aut generatur, suppositum & persona produci, vel generari merito dicatur, quia, qui dat formam dat consequentiam ad formam, vt vulgari axiomate fertur: sat in casu nostro cum vnio hypostathica vnionem partium humanitatis naturaliter non sequatur, sed supernaturalis prorsus effectus sit paritas non tenet. Verum ex nostra doctrina de subsistentiæ, & personalitatis essentia, qua huius difficultatis effugia omnia videbantur præcludi, est solutio expeditior. Cum enim subsistentia propria naturæ sit productio ipsius independenter ab vnione ad aliud, quod pars ipsius non sit: atque aliena sit productio ipsius dependenter ab vnione ad alienum suppositum, vel personam: fit, vt vnio partium humanitatis aliena verbi personalitate suppositandæ debeat produci, & existere dependenter ab vnione ad verbi personalitatem, ad quam vt minimum, vnio hypostathica ex vi suæ productionis necessario, & ineuitabiliter necessario sequatur: quare B. Virgo, quæ eiusmodi vnionis partium humanitatis existentiam proculdubio attigit, & produxit, & vnionem hypostathicam necessarius consequentem, quam quæ formam productam consequuntur, produxisse potiori iure dicetur, atque generatione humanitatis genuisse hominem Deum.

QVÆSTIO II.

An corpus per animam assumptum à verbo fuerit, atque anima per mentem.

PRÆSENTI quæstioni locum fecerunt verba Synodi 6. in edicto fidei Constantini Pogonati approbato à Leone Papa 2. Nazianzeni in superorat. 35. circa finem, & orat. 42. post med. & orat. 51. Damasceni 3. de fide c. 6. Augustin. 18. de Agone Christiano, & epist. 3. Ruffini exposit. symboli ad illa verba: *Qui conceptus est de Spiritu S. ex Maria virgine*. Nizetæ in orat. 3. Apologet. Naz. ad illa verba: *assumpta caro*. Hi enim omnes aiunt carnem media anima, seu per animam assumptam à verbo fuisse: aliqui verò eorum animam etiam medio spiritu, & mente, seu per Spiritum, ac mentem. Id quod verum aliquo sensu habere merito Doctores scholastici omnes ad vnum conueniunt; licet in sensu designando paucis eorum cum aliis conueniunt.

CERTAMEN I.

Aliorum sententia confutantur.

1 DVrand. in 3. d. 2. q. 2. totam humanitatem indiuisibiliter assumptam, verboque vnitam ait: sicque exæquo eius partes; licet prius, dignitatis ordine solùm anima, vtpote nobilior, atque in redemptionis fructu participando carne, seu corpore potior, assumpta à verbo merito dicatur. Illud de assumptione partium ratione assumptionis indiuisibilis humanitatis totius impugnatum satis à nobis est q. 1. cert. 1. n. 4. & 5. Prioritas vero ordine dignitatis solum satis non est, nisi amplius explicetur, vt corpus, seu caro media anima, seu per animam dicatur assumpta. Caiet. 3. p. q. 6. a. 1. Capreol. in 2. d. 15. a. 3. ad argumenta secundo loco adducta contra 1. concl. apud quem Heruæus. Palud. in 3. d. 2. q. 2. a. 2. concl. 2. asserunt carnem vnitam per animam, quia existit per animam eiusque existentiam, sicut vniuersim materia per existentiam formæ in sua doctrina: nequit autem vniri caro, seu materia verbo nisi existat: cum nihil vnibile sit alteri, dum in pura potentia est: ideóque à S. Thom. ibi dictum volunt. *Non enim esset assumptibilis*, caro, *nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem*, Materiam non existere per existentiam formæ abunde monstrabamus in physicis contra Thomistas. Sed nunc ex eo principio eorum rationem refello. Etenim materia vnibilis est formæ, cuius existentiam per vnionem participat, & qua ponitur formaliter in actu, quin pro priori ad eiusmodi vnionem supponatur ens in actu, sed solum ens in

potentia:ergo materia, ſeu caro vnibilis verbo erit provt in potentia, ac nondum ens in actu per animam eſt:ac proinde eo ſenſu per animam non vnietur. Secundò per hoſce tota humanitas Chriſti exiſtit per exiſtentiam verbi,cui vnitur:vel ergo pro priori naturæ ad vnionem ipſius cum verbo in inſtanti temporis, quo vnitur verbo, exiſtentia humanitatis ſupponitur vel non? ſi non ſupponitur:ergo non ſupponitur neceſſariò, id,quod actu vniendum eſt verbo, vt ens in actu, vt dicebatis:ſi ſupponitur:ergo in eodem inſtanti durationis datur duplex humanitatis exiſtentia, altera per exiſtentiam verbi,altera per exiſtentiam formæ,qua, & ipſa, & materia exiſtunt:ac proinde humanitas non exiſtit ſolùm per exiſtentiam verbi, quæ Thomiſticæ doctrinæ contradicunt. Imò nullatenus per exiſtentiam verbi exiſtit,eſtque ens actu humanitas,vt hi aiunt: cum id habeat ante vnionem ad verbum.

2 Vazq.d.37.c.7.& 8.ex Bonau.in 3.d.2.a.3.q.1. & Ricardo a.2.q.2.ad 1. ait medium vnionis aliud eſſe colligantiæ, quale eſt glutem, & vnio, alium aſſumptionis,ſiue ad aſſumptionem,quod cauſa eſt, vt alterum extremum aſſumatur, ac vniatur alteri.Rurſus hoc ſubdiuidit cum Alexandro 3.p.q.4.m.5.Scoto in 3.d.2.q.2.§.*Ideo quantum*,in medium aſſumptionis,vt *quo*:quod nempe ratio eſt,vt alterum aſſumatur, quin aſſumatur ipſum,vt pulchritudo,ac reliquæ dotes mulieris, vt aſſumatur in vxorem:& medium aſſumptionis vt *quod*: quod nempe;quia aſſumptum cauſa eſt, vt alterum aſſumatur:vt vas aſſumptum cauſa eſt, vt vinum incluſum aſſumatur. Medium illud aſſumptionis, vt *quo* dimidit iterum in medium neceſſitatis, ſine quo alterum non aſſumeretur;& congruitatis, ſine quo non ita aptum eſſet,vt aſſumeretur. Ait igitur animam non fuiſſe medium colligantiæ carnis ad verbum, cum non fuerit ipſa eius vnio;neque medium aſſumptionis vt *quod*,cum non fuerit vnica caro,ſolum,quatenus anima ipſam informat,vnita verbo,vt contra Gabrielem oſtendebamus q.1.cert.1.num.3.ſed medium *vt quo neceſſitatis*:quia niſi materia vnita formæ foret ex fine redemptionis noſtræ per opera pœnalia,& meritoria, nuſquam aſſumi poſſet, cum ea exercere, ne dum liberè, ac meritoriè materia de ſe mortua minimè poſſet:item, quia materia cum propriæ ſubſiſtentiæ capax non ſit ſecundum ſe,ſed ſolum,vt eſt cum forma, & in compoſito,niſi, vt anima informata, atque humanitatem conſtituens, aſſumi à ſuppoſito alieno verbi nequiret.Quare hoc ſenſu materiam, ſeu carnem media anima aſſumptam à Patribus, & S. Thom. dictam putat.Cæterum poſtremam rationem diſiecimus q.1.cert.1.num.1. Ex ea vero ſic ad hominem impugno. Non minus incapax eſt per Vazq.anima ſubſiſtentiæ propriæ,niſi quatenus coniuncta materiæ, atque in toto, quod conſtituit, quam materia:ergo non magis egetanima vnione ad materiam, vt aſſumatur a ſubſiſtentia,ſiue ſuppoſito alieno verbi, quam materia vnione ad animam: ergo non magis aſſumpta eſt materia media anima, ſeu per animam, quam anima media materia,ſeu per materiam hoc tuo ſenſu. Hoc autem eſt contra Patrum mentem. Idem probatur ex ratione prima: quia non minus inepta eſt anima non vnita materiæ, ſed ſecundum ſe ſumpta ad redemptionem per merita operum pœnalium, & mortem,quibus conſumanda redemptio noſtra erat, quam materia non vnita animæ,vt patet; licet ad alia opera libertatem habeat anima,quam non habet mortua materia. Ad hæc licet effectus intentæ redemptionis obſtineri non poſſet à materia exunita animæ, id non cogit Deum, vt earum vnio inter ſe pro priori naturæ ad vnionem hypoſthaticam cum verbo exequatur. Sed ſatis erit ſi pro poſteriori naturæ ad vnionem ad verbum vtriuſque partis vnio præſtetur, vt pater.

3 Soar.d.17.ſect.2.citans Alciſiodorenſem 3.p.ſum. tract.1.c.1. Ricard. proximè, Abul. paradoxo 2.c.4. S.Thom.3.p.q.6.a.5.ad 1. docet ordine executionis quamuis partem ſecundum ſe aſſumptam à verbo fuiſſe prius natura, quam inter ſe vnirentur: quia in eo ſigno,quo primum ante ſui vnionem ſunt, debent eſſe in ſe,vel in alio,cum ſint partialis ſubſiſtentiæ capaces; ſect.verò tertia ait materiam prius natura eodé ordine aſſumptam à verbo fuiſſe,quam animam, quia anima niſi pro poſteriori naturæ diſpoſitionis, & exiſtentiæ materiæ,producta, atque in ſuo eſſe actuali & exiſtentiæ fuit:quare neque prius verbo vnita eſſe potuit. Patres ergo ordine executionis nuſquam dixiſſe putat carnem media anima, ſiue per animam aſſumptam à verbo fuiſſe. ſect.verò 4.ait locutos ordine intentionis: quia materia, non niſi vt diſpoſita, & per ordinem ad animam aſſumeretur, vt aiebat S. Thom. Sed contra: quia ſubſiſtentias partiales prorſus relegauimus d. procem. Secundò cum in huius ſententia ſubſiſtentiæ,etiam propriæ,ſiue partiales, ſiue totales modi ſuperadditi ſubſtantiæ ſint poſterius natura ſubſtantiali eſſe,& exiſtentia erunt:quare non ad ſignum actualitatis eſſendi,ſed ad aliud ſubſequens ſubſiſtentia adhuc propria,nedum aliena,quæ per ſubſtantiæ vnionem ad alienum ſuppoſitum habenda eſt, neceſſario ſpectabit. Tertio tam vnio inter ſe ſe partium, quam cuiuſque ad verbum nullum naturæ ordinem habent de ſe, ſed ſunt actus diſparati inter ſe ſe,quorum alterum ſubſtantia partialis reſpicit, qua ſubſtantia, alterum qua pars eſſentialis eſt: vtrumque autem ex his prædicatis eſſentiale parti ſubſtantiali eſt in huius ſententia.

4 Sed magis diſplicet locutionis Patrum explicatio ordine intentionis.Vox enim *medio, alio & per aliud* ordinem executionis, mediumque remotius fini deſignat.Sicut *propter* medium remotius, & motionem intentionalem.Ergo Patres de ordine executionis ſolummodo explicari debent. Qua ratione ſolidè impugnantur afferentes apud Vazq.c.8.n.52. per animam aſſumptam fuiſſe carnem, quia illa medium propinquius erat fini Incarnationis. Confirmatur ratio:quia nemo dicet per ſciſſionem venæ, quæ propinquior intentæ ſaluti, ac proinde ordine intentionis prior,chirurgum vocari, ſed per chirurgi vocationem, quæ illo ordine poſterior eſt,ordine verò executionis prior, venam ſcindi. Secundò capacitas,vt vniatur materiæ, quam hic, & S.Thom.aiunt eſſe per ordinem ad animam, ſiue per animam ordine executionis debet præcedere. Tertiò: cum finis intentus ſit noſtra redemptio per opera pœnalia,& mortem, ad quam ſic præſtandam vtriuſque partis vnio, & inter ſe,& ad verbum requiritur,non magis præcedit ordine intentionis materia vnita animæ ad vnionem hypoſthaticam,quam anima vnita materiæ:cum neutra ſeorſim conducere ad redemptionem ſic præſtandam queat.Secundo neque opus eſt,vt prius fiat vnio hypoſthatica partium inter ſe ſe,quam ad verbum,vel ad verbum,quam inter ſe ſe:quare non eſt cur altera vnio ordine intentionis, vel ordine executionis ad alteram præcedat:ergo tota hæc explicatio,& doctrina ſine fundamento.

CERTAMEN II.

Noſtra ſententia,& germana illius locutionis Patrum explicatio.

1 DIco primo. Neutra pars præſuppoſita fuit vnita verbo, ad vnionem alterius cum verbo. Eſt concluſio omnium Doctorum,quos recitauimus cert.1.Durand. & Vazq.&, aliquorum,quia vtraque aſſumpta fuit vnione indiuiſibili totius: quare neutra prius natura aſſumi potuit à verbo.Soarij verò ſi de ſe ſe partes conſiderentur,vt conſtat ex iis, quæ docuit citata ſect. 2. eſt autem de facto loquendo contra ipſum ſect.3. vbi docuit materiam prius natura, quam animam vnitam verbo fuiſſe:quia prius natura præceſſit ſuis diſpoſitionibus exiſtens,quare & in ſe,vel in alio, ſiue in ſuppoſito proprio vel alieno, anima verò cum pro poſteriori diſpoſitionum producta,atque exiſtens fuerit ſolum

lum pro poſteriori illo vniri verbo potuit. Sed hic diſcurſus præter doctrinam de partialibus ſubſiſtentiis, cui innititur, à nobis impugnatam falſus omnino eſt. Etenim non ſolum pro eodem inſtanti naturæ, quo ſubſtantia eſt, ſed nec pro eodem inſtanti durationis, quo res eſt,opportet,vt ſubſtantia in proprio, vel alieno ſuppoſito ſit,vt d.procem. monſtrauimus:cum poſſit eſſe ſine propria,ac ſine aliena ſubſiſtentia. Si ergo pro eodem inſtanti naturæ,quo primum eſt non debet eſſe in ſe vel in alio, vnde probatur ex eo, quod pro priori naturæ ſit, quam anima, pro priori verbo vniri materiam. Probatur ergo concluſio: quia vtraque pars in ſe eſt immediatè vnibilis verbo, ſeu quod idem eſt, productibilis dependenter ab vnione ad verbum in ſui exiſtentia: ergo ad cuiuſque vnionem ſola ipſius exiſtentia in ſe ſupponetur, & quæ ad hanc neceſſario ſupponuntur:ſed neutrius vnio ad verbum eſt exiſtentia alterius, vel aliquid neceſſario ad illam requiſitum: ergo neutrius vnio ad verbum ſupponitur ad vnionem alterius ad verbum. Minoris pars extrema probata eſt ſatis modò contra Soar. & ſupra contra Vaſq.

2 Obiicies ex noſtris principiis,nec ſegniter, nec obtusè. Exiſtentia materiæ ſupponitur ad exiſtentiam animæ Chriſti in hoc inſtanti temporis, quo, & anima ad exigentiam diſpoſitionum creata eſt, & vtraque vnita verbo: atqui in hoc inſtanti exiſtentia materiæ eſt dependenter ab vnione ad verbum actuali: ergo exiſtentia, ac proinde, & eius vnio ad verbum præſupponit ſicut exiſtentiam materiæ, & diſpoſitionum, ita & vnionem actualem materiæ ad verbum, à qua eiuſmodi exiſtentia hic, & nunc dependet. Reſpondetur tamen diſtinguendo minorem. Exiſtentia materiæ in hoc inſtanti eſt dependenter ab vnione ad verbum *tanquam à principio, motiuo,vel conditione actu* præſuppoſitis;nego minorem: Nam exiſtentia materiæ abſolutè, & omnino præcedere neceſſariò debet vnionem ſui ad verbum, vt patet;tanquam à fine,vel termino ex decreto Dei ſic materiam in illo inſtanti ac deinceps conſeruantis concedo minorem; & nego conſequentiam. Itaque,ſicut actio natura ſua ab actuali termini poſitione pendet,nec tamen illo eſt natura poſterior: imo ab illo tanquam à poſteriori pendet:ita exiſtentia materiæ, eiuſque productio in inſtanti Incarnationis ex Dei voluntate, & decreto ab vnione ipſius ad verbum tanquam à termino poſterius natura ponendo dependet,quin inde vnio prior natura materiæ exiſtentia,vel hæc poſterior natura vnione ad verbum habeatur.

3 Dico ſecundo.Neutra pars, vt vnita alteri præcedit natura alterius vnionem ad verbum.Eſt contra Vaſq. Probatur ex natura rei quia,vt proximè dicebam, quælibet pars humanitatis de ſe ſe apta, potenſque eſt aſſumi à verbo,ipſique vniri:ergo non eget vnione ad alteram,vt à verbo aſſumatur, ipſique vniatur: ergo neutra indiget vnione ad alteram, vt verbo vniatur: ac proinde neque ab ea pendet: ergo neutra præcedit natura alteri vnita,vt altera ad vnionem cum verbo aſſumatur. Dices rationem hanc probare quidem ex natura rei,non autem ex Dei intentione aſſumendi totam humanitatem, quæ non niſi vnitis anima, & materia conſtare poteſt. Sed adhuc ex intentione Dei probatur. Siquidem, licet humanitas aſſumi nequeat, vt intenditur, niſi in ſe ſit ex partibus inter ſe vnitis compacta, poteſt tamen ita humanitas aſſumi, vt partes in ſe prius natura aſſumantur vnione inter ſe ſe, vel ſaltem non natura poſterius, vnianturque aliundè,atque aſſumatur deinde ipſarum inter ſe vnio à verbo:hoc ſiquidem pacto humanitas tota aſſumpta proculdubio manebit. Sic ergo rem contigiſſe puta, vt in inſtanti illo temporis,quo peracta incarnatio fuit, materiæ pro priori naturæ detur exiſtentia à Deo dependenter ab vnione ad verbum tunc etiam pro poſteriori naturæ futura: rurſus in ſequenti naturæ ſigno fuerit diſpoſita effectaque caro in actu ſignato:tum immediatè, & vniatur materia,ſiue caro in actu ſignato,verbo, & creetur anima ad diſpoſitionum exigentiam,poſtmodum verò, & anima ipſa vniatur verbo,& materiæ etiam ſi placet: ac tunc demùm earum inter ſe vnio vniatur verbo, ſicque tota humanitas vnita verbo reſultet. An non Dei intentioni de vnienda ſibi humanitate ſatisfiet? ergo neque ex natura rei,neque ex Dei intentione altera humanitatis pars debet præcedere alteri vnita,vt hæc à verbo aſſumatur, verboque vniatur,vt dicebamus.

4 Oppones primo.Sic aſſignatis ſignis naturæ materiæ ad verbum vnio præcedit natura vnionem animæ ad verbum:cum illius vnio ad verbum eodem naturæ ſigno,quo animæ exiſtentia ponatur,quæ dubio procul prius natura eſt vnione ipſius animæ ad verbum, quod eſt contra concluſionem primam. Negatur aſſumptum. Ad cuius rationem reſpondeo materiæ vnionem ad verbum pertinere in ſignis naturæ poſitis ad idem ſignum negatiuè, ac concomitanter non ad idem ſignum poſitiuè,& formaliter;ideſt non pertinere ad poſterius, licèt non pertineat ad illud ipſum reale formale ſignum naturæ,quo animæ ponitur exiſtentia,ſed ſolum comitanter:quatenus actus primus proximus ad duplicem illum actum ſecundum eſt, quorum neuter cum altero naturæ ordine coordinatur,ſed inter ſe ſe diſparatè ſe habent. Non ſecus atque calor,ſiccitas, & lux ab eodem ſole in eodem corpore cauſantur; & tamen inter ſe non coordinantur natura, neque in ordine ad effectus,nam ſpecies viſus à luce proueniunt, poſterioreſque natura luce ſunt,non autem calore,vel ſiccitate,quæ ad idem ſignum poſterius ſole comitans, & negatiuè idem ſpectant.Similiter res in caſu noſtro habet, atque in aliis,quæ componi ab aduerſariis poſſent,vt alterutra ex datis concluſionibus noſtris impugnaretur:quas ideò non compono,& obiicio, quia hac doctrina penetrata facilè à quouis dilui poſſunt.

5 Oppones tandem ex tota hac noſtra doctrina inferri non eſſe aſſumptam à verbo materiam media anima,ſiue per animam,vt Patres, & Concilia citata aiebant:neque animam media mente, ſiue per mentem aſſumptam à verbo fuiſſe,vt aiebant ex eis nonnulli.Reſpondetur S.Thomã mentem Patrum, & Conciliorum profundè penetraſſe loco recitato cert. 1.n.1. & clarius à 4.ad 3.vbi habet: *vnione perſonali prius ſecundum intellectum oportet, quod caro vniatur animæ, quam verbo: quia ex vnione ad animam habet, quod ſit vnibilis verbo in perſona.* ſcilicet:quia perſona,non niſi rationalis naturæ,quæ caro ſine animo rationali non eſſet, indiuidua ſubſtantia eſſe poſſet: cum autem vnio ad humanitatem,vt perſona eſſet,ad verbi perſonam,qua perſona,facta fuerit,ad carnem ſolam facta non fuit,vt aiebat Apollinaris, ſed ad illam cum anima. Sed dices etiam per nos,vt reſultaret homo,& humanitas eſſet perſona ad noſtræ redemptionis finem anima vnienda neceſſario materiæ,& carni fuit:ergo non magis caro media anima,ſiue per animam, quam hæc per carnem vnita fuit verbo contra Patrum propoſitionem, vt nos contra Vaſq. arguebamus. Reſpondetur argumentum noſtrum fuiſſe ad hominem contra Vaſq.conſequentiam verò non eſſe contra Patrum ſenſum,qui hoc minimè negarunt,Sed alterum illationis membrum negatum ab Apollinare, occaſio ergo eius propoſitionis,& Patrum intentum videndum eſt,ne minus attenta occaſione, & intento Patrum cæco huc illuc impingamus, vt ex datis impugnationibus patet. Occaſio ergo ea proferendi,& Concilio, & Patribus fuit Apollinaris error,qui, & carnem ſine anima primum,deinde ſine mente aſſumptam dicebat: & tamen cum Catholicis vnitam carnem, vel ſine anima, vel ſine mente verbo in perſonæ vnitatem aſſerebat: atque eandem proinde perſonam creatæ, & increatæ naturæ in Chriſto. Inde Patres contra primum certabant. Si enim ex natura creata, & perſonalitate verbi perſona reſultabat,& eadem cum diuina, non potuit non anima, & gradus intellectiuus creatus aſſumi à verbo: cum ſine illis natura creata, ſeu caro non eſſet natura rationalis,quam de materiali perſona importat eſſentialiter: cum debeat eſſe *rationalis naturæ individua ſubſtantia*:quare,vt eadem ſit perſona humana,& diuina,

non

non autem sola *diuina, opus* fuit animam, & mentem assumi, quæ potior humanitatis pars est: ac proinde caro ex *vnione* ad animam habet *quod sit vnibilis verbo in persona.* ac per illam caro, seu materia assumpta est vt personam eandem cum verbo constitueret, quam non constitueret, & si ex vnita præcisiuè, vel negatiuè animæ à verbo assumeretur, vt assumpta quæuis pars iuxta dicta, fuit, nihil curantes, an sic etiam ad id anima per carnem assumpta fuisset. Atque hæc quidem Concilij, & S. Thom. mens mihi non dubia.

6 Aliam tandem contra eundem errorem sententiam, imo, & argumentum aliud alicubi Patres continent. Naz. orat. 38. quæ est in natiuit. & orat. 42. quæ est 2. in Pascha, sic habet: *Qui nullo contineri potest interuentu animæ intellectualis inter diuinitatem, carnisque crassitiem interiectæ continetur.* Atque epist. 1. ad Cledon sic contra Vitalium Apollinaristam fatur. *Mens menti, vt pote propinquiori, magisque familiari iungitur, ac per eam carni: medium videlicet locum obtinenti inter diuinitatem, carnisque crassitiem,* Ex quo sententiam mutuatus videtur Damascen. 3. de fide. c. 6. his verbis: *Dei verbum per mediam mentem carni vnitum est: interiectam videlicet inter Dei puritatem, & carnis crassitiem.* Ac tandem Nizetas in orat. 1. Apologet. ad illa verba *assumpta caro*, atque ad recitata ex oratione 42. sic scribit: *Anima enim propter imaginis dignitatem, atque intelligendi vim Deo coniunctior est: ac proinde hæc prima, vt materiæ expers, diuinitatis particeps facta est.* Consonatque S. Thom. verbis recitatis. Sensus autem apertus est contra Appollinarem; & assectas prius ordine dignitatis, & vicinitatis, vt sic loquar, assumptam à Deo fuisse animam, & mentem, quam carnem: cum sit anima Deo entitatiuè vicinior, proximiorque, quam caro: quare minori transacta distantia animæ, ac menti vnitum esse verbum, quam carni: prioritas ergo illa vnionis ad animam non est aliqua naturæ prioritas, sed propinquitatis entitatiuæ.

QVÆSTIO III.

An verbum partes etiam integrales humanitatis omnes in perpetuum assumpserit?

HVMANITATIS partes essentiales, vt anima, & materia, assumptas in se fuisse probatum satis est q. 1. atque in perpetuum assumptas, numquamque dimissas, nec dimittendas dogma catholicum est ex illo proloquio etiam dogmatico. *Quod semel assumpsit numquam dimisit.* ad eam veritatem statuendam præcipuè à Patribus adinuentum, atque à Theologiis receptum: qua de re videndus in primis est Damasc. 3. de fide c. 27. Sed præter has aliæ humanitatis partes sunt, quæ integrales vocantur, quia ipsam integrant. Ex quibus aliæ integrant tanquam necessaria facultatum ipsius organa, & instrumenta, vt ossa, caro nerui, ac membra denique humani corporis omnia, quæ proinde partes organicæ appellantur; aliæ verò, vt corporis alimenta, & ornamenta, vt sanguis, capilli, vngues. De integrantibus organicis nulla est inter Catholicos quæstio assumptas in se à verbo fuisse. Hoc enim definitum est dum perfectus homo à verbo assumptus, animaque, & caro assumpta à Patribus, & Conciliis definitur. Cumque naturam, quam in Adamo plantauit, non mutilam, & monstrosam, verbum assumpserit, partes omnes organicas assumpsisse certum omnino est, vt luculenter tradunt Leo M. ferm. de natiuit. cap. 2. Damasc. 3. de fide c. 3. & 6. Accedit hoc maximè decuisse, & filium assumentem, & Trinitatem incarnationis opificem, opusque ipsum per illam obeundum. Tota ergo quæstio de aliis partibus integrantibus esse potest, an omnes assumptæ à verbo fuerint, ac tam de his, quam de organicarum aliquibus an fuerint in perpetuum à verbo assumptæ.

CERTAMEN I.

Aliorum sententiæ proponuntur.

1 SAnguinem humanitatis assumptum in se à verbo non fuisse, sed solùm mediatè ratione corporis, in quo contiguè continebatur docuit expresè Durand. in 4. d. 10. q. 1. num. 19. cui præire videtur Gabr. lect. 57. in Can. littera K. sed ipse in supplemento ad 4. sententiar. d. 44. se disputatiuè solùm tunc locutum fuisse fatetur. Id autem Pij: Pa. 2. ætate nonnulli Scholastici docuerunt: ac postmodum Barcinonensis Theologus in publica concione, vt referunt Syluester in rosa aurea tract. 3. q. 31. Ioannes Dominicus de Dominicis in quæstionibus Enangelic. in Paschate, & lib. de sanguine Christi, ac directorium inquisitor. 2. p. q. 10. Referuntur pro eadem sententia Abulensis, & Ricardus citandi: cum tamen solum negauerint sanguinem primario assumptum, quod verum esse potest, licet in se immediatè assumptus à verbo sanguis fuerit. Caietanus 3. p. q. 54. a. 2. respons. ad 3. duplicem sanguinem in humanitate distinguit: alterum imperfectum, & nutrimentalem solum, nec viuentem; alterum, qui pertineat ad veritatem naturæ: atque hunc assumptum à verbo fuisse, secus illum. Consensit Syluester proximè, licet vtrumque viuere sentiat esse probabile. Sed cum sanguis totus continuus eisdem venis inclusus, atque animalis nutrimentum, ac in spirituum vitalium, & animalium materiam, & vehiculum animalibus corporibus datus sit, vana est duplicis sanguinis, viui, ac non viui distinctio contra philosophiam omnem inuecta: solo scilicet censuræ contra Durandum latæ, infra à nobis subiiciendæ metu: quam tamen hi Doctores non effugiunt si enim sanguis ille imperfectus, ac nutrimentalis solum verè sanguis absolutè est, ac sanguinis, nomine absolutè vocandus, & intelligendus venit, definitione de sanguinis absolutè dicti assumptione sua hæc sententia damnatur.

2 Tertia sententia docet sanguinem quidem assumptum à verbo fuisse, non tamen in perpetuum: sed effusum statim ab illo dimissum. Ita Abulens. paradox. 2. cap. 43. Ricard. in 3. d. 2. à 2. q. 1. circa fin. Maior. in 4. d. 43. q. 1. & ferm. qui incipit: *Memoriam fecit*, & alio, qui incipit: *Nolite timere.* Franciscus Ruuere Franciscanus postea Cardinalis S. Petri, ac demum Sixtus Pa. 4. manuscripto apud Bibliothecam nostri Collegij Romani, videturque non alius sententiæ fuisse memoratum Theologum Barcinonensem. Bam vero temperauit Franciscus Collius Mediolanensis Theologus Collegij Ambrosiani tract. de sanguine Christi, lib. 5. c. 5. docens effusum sanguinem, qui in resurrectione à Christo Domino resumendus erat non fuisse à verbo dimissum: eum vero, qui apud nos erat mansurus, nec à Christo iterum recipiendus fuisse à verbo in triduo mortis, ac deinceps dimissum. Hanc etiam distinctionem nulla, siue ratio, siue Patrum authoritas adinuenit; sed purus censurarum metus, quas neque omnino deuitat. Cum moderatio hæc, æquè, atque Abulensis sententia in illud dogmaticum proloquium impingat: *Quod semel assumpsit numquam dimisit.* Sed tamen sic temperatam sententiam sequuntur Vvadingo d. 4. dub. 10. num. 130. Bernal. d. 26. sect. 3. num. 21. Lugo d. 14. sect. 4. num. 64. in eamque videtur tandem vergere Soar. d. 15. sect. 6. ad 5.

3 Quarta, & communis sententia docet sanguinem totum humanitatis assumptum in se à verbo in perpetuum

perpetuum fuisse, neque sparsum vllum ab eo esse dimissum. Ita Albert. M. de sacrificio Missæ. Lyra in id ad Hæbr. 9. *Quanto magis sanguis Christi.* Capreol. in 4. d. 11. q. 1. à 2. contra 1. conclus. Maior. in 3. d. 37. q. 25. Turrecremata in caput *inuitat.* de consecrat. d. 2. Syluester in rosa q. 31. tract. 3. Sotus in 4. d 10. q. 1. à 2. Capreol. d. 11. q. 1. à 2. ad 5. contra 1. concl. Vasq. d. 36. c. 4. Valentia 3. p. d. 1. q. 5. pun. 1. Soar. d. 15. sect. 6. Valentia verò non totum sanguinem effusum à Christo resurgente resumptum putat, sed aliquem apud nos adhuc manere, verbo tamen vnitum perseueraturum semper, latriaque proinde adorandum: de quorum primo hic inferius dicemus; de secundo verò controu. penult. d. de adorat. illud hic annotabo. Plerosque ex his Doctoribus communis huius conclusionis probationem ex alia minus mihi probata ratione philosophica, siue animastica desumere: quod scilicet sanguis humanitatis ab animo rationali, vel saltem à viuente animo informetur. displicet autem ratio primo: quia iuxta Aristotelem, probatioremque, & communiorem philosophiam sanguis, neque rationali, neque viuente aliquo animo informatur, vt latius controu. de anima ostendebamus. Secundo: quia eo adhuc admisso inde sanguinis vnio cum verbo nulla firmitate deducitur, quæ tamen aliundè solide probatur, vt cert. 2. patebit.

4 De humoribus reliquis pituitabili &c. eodem modo, ac de sanguine cui sunt admixti, Doctores omnes censent, quare totidem de eis, atque de sanguine opiniones feruntur; de capillis, & vnguibus assumptos à verbo fuisse negant Vasq. d. 36. cap. 7. num. 34. Bernal. d. 26. sect. 3. num. 18. Affirmant vero Abulens. vbi proximè Soar. d. 15. sect. 7. concl. 2. Lugo d. 14. sect. 8. num. 109. Vvadingo. d. 4. dub. 10. fine. Tandem de accidentibus humanitatis calore, & similibus Recentiores memorati à Bernale num. 25. assumpta à verbo fuisse censebant. Hit contradicit Bernal. num. 26. imo & Doctores omnes, tam ex iunioribus, quam ex veteribus oppositum supponentes potius, quam disputantes. Et merito quidem: cum nullum sit, vel apparens in Patribus, aut scriptura, aut ratione eius asserendi fundamentum: quod admissa etiam accidentium ad vnionem hypostaticam assumptibilitate, ad rem tamen de facto asserendam, statuendum in primis erat, ne temerè diceretur. Verum, dum partem alterutram Bernal. ac Recentiores illi probare à ratione contendunt, nihil sanè pro alterutra præstant. Nam Bernal. ex incapacitate subsistentiæ propriæ in accidentibus incapacitatem eorum, vt à supposito alieno assumantur, probat: existimans quidquid persona esse non potest persona vnivi minimè valere. Ostendimus autem d. 1. q. 1. cert. 2. num. 5. accidentia assumi posse ad vnionem hypostaticam, & d. proæm. & d. 2. q. 1. non quidquid assumi à persona potest debere cum illa personam constituere, aut propriæ subsistentiæ esse capacem. Recentiores verò ex necessitate modi perseitatis pro accidentibus in statu separationis oppositè discurrunt: quam tamen nos d. proæm. abundè etiam confutauimus: quare nihil ab his, atque à Bernale pro alterutro firmum affertur.

CERTAMEN II.

Nostrum de sanguine & humoribus iudicium.

1 DIco primò: Sanguis intra corpus Christi existens assumptus in se, & immediatè à verbo fuit. Est de fide, vel fidei proxima contra Durandum & assecias. Probatur primo: quia homo perfectus à verbo ex patribus, & Conciliis assumptus sanguinem includit. Confirmatur: quia homo in scriptura idem, atque caro & sanguis est. Matthæ. 16. num. 17. *caro & sanguis non reuelabit tibi.* ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem.* idest non reuelabit tibi homo, nec aduersus hominem pugnamus. Ergo dum homo assumptus definitur & carnem, & sanguinem assumptum esse decernitur: ne dum cum perfectus homo assumptus statuitur. Probatur secundo: quia, si tantum assumptus esset sanguis, quatenus in corpore continebatur, non autem in se immediatè semel effusus non mansisset vnitus: siquidem, quod eatenus solum tenetur, quatenus in alio est: v. g. aqua in vase, cum semel effunditur non tenetur: ergo sanguis Christi effusus vnitus verbo non mansit: atqui hoc est erroneum, vt dicemus concl. 2. ergo diem sanguis fuit in corpore Christi vnitus in se, atque immediate verbo fuit. Tertiò: quia sanguis Christi in se secluso merito offerentis fuit pretium nostræ redemptionis, vt de satisfactione Christi agentes ostendemus: atqui hoc solum ab vnione cum verbo habere potuit: ergo in se vnitus fuit verbo sanguis Christi.

2 Quarto probatur ex 2. ad Hebr. vbi Paulus ait: *Quia* ergo *pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Ex quo loco Cyrilus Alexandrinus de recta fide ad Regin. capit. *quod vita, & viuificus Christus*, & de incarnat. vnigeniti. cap. 11. circa finem nostram conclusionem deducit, atque epist. ad Nestor. sæpè citata approbata ab Ephesino tom. 1. cap. 12. & Calcedonensi act. 1. post med. p. 1. anathematismi 3. ait. *Verbum verò factum esse carnem nihil est aliud, quam, quod in carne, & sanguine nobiscum similiter communicauit, ac nostrum corpus proprium sibi fecit.* Respondet Bernal. sect. 3. citato n. 18. ex hoc loco, & ratione, vt sonat, plus probari, quam intenditur, & oporteat. Nimirum verbum capillos, & vngues, etiam in se & immediatè assumpsisse: quod reputat absurdum. Sed primò: id non absurdum, sed verum omnino est, vt cert. 3. ostendemus. Secundo ex ea ratione nullatenus infertur: cum homines non eodem modo communicent capillis, & vnguibus, atque carni, & sanguini, vt patet nam his communicant vt intimioribus sui partibus, illis vero solum, vt ornamentis. Tertiò, cum sit Apostoli ratio atque Cyrilli propria vocum significatione contenta reiici minimè possit, quin eius loci, vt rationis sensus aptior afferatur, atque is, quem diximus, à mente, & textu; siue contextu eorum ostendatur alienus, id quod neque à Bernale præstatur, neque, vt æstimo, præstari potest.

3 Sed audiatur idem Cyrill. hom. in Concil. Ephesino, ordine 5. t. 4. operum suorum sic effatus: *Licet enim verbum Dei, cum Deus sit, carnem assumpserit, ac sanguinem.* & epist. 29. ad Acacium Melitens. post med. *Deum hominem factum esse*, (ait) *propter carnis, & sanguinis assumptionem.* atque Apologet. pro anathematismis defens. 10. circa finem. *Confitemur quod Deus est in carne, & sanguine*: per vnionem, de qua loquitur. Naz. trac. de fide Nicæna, seu orat. 50. relatus in actis Liberij t. 1. antiquæ compilationis cap. 5. ait *Deum permanentem etiam hominem natum, non putatiuè, sed verè; non aereum, sed corporeum; non phantasticum, sed carneum, ossa sanguinem sensum, & animam habentem.* Denique Tridentinum sess. 13. cap. 3. definit partes Christi esse *corpus, & sanguinem* quare eodem modo, ac corpus in Christi partibus numerat; quod non posset, si sanguis non in se, sed ratione corporis verbo esset vnitus. Additque propterea verbum per concomitantiam æquè esse sub speciebus vini in calice, atque sub speciebus panis in hostia: ergo æque vnitum est verbum sanguini, ac corpori Christi immediatè & in se. Ea enim solum per concomitantiam ponuntur in sacramento, quæ vnita eis, quæ vi verborum ponuntur in se ipsis sunt. Dices poni ratione vnionis mediatæ, quia vnitum est carni, seu corpori, quod

sanguini vnitum est. Contra primo: quia id non est poni per concomitantiam cum sanguine, vt ait Tridentinum, sed cum corpore, quod est per concomitantiam cum sanguine in calice: ac proinde non eodem modo, atque est per concomitantiam sub speciebus panis in hostia, atque esse verbum in calice Tridentinum. Contra secundo: quia non alio modo esset verbum in calice, quam accidentia corporis Christi, quod est apertè absonum.

4 Dico secundo. Sanguis effusus: vnitus verbo in triduo permansit, definitum hoc fuit à Clemente Pap. 6. contra Theologum illum Barcinonensem cuius definitionem referunt directorium inquisitor. Syluester eius definitionis ad inquisitorem Nicolaum Roselli Dominican. missæ oculatus testis, ac Dominicus de Dominicis citatis locis. Damnationis huius verba sunt damnare *vt erroneum & hæreticalem hunc articulum: quod in sanguine Christi sparso in Parasceue non remanserat diuinitas, nec sanguis ille erat deificatus.* Rursus definit oppositam veritatem in extrauagante *Vnigenitus*, illis verbis: *Non guttam sanguinis modicam*, (*quæ tamen propter vnionem ad verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset*) sed, velut quoddam profluuium nosci tur effudisse; vbi de vnione sanguinis non solum venis, & corpore inclusi, sed præcipuè in ipsa effusione, qua in facto esse oblatus ille fuit, Pontifex loquitur. In quam eandem sententiam Pontificis plura Patrum testimonia aduocari hic possunt, quæ dabimus infra de Christi satisfactione agentes controu. 6. d. vlt. q. vlt. cert. vlt. Nescio autem, qua fide, vel fronte ex aduersariis aliqui apud Vasq. & Lugo proximè cap. 7. definitionem Clementis 6. negent, quæ tot testibus, ac textibus comprobatur: atque allegent decretum memorati Pij Pap. 2. ne quis alterutram huius quæstionis partem damnaret, donec altera authoritate apostolica definiretur; cum tamen nullibi tale decretum extet, nec ab alio, quam ab eis mentio ipsius fiat. Idcirco oppositam conclusionem graui censura dignam merito iudicauit Cardinal. de Lugo cap. 7. Secundo probatur conclusio ab absurdo: quia, nisi in triduo mortis sanguis vnitus in se verbo fuisset, hoc nullatenus in calice esset: cum per concomitantiam ea solum esse possint, quæ vnita illi sunt, quod vi verborum ponitur sub speciebus sacramentalibus: tunc autem ne mediatè quidem ratione vnionis ad corpus, vnitum sanguini erat verbum in aduersa sententia: cum extra corpus esset effusum; imo, vt bene ait Vvadingo dici Christi nomine non posset verè. *Hic est sanguis meus*, cum personæ Christi, quæ fuit, tunc sanguis ille non esset: quæ sunt absurda contra omnes Theologos. De reliquis modis negandi vnionem effuso Christi sanguini in triduo constat eos etiam præfata definitione tangi: cum de quauis gutta effusi sanguinis loquatur.

5 Dico tertiò: Reliqui humores, flegma, bilis, ac melancolia, atque spiritus vitales, & animales assumpti in se à verbo fuere. Est fere omnium conclusio. Caietani (in quo consequentia desideratur ad ea, quæ dixit de imperfecto sanguine) Soto, Syluestri supra, Vasq. c. 7. n. 33. Soar. d. 15. sect. 7. Bernal. sect. 3. n. 23. Vvadingo dub. 10. fin. Lugo. d. 14. sect. 8. communis ratio: quia hæc omnia ad integritatem naturæ assumptæ, æquè, atque sanguis, spectant, atque illi maxima ex parte admixta sunt. Quo circa legendus est Ægidius de Præsentat. tom. 3. de Beatitudin. lib. 2. q. 7. & 8. passimque Philosophi, ac medici. Ex Patribus Damasc. 2. de fide cap. 12. August. epist. 146. & libr. de spiritu, & anima cap. 15. vbi asserunt humanum corpus quatuor humoribus hisce constare: ergo ad veram humanitatis integritatem æquè hi tres, atque sanguis, spectant: ac proinde æque illos, atque hunc in se, & immediatè verbum assumpsit. Secundo æquè de illis, ac de sanguine probat ratio Pauli, & Cyrilli. Imo, cum sanguis venis inclusus quatuor humoribus constans massa dicatur, non solum ratione sed textibus ipsis. Nam sanguis in eis eo modo, quo humano, & vulgari modo accipi solet, eoque sensu positus in eis est. Ex quo etiam constat de aliis etiam tribus humoribus sanguini effuso Christi admixtis censendum esse in triduo vnitos verbo perseueraſſe. Quin imò de eis speciatim nihil à pluribus asseri, quod dum de sanguine agunt, de eis etiam agere existiment dubium mihi non est. De spiritibus, etiam vitalibus, & animalibus, qui viuentibus hominibus ad naturæ, & facultatum functiones, inseruiunt, facilè id ipsum suadetur.

CERTAMEN III.

De Capillis, & vnguibus statuitur, atque ab obiectionibus conclusiones liberantur.

1 De capillis, & vnguibus dico quartò, assumptos in se à verbo fuisse. Probatur ex Athanas. epist. ad Epitect. relata ab Epiphanio hæresi 77. & ex Ambrosio de incarnat. Dominicæ sacramento c. 6. inferentibus contra Eutychianos, si Deus conuersus esset in humanitatem assumptam, in vngues, & capillos conuersum fuisse, cum tamen non nisi in id, quod in se assumptum fuit conuersum Deum Eutychiani asserent, neque asserent speciatim vngues, & capillos assumptos in se fuisse, sed solum humanitatem: quare assumptione humanitatis in se ab ipsis admissa, admitti necessario deberi assumptionem capillorum, barbæ, & vnguium Patres supponunt, atque ex conuersione in id, quod in se assumptum à Deo fuit, conuersionem in vngues, & capillos inferunt. Dices assumptionem capillorum in se fuisse Eutychianorum sententiam expressam, vnde rectè ex alio suo errore conuersionis Dei in id absurdum à Patribus agi. Sed contra nullibi id expressisse apud Eutychianos legitur. Secundò: quia Patres ex conuersione in humanitatem assumptam Eutychianorum solummodo inferunt, vt videre in ipsis est: quare assumptione humanitatis ab eis admissa admitti capillorum, & vnguium assumptionem supponunt. Et merito quidem: quia hæc omnia ad ornatum & perfectionem, humanitatis spectant, illius etiam, quam in Adamo plantauit Deus; licet autem non sint adeò necessaria atque organicæ partes ad vitæ munia, sunt tamen ad aliqua: vix enim quidquam ab exungui digitis tractari potest: certumque sit Deum perfectam naturam, & quam in Adamo plantauit, assumpsisse: quare illam cum capillis, & vnguibus assumpsisse certum esse debet. Calua enim, exunguis, & imberbis humanitas monstrosa, & ridicula est, non perfecta; & quæ fuit in Adamo plantata. quod si ob beatitudinis decentiam, non exunguis, & calua humanitas, sed cum capillis, barba, & vnguibus admitti ad illam per omnes Theologos debet, potiori iure, non nisi cum eis ornamentis ad vnionem cum Deo assumptam esse credendum est. Denique arguo cum Lugo num. 111. vel hæc sunt partes absolutæ integrales corporis Christi, vel non? Si sunt: cum integrum absolutè corpus in se verbum assumpserit, & hæc assumpsit: si non sunt: ergo non sunt in Eucharistia contra Vasq. 3. p. t. 3. d. 185. cap. 2. n. 23. quia, nec vi verborum, erunt, vt patet, nec per concomitantiam cum ex Trident. sess. 13. cap. 3. ea solum corporis Christi per concomitantiam in sacramento sunt, quæ coniunctionem integralem habent cum illo. Nec satis est in illo tanquam effectus contineri, vt respondet Vasq. tum quia id non dixit Tridentinum: tam quia chilus, & salua sic continetur in illo, pluráque alia, quæ tamen omnium sententia sub speciebus

speciebus sacramentalibus, adhuc concomitanter non sunt.

2 Dico quinto ea omnia, & prædicta cert. 2. verbum in perpetuum assumpsit. Est omnium Theologorum conclusio: qui perpetuitatem vnionis hypostaticæ partium essentialium à Patribus assertam ad partium integralium vnionis perpetuitatem extendunt ex illo proloquio: *Quod semel assumpsit nunquam dimisit.* Sed occurrit in omnibus difficultas. Nam aliquas materiæ, imò, & carnis partes nutritione deperditas videtur certum: aliquot item vitales spiritus, & animales operationibus vitalibus, & animalibus consumptos, qui proinde perseuerare in vnione deinceps non potuerunt. Item præputij pars abscissa, sanguisque circumcisione, ac passione effusus, qui iam dubio procul periere, formamque mutarunt, vt qualitatum mutatio ostendit, atque otiosa vnionis hypostaticæ in illis perseuerantia minimè perseuerare satis suadent; capilli etiam, & vngues præcisſæ, vt ab hominibus sæpè præciduntur, vt quid vnitæ hypostaticè permanere dicendæ sunt? Respondetur cum iis quæ periisse admittantur, & eorum vnionem ad verbum periisse, quin dimitterentur, vt vidimus. De aliis vero, quæ non perierunt dupliciter respondeo illud proloquium, nostramque conclusionem de integra quo ad ea omnia, eademque humanitate assumpta moraliter eadem, non physicè, ac metaphysicè eadem, intelligi debere non esse dimissam. Sicut enim idem homo moraliter fuit puer Iesus, ac vir, licet plures materiæ, & vnionis partes vir, quàm infans habuerit: ita, & idem homo, seu humanitas Christi moraliter perseuerare vnita dicenda est, cum aliquot eius materiæ, atque vnionis partes nutritione, atque operationibus vitalibus abscesserint: ac proinde idem ipsum moraliter, quod assumptum est numquam fuisse dimissum, sed perpetuò vnitum perseuerare. Secundo, nihil eorum, quæ assumpta semel sunt, esse dimissum: ex perfecto enim corporis Christi temperamento, parcique tibi scientia, & electione proueniebat, vt ex spiritus vitales non in tanta copia gignerentur, vt, nisi exhalarentur, coniuncti ad vitæ finem temperamentum soluerent: inde etiam effectum, vt nutritione nulla ex acquisitis pars periret: ac tandem, quod nulla excrementa gigneret superflua, vt plus iusto pilli, & vngues excrescerent, sed potius intonsus obierit.

3 Pars vero præputij abscissa additæ, quantum ad trigenarij corporis morientis Christi proportionem fuit satis, vnita, & resumpta à Christo resurgente fuit: sanguis etiam totus, siue incircumcisione, siue in passione effusus, vt exangue corpus repleret: quin vlla eius guttula in terra perstiterit, vt docet S. Thom. 3. p. q. 54. à 2. ad 3. quin Athanas. non quidem ille Magnus, alter laudatus in 7. Synodo gener. Nicæna fuit, quod solum in Eucharistia sanguinem Christi apud nos esse dixerit: quare S. Thom. eum, qui alicubi seruatur ex aliqua imagine fluxum censebat loco citato. Quod, & nos, si sanguis adhuc miraculosè perseueret verum putamus. Aliqua verò effusi à Christo sanguinis vestigia permanere adhuc negari posse non videtur: sed ibi tamen accidentia ipsius languida sunt in materia denuo à Deo parata: quod maius miraculum non est, quam sanguinem totum in Christi resurgentis glorioso corpore producere. Nec refert Bulla Pij 2. ad Abbatem S. Mariæ Xantonensis Diœcesis relata à Syluestro supra, & Vazq. c. 8. n. 39. *Veritati fidei nullatenus repugnat affirmare Redemptorem nostrum de sanguine præfato, ob ipsius memoriam aliquam partem in terris reliquisse,* Neque enim nos fidei repugnare asserimus, sed non esse relictam. Quæ obiici solent, quod capilli, & vngues non viuant: neque subsistentiæ propriæ capaces sint: &, quod dici possit esse plures naturas in Christo, satis disiecta in superioribus sunt. Item, quod Deus dici possit effusus, si vnitus effusio sanguini fuit, negatur: quia communicatio inter partes, & Deum idiomatum non est. Si instes: ratione vnionis ad animam separatam dicitur ad inferos descendisse, & sepulcus ratione corporis. Respondetur ea omnia, quæ ratione partis de toto homine dicuntur, dici de verbo, qui ratione vnionis homo dictus est: quæ vero ratione partis de toto homine dicantur ex vsu pendere, qui ea, quæ parti, qua pars est conueniunt, dici de toto non admisit. Huius generis est denominatio effusi, secus denominationes descendentis, & sepulti.

QVÆSTIO IV.

De termino formali, & immediato vnionis hypostaticæ ex parte assumentis.

Certum ex dictis est vnionem non esse factam ad naturam communem secundum se formaliter, neque ad tres personas, sed ad verbum. Dubium autem est an ad solam personalitatem formaliter, & immediatè, an ad totum verbum sit facta?

CERTAMEN I.

Tres opiniones Theologorum confutatæ.

1 Theologiæ funambulis Durandus in 3. d. 1. q. 2. d. 5. q. 1. & 2. Docet vnionem factam fuisse ad naturam, & subsistentiam communem absolutam immediatè, & formaliter secundum se sumptas & immediatè, prius tamen ad absoluta quam ad filiationem, Cui sententiæ dum nimis aduersatur Capreol. d. 1. q. vnic. à 1. concl. 4. & à 3. *Ad argumenta Durandi contra 4. conclusionem.* subscribit tandem, nisi quod prius ad subsistentiam filij, siue filiationem, quam ad absolutam communem vnionem factam asseruit. Eum sequitur Aluarez d. 21. de incarnat. Distant ab his parum egregius Dominicanus, Magister Victoria, ac Dominicus Soto apud Vasq. d. 26. c. 2. n. 5. asserentes ad subsistentiam communem absolutam, & relatiuam filij indiuisibiliter fuisse terminatam vnionem. Commune fundamentum posuit Durandus: quia tota hypostasis ratio in diuinis in communi illa, & absoluta hypostasi stat: quare nisi ad eam vnio terminetur neque natura humana hypostaticè assumeretur adeò nisi autem ad verbi etiam proprietatem simul terminaretur non magis verbum, quam personæ aliæ, incarnasset contra fidem.

2 In præfatæ sententiæ omnes ratione eius, in quo conueniunt de vnione ad subsistentiam communem temeritatis arguuntur à Doctoribus. Nam Capreolus periculosam Durandi sententiam appellans suam reuera damnauit. Caietan. errorem somniatum appellat, cuius censuræ subscribit Bernal. d. 22. sect. 1. n. 1. Ego verò licèt ad aliorum censuras semper veniam inuitus temerarias sententias hasce iudico: quia vnicam subsistentiam communem in Trinitate, siue vllo scripturæ, aut Patrū testimonio commentitiè supponunt: imo contra Patres, & Concilia. Primo: quia in singulari solū, & proprio personarum hypostasēs, & personas in diuinis admittunt, de quarum ratione omnimodam singularitatem esse aiunt, quæ nimirum cuiuis subsistantiæ communitati repugnet, vt ex d. proœm. q. 1. cert. 1. & memoratisque contr. hac, & memorandis contr. 5. d. 2. q. 1. satis constat. Secundo: quia, vt controu. de Trinit. d. 7. q. 3. referebam, personalitas, & proprietas in diuinis pro eodē apud Patres, & Concilia vsurpātur: ergo ex eorū sentētia repugnat personalitas, quæ proprietas alicuius personæ non sit. Vnde constat temerè, vt minimū, subsistentiam vnicam communē in diuinis admitti. Tū quia præter ea, quę de mysterio tanto Deus reuelauit, Patresque, & Concilia docent, aliquid

non vni tantum sed pluribus Doctoribus audere temerarium est: multoque procaciùs contra eos, quæ Patres, & Concilia docuerunt ex impenetratis eorum principiis discurrere, vt hic euenit: cum solum attendant metaphysicam, siue logicam Deitatis singularitatem, vt eam communi subsistentia comitatam asserant, sicut creatam quamuis individuam naturam, quin videant physicam, vel quasi communitatem; quæ in natura diuina est, secus in crata; quæque omnimodæ singularitati ad suppositum, ac personam necessariæ, aduersatur.

3 Hæc ex harum sententiarum suppositione, quæ etiam permissa argumentor sic. Datur vera vnio humanitatis ad subsistentiam communem: ergo hic Deus, absolutè, qua hic Deus incarnauit: ergo hic Deus est passus, & mortuus: ergo Pater, & Spiritus S. est passus, mortuus &c. Ecce plus quam Patropassianismum. Distinguit hanc consequentiam Durand. qua hic Deus fatetur, absolutè negat. Contra: quidquid de Deo prædicatur ratione alicuius communis absolute prædicatur de quauis persona v.g. creat. intelligit, & similia. Negant primam consequentiam Capreolus, Victoria, & Aluarez, quia subsistentia communis, non absolutè, sed solum, vt inclusa in filio fuit vnita: quare hic Deus absolutè communis non incarnauit, passusve est, vnde neque aliæ personæ à filio: quia personalitas solum, vt inclusa in filio, vnita fuit; qua ratione in aliis personis non est, nec communis: quemadmodum essentia, & cognitio essentialis prout in Patre sunt potentia generatiua, & generatio, non autem secundum se, & absolutè: quare, licet absolutè sint essentia & intellectio in filio, non tamen in illo absolutè est potentia generatiua, aut generatio actiua. Acuta solutio, & quam malè impugnant plerique. Sic ego. Contra primò: quia vel illud, vt inclusa in filio significat vnitam solum esse subsistentiam communem, quatenus vnita est proprietas filij, cui illa identificatur: & sic non erit vnita in se formaliter subsistentia communis, sed solum materialiter contra eorum sententiam. Vel significat subsistentiam communem, etiam, vt identificatam cum filio in se tamen, & ratione sui immediatè vnionem terminare, nec solum ratione proprietatis filij, siue filiationis. Contra: quia vnio illa quatenus terminatur ad subsistentiam communem in se, nec solum ratione proprietatis filij est vnio subsistentiæ alienæ ad humanitatem: ergo inducit communicationem idiomatum naturæ vtriusque. Ergo absolutè dicebatur hunc Deum esse hominem, & è contra. Secunda consequentia est certa. Primam probo. Communicatio idiomatum formaliter adæquatè fundatur in vnione naturæ ad subsistentiam alienam formaliter, & in se: inde enim verum est dicere habens humanitatem est habens deitatem, quæ est ipsissima idiomatum communicatio.

4 Quin cùm in horum doctrina sola subsistentia communis subsistentia sit, neque filij proprietas sit subsistentia formaliter, sed solum illius complementum, sit ad communicationem idiomatum, quæ de facto est, vnionem, quatenus ad subsistentiam communem terminatur integrum fundamentum esse, non autem, qua terminatur ad filiationem, siue filij proprietatem: quare idem fundamentum est ad communicationem idiomatum respectu Patris, ac Spiritus S. atque respectu filij: cum vnio filij, non aliter hypostatica sit per hoscè, adhuc in filio, nisi, quatenus ad subsistentiam communem, quæ sola hypostasis est terminatur, vt videbamus num. 1. & sanè, cum conceptus quiuis diuinus totalis simplexque, simpliciterque infinitus in genere suo per negationem termini, etiam extrinseci, esse debeat, vt sæpè tomo præsenti monebam, admissa subsistentia communi conceptus adhuc inadæquatus subsistentiæ in proprietate personali admitti non potest. Exempla illa, quibus tectam suam doctrinam putabant Aluarez, & Victoria, è re non sunt. Nam potentia generatiua non est essentia, vel intellectus communis solum, sed personalitas Patris etiam, qua essentialiter constituitur, quæque deficit filio: cum tamen subsistentia communis talis sit secundum se spectata, neque filiatione in ratione subsistentiæ constituatur, neque, vt fundet idiomatum communicationem alio, quam vnione naturæ extraneæ ad se ipsam egeat. Similiter, licet intellectio in Patre generatio sit, non autem in filio: quia deficit in illo, quod essentia sua intellectio, vt generatio sit supponit: nempe proprietatem, qua à filio distinguatur, ac non esse genitum filium, qui adæquatus eius terminus est, non statim communicatio idiomatum cessabit admissa vnione ad subsistentiam communem in se, & ratione sui, licet, vt est in filio: quia non ideo, quia est in filio eam fundat, vt diximus, sed, quia in se, ac secundum se est vnita.

5 Specialiter contra Capreolum, & Aluarez (qui vnione ad communem subsistentiam, esseque diuinum admittunt, vt per existentiam diuinam humanitas existat) facit primò: quia existentia humanitatis per diuinam prorsus est commentitia, vt controuersia de intrinsecis effectibus humanitati ex vnione prouenientibus ostendemus, ac generalius in metaphysicis existentiam ab essentia non differre satis monstrauimus. Facit secundò: quod hi asserunt vnionem humanitatis prius factam ad proprietatem filij, quam ad esse, & subsistentiam communem: ergo pro illo priori humanitas habet existentiam cum nondum ab esse, & subsistentia communi, quibus necdum vnita est, illam receperit. Patet consequentia. Nam actus existendi cuiuis entitati primus est, vel nullo saltem posterior: atqui vnio humanitatis ad filij proprietatem est actus humanitatis: ergo actus existendi humanitatis ipsius vel prior est illo, vel saltem non est illo posterior: imo priorem esse actu vnionis cuiusuis citatis locis videbimus. Explicatur: quia præcedentia hæc vnionis vnius ad aliam realis in horum sententia esse debet: alioqui vera prioritas non esset, sed ficta: quare, & vnio ad proprietatem filij diuersa realiter ab vaione ad esse, & subsistentiam communem erit, cum idem re ipsa nequeat esse prius se ipso, & posterius. Consulto prætereo impugnationes ex Conciliis, & Patribus: quia cum contra hæreticos vetustos sint contra præfatas sententias præter Patrum sensum plerumque trahuntur; quatenus vero eis testimoniis Durandus, & Thomistæ tangantur ex dicendis cert. 2. vbi ea expendemus constabit.

CERTAMEN II.

Marsilij sententia ex nostris principiis explicata defenditur.

1 QVarta, & probabilis sententia fuit Marsilij in 1. q. 2. à 1. concl. 1. confirmat. 4. asserentis vnionem humanitatis factam fuisse ad filij, & personalitatem, & naturam in se etiam, non autem secundum se sumptam præcisè, sed vt identificatam cum filij personalitate. Eius verba sunt. *Vnio carnis ad essentiam non conuenit, essentiæ consideratæ secundum suum esse absolutum nudum; sed in quantum habet esse sub personali subsistentia.* Consentiunt Okam. in 3. q. 1. à 2. Gabr. d. 11. notabil. 5. asserentes personam filij secundum se totam terminasse vnionem. Nec dissentient Gregor. & alij, qui docent Personas, quia simplicissimæ sunt, seipsis, non proprietatibus distingui. Neque difficilis S. Thom. veniret 3. p. q. 3. à 2. Probari potest. 1. ex Tridentino sess. 13. vbi explicato modo existendi comitanter animi, & sanguinis sub panis speciebus sub eisdem docet esse *diuinitatem propter admirabilem eius cum corpore, & anima hypostaticam vnionem*, nisi autem in se etiam vnita cum eis diuinitas esset non propter vnionem cum illis, sed propter identitatem cum personalitate vnita inibi esse diceretur. Secundò probatur ex vetustioribus Patribus, & Conciliis docentibus vnionem humanitatis factam esse cum persona Filij: persona autem Filij non est sola personalitas, sed, & natura simul. Confirmatur: quia, vt d. procem. & controu. 1. quæst. de Trinit. d. 7. obseruabam Patres, & Concilia rarò, vel nunquam hypostasim, siue personam pro personalitate, vel subsistentia, semper autem in concreto pro supposito, vel persona tota vsurparunt. Tertiò denique: quis per Doctores omnes quinæ sententiæ huic aduersos Filius, vt Filius, siue filiatio in facto esse vnita est hypostatice humanitati: filiatio autem seu ratio geniti in facto esse dicit non solam Filij personalitatem, sed identitatem naturæ Filij cum Patre: ergò dicit, continetque identitatem naturæ cum personalitate Filij: ergò nisi hæc humanitati vniatur filiatio absolutè non vnitur. Quod responderi posset de relatione filiationis, quæ ipsissima Filij personalitas sit impugnabis facilè ex dictis controu. de Trinit. d. de relationib. & d. de constitutione personarum. Denique probatur: quia nisi vnio facta sit ad totam personam, ac proinde ad filiationem in facto esse, non ita facilè explicabitur, ac suadebitur communis conclusio theologica, & quam plures dogmaticam esse volunt, de naturali filiatione Christi, qua hominis, secundum humanitatem, vt ex dicendis infra constabit.

2 Ob hæc fateor quartam istam Marsilij sententiam multò mihi aliis probabiliorem videri. Nec adeò illi aduersantur Concilior. Toletanor. 6. & 11. testimonia, quæ adeò apertè pugnare cum illa, & tribus memoratis visa sunt nostris Vasq. Suarez, Lugo, & Bernali, vt eas temerarias, periculosas, erroneas, imò & hæreticas appellent. Sic habet Tolet. 6. confess. fid. *Solum verbum caro factum est, & habitauit in nobis; & cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis; solus tamen Filius accepit hominem in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ: in eo, quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati.* Subdit satis obscuram rationem claritati donatam versione ex libris Gotticis adhibita à Bernale nostro d. 22. sect. 1. n. 5. *Nam si naturam hominis Deiq; alteram in alteram confudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset. Quoniam constat naturam Trinitatis esse vnam, non tamen personam* Similia habet Tolet. 11. quod ab Innocent. epist. ad Petrum Compostell. authent. appellatur. Vbi non solum definitur vnionem factam non fuisse ad naturam, sed ad singularitatem personæ: Verum, & consequentiæ absurdæ illatio, quod si ad naturam facta fuisset, tota Trinitas incarnasset. Missa nostri Petri Vvadingo solutione, quæ in obscura versionis antiquæ ratione fundatur, vt germana adhibeatur solutio, scire oportet, quę cuiusque doctrina in eis Conciliis damnetur. Damnatur igitur ibi Petrus Gnaphæus Triadopachita, ac Theopaschita, vt vidimus d. 1. q. 1. cert. 1. n. 3. & 8. fuit etiam Eutych. vt ead. q. retulimus. Vixit autem centum retrò annis ante Tolet. 6. vbi contra eum, eiusq; errorem agitur, vt ex ipso Conc. constat; suaderque verbum illud: *Confudisset.* quod Eutychianam Gnaphæi naturarum cōfusionem sonat. Id quod parum attendens Bernal. *infudisset*, pro *confudisset*, legi mallet.

3 Igitur exploratis, & hæretico, & erroribus in eo Concilio damnatis, & in Concilio quod ex 6. & verba, & mentem mutuatur, eorum sensus satis claret. Nam in primis Gnaphæus deitatem, seu Deum communem personis Trinitatis secundum se sumptum, non autem, vt verbo identificatum assumpsisse hominem docuit, passumq; proinde fuisse: vnde Theopaschita fuit. Deinde cùm in Deo tres personas negare non auderet, atq; alicui magis, quam duabus aliis vnitum in suo errore videret, atque iure vnionis eius Filium incarnatum, passumque fuisse ex scripturis audiret, duas etiam alia Trinitatis personas incarnasse, passasque simul deliberabat. Vnde Triadopaschita effectus est. Tertiò cùm naturam, & hypostasim cum Eutychete non distingueret, in naturarum confusionem dilapsus Eutychianis accessit. ex quo idem esse ad idiomatum communicationem, vnionem, siue confusionem illam naturarum, atq; vnionem humanitatis ad suppositum diuinum existimauit, sicut Eutychiani omnes, quos proinde simili consequētia ex suo ipsorum errore redigit Nicętas, 3. Thesauri, c. 11. vt totam Trinitatem incarnatam fateantur. Contra Gnaphæum igitur, eiusq; errores rectè definitur vnionem factam non fuisse in natura communi, & secundū se sumpta: atque si ita esset facta inferri tres personas incarnasse: tùm, quia, & solo titulo vnionis æqualis Filius, & verbum incarnasse dicitur: tùm quia vnio naturę ad naturam satis, ad idiomatum communicationem per ipsum esset, cùm naturam à supposito non distingueret. Quæ nullatenus Marsilij sententiam nostramque tangunt: tùm, quia vnionem naturę ad naturam ad idiomatum communicationem satis esse negamus: tùm quia vnionem humanitatis, ad deitatem etiam non secundum se sumptam, sed solùm, vt identificatam cum verbi personalitate docemus: quo pacto, & verbi solius est, neque aliis potest esse communis. Neque enim, vt Filio identificata potest cum Patre, vel Spiritu indētificari, vt patet, licet secundum se sumpta identificari possit, identificeturque, sitque illi communis, vt ideo dictum putem: *non in vnitate naturæ, & in communi, sed in singularitate personæ, & proprio*: Nam & essentia quatenus identificata propria est personæ singularis, cui identificatur.

4 Dices, diuinitas, iuxta quintam communem sententiam dicitur incarnata, quia identificatur cum personalitate Filij, quæ in se immediatè terminat vnionem: atqui Pater, & Spiritus sanctus identificantur cum natura diuina quę in se immediatè per nos terminat vnionem: ergò vterque etiam dicentur absolutè incarnati per nos. Respondetur distinguendo antecedens: quia identificatur cum terminante personalitate intra statum identitatis eiusdem concedo antecedens, non intra statum eiusdem identitatis nego antecedens; vende, & nego consequentiam. Cùm enim essentia in se terminet vnionem in statu identitatis cum verbo, atque in statu identitatis eiusdem, non fit idem cum Patre, aut Spiritu sancto, non dicentur ratione identitatis naturæ terminantis extra statum identitatis cum ipsis, incarnati. Instas, diuinitas dicitur incarnata, quia terminus in quo facta est vnio in eadem communi sententia, nempè personalitas, habet actum communem vtrique naturæ termicandi vtramque; atqui diuinitas habet actum communem tribus personis, nempè constituendi illas, & identitatis cum illis, & per nos est terminus, in quo facta est *vnio*: ergò tres personæ ex nostra sententia dicentur incarnatæ. Distinguo maiorem; Quia habet actum communem, vt identificatur cum altera natura, concedò maiorem; absolutè nego maiorem, & distinguo minorem. Vt identificatur cum persona Filij habet actum communem constitutionis, & identitatis cum personis tribus, nego minorem; absolutè concedo minorem, & nego consequentiam. Argumenta facta contra tres priores sententias cert. 1. à num. 3. nihil contra nos probant: quia ex vnione naturæ ad naturam communicatio idiomatum non resultat. Ac tandem, licet controu. de Trinitate, disputatione 1. quæstione 4. certamine 2. docuerimus ex triplicis vnionis hypostaticæ intuitione mysterium Trinitatis, adhuc quoad positiuos omnes conceptus suos euidenter deduci non posse cum hac sententia non pugnat. Nam & vnio quatenus ad naturam diuinam terminatur hypostatica non est, vt ex dictis cert. 1. satis constat: & visio etiam potest ex parte obiecti præscindere vt vnio, qua hypostatica est solum videatur, ac tandem, licet secundum se totam videatur, identitas personalitatum cum essentia ex vnione ad eas, & ad essentiam minimè demonstrabitur, cum ad distincta vnio indiuisibilis dari possit.

***

CERTAMEN III.

Communis ſententia defenditur.

1 QVinta demum, & communis ſententia docet, ſolam perſonalitatem verbi terminaſſe in ſe immediatè, & ratione ſui hypoſthaticam vnionem, naturam verò, non in ſe, & ratione ſui, ſed ratione perſonalitatis, cui identificatur, ſeu materialiter, ſoloque identitatis cum perſonalitate titulo, ac iure. Ita ſanctus Thomas 3. part. quæſt. citata. Alex. quæſt. 4. m. 1. S. Bonau. in 3. diſp. 1. à 1. 2. diſp. 5. à 1. quæſt. 1. Ricard. diſp. 1. à 1. quæſt. 2. corp. & ad 1. Scotus cum ſuis q. 1. §. *In iſta q.* & ad 2. ac diſp. 5. quæſt. 1. Gabr. diſp. 1. quæſtio. 1. à 1. notat. 5. Paludan. quæſtio. 2. à 3. & 4. OKam in 3. quæſt. 1. à 3. Almain. diſput. 1. quæſt. 1. à 3. Caietan. 3. p. q. 4. art. 2. cum reliquis Thomiſtis Vaſquez diſput. 26. cap. 2. Soar. diſput. 12. ſect. 2. §. *Dico primo.* Vvadingo diſput. 4. dub. 6. §. *Nihilominus.* Bernal. diſput. 22. ſect. 3. numero 18. Lugo citatus, & alij. Verum hi omnes teſtimoniis explicatis in primis, vel potius omninò nituntur, quæ non nimis arctè probant, vt vidimus. Nihilominus, quia ea teſtimoia huius opinionis ſenſum vt non conuincant, capiunt tamen, & litteralius, ſono etiam vocum, capiunt: Et quia communiter eſt Theologorum ſenſus, non magno Theologiæ incommodo defendendus, ſententiam hanc minimè renuam. Ad argumenta, quæ pro quarta efformabam reſponderi poſſet: licet perſona Filij dicatur à Patribus incarnata, aſſumpſiſſeque humanitatem opus non eſſe, vt ſecundum ſe totam immediatè, & in ſe vnionem terminauerit, ſed ſatis eſſe terminaſſe ſecundum perſonalitatem, quæ ſola in recto nomine perſonæ importatur: præterquam quod iure identitatis etiam natura dicitur incarnaſſe à Patribus, quod ſatis eſt, vt tota perſona incarnata ſecundum ſe totam abſolutè dicatur, licet non tota formaliter terminauerit vnionem, ſed aliquid ipſius, nempè perſonalitas formaliter, deitas verò materialiter ſolum iure indentitatis cum perſonalitate: quo etiam pacto dici poteſt Filius incarnatus, toraque in facto eſſe filiatio incarnata. Ac demum ex ea vnione Chriſtus, qua homo, ſiue ſecundum humanitatem Filius naturalis Dei ſatis probabitur. Licet hæc omnia faciliùs, clariuſque in quarta ſententia componantur. Quæ pro Gilberto opponi poterant diſſeci diſputatione 1. quæſt. 3. cert. 4. numero 9.

2 Denique opponis non eſſe ſpecialem congruentiam in Filio præ aliis perſonis, vt incarnaretur: ergò tres incarnatæ ſunt, vel nulla. Nego in primis antecedens. Nam Filij intererat Patris honorem, vt cumque læſum reparare. Secundò, vt ſapientia omnium artifex incarnata eſſet omnium reparatrix, atque homines ſapientiæ appetitu lapſos reſtitueret. Tertiò: quia media Trinitatis perſona mediator Dei, & hominum eſſe debebat. Quartò: quia Filij nomine, etiam Patris principatus ad ipſum ſpectabat, ac dæmonem ab eius tyrannide deturbare. Quintò ne Pater, aut Spiritus S. Filius diceretur, licet hominis, indeque confundendi perſonam aliam diuinam cum Filio occaſio daretur, oportuit eundem, & Dei, & hominis Filium eſſe. Huic inſiſtunt Auguſt. apud Cliocthouæum in cap. 1. libro 3. de fide Damaſcæni. Damaſcænus ipſe 4. Anſelm. de incarnatione verbi capite 4. plures alias congruentias vide apud Soarez. ſed dato antecedenti negatur conſequentia. Cum enim pro omnibus, & ſingulis perſonis eædem, ſufficienteſque congruentiæ fuerint, fecit, in qua voluit: docuitque fides factum in Filio.

3 De modo, quo Pater, & Spiritus, atque in hac ſententia deitas, in Chriſto ſint, longius hic diſputatur, quam ſit æquum. Hugo Card. in ſpeculo Eccleſ. Aluarez diſputat. 20. concluſione ſecunda, alijque Thomiſtæ per ſolam immenſitatem docent. Verum ſpecialiori modo, quam immenſitatis, eſſe in Chriſto certiſſimum eſt. Nam iure identitatis in eſſentia identificata cum verbi perſonalitate ibi adeſſent: etſi abeſſet immenſitas: vt arguunt Cyrill. epiſtola exegetica ad Valerium 3. p. Concilij Epheſini cap. 17. Ambroſ. ad id Corinth. 5. numero 19. *Deus erat in Chriſto.* Auguſt. ſermon. 3. dominicæ 3. aduentus, Vaſq. diſputatione 28. capite 2. Soar. diſputatione 12. ſectione 1. Raguſa diſputatione 52. Gabriel, Maior, atque alij de Euchariſtia agentes per concomitantiam eſſe defendunt. Quo admiſſo Bernal. diſputatione 23. ſectione 2. excellentiori alio modo perſonas alias Trinitatis in Chriſto eſſe contendit, quod nullatenus probat. Nam Concilij Tridentini locus, cui vnicè innititur Marſilij recitatæ ſententiæ fauet, vt vidimus certamine 2. non huic Bernalis. Solùm ergò ſunt per concomitantiam, vt ratio Patrum ſuadet. Nam diuinitas eadem, ſiue identitas in natura perſonis diuinis eſt arctiſſimus nexus, vt nullibi vna ſine aliis eſſe poſſit, potiori iure, quam animæ, & corpus ratione nexus earum per vnionem.

QVÆSTIO V.

De vnionis hypoſthaticæ natura, & ſubiecto.

STATIS iam hypoſthat. vnionis extremis, ſiue terminis, de ipſius natura ſubiecto, aliiſque ad ipſam conſequentibus ad plenam theologicam myſterij huius notitiam oportet diſputare.

CERTAMEN I.

Aliorum ſententiæ nonnullæ confutatæ.

1 CAiet. 3. part. quæſt. 2. à 7. & 10. reſp. ad 1. Aluarez de incarnatione diſput. 13. Valent. quæſt. 2. diſput. 1. pun. 2. plureſque Thomiſtæ, atque ex parte Petrus Hurtado, vt quæſt. 1. cert. 1. dicebamus, docent vnionem hypoſthaticam eſſe actionem Deo identificatam: contra; quia quidquid Deo identificatur Deus, & quid indefectibile eſt: atqui vnio formalis realis Dei, & humanitatis defectibilis eſt: tum, quia æternitate à parte ante non fuit: tum, quia etiam exiſtente humanitate potuit non eſſe Deus illi vnitus hypoſthaticè; ergò vnio hypoſthatica non eſt actio Deo identificata realiter formaliter. Confirmatur: quia ſi exiſtente Deo, & humanitate poteſt non eſſe Deus humanitati vnitus: ergò vt ſit vnitus realiter, aliquid aliud re ipſa adeſt; alioqui de eiſdem extremis tam extrinſecè, quam intrinſecè inuariatis duplex contradictorium verificari poſſet. Dicunt primò eſſe rationem extrinſecam, nempè negationem ſubſiſtentiæ propriæ in humanitate. Contra primò: quia ea adeſſet etiam ſi vniretur ſuppoſito creato, vt modales iſti fieri poſſe putant. Secundò: in noſtra doctrina, ſi produceretur independenter ab vnione ad naturam creatam: quo in caſu, neque in ſuppoſito exiſteret proprio, neque in alieno: ergò negatio ſubſiſtentiæ propriæ non eſt ſatis ad fundandum prædicatum vnionis realis ad verbum. Addes dicere etiam negationem vnionis humanitatis ad aliud ſuppoſitum creatum. Contra. quia cùm eis negationibus poſſet eſſe vnita hypoſthaticè humanitas ad Patrem, & ad Spiritum ſanctum, vel coniunctim, vel diuiſiuè, ac non ad Filium: ergò vnio Filij, ſiuè ad Filium non ſtat in actione identificata Deo, & ea, vel eis negationibus. Si dicas ſupponi etiam negationem vnionis cum his: cum eorum vnio debeat eſſe illa actio identificata cum Deo, & ſimili extrinſeco dicet negationē vnionis cum Filio: ac proinde in explicatione vnionis Filij ad ipſam Filij vnionē vitioſo circulo recurreret: erit enim actio illa cum negatione negationis vnionis Filij: negatio autem negationis vnionis Filij ipſa vnio Filij eſt, cuius formalem realem naturam, & eſſentiam inquirimus.

2 Contra ſecundò: quia per hos modales negatio ſubſiſtentiæ propriæ, eſt effectus ſubſiſtentiæ alienæ per vnionem hypoſthaticam communicatæ, qua propria deſtruitur: ergo pro priori naturæ ad negationem ſubſiſtentiæ propriæ debet dari vnio ad alienam, non autem ea negatione propriæ alienæ vnita humanitas conſtituit: ſicut, quia negatio frigoris in ſubiecto, eſt effectus inducti in illud caloris, illique vniti, non niſi ſtupidè, dicetur calidum ſubiectum conſtitui negatione frigiditatis, vel contra frigidum negatione caloris: quod ipſum contra alias negationes dictum puta. Imò verò cum in ſententia, quam veram iudicauimus dicto procœmio quæſtione 2. ſubſiſtentia propria nihil aliud ſit, quam independentia naturæ in exiſtendo ab vnione ad aliud, propriæ ſubſiſtentiæ negatio per alienam nihil aliud erit, quam dependentia in exiſtendo ab vnione ad alienum ſuppoſitum quod poſitiuum quid eſſe debet; non autem negatiuum vnionis hypoſthaticæ, quam connotat aliunde cognitam, & conſtitutam. Recurrunt ſecundò ad intimam verbi præſentiam in humanitate, huiuſque diſpoſitiones, vt aiunt, negantes vnionem materiæ, & forma ad totum compoſitum conſtituēdum. Sed in primis ad vnionem cum verbo nulla diſpoſitio ex parte humanitatis præceſſit: cum dona omnia ſupernaturalia humanitatis ab vnione hypoſthatica manarint, vt controuerſ. 3. diſputatione ſecunda, dicemus, & controuerſ. de merito Chriſti, d. de iis, quæ ſibi Chriſtus fuit de facto promeritus. Secundò: totum id eſt inter humanitatem, & Patrem, ac Spiritum ſanctum ipſi exunitos. Recurrit Aluarez ad exemplum generationis creatæ, quæ ſe ipſa fit vnio materiæ, & formæ, vt idem poſſit habere actio increata Dei. Teneret fortaſſe exemplum, ſi actio Deo identificata deficeret: cùm non eſſet vnitum verbum; ſicut deficit cùm materia, & forma vnitæ non ſunt, atque ſi quandiù non deficit, eſſet verbum vnitum, imò, & Pater, & ſpiritus, vt dicebamus.

3 Valentia confugit ad eſſe eminentiale; quo ſine ſui variatione, vel ſola virtuali vult, & cognoſcit liberè Deus: actio enim illa vnitiua Deo identificata de genere volitionis liberæ in Deo eſt. Contra primò: quia ſic poteris dicere nullam eſſe actionem creatam, imò, neque rerum vnionem, ſed in actione libera Dei, ea omnia conſiſtere, totamque philoſophiam ad myſterium libertatis decreti diuini in ſola beatitudine intelligendum reducere. quæ tamen facilè alias cum ratione philoſophica conſtare conuenireque poſſunt. Contra ſecundò: quia volitio libera diuina ſaltem ex parte obiecti debet habere variationem, & diuerſitatem cum adeſt, ac quando non adeſt, vt omnibus eſt notum: ergò aliquid vult ex parte obiecti Deus, cum vult humanitatem, vnitam, ac quando vult humanitatem, ac verbum ſecundum ſe, ac non vnita: ergò illud erit vnio, non libera Dei actio volitiua ſecundū ſe. Dices volitionē liberam, ſiue actionem volitiuam, & vnitiuam eſſe volitionem reflexam ſupra ſe ipſam. Sed tamen fugis, non effugis difficultatem. Etenim, ſi quatenus directa non habet diuerſum obiectum, cum tendit in extrema vnita, nec quatenus reflexa diuerſum habebit à reflexa alia, qua eandem directam circa eadem extrema non vnita vellet, quo in caſu neutra eorum vnio foret. Dices ſecundò: forte ad Valentiæ mentem aptius, eminentiam eſſe perſonalitatis Dei in perſonando: cùm enim infinita in ratione perſonalitatis ſit cunctis creatis perſonalitatibus, quæ ſe ipſis creatas naturas perſonant æquiualet; ſicque virtualis vnio hypoſthatica Dei cum quauis natura creata. Sed contra quia id innatura creata. Sed contra quia id dependenter à libera voluntate Dei erit, ne omnes naturas creatas tam Filij, quam Patris, & Spiritus ſancti perſonalitates perſonent de facto: tunc autem redit argumentum de diuerſitate obiecti huius volitionis vnitiuæ circa extrema ab obiecto volitionis non vnitiuæ, atque aliud de myſteriola, atque in intelligibili ſolutione, & doctrina in re alias explicatu, & intelligentia facillima.

4 Vvadigo, & Bernal. memorati d. procœm. quæſt. 2. docent vnionem hypoſthaticam eſſe productionem humanitatis dependenter à verbo, ſicut & productionem formæ dependenter à materia cenſent vniuerſim eſſe vnionem formæ cum ipſa. Contra generale hoc principium ſatis multa diximus in phyſicis. Speciale verò huius loci de productione humanitatis dependenter à verbo impugnauimus dicto procœmio, quæſtione 2. certamine 4. ex quo nunc arguo: quia dependentia productionis humanitatis à verbo nequit eſſe actiua, vt ibi monſtrauimus; ſolùm intentionalis, tanquam à fine: atqui ex finis variatione non variatur actio, vt contra noſtros Arrubalem, & Herice oſtendimus latè in Phyſicis, ac rurſus controu. de volunt. Dei: ergò eadem actione, ſine productione humanitatis perſeuerante poſſet verbum non eſſe vnitum realiter humanitati, ſi non produceretur humanitas dependenter intentionaliter à verbo. Contra ſecundò: quia Vvadingo d. 4. dub. 12. humanitatis aſſumptionem, & vnionem ad verbum nihihilo ab aſſumptione, & vnione partium ipſius ad verbum diſtinguit, imò neque aliter vniri poſſe, quam vnione ſuarum partium ad verbum, aſſerit rectè Bernal. d. 27. atqui materia, quæ pars eſſentialis humanitatis eſt non producitur dependenter à verbo, ergò nec tota humanitas vnitur verbo, ſi actione ſola productiua humanitatis dependenter à verbo; ac non vnione alia formaliter iuxta horum doctrinam, vnienda hypoſthaticè eſt. Subſumptum in ſententia Vvadingo probatur: quia omnium opinione materia humanitatis Chriſti, ſicut aliorum omnium corporum, creatur: dependentia verò actionis, qua res aſſumpta verbo vnitur, eſt dependentia à verbo in genere cauſæ materialis in ſententia Vvadingo, quæ dependentia pugnat cum creatione in ſententia etiam omnium: in mea autem dependentia quæuis cuiuſuis generis, ſiue materialis, ſiue efficientis ab alio principio, quam omnipotentia, implicat cum creatione, vt latè ex Anſelmo, & antiquorum omnium doctrina, & axiomatibus, & ratione à priori oſtendimus in Phyſicis: quare, & hæc ratio probat contra Bernalem qui dependentiam productionis à verbo in genere efficientis collocauit.

5 Contra ſecundò: quia materia non eſt aſſumpta, & vnita, niſi præſuppoſitis diſpoſitionibus, quibus caro in actu ſignato eſt, dicique caro, & corpus organicum abſolutè poteſt: ideò enim Patres carnem à verbo aſſumptam, & corpus aiunt, non materiam: ergò in eo inſtanti temporis, quo aſſumpta materia eſt præſuppoſita fuit pro priori naturæ exiſtens ante diſpoſitiones, & vnionem hypoſthaticam ipſis natura poſteriorem: ergò exiſtens, & producta independenter à verbo: ne detur mutua cauſalitas realis inter materiam, & actionem dependentem à verbo (quam vnionem eſſe dicitis, quæ iuxta dicta in phyſicis eſt implicatoria: ergò, vt vnionem diuerſam à productione humanitatis dependenter à verbo negetis, productionem dependenter à verbo pro poſteriori naturæ ad creationem materiæ, & productionem diſpoſitionum organicarum materiæ ipſi aſſignare in eodem inſtanti temporis debetis, quo humanitas eſt vnita, aſſumptaque à verbo: ac proinde de facto in eodem inſtanti temporis duplex cauſalitas totalis concedetur ſimul: quæ plurium ſententia repugnat; mea verò & omnium ſine neceſſitate, & vrgenti fundamento concedenda non eſt. Hic autem nulla eſt neceſſitas; ſed ſola eorum Doctorum voluptas, vt faciliorem explicatu vnionem communem violenter detrudant, & intrudant vero eius loco, quam volunt. Sed neque vllum eſt fundamentum. Nam paritas vnionis formæ eductæ ad ſubiectum per

per ipſam eductionem, vt admittatur, non tenet in eductis, ſiue in educibilibus, vt in animo rationali, eiuſque vnione ad materiam: multoque minus in materia, & anima quæ ex nullo ſubiecto, nedum ex verbo educibiles ſunt.

CERTAMEN II.

Vnionis natura explicatur.

1 Dicendum igitur eſt, dari vnionem hypoſtaticam creatam ab productione humanitatis eiuſque partium diuerſam qua verbum, & humanitas phyſicè reuinciantur. Eſt reliquorum Theologorum communis concluſio cum S. Thom. 3. p. q. 2. à 7. dicente vnione, quæ in ipſa eſt, humanitatem realiter mutari. Sequuntur Thomiſtæ omnes ad vnum Vaſq. d. 18. c. 10. Soar. d. 8 ſect. 2. Becanus c. 2. q. 2. Leſſius 12. de perfectionibus diuin. c. 6. Lugo diſp. 11. ſect. 4. Quod ſatis probatur ex datis aliorum impugnationibus, atque à paritate modi vnionis, qui inter animam & corpus interiacet, quarum adinſtar Deum; & humanitatem vniri, Chriſtumq; conſtituere docet Athanaſij ſymbolus datis verbis: *Sicut anima, & caro vnus eſt homo: ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus.* An verò vnio hæc ſubſtantialis ſit, necne? Dubium eſt primum. Scotus in 3. diſp. 1. q. 1. Okam. & Gabr. alijque ibidem accidens eſſe docuerunt. Communior Thomiſtarum, & cæterorum ſententia eſt ſubſtantiam ſecundum ſe, nec ſolum ratione extremorum eſſe. Id quod, & nos cenſemus. Primò à paritate modi vnionis animæ rationalis. Secundò ratione vtrique modo communi; quia alioqui, neque homo, neque Chriſtus Dominus compoſitum abſolutè ſubſtantiale eſſent: cùm bonum, ſeu perfectum ex integra cauſa ſit, malum autem, ſeu imperfectum ex quocumque defectu: quare ſi aliquid ex intrinſecis, & eſſentialibus (cuiuſmodi eſt vnio in homine, & in Chriſto) à perfectione ſubſtantiæ deficeret, neuter abſolutè ſubſtantia diceretur. Cui principio innixus Ariſtoteles aiebat: *Qui fieri poteſt, vt ex non ſubſtantia ſubſtantia fiat.* Nec refert, vnionem conſtituere eſſentialiter totum, vt *quo*, non vt *quod*, ſiue, vt partem, quo totum conſtituatur, de quibus ſolum Ariſtoteles loquebatur. Quocumque enim modo eſſentialiter totius conſtitutionem ingrediatur, ratio noſtra, & Ariſtotelis vrget.

2 Scio concluſionem noſtram à nonnullis ferè definitam cenſeri in epiſt. Concilij Alex. 10. Cyrilli anathematiſmo 2. probata in Epheſino cap. 13. poſt anathematiſmos 12. in compilatione eius Concilij per Surium, & cap. 14. atque epiſtol. 8. Cyrilli, quæ eſt ad Neſtor. approbata à Calcedonenſi act. 1. Inſuper in Concilio Conſtantinopol. 5. act. 8. can. 41. & in 8. & in edicto fidei Iuſtiniani t. 2. Concilior. vbi huius Concilij Canones habentur; Dicitur enim *adunatum, atque vnitum carni ſubſtantialiter Dei verbum*: ergò modus, quo carni vnitum fuit ſubſtantialis eſſe definitur. Senſus autem contra Neſtorium ſolum fuit, qui ibi damnabatur, cum quò lis hæc non erat; ſed verbum ſecundum ſubſtantiam, & phyſicè, nec ſolum ſecundum affectum, ſeu affectiuè vnitum carni fuiſſe: vnde illud *ſubſtantialiter* non vocibus *adunatum*, *& vnitum*, ſed carni, & verbo eis locis coniungitur. Deinde in græco apud Cyrillum non habetur *vnitum*, *& ſubſtantialiter*, ſed *adunatum in hypoſtaſi*: quibus vnitas perſonæ verbi contra eundem Neſtorium potius ſtatuitur in Chriſto, quam de vnione in terminis agatur. Lege verſionem noſtri Theodori Peltani Concilij Calcedonenſis act. 1. cap. 12. Nec plus habet momenti Alexander Pap. 3. c. *cùm Chriſtus*, de hæreticis, definiens hominem prædicari de Chriſto *per modum ſubſtantiæ*, *& vt hoc aliquid*. Etenim ſub Alexandro tres viguerunt errores. Albigenſium, qui tempore magni Concilij Lateranenſis, vt ex eius p. 1. cap. 27. & Sandero 7. de viſib. Monarch. hæreſi 147. Tholoſæ, Albigij, & Vaſconiæ ſuborti Chriſti humanitatem, & corpus ſolum apparens fuiſſe inter alia delirarunt, ac proinde noui Manichæi dicti ſunt. Aliorum item, qui verum corpus, & animam in Chriſto admittentes, humanitatem tamen, ſiue alterius cuiuſpiam defectu conſtitutam negabant, atque ex duabus naturis vnum compoſitum reſultaſſe, teſte Hugone Victorino t. 3. Apologia de verbo incarnato, contra eos, qui aſſerunt Chriſtum non eſſe aliquid quæſt. 4. 6. 9. ad 13. & q. 16. & 17. Denique eorum qui humanitatem, non in vnitatem perſonæ, ſed ſicut veſtem aſſumptam à verbo effutiebant, vt teſtes ſunt Magiſt. in 3. diſput. 6. Scotus quæſt. vlt. S. Thom. 3. part. quæſt. 2. à 4. Hugo Victor. vbi proximè quæſt 19. de quibus poſtremis hæreticis prudenter, doctéque ſuſpicatur Cardinalis de Hugo diſputat. 11. ſect. 4. numero 42. docuiſſe hominem de Chriſto prædicari in quale, tanquam de ente in ſuo completo, & adæquato eſſe conſtituto, vt docuit etiam Durand. relatus à Paludano, nec improbatus in 3. quæſtione 6. Contra hos igitur tres errores definiuit Alexander prædictus ex magno illo Concilio Lateran. pag. 49. cap. 20. in ſua epiſt. ad Epiſcop. Rhemenſ. vbi eius definitionis rationem ſubdit: *quia, ſicut Chriſtus eſt verus Deus, ita verus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.* Quibus oſtendit habere veram humanitatem contra errorem primum: conflatam ex anima & corpore: atque ex ea, & natura diuina, ac verbo vnum ſuppoſitum, & vnam perſonam, quæ Chriſtus ſit conſiſtere contra errorem ſecundum: neque aſſumptam à verbo humanitatem, & veſtem, ſed vnitam cum diuinitate phyſicè in vnitatem ſuppoſiti: quare & in quid prædicari de Chriſto, non in quale, & vt hoc aliquid id quod ſubſtantialem potius, quam accidentalem fuiſſe non euincit.

3 Dubitatur ſecundò. An vnio hypoſthatica abſolutum quid ſit, an reſpectiuum? tranſcendentaliter, ſcilicet extremum afferendum eſt cum ſancto Thoma 3. part. quæſt. 2. à 7. Caietan. eiuſque ſchola, Soto in 3. diſput. 1. quæſt. 1. cum ſuis: quia eſt actualis nexus, & coniunctio extremorum, ſicut vnio materiæ, & formæ. Vnde conſtat, alia vnione, qua verbo vniatur, non egere, vt Aluarez ſupra num. 21. obiectabat. Dubitatur tertiò. An vnio hæc indiuiſibilis ſit, an diuiſibilis, & diuiſibilem eſſe conſtat: quia alia vnione vnitur verbo materia, alia anima, alia earum vnio, vt diximus: ſicque, ac non aliter tota humanitas vnitur. Non autem ita eſt diuiſibilis, vt ſit ex partibus inter ſe vnitis per vnionem aliam continua: quia vel vnio vniens inter ſe vnionem materiæ, & animæ ad verbum ſe ipſa verbo vniretur, ſicque eidem verbo præfatas vniones ſe ipſis vnitas iterum vniret, quod fieri nequit, vel vniretur verbo per vnionem aliam, & hæc per aliam, & ſic in infinitum abiretur. Dubitatur quarto: an vnio hypoſthatica ſpiritualis ſit, an corporea, atque ad vtrumque ex parte eſt. vnio quippè materiæ, & vnionis ſuæ ad animam materialis eſt: vnio verò animæ ſpiritualis pro ſubiectorum diuerſitate, ex quibus educuntur, è quorum corporeitate, vel ſpiritualitate eductorum, ſpiritualitas, vel materialitas deſumitur. dubitatur quintò, & prolixius à Bernale diſp. 20. ſect. 3. An in quouis motu locali humanitatis vnio hypoſthatica, eiuſque productio muteturr? leuis quæſtio: etiam cum multa recentiorum ponderatione oneratur: vnio in ſola prima ſui productione à locali coniunctione pendet; poſtmodum verò ab ea pendet localis coniunctio vnitorum, vt oſtendam cert. 3. imò neque in ſui productione ab hac locali coniunctione. Sed verò cum verbum vnitum vbique adſit ratione ſuæ immenſitatis quocumque moueatur humanitas adeſt, licet non moueatur, non minus, quam ſi cum ea localiter moueretur: quare non eſt, cur vnio pereat. Sed neque eius productio. Nam localis coniunctio agentis ſolum eſt conditio ad actionem, atque ex cuius variatione actio mutanda non ſit: maximè, cum in repræſenti Deus, qui

qui efficiens totale vnionis eſt, ſua immenſitate localiter vbique ſit vnioni coniunctus. Nec plura de quæſtione, quam Soarez diſp. 31. ſect. 4. §. vltim. tribus ſolum lineis primus ſatis profligauit. Dubitatur ſextò. An ſit vnio hæc ſupernaturalis; aſſero cum Nizeta 3. Theſ. c. 3. à medio: quia ſupra ius omne naturæ eſt. Quo ſenſu idem docet Cyrill. Alex. lib. ad Euoptium contra Theodoretum defenſ. anathematiſmi 3. & aduerſus Antropomorphitas cap. 21. Chriſto autem naturalis eſt, quia eſſentialis contra Neſtorij errorem. ſic appellata eſt à Concilio Alex. epiſt. quæ eſt 10. Cyrilli approbata ab Epheſino cap. 14. anathem. 3. & à 6. ſynodo gener. act. 11. in epiſt. Sophronij, eſſentialis autem, nec ſolum ſecundum gratiam facta dicitur à petro Diacono, ſupra, & Ioanne Maxent. confeſſ. ſuæ fidei, & reſponſ. epiſtolam Hormiſdæ, de qua ſupra, ac Nazian. orat. 51. ſiue epiſt. ad Cledon. poſt init. à Damaſc. 3. de fide cap. 3. quæ fuſius adducit Vaſquez, d. 17. c. 3. oſtendit autem diſp. 24. c. 2. à nu. 7. dici gratiam vnionis homini Chriſto naturalem, quod ſit gratia naturæ ipſius diuinæ, ſiue quæ ſit ipſa natura diuina ex Auguſt. cap. 40. & 41. Enchiridij Dionyſij Alex. epiſt. contra Paulum Samoſatenſ. nu. 1. & circa fin. apud hoplotec. Turriani Baſilio in id pſalm. 44. *Propterea vnxit te Deus.* Ildefonſo de perpetua virginitate ſanctæ Mariæ columna tertia, & ſermon. de purgatione beatæ Mariæ columna ſecunda, tractatu 2. Biblioth. atque ex Concilio Francford. epiſtol. ad Epiſcopos Hiſpan. col. 7.

4 Septimò dubitatur de vnionis huius magnitudine in ratione vnionis, nec ſolum ex parte eius, in quo ſit, nempè in verbi perſonalitate, quæ vniſſima, ac ſimpliciſſima omnium eſt. Vaſquez, diſputatione vigeſima, capite 2. aſſerit vnionem in ſe minorem eſſe vnione materiæ, & formæ, citat Alex. 3. p. q. 7. m. 2. à 3. & S. Thom. q. 2. à 9. corp. & ad 2. (qui tamen de vnione ex parte extremorum ſecundum ſe conſideratorum, non autem, vt vnitorum, & vnum conſtituentium, ſiue de vnione in ſe, ac ſecundum ſe fortaſſe loquuntur, vt alij explicant) melius citaret pro ſe Durandum in 3. diſp. 5. qu. 3. num. 7. dicentem in ratione vnionis phyſicæ minimam eſſe hypoſthaticam. Conſenſit Vaſquio Cardinal. de Lugo diſputatione vndecima, ſectione 4. numero quadrageſimo ſeptimo, contra verò Paludan. in 3. d. 5. q. 3. à 3. ex S. Thom. ibi q. 1. à 3. q. 2. & Capreol. q. 1. concl. 3. Caietan. 3. p q. 2. à 9. ac reliqui Thomiſtæ, Valentia d. 1. q. 2. punct. 6. §. *Ego vnionem* Soarez. d. 9. ſect. 1. §. *Nihominus dicendum.* Probant hi duo ex maiori extremorum ſimplicitate. Sed in primis, licet ex parte verbi maior longè ſimplicitas ſit, aſt ex parte humanitatis, quæ alterum extremum eſt, eſt ſimplicitas minor, cùm ſit ex duobus extremis vnionis materiæ, & formæ compoſita. Secundò maior ſimplicitas extremorum ſolùm probat ſimplicius eſſe compoſitum; non autem vnionem eſſe maiorem. Probatur primò: quia ea vnio eſt maior, quæ fortiùs, ac permanentiùs, & inſolubiliùs extrema coniungit de ſe, naturaque ſua: ſiquidem id eſt vnionis munus formale extrema coniungere; & annectere: atqui vnio hypoſtatica fortius permanentius, ac inſolubilius de ſe, naturaque ſua extrema coniungit, quam vnio materiæ, & formæ, & aliæ creatæ extrema ſua coniungant: ergo eſt in ratione vnionis cæteris creatis maior. Minor eſt Bernardi 5. de conſideratione ad Eugenium, vbi fortiorem eſſe vnione animi, & corporis ait. Scundo, vnionem hypoſthaticam natura ſua permanentem, & perpetuam eſſe potius quam viſionem beatam docent communiter Doctores. Nec refert id habere ex decreto Dei ſic ſtatuentis ſupra ipſius exigentiam. Etenim eædem rationes decentiæ, & dignitatis beatorum, quæ perpetuitatem viſionis beatæ natura ſua euincunt, vrgentius ex maiori dignitate & excellentia Chriſti ſuæ vnionis hyoſthaticæ perpetuitatem natura ſua ſuadent. Secundò, quia fortius pugnat natura ſua eriam antecedenter cum peccato, quod ipſi ad deſtructionem aduerſetur, quam viſio beata. Tertiò, quia non implicat Deum producere vnionem hypoſthaticam natura ſuâ exigentem nunquam amitti, ac perpetuò durate: eaque perfectio eſt in linea vnionis, cùm fortius, & inſolubilius extrema cõtingeret: atqui quæuis perfectio, nec Chriſto, eiuſque muneribus, & dignitati aduerſa, neque vnioni ipſi repugnans concedi ipſius vnioni debet: ergò ipſius vnio perpetuâ natura ſua, atque inſolubilis dicenda eſt. Confirmatur; quia in eo vnionis prædicato philoſophiæ, ac theologiæ accommodationi fundatur Patrum, ac Theologorum proloquium: *Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit.* Dices non repugnare etiam vnionem hypoſthaticam naturæ ſua amiſſibilem, ac diſſolubilem, accomodationemque eſſe ad munus redẽptionis per mortem, in qua vnio hypoſthatica vnionis materiæ, & animæ perit, ſed tamen, cum vnio hypoſthatica non ex ſucceſſiuis ſit, ſed ex permanentibus, implicat natura ſua ſuam durationem non exigere vbi primum eſt: cumque ex alia parte non habeat contrarium, niſi peccatum, atque huic ſolum formaliter, ſed antecedenter, & inſuperabiliter opponatur, nihil eſt, quod directè ipſius deſtructionem valeat exigere; licet ratione defectibilitatis alterius extremi poſſit perire: vt periit ex parte in Chriſti morte.

5 Secundò probatur concluſio Paludani argumento efficaci, quo magis diſtant extrema maiori vnione, opus habent, vt componantur, & coniungantur inter ſe: atqui extrema vnionis hypoſthaticæ magis diſtant, quam extrema vnionis compoſiti ſubſtantialis cuiuſvis, ſcilicet materia, & forma ſiue anima: ergò maiori, fortiorique vnione opus habent, vt inter ſe coniungantur; ſed vnione hypoſthatica coniunguntur æquè, atque materia, & forma: ergò vnio hypoſthatica maior, & fortior eſt, quam vnio materiæ, & formæ. Maior probatur: fortiori, & maiori nexu opus habent, vt copulentur, atque in vnum teneantur, quæ minus inclinant, magiſque natura ſua diſcordant: vnione quippè formali actuali ſupplendus eſt naturalis eorum inclinationis defectus. Confirmatur: quia maior amicitiæ nexus requiritur, vt oppoſitæ inclinationes & affectus ad vnitatem concordiæ, & amicitiam æquam redigantur, quam ad ſympaticè inclinatos ad concordiam, & amicitiam redigendos. Subſumptum patet, Nam vnione hypoſthatica reſultat vna perſona cum duabus naturis, vnumque per ſe quod Chriſtus eſt, æquè atque ex anima, & corpore vnus homo, vt ex ſymbolo Nicæno ſæpe recitauimus: *Sicut anima, & caro vnus eſt homo; ità Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Minor verò eſt aduerſariorum fundamentum præcipuum: ex eo enim quod magis diſtent extrema vnionis hypoſthaticæ, quam vnionis materiæ, & formæ, contenduot in ratione vnionis, ſeu in ſe illam eſſe minorem: cùm tamen potius inferatur oppoſitum: quo ſolutum fundamentum manet, imò, & omnia, quæ Vaſquez in oppoſitæ ſententiæ confirmationem excogitauit. Ait enim: materia, & forma coaptantur, vt actus, & potentia: ergò maiori vnitati conſtituendæ ſunt aptiores, quam humanitas, & Deus. Id quod illuſtrat exemplo concaui, & connexi, quæ licet figuram habeant oppoſitam; ad localem coniunctionem aptiſſimam habent. Cæterùm id, quod actus, & potentia materiæ, & formæ habent, quod non adeſt humanitati, & verbo non eſt abſoluta potentia, vt coniungantur, vnumque conſtituant, cùm vnum abſolutè ex humanitate, & verbo de facto conſtitui de fide ſit; ſed inclinatio naturalis, quam earum quæuis, vt pars actualis mutuò per alteram perfectibilis habet: hæc autem, vt diximus, maiori, & fortiori vnione actuali hypoſthatica vincenda in humanitatis, & verbi coniunctione fuit, ac de facto fuit victa. Cęterùm quoad aptitudinem, vt humanitas perficiatur,

vtpotentia, verbo, tanquam actu ipsam peficiente (si naturalem illam inclinationem secludas, atque à verbo rationem partis, perfectibilis proinde per humanitatem) se, vt actus, & potentia habent absolutè; alioqui vnum per se non constituerent contra dogma catholicum.

6 Dubitatur octauo, an vnio hypostatica in ratione doni sit creatis omnibus maior? Affirmatur meritò à ferè omnibus apud Soar. sect. 2. §. *Nihilominus*. Probatur ex 1. ad Hebræ. *Tanto melior Angelis effectus*. vbi loquitur de Beatis etiam Angelis. Ratio est: quia vnio hypostatica physicè affert humanitati personam diuinam Dei Filium naturalem, ipsamque Dei naturalem etiam Filium constituit, hominem etiam personam diuinam, ob quam excellentiam digna humanitas est, quæ longè maiori adoratione, quam creaturæ omnes ab ipsis etiam Angelis adoretur, vt ibi Paulus ait. Insuper vnione hac omnis gratiæ, & gloriæ excellentia, atque impeccabilitas, etiam antecedens, humanitati communicatur, illaque diuinizatur, atque particeps operationum propriarum Dei, eminentissimo modo efficitur, organumque coniunctum diuinitatis: sicut corpus suo modo vnione ad animam spiritualizatur, sitque instrumentum coniunctum ipsius. Denique vnio hypostatica est supra omne naturæ rationalis, reliquis etiam Dei donis, & gratiis ornatæ, debitum: cùm tamen reliqua cuncta Dei dona, & gratiæ ipsi debeantur. Vnde constat quo iure de illa August. de prædestinat. Sanctorum c. 15. dixerit esse *gratiam excellentissimam, tantamque naturæ humanæ subuectionem, vt quo altius attolleretur non haberet.* Nec refert modum quemuis, iis, quæ res sunt ex genere suo esse imperfectiorem: quare vnionem, quæ substantialis solum modus est, imperfectiorem rebus, quas vnit, esse debere, ac proinde humanitate, quam verbo connectit. In primis enim naturale, & supernaturale genere non conueniunt proximo entis: supernaturale autem ens, vt sic nobilius ente naturali physicè etiam, & metaphysicè est vt patet: supremum autem infimi generis nequit attingere physicam, aut metaphysicam perfectionem illius etiam, quod infimum generis supremi est. Licet autem diuisio immediata entis philosophica gentilica in substantiam, & accidens sit, quia nihil supernaturale, & nobilius Gentiles Philosophi assequebantur; Christiana diuisio, quibus entia supernaturalia innotuerunt, in ens supernaturale, & naturale commodius, aptiusque ens immediatè diuidet fortasse; sed stemus gentilicæ diuisioni: probabit obiectio in ratione perfectionis physicæ, & metaphysicæ entitatis vnionem hypostaticam esse humanitate imperfectiorem; non autem in ratione gratiæ, cuius perfectio, & magnitudo, non ex entitatiua doni perfectione; sed ex modo quo Deus per illud communicat creaturæ, atque ex maiori suorum attributorum, & perfectionum per illud ostensione pensanda est, vt patet in gratia habituali, aliisque habitibus supernaturalibus accidentalibus natura sua, quibus, & vtraque solutio confirmatur, & apertè instatur obiectio.

CERTAMEN III.

Obiectionum occasione explicatur amplius vnionis hypostaticæ natura, & subiectum.

1 OBicies primò. Implicat aliquid denuò intrinsecè prædicari de aliquo intrinsecè immutato: quomodo enim denuò intrinsecè albus dicar, nisi denuò intrinsecè albedinem habeam, quam non habeam; ast de verbo dicitur intrinsecè esse vnitum humanitati: (neque enim verbum vnitum humanitatis est sicut paries visus, aut dexter meæ visioni, aut dexteritati, aut igni, ac Deus agens effectui, & actioni, sed sicut animus materiæ, vt diximus) ergo si verbum media vnione physica intrinseca incarnauit, fuitq; vnitum humanitati, nec solum media actione dependente à verbo, fuit intrinsecè mutarum, quod est hæreticum. Non fauet actionistis obiectio, qui illam arripiunt, cùm potius ex speciali dependentia, nec Trinitati communi, à verbo admittere cogantur verbum esse subiectiuum, seu passum productionis humanitatis per sui productionem ipsi vnitæ: ac proinde non minus intrinsecè mutari; quam ego frigore, quod receptione, seu eductione mihi vnitur. Ob hanc difficultatem communis solutio scholæ Complut. sæculo proximo fuit negare verbum dici, aut esse absolutè intrinsecè vnitum humanitati, vt testatur Lorca d. 15 n. 4. & tacitè Vasq. dum difficultatis huius non meminit. Consensit Lessius 12. de perfectionib. diu. c. 6. n. 52. est q; solutio S. Bonau. in 3. d. 1. q. 1. Contra tamen est: quia, tam intimè verbum vnitum est humanitati, quam anima corpori ex Athanasio sæpè recitato ex suo, & Nicæno symbolo: atqui anima vnita intrinsecè corpori absolutè, & est, & dicitur: ergò, & verbum humanitati. Minor certa est, cum ex apprehensione communi, tum ex mutatione animę per vnionem, qua anima intrinsecè mutatur. Conseq. est certa, ac proinde admissa à Soario & communiter à recentioribus teste Lugo sect. 7. n. 84.

2 Respondent recentiores apud Soar. sect. 4. atque alij apud Lugo sect. 6. num. 64. in quibus Petrus Hurtado intrinsecè quidem vnitum esse verbum humanitati, ast non vnione creata humanitatis ad ipsum, sed increata alia ipsi identificata se ex parte verbi tenente, atque indefectibili, licet, vt exercitè vniat, sitque vnio in actu secundo creatam aliam vnionem humanitatis ad ipsum verbum tanquam necessariam conditionem requirat. Fateor contradictoria, quæ contra Thomistas increatam vnionem hypostaticam asserentes, & contra Valentiam vrgebamus cert. 1. num. 1. & 2. facilius hac doctrina effugi; secus autem præsentem difficultatem. Etenim, vel vnio creata pars est formæ requisitæ, vt verbum sit, ac dicatur absolutè intrinsecè vnitus humanitati, vel non. Si neges esse partem: ergò tota adæquatè sumpta forma intrinsecè vniens verbum humanitati est vnio increata indefectibilis: ergò vbi primum est ab æterno veniet intrinsecè verbum humanitati, ac non denuò in tempore, vt supponitur, & admittit Hurtado. Etenim conditio, vt forma adæquata talis constituti subiecto apto intimè coniuncta tale constituat constitutum, nulla expectari potest. Dices curuitatem formam esse adæquatam constituti huius: *symus*, & tamen requiri ab illa, vt symum constituat non nudum subiectum, sed quod sit nassus. Sic igitur, cum vnio vnius non sit, neque intrinseca vnio vnius est: quare duplex connotatur subiectum intrinsecè vnitum, vt alterum vnitum intrinsecè sit: nequit autem vtrumque subiectum, seu extremum intrinsecè vnitum esse, nisi alterum habeat vnionem intrinsecè in se, vel per vnionem, vel per identitatem: quare nec verbum humanitati, nisi ex parte humanitatis sit vnio intrinseca creata: eoque pacto hæc est conditio, vt vnio increata verbum intrinsecè in actu exercito vnitum humanitati constituat. Sed contra est: quia aliud est requiri ad denominationem aliquam aliquid ex parte subti, vt aptum ad illam recipiendam sit, aliud formam adæquatam denominationis, seu constitutionis posito subiecto apto absolutè ad constitutionem, & denominationem aliquid aliud requirere. Primum probat exemplum symi; secundum est impossibile.

3 Secundò exemplum ex re non est: licet enim vnio, non nisi duorum esse possit: quare implicet esse sine vtriusque existentia actuali, licet vtrumque esse possit sine illa (ex quo conuincitur potius implicare vnionem, quæ res adhuc creata sit, nedum increata, & diuina ab omni creaturæ existentia absoluta, & independens per fidem) ast, vt intrinsecè vniatur alterum extremum, opus non est, vt alterum extremum vniatur intrinsecè ipsi: tùm quia, vt absolutè vniantur opus non est, vt vnio intrinsecè in aliquo extremo recipiatur, sed absolutè vnirentur, & si vnio, vt potest, à Deo crearetur: ergò licet in vno extremo solùm reciperetur altera

altera vnio, nulla recepta vnione in altero, hoc alterum absolutè esset illi vnitum, licet non intrinsecè, vt ait Hurtado, dicereque necessariò debet: alioqui neque posset vnione sua verbum adæquatè, absolutè intrinsecè vniri humanitati, nisi alio modo eadem vnio humanitatem ipsi absolutè vniret, vt terminum, cum vnio vnius nullatenus esse possit. Tunc sic: ergò vnio increata vt intrinsecè vniat verbum humanitati, non requirit humanitatem sibi intrinsecè vnitam: ergò neque vnionem creatam intrinsecè in humanitate receptam: sicut curuitas nasum, vt symum constituat, requirit: quare exemplum hoc ex re non est: ac proinde non poterit esse humanitas, quin vnio increata intrinseca verbo ipsum illi intrinsecè vniat, vt contra Thomistas arguebamus certam. 1. numero 1. & 2. Sin verò dicas vnionem increatam non esse formam adæquatam, qua verbum intrinsecè, & absolutè sit, ac dicatur vnitum humanitati, sed vnione alia creata humanitatis ad ipsum partialiter compleri tuam deseres sententiam. Si enim intrinsecè vniri partialiter verbum potest per vnionem non sibi, sed humanitati intrinsecam, sibi autem extrinsecam, cur, & non adæquatè, & totaliter? Secundò infertur verbum sine vnione creata non esse absolutè intrinsecè vnitum, vt hi supponunt, atque esse illa adueniente mutatum: quidquid enim denuò intrinsecè constituens subiectum denominatum denuò aduenit illud in horum sententia mutat.

4 Communis iam Soarij, & Cardinalis de Lugo solutio distinguit maiorem obiectionis. Nequit aliquid denuò prædicari intrinsecè de aliquo, *vt subiecto formæ prædicati*, ipso immutato conceditur maior: denuò de aliquo, *vt purè termino* formæ prædicati, negatur: Similiter distinguitur minor: negando esse intrinsecè vnitum prædicari denuò de verbo, vt subiecto formæ prædicati; concedendo autem prædicari de illo, vt purè termino, ac negando consequentiam. Hanc solutionem multa, & accurata obseruatione philosophica illustrat Lugo tota sectione septima, sed contra tamen est; quia si illud, *vt subiecto formæ* prædicati intelligitur de subiecto prædicationis formę prędicati: quia nihil est aliud esse subiectum prædicationis formæ prædicati intrinsecè, quam intrinsecè de illo prędicari eiusmodi prædicatum. Si autem illud, *vt subiecto*, intelligatur de subiecto reali, & physico inhæsionis falsum in horum omnium doctrina est requiri, vt aliquid; de quo denuò aliquid intrinsecè prædicatur mutari debeat, quod sit subiectum physicum, & reale inhæsionis, siue receptionis formæ prædicati. Etenim ipsi, Lugo etiam ingenuè fatentur vnionem animi, & corporis inter se non esse denuò prædicandam de anima intrinsecè sine animi mutatione: cùm tamen hic non sit subiectum physicum, & reale vnionis, quæ est forma prædicati, cum denuò de illo prædicatur vnitum esse corpori, Lugo, & recentiores Complutenses ex ipso præter subiectum inhæsionis, & prædicationis aliud sustentationis addunt. Sed si intelligant sustentationem suppositalem, cum verbum suppositaliter sustentet humanitatem, & vnionem, quæ ad verbi persona vnitæ inter se sunt, vt diximus q. 1. atque hoc modo intelligi debeat illud; *vt subiecto formæ prædicati*. potius conuincetur verbum ad nouam prædicationem vniti mutari debere.

5 Melius expliquere communem solutionem, ac melius recentiores citati à Lugo sect. 6. n. 65. *vt subiecto perfectibili per id, quod formaliter, vel de connotato affert prædicati forma*; concedo maiorem: *vt purè termino perficiente, non autem subiecto perfectibili*; nego maiorem. Hinc constat: cur anima, licet non sit subiectum physicum, & reale, neque hypostaticæ sustentationis vnionis sui ad materiam, neque materia ipsius, quam vnio connotat, secumque animæ trahit, mutari necessariò debeat, vt denuò absolutè sit, ac dicatur vnita materiæ: quia cum natura sua incompletum quid sit, vt potè essentialis pars, atque vnione ad materiam compleatur, totumq; cum illa constituat, quod est vltimus suæ physicæ capacitatis, imò, & inclinationis terminus, & fœlicitas physica vnione, & materia, quam hæc affert, ac de connotato dicit perficitur: ac proinde de ea prædicatur vnio vt de subiecto perfectibili per ipsam, & per connotatum quod affert: quare, vt intrinsecè de illa denuò prædicetur vnitam esse materiæ opus est, vt intrinsecè mutetur. Contra verò, licet verbum subiectum sustentationis sit, cum tamen non sit subiectum perfectibile per vnionem, & humanitatem, sed purè terminus humanitatem perficiens, licet intrinsecè vnitum humanitati absolutè sit, ac dicatur, mutatione sui intrinseca non eget, vt intrinsecè sic vnitus dicatur. Hinc constat primò, cur verbum, ac deitas pars strictè in Christo, qui ex ipsa constat, vt cert. 4. videbimus, non sit; Quia de conceptu partis essentiali est esse per compartem perfectibile quid: vnde constat: cur sit in Christo persona, & suppositum, secus autem humanitas: quia nimirum hæc in Christo pars est, atque vt perfectibile quid à verbo, & à deitate ibi componit: oportet autem, vt aiebat Theodorus Carienſ. Episcop. recitatus à nobis d. procem. q. 2. cert. 5. n. 1. vt aliquid persona sit, non esse partem. Constat tertiò: quid sit vnio qua vnum per se constituitur, sicut constituitur Christus vnione hypostatica. Etenim vnio è conceptu suo determinat extrema quæ vnit ad simultaneam coexistentiam localem contiguam, si integralis vnio sit, vel penetratiuam, si sit essentialis, qui cuiusuis nexus, & vnionis proprius conceptus est. Licet enim actio, & passio similem coniunctionem agentis, & passi supponant, ac proinde, & effectus habeant, tamen non cogunt, vt eadem inter hæc feruetur: similiter eadem, si possibilis est, duorum præsentia, licet vtrumque eidem spatio alligaret, non tamen inter se, neque quatenus alterum attingi determinaret ad coexistendum localiter cum alio, sed quatenus comitanter afficit vtrumque.

6 Sed præter hunc generaliorem vnionis cuiusque conceptum ad vnionem per se requiritur, vt alterum saltem extremum perfectibile per aliud sit, ac proinde pars esse possit, id quod nullatenus reperiri, nisi in eis, quę natura sua partes substantiales sint, vel naturę substantialis, vel suppositi, Lugo, & recentiores Complutenses existimant. Ego verò in aliis, quæ natura sua non sunt rationem perfectibilitatis ad vnionem per se cum alio extremo requisitæ recognosco. Etenim humanitas natura sua pars non est in ordine ad naturam substantialem, neque in ordine ad suppositum, siue personam propriam, quæ ab ipsa re vera non distinguitur per modum superadditum personalitatis, & subsistentiæ, sed solum per negationem independentiæ in sui existentia ab vnione ad aliud, vt explicuimus probauimusque d. procem. q. 2. cert. 5. ad quod vt pars comparari non potest, cum per eam habeat secundum se, atque in sua entitate totum esse. Ad suppositum autem alienum, & diuinum (cui solum vt supposito vniri potest, vt ea etiam d. ostendimus, & controu. 1. d. 1. q. 1.) capacitatem quidem habet, & perfectibilitatem per illud; ast nullatenus habet inclinationem naturalem, vt ipsi vniatur, ac perficiatur per vnionem ad ipsum, atqui ratio partis natura sua talis præter perfectibilitatem, per aliud, cui vnitur dicit naturalem inclinationem ad vnionem, & coniunctionem cum illo quo perficienda est, & ad constitutionem totius ex vtroq; constituendo: ergò humanitas habet perfectibilitatem sufficientem, vt eius vnio sit per se, vnumq; per se constituat, quin pars sit natura sua ad totius constitutionę ex ipsa, & verbo quod neq; pars est, neq; vllatenus perfectibile. Secundò rogo, an ex coniunctione, & vnione duorum corporum homogeneorum, quæ prius duo erant integra composita, & totalia fiat vnum per se, ac proinde sit per se eorum vnio. Fateberis: ast pro priori neutrum illorū natura sua pars erat, cum vnionem cum alio neutrum appeteret natura sua; cum esset in tua etiam sententia in propria subsistentia, & proprium esset suppositum: ergo perfectibilitas extremi requisita ex parte alterius extremi ad vnionem substantialem per se non est perfectibilitas

partis natura sua in ordine ad naturam, vel suppositum constituendum; sed satis est alterius extremi perfectibilitas absoluta vt accedente vnione cum perfectiuo sui, vnum per se resultet, atque vnio per se dicatur, Parsque sit de facto perfectibile, si ei detur existentia dependenter ab vnione ad illud.

7 Sed obiicies ex dictis: vnio per se, & generali suo conceptu vnionis determinat vtrumque extremum ad localem insæparationem, siue coniunctionem cum altero, etiam penetratiuè, si integralis non sit: atqui vnio hypostatica non est integralis: ergò determinat verbum, & humanitatem ad insæparationem, siue coniunctionem localem alterius cum altero penetratiuè: ergò determinat verbum ad coniunctionem localem penetratiuam cum humanitate: ergò determinat verbum, vt nullibi sit non coniunctum penetratiuè, siuè separatum ab humanitate, siue sine humanitate ipsi penetrata localiter: atqui verbum vbique est: ergò vbique est humanitas ipsi penetrata. Confirmatur: quia ex determinatione vnionis ad localem hanc coniunctionem, quocumque humanitas moueretur adesse debebat, atque aderat necessariò penetratiuè verbum, nec solùm ratione immensitatis: atque ex simili determinatione vnionis, quocumque mouebatur corpus secum trahebat animam, ac quocumque moueretur anima secum traheret corpus. Respondetur communiter à recentioribus ex vnione quidem non oriri æquam in vtroque extremo determinationem ad localem coniunctionem cum altero; sed in eo quod perfectibile est, esse maiorem, quam in extremo, quod solum est perfectiuum: quia nimirum huius nihili coniunctio refert, perfectibilis verò extremi refert maximi localis cum extremo perficiente insæparatio, atque coniunctio; quare quocumque moueatur, & sit, secum, aliud trahit, vt probant exempla humanitatis Christi se loco mouentis, trahentisque secum verbum, vt sic loquar, & si immensitate sua illi loco non adesset; atque animi, & corporis, seu materiæ, quæ altero perficiuntur vicissim, vt potè partes, & altera per alteram mutuò perfectibiles. Cùm autem verbum perfectibile extremum per humanitatem non sit, non trahit secum quocumque eat humanitatem: quare neque vbique secum penetratam, vbique constituit. Nec contra hanc doctrinam est, animam, licet perfectibilem per materiam, ipsique vnitam, non trahere secum materiam, cui vni- est in omnem locum vbi est: nam materiam pedis non trahit ad locum materiæ capitis vbi ipsa est; Etenim, cùm pars essentialis sit totius hominis, non est pars essentialis respectu materiæ capitis solius, vel pedis, sed totius corporis etiam integralis hominis, quod, vt sit tale, loco dissitas parte habere debet, sicque dispositis vniri petit; atque perficitur omnibus adæquatè, inadæquatè singulis: quod non haberet, nisi loco dissitæ forent, sed vna cum altera penetraretur: quare ex prædicato partis, & perfectibilis petit, vt corporis partes diuersis locis sint.

8 Ego verò ingeniosæ huic solutioni acquiescere non satis possum. Nam determinatio extremorum ad localem coexistentiam, siue insæparationem vnius extremi ab alio ex vnione prouenientem æquam in vtroque fore iudico. Etenim si ex vnione formaliter prouenit in quibus æqua vnio est: non æqua determinatio intelligi nequit. Confirmatur: quia eadem indiuisibili vnione nequit fortius perfectibile extremum vniri perfectiuo, quam perfectiuum perfectibili, quod enim minoris fortitudinis ex parte alterius extremi consideretur in vnione ad ipsum, debilitatis vnionis recognosceretur ex parte alterius: cùm enim vnio eadem vtrumque connectat; si, vt attingit alterum debilior est, vt alterum illi affigit, nequit non eandem debilitatem habere. Quod si dicas: non ex sola vnione præcisè, sed ex maiori inclinatione, & appetentia perfectibilis extremi ad purè perfectiuum id euenire, vt fortitum vnionem perfectiuum extremum separari non patiatur; contra quidem maiorem ex parte perfectibilis ad insæparationem euinces, non autem insæparationis effectum. Si enim perfectiuum minus appetit coniunctionem, minorisque illam facit, debiliusque adhæret, siue inhæret, cum perfectibile, si loco moueturpoterit persistere, & si vnio, quam nihili æstimat pereat. Contra verò probatur potius nullibi mouendum extremum purè perfectiuum, quin secum trahat extremum perfectibile: quia tanti æstimat vnionem cum perfectiuo sui, quam nisi localiter illi coexistat habere non potest, vt eam deserere, atque ab illo separari minimè patiatur. Vnde potius infertur humanitatis vnitæ verbo vbiquitas ex vi vnionis, quam coniunctio localis verbi in loco, quo moueatur humanitas vi vnionis eiusdem. Certum ergo sit ex perfectibilitate, vel imperfectibilitate extremorum vnionis non magis determinari per vnionem alterum extremum ad localem coexistentiam cum altero, quam alterum cum ipso, vt alterum potius secum trahat alterum; quam ab altero trahatur: id quod rursus confirmatur exemplo eorum omnium, quæ nexu aliquo reuincta sunt, licet neutrum altero perficiatur. Facilius ergò respondeo de conceptu vnionis, & nexus cuiusuis esse non admittere separationem localem omnem vnitorum, quia nisi in coniunctis esse vnio non potest: quocirca cum in loco vno coniuncta sunt extrema vnita, quoduis eorum si moueatur inde aliud secum æquè trahere: quia, si non traheret separarentur absolutè: at verò, si ab eo loco immotis alteri eorum replicaretur, vel proximè immediatè, vel remotius præsentia non determinari ab vnione, vt eo extremum alterum trahat: cum in locali coniunctione, quæ perseuerat satis habeat vnio, vt sit, atque extrema, vt sint absolutè localiter coniuncta. Quare si anima vnita, vt absolutè potest, per grandius spatium, quam corpori vnito sibi respondet, præsentaretur vlterius, ibi secum illud non traheret. Cùm ergò verbum localiter non discedat ab humanitate, cui vnitur cum vbique sua immensitate est, non est opus, vt ex vnionis hypostaticæ necessitate ad coniunctionem localem cum illa illam sibi vbique localiter coniungat, atque vbique præsentet: id quod exemplo animi rationalis, qui vi vnionis ad pedem, hunc non coniungit secum localiter cum capite, cui vnitus etiam coniunctusque est, satis confirmatur.

CERTAMEN IV.

Postremæ obiectionis occasione Christi compositio examinatur.

1 Opponebat Durandus. Ex duobus entibus in actu nequit fieri vnum per se: sed verbum, & humanitas sunt duo entia in actu: ergò nequit ex eis fieri vnum per se: ergò neque inter hæc vnio physica per se esse potest. Qui subsistentiam modum superadditum aiunt videntur præfata obiectione non tangi; quia humanitatem partem cuiusuis personæ, siue propriæ, siue alienæ esse expresè profitentur: ac proinde, & ens in potentia, ad actum personalitatis cuiuscumque: vnde facilè negabunt primi syllogismi minorem. Verùm neque nos tangit fortius obiectio. Licet enim humanitas totum quoddam in ordine, atque ens in actu de intrinseco suo conceptu foret, posset esse ens in potentia in alio, parsque esse in illo. Ecce in opinione ponente accidentia in toto composito physicè subiectata, totus Petrus v.g. est ens in potentia, & pars huius concreti, & compositi, *album*, vel *calidum*. Secundò: in nostra etiam opinione, licet ex ipsa, & personalitate propria superaddita suppositum, & persona, tanquam totum ex partibus non resultet: quare neque sit ens in potentia respectu propriæ personalitatis, parsq; propriæ personæ; aut respectu substantiæ diu. ens in potentia est, atque pars totius suppositi huius ex ipsa, & personalitate verbi resultantis, dependéntque in sui existentia ab vnione ad verbum, in qua ratio partis actualis consistit; quar

quare non minus est pars, quam partes compositi homogenei, quæ separatim totum quid vnaquæque foret: in forma ergo respondetur: ex duobus entibus in actu in omni genere & ordine non posse fieri vnum per se, in aliquo ordine solùm entibus in actu vnum per se rectè fieri posse, aut humanitatem non esse in omni ordine ens in actu, sed esse in potentia ad subsistentiam alienam: vnde negatur consequentia prima & secunda, quæ ex ipsa pendet.

2 Opportunus hic locus examinandi, an in Christo sit vera & stricta compositio per se? cùm enim vnio physica, & per se videatur catholicè admittenda, idémque sit vnio per se, ac compositio per se, qua necessariò compositum & vnum per se resultat ex per se compositis, & vnitis, negari non posse videtur Christum compositum quid absolutè, & per se esse, vt persona est vtráque natura in vnitate suppositi, ac personæ constant: Verùm Magister in 3. d. 6. vbi Alens. & S. Thomas q. 2. ar. 3. vbi etiam Ricardus q. 3. S. Bonauentura a. 1. q. 12. Scotus a. 3. q. vlt. Durand. q. 3. Gabriel q. 1. a. 3. post. 3 concl. Almaynus q. 1. concl. 2. Marsil. in 1. q. 6. a. 3. dub. 3. Caietan. 3. p. q. 2. a. 4. ad 3. dub. Lorcad. 13. n. 6. veram, & propriam compositionem absolutè inficiantur: id quod doctrinæ S. Thomæ consonat asserentis 1. p. q. 3. ar. 3. Deum ad alterius compositionem venire non posse, nimirum propriam & strictam: nam impropriam negari ab illo non posse, constat ex dictis, & ex fide, ex qua vnio physica & realis Dei cum humanitate asserenda catholicè est. Primum fundamentum sit, quia vera, propria, atque absoluta compositione per se extremorum duorum vtrumque debet esse pars: atqui verbum, quod vnionis hypostaticæ alterum extremum est pars neque est, neque esse potest: ergo nequit esse extremorum physicæ vnionis hypostaticæ vera, propria, atque absoluta compositio. Minor per se est nota: quia pars, qua talis, dicit inclinationem ad vnionem cum alia comparte, ac proinde perfectibilitatem per illam, dependentiamque proinde in complemento suæ perfectionis ab illa: item, vt actualis pars sit, dependentiam in sui existentia ab vnione ad illam, vt supra d. procem. q. 2. ostendebamus: atqui hæc omnia Deo verbo repugnant: ergo, & esse in Christo partem verbo repugnabit: quare, & compositionem veram propriam, atque absolutè in Christo sua physicè vnione ad humanitatem efficere.

3 Accedit, quod compositio nequit in persona Christi, in qua maximè videbatur admittenda, excogitari, saltemvè absolutè dici: etenim nomen per se, vtpote substantiuum, substantiale, solam personalitatem dicit in recto absolutè prolatum: atqui personalitas Christi, seu, quæ in Christo est, diuina verbi personalitas est, simplex omnino, & indiuisibilis non composita: ergo nequit dici propriè & absolutè composita: atqui cùm diceretur absolutè persona Christi composita, prædicatum hoc de recto significato nominis *persona*, cum quo solùm concordat, prædicaretur: ergo falsò diceretur de persona Christi propriè compositum absolutè esse idcirco S. Thomas, & S. Bonauentura citatis locis sententiam hanc negantem propriam compositionem in Christo communem inter Doctores sui temporis appellant. Ea verò est opinionum, sicut, & temporum, vicissitudo, vt opinio aduersa veram in Christo, ac propriam compositionem absolutè admittens sæculo nostro communior longè sit communi illa negante ferè ab scholis relegata. Ita Vasquez d. 16. cap. 2. communem Theologorum ætatis suæ affirmatiuam sententiam appellans. Valentia d. 13. q. 2. puncto 4. §. *in hac verò*. Soarius 3. p. q. 2. in comment. ar. 4. & d. 7. sect. 4. ac vniuersim Vazquitæ, ac Soaristæ omnes. Vvadingo d. 4. dub. 4. §. *Dico primò*, vbi secundum fidem catholicam negari non posse ait Lugo d. 10. sect. 1. n. 3. §. *Pars affirmatiua*, vbi communem inter huius temporis Theologos esse testatur. Bernal. d. 13. sect. 3. §. 1. & 2. id ipsum de eius sententiæ communitate testificans, in quam etiam inducitur S. Thom. 3. p. q. 2. ar. 4. citato vt vel inde discamus non admodum in minus nostro sæculo communes sententias succenfere, efferrique censuris, cùm nihil aduersus fidei dogmata à Patribus statuta apertè pronuntiant: siquidem, quæ communes nunc sententiæ sunt, fieri deinceps singulares, ac non adeò communes alio sæculo possunt; & quę nunc singulares videbuntur, successu temporis possunt fieri communes.

4 Idcirco dico primò: sententia negatiua probabilis adhuc est, atque sine fidei iniuria defendi potest. Est contra citatum nostrum Vvadingo; sed in Doctorum antiquorum fauorem. Probari verò nulla ratione melius potest, quàm testimoniorum, quæ pro affirmatiua ex Patribus induci possunt exacta interpretatione, idémque sit vnio per se, ac compositio per se, qua necessariò compositum & vnum per se resultat ex per se compositis, & vnitis, negari non posse videtur Christum compositum quid absolutè, & per se esse, vt persona est vtráque natura in vnitate suppositi, ac personæ constant: Verùm Magister in 3. d. 6. vbi Alens. & S. Thomas q. 2. ar. 3. vbi etiam Ricardus q. 3. S. Bonauentura a. 1. q. 12. Scotus a. 3. q. vlt. Durand. q. 3. Gabriel q. 1. a. 3. post. 3 concl. Almaynus q. 1. concl. 2. Marsil. in 1. q. 6. a. 3. dub. 3. Caietan. 3. p. q. 2. a. 4. ad 3. dub. Lorcad. 13. n. 6. veram, & propriam compositionem absolutè inficiantur: id quod doctrinæ S. Thomæ consonat asserentis 1. p. q. 3. ar. 3. Deum ad alterius compositionem venire non posse, nimirum propriam & strictam: nam impropriam negari ab illo non posse, constat ex dictis, & ex fide, ex qua vnio physica & realis Dei cum humanitate asserenda catholicè est. Primum fundamentum sit, quia vera, propria, atque absoluta compositione per se extremorum duorum vtrumque debet esse pars: atqui verbum, quod vnionis hypostaticæ alterum extremum est pars neque est, neque esse potest: ergo nequit esse extremorum physicæ vnionis hypostaticæ vera, propria, atque absoluta compositio. Minor per se est nota: quia pars, qua talis, dicit inclinationem ad vnionem cum alia comparte, ac proinde perfectibilitatem per illam, dependentiamque proinde in complemento suæ perfectionis ab illa: item, vt actualis pars sit, dependentiam in sui existentia ab vnione ad illam, vt supra d. procem. q. 2. ostendebamus: atqui hæc omnia Deo verbo repugnant: ergo, & esse in Christo partem verbo repugnabit: quare, & compositionem veram propriam, atque absolutè in Christo sua physicè vnione ad humanitatem efficere.

5 Verùm, cùm certum omnibus sit ea omnia Concilia, & Patres citatis locis solùm contra Eutychetem, & Nestorium, atque affectat hæreticos egisse, ac duarum naturarum inconfusarum in Christo physicam vnionem in personæ vnius verbi vnitatem adstruere, quam negatiuæ sententiæ Doctores citati catholicè docent, & tuentur: certum etiam esse debet philosophiam seu metaphysicam hanc quæstionem, an vnio illa physica, & realis stricta ac rigorosa compositio sit? nullius curæ Conciliis, & Patribus, atque attentionis fuisse; nedum eius quæstionis decisionem, ac definitionem illis locis, & verbis esse ab eis intentam: id quod ex eorum verbis, quæ ponderant affirmantis sententiæ Doctores, satis claret. Etenim particula *ex* nequit in præsenti propriam compositionem, & per se ex partibus significare: cùm æquè dicant citata testimonia Christum compositum esse ac subsistere in vnam personam ex diuinitate atque ex humanitate compactam: certum autem est diuinitatem, neque in Christo partem propriè componentem esse, neque posse vsquam, vt partem componere: vt satis demonstrant rationes S. Thomæ, & nostra num. 1. ex incompletione, perfectibilitate, ac dependentia ac alia comparte, atque dependentia in sui existentia ab vnione ad illam, quas pars actualis essentialiter dicit, ac Deitati repugnant. Nec refert. Nicetam in orat. 42. Nazianzeni 2. in Paschate, & Ioannem Maxentium contra Acephalos c. 11. & 13. apud Hoplothecam nostri Turriani, atque Iustinianum Imperator. edicto fidei ad Ioan. Pa. 2. t. 2. Concilior. post Toletan. 2. diuinitatem partem Christi vocasse: eos enim omnes impropriè, & laxè nomen partis vsurpasse, certum Theologis omnibus est, atque memoratis rationibus conuincitur cùm ergo concilia, & Patres locis citatis æquè componi Christum ex diuinitate, atque ex humanitate dicant; non curabant, an tanquam ex partibus, ac proinde, vt pro-

prium & strictum compositum (quod, non nisi, & extremis, quæ partes sint, atque, vt partes componant, aduersarij admittunt) Christus esset.

6 *Dico* tamen secundò cum sententia communi: Christus propriè, & absolutè compositum quid est propriè, & absolutè, atque item persona composita. Probatur primò: quia non est ens omnino simplex, & indiuisibile physicè, neque vnum per accidens Christus Dominus, neque eius persona secundum totum, quod dicit, siue, vt physicè est: ergo compositum quid absolutè, & propriè. Secundò: quia nequit esse pars actualis, & propria in aliquo, quod propriè totum, & compositum non sit: cum pars actualis nequeat sine toto composito actuali esse: atqui humanitas in Christo pars actualis propria est, vt aiebant Theodorus Episcopus Cariensis, Rusticus Diaconus, & Athanasius citati d procem. q. 2. cert. 5. n. 1. Ergo Christus propriè compositum quid est. Tertiò à priori probatur, ac ratio S. Thomæ euertitur: quia ex perfectibili propriè tali, ac perfectiuo, tali etiam, propriè dari potest propria compositio ad perfectum quid constituendum media vnione physica vtriusque: atqui in Christo datur humanitas propriè perfectibilis per verbum, & Deitatem: insuper Deitas ac verbum propriè ipsius perfectiuum, ac media physica vnione propriè, & excellentissimè illam perficiens, vt per omnes constabit inferius: ergo datur propria compositio, & per se. Confirmatur: quia quidquid cum alio vnitur, vt actus cum potentia, propriè & per se componit; at quidquid componit, vt perfectiuum cum perfectibili, sicut verbum cum humanitate, componit, vt actus cum potentia: ergo propriè, & per se componit: itaque ratio actus non dicit rationem partis formalis; sed rationem solam perficiendi, licèt forma perficiens, quæ pars est, dicat etiam perfectibilitatem, qua pars est: quare, quod verbo deficit, vt pars sit, non minuit in eo rationem actus necessariam, vt per se componat; sed puriorem in illo esse demonstrat sine admixtione perfectibilitatis, quæ in actibus formalibus creatis, quæ partes sunt, inuenitur. Hinc etiam constat ad obiectionem secundam. Nam, licet persona Christi, quæ diuina est, atque omnino simplex composita esse nequeat; sat, cùm Christi dicitur, atque, vt reipsa in illo est, vsurpatur, dicitque naturas, compositum quid est. Scio nonnullos apud Vasquez cap. 3. n. 15. compositionem in persona Christi, humanitate etiam secluſa, comminisci ex duplici respectu personæ verbi, altero terminandi naturam diuinam, altero terminandi humanam. Sed hæc rationis figmenta inutilia ad veram compositionem, quam in Christo examinamus, omnino sunt.

DISPVTATIO III.

De physicis Humanitatis à verbo assumptæ qualitatibus.

VALEM humanitatem, quam secundum substantiam, & integritatem sui à verbo assumptam ex fide, & accurata Theologia statuimus, verbum assumpserit, examinandum iam est: inter physicas verò humanitatis qualitates aliæ potentiarum exercitio parantur: de quibus posteà, dum de scientia, & actibus voluntatis Christi, deque eius affectibus, quos propassiones vulgò vocant, agemus, statuetur: quædam verò sunt humanitati Christi naturaliter agnatæ: insuper in his à nonnullis numerantur potentiæ, & vitales, & animales, & rationales, quas nos hic præteribimus: tum, quia non tam qualitates physicas, quàm essentiales gradus humanitatis reputamus iuxta dicta contra d. de anima: tum, quia in Christo voluntatem, & intellectum creatum, propriumque humanitatis esse inferiùs contra Monothelitas ostendemus, partimque ostendimus contra Apollinarem d. 1. q. 3. & d. 2. quæst. 2. solùm ergo hic disputabimus de humanitatis assumptæ possibilitate, moralitate, temperamento, & quæ hoc consequitur, pulchritudine.

QVÆSTIO I.

De Physica Humanitatis Christi passibilitate.

DIXI de physica passibilitate, vt affectiuam, quæ appetitus sensitiui, aut rationalis affectum connotat, potestque animi passibilitas, seu propassibilitas dici, sicut & eiusmodi affectus passio vel propassio animi nuncupatur, alio, vt dixi, examinandum inferiùs remittam.

CERTAMEN I.

Christi Humanitas physicè passibilis ex fide est.

1 CONtra hanc fidei veritatem multifariam erraruntheretici, quos circa naturæ humanæ assumptæ veritatem errasse retulimus d. 1. q. 3. Nimirum: qui humanitatem in Deum conuersam assumptione ipsa cum Eutychete effutiebant: ij enim impassibilem redditam vnione, seu conuersione in Deum impassibilem necessariò affirmabant; item: qui de cælo tractam humanitatem illam somniarunt: esset enim ex cœlesti corpore impassibilis, sicut cœlestia corpora reliqua. deinde, qui phantasticam solum fuisse Christi humanitatem deliratunt: ac proinde eluforiè solum ictibus quati, dolores conceptos simulare, atque intentum fingere non pati. Denique Apollinaris cum suis, qui creato animo à natura assumpta reiecto verbum pro anima seu mente adiunxit: caro enim, seu materia sine animo, mortuum quid, ac doloris incapax, atque insensibile est; nisi fortè in Christi natura assumpta formas pro gradibus singulis viuentis, & animalis, diuersas ab animo rationali, pro qua verbum suppleuit, multiplicabant, qua minus communi philosophia præsentem errorem vitaret: sed vera tamen humanitate Christi admissa eius passibilitatem, ac mortalitatem negauit primus Gainus, siue Gaianus circa annum 476. sub Zenone Imperat. & simplicio Pa. quem circa annum 604. sub Phoca Imperat. & Sabiano Pa. secutus est Iulianus Halicarnassæus, vt referunt Damascenus 3. de fide cap. 28. Nicephorus 17. histor. c. 29. Prateolus in Elencho verbo *Gaientiæ*. Postmodùm in eundem errorem consensisse referuntur à Prateolo, & Nicephoro Seueritæ, siue Seueriani, quos tamen ab eo purgat Damascenus de hæresib. hæresi 84. eúmque adscribit Ephtarodicitis, latinè opinantibus humanitatem non obnoxiam corruptioni: tracto ex errore cognomento Hos idem Damascenus Excharadocitas appellabat, teste Sixto Senensi 5. Biblioth. annotat. 186. à catholicis verò *Phantasiastæ*, & Manichæi vulgò compellabantur; ab eis verò per Iudibrium catholici *Phiartholatræ*, seu corruptibilis adoratores, atque scenolatræ, seu tabernaculi, aut tentorij corruptibilis, vel facilè deponibilis adoratores nominabantur, teste Nicephoro 18. histor. cap. 45.

2 Præfatum errorem adeò Iustinianus Imperator fouit, vt edicto publico corpus Christi incorruptibile, ac passionum naturalium incapax euulgarit, teste Euagrio 4. histor. c. 39. quo Monachos, & sacerdotes, magnam partem, in eum pertraxit: imò, & Anastasium Antiochenum, licèt incassum, in errorem eundem inducere tentauit, vt author est Nicephorus 17. histor. c. 30. in eum verò lapsum Hilarium ad Psal. 68. *saluum me fac Deus*: atque ad illud Psal. 138. *& in viti mea*: ac 10. de Trinitate suspicantur Maldonat. in 26. Matthæi num. 37. Bellarminus tom. 1. lib. 4. de Christi anima c. 8. ad 7. Salmeron tomo 10. de Passione Christi tractatu. 11. Medina 3. p. q. 14. à 2. fine. Asserunt verò indubitanter Claudius Mamertus Episcopus viennæ Galliæ lib. 2. de statu animæ c. 10. & 5. Biblioth. Vasquez d. 59. c. 1. à n. 3. & quidem 10. de Trinit. de fame & siti Christi sic habet: *Afferent hæc quidem impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, vt telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut æra verberans.* Ac rursus: *Virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se sæuientis excepit.* Quæ verba pias Magistri Alexandri, & S. Thomæ explicationes reiiciunt: idcircò, qui Hilarium in eo fuisse errore citatis locis, vel suspicantur, vel credunt, ab eo retractatum aiunt in quodam libello, quem se vidisse Guillielmus Parisiensis dicebat, S. Bonauenturæ, vt ipse testatur in 3. d. 16. à 1. q. 1. ad 1. sicque aiunt Richard. d. 15. in fine quæstionis in expositi. litteræ. S. Thomas in expositi. textus, & q. 26. de verit. à 8. ad 7. Albertus, & Carthusian. d. 15. cit. fine. Ego autem adduci non possum, vt credam doctissimum, sanctissimumque Ecclesiæ Patrem, & columen, atque in scripturis, siquis alius, versatissimum in crassum adeo, atque vtrique testamento apertè repugnantem errorem lapsum aliquando fuisse: ac proinde libellum illum suæ potiùs mentis explicationem, quàm retractationem iudico: maximè, cùm ea verba, & planum, & scripturis, fideique Catholicæ accommodum habeant sensum. Censeo ergo Hilarium eis verbis, & locis Christi constantiam tot doloribus superiorem, atque patientiam tormentis inuictam, vt neque in iram ageretur, neque deficeretur ingenius; sed sicut aiebat propheta, *tanquam agnus coram tondente se obmutescet*, siue, vt Poëta: *Quàm si dura silex aut stet Marpesia cautes*: commendasse. sic enim de constantini flagellato, vel icto vulgo dicimus: ita verbera, & ictus pertulit, ac si non ipse; sed aer verberaretur: adeò nullum ab illo pœna doloris sensum extorsit: vt sensus non internum, sed externam eius demonstrationem significet: & quo pacto pœna propriè in corpus impassibile sæuiret, vt Hilarius aiebat?

3 Dicendum catholicè, & ex fide est humanitatem à verbo assumptam passibilem fuisse. Hanc Patres, & Catholici plures ex veritate humanitatis assumptæ deducere contra hæreticos irrito conabantur. Non enim, sicut ex humanitatis passibilitate ipsius veritas euincitur ex humanitatis veritate eius passibilitas demonstratur: nam, & in resurgente Christo, & Beatis vera humanitas est, quibus certò ex fide impassibilitas adest: neque vlla est repugnantia in eo, quod à conceptionis instanti simili impassibilitatis dono humanitas à Deo donaretur: imò nisi redemptionis per opera pœnalia finis attenderetur, id humanitati Christi iure vnionis hypostaticæ debebatur. Solùm ergo ex scripturæ testimoniis, quæ præfixum illum redemptionis nostræ per opera pœnalia, & passionem humanitatis finem ostendant, vel dolores ac passionem, quibus fuimus de facto redempti, loquantur ad rem hanc vti possumus: & primò quidem sæpè in Psalmis per Dauid de suis doloribus, & passione carnis suæ filius incarnatus loquebatur. Psal. 17. v. 5. *Circumdederunt me dolores mortis, dolores inferni circumdederunt me*: quæ repetuntur Psal. 114. vers. 3. Psal. 30. vers. 11. *Defecit in dolore vita mea.* Psal. 68. vers. 27. *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* ac versu 22. *Et in siti mea potauerunt me aceto*: vt autem dolorem ærumnis, quas de Christo toto illo Psalmo ex eius persona Dauid vaticinatur, conceptum fuisse nemo dubitare posset, dicitur immediatè: *Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni*: tristitia verò, & consolatio de malis, quæ quis non patitur verè, nec dolet, vera non est. Secundò Isaiæ 53. vers. 3. dicitur de Christo *virum dolorum, & scientem infirmitatem* vers. 4. *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Tertio Ieremias Threnor. 1. v. 12. ex persona Christi: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus*: quæ omnia litteraliter de Christi passione, ac doloribus prænunciata à prophetis fuisse, concors est Patrum, atque interpretum omnium sententia, quos idcirco sigillatim non recenseo.

4 Neque obscuriora pro hac veritate sunt noui testamenti testimonia. Matth. 4. esuriisse dicitur Christus: esuries autem, vel est dolor in ore stomachi ex melancholia proueniens, vel illum supponit. Ioannis 4. dicitur Christus *fatigatus ex itinere*, in quo dolor, & passio deesse non potuit: & c. 19. exanguis totus Christus dixit *sitio*: quæ passio non minus, quàm fames dolorifera est. Lucæ 24. n. 25. discipulis de sua passione, ac morte mœstis, ac resurrectione dubiis Christus aiebat: *O stulti & tardi corde &. Nonne oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* vbi passionem suam veram, de qua discipuli tristabantur, & per prophetas annuntiatam, & à se toleratam faretur. Insuper ad Hebræos 2. *Decebat eum, &c. authorem salutis eorum per passionem consummari.* Et infra: *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad eum, & repropitiaret delicta populi: in eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari.* Accursus c. 5. *Didicit ex eis, quæ passus est.* & c. 13. *Extra portam passus est.* Item 1. Petri 2. vers. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum;* & c. 4 *Christo igitur passo in carne.* Atque huius generis sexcenta sunt passim apud Euangelistas, epistolas canonicas, & acta: quæ omnia propriè intelligenda esse constat: quia historialiter dicta sunt, vbi figuratæ locutiones locum non habent. Secundò: quia concors est totius noui, & veteris testamenti locutio. Tertiò: quia nulli dogmati fidei, rationi ne Theologicæ aduersatur; sed opitulatur potiùs: idcirco definita est hæc veritas in Concilio Ephesino anathematismo 12. in epist. concil. Alexand. Cyrilli. 10. à Chalcedonensi act. 5. à Synodo 5. gener. act. 8. à Synodo 6. in epistola Sophronij recitata act. 11. & approbata act. 13. atque item act. 18. à Lateranensi Concilio sub Martino 1. consultat. 5. can. 4. à Toletano 1. in confess. fidei à symbolis Apostolorum Niceno, & Athanasij, à Damaso Pa. epist. ad Paulin. profes. fidei, ab Eutychiano Pa. epist. 1. à Leone Pap. epist. 11. Traditur constanter à Patribus Ambrosio 2. de fide c. 4 & de Incarnat. Dominic. Sacram. c. 9. & 7. ab August. epist. 146. Damasceno 3. de fide c. 28. Tertulliano lib. de carne Christi, atque vno verbo à reliquis ad citata scripturæ testimonia.

5 Accedunt rationes, ac prima petita à Paulo ex veritate fidei ac redemptionis nostræ I. Cor. 15. *Si enim Christus mortuus non est, & resurrexit, vana est fides nostra.* Secunda: quia redemptio decreta est per opera Christi pœnalia: quæ sine humanitate ipsius passibili esse non poterant. Primum constat ex Isaiæ 53. v. 10. *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*: oportuit autem nos ita redimi, primò in patientiæ nostræ exemplum, vt Petrus aiebat, nostrarum ærumnarum solatium, in horrorem peccati, in pugnæ nostræ pro iustitia ardorem, in sensibilem etiam, redemptionis nostræ ex parte Christi confidentiam: ac demum, vt humanitates Christi veritas, vel oculis ipsis cerneretur: quæ opponi hic possunt, ex dictis euanescunt. Concludit meritò Vasquez cum Niceta 3. thesauri c. 25. in Christi humanitate, quantum ad naturalem aliorum hominum modum, nihil à communi lege immutatum, nisi in partu, & conceptione, & quæ hanc, vt in Christo fuit, consequuntur. Denique animaduertunt Theologi omnes naturales hasce passiones, siue infirmitatis humanæ defectus ita Christum habuisse, vt tamen eos non contraxerit: hoc enim sonat causam, ob quam in natura à Deo sine illis condita inducti sunt, nempe peccatum, quod in humanitate Christi admitti sine errore non potest.

CERTAMEN II.

An passiones præfatæ humanitati Christi necessariæ fuerint, seu violentæ, an naturales, seu voluntariæ in se vel in causa?

1 MAior hic opinionum diuersitas, quàm aduersitas refertur: claritatis gratia aduerte necessitatem harum passionum in Christo, vel posse considerari necessitatem respectu verbi secundum se, in quo quidem, neque assumendi humanitatem, neque ea assumpta assumendi passiones, adhuc ex fine redemptionis & satisfactionis nulla necessitas esse potuit: cùm alias satisfactio, & redemptio nostra posset ab homine Christo exhiberi, verbumque nulla necessitate physica, vel morali ad Incarnationem teneretur, vt constabit ex controuersia 2.d.1.q.1. & ex disputationibus sequentibus, vbi Anselmo, ac Bonauenturæ ex ipso asserentibus ex fine redemptionis harum passionum assumptionem necessariam Deo fuisse, atque Durando id ipsum ex fine satisfactionis asserenti occurremus cum Vasquez d.59. c. 3. §. *Cæterùm*; Soario q.14.a.1.in comment. §. *Sed in hac ratione*: quare à verbo dicuntur assumptæ eiusmodi passiones, non secus, atque humanitas: ideſt, non necessaria, sed libera assumptione respectu illius à Damasceno 3. de fide c.2. Nigeta 3. thesauri c.36. Duplex autem canendus in hac locutione sensus est. Primus assumptionis passionum à verbo per eius vnionem cum ipsis, quæ nusquam fuit; sed cum humanitate, quæ illas fuit perpessa. Secundus, qui Hilarij immeritò putatur; per repræsentationem solum. Sicut qui in comœdiis personam regis dicitur assumere. Posito autem fine redimendi & satisfaciendi per opera pœnalia respectu verbi, & Dei necessariæ fuerunt, necessitate non absolutè, & simpliciter actiua Dei, siue coactiua; sed necessitate passiua effectus, seu finis intenti, qui opus passionibus illis habebat: licèt in Deo intendente, si efficaciter antecedenter intendisset, actiua determinatio, & necessitas ex suppositione adesset, vt dicemus controu.2.d.1. sed tamen de antecedente voluntate redemptionis, & satisfactionis Christi fusè disputabimus controu.3. Posita verò eiusmodi voluntate efficaci antecedenti sola mortis humanitatis passio necessaria esset à verbo sensu prædicto assumenda: quia ea sola determinatè esset intenta efficaciter; reliquæ verò indeterminatè, nempe hæc vel illa: ex qua intentione nulla non esset in se libera, vt statuemus controu.de merito, & satisfactione Christi. Potest autem necessitas eiusmodi passionum considerari etiam respectu humanitatis assumptæ, de qua secundum se sumpta, vel ex intentione redemptionis absolutæ, vel per opera pœnalia præstandæ eodem modo, ac de verbo, vel secundum se, vel ex similis suppositione intentionis philosophandum est.

2 Circa passionum autem harum naturalitatem scire etiam oportet: naturales eas appellari à Damasceno 3. de fide cap.20. & à Niceta 3. Thesauri c. 36. & à Sophronio in epist. quæ extat in 6. Synodo act.11. quia naturam consequuntur humanam, vt in Christo iacuit, quin interuentu voluntatis liberæ opus haberent natura sua: quia, cum sine dono impassibilitatis humanitas in Christo esset, passibilis natura sua erat: atque accedente qualitate dolorifera naturaliter dolebat: licet in eius accessu humana Christi voluntas intercederet, vt iam dicemus. Appellantur insuper eiusmodi passiones à Sophronio ibidem irreprehensibiles; non autem ea de causa, quam vult Vasquez: quia nimirum sine voluntatis humanæ Christi interuentu omnino essent; sed ad distinctionem passionem aliarum naturalium, quæ defectus morales sunt, vel ad eos inducunt, cuiusmodi non sunt passiones istæ, de quibus in præsenti: quare, licèt naturales sint explicato sensu, atque in eis absolutè humana Christi voluntas interuenerit, non sunt reprehensibiles sicut alię; sed irreprehensibiles; imò verò multum laudabiles. Denique aduerte violentum dici posse, vel id, quod est contra naturæ exigentiam, & vires, vel quod opponitur voluntario, ac primo modo naturæ exigentia, vel potest continere ea solum principia, quæ intra passum vel essentialiter, vel integraliter, vel quasi integraliter sunt: & sic quidquid à causa naturali etiam extrinseca, passionis prouenit, violentum dicitur: sicut mors, non ex senio, aut ægritudine prouenions, violenta dicitur viuenti: quo pacto Christi passiones, & mors violentæ ipsius humanitati proculdubio fuere: vel potest continere causas tam intrinsecas, quàm extrinsecas, ex quibus naturalis adæquata exigentia passionum conflatur: atque hoc sensu naturales Christi passio, & mors fuere, atque à præfatis Patribus appellantur. Solùm ergo de violento passionum Christi, quatenus voluntario opponitur, potest esse non admodùm difficilis controuersia, ac de humanitatis in eis perpetiendis libertate.

3 Dico primò: Nulla Christi passio fuit humanitati Christi violenta, vt opponitur voluntario, siue contra voluntatem humanitatis repugnantem. Est communis conclusio, expressa Sophronij vbi proximè, ac cum eo Synodi 6. act.11. & 13. dicentium non necessitate, nec tyrannide; sed sponte, ac humanè eas passiones in Christo fuisse. Item Damasceni, & Nicetæ vbi proximè dicentium: *quoniam ea, quæ naturalia erant in Domino, voluntatem haudquaquam anteuertebant, &c. Neque enim in eo quidquam coactum considerabatur; sed omnia voluntaria: volens enim fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est.* Sed hanc rationem neque firmam, neque horum Patrum reputat Vasquez: quia posset passio non violenta esse, etsi anteuerteret voluntatem, cum tamen ipsa non reluctaretur passioni; sed eam sequeretur: quare in Græco non esse *anteuertebant*; sed *præibant*; vt dux, qui alios secum trahit volentes nolentes. Verùm licèt aliunde passio non coacta, & violenta humanitati esse possit, tamen ex eo, quod voluntas passioné præcederet, non autem passio voluntatem, apprimè voluntaria, & non violenta, coacta, & inuoluntaria probatur: quare optima est Patrũ ratio ex iis, quæ in Christo fuerunt, vt dicá concl. 2. verbaque illa, *volens enim fame*, satis probant. At inquies: timuit passionem, & mortem, pro eaque vitanda Patrem orauit: ergo fuit inuoluntaria, violéta, & coacta. Respondent Thomistæ (vt putant ex S. Thoma q.14.à 2.) metum, & fugam hanc indeliberatam fuisse, prosecutionem verò deliberatam. Sed primò S. Thomas non indeliberatam; sed naturalem, siue ex naturali mortis horrore ortam fugam illam dixit. Secundò: quia affectus indeliberati instantanei ferè, etiam in nobis, sunt: Christus autem diu, multumque pro morte vitanda Patrem orauit. Tertiò: dum refugiebat, rationes non refugiendi proponebantur, nempe Patris opposita voluntas: ergo fuga illa deliberata fuit; quarto motus indeliberati ne in appetitu quidem sensitiuo decenter Christo adscribi possunt, vt videbimus infra. Quintò: cum efficaci voluntate, etiam indeliberata fugæ, nequit esse simul opposita prosecutionis efficax, quam isti admittunt in Christo, ac insuper inuoluntaria redderetur, & coacta passio. Respondeo fugam eiusmodi in efficacem fuisse, ac proinde inuoluntariam, secundum quid solum, passionem fecisse, quæ secundum se solam considerata inuoluntaria esset, nisi nostræ vtilitatis ac remedij, ac voluntatis diuinæ motiuum adesset: ob quod efficaci voluntate prosecutionis illam amplexus est Christus, voluntariámque simpliciter, & absolutè fecit, vt rectè aiebat Cyrillus Alexand. 4. in Ioan. c. 1. *Admittit passionem propter nos, & facit voluntarium sibi, quod per se erat inuoluntarium, propter humani generis vtilitatem. Patre asserente ac comprobante. Hinc enim maximè immensam diuinæ naturæ bonitatem inspicimus: quod, etiam id, propter salutem nostram non recusauerit, quod per se erat abiiciendum:* quæ doctè expendit Vasquez cap. 3. num. 16.

4 Dico secundo: Passiones eiusmodi fuerunt humanitati, non solùm non violentæ, & coactæ; sed voluntariæ. Primum enim habere possent, si voluntas non reluctaretur: non enim essent contra internum impetum: multoque minus, si eas comitaretur, sequereturve voluntas amplectens aliunde ab extrinseco illatas: & tamen non essent voluntariæ passiones eiusmodi: quia nondum Christo adessent à principio intrinseco cum cognitione, neque eo modo, quo à Christi voluntate causari poterant, causarentur. Hoc igitur additur, probandumque est in conclusione præsenti. Probatur autem primò: quia, vt aiebat Isaias c. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*: cui prophetiæ factum respondit: se enim comprehensoribus flagellandum, conspuendum, crucifigendum, atque occidendum obtulit, vt concordes Euangelistæ narrarunt. Secundò de omnibus passionibus docuerunt expresse Sophronius, ac Synodus 6. vbi proximè, Damascenus, & Nizetas illis verbis: *Omnia voluntaria* in Christo, *volens enim fame, volens siti, volens metu volens morte affectus est*: illaque Sophronij & Sextæ Synodi sententia: voluisse verbum, vt humanitas pateretur, *quantum pateretur*, non solum quidem à Deo; sed, & à voluntate humana, quæ morali influxu applicitas etiam doloris, & passionis causas posset impedire, ne illas causarent: ex quo constat dupliciter voluntarias fuisse Christi humanitati passiones: primò remotiùs, causis, vt applicarentur, occurrendo voluntariè: secundo proximiùs libera sua voluntate efficiendo, ne effectu doloris, ac mortis iam applicitæ causæ carerent, cùm ex sua opposita voluntate posset effectu prohibere. Cùm autem voluntarium hoc cum deliberatione plena, atque ex perfecta virtute in Christo fuerit, constat eodem gradu, quo voluntariæ humanitati, Christi eiusmodi passiones fuerunt, liberas etiam ipsi fuisse.

5 Dico tertiò: eiusmodi passiones non fuerunt in se formaliter voluntariæ, & liberæ; imò neque esse potuerunt. Est omnino opposita conclusio Alexandro 3.p.q.17. m.1.a. 2. asserenti omnes fuisse in se formaliter, & proximè voluntarias Christo: quare, & liberas, vt dicebamus: ex parte verò est contra Vasquez vbi proximè num.19. Richard.in 3. d.16.a.1. q. 1. Gabriel.q.vn.a.3.dub.1.Paludan. q. 1. opin.4. concl. 3. Scotum q.2. §. *Ad quæstionem igitur* vers. *sed inde sit*. Almainum.q.1.dub.1.quia aliquas passiones, vt famem deserti quadraginta diebus totis voluntate efficaci causis applicitis, & exigentibus impediuit, rursusque opposita voluntate illam habendi, & sentiendi effectum ipsis dedit. Sed, hoc toto in eo casu, atque in reliquis passionibus admisso, probatur nullam passionem, seu doloris sensũ formaliter, & in se voluntarium, liberumque fuisse. Etenim voluntarium, & liberum solummodò competit actibus appetitus, & voluntatis rationalis formaliter in se; reliquis autem actionibus, etiam humanis, mediatè, & ratione illorum, quatenus ab illis proueniunt: vnde motus brachij, vel pedis, voluntarius, ac liber non est est formaliter in se, & immediatè: quia in se formaliter, & immediatè non est à principio intrinseco cum cognitione: cùm facultas motiua animalis in se non moueatur, mouerive cognitione queat: Ergo multo, minus sensatio doloris, seu passio formalis ipsi humanitati Christi voluntaria, & libera formaliter, & in se erit. Patet: quia eatenus solùm à voluntate efficaci Christi pendebat, quatenus illa Deo proponebatur motiuum, vt cum causis doloris, & passionis applicitis, & eius productionem exigentibus concurreret, vel non concurreret, quod remotiùs tangit effectum.

QVÆSTIO II.

De naturali Christi mortalitate.

MORTALEM ab extrinseco, & violentè, vt dicitur. Christum fuisse, salua fide negari non potest, cùm fuerit ab hostibus cæsus; dubitatur autè an ab intrinseca naturali sui corporis constitutione ita mortalis esset, vt sine homicidis, senio tandem, aut ægritudine naturali, quæ dicitur, morte abiret.

CERTAMEN I.

Humanitas Christi mortalis naturaliter fuit.

1 NEmo huic conclusioni refragatur nisi Gallenus qui vniuersim solùm ab extrinseco, aëris intemperie, ingesto immodico, vel nociuo alimento, hoste & ferro, & mortales homines putauit. Eam verò in terminis docent Alex.3.p.q.17.m.1.a.1.S.Bonauent.in 3. d. 16. q.3. Richard.a.1.q.2. Paludan.q.1 vn.opin.4. Almain.q.vn. S. Thomas q.14.a.2. Vasq.d.60. per totam, Soar.d.32. sect. 1. § *Dico primo*. Bernal.d.40. sect. 1. ac reliqui tam nostri, quàm Scotici, & Thomistæ recentiores. Est item expressa sententia Aug.2.de peccator. merit. & remiss.c.29. his verbis: *Sed quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsa exordius infantia: vt ad mortem videatur, etiam senescendo illatam, peruenire potuisse, nisi iuuenis fuisset occisus: quæ tamen mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur: in similitudine autem carnis peccati obedientiæ voluntate suscepta est*: quibus mortis susceptionem, siue senio alias inferendam, siue ab hostibus illatã; non tamen mortalitatem, quam intrinsecam dixerat, à voluntate Christi pẽdere, ait. Probatur ratione cõclusio: Mortalitas humanitati sine impassibilitatis dote intrinseca, & naturalis est atqui humanitas Christi fuit sine impassibilitatis dote; ergo Christi humanitati fuit intrinseca mortalitas, siue abintrinseco, & naturalis. Maior est Aug. proximè; & c. 3. eiusdẽ libri, vbi ait Adamum in statu innocentiæ etiã mortalem ab intrinseco esse, licèt mors per extrinsecam Dei prouidentiam impedienda in eo esset per causarum extrinsecarum remotionem, & cibum ex lignis paradisi, qui temperamento non nocerent, ita, vt, vel senium, vel morbum, vel mortem Adamo induceret, atque illud quantulucumque nocumentum cibo ligni vitæ repararetur; quare necessitas moriendi peccato ab Adamo incursa non fuit intrinseca mortalitas; sed quę ex sententia Dei per ablationem extrinsecæ illius diuinæ prouidentię naturalem mortem impedientis, ab intrinseca Adami mortalitate naturaliter mors erat prouentura.

2 Confirmatur eadem maior, & proxima doctrina: quia per peccatum homo non est grauatus malis naturalibus suæ naturæ extraneis; sed expoliatus donis gratię iustitiam originalem comitantibus; mortalis autem remansit homo per peccatũ; ergo mortalitas non est malũ naturale naturæ humanæ extraneum; sed intrinsecũ. Dices totam mortalitatem naturalem extrinsecam esse ab aëre, cibo, & aliis nociuis, quæ humana sciẽtia nequeunt vitari ab homine, atque illũ tandẽ sicut cætera viuentia, plantas, & similia corrumpunt. Sed contrà primò: quia semper certis ac statis vitæ spatiis homines ferè omnes diuersæ adeò curę victus, & salutis senescere, ac tandem obire aliquid omnibus commune, & intrinsecum, quod earum mutationum, ac mortis tandem principium sit, euincit apertè. Secundò rationes dandæ cert. 2. idipsum ostendunt. Probatur secundò: quia causæ omnes intrinsecæ mortalitatis reliquorum hominum in Christi humanitate fuerunt, vt ostendã cert. 2. atqui eis reliquis homines ab intrinseco, & naturaliter mortales sunt: ergo, & humanitas Christi: Dices fuisse quidẽ easdem causas;

sed coniunctas esse vitæ diuinæ,& immortali. Sed contra: quia humanitas vita illa Dei non viuebat, nec viuit; imò neque illa,aliovè attributo diuino denominatur, vt ostendam controu. de intrinsecis affectibus à Deitate vnita humanitati communicatis; licèt per communicationem idiomatum homo Christus immortalis dicatur, quia Dei, & hominis eadem persona est, vt dicemus controu. vlt. d. de idiomatum communicat. Dices secundò:vnione secundum se, cui debetur impassibilitas magis quàm visioni beatæ, esse impeditas mortalitatis causas intrinsecas humanitatis Christi: siquidem impassibilitate mortalitas intrinseca impeditur. Sed contra: quia impassibilitas formalis est, quæ mortalitatem formaliter impedit, non autem titulus impassibilitatis; alioqui etiam ab extrinseco esset humanitas impassibilis: cum ea etiam humanitati vnionis titulo debeatur: neutra autem humanitati concessa fuit ob rationes datas quæst. 1. quare neque naturalis, & ab intrinseco mortalitas absolutè impedita.

3 Sed instat Bernal. n. 13.& 14. Forma inducens qualitatem impeditiuam alterius, eamque exigens; ligata etiam, ne qualitatem producat; tamen alteram illam se ipsa impedit: atqui per nos vnio est natura sua inducens, atque exigens impassibilitatem impeditiuam mortalitatis in humanitate hypostaticè vnita: ergo, licèt ligetur, ne illam inducat, se tamen ipsa impediet huiusmodi immortalitatem. Maiorem probat: quia visio beata, licèt amorem Dei formaliter peccati impeditiuum non produceret, quia tamen illius productiua, & exactiua physicè est, peccatum se ipsa impediret formaliter. Insuper forma ignis,etsi ligaretur, ne in suo subiecto calorem impeditiuum frigoris induceret, quia tamen illius inductiua, & exactiua physicè est formaliter, frigus impediret.Respondet n. 14. maiorem de debito, & exigentia physica connaturali causæ certissimam esse, atque exemplis datis efficacissimè conuinci: Quare contra Granados, qui eiusmodi esse exigentiam vnionis, respectu impassibilitatis argumentum tenere; non tenere autem absolutè; quia vnionis exigentia respectu impassibilitatis non physica, sed moralis est. Ego verò nullum in eo discrimen reperio: nam vtraque exigentia eodem modo opponitur passibilitati, eodemque gradu, nempe radicaliter, non formaliter, neutraque impassibilitatem oppositam, atque impedientem formaliter intrinsecam humanitatis passibilitatem ponit: imò vtriusque exigentia physica est, vel moralis, siue sit agentis physici, siue vnionis: hæc enim non in exigendi; sed agendi modo differunt, nempè, quia agens physicum, non solum exigit à Deo concursum ad effectum,quem se solo nequit producere, sed physicè cum Deo illum operatur, quod vnio respectu donorum, quæ vnitæ humanitati exigit,non præstat, ast sua physica entitate, ac non meritua, æquè illa natura sua determinatè exigit à Deo, atque à sua physica entitate, & natura agens physicum exigit à Deo effectus: quare in exigentiæ modo nullum est discrimen.

4 Sed exempla de nulla exigentia probant maiorem, neque è re sunt iis, qui accurata philosophia de eis iudicant: etenim, si visio beata formaliter non iustificet,sed medio amore, quem non producit in casu posito,formaliter non impedit peccatum, neque ignis forma formaliter impedit frigus in suo subiecto adhuc, si in eo calorem oppositum non producit: impedient quidem in actu primo exigendo formam oppositam, ast si Deus exigentiæ non annuat, sed frigus,v.g. inducat annuens agenti frigido, æquè frigidum formaliter erit subiectum, ac si forma ignis in eo non foret: quare falsa est omnino instantiæ maior de impedimento formali vnius per principium productiuum, atque exactiuum formæ alterius formaliter illud vnum impedientis: quare, cùm exigentia doni impassibilitatis in humanitate Christi per vnionem existens impassibilitas formaliter non sit, & quæ formaliter opponatur intrinsecæ humanitatis mortalitati naturali,quæ in illa est,formaliter se ipsa illam impedire, aut abolere minimè potest: sed, neque in actu primo impedit de facto, cùm ob rationes alias datas quæst. 1. eiusmodi exigentiæ Deus non annuat, sed renuat, denegando impassibilitatis donum humanitati, quam pro hac vnio hypostathica exigebat.

CERTAMEN II.

Intrinsecæ causæ mortis in Humanitate Christi.

1 CVm intrinsecæ naturalis mortis causæ humanitati Christi sint ipsi,& aliis communes, summatim solùm recensenda hic erunt,quæ controu.de generat.& corrupt.generatim ea de re docebamus, ne qui nos ibi non legant,aliquid hic in nobis desiderent.Nonnulli apud Scotum in 3.d.16. q. 2. §. *ad primum quæstionem.*& §. *Rationes istæ*,aiunt priuationem formæ oppositæ, cuius capax materia est, esse causam intrinsecam corruptionis:absentis siquidem boni naturale desiderium in ea est. Impugnat Vasquez: quia Beatis forma opposita abest: ergo erunt corruptibiles ab intrinseco. Negatur consequentia facilè: quia dono impassibilitatis est illis forma opposita impossibilis, ac proinde, & metaphoricum materiæ desiderium, quod circa impossibile esse nequit. Melius impugna: quia adamas, elementa, ac reliqua non viuentia non sunt ab intrinseco corruptibilia, & tamen in eorum materia est capacitas, & priuatio formæ oppositæ, eiusque metaphoricum desiderium. Contra secundò: quia materia forma habita gaudet, neque eam abiicere, adhuc metaphoricè desiderat: quare neque oppositam absolutè: sed sub conditione, quod hæc absit, præcipuè, si vnica eius appetitus,& capacitas expletur:quare neque exactiuè,& materialiter desiderium materiæ formæ habitæ machinatur excidium.Alij apud Scotum in 2.d. 19. q. vn.§. *concedo quòd primus*, & Durandum d.30.q.1.n.4.& in 3.d. 16. q.1.n.6.intrinsecam mortalitatis causam pugnam contrariorum elementorum, quibus formaliter humanitas constat,esse aiunt.Paludanus pugnam tendentiarum eorum elementorum,quibus constat,ad sua loca diuersa, ac proinde ad disiunctionem localem, & discontinuationem: sed tamen elementa formaliter in mixto non perseverare:sed primas eorum qualitates in certo temperamento disponentes ad vnicam substantialem formam in mixto permanere certissimum est:ex eis autem vna grauitas in tali,vel tali gradu in illo resultat, deorsù solùm tendens:ergo neutra pugna in humanitate adest. Tertiò. Richard. in 3. d. 16.a.1. q.2. & S.Bonauent. a.1. q.3. pugnam primarum qualitatum in mixtis formaliter permanentium mortis causam intrinsecam esse docent: quas formaliter in mixtis permanere Scotus,& Durandus immeritò negant;sed medias,nescio quas,ex oppositis conflatas in eis admittunt.Verùm quidquid ex oppositis conflatur, mixtum illis constans est, vt fuscus color,teste Aristotele 5.Physicor.color medius est ex albo,& nigro,nusquam ab vtroque diuersus. Secundò: calor animalis experientia, & sensu ipso conuincitur; licèt frigus eius,quia calor excedit,non sentiatur:euincitur tamen ratione: quia vbi calor non in summo est, debet esse frigus;atque vbi non summa humiditas, necessariò siccitas aliqua adest. Melius impugnatur Richardus:quia, vt controu. de conditionibus ad àgendum fusè,in physicis monstrabam, nulla forma actiuè vniuocè est in proprium subiectum; sed nequ e actione æquiuoca,ab aliqua forma mixti potest altera ex qualitatibus vltra debitum intendi; quia omnes in tali temperamento exigit; nullam verò in gradu siue intensiore, siue remissiore.Secundò:quia mixta non viuentia contrariis qualitatibus primis elementorum constant,neque tamen corruptibilia ab intrinseco sunt.

2 Quartò:Scotus citato §. *Concedo quod primus*,& Durand. in 2.d.30.q.1.n.8.& in 3.d.17.q.1.n.8.asserunt diuersitatem temperamenti partium ætherogenearum viuentis causam intrinsecam mortis,siue intrinsecam eius mortalitatem: qualitate enim excedente partis vnius alterius temperamentum impugnatur, atque expugnatur vicissim;atque tandem soluitur, viuensque absumitur: quod solùm fors Richardus & Bonauentura volebant,videturque Aristotelis sententia 2. de partib. animal.c.2.circa med.verum,licèt philosophia hæc proximas impugnationes declinet, & impugnato Durando inconsequens est,& aliis impugnationibus patet. Nam primò partes viuentis diuersæ, præsertim vicinæ non adeò aduersi temperamenti sunt,vt secum ad morbum, senium,mortemque viuentis decertent;sed potiùs adeò amico & simili,vt se inuicem foueant, ac mutuò tueantur,alioqui breuius animal periret, ac breuius quo perfectius est; cum eo partibus dissimilioribus compingatur:secundò:cum bona animalis constitutio,firmitas,& valetudo in ea partium dissimilitudine consistat,quomodo ipsa causa per se morbi,senij,ac mortis denique erit? Aristoteles autem causam Scotum per accidens esse voluit,vt statim dicemus.Quinto demum: philosophi, & medici Galeno coætanei apud ipsum de Marasmo c. 3. aiebant calorem natiuum animalis perpetuò exciccare atque absumere,humidum radicale,cui insidet; sicque defectu materiæ,in qua conseruetur,perire, sicut ignis defectu ligni,quod vertit in cineres:Pro quo facit Aristoteles q.21.problem. & opusc. de longitud. & breuit. vitæ dicens:*Stirpes,& animalia,nisi alimenti succum hauriant, pereunt:nam id,quod nullo sustentatur alimento, se ipsum eliquat,& conficit:vt enim nimia flamma exiguam deurit,& deperdit: quia alimentum absumit:ita naturalis calor, idémque primam coquendi vim continens, materiam, quæ continetur, absumit.* Verùm Aristoteles loquitur casu, quo alimentum desit animalis, non de causa mortis, etiam, cum illud adest. Secundò:ignis exemplum è re non est, cuius actio,æquiuoca cum sit, in proprium subiectum esse potest;ast naturalis caloris actio est vniuoca, quæ nequit in proprium subiectum exerceri. Tertiò, vt benè Galenus, calor naturalis optimum est instrumentum ad tuendam vitam animalis:quare idemmet nequit ægritudinis,senij,ac mortis eiusdem animalis esse principium.

3 Dicendum est mortalitatem naturalem, siue intrinsecam causam mortis homini, atque animalibus reliquis esse intrinsecam alimenti indigentiam. Ita S. Tho.in 2.d.19.q.1. a. 4.& 1. p. q. 97. a. 4. quibus locis Caietanus, & Thomistæ, Scotus in 3. d. 16. q. 2. §. *Ad quæstionem igitur.* Paludan. q. 1. ad 4. argum. contra 4. concl. opin. 4, Gabriel q. vn. a. 3. valles 6. controu. medicar.c.1. Vazquez d.60.c.3. Bernal.d. 40.sect.1. n. 8. Probatur:quia naturalis calor ab alimenti,in quod agit, qualitatibus repatitur, ac minuitur, sicque reliquæ primæ qualitates temperamentum constituentes,præcipuè intimarum præcipuarum partium animalis: quare, & temperamentum paulatim dissoluitur,neque partes denuo nutritione acquisitæ adeò perfecti temperamenti sunt,præsertim,non ita humidæ, atque in primæua radicali animalis constitutione,eratque ad eius virorem & vigorem opus:vnde,& arescere,ac senescere, ac mori tandem necesse est.Id quod in herbis, & plantis cernitur,quę sola alimenti reactione diuturniore eodem tempore,aërisque,& cœli temperie,antiquiores senescunt, arescunt,& pereunt,iunioresque virescunt, & florent. Accedit quod in nutritione animalium excrementa plura alimenti supersunt,vt fel in iecore,flegma in pulmone,atque in aliis partibus fuliginosæ substantiæ nutritis partibus temperamento aduersæ, earumque proinde temperamento nociuæ:id quod præter experientiam assiduam constat ex fame,& siti,quas melancholia,& bilis sua quæque actione in ore ventriculi operantur. Ab his ergo partes substantiæ animalis,& pereunt,& exhalantur sensim plures, & plures in grandæuioribus, in quibus diuturniori cùm alimentorum,tum excrementorum pugna,naturalis calor imminutior,& humidum radicale deterius in dies est. Ad hæc in grandæuis grandiores partes sunt,distantioresque à corde,& aliis partibus elaboratiuis sanguinis,in quibus calor naturalis maximè viget:quare,& facilius præfatis pugnis expugnantur, atque expugnæ viciniores partes animalis impugnant:vt plantis etiam,atque herbis contingit, cùm excreuerint:quia in eis virtus nutritiua in radice,à qua, quò magis crescunt, magis elongantur in primis virgec.

4 Porrò ex his,quæ hominibus viatoribus communia sunt;imò,& viuentibus reliquis animalibus, constat humanitatem Christi ab intrinseco mortalem fuisse, morteque naturali,senio tandem obiturum,nisi ibuenis fuisset occisus,vt Augustinus aiebat. Insuper humanis morbis omnibus fuisse obnoxiam, qui neque ex intemperantia,aut ignorantia alimenti nociui, neque ex vitiis moralibus,neque ex defectu virtutis generatiuæ,aut formatiuæ ortum trahunt,vt lepra, morbus caducus, gallicus,& similes,vt vulgò docent Theologi cum S. Thoma q. 14.a.4.quare ex aëris,ac cæli intemperie,vel insalubri solo morbo laborare potuisse certum mihi est.An verò in morbum aliquem de facto inciderit?inquiri ab aliquo posset. Et quidem in lepræ morbum de fide est non incidisse, definitumque contra Elipandum à Concilio Francfortdiensi.De aliis verò morbis,licèt sententia negatiua definita non sit,adeò tamen concors Theologorum est sensus,vt opposita merito temeritatis insimuletur.Allegatur pro negatiua à Caietano t. 2. opusc. tract. de spasmo virg. Chrysostomus;à nostro vero Vasquez in comment. citati a. 4. etiam Athanasius lib. 6. de Incarnat. verbi & eius corpor. aduentu longè ante med. Glossa Interlinear. Rabban. Albert. M. Lyra. Dionys. Carthus. in id Matth. 8. *vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam.* & Abulens. paradox. 3.q.21.

5 Cæterùm,licèt hæc de humanitate Christi ita habeant,eius tamen cadauer non solum corruptum non fuit(vt fides docet ex Actor. 2. n. 13. & Psal. 15. v. 10. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*) sed, neque fuit corruptibile:Etenim, non corruptio sola,sed, & corruptibilitas cadaueris humani pœna peccati fuit illis Dei verbis Adæ intimata Genes.3. *Pulvis es, & in pulverem reuerteris.* quemadmodum enim extrinseca Dei prouidentia in statu innocentiæ homo à morte præseruaretur,ac non esset mortalis, ita si non per peccatum; sed Dei voluntate homo innoxius obiret, simili prouidentia eius cadauer à corruptione præseruaretur.Cùm ergo humanitas Christi,ne antecedenter quidem peccatum incurrere potuerit, nedum incurrerit, neque cadaueris Christi corruptio necessaria nostræ fuerit redemptionis;credendum proculdubio est non solùm à corruptione;sed,& à corruptibilitate Dei prouidentia immune sanctissimum illud cadauer extitisse qualitate simili doti impassibilitatis Beatorum, qua in eis, non mors non solum, sed, & mortalitas ipsa impeditur. Id prorsus cadaueris Christi, eiusque humanitatis sanctimoniæ debitum notasse videbitur Psalmista verbis datis: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* ratioque ipsa suadet: si enim excellentium sanctitate virorum, vt eorum sanctimoniam Deus commendet; cadauera non incorruptione solùm; sed, & incorruptibilitate non semel donauit: cur non, vt infinitam humanitatis sanctitatem, atque vniti sibi cadaueris veneratione intimaret, huic incorruptibilitatem conferret? Secundò: vnio hypostatica æquè enixè à Deo exigebat dotes omnes, quibus cadauer illud capax erat, atque proprias humanitati,dum vixit: ergo sicut huic eas omnes datas credimus, quæ cum munere redemptionis nostræ pœnalis non pugnabant: ita, & cadaueri incorruptibilitatem, quæ cum illo non pugnat.

6 Hinc sanè facilis est illius quæstionis resolutio,an incorruptio cadaueris Christi supernaturalis fuerit, an

naturalis? Naturalem fuisse nonnulli censent ex copioso vnguento,quo Nicodemi pietate conditum fuit, vt sepulchro conderetur. Contrà verò sententiarij alij in 3. d. 21. S. Thom. 3. p. q. 51. à 3. ad 2. vbi Soarius §. penult. & Bernal. d. 40. sect. 2. n. 20. supernaturalem fuisse contendunt, & miraculosam. Ego verò censeo miraculosam in se minime fuisse; imò verò solam fore miraculosam corruptionem: posita enim incorruptibilitatis dote, quæ fuit, non minus miraculosa esset etiam diuturnioris cadaueris corruptio,quàm ægritudo, aut mors hominis Beati, qui est impassibilitate donatus. Esset autem, si diutius iaceret, miraculosa incorruptio in causa. De facto autem, cùm triduo solùm breuiato iacuerit, quamuis non exenteratum cadauer, tot tamen vnguenti præseruatiui libris vnctum, nec admodùm ardente; sed frigescente potiùs tempore, adeòque exangue, nihil in ea incorruptione miraculi inuenio. Quoad supernaturalitatem, vt eis causis proueniebat incorruptio, naturalem iudico, vt autem ex dote incorruptibilitatis,supernaturalem fore, si diutius iaceret.

QVÆSTIO III.

De perfectionibus naturalibus corporis Christi Domini.

DE supernaturalibus corporis Christi perfectionibus,vt qualitate attractiua eorum,quos vellet,eius oculis,& faciei insidente, si illos inspiceret,vel ab eis inspiceretur, ac similibus,non est huius loci,sed historiæ de Christi vita disputatio. De naturalibus autem corporis Christi perfectionibus, quæ defectibus naturalibus ad veræ humanitatis suæ fidem, atque nostræ redemptionis finem necessariis opponuntur, certum est Christo defuisse: quare hic de temperamenti perfectione naturali,aliisque illud consequentibus perfectionibus agendum erit.

CERTAMEN I.

Perfectissimum temperamentum, & perfectiones naturales illud consequentes Christi corpus habuit.

1 DE perfectissimo ex humanis temperamento est conclusio S,Thomæ q. 14 à 4.& antiquorum omnium in 3. d. 15. S. Bonauent. à 1, q. 1. & 2. Richardi q. 2. & 3. Durandi q. 1. Soarij d. 32. sect. 1. Probatur facilè: quia Christum docebat optimum ex humanis temperamentum, debeaturque, cùm ratione vnionis, & Dei illud corpus assumentis: tum ratione animæ Christi omnium perfectissimæ ipsum informantis, cui proinde eiusmodi temperamentum debebatur: tum ex parte principij materiam organizantis, ac temperamentum producentis, quod principaliter vt causa etiam particularis, nec solùm vniuersalis Deus fuit, cuius specialia opera sunt, perfectissima, vt patet in Adamo,atque Eua, atque hoc in primis, cuius perfectissimum temperamentum in corpore Deo hypostaticè vniendo, atque animæ perfectissimæ multo ex capite à Deo exigebatur:tum denique: quia hoc nullatenus cum pœnali nostra redemptione pugnabat: ex quibus ratio Theologica sit breui conficitur: omnis perfectio naturalis, imò possibilis, extremo vnito hypostaticè cum Deo, quæ muneri redemptionis nostræ, & satisfactionis pœnalis pro nostris peccatis non repugnat concessa de facto illi à Deo fuit: sed perfectissimum temperamentum est non solùm possibilis; sed naturalis perfectio corporis, quod est extremum Deo hypostaticè vnitum, ac redemptioni, & satisfactioni pœnali non aduersatur: ergo de facto fuit illi concessum. Maior est Theologicum axioma, ex quo perfectiones,etiam supernaturales, de facto humanitati concessas metimur. Minor per se constat,& consequentia legitima.

2 Dico secundò:Christi corpus habuit perfectiones reliquas perfectissimum temperamentum sequentes. v. g. membrorum agilitatem perfectissimam, maximum eorum, ac virium naturalium robur, summum sensuum ac facultatum tam vitalium, quàm animalium vigorem. Probatur primò ex rationibus datis pro conclusione prima, quæ hanc æquè suadent. Secundò ex ipsa conclusione prima:quia hæc omnia in summo perfectionis gradu temperamentum perfectissimum naturale ex humanis naturaliter consequetur: ast huiusmodi fuit temperamentum in corpore Christi: ergo, & hæc omnia in summo perfectionis gradu. Confirmatur:quia, vt naturales effectus causæ naturalis negentur, ratio aliqua assignanda efficax est, ob quam Deus concursum ad illos denegauerit;imò etiam ad aliquam perfectionem possibilem vnito hypostaticè extremo à Deo denegandam, vt nuper dicebamus; atqui hæc omnia naturales effectus perfectissimi temperamenti sunt,atque corpori vnito perfectiones possibiles,nullaque est ratio adhuc inefficax,cur Deus suum concursum,atque eiusmodi perfectiones vnito sibi corpori deneget,cùm nulla ex eis pœnali redemptioni nostræ à Christo exhibendæ obsit,pluresque ex illis potius iuuent, vt sensus vigor summus ad perfectiorem, atque acerbiorem tormentorum sensationem, virium robur ad maiorem eorumdem tolerantiam: ergo hæc omnia concessa corpori Christi à Deo sunt, nullumque ei denegatum.

3 Dico tertiò Corpus Christi summam habuit pulchritudinem. Est contra Michaëlem de Medina 2. de recta in Deum fide c. 7. temerè negantem. Probatur primò ex Hieronymo t. 3. epist. 160. ad Principiam, vbi ait: *Vniuersis pulchrior est virgo de virgine, qui non ex sanguinibus; sed ex Deo natus est.* Consentiunt Clemens Alexand. 3. pædagog. c. 1. & Nazianz. orat. 2. Pasch. dicens Christo resurgenti fuisse pulchritudinem restitutam: quia natiuus,viuidus,ac suauis color passione ac morte immutatus,fuit illi restitutus. Consentiunt item Patres cert. 2. recitandi num. 1. Secundò probatur ex Psal. 44. vbi de Christo dicitur: *speciosus forma præ filiis hominum.* Quæ, licèt aliqui Patres de diuinitate,vel animæ pulchritudine,quandoque explicent;de corporis pulchritudine dicta nullibi negant: de hac verò ad litteram intelligunt Augustinus, & Cassiodorus ibi. Bernard. serm. 1. de omnibus sanctis, & Chrysostomus homil. 18. in Matth. vbi addit: *sicut in signis perficiendis mirabilis fuit, ita visu gratiosissimus fuisse dicitur.* A ratione probatur facilè eis, quas dedimus pro conclusione 2. Insuper ratione illa conclusionis primæ, quæ hic specialem vim habet. Nempe,quod opera, quæ se ipso, vt specialis etiam causa, efficit Deus, non nisi pulcherrima efficit, vt patet in Adamo, & Eua; atqui Deus se ipso, vt specialis causa corpus Christi formauit, atque loco viri effecit: Mariæ verò matris fœminarum pulcherrimæ concursus non poterat filij pulchritudini obesse: ergo euasit corpore pulcherrimus filius Christus.

4 Addè speciales pro pulchritudinis naturalis dote hac rationes duas. Prima ex ipsa pulchritudinis natura, & essentia: etenim pulchritudo est *Apta membrorum integri corporis dispositio* cum quadam suauitate *natiui coloris*, vt Cicero ac Philosophi reliqui, Dionysius 4. de diuin. nominib. Augustinus 22. de ciuit. cap. 19. S. Thomas 1. p. quæst. 39. a. 8. & 2. 2. q. 145. a. 2. cæterique Theologi docent: atqui in Christo fuit corpus integrum humanum, vt ostendimus d. 2. quæst. 3. in tituli explicatione fuit item apta membrorum dispositio, quam describit Nicephorus 3. histor. cap. vlt. suadentque animæ, & vnionis hypostaticæ perfectio. Ac rursus probatur, quia oportuit Christi corpus aptissimum ad omnes vitæ functiones fuisse: eius autem aptitudo maximè ex iusta dispositione, atque proportione membrorum maximè pendet: color item natiuus suauis, & perfectus ex temperamento primarum qualitatum, quod pefectissimum in Christi corpore ostendimus, vnicè pendet: ac proinde in Christo fuit perfectissimus: ergò, & summa corporis pulchritudo. Altera ratio sit: quia Christi corpus teste Augustino, & Cypriano apud Soar. disput. 32. lection. 2. §. *Ratione declaratur*, corporibus Beatorum futurum est obiectum beatitudinis: ergò Christi corpus habet summam pulchritudinem naturalem. Patet: quia sicut visionis beatæ spiritualis, seu beatitudinis primariæ debet dari obiectum summæ pulchritudinis spiritualis, ita visionis beatæ corporalis, siue beatitudinis secundariæ spiritualis debet dari obiectum secundarium summæ pulchritudinis corporalis: hoc autem non sola dos claritatis corporis Christi, sed & naturalis pulchritudo: ergò hæc in Christo erit, ac fuit: alioqui resurgenti Christo, non restitueretur antiqua pulchritudo, sed emendaretur, quod dissonum est.

CERTAMEN II.

Obiectionibus occurritur.

1 OPPONES primò illud Isaiæ 53. *Non erat ei species, neque decor*: ergò non erat ei corporalis pulchritudo Christo D. Negatur facilè consequentia: nam de diuinitatis pulchritudine corporis velamine occulta eum locum intelligunt Chrysostomus, & Cyrill. Alex. 5. super Isai. 53. qui verò Patres de corporali pulchritudine eum interpretantur, dicunt fermonem esse de illa tormentis, & passione deformata, non autem de natiua corporis Christi pulchritudine. Ita Vigilius Pap. 2. contra Eutychet. Tertull. contra Iudæos cap. de clarit. gent. ac 3. contra Marcionem: quam interpretationem totius capitis, quod de Christo patiente est, contextus totus suadet, & præcipuè quæ immediatè ab Isaia subduntur: *Et quasi absconditur vultus eius.* Quibus prior sententia, illiusque datus sensus satis explicatur.

2 Oppones secundò: Christus eximiæ sanctimoniæ, pietatis, religionis, & prædicationis totus exemplar. fuit præstantissimum, haberique ab hominibus debuit; atqui Sanctos, Religiosos, præcipuè Euangelicos prædicatores viros, sicut nec deformitas animæ, ita neque eximia decet pulchritudo, vt patet, atque eleganter obseruauit, expenditque vetustus Synesius Cyren. Episc. lib. de encom. caluitij: ergò eximia corporis pulchritudo Christum non decuit. Distinguo minorem: affectata artificialis, atque effœminata pulchritudo eiusmodi viros non decet, concedo minorem; natiua, virilis, neglecta, modestaque eos non decet, nego minorem. Hæc quippè non libidinis alienæ, venereique amoris, sed reuerentiæ potius, sanctæque dilectionis incitamentum est, ac proinde sanctos, ac religiosos viros decet, prædicatoresque maximè iuuat, Christumque in primis iuuit, in cuius facie tanta vis pertrahendi homines ad scholam Euangelicam homines inerat, vt solo aspectu eloquenti, tacitus plures ex Apostolis etiam ad Euangelicam Perfectionem pertraxerit.

3 Supereste hic videbatur disputandum de supernaturalibus virtutibus, seu dotibus Christi corpori hypostaticè vnionis titulo inditis, vt de agilitate beatorum corporum propria: de gratia, & virtute sanitatis: de potentia efficiendi miracula: sed hæc opportuniorem alibi habent sedem; cùm hic perfectiones humanitatis assumptæ assumptionem comitantes, non autem ab vnione ita profectas eiusq; titulo humanitati inditas examinemus. Breui autem dico agilitatis donum humanitati,& corpori Christi etiá viatoris adfuisse,licet enim donum hoc proprium status beati sit, quem plenè Christus tunc non habuit; quoad ea tamen status illius propria, & quæ nostræ redemptioni pœnali à Christo exhibendæ non oberant, Christo, eiusque corpori denegandas non sunt. De gratia sanitatum, ac potestate edendi miracula corpori,& humanitati Christi adfuisse dubitari non potest: an verò ea opera physica potentia obedientiali corporis Christi peragerentur, lis inter Soarium affirmantem, & Vasquium negantem est: qua in re Vasquio consentio ex controu. physica de rerum actiuitate, vbi potentiam rerum obedientialem ablegaui: & gratia quidem sanitatum fortasse qualitas phys. permanens corpori Christi fuit. Potestatem verò miraculorum solum fuisse alligationē extrinsecam omnipotentiæ diuinæ per Dei decretum de operando ad nutum, & preces humanitatis verius existimo.

CONTROVERSIA II.

De necessitate incarnationis.

DVPLEX exhibendæ rei necessitas excogitari potest, altera respectu operantis, altera respectu rei exibendæ. Respectu operantis est ipsius determinatio in actu primo, qua operans de se se illam exhibere cogitur, respectu rei exhibendæ est intelligentia, quam res habet, vt aliquid ad sui existentiam exhibeatur. Primam vocamus actiuam: necessitatem, quia est necessitas agentis ad actionem, secundam passiuam, quia est necessitas, vt res passiuè, grammaticaliter fiat: quamuis actiua illa agentis ne, cessitas passiuam aliam necessitatem rei ipsius absolutè inferat in re operanda: est passiua illa, quam diximus, actiuam aliam inferat in agente, non absolutè; sed ex suppositione voluntatis efficacis erga rem, quæ non nisi alio adhibito potest existere: ac proinde actiua dicitur ex suppositione intentionis efficacis assequendi finem, de actiua illa prima respectu Dei incarnationem operantis nihil hic agendum erit: cum ex dictis controuers. de volunt. constet Deum ad nihil creatum operandum, etiam optimum, de se determinatum absolutè esse: imò neque casu, quo operaturus sit, rem quam operatur cum summa perfectione, qua potest vel naturæ legibus debet, producere teneri, siue physica siue morali necessitate: quare neque ad incarnationem præstandam coactum, de se adhuc, esse posse. solùm ergò de necessitate passiua prima, vel actiua ex suppositione alicuius finis à Deo efficaciter intenti, nempè gloriæ hominis creati, vel reparationis à peccato admisso, siue absolutè, siue per satisfactionem de rigore iustitiæ, vel saltem æquiualentem potest esse difficultas, quam tota præsenti controuersia expendemus, definiemusque. Quoniam verò ex aliis atque aliis capitibus ad hominis creati salutem à Deo in eius conditione intētam obtinendam ab aliis,& aliis DD. necessaria in carnatio reputatur: singulis disputationibus capita singula examinabimus.

***

DISPVTATIO I.

De necessitate incarnationis vniuersalioribus titulis, & ex titulo satisfactionis pro peccato de iustitiæ rigore.

NIVERSALIORES tituli ex quibus incarnationis necessitas induci à nonnullis intendebatur plures recensentur de quibus quæstione prima; deinceps verò de necessitate incarnationis ad satisfactionem pro peccato de rigore iustitiæ agendum erit. Qua in re duplex difficultas continetur ex diuersis valdè principiis dirimenda: vtramque verò non adeò prisci Doctores in vnam cogentes nil potius, quam, & illas, & legentium ingenia confundere præstiterunt. Nos verò aliorum periculo, an malo rectam dilucidamque methodum edocti vtramque in præsentiarum diuidemus. Duplex ergò satisfactio ex iustitiæ rigore pro peccato exhibenda Deo offenso excogitari potest. altera, qua, sicut in reliquis satisfactionibus creditori creato factis, ius Dei offensi nostrique ex peccato creditoris extinguatur: quia tantundem illa redditur quantum per peccatum debebat homo Persoluere, ac damni illati reparare, vt ex iure Dei per peccatum offensi nihil vltra Deus repetere à peccatore queat. Altera qua, non solum ius Dei offensi creditoris extinguatur, sed qua ius peccatori, & debitori homini paretur, contra Deum, ne aliquid illorum, quæ in satisfactionem illius iuris debebantur tit. vllo possit exigere: sed ex iure homini peccatori quæsito teneatur, & offensam, & culpam, & debitas pœnas remittere, neque aliter facere possit, quin contra ius, fasque omne agat, licet alias ex absoluto, & vniuersali increata dominio huius generis satisfactione sublata aliter se gerere posset. Satisfactionem primi generis ex rigore iustiæ negatiuæ nominamus; Secundi verò generis ex rigore iustitiæ positiuæ dicimus.

QVÆSTIO I.

An ex intensione glorificandi hominem, etiam lapsum necessaria incarnatio fuerit?

ITVLVS nullam explicationem desiderat cum de se se satis clareat.

CERTAMEN I.

Doctorum placita atque ex nostro prima conclusio.

1 NVlla ferè hic de nullius errore memorato à Vasquez. disputatione 1. capit. 2. mentio futura. Quod scilicet ex voluntate creandi mundum Deus ad incarnationem præstandam fuerit coactus. Genuinus enim sensus Lullij, nempe quod Deus teneatur rem cum omni perfectione possibili præstare quandocumque eam præstet: ac proinde mundum non sine incarnatione, quæ summa illius perfectio est, præstare potuisse; abundè enim confutatus à nobis est controu. de volunt. alius verò sensus, quem à Lullio alienum iudico, nempè, ex intentione, & voluntate efficaci creandi mundum ad incarnationem præstandam teneri impugnatur facilè; quia, vel loquitur de voluntate efficaci creandi mundum creaturarum, provt mundus ordinem supernaturalium rerum, & incarnationem complectitur; Sic autem sensus erit: Deum ex voluntate producendi vnionem hypostaticam verti cum humanitate, & creaturas reliquas mundi ad illam præstandam teneri, de quo dubitauerat nemo: vel provt complectitur reliquas ab incarnatione creaturas, etiam supernaturales: & ne, sic quidem de voluntate creandi mundum Deus ad incarnationem cogi potest: cum medium vnicum non sit ad res etiam supernaturales, obtinendas, quæ innocentiæ statu sine illa extitere. Ad naturales autem res, quæ in mundo decreto sunt, medium nedum vnicum, esse incarnatio nequit natura sua: alioqui ordo gratiæ naturæ ordinem natura sua præcederet imò neque medium morale fuit, aiente Augustino: Christum non pro nullis venisse, mortuumque fuisse, vt conderentur, sed pro impiis vt iustificarentur. Atque hæc de Lullij errore satis.

2 S. Anselmus I. cur Deus homo? capit. 12. 16. & 17. & lib 2. cap. 4. docere videtur Deum ex permissione peccati ad incarnationem teneri, quia reparandus necessariò mundus erat: tùm propter se, quia ad gloriam aliquot saltem homines vagè fuerant in hominis ipsius conditione efficaciter à Deo voliti, quæ sine peccati reparatione obtineri non poterat: tùm etiam propter Angelorum numerum, & sedes reparandas: non quidem per Angelos apostatas impœnitentes, neque per alios denuò creatos, ne fecunda illa creatio primam imperfectionis argueret, cum integra non fuisset: ac rursus, quia secundi illi perseuerarent aspectu vindictæ indefectores primos, metuque quare non æquè perfectè perseuerarent ac primi, qui sine pœnæ metu, ac proinde perfectione, & sanctitate locum primorum, si perseuerassent, non explerent: quare eorum numerus, & locus hominibus erat explendus; vnde & hi necessariò reparandi. Cùm autem reparatio hominis à peccato per gratuitam Dei remissionem sine satisfactione pro illo iustitiam diuinam non deceret, atque æqualis satisfactio à pura creatura, nedum ab homine peccatore exhiberi non posset, vt Deus creaturæ satisfacturæ vniretur opus fuit, vt eius satisfactio è diuinæ personæ dignitate ad condignitatem satisfactionis peruenireret. Quia verò satisfactorium opus pro peccato à sola rationali creatura prouenire poterat, atque Angelus mori, vt oportebat, nequiret, homo, qui præter Angelos ex rationalibus creaturis reliquus solum erat, morique poterat ad vnionem hypostaticam cum Deo assumendus necessariò fuit: vt morte sua pro peccato hominis satisfaceret, 'sicque è iustitiæ diuinæ decentia lapsum hominem repararet, atque, vt primò Deus constituerat ad gloriam conditum hominem perduceret. Sic Anselmo mentem ex longa, diuturnaq; textus meditatione profundiores Theologi, in quibus exactus patrum interpres Vasquius noster, proponunt. Qua verò Anselmi decentia, viderint ipsi: cum sic explicatum nemo Scholasticorum Anselmum sequatur: imò, nec sequi cordatè possit: siquidem discursus hic strictè acceptus in multis peccat apertè: qua autem veritate nos infra videbimus. Anselmo præiisse videtur nonnullis Athanasius de incarnat. verbi, eiusque corporali aduentu, vtrumque verò secutus videtur Ricard. Victor. de incarnat. c. 8

3 Secunda sententia docet Deum non equidem ex permissione peccati, postquam integrum, liberumque ipsi fuit hominem reparare, sed ex intentione reparandi hominem prorsus libera ad incarnationem teneri: quia sine incarnatione reparari homo non poterat; ac proinde hæc vni cum reparationis intentæ medium erat ad quod opponendum ex efficaci reparationis intentione tenebatur Deus. Referuntur pro hac sententia Alex. Alens. 3. p. q. 1. S. Bonau. in 1. disp. 20. ar. 1. q. 1. Abulen. quæst. 27. prolog. super Matthæum 3. sentent. Deum ex intentione reparationis hominum à peccato

cato non absolutè (cùm mille aliis modis reparari à Deo posset) sed per condignam satisfactionem pro peccato necessariò ad incarnationem teneri, quæ ad eiusmodi satisfactionem medium vnicum est vt discursu recitato ex Athanasio, Anselmo, & Ricardo confici videtur, huic opinioni tacitè conueniunt Scholastici plures, qui, vt tota hac controuersia videbimus, ob aliquod genus satisfactionis pro peccato hominum, siue ex iustitia, siuè æquiualentis pro macula, offensa, vel toto debito obiectiuo mortalis necessariam incarnationem defendunt. Ne autem in æquiuoco laboretur aduertendum est: dum de necessitate incarnationis disputamus, nullarenus de hac numero incarnatione disputare; nempè personæ verbi determinatæ vnione, ad hanc numero humanitatem cui fuit de facto vnita: nemini enim, siue Patrum, siue Theologorum dubium hactenus fuit, quin quauis alia Trinitatis persona ad aliam numero humanitatem vnita æquè benè, & hominis lapsi reparatio, & condigna æqualis, imò superabundans pro hominum peccatis satisfactio haberetur.

4 Dico primò contra sententiam primam. Ex permissione peccati non tenebatur ad incarnationem Deus. Est omnium Theologorum conclusio. Hugo Victor. 1. de sacram. p. 8. cap. 10. Magist. in 3. disp. 20. cap. 1. S. Bonauent. quæst. 1. art. 1. Scot. quæst. vnic. §. *In istis dictis*: Durand. & Palud. quæst. 1. Ricar. de mediat. quæst. 4. Gabr. quæst. vnic. art. 1. & 2. Altisiod. 3. sum. tract. 1. cap. 8 S. Th. hic cum Thomistis. Alex supra med. 3. & 4. Guilliem. part. lib. cur Deus homo? capite decimo-septimo, de auaritia. Adæ. Vega 2. sub Trident. capit. 5. Vasquez disputat. 1 cap. 3. Soar. disp. 4. sect. 1. §. dico primo. Lugo disput. 2. sect. 1. Bernal. disp. 3. §. 2. Supponit Vvadingo, disp. 1. de incarnat. Sed in conclusione adeò communi communibus probationibus non omninò acquiesco. Illi in primis Deus, neque physicè ad sui existentiam est fœlicitatem, neque ad sui decentiam æget hominum reparatione: ergò permisso peccato non fuit Deo necessaria incarnatio. Licet enim de Deo absolutè sumpto verum sit antecedens; ast posita intentione efficaci gloriæ hominum necessaria, & physicè, & moraliter hominum reparatio Deo fuit, vt patet. Arguitur secundò: quia sine vlla etiam indecentia potuit Deus gratiá primo collatam homini denegare alioqui gratia nõ fuisset: ergò est perditam non restituere per reparationem. Patet: quia maior gratia est; quæ inimicis confertur, quam quæ amicis exhibetur: at si sui decentia certanda Deus hominem reparauit necessariò, gratia reparationis, non erit gratia, ergò non fuit reparatio necessaria? Respondetur: admisso quod, si homo ex intentione efficacis gloriæ conditus, & ornatus primò gratia fuerit, gratiam primò collatam in se gratiam non fuisse, sed in causa. Id quod non minuit gratiam, nec nostræ gratitudinis debitum: sicuti, neque cum gratia datur ex promissione diuina: quo pacto gratiam esse, & reparationem, & incarnationem ipsam qua effecta est, & constat, & respondisse Anselmus putatur à Vasquez. c. 3. & à Lugo num. 4. qui eius solutionem laudant, non impugnant.

5 Sic autem impugnari potest: quia gratia reparationis, & incarnationis libera est ante peccati positionem per se: cùm ante illud necessaria non sit adhuc ex intentione efficaci præsuppositæ gloriæ hominum, solumque est necessaria ex permissione peccati: ergò libertas proxima gratiæ reparationis, & incarnationis est in permissione peccati: at hæc nobis bona non est, sed peior, quam negatio incarnationis: ergò nequit in illa tanquam in causa amari incarnatio, vt nobis bona, & ex complacentia nostri: nequit enim ex complacentia alicuius amari ipsi, quod peius illi est.

6 Secundò impugnatur: quia adhuc posito peccato reparatio nostra, & incarnatio, ac redempio opus misericordiæ, & amoris Dei erga homines fuit. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Ad Titum 3. *qui secundum misericordiam suam saluos nos fecit*; ad Romanos 5. *Commendat autem charitatem suam Deus: quoniam, cùm adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ergò adhuc posito peccato hominum incarnatio, & reparatio eorum libera Deo fuit, non necessaria: alioqui misericordiæ, & charitati Dei erga homines non deberetur, sed necessitati posito peccato. Confirmatur: quia posita intentione illa prima gloriæ hominum & peccato permisso, cuius vult miseretur Deus, & quem vult indurat, inquit Paulus, rationemque subdit: voluntati enim eius quis resistit; id est nulla ratione Dei de alterutro voluntatem quisquam redarguet: ergò liberum integrumque Deo est, hominem lapsum reparare; vel secus. Dices acutius, liberum Deo esse in se cuiusque, & omnium hominum lapsorum reparationem diuisiuè, secus omnium coniunctim: quia, cùm intentio efficax Dei hominem creantis fuerit aliquos vagè salutare nullum lapsum in particulari reparare, atque ad eius reparationem incarnari tenebatur; quare omnes diuisiuè poterat incarnatione, & reparatione priuare: vnde, & incarnatio, & reparatio singulis distributiuè sumptis gratia in se, ac libera respectu Dei fuit; omnibus autem collectiuè sumptis reparationem, & incarnationem necessariam ad illam denegare non poterat: cum omnium coniunctim perditio cum intentione illa efficaci glorificandi aliquos repugnet. Hinc omnibus distributiuè incarnatio, reparatio, & redempio misericordiæ dilectionis, & charitatis Dei opus, & commendatitium signum iuxta Ioannem, & Paulum fuit; secus omnibus coniunctim, & collectiuè sumptis. Sed contra est: quia mundus, è cuius dilectione incarnationem exhibitam aiebat Ioannes, homines omnes non distributiue, sed collectiuè significat: idemque significat Paulus pronomine pluralis nos, & nobis ad Romanos, & ad Titum: quo homines non singulatim, sed collectiuè significauit. Contra secundò: quia sap. 12. dicitur; *Quis tibi imputauit si perierint nationes*, nempè omnes homines coniunctim sumpti, *quas tu fecisti? non est alius Deus quam tu.* id est cùm tu solus creationis iure omnium collectiuè, & singulorum Dominus sis, ac proinde reparationem, & conseruationem; ne coniunctis quidem omnibus debeas. Denique: licet ad reparationem omnium, vel aliquorum hominum Deus teneretur, aliter, quam per incarnationem fieri ab ipso posset, vt iam iam ostendo: ergò ex permissione peccati ad incarnationem præstandam nusquam tenebatur Deus.

CERTAMEN II.

Conclusiones reliquæ.

1 DIco secundò contra secundam sententiam: ex intentione reparandi hominem lapsum non tenebatur Deus ad incarnationem apponendam. Est conclusio eorum quos pro prima dedimus, si Alex. Bonau. & Abulens. excipias: probatur: quia nequit Deus teneri ad aliquid opponendum ex intentione alterius, nisi & alterum efficaciter intendat, & illud aliquid medium vnicum ad illud alterum sit: siquidem necessitas hæc actiua intendentis oritur ex efficaci intentione, & necessitate passiua finis intenti, qua ad sui existentiam alio opus habeat, vt controuersiæ præfatione notabamus; atqui Deus neque efficaciter intendit antecedenter ad hominis lapsi reparationem ipsius, neque incarnatio medium vnicum ad eiusmodi reparationem erat: ergò ex intentione reparandi hominem lapsum non tenebatur Deus ad incarnationem apponendam. Minoris primam partem probato numero secundo. Pars verò secunda probatur; quia poterat Deus gratuitò, & offensam & maculam peccati totumque eius debitum remitere, & abolere, saltem per gratiæ infusionem sine meritis

meritis creaturæ vllius rationalis Deo hypostaticè vnitæ ; fin, ostende repugnantiam. Secundò probatur ex Patribus. Athan. serm. 3. contra Arrian. c. *poterat sine vllo aduentu Christi solummodo loqui Deus, & soluere maledictionem.* Euse. Emissen. homil. 6. de Paschate. *Potuit Filius Dei hostem humani generis ; & in cœlis positus nutu ipso suæ diuinitatis elidere ; sed ne quid tale (vt superius diximus) diabolus conquiri posset, placuit Deo secundum iustitiam suam pro humano genere offerre hominem purum, & immaculatum.* Similia habent Leo Pap. 1. sermon. 2. de natiuit. ante med. & serm. 12. de pass. Greg. Magnus 17. moral. c. 18. lib. 24. c. 2. Bernar. epist. 190 Author. de car. Christi operibus apud Cyprian. omniumque luculentissimè August. 13. de Trinit. c. 10. ait : *Ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse.* & c. 13. *Non autem Diabolus potentia Dei, sed iustitia superandus fuit.* Starimque ostendit Dei potentia potuisse diabolum superari. Demum de Agone Christiano c. 11. init. adeò in oppositum inuehitur, vt aliter opinantes stultos pleno, vt aiunt ore compellet.

2 Dico tertiò contra tertiam sententiam. Neque ex intentione reparandi hominem lapsum per æqualem satisfactionem pro peccato ad incarnationem tenebatur Deus : hæc conclusio æquè communis atque præcedens esse debet teste Bernal. citato, sectione secunda, §. 3. probatur : quia, etsi valor infinitus à persona diuina hypostaticè vnita creaturæ satisfacienti requireretur, vt eius opera condignè, & æquiualenter satisfactoria essent pro mortali, hoc ipsum inueniretur in operibus Angeli Deo hypostaticè vniti, siuè his ex bonis primò creatis, siuè Denuò creatus esset. Illud enim de aspectu vindictæ, quod ex Anselmo referebatur, nihil refert vt operis minuatur honestas, si ex motiuo virtutis fiat, ac non ex solo seruili metu, vt hunc etiam poterat. Quod autem Angelus mori non possit, obest minus, siquidem cunctis minutato operi honesto sic vnitæ creaturæ infinitus valor meritiuus, & satisfactorius inesset : ergò incarnatio non erat medium vnicum ad reparationem per æquiualentem satisfactionem, ad quod proinde cogi ex huius intentione efficaci posset Deus. Adde ex intentione efficaci reparationis per satisfactionem meritiuam operum Christi, ad quam medium vnicum incarnatio foret pugnare eius appositionem cum intentione illa efficaci, ac proinde non posse apponi nisi ex inefficaci intentione, vt liberè apponatur. Etenim si ex efficaci intentione vt m. vnic. & necessarium apponatur, auferetur ab opere satisfactorio Christi libertas, & meritum, ac proinde est meritiua satisfactio, vt fusè probaui controu. de voluntate, probaboque rursus controu. 3. siquidem cum antecedenti natura intentione efficaci pugnat negatio operis Christi, si vnicum sit.

3 Contra datas conclusiones nil est quod oratione, vel leuiter, pugnet. Ab authoritate stare contra primam conclusionem videtur Anselmus locis citatis, vt eius explicationem desperauerit Vasquez : quare eum Scholastici omnes ea in re deserunt. Decentior explicatio videtur : Anselmum per exaggerationem fuisse locutum, vt conuenientiam incarnationis verbi commendaret, ideoque ab ipso necessitatem fuisse appellatam. Sed tamen cum lib. 1. cap. 25. asserat aliquot saltem homines necessariò ad beatitudinem perducendos, vt in præfatione libri his verbis dixerat : monstretur non minus aperta ratione, & veritate naturam humanam ad hoc institutam esse, vt aliquando immortalitate beata totus homo, id est corpore, & anima frueretur : ac necesse esse vt hoc fiat de homine propter quod factus est. Quia scilicet ex intentione efficaci gloriæ hominis genus hominum condidit. deinde lib. 2. c. 5. incarnationis necessitatem ad reparandos à peccato, atque ad gloriam perducendos homines tantam Deo fuisse, quanta est in promissis præstandis, & c. 17. eadem necessitate teneri Deum ait ad incarnationem, & satisfactionem per illam, qua ad non mentiendum tenetur, atque æquè euidens vtrumque esse. cap. verò 10. *Sicut*, inquit, *in Deo quantumuis paruum inconueniens sequitur impossibilitas : ita quantumlibet paruam rationem, si maiori non viscatur, comitatur necessitas.* indeque ex suppositione peccati prostat incarnationis necessitatem : ergò non per hyperbolem, sed strictè necessitatem incarnationis docuit ex suppositione peccati, & intentionis efficacis Dei erga, aliquot saltem hominum gloriam. Nihilominus longè alia est Anselmi mens, quam, vt antecedenter ex permissione peccati, & efficaci intentione gloriæ hominum ad incarnationem apponendam adstrictum censeat Deum. Sed ita fuisse conueniens, vt nos ita oportuisse credere necessariò debeamus : cum semper pro conuenientia maiori eorum quæ fecit Deus stare iudicium nostrum debeat, nisi aliunde ratio alia maior appareat. Id solùm volunt recitata verba; alioqui Deum ad optimum præstandum teneri docuisset Anselmus contra Theologos omnes, & contra apertas rationes quas dedimus controu. de volunt. deinde cap. illo 5. fatetur Deum multifariàm potuisse lapsos homines reparare, sed incarnationem elegisse præ eximia sui in hominis charitate : iuxta illud ad Rom. 5. *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis.*

4 Aliam autem necessitatem incarnationis admittit non antecedentem, sed consequentem ad voluntatem efficacem reparandi hominem per satisfactionem non qualemcumque, sed hominis Dei : ex qua non minus tenebatur ad hominem Deum præstandum, quam ad non mentiendum, & standum promissis ratione veritatis, constantiæ, & immutabilitatis, siue, vt ipse aiebat citatis locis. Constat hoc, quia ibi æquè euidentem esse non mentiendi, & standi promissis necessitatem in Deo : atque necessitatem incarnationis aiebat : cum de antecedenti necessitate præstandi incarnationem antecedenter ad efficacem voluntatem reparandi hominem lapsum per satisfactionem ab homine Deo exhibitam ne probabilis quidem ratio Theologis hactenus illuxerit, aut admittatur; nedum antecedenter ad voluntatem de reparando homine lapso. Constat secundò, & de necessitate hac consequenti, & de antecedenti impropria, siue per exaggerationem, locutum Anselmum fuisse, quia explicans necessitatem istam, quam asseruit, sic habet libro 2. cap. 5. *Cùm dicimus, Deum aliquid facere, quasi necessitate vitandi inhonestatem, quam vtique non timet, potius intelligendum est, quod facit necessitate seruandæ honestatis ; quæ necessitas non est aliud, quam immutabilitas honestatis eius, quam à se ipso, & non ab alio habet : & idcirco impropriè dicitur necessitas. Dicimus tamen, quia necesse est, vt bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine, quod incæpit : quamuis totum sit gratia quod fecit bonum.* Si enim ex necessitate propria antecedenti bonum incarnationis feciisset, non esset gratia totum & præcipuum bonum quod fecit. Necessitatem vero consequentem ad voluntatem satisfaciendi pro homine lapso satisfactione hominis Dei explicuit satis, cùm eam ex immutabilitate honestatis, seu voluntatis honestæ deducit. Siquidem, si alio modo, quo potuit, hominem lapsum repararet, glorificaretque, ab intensione reparandi, glorificandique illum non deficeret; quem explicatum habet Athanasius citatus certamine primo, num. 2. fine, qui ratione mutabilitatis in bono creaturæ, etiam angelicæ, necessariam incarnationem ad reparationem, & redemptionem nostram asseruit, vt videbimus quæst. vlt. cert. vlt. num. vlt.

5 Dices adhuc Athanasium ibi dixisse : *Indignum, Deoque indecentissimum esse in conspectu suo creaturam perire.* & Cyrill. 5. Thesaur. cap. 7. *Non decuisse opus Dei imperfectum manere.* quid inde non periret si aliis quibus potuit modis à Deo repararetur. Secundò indecentia illa, & indignitas solum negatiua est, quam vitare Deus non tenetur. De facto enim illam non vitauit ; in Angeli, excellentioris nempè creaturæ perditione : atque è sola charitate nimia erga homines in nobis vitauit : clamante Apostolo : *nusquam Angelos.* De redemptionis apprehensione intelligunt expenduntque Patres. Denique oppones Patres recitandos quæst. 2. & 3. magno numero afferentes non potuisse hominem, nisi per incarnationem redimi, quod vt minimum de redemptione per æqualem satisfactionem intelligendum est : quia scilicet eam medium vnicum redemptionis, & satisfactionis æqualis pro peccato repurarunt. Sed hi tamen loquuntur de reparatione, & libertate nostra à Deo facienda contra hostem nostrum diabolum, vt constat ex testimonis datis certamine 2 num. 1. Eusebij, Gregorij, Bernardi, Augustini, & Leonis Pap. 1. ibi, sermone primo de natiuitate : hæc autem per assumptam humanitatem fieri debuit congruentiæ solum debito, vt eadem, quam vicerat diabolus, natura vinceretur, vt loco proximo, non semel aiebat Leo, nevè aliàs diabolus conqueri posset, vt recitatus scribebat Eusebius.

QVÆSTIO II.

An ad satisfactionem ex iustitia negatiua pro peccato necessaria incarnatio fuerit?

IAM hinc titulos necessitatis incarnationis ad satisfactionem pro peccato ab Scholasticis, verborum Athanasij, Anselmi aliorumque Patrum sono ductis excogitatos singulatim examinabimus. Primus est, vt satisfactio ex rigore iustitiæ pro peccatis exhiberetur. Id est qua ius creditoris Dei offensi, extinguatur : sicut extinguitur ius pecuniarij creditoris, pecuniæ solutione, vel diffamati, aut dehonorati creditoris honoris, vel famæ restitutione. Hanc vocabimus satisfactionem ex iustitia negatiua, ex parte nimirum creditoris : quia iustitiæ ius, quod in ipso præcesserat, ea exhibita satisfactione aboletur, quin, vt Deus titulis aliis opus satisfactorium non exigat ius acquirat creatura. Est autem generatim obseruandum, iustitiam latè idem significare, quod æqualitatem : ac proinde respectiuum quid esse : quare iustitiæ virutem habitualiter sumptam esse inclinationem ad seruandam æqualitatem actualiter in aliquo : actualem verò esse æqualitatis seruationem. Quod si ea æqualitatis seruatio, sit æqualitatis cum recto dictamine generalis, & lata licet propriè iustitia erit, quæ virtutes omnes transcendit : ac proinde qnæuis honesta satisfactio ex lata hac, & propria iustitia erit. Sin verò æqualitas seruanda cum recta rationis regula sit in ordine ad alterum etiam strictius adhuc iustitiæ genus constituit; laxius tamen eo de quo quæstio procedit. Comprehendit enim misericordiam, pietatem, religionem, fidelitatem : quas, & similes virtutes, partes iustitiæ potestatiuas appellat proinde S. Thom. 2. 2. q. 8. a. 1. si autem æqualitas seruanda sit in eis ad quæ ius habeat alter tanquam ad rem suam quam neque auferre, nec retinere, eavè vti quis possit sine ipsius vel consensu, vel iniuria, specialis, & strictissima iustitia est, de qua hic agimus. Vtramque hanc iustitiam diuisit, genereque conuenire docuit Aristot. 2. Politicor. cap. 2. versus med. quia vtraque ad alterum est. Postrema verò in commutatiuam, & distributiuam diuiditur. Hæc seruat æqualitatem proportionis in præmiis, & pœnis meritorum : commutatiua æqualitatem arithmeticam inter rem, & rem nulla habita personarum ratione, quam attendit geometrica distributiuæ proportio.

* * *

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

CERTAMEN I.

Pro quæstionis decisione notata statuuntur.

1 HIs generatim de iustitia stricta præmissis sciendum vlterius est satisfactionem è iustitiæ rigore supponere læsionem, & damnum alteri illatum in bonis, quæ iustitiæ strictæ materia sunt, scilicet in rebus, in quibus cum vtilia ipsi adesse, vel ad benè esse sint, ius habet, vt nemo eas auferat, eisvè vtatur absque consensu, vel iniuria ipsius, vt benè Aristot. 5. Rhetoricor. capite 9. illis verbis iniuriare est sponte lædere ; & consonè sanctus Thomas 1. 2. quæstione 21. art. 3. aiebat. *Distributio secundum iustitiam fit alicui ex eo quod agit in profectum, vel nocumentum alterius* : idcircò 5. Ethicor. capite 4. iustitiæ damnum medium inter lucrum, & damnum esse docuerat. Totam ergò iustitiæ materiam ad bona fortunæ, vitæ honoris & famæ, quibus quicquid vtile adesse, ac benè esse, cuique est continetur, reduxit. Quòd autem satisfactio è rigore iustitiæ alterius læsionem vel damnum in eiusmodi bonis necessario, & essentialiter supponat, perspicuum est : quia per eiusmodi satisfactionē reduci ad æqualitatem inæqualitas debet vbi autem nulla alterius inæqualitas præcessit nequit respectu illius ad æqualitatem inæqualitas reduci & sane, in nullo genere est satisfactio, in quo læsio, vel iniuria, atque inde ius ex parte ipsius, vt ei satis non præcedit, vt vox ipsa satisfactionis demonstrat, quæ in materiæ strictæ iustitiæ redditio, ac restitutio necessaria est (vt ideo, si aliunde, quam à detractore fama reparetur, eodemque, quo ante detractionem loco reponatur detractor ad nullam satisfactionem famæ per Doctores teneatur : læsio famæ reparatione illa alterius fuit abolita) quod autem nullomodo oblatum alteri ex iustitiæ materia fuit, nulloque modo debetur quonam pacto ex iustitia redidi poterit? ne dum debebitur? quoniam vero iniuria propriè scienti, & volenti non fit, vti ex Arist. proximè c. 9. commune proloquium fert, præter præfatum damnum requiritur, quod læso, saltem non volente fuerit illatum à satisfacturo.

2 Sed enim præter hæc, quæ satisfactio è iustitiæ rigore necessario supponit, plura alia essentialiter inuoluit, quæ ex Anselmo 1. *cur Deus homo* c. 19. & 20. stata iam definitione Scotus comprehendit *Redditio equiualentis voluntaria ex alias indebitis.* licet eam generalis satisfactionis definitionem siue ex fidelitate, siue ex gratitudine comprehendat virtutum materia, ac vocum alia, atque alia significatione variata suppressit personarum diuersitatem : quia redditio nequit non ad alteram esse, si ex debito propriè sit : maxime iustitiæ strictæ, quæ eiusdem ad se ipsum esse non potest : ac proinde nequit esse, nisi inter personas diuersas, etenim nemo se ipsum lædere proprie potest, iniuriamvè irrogare, aut debitum iustitiæ, aut debitum iustitiæ erga se ipsum habere. Nequit autem in vllo genere esse satisfactio nisi debiti, aut iniuriæ alicuius sit, vt nuper dicebamus. Assumptum est Arist. 5. Ethicor. c. 6. eiusque ratio : quia quidquid aliquis circa se ipsum operatur libere, (vti ad iniuriam inferendam oportet, quæ absque actionis libertate non est) sciens, volensque operatur : quare & absque sui iniuria, quæ scienti, & volenti fieri minimè potest debet autem satisfaciens ab eo cui satisfaciendum est alter esse non solum re, sed iure, & Dominio vnde inter Patrem, & Filium in fortunæ bonis nulla iustitia, aut ex eius rigore satisfactio esse potest, teste Arist. proximè ac Theologis cum S. Th. q. 77. a. 4. ac iurisperitis instit. *Per quas personas* §. *item vobis* l. *cum oportet* c. *de bonis quæ liberis* l. *id vestimentum.* ff. *de peculio* : id quod de non è mancipato filio intelligitur cuius ea ratio est : quia eorum omnium quæ filius habet (exceptis castrensibus, & quasi) Pater Dominus est, atque vtriusque eadem moraliter, & ciuiliter persona, cùm filius pars Patris eo sensu sit id

circò neque inter religionem,& religiosum,neque inter Dominum,& seruum,vt seruum iustitiæ strictę pactum, seu contractus esse potest licet alia ratione inter eos, atque inter Patrem,& Filium emancipatum esse queat, vt docuit Arist. 2.magnor.moral.c. 11.

3 Eadem *reddibitionis voce* continentur,*quod satisfactio non fiat ex bonis creditoris suè gratuitò acceptis ab ipso sciente illis ipsis sibi esse soluendum* : quare id otiosè addunt Capr. in 4.d.15.q.1.a.3.ad 1.Aurel.Ferrara 4.contr.9.alij Thomistæ,& Vasq.d.8 c.1.2.& 3.ea siquidem ita scientis donatio virtualis remissio est:sicut donatio pecuniæ à Dño fundi quo agrum ab ipso emas,& soluas,si ex ea scientia fiat laruata fũdi vẽditio est,ac virtualis donatio:quę quidem ratio solidior longè illa est, quam pro conditione hac afferunt recentiores : quod sc. nihil in bonis creditoris augescat, vti in omni satisfactione debet augescere: etenim bona sic data à creditore ipsius iam absolutè non sunt, sed donatarij:quare cum ab hoc illi redduntur,vt damnum illatum resarciatur,aliquid procul dubio bonis eius accrescit quo præfatum damnum reparetur. Dices tamen donata etiam ex ea sententia, imò,& intentione satisfactionis sibi faciendæ, à creditore debitoris absolutè est, vt diximus,potestque illa donanti creditori non soluere, debitumque persistere: imò, ita pro illo priori ad reddicionem debiti à debitore, sic donata pecunia creditoris debitum persistit, ac non remissum est; vt possit à creditore absolutè debitum vlterius remitti ; ergò in ea pecuniæ donatione nondum erat virtualis remissio.Nihil hæc probant:Probant enim æquè contra virtualis illius donationis ab omnibus admissæ apertissimam paritatem:nam, & data pecunia ex scientia,& intentione venditoris, vt agrum donatarius ab ipso illa ipsa emat, & soluat, potest absolutè potestate antecedenti donatarius accepta pecunia agrum non emere, ac venditor pretium agri remittere,atque illum ipsi donare,& tamen cum pretium vendendi agri sic donat, virtualiter agrum donat. Ratio vtriusque est. Nam virtualis donatio,ac remissiõ solum attenditur ex actione, & voluntate æquivalentis donatoris, quæ adest, etsi donatarius ex parte sua illam non exequatur, atque ad effectum deducat, vel satisfaciendo,vel emendo,ac soluendo pretium pecunia donata. Secundò : esto non sit appellanda virtualis remissio, aut donatio fundi pecuniæ donatio ex scientia,& intentione, vt ea donatori satisfiat, vel debitum antiquum, vel fundi pretium quovsque soluatur de facto donatori. Id solum contendit obseruatio nostra in eiusmodi solutione debiti, satisfactionem, vel venditionem non esse, nisi palliatam, & apparentem, ac veram remissionem, & fundi donationem æquivalentem, & virtualem, quæ etiam cum formali remissione non pugnat, etsi hæc posterius adueniant.

4 Præfatæ conditioni limitationes plures immeritò adiungit Soar.d.4.sect.6. §. *Vera igitur responsio* : ac versu verum *conditio hæc*, atque alij DD.Prima sit eam locum non habere in satisfactione honoris,& famæ,sed solùm bonorum fortunæ, quia in horum solum restitutione transfertur dominium bonorum,quibus satisfit in creditorem,secus actionum, quibus honos, vel fama restituitur:Discrimen autem hoc leue est.Licet enim honos, & fama non eo modo, quo pecuniæ possideantur physica eorum apprehensione à Dño, at verò in aliorum æstimatione ab hominibus possidentur,indeque solùm à detractore,& contumelioso auferuntur,qui ideò contra iustitiam strictam peccant ; eoque loco reponi ab iis debent, vt famam, & honorem integrum, & illæsum læsus possideat,sicut ante detractionem, atque ei è stricta iustitia satisfiat : ac proinde æquè possidet famam læsus per satisfactionem, atque spoliatus pecuniam per pecuniariam satisfactionem, vt doctè arguit Vasq. proximè numero 47. limitat rursus Soarez, loco 2. de datis à creditore ex ea satisfactionis scientia post debitum contractum, immeritò tamen, vt patet exemplo donationis pecuniæ ex scientia solutionis fundi emendi illa ipsa ex donatore à donatario, quam virtualem donationem fundi cum communi Soarius ipse fatetur. Limitat tertiò sect.eadem 5. *verum conditio illa* annuentibus ex parte Lugo d.4.sect.3.n.36. & Salmanticensis recẽtioribus,scilicet vt verum habeat, si pactum intercedat,vt donatarius illa ipsa pecunia donata satisfaciat, & soluat donatori. Sed hæc etiam limitatio reiicitur, quia si adfit scientia donatori solutionis sibi ea pecunia faciendæ virtualis, & æquivalens remissio, vel donatio fundi adest, solaque apparens venditio, & satisfactio, vt patet. Secundò : licet eo posito pacto soluens donatarius soluat pecunia, quæ absolutè sua non erat, vt aduersarij volunt, ac proinde non sit vera solutio, sed formalis debiti remissio, quia ex bonis quæ formaliter, & reipsa donatoris læsi sunt ; ast id non tollit, quod bonis datis secluso pacto quæ donatarij sunt, satisfactio facta sit virtualis remissio donatoris. sed accedente pacto illo, vera donatio intercedit, ac bona donata à læso donatarij debitoris absolutè fiunt, licet cum secunda alia obligatione orta ex pacto satisfaciendi bonis sic acceptis læso prius donatori, quæ quidem replicatus titulus satisfactionis antiqui debiti est,cuius non est in ea donatione remissio vlla, antiqui verò debiti est remissio virtualis æquè ac si eiusmodi pactum non adesset.

5 Plus quidem æquo eam conditionem recitari limitarunt ; iusto verò amplius illum ampliarunt Capr. in 4. disputatione 15. quæstione 1. articulo 3. ad 1. Caietan. 3. part. quæstione 1.articulo 2. §. *Ad tertium dubium.* Sotus de natura, & gratia lib. 3.cap. 6. vt scilicet bonis, quæ fuerint creditoris nunquam fieri possit è rigore iustitiæ satisfactio. Decipiuntur tamen: si enim ante debitum contractum ex emptione vel furto creditor pecuniam donasset, nulla satisfactionis sibi ex illa pecunia faciendæ scientia, aut cognitione, imò nulla etiam iam contracti debiti scientia posset debitor illa ipsa pecunia donatori satisfacere, quin vlla adhuc virtualis remissio creditoris intercederet. Exrendunt alij ad bona parta à debitore ex his, quæ creditor ex scientia eiusmodi fructus satisfactionis sibi faciendæ ipsi donauit. Tunc enim, inquiunt, virtualem debiti remissionem adesse id quod alij verum putant, si parta ex bonis datis à creditore industria,vel solum, vel principalius debitoris parentur : quia alias parta illa bona ex datis non magis debitoris,quam creditoris erunt. Eneruis ratio:quia & si principalius ex bonis datis,quam ex industria debitoris proueniant, vt in fructibus fruteti,imo, & totaliter vt in annuis census donati redditibus contingit bona sic donatario obuenientia ipsius tantummodo sunt non donatoris. Secundæ limitationis ratio sit:quia cum ex bonis ipsis creditoris principalius, vel æquè proueniunt quibus satisfit creditori eius conscio, cum donat satisfacturo censetur, & prouentus ipsos,quibus sibi satisfit donasse,ac proinde virtualiter debitum remittere:cumquo satisfactio è rigore iustitiæ stare nequit quod autem tunc rei donatæ prouentus,cum ex eius scientia res donatur moraliter donetur,censeaturque gratia,ac beneficium donatoris probatur facile:quia ideo gratia ac beneficium Dei dicuntur nõ solũ auxilia gratiæ,sed & bona nostra opera,& merita, quia, etsi nostram industriam non excludant tamen principalius à gratiæ auxilio proueniunt Dei dona,ac beneficia gratuita à Paulo, Augustino ac reliquis Patribus reputantur:verum non ideo sancta,ac meritoria nostra opera Dei moraliter sunt,quia principalius ab ipsis auxiliis physicè proueniunt,cum certum sit auxilia,& cogitationes sanctas physicè efficienter in nostræ volũtatis actus non cõcurrere,sed solũ suasoriè, & intentionaliter,cum tamen determinatio physica voluntatis,quatenus meritoria,& honesta à volũtate physice sit:quare ea ratione non probatur intentum, sed potius bona parta, adhuc minus principaliter ex dono creditoris in huius etiã bonis,& gratiis esse computanda,atque satisfactionem ipsi eiusmodi partis exhibitam apparentem solum esse, atque in dono illo gratuito, vnde ipsa proueniunt,esse virtualem remissionẽ creditoris.Sed tamen absolutè neque hoc, neque intentum probat.Sed solum in bonis nostris operibus plus à Deo

Deum de suo ponere, quam ex parte sua ponat creata voluntas, vt Dei potius, quam nostra, eiusmodi bona opera meritò censeantur. Prima enim auxilia efficacia, vt efficacia nobis donat,nec solum secundum physicam entitatem ipsorum : in ea verò efficacia eorum conditionata futuritio deuoluitur, quæ ipsa auxilij positione transit in absolutam, cumqua licet non physica connexione, logica tamen necessitate connectitur : tribuit etiam gratiam habitualem operanti, qua formaliter ad vitæ æternæ meritum, & satisfactionem pro peccatis æqualem honesta nostra opera eleuentur : præparat omnipotentiam voluntati, vt operetur, atque exerit cum illo concursum indiuisum, quo indiuisibiliter affectum ipsum voluntatis honestum apponit, eaque omnia, & plura, quæ externæ protectionis gratiam spectant, gratuitò, & ex scientia conditionata connexa logicè ad auxilij efficacis positionem cum absoluto consensu nobis donat. Cuius ergò bonum potius est?nostrũ,an Dei?Hæc autem in aliis,quæ nobis ab aliis donantur,vnde bona alia nobis proueniũt minimè intercedunt:quare limitationes illæ admittẽdæ non sũt: cum prouentus illi etiam creditoris donantis vnde proueniant ex eorum scientia reputari minimè possint.

6 Additur *voluntaria.* Si enim redditio voluntaria non fit satisfacienti, licet æquivalentis redditio læsioni fit, satisfactio non erit, sed satis passio : vt damnatis, & iis, pro quibus reluctantibus, & renuentibus ex ipsorum bonis debitum per iudicem soluitur vsu venit. Atque in honoris,& famæ satisfactione,si voluntarium, & libertas absit, è quibus tota honoris, & famæ reparatio æstimatur, redditionis, æquivalentis læsioni,& damno erit impossibilis. Æqualitas autem redditi cum debito, seu damno illato voce *æquivalentis*, contenta essentialis etiam satisfactioni ex iustitia est,quæ exactam inter datum,& acceptum,seu damnum illatum æqualitatem essentialiter importat. Ad eam verò reuocatur conditio illa Medinæ. de pœnit.tract. 3.q. 1. Vasq. d.9. c. 1. & 3. & Thomistarum nouiorum ; quod nimirum satisfactio acceptatione creditoris non egeat : etenim redditio si æqualis sit,atque è iustitia, satisfactio debitũ & quoad substantiam ; & quoad modũ æquare prorsus debet:ergò ea posita etiã inuitè,ac non acceptante creditore,vt fieri potest,nihil debiti ex iustitia remanebit: ergò & torum debitũ, ac ius creditoris omninò extinguet. Soarius proximè neque eam conditionem satisfactioni è rigore iustitiæ necessariã esse putat,neque voce æquivalentis contineri.Potest enim quis æquale omninò pretium offerre pro captiuo, quo illum ex iustitia soluat,& tamen Dñus pretium non acceptare. Deinde, qui equum furto retinet, licet Dño instũ offerat pretiũ quod illum ad æqualitatẽ soluat,ex iustitia non soluit), ni Dominus equi pretium illud iustũ acceptet.Non vrgent;nam,vel pretium pro captiuo offerturante initiũ pro illo emptionis, ac venditionis contractum, vel post illum cum captiui domino initum,si ante pretium quidem æquale est, ast eius oblatio, vt Dominus contrahat, non est satisfactio, quia nullum debitum præcedit, sed solicitatio, vt captiuum pro illo pretio vendat,& contrahat, si libere velit, vt potest : quare necessitas illa acceptationis pretij, à Domino, non est vt eius debito satisfiat, sed vt cum ipso de mancipio contrahatur. Si autem post contractum initum pretium æquale offeratur, reddaturque etiam illo renuẽte debitum ex contractu soluitur, & extinguitur,vt neminem, fatetur, & conditione ipsa continetur. Secundum exemplum supponit falso pretio iusto alias furto retenti ad æqualitatem debito, ac iuri Domini satisfieri. Etenim retinens equum, qui extat debet reddere, non pretium,ad illumque determinate ius Dominus ipsius habet : quare pretij redditione non redditur quod debetur : atque in acceptatione pretij pro equo extante intercedit voluntas vendendi Domini creditoris, quæ pretio non soluitur, liberaque Domino est. Sin autem equus ipse, qui debetur reddatur satisfactio è rigore iustitiæ erit nulla expectata acceptatione,imo etiam renuente Domino creditore.

7 Huc etiam spectat conditio alia : quod scilicet redditio voluntaria æquivalentis à debitore ipso exhibeatur,vt è rigore iustitiæ satisfiat. eam verò in honoris læsi satisfactione necessariam putant Lugo disp. 4.sect. 2. Ragusa.d. 21. §. 2. & nostri omnes recentiores complutenses, secus in pecuniæ,vel famæ restitutione. Soarius d. 4.sect. 6. §. *Ex his.* Albertinus t. 1. corollar. 17. ex principio 1.philosophico,Bernal. d.7.sect.1. §. 2. & 3. vniuersim necessariam negant, quibus consensisse audio recentiores Salmantinos; sed enim conditionem hanc omni vniuersim satisfactioni ex iustitia essentialem esse censeo, vt omnigenas satisfactiones percurrendo monstrabo, & quidem in satisfactione honoris res est clarior. Cùm enim honor in bona alterius æstimatione,atque testificatione ipsius de illius excellentia, & probitate consistat, lædaturque, vel conuicio, vel contumelia, qua quis malum se de illius probitate,aut excellentia opinionem habere testatur, quovsque ille ipse conuiciator ; vel contumeliosus debitam se de læsi probitate, aut excellentia opinionem habere testetur honoris læsio persistit,& si ab aliis iusto longè amplius honoretur:tunc enim etiã testificatio læsoris malæ opinionis de probitate, aut excellentia illius perdurat. sed quid, inquiunt Salmantini, si læsus malit plus honoris à nobiliori sibi exhiberi, loco honorationis iustæ ab ignobiliori sibi exhiberi, loco honorationis iustæ ab ignobiliori læsore sibi in honoris reparationem exhiberi, loco honorationis iustæ ab ignobiliori læsore sibi in honoris reparationem exhiberi ? nonne ea erit ipsi non iusta solum, sed & amplior,& excedens satisfactio minimè gentium ; vt enim nostra ratio ostendit, adhuc læsio honoris, intestificatione læsoris de mala sua opinione erga probitatem, & excellentiam læsi persistit : ac proinde, neque damnum reparatur, nisi nobilior ille læsum honoret ex consensu, nomine, & persona alterius : quo in casu læsor ipse moraliter bonam suam opinionem de probitate, & excellentia læsi honorationibus alterius testatur, licet alia materialiter, & physicè sit persona læsum honorem reparans, & satisfaciens. Non dubito commodius gratiusque esse posse læso longè excellentioris honorationem de suo exhibendam, posseque vt illam oblatam consequatur satisfactioni, ac reparationi honoris ab ignobiliori exhibendæ cedere,siue gratuito, siue ex pacto cum nobiliori, sed solum contendo tunc honorem læsi, non reparari, neque eius læsione ipsi ex iustitiæ rigore satisfieri : quod reor omnino apertum. Vnde constat alterius argumenti infirmitas, quod sic Bernal.instruebat. Cum læsor honoris soluendo, ac satisfaciendo non est, pluris refert læsi illum recuperare, atque satisfactionem vltronei fideiussoris recipere, quam pœnas à læsore exigere:atqui læso honore ius datur de honorato, vt honorem meliori modo quo possit recuperet : ergò ex iure suo læsus recuperare potest honorem ab vltroneo fideiussore, à quo solùm potest, quin aliquid de suo iure remittat. Sed est implicatio in maiori suppposito : quod scil.ab vltroneo fideiussore honor recuperari queat. Vnde, & apparet minoris implicatio : quod scilicet cum soluendo, ac satisfaciendo honori læsor non est detur ius læso ad illum recuperandum, quod ostendimus impossibile insuper ius, quod læsus habet non est ad recuperandum honorem à læsore,vel ab alio : alioqui læso adhuc renuente posse ipsi ab alio satisfieri,quod Bernal.ipse non admittit, nisi accedatus liberè, ac voluntariè à læso fuerit in fideiussorem. In ea verò acceptatione libera, est aperta remissio læsi de iure, quod habet, exigendi honoris sui reparationem à læsore determinatè

8 De restitutione,seu satisfactione è rigore iustitiæ, famę, & bonorum fortunæ necessariò à læsore faciendа esse æquè certum mihi semper fuit,licet non sit aliis æque apertum:quia vident famæ,& eorum damna posse ab alio,quam à lęsore iniusto reparari,eiusque læsi creditoris extingui, id quod, non nisi satisfactione & iustitiæ rigore intercedẽte fieri posse videtur.Ergo vero vtrũque sine eiusmodi satisfactione fieri reor:atque in famæ restitutione patet.Etenim si quis casu absque scié-

tia læsionis,& intentione satisfaciendi sua, ac etiam læsoris famam detractione alterius, alicui sublatam omnino reparasset, atque in pristinum statum, reduxisset & famæ reparatio, & ius illam recuperandi à detractore ex communi melioris theologiæ extingueretur,ac debitum detractoris illam restituendi cessaret: & tamen nulla è rigore iustitiæ adesset: cum nulla ita restituendi, & reparandi voluntas adhuc virtualis,& interpretatiua in ea famæ reparatione fuisset cum tamen nequeat non esse voluntaria natura, & essentia sua satisfactio,vt n.6.ostendebamus.vnde de eorum omnium satisfactione è rigore iustitiæ probatur primo fieri nisi à læsore determinate minime posse:quia nisi reparatio damni siue pecuniarij, siue famæ fiat nomine,& ex persona læsoris ipsi voluntaria non est,licet autem possit esse voluntaria alteri reparanti non est reparatio debiti respectu illius:ergo neque satisfactio è rigore iustitiæ, quæ essentialiter, & debitum supponit,& voluntaria esse debet: quod si ex pacto,vt fideiussor vltroneus soluat,soluet ex fidelitate pro illo,non ex iustitia nisi cedat læsus iuri contra læsorem in pacto,& contractu illo:quo in casu debitum fideiussoris est,ac soluit debens. Dices debitum, quod essentia sua supponit satisfactio non debere esse satisfacientis voluntariæ,sed satis esse,si sit alterius, pro quo satisfit. Hoc impugnatur, ac probatur secundo: quia respectu eiusdem debet esse debitum suppositum respectu cuius est ius in creditore læso, ad exigendam satisfactionem ergo eius debet esse debitum, quod satisfactio supponit à quo facienda ex iure læsi est satisfactio.Tum sic:sed ius læsi ad exigendam satisfactionem & reparationem damni non est ad aliquam personam vage, hanc,vel illam,ad quam, vt sic ius non datur: ergo ad personam læsoris determinatam. Infero primo pro conclusione. Ergo cum alius omnino à læsore non ex huius persona,sed ex sua nomine que proprio egerit, non ex iure,sed contra ius aget creditoris:quare non ex iustitiæ rigore ad satisfactionem per alium recipiendam poterit compelli,ni ipse ex æquo,& bono, liberoq; suo arbitrio eam recipere velit:infero secundo:ergo satisfactio è rigore iustitiæ non solum requirit voluntarietatem,sed supponit debitum satisfacientis, quod in solo læsore iniusto reperitur,contra argumenti nostri primi solutionem.

9 Vltima satisfactionis è rigore iustitiæ conditio necessaria est, *quod sit ex aliàs indebitis creditori* quod intelligit Soarius proximè.5.Respondeo de indebitis aliàs ex iustitia etiam creditori, secus ex alia quauis virtute. Melius Vasq.d. 8.c. 6. ex alias indebitis ex quacumque virtute creditori.Probatur primò:quia si debeo centum Ecclesiæ ex decimis,voueoque alia centum valetudinis, vel religionis causa centum datis alteri solum debito satisfacio,neque me ad plenum libero,sed altero tantum, vel ex parte vtroque si pro altero tantum, vel vtroque dentur,atque acceptentur ab Ecclesia: & tamen alterum saltem debitum iustitiæ non est,sed religionis. Probatur secundo.Nam res vna omnino, & totaliter debita vno titulo æquat, neque in aliquo excedit debitum iustitiæ,cum ob illud datur, vel alterius virtutis ex qua omnino etiam debetur: ergo nihil in re illa remanet ex quo debito alterius virtutis adhuc ex parte, nedum adæquate satisfiat. Probatur tertio:quia ei, cui debeo ex duplici titulo virtutis cuius vis centum adæquate ex vnoquoque,liberum prorsus est pro alterutro recipere,sicut & debitori pro alterutro soluere:ergo cum alter titulus iustitiæ est,alter vero virtutis alterius,etsi offerantur centum pro titulo iustitiæ acceptatione creditoris libera pro illo titulo,ac non pro alio opus erit, vt sit pro illo solutio:ergo non est è rigore iustitiæ satisfactio: Probatur hæc consequentia quia, vt vidimus. n.6.satisfactio è rigore iustitiæ non eget acceptatione libera creditoris:quia neque de debito, neque de iure quidquam est in eiusmodi satisfactione remittendum. Obiicit tamen Soarius,debeo decem extremè indigenti ex iustitia cui tunc etiam totidem ex misericordia debeo peccabo duplici peccato,ni decem appendam,duplicique illi titulo; ac debito satisfaciam, si decem soluam, maximè ex motiuo vtrumque debitum ex vtroque titulo soluendi: ergò duplici titulo adæquato eiusdem summæ dummodo iustitiæ vterque non sit, sed alter solum possum satisfacere: ac proinde ex alio etiam titulo debitis satisfieri è rigore iustitiæ optimè potest. Argumentum plùs probat, quam Soarius intendat. Cùm enim debitum succurrendi extremæ proximi indigentiæ iustitiæ sit; non misericordiæ duplici iustitiæ titulo, ac proinde ex aliàs debitis, ex debitis, ex iustitia etiam satisfieri posse contra Soarium probabit. Respondeo facile pro omnibus; pluribus titulis adæquatis eadem summa satisfieri adæquatè posse cum tituli replicantur, atque supra eandemmet rem caduns v. g. debeo centum, ac voueo illa eadem, quæ debeo soluere, præcipit item superior, vt illa soluam, vt debeo, ac Deo voui centum solutis iisdem debito iustitiæ, religionis, atque obedientiæ satisfeci, quin eorum solutio à rigore satisfactionis ex iustitia deficiat, quia tituli supra eandem summam, & titulum debiti replicantur. Sic etiam in casu Soarij. Etenim extremè indigenti succurrere non teneor ex meis dum possum ei è suis, vel possessione, vel iure possum: tunc enim extrema illius indigentia, nec illi ius ad mea, neque mihi ex meis succurrendi debitum inducit: quare solùm affert mihi obligationem, vt illi è suis iure succurram soluamque, quæ ipsi debeo, ac proinde titulus indigentiæ extremæ ad eandem summam debitam aliundè soluendam me obligat: sicque titulus vnus supra alium cadit:ac proinde eiusdem summæ solutione duplici etiam ex iustitia titulo satisfacio.

10 Denique opponis. Debeo centum soluenda post annum.Soluo nunc ex gratitudine etiam ob beneficium à creditore acceptum. Satisfacio vtrique debito, & iustitiæ etiam:nam licet pro nunc non debeam; nunc tamen debeo. Ergò eisdem centum duplici titulo,& gratitudinis, & iustitiæ satisfacto ex eius quidem rigore: ergò satisfactio è rigore iustitiæ ex debitis alio titulo fieri optimè potest. Resp. solutione anticipata me in eo casu iuri meo cedere, ac lucro fortasse ex vsu pecuniæ aliàs retinendæ:quibus anticipata mea solutione ex gratitudine satisfacio, cui minimè satisfacerem si centum illa die solutioni statuto, ac non anticipato soluerem, obligationi è rigore iustitiæ si ad totidem soluenda ex gratitudine iuxta probatam hactenus doctrinam. Ea verò vera adeò est, vt etiam si res debita infiniti valoris sit, si tamen sit multiplicabilis totaque vno titulo debeatur illa eadem,ei,& titulo alteri nequeat è rigore iustitiæ satisfieri, vt doctè Vasq.n. 76. contra Soarium proximè obseruabat; qui si totus Valor, etiam infinitus, titulo iustitiæ, vel virtutis alterius solutioni impenditur nihil restat, vt debito cuiusuis alterius virtutis satisfiat, vt dicebamus n.9. vbi & alias rationes eius veritatis adiecimus;sin autem res cuiuscumque valoris immultiplicabilis sit, duplicique tit. æquè primo debeatur,tunc quidem tituli,licet vnus supra alium non cadat,quæ est replicatio formalis de qua n.9. materialiter replicantur,eiusque redditione veriq; titulo fiet satis,& si vterque iustitiæ sit.Cùm enim rei illius,cuiusuis valoris impossibilis sit,multiplicatio nullâ ius, tituluſvè esse potest, ex quo quis ad multiplicationem teneatur impossibilem. Oportunè verò aduertendum hic erit, quod est ex dictis procliue, rem, quæ tota iam debetur vno tit. denuò pro alio,seu debito alterius obligari. Si enim tota res illa, quanta est satisfactioni prioris debiti impendenda est cum pro illo satisfiat,quidnam debito nouo Seualderius relinquetur, vt pro illo creditori à fideiussore fiat satis?Est igitur satisfactio illo nouo debito, duorum: atqui vbi est impossibilis satisfactio, est impossibilis obligatio: ergò, & obligatio rei iam debitæ adæquatè vno titulo pro nouo alio, seu pro debito alterius.

11 Animaduertendum tandem est discrimen meriti à satisfactione iusta, non solum ratione iniuriæ, quam hæc supponit, sed & æqualitatis cum debito, quam hæc etiam dicit; secus meritum adhuc condignum

condignum:quod, licet magnam dicat proportionem; nõ tamen strictam;atque ad amussim,vt aiunt,cum præmio æqualitatem.Vnde fit,vt satisfactio pœnalium operum iusti in hac vita meritoria, siue ex dignitate etiam operantis;quemadmodum,& meritum, desumpta iusta & rigorosa non sit,nec dicat cum debito exactam æqualitatem,sed solam ex æquo & bono proportionem: licet,quia Deus,ita illa se placandum promisit, vt nihil vltra illarum exigeret,pœnarum satisfactio dicatur.Differunt secundo:quia è rigore iustitiæ satisfactio, se ipsa debitum extinguit sine vlla siue antecedenti, vel subsequenti acceptatione creditoris:ita,vt, velit,nolit creditori debitum, & incuria cesset,ac ius ex illa creditori quæsitum, vt nihil vltra ex illo exigere sine debitoris iniuria ab illo queat.At verò meritum,& satisfactio meritoria condigne etiam,de se non ita cum præmio,aut debiti extinctione connectitur.Potest enim Deus absolute, atque ex rei natura loquendo præmium meritis condignis denegare,atque eiusmodi satisfactioni debitum non remittere; licet ex suæ promissionis fidelitate neutrum possit.Tandem tota quæstionis præsentis difficultas est de satisfactione ex iustitiæ commutatiuæ rigore,quam hactenus explicuimus. Punctiua enim non satisfacientis,qui solum in ea satis patitur,sed punientis est,sicut, & distributiua præmiantis, si quæ vero, circa has etiam, difficultates occurrerint, controu. de merito,& satisfactione Christi obiter expedientur.

CERTAMEN II.

Negatiuæ nostræ conclusionis probationes nonnullæ statuuntur.

1 ANtiquiores Thomistæ apud Vasq.d.7. c.5. Capreolus in 4.d.15.a.3.ad Aureoli, & Vega super Tridentin.c.8.quos sequitur Aluar.de Incarnat.q.1. a.2. docent Incarnationem necessariam fuisse, vt satisfactio pro peccato è iustitiæ rigore Deo exhiberetur. Hi tamen rigorem iustitiæ pro iuris seueritate, in qua nulla fit remissio ex quacumque virtute debeatur,ac satisfiat vsurparunt, vt doctè obseruat vasq. citato cap. num. 37. Drigido tamen sensu eam sententiam tenent.Soar.d.4.sect.5. Ragusa.d.20. Valentia, Enriquez,& Granad.quos sequitur Bernal. d. 7. sect. 1.n.2. Petrus Hurtado, Albertin. Tanner. & Raynaud. quos citat,& sequitur Ripalda t.2.n.84.sect.1.& 5.His ex parte adhærent Recentiores memorati à Bernal. num. 3. asserentes Christum pro ante actis ipsum peccatis non potuisse ex rigore iustitiæ satisfacere:quare,ad eiusmodi pro illis satisfactionem incarnationem necessariam non fuisse,sed inutilem. Pro subsecutis vero potuisse Christum satisfacere:quia pactum,& promissio Dei, ex quibus satisfactio è rigore iustitiæ pro peccatis essentialiter pendet,quæque non nisi cum existentibus sunt, ad Christum iam existentem esse potuerunt:quare incarnationem necessariam fuisse ad eorum peccatorum è rigore iustitiæ satisfactionem,quæ solummodo ab homine Deo poterat pro peccatis exhiberi. Sed enim cum posterius tempore prius causalitate, & natura esse possit; vana est, & ratio, & distinctio.Maxime;cum Deus decreta existentia Christi pro priori naturæ potuerit dutationem hoc,vel illo tempore anteriori, vel posteriori decernere. Secundo testimonia Patrum quibus hi Recentiores vtuntur de omnium peccatorum, præcipuè Adami, ante Christi aduentum perpetratorum satisfactione manifestè loquuntur,quare de satisfactione pro anterioribus, vel pro nullis probant. Hoc argumento reiiciuntar alij probati Cardinali nostro Lug.d.3.sect.3. n.55. qui ad satisfactionem pro peccatis, quæ in Dei famam,& honorem militant (cuiusmodi sunt de Deo detractio, & contumeliosa blasphemia)è rigore iustitiæ necessitatem incarnationis defendunt;secus ad satisfactionem eiusmodi pro aliis. Etenim Patres, qui ad satisfactionem ex iustitia pro peccato incarnationis necessitatem innuere vel sonare videntur de satisfactione pro peccato vniuersim loquuntur nulla memorata peccatorum differentia:imo speciatim pro peccato Adami, quod eius generis minimè fuit.' Secundo si nostra de Deo existimatio,& opinio., quæ ipsius fama, & Honor apud nos est in veris Dei bonis,quorumque iactura læsionem,& iniuriam computanda sit, in quouis peccato vera Dei læsio in honore intercedet:sicut in iudicis, & Principis honore quoties alterutrius leges & præcepta coram ipsis violantur.

2 Lugo idem ibidem,licet absolutè doceat de facto Christi satisfactionem ex iustitia non fuisse multis de causis,quas fuse persequitur.d.9.n.132.à §.*Hoc supposito*, docet tamen potuisse esse de rigore iustitiæ, si Deus ex potestate supremi dominij,non autem ex alia potestate iurisdictionis supremæ hominum opera exegisset. Etenim, etsi contra Deum legislatorem operando vel omittendo nil iniuriæ propriæ ipsi irrogetur, sicut neque contra Principem cum eius leges transgredimur; at vero,si ex proprietate proprietatis, & Dominij in nos diuini aliquid à nobis exigeret, à nobisvè Deus prohiberet, quod contra vel operaremur, vel omitteremus iniustitiæ peccato strictè delinqueremus: pro quo proinde Christus erigore iustitiæ posset satisfacere,quod autem hactenus è sola iurisdictionis potestate opera ab hominibus exegerit Probatur: quia præceptis, legibusque, quæ à potestate iurisdictionis prouenium,ea semper exegit.Nec refert, inquit,quod præceptis suis sæpè addat. *Ego Dominus.* Eo quippe hominum potestas iurisdictionis legislatoris Principiis explicari consueuit:imo,& legislatoris Dei Apocal. 19. Psalmo 18.& 118. consentit huic Doctrinæ citatus Ripalda; ego vero secus. Atque,vt mittam, an dominium proprietatis Dei præcipientis iustitiam vel iniustitiam in actionibus creaturarum fundare queat? contra quia, vt modo dicebam peccare contra legem coram legislatore,præcisè qua legislatore iniuria,ac læsio ipsius in honore,& contra iustitiam in ipsum est:at,licet Dei leges de facto à potestate iurisdictionis prouenianr coram ipso contra illas delinquimus:ergo de facto in ipsum contra iustitiam iniuria, & læsione honoris peccamus. Secundo cum ipse ibidem in omni mortali aliquam esse Dei dehonorationem, ac d. 5. n. 97. irreuerentiam grauem esse irreuerentiam in Deum & contra religionem admittat, quæ ipsissima dehonoratio Dei proculdubio est,id subterfugere minime potest, neque esse in honorationem grauem negare;contra tertio:quia Lucæ 17.dicitur: *cum feceritis quæ præcepta sunt, vobis dicite serui inutiles sumus.* Ad quæ Cyril. in catena S. Th. *Deus petit à nobis famulatum;* famulatus vero, ac seruorum officia non nisi ex iure Dominij proprietatis præcipiuntur à Dominis.Et Augustinus ser. 3. de verbis Domini. *O magna bonitas Dei! cui pro conditione reddere debebamus obsequia,vt serui Domino famuli Deo, mancipia Redemptori; amicitiam nobis repromittit,& præmia.* Ergo præcepta operam,quæ in nobis præmiaturus est Deus, non tanquam in subditos solùm,atque è potestate iurisdictionis, sed tanquam in famulos,seruos,& mancipia, atque ex Dominio,& potestate proprietatis diuinæ prouenium: quare nostra omnia peccata illis aduersantia iniustitiæ strictæ contra Deum in his principiis erunt. Tertiò potestas iurisdictionis ad seruorum operas exigendas in creatis pars est Dominij creati,quod ad plura alia se extendit: ergo in Deo non distinguetur non solum adæquate, sed neque in adæquate adhuc formaliter. Etenim vt sæpè docuimus quæuis formalitas potestatis diuinæ indiuisibiliter est potestas ad omnem suum actum,& obiectum, seu terminum, vt generaliter controu.de attributis diuinis, ac speciatim de omnipotentia ibidem ostendimus. Denique, licet Deo adsit etiam potestas alia iurisdictionis increata omnia, cum intimatio voluntatis Dei ad creaturas ex Dominij proprietate præceptis,vel legibus satis esse queat, imò esse aliter nequeat, neque aliter etiam esse intimatio queat ex potestate,iurisdictionis vnde probas ex hac potius,

quam illa eiusmodi præcepta, & legesadeo prouenire ac non potius ab vtraque ?

3 Nostra conclusio negat necessitatem incarnationis adsatisfaciendum Deo è rigore iustitiæ pro peccatis nostris. Traditur à Vasq.d.7.& 8.ex iis,quæ statuerat.1.p.d.85.c.4.d.86. & 1.2.d.223.Molina 1.p.q. 21. a. 1. Lessio de diuinis perfectionib.c 2.n.12. Becano de incarnat.c.15.Maratio. t.2.tract.de iust.d.14.sect.3. Torres de iust. d. 3.dub. 5. ac de pœnit. d. 6. dub. 3. Gaspare Hurtado d. 1.dis.20.Bernale d.7. à num. 8. Lugo absolute d.3.4.& 9. à num.132. hunniga manuscripto de incarnat. ac nobiles quisque nostræ Prouinciæ Recentioribus. à Lorca demum Vazquianæ doctrinæ infensissimo.Probatur primo cui nequit fieri proprie iniuria, siue in bonis læsio actione , vel omissione praua nequit fieri è rigore iustitiæ pro eis satisfactio, quæ illam essentialiter supponit ex dictis cert.2.n. 1. ast Deo praua nostra actione,vel omissione , nequit fieri iniuria , vel læsio propria in bonisipsius : ergo neque Deo fieri pro illis potest è rigore iustitiæ satisfactio : ergo neque ad illam pro eis exhibendam necessaria incarnatio fuit. Patet consequentia postrema : quia nullius necessitas, imo nec conducentia ad impossibile esse potest. Minor probatur ex Iob. 22. *quid prodest Deo, si iustus fueris ? aut quid ei confers,si immaculata fuerit vita tua ?* ergo, cum nobis per peccatum iustitia perit nihil boni, quod Dei interesit,aufertur:vt c.35. explicatius dicitur : *si peccaueris, quid ei nocebis? & ,si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ,quid facies contra eum ?* dices verba esse amicorum Iobi erantium sæpè. at eis verbis non erraste ratio à priori conuincet item Lucæ 17. *cum feceritis , quæ præcepta sunt vobis dicite:serui inutiles sumus:quod debuimus facere fecimus.* Ad quæ Beda *inutiles:quia Dominus bonorum nostrorum non indiget* ex qua non indigentia creaturarum essentiali Deo,qua Deus est, sibi sufficiens dicitur esse & Deus Psalmo 15. *Deus meus es tu,quia bonorum meorum non eges.* iterum eadem minor à priori monstratur.Deus è conceptu suo est nullo egens,sibique sufficit tũad esse, tum ad bene, ac fæliciter esse:atqui si nostra de Deo opinio, siue extrinsecus honos in bonis proprie Dei sit,& cuius iactura per peccatum Deus lædatur damnumque stricte recipiat,aliquo creato ad bene saltem esse egeret, nec sibi sufficeret, nulloque creato indigens non esset ergo extrinsecus nostet Dei honos , qui peccato aufertur , non est in bonis propriis Dei,& cuius iactura damnum, & læsionem propriam Deus recipiat. confirmatur,quia è conceptu suo Deus non minus,est summe perfectus in esse beato, & fœlici, quam in esse physico,& entitatiuo : Atqui è conceptu summæ suæ perfectionis in esse physico, & entitatiuo nequit in ea crescere,aut minui ex accessu,vel recessu creaturarum:ergo ex conceptu summæ suæ perfectionis inesse beato, & fœlici nequit in ea crescere,aut minui ex accessu vel recessu honoris creati virtutibus , aut peccatis nostris : quare neque his lædi proprie, damnumvè pati potest , quæ robusto huic nostri Vasquez argumento aduersarij respondent occludemus dum eorum argumentis respondeamus.Sed,licet hoc adeo certum non sit probabile saltem est Deum nostris peccatis non lædi, neque in eis iniustitiam contra Deum contineri:ergo qui cum ea probabili opinione peccat contra iustitiam realiter formaliter;non delinquit:cum nemo ni existentia , seu conscientiæ dictamine contra virtutem aliquam peccare queat. ergo nec pro eiusmodi peccatis satisfactio è rigore iustitiæ , quæ non nisi pro iniustitiæ peccato est, esse queat : ac proinde ad satisfaciendum pro illis è iustitiæ rigore necessaria incarnatio erit.

4 Probat idem Vasq.secundo d.7.c.8. n. 28. admissa vera Dei læsione peccatis nostris:quia vel tunc posset homo pro illa Deo è rigore iustitiæ satisfacere,vel non posset?si posset; ergo ad eiusmodi satisfactionem necessaria incarnatio non fuit si non posset ; ergo nulla erat obligatio, aut debitum eiusmodi satisfactionis : cum nemo ad impossibile teneatur doctorum omnium sensu,atque ex terminorum apprehensione. Nec refert nos obligari posse ad actum charitatis,aut alium supernaturalem ex Dei præcepto, quem nostris viribus non possumus quousque enim gratia nobis Dei , & comprincipium supernaturale adsit, vt possimus obligari ad illum,tenerivè adhuc ex præcepto non possumus. Hinc obligatio soluendi ex impotentia accidentali soluendi,aufertur,iusque pro tunc peritre cuperandi creditori:vnde ex essentiali impotentia ; vt in nostro casu soluendi,aut satisfaciendi ex iustitia obligatio eius satisfactionis erit absolute,& essentia sua impossibilis:ergo & correlatum ius creditoris ad exigendam illam à lesore impossibile erit:neque enim vera mius ad chymericum , & impossibile debitam , obligationem,& satisfactionem est possibile adhuc radicaliter. Atqui satisfactio è rigore iustitiæ essentialiter supponit ius stricte creditoris, & obligationem , seu debitum satisfaciendi in debitore : ergo pro nostris peccatis nequit esse ex rigore iustitiæ satisfactio. Dico obligationem soluendi ex rigore iustitiæ,quare,& satisfactionem nobis, quidem esse impossibilem,ast possibilem esse humanitati Christi fideiussoris nostri;sed contra est : quia satisfactio ex iustitia nequit esse,nisi pro debitis ex iustitia : ergo si nostra debita peccatorum , iusque , quod contra nos habet Deus ad satisfactionem iustitiæ non sunt , absolute nec Christi satisfactio pro illis iustitiæ esse poterit,sed ex alia qua velis virtute nos ad satisfactionem teneri. Patet:nam fideiussor nostræ , seu principalis debitoris obligationem subit, quod si ipse velit ex iustitia cum creditore de satisfactione mei debiti pacisci non pro meo,sed pro suo debito ex iustitia satisfaciet.Respondet Soar. d.4. sect. 6. Christum pro hominibus,vt eorũ caput satisfeciss e, vnicumque moraliter cum illis:in quo satisfactio è rigore iustitiæ fuit nobis possibilis:sicut & transgressio in Adamo tanquam in capite,& vno nobis cum moraliter possibilis nobis fuit contra:quia vel vnitas capitis Christi fictis est , vt debitum seu offensa nostri peccati moraliter sit absolute sit Christi,vel non ? Primum nisi blasphemè dici nequit : secundum semper relinquit debitum, & offensam Dei in nobis,in quibus è rigore iustitiæ satisfactio, sicut neque debitum,& obligatio,esse nequit. Secundo, quidquid de possibili sit,de facto non ita fuerunt hominum voluntates in Christo ad satisfactionem , sicut in Adamo ad transgressionem: Alioqui, sicut per Adami moraliter nostram transgressionem non gratis, sed ex meritis punimur,ita satis & iustificatio nostra ex meritis , nostris etiam,ac non gratis ex mortis Christi esset : quod est erroneum. Tertio , licet voluntates nostræ collocarentur in Christo ad satisfactionem , sicut in Adamo ad transgressionem satisque id esset ad moralem nostram elicientiam operis satisfactorij non autem ad dignitatem operis satisfarij ex dignitate Christi capitis, necessariam ad æqualem,& iustam satisfactionem pro peccato. Etenim quatenus nostra illa opera moraliter erant non dignificabantur, vnione seu Deitate Christi physice ipsa elicientis. Siquidem dignitas , qua opera eleuentur ad meritum præmij supernaturalis , seu remissionis peccati est dignitas physice in hærens elicientisalioqui ad condignam & iustam satisfactionem pro peccatis incarnatione,ac physica vnione personæ diuinæ,ad humanitatem operantem opus non esset contra hos Doctores quod si dicas satis esse ad dignitatem tribuendam moraliter operanti moraliter ei assistere dignitatem capitis physice operantis contra primo,quia per collocationem voluntatis alterius in alio , vt moraliter physica huius operatio æstimetur alterius non est communicatio moralis ad hoc dignitatum , vt patet in legato,& procuratore cuius actiones nomine , & persona alterius non ex horum dignitate æstimantur , sed eorum ex quorum personis causam, vel legationem agunt.Quod secus habet in transgressione,& peccato , quod sicut solam operis elicientiam requirit:ac proinde quod satis est,vt moraliter physicam alterius operationem prauam eliciamus satis est, vt moraliter transgrediamur,& peccemus contra Secundò quia alias ex conuentione aliqua fieri posset,vt opera nostra moraliter

piter Christi,aut personæ alterius diuinæ dignitate physice extrinseca nobis dignificarentur, ac fine incarnatione,aut operibus humanitatis Christi iusta pro peccatis exhiberetur Deo à nobis satisfactio contra Doctores aduersos iam vero, quod opera humanitatis Christi prout ipsius physice,non autem prout moraliter nostra dignitate vnionis hypostaticæ, seu Deitatis ad iustam satisfactionem dignificentur nihil præstat pro solutione , quam impugnamus: quia vt sic opera satisfactoria Christi Domini nostra non sunt.

CERTAMEN III.

Eiusdem negatiuæ sententiæ probationes aliæ.

1 Cæterum, vt præfata conclusioni nostræ argumenta non adessent ex multis aliis capitibus ostenderetur satisfactionem Christi pro peccatis nostris è rigore iustitiæ esse non posse ; ad,eam que necessariam proinde incarnationem non esse,sed prorsus inutilem. Primo quia satisfactio hæc est honoris Dei nostris peccatis læsi:atqui satisfactio è rigore iustitiæ honoris læsi nequit fieri nisi à persona determinata læsoris:ergo non potest exhiberi à Christo pro nobis lædentibus,seu læsoribus.Minorem constat ex dictis cert.1.n. 7.confirmatur:ideo Domino equi furto retenti nequit satisfieri per summam valoris,etiam maiorem,quia Dominus equi ius habet ad illum : atqui læsus in honore nostris peccatis Deus ius habet ad recuperandum honorem determinatè à peccatore:ergo è rigore iustitiæ, ac sine vlla iuris diuini remissione non potest Deo satisfieri à Christo pro peccatore.Nec valet recursus Soarij,& Ragusæ d.21.§.2. ad satisfactionem peccatoris in Christo tanquam in morali eius capite proximè impugnatam. Secundo in ipsa constitutione Christi in caput ad satisfactionem pro nostris peccatis iuris contra nos diuini remissio intercedit vt sæpe diximus , fusiusque iterum ostendemus. Respondent rursus Salmantini Recentiores,quam par fortasse sit, confidentius : impotes satis faciendi peccatores voluisse,vt Christus potens satisfaceret:sicque volitum à debitoribus nobis fuisse satisfactionem per aliquam alligationem nostrarum voluntatum in voluntate, Christi satisfacturi. Sed contra quia vel per hanc alligationem voluntatum fit Christi satisfactio nostra moraliter,vel non ? si extremum hoc volita solummodo à nobis erit,non voluntaria,& propria, vt necessario futuram contendimus admittuntque recentiores , vt ex rigore iustitiæ sit , sed solum velitas si primum , licet nostra moraliter tunc satisfactoria Christi opera essent non essent nostra qua satisfactoria; quia non dignificarentur dignitate Christi physicè operantis,sed nostri qui moraliter in ipso operamur vt paret ex dictis certam. 2. num. 4. rationibusque ibidem datis, & exemplis legati, tutoris , & procuratoris, quæ iidem admittunt.Nec adest eisdem effugium ad actum, & beneplacitum Dei de satisfactione Christi pro nobis ante satisfactionem,vel initũ, vel habitũ,quod præclusimus cert.1:à num.8.Maxime,cum eiusmodi pactum non ob Dei læsi nostris mortalibus commodum,sed ex nostri amore,atque ob commodum nostrum initum adeo fuerit secundo satisfactio ex iustitia nequit esse ex bonis creditoris,vt docebamus cert. 1. à num. 3. atqui satisfactio Deo pro peccatis nostris humanitatis vnitæ hypostatice Deo nequit non esse ex bonis creditoris : ergo nequit esse satisfactio ex iustitia. Minor probatur : quia tota condignitas satisfactionis humanitatis Deo hypostaticæ vnitæ desumitur ex dignitate Dei seu personæ ,uinæ offensæ,creditoris ad satisfactionem pro peccato:ergo condignitas satisfactionis ab ea exhibitæ est ex bonis Dei creditoris offensi , ab eoque dati humanitati cum ab eo vnione hypostatica donatur? dices monetæ valor.

2 Vltra intrinsecum æris à Principe datur , eoque ex iustitiæ rigore ipsi soluitur : ergo licet satisfactionis ab humanitate vnita valor condignitas à Dei persona vnita proueniat , ipsi tamen ex iustitia pro peccatis satisfier. Sed tamen, licet valor vltra intrinsecum æris à voluntate. Principis proueniat, vt Princeps , atque ex potestate iurisdictionis, ei tamen non soluitur, vt Principi,sed vt priuatæ personæ , sicut aliis populi hominibus , ac proinde non magis ex bonis Principis ipsi , vt particularis persona,ac creditor est soluitur,quam aliis: vt priuata enim persona,ac creditor est non dat valorem quod secus in satisfactione humanitatis vnitæ Deo offenso pro peccatis contingit.Nam,qua Deus,& persona diuina,est creditor offensus,&, qua Deus,& persona diuina est tribuit condignitatem satisfactioni , vt mittam modo voluntatem Principis non posse iustum valorem supra intrinsecum æris, & laboris , in ea cudenda addere : atque insuper eo addito tantumdem esse minoris valoris veri in suis debitis eo superaddito valore monetæ,quantum valoris extrinseci monetæ,qua ipsi satisfaciendum est superadditquare æque remittit de debitis,atque auget de monetę valore,qua sibi soluitur:nam debitum Regalis illa pecunia soluendi est debitum. v.g sex assium, in quibus valor Regalis vnius est ac proinde fictum pretium ficto debito respondet,ac verum vero sicque iustitia debita seruatur. Dices secundo,regulam,seu principium hoc , ex quo discurrimus,locum non habere in honoris satisfactione, qui in læsi creditoris dominium non transit præclusi effugium cert.1.contra Soarium.Dices tertio. Non obest satisfactioni meritiuæ Christi,ex quacumque demum virtute fuerit,quod eius condignitas ab vnione hypostatica , & Deo vnito,& offenso proueniat formaliter:ergo neque satisfactioni ex iustitia. Negatur tamen consequentia quia gratia , & liberalitas creditoris Dei meritum non minuit,sed auget ac proinde satisfactioni meritiuæ non obest:obest autem satisfactioni ex iustitia , quia in ea est virtualis remissio Dei creditoris. Dices rursus incarnationem fuisse decretam ante peccatum præuisum: pro quo signo,sicut debitum non dum erat , ita neque in ea debiti remissio vlla esse potuit.Sed primo : incarnatio non nisi post peccatum præuisum decreta fuit secundo:constat ex dictis cert. 1. ex scientia sola futuræ inde solutionis debiti posterius contrahendi in donatione creditoris esse virtualem remissionem : maxime cum ex intentione solutionis inde faciendæ res donatur, vti in Dei incarnatione contigit *qui propter nos homines,& propter nostram salutem descendit de cœlis , & incarnatus est*.Dices tandem meruisse Christum incarnationis motiuum. Sed primò non potuit illud promereri,cum fuerit post peccatum præuisum decreta,meritis remunerandis,quæ sola vera merita sunt , sed fictitiis meritis per modum pretij,& solutionis vt ostendemus hic. d. vltima,& controu. de merito Christi item : cum satis sit incarnationem ex scientia futuræ inde satisfactionis pro peccato à Deo donari, vt sit virtualis remissio; iuxta dicta cert.1.licet motiuum,& intentionem Dei in incarnatione ponenda ad satisfactionem condignam pro peccato Christus fuerit promeritus,non tamen potuit virtualem remissionem pro mereri, nisi promerendo scientiam Dei, quam dubio procul promereri nequiuit.

3 Aliunde etiam probatur satisfactionem Christi per bona humanitatis opera esse ex bonis Dei creditoris ac proinde cum gratuita remissione virtuali ipsius Non quidem,quia omnia bona opera, in se etiam ipsis, nec solum in auxilio , à Deo donantur , ac proinde ex bonis creditoris Dei sit satisfactio , quæ illis à Christo pro peccatis hominum exhibetur , ac non sine Dei remissione virtuali gratuita. Etenim cum Christi humanitas ratione vnionis hypostaticæ,ius exigentiæ, quaã naturalis habuerit ad omnia dona supernaturalia , quæ homini Deo connaturaliter debebantur , ius quidem connaturale habebat ad auxilia , & sancta opera omnia,etiam ad primum ; ac primo opere meritorio elicito,vtpote infinite meritorio omnis præmij possibilis

bilis, ius etiam meritorium habebat ad reliqua opera meritoria, & auxilia: quare cum ob ea iura connaturalitatis, & meriti donarentur à Deo, non gratuito, & liberaliter; vti ad gratuitam remissionem oportebat, donarentur. Non inquam ea ratione probo. Sed quia omnia Christi opera debita Deo offenso erant titulo Dominij creaturarum omnium ipsiusque erant vbi primum eliciebantur: ergo dum ea in satisfactionem acceptabat nihil non suum recipiebat: ac proinde iuri cedebat suo, quin aliquid in compensationem reciperet. Dices debita Deo esse creaturarum opera, si ab ipso exigantur; secus, si non exigantur, vti plura Christi opera exacta à Deo non sunt. Contra: quia acceptatio mortis oblatæ, qua Christum pro nobis satisfecisse in primis Patres clamant præcepta ipsi, exactaque à Deo fuit, vt suo loco fusius ostendam. Nec refert, quod Hurtado, & Lugo ex Soario aiunt: nempe: exactam præceptamque fuisse mortem à Deo ex potestate, non dominij, sed iurisdictionis, & potuisse à Christo peti præcepti relaxationem. Primum enim supra impugnauimus: ac secundum post modum refellemus sed esto: nihil fuerit operum Christi à Deo exactum, & præceptum; exigi temen potuit è dominio illo supremo: ergo, cum non exegit ab humanitate Christi, vt pro peccatis satisfaceret, iuri cessit suo, de eoque remisit, vt contendimus, ac non fuit è rigore iustitiæ satisfactio. Non secus, ac si ius habens ad centum recipienda eo non vtatur, vt ipsi debitum aliud soluatur: id quod vim eandem habet, ersi Deus cum Christo pacisceretur se ab illo ea opera non exacturum titulo dominij supremi. Respondet secundo Hurtado opera creata remote solum deberi Deo dum ab illo non exiguntur: re autem solum remote debita posse optime debitum aliud proximum ex iustitiæ rigore solui. Debeo Petro ex legato centum, atque ex contractu totidem: potero centum quæ habeo, debitum ex contractu Petro soluere, si ipse ex legato non perat contra: quia legatis absolutè (conditionare vero solum ad rem non est) centum Petro, ius habet absolutum ad centum illa, sicut Deus ad opera creata, ac proinde quin illo gratuito vti nolit, ac proinde de iure suo tunc remittat, nequit ipsi pro debitis ex contractu satisfieri contra secundo quia exigentia Dei proxima è dominio supremo increata omnia nihil est aliud, quam decretum Dei eiusque concursus ad creata in rerum natura ponenda, vt fusius iam persequar; ergo implicat creatum aliquid à Deo decerni, atque apponi, quin ab ipo ex supremo dominio proximo exigatur.

4 Quod autem nulla præcepti diuini exigentia posita ex solo decreto Dei, & positione creaturæ hæc quantum satis est è supremo Dei dominio exigatur, sub idque Dei dominium veniat; suadetur etenim in ea actuali dependentia libera creaturarum à Deo tota actualis earum diuina dominatio, seu dominicum, & actualis possessio fundatur: quia ita ea producit, & seruat cum libere, ac licite posset ea non producere, ac non seruare: vnde & in creatis hominum seruitus, & dominium per imitationem inducta sunt: quare, vt creata dominij Dei sint, atque ab eo possideantur præcepto, vt à causis secundis ponantur, siue à potestate dominij, siue iurisdictionis proueniente opus non habent, sed solà sui à Deo productione in bonis Dominij diuini collocantur confirmantur in operibus consilij, quæ eo ipso, quod eliciuntur, suntque in rebus nulla præcepti diuini exigentia independenter à nostra libera oblatione sub dominio Dei sunt quanta in se sunt. Confirmatur: quia ideo opera nostra in nostris sunt, & numerantur, quia libere à nobis eliciuntur: ergo omnia opera bona, quæ libere vult, atque efficit Deus, nec solum permittit eo ipso quod ea vult, atque nobiscum operatur sub Dei dominio sunt: ergo quando humanitatis Christi sua bona opera in satisfactionem pro nostris peccatis offerebat nihil quod sub dominio Dei, atque in bonis eius non esset, atque alias in debitum offerebat, quod maiorem vim contra Soarium, & assectas, cum quibus agimus, habet cum debitum peccatorum iustitiæ sit, & debitum nostrorum operum Deo sit etiam iustitiæ atque in horum sententia, vt vidimus, re eadem totaliter, & adæquate titulo iustitiæ debita creditori, nequit eidem pro altero debito ex iustitia satisfieri illustret hæc exemplum ciuile meridiana luce clarius quia iure seruitutis filius seruæ independenter ab huius voluntate sub Heri dominium necessario venit (L. *Partum* de rei vindic. L. *Placuit* Cod. de liber. caus. l. idem Pomponius. §. *si æquam.* ff. de rei vindicat. c. *dilectus* de seruis non ordinand.) licet serua libera physicè, ac ciuiliter sit ad concubitum, & progignendum illum nequit pro illo serua ‡(vt gloss æ verbis in eis iuribus vtar) mater aliquid à Domino ex iustitia petere, aut offensam Hero illatam compensare: ergo, quia opera humanitatis vbi primum sunt, independenter à voluntate Christi creata sub Dei dominium necessario veniunt licet libere physicè & moraliter ab ea eliciantur non potuit Christus eis pro nostris in Deum offensis, & peccatis è rigore iustitiæ satisfacere à Deo ve repoſcere. Dices serua potest aliquid à Domino ex iustitia pro sibi libero coitu petere, licet non pro filio: ergo, & Christus pro operis honesti sibi prorsus libera elicientia poterit petere à Deo atque ex iustitia pacisci pro nostrorum peccatorum remissione. Negatur facile consequentia. Nam seruæ coitus sub Heri dominio non est, neque de eius iure; actiones vero Christi omnes secundum se totas supremi Dei dominij sunt exigitque è Dei iure possunt ac physica earum positione exiguntur à Deo, ac sub eius dominium necessariò veniunt sicut sub Heri dominium venit seruæ filius.

5 Recurres primo ad infinitatem valoris operum Christi, vt duobus, & pluribus debitis ex iustitia satisfaciat. Hoc tamen effugium præclusi cert. 1. instabis meritum Christi, quia infinitum, adæquat omnia præmia possibilia: ergo & satisfactio Christi, quia infinita omnia debita possibilia ex iustitia adæquabit. Distingui posset antecedens, & consequens finita, & infinita de se possibilia simul tam præmia quã debita nego, finita de se possibilia, vel infinitum de se seorsim concedo. Debitum autem dominij Dei de se infinitum simpliciter est. Secundo admisso antecedenti negando consequentiam. Nam immerito, etiam condigno, sola requiritur proportio, in satisfactione æqualitas exacta cum debito: quare si res tota vni debito necessario impendatur vt quodvis humanitatis Christi opus, atque omnia coniunctim debito supremi dominij infiniti Dei impenduntur totaliter: quare nihil in ad satisfaciendum ex iustitia pro nostris peccatis in eis relinquitur. Dices tertio ex Dei pacto opera Christi sub eius dominium etiam esse: rebus autem, quæ sub dominio creditoris sunt, si sint etiam sub dominio debitoris posse satisfieri ex iustitia: maxime si eas creditor alias habiturus, nisi in eiusmodi satisfactionem, non esset: vt in operibus Christi Deo contingit, respectu quorum ligatum supremum dominium ex pacto habet. Contra: quia, vt ostendam. q. 3. nequit dominium rei eiusdem insolidum penes duos esse, nec Deus pacto vllo se creaturarum dominio abdicare quod inde satis constat: quia eo ipso quod à Deo fiant, atque in se existant creaturæ Dei non esse nequeant. Secundò in re præsenti ablatio honoris Dei est eius offensa per hosce: sola autem positione virtutis honoratur Deus, licet ipsa in satisfactionem honoris diuini à Christo non offerantur: ergo oblatione Christi suorum operum in satisfactionem pro nostris offensis non magis honoratur Deus. Tertio oblatio ipsa opus virtutis est, quæ necessario Deum honorat, quia virtutis actus est: ergo cum reliqui actus virtutis sint independenter à Christi oblatione honorabunt Deum quarto Christus ea oblatione suorum operum suo illo, quali quali, dominio illorum ex pacto quouis proueniente non se abdicat, neque in Deum traducit; ex his constat falso supponi Deum alias honorem illum operum Christi non habiturum nisi à Christo in satisfactionem offerretur. Præter quam quod, qui venditurus erat equam prægnantem ni sibi esset furto ablata, non recipit

recipit satisfactionem ex iustitia per equum apud latronem ex ipsa natum, quem alias non haberet, nec sui iuris esset: quia eo ipso, quod nascitur ipsius dominio subiacet. Respondet tandem Lugo, d. sect. 3. in læsione honoris, & famæ restarcienda parui referre, quod ex bonis creditoris dominio subiectis, vel alias debitis fiat, cum eis æquè bene honos, & fama in pristinum statum reducitur: vt patet in fama domini à seruo ablata, & ab eodem laudibus in eadem materia, & retractatione serui eidem restituta. verum, si ad eiusmodi honorem læsus ius aliunde, quam ex detractione, aut contumelia læsoris, habebat, illo ipso satisfieri ex iustitia pro honore vel fama ablatis, sed vltra debitum alias honorem exhibendus vlterior est: ne quid minus honoris habeat, quam ipsi ex duplici illo titulo debetur. quod si possibilis totus ei aliunde, quam ex læsione, honos, & fama à lædente debeatur, atque independenter à satisfactione habendus necessario sit reparatio, honore exhibito obtineri poterit, non autem satisfactio ex iustitia; quæ ex bonis etiam indebitis alias læso fieri debet, vt cert. 1. ostendi. Posse autem esse damni reparationem sine satisfactione exemplis aliquot apertis ibidem monstrauimus. Sed etsi in casu hoc posset esse satisfactio ex iustitia, non tamen in casu satisfactionis Christi pro peccatis. Etenim si opera omnia ipsius debita ex dominio supremo erant, atque ipsius vbi primum existerent, quo modo ea postea poterant pro alieno debito eidem creditori obligari? Recole dicta à nobis eodem cert. num. penult.

6 Quarto probatur conclusio. quia satisfactio ex iustitia se ipsa extinguit debitum independenter à voluntate, & acceptatione creditoris; atqui satisfactio Christi non extinguit nostrorum peccatorum debitum independenter à voluntate, & acceptatione libera Dei: ergo non est satisfactio ex iustitia. Maior constat ex cert. 1. dum particulam *æquivalentis* explicabamus. Minor neque ab aduersariis negatur. Dices ex pacto, & promissione Dei non posse non ab illo Christi satisfactionem acceptari, eaque præstita debitum Deo peccatis offensis extingui: quare ea ex parte Christi satisfactionem à rigore iustitiæ non defecisse contra: quia necessitas acceptandi actiue in Deo ex pacto Christi satisfactionem, & huius passiue acceptandæ ex pacto, & promissione Dei solum est ex fidelitate non ex iustitia: ergo ea necessaria acceptatio, & debiti per illam exstinctio ex iustitia non est. Secundo in pacto, & promissione illa acceptandi Christi satisfactionem pro aliis debitoribus est iuris diuini remissio, quod contra debitores ipsos determinate erat, vt vidimus cert. 1. siue pactum fuerit post debitum contractum. Tertio exstinctio debiti per satisfactionem ex rigore iustitiæ ab acceptatione adhuc necessaria, creditoris non pendet; sed ipsa satisfactionis eiusmodi exhibitione formaliter extinguitur, peritque ius totum creditoris, vt diximus cert. 1. patetque exemplo apertissimo. Debeo centum: do centum illi, etiam renuenti, & nolenti acceptare: extinxi debitum illud, & ius Petri contra me. Confirmatur. Nam pone Deum per impossibile satisfactionem Christi non accepteptare, debitumque pro peccato, & illius offensam non abolere: cum ergo satisfactio Christi natura sua, ac de se debitum nostrorum peccatorum non extinguat, neque eorum in Deum offensam aboleat, sed solum ex pacto, aut promissione Dei, tantumdem in his præstitit Deus quantum, si eis non præmissis libere acceptaret iuri suo cedens: ac proinde nequit esse è rigore iustitiæ satisfactio. Respondent Recentiores Salmantini pactum illud onerosum esse, & ex iustitia non gratuitum, vti ad iuris cessionem oportebat: cum pro iuris non exigendi à creditore cessione accipiat Deus ius aliud exigendi à Christo satisfactionem. Cæterum, vt non sit gratuita cessio iuris respectu Christi, est tamen gratuita respectu peccatorum, vt de gratia nobis ex Christi meritis obuenienti communiter docetur, atque à nobis cert. 1. notabatur. Maxime cum pactum etiam illud nostri amore per actum à Deo fuit, vt supra docebamus, atque ex fine nostræ redemptionis, & salutis, non lucri, ac quæstus, vt sic loquar diuini. Secundo, vt eodem cert. 1. docebamus honor ei non refarcitur alia quam de honorantis satisfactione: quare, & Christi satisfactione, posita læsus Dei honos adhuc maneret; quod cum satisfactione è rigore iustitiæ omnino pugnat: ac proinde & pactum illud de satisfactione Christi est impossibile, siue de re impossibili: At, inquiunt, honorem, & famam vnius generis honore, & fama alterius refarciri, & compensari alicui prudentum æstimatione ab alio posse: sicut debitum valoris frumenti oleo, quod alterius generis est, valoris eiusdem, ex iustitia compensatur. Sed exemplum est falsum; nisi enim creditor velit, spontaneè oleum pro tritico debito vtriusve valore recipere ipsi minime satisfiet ex iustitia. Sic exemplo admisso negatur consequentia. Etenim in rebus hisce solummodo æstimatur earum iustus valor: quare hoc solum attento, non autem eius materia damnum illatum poterit ad æqualitatem reparari. Fama autem in vno genere læsa, non magis eius in alio genere augmento curatur, quam si dolenti caput furis malagma applicetur: quod ipsum honoratio ab alio, non à dehonorante exhibita habet. Alia afferunt exempla, quæ magis è re non sunt.

7 Quinto probatur conclusio: quia satisfactio ex iustitia debet esse ad alterum, iure etiam, vt ostendimus cert. 1. atqui satisfactio Christi non fuit ad alterum iure: ergo nec fuit ex iustitia si solum contra iuratos Soaristas res esset, facile ad alterum nec re, nec iure fuisse probaretur, cum actiones humanitatis à persona diuina, tanquam à principio actiuo proximo proueniant, iuxta axiomatis illius Soaristicam, imo & Thomisticam explicationem. *Actiones sunt suppositorum*: Persona enim verbi, nec re, nec iure altera adeo offensio est. Sed vniuersim iuxta quamuis eius axiomatis explicationem probatur eadem minor. quia, licet in opposita explicatione humanitas satisfaciens physicè sit, ac solum denominatiuè, per idiomatum communicationem diuina verbi persona, atque vt principium dignificans satisfactionem, de quo agebamus cert. hoc argumento 1. ast nec humanitas ipsa satisfaciens altera iure adeo offensio est, cui exhibetur satisfactio: quia Christus, qua homo, siue eius humanitas filius naturalis est Dei creditoris offensi, vt certum nobis est, ostendereque omnibus conabimur controu. 6. d. 1. quæst. 1. ergo non est alter iure satisfaciens humanitas à Deo, cui pro nostris peccatis facit satis. Probo consequentiam. quia ideo in bonis fortunæ filius, non emancipatus Religiosus, ac seruus non censetur alter iure à Domino Religione, & Patre, quia quidquid illorum vnusquisque, quia talis, acquirit, alicui ex his eo ipso iure acquirit; ast quidquid honoris humanitas vnita acquirit per virtutum exercitium proprium, vel alienum, statim ipso iure Deo acquirit, quia eius filius naturalis, Deo Patri ipso iure acquirit: ergo humanitas Christi non est alter iure à Deo Patre offensio. Minor probatur ex Ioann. 5. 23. *Qui non honorificat filium non honorificat Patrem, qui misit illum.* vbi de sua humanitate, siue de se vt homine, quem Iudæi iniuriosius accipiebant, & habebant despectui, loquebatur. Confirmatur: quia quisquis humanitatem Christi inhonorat Deum Patrem ipso iure inhonorat, quia filius naturalis Dei est: ergo qui honorat, illam ipso iure, quia filius naturalis Dei est, ipso iure Deum Patrem honorat. Dices honorem bene, & laudabiliter operandi proprium esse ita operantis, adhuc naturalis filij: quia operis honesti laudabilitas inabdicabilis est ab operante. in primis hoc respectu Dei locum non habet: qui in nostris operibus, qua nostris, nostraque laudabilitas sunt, laudabilis est: atque, ideo laudabilis in sanctis suis est, ac dicitur, ob rationes supra datas, ob quas nostrorum bonorum operum donator est, atque hæc, nec solum auxilia congrua, quibus fiunt, in bonis, ac beneficiis Dei numerantur, & sunt, licet se laudabili-

tate propria, honeſte operans non abdicet. Secundo: non ſatisfacit Chriſtus operibus humanitatis operantis, quia ipſam laudabilem formaliter conſtituunt, ipſiuſque honeſta opera ſunt, ſed qua illa ipſa honeſtas virtutis Dei honos extrinſecus eſt: ſicque eo ipſo, quod Filium naturalem Dei pertingunt ipſum honorando, & Patrem Deum pertingunt, & è contra, vt Chriſtus Dominus nuper recitatus aiebat. Poſſet rurſus illa minor primi Syllogiſmi ſuaderi: quia ius creaturæ qua talis imbibitum, & implexum, habet ius creatoris ad omnia ipſius opera ſtrictius multo, quam ius ſerui, filij, & Religioſi ius Domini Patris, & Religionis.

8 Denique probatur concluſio quia ſcienti, & volenti non fit iniuria, vti ex Ariſtotelico axiomate obſeruabamus cert. 1. atqui peccatum, & offenſa Dei ipſo ſciente fit, ac volente, ſaltem permiſſiue: ergo Deo non infertur iniuria ſtricte, ac propriè noſtris peccatis: ac proinde neque in eis iniuſtitiæ contra Deum peccatum intercedit, neque poteſt ipſi è rigore iuſtitiæ exhiberi pro peccatis noſtris ſatisfactio, vt cert. 2. num. 1. dicebamus. Dices offenſam Dei fieri à nobis ſcienti quidem, non autem quantum ſatis ſit, vt iniuria ei non fiat, volenti Deo, qui potiùs vult abſolute, vt peccatum non ſit, quod permittit, contra tamen: quia voluntas permiſſiua damni in patiente illud, licet ſibi inferri abſolutè nolit, ſed ſolum permittat, cum poſſet eius illationem facilè impedire ſatis eſt, vt iniuriam ſtrictam in illatione ipſius ab altero non patiatur: atqui Deus, licet abſolute peccatum noſtrum, ſuique offenſam eſſe nolit, tamen voluntate ſua permiſſiua fieri à nobis permittit, cum facile illud poſſet impedire: ergo habet quantum ſatis eſt voluntatis, vt in noſtro peccato, ſuique offenſa iniuriam ſtricte non patiatur. Maior probatur quia Domino videnti, potentique abſque vllo ſui diſcrimine rei ſuæ furtum, quam ſibi auferri abſolute, licet non efficaciter, nolit, ſatis eſt voluntatis, vt in eius ablatione iniuria non fiat, quia ſcienti, & volenti aufertur. Dices id in permiſſionibus creatis verum habere; non autem in permiſſione, ſeu voluntate permiſſiua vniuerſim loquendo, provt increatam peccati ſub ſe coërcet: quia in voluntate permiſſiua creata à nobis in exemplum propoſita inuenitur voluntas, ſeu conſenſus Domini interpretatiuus ablationis rei illius: aſt in voluntate Dei permiſſiua peccati noſtri voluntas interpretatiua illius non intercedit; imo neque poteſt intercedere. Tum, quia ſummæ illius ſanctitati repugnat: tum, quia exigit actum præceptum, hunc etiam numero, vt poteſt, cum illum omitti permittit in ea vero exigentia efficax voluntas Dei eſt erga illum actum: ergo nequit eſſe voluntas interpretatiua Dei omiſſionis peccaminoſæ. Reſpondetur in Deo non eſſe voluntatem, interpretatiuam adhuc, peccati, quod permittit ob rationem primam; non autem ob rationem ſecundam, licet enim ſit in præcepto Dei, ex quacumque poteſtate, ſiue dominij, ſiue iuriſdictionis proueniat, voluntas efficax præcipiendi, exigendi, atque obligandi ad actum, non tamen eſt voluntas efficax actus præcepti in Deo: ex qua, & permiſſio tranſgreſſionis, & huius imò, & actus præcepti libertas eſſet impoſſibilis. Cæterum neque in creatis opus eſt, vt permiſſio damni, aut offenſæ inferendæ ſit voluntas eius interpretatiua, ad hoc, vt patiens iniuriam non patiens dicatur, quia volens damnum patitur; ſed ſatis eſt nolle ex aliquo fine impedire efficaciter; quod ſine violentiæ, aut alterius mali diſcrimine poſſet, & alias vellet, vt pati damnum volens, ac proinde ſine iniuria ſtricta dicatur: id quod in permiſſione diuina noſtrorum peccatorum contingit, inſtabis tamen: cum Deus hunc numero actum ſub his auxiliis ex ſtricto iure, & dominio petit ſolus homo in cauſa eſt omittendi actum, quem non vult Deus omitti: ergo aufert homo illum Deo inuito: quod autem inuito aufertur, volenti non aufertur. Nec ſatis eſt poſſe facile Deum alium actum æqualem cum aliis auxiliis ab homine habere, quo huius ablationem ſibi repararet ſi vellet. Etenim ius habet Deus ad ſingulos, & omnes actus, quare nullius acquiſitione reparatur damnum abſentiæ illius determinati, quem iure exigit ſuo: ac proinde dum alium ſibi ab homine parare poteſt, ac non parat, non cenſetur volens huius defectum pati, ſed inuitus. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: in cauſa determinatiua concedo antecedens; permiſſiua nego antecedens; cum enim exigit hunc actum ſub auxiliis ſufficientibus voluntas permiſſiua adeſt peccati: quod, licet Deo abſolute, quatenus ex ſe eſt nolente, vt peccatum fiat, committatur, tamen dum arbitrio noſtro partes ſuas ad determinationem de facto, & cum effectu relinquit, atque auxilia ſufficientia donat, cum efficacia, quibus peccatum vitaretur, donare facile poſſet, permiſſiua cauſa, vt ſic loquar, peccati eſt neque eius offenſam, licet nolens: violenter patitur, aut ſtrictiſſime inuitus, ita vt volens permiſſiue, ac ſciens illam pati dicique nequeat.

CERTAMEN IV.

De neceſſitate Incarnationis ad ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ vindicatiuæ ſecunda concluſio, & obiectionum ſolutiones.

1 DIco ſecundo. Ad ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ vindicatiuæ neceſſaria incarnatio non fuit, iuſtitia vindicatiua ad diſtributiuam ſpectat, cuius eſt æquum ſeruare in mercede cuique pro meritis, aut delictis reddenda. Hanc vero virtutem propriam eſſe, licet non adeo ſtrictam, atque commutatiua eſt ſupra obſeruabamus: eamque Deo adeſſe ratione, & fide eſt certum, etenim, cum ſupremus omnium Dominus, Princepſque ſi Deus vnicuique pro bene, malevè geſtis vicem reddendi ius neceſſario habet: quare, & pœnas delinquentibus inferre pro tranſgreſſionum qualitate, & magnitudine iure ſuo poteſt, potiori quidem, quam iudices, & Principes humani. Huic autem iuri vindicatiuo Dei reſpondet in peccatore debitum proportionatæ delictis pœnæ ſubeundæ, quod reatus appellatur: ac proinde ei, quæ in Deo iuſtitia vindicatiua, actiua eſt, paſſiuam, vt ſic loquar, iuſtitiam vindicatiuam in peccatore concernit. Actiuæ illius iuſtitiæ actus in pœnæ æqualis qualitati, & magnitudini delictorum inflictione conſiſtit, in qua neque exceſſus ſit, neque vlla remiſſio; Paſſiuæ vero actus eſt eius pœnæ in delinquente perpeſſio, qua in re obſeruare oportet diſcrimen inter iuſtitiam vindicatiuam vtramque inter Deum, & peccatorem, atque inter creatos, ſiue Principes, ſiue iudices, & reos, cum enim creati ſupremi iudices, ac Principes delinquentium non ſint, ſicut eſt Deus, ius ſumendi vindictam de peccatis, quatenus illis infenſi ſunt, eorumque odium in delinquentes mouent, minimè habent: iuxta illud ad Roman. 12. num. 29. *Mihi vindicta, & ego retribuam*; at vero Deus, cum ſupremus omnino dominus, Princepſque peccatorum ſit, vindictam de eis ſumere iure ſuo poteſt, non ſolum, quatenus eorum praua opera demerentur, ſed quatenus his, ſi mortalia ſint, infenſi, atque inimici ipſius formaliter, conſtituuntur, id quod notatum accurate velim, pro iuſtitia naturali æternitatis pœnæ damnatis ob mortale, (quod in ratione malitiæ, & offenſæ Dei finitum merito cenſetur) inflictæ demonſtranda, ex quibus conſtat demum voluntaria æqualis pœnæ inflictione iuſtitiam punitiuam actiuam propriè adeo exerceri: ac voluntaria ſatis paſſione pœnæ ob peccatum debitæ exerceri etiam propriè

propriè, & ſtricte iuſtitiam punitiuam à peccatore: quidquid Recentiores reclament.

2 Hiſpoſitis probatur primo concluſio quia deficiente incarnatione vel poteſt inſligi à Deo quantum meretur pœnæ peccatori, iſque illud pati poteſt, vel ſecus? ſi primum: ergo ſine incarnatione poteſt eſſe è rigore iuſtitiæ punitiuæ ſatisfactio pro peccato; ſi ſecundum: ergo non debet illam pœnam, nec ius in Deo erit ad illam infligendam ex iuſtitia. Patet conſequentia prima. Neque enim ius, aut debitum ſeu obligatio vera ad impoſſibile eſſe poteſt. Infero rurſus: ergo nequit eſſe è rigore iuſtitiæ vindicatiuæ, ſiue actiuæ, ſiue paſſiuæ Chriſti pro peccatis ſatisfactio quoties enim debitum ex iuſtitia non eſt ſatisfactio pro eo exhibita ex iuſtitia eſſe nequit. Recole dicta à nobis, atque aliquorum euaſiones, & earum præcluſiones datas certam. 2. Probatur ſecundo concluſio quia ius Principis, ac ſuperioris ad ſumendam vindictam pro delicto reſpicit determinate perſonam delinquentis: ergo dum alterius pœnas reſpicit in ſatisfactionem iuri quod in delinquentem habebat, aperte cedit, ac de iuſticia vindicatiua remittit ergo nulla alterius pro peccatore ſatisfactio ex iuſtitia vindicatiua ſtricte, ac proprie eſſe poteſt. Hoc argumento vtuntur Lugo d. 3. ſect. 10. & Bernal. d. 7. ſect. 7. Pro cius vero firmitate refricanda eorum memoria erit, quæ diximus cert. 2. num. 5. ab init & cert. 1. verſu *Huc etiam ſpectat*, & verſu *At dices* vbi effugia præocupauimus omnia.

3 Contra primam concluſionis primæ rationem. Deus vere peccatis inhonoratur noſtris: atqui honor in præcipuis bonis numeratur; cuiſque iactura præcipua æſtimatur læſio: ergo Deus vere noſtris peccatis læditur. Sed licet honos in præcipuis bonis noſtris ſit, quia vtilis nobis eſt ad bene eſſe ſecus habet reſpectu Dei: quia nihil noſter creatus honos refert: ac proinde neque eo ipſi à nobis exhibito in bonis augetur, neque minuitur ablato per peccata: quare neque his propriè læditur. Sed contra, tanti Deus exhibitum ſibi honorem à creaturis facit vt dicat Iſai. 42. 8. *gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus* atque *vniuerſa propter ſemetipſum* ideſt propter gloriam ſuam, *operari* dicatur. Reſpondetur tanti Deum gloriam, ſuam facere, quia nobis vtilis propriè eſt, non ſibi qua etiam ratione omnia ex noſtræ vtilitatis fine operari dici optime poſſet ſi enim vt ſibi vtilem gloriam ſuam in omnibus operibus Deus intenderet nihil nobis ex noſtri amore, & beneuolentia præſtaret: quare nec gratiam, quod dictu eſt nefas, nobis conferret, ſenſus autem eius loci germanus eſt: Deum tantum bonitatis de ſuo habere, vt ad bona creaturis impertienda earum meritis non egeat inſtas, quod alteris vtile non eſt, nihilque ipſius refert, non poſſumus illi ex eius amore præſtare, imo neque optare, neque ad id ipſi præſtandum tenemur ex fidelitate promiſſionis: atqui Deo ex eius amore cultum, & per honeſta opera honorem optamus, præſtamuſque, atque, ſi adfuit promiſſio, ex fidelitate promiſſionis ergo ea, omnia vtilia ſunt Deo. Confirmatur: quia ea omnia dubio procul grata Deo ſunt: ergo ad ipſius iucunditatem conducunt. Negatur maior. Satis enim eſt vt grata ſint alicui, quæ illi ex amicitia optamus, præſtamus, & ad quæ ex fidelitate promiſſionis tenemur imò ideo vtilia ex eis affectibus, & motiuis præſtamus, aliis, quia grata eis ſunt ac proinde cultus, & honeſta opera Deo grata & ex amore optare, exhibereque poſſumus, atque, ſi promiſſa ſint ex fidelitate præſtare tenemur; non ex iuſtitia, quæ non niſi circa vtile verſatur. Confirmationem totam nonnulli concedunt; negantque vtile ad iucunditatem, quia gratum præciſſe materiam iuſtitiæ eſſe. Errant vero in vtroque. Nam cum Hiſtrionibus, & pantomimis ſignato pretio pro noſtra iucunditate ex iuſtitia paciſcimur. Neganda ergo eſt confirmationis conſequentia etenim iucunditas Dei ſublatis bonis omnibus Deoque gratis operibus noſtris, tota perſeueraret. Siquidem è ſui ſolius viſione, & fruitione tota illi ſua à creatis omnino independens iucunditas adeſt: quæ, vtpote de ſe infinita ſimpliciter ad grata quæ ius creata extrinſecus poſita ſine vllo ſui augmento terminatur: ſicut in ſimili de Dei ſcientia dicebamus.

4 Opponit Ripalda: Materia capax terminandi arbitrium Dei, qua domini eſt materia capax iuſtitiæ ſtrictæ: atqui bona noſtra opera ſunt materia capax terminandi arbitrium Dei, qua domini: ergo, & ſunt materia ſtrictæ iuſtitiæ. Minor eſt certa. Probatur maior): quia honeſtas, quæ eſt in adimplerione arbitrij Dei, qua dominus eſt, conſiſtit inæqualitate conſtituenda cum iure, & arbitrio domini ob ſe quia imperantis: qua ratione ſeruus iuſſa humani domini obſequia capeſſens omnium ſententia ex iuſtitia exequitur. Secundo: quia honeſtas illa formaliter, quatenus talis non ſpectat ad obedientiam, vel religionem, aut aliam quampiam virtutem: ergo ad iuſtitiam ſtrictam ſpectabit. Negatur nihilominus maior. Ad primam probationem diſtingue: *cum iure, & arbitrio domini è ſtricta iuſtitia domini* concedo aſſumptum antecedens; *non è ſtricta iuſtitia domini* ſed excellentioris, & ſupremi domini negatur aſſumptum etenim dominium Dei ſupremum non eſt circa ſibi vtilia, ſed circa ſolummodo ipſi grata: aſt æqualitas conſtituenda neceſſario per iuſtitiæ ſtrictæ honeſtatem, cum iure, & arbitrio domini in his, quæ vtilia ipſi ſunt ſolummodo eſſe poteſt iuxta dicta. Vnde ſeruus in his, quæ domini nihil omnino, ad iucunditatem creati adhuc, per impoſſibile, referrent, iuſſa non exequens contra iuſtitiam ſtrictam non peccaret, neque exequens ex iuſtitia exequeretur. Ad probationem ſecundam negatur etiam aſſumptum. Spectat enim honeſtas illa ad religionem, ſi dominij Dei ex quo præcipere creaturis poteſt vel ratio formalis, vel fundamentalis attendatur: Dominium enim Dei, vel ſtat formaliter, vel fundatur independentia creaturarum à Deo tanquam à cauſa prima, vt docte Vaſq. d. 8. quare, ſicut filij iuſſa Patris, à quo eſſe recepit, exequentis, non iuſtitia ſtricta, ſed pietas erga Patrem eſt) ita & rationalis creaturæ exequentis iuſſa Dei cauſæ ſuæ primæ, ac proinde Domini ſui debita erga ſuum, & communem, omnium, vt ſic loquar Patrem pietas, ac propriè religio eſt ſpectare etiam videt ad obedientiam: ad quam ſpectat præcepta exequi ſuperioris ex eo enim quod cauſa prima nos ſeruet ius nobis dicere, ac præcipere poteſt: ſicut ex eo, quod homo bello captos ſeruet, quos iure belli poſſet occidere, ius dicere in illos quoad æconomica: quare, & hoc ius in dominio fundatur, ſeruiſque præcepta veniunt ab Hero ex dominij poteſtate, in hos ergo, quia dominium ſtrictæ iuſtitiæ eſt ſimul & honeſtas iuſtitiæ, & obedientiæ in præceptorum executione. Reſpectu autem Dei cuius dominium circa vtile non verſatur, ac proinde iuſtitiæ ſtrictæ non eſt religionis & obedientiæ, erit præceptorum obſeruatio: & formalis quidem obedientiæ, ſi fiat quia præcepta à Deo res eſt, quæ à nobis obſeruatur, materialis vero ſi ex alio honeſto motiuo fiat.

5 Dices: qui iuſſa ſibi à Deo qua dominus eſt, non exequitur dubio procul detrahit Deo id, ad quod ius verum, & proprium habet: ergo facit contra ius diuinum, ac proinde contra ſtrictam iuſtitiam peccat: cum nil aliud adhoc deſideretur, quam contra ius verum, & proprium alterius peccare. Negatur conſequentia quia peccare contra iuſtitiam non ſolum

dicit peccare contra ius verum, & proprium alterius, ſed ius ſtrictum rigoroſi dominij, & iuſtitiæ. Ecce qui ſuperioris iuſſa non exequitur contra verum, & proprium ius illius peccat, non tamen contra iuſtitiam: quia ius illud rigoroſi dominij, & iuſtitiæ ſtrictæ non eſt, quæ ſolum circa vtile etiæ poteſt, cùm autem oſtendimus dominium Dei in creaturas ſtrictæ iuſtitiæ non eſſe, nec circa ipſi vtile, ſed ſolum circa gratum verſari, qui iuſſa Dei etiam ex dominio non exequitur, contra iuſtitiam non peccabit, ſed contra religionem: quia debitam obſeruantiam, & pietatem erga cauſam primam, & Authorem commutuem, ac ſuum non ſeruat, vt nuper dicebamus. Deinde contra obedientiam latam, ſeu potius contra eam virtutem ex qua conſtitura fuerat lex, ſeu latum præceptum inſtabis ſi quis Deum de crimine, aut defectu apud aliquos diffamet tenetur malam de Deo opinionem apud alios ſua detractione naram reſarcire: at non ex alia, quam iuſtitiæ virtute: ergo contra iuſtitiæ virtutem in Deum peccabit eiuſmodi detractione. Negatur minor tenetur enim ex pietate in Deum, ſiue religione; inſtabis ſecundo: qui furatur pallium Dominum invadens, vel domum coram perfringens non ſolum peccat contra iuſtitiam ex furto, ſed ex iniuria: ergo ſecluſo damno iure vtili poteſt eſſe iniuria, & læſio contra iuſtitiam conceſſo antecedenti, negatur conſequentia quia in illis caſibus adeſt læſio in re vtili ratione pallij arrepti, ſed ratione contemptus, & honoris læſi in modo illud arripiendi, & perfringendi domum coram vtriuſque domino: qui ſi abſit alterum peccatum contra iuſtitiam illis caſibus non aderit. Inſtabis tertio contra ſolutionem Ripaldæ argumento datam, & alteri poſito. n. 6. quia dominium contra quod ex iniuſtitia ſtricta delinquitur eſt ius vtendi re pro libito ſine iniuria alterius eiuſmodi autem eſt dominium Dei increæ: ergo Dei dominium eſt ſtricte dominium, & contra quod ex iniuſtitia ſtricta peccetur cum iuſſis ex eo dominio non obtemperatur. Reſpondetur in illa definitione dominij, quæ pro maiori ponitur materiam ſtricti iuris & iuſtitiæ concerni rem nimirum domino vtilem, vt increatis omnibus explorato dominijs propriis, & ſtrictis liquet: Deo autem nihil ex creatis vtile eſſe poteſt: quare diſtinctis iuxta hanc doctrinam maiori, & minori negatur conſequentia quo vero pacto iniuſti propriè dicantur peccatores conſtat ex quæſtionis præfatione iniurij autem Deo, eiuſque offenſores dicuntur: quia Dei per peccatum infenſi, atque obiecta odij offenſionis, & auerſionis diuinæ conſtituuntur, iuſque Dei, ſiue præceptiuum, ſiue dominatiuum, licet ſtrictæ iuſtitiæ non ſit apertè violant.

6 Obiicies iterum obligatio ſatisfaciendi alicui ſolum oriri ex iuſtitia poteſt atqui ex peccato obligatio ſatisfaciendi Deo contrahitur: ergo obligatio ſatisfaciendi Deo ex ſtricta iuſtitia: ergo quia propriè contra iuſtitiam læditur peccato Deus contra tamen quia, cum obligatio ſatisfaciendi ex iuſtitia continuo obliget ſemper, & pro ſemper: ac proinde voluntaria debiti retentione peccetur: continuo peccator contra iuſtitiam delinquet, quandiu ſatisfacere Deo pro peccato nolit: quod nemo Theologorum patietur. Negat conſequentiam Soar. d. 15. de pœnit. ſect. 5. quia eius ſatisfactionis retentio Deo nociua non eſt contra: ergo in iuſtitia ſtricta non niſi vero nocumento alterius irrogatur, vt contendimus. Secundo: nec in mortis articulo teneretur peccator Deo è iuſtitia ſtricta ſatisfacere contra Soarium, neque ſtatim ac Deum diffamaſſet, eius famam reſarcire contra eundem. num. 12. Nec fœlicius negat illationem Ripalda d. 84. n. 18. quia non conſtat Deum continuo ſatisfactionem pro peccato exigere à peccatore minuſque piè, ac benignè durum ſe à Deo creditorem præberet, vt continuo illam repoſceret. Etenim duriuſcula eſt pœnæ æternitas ob mortale, cuius tamen inflictio Deum eiuſque benignitatem, & pietatem non abhorret. Secundo: eo præciſe, quod ablatum in materia iuſtitiæ inuito dominio ſit oritur in auferente obligatio continuo reſtituendi ex rei quidem natura; quin expectanda ſit noua ſpoliati ſeu læſi voluntas vt ipſi ab illo ſatisfiat, niſi adſit læſi condonatio & remiſſio: de hac vero in caſu noſtro non conſtat: quin potius Deus ad pœnitentiam, & ſatisfactionem pro peccatis ſæpe peccatores ex ſcripturis vocat, clamatque eorum pœnitentiam velle: ergo continuo ad illam iuxta aduerſarios ex iuſtitia ſtricta, & propria tenebuntur. Lugo d. 3. ſect. 4. eandem illationem negat: quia cum homo neceſſitatus ſit moraliter ad reſpon. alicui Dei auxilio habet hic honorem æquiualenter in ſua poteſtate moraliter quare æquiualentis exhibitione non augentur bona Dei contra: quia etiam habet Deus æquualenter ex neceſſitate hominis ad conſentiendum alicui eius auxilio hominis conſenſum, cum non conſentiendo peccat, Deumque peccando inhonorat, & tamen dehonoratio hæc perte non excuſatur ab iniuria: ergo neque negatio conpenſationis debitæ ob peccatum admiſſum ab iniuria, ſiue iniuſtitia ſtricta excuſabitur. Secundo licet Deus ex neceſſitate illa morali hominis ad conſentiendum alicui ipſius auxilio, habeat æquiualenter aliquos actus non tamen omnes ſub omnibus circumſtantiis, & auxiliis: atqui eis omnibus in omnibus, & ſingulis circumſtantiis, & auxiliis, ſi elicerentur, pro iniuria Deo illata non ſatisfieret per te: ergo neque eo modo habet Deus æquualenter honorem ablatum per peccatum: quare eius compenſatione in bonis honoris augeretur Deus: ad eamque tenebitur homo, & peccabit contra iuſtitiam ſtrictam ni eam exhibeat ſtatim, atque à Deo ad ſatisfactionem, & pœnitentiam vocatur.

7 Denique Recentiores Salmantini reſpondent primo: non teneri ex iuſtitia ad ſatisfactionem inhonorationis Deo factæ ob mortale adhuc partialem; quia neque ex parte poteſt homo honorem Deo per illud ablatum reſtituere ex impoſſibilitate vero ſatisfactionis obligationem ſatisfaciendi ex iuſtitia omnino ceſſare. Admittit in primis ſolutio iniuriam, & offenſam Deo illatam per mortale infinitam è ſuo genere eſſe cum è ſuo genere & conceptu indiuiſibili, ſeu minima ſui parte omnem creatam, & finitam ſatisfactionem poſſibilem excedat. Secundo recidit hæc ſolutio in ſecundam noſtram, & Vaſquez rationem datam cert. 2. n. 4. datam pro impoſſibilitate ſatisfactionis Chriſti è rigore iuſtitiæ pro noſtro mortali, quam hi Recentiores tuentur. Reſpondent ſecundo. Non exigit à Deo eiuſmodi ſatisfactionem è ſuæ offenſæ iure, ſicuti neque ex iure ſupremi dominij noſtra bona opera exigit, quia illis non eget. Hoc de exigentia vel non exigentia noſtrorum operum à Deo impugnatum iam in Lugo proxime fuit. Secundo qui Deum apud aliquem diffamaſſet, &, teneretur ex ſtricta iuſtitia Dei famam apud illum reparare quia ipſius famam contra iuſtitiam læſit, per te: ac proinde eius reparationem exigere merito cenſetur Deus ergo, cum mortali quouis Dei honos contra ſpecialem, & ſtrictam iuſtitiam lædatur per te imo, & diffametur apud gentes Deus, eiuſque nomen blaſphemetur, vt aiebat Paulus. Ad Roman. 2. num. 24. eodem iure, & eius reparationem, & ſatisfactionem pro peccato exigere cenſendus eſt Deus tenerique proinde cum primum poſſit peccator illam exhibere dicendum eſt in tuis hiſce principiis. Denique horum, doctrina non coharet, & enim diffamatio Dei apud alios mortales eſt contra iuſtitiam per te vel ergo pro eo poteſt Deo ab homine ſatisfieri ex iuſtitia, vel non poteſt? Si poteſt: ergò pro mortali poteſt Deo ex iuſtitia ſatisfieri ab homine contra ſtatam tuam ſententiam. Si non poteſt; ergò iuxta tuam ſolutionem primam non debet diffamator Dei ex iuſtitia vnquam, nedum cum primum poſſit Dei famam reparare ob ſtrictam ergò aduerſariorum antecedens ex quotam mole ipſi vexantur, nihil ferè continet verum: Maior enim falſa omninò eſt, etſi enim ſatisfactionis nomine intelligant aduerſarij peccati Deo iniuſi abolitio. em per contritionem, qua Deo vel formaliter, vel virtualiter grati, ac iuſti reddantur, quod ipſi ſatisfactionem eſſe mordicus negant, poteſt eſſe obligatio grauis in peccatore ad illam exhibendam ex gratiæ auxilio, quin ſit ex ſtricta iuſtitia, ſed ex virtutibus aliis; v. g. ex qua quis animæ ſuæ æternam ſalutem procurare tenetur, tenebitur in mortis articulo ſe Deo reconciliare, atque ad iuſtitiam per contritionem reuocare. Semelque inſtituto pœnitentiæ ſacramento ex eadem etiam virtute per illud iuſtificari in eodem articulo tenebitur, ac rurſus ex præcepto naturali diuino, atque inſuper ex virtute charitatis in Deum, ſi velis. Ex duobus autem poſtremis ad id per ſacramentum pœnitentiæ ſemel in anno, atque ex præcepto, ſeu iure naturali diuino, quoties Euchariſtiam ſuſcipere volet iuxta dicta controuerſiis de pœnit. & Euchariſtia. Minor in horum principiis eſt falſa: ſi quidem ſatisfactionem pro mortali etiam ex auxilio gratiæ à puro homine iudicant impoſſibilem; quo iudicio puris hominibus ſingulis, & omnibus eximunt ſatisfaciendi ex vlla virtute pro mortali obligationem, vt nuper dicebamus, atque inſequentibus vniuerſalius oſtendemus.

QVÆSTIO III.

Fueritne ad ſatisfactionem ex iuſtitia poſitiua pro mortali neceſſaria incarnatio.

SATISFACTIONEM ex iuſtitia negatiua pro mortali de qua quæſtione ſecunda, eam diximus eſſe in eius quæſtionis præfatione, qua ius Dei offenſi ad ſatisfactionem pro offenſa exigendam ita extinguatur, vt ex eo nullatenus iam de ea agere cum peccatore queat. Satisfactionem vero ex iuſtitia poſitiua pro mortali eam ibidem vocabamus, qua ius paretur creaturæ, ac peccatori contra Deum, non ſolum vt vlterius cum illo ex iure offenſæ agere deinceps nequeat Deus, ſiue ex iuſtitia illam ab illo exigere, ſed, vt eam ab ipſo, non niſi contra ius creaturæ, faſque omne Deus repoſcere: an proin non ſolum ſine iuſtitia, & iure aſſenſionis, ſed contra iuſtitiam, & ius peccatoris exacturus eſſet Deus, ſi illam vlterius exigeret.

CERTAMEN I.

Negatiuæ concluſionis probatio, atque aliquorum conſolutiones reuinctæ.

1 PRO affirmatiua ſententia ſtant Petrus Hurtado. diſp. 12. de incarnat. ſect. 5. Ripalda t. 2. de ente ſupernat. diſput. 83. ſect. 3. pro noſtra verò negatiua præter datos quæſt. 2. certam. 2. numero 2. quotquot Deum obligari ex iuſtitia creaturis poſſe inficiantur. Durandus in 1. diſputat. 17. quæſt. 2. numero 15. & in 2. diſput. 27. q. vbi oppoſitum blaſphemum, & temerarium appellat. Abulenſis in id geneſ. 22. *Propter memet ipſum iuraui.* Stapleton. 10. de iuſtificatione cap. 10. Panneg. 1. part. quæſt. 21. artic. 1. Leſſius de perfectionibus diuinis cap. 6. num. 61. Medina 1. 2. quæſt. art. 3. ad 4 poſt 4. concl. Vaſq. rurſus 1. part. diſput. 85. & 86. & 1. 2. diſputat. ducenteſima vigeſima tertia, Molina iterum 1. part. quæſt. 1. art. 1. Nauarrete 1. p. t. 2. controu. 28. Oſorius 6. de iuſtitia. Lorca iterum 1. 2. diſp. 43. med. 2. & diſp. 44. Raynaud. 5. de virtutib. num. 104. Probatur: quia nullatenus ius creaturæ quæri poteſt contra Deum: ergò neque ex ſatisfactoriis Chriſti Domini operibus: ergò neque Chriſti ſatisfactio potuit eſſe ex iuſtitia poſitiua: quare ad id incarnatio neceſſaria non fuerit, ſed inutilis. Probatur antecedens, ex quo reliqua inoffenſo currunt. Implicat ius quæri creaturæ ad aliquid contra Deum, quin Deus ſe illius abdicet dominio: implicat Deum ſe alicuius dominio abdicare: ergò implicat ius quæri creaturæ ad aliquid contra Deum. Maior ex ſtato iuris principio, quod nequit eſſe rei eiuſdem dominium inſolidum penes duos, & apud antiquos omnes eſt conſtans: monſtrabiturque contra Petrum Hurtado, & Neothericos pauculos, qui eius ſophiſmate eluſi de principij illius firmitate addubitarunt. Minor probatur à Lugo ſupra, num. 24. quia implicat Deum eſſentia ſua omnium creaturarum dominum famulum fieri creaturæ: atqui, ſi creaturæ ius ad aliquid quæri contra Deum poſſit, poſſet Deus famulus fieri creaturæ: ergo implicat ius ad aliquid quæri creaturæ contra Deum. Maior per ſe nota videtur qui enim eſſentia ſua alterius dominus abſolute eſt nulla ratione eiuſdem famulus eſſe, concipivè poteſt, quin vt dominus ipſius eſt eiuſdem famulus eſſe, & ſit, & concipiatur, nimirum contradictione manifeſta. Probatur minor: quia is, aquo aliquis aliquot operas, vel omnes ad diem, vel ad annum, vel ad vitam totam ex conuentione poteſt è iuſtitiæ rigore exigere proprie famulus ipſius eſt. Ergo, ſi creatura ex conuentione, & facto (ſine quibus ius ad aliquid quæri creaturæ contra Deum poſſe aduerſarij inficiantur) ius ad aliquid contra Deum adquirat ad plura eodem modo atqui re contra ipſum poterit, ac proinde Deum ſibi famulum reddere. Nonnulli hoc argumentrm extendunt vt poſſit eodem pacto ſeruus creaturæ Deus fieri ſed non adeo firmiter diſcurrunt cum dominium, cui ſeruitus reſpondet poteſtatem iuriſdictionis ſaltem æconomicam importet, quæ reſpectu Dei aliam continet difficultatem.

2 Probatur ſecundò prima illa minor: quia dominium intrinſecum, & phyſicè eſſentiale Deo eſt omne dominium, ſeu dominium vniuerſale, non ſecus atque potentia, & ſcientia Dei vniuerſales, atque omniſcientia, & omnipotentia, quæquè ad omnia obiecta è ſuo conceptu potentiæ, ſcientiæ & dominij Dei extendantur, terminentur, atque indiuiſibiliter ſerantur cum horum quoduis, qua diuinum infinitum eſſe debeat per denegationem termini etiam extrinſeci, vt patet de ſe, atque hoc tomo, ex controuerſ. de attributis ſæpè docuimus: at ſi alicuius creati dominio abdicet Deus non manebit Dei vniuerſale dominium, ſeu omne dominium Dei: ſicut neque omnipotentia neque omniſcientia, ſi aliquid facere nequeat, vel aliquid ignoret: ergò neque manebit Deus, qui ſine omnibus, ac ſingulis ſuis attributis eſſentialibus phyſicè eſſe non poteſt. Ergò abdicare ſe Deum alicuius dominio implicat cum exiſtentia Dei. Minor probatur: quia ſi ius quæratur creaturæ contra Deum vt Deus aliquid præſtet, vel remittat ex abdicatione dominij Dei erga illud iam Deo non erit poteſtas vtendi pro libito circa illud ſine iniuria alterius, nempè creaturæ cui è Dei abdicatione ius erga illud quæſitum contra Deum eſt: ergò nec erit dominium Dei erga illud, ac proinde neque vniuerſale dominium, ſeu omnidominium rei, & poteſtas vtendi illa pro libito ſine iniuria alterius. Dices dominium eſſentiale phyſicè, & intrinſecum Deo non dicere extenſionem actualem ad creata omnia, quæ non exiſtentibus actu creaturis procul dubio non eſt: quare licet non actu ad aliquid non extendatur, vt contendit argumentum, dominium intrinſecum Dei non defecturum. Contra: quia, licet

actualis extensio dominij Dei ad creaturas, sicuti & sciētiæ, & omnipotentiæ diuinæ Deo essentialis non sit vt, vtpote ab actuali earum existentia pendens. Implicat tamen aliquā esse creaturā ad quam Dei dom. non extendatur, & idem est de sciētia, & omnip. respectu suorum obiectorum, seu terminorum creatorum & si enim à creatis non pendeant, vtpote diuina, neque illa absolutè de se respiciant, tamen, quia infinita simpliciter è suo genere sunt eiusmodi ea attributa sunt, vt ad omnia extendi debeant. Quæcumque sint eo modo, quo esse debent, vt ad ipsa extendantur: vnde ex eo quod aliquid verum detur ad quod Dei scientia non extendatur, aut aliquid possibile ad quod Dei omnipotentia non contineatur, aut demum aliquid quod sub dominio Dei sit optimè colligitur Deum nec omniscium, nec omnipotentem, nec omnidominum, quare nec Deum esse, vt contendimus. Secundò cum omnidominium intrinsecum Dei, indiuisibiliter ad creata omnia, quæ fuerint feratur, ex eo quod ad vnam creaturam non se extendat non solum omnidominium non erit, sed potius erit nullidominium. Sicut si scientia, & omnipotentia ad aliquod è suis terminis, & obiectis non se extenderet nullisscientia, & nullipotentia foret. Tertiò dominium Dei stat, vel fundatur necessariò in libera Dei potentia, qua res condere, vel non condere, conseruare, vel destruere, sine earum, aut alterius iniuria potest: quare, & vocare ea quæ non sunt, sicut ea, quæ sunt dicitur ad Rom. 4. atque insuper in potentia qua rebus conditis vti pro libito sine alicuius iniuria iure creationis valet: quare licet ad ea quæ nondum creata, neque in se sunt Dei dominium non extendatur, implicat tamen aliquid in se, & productum esse, quod sub Dei dominium non cadat.

3 Dices secundò: ex translatione dominij in creaturam ex Dei permissione eius dominium perfici non perire: quia promissio illa Dei actus secundus dominij est, non minus quam actus secundus potentiæ liberæ, quia actus secundus illius est illam non destruit, sed exornat, licet eo posito oppositus actus poni à potentia nequeat quare sicut ante eius positionem alteruter poni ab illa indifferenter posset: quare licet translato dominio alicuius rei in creaturam ex Dei promissione ei ius contra Deum quæratur, vt illa pro libito sine iniuria creaturæ vti Deus nequeat, Dei dominiū non destruetur quidem, sed perficietur. Cæterùm ex promissione Dei de aliquo facta creaturæ, non ex huius iure, sed è sua solum fidelitate præstare illud Deus tenetur, eo tamen permisso, licet promissio, & donatio sint actus secundus dominij, eis tamen destrui certissimum est: Sin ostende, quonam alio actus ille primus dominij pereat, quam donatione consummata? eis siquidem perit promissario, & donatori ius vtendi redonata, ac promissa sine iniuria alterius in quo dominium consistit, quod secus euenit libertati in actu primo, quæ posito etiam actu secundo perseuerat, semper enim verum est in actu primo posse poni pro illo priori in eo illo instanti reali durationis actum secundum oppositum, vel positionem vtriusque extremi oppositi nunquam fuit liberæ potentiæ potestas, sed ad alterutrum. Dices adhuc: dominium est ius vtendi re in omnem eius vsum: atqui alter ex præcipuis rei vsus est promissio, & donatio, quibus dominium perit: ergo si in Deo perfectissimum vniuersale rerum dominium est, & erit potestas, vt earum promissione, & donatione pereat ipsi earum dominium, atque acquiratur creaturis. Negabunt vniuersim recentiores, quibuscum pugnabimus cert. 2. de dominiis etiam creatis donationem esse actum dominij, quo illo destruitur, cum nullus actus potentiæ suæ destructiuus esse possit. Respondetur verius admissa increatis dominiis imperfectis nimirum, & abdicabilibus minori, negando illam in dominio perfectissimo, atque in abdicabili diuino: id quod faciè suadetur vlterius, & impugnatur obiectio: quia vt numero secundo, arguebam, cum Dei dominium qua Dei, & diuinum est, in omnia indiuisibiliter feratur, ac proinde ex eo quod ad vnum non feratur, perire absolutè debeat, fiet planè, vt si ex rei promissione vel donatione ad illam Dei dominium non se extendat, ac feratur, ad nihil aliud feratur: ac proinde circa reliqua omnia nullo actu dominij, aut promissionis, aut donationis eorum Dei dominium peribit. Secundò quia promissio Dei de re aliqua creaturæ facta nequit huic plus iuris conferre, in illam, quam perfecta, & absoluta Dei donatio creaturæ facta non dat ius creaturæ in rem donatam contra Deum, vt eius se dominio abdicet Deus, vt pluribus, & omnibus rerum donationibus factis ad suas creaturas patet: ergo neque promissione Dei de re quapiam facta creaturæ datur huic ius contra Deum, neque hic se illius abdicat dominio.

5 Dices tertio dominium Dei est potestas ad omnem vsum rei possibilem, non autem ad impossibilem, sicut omnipotentia est ad producēdum omne quidem, sed possibile, non autem impossibile: ergo, sicut sublata, per impossibile, possibilitate creaturæ, licet omnipotentia potestas non posset se extenderet ad illius productionem non conferetur defectus omnipotentiæ, ita facto impossibili rei vsu ex diuina promissione, non erit diuini dominij defectus, quod nequeat ad eius vsum pro libito suo sine alterius iniuria extendi: Respondetur: antecedens verum esse de rei vsu absolutè & ab intrinseco impossibili, sicut de potestate omnipotentiæ, quæ non extenditur ad rem è suis prædicatis, & essentia impossibilem & admisso quod assumitur in consequentia à paritate pro omnipotentia, negatur consequentia ad dominium: quia impossibilitas rei possibilis factæ impossibilis per impossibile est impossibilitas rei ex suis prædicatis, & essentia absolutè impossibilis; ast posita promissione rei eius vsus absolutè possibilis è suis prædicatis est: quare si ad eum Dei dominium non se extendat defectus dominij diuini erit instatur contra aduersarios paritas sua quia non extensio potestatis Dei ad aliquid, quod è suis prædicatis & essentia non repugnaret absolutè, & in se sed aliunde esset defectus potentiæ, seu omnipotentiæ diuinæ: ergo defectus potestatis ad vsum creaturæ de se fuisque prædicatis absolutè non repugnantis erit defectus dominij intrinseci Dei insistes adhuc. Posita Dei promissione de non producenda creatura aliqua huius productio de se fuisque prædicatis impossibilis non est, sed extrinsecus ex illa Dei promissione: & tamen quod ad illam non extendatur diuina omnipotentia, non est omnipotentiæ diuinæ quoad intrinsecum defectus: ergo licet non ex prædicatis & essentia sua, sed ex promissione Dei fiat Deo vsus impossibilis rei promissæ sine iniuria creaturæ, cui fuit promissa, ac proinde Dei dominium ad illum non extendatur, non erit defectus dominij intrinseci Dei. Cæterum promissione Dei de non efficienda creatura neque hæc, neque eius effectio extrahatur ab omnipotentiæ Sphera, licet eius effectio impediatur, sicut vsus rei prò missæ impeditur dominio Dei per promissionem, non tamen à dominio Dei extrahitur, eiusvè dominium eiusque ad creaturam transfertur: quod ne intelligi quidem sine dominij diuini aperta iactura valet quid? neque promissione ligatur formaliter dominium diuinum, licet rei promissæ denegatio sit impossibilis, quia denegatio promissi solum est contra fidelitatem, à qua Deus deficere nequit non autem contra ius dominij: quare, si de facto, per impossibile, promissa non præstaret Deus denegatio circa alterius iniuriam foret, licet non citra infidelitatem. Non secus ac si rem non promissam, decretam tamen absque iniuria alterius non daret, esto non daret absque constantiæ, & immutabilitatis suæ iactura.

5 Dices Dei dominium, & creaturæ respectu illius seruitutem fundari in libera productione, & seruatione creaturæ à Deo cum illam non producere, vel destruere posset, vt Patribus, ac Theologis est in confesso. constatque ex seruitute, quæ dominio creato respondet ex eo dicta, atque ducta, quod cum bello capti homines occidi ab hostibus possent nihilominus seruarentur, inst. de iure

iure natur. gent. & ciuili. §. *ius autem* illis verbis *Bella orta sunt* Ad quæ Minsingerius, Richardus, cæterique interpretes: atqui posita sua de re aliqua promissione. nequit Deus non producere, & donare, seu remouere, quæ promisit non remouere, vel contra, non remouere non donare: & non producere, quæ promisit remouere, aut producere, ac donare promisit: ergò non est libera Deo productio, aut non productio, donatio, aut non donatio, remotio, aut conseruatio promissa: quare nulla ex eis fundare potest Dei erga promissa dominium, nec horum erga Deum seruitutem. Respondetur productionis, seu seruationis libertatem, in qua seruati erga seruantem seruitus, & huius in illum dominium fundatur, duplicem esse, & physicam, & moralem, seu ciuilem, vel quasi ciuilem: & physicam quidem libertatem non requiri, vt ea fundet, formalem proximam, proximeque expeditam ab omni impedimento, ex motiuo alio operantis, sed satis esse radicalem, quæ irrationalibus deficit, & formalem expeditam de se, quæ adest etiam cum agens rationale intrinsecis libertatis constitutiuis instructus ob sui decentiam, ne scilicet suæ deficiat fidelitati, & promissis, impeditur. Alioqui Baptistæ, Isaac, & similium, quos Deus parentibus promisit, Dominus absolutè non esset. Moralem autem, seu ciuilem, vel quasi ciuilem potestatem, & libertatem requiri proximè expeditam, vt è rei conditione, ac seruatione dominium, & seruitus oriantur Hæc autem proximè expedita est circa rem etiam promissam: consistit enim in potestate ponendi, ac seruandi rem, vel secus sine alterius iniuria, quæ dubio procul in alterutro præstando, ne promissario suo inferretur à Deo, si per impossibilis fidelitatis suæ, vel immemor, vel negligens non staret promissis.

CERTAMEN II.

Ripaldæ ac Recentium Salmantinorum euasiones aliæ præcluduntur.

1 RIpalda supra respondet de dominio excellentiæ, & ordinario Dei à rerum exigentia absoluto prorsus, solumque consulente bono excellentiæ, & arbitrij diuini rectè dici, & probari non posse obligari creaturis atque abdicari à Deo posse; secus de dominio ordinario, & naturali, quo iuxta rerum naturalem exigentiam, earumque bono consulens operatur. Vtriusque dominij distinctionem adstruit exemplo duplicis potentiæ ordinariæ, & extraordinariæ diuinæ: solutionem verò inde deductam exemplis quæ postmodum reiiciemus. Contra: quia dominium Dei è suo genere infinitum est, atque ad omnem creaturarum vsum sine iniuria alterius, siue ordinarium, siue extraordinarium indiuisibiliter fertur, vt de eo, & de omnipotentia diximus sæpe. Ergo implicat abdicari à Deo dominium ordinarium, non abdicato extraordinario, quod idemmet formale & indiuisibile dominium cum ordinario est, quod autem inordinarium, & extraordinarium dominium, sicut & potentia Dei, diuidatur, non quidem potentiæ, aut dominij diuini formaliter, vt diximus, indiuisibilis, sed motiuorum operandi, & vtendi, & non operandi, & non vtendi iuxta naturalem creaturarum exigentiam, vel secus, diuisio est. Confirmatur: quia dominium, & potentia Dei non sunt Ordinaria de se determinata, sed libera seu liberi agentis ad vtendum ac operandum, vel non vtendum, nec operandum iuxta exigentiam creaturarum: ergo est potestas illorum potestas vtendi, vel non vtendi iuxta exigentiam vel secus: ergò eadem indiuisibiliter potestas dominij, & potentiæ diuinæ terminatur ad vsum, & operationem vel vtriusque negationem, non iuxtà exigentiam naturalem creaturarum, quod alterum extremum indifferentiæ est, atque extraordinarium vsum, & operationem dominij, & potentiæ diuinæ continet apertè, quod si dicas libertatem hanc non esse dominij, & potentiæ diuinæ, sed diuini arbitrij, dices bene, si de formali loquaris, & proxima, non autem de remota; vtrumque enim natura, & essentia sua arbitrio diuino agi, ac dirigi aptum natum est, quin aliter operari, vel non operari queat. Secundò hac solutione probas differenti. dom. & potentiæ diu. ordinariæ & extraord. non in ipsis, sed in arbit. Dei operantis, & motiuis operandi esse, vt modo dicebamus. Sed esto: sint diuersa formaliter attributa Dei ordinarium, & extraordinarium dominium diuinum in creaturas: certè eorum quod vis infinitum in suo genere esse debet: ergò vel neutri poterit subtrahi aliquid ex creat. in quæ fertur sine præiudic. infinitatis suæ, vel subtrahi poterit sine eo præiudicio vtrique quare vel vtrumque vel neutrum erit abdicabile à Deo. Insuper exigentia creaturarum, cui Deus annuit potentia, & dominio ordinario vtens, non cogit, vt annuat, Deum: ergò sicut iuxta hanc exigentiam bono creaturarum Deus potest ordinarium suum dominium obligare creaturis, iusque illis in se transferre, atque se illo abdicare, sic etiam bono suæ excellentiæ consulens poterit suum extraordinarium dominium eisdem obligare, iusque ad aliquid supernaturale præstandum creaturis contra se ipsum transferre atque extraordinario dominio se abdicare. In eo quippè honestissima, Deoque digna liberalitas elucet. Nec refert dominium excellentiæ, & extraordinarium essentiale Deo esse, secus ordinarium. Nam si pro iure diuino vtrumque vsurpetur, vtrumque essentiale, ac necessarium Deo est, si autem pro continentia actuali creaturarum vtrumque non essentiale, sed contingens.

2 Denique: tota hæc doctrina è re non est, etenim id, de quo promissio Christi humanitati facta à Deo horum doctrina, atque in re præsenti dicitur, vt eius operibus satis Deo ex iustitia feciſse defendant, fuit de operibus Christi supernaturalibus, infinitè, vt sic loquar valorosis, ac de offensione Dei ob illa remittenda, reconciliandisque sibi peccatoribus, per gratiam, amicitiam, & filiationem Dei adoptiuam: quæ omnia, supernaturalis ordinis, ac supra exigentiam naturalem creaturarum, imò & supernaturalem per hosce, cum sint, ad prouidentiam, potentiam, & dominium supernaturale, extraordinarium, & excellentiæ Dei spectabunt: ergò cum hoc neque à se abdicare, neque obligare creaturis Deus possit, nec Christus potuit ex iure contra Deum, siue ex iustitia positiua Deo pro peccatis satisfacere, nec nos ex pacto, & promissione Dei ad Christum aliquid ad salutem firmius sperare poterimus; quasi ex iure: cum supernaturalium omnium potentia sua libera prorsus Deo, & integra, suique iuris, his etiam positis ipsi permaneat. Verum singularis huius cogitationis fundamenta tentemus. Primum erat; Christus duplex dominium habuit: alterum, qua Deus, qua homo, alterum, ex quo potuit cum hominibus pacisci, seque illis obligari, licet non ex primo: ergo & Deus ex dominio ordinario obligari creaturis poterit, licet non ex dominio extraordinario. Permisso antecedenti negatur consequentia: quia vtrumque dominium idemmet formaliter, & essentiale Deo est, vt ostendimus. Secundò negatur antecedens. Nam Christi humanitas iure vnionis dominium habet, licet diuino inferius, creatis tamē omnibus superius in omnia creata, quodque creaturis obligare nequeat. Etenim, si longè inferiùs religionis erga Religiosorum bona dominium nequit eis circa illa ex iustitia obligari, atque abdicari à religione, multò minus longè superiori humanitatis Christi dominio id potuit euenire. Secundum erat. Licet Prætor, & respublica nequeant publicam potestatem, qua bono communi prospiciunt, ciui alicui ex iustitia obligare, possunt tamen priuatam: ergò, & Deus dominium ordinarium: licet extraordinarium nequeat. Negatur consequentia: tum quia in Deo duplex adhuc dominium non est: tum quia, etsi duplex esset, vtrumque bono communi creaturarum consuleret: quare eadem ratio vtriusque esse deberet.

beret. Tertium erat Deus potest exigere aliquid à creaturis tanquam Dominus proprietatis solum, vel tanquam Dominus solum iurisdictionis: ergo & obligare dominium solum ordinarium. Sed cur non & extraordinarium solum, si paritas tenet? verum neque vmbram paritatis dispicio. Quartum erat: Deus vt author naturalis plura creaturis præstare tenetur, non autem, vt supernaturalis author: ergo potest obligari ex dominio ordinario creaturis, quin dominium extraordinarium obliget. Negatur antecedens. Neque enim tenetur, vt naturæ author stricta obligatione ad aliquid creaturis præstandum naturalibus, neque in his est exigentia exactiua respectu Dei, sed quasi precaria indigentia, ex qua, seu iuxta quam illis donat, si vult: quomodo etiam supernaturalibus causis, & creaturis plura donare tenetur supernaturalia, quæ ipsis ea latitudine debita à Deo sunt: vnde eodem modo pro abdicatione dominij extraordinarij teneret contra Ripaldam consequentia, si ex eo antecedenti pro abdicatione dominij ordinarij teneret. Denique dicere aliquis posset: Deum non necessario omnium creaturarum Dominum esse: quare & absque alicuius creati dominio posse consistere. Etenim Deus actionis peccaminosæ Dominus non est: cum eam non possit exigere. Respondetur negando antecedens, & distinguendo probationem. Nequit exigere actionem peccaminosam in eis circunstantiis quibus peccatum non est, nego antecedens; in quibus peccatum est subdistinguo: ratione suæ diuinæ sanctitatis, & decentiæ fateor, defectu iuris, seu quia non posset sine iniuria creaturæ, nego. Posita enim eiusmodi actione peccaminosa ad plura sine alicuius iniuria illa vti Deus potest.

3 Recentiores Salmantini Petro Hurtado statim impugnando ex parte consentientes replicatis, an implicatis perfectiones multas discursibus statuant primò. in eodem instanti donationis inter creaturas, neque in donante, neque in donatario esse plenum rei donatæ, siue acceptæ dominium, quia non est potestas in alterutro ad omnem rei vsum pro omni signo naturæ, cum, nec donator pro posteriori signo ad donationem redonata sine iniuria donatarij vti queat, neque hic pro naturæ priori ad donationem sine iniuria donatoris: Quare neutrum in eo instanti esse perfectè dominum, seu insolidum, sed ex parte, seu imperfectè. Deum autem perfectè dominum esse ait rei illius, quam ex promissione, vel aliter sub creaturæ dominium posuit, & ad quam præstandam se ex iustitia creaturæ obligauit. Cùm enim ita se obligat creaturæ Deus necessariò habet voluntatem se conformandi libito creaturæ in rei illius vsu pro quouis signo, & duratione res illa creaturæ sit. Vnde omnis rei illius vsus ex libito etiam Dei erit, qui sine iniuria creaturæ proinde erit, cùm iuxta eius etiam libitum sit. Cùm insuper voluntas illa Dei se obligandi, atque se conformandi in rei illius vsu cum libito creaturæ libera Deo ex indiuisibili, ac rota simul æternitate, qua durat, omninò sit, per totam æternitatem extrinsecam virtualiter in Dei æternitate contentam, qua creatura ius ad rem illam habet, Deus etiam Dominus rei illius perseuerat. concludit inde: posse esse ex operibus Christi pro nostris mortalibus ex iustitia positiua satisfactionem, quia eorum dominium Deus in eius transtulit humanitatem: cum verò infiniti valoris sint, fit, vt eis in satisfactionem Deus qua sui honoris nostris mortalibus ablati creditor, imò, & qua Dominus, non, nisi iniquè, & contra ius agere possit: cum fuerit iniuria illorum operum Christi exhibitione compensata, & illorum dominium penes Christi humanitatem fuerit, atque ob ea, vt satisfactionem adæquatam placari ex iustitia Deus pepigerit, seque ex iustitia obligarit.

4 Cæterum illam dominij, siue iuris in rem contra ipsum transtationem à Deo in creaturam difectis iam à nobis antiquis argumentis probant: quia promissio, atque donatio præcipui actus dominij sunt, & qui perfectissimo Dei dominio nequeant deficere. Secundò: quia non obstante summa Dei libertate physica, & morali, qua rem potest donare, vel denegare, potest obligari ex fidelitate, vt licitè alterutrum facere nequeat sine perfectionis libertatis suæ physicæ, & moralis præiudicio: ergò non obstante summa dominij Dei perfectione, & potestate vtendi rebus pro libito sine iniuria, & consensu alterius, poterit ius parari creaturæ ex promissione, vel pacto Dei in rem aliquam sine præiudicio perfectionis diuini dominij: sed hæc difiecta à nobis sunt vt dixi, & constat ex certamine 5. ex fidelitate enim ligari potest promissione, quin eius sanctitas, & fidelitas, ex qua solum, non ex iustitia, ligatur pereat, sed magis eluceat; ex obligatione verò iustitiæ dominium essentiale Dei periret, quod repugnat, dominium rei illius à se abdicando, & transferendo illud, iusque contra se in creaturam. Constat item actum secundum libertatis physicæ in actu primo illam non destruere, sed perficere, vt ibidem dicebamus: quare ad actum secundum dominij per pactum, & promissionem diuinam, qua dominium Dei destrueretur, paritatem non esse. Denique arguunt: quia ius quod in peccatorem acquirit Deus offensus, & propriè læsus, inquiunt, ad pœnam infligendam potest, vt talis, atque, vt supremus iudex in opera alia peccatoris commutare, pacisque ob merita Christi illam non exigere eo titulo offensi, & supremi iudicis, ad idque se ex iustitia creaturæ obligari: cùm ij tituli accidentales Deo sint, atque ex peccatis nostris ipsi contingenter quæsiti, non essentiales, vt supremum dominium, ex quo, inquiunt, adhuc tormenta, & pœnalia posset exigere à peccatore. sed verò (vt mittam, quæ falsò discursus supponit, suntque affatim quæstione prima, impugnata) quale est illud ius iustitiæ peccatori quæsitum contra Deum, quod absolutè à Dei libito, qua supremus Dominus est, per te omnin pendet? vsus enim rei ex iure iustitiæ, & dominio est pro libito domini sine iniuria alterius quantumvis renuentis, atque independenter à consensu alterius. Secundò quo modo Deus de operibus Christi ex iustitia pacisci poterit, quæ ipsius semper sunt, atque post pactum quodvis sub eius dominio necessariò perseuerant? ex quibus constat inane esse discrimen illud primum dominij necessariò imperfecti pro instanti donationis in vtroque, & donante, & donatario creatis, perfecto autem cum Deus donator est. Etenim & creatus donator potest pro illo priori donationis decernere vti re in instanti iuxta libitum donatarij pro signo posteriori donationis: ac proinde vsus rei illius erit pro illo posteriori naturæ pro libito donatoris, vti inde dicebas: sed in neutro ex hac subtilitate probatur perfectum dominium pro posteriori ad donationem: siquidem hoc stat in potestate vtendi re sine alterius iniuria, etiam renuentis, atque independenter à libito alterius: quod Deus non haberet, cum eatenus iniuriam donatario non infert in rei vsu pro posteriori naturæ, quatenus se donatarij fui libito, & consensui conformat.

CERTAMEN III.

Paradoxa, & Sophistica dominij in solidum duorum simul circa rem eandem solutio exploditur.

1 PEtrus Hurtado d.12. sect.5. argumento à nobis dato cert.1.n.1. respondit maiorem primam probationis antecedentis primi falsam prorsus esse. Putat enim dominium rei, iusque erga illam contra Deum queri optimè posse, quin dominio suo se abdicet Deus: quia

quia rei eiusdem dominium in solidum penes duos esse potest. Probat sophismate hoc quod doctos traxit, vel inuitos; cum Petrus dat librum Ioanni in hoc instanti acceptanti exercet actum dominij, nempè donationem, ac proinde, & illud habet, & Dominus insolidum est. Ioannes item in eodem instanti acceptans dominus in solidum libri eius est donationis, & acceptationis, iure in illo peractæ, quo solum fortè titulo dominus insolidum Petrus, & fuerat, & est: ergò datur libri eiusdem dominium insolidum simul penes duos, si renuas in eodem instanti posse Petrum donare, & acceptare Ioannem: Pone id factis peragi, vt alter de manu offerentis recipiat, non verbis successiuè prolatis, vel donationem inter Angelos peragi duos: imò etsi verbis, & successiuè acceptatio post donationem, ac non eodem instanti, fiat: cum non, nisi non retracta donatione donatoris pro instanti acceptationis peractæ, dominium libri à donatorio acquiratur, in eo etiam instanti donatio ac proinde dominium donatoris perseuerat, simul, nimirum cum dominio donatarij. Cardinalis noster Lugo disputatione 4. numero 14. sciens, sed non volens, manus huic sophismati dedit. Vnde ex numero 19. deducit pro instanti, quo quis destruit suum pallium, physicè, & moraliter eius dominium esse. Dicit item homines, vel Angelos pro instanti eodem alterum alterius, & dominum, & seruum mutuo esse posse, si qui ex eis alterius dominus erat, ipsum in instanti illo liberet, seque illi acceptanti offerat in seruum, monstratque id genus alia pacato animo deglutit. Eodem fallaci discursu post multas doctrinæ huius impugnationes in eam tandem multum reluctans, & inuitus trahitur Bernal disput. 7. section. 7 numero 48. apud quem etiam alij Recentiores. Vvadingo noster d.11.dub.3. §. *Dico tertiò.* In hac doctrina nullam repugnantiam recognoscit: quare rei eiusdem dominium insolidum penes duos simul possibile fatetur: de factoque in satisfactoriis Christi operibus fuisse docet disput.2.dub.4. §.1.vers. *Dico secundo.* part.2. dicti. Sed doctoris huius, atque Hurtado fundamenta alia, cum pro hac sua doctrina vniuersim, tum pro absoluto dominio insolidum simul operum humanitatis Christi penes hanc, & penes Deum inferius eruemus.

2 Ego verò dominium insolidum circa rem eamdem penes duos simul sic impugno. Primò ex l. *Si vt certo.* ff. *Commodati* §. *Si duobus* vbi, & vnde Iuristæ, & Moralistæ Theologi omnes vsque ad Petrum Hurtado, qui reuerendum, ac fixum hoc iuris, & Theogiæ principium neglexit: cum, vel eo saltem, discursum illum suum sophisticum credere, vel suspicari deberet, quod in omni donatione, & contractu emptionis, & venditionis frequenti, ac iurisconsultis notissimo, eorum omnium principium euerteret: in quo proinde statuendo Doctores omnes, non, nisi scientes, & volentes, errare potuissent. Secundò ex ipsa dominij in solidum essentia duobus simul non posse contingere demonstro: quia illud est *ius, seu potestas vtendi re in omnem eius vsum pro Domini arbitrio sine iniuria alterius, etiam renuentis*: vti aduersarij etiam fatentur: ast implicat esse eiusmodi potestatem penes duos: simul ergò & esse dominium insolidum rei eiusdem penes duos simul. Minor probatur: Nam, vel posset alter è Dominis rei illius ea pro arbitrio suo vti sine iniuria Domini alterius de facto renitentis, vel non posset? Si posset ergò alter Dominus insolidum non est rei illius: quia renitente Domino rei insolidum nemo sine ipsius iniuria vti illa potest. Si non posset: ergò alter rei illius Dominus insolidum non est, cùm non habeat potestatem ad rei vsum pro suo arbitrio sine iniuria alterius, etiam renuentis, in qua dominium insolidum essentialiter consistit. Hoc eodem argumento ex parte Domini alterius efformato, neque eum Dominum rei illius esse facilè demonstratur. Vnde dum rei eiusdem dominium insolidum penes duos simul statuis, penes neutrum esse conuinceris. Dices non tenere argumentum, si alter è Domini Deus sit, qui facilè peragere potest, vt Dominus alter creatus rei illius vsui suo prorsus annuat, non renuat. Contra primò: ergò iam dominium insolidum penes duas creaturas simul esse non potest. Contra secundò: quia etiam homo sapiens suo rei vsui alterum Dominum annuere faciet: quare nulla est disparitas. Contra tertiò: quia potestas Dominij insolidum est ad rei vsum pro arbitrio Domini sine iniuria alterius adhuc renuentis, nec solum annuentis: cum nutu enim alterius rebus omnino alienis ne illius iniuria vti possumus omnes.

3 Respondet Bernard.cit. n. 48. non implicare dominium insolidum duorum circa rem eandem simul, si pro diuersis naturæ signis sint: vt in donatore pro priori ad acceptat.onem, pro posteriori vero in donatario, sed nescio è sola diuersitate instantium, seu signorum naturæ duplex contra dictorium in eodem durationis instanti amice componere. Etenim sic etiam gratiam, & peccatum simul tempore posse consistere, imo de facto pluries coniungi, contra se admittet. Maxime cum ipse ex peccato ius in Deo ad satisfactionem, & condonationem speciale admittat, atque obligationem illius exhibendæ in peccatore: quia pro priori naturæ ad Dei condemnationem per gratiam, vel ad satisfactionem creaturæ in hoc instanti intelligitur Deus offensus, ipsique iniuria creatura; pro posteriori vero in donatario, nec Deus offensus. Contra secundo quia instantia naturæ non sunt instantia in quibus, seu verificationis esse, vel non esse rei, quod verbo importatur: eo enim tempus significatur, non autem instantia naturæ quare cum instans temporis idem est ad verificationem, essendi, vel non essendi in illo, non minuitur per diuersa naturæ instantia contradictio, siue contradictoriorum repugnantia: ac proinde neque à nobis assignatorum, in duobus simul rei eiusdem insolidum dominis, & habentibus potestatem per aduersarios ad rei vsum pro diuersis naturæ signis, quam neutri adesse absolutè conuincimus. Etenim, quidquid pro naturæ priori, vel posteriori in hoc instanti durationis est, absolutè in eo est: quare implicat esse in donante pro priori ad donationem dominium insolidum rei, atque absolute, non esse in hoc instanti durationis: vt ex defectu potestatis vtendi re posterius natura acceptatione, quæ pro illo posteriori donatarij per hosce est, absolute conuincitur. Nec refert exemplum simultaneæ existentiæ potentiæ liberæ cum suo actu, vt cum dominio, donatarij in hoc instanti acceptantis dominium donatoris pro priori ad donationem, & acceptationem perseueret: id enim difiecimus certamine primo, numero tertio. Atque ad rem præsentem non est, etenim hic, non est, pugna dominij Dei cum donatione, aut promissione, quæ actus illius sunt: sed formalis etiam pugna dominorum & potestatum insolidum ad omnem rei vsum, dantis, & acceptantis, quæ pro diuersis signis in eodem instanti asseruntur, in actu primo.

4 Docti satis, & Religiosi Complutenses ex nostris Recentiores Petro Hurtado respondent: donationem non esse actum dominij proprium formaliter, cum nulla potentia suo destruatur actu, sed perficiatur: atque omnium sententia dominium donantis pereat donatione: quare opus non est dominium donationi coexistere, vt Hurtado contendebat. Dicunt ergo donationis potentiam, & principium formale, à quo prouenit esse facultatem rationalem, & liberam, qua in prima rerum diuisione libera rei acceptione, quæ volebat, acquirebat sibi, quaque acquirere aliis dominium posset, si vellet aliis assumere. Cùm enim eius facultatis sit rem libere destruere, cuius est conseruare: atque à sola libera domini voluntate retinendi, aut negatione voluntatis destruendi, dominium hoc conseruetur: à sola rationali voluntate libera domini prouenier dominium rei donatione, vel alienatione destruere. Confirmat: quia eius facultatis est rem destruere, vel conseruare, cuius fuit acquirere, vel non acquirere: atqui solius rationalis facultatis li-

beræ fuit acquirere sibi in prima rerum diuisione dominium: Ergò eiusdem solius erit illud sibi destruere, vel conseruare. Itaque ab hac facultate rationali libera, quæ radicale dominium, seu prima huius radix est, & cum donatione simul perseuerat, donatio formaliter procedit. Acutius hæc, sed non verius: Etenim donationem actum proprium dominij esse æque est Doctoribus firmum, ac non posse esse eiusdem dominium penes duos simul. Secundò: rei donatio aliquis illius vsus est: ergò, & actus proprius dominij in solidum, cuius potestas essentialis ad omnem rei vsum extenditur. Tertiò; nuda voluntas libera donandi, siue donantis dominio in donum donatio non est: ergò dominium est partiale saltem, principium fomale donationis. Quartò diuisis semel rebus iusta rei retentio, & conseruatio sine dominio illius non est: ergò potestas liberè retinendi, & conseruandi rem post primam rerum diuisionem dominij etiam est: ex his duobus postremis constat fundamentorum huius doctrinæ infirmitas: atque post primam rerum diuisionem, neque ad acquirendum, neque ad conseruandum liberè rerum dominium satis esse liberam, quæ tunc sufficit, voluntatem: quare argumentum Petri Hurtado præfata doctrina non solui.

CERTAMEN IV.

Eius, & aliorum argumentorum solutiones firmiores.

1 FAcilius respondeo sophismati facto. Donationem actum proprium dominij esse; at verò opus non esse, vt simul tempore cum donatione perfecta, atque acceptatione consummata consistat, sicut actus physicus cum sua potentia physica consistere necessariò debet. Ratio est: quia principia moralia cuiusmodi dominium donationis principium est) suis actibus, & effectibus coexistere minimè oportet, sed satis est, quod immediatè absque morali interruptione præcesserint (vt patet in verbis sacramentalibus, quorum, vix aliquid adest, cum suos effectus edunt) maximè verò in iis, quorum actiones ipsorum destructiuæ sunt, vt donatio dominij. Sic ergo dominio contingit, vt ex instanti antecedenti donationem, & acceptationem, in quo planè existit, in donationem, & acceptationem sequentis instantis, in quo absolutè non est, sed solum esset, ni donatio per acceptationem consummata adfuisset, possit moraliter influere: quare in instanti acceptationis in donante non dominij absolutè, sed sola potestas conseruandi negatione donationis, vel illud amittendi donatione consummata, ex parte actus primi supponitur; licet supponatur dominium immediatè antecedentis instantis ex parte actus primi, tum ad conseruationem, tum ad donationem, qua consummata pro hoc instanti perit. Id quod in multis aliis vsu venit. Nam, qui se per vota, & religioni, & Deo tradit in hoc instanti, nec sui suorum Dominus in illo est pro vllo naturæ signo; Alioqui, nec turpi desiderio, nec suorum retentione peccaret. Ratio generalis est: quia nihil quod formaliter pugnat cum actu secundo libero supponi potest in eodem instanti reali durationis ex parte actus primi ad illum: Eum, quia actus secundus liber non esset, tum quia absolutè non esset ex parte actus primi possibilis, cum illud coniunctum actus primi esset illius pro eodem instanti repugnantia: donatio autem consummata & sui, & suorum religioni, vel alteri, pugnat formaliter cum dominio, cuius est formalis abdicatio: ergo nequit pro instanti eodem ad actum donationis absolutè dominium supponi. Illud autem quod recentiores Complutenses aiebant: nullum scilicet actum suæ potentiæ destructiuum esse posse falsum est. Potest enim potentia perfectissimo actu suo, quasi effœta finiri, maximè cum res vsu ipso dominij consummantur.

2 Inferes ex hac doctrina, donatarium in instanti acceptationis non posse alteri donare: quare eum, qui omnia bona sua, etiam futura, Ecclesiæ donasset nullatenus dominium talenti, quod ipsi postea donaretur, acquirere adhuc pro instanti donationis, nisi imaginarium, verum autem à sola Ecclesia acquiri, cui omnia iura sua anticipato donauerat: vt de seruo, ac religioso respectu religionis, & heri omnes fatentur: quare miror aliquid inde subsidij pro opposita sententia à Vvadingo nostro peti. Instat ex §. *Si duobus*, & §. *Si instrumentum*, instituta de rerum diuisione, dominium partiale rei vnius penes duos esse potest: ergò totale, & insolidum: quasi idem domin. partiale, atque totale, & insolidum esset. Quin. l. citata, *Si vt certo*, §. *Si duobus*, ff. commodati in casu confusionis frumenti duorum in cumulum vnum Domini pro parte solum declarantur, neutrique altero inuito frumenti vsum ante diuisionem licere. Instat adhuc ex eis iuribus rei eiusdem dari vsum insolidum penes duos: ergo, & dominium. Distinguo antecedens. Vsum omnem nego, aliquem concedo. Alternis enim vicibus quisque mulo ad arandum, vel iter agendum vti potest, non omnibus, vt posset si Dominus insolidum esset, vrget ex l. *Si non singuli*; C. *Si cert. pet.* duos eiusdem summæ mutuatarios insolidum esse posse. Nego antecedens. Solum enim dicitur ibi ex eorum conuentione posse insolidum quemque agere contra mutuatarium, vt soluat: huncque obligari insolidum vtrique vt quotidiè fit, pluribusque eodem tit. iuribus statuitur: imò & pluries insolidum alicui obligationi quis potest. Inde verò non infertur posse duos rei eiusdem simul Dominos insolidum esse, cum in hoc repugnantiæ adsint, non in casibus illis. Denique arguit. Possunt esse duæ causæ totales, & physicæ, & morales effectus eiusdem, vt vulgare iam est: ergò & rei eiusdem dominium insolidum penes duos esse potest. Sed ne vmbra quidem paritatis adest. Constat autem hoc fundamento conuulso nihil præstare Petr. Hurt. rationem, vt dominium liberum factum à Deo Christo Domino ad exhibenda opera satisfactoria, & promissionem de hominum offensis remittendis ob illa ostendat ex Paulo ad Hebr. 12. *Qui proposito gaudio sustinuit crucem*, iuxta Euthym. & Œcumen. ibi Chrysostom. 18. Anselm. lib. *cur Deus homo.* c. 19. atque ex Psalm. 39. vbi Christus mundum ingrediens iuxta Paul. ad Heb. 10. sic Patrem alloquitur. *Sacrificium & oblationem*, meam vtique, *noluisti*: *aures autem perfecisti mihi*. Paulus *adaptasti mihi non alij, perforasti mihi*: perpetuæ apud Hebr. seruitutis signum *holocausti. & pro peccato postulasti tunc dixi ecce venio*. Facta n. quomodolibet promissione Dei ad Christum, nec potuit illa se eorum oper. dom. abdicare, neque hic ius contra Deum acquirere, eorumque dom. simul insolidum, vt ex dictis caret.

2 Oppones illud ad Hebr. 6. *Non est iniustus Dominus, vt obliuiscatur operis vestri*, 2. ad Timoth. 2. *Reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus, in illa die iustus iudex*. ad Rom. 4. *Ei, qui operatur merces imputatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum*, Consonat Arausic. 2. c. 18. *Debetur merces bonis operibus. si fiant: sed gratia Dei præcedit, vt fiant*. Ex quibus August. in psalm. 83. docet Deum debitorem esse coronæ & mercedis similiter Chrys. hom. 8. init. psalm. 9. hom. 3. in Matth. Bern. de gratia, & lib. arbit. fine ait. promissum nobis ex misericordia persoluendum à Deo esse ex iustitia imò August. 4. contra Iulian. c. 3. iniustum fore Deum ait, si ad regnum cœlorum iustos non admitteret & S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 1. si non reciperet confugientes ad se facturum contra iustitiam. Quibus consona plura vide apud Ruiz de Montoya d. 56. de volunt. Dei sect. 3. & 4. verum August. 3. de lib. arb. c. 16. ait. *Deus nulli debet aliquid, quia omnia gratuitò præstitit, quid ergo ei prærogas, tanquam debitum poscas quando si nolles ad eum conuerti, nihil ei deesset*. 21. confess. c. 4. *Superogatur tibi, vt debeas, & quis habet quicquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens*. Bernard. serm. de Annunt. sub init. *Nec enim talia sunt hominum merita, vt propterea vita æterna debeatur, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret*. Non igitur nobis, sed sibi, suæque veritati, ac fidelitati debet præmia, & promissa: quæ virtutes iustitia, non propriè, sed lata dicuntur, atque æqualitatem donorum cum promissis seruant, vt benè aiebant Prosp. 2. de vocat. gent. cap. 29. ante med. Anselm. in prosoloq. cap. 10. fin. S. Th. 1. 2. q. 114. art. 1. ad 3. vbi & 2. 2. q. 61. iustitiam Dei ad homines distributiuam solum concedit; commutatiuam negat: sicut & 1. p. q. 21. art. 1. quare Capreolus retractasse S. Thom. in summa eis locis, quæ alibi docuerat fatetur expresse apud nostrum Vasquez disp. 86. cap. 2. qua de re si plura alia desideres vide nostrum Didacum Punct. de Montoia de volunt. Dei d. 5. & 8. sect. præsertim 3.

4 Denique non præteribo recentiorum à Bernale à nobisque ex ipso memoratorum certam. 3. numer. 1. in præsenti additamenta. Nempè ex iure hoc quæsito ex pacto Dei operibus humanitatis Christi eis ipsis extinguidebitum, & offensam peccatorum contra Deum: quod ipsum ij omnes, qui supposito pacto, aut promissione Dei, illi eis operibus ex iustitia, siue positiua, siue negatiua satisfieri docent, docere tenentur: Aiunt, quia Deo gloriosius, hominibusque vtilius pactum à Deo fuisse, vt non puris illis operibus, sed media adultorum dispositione, gratiæque infusione & debitum, & offensa Dei ex peccatis nostris cessaret. Sed hoc secundum non satis cum primo videtur cohærere: si enim diuini iuris læsio posito præcisè pacto, & acceptatione Christi in fideiussorem à Deo ad æqualitatem eius operibus resarcitur Deo offensa, ac læsio, ac si æqualis satisfactio earum à peccatore exhiberetur: ergo à nullo alio pendere potest offensæ Dei extinctio, atque iuris diuini ob peccatum satisfactio: id enim quod formaliter se ipsa forma aliqua præstat, implicat præstari ab illa dependenter ab vllo alio. Ratio est: quia, si alio eget, vt tale constituat, ac reddat, se ipsa adæquate, nec tale reddit, nec constituit. Atque in æquali debiti pecuniarij satisfactione, aptius adhuc, ad rem nostram exemplum elucet. Dices potuisse poni pro conditione pacti, & acceptationis Christi in fideiussorem peccatoris, vt homo se disponat, Deusque gratiam infundat iuxta Zizineum hom. de natiuit. in Concilio Ephesino can. 7. id autem solum probat ad id Deum, & homines ex pacto teneri; non autem è Dei offensi iure: atque potuisse Christum non offerre satisfactionem pro peccatore, quia illam offerre, eiusque fideiussorem esse, sub ea pepigit conditione, similiterque ex parte sua Deus: ast oblata absolutè à fideiussore Christo satisfactione æquali, seque ipsa extinguente debitum, vt absolutè factum hi Doctores aiunt, implicat eam absolutè poni, ac ius Dei offensi non extingui, eiusque offensam etiam, nec infusa gratia, nec posita dispositione, non aboleri, vt in fideiussore, & eius acceptatore sub similibus conditionibus pro debito pecuniario patet. Etsi enim conditiones non impleantur, oblata à fideiussore, & acceptata à creditore solutione debitum, & ius omne huius extinguitur, vnde arguo, etiam sine dispositione, & gratia, maculam peccati de facto satisfactione Christi aboleri, quod est hæreticum, cùm re ipsa macula idem prorsus cum offensa sit: quare implicat vnam sine alia aboleri, aut extingui: neque aliunde gratia destruens maculam, & offensam destruere conuincitur. Denique nulla erit Dei offensa in peccatis post pactum, & satisfactionem Christi fideiussoris tempore, vel natura futuris. Quoties enim quis pretium iustum suæ offensæ paciscitur, atque anticipato recipit, & iuri suo per pactum cedit, & non recipit iniuriam pretio emptam, ergò nec Deus. Dices Deum nec iuri suo cedere posse, nec in iure naturali dispensare. Contra: quia, si nequit iuri cedere suo: ergò neque ita pacisci cum Christo de satisfactione, vt ex iustitia stricta teneatur offensam remittere: ac proinde neque poterit esse de rigore iustitiæ Christi pro nostris mortalibus satisfactio.

DISPVTATIO II.

De necessitate passiua Incarnationis ad satisfactionem ratione infinitatis malitiæ, vel offensæ mortalis.

IN hanc disputationem aliorum qui euasione quauis, suo quæque loco mouent, consuetudine potius, quam methodo, ac iudicio inducor. Cùm etiam rem hanc opportunius controu. de bonitate, & malitia, ac de peccatis dispurandam censeam, atque hic inde alterutrum, (nempè vel finitatem, vel infinitatem malitiæ, & offensæ mortalis supponendam. Ne autem, qui alios legat, grauissimæ difficultatis decisionem in nobis desideret, dubitetque, an constanti methodo, an inconstanti metu omiserimus, magnitudinem malitiæ mortalis offensæque illius contra Deum examinabimus, Finita, ne altera saltem, vel vtraque, an infinita sit? ac tandem, an, etsi infinita foret, ad eius satisfactionem necessaria esset diuinæ personæ Incarnatio?

QVÆSTIO I.

An mortalis malitia, vel offensa Dei finita sit, an infinita.

DE vtroque inquiritur, malitia nempè, & offensa Dei, quæ est in mortali: tum, quia ex alterutrius infinitate necessitas Incarnationis ad satisfactionem pro illo videbitur inferenda: tum, quia plures, malitia finita admissa, offensam mortalis infinitam autumant.

CERTAMEN I.

Qui infinitatem adstruunt referuntur, & qui ex eis finitatem malitiæ recognoscunt, offensæ verò infinitatem, refelluntur.

1 PRo sententia asserente infinitatem offensæ in mortali referantur plures antiqui à Bernale, & à Salas citandis, dubia tamen fide, si legas Soarium d. 4. sect. 7. circa med. §. *Ad hanc obiectionem*. Vbi Alensem, Bonau. vtrumque Ricardum, S. Thom. & Caiet. interpretatur: quod solum velint mortalis offensam omnem creatam satisfactionem superare: quod tamen citra offensæ infinitatem reputant fieri. Atque eodem sensu explicatur Anselm. lib. 1. *Cur Deus homo.* c. 20. at si attentè tam hos, quam reliquos antiquos euoluas, reperies mortalis offensam nunquam simpliciter infinitam nominasse, sed vel simul, vel alibi saltem, additum, *quodammodo, quandam, vel secundum quid, vel ex parte personæ offensa*, adhibuisse, vt videre est in S. Th. ac in reliquis obseruauit Salas 1. 2. t. 2. tract. 3. disp. 15. sect. 6. n. 35. Certi ergo opinionis huius Authores sunt Antogonistæ lib. de satisfactione Christi, Capreol. in 3. dist. 18. 19. & 20. Caiet. 3. p q. 1. a. 2. ad 2. dubium §. *ad alteram vero*. Barthol. Medina ibi fol. 62. ad 2. argum. licet 1. 2. q. 87. art. 4. ad 1. & 2. oppositum videatur docere. Aluarez de incarnat. d. 3. concl. 3 d. 6. concl. 1. Cornejo Carmelit. de incarnat. d. 2. & Thomistæ recentiores ex nostris Ægidius Coninck. t. 2. de Sacram. disp. 1. dub. 3. n. 25. disp. 10. dub. 2. Petrus Hurtado de Incarnat. d. 9. sect. 3. maioribusque expensis Bernal. disp. 4 tota sect. 3. ei porrò ferè omnes offensam à malitia distingunt ne malitiam in mortali infinitam asserere cogantur.

2 Contra hos arguo sic: Ratio offensæ Dei in mortali, diuersa non est à malitia mortalis: hæc per vos est finita: ergo, & ratio offensæ Dei in mortali est finita. Maior probatur primo: quia si esset diuersa esset iniuria, & læsio honoris debiti Deo: atqui non est læsio, & iniuria Dei propriè in mortali, vt nuper ostendebam d. 1. q. 2. cert. 3. num. 1. ergo offensa Dei non est diuersa à malitiæ ratione in mortali. Sed rursus probo eandem maiorem: Ratio offensæ solum stare potest in positiua auersione creaturæ rationalis à Deo per conuersionem ad creaturam, quæ Deo præfertur; atqui in hac conuersione, & prælatione stat dissonantia ad rationem grauis peccati, eiusque oppositio cum lege æterna, Deique voluntate, quæ est ipsissima mortalis malitia: ergo ratio offensæ grauis stat in ratione malitiæ grauis. Minor hæc suadetur: Eo formaliter auertimur à Deo positiue, nec solum præcisiue, quo sumus ab eo contrarij, & separati, ita, vt repugnet nos in sensu composito coniungi cum illo, vt vltimo fine nostro. Eo etenim separatus sum ab hoc loco, quo sum in opposito, & quo, dum sum in eo, nequeo esse in hoc loco: sed ratione malitiæ mortalis à Deo sumus contrarij & separati, ita, vt repugnet in sensu composito coniungi cum illo, vt vltimo fine: ergo ratione malitiæ mortalis auertimur positiuè à Deo. Confirmatur: Quia dehonoratio Dei per conuersionem ad creaturam, & auersionem à Deo vltimo fine stat in eo, quod amorem, & fruitionem creaturæ præferamus Dei altissimi finis nostri amori, ac fruitioni: atqui in eo etiam stat malitia mortalis: hæc enim non stat in quauis dissona creaturæ prosecutione: sed tali, vt ea derelinquatur Deus, præponaturque creaturæ amor, & fruitio, amori, & fruitioni Dei vltimi finis nostri: ergo ratio malitiæ mortalis ipsissima est ratio offensæ mortalis.

3 Secundo secluſa è mundo omni Dei cognitione, prohibitioniſque ab eo latæ; è ſola diſſonantia ad rationem naturalem, furari magnam quantitatem mortale eſſet, Deique offenſa: atqui tunc nec formalis, nec virtualis Dei dehonoratio foret, ſed ſola malitia mortalis: ergo ratio offenſæ, non diſtinguitur in mortali à ratione malitiæ. Accedente ergo cognitione Dei prohibentis, ſi aliam ſpecialemvis rationem offenſæ, & dehonorationis addi, inquiram contra quam virtutem ſit? quia contra iuſtitiam non eſſe, monſtratum iam eſt; neque video, quomodo ſpecialis dehonoratio niſi expreſſo Dei contemptu, ſicut neque ſpecialis inobedientia, ſine expreſſo præcepti contemptu eſſe poteſt. Et ego quidem, vel eo ſolum ab oppoſita ſententia diſcederem, ne quouis mortali vix Deum à nobis offendi concederem ſemel offenſa identificata cum malitia mortalis, atque iterum ſpeciali alia dehonorationis contra iuſtitiam, aliamvè quamvis virtutem ex qua Dei honorem illæſum ſeruare teneamur. Adde dehonorationem ipſam Dei, quæ eſt in mortali, ſiue generalem, ſiue ſpecialem formaliter malam, prauamque eſſe, ac proinde in ea eſſe rationem formalem malitiæ: Vnde primo fit: malitiam, hanc infinitam eſſe, cum inter eadem extrema, atque obiecta verſetur, ex quibus offenſa infinitatem ſuam trahit: quare in mortali infinitatem malitiæ admittere aduerſarij coguntur, quam, vt negent, mortalis offenſam à malitia diſtinguunt. Inſuper ea ipſa malitia offenſæ, offenſa erit: Inquiro autem, an ratio offenſæ huius, quæ in malitia offenſæ primæ fundatur, ſit formaliter idem cum malitia offenſæ, necne? ſi ſit diuerſa, in ea etiam fundabitur alia ratio malitiæ, & in hac alia ratio offenſæ ab ea formaliter diuerſa, & ſic in infinitum progrediemur; ſi ſit eadem cum ratione malitiæ ſuæ: ergo quæuis ratio offenſæ, quæ eſt in mortali, cum mortalis malitia identificatur formaliter: Patet: quia nullo alio modo reſpicit Deum offenſa ſecunda, quæ fundatur in malitia offenſæ primæ, atque reſpicit offenſa prima, quæ fundatur in malitia mortalis.

4 Tertiò: vel ratio offenſæ, eadem, vel inſeparabilis eſt à ratione malitiæ, vel non? ſi eadem, & inſeparabilis, habetur intentum; ſi non eadem eſt, ſed ſeparabilis, quia offenſæ, ſeu dehonorationis ratio generalis pertinet ad iuſtitiam vel religionem, aliamvè quamuis virtutem: ergo poterit ſublata per gratiam macula perſeuerare ratio offenſæ Dei in mortali. Non ſecus atque damnum quodvis illatum proximo poteſt perſeuerare ſublata macula. Admittit conſequentiam Soar. Sed abſurdè; ergo poteſt perſeuerare reatus totus ad pœnam ratione dehonorationis non ſatisfactæ Deo ſublata per gratiam macula contra Trident. ſect. 6. cap. 14. aſſerens reatum ad pœnam æternam non poſſe ſtare cum gratia: & contra rationem, nam grauis Dei offenſor nequit eſſe amicus Dei cum grauis offenſor perſeuerat: item qui inimicus non eſt Dei, nequit habere reatum pœnæ æternæ, cùm reatus hic in Dei inimicitia ſolum fundetur, quæ ſublata macula mortalis repugnat. Dices tunc remiſſurum neceſſariò Deum ſuam offenſam. Sed contra, quia vel poteſt non remittere abſolutè infuſa gratia, vel vt illam infundat; vel abſolutè non poteſt non remittere? ſi non poteſt non remittere: ergò non remiſſio offenſæ pugnat contradictoriè cum infuſione gratiæ, ac proinde idem eſt cum macula, ſeu malitia mortalis offenſa mortalis: Si enim idem non eſt, nequit eſſe eiuſdem contradictio. ſi poteſt non remittere: ergò poſſunt coniungi gratia, & totus reatus ad pœnam in eo, qui peccauit mortaliter, contra Tridentinum. Dices ſecundò, poſſe quidem de potentia abſoluta, de qua non loquitur Tridentinum, ſed de lege ordinaria, & de facto, quomodo non poteſt: quia gratia exigit connaturaliter offenſæ remiſſionem à Deo præſtandam ei, qui per gratiam iuſtificatur à macula, & malitia peccati mortalis: cui exigentiæ nunquam defuturum Deum teſtatur Tridentinum.

5 Contra, quia ratio à nobis facta probat Trid. non ex reuelatione de conjunctione remiſſionis Dei cum iuſtificatione ex libero ipſius decreto, cum aliter facere poſſit, ſed ex neceſſaria inſeparabilitate iuſtificationis, & remiſſionis offenſæ, fuiſſe locutum, cum non minus pugnet amicitia cum graui offenſa amici: atque iuſtitia cum peccato. Contra ſecundò: quia gratia habitualis, per te, ſolum iuſtificat à macula, ſeu malitia mortalis, non ſatisfacit pro offenſa Dei: ergò neque exigit remiſſionem, ſeu ablationem offenſæ. Patet: quia ſola perfecta ſatisfactio dehonorationis exigit debiti honoris remiſſionem, ſiue ablationem, ſicut ſola ſatisfactio perfecta pecuniaria exigit remiſſionem, ſiue ablationem debiti pecuniarij, quam vocamus Hiſpanè, *Carta de pago*. Tridentinum ergò id docuit ex impoſſibilitate, & contradictione grauitatis offenſæ Dei cum eius amicitia, & huius cum reatu ad pœnam æternam, vt explicabo, quæſt. 2. certam. 3. n. 2. & certam. 2. à num. 2. ſed eſto exigat iuſtificatio remiſſionem debiti honorarij offenſæ Dei, quæ eſt in mortali, non illud aboleat: ergò iuſtificationi formali debetur connaturaliter remiſſio offenſæ infinitæ: ergò ad eius remiſſionem opus non fuit meritis, & ſatisfactione perſonæ diuinæ Chriſti, eiuſvè incarnatione, ſed ſolum mereretur gratiam iuſtificantem. Patet: quia poſita exigentia connaturali remiſſionis offenſæ in gratia iuſtificante, quantumuis offenſa infinita ſit, non eſt noua gratia remiſſio. poſita gratia iuſtificante: quare, ſicut, quia hæc eſt ius ad gloriam ipſi connaturaliter debitam, opus non fuit incarnatione, vt nobis mereretur immediatè gloriam in ſe, ſed in gratia, ſiue, vt mereretur gratiam, quæ eſt gloriæ ius, & ſemen: ita neque opus fuit, vt mereretur nobis remiſſionem in ſe, ſed in gratia iuſtificante, ſeu gratiam iuſtificantem, cui connaturaliter ea offenſæ infinitæ debetur remiſſio. Denique 6. videas, qua conſequentia, & fructu infinita hæc offenſa diſtincta à malitia finita mortalis ab his authoribus adſtruatur, vt inde incarnationem perſonæ infinitæ neceſſariam ad ſatisfactionem pro offenſa Dei, quæ eſt in mortali, demonſtrent. Ex hac vltima doctrina infertur ad id neceſſariam incarnationem minimè fore. Quiuis enim homo purus ex gratiæ auxilio poteſt elicere actum charitatis, & contritionis perfectæ, qua immediatè formaliter iuſtificetur, in mea opinione, vel ſaltem mediatè in omnium ſententia: debetur enim ſaltem contritioni perfectæ gratia, & connaturaliter debetur: ergo ex auxilio gratiæ poteſt ſine noua gratia purus homo ſe iuſtificare: at iuſtificationi debetur per te remiſſio offenſæ Dei, quantumuis infinitæ: ergo ſine alia noua gratia, præter

auxiliantem

auxiliantem, poteſt purus homo, de primo, vt aiunt, ad vltimum conſequi remiſſionem offenſæ Dei, quæ eſt in ſuo mortali: ergo incarnatio non fuit neceſſaria vt Deo pro offenſa mortali infinita ſatisfieret. Fauſta ergo infinitas offenſæ Dei commentitia in mortali ponitur ab aduerſariis, vt incarnationis neceſſitas ad ſatisfactionem pro mortali adſtruatur. Sed hoc ipſum generatim contra eos, qui malitiam mortalis, nec ſolum offenſam infinitam aſſerunt multis aliis rationibus, & fundamentis vniuerſalioribus ac peculiaribus quæſt. 3. monſtrabimus.

CERTAMEN II.

Malitia, offenſaque mortalis finita monſtratur.

1 MOrtalis peccati malitiam, & offenſam, ſiue inter ſe differant, ſiue ſecus, finitam abſolutè prorſus eſſe, non infinitam docuerunt S. Thom. 1. 2. quæſt. 87. à 2. 3. & 4. q. 2. de malo a. 9. ad 5. Scotus in 3. diſt. 19. quæſt. vn. a. 2. abſurda plura contra oppoſitam inducens; & in 4. d. 50. fine & d. vltim. ad argumenta Aureolus apud Capreol. in 4. d. 5. q. 1. argum. contra 1. concluſ. Paludan. in 3. diſt. 20. q. 2. a. 2. init. Abul. Paradoxo 5. C. 150. Angeſt. in moralibus cap. 3. §. 1. fin. cap. 8. §. 5. concluſ. 2. cap. 14. §. 3. fin. Ioan. Medina tract. 3. de pœnit. quæſt. 1. poſt init. licet ad quæſtionis medium, vbi ex aliorum ſententia loquitur, falſo pro oppoſita dicetur. Sotus in 4. diſt. 19. quæſt. 1. a. 2. ad 1. 3. de natura & gratia. cap. 6. con. 3. ratione 1. indicant Gabriel in 3. diſt. 20. quæſt. 1. art. 2. & Argent. in 4. d. 15. quæſt. 1. Herrera Scotiſta in 2. diſp. 32. q. 5. vbi eam communem Scotiſtarum appellat. Picus Mirandulus, quæſt. 2. apolog. vbi eam communem dicit. Peltanus de ſatisfact. Chriſti cap. 11. ad 1. Cabrera. 3. part. quæſt. 1. art. 2. d. 11. §. 2. num. 25. vbi eam Thomiſtarum Recentium communem teſtatur. Ex noſtris Valent. 1. 2. d. 6. quæſt. 17. punct. 4. & 3. part. d. 6. q. 6. punct. 3. Vaſq. d. 2. cap. 1. à num. 8. Ioan. d. 4. ſect. 7. verſ. med. §. *Nihilominus contraria ſententia*. Salas 1. 2. t. 2. tract. 13. d. 15. ſect. 6. à num. 35. Lugo de Incarnat. d. 5. Vvadingo d. 1. dub. 2. §. 2. fine, qui omnes inde incarnationis neceſſitatem, vt pro infinita mortalis malitia, vel offenſa ſatisfiat, omnino negant.

2 Probatur primo concluſio: quia ſi malitia vel offenſa peccati mortalis ſit infinita ſimpliciter, & abſolutè, nequit eſſe maior malitia & offenſa, in vno mortali, quam in alio, quod eſt erroneum, dicente Chriſto ad Pilatum *qui me tradidit tibi maius peccatum habet*. & ex parabola Chriſti ad ſuum conuiuatorem Phariſæum Simonem, *cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Eſtque item pars erroris Stoicorum ab omni Theologia, & Philoſophia exſibilati. Aſſumptum probo, primo, quia infinitum ſimpliciter ex genere ſuo debet continere omnem perfectionem illius generis, vel formaliter, vel eminenter: in eo enim infinitum ex genere ſuo differt ab infinito quantitatiuo, quod hoc dicit negationem termini intrinſeci, id eſt non habere in ſe vltimum, quo terminetur, infinitum autem ex genere dicit non habere adhuc terminum extrinſecum: id eſt vltra ipſum nihil eſſe generis illius, quod in ipſo non ſit, vel formaliter, vel eminenter, vt conſtat in quouis attributo diuino, quod infinitum ſimpliciter è ſuo genere eſt, quia nihil eſt illius generis extra, quod non ſit in illo, vel formaliter vel eminenter: atqui ſi vnum peccatum mortale maius ſit, quam aliud exceſſus ille non erit formaliter, aut eminenter in minori; ergo non erit mortale infinitum ſimpliciter, & abſolutè in ratione malitiæ, vel offenſæ: ergo, ſi eſt infinitum abſolutè ex genere ſuo mortale nequit vnum maius alio eſſe.

3 Dices Mortale quoduis in ſuo genere infinitum eſſe, neque in illo poſſe excedi, benè tamen in alio. v. g. odium Dei ab odio Dei excedi, non poteſt, nullumque mortale vnius generis. ab alio, quod non aliquo alterius generis augeatur. Sed contra: quia intra idem genus odij Dei, furti &c. vnum mortale maius eſt alio, neque ſalua fide negari poteſt: tum, quia furari centum grauius mortale eſt, quam furari viginti: tum, quia in iis etiam mortalibus, quæ non pendent à quantitate materiæ, aſt mortalia abſolutè, vel maiora mortalia ſint, poteſt ex circunſtantia maioris auertentiæ aliiſque, quæ genus, vel ſpeciem mortalis non mutent, creſcere malitia mortalis, eiuſque offenſa: quin, ſi hæc ſit formaliter à malitia mortalis diuerſa, atque ſpeciei ſpecialis dehonorationis Dei, non, niſi intra idem ſuum genus, maior eſſe poteſt, erit enim ſpeciei eiuſdem in omnibus mortalibus. Quare vel peccata omnia mortalia cuiuſcumque ſpeciei, generiſque ſint æqualia in ratione offenſæ aſſeri debent, vel ratio offenſæ aſſeri debet finita, non infinita. Reſpondet Cornejo Carmelitanus ſupra n. 4. poſſe creſcere ratione conuerſionis ad creaturam. Contra: quia præcisè in conuerſione ad creaturam non eſt offenſa mortalis per te, & per omnes, niſi quatenus eſt auerſio à Deo, niſi malitiam cum offenſa confundas. Contra ſecundo: quia, ſi ex conuerſione ad creaturam poteſt eſſe inæqualitas offenſæ Dei in mortali, infertur maiorem offenſam Dei eſſe in mortali grauiori. v. g. furantis centum, quam furantis viginti: magis enim contemnitur, qui parui derelinquitur à ſeruo, quàm, qui magni deſeritur, vt patet: quæ ratio abſolute etiam probat, offenſam non diſtingui à ratione malitiæ.

4 Sed oſtendamus id, quod abſolutè, & ſimpliciter ex genere ſuo infinitum eſt, non poſſe minus eſſe alio quouis alterius generis cuiuſpiam, etenim ſi maius quid in ſuo genere eſſet diuina ſcientia, quam diuina volitio in ſuo, hæc infinita abſolutè, & ſimpliciter è ſuo genere non foret: ergo cum mortale vnius generis maius, grauiuſque ſit mortali alterius generis, nequit eſſe mortale, eiuſvè malitia aut offenſa infinita. Arguo rurſus. Quia infinitas malitiæ, & offenſæ mortalis competit mortali, qua mortale eſt, non qua huius, vel illius ſpeciei eſt: ergo, etſi ratione ſpeciei peccati augeatur malitia, vel minuatur, non augetur, vel minuitur malitia mortalis, qua mortale formaliter, ſed materialiter ratione ſpeciei, in qua eſt, & quaſi obiectiuè: quare mortalis ratio non augetur neque minuitur in grauiori, vel leuiori, mortali, ſed mortalia omnia æqualia ſunt. Contra tertio; quia infinitum qua infinitum eſt, incapax eſt augmenti. Quod adeo verum eſt, vt infinito quantitatiuo v. g. lineæ, qua parte infinite ponatur, ſimpliciter aliquid addi: cum ergo mortalitatis ratio in quouis mortali infinita ſit, non eſt vnde mortale, qua mortale, maius eſſe in vna ſpecie quam in alia poſſit. Vel, ſi poteſt eſſe vnum maius alio, infinitum non eſt. Ac tandem hac ſolutione defendi facile poſſet, quamuis ſpeciem ſubſtantialem entis creati infinitam ſimpliciter, & abſolutè eſſe: cum in ſua ſpecie non ſuſcipiat magis, & minus.

5 Argumentor ſecundo: quia ſunt plura mortalia, in quibus malitia ſeu offenſa ex genere, & ſpecie ſua nequit eſſe infinita, & tamen malitia, & offenſa illorum eſt propriè, & ſtrictè mortalis: ergo malitia, & offenſa mortalis, quâ mortalis, infinita non eſt. Patet conſequentia: nam quod ratione ſuperiori, & generica ſpeciebus, vel individuis competit, nequit non omnibus, & ſingulis eius ſpeciebus conuenire, cum hæ non diſtrahant, ſeu deſtruant ſuis differentiis genus, ſed contrahant ſolum, & perficiant. Vnde prædicationes ſuperioris de inferiori ſunt in materia neceſſaria, atque prædicatio eiuſmodi indefinita æquialet vniuerſali, vt aiunt Dialectici, v. g. *Homo eſt animal*. æquialet huic, *omnis, Homo eſt animal*. Antecedens probo; nam mortale furti vnius ſcuti conſtat malitia diuiſibili furti vnius regalis, & duodecim æqualium: pone ergo ſcutum eſſe minimam materiam ad mortale, ac Petrum furatum eſſe per dimidios regales, duodecim regales, & dimidium, quos reſtinet, & eidem ſubripere dimidium regalem: Hæc ſubreptio vltima eiuſdem rationis eſt ſecundum ſe cum ſubreptione alterius dimidij antecedentis, & aliarum ſimiliũ antecedentium finita, & valde limitata, quomodo ergo ex

coniunctione cum aliis quinque partibus furti, cum quibus efficit mortale, quod reuera nihil aliud est, quam furtum totale integratum ex illis furtis partialibus, augebit malitiam, & offensam infinitè. Ex coniunctione enim finitorum nequit resultare infinitum. Nec propterea dico ex venialibus fieri posse mortale, sed ex partibus homogeneis in malitia, & finitis, & quæ seorsim veniales essent, ratione continuationis materiæ fieri mortale: Cuius partes cum finitæ in malitia, & offensa sint, ipsæque numerabiles, & finitæ, nequeant infinitum constituere in malitia, & offensa, & sane ridiculum est vltimi assis furtum, quo scutum completur, ita totam massam malitiæ & offensæ furti antecedentis corrumpere, & augere, vt resultet quid in vtraque infinitum. Hoc ipsum in alterius generis mortalibus, qui non continuentur ratione materiæ, argui potest: defectu enim tantillæ aduertentiæ, vt non sit plena in operante, est peccatum limitatæ malitiæ. qui ergo ex eo quod tantilla illa aduertentia, quæ defecit, accedit operanti eadem operatio infinitam malitiam habebit, & offensam: quod si dicas non augeri, offensam infinitam, quasi ex partibus, sed indiuisibiliter esse conceptum infinitæ offensæ, dabis offensæ creatæ infinitatem increatam, propriámque Dei, eiusque attributorum.

9 Arguo Tertio à priori physice: quia causa totalis necessaria, & limitata, & finita, nequit habere effectum infinitum: sed causa necessaria, ac totalis malitiæ, & offensæ, quæ est in mortali est limitata & finita; ergo malitia, & offensa mortalis est finita non infinita: Minor probatur; causa totalis necessaria ad malitiam, & offensam mortalis, est voluntas cum cognitione malitiæ operis, &, si placet, offensæ Dei; sed voluntas est limitata, & cognitio malitiæ, seu dissonantiæ operis, atque Dei offensi, & prohibentis, etiam cum summa est, limitata est: imo Dei offensi sæpè nimium segnis, hebes, & exigua: ergo causa necessaria, & totalis malitiæ & offensæ Dei limitata est. Vrgetur: quia non minus principaliter requiritur ad malitiam operis cognitio dissonantiæ, seu malitiæ, atque ad offensam cognitio dignitatis personæ offendendæ, quam ipsa prohibitio, seu dissonantia, & ipsa dignitas personæ: qui enim leuiter solum malum iudicat opus, non peccat mortaliter, & qui insçius, vel parum aduertens dignitatem eius, quem dehonorat, non nimis offendit. Sed ex limitatione dignitatis personæ, & leuitate prohibitionis, ac dissonantiæ. Limitatur intra finitudinem malitia, & offensa operis: ergo etiam limitabuntur ex limitatione cognitionis dignitatis personæ, & prohibitionis, seu dissonantiæ. Vrgeo; quia infinitas simpliciter pugnat cum prædicato causati, & dependentis, adhuc à causa prorsus infinita, nedum à finita absolutè. Nam in Deo dicit causatiuè, à se adhuc, non esse: ergo magis pugnabit cum malitia, vel offensa mortalis, quæ est essentialiter, non solum ab alio, sed ab alio creato, & finito homine, quæ illarum causa est.

7 Arguo quarto. à priori metaphysicè, ac simul euerto præcipuum argumentum aduersariorum: Nam actus non ita specificantur ab obiectis, vt hæc suam perfectionem in actu traducant, atque hi debeant crescere ex accremento proportione arithmetica, sed geometrica, cuius ratio à priori est, quia maior, vel minor perfectio actus præcipuè à principio efficienti quod dat esse influxu physico desumitur; concursu enim pure obiectiuo, nihil de suo influit physice obiectum, sed solum terminat actum: ergo, licet persona offensa terminans dehonorationem, siue offensam mortalis, eiusque malitiam, infinita sit, non faciet malitiam, & offensam eius infinitam. Confirmatur: quia Dei amor, & cultus latriæ, & scientia beata, fides, Spes, habent pro obiecto Deum, infinitum, vel aliquod eius attributum infinitum; & tamen, neque physicè, neque moraliter infinitam bonitatem habent, ob rationes datas à priori: ergo, licet malitia, & offensa mortalis habeant obiectum offensum, & insensum infinitum, infinitæ non erunt. Dices amorem & scientiam, &c. non habere Deum infinitum pro subiecto, sed solum pro obiecto: Verè enim offenditur, ac dehonoratur Deus. Sed contra, quia non est subiectum recipiens physicè offensam sed solum denominatiuè: quo etiam modo est subiectum amoris, ac visionis beatæ.

8 Dices rursus esse non solum subiectum denominationis physicæ offensæ, sicut amoris, ac visionis beatæ, sed moraliter dehonorationis, & offensæ suæ esse subiectum. Sed, contrà, quia eodem modo est subiectum morale honoris exhibiti cultu Latriæ, & actu fidei, & spei, & tamen non efficit infinitam bonitatem moralem, & homo rationem, ipsi eis actibus exhibitam. Contra secundo, quia etiam offensæ, quæ est in veniali, est subiectum morale, & moraliter. Attamen non efficit illius offensam infinitam. Atque vt videas solum ex grauitate prohibitionis maiori (quæ ex parte actus diuini prohibentis maior, vel minor esse non potest cum sit pro omnibus idem) ex parte obiecti creati, & materiæ dissonantiæ naturalis, & grauitate tendentiæ nostri actus per conatum, & aduertentiam maiorem taxandam esse peccati grauiorem malitiam, maioremque Dei offensam, non autem ex distantia infinita Dei offensi, & prohibentis, & hominis offendentis, & postpositione Dei infinite boni, ac prælatione creaturæ vilis, quam prosequimur dum peccamus recole, quæ supra dicebam contra Cornejo: nam in veniali furti diuertimus à Deo, atque ad creaturam conuertimur, eiusque præceptum violamus, quod maioris procul dubio contemptus, & in honorationis est, quam maiori pretio ab eo diuertere, ipsiusque præcepta violare. Ex qua ratione præoccupatur Bernal. dicens: veniale non esse, nisi Analogicè peccatum respectu mortalis, neque absolutè esse offensam Dei, cum sit adeo leuis: suo enim modo tarandi infinitatem offensæ mortalis potius conuincitur in veniali maiorem, quandoque esse Dei offensam, quam in mortali. Neque tutam alias, censeo propositionem negantem, absolutè veniale esse peccatum, & offensam Dei.

9 Denique arguo, quia ratio malitiæ stat, vel in priuatione rectitudinis virtutis oppositæ, vel in contrarietate cum rationis dictamine, vel lege, aut virtute opposita: atqui priuatio nequit esse infinita, nisi habitus, quo priuat, infinitus sit, neque contrarietas potest esse inter finitum, & infinitum. Nam bonitas, consonantia, aut lex finitæ, finita priuatione desinunt esse, atque contrario finito expugnantur: & certè increatis infinitum ex prædicato essentiali, seu specie sua repugnat. Nam ratio entis ab alio dicit necessario limitationem essentiæ: quare solum potest esse locus in finito per additionem partium, ad partes, vt in intensione, & extensione, seu quantitate continua, de quo in physicis egimus, controuersia de infinito: ad quo d opus est partes aliquotas, & determinatas infinitas esse, quod in mortali non reperitur: quare cum creatum quid sit, ac proinde infinitum ex genere suo esse, non possit, finitum esse in ratione malitiæ, & offensæ, tenendum prorsus est.

CERTAMEN III.

Difficultates aduersas emollio.

1 OBjicies, quo dignior est persona offensa vilior offendens, & id, propter quod offenditur, maior est offensa, atqui Deus offensus est infinite dignus, homo offendens, & creatura, ob quam offenditur infinite distantes per decrementum dignitatis: ergo offensa infinita peccati mortalis erit. Explicatur: nam si homo offenderet alium hominem, ipsumque contemneret, aliquid offensæ irrogaret: etsi digniorem, & digniorem magis, ac magis offensæ irrogaret; sed inter hominem offensum & Deum sunt infinitæ personæ dignores, & digniores, quarum dignitate superat dignitas personæ diuinæ: Item à dignitate hac ad hominem offendentem sunt infinitæ indigniores, & indigniores, ac similiter à Deo offenso, & creaturam ob quam offenditur: ergo crescet offensa magis ac magis in infinitum. Hoc instatur

statur in offensa veniali efficacius contra aduersarios, instabitur item quæst. 3. ab absurdis, quæ ex istiusmodi graduatione magnitudinis offensæ contra aduersarios deducemus. Respondetur distinguendo maiorem. In iis, in quibus est vera specialis offensa, nec sola infensio, positis cæteris requisitis ad offensam eadem proportione crescentibus, verbi gratia, advertentiæ, est maior offensa proportione geometrica concedo; in eo in quo offensa nihil habet offensæ specialis præter infensionem vel in aliis etiam, non crescentibus reliquis requisitis proportione eadem, est maior offensa adhuc geometrice nego maiorem, vel etiam crescentibus eadem proportione est maior arithmetice nego maiorem, & distinguo minorem: & crescunt reliqua proportione eadem nego minorem. & inde consequentiam: admissaque calculatione illa eadem proportione geometrica, non arithmetica, negatur etiam consequentia confirmationis. Itaque vim in Deo non habet argumentum, cum vere non lædatur peccatis nostris. Deinde: quia, etsi læderetur, aduertentia, & reliqua ad peccatum requisita, non sunt in eodem augmento, atque distantia offendentis ab offenso. Tertio: quia, licet aduertentia infinita foret, ex maiori distantia offendentis ab offenso crescret offensa magis ac magis geometrice, non arithmetice: idest esset maior ex specie, non vero per additionem infinitarum partium supra minorem offensam; vt in actu amoris, & visionis Dei contingit, & in maiori perfectione specierum perfectiorum, & perfectiorum possibilium inter equum & Hominem.

2 Oppones per mortale demeremur vnionem Hypostaticam, Sanctitatem infinitam ex illa prouenturam, omniaque bona, & beneficia Dei, quæ proculdubio infinita sunt: ergo in mortali est infinitum demeritum: nam meritum seu demeritum finitum nequit esse retributionis præmij, vel pœnæ infinitæ. Iam vero si demeritum, seu meritum pœnæ infinitum in mortali est, malitia, vel offensa, ad quas consequitur metaphysice, quibusque identificatur physicè, infinitæ erunt. Negant consequentiam primam Recentiores: quia non meretur omnem pœnam possibilem sensus, sed tantam determinate; & quandoque maiorem, vel minorem. Eaque conuincitur non esse infinitum demeritum, cum minus demeritum sit, quam illud, quod omnem sensus pœnam mereretur. Sicut ergo vt meritum Christi infinitum sit, requiritur, vt omne præmium possibile mereatur, ac proinde, vt nullum meritum esse possit, quod amplius mereatur; ita, vt demeritum sit infinitum opus est, non solum, vt infinitas mereatur pœnas, sed vt nulla possit esse pœna, quam non mereatur; ac proinde, vt neque esse possit meritum pœnæ maioris. Sed certè admisso semel, quod in mortali sit meritum proprium carendi omni beneficio Dei eadem ratione probabitur esse meritum proprium patiendi omnia mala à Deo positiua: quare, & omnem pœnam sensus possibilem, vt ex quæst. 2. constabit.

3 Cardinalis Lugo. dict. sect. 3. num. 34. negat aliunde consequentiam: quia, licet infinita sint, quæ demeretur, cum tamen ius ad illa homo non habeat, pœna infinita non est, quare nec meritum infinitum. Nam pœnæ magnitudo formaliter taxanda est, non ex rebus, quibus priuamur secundum se, sed provt iuris nostri sint. Ecce ius habeo ad præturam, non ad regnum priuor prætura mea ob delictum; maior est pœna, quàm si regno non meo priuarer. Cum ergo homo ius ad infinita illa dona, & beneficia Dei non habeat, licet infinita illa sint, pœna infinita non est. Obiicit sibi Lugo: statuat Deus pacto, & promissione sua dare mihi iussionem, atque infinita dona, si non peccem mortaliter: tunc ius ad illa habebo, meâque sunt in iure, licet non in possessione: pecco mortaliter, tunc infinitis in pœnam priuor, & meis quidem, quibusque priuari dignus sum, & merens: ergo tunc immortali erit meritum pœnæ, vt pœnæ infinitæ. Instant contra Recentiores: quia si idem pacisceretur promittatque Deus si non peccem venialiter, & peccem iisdem priuabor, & tamen in veniali neque tunc demeritum infinitum foret. Sed friget instantia: quia meritum venialis ad priuationem omnium donorum Dei intrinsecum non est; quare, licet ex Dei promissione mea ea omnia forent, quibus priuor; ast ex pacto priuor, non ex mei venialis intrinseco merito, seu demerito; in mortali vero intrinsecum demeritum eorum omnium est, meaque, iusque mei eo pacto fiunt, ac proinde sunt infinita in ratione pœnæ ea, quibus priuor. Solutio ergo solidior sit Dei promissione ius nobis non parari ad promissas, atque cum peccato mortali insuper non permansurum, si pararetur. Sed eo potius extingui formaliter, cum eo dignus formaliter reddatur, qui eis omnibus priuetur: quare infinita illa non esse peccatoris aliquomodo: quare neque eorum priuationem pœnam infinitam in ratione pœnæ sicut esset si ius ad illa cum mortali perseuerare posset, sicut cum delicto quouis permanet ius in delinquente ad bona, quibus priuatur à iudice creato in eius delicti pœnam.

4 Hæc docta fortasse solutio. Ego vero obiectionem contra aduersarios insto, in merito, & dignitate contritionis perfectæ, siue actu charitatis. Sicut enim mortali reddimur digni carere omni Dei beneficio, in quibus est infinita multitudo, siue indigni Dei beneficiis omnibus constituimur; ita per actum contritionis perfectæ reddimur digni, qui malis omnibus à Deo puniente infligendis careamus; in quibus etiam infinita est multitudo, siue constituimur indigni infinitis pœnis & damnis, quibus Deus punire peccatores potest: & tamen per aduersarios inde non arguitur meritum contritionis, perfectissimæ etiam, esse absolute, & simpliciter infinitum: ergo neque ex simili dignitate priuationis omnium beneficiorum Dei, quæ est in mortali, bene ab ipsis arguitur in illo meritum infinitum. Reddant rationem disparitatis, vel potius assignent, cur contritionis meritum infinitum non sit, licet tot malorum priuatione iustum indignum constituat, & eodem ostendemus & nos, neque infinitum esse meritum, seu demeritum in mortali, licet nos dignos priuatione tot bonorum reddat. Sed, quia fortasse non inuenient audiant quod pro vtrisque meditabar. In mortali duplex est formalitas dignitatis, ad pœnam, altera dignitatis meritoriæ, & valorosæ, altera vero dignitatis formalis solum, non valorosæ, sed status subiecti, quod, quia Dei inimicum constituit, dignum formaliter reddit qui omni Dei beneficio priuetur, quodvisque damnum ab eo patiatur; vt quæst. sequenti explicabo. Contritio vero contra præter meritum præmij, quæ est dignitas valorosa, est dignitas formalis non valorosa, sed status, quo constituitur formaliter Dei amicus, filiusque adoptionis, dignusque, qui omni malo pœnæ à Deo infligendæ careat, & bona insuper paterna Dei possideat. Malitiam ergo, & bonitatem actuum æquo gradu sequitur dignitas meritoria valorosa illorum: ac proinde limitata est in vtrisque, nempe tantæ gratiæ, aut gloriæ, vel tantæ pœnæ pro bonitatis, & malitiæ magnitudine; ast dignitas formalis non valorosa sed status amicitiæ, vel inimicitiæ, licet limitata, etiam in se sit, ast ex parte beneficij ab amico conferendi, vel mali, aut priuationis boni ab amico inferendæ limitata non est, sed pro potestate, & arbitrio amici, vel inimici taxanda: est enim res purè arbitraria resodij, & vindictæ præsertim, vt ex dicendis q. 2. constabit.

5 Oppones tertio: Mortale quantum est de se, est destructiuum Dei; tum quia tristitia Deum, si eius esset capax, afficeret, & consequenter non beatum efficeret, ac non Deum: tum, quia vltimum finem creaturam constituit, atque Deum vltimum finem non esse vult, ac proinde vult non esse Deum: atqui de se destructiuum boni infiniti Dei, nequit non esse infinitum: ergo mortalis malitia, & offensa sunt infinitæ. Nego maiorem, illius enim quod destrui nequit, nihil potest de se & natura sua destructiuum esse: maxime, cum oppositio cum illo, cuius destructiuum esse dicitur, quodque est destructibile de se, non est accidentaria, & casualis, sed naturalis, cuiusmodi esse asseritur oppositio mortalis cum Deo. Ad Primam probationem nego Deum tristandum necessario

necessario de mortali, & si tristitiæ esset capax, cum malum Dei mortale non sit, sed solum liberè ex affectu misericordiæ erga peccatorem, cuius solius malum est: tunc autem sua voluntate periret. Deinde in suppositione capacitatis tristitiæ ante actum periret, ac non esset Deus, non ex magnitudine malitiæ talis. Secunda probatio non est firmior: Nam incompossibilitas Dei cum vltimo fine peccatoris, non inducitur iure, sed in peccatoris voluntate, neque expressa, sed interpretatiua. Deinde minor est falsa, nam infinitum finitudine destruitur vel maximè.

6 Denique opponis æternitatem pœnæ deberi cuiuis mortali: Hæc autem est pœna iusta, & infinita respondens merito mortalis: ergo hoc, & malitia infinita sunt. Nota hoc de malitia etiam, & in primis probare non de offensa solum, quam solam infinitam asserunt communiter aduersarij. Secundo instatur in merito virtutis ad gloriam æternam dicente Tridentino. *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Sed instat Bernal. vita æterna præmiari iustorum opera vltra condignum, pœna autem æterna citra condignum. Prim. constat ex 6. ad Rom. fine. & 8. & 16. ad Corinth. 2. cap.4.17. ex Tridentino sess.6. cap. 16. aliisque asserentibus gloriæ æternæ præmium gratiam esse, & misericordiam. Sed hæc omnia in radice intelligenda sunt: argumentum autem rem satis difficilem assumit, nempe iustitiam Dei exercitam in damnatorum pœna æterna, quæ integram petit quæstionem secundam.

QVÆSTIO II.

Quo pacto pœnæ æternitas mortali respondens iusta esse possit positiuè.

ROsse Deum iuste quidem, siue iure supremi fui in creata Dominij, quas velit ærumnas in quempiam, nedum in peccatorem depluere, quin sit crudelis, exploratissimum est. Solum ergo inquirimus: quo pacto Deus, cum ob lethale æternè damnatos punit, iustitiam vindicatiuam exerceat, tantum pœnæ, neque amplius, imponens, quantum ex vindicatiua iustitia, nec vltra illam, mortali respondet.

CERTAMEN I.

Rei difficultas aliorum solutiones.

1 QVæstionis difficultas se statim prodit, si enim peccati mortalis, & malitia, & offensa finita esset, quo pacto infinitæ durationis pœna ex iustitia vindicatiue punietur? Nec satis est durationem infinitam esse non pœnam; fortasse enim leuior pœna foret, si instanti vnico infinita intensiue pœna quis ob mortale puniretur, quam finita per æternitatem: esset enim cum illa pœnæ infinitudine meliori fortunæ locus cuius spe miseri damnati respirarent. Secundo coniunge dolori hodierno crastinum, vlteriorem insuper, atque vlteriorem sine fine: tantique vt minimum ponderis malum in rationis statera inuenies, quanti infinitus intensiuè dolor instantaneus foret. Eoque solum differunt, quod pœna hæc intensiue infinita in suo genere esset, illa vero extensiue in eodem etiam genere infinita. Non secus atque calor, vel lux per subiectum extensiue infinitum dilatata esset, atque eius partibus iisdem, ad eandem subiecti partem redactis: quo casu infinita esset intensiuè. Nec refert æternum illum dolorem, ac pœnam damnatorum diuersis pro quauis durationis parte partibus non constare. Parui enim ad cruciatus, pœnæque magnitudinem interest, an nouo æquali cruciatu in dies, an eodem repetito æternum damnatus crucietur. Hac in primis ratione Bernal. atque alij supra memorati, grauitatem, malitiam, & offensam mortalis infinitam iudicabant. Eáque, qui nobiscum finitam censebant, adeo vexantur, vt, cum plures sint, nemo tamen alterius solutioni fidat.

Vasquez cum suis respondet lethale in vita non abolitum æternum habituliter perseuerare, cumque ob eius malitiam peccator in inferno puniatur: nil mirum, si Deus ex iustitia vindicatiua malitiam finitam æternè in damnato puniat, quam in eo æterne deprehendit. Sed contra, quia in peccato habituali, qua habituale demeritum non est, sed in solo actuali; licet quamdiu hoc habitualiter perseuerat, atque peccator iustas pœnas actualis non luit, demeritum, & dignitas ad pœnam nondum iniunctam habituliter etiam perseueret quod autem in habituali peccato, eiusque perduratione demeritum non sit à demerito actuali diuersum, & quo hoc augeatur, patet: quia alias, qui per annum in habituali permanet infinite pene demerebitur: cum toties per anni horas, ac minuta potuerit se à peccato illo liberare; cum tamen certum sit in ea habituali permanentia notum demeritum non esse, nisi nouum peccatum adsit, vel complacentiæ de ante acto peccato, vel non expiandi illud per confessionem, vbi illud confitendi vrget præceptum. Imo qui mortalis omnino oblitus anno in eo habitualiter perstet, eius demeritum augebit pone infinite, quod est inauditum paradoxon. si ergo habitualis peccati actualis perduratio, siue habitualis peccati persistentia in hac vita, vbi merito ac demerito expeditus locus est, nouum demeritum non addit supra demeritum actualis peccati; multo minus addet demeritum peccati habitualis permanentia in inferno, loco nimirum ad merendum, & demerendum impedito. Ergo ibi solum potest damnatus ob demeritum sui mortalis actualis ex iustitia vindicatiua puniri, licèt habitualiter æterne perseueret: atqui demeritum illius, sicut & malitia, & offensa finitum est: ergo nequit ex iustitia vindicatiua æterne, atque infinite in duratione puniri, licet æterne habitualiter perseueret.

3 Secundo alij apud Vvadingo d.1. dub. 3. docent Deum, siue vt offensum, siue vt supremum iudicem habere ius exigendi per pœnas satisfactionem à peccatore, eumque ad illam exhibendam per pœnas cogendi: cumque in eo statu numquam possit homo satisfacere, iure posse à Deo æternè puniri si doctrina hæc nitatur in offensa, quæ sit iniuria Deo irrogata per mortale subruit impugnationibus contra rationem iniuriæ Dei ab aliquibus positam in peccato, datis. quæst.1. cert. 1. Secundo impugnatur generaliter à Vvadingo: quia in eo statu ex decreto Dei denegandi gratiam damnato ad satisfaciendum pro macula, & offensa peccati eiusmodi satisfactio est damnato impossibilis: ergo cessat obligatio damnati ex iustitia ad eiusmodi satisfactionem, atque in Deo ius iustitiæ illam ab eo exigendi per pœnas. Nemo quippe ex iustitia, & iure alterius ad impossibilia tenetur. At certe inique Iudex ageret, si per pœnas exigeret ab eo satisfactionem, quam illi iudex ipse fecit impossibilem. Tertio diligentius, atque doctrinam aduersariorum germanius impugno. Ius enim illud, quod in Deo alterutro titulo iudicis, & offensi adstruitur, est ad satisfactionem pœnalem à Deo infligendam in peccati vindictam: ad hanc autem potestas in damnato est eo ipso, quod ad pœnas debitas delicto subeundas habeat potentiam, quam reuera habet: ergo, si de se infinitas non meretur, adhuc in duratione, peccatum mortale malitiæ, & offensæ finitæ, vt hi nobiscum defendunt, tempore finito debitas pœnas luent; quin vlterius per pœnas vlteriores cogi possint à iudice, quem penes est debitas iniungere, si velit.

4 Vvadingo proximen. 37. ait: sicut supposita dignitate filij Dei huiusque pacto debetur iusto obeunti lumen gloriæ, & sic illuminato visio natura sua perpetua & consequenter ac secundario in æternum etiam reliquæ dotes, vnde vitam æternam mereri dicimur, ita peccato, tanquam merito proprio, debetur carentia visionis Dei primario, cum nihil fit, in peccatore, quo possit visionem Dei mereri: secundario verò cruciatus, & dolores æternos, qui illi æternæ carentiæ visionis Dei consectaria sunt. Huic tamen doctrinæ merito non admodum fidit Vvadingo. Primo: quia, si quemadmodum ad beatitudinis æternitatem in hac doctrina pactum requiritur Dei, ita præter intrinsecum demeritum mortalis pactum requiritur ad pœnæ æternitatem: ergo pœnæ æternitas vltra demeritum mortalis, ac non ex iustitia vindicatiua erit. secundo: licet damnatus nequeat visionem promereri, solùm euincitur non posse esse damnati præmium, non autem per æternitatem iustum esse illius carentiam pro mortali supplicium, sed ad id solum temporis, quod maior, vel minor mortalis malitia finita in huius Doctoris sententia, reposcat. Cum autè primariâ hanc carentiæ visionis Dei pœnâ secundariæ aliæ cruciatuũ sequantur, ac duratione imitentur, neq; hæ demerito mortalis per æternitatẽ respondebunt, si iustitiæ vindicatiuæ attendatur.

5 Addit subtimide Vvadingo circa finem eum, qui se per propriam voluntatem summo omni bono priuauit æternum, iuste eo æternum carere, atque omni malo cruciari. Laudo timorem Doctoris huius in assignanda ratione, quæ vel falsa prorsus est, vel petit manifeste principium: si enim voluntatem illam expressam, & formalẽ carendi æterne summo omni bono in peccatore grauidum peccat, asserat: asseret quod nusquam in peccatore est: si autem solum virtualem, & interpretatiuam petit ratio principium: solum enim vult peccator interpretatiue, dum peccat, pœnam, quæ mortali suo debetur: ergo, nisi supponatur, quod probandum erat, mortali. sc. deberi pœnam æternam carentiæ summi, omnisque boni, non conuincitur velle interpretatiuè peccatorem, cum mortaliter delinquit, carere æterne omni, summoque bono. Hoc ipsum vitium in similibus aliorum meditationibus reperio: quare, & eis referendis, & refellendis abstineo, vltima aliquorum ratio his etiam affinis est, quod in mortali decedens vult æterne in illo permanere habitualiter, saltem interpretatiue, sed quid inde, etiamsi voluntas expressa eius permanentiæ adesset, finitæ solum malitiæ, & offensæ Dei foret, sicut mortalia reliqua: quare & demeriti finiti. & cui ex natura sua æternitas pœnæ respondere nequeat: multo ergo minus voluntati interpretatiuæ, nisi ergo ad rationem æternæ permanentiæ habitualis peccati in damnato, quam in nostro Vasquez impugnabamus. n.2. recurratur, nihil hæc ratio præstabit.

6 His sane, vel similibus horum modorum impugnationibus Angestus Laudatus à Salas. t.2. tr.13. d.1. n.40. docuit æternitatem pœnæ damnatorum ob mortale, in quo decesserunt, esse quidem vltra mortalis demeritum intrinsecum, ac proinde ex iustitia vindicatiua naturali esse minime posse; at vero esse ex iustitia vindicatiua legali, siue iuxta statutam legitime à Deo legem æternæ pœnæ, cum sensus, tum damni decedentibus in mortali, vt homines sui finis ignaros meritantæ pœnæ à mortalibus, in quæ præcipites ibant, deterreret, atque ob alios honestissimos fines, quos omnes assequi non possumus. Non secus atque à Principe, vel Republica, ne montes perpetuo ciuium, ac Reipublicæ damno cito absumantur, cædenti lignum, quod de se, suoque intrinseco & naturali pretio tres tantum, vel quatuor asses valet, pœna vnius, vel duorum scutorum imponitur; iustissimeque, si cædit, ab illo exigitur: quã sunt seq. Sal. ibi. n.34. Vvading. proxime. n.35. fin. ac n.37. fin. illi tantum denique fidens. Card. Lug. de incar. d.5. sect.3. n.51 eam porro sent. Recent quidam, tantum non, hæresis, accusant, non quidem eius, sed ipsorum culpa, qui citatos pro ea, cum Priscos, tum Recent. Mag. non legerint: & quidem, nisi nobis iustitiæ naturalis in pœna hac damnatorum pro mortali defendenda specialis ratio succurrisset, pro ea etiam staremus, sicut aliquando steteramus. Ex quo vero ea nobis ratio succurrit, eam deseruimus: quia iustitiæ naturalis in ea pœna exercitæ adinuenta ratione sustinenda ea opinio non est, quæ ex aliarum solum impugn. & insufficientia probatur, & placuit.

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei Incarnat.

CERTAMEN II.

Pro nostra, ac vera sententia notationes aliquas statuo.

1 NOta Primo ex dictis contr.1. d.3. q.4. cert.5. à n.5. duplicem esse in mortali patiendi à Deo malã, siue damni, siue sensus, dignitatem: alteram quidem meritoriam, alteram formalem. Meritoria dignitas est, quæ in prudenti æstimatione malitiæ mortalis respondet, tantumque, vel tantum exigit pœnæ, siue priuatiuæ, siue positiuæ, hoc est, damni, vel sensus, dignitas formalis nec proprie meritoria mortalis ad pœnam, siue positiuam, siue priuatiuam à Deo subeundam, est ratio inimicitiæ Dei in illo, reperta, ob quam quamdiu quis formaliter Dei inimicus existit, dignus est, qui à Deo omni suo dono, ac beneficio priuetur, omnique malo ab eo afficiatur: etiam seclusõ, ac non attento valore de meritiuo malitiæ moralis, quæ in mortali est. Duas has dignitates ad pœnam à Deo subeundam formaliter distinctas à malitia illius & inter se se in mortali esse, licet vtraque in malitia mortalis fundetur, mihi certum est: & de formali dignitate quod ad rem præsentem satis nobis est, sic probo, quia malitia moralis peccati eiusdem speciei est in mortali, & in veniali: atque in quauis peccatorum specie diuersa. Prædicatum vero inimicitiæ Deo neque omnibus peccatis malitiæ eiusdem specificæ conuenit: siquidem nulli veniali eiusdem speciei cum mortalibus competit: neque intra peccata speciei vnius continetur: sed per species omnes peccatorum diuagatur, quæ intra suam speciem eo possunt malitiæ peruenire, quæ satis sit ad fundandam inimicitiam inter Deum, & peccatorem.

2 Id ipsum probatur secundo, quia malitia moralis formaliter consistit in oppositione cum lege dictaminis diuini; vel rationis humanæ, siue priuatiue, siue positiue, in tali, vel tali materia, vnde & oppositionem grauem habet mortale cum virtute in cuius materia peccatur; ast inimicitia Dei, & dignitas ad pœnam formalis, licet ex graui illa oppositione metaphysice oriatur, in eaque necessario fundetur, nec illa oppositio formaliter est, neque alicui speciali virtuti opponitur, contra quam in ipsius materia delinquitur grauiter à peccatore. Tertio probatur, quia dignitas formalis, carendi omni bono, ac beneficio Dei ratione inimicitiæ grauis peccatis cum Deo, & secundario subeundi omnia mala, quæ ipsi Deus inimicus velit, infligere, oritur indiuisibiliter ex prædicato inimicitiæ Dei mortalis etiam minimi, atque indiuisibili consistit; vt non sit dignitas ad maiorem pœnam in grauiori, quam in minus graui peccatore mortaliter, vt patet. Siquidem eo ipso, quod formalis Dei inimicus est, per mortale, etiam ex mortalibus minimum, dignus est peccator, qui omni bono, ac beneficio Dei priuetur, omnique malo possibili ab eo percutiatur: siquidem id solum cordate ab inimico sperare possumus, vel timere. At vero malitia mortalis, in qua inimicitia Dei fundatur, & hæc inimicitia, quam proxime, immediate, indiuidue dignitas formalis ad pœnam consequitur, nequaquam in indiuisibili consistunt, sed intra malitiam mortalium aliud maius & maius alio est, grauioremque Dei inimicum vnum peccatum alio constituit.

3 Hinc fit, quod secundo loco notatum velim, magnum, neque vnum tantum discrimen inter dignitatem meritoriam, & formalem gratiæ peccatoris ad pœnam à Deo subeundam. Cum enim meritoria dignitas pœnæ malitiæ peccati mortalis necessariò proportionetur, quo gradu mortalia malitiæ maioris sunt, eo crescunt, vel decrescunt in meritoria dignitate pœnarum. Vnde iustissimè contra meretricem Bab. clamabat in Apoc. Deus c. *quantum delectata est in deliciis suis tantum date illi tormenta.* Secus autem in dignitate formali peccati mortalis ad pœnam euenire, vt nunc ostendebamus, secundum discrimen est: dignitatem formalem ad pœnam ita distingui formaliter à malitia peccati mortalis, in qua fundatur, vt ipsi realiter identificetur: ac proinde implicet malitiam mortalis, actualiter, siue habitualiter persistere, quin re ipsa dignitas

gnitas formalis peccati illius mortalis perseueret. Cum enim eo ipso, quod grauis malitia peccati mortalis, adhuc habitualiter, perstet, necessario inimicitia peccatoris cũ Deo, ad quam necessario formaliter metaphysice consequitur dignitas formalis ad pœnam à Deo subeundam, implicat grauem malitiam mortalis persistere, quin ea etiam formalis dignitas perseueret.

4 At vero dignitas meritoria ad pœnam, quæ in mortali est, licet in eius malitia fundetur, eique proportionetur; ei tamen non identificatur realiter adæquate: dicit enim præter malitiam mortalis negationem pœnæ infligendæ à Deo. Cum autem pœna, ad quam dignitas illa meritoria peccati mortalis est, finita in hac sententia, in qua disputamus, sit, poterit tota à Deo infligi: quare, & negatio illa inflictionis pœnæ, ac proinde & meritoria dignitas pœnæ, quæ illa constituebatur, cessare, etsi mortale habitualiter persistat, vt in latrone, qui pœnas luit à iudice qui etiam ex eius bonis creditori restituit, cessat debitum pœnale, & pecuniarium creditori, à quo furatus fuerat. Atque ad rem præsentem accommodatius meritum pœnale venialis in purgatorio per pœnæ debitę inflictionem, à Deo extinguitur: ita, vt nihil vltra mereretur patiens, etsi per Dei gratiam non eluueretur veniale, imo ita etiam damnatis euenire, vt venialibus eorum permanentibus meritum eorum pœnale cruciatuum tolerationę cesset, docent fatis bona Theologia Scotus, & assęclæ, si autẽ ita in merito pœnali venialium cõtigit, non video cur in mortaliũ merito pœnali, quod ad pœnas finitas esse admittimus, ita etiam euenire non debeamus fateri, fixum ergo sit malitiam mortalis cum merito pœnali ipsius, re ipsa non identificari, sed illam potius fine hoc posse re ipsa consistere; sicut & meritum pœnale potest permanere sine malitia, adhuc habituali, mortalis, casu, quo à Deo sine actu vllo nostro gratia habitualis infunderetur, nec debitum pœnale remitteretur.

CERTAMEN III.

Æternitas pœnæ ob lethale malitiæ finitæ ex iustitia vindicatiua naturali esse singulariter ostenditur.

1 EST communis Theologorum conclusio, licet non sit cõmunis ratio. Eã tamen censeo esse constantẽ S. Thom. rationem, iustitiam æternæ pœnæ damnatorum, irremissibilitatem mortalium in ipsis per æternitatem vbique assignatis, quia quandiu aliquis inimicus Dei est per mortale, habet dignitatem formalẽ ad pœnas subeundas à Deo inimico, siue priuatiuas, siue positiuas pro ipsius arbitrio: atqui earum inflictio à Deo ob eam solum formalem dignitatem est inflictio pœnæ digno, atque ex iustitia vindicatiua naturali: ergo quãdiu quis est in mortali ex iustitia vindicatiua naturali à Deo punitur. Tum sic: sed damnati in inferno æterne sunt inimici Dei per mortale: ergo ex iustitia vindicatiua naturali æternè à Deo puniuntur, subsumptum hoc antecedẽs est de fide, ex qua nouimus, omnia, & singula damnatorum mortalia, irremissibilia per æternitatem esse. Maior primi syllogismi est cõmunis sensus Theologorũ, imo, & hominum, inimicũ Dei eo ipso dignum esse, qui priuetur omni dono, bono, & beneficio Dei, quique omnia mala patiatur à Deo, quæ ipsi velit Deus infligere, quid enim aliud ab inimico prudenter sperari potest? vel potius, quid non ab illo possit non timeri prudenter? Inde vero certa videtur minor, quęcumque enim mala, ac pœnæ digno infliguntur, ex iustitia vindicatiua naturali infliguntur, & probatur facile: quia, quæcumque ob dignitatem meritoriam peccati à Deo infliguntur supplicia peccatori, ex iustitia vindicatiua naturali infliguntur, quia digno eorum infliguntur: sed, quæcumque infliguntur à Deo ob dignitatem formalem inimici digno etiam infliguntur: ergo ex iustitia, vindicatiua naturali illi à Deo infliguntur.

2 Dices mala iniuncta ob dignitatem formalem inimici præcisè ex iustitia naturali non esse; sed solum iniuncta ob dignitatem meritoriam peccati. Primo enim, si iudex vltra pœnam respondentem dignitati meritoriæ, vel valori demeritiuo delicti, ob quod delinquens inimicus eius inuisus constitutus est, ob dignitatẽ formalem inimici sui aliquid vlterioris pœnæ iniungeret delinquenti, non solum ex iustitia naturali, in eo addendo non ageret, sed contra ius, fasque omne se gereret. Secundo, quiuis posset iuste ab inimico eo solum titulo mala, quæ posset, infligere, quod est absurdissimum & erroneum. Respondetur facile: ius vindictę de suis inimicis ob formalem dignitatem inimici, non esse penes personas, & potestates priuatas: & inferiores, sed solum penes Deum, ac supremam potestatem diuinam. Cum Deus ad omne hominum, & Angelorum etiam genus clamat. Ad Rom. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Vnde nec iudices, nec personæ aliæ creatæ titulo inimicitiæ, & formalis illius dignitatis possunt aliquid mali inimicis infligere, non quidem defectu dignitatis, sed iuris, seu iurisdictionis. Non secus atque ij, qui iudices non sunt, nequeunt in delinquentes iustis adhuc delictorum suppliciis animaduertere. Cum ergo Deus supremus Dominus sit nullum habens superiorem, cui de inimicis eius vindicta incumbat; imo vero penes quẽ omnium inimicorum vlcisci ei ius sit, & potestas, suos etiam vlciscendi, eosque ob dignitatẽ illam formalem ius proculdubio est, plenaque, ac libera facultas: sic Pf. 93. n. 1. dicitur, *Deus vltionũ Dominus, Deus vltionũ liberè egit*, quare, dũ eo titulo dãnatos punit, ex iustitia naturali vindicatiua punit, vt dicebamus.

3 Dices adhuc vltio, & vindicta ex iustitia vindicatiua respicit compensationem damni illati: atque Deo nullum per nos damnum peccatis, etiam mortalibus infertur: ergo vltio Dei, seu vindicta de mortalibus damnatorum inimicorum per æternitatem pœnæ nequit esse ex iustitia naturali vindicatiua. Negatur maior: compensatio n. damni illati est obiectum restitutionis & satisfactionis; qui sunt actus iustitiæ commutatiuæ, non est autem obiectum iustitiæ vindicatiuæ: ecquid enim compensatur damni illati mortuo, vel sui morte homicidę, quę ex iustitia vindicatiua est. Atque, cum Deus odium expressum sui ex iustitia vindicatiua punit, quo nullus quidem lædituꝛ, quam compensationem respicit: iustitia ergo vindicatiua solum respicit æqualitatẽ pœnæ cum dignitate delinquentis ad pœnam subeundã, quam in Dei inimicis præcisè, qua talibus esse ostendimus, ad carendum omni bono, dono, & gratia Dei: quare æternè durante mortali damnatorũ, & ipsi identificata inimicitia Dei, & dignitate illa formali iuste, ex iustitia vindicatiua naturali æternè puniri.

4 Inde vero aperta se dat facilis solutio arg. Bern. pro infinitate malitiæ, & offẽtæ mortalis quod, sc. finito demerito, & malitiæ peccati nequeat natura sua pœna duratione æterna respõdere: ac proinde nequeat mortale æternũ ex iustitia vindicatiua, necdũ citra cõdignũ, à Deo puniri, vt Patres passim clamãt, nisi infinitæ malitiæ & demeriti sit. Licet enim ex merito iustorum ad gloriã æternam instari argumentum ipsius posset, quia adhuc vt iustorũ meritum est, finitum quid est omniũ sententia: à qua instantia ægrè, aut nunquam se expedit Bernal: atque ad illud de pœna dãnatorũ citra condignũ & præmio Beatorũ vltra condignum dici posset, de operibus secundum se esse sermonẽ: & mortalia quidẽ secundũ se mereri quædãnati patiũtur; secus bona opera iustorũ secundum se præmiũ gloriæ, nisi acceda dignitas operantis, quã ex gratia, & filiatione adoptiua Dei habet: Ast in vtroque ratio illa perstat; quomodo æternitas præmij, aut pœnæ merito, vel demerito finito de cõdigno respondeat; & quidem de meritis secundũ se de cõdigno neque gloriã, neque eius æternitatẽ promereri dicẽã, sed solũ ex adiunctione gratiæ habitualis, quæ ius formale, licet nõ meritoriũ, ad gloriã est, eoque iure æternè in Beatis durante, licet limitatũ sit, nil mirũ, si gloriã conseruet per æternitatem: sicut quæuis causa creata æterne durans æterne suum conseruaret effectũ, vt sol lucẽ; eo etiã modo, licet dignitas meritoria pœnæ in mortali finitæ pœnæ sit meritoria, ac proinde nequeat inde æternè puniri à Deo ex iustitia, atque dignitas formalis pœnæ etiam finitæ sit, quam solam potest damnatus sustinere: cum tamen, quandiu est, id mereatur dignè à Deo inimico pati, quod patitur damnatus, imo multo plura mala, quæ Deus inimicus potest infligere, atque per æternitatem in damnatis adfit, digne, imo citra condignum æterne puniuntur, licet ea dignitas formalis limitata, atque ad limitata pœnas sit.

CERT.

CERTAMEN IV.

Corollaria præcedentis Doctrinæ.

1 EX hac doctrina inferre licet an pœna mortalis aliqua vel sensus, vel damni aliquandiu in damnatis cesset, nec totá duret æternitate. Et quidem de pœna damni nemo hactenus asseruit in damnatis aliquando cessaturam absolutè; de pœna vero sensus; & cruciatuum tandem aliquando absolutè cessaturam nonnulli ex vetustioribus Theologis asseruere: quia, cum meritum pœnale cruciatuum decedentis in mortali finitum sit, finiti temporis perpessione tardius, vel breuius soluendum videtur. Verum erroneè, & inconsequenter docuerunt. Erroneè quidem: quia pœna omnis, siue sensus, siue damni æterna est denunciata à Deo decedentis in mortali: inconsequenter autem; quia, cum pœna damni adeo maior sit, quam sensus, & cruciatuum pœna, vt illa proinde essentialis, ac substantialis, hæc vero accidentalis: atque insuper pœna damni sit in omnibus damnatis æqualis: si ratio illa finitudinis demeriti pœnalis probat tandem aliquando in damnatis defecturam, breuius adhuc defecturam absolute in illis damni pœnam probabit. Nam solutione maioris pœnæ pro merito pœnali eodem citius, breuiusque, quam solutione pœnæ minoris extinguetur meritum, seu debitum illud pœnale: sed certe erroris, & inconsequentiæ huius occasio præfatis Doctoribus fuit, quod dignitatem formalem subeundi pœnas à Deo, quæ in mortali damnatorum est, non attenderunt, sed dignitatem solum meritoriam, illa siquidem dignitate formali attenta, rectęque à meritoria distincta aliter in hac quæstione discurrerent.

2 Ex ea igitur inferendum est, nullam pœnam, siue sensus, siue damni damnatis absolute cessaturam, vt fides docet, per æternitatem: quia tota æternitate dignitas formalis ad pœnam inimicorum Dei damnatorum, quorum peccata irremisibilia sint, durabit, cuius titulo digne, iusteque, à Deo vtraque pœna per æternitatem punientur. Ex ea verò ratione dignitatis meriti mortalis peccati, quæ finita est, illud plane conuincitur: eius titulo damnatos non esse puniendos à Deo per æternitatem, neque sensus, neque damni pœna. Sed ad tempus solum, vel breuius, vel longius pro minori, vel maiori delictorum damnati cuiusque malitia, & meritoria pœnarum dignitate. itaque ad tale, vel tale tempus, ex quo damnatus in mortali decedit duplici titulo vtraque pœna à Deo punitur; vbi autem tempus illud, in quo tantum pœnæ receperunt, quantum merito pœnali proportionato malitiæ mortalis, pro quo damnatus patitur, respondet, absolutum est, iam deinceps solo titulo dignitatis formalis punitur: quia finita illa dignitas meritoria pœnarum, finito tempore perpessionis illarum soluitur, in inferno etiam: non secus ac, si quis sola gratuita infusione gratiæ sine vlla dispositione, ac satisfactione pro debito anteacti mortalis à se exhibita iustus decederet totum meritum pœnale mortale illius deferret in purgatorium, illudque temporali pœnarum perpessione solueret, atque extingueret. Nec refert posse Deum fere totum vtriusque pœnæ pondus damnatis titulo dignitatis formalis infligere, ac pauculum singulis diebus. titulo meritoriæ dignitatis: quantumvis enim pauculum continuo pœnæ hoc titulo finito impendat, illud solum facere poterit, vt longiori tempore titulo etiam meritoriæ dignitatis finitæ puniat damnatum, non autem, vt puniat eo titulo per æternitatem: quantumvis enim subtiliter extenuatum dilatetur, quod finitum est, nequit ad infinitatem aliquam extendi.

3 Infero secundo contra Soarium; Vasquium, ac Doctores communiter cum Vvadingo num. 34. non debere dici in remissione cuiusvis mortalis pœnam æternam commutari in temporalem; sed potius pœnam æternam prorsus perire, ac remanere temporalem, quæ ante mortalis remissionem erat prorsus eandem, & æqua, nisi qui iustificatur actibus satisfactoriis intercedentibus iustificetur. Ratio est ex dictis perspicua: quia dignitas pœnæ æternæ stat in æternitate durationis dignitatis formalis ad pœnam à Deo inimico subeundam, vt diximus: cum autem hæc dignitas formalis inseparabiliter, & identicè re ipsa coniuncta sit cum malitia, & macula mortalis, eo, quo æternitas maculæ mortalis re ipsa perit non potest non æternitas dignitatis formalis peccari illius mortalis perire: at remissione mortalis perit malitiæ, & maculæ ipsius æternitas; ergo & æternitas dignitatis formalis peccati mortalis ad pœnam remissione peccati mortalis necessario perit: ac proinde non commutatur pœna æterna, seu dignitas ad illam in temporalem illud vero in Vvadingo æquo animo ferre non possum, quod præter pœnam æternam, non naturalem, sed legalem (vt ipse tandem putat) pœnam aliam sensus intrinseco merito mortalis respondentem super addi à Deo damnatis asserat, sine vllo in scriptura, aut Patribus fundamento: quasi satis pœnarum miseris non sit, quod merebuntur, solummodo temporaliter (attenta delictorum suorum malitia, & meritiuo pœnarum valore) æternum Dei lege fieri; quod Dei benignitate attenta satis videretur durum. Ego vero, licet vtramque pœnam sensus ex iustitia vindicatiua naturali infligi damnatis à Deo posse non dubitem, alteram ob meritoriam, alteram ob formalem dignitatem mortalis; eam solam, quæ meritoriæ respondet infligi de facto per æternitatem, reor, conformior, vt puto, sensui Patrum clamantium Deum damnatos punire citra condignum.

4 Tertio denique infero multitudine venialium, licet nequeat dignitas formalis mortalis ad pœnam æquari, quia hæc à malitia mortalis (in qua sola inimicitia inter Deum, & peccatorem fundatur re ipsa non differt: ad eamque malitiam mortalem, & inimicitiam cum Deo multitudo venialium, quam maxima nequit peruenire; æquari posse meritoriam dignitatem pœnarum peccati mortalis. Probatur facile ex dictis; si enim dignitas meritoria mortalis ad tempus est, vt pote finita, pone fuisti mortale vnum, minimum mortalium sui generis, mereri pœnam damni, & sensus per mille. v. g. annos, coniunge mille venialia, quorum vnumquodque per annum idem, siue tantumdem mereatur. (Nam & visionis Dei priuatione ad tempus ob venialia amicos Dei in purgatorio puniri, nec sola pœna sensus certissimum est) ecce mille illa venialia meritum tantum habebunt pœnarum, quantum habet illud mortale minimum furti: ergo multitudine venialium potest æquari meritum pœnarum mortalis; quod si plura, & plura venialia coniungas posse æquare illa sui pluralitate mortale summum indignitate meritiua pœnarum facile deduces.

QVÆSTIO III.

An posita malitiæ, aut offensæ mortalis infinitate ad satisfactionem pro illo necessaria fuerit incarnatio?

AD totam commentitiæ huius mortalis infinitatis concussionem videndum est, quo fructu fuerit in Theologiam inuecta. Etenim eo solum commodo fuit ab aliquibus excogitata, vt ad satisfaciendum pro mortali rigidam & absolutam physicam, aut metaphysicam incarnationis necessitatem à Patribus, vt putabant, assertam, tuerentur. Nunc ergo: An posita eiusmodi infinitate, ea rigida necessitas defendatur? in examen vocamus. Neque enim adeo certo vnum ex alio inferri rationes subiiciendæ probare, videbuntur; quare nullo fructu in Theologiam inducitur; imò, & certi alterius dogmatis incommodo.

CERTAMEN I.

Si in mortali offensa, aut malitia infinita absolute sit satisfactio Christi superabundans non fuit, vel non fuit necessaria.

1 RAtionem hanc tetigit primus Sotus citatus de Nat. & grat. &, licet prærereatur prorsus à Recentioribus, vel leui solum prematur calamo, maturiori meditatione digna visa nobis est. Sic habet, quia infinita est persona offensa mortali, eget infinita persona satisfaciente: ergo Christi satisfactio pro mortali non est superabundans. Probatur consequentia. Id est superabundans respectu alterius quod illud replet, & aliquo sui excedit, & exuberat; ast in hac opinione satisfactio Christi pro mortali eius offensam non excedit: ergo non est superabundans satisfactio Christi pro mortali. Minor. suadetur. Æqualitas satisfactionis in hac sententia desumitur ex æqualitate personæ satisfacientis cum persona offensa; ergo vbi est æqualitas vtriusque, vt hic, nequit esse inæqualitas offensæ, & satisfactionis excedentis. Vrgeo: vel ad æqualem satisfactionem impendenda necessario est tota dignitas satisfacientis æqualis cum offenso vel non, sed satis est minor? si tota æqualis impendi debet; ergo tota æqualis dignitas æquali satisfactioni impenditur, quin aliquid ad superabundantiam satisfactionis exundet, si non tota necessario impenditur; ergo minor dignitas satisfacientis sufficiet ad satisfactionem æqualem, & absolutè talem: ergo personæ diuinæ incarnatio necessario absolutè non fuit ad rigide æqualem satisfactionem pro mortali; sed satis erit creatura gratia, donis, dignitatibusque aliis excellentioribus, atque infinitis, si velis ornata. Male ergo ad necessitatem incarnationis tuendam, infinitas mortalis inducitur: qua etiam posita vel satisfactio Christi superabundans non fuit, vel non fuit necessaria.

2 Dices primo Creaturam ita ornatam nondum attingere dignitatem personæ offensæ. Contra: Ergo opus est vt attingat, vt æquè satisfaciat: ergo quæ æquè attingit non satisfacit superabundanter, vt altero dilemmatis membro inferebam. Dices 2. opus non esse, vt attingat, sed, vt habeat dignitatem maiorem, quam possit habere pura creatura; quia, quantumuis hæc eleuetur, infinite distat à dignitate Dei offensi: quare neque proxime accedit ad offensi dignitatem, vt opus est ad satisfactionem. Vnde, nisi æquali & diuinæ, est satisfactio impossibilis: eaque satisfaciente est superabundans: cum de se proximitas ad æquam satisfactionem satis esset, neque requiratur æqualitas. Contra l.... ergo iam non est per se necessaria incarnatio diuinæ personæ ratione infinitatis offensæ simpliciter & absolute talis, pro qua satisfaciendum est: sed quia persona, quæ attingat satisfactionem, minor non adest; licet satis foret minor, si in ea proportione iusta, & æqua adesset: ergo sicut ad soluendum aureum scuto, vel adamante opus simpliciter non est, licet aliquando quia aliud non adesset, scuto vel adamante debito solueretur: Ita ad satisfaciendum pro offensa infinita Deo illata per mortale necessaria per se, & absolutè incarnatio non est. Contra. 3. vbi nam tua ille ratio consistit? Persona infinita offensa exigit personam infinitam satisfacientem; quam, nisi per se probare defendas, intento, & causa, cades, si enim per se, & ab intrinseca magnitudine offensæ, siue infinitate simpliciter ex infinitate dignitatis personæ offensæ necessario desumpta non probet, neque per accidens probabit. Negabitur enim fateile eam infinitatem offensæ ex personæ infinita dignitate desumi.

3 Imo probatur facile contra te; quia offensa, quæ per se requirat ad satisfactionem personam infinitam satisfacientem maior proculdubio est: quam offensa hæc, quæ per se è minori tantillum, quam infinita, si in creatis adesset, solui satisfactione possit: ergo offensa hæc de se, & specie sua infinita simpliciter non est: siquidem maius aliquid in ratione, & specie offensæ, quam infinita simpliciter, ne cogitari quidem potest: quare, quæ minor est, non infinita simpliciter; sed finita simpliciter, & absolute conuincitur; Hinc inferetur: ergo pro illo poterit à creatura pura finitæ prorsus dignitatis satisfieri: ac proinde; vt pro illo satisfiat incarnatio necessaria minime fuerit. Contra rursus: quia, si offensæ magnitudo crescit proportione arithmetica ex personæ offensæ dignitate, atque item satisfactionis magnitudo eadem arithmetica proportione ex dignitate satisfacientis, atque ideo offensa infinita est simpliciter, quia infinita est persona offensa: ergo non aliter erit infinita satisfactio simpliciter, nisi à persona satisfaciente infinita: ergo minoris dignitatis persona, quamuis ad infinitatem proximè accedat, non æquabit satisfactione sua offensam: ergo infinita dignitatis persona necessaria per se erit, vt æquet offensam satisfactione: ergo nihil infinitæ personæ superabundat, vt pro mortalis offensa satisfaciat, sed tota impenditur vt æquet; vt supra arguebam. Si autem, neque offensæ magnitudo crescit proportione arithmetica ex dignitate personæ offensæ, sed solum proportione geometrica, vt vere sic crescit, offensa personæ infinitæ, finita erit non infinita: quare, neque persona infinita satisfaciente opus habebit; vel si habet, nihil in eius satisfactione redundabit. Denique nullius quantumuis dignioris, & dignioris creaturæ satisfactio æquare absolute poterit offensam mortalis; ergo per se requiritur, vt æquet, satisfactio personæ diuinæ, nec minor, quam diuinæ satis erit: quare nec huius satisfactio superabundabit.

4 Dices vnica Christi submissione, quæ infiniti valoris est, exhibita, non solum pro peccatis mundi, sed, & pro infinitis aliis, si adessent, sufficienter esset satisfactum; quare pro mundi, quæ fuerunt peccatis, super abundanter esse satisfactum, vt de merito, & præmio philosophamur. Æstimo in hac sententia philosophiam de merito ad satisfactionem traduci non posse; in ea quippe requiritur ad satisfactionem exhibitio tantundem satisfactionis, quantum fuit offensæ rigidè æqualitate inter vtrumque seruata; non secus, ac si in materia iustitiæ esset, & offensa, & satisfactio: In materia autem iustitiæ, & æqualitatis seruandæ inter offensam, & satisfactionem vnum infinitum pluribus æquiualere non posse: ac proinde neque eadem re infiniti valoris pluribus titulis, seu debitis infinitis, imo infinito vni, & alteri finito satisfieri; maxime, si res illa multiplicabilis sit, ostendimus late disputat. 1. quæst. 3. cert. 1. num. 4. Ergo cum Christi actus satisfactionis multiplicabiles sint, vnico, licet infinito, nequibit ad æqualitatem satisfieri pro pluribus tot hominum, infinitis offensis, sed solum pro vna. Vnde, cum Christi actus satisfactoris pauciores fuerint, quam actus mortales omnium hominum existentium, nedum possibilium, non solum superabundans, sed æqualis adhuc Christi satisfactio non erit. Contra secundo: satisfactio Christi, quia simpliciter infinita, æquialet omnibus infinitis offensis mortalibus omnium hominum, etiam possibilium, quare & est superabundans pro mortalibus omnium absolute existentium: ergo offensa cuiusvis mortalis, quia simpliciter infinita per te, æquialebit omnibus infinitis satisfactionibus, non solum, quæ à verbo incarnato fuerint, sed quæ tam ab ipso quam ab aliis duabus personis diuinis, si incarnaretur, possent exhiberi: vnde tuo argumento infertur offensam cuiusvis mortalis esse excedentem & superabundantem satisfactioni Christi, quam omnibus mortalibus superabundantem asseris: ergo tua solutione, & discursu ad contradictionem Compelleris. Quod si dicas mutuam superabundantiam offensæ mortalis & satisfactionis Christi, non quidem mutuum excessum, sed mutuam potius æqualitatem conuincere: iam admittes Christi satisfactionem pro mortali superabundantem non esse contra Patrum

Patrum Ecclesiæ sensum, vt contra rationem etiam infinitatem malitiæ, aut offensæ mortalis defendas.

CERTAMEN II.

Si infinitas offensæ mortalis stet, satisfactio Christi insufficiens fuit, neque ad æqualem exhibendam incarnatio necessaria.

1 NIsi mens nostra cogitationi aduletur videbunt, infinitatis offensæ in mortali adinuentores in quantum cogantur absurdum nisi à sua sententia recedant, sic arguo. Infinita hæc offensa mortalis stat per vos in contemptu, & dehonoratione Dei summæ, atque infinitæ excellentis dignitatis à persona vili, scilicet homuncione infinitè proinde distante per decrementum dignitatis à Deo offenso: ergo nequit offensa hæc infinita compensari æquiualenter in æstimatione submissione, & obsequiis ab humanitate Christi exhibitis. Probatur primò consequentia: quia homo Deus, siue humanitas Christi satisfaciens, etiam vt sanctificata, & dignificata ab vnitis sibi persona, & natura diuina, tantæ sanctitatis, & excellentiæ non est, ac ipse Deus offensus, licet sit infinitè sancta, excellens, ac digna, vt ostendemus controu. 4. d. 4. quæst. 3. cert. 1. num. 3. & toto cert. 2. sed nequit offenso in hoc modo philosophandi ad æqualitatem satisfieri à minus excellente, & digna persona: ergò neque Deo offenso potest ad æqualitatem à Christo satisfieri. Sed admissa gratis æqualitate dignitatis humanitatis Christi cum Deo offenso. Probatur secundò consequentia. Æstimatio inhonorationis, & offensæ desumpta ex distantia per decrementum minoritatis in dignitate personæ offendentis à persona offensa petit in æstimatione ad æqualem compensationem tantumdem distantiæ per excessum in dignitate personæ satisfacientis à persona offensa: atqui hunc excessum nequit habere humanitas Christi, vt dignificata à persona, & natura diuina sibi vnitis respectu Dei offensi per mortale; ergò neque humanitas Christi, vt dignificata à verbo incarnato exhibere potest satisfactionem æqualis æstimationis pro offensa mortalis. Maior probatur, quia contemptus, ac dehonoratio æqualis, à persona æquali in dignitate tanta solum submissione æqualis ad æqualem offensum, vt minimum, compensatur æquiualenter in æstimatione: atqui contemptus idem, & dehonoratio facta superiori ab inferiori in dignitate excedit valdè (imò in horum opinione infinitè) eundem contemptum, & dehonorationem factam ab æquali: ergò satisfactio ab æquali facta excessum illum dehonorationis factæ à superiori æquare in æstimatione nequit; alioqui minori dehonorationi factæ à persona æquali personæ offensæ, erit inæqualis, & æqualis contradictione manifesta.

2 Res est in hoc modo taxandi magnitudinem offensæ per augmentum dignitatis offensi. & decrementum offendentis prorsus clara. Dehonorauit plebeius Principem virum: eritne satis, vt dynasta Principi æqualis ipsum honoret, seque nomine, aut vice offendentis submittat: minimè gentium: sed opus erit, vt Rex, Princepsvè, superior Principem dehonoratum à plebeio honoret, vt illi satisfiat: nusquamque videmus æqualis hominis honoratione, & submissione satisfactum alicui fuisse pro dehonoratione ipsi à suo vilissimo mancipio irrogata. Dices posse compensari excessu honorationis, & submissionis factæ ab æquali defectum excessus dignitatis in æquali satisfaciente; Christus autem plus se Deo pro homine submisit, quam homo Deum contempserit. Vide quid dicas: ergò minimo opere virtutis Christus non satisfaceret pro mortali hominis ad æqualitatem. Secundò: ergò, cum adeò plures, & plures fuerint contemptus omnium hominum, quam actus virtutum exerciti à Christo pro omnibus ad æqualitatem non satisfacit: cum ferè dogmaticum sit Christum quouis perexiguo opere pro omnium hominum etiam possibilium, mortalibus æqualiter, imò superabundanter satisfecisse. Tertiò, si infinitas personæ diuinæ satisfacientis, ex qua sola tota desumitur infinitas satisfactionis Christi, non arguer æstimationem offensæ mortalis infinitæ, imò indubitabiliter infinitæ, infinitè erat minor in æstimatione satisfactio: quicquid enim infinito minus est, infinitè minus est, vt patet: quid ergò præstabit finitum maioris submissionis augmentum, vt infinitum excessum offensæ in æstimatione exæquet.

3 Dices negari non posse valorem, & æstimabilitatem satisfactionis Christi esse infinitam, Deoque indebitam. Sed quid inde? mittamus, an sint indebita Deo Christi opera: quia non agimus modo de satisfactione Christi ex iustitia, sed ex æqualitate æstimationis operis satisfactorij cum offensa. Deinde Christi opera Dei esse ostendimus disputat. 1. quæst. 3. cert. 3. & 4. atque in Bernalis opinione (quem contra expressius pugnamus: de seruitute Christi indubitatum esse debet. Illud de infinitate satisfactionis Christi dogmaticum est, sed quòd ægrè in aduersariorum doctrina, & discursu defendi queat. Etenim, vt satisfactio infinita fit, deber æquare compensatione sua offensam omnem; ostendimus autem ne vnam quidem æquari è satisfactione Christi in hac doctrina: ergò in eadem infinita satisfactio Christi non est. Dices in dignitatibus creatis locum habere exhaurtionem dignitatis æqualis ad satisfactionem pro offensa facta ab æquali, secus in dignitatibus personarum diuinarum, quæ cùm infinitam simpliciter satisfactionem constituant, omni offensæ, etiam ab inæquali factæ, æquiualent. Contra: quia, etsi infinita sit dignitas satisfacientis offenso, infinitè etiam digno, tota impenderur in satisfactione iniuriæ ab æquali offensore: ergo nihil redundat in satisfactione, quod æquet excessum offensæ infinitè viliori persona irrogatæ. Vrgetur, & explicatur. Titulo dignitatis personæ offensæ ab æquali exigitur tota dignitas æqualis satisfacientis: ergo pro alio titulo vilitatis personæ offendentis infinitè distantis per minoritatem dignitatis à persona offensa, ex quo adeò per te crescit offensa in æstimatione morali, scilicet infinitè, nihil est, quod offeratur ab æquali satisfaciente. Recole quæ notabamus disputat. 1. quæst. 3. cert. 1. numero 4. Pone item Deum, diuinasque personas ab humanitate Christi offensas mortaliter, vt qui eam antecedenter peccabilem admittunt fieri absolutè posse arbitrantur. Nonne tota infinita dignitas humanitatis Christi offendentis necessaria esset, quin aliquid redundaret, vt offensæ satisfieret, sed vilitate creaturæ infinitè distantis per decrementum dignitatis à persona diuina offensa in mortali, crescit in immensum æstimatio offensæ; quonam ergò excessus hic æquabitur satisfactione æqualis personæ Christi satisfacientis, licet infinita eius dignitas sit? cum eius dignitas tota taxato ad æquam minoris offensæ satisfactionem, impendenda necessariò erat.

4 Dices: quia meritum Christi infinitum est, etsi præmio simpliciter infinito præmiaretur, tamen aliud mereretur, & aliud de condigno, quin condignitas exhauriretur infinito præmio primo: ergò, neque infinita satisfactio Christi satisfactione offensæ Dei ab æquali exhauriretur, ita vt nequeat attingere satisfactionem excessus offensæ Deo illatæ à vilsori creatura. Respondetur negando in primis antecedens, si enim præmium daretur simpliciter infinitum merito Christi exhauriretur eius valor; compensareturque ad æqualitatem; ast nullum præmium simpliciter infinitum est possibile, sed solum secundum quid, v. g. in quantitate intensiua, extensiua, aut discreta, quod non est infinitum simpliciter, sicut esse afferitur ab aduersariis mortale, licet falsò. Nihil enim nisi diuinum, & increatum secundum se infinitum simpliciter, & è genere suo est. Hinc omnibus præmiis possibilibus æquatur meritum Christi, imò omnia valore meritiuo excedit: quare mirum non est, si dando in præmium

infinito intensiuo, vel discreto aliis omnibus præmiis obtinendis valor meritiuus superfit merito Christi, quia vni, aut pluribus, non æquatur solum? sed excedit. Aſt valor satisfactorius, in horum sententia & discursu, non excedit offensæ factæ ab æquali: quare exceditur à facta ab inferiori; vnde, neque infinitus est, & licet esse admittatur, non est satis ad vtrumque; cum offensæ factæ ab æquali tantum sit, iuxta hunc modum philosophandi, æqualis.

CERTAMEN III.

Posita infinitate offensæ, & æqualitate satisfactionis Christi incarnatio ad satisfactionem necessaria minimè foret.

1 PRobatur conclusio: quia eis positis posset adhuc à puro homine æqualis valoris cum offensa satisfactio exhiberi pro mortali: ergò neque eis admissis ad satisfaciendum pro mortali incarnatio necessaria foret. Consequentia est certa; Probatur antecedens: nam, si persona diuina sine vnione ad naturam humanam, vel Angelicam ex Dei decreto, & pacto illam mitteret, egregiaque in satisfactionem pro mortali obsequia præstaret, actiones illæ nomine diuinæ personæ exhibitæ æquam moralem æstimationem haberent cum æstimatione offensiua mortalis: ergò per creaturam puram præstari posset pro offensa Dei æqualis satisfactio. Probatur antecedens. Sicut mortali offenditur persona diuina submissione illa creaturæ nomine diuinæ personæ æqua esset æstimatio moralis ex dignitate personæ se submittentis, cuius nomine exercetur submissio: non secus, ac si Rex æqualem alium Regem offendisset, postmodumque legatum, seu procuratorem mitteret, vt suo nomine, & authoritate, suamque agens personam, non propriam, se læso Regi submitteret: tunc enim in communi æstimatione morali, & ciuili submissione illa sui legati læso Regi satisfaceret: nam sicut in imagine, insignibus, & legatis præsertim Rex, & lædit, & læditur in propria persona, & maiestate, ita, & satisfacit, ac ipsi satisfit. Ratio à priori nostri antecedentis est: quia actio procuratoris ex nomine, & persona sui principalis facta censetur in morali, & ciuili æstimatione actio ipsiusmet principalis.

2 Respondet Bernal. disputatione 4. sectione 7. §. 2. numero 154. actionem satisfactoriam esse maximè personalem, ac proinde valorem accipere à persona propriè, & physicè illam eliciente. Sed contra, quia, licet sit maximè personalis, non eo sensu, quem Bernal. intendit, sed quem dedimus disputatione 1. quæst. 2. cert. 1. nempè personæ offendentis, vt, nisi aliqua sit offensæ remissio, ab alia persona quam offendentis, nequeat fieri læso satisfactio: aſt in sensu Bernalis, quod scilicet valor satisfactionis nequeat prouenire nisi à dignitate personæ illam physicè elicientis, personalis non est. Sicut enim læsio, & offensa potest per legatum fieri, quin illius æstimatio ex persona legati pensetur, sed principalis, (alioqui maior esset iniuria: cum legatus alius Regem alium sui Regis nomine durius, & iniuriosius alloquitur, cum longè sit Regi iniuriato indignior:) ita & satisfactionis per legatum physicè illam exhibentem nomine, & authoritate Regis valor, ex Regis dignitate moralem, & ciuilem æstimationem habebit. Contra secundò: quia in re præsenti inhonoratio, læsioque Dei per mortale non attingit immediatè, & in se physicè Deum: & tamen accipit æstimationem moralem à dignitate diuina per te: ergò, licet satisfactio non attingat in se physicè personam diuinam satisfacientem immediatè, quia non ab illa: sed à legato physicè immediatè elicitur, tamen ab illa æstimationem moralem recipiet: cum eius nomine, expressaque voluntate, & persona se legatus submittat.

3 Confirmatur, & explicatur: quia eatenus offensa mortalis Deum attingit quatenus Deus prohibet: ergo eatenus solum attingit Deum quatenus attingit legem ipsius, quam violat; quare non Deum immediate, & in se, imò sæpè non est legis diuinæ notitia, sed solum dissonantia ad rationem naturalem; sæpe etiam est Dei prohibentis, vel nulla, vel perexigua consideratio, & attentio; quin, & quando magna adest, non adest tamen contemptus expressus legis diuinæ, neque ex eius, Denique contemptu delinquitur; sed quia voluntas creata commoditate, voluptate, & fragilitate cedit; ergo expressa submissione per legatum suum physicè elicita pro eo satisfiet. Confirmatur rursus. Nam quantumuis seuere Rex præciperet, etiam sub læsæ maiestatis pœna, aliquid subdito, isque ob passionem, commoditatemque sine expresso legis, ac præcipientis contemptu, præcepto Regis contrairet, idque ita, non aliter, factum Regi constaret, tuncque Rex alius per suum legatum se Regi illi pro subdito transgressore submitteret, sufficienter quantum ad æqualitatem læso honori Regis satisfaceret; imo etsi expresse lex, Rexque ipse fuisset à transgressore contemptus: ergo persona diuina per puram physice creaturam à se ad id destinatam, & legatam, vt suo nomine Deo pro grauí hominum transgressione submitteretur honori læso, offensæque diuinæ (esto infinitæ) faceret satis: ac proinde necessaria incarnatio non esset. Hoc argumento vtor contra Bernalem, licet alioqui non satis firmum videam ex alio capite: persona siquidem diuina nequit se, nec alteri personæ Trinitatis, adhuc per legatum, submittere, aut ex virtute quapiam satisfacere: cum eiusdem ad se ipsum satisfactio ex virtute vlla esse non possit, neque ab eadem voluntate offensi promanare.

4 Melius ptobatur argumento illo nostri Vasquez, memorato disputatione prima, quæstione tertia, certamine tertio, numero quarto; cui est impossibilis satisfactio, est impossibilis obligatio, ex quacumque virtute sit; atqui graui peccatori est impossibilis prorsus per te satisfactio offensæ diuinæ; ergo, & est impossibilis obligatio. Inde rursus: ergo, & est impossibilis satisfactio personæ diuinæ pro offensa graui peccatoris. Patet: nam satisfactio vnius pro aliquo supponit essentialiter in hoc aliquo obligationem; alioqui enim, qui damnum à me alteri illatum, quodque ego resarcire non debeo compensat gratis, pro sua voluntate compensat, non vt alicui obligationi satisfaciat: quare compensatio illa satisfactio non erit, sed gratuita, ac liberalis donatio; Suum etiam hic locum habet aliud argumentum de debito mortalis subiectiuo nostri Vasquez, pro quo toto posse satisfieri ab ipso peccatore per actum suæ contritionis perfectè, doctè, & acutè ipse probat. Quidquid enim sit de magnitudine, seu infinitate mortalis vbi primum aboletur contritione perfecta, nec macula neque offensa ipsius remanet, sed hoc argumentum expendemus disputatione tertia, quæstione 1. a. certam. 2. numero quarto, vbi solutiones recentiorum Complutensium eneruabimus; indeque lector omnia huc eodem robore aduocari posse videbit: cùm æquè probet argumentum de satisfactione pro offensa, & macula mortalis, siue finita, siue infinita sit, vt legenti constabit.

* * *

DISPVT.

DISPVTATIO III.

De aliis rationibus, ob quas necessaria iudicari potest à nonnullis incarnatio ad satisfactionem pro mortali.

IAM cum iis conferenda manus est, qui mortalis, & malitiam, & offensam, finitam esse censentes, nihilominus non posse à pura creatura æquam compensationem pro mortali exhiberi defendunt. Id quod ægrè adeò tueri possunt, vt, complures ex antiquis, & modernis. Patronos hic sensus habeat, nemo ferè prædecessorum rationibus fidat. Hoc nobis opinionis huius dubiam semper fidem, certamque suspicionem fecit. Singulatim ergò rationes omnes disputatione præsenti examinandæ sunt.

QVÆSTIO I.

An offensa mortalis, licet finita, magnitudo ad sui satisfactionem necessariò exigat personæ diuinæ incarnationem.

PRÆFIXVS quæstionis titulus apertus adeò est, vt nullam sui explicationem, etiam pro tardioribus, requirat.

CERTAMEN I.

Affirmatiuæ authores, & aliquorum inconsequentia.

AFfirmant S. Thom. 3. parte, quæstione 1. articulo 2. ad 2. Alens. Bonauent. Vasq. Richard. apud Suar. disput. 4. sect. 3. circa medium quos, & ipse ibidem sectatur: quia, licet finita sit mortalis offensa, adeò tamen ex dignitate Dei offensi, & vilitate offendentis creaturæ moralis offensæ mortalis æstimatio, excrescit, vt supremum genus offensæ constituat. Atque omni puræ creatæ dignitati, & æstimationi, seu æstimabilitati morali satisfactionis excedat, maximè cum pro vili creatura contemnatur Deus; quare diuinæ personæ satisfactione per naturam physicè sibi vnitam exhibita opus fuit, vt pro huiusmodi offensa fieret Deo satis. Huic conclusioni, & rationi inter alias, quas quæst. 2. impugnabimus, assentiuntur vulgò Recentiores, præsertim Complutenses. In his tamen consequentiam desidero. Ipsi enim, vt respondeant calculatorio argumento de augmento moralis æstimationis offensæ maioris, & maioris, pro maiori personæ offensæ dignitate quam offendentis, non habere locum aiunt, eiusmodi calculationem, nisi in his qui offensa lædunturi; Deum autem offensis mortalium non lædi, offendiuè propriè, sed solum, quatenus insensus eorum malitiæ est, eamque est perosus; ac proinde non inferri ex infinita dignitate Dei offensi, atque infinitè distanti homunculi offendentis vilitate offensæ mortalis infinitatem: Sed ecce inconstanter admittunt calculationem illam locum habere respectu Dei; ergo admittere debent Deum propriè mortalibus lædi, & offendi, quod negabant, & offensæ mortalis infinitatem, quam etiam inficiabantur, eo præcisè, quia, cum propriè non læderetur nostris mortalibus Deus, argumentum calculationis illius locum non habebat.

2 Sed instant: grauius est furari centum ab amico, quam ab inimico, quin crescat malitia contra iustitiam; sed quid inde? an præter quam in damnificatis, & læsis proprie contendis inde locum habere calculationem? certe, si euincis contra te, vt dicebam, euincis. Secundo furari à digniori non auget malitiam furti: ergo neque malitiam mortalis quod à vilissima creatura id fiat; quæ, quo vilior est eo minus à sua nobilitate peccando defecit. Tertio caue ne potius probes exemplo tuo iustum æque graui de se peccato grauius delinquere, quam peccatorem: quia offendit amicum, cuius tamen oppositum ex instituto defendis disput. 3. memb. 4. §. 1. num. 92. tuæque huic rationi aduersatur: nam iustus dignior sane peccatore est, ac proinde minus offendet Deum, quam peccator vilissimus. Contra quarto: quia fine horum omnium aduertentia, imo & notitia, ex sola aduertentia & cognitione grauitatis malitiæ, & dissonantiæ, quæ est in mortali committendo potest mortale committi: tuncque nihil circunstantiæ influent, neque erit contemptus Dei: cum nihil influat in peccatum, nisi præcognoscatur. Dices non posse non cognosci, eo ipso, quod cognoscatur mortale, separationem peccatoris à Deo eiusque inimiciriam, & odium. Sed negatur atque impugnatur facilè assumptum. Separatio enim à Deo, eiusque odium totam malitiæ mortalis prauitatem supponit; non autem contra, quia nos à Deo separat, ipsique sumus odiosi, malitia, & offensa mortalis grauis est: quare iis damnis ignotis cum sola cognatione grauis dissonantiæ mortalis malitia, & offensa grauis incurretur, quam statim sine scientia peccatoris eiusmodi damna sequantur. Quemadmodum, si filius ignarus odij paterni, quod ob furtum incurret, furatur, illud ipsum odium incurret, vt controuersia de bonitate, & malitia docebamus cum Salas 1. 2. tom.... tract. 13. disput. 16. sect. 22. Azor. tom. 1. institut. moral. lib. 4. cap. 1. quæst. 4. Vega 3. in Trident cap. 25. & aliis, estque planum: quia odium illud ob furtum est in Patre & ob dissonantiam grauem mortalis in Deo, quæ quidem posita aliorum inaduertentia ponuntur, si filius furetur & creatura grauiter delinquat.

3 Card. Noster Ioannes de Lugo disp. 5. sect. 4. eidem rationi insistens demum impossibilitatem satisfactionis pro mortali à pura creatura ad rationem politicam, quamque status vocant, reducit. Quia æquum est, inquit, vt non possit dari purè creata compensatio pro mortali, idque eius exigat offensa, vt natura, quæ præceps in mortale ruit deterrita in officio contineatur: sciens nimirum se totis suis viribus, & totis naturæ impensis, nec posse offensam compensare, neque in Dei gratiam redire. Sed cum æquitas illa fuerit respectu Dei, ita statuentis mortalis offensæ à pura creatura incompensabilitatem, inquiro, an eiusmodi constitutio diuina fuerit iuxta condignam, iustamque exigentiam intrinsecam offensæ mortalis, an vltra illam, atque ex fine deterrendi homines à mortali; si primum offensa mortalis natura sua, eiusque intrinseca compensabilitas omni creatæ, & infinitæ compensationi excedet, exigetque diuinæ, & increatæ personæ compensationem: quod renuit Lugo concedere, ne infinitam esse mortalis offensam admittat. Quod si dicas esse in offensa mortali, vt non exigentiam satisfactionis à persona diuina, vel ad condignitatem satisfactionis perueniat, tamen congruentiam, vt compensatio maior à Deo statuatur incidis in secundum dilemmatis membrum: neque id ex natura compensationis creatæ, & offensæ mortalis erit, sed ex conditione arbitraria, licet congruenter, à Deo adhibita ad reconciliationem; id autem non abolet naturalem, & absolutam compensationis creatæ, & offensæ mortalis æqualitatem: quare incarnatio ex Dei libera, prorsusque arbitraria lege, non verò ex naturali offensæ mortalis magnitudine necessaria ad satisfactionem pro mortali foret.

4 Sed

4 Sed neque ratio illa politica, seu ſtatus nimis vrget, vt ita Deus ſtatuiſſe monſtretur. Etenim, etſi non ita ſtatutum foret, ſed iuxta ſui valoris condignitatem offenſa mortalis aliquo actu pure creato, ſaltem perfectiſſimo, atque arduiſſimo, vel immenſa ſimilium congerie compenſabilis ad æqualitatem permaneret, cum tamen hic actus, vel ea congeries non niſi ex gratia Dei peccatori inimico, & adeo infenſo, quæ ſupernaturalis ordinis eſſet, elici poſſent, ſcirent adhuc homines totis ſuis, naturæque viribus impenſis, neque offenſam mortalis compenſari, neque eos in Dei gratiam poſſe redire: quod ſatis terriculamenti foret. Quod ſi maior ex neceſſitate, arbitraria, licet congruenti, incarnationis ſtatuta ad ſatisfactionem terror incutiendus eſſet: cum ſtatim incarnatio decernatur, nobiſque adeſſe innotuerit, & verbum incarnatum, eiuſque infinitam ſatisfactionem, quid tanti remedij neceſſitate conſtituta deterrebimur, quam nobis adeſſe certe nouimus? Confirmatur: quia illa Dei voluntas ita ſtatuens nequit deterrere à mortali niſi cognita ex reuelatione per fidem: ergo. Nequit deterrere infideles. Sed neque fideles deterrere poteſt, quibus non id ſolum fide cognitum eſt, ſed etiam incarnatio, & ſatisfactio Chriſti, qua ad reconciliationem cum Deo, & compenſationem mortalis ex arbitraria illa lege Dei egebant; Nec video, vt hæc omnia ceſſent, quidnam magis hominum moribus adeo in peccata facilibus noceret, ſalutis recuperandæ per ſatisfactionem ſuam abſoluta, licet ardua, poteſtas, an ex omnimodo abſoluta impotentia ſatisfactionis, reconciliationiſque cum Deo ſalutis deſperatio? qua nimirum habenas vitiis laxarent, ſtudiumque virtutum omne reiicerent.

CERTAMEN II.

Offenſæ mortalis finitæ magnitudo incarnationis neceſſitatem abolet, non expoſcit?

1 VT offenſæ finitæ mortalis, quantumuis ex præfata conſideratione dignitatis Dei offenſi, & vilitate hominis offendentis magna ſit, ſatisfiat, neceſſariam incarnationem non fuiſſe, ſed puræ creaturæ compenſationem eſſe poſſe ſatis, docent Alexand. 3. parte. q. 1. membr. 5. art. 2. corp. Scotus in 3. diſt. 19. & 20. & in 4. diſtinct. 15. q. 1. art. 1. §. *quantum ad iſta* quem ſua ſchola imitatur, vt videre eſt in Scotiſta Fabro in 3. diſ. 47 cap. 2. Richardus vterque. Paludan in 3. diſtinct. 20. q. 2. Caiet. 3. p. q. 1. art. 2. §. *Ad alterum* & apud Suar. proxime, & apud R. Salmantinos Scotum reprehendens, quod S. Thomam iudicarit aduerſum, Bañez 1. parte q. 2 1. art. 4. licet ex his alij ſolam ſanctitatis dignitatem in ſatisfacturo requirant, alij vero Dei etiam pactum. Ruard. Tap. art. 6. §. *ſed hæc ſatisfactio.* Vaſq. diſp. 2. cap. 5. ſuæ, & authoritatis, & rationis ſubiiciendæ pondere Complutenſem ſcholam toto fere ſæculo ad hæc vſque tempora trahens, Gaſp. Hurt. diſp. 1. diff. 10. Probatur primo concluſio argumentis datis diſp. 2. q. 3. quibus probabamus, etſi infinita eſſet mortalis offenſa ad ſatisfaciendum pro illa neceſſariam non eſſe incarnationem. Licet enim ex infinita dignitate perſonæ offenſæ & infinite diſtanti vtilitate offendentis non creſcat proportione arithmetica infinite offenſæ mortalis magnitudo, ſed ſolum geometrica proportione iuxta aduerſarios hoſce, ac proinde non infinita, ſed finita prorſus ſit, tamen admiſſo per hos etiam ex magnitudine offenſi, & vtilitate offendentis maioribus creſcere, etiam reſpectu Dei, offenſam in morali æſtimatione, egereque in ſui ſatisfactionem dignitate ſatisfacientis, quæ totum illud exæquet, neque Chriſti ſatisfactio ſuper abundans erit, vt citata q. 3. cert. 1. monſtrabam, imo neque ſufficiens, vti ex his principiis cert. 2. oſtendebam: ac demum ex vniuerſalioribus principiis à pura phyſicè creatura poterit ſatisfactio æqualis exhiberi, vt certamine 3. videbamus: atque hæ quidem rationes vrgentius prodebant admiſſa offenſæ mortalis finitudine: quare neque incarnatio erit neceſſaria vt pro mortali, vel eius offenſa fiat ſatis, vti rationes illas perpendenti ſatis patebit.

2 Attamen rationibus aliis probandum hic erit ſtatuta offenſæ mortalis finitudine pro illa fieri à pura creatura ſatis abſolutè poſſe: ac proinde eius ſatisfactione per ſona diuina non egere. Sic probo, ſatisfactio offenſæ finitæ non pugnat contradictoriè cum ſatisfactione finita: quod non pugnat contradictoriè cum ſatisfactione finita, non pugnat contra dictoriæ cum ſatisfactione creata: ergò ſatisfactio-offenſæ finitæ non pugnat contradictoriè cum ſatisfactione creata: atqui per vos offenſa mortalis finita eſt; ergò, eius ſatisfactio non pugnat contradictoriè cum ſatisfactione creata. Probatur maior à contrario: offenſa cuius ſatisfactio pugnat cum ſatisfactione finita infinita abſolutè eſt; quod enim finita quauis detractione non exhauritur infinitum abſolutè eſt, non finitum. Explico vim argumenti, & confirmo ſimul: etenim, licet nullum ex noſtris operibus quantumvis perfectiſſimum, ſatisfactio abſolutè ſit pro mortali; quia iuxta rationes varias mox confutandas non æquat morali ſua bonitate, & æſtimatione mortalis prauitatem per aduerſarios, neque proinde tantum poteſt Deus in perfectiſſimo noſtro opere complacere, quantum diſplicet in mortali; ſed tamen, vt hæc ita ſint, negari nequit, quin bonitatem habeat, & magnam quidem eiuſmodi opus, ratione cuiuis in eo Deus complaceat, atque ex parte licet minutiſſima, aliqua tamen, Dei famam, & honorem mortali ablatum reparet. Tunc ſic: id quod finitum eſt, atque aliquo, vel aliquibus operibus ex parte poteſt compenſari, plurium, & plurium ſimilium actuum repetitione, & multiplicatione compenſabile abſolutè eſt. Ergo, quod nulla operum noſtrorum repetitione quantumvis perfectiſſimorum abſolutè compenſabile eſt, abſolutè infinitum eſt: atqui per vos mortale, eiuſvè malitia, vel offenſa nulla perfectiſſimorum actuum creatorum repetitione, & multiplicatione compenſabile eſt: ergo infinitum abſolutè eſt contra vos, non finitum. Reſpondet Soar. diſputatione 4. citata: offenſam ſupremi generis eſſe offenſam mortalis, licet finitam: quare non poſſe æquari, & exhauriri finita quauis ſatisfactione quantumvis repetita. Perſtat tamen argumentum, cui nihil ſatisfactionis his verbis adhibetur. licet enim ſupremum genus nequeat ab inferiori æquari in perfectione phyſica, aut metaphyſica, ſiue in prædicatis eſſentialibus, inquiro: an ita dicat offenſam mortalis eſſe in ſupremo genere offenſæ, vt creata quæuis ſatisfactio quantumvis multiplicata inferior, & inæqualis ſit æſtimatione morali? ſi hoc dicat petit apertè principium reddens pro ratione, & ſolutione concluſionem, cuius oppoſitum argumentum factum euincit.

3 Sin autem dicat nullam aliam offenſam factam contra quamuis aliam perſonam creatam æquare offenſæ mortalis magnitudinem, ac proinde hoc eſſe ſupremum offenſæ creatæ, & infinitæ genus, bene philoſophatur; inde verò ſolum oſtenditur non poſſe aquari eius magnitudinem ab offenſis aliis erga creaturam quamuis admiſſis: neque ſatisfactionem pro his poſſe eſſe ſatisfactionem pro mortali; non autem non poſſe euacuari mortalis offenſam ab illa ſatisfactione finita quantumvis repetita, & pene infinities multiplicata: quod ſatis noſtro inſtituto erit. Quin, licet offenſa & dehonoratio facta à viliſſimo ſuo mancipio ſummo terræ totius imperatori ſuperior ex genere ſuo ſit aliis, quæ reliquis hominibus fieri poſſunt, tamen multiplicatis ſubmiſſionibus phyſicè maioribus, egregiis quæ erga imperatorem illum obſequiis tandem æquari ſatisfactionibus offenſa illa poſſet: ergò, licet offenſa mortalis ſit in ſupremo genere offenſæ, ſi tamen finita ſit, perfectiſſima contritione, egregiiſque aliis erga Deum obſequiis pluries, & pluries repetitis æquè à pura creatura poterit compenſari, et ſi vnico, vel

vel aliquibus contritionis actibus non eſſet ſatis, cuius oppoſitum oſtendam certam. ſequenti & quæſt. item ſequenti. Etenim non ita in rebus, quæ ſuperiores ex ſpecie ſua ſunt in ratione valoris, & æſtimationis moralis cenſendum eſt, atque in phyſicè, vel metaphyſicè ſuperioribus, quorum perfectio numquam phyſice, aut Metaphyſice adæquatur, etiam à pluribus ſpeciei, vel generis inferioris. Licet enim argenti valor moralis ex ſpecie ſua maior, ſuperiorque ſit, quam æris, maiorque auri, quam argenti, & equi maior, quam auri, & hominis maior quam equi; tamen inferioris multiplicatione æquatur valor, & æſtimatio moralis ſuperioris: quare, licet admittamus offenſam mortalis finitam eſſe in ſupremo genere offenſæ, etiam reſpectu creatæ ſatisfactionis, huius repetitione maiori, & maiori moralis eius valor, & æſtimatio æquari tandem poterit, ac proinde ſatisfactio pro mortali à pura creatura exhiberi abſolutè poterit, quin ad eam exhibendam neceſſaria fuerit incarnatio.

4 Dices cum Salmantinis R. mortalis offenſam in ſupremo & inæquabili genere ab illis creatis ſatisfactionibus eſſe, inde colligi: quia nulla leuia peccata, etiam venialia omnia, malitiam mortalis æquare queunt; cum tamen plura opera bona, & plura poſſint tandem bonitate æquare actum virtutis perfectiſſimum: vnde claret maius quid eſſe mortale quodvis in genere mali, quam actus virtutis cuiuſuis in genere boni, ac proinde nullis virtutum ſatisfactionibus æquari, compenſarique poſſe: quia res-ſuperioris, nedum ſupremi, ordinis, in morali æſtimatione rebus vllis ordinis in eadem morali æſtimatione inferioris æquari nequeunt, vt fama, vel vita diuitiis omnibus: quare neque illius læſioni, iis omnibus poteſt fieri ſatis: ac proinde, qui aliter nequit famam, vel vitam, quam læſit, diuitiis datis reparare non tenetur, iuxta communem Theologorum; ſed tamen, vt dixi licet verum hoc habeat in ordine ad prædicat a metaphyſica & phyſica; in ordine ad moralem æſtimationem locum non habet, vt conſtat exemplo dato auri, & argenti, atque alio viſionis intuitiuæ Dei, quæ, phyſicè perfectior, ac moraliter æſtimabilior eſt, quam ſit quiuis dolor, & cruciatus æſtimabilis in genere mali: & tamen, vt bene Salas. 1. 2. tom. 2. tract. 13. diſp. 16. num. 29. & Lugo diſp. 5. ſect. 3. num. 22. æſtimabiliores moraliter ſunt crutiatus æterni in genere mali, quam viſio Dei per horam, imo & per diem, vel etiam menſem vt puto, ac proinde huius carentia eligi prudenter deberet, vt cruciatus æterni vitarentur. Item odium Dei ſupremum genus mortalis eſt: & tamen in morali æſtimatione pluribus furtis, & furtis poterit æquari, vt bene idem Lugo: atque vt exemplo Recentiorum pro primo diſcurſu inducto vtar, actus charitatis, qui perfectiſſimus ex actibus virtutum eſt, & ſupremus in moralis bonitatis æſtimatione, multitudine actuum etiam leuium, virtutum inferiorum poteſt in bonitate demum æquari. Denique exemplum de fama, & diuitiis nihil præſtat. Non enim ideo nequit famæ iactura totis diuitiis reparari, quia eæ inferioris ordinis in æſtimatione morali ſunt, ſed quia ad reparandam, priſtinoque ſuo loco reponendam famam ſunt inutiles, atque ideò illis nemo famam à ſe læſam tenetur reſarcire; ſicuti, quia laudare proximum de fortitudine, ac de temperantia, quem Iudæum vel ignobilem dixiſti, inutile quid, vt famam generis reparet omninò eſt; ita laudare non teneris, licet ſit in eodem genere famæ laus illa. Id quod à Lugo antea alibi obiectum à ſe diſiectum. R. teſtantur. Mallem videre, quam credere, difficultatum ſolutiones.

5 Sed ille primus diſcurſus ſolidior non eſt ad probandum mortale eſſe in ſupremo genere mali, quam ſit bonitas cuiuſlibet virtutis perfectiſſimæ ad ſatisfaciendum. Si enim quid probat, probat offenſam Regi, imò, & cuiuis, factam grauem in ſupremo genere eſſe, & pro qua nullis obſequiis poſſit ſatisfieri. Etenim nullis leuibus offenſiunculis quantumuis repetitis ad malitiam grauis offenſæ in hoc diſcurſu peruehietur, atque ad rationabile graue odium Regis incurrendum: pluribus autem, & pluribus obſequiis leuibus continuò ferè præſtitis æquari poteſt bonitas grauis, quantumcunque, obſequij, atque ad rationabilem Regis amicitiam peruenirì. Deinde, licet venialia plura, nequeant mortale minimum conſtituere quia eorum malitiæ totales ſunt, & inconiungibiles, vt in vnum quoddam conflentur; aſt æquari pluribus venialibus mortalis malitiam mihi dubium non eſt, etſi nequeat eius mortalitas, ac dignitas amicitiæ Dei illis quantumuis repetitis æquari. Si enim dignitas formalis pœnarum, quæ actionis mortalitatem, Deique inimicitiam conſequitur, & indiuidue comitatur à valore demeritiuo actionis illius, qui malitiam præcisè conſequitur, diuidatur (vt diuidi debere oſtendimus diſputat. 2. quæſt 2 certam. 2. oſtendemuſque diſput præſenti quæſtione ſecunda, certamine ſecundo numero quarto.) inuenies, valorem pœnarum meritiuum mortalis, ac proinde eius malitiam, meritiuo valore pœnarum, & malitiis venialium plurium æquari poſſe, vt diſputatione ſecunda, quæſtione ſecunda citatis certamine quarto, numero quarto, docebamus: licet formalis dignitas pœnarum, quæ mortalitatem, & inimicitiam Dei conſequitur, & comitatur æquari venialibus omnibus minimè poſſit: Cum autem meritiuus pœnarum valor mortalis malitiam, qua malitia eſt, etiam per aduerſarios, conſequatur, infertur venialia illa, quæ coniunctim tantum pœnæ merentur, quantum meretur mortale illius malitiam æquare, licet quia venialium malitiæ non coniunguntur, vt vnam integrent totalem, neque mortalitatem ipſius, neque Dei inimicitiam, quare neque formalem pœnarum dignitatem pertingant. Et quidem miraculi inſtar eſſet additione affis vnius, quo materia grauis furti ad mortale completur, adeò furti malitiam creſcere ſupra veniale furti, tantum illo aſſe minoris, vt additis ſupra hoc reliquis innumeris venialibus furis illius, imo & hominum reliquorum, æquari tamen in morali æſtimatione malitia ipſius nequeat. Denique ſupremus hic malitiæ mortalis gradus, quique vllis creaturæ, aut omnium, ſatisfactionibus euacuari nequeat, fundandus eſt, vel ex accremento malitiæ, ab infinitate excellentiæ, & dignitate Dei offenſi, & vtilitate ipſum offendentis creaturæ, quod tota diſputatione ſecunda ſubuertimus, vel aliis rationibus, quas tota quæſtione ſecunda à fundamentis impugnatas deiiciemus.

CERTAMEN III.

Celebris vlterior noſtri Vaſquez probatio inſtauratur.

1 MItto argumentum R. ex inſtante præcepto charitatis: tunc enim actus eſt, non eſſe omiſſionis, ſeu peccati, ac proinde tam in illo complacet Deus, quam diſplicet in peccato, quod omiſſio actus charitatis eſt. Si quidem hæc diſplicentia eſt velle, vt non ſit omiſſio, quod ipſum eſt velle, vt ſit actus charitatis. Reſpondetur enim facile: tunc non tantum placere Deo actum charitatis ſecundum bonitatem intrinſecam actus, quod probandum erat; ſed, quatenus priuat malo peccati, quod habet quiuis actus præceptus, etſi indifferens de ſe ſit, atque à peccatore præſtetur; imò & actus indifferens non præceptus, ſi eo actus prohibitus impeditur, atque eius omiſſio præcepta apponatur. Arguo igitur Secundo celeberrimo, atque efficaciſſimo argumento noſtri Vaſquez, vbi ex æqua ſua celebri doctrina 1 2. tom. 2. diſputat. 203. ac ſæpius alibi de formali ſanctificatione noſtra per actum contritionis, tanquam per formam ſe ipſa formaliter ſanctificantem, ſic pro ſatisfactione maculæ & offenſæ mortalis arguebat. Is poteſt ſatisfacere pro offenſa mortalis, qui poteſt libere facere, quod ſatis

est, vt cesset offensio, maximè, si ita illud facere potest, vt necessario cesset: sed purus homo facere potest libere, quod satis est, vt necessario cesset offensio Dei ob mortale: ergo potest purus homo satisfacere pro offensa mortalis. Probatur, minor: Homo auxilio gratiæ Dei tantummodo præsupposito (quo in casu, & purus homo est, ac non supponitur iustificatus, neque mortale expulsum per gratiam, aut habitum charitatis, cuius loco auxilium Dei extrinsecum ad eliciendam contritionem solummodo erit) potest liberè elicere actum perfectæ contritionis, quo necessariò cesset macula, & offensa mortalis, quæ à macula, re ipsa saltem, non differt; at eo ipso, quod possit liberè facere quod satis est, vt cesset malitia, & offensa mortalis necessariò potest liberè facere, vt cesset necessariò offensio Dei ob mortale. Quòd autem posito actu contritionis cesset necessariò macula, & offensa mortalis suadetur: quia actus contritionis est forma per se formaliter sanctificans, ac Iustificans præsertim si liberè eliciatur, vt latius probaui cum Vasquez contr. de gratia iustificante, atque ad præsentem saltem difficultatem Theologi omnes iam supponunt: ac proinde actum contritionis, saltem liberè elicitum absque gratia habituali præsupposita, vt in casu dicto, cum ad contritionis elicentiam auxilium Dei extrinsecum solummodo sine habitu charitatis præcedit, esse etiam eiusmodi contritionem expulsiuam peccati. O quot, quantaque mouent R. Complutenses, vt argumenti huius impetum deflectant, ictum declinent!

2 Respondent primò, contritionem suapte natura, non autem, vt liberè elicitam ab homine sanctificare, maculamque, & offensam mortalis abolere: quare non satisfactoriæ, sed per naturalem formalem oppositionem cum peccato: Siquidem satisfactio dicit libertatem satisfacientis; contritioni autem ex formali oppositione, quam habet cum mortali, & si sopito infunderetur, & sanctificare, & peccatum expellere eodem modo competeret: cum tamen sopiti peccatoris satisfactio non esset. Fateor satisfactionem moralem humanam, & ciuilem dicere satisfacientis libertatem, & rei exhibitionem, qua debitum, & offensa extinguatur; licet ad satisfactionem per modum formæ voluntarium, nondum liberum: satis esse nonnullis videatur: atqui, licet contritio sine libertate elicita vtrumque non habeat, alterum tamen natura sua habet, nempe debiti extinctionem per te; Ergo, si accedat libertas in eius exhibitionem vtrumque habebit, eritque humano, & morali modo satisfactio. Vide quantuli à tuo Magistro Vasq. discordes. Debebat Petrus Ioanni centum, nolebat soluere: soluit autem eo renuente ex eius bonis Prætor, satisfactum est Ioanni; atque ita plenè, vt deinceps cum Petro de satisfactione agere lite nequeat: & tamen Petrus non satisfecit. An inde inferes: ergo centum redditi debito æqua satisfactio non sunt? Minimè: quia, licet centum redditis Petrus non satisfecerit, non fuit ob defectum & curtitatem rei exhibitæ, sed liberæ voluntatis Petri, vt exhiberentur, sine qua moralis, & humana Petri satisfactio non erat: esset tamen, si eius voluntas libera accederet. Ecce nostrum casum, tuumque argumentum de contritione necessario, vel libere elicita. Vrgetur: quia contritio non ita cum peccato pugnare credenda est, hominemque sanctificare, quo formæ physicæ aliis, ac fortasse gratia habitualis peccato, repugnat; Sed morali honestate & bonitate etiam sua: illud enim *Ego diligentes me diligo*, quod Christus aiebat, motiuum, non physicum, physicæ vt exigentiæ contritionis, vt oppositum odium Dei pellatur ac cesset, sed moralis obligationis, qua à liberè, & meritorie ipsum diligente ad odium, & inimicitias deponendas, atque amorem amicitiæ erga illum apponendum cogitur Deus, aperte demonstrat.

3 Respondet secundo, ad moralem satisfactionem non solum requiri, vt à satisfaciente exhibeatur libere, id quo debitum necessario extinguatur, ac cesset vtcumque, sed etiam, vt id quod exhibetur quoque debitum extinguitur in æstimatione valoris moralis æqualitatem habeat cum debito, seu offensa, quam depellit: offensæ autem mortalis depulsio per contritionem per formalem solum incompossibilitatem iustitiæ cum macula, & offensa mortalis est, in quo genere expulsionis non arguitur æqua æstimabilitas, & moralis valor formæ expellentis cum expulsa. Etenim forma nobilissima depellitur formaliter à vilissima, vt anima rationalis pellitur à forma cadaueris: quare ex formali expulsione maculæ, & offensæ formalis per contritionem formaliter iustificantem non arguitur æqualitas valoris, & bonitatis moralis cum valore morali malitiæ, & offensæ mortalis in genere suo: quin minoris valoris in suo genere contritionem esse, quam offensam in suo, multo ex capite, & comparatione suadere conantur præfati R. quos contra ea de re pugnabimus quæst. 3. ostendentes nullo ex capite plus valoris inesse malitiæ, & offensæ mortalis, quam bonitati contritionis. Nunc autem sic generatim impugno. Primo ex eo, quod numero 2. fine dicebamus: scilicet, contritionem non pure physice pugnare cum peccato, Deumque ad odium mortalis ante acti deponendum, amoremque amicitiæ erga contritum apponendum cogere, sed valorosè, & meritorie, quod esse nequit nisi habeat contritio æquam saltem æstimabilitatem bonitatis, & valoris moralis cum malitia, & valore offensiuo mortalis. Secundo: quoties id, quod exhibetur ab offendente ad offensum eiusmodi est, vt eo exhibito in nullo genere rationabilis auersionis possit offensus manere rationabiliter auersus ab offendente, fit æqualis omni genere æqualitatis satisfacto offensæ; sed exhibita Deo offenso libera contritione perfecta à peccatore non potest Deus offensus manere rationabiliter auersus in aliquo genere rationabilis auersionis à peccatore illam exhibente, (alioqui possent in eodem coniungi iustificatio, & rationabilis Dei auersio à iustificato) ergo contritione peccatoris fit Deo æqualis satisfactio offensæ omni genere æqualitatis. Contra tertio: contritione libera peccatoris cessat offensa, & offensio Dei, quin aliquid illarum remittat, quod possit ea posita retinere: voca ergo liberam positionem contritionis satisfactionem, vel non ita voca, saltem euincitur, vt Dei offensa tota extinguatur, ac pereat, quin aliquid Deus formaliter, vel virtualiter remittat, liberam puri hominis contritionem satis esse, ac proinde non esse necessariam incarnationem.

4 Si dicas offensionem Dei in peccatorem, seu Dei odium rationabile tolli quidem, non autem ius ad obsequia, quod ex offensa illata à peccatore Deus contra illum habebat: sicut, cum quis ex animo se reconciliat offensori in bonis honoris, vel pecuniæ, & tamen ius reseruat, vt tantundem ipsi reddat, obsequiisque ipsius honorem in pristinum statum offensor reponat: contra est: quia id locum habet in nobis, qui actione offensoris lædimur, secus in Deo, qui nullatenus nostro læditur mortali, vt R. Complutenses admittunt, cuiusque offensio ob culpam, siue infensio rationabilis in peccatorem est, vt supra ostendebamus. Præter quam quod, etsi locum id haberet, non esse plus offensæ in mortali, quam obsequij in contritione, dicebamus modo, ac si pluries repetatur ostendimus cert. 1. & tota disputatione 2. ostendemusque fusius quæst. sequenti: Denique ex hac solutione infertur posse etiam remisso mortali quoad culpam, totum reatum, sicut, & offensam mortalis perseuerare, vt ostendebamus disputatione secunda quæst. 1. cert. 1. vbi & illationis absurditatem monstrauimus.

* * *

CERT.

CERTAMEN IV.

Vltimum Recentiorum effugium præcluditur.

1 TAndem data æqualitate bonitatis, & valoris in contritione cum malitia, & valore offensæ mortalis, respondent R. iidem non esse satisfactionem, quia, etsi æqualiter prorsus soluatur offensa, per illam, ipsa tamen contritio datur à Deo, cui formaliter satisfit pro mortalis offensa ratione auxiliorum quæ ex scientia, & intentione eiusmodi iustificationis, & expulsionis peccati per contritionem donantur peccatoribus à Deo, vt doctè probauit Vasq. disputatione 2. cap. 7. numero 65. & 1. 2. disputat. 218. cap. 5. num. 49. expressitque Trident. sess. 6. cap. 8. dicens: *Gratis iustificari à Deo dicimur: quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides siue opera ipsam iustificationis gratiam promerentur.* Cùm ergo contritio ipsa sit formalis offensæ expulsio, deturque peccatori ratione auxiliorum à Deo offenso, potius est dicenda offensæ remissio à Deo facta, quam à peccatore satisfactio: Quemadmodum si creditor centum det, vt illi totidem soluas, non tù soluis, sed ille remittit, & qui totidem dat tibi, vt equum ab ipso emas, equum tibi, non vendit, sed donat. Confirmatur: quia creditor, qui dat id, quo alius pro illo satisfaceret, si id debitori donaret, dubio procul remittit debitum: atqui Christus, quia nobis donat meritis suis iustificationem, quatenus donat nobis auxilium gratiæ ex scientia, & intentione ipsius, dicitur pro nostris peccatis, & officiis satisfacere: ergo, cum eadem scientia, & intentione ea donat Deus offensus peccatoribus, dicendus erit donare contritionem, & iustificationem, atque illis offensam remittere. Deficit ergò contritio peccatoris à satisfactione, quia in ea est remissio Dei offensi, qui illam donat: hæc porrò solutio est sententia hac in re Caietani citati quæst. 11. cert. 2. num. 1. qui ideò purè creatam compensationem mortalis à satisfactione pro illo excludit, quia non ex propriis compensantis, sed ex bonis fieret creditoris.

2 Sed certè, licet ratione auxiliorum ex ea scientia & intentione à Deo peccatoribus obuenientium iure dicatur dator contritionis quantum ad moralem æstimationem, nostramque debitam gratitudinem, non secus, ac qui genio debitori suo, atque industrio aliquid daret, quo negotiaretur ea intentione, & scientia, vt partis negotiatione illa pecuniis ipsi soluere, & pecuniam negotiatione partam, & æs solutum in morali æstimatione, & quoad debitoris gratitudinem donasse dicendus foret; tamen sicut debitor non pecunia donata in se à creditore, sed per illam, & suam industriam parata debitori ad æqualitatem compensans, ipsi solueret, atque ex rigore etiam iustitiæ satisfaceret; quin remissio debitoris intercederet, vti ex iisdem Recent. notabamus disputatione prima, quæstione tertia, certamine primo: Ita etiam, cùm Deo offenso peccator, non eo quod in se formaliter, ac non in radice solum ab ipso recipit, nempè auxilio gratiæ, sed contritione, quæ solum datur in radice, atque ex eo, quod in se datur nempè auxilio, & nostra industria paratur, compensat offensam, satisfacit ad æqualitatem, quin Dei remissio formalis, & in se intercedat, quæ satisfactioni, ex iustitia adhuc, in sententia Recent. possit obesse. Accedit, quod nec Christus, eiusque humanitas, cui ex simili scientia, & intentione donata à Deo opera satisfactoria fuere, pro nobis satisfeciisset, neque nos, pro pœnis peccatorum bonis vllis operibus, satisfaciemus.

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei Incarnat.

3 Nec refert, Deum etiam immediatè concurrere ad actum contritionis; Nihil enim concursus Dei immediatus obest ad contritionis perfectæ compensationem sine remissionis mixtione, alioqui obesset perfectæ satisfactioni, Christi neque magis præstat, quod contritio, vt pellat peccatum, extinguatque maculam, non expectet voluntatem, sed se ipsa necessariò pellat, vt Deus offensus, qui illam donare dicitur, offensam remittere dicendus. Nam pecunia parata industria debitoris, quæ in radice etiam dicebatur data à creditore, cum exhibetur, se ipsa debitum extinguit, quin debitoris voluntatem expectet, vt notabam disputatione prima, quæstione tertia, certamine primo; & tamen nulla est in ea compensatione debiti remissio. Dices adhuc meritum dicit distinctionem ipsius à præmio, & valorem ad illud: ergo satisfactio, qua talis, debet dicere distinctionem ab extinctione debiti, & valorem quasi meritorium ad illam: neutrum autem est in contritione formaliter extinguente offensam, vt sic enim extinctio ipsius offensæ est, quare non diuersa, neque valor meritiuus distinctionis esse potest, quin, & à se ipsa diuersa, suique meritoria sit, quod implicat. Ergo qua formaliter offensam depellit, non est satisfactio. Sed negatur facile consequentia. Omnis enim satisfactio se ipsa est debiti extinctio, atque in re præsenti certius adhuc ex Recentiorum doctrina est. Cùm enim Dei offensa solum sit infensio, & auersio, odiumque Dei rationabile à peccatore, hocque solummodo, & necessariò causetur à sola malitia in genere causæ formalis obiectiuæ, appositione malitiæ peccatoris, sine vlla ratione demeriti, ad odium, & infensionem rationabilem Dei, sine posteriori voluntate causatur: cùm tamen demeritum, non minus exigat libertatem in retribuente ad pœnam, quam meritum in præmiante ad præmium. Sola igitur formali expulsione malitiæ per contritionem, qua formalis ratio obiectiua odij Dei rationabilis cessat, eiusque infensio, satisfactio offensæ constabit, quin valor, & meritum contritionis expectetur: sicuti neque ad offensam Dei valor, & demeritum peccati expectatur, sed sola formalis malitiæ positio.

4 Tandem solutionem hanc tertiam R. impugno, nam æquè dat nobis Deus ratione auxilij ex ea scientia, & intentione dati, contritionem qua meritoria, atque, qua expulsiua peccati est, & iustificatiua: Sic enim ait Augustinus 7. de gratia & libero arbitrio: *Si vita bona nostra nihil est aliud quam gratia, sine dubio vitæ æternæ, qua bona vita additur, Dei gratia est, quia gratis data est illa, cui datur.* & Trident. sess. 6. capite decimo-sexto. *Tanta est Dei erga homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*: Ecce synonimis vocibus gratia Dei dicitur meritum cuiuslibet operis, sicut gratia Dei dicitur iustificatio, peccatique remissio: quare non minus à Deo dari dicenda est contritio, qua meritum, quam, qua iustificatio, & remissio peccati: ast quia ratione auxilij donati, ita dat nobis meritum, vt industriam, ac libertatem nostram non excludat meremur contritione, qua meritum est apud Deum donatorem, ergo, & satisfaciemus Deo donatori offenso contritione, qua satisfactiõ, & expulsio peccati est. Probatur consequentia, non minus obesse debet merito operis, quod sit datum à Deo, apud quem ipso meremur, quam satisfactioni, quod sit datum à Deo cui satisfit opus, quo ipsi satisfacimus: sed contritioni qua meritum est, non obest, quod sit donum, & gratia ratione auxilij à præmiante collati, quia ita est donum, vt nostram industriam non excludat: ergo neque, quà est iustificatio, & compensatio offensæ, oberit modo donum esse Dei offensi, cum in ea eliciendo, & exhibenda industriam nostram non excludat.

5 Dices, contritionem, quà meritum est, dicere intrinsece nostram libertatem, ast, qua compensatio formalis & expulsio peccati, est illam non dicere, sed solam physicam formalem incompossibilitatem cum peccato: sed contra: quia discrimen hoc friuolum est, vt ostendebamus, cert. 2. n. 5. Secundò, contritionem non expellere peccatum, nisi, qua libera est; ibidem

ostendimus. Tertiò : libertatem ipsam contritionis, qua meritum, seu meritoria est, dat nobis Deus ratione auxilij, & eandem dat nobis, qua satisfactoria est. Ergò æquè est vtriusque ratio ; Imò physicam entitatem contritionis, quæ libera est, humanoque, & libero modo à nobis exhibetur, non aliter dat, quam ipsius meritum donet, qua autem physicè entitas est non dicitur dari à Deo eo modo, quo dari ratione auxilij à Patribus dicitur : ergò non est specialitas doni in contritione secundum physicam entitatem, sed qua liberè à nobis ex Dei gratia exhibetur ; quare, & vt est satisfactio. Denique, ne vocibus adhuc eludere argumentum possis, contra est : quia, vt profundè Sotus) cui, & nos controu. de gratia iustificante assentimur) nulla forma iustificans, siue habitus gratiæ, siue actus contritionis, nisi accedat dat libera retractatio peccati, peccatum expellit, quare iustificatio per contritionem perfectam, qua expulsio, & iustificatio est, intrinsecè dicit libertatem peccatoris se conterentis, æquè, atque meritum intrinsecè dicit merentis libertatem.

6 Hæc omnia contra eam solutionem R. dedimus, non quia ad eius doctrinæ confutationem necessaria sint, sed ne aliquid, quod tentarent effugit, aut impugnationis firmum, vel non præclusum maneret. Cæterùm Recent. ratio satisfactioni, de qua in præsenti agimus, nihil obest. Etsi enim donatio eius, quo satisfaciendum, soluendumque est debitori, siue in se, siue in radice donetur, sitque proinde virtualis debiti remissio, nequeatque ex eis fieri ipsi ex rigore iustiæ satisfactio ; ast satisfactioni non è rigore iustitiæ, sed per æquiualentis, atque extinguentis debitum satisfactionem, de qua nunc loquimur, non obest, quod fiat ex bonis creditoris : ac proinde, cum virtuali ipsius remissione ; dummodo æquiualens offensæ sit, quod ex fic à creditore acceptis exhibetur. Alioqui, neque Christi satisfactio æqua esse posset : cum omnia eius opera ex auxiliis ea scientia, & intentione datis à Deo fuerint profecta, ac proinde, & eo etiam titulo, inter alios, Dei fuerint : atque insuper totus eorum valor è dignitate per vnionem hypostaticam operantis ipsis formaliter obuenerit Dei donum humanitati collatum proculdubio fuit : quare aliunde minus valoris, & bonitatis contritioni, & operibus nostris esse, quam malitiæ, & offensæ peccato probandum iis recentioribus erit.

QVÆSTIO II.

De aliis titulis malitiæ mortalis, vt incarnatione ad sui satisfactionem opus habeat.

QVæstionem hanc fecerunt iidem R. Salmantini, & Complutenses proximè impugnati, qui Vasquiano argumento prætato satisfacere conabantur, vt æquam non esse contritionis satisfactionem, quare, nec absolutè satisfactionem offensæ mortalis ostenderent, pluribus capitibus minus bonam, minusque æstimabilem, quam esset malum peccatum suadere tentarunt, vt generatim q.1. cert.2. num.8. referebamus. Nunc autem ea omnia capita examinanda ; atque inter se se comparanda sunt. Etenim, si æqualia esse deprehendamus, ac proinde contritionem æquam esse in bonitate, & æstimabilitate obsequij ; atque peccatum mortale malum est in malitia, & odibilitate sua, satisfactionis à pura creatura possibilis firmior consistet : constabitque necessariam ad eiusmodi satisfactionem incarnationem non fuisse, vt toris his disputationibus contendimus.

CERTAMEN I.

Quod contritio multis titulis debita sit Deo totidemque peccatum indebitum, nihil minoris valoris, & æstimabilitatis in illa, quam in hoc euincit.

1 PRimum caput, ex quo R. præfati minus bonitatis, & æstimabilitatis in contritione libera peccatoris, quam sit in malitia, & offensa mortalis venabantur, erat : quod exhibitione contritionis à peccatore exhiberur, quod mille titulis Deo debetur ; mortali autem agitur contra eosdem titulos, quibus Deo obsequi, ipsum colere, & amare, ac non contemnere pro vilissima creatura debemus, quam peccando proquimur. Quam rationem prius tradiderat Vvading. di p.1. num. 62. Ideò enim mortale grauis offensa Dei reputatur, quia contrà tot, tantosque titulos agitur ; obsequia verò virtutum quid leue, quia tot titulis debentur ; siquidem magis dominum torqueret iniuria sibi à mancipio irrogata, quam seruorum reliquorum obsequia debita delectarent. Atque hæc sanè iam respiciunt non vires physicas puræ creaturæ, ad formaliter expellendum peccatum, quibus se se conterentis libertas accedat, licet ita hæc essent, fieret à pura creatura satisfactio, vt quæst. 1. certam. 1. num. 1. & 2. ac tota ferè quæstione contendebamus Sed valorem æstimabilitatis à formali contritionis oppositione cum malitia, & offensa peccati formaliter diuersam : quare ostendendum hic nobis erit, & hoc etiam capite, etsi contritio cum malitia, & offensa mortalis non pugnaret, eam tamen saltem repetitam non esse minoris bonitatis, & æstimabilitatis, quam malitiæ, & offensæ sit peccatum : quare secluſa etiam satisfactione formali contritionis liberæ, esse valorosam, æquamque ratione valoris bonitatis, & obsequij compensationem peccati, sicut pecunia tanta, tantæ debitæ, cui formaliter non opponitur, æqua prorsus compensatio est, si appendatur.

2 Probatur primò : quia debitum illud contritionis perfectæ, vel est obligatio ex parte nostra ad amandum Deum, siue ob eius excellentiam, beneficentiamque, siue ob eius in nos dominium : vel est potestas, aut ius Dei ad nos obligandos, vt ipsum amemus, & perfectè conteramur : vel solum est nobilitas obiecti formalis contritionis, seu charitatis, quæ in Deo morium seu titulus est, vt ipsum amemus, ac de mortali ex eius complacentia conteramur. Non primum : nam pone casum frequentem, & communem, cum Deum amat peccator, atque ex eius charitate de suo peccato conteritur, nullo extante Dei præcepto contritionis, seu charitatis illius, imò neque attenta ab homine se conterente obligatione, non secundum : quia ex eo, quod charitas & contritio possint deberi, exigique alio titulo à Deo, quam compensationis malitiæ, aut offensæ mortalis, quousque eo titulo exigatur, illi non debetur, neque in eo soluendo impenditur ; quare nec extenuat satisfactionem ; seu compensationem debiti alterius, nempè malitiæ, & offensæ mortalis : licet huic simul, & alteri debito, & obligationi satisfaciendæ simul, semelque exhibita contritio par non esset. Sicut vno scuto, cui duo debes ad equalitatem non soluis, ergò manente alio, aliisve debitis insolutis poterit contritio, licet mille titulis Deo debita, pro offensa mortali satisfacere, nisi aliunde minoris bonitatis, quam sit mortalis malitia, ac proinde minoris valoris, & æstimabilitatis esse probetur. Nihil ergo ex hoc capite minoritatis, & æstimabilitatis in contritione probatur, si ita tituli illi, ob quos debita Deo est, explicentur.

3 Dices solutionem vnius debiti pro alio in contritione respectu debiti, & titulorum, Dei locum non habere, quia titulo dominij excellētiæ, & bonitatis Dei contritio tota, quanta quanta est, Dei est, ac fit, vbi primum existit ; quare non potest non à Deo ad eius debiti solutionem tota acceptari : vnde nihil illius remanet, manet, vt pro offensa mortalis Deo satisfiat. Hic, hic te tam inde expectabam ergo neque purus homo potest pro macula, & offensa venialis satisfacere contra tuam sententiam. Probo consequentiam. Totus totus valor contritionis iure supremi dominij, & excellentiæ Dei ipsi debetur, acceptaturque à Deo, sitque ipsius eo titulo vbi primùm est : ergo nihil valoris remanet in contritione huic debito soluendo non impensum : ergo nec pro alio debito per exiguo quantumuis minut. venialis poterit contritione Deo satisfieri ; alioqui, si aliquid in ea remanet, quo pro hoc minutulo debito satisfiat, non tota, vt asserebas contrictio quanta, quanta est, totusque eius valor in debito dominij, & excellentiæ Dei soluendo impensus est. Ecce debes Petro scutum, & assem : scuto soluis scutum ; an etiam, & assem ? minime ; quia totus scuti valor scuto soluendo impensus est ; quare ei, & assi, seu teruntio simul soluendo pax esse non potest, quantumuis minutulus assis, vel tereuntij valor sit ; ast per te totus contritionis valor titulo dominij, & excellentiæ Dei necessario impenditur, milleque aliis, vt ait titulis : ergo quantumuis exigua sit venialis offensa non erit in contritione ipsius valor, quo pro illa satisfiat.

4 Contra secundo : quia ex fic intellecta solutione infertur nihil esse in operibus Christi, quo, non pro mortali quidem, sed nec pro veniali vno Deo satisfiat. Etenim, vt cum R. hisce docebamus 1. q.3. cert. 4. omnia Christi opera, quanta sunt, Dei tota sunt ex debito supremi dominij : ergo nihil in eis valoris restat, vt pro, venialis adhuc, offensa satisfiat. Nec patet recursus R. ad infinitatem meriti, & valoris operum Christi ipsi enim ex Vasquez, nosque ostendimus citata quæst. 3. contra Soarium, rem, quantumuis infinitam, si vno titulo alicui secundum se totam debeatur, non posse illi, alteri titulo simul satisfacere, neque ad aliquid aliud denuo soluendum eidem creditori obligari. Dices : titulos, quibus totus valor contritionis Deo debetur, atque debetur pro peccato satisfactio non esse iustitiæ, nèque in eius materia : posse autem pluribus titulis non iustitiæ pluries totum operis laborem deberi singulis simul, eisque omnibus simul eodem valore satisfieri ostendimus eadem quæstione cum R. i. idem in quacumque materia, & ex quacumque virtute non posse duplici titulo adæquato eodem valore satisfieri simul Quid si admittatur oppositum ad præsens aut solutio R. nam, etsi mille illis titulis, quibus Deo debetur puri hominis contritio totus eius valor impendetur, simul iuxta hanc doctrinam, impendi etiam ad mortalis offensæ satisfactionem valebit. Contra denique ; quia cum non *minus* requiratur valoris liberi, ac non impensi in satisfactione rei debitæ creditori, vt præmium ab ipso condignè mereamur, quam, vt illi pro alio quouis debito simul satisfaciamus valorosè, fiet, vt si contritionis totus valor satisfactionis obligationis ex mille illis titulis datæ impendatur, non solum pro mortalis offensa satisfacere non possimus ; sed neque, aliquid mereri apud ipsum contritione valeamus.

5 Quod si titulos illos, quibus Deo contritio debetur non titulos iuris sed dominij, seu potestatis diuinæ, & obligationis nostræ inde datæ, sed titulos dignitatis motiuorum formalium, ob quæ Deo obsequi, colere, amareque ipsum debemus, iuxta tertium modum intelligant Recent. æque contra se sentient, si inde bonitatem, & valorem contritionis iudicent imminui. Primum patet, Nam ipsi disputat. 3. memb. 3. §. 3. num. 71. ex nostro Theodoro Peltano de satisfactione Christi conclusione 11. §. *ad secundum*, & ex Lugo disputat. 6. sectione 1. num. 14. præter infinitum valorem operum Christi à dignitate personæ obuenientem, ac diuinam obiecti motionem Dei ad omnia præmia possibilia, maiorem valorem in illis, motionemque Dei ad eadem præmia re cognoscunt, cum actus Christi virtutum nobiliorum, v.g. charitatis, sint, magisque placere aiunt Deo, quam, si essent actus religionis, & eleemosinæ : atqui actus nobiliores titulum maiorem, seu digniorem habent quam ignobiliores, ideoque, valorosiores Deoq; gratiores esse Recent. probant : ergo in eorum doctrina maior dignitas motiui, seu tituli obiectiui virtutum non minuit actus sui bonitatem, & valorem, sed auget. Contra 2. quia ex sic intellecta solutione infertur absolutè actus virtutum nobiliorum minùs meritorios, ac satisfactorios esse, quam ignobiliorum : cùm illi habeant titulum maiorem, seu excellentius motiuum, quam ij. Contra rursus à priori : quia virtutum bonitas, & valor crescit per se, & natura sua ex maioritate, & perfectione obiecti formalis, ac dignitate motiui : ergo implicat inde decrescere virtutum bonitatem, valorem, & æstimabilitatem, vnde per se, & essentialiter augescunt ; & quidem ex quibuscumque titulis, & obligatione, etiam obedientiæ, religionis, & iustitiæ, non minui, vel augeri potius operis bonitatem, & valorem, saltem accidentaliter ; constans Theologis sententia est ; cum sit maior conformitas eius cum bono virtutum, quos obligationem inducunt.

6 Quod si tandem titulos illos explicant beneficia, quibus à Deo prævenimur, indeque ortos gratitudinis titulos esse, fentiunt contra ea, quæ ex ipsis notabamus quæst. 1. cert. 1. Deinde ; si non attendantur beneficia Dei, sed nobilius pura ob solam Dei bonitatem conteratur peccator, illo actu beneficiis non satisfacit formaliter : quare locus erit vacuus in valore ad satisfactionem pro mortali. Tertio : conteratur ex bonitate Dei, quæ in collatis sibi beneficiis elucet, atque ex gratitudine, sitque beneficiorum compensatio formalis, certè illa, licet plura infinita simpliciter non sunt neque obligant, nisi, vt Deo peccatis non displiceamus, simulsve illi infensi, non autem, vt referamus gratiam compensationis, cum nullo nostro opere egere Deus beneficus possit quare difficile, & raro erit actus noster satisfactio formalis rigorosæ, & debitæ compensationis, quæ in reddenda gratia totus operis valor insumatur, sed potius valor ex eo etiam gratitudinis motiuo excrescit. Impendatur tamen : cùm debitum simpliciter finitum sit, aliquid valoris referuari ad satisfactionem pro mortali poterit saltem in pluribus, ac pluribus contritionis, actibus : sicut in quouis bono opere, valore meritiuum referuari certum apud omnes, maxime apud R. hosce est, sed esto non referuetur : si pro beneficiis soluatur contritionis valor, non acceptat Deus eo titulo, sed titulo satisfactionis pro mortali, vt certè potest ; quod si contendens non posse non acceptare Deum pro beneficiorum compensatione recidis in impugnationes datas num. 2. & 3. Denique hinc etiam probatur non posse opera humanitatis Christi pro offensa, adhuc veniali, Deo satisfacere : siquidem maioribus longè Dei donis præuentus operabatur in quibus sanctitas ipsa infinita humanitatis, filiatio naturalis Dei, & cætera recensentur.

7 Iam illud de leuitate nostrarum virtutum coram Deo, & grauitate mortalis exemplo illo domini, & seruorum confirmatum, inane est : etenim negare virtutum actus, etiam cum à iustis exercentur, magnum aliquid esse, idem est, atque præcipuis Dei, gratiæque ipsius operibus magnitudinem denegare, quæ magni ab eo fieri præmij gloriæ æternæ, quo illa remunerat magnitudo demonstrat : cum tamen venialia, quæ leuia in genere moris sunt, æternam pœnam non mereantur. Nec satis est, quod Recent. aiebant Salmantini : iustorum opera gloriam æternam absolutè non mereri, sed sub conditione decessus in gratia : siquidem, & sic magnum præmium foret. Item : nec peccatum mortale, quod tam magnum per te in genere mali est, infernum, nisi sub conditione decessus in mortali consequendum, meretur. Tertio : conditio illa in alterutro ad meritum non est, sed ad præmij consecutionem à Deo præstituta : de se enim ac fine vlle alia conditione iusti opera gloriam de condigno, & mortalia infernum per æternitatem promerentur. At, inquiunt, id habere mortale secundum se, non autem virtutis actum, nisi adsit iustitia & adoptionis gratia, quæ opus ad tantum eleuat præmium, quæque comparatione excellentiæ Dei offensi minutulum quid est. Sed neque ego contendo boni

operis valorem secundùm se præcisè sumpti æquare valorem, & malitiam mortalis, sed vt coniuncti cum gratia habituali, cumqua æternum gloriæ pondus in nobis operatur:quia filij adoptiui Dei opus est, eaque gratia in ordine supernaturali, tam operans, quam ipsius opus constituitur,cuiusque supernaturalium,rerum præmio pro operis magnitudine proportionatur. Vnde constat ad paritatem de iniuria & obsequiis seruorum ad dominum creatum,disparitas. Nam illi serui tantum infames sunt; filiorum autem Dei seruitus nobilis, filiationem Dei adoptiuam non excludens, quæ nos, licet ex affectu, filiorum naturalium loco reponat, atque, vt talis à Deo tractari, magnique fieri, tam nos, quàm nostra opera faciat,quamquam,& alia adhuc adsit disparitas. Quod nimirum ea locum habeant in ordine ad offensam & iniuriam, quæ propria offensa & iniuria sit; non autem in iis, quæ solum habent rationem infensionis, aut complacentiæ, vt vitia,ac virtutes nostra respectu Dei. In iis enim titulis vndecumque consideratis, siue ex parte Dei siue aliunde, ex quibus violatis crescit malitia peccati, ex eisdem seruatis, siue attentis virtutum exercitio æquo gradu huius exercitij bonitas, & valor excrescit.

CERTAMEN II.

Nec quia minus meretur, quam demeretur mortale minus bona est contritio, minusque æstimabilis illo.

1 ALiter minus valoris, bonitatis, ac æstimabilitatis in contritione, quam sit malitia,& æstimabilitas mortalis suaserunt sibi citati Recentiores quia, inquiunt,meritum, & demeritum operum consequitur eorum bonitatem, & malitiam:vt quo melius,vel deterius sit magis mereatur, vel demereatur omnium sententia: atqui contritio, perfectissime etiam, non tantum in suo genere præmij meretur, quantum mortale supplicij:ergo,neque tantam bonitatem,& æstimabilitatem in suo genere habet, quantam malitiam, & æstimabilitatem in suo habet mortale. Minorem probant:nam, licet contritio formaliter,& physicè, tam bona sit, quam malum mortale, quia, sicut hoc omnem Dei amicitiam abolet formaliter, ita & illa omnem Dei inimicitiam formaliter depellet; ast in genere meriti contritio non meretur vllam amicitiam Dei,neque cessationem omnis inimicitiæ; hanc enim, & illam se ipsa formaliter ponit,se autem ipsam mereri propriè nequit. Insuper non meretur omnem visionem Dei possibilem, neque omnia dona, & beneficia Dei, sed vnum, vel alterum visionis gradum,vnum, vel alterum Dei beneficium, ac donum. Mortale vero demeretur nobis propriè omnem Dei amicitiam, omnes gradus gratiæ visionis Dei, eiusque reliqua omnia dona, & beneficia: cum enim mortale dignum sit odio Dei, digni sumus per illud, quo videlicet Dei inimici constituimur, qui enumeratis omnibus,atque vniuersim omni dono, ac beneficio Dei prorsus priuemur. Sed certe hac doctrina probabitur, nec posse satisfieri ab homine valorosè pro iniuria facta Dynastæ v.g. odio in illum: quandoquidem plus illo demeremur apud eum,nempe omnia beneficia,quæ ab ipso obtinere possimus,quibus per odium in ipsum digni reddimur, qui omnibus priuemur:per amorem vero,amicitiam, obsequiave alia, non meremur ea omnia, sed præmium dumtaxat determinatum:ergo maior est malitia,& æstimabilitas in suo genere in odio, & inimicitia contra Dynastam,quam sit bonitas,& æstimabilitas in amicitia; & quibusvis erga ipsum obsequiis, quare valorosè nequibit pro odio in Dynastam à nobis satisfieri, si quid tuus discursus probat.

2 Respondent:ad æqualitatem meriti obsequij cum demerito odij ac proinde bonitatis amicitiæ cum malitia odij,satis esse, si non plura demereatur odium beneficia, quam, ad quæ ius dare amicitia posset; cum autem opera in gratia, Deique amicitia facta ius nobis dare possent ad maiorem, & maiorem Dei gratiam, & visionem, ac cætera omnia præter auxilia, eisque omnibus nos demeritoriè priuet mortale, non autem ea omnia mereatur contritio, sed solum aliqua in gradu determinato, fit, vt plus demereatur mortale, quam contritio mereatur, sitque hæc propterea minus bona, quam malum mortale, ac proinde minoris æstimabilitatis, nequeatque valorosè pro mortali satisfacere. Sed contra primo; quia amicitia cum Dynasta, ius dat non ad bona ipsius determinata solum, sed ad indeterminata generis cuiusvis,quibus illam, & obsequia erga ipsum præmiare potest de condigno, maiora,& maiora, quibus omnibus odium, & inimicitia prorsus nos,& condignè priuat:amicitia vero,& obsequium erga ipsum ea omnia non meretur. Dices: hæc pugnare. Nam statuitur|amicitiâ in Regem ius dare posse ad maiora,vel maiora præmia ipsius, quæ omnia demereatur odium in ipsum; & tamen negatur ius dare, seu mereri de condigno posse amicitiam, & obsequia maiora, & maiora præmia à Rege contra: quia hæc ipsa repugnantia est in amicitia Dei,& mortalis demerito. Asseris enim amicitiam Dei maiorem, & maiorem gratiam, & gloriam promereri posse, eisque omnibus condigne nos priuari ob mortale.Deinde contritionem, seu amicitiam Dei non posse mereri de condigno,nisi gratiam, & gloriam in gradu determinato, quod pugnet cum primo:tuæ ergo doctrinæ,& solutionis repugnantia est. Dices:non esse repugnantiam:quia maior, & maior gratia, & gloria non cadit sub meritum amicitiæ vnius actus, sed plurium & plurium, actuum, solumque dici actu vnico contritionis non promoreri nos eo omnia, ad quæ amicitia pluribus actibus ius posset nobis dare; cum tamen mortale quoduis ea omnia nobis demereatur:quod satis est, vt maioris malitiæ connumeratur, quam sit contritionis, seu charitatis bonitas. Sed contra: quia eodem modo intelligam ego instantiam factam in odio,& amicitia Dynastæ: vt hæc minoris bonitatis sit,quam illud, minorisque proinde valorosæ satisfactionis pro illo. Secundo:saltem plures, & plures amicitiæ actus dare ius possunt ad ea omnia, quæ demeretur mortale,ex quo magnitudo malitiæ, & valoris pensanda est per te:ergo saltem pluribus,& pluribus contritionis, & amicitiæ actibus poterit à puro homine pro mortali satisfieri.

3 Contra. 2. principaliter quia mortali non reddimur digni tot pœnis positiuis, quarum priuationes meremur per contritionem perfectam, & amicitiam Dei; amicus enim perfectus de condigno meretur omni pœna,& supplicio Dei carere: ergo tuo sophismate inuerso,contritio maioris bonitatis est, quam sit malitia mortalis: vel saltem, si mala pœnæ positiuæ, quam meretur mortale, cum bonis præmij, positiui, quod meretur contritio, malaque item pœnæ negatiuæ mortalis cum bonis præmij negatiui contritionis componas,æquales in merito, & demerito contritionem,& mortale reperies:quare,& in bonitate, & malitia,atque æstimabilitatis valore, si meritum bonitati æquo gradu,& malitiæ demeritum,æquo etiam gradu, respondeat. Totus ergo argumenti tui, contra nos, nostræque similis argumenti contra te regestionis paralogismus in eo stat, quod præmium positiuum contritionis cum negatiuo mortalis præmio, vel potius supplicio,componis: Nos vero contra præmium positiuum mortalis cum negatiuo contritionis componimus:vnde alter contra alterum oppositam prorsus conclusionem eodem robore euincit si autem, vt debetur, positiuum vnius præmium condignum compositiuo alterius,vel negatiuum cum negatiuo, vel vtrumque vnius cum vtroque alterius coniunctim componantur, neuter contra alterum probabit.Sed dices:per nos disput. 1. quæst. 2. cert. 2. num. 4. mortale nos inimicos Dei constituit,

tuit, redditque dignos omnibus malis, etiam positiuis, quæ Deus inimicus potest,ac velit nobis infligere;atqui actus contritionis, seu amicitiæ Dei non reddit nos dignos omnibus bonis, quæ Deus potest,ac velit nobis conferre;ergo facta etiam comparatione, præmij positiui condigni contritionis,& supplicij condigni positiui mortalis maius est demeritum in mortali, quam meritum in contritione: ac proinde minus erit bonitatis in contritione, quam malitiæ in mortali: cum certum sit eo gradu esse in actibus humanis bonitatem,& malitiam, quo est meritum, & demeritum eorum.

4 Argumentum hoc ex nostris principiis vnice, ac solide deductum ex eisdem solum diluendum solida est; duplicem distingue in actu contritionis dignitatem, atque in mortali etiam duplicem; alteram formalem, & statum,quem offert subiecto,alteram valoris & propriè meriti ac demeriti:quas formalitates inter se se distingui debere satis multis probabam citato cert. 2. à num. 2. Rursusque probo. Quia præmium, & supplicium condignum valori propriè demeritiuo, vel meritiuo operum respondens, potest à iudice in aliud æquale commutari, quo exhibito non maneat vltra debitum pœnæ subeundæ, neque obligatio præmiandi in præmiante qui tantundem benemerito dedit: ast pœnæ quæ formali dignitati mortalis respondet,nequit à Deo ita in aliam commutari, vt non maneat vltra illi subeundæ ex parte sua obligatus reus, & expositus, quamdiu inimicus Dei manet: Tum quia cum sit omnium bonorum Dei priuatio,& omnium malorum, quæ ipse velit, inflictio nequit esse aliud supplicium, in quod commutetur. Tum quia quandiu peccatum mortale, eiusque macula adsunt peccatori nequit non obnoxius reatusque illius pœnæ esse. Secundo; quia supplicium eiusmodi infinitum est,cum sint mala, quæ Deus potest inimico si velit infligere, infinita, bonaque, quibus priuare potest non pauciora; quæ valori propriè meritiuo finito mortalis respondere nequeunt, minusque æqualiter mortalis omnibus, & singulis,siue maioribus, siue minoribus: quia sicut meritum omnis præmij possibilis infinitum est, & demeritum omnis pœnæ possibilis infinitum erit,& quod se maius in eo genere non patiatur; cum tamen demeritum proprium maius in vno mortali, quam in alio de fide fit.

5 Ex hoc fit.2. magnitudinem malitiæ,vel bonitatis actuum non esse taxandam ex magnitudine dignitatis formalis, seu status, in quo amicitia, vel inimicitia Dei iustum, vel peccatorem constituit ad bene, vel malè,siue priuatiua, siue positiua à Deo amico, vel inimico habenda: cum enim mortalia alia aliis grauiora esse, ac peiora de fide sit, atque dignitas formalis,seu status inimicitiæ Dei, quantumuis minimo, mortali, dignos nos formaliter efficiat, qui omni Dei dono, ac beneficio priuemur, ac non sit aliquid amplius, cuius vlteriori priuatione dignos nos grauius mortale constituat, si ex formali dignitate status ad plura, vel pauciora mala à Deo habenda malitiæ magnitudo, taxetur, mortalia omnia æqualis malitiæ habenda erroneè erunt solum ergo taxanda est bonitas, vel malitia nostrarum actionum à posteriori ex præmio, vel supplicio proprio, quod respondet merito proprio valoroso, non autem dignitati, vel indignitati formali status amici, vel inimici: Quare licet minus dignitatis,seu ius ad pauciora Dei dona det nobis contritio, qua,formalis dignitas est, & status amicorum Dei,in quo nos collocet,quam mortale ad subeunda à Deo mala plura ratione dignitatis formalis, & status inimicitiæ Dei, in quo nos constituit; dum tamen merito proprij, & dignitatis valorosæ ad præmia, vel supplicia à Deo habenda, non sit inæqualitas sed æqualitas æqua erit in contritione bonitas, atque est in mortali malitia,si autem inde taxetur pœna,vt taxari in mortali debet perspicuum fiet quanto iure noster Salas 1. 2. q. 87. tractatu, 23. disput. 15. sect. 7. peccato mortali nullum demereri gratiam habitualem quantamcumque præhaberet, sed in gradu determinato maiori,vel minori pro mortalis maiori,vel minori grauitate:quod intelligendum est de valorosa,ac meritiua, non de formali pœnæ dignitate. Vnde si hæc abesset, atque item formalis physica pugnat mortalis cum gratia vlteriori, ac intensiori mortaliter delinquens gratia omni expoliandus prorsus non esset. Vide Salmanticenses R. plura quam fortia huic nostri,Salas doctrinæ opponere, quæ ex distinctione dignitatis formalis,& de meritiua,mortalis facilè diluentur.

6 Quoad priuatiua vero damna,quæ affert mortale aduerte, priuationem gratiæ, & visionis Dei non esse pœnam respondentem,adhuc dignitati formali, & statui peccati mortalis cum enim vtraque iustificet, iustitiaque contradictoriè pugnet cum mortali, eiusque macula in communi, etiam Rec. opinione mortale, qua tale,& inimicitia Dei formaliter est, erit priuatio omnis gratiæ, & visionis Dei se ipso; quare ad harum priuationem dignitas formalis esse non potest, quin ad se ipsum dignitas formalis sit,quod implicat. In opinione autem in qua gratia, & amicitia Dei non ita strictè pugnat cum mortali,quam falsam iudico ad earum omnium priuationem dignitas formalis mortale erit. Deinde cum Paulus, Augustinus, Patresalij, & concilia passim valorem,& potentiam gratiæ præ nostra ad peccatum commendent, qui fieri potest,vt nos tantum malum operari possimus, quantum bonum gratia in nobis nequeat operari. Tandem valor physicè æqualis est in contritione, atque in mortali; cum æquè mutus se physicè expellant per hoscesergo accedente contritione libertate,qua physicus ipsius valor transeat in morale satisfactionis æquus erit,etiam moraliter quemadmodum valori intrinseco, & quasi physico argenti accedente libertate,qua in debiti solutione exhiberur valor ille, quasi physicè æqualis, transit in valorem satisfactionis debiti.

7 Video hanc eandem Recentiorum doctrinam impugnatam à Ripalda tom. 2. l. 4. disp. 97. sect. 1. num. 8. discursus præfati fallaciam ostendente. Primo quia nullo actu perfectissimo iustus potest condignè mereri hypostharicam vnionem vt isti fatentur,& tamen illa carere per veniale leuissimum dignus redditur homo:quia,qui in aliquo amicitiam, etiam leuiter lædit, dignus est carere strictissima, & summa amicitia Dei, quæ in vnione hypostatica pugnare cum quauis leuissima amicitiæ offensione reperitur; & tamen in veniali non est maior malitia, & offensa, quam bonitas in actu perfectissimo virtutis. Mitto, secundam, & tertiam Ripaldæ, impugnationem, quibus non multum fido. Impugnat quartò num. 13. quia ad æqualem satisfactionem mortalis satis est bonitas operis valens extinguere offensam,& inimicitiam cum offenso: ergo ad satisfactionem æqualem pro mortali opus non est, vt præterea opus satisfactorium det ius, & condignitatem operanti ad amicitiam cum Deo, & ad omnia bona, quæ Deus potest amicis communicare, id enim amplius multo est, quam ad æqualem satisfactionem requiratur. Dices non posse offensam remitti sine eo quod amicus Dei fiat offendens per iustitiam, & sanctitatem, dubium tamen hoc pluribus est, & cuius oppositum suadent exempta ex humanis petita, probatque Ripalda citato tomo disp. vltima. Secundo actus iusti gratiam,& amicitiam Dei formalem merentur. Reliquas Ripaldæ impugnationes prætereo:hæ siquidem efficationes mihi visæ sunt.

***

CERT.

CERTAMEN III.

Alia proimpossibilitate satisfactionis à puræ creaturæ diluuntur.

1 Dices 1.contritione exhiberur Deo satisfactio pro mortali,ergo, cum hæc de facto fuerit à pluribus exhibita Christus Dominus de facto non satisfecit pro omnibus mortalibus omnium, licet pro his,qui gratia à Christo pro merita in sacramento sine contritione iustificati sunt fecerit satis. Hoc autem videtur non admittendum. Respondetur non esse in ea consequentia magnum absurdum si de satisfactione formali, & proxima de facto, ac non ex rei natura sit sermo; quia enim hominibus conuenientius fuit, vt proprio actu, & contritione de peccatis suis iustificarentur, licet in operibus Christi esset valor, vt erat, ad satisfactionem formalem proximam pro omnibus omnium hominum peccatis, non tamen ea obtulit pro omnibus Deo in proximam formalem satisfactionem sed in remotam, vt eis nimirum mereretur auxilia, & habitus ad contritionem qua de facto formaliter proximè satisfacerent plures, ratione quorum in radice, vt dicebamus ipsa eorum formalis satisfactio proxima Christi etiam esset, ac reputaretur, sicque à Deo Christi satisfactio pro illis acceptata est sine vlla satisfactionis Christi iniuria, minori de æstimatione. Secundò negatur consequentia in opinione communi de iustificatione per solam gratiam habitualem,cùm enim hanc nobis omnibus Christus suis operibus fuerit pro meritus, atque hæc ab habitu charitatis,in communi etiam opinione sit indistinctus, propriori naturæ ad contritionem,se conterenti inhærebit:quare, & formaliter proxime ante illam peccatum mortale diluat, ac proinde Christus Dominus omnibus satisfacientibus formalem proximam mortalis compensationem donabit, & pro omnibus formaliter proximè satisfecit. Neque vero video, qua alia ratione Christi satisfactio proxima fuerit Deo pro omnibus de facto exhibita; si enim secundum se sumpta formalis proxima satisfactio pro omnium peccatis fuit, cum omnium operationes bonas, & gratiam habitualem natura anteierit omnium peccatorum satisfactio de facto fuisse concedendum videtur; cum valor satisfactorius ad omnia, atque infinities plura Christi satisfactione non desit. Inde vero nullius mortalis offensa ac reatum nostris etiam actibus seclusis manere consequens erit: cum omnibus quibus applicata, merita Christi de facto sunt, fuerit,& satisfactio Christi prior, & applicita de facto.

2 Opponit rursus:qui nequit satisfacere pro reatu æternæ pœnæ mortalis nequit satisfacere pro macula mortalis,cui soli annexus,& coniunctus æternæ pœnæ reatus est:ast pro hoc reatu nequit purus homo satisfacere:ergo neque pro macula mortalis. Minor, in qua est difficultas probatur ex Trident.sess.6.cap. 14. dicente:*reatum illum sacramento vel voto illius remitti*: ergo huius semper est remissio,nunquam satisfactio adhuc voto sacramenti,quod contritio perfecta,seu actus charitatis est. Maior est certa,quia reatus æternæ pœnæ nihil est aliud quam duratio æterna maculæ mortalis, vt constat ex disp.1. q.2.cert.5.num.2.& 3. quare, qui maculam mortalis tempore eluit, vt æternè non duret, eo ipso formaliter eluit reatum. Negatur minor ad probationem ex concilio dicito:reatus extinctionem semper esse adhuc cum contritione aboletur, vtroque sacramenti formaliter, & proximè, remissionem Dei in radice ratione auxiliorum, sicut, & maculæ depulso per illam Dei dicitur remissio, in radice nimirum, ratione eorundem, vt supra docebamus:qua etiam ratione, Christi, qui ea nobis de facto promeruit dicitur satisfactio. Quamquam,etsi probaret de formali remissione de facto, cùm satisfactio solum asseratur, possibilia pura creatura pro mortali, & reatu ipsius nihil contra nostram doctrinam probaretur. Potest enim de facto esse, & maculæ, & reatus remissio, cum tamen aliter res possent disponi, vt contritio vtriusque satisfactio propria foret iuxta dicta num. 1. de satisfactione Christi de facto pro vtroque denique maior argumenti falsa est siquidem reatus pœnæ æternæ formaliter comitatur,siue consequitur statum, seu dignitatem formalem inimici, non autem demeritiuum valorem mortalis,vt vidimus.

3 Obiicis rursus: nequit homo purus condignas Deo gratias pro beneficiis agere:ergo neque ei pro macula, & offensa mortalis condignam satisfactionem exhibere. Respondetur, habitum, & auxilia ad actum actionis gratiarum collata necessario, non posse dari intuitu, seu ob gratiarum actionem, quin gratia, & beneficium esse desinant, ac proinde,& actus actionis gratiarum desinat esse gratiarum actio pro illis siquidem gratiarum actio de re aliqua supponit essentialiter rationem gratiæ,& beneficij in illa. Pro aliis vero beneficiis præter hæc, quæ sunt necessaria principia gratiarum actionis, potest purus homo gratias agere, vt patet;quare si non de iis sit sermo, falsum est antecedens si autem non obiectum actionis gratiarum ea dentur auxilia,& actus,sicque beneficia, & gratiæ sint, nequit condignè pro illis purus homo gratias eo actu exhibere. Tum quia habitus, gratiæ dignificat ipsam gratiarum actionem; quare sui solutio condigna erit, si sit pro se condigna gratiarum actio, quod implicat. Auxilia vero ad gratiarum actionem crescunt in ratione beneficij,& gratiæ ex actu actionis gratiarum secuto; nequit autem beneficium, & gratia gratificatoria compensari ea ipsa re qua in ratione gratiæ, & beneficij crescit. Quare in hoc casu, concesso antecedenti negatur consequentia quia hæc incommoda in satisfactione pro macula,& offensa mortalis per contritionem à puro homine exhibitam non concurrunt. Vnde neque est paritatis ratio.

4 Obiicit Ripal. citata disput.97. sect. 2. per mortale parari Deo nouum ius dominij ad vilissimam seruitutẽ peccatoris,tanquam fordidissimi,mancipij,à quo omnia opera possibilia in æternum possit erigere, non minus quam æternis cruciatibus destinare supponit insuper non posse satisfieri alicui pro offensa ad æqualitatem,quin satisfiat iuri offensoris orto ex illa in offendentem satisfactione æquali, &, in qua nulla sit iuris remissio facta ab offenso: quia alias æqualis non erit satisfactio. Rationes vtriusque suppositi examinare non vacat. Ex illis vero sic arguit satisfactio pro offensa mortalis debet esse satisfactio iuris diuini ad seruitutem peccatoris,qua sine vlla remissione Dei peccator liberetur:atqui nequit illis actibus satisfieri, & extingui ius Dei sine vlla iuris remissione in seruiturem peccatoris à pura creatura:ergo,nec Deo pro offensa mortalis satisfieri. Minorem probat, quia cum ad omnia obsequia possibilia peccatoris ius illud Dei sit, hoc obsequio exhibito ius manet in Deo ad reliqua in satisfactum,ac non extinctum;Quemadmodum solutione decem facta ei,cui debes centum,non adæquas,& satisfacis iuri toti illius contra te.

5 Quoniam verò dici posset ab alio non peccatore sed iusto cuiusque opera ex infami illa peccati seruitute Deo non deberentur posse pro offensa mortali peccatoris satisfieri in eius principiis asserentis saltem, per modum meriti satisfieri posse pro mortali alterius respondet:Iustum, licet non habeat statum seruitutis peccati, ast ex iure anteactæ similis seruitutis debere etiam Deo opera,quæ in statu iustitiæ exercet, ita, vt maneat debitum,licet ius pro tunc non extet, sed extiterit. Sed quid, si iustus ille satisfaciens pro alio iustus à Deo crearetur, nunquamque mortaliter deliquisset? Difficultati respondere posset verbis, & discursu Anselmi lib.1 cur Deus homo cap.5.alio ab ipso recitatis; Eidem quippe difficultati à Rosso obiectæ ita respondebat; *An non intelligis quia quecumque alia persona, quæ Deus*

Deus non esset,hominem redimeret,eius seruus idem homo rectè iudicaretur quod si esset nullatenus restauratus esset in illam dignitatem,quam habiturus erat si non peccasset;cum ipse, qui non nisi Dei seruus per omnia futurus erat, seruus eius esset,qui Deus non esset. Quia igitur seruus peccati redemptus ab alio seruus est redimentis,& alterius, quam,Dei, nemo seruus iure vllo esse potest, ab alio,quam à Deo,redimi non potest ex Anselmo.

6 Iis quidem verbis significatum ab Anselmo vult Ripalda discursum illum suum de impotentia satisfactionis pro mortali proprio, cum expresè, ipso etiam Ripalda interprete, loquatur Anselmus de satisfactione pro peccato mortali alieno; quare, & nos ad huiusmodi satisfactionem ex Ripaldæ interpretatione opportunius eum locum indiximus. Sed tamen eius interpretatio præfato testimonio non congruit, neque ipsius doctrina. Anselmus enim,non negat fieri posse, vt redemptus ab alio ex seruitute peccati eius seruus sit; sed solum ea seruitute iuri redemptionis adempta redemptum illum non fore Dei solius seruum,sicut erat; ante peccatum: quare nec posse per redemptionem puræ creaturæ in pristinam dignitatem, quam ante mortale habebat. restitui. Quod longè aliud est, atque non posse à pura creatura sancta, & iusta pro alieno mortali satisfieri,vt patet. Ripalda insuper multis statuerat num. 22 per peccatum contrahi seruitutem diabolo, & creaturis, quæ dulcedinis, & voluptatis peccati prætio emunt peccatorem; quod ius cum sine Dei libitos acquiri creaturis nequeat illud etiam earum supremus Dominus Deus acquirit, quæ ratio satis est leuis pro dominio illo speciali Dei in grauem peccatorem: sed tamen supponit posse esse respectu puræ creaturæ in peccatore seruitutem, contra id, quod negabat. Mitto Anselmi reuerentia rationis suæ examen: Nam,& humanitatis Christi dignificatæ à deitate, & personalitate verbi,quæ neque vt sic, Deus est, atque vt sic,est redemptrix, seruus est homo redemptus redemptionis iure, nec solius Dei, cuius solum seruus erat ante peccatum.

7 Veni ad discursum Ripaldæ primum, ac præcipuum relatum numero 4.vndecumque dominium hoc diuinum,& ius exigendi opera peccatoris statuatur, neque amplius, neque fortius, neque ad plura est quam ius ea exigendi ab eodem creationis, excellentiæ, ac beneficiorum titulis:& tamen Ripalda ipse ait, nihil ominus illis ipsis ita debitis Deo posse ad æqualitatem pro offensa mortalis satisfieri, si non omnia exigantur; quæ enim non exiguntur libera ad satisfactionem remanent: ergo similiter si ex iure seruitutis peccati à Deo non exigantur libera ad satisfactionem pro offensa erunt,totumque ius offensæ extinguent. Nec refert in illa non exigentia ex iure seruitutis peccati esse remissione Dei. Tum quia, etiam in non exigentia aliorum iurium est remissio, rum etiam quia, vt sæpè dixi remissio iuris alicuius obest solum satisfactioni ex iustitia stricta. Tum denique, quia cum de offensa nihil remittat, licet remittat de iure ex illa orto, non tollitur satisfactionis ad offensam nudam adæquario. Tandem satisfactio Christi æqualis non erit, cum aliis titulis Deo omnia eius opera debeantur, atque exhauriantur, ni de eis Deus non exigendo remittat.

***

QVÆSTIO III.

An ad satisfactionem pro toto debito obiectiuo mortalis necessaria incarnatio fuerit?

OSTENDIMVS hactenus ad satisfactionem pro mortalis,siue malitia, siue offensa necessariam incarnationem non fuisse. Vidimusque,cum ex valore,seu dignitate meritoria mortalis, tùm ex dignitate formali,& status inimicitiæ, in quam homo per mortale reducitur,dignum esse pluribus malis positiuis, atque omnium donorum Dei priuatione grauem peccatorem: vt, de originale etiam, docent Celestin. Pap.1.c.4.Prosper. ad capitula Gallorum,atque hanc quidem malorum, siue positiuorum, siue priuatiuorum subeundorum dignitatem; quæ in graui peccatore est, debitum subiectiuum mortalis ex nostro Vasquez Theologi reliqui merito nominarunt: Est siquidem reatus, seu debitum luendi pœnas, quod mortale subiecto induxit; Mala vero omnia enumerata quæ dignitatis debitique illius termini sunt, debitum obiectiuum vocarunt. Et quidem, cum sublata mortalis macula,& offensa, tota peccatoris dignitas ad mala quæuis ob illas æternè subeunda pereat, imo, & temporaliter, si contritio ex perfectissimis sit,eaque sublata mala illa pœna mortalis deinceps esse non possint haud dubio,quin purus homo, qui potest pro macula, & offensa mortalis, quare, & pro debito subiectiuo satisfacere, pro toto etiam obiectiuo, quod non necessario,& essentialiter supponatur ante contritionem remissum satisfacere queat. Tota ergo difficultas est, quidnam ex malis illis positiuis, quæ peccator meretur,vel priuatiuis quæ demeretur, adeo essentialiter,& necessario supponatur à Deo remissum,seu condonatum,vt sine vllis meritis condignis puræ creaturæ cuiusuis donandum,seu condonandum, ac remittendum peccatori gratia Deo sit.

CERTAMEN I.

Pervulgata nostri Vasquez opinio ab antiquioribus difficultatibus expeditur.

1 NOster Vasquez disputat.2.cap. 5. & disputat. 9 cap.3. asseruit purum hominem non posse pro toto debito obiectiuo mortalis satisfacere: Cum enim ad quoduis bonum opus liberè, & honestè eliciendum (quo solum modo potest esse contritio satisfactio) necessarium sit auxilium gratiæ, ita vt neque diuinitus aliter fieri, elicivè possit; omnibusque auxiliis gratiæ debeat, dignusque sit peccator ob mortale priuari; priuatio eius auxilij necessario, & essentialiter requisiti, & præsuppositi ad contritionem; auxilij ipsius donatione supponitur: essentialiter condonara, remissaque à Deo: quare se conterens non potest illam mereri auxilij donationem. Sed neque pura creatura vlla, adhuc gratia adoptionis ornata. Nam hæc nequit dignificare opus honestum ad merendum auxilia aliis, imò, nec sibi, sed sibi gloriam, cuius tantum semen est in suo subiecto fructificans non in extraneo: quare ad eius auxilij donationem, ac debiti obiectiui carendi illo satisfactionem Christi,aut alterius personæ diuinæ incarnatæ, aut vnitæ hypostaticè ad creaturam rationalem satisfactione fuit opus. Secuti sunt nostrum Vasquez Gaspar. Hurtado disput.1.diffic.decimaquarta, & decimaseptima,reliquisque Vazquiani & R.

Complutenſes, ac ferè ad annos proximos tota noſtra Prouincia Toletana, toraque Complutenſis ſchola, tantaque profundæ huic meditationi æſtimatio acceſſit, vt à quibus non conſenſum ſaltem admirationem extorſerit. In conſentientibus mirabundiſque diù fui, & quamuis iam à conſenſu defecerim nunquam tamen ab eius ſententiæ veneratione deficiam. Quare, & illam priuſquam propriis rationibus impugnem debitæ obſeruantiæ ergo ab aliorum impugnationibus vindicabo: vt, qui eam poſtmodum ſequi velit, noſtratium ſolum rationum ſolutione facili opus habet. Ita enim ſemper cum magno Vaſquez decerto, vt vinci deſiderem.

2 Obiicit Raguſa noſter diſputat. 5. de Incarnatione §. 3. verſu *Præcipue argue.* Priuatio beneficiorum Dei ſecundum ſe non eſt pœnæ mortalis, ſed ſolum, quatenus Dei beneficia ſunt, atque ex peccatoris complacentia, in bonumque ipſius à Deo conferuntur; neque enim meretur, vt Deus ſe, ſua vtilitate, & voluptate in eis conferendis priuet: atqui poteſt auxilium non ex complacentia, & in bonum peccatoris ad contritionem à Deo conferri, ſed ad ſuæ gloriæ oſtenſionem, aliudvè quidpiam: ergo contritio ab auxilio ſic collato prouenientis non ſupponat vllum debitum obiectiuum remiſſum, ac proinde erit pro toto obiectiuo debito ſatisfactio. Diſtinguo maiorem: beneficiorum Dei, quibus peccator non determinatur phyſicè, vel logicè ad amicitiam, vel reconciliationem cum Deo inimico, concedo maiorem; quibus determinatur ad ea, quemadmodum auxilio congruo ad contritionem, nego maiorem. Cum enim inimicus Dei ſit omni eo, quo in gratiam eius determinetur, & redeat ex quocumque motiuo donetur, indignus eſt. Dices ad actum contritionis non requiritur per ſe, & eſſentialiter hoc numero auxilium cum idem ab alio numero auxilio poſſet procedere: ergo hoc numero auxilium poteſt cadere ſub meritum contritionis. Sicut, quia hæc numero maternitas requiſita eſſentialiter non fuit ad Chriſti exiſtentiam, potuit cadere ſub meritum virginis ex gratia Chriſti exiſtentis profectum Infero ſecundo: ergo huius auxilij condonatio non ſupponitur eſſentialiter, ad contritionem eius enim ſolum condonatio eſſentialiter ad contritionem ſupponitur, quod eſſentialiter, & neceſſario ad illam præcedet. Negari facile poſſet antecedens. Nam, licet hæc numero contritio poſſit ſecundum phyſicam entitatem ab alio numero auxilio, & ſancta cogitatione procedere, non tamen, quatenus ſatisfactio eſt: hæc ſiquidem numero ſatisfactio dicit hanc numero libertatem: hæc autem numero libertas eſſentialiter dicit hoc numero auxilium, & hanc ſanctam cogitationem ſed neque eo admiſſo conſequentiæ tenent. Nego igitur vtramque ſecundam, quia, cum mereatur peccator, dignuſque ob mortale ſit, vt omni auxilio careat, hocque, vel illud eſſentialiter requiratur, atque hoc de facto præcedat, hoc de facto eſſentialis dependentia contritionis ab aliquo fuit expleta; quare, & hoc ex parte antecedentis indigno donatum, ſeu condonatum eſt. Neque minor eſt remiſſio, & condonatio, quod hoc, quod condonatur in indiuiduo, neceſſarium determinate, & eſſentialiter ad contritionem non ſit: ſicut, neque maior eſt ſolutio, quod hoc ſcuto determinato, cum aliis poſſem, debitum ſcutum perſoluam.

3 Hinc ad primam illationem dicito præmij materiam non eſſe huius auxilij præ alio indiuiduo æqualem donationem, ſicuti, neque quod hoc præ alio ſcuto, ſcutum ſoluatur debitum, materia eſt gratitudinis, quia in ea prælectione, neque ſe conterenti, neque creditori quidpiam commodi fit: quare, nec eſt in ea quidquam æſtimabilitatis mai oris, quam, ſi aliud indiuiduum æquale donaretur. Cum ergo totum commodum ſe conterentis, &, quod materia præmij eſſe poſſet, ſi auxilium congruum, quod quidem eſſentialiter ad contritionem ſupponitur, & in hoc determinato condonatum ſit, quod donatur indigno, nequit ſub meritum contritionis venire; quia quod præmij materia eſſe poterat, eſſentialiter ſupponitur ad ipſam contritionem donatum: quod autem non eſſentialiter, ſed per ſe præcedit, nempe indiuiduatio determinata huius auxilij, materia præmij non eſt. Secundo: licet eſſet indiuiduum hoc determinata materia præmij, cum per ſe, licet non eſſentialiter, qua tale ſupponatur ad contritionem, nequit ſub eius meritum cadere. Vnde conſtat diſparitas ad meritum Chriſti, & Beatæ virginis erga maternitatem Chriſti. Tum quia non adeo per ſe ad eiuſmodi merita ſupponebatur, atque indiuidua hæc cogitatio ſancta ad contritionem, vt infra dicemus. Tum quia, & Chriſto hanc præ alia matrem habere, & virgini tanti filij præ aliis omnibus maternitatem ampliſſima præmij materia fuit. Sed dices: licet auxilium hoc donatum per ſe præcedat contritioni, non autem qua condonatum: nam, & condonatio non eſt conditio neceſſaria ad contritionem, ſeu actum charitatis, ſaltem, quâ contritio non ſit, ſitque æquæ, vt poteſt, ſatisfactio, atque eſt contritio. Ex alia vero parte, cum ſublato debito ſubiectiuo toto, ſeu ſubiecti, indignitate totum obiectiuum debitum ceſſat in inſtanti durationis primo, in quo eſt contritio, & in quo debent eſſe quæcumque ex parte actus primi contritioni præcedunt, non eſt debitum obiectiuum carendi auxilio: cum inſtans illud primum durationis, & exiſtentiæ contritionis, ſit primum, in quo non eſt macula, & dignitas demeritiua mortalis: quare, neque debitum obiectiuum carendi auxilio erit, ſine quibus nequit eſſe condonatio. Ergo condonatio ſub meritum, vel ſatisfactionem contritionis cadere poteſt, etſi ſit; vel potius ergo nulla eſt ex parte actus primi condonatio, ac remiſſio. Nego conſequentiam vtramque antecedenti permiſſo. In condonatione ſunt duo: & donatio, & indigno, non, qui actu ſit, cum donatur: (nam condonatione, ſeu remiſſione extrahimur à debito, ſeu dignitate ſoluendi, ſeu luendi: quare in eodem inſtanti remiſſionis, & condonationis, eſſe debitum, & dignitatem non minus pugnat, quam terminum à quo poſitiuum eſſe cum termino, ad quem negatiuo ipſius) ſed qui fuerit indignus immediatè ante! quare condonatio ſupra donationem addit ſolum denominationem extrinſecam ab indignitate antecacta recipientis, ipſique neceſſario agnatam, & ineuitabilem, niſi indignitas proxime antecedens auferatur: adhoc autem potentia non eſt, adhuc in Deo: eſſet enim potentia, vt non fuerit, quod fuiſſe ſupponitur: ad impoſſibile autem, ad quod neque poteſtas eſt in Deo præmiante, nec dignitas, nec congruitas meriti poteſt eſſe in merente; denominationes autem extrinſecæ, quæ comitantur neceſſario, & immediatè tanquam earum impedimenta actionis, licet non ex effectus exigentia, ex neceſſitate tamen denominandi actiones in inſtantibus, etiam naturæ, in quibus primum ſunt comitantur / quare, & effectus earum antecedent.

4 Obiicies rurſus. Ablatio quomodocumque debiti obiectiui ſe ipſa ipſa eſt ablatio debiti ſubiectiui: patet; quia remiſſio pecuniæ debitæ eſt remiſſio obligationis ſubiectiuæ ſoluendi, & ſoluto debito obiectiuo pecuniæ ſoluimur etiam obligatione ſoluendi: ergo remiſſio neceſſaria facta à Deo debiti obiectiui auxilij pro hoc inſtanti primo cõtritionis eſt neceſſaria remiſſio debiti ſubiectiui, ſeu dignitatis carendi illo: ergo nequit ſatisfieri ab homine pro debito ſubiectiuo: probatur conſequentia: quia remiſſio debiti obiectiui eſt pro priori naturæ ad contritionem: ergo, & ſubiectiui, ſi eadem eſt, & inſectilis vtriuſque debiti remiſſio: quare, cum contritio pro poſteriori naturæ accedit nil habet,

habet, quod agat in abolenda, ſiue eluenda dignitate demeritoria, ſeu debito ſubiectiuo mortalis. Secundo; quia implicat ſimul in eodem inſtanti eſſe eiuſdem debiti ſolutionem, ſiue ſatisfactionem, & remiſſionem: quare poſſibilitas ſatisfactionis à pura creatura pro debito ſubiectiuo cum impoſſibilitate ſatisfactionis pro obiectiuo, ac neceſſaria huius remiſſione pugnare videtur. Reſpondent. RR. remiſſione, ſeu condonatione debiti obiectiui carendi auxilio tolli partialem indignitatem, quæ ipſi reſpondet, non autem totalem aliorum beneficiorum, quibus peccator dignus eſt carere: quare, & has partes debiti ſubiectiui contritione aboleri, pro eiſque ſatisfieri. Contra: ergo purus homo nequit ſatisfacere pro toto debito ſubiectiuo, vt aſſeritur nec magis pro hoc, quam pro debito obiectiuo: nam pro aliis etiam debitis obiectiui præter donati auxilij carentiam ſatisfieri etiam à pura creatura poſſe Vaſquez fatetur. Contra ſecundo: quia debitum ſubiectiuum, grauis peccatoris indiuiſibile eſt omnia mala poſitiua, vel priuatiua infligibilia à Deo reſpiciens; eſt quippe indignitas ea omnia patiendi, ſi Deus velit quod ſi non ſit patiendi omnia mala, ſed aliqua tantum, non eſt dignitas propriè mortalis, ſicut potentia, quæ aliquorum faciendorum, imo omnium præter vnum tantum ſit, omnipotentia non eſt. Plenior ergo planiorque ſolutio, ſit negare antecedens; licet enim debiti ſubiectiui, ſiue dignitatis demeritoriæ ablatio obiectiui etiam ablatio ſit, non autem contra: neque exemplo ex debitis pecuniariis ſuadetur debitum enim pecuniarium ex furto, vel commodato contractum inæqualitatem factam læſo in ſurreptione, vel detentione pecuniæ contra ipſius voluntatem ſupponit: quare ceſſante, vel inæqualitate ob ſolutionem vel in voluntarietate læſi ob voluntariam remiſſionem ipſius, debitum ſubiectiuum neceſſario ceſſat: Aſt debitum ſubiectiuum peccatoris grauis ſolam dicit dignitatem demeritiuam ipſius quia inimici Dei: quare remiſſo, vel non remiſſo debito obiectiuo, ſiue partiali, ſiue totali, quandiu Dei inimicitia in illo perſeuerat, & debitum ſubiectiuum perdurat: perſeuerat autem inimicitia Dei quouſque contritione aboleatur.

5 Argues iterum poſitione phyſica contritionis ab homine, quatenus ex ſe eſt, ponitur ab homine ſatisfactio pro debito ſubiectiuo, cui opponitur contradictorie: ergo poſitione phyſica ab homine cogitationis incompoſſibilis eum ſui carentia, quæ debitum obiectiuum eſt, quatenus ab homine ponitur, & ponetur debiti obiectiui ſatisfactio. Permiſſo antecedenti negatur conſequentia. Non enim debitum obiectiuum, ſicut ſubiectiuum, contradictorij poſitione aboletur. Ecce Debeo dare centum, non do, poſui contradictorium debiti, id eſt negationem dandi centum an ſolui poſitione contradictorij ad debitum! aboleuiné debitum illud obiectiuum! minime; ſic etiam debitum obiectiuum eſt carentia auxilij, poſui auxilium phyſicè, quod carentiæ contradicit, non ſolui. Secundo: quia in debitis pœnalibus, niſi iudex ſuo cedat furi non ſatisfit, adhuc pro debito obiectiuo exhibitione tantundem mali à reo ſibi ipſi inflecti. Debes centum verbera: vapulas à te centies: an ita iam debitum Soluiſti, vt centum tibi verbere deinceps impingi à iudice per tortorem iure nequeant? Debitum autem ſubiectiuum, quæ ſola dignitas demeritiua eſt, non debitum luendum poſitione contradictorij ab ipſo, in quo erat peccatore aboletur. Sed, & antecedens eſt falſum; Non enim phyſico ſolum concurſu peccatoris ad contritionem ſatisfit pro debito ſubiectiuo, ſed morali, ac libero ad quod Dei gratia, & remiſſio præcedit: quare, vt auxilij poſitio ab homine eſſet debiti obiectiui ſatisfactio, libere etiam, & honeſte deberet ab illo apponi: ad quod auxilio alio gratiæ opus erat, quod, cum peccatori, & indigno conferretur in eo eſſet debiti obiectiui remiſſio. Quocirca, licet homo mereri poſſet de condigno, vt poteſt de congruo auxilium ad reſurgendum à mortali per contritionem per opus bonum antecedens, atque vniuerſim reparationem poſt lapſum, ad illud opus bonum antecedens Dei gratia requiritur, in cuius donatione condonatio, & remiſſio debiti, alicuius obiectiui præcedit.

CERTAMEN II.

Quouſque difficiliores aliæ obiectiones contrà Vaſquez proceſſerint oſtendimus.

1 ANtiqua, ac difficilis obiectio fuit: Grauis peccator dignus fuit carere omni beneficio Dei, quæ beneficium ipſius eſt: atque ex eius amore à Deo perfectum: atqui redemptoris donatio ex noſtri amore, atque, vt noſtrum beneficium à Deo fuit profectum (inde enim maxime erga nos amorem Dei, ac beneficientiam commendat Paulus ad Rom. 5. ad Tit. 2. & 2. Corinth. 8. & Chriſtus ipſe Ioann. 3. quod nobis prouiderit, miſſerit, donauerit Redemptorem; ergo eo, vt datus nobis eſt, carere digni eramus: ergo in eius donatione facta fuit nobis de facto à Deo alicuius debiti obiectiui condonatio atque remiſſio; ergo Chriſtus non ſatisfecit pro toto noſtro debito obiectiuo. Vtramque conſequentiam probo: quia Chriſtus nequinit ſuis meritis exiſtentiam ſuam, Deique erga nos beneuolentiam contentam in decreto, quod fuit de ſua exiſtentia, promereri; exiſtentia quippe eſſentialiter ad meritum ſupponebatur, & decretum ſupponebatur ſaltem per ſe ad meritum, & exiſtentiam: Hoc autem, & abſurdum eſt, Redemptionem Chriſti diminutam oſtendere, atque in hac opinione non neceſſariam. Ad id enim, neceſſaria ſolum aſſeritur, vt nobis nullius debiti obiectiui quantumuis minimi fiat à Deo remiſſio, ſed plena potius ſit pro illo ſatisfactio. Hinc conſtabit quanto difficultatis huius metu conſternatus Hurtado difficult. 17. num. 78. male negauerit Chriſtum Redemptorem beneficium noſtrum eſſe, ſed ſolum cauſam non effectum prædeſtinationis, vt eſſe debebat, ſi in ſe noſtrum beneficium foret. Solum ergo ait eſſe beneficium in radice, & quod remote ſolum nobis ad ſalutem vtile ſit: ſed tamen plura remote ſolum ad ſalutem noſtram conducentia: vt externa è quibus ſaluiferæ nobis cogitationes ſuboriuntur inter prædeſtinationis effectus, ac proinde, vt beneficia, & gratias recenſentur ab Hurtado. Nec refert cæli, ac Dei exiſtentiam nobis proficuam eſſe, etiam in ordine gratiæ, & tamen neque inter gratias, & beneficia Dei, quibus carere debebamus ob mortale, & in quorum donatione Condonatio nobis fiat, numerari: quia valde remote ad ſalutem influunt. Non enim ideo inter Dei gratias ad ſalutem non recenſentur, neque earum donatio condonatio eſt; ſed quia non ex amore noſtri Deus exiſtit, neque cœlum ex amore noſtri, in ordine gratiæ ſupernaturalis datum eſt; imo nec nobis condonari potuit, quia, licet ex eo affectu daretur, non tamen eius donatio nos peccatores, & indignos ſuppoſuit, vti ad condonationem, ac remiſſionem debiti carendi illo opus erat licet autem Chriſtus Redemptor in ſe formaliter noſtrum beneficium, gratiaque fuerit, tamen effectus prædeſtinationis non eſt, quia voluntas decernés exiſtentiam Chriſti Redemptoris omnes æquè homines reperit: quare ex ea non cæpit prædeſtinatorum à reprobis diſcretio, atque in voluntate Dei ſeparatio, in qua prædeſtinatio conſiſtit.

2 Multa alia mouent. RR. quibus non reſpondeant argumento. Primum infinitatem ſatisfactionis Chriſti ſed tenuitate valoris non poſſe Chriſtum ſuam exiſtentiam nobis promereri, non contendit argumentum, neque pro debito noſtro carendi Redemptore ob tenuitatem valoris nequeat Chriſtus ſatisfaceresſed quia donata neceſſario præcedit indignis, ſicut auxilium ad contritionem: & quod nequeat principiũ meriti ſub meritum cadere. Dicunt ſecundo: in Chriſto ſatisfacturo

non eſſe dignitatem carendi ſua exiſtentia, ſicut in nobis ſatisfactionis eſt dignitas carendi auxilio. Quid inde? non erit condonatio reſpectu Chriſti ſatisfacturi, ſed noſtri, pro quorum debito erat ſatisfaciendum. Dicunt tertio: Chriſti opera dignificari ex vnione hypoſtatica, non autem ex noſtro peccato, neque ex condonatione prouenire: ſed neque noſtra opera dignificantur à noſtro peccato, neque proueniunt phyſicè à condonatione auxilij, ſed à donatione, quæ poſita indignitate eius donationem ex parte actus primi impediente illam, comitanter condonatio eſt: quæ, & in donatione Chriſti Redemptoris nobis facta, eodem modo euenium. Dicunt quarto: contritionem eſſe deteſtationem peccati, quare ex cogitatione peccatum ſupponente procedere. Contra: ſatisfiat actu alio charitatis, vt poteſt, qui ab illa cogitatiõne non proueniat, ſed, à cogitatione ſola bonitatis Dei. Dices: adhuc in peccatore illum actum eſſe virtualem peccati deteſtationem. Contra: quia actus ille charitatis non eſt deteſtatio abſolute peccati, adhuc virtualiter, niſi ex comitantia peccati in elicitente: alioqui à prorſus iuſto, in quo virtualis adhuc deteſtatio peccati commiſſi eſſe nequit, actus charitatis elici non poſſet. Sed ſit virtualis deteſtatio, quæ nihil ſupponat peccati cogniti ab eliciente, nihilque tuæ ſolutioni proderit. Denique ad condonationem indebiti, ſeu donationem indigno, nihil præſtat ſcientia indignitatis, vel eius ignorantia in recipiente: ſolumque conducit ſcientia, vel ignorantia in dante, quæ Deo donanti auxilium, & Redemptorem, quibus indigni eramus neceſſario adfuit. Dicunt denique auxilium ad actum charitatis ſuppoſito peccato non poſſe dari à Deo niſi ex intentione expulſionis peccati neceſſario per illum actum futuræ; quare nec poſſe dari niſi ex ſcientia peccati in Deo; poſſe autem dari Chriſtum non ex ſcientia peccati, & intentione Redemptionis noſtræ. Contra: quia de facto datus eſt in Redemptorem, & ex intentione vt pro peccatis ſatisfaceret, atque ex Dei beneuolentia erga peccatores: ergo de facto datus eſt ex ſcientia peccati. Contra ſecundo: quia, licet ex auxilio congruo neceſſario neceſſitate logica futurus ſit actus charitatis, & expulſio item peccati, poteſt tamen non ex ea intentione dari, ſicut datur auxilium ſufficiens ex quo æque neceſſitate futurum eſt peccatum, non tamen ex intentione peccati. Chriſtus inſuper dari poſſe dicitur non ex intentione Redemptionis, licet ex eius, & auxilij cuiuſuis ad operandum donatione redemptio neceſſario erat futura, atque pro peccatis ſatisfactio. Nec patet iis recurſus ad principium remotum, quod in eorum opinione impugnanda controuerſia de cauſis incarnationis, & diſput. de merito Chriſti cadere ſub meritum poteſt. Tum etiam quia donatio auxilij principium remotum eſt actus charitatis.

3 RR. Complutenſes ex acceptis ab ſcholæ Theologicæ emphaſi magiſtro meo Didaco Daza meritis per modum præcij, & ſolutionis aiunt decreto incarnationis duplicem à Deo libertatem exerciram fuiſſe: vnam circa incarnationis ſubſtantiam, circa motiuum illius ſubſtantiæ exequendæ, nempe ob noſtram Redemptionem, ex noſtrique beneuolentiam, alteram; ſiquidem potuit incarnatio fieri, quin ex eo fine, & ex noſtri beneuolentia eſſet: quare eadem incarnationis decreto vtraque libertas diuina exercetur. Cum autem Chriſto ſecundum ſe carere non debeamus ob mortale, ſed quatenus in noſtrum bonum, ex noſtrique beneuolentia donatur, quo ſolum pacto Dei erga nos beneficium eſt, ſi Chriſtus promeruit, vt ex hoc fine, & beneuolentia nobis donaretur, pro debito carendi Chriſto Redemptore prorſus ſatisfecit. Promeruit autem inquiunt: quia, licet non per merita abſoluta, & remuneranda, quæ Chriſti incarnationem executam de facto, ex hoc motiuo, & fine ſupponebant, adhuc, vt ex motiuo hoc Chriſtus exiſteret, promereri potuerit ſed neque meritis per modum præcij, & ſolutionis decretum illud, vt ad ſubſtantiam incarnationis terminatum, quia merita Chriſti ex ſubſtantia incarnationis, & vnionis hypoſthaticæ valorem recipiebant, quare, nec prætium, & ſolutio illius eſſe poterant, quin ſui ipſius valor ſolutio foret, quod implicat: Aſt decreti incarnationis, quatenus ex fine noſtræ, redemptionis, noſtrique a more fuit illa executa, ratione cuius opera Chriſti valorem non recipiebant, neque dignitatem, prætium eſſe poterant cuius intentione, & ſpe Deus ex noſtri beneuolentia, noſtræque reparationis fine incarnationem decerneret, atque exequeretur. Neque tamen, inquiunt, ex eo, quod merita Chriſti per modum pretij, & in ſpe moueant; vt finis, mouent ad ea omnia, quæ ſunt, media ad ipſa merita obtinenda, tanquam prætium, ac proinde neque ad ſubſtantiam incarnationis, quæ medium neceſſarium eſt ad eiuſmodi merita obtinenda licet enim, qua finis merita Chriſti ſunt, moueant ad omnia ea, quorum, quidem finis ſunt, ſint autem vtriuſque libertatis, & circa ſubſtantiam incarnationis, & circa motiuum exercitæ, ac proinde moueant ad ſubſtantiam incarnationis, & decretum, quatenus circa illam, non autem, vt prætium: qua prætium enim ſolum mouent ad motiuum, & decretum, quatenus ex illo habetur. Nec refert aiunt, eundem fore valorem, & prætium, quod Deo ſoluret Chriſtus ob ſui exiſtentiam ex alio quouis fine decretam; quare in meritis, ſeu gratiarum actione Chriſti non apparere, ob quod ex hoc motiuo potius, quam alio incarnationem decreuerit Deus: cum enim idem dandum pro alio quouis eſt, non eſt prætium, quo ad hoc potius intuitu gratis moueri voluntas poſſit: quia, inquiunt, ex Peltano, & Lugo ſupra memoratis, licet idem valor ſit in omnibus Chriſti actibus, motio tamen ad Deũ, huiuſque complacentia maior in perfectioribus Chriſti actibus erat.

4 Obiiciunt ſibi præterea. Deus mouetur ob merita Chriſti tanquam finem, & prætium: ergo redemptio medium eſt ſolutionis obtinendæ, non finis, decernendæ incarnationis. Recurrunt ad electionem extrinſecam, vt primum Deus intenderit prætium meritorum Chriſti: Deinde cognoſcens medium ad ea obtinenda eſſe decretum incarnationis ex motiuo Redemptionis illam ex eo motiuo decreuerit, quin in finem meritorum Chriſti intrinſecè eo decreto ferretur. Electiones extrinſecus huc è Caſtellana noſtra Prouincia aduectas funditus euertam controuerſia ſequenti diſput. 1. Secundo dante intentum argumento, planeque admittunt Deum, neque ex noſtri beneuolentia neque ex Redemptionis noſtræ fine Chriſtum decreuiſſe: id quod, & ſcripturis citatis, & Patribus innumeris apertè aduerſatur, & intento etiam RR. tot fulcris, & machinis hactenus ſuſtentato contrarium eſt in id enim, tot tantaque ſunt ab ipſo diſcurſuum molimine inſtructa, vt pro debito noſtro carendi Chriſto Redemptore ex noſtri beneuolentia data (qua ſolum ratione non autem ſecundum ſe, illo carere digni ob mortale fueramus) Chriſtum ſatisfeciſſe defenderent: nihilque proinde nobis poſita Chriſti ſuper abundanti ſatisfactione remiſſum à Deo fuiſſe. Ecce vero, & ſine illis nihil in Chriſti donatione condonatum, in tua hac doctrina nobis à Deo foret. Sed videre, quam leui obiectione ingenioſi quandoque turbentur. Nego pro eis primam obiectionis conſequentiam; Non enim Redemptio medium, & vtile ad merita Chriſti obtinenda fuit Deo, ſed decretum incarnationis ex fine Redemptionis. Cum autem id ſolum, quod vtile, & medium eſt amari propter finem debeat, non autem eius obiectum, ſit planè redemptionem nuſquam à Deo ex fine meritorum Chriſti recipiendorum amari debere, ſed ſolum cum illis finem in adæquatum eſſe. Quare ratione huius inadæquati finis incarnationis Chriſtum noſtrum beneficium gratiamque à Deo ex noſtri beneuolentia datam eſſe, quam modo dicto Chriſtus nobis promeruerit. Vnde niſi merita hæc repugnarent, vt plus ſatis controuerſia de merito Chriſti oſtendam, benè hac theologia præſens quieſceret difficultas.

5 Atque

5 Atque hæc quidem ex parte ſe conterentis peccatoris, vel à priori, vel ab abſurdo petita argumenta contra noſtrum Vaſq. hactenus ſunt. Ex quibus in poſtrema hoc ſolum cernitur robur. Iam aliunde ex parte alterius, qui poſſit pro debito carendi auxilio, vel ſimili beneficio ad actum contritionis requiſito, ob alterius peccatum ſatisfacere, ac proinde ſine Dei condonatione remiſſioneve vlla poſſit auxilium, & gratia illa haberi à peccatore vt ſe conterat, ſic arguitur: nam debitum illud obiectiuum pœnale finitum eſt. Ergo finita ſolum ſatisfactione ſoluetur; ſed finita ſatisfactio pro alterius pœna debita, pura creatura eſſe poteſt: ergo, & pro debito carendi auxilio. Dices ſatisfactionem ab alio pro debito alterius nunquam eſſe exactam, & æqualem, cum ea adhuc exhibita poſſit iuſtè creditor illud à debitore exigere: vt patet in debito pecuniario quod à Petro debitore exigere poſſum, etſi à Ioanne mihi pro Petri debito offeratur ſolutio amplior etiam, quam debitum ſit, inſuper in debito honoris. Exhibita enim ſummiſſione quauis ſecundum ſe æſtimabiliori, quia dignioris perſonæ ſit, poſſum ſatisfactionem exigere à viliori perſona, quæ me dehonorauit. Contra: quia hac doctrina probabis: neque Chriſtum pro debito noſtro carendi auxilio, & gratia Dei potuiſſe ſatisfacere: nam & eius ſatisfactione oblata potuit abſolute Deus à nobis debitas pœnas exigere, neq; illam pro eis acceptare. Aliud igitur eſt rem oblatam exhibitamque pro debito alterius æqualem eſſe debito in valore: aliud creditorem poſſe illam acceptare, vel non acceptare: & quidem, vt ſatisfactio è rigore iuſtitiæ ſit, & æquale debet eſſe, quod pro debito offertur creditori, & neceſſariò à creditore acceptandum, vt exempla demonſtrant, docuimuſque diſputat. 1. vnde ex rigore iuſtitiæ non poſſe pro debito vnius ab alio; etiam à Chriſto domino, ſatisfieri, concludebamus. Imò in debito honoris propriè læſi quantumuis maior, æſtimabiliorque honoratio læſo ab alio, quam ab offenſore offeratur, materia apta ſatisfactionis non eſt, vt cum pluribus obſeruabamus ibidem: Cùm enim honoris læſio, & iniuria ſtet in vili exiſtimatione, quam offendens ſe habere de alio dehonoratione teſtatur, hæcque perſeuerare poſſit, quantumuis magna ſubmiſſio, & honoratio æſtimabilior ab alio quam ab offendente læſo exhibeatur, quouſque offendens ſubmiſſione, & honoratione propria oppoſitam æſtimationem ſuam de offenſa teſtetur, iniuria non ceſſat, quare, licet dignioris ſummiſſio, & honoratio maxima amplior honoris ſui materia ſit, non tamen materia ſatisfactionis erit, quæ iniuriam poſſit extinguere. Cæterùm cum de ſatisfactione pro debito alterius non è iuſtitiæ rigore agitur, poſſe creditorem non acceptare ſatisfactioni non obeſt, ſi valor in re oblata ab alio æqualis ſit cum debito alterius, vt patet in debito pecuniario. Debeo centum Petro: offert illi centum pro meo debito Ioannes: acceptat Petrus, & recipit, nonne ſatisfactum Petro ad æqualitatem pro meo debito eſt, quin aliquid debiti mei remiſerit propter ius exigendi à me; Cùm ergò debiti obiectiui carendi auxilio, & gratia Dei. Solutio è iuſtitiæ rigore futura non ſit, ſi ab alio pro meo hoc debito æqua condignaque compenſatio offeratur, Deuſque acceptet vt poteſt, nihil ſanè mihi debiti illius remittetur à Deo. Nec refert ſi dicas in donatione auxilij alteri ſatisfacturo pro me condonationem Dei neceſſariò intercedere; etenim, ſi non ex mei peccatoris beneuolentia detur, ſicut nec Dei erga me beneficium eſt, ita neque eius carentia dignus eram ob mortale.

6 Noſter Vaſq. ex 1. 2. d. 77. c. 3. & d. 213. c. 5. negat minorem: quia ſatisfactio ex eis locis vnus pro alio ſolum eſſe poteſt per modum meriti, vt autem æquum, & condignum auxilij gratiæ meritum purè creata operatio eſſe queat, debet neceſſariò à gratia habituali dignificari: gratia autem non dignificat opus iuſti niſi ad præmium, & gloriam propriam operantis, cuius ſolius, & ius, & ſemen eſt: ſemen enim ſolum fructificat in ſolo, vel ſubiecto proprio, non in extraneo. Hanc rationem multis explicant, & confirmant R. Complutenſes. Primò quia Deus complacet in bonitate ſubiecti operanti, complacet operi præfatæ bonitati coniuncto: ergò ſolum mouet in ordine ad id, ad quod mouet complacentia ſubiecti, nempè ad gloriam propriam ſubiecti. Secundò: quia niſi gratia haberet ordinem ad gloriam tanquam ad hæreditatem filij Dei adoptiui, quem ſe ipſa conſtituit opus bonum, non mereretur de condigno gloriam, ideo enim habet condignitatem ad gloriam, quia ordinatur ad id, quod gratia dignificans ſecundum ſe reſpicit. Tertiò, quia per opera ipſa formaliter iuſtus creſcit in ſanctitate, ſeu filiatione adoptiua, vt ex illo Apoc. 22. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc*. Ergo idem ius fundant, quod gratia, & iuſtitia habitualis: at hæc ſolum fundat ius ſubiecto, cui ineſt ad gloriam, & operationes proprias Dei: ergo eidem ſolum, & ad eidem fundant ius bona opera iuſti. Quartò denique: actio ſtudioſa, ita fundat ius ad laudem operantis, vt alius nequeat ob illam laudari: ergo opus iuſti, ita fundat ius ad gloriam propriam operantis, vt alteri ius dare non poſſit. Patet conſequentia: quia non minus intrinſecè opus iuſti eſt ius determinatè ad gloriam elicientis, cùm ſit intrinſecè ſanctitas, & filiatio adoptiua ipſius, iuſque proinde ad gloriam, quam actio ſtudioſa ius ad laudem elicientis. Nec refert ſi dicas noſtro capite Adamo obſeruante præceptum ex Dei pacto gratiam nobis fore promeriturum: ſicut, & demeruit tranſgrediendo, ergo & poſſet nobis auxilia promereri. Si originale noſtrum in gratiæ priuatione conſiſtat. Reſpondetur facile cum Raguſa diſp. 5. §. 5. verſ. *Secundo præcipuè*. & Hurt. cit. difficult. 14. nec demeruiſſe nobis Adamum gratiæ ſecundum ſe priuationem, ſed ſolum vt deriuandam ex ipſo titulo naturalis propagationis ab illo, neque aliud promeriturum fore, ſi non transgredereturſed obſeruaret præceptum. Secundò facilius reſponde: huius fuiſſe demeritum, neque ſi obſeruaſſet meritum fore reſpectu noſtri, ſed ſolum conditionem ex Dei pacto: quo etiam modo barbæ perfrictio, nariumvè emunctio ex Dei pacto tranſfundendæ in nos gratiæ conditio eſſe poſſet.

7 Sin autem originale noſtrum conſiſtat in phyſica Adami tranſgreſſione, provt à noſtris voluntatibus eius voluntati alligatis, ex pactoque conſtitutis in ipſo non dum à nobis retractata, nec transgreſſio provt Adami, nobis demeruit, neque obſeruatio, provt ab ipſo, nobis meruiſſet gratiam, ſed neque provt à nobis, eam, adhuc nobis, promereretur de condigno: cum Adami gratia, quæ phyſicè nobis non ineſſet, neque nos abſolutè ſanctos, iuſtos, filioſq; Dei adoptiuos conſtitueret, vt opus erat ad hoc, vt noſtra opera dignificarentur, eleuarenturque ad præmium ſupernaturale. Porrò doctrina hæc de impoſſibilitate meriti condigni ad gratiæ auxilium vnius pro alio, vt vera non ſit, adeo tamen veriſimiliter eſt fundata, vt hactenus non expugnatam ab aliis, ſed neque ſolidè impugnatam viderim: quare hac ex parte Vaſq. noſtri ſententia tot poſt & aduerſarios, & annos incõcuſſa perſiſtit. Cæterùm non poſſe vnum pro debito pœnali alterius niſi per modum meriti ſatisfacere; neque ſatisfactiuum bonorum operum valorem à meritiuo eorum formaliter differre duriuſculum mihi; & Cardinali noſtro Lugo fuit: videturque contra communem Theologorum ſenſum, quos eruditè congerit Soar. 3. part. tomo 4. diſp. 48. ſectione 3. concluſ. 1. licet obiter, improbatur primò; qua ſatisfactiuus valor reſpicit iuſtitiam vindicatiuam Dei, meritiuus autem gratitudinem Dei formaliter, quæ ſunt diuerſa connotata formalia, quare, & diuerſas in opere bono formalitates arguunt. Vnde communis ſententia eſt eum, qui bono opere pro ſuo veniali ſatisfacit, non minus mereri, quam ſi tunc nihil haberet pro quo ſatisfaceret: vel quia veniale non habebat cum operabatur, vel, quia antea pro illo ſatisfeciſſet. Secundo improbatur ab abſurdo: quia hac opinione iuſti primum à ſatisfaciendo pro animabus pugatoriis ſuis operibus deterrentur: cùm neceſſe ſit eos tunc merito prorſus ſpoliari proprio fateor ſemper aplicanti meritum pro aliis remanſurum

tarum charitatis, quæ in ea applicatione exercetur meritum non leue, sed certè parum non est appliciti operis merito se abdicare debere, vt pro aliis satisfaciat. Tertiò denique improbatur : quia nec satisfactio condigna pro animabus purgatorij vllis aliorum iustorum operibus poterit exhiberi cum condignitas valoris satisfactorij non minus à gratia habituali formaliter proueniat, quam condignitas valoris meritiui, quare solum fructificabit subiecto iusti operantis, non autem alteri iusto, qui in purgatorio sit. Vnde ex hac parte non nimis nostri Vasquez solutio videtur consistere.

CERTAMEN III.

Vt pro toto grauis peccatorij, obiectiuo debito satisfieret necessaria absolutè incarnatio non fuit.

1 Conclusio est Alexand. Alens. 3. parte quæst. 1. memb. 5. articul. 2. Richard. in 4. distinct. 17. articul. 1. quæst. 7. Ruard. in 4. d. 17. art. 1. quæst. 7. Palud. in 3. disp. 12. quæst. 2. art. 2. Ruardi Tap. in à disp. 17. art. 6. *Sed hæc satisfactio* & § 3. *difficultas*, & art. 8. §. *Sine hac fide*. Domin. Sot. in 4. d. 1. a. 4 q. 1. ante med. d. 19. q. 1. art. 2. Caiet. 3. p. q. 1. a. 2. §. *Ad horum euidentiam*, & §. *Ad primum* : Subobscurè autem vega 3. in Trident c. 5: clarius noster Soarius disp. 4. sect. 7. Ragusa disputat. 3. & 4. Vvadingo disputatione 1. dub. 5. Bernal. disput. 4. sect. 1. §. 2. n. 13. & 14. probari potest primò : quia ad satisfactionem pro mortali satisfactione pro debito obiectiuo antecedenti illam opus non est ; alioquin Christi satisfactio pro nostris mortalibus adæquata absolutè, nedum superabundans satisfactio fuit, quin gratis nobis condonatum, & remissum fuerit à Deo debitum carendi redemptore, vt ostendimus certam. 1. à num. 1. ad 5. Secundò : quia : etsi ad plenam satisfactionem pro mortali pro omni debito obiectiuo satisfaciendum sit pro debito carendi auxilio, & principio quouis necessario ad contritionem peccatoris, quod finita pœna est, poterit à puro alio homine per opus bonum satisfieri : tum quia vt meritum condignum vnius pro alio esse non posset ; ast posset esse satisfactio pro debito illo carendi auxilio, vt ostendebamus ibidem : tum quia, quidquid de hoc sit, meritoriè posset pro illo ab aliis satisfieri : ne omnino satisfactiones iustorum pro debitis pœnalibus animarum purgatorij impossibiles dicamus, atque inutilem ferè Ecclesiæ totius frequentem pietatem in nostri Vasquez sententia, qui valorem operum satisfactorium à meritorio minimè distinguendum contendit.

2 Sed hoc ipsum suadendum nunc ex instituto erit : Nempè, iustum posse alteri auxilium gratiæ promereri de condigno : quare, & pro debito grauis alterius peccatoris carendi illo ita satisfacere, vt eius donatione peccatori facta, antecedenter ad contritionem, qua maculam mortalis eluat, ac subiectiuum debitum soluat, nulla à Deo condonatio fiat. Et quidem quoad meritum gratiæ, siue habitualis, siue auxiliantis alteri etiam peccatori concedendæ, ita præter citatos censent Lorca, 3. p d. 6. à n. 16. Cabrera d. 12. concluf. 1. Zumel 1. 2. q. 114. art. 6. dub. 1. Granadus 1. controu. 1. de incarnat. tract. 2. Ianner. tom. 4. disput. 1. quæst. 2. dub. 8. quos sequitur Ripalda d. 96. f. 2. & 3. quibus adde Thomistas asserentes Christum, vt caput gratiam in homines meritoriè influxisse per opera sua, vt à gratia habituali dignificata. His consentiunt Alexand. 3. p. q. 12. num. 3. corp. & ad vlt. S. Bonauent in 3. d. 13. art. 2. quæst. 2. Richard. art. 3. quæst. 2. Gabriel. q. 1. art. 3. fin. Almainus ibid. Paludanus, quæst. 1. art. 4. concl. 3. Durandus q. 2. n. 9. Marsilius in 3. q. 10. art. 1. ad 3. dub. Hæc à Theologorum authoritate quæ augetur ex sancto Thoma 3. p. q. 8. art. 5. vbi docet Christum per gratiam habitualem fuisse caput influens in homines gratiam; & quæstione 64. articulo 4. corp. ait : tantam gratiæ plenitudinem potuisse Christum ministris communicare, *vt eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus*, qui gratia vtraque, & auxilians, & habitualis procul dubio func. ac. 1. 2. quæstione 114. articulo 6. ideò negat iustorum operibus meritum condignum gratiæ alienæ, quia iustorum opera ad ipsam Deus nec ordinauit, nec acceptauit, non autem defectu naturalis proportionis meritorum iusti cum præmio gratiæ alienæ.

3 Sed & pro eadem sententia, stat Augustinus à quo mutuatus videtur sententiam datam ex quæstione 64. artic. 4. S. Thom. Augustini verba sunt : *Potuit Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum tanquam vice sua, & transferret à se baptizandi potestatem, & eam constitueret in seruo, & tantam vim daret baptismo translato in seruum, quantum vim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit &c.* vnde sic arguo : Potestas baptizandi transferibilis à Christo in eius seruum non est potestas propria ipsius qua Deus est, nec ipsa qua homo est, prouenies à deitate, vel persona diuina suæ humanitati vnita : hæc enim indiuiduè Deum; atque vnitam personam diuinam comitantur : quare à Christo inabdicabilis est, atque in homines puros intransferibilis : Ergo sola potest esse potestas gratiæ habitualis, atqui hæc potestas, & vis sacramentalis eadem nihil aliud est, quam vis, & potestas meritiua effectus sacramenti, quod nomine proprio confertur baptizato : ergo in gratia esse potest vis meritiua gratiæ conferendæ baptizato, qui effectus sacramenti est indigno conferendus : esset autem eiusmodi vis, & potestas in gratia, cum hæc à Deo in id ordinaretur, atque acceptaretur ; vel cum plenitudo gratiæ conferretur alicui, vt supra S. Thomas aiebat : quo in casu ratio alia adesset : scilicet, ne ex magno augmento gratiæ dignificantis præmium impediretur, redereturque impossibile : cùm enim qui gratiæ plenitudinem, siue quam maximam potest, præhaber, nequeat in se vlteriorem gratiam recipere, id procul dubio inferretur si nequeat recipere in alio.

4 Sed iam de quouis gradu etiam remississimo meriti, atq; remississima gratia habituali ad præmium supernaturale dignificato, ostendendum est natura sua, æquè ad præmium supernaturale gratiæ alienæ, atque propriæ posse esse condignum, si adsit voluntas cædens, seu concedens præmij receptionem in alterum. Atque in gratia adoptionis, quæ modo est, probatur primo ab absurdo. Infertur enim neque Christum pro vllo nostro debito potuisse satisfacere, neque quidquam nobis supernaturale promereri in aduersariorum sententia. Etenim per hosce forma dignificans opera ad id solum, eique tantum dignificat, ad quod ipsa secundum se ius, semenque est; atqui forma dignificans opera Christi secundum se sumpta, ius, semenque est ad bona paterna ipsi, qui eam habet, & non extraneo subiecto: ergo solum dignificat opera Christi ad merendum eadem bona paterna humanitati operanti ; non autem nobis. Maior est aduersariorum principium, quo negato causa prorsus cadet, Minor probatur : gratia dignificans opera Christi est gratia filiationis naturalis Dei ; ast gratia filiationis naturalis Dei secundum se solum est ius, & semen ad bona paterna, seu hæreditatem paternam subiecto cui ineft, non autem extraneis : ergo forma dignificans opera Christi secundum se solum est semen, & ius ad bona paterna humanitati, cui ineft, non autem nobis. Maior est dogmatica ; minor per se nota. Ius enim naturale, siue ex natura subiecti ad bona paterna habitum solus filius naturalis habet; at solus est filius naturalis, cui ineft filiatio naturalis (nec enim filiatione mea naturali filius naturalis patris mei, alius esse potest, aut ius naturale ad patris mei hæreditatem habere.) Ergo filiatio naturalis solum est semen, & ius ad bona, seu hæreditatem paternam subiecto cui ineft.

5 Confirmatur : quia ius filiationis adoptiuæ ad hæreditatem paternam, ac bona patris adoptiui est imitatio iuris naturalis filij ad paterna bona & hæreditatem, in eo solum dissimilis, quod natura ipsa hoc paratur filio, aliud verò affectu adoptantis, & iure gentium, seu ciuili : atqui ius filiationis adoptiuæ ad bona paterna est per se ius ei tantum subiecto, cui ineft, ac non alteri : ergo ius filiationis naturalis ad bona paterna tantum est ius subiecto cui ineft, ac non alteri. Adeò hæc omnia perspicua ad hominem sunt, vt non videant quid solidè, ac verò similiter pro aduersariis respondeam : sed dices, maiorem illam primam de forma solum dignificante, quæ gratia adoptionis sit, atque dignitatis finitæ esse intelligendam ; non autem de filiatione naturali, quæ infinitè dignificat opera, atque ad omnia præmia absolutè possibilia, cuiusmodi sunt præmia supernaturalia à Christo Domino in aliis, nobis scilicet recipienda. Contrà primò : Ideò per vos non dignificat filiatio adoptiua ad præmium in aliis recipiendum : quia secundum se est solùm ius & semen ad gratiam & gloriam filio adoptiuo, seu subiecto, cui ineft : atqui hoc non habet ratione finitatis, neque id admitteret ratione infinitatis per impossibile filiationi adoptiuæ aduenientis; sed ex prædicato filiationis : ergo nulla est solutio : vrgeo : Pone infinitam gratiam, & seclude per impossibile rationem filiationis ab illa, & proba, vel rudiusculo Theologo, secundum se respicere bona paterna Dei determinatè subiecto soli cui ineft : ergo finitudo vel infinitudo filiationis licèt augeat, euehatque meritum ad ampliùs maiusque præmium ; in eo tamen ordine, quo ab ipsa respicitur, nempe habenti ipsam ; non autem in ordine, in quo ab ea non secundum se respicitur, nempe non habenti ipsam in tuis principiis sed iam principia illa in gratia adhuc adoptionis falsa esse ostendebamus, probemusque gratiam adoptionis dignificare opera subiecti operantis non solum ad ea, quorum secundum se ius semenque esset, quæque secundum se respicere aduersariis dicitur ; sed ad alia etiam iura. Et primo ex his, quæ de facto sunt, certa : Deinde à priori explicatione eleuationis operum honestorum à gratia habituali operantis.

6 Gratia habitualis dignificat de facto honesta opera iustorum, ad id, quod ipsa secundum se non respicit, eiusque secundum se, nec ius, nec semen est : ergo non solùm potest dignificare iustorum opera ad ea, quæ secùdum se respicit, quorumque semen, & ius est ; sed & ad alia plura. Antecedens probo : Gratia dignificat iustorũ opera ad præmium vlterioris gratiæ iustificantis : atqui gratia antecedens dignificans opera secundum se sola non est semen & ius ad gratiam vlteriorem per omnes : alioquin habito primo gradu gratiæ omnes haberentur. Ergo gratia habitualis dignificat iustorum opera de facto ad id quod ipsa secundum se non respicit, cuiusque nec ius nec semen est. Nec refert benè operantibus iustis dari vlteriorem gratiam, quia cum bona iustorum opera vlterior sanctitas sint, quibus iustiores reddantur, eis physicè transactis aliquid debet dari, vt sanctiores, iustioresque habitualiter sint. Contra primò, quia sicut mortale actuale iniustitia est, eoque transacto, & non retractato peccator, & iniustus habitualiter est, qui illud commisit, quin alio physico habitu egeat, vt peccator habitualiter perduret, ita ex vlteriori iustitia actuali operum iusti sine alio physico habitu ex eorum anteacto exercitio, ac non retractatione, sine nouo physico habitu, qui illam exercuerit, iustior permaneret. Contrà secundò, quia licèt effectui gratia vlterior inseruiat ; ast operibus iusti gratiam vlteriorem vt præmium respondere, communis est Theologorum & Ecclesiæ sensus & qui sine temeritate vt minimum negari nequeat, id quod satis est, vt minor consistat. Secundò quia doctrina hac solùm euincitur opera iusti ad eum effectũ gratiam habitualem respicere, non autem gratiam dignificantem vlteriorem aliam transactis operibus concedendam. De primo quidem non curabat minor ; sed de secundo. Iam verò si ad alia, quam ad quæ est semen, & ius gratia habituali opera dignificat, cur non, & alteri illa parare posse, nec solum subiecto proprio, cui ineft ? denique principium illud adeò falsum est, vt sit prorsus impossibile : etenim quod alio titulo possessione, & iure meum est antecedenter ad opus meritorium operis præmium esse non potest : Neque enim eo quod meum est, mihique aliàs debetur, præmior : v. g. paterna hæreditate, ad quam ius habeo, non præmior ob præstita patri obsequia : sed alius pro quibus libera est patris dispositio ; atqui ea, ad quæ gratia habitualis, ius semenque est, mea sunt iure ipsius gratiæ, antecedenter, & independenter ab opere honesto subsecuto, & per illam dignificato : ergo eis ipsis mihi non præmiabitur, sed rebus aliis, vel alteri concessis.

7 Sed res hæc clarius deprehendetur, si exactè eleuationis operum honestorum per gratiam ad præmium supernaturale explicatio tradatur. Qua in re eminentissimus Magister, & Cardinalis de Lugo typis nos anteiuit disputatione 6. de incarnatione, sect. 1. à num. 5. Neque enim ita à gratia nostra opera eleuari censendum est, vt intrinsecus eorum valor in alium mutetur ampliorem : Tum quia & hic illorum honestati, bonitatique immutatæ identificatur : tum quia id esset eorum valorem destruere, non eleuare : tum quia si valor, vel prorsus, vel præcipuè a gratia habituali operibus accederet, quo plus gratiæ esset in operante non solum æquè intenso, ; sed remississimo, & imperfectissimo operi plus adesset valoris : quod absurdum vt vitaret, in mox subiiciendam cogitationem incurrit. Idem igitur intrinsecus valor remanet in opere eleuato : sed quia augescit ex gratiæ habitu dignitas operantis, Deumque authorem supernaturalem respici ab illo facit, fit vt opus illud, quod magnum de se præmium suo valore intrinseco merebatur naturale tamen tantumdem, sed in alio ordine rerum supernaturalium mereatur ; quia naturalia omnia, cum respectu ad Deum supernaturalem præmiantem, tum respectu dignitatis supernaturalis, quæ est in operante, non magnum quidem, sed sordidum, & nullum præmium esset : præmij enim magnitudo æqualis eriam, & condigna penes dignitatem præmiantis, & præmiandi taxanda semper est. Suadeant exempla vulgaria : dedit æquali plebeius poma, totidem redditis præmiatur ; dedit Regi, nec duplis ab hoc redditis ad æqualitatem remuneratur ; sed dono ampliori. Præstitit item Regi obsequium puta facinus militare, plebeius : præstitit tantumdem Princeps vir, vel filius Regis. centum, vel mille, si velis, scutis dignè remuneratur plebeius : Princeps autem neque toto regio ærario, sed altioris ordinis rebus, quam pecuniaria, præmiari à Rege potenti, & munifico condignè solummodo potest. cum ergo per gratiam adoptionis adeò dignitas hominis augeìcat, vt Dei optimi maximi filius sit, ipsumque vt authorem supernaturalem respiciat, eique vt tali opera dirigi faciat, quæ magnum quidem valorem, magnoque præmio dignum habeant, atque ipsum in rebus ordinis naturalis, quas & ipse Deus præmians, & filius præmiandus nauci faciat (vt propterea canticorum 6. n. 10. *Horum dicatur meum*) nihilque dignitate operantis filij, & præmiantis Dei attenta mediocris adhuc æstimationis inueniatur, ad res supernaturalis ordinis recurrendum Deo est, vt condignè Præmiet, & quo opus maius nobiliusque sit, ad plura atque maiora.

8 Vnde constat primò gratiam non dignificare opera quatenus semen est gloriæ, iusque ad hæreditatem Dei paternam : quæ filiationis passiones, formaliter saltem sunt : sed quatenus filiatio adoptiua auget dignitatem operantis, quam si absque eo iure augeret, æquè dignificaret, sunt Principis vni, aut Regis alterius dignitas, nullum ius hæreditarium aliudvè dat ad Regis alius bona, & tamen illius in hunc eleuat ad præmium obsequia, vt præmia, quæ respectu inferiorum similiter operantium æqualia essent, & condigna, respectu tamen Regis operantis æqualiter præmia non sint, nedum condigna præmia. Constat secundò iustum operantem ius sui meriti in alium transferre posse, si velit vt præmium recipiat, licet suum meritum, atque operis laudabilitatem

bilitatem, in eum nequeat traducere: hæc enim opus indiuiduè comitantur, neque in alio quam in operante esse possunt: quare neque laudabilem merentemque facere possunt quem nequeunt operantem constituere. Quæ duo quia nec Vasquez, nec recentiores Complutenses distinxerunt in suo discursu errarunt, atque ex merito congruo gratiæ alienæ malè vexantur. In quo asseruatis necessariò operanti laudabilitate, & merito operis, ius recipiendi præmium in alium transferri posse fatentur: ex quo satis infertur iustum etiam operantem quoad receptionem præmij ius suum in alterum posse transferre, etsi meritum, & laudabilitatem operis nequeat. Confirmatur: quia potest quis cedere; imò quotidiè ceditur ius aliis ad præmium naturale recipiendum à Rege ob egregia facinora, licet eorum laudabilitas, & meritum inseparabilia ab operante ipso sint, imò, ad recipiendum à Deo supernaturale præmium merito iusti congruè respondens. Cùm autem eleuatio meriti per gratiam id solùm præstet in ordine ad præmium, vt æquale imò aliquod adhuc præmium in naturalis ordinis rebus non inueniatur, potestatem cedendi ius alteri ad præmij receptionem non tollit. Tunc autem alter ille, qui præmium ex iure sibi cesso reciperet, non præmiaretur formaliter; sed materialiter, cedens verò formaliter præmiaretur in illo: quia cedentis solum, non recipientis est meritum, quod præmiatur. Iam verò claret, quo pacto possit quis cessione sui iuris quoad præmij, vel totius, vel partialis receptionem auxilium ad actum contritionis alteri promereri: quare, & posse eam absolutè sine condonatione, aut remissione Dei haberi à peccatore, ac meritoriè proinde pro merito carendi auxilio grauis peccatoris satisfieri.

9 Quod si dicas indignitatem recepturi auxilium peccatoris obesse condignitati meriti alterius iusti pro illo, probabis quidem maiori merito opus esse, quam si iusto daretur, cum ea indignitas infinita non sit, neque subiectiuè operanti adsit; sed ex parte obiecti solum. Pone ergo iustum feruentissimo charitatis actu meritum sibi fuisse quatuor, vel quinque gradus gratiæ, & gloriæ, cedereque ius in peccatorem, vt præmium recipiat; decurtatur tamen, quantum eius indignitas vetat. An non satis decurtabitur, si minutulæ entitatis auxilium detur in totum tanti operis præmium? sin autem, multiplicentur siue ab illo, siue à pluribus iustis actus feruentissimi, quousque perueniatur ad cõdignitatem auxilij indigno collati atque inuenies ad satisfactionem pro debito obiectiuo carendi auxilio grauis peccatoris purum, vel puros saltem homines esse satis: quare ad id incarnatione opus non esse. Mitto aliam Ripaldæ supra sect. 3. solutionem, siue solutionis datæ impugnationem: quia nimirum, vt hi admittunt, potest gratiam coniunctam cum amicitia Dei alius innocenti promereri, quæ vt coniuncta cum amicitia, & filiatione adoptiua Dei maius quid atque æstimabilius donum est, quam meritum gratiæ peccatori seiunctæ, vt potest ab amicitia, & filiatione Dei. Ergo gratia collata sine amicitia, & adoptione Dei non excedit meritum condigum iusti, etsi indigno peccatori conferatur. Confirmatur: quia præcipua resistentia peccati, est ad donum amicitiæ, & filiationis adoptiuæ Dei, licet eum à reliquorum beneficiorum donatione, etiam aliquatenus retardet. Ergo in aliorum collatione, nec totas, nec præcipua mortalis resistentia vincitur; imò neque impugnatur, si seiunctim ab amicitia, & filiatione adoptiua Dei donentur: quare nec tanto impetu amoris opus est, quantum ad totam resistentiam mortalis superandam opus esset, nec tanta item vi meritoria, quanta opus erat, vt tota, ac præcipua vis resistiua mortalis superaretur. Et quidem sicut ad retardandum amorem, atque ad malorum compossibilium cum amicitiæ infli&tionem condignè merendam sufficit malitia minor, quam mortalis scilicet venialis malitia, ita ad retardandam Dei inimiciciam, & odium in peccatorem, ac merendi de condigno bonum, seu donum Dei, quod cum amicitia Dei absolutè componitur bonitas, & meritum, longè minus, quam sit malitia, & demeritum mortalis satis est. Mitto inquam argumentum hoc ratione falsæ suppositionis, quod scilicet gratia habitualis actu possit inhærere, quin Dei amicum, & filium adoptiuum formaliter constituat, quod falsum reputant Vasquez, & aduersarij, imò, & communiter Theologi: nihil enim aliud est gratum Deo, eiusque proinde adoptium filium esse, quam gratiam Dei habitualem habere. Quocirca hanc infundi à Deo non posse, nisi præsupposita grauis actualis peccatoris siue eius qui actuale mortale commiserit, retractatione actuali ostendebamus fusè controu. de gratia formaliter iustificante. Cæterùm argumentum hoc gratiæ auxilianti, de qua nunc agimus applicatum, suum habet errorem. Reliqua, quæ tam Ripalda, quam Durandus, Suarez, & Granadus citatis locis pro merito condigno gratiæ habitualis vnius iusti alteri peccatori concedendæ congesserunt, lubens prætereo: quia præsentis instituti non sunt, propriaque controuersia de merito prolixiùs à nobis examinantur.

10 Sed esto: dignificet gratia, quæ nunc est, opera iusti, ad ea solum, ad quæ ius, ac semen est promerenda subiecto solum cui inest. Non pugnat contradictoriè cum prædicato gratiæ filiationis adoptiuæ prædicatum gratiæ capitis, seu gratiæ capitalis respectu aliorum. Sed tunc licet ex prædicato filiationis esset ius ad bona paterna, illudque operanti tribueret, ex prædicato tamen gratiæ capitalis esset respectiua bonorum, & gratiarum membris suis conferendarum: ergò, & dignificaret subiecti opera ad gratias membris suis, scilicet aliis hominibus promerendas, ac proinde auxilia ad contritionem dari illis, si peccassent, ex merito ipsius possent. Dices esse repugnantiam: quia filiatio adoptiua dat ius ad bona paterna Dei, subiecto, cui inest, tantum, cum quo pugnat respicere bona Dei aliis concedenda. Contra: etsi filiatio adoptiua det ius ad bona paterna Dei subiecto cui inest; tantum qua filiatio adoptiua est, non pugnat eam re ipsa coniungi cum alio prædicato, quod respiciat bona Dei alteri danda. Sic licet animal formaliter sit principium substantiale sentiendi tantum, non pugnat coniungi re ipsa cum principio ratiocinandi: quia *tantum* per formalitatem non est idem, ac *tantum* per realitatem. Quod autem prædicatum filiationis adoptiuæ non dicat tantum per realitatem, vt sua etiam realitate excludat essentialiter respectum ad bona Dei aliis concedenda, Probatur primò: quia id non excludi filiatio naturalis humanitatis Christi, licet qua talis strictissimum ius sit ad bona omnia paterna filio, cui inest determinatè. Secundò, quia filiatio adoptiua ius tantum est ad bona Dei non omnia, sed aliqua subiecto, cui inest, seu filio adoptiuo: quare licet hæc filio tantum respicere re ipsa posset, ac proinde pugnaret quod alteri etiam concedenda eadem respiceret; aſt alia plura, præcipuè sanctas cogitationes, actus nimirum vitales aliorum, qui ipsi sunt impossibiles, non respicit, vt hæreditatem, ac subiecto cui inest; ergò aliis posset respicere. Dices secundo pugnare quia respicere sibi, & aliis proprium est dignitatis infinitæ filij naturalis Dei, sed hoc effugium præclusimus. Secundò, respicere sibi, & aliis bona finita non est proprium dignitatis *infinitæ*, vt patet.

11 Adeo autem factu possibile hoc est, vt ne iudicem, vehementer tamen suspirer huius generis gratiam, in quo vtrumque hoc prædicatum coniunctum sit, Virgini matri fuisse concessum, qua nobis de facto, quia capitalis, & matris peccatorum gratia erat, auxilia pleraque alia erat promerita. Etenim consonè Patres illam redimendi filio (non ex huius indigentia quidem, sed ex tantæ matris honore) adiutricem, & corredemptricem passim appellant. Id quod nisi auxilia, & gratiam peccatoribus promerenda fieri posse non capitur, & merito quidem condigno, quod sine gratia dignificante ipsius opera ad meritum pro aliis emerire non potui: quocirca vel recurrendum est ad materni

maternitatem Dei, quæ forma sanctificans sit, vt Ripalda suspicatur, vel asserendum gratiam omnem habitualem habere vtrumque prædicatum coniunctum, atque indifferenter dignificare opera ad præmium nobis aut aliis dandum, vt cedere possimus in alium ius nostrum, vt rem, quæ in præmium condignum nostris operibus respondet, accipiat, vt hactenus ostendimus, vel saltem in gratia habituali Deiparæ coniunctum specialiter vtrumque prædicatum fuisse fateri necessum est; ita enim nos erga pientissimam Puerperam amor, maternitatis Dei dignitas, atque matris peccatorum munus cogitare compellunt. Vnde constat quàm infirmè obiiciatur. Nemo hactenus auxilium gratiæ alteri de facto est promeritus: ergo nec potest purus homo illud alteri promereri. Antecedens quàm sit dubium in Maria constat, consequentia nulli non videbitur mala: sic enim poteris inferre: Neminem quantumuis iustum auxilium gratiæ sibi promereri: quia de facto nemo illud sibi ipsi fuit promeritus. Potest autem ex Deo statuente in præmium bonorum operum solum dare ex supernaturalibus rebus gratiam, & gloriam id prouenire. Secundò, quia gratia habitualis, quæ nunc est solum significatiua operum ad præmium supernaturale subiecto, cui ineſt tantùm, vt tu contendis. Denique pro conclusione hac efformari efficaciter potest argumentum illud de persona creata satisfaciente nomine, & auctoritate personæ diuinæ.

CERTAMEN IV.

Præcipuæ difficultati à ratione & Patribus de necessitate Incarnationis ad satisfactionem pro nostris peccatis sit satis.

1 EX his quæ tota hac controuersia dicta à nobis sunt concludi videtur pro toto mortali eiusque debito, etiam obiectiuo, à pura creatura absolutè posse satisfieri: Nam pro macula & offensa ipsius ab vnoquoque ex Dei gratia posse satisfieri, licet non ex rigore iustitiæ, (quomodo, neque Christus satisfecit) suprà ostendebamus. Item pro toto etiam debito pœnali siue obiectiuo, si debitum carendi auxilio ad contritionem excipias; nunc autem quæstione præsenti adhuc pro debito hoc carendi auxilio necessario prærequisito ad contritionem peccatoris, quo reliqua solueret, posse puram creaturam satisfacere docuimus. Quare Incarnatione, vt pro toto etiam mortali, eiusque debito satisfieret, opus absolutè, & simpliciter non esse, videmur concludere. Hoc autem est contra communem Patrum quos doctè expendunt præ aliis Vasquez d. 4. c. 3. Bernal. d. 3. sect. 2. §. 2. n. 29. Item contra communem Theologorum omnium sensum, à quo non nisi temerè licet recedere. ergo tota harum disputationum doctrina nostra nequit simul sustineri. Cæterùm quoad Scholasticorum auctoritatem puram attinet, falso omnes pro opposita referuntur, cùm necessitatem Incarnationis ad satisfactionem pro mortali etiam aliorum neget Scotus in 3. d. 20. §. *contra eam*, & §. *contra illud*. Faber ibi d. 47. c. 2. Vega 3. in Trid. c. 5. & l. 7. c. 9. & communiter Scotistæ hac de satisfactione per modum meriti. Ripalda ferè tota d. 96. secundò, cùm pauci Scholastici solum in conclusionis vnius defendendæ conueniunt, aliis multis reclamantibus, multoque efficacius, impugnantibus, quam ipsa à suis patronis fundetur, non multum ponderis est; quominus qui omnes simul eorum rationes perfringere efficaciter possit, ab eis etiam in conclusione possit recedere: nam horum auctoritas non maioris, quàm eorum rario est: quorum si rationes omnes singulatim multis aliis Theologis displicuisse videmus, omnes simul auctoritate orbatas deprehendimus: quare & Theologica

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

auctoritate nudam conclusionem, aliis nimirum Theologis aliorum authoritatem vicissim eneruantibus: quin vbi tanta, tamque aduersa varietas rationum est, satis dubiam, suspectamque facit conclusionis veritatem; certamque fidem, Theologos non iudici proprio, quam Patrum religione in eam sententiam conueniſſe.

2 Iam verò quoad Patrum atinet authoritatem, cum rationibus solum aguntur (vti in re præsenti, si necessitatem physicam, vel metaphysicam incarnationis ad satisfaciendum pro mortali absolutè docuissent, agerentur) amplior quidem, sed non irrefragabilis authoritas est, nisi eis etiam omnibus in conclusionis eiusdem ratione conueniat. Nam tunc, & superiori spiritu aflatos loqui vehemens iudicium est. Quare si plurium, neque aliis Patribus repugnantibus, eadem, & ratio, & conclusio foret, tunc quidem docto, pioque Theologo, & in conclusione, & in ratione subscribendum esset. In re verò præsenti Theologi non Patrum rationibus nimis adhærent; sed quisque ferè suam commiscitur: neq; Patres omnes, vel plures reddunt eandem, vt mox videbimus. Tertiò Patres sæpè, cum ad populum conciones habebant, non ita rigidè loquebãtur, sed eis vtebantur rationibus, quæ ad auditorum captum videbantur aptiores; quæ si rigore scholastico examinentur, nutabunt non semel: id quod, & nunc cordatus quisque concionator præstare debet, nosque ipsi, qui infinitatem, magnitudinemque offensæ mortalis ex dignitate personæ offensæ vilitateque offendentis non rectè supputari putamus, sæpè tamen inde ad contritionem, & fletum auditores egimus è suggestu quia licet non adeo solida, & rigorosa visa nobis sit, captu tamen est facilior; atque ad ingenerandum grauitatis quæ est in mortali, horrorem, quem iustè intendimus accommodatior, quin Deus sæpè, vt peccatores deterreat, rationibus popularibus, nec solum efficacioribus in Euangelio, & veteri testamento fuit vsus. Et merito quidem: nam cum oratoris minimè sit intentum suadere rationibus non solidioribus solum, sed ad suadendũ eis, ad quos orationem habet, accommodatioribus vti debet. Solum ergo Patres de rebus fidei, dogmaticisque stricta ratione, vel disputando cum hæreticis, vel instruendo fideles agebant, rigidioribus rationibus vsos fuisse certum esse debet: tunc enim magistros agebant, quorum est solidè, ac rigidè, intellectum discipulorum instruere, atque aduersariorum conuincere.

3 Denique moneo sæpè, vt Patrum proprias sententias aliquot in scholas induci, in fide, vt aiunt maiorum, cum vix scholasticus aliquis ex his qui Patrum esse indubitato docent, eorum textum viderit, contextum expenderit, occasionem, qua recitata ex ipsis verba circumferuntur, sunt prolata obseruarit, an denique decurtata verba truncatavè sint, contulerit. Id quod sæpè alias, atque hoc præsertim opere deprehendimus non semel, vbi à censuris grauibus, quibus notabantur à Theologis, opiniones plures vindicamus. Nec mirum, cùm eò iam Theologia scholastica redacta sit, vt totum negotium discursibus inanibus, philosophicisque nugis transigatur; solida verò scripturæ, & Patrum fundamenta negligantur, nec nisi perfunctoriè, & tumultuariò sine meditatione ex aliorum chartulis legantur, atque in chartas recitantium transcribantur: cum Theologum virum discursus acutos graues oporteat facere, sed solida in primis authoritatis fundamenta non omittere. Ad rem igitur nostram de Patrum authoritate circa absolutam physicam, seu metaphsicam incarnationis necessitatem, censeo falsò pro ea illos ab scholasticis recitari, tum quia id eorum rationes non intendunt: quia id eorum rationes non intendunt: tum denique quia truncata aliquorum loca circumferuntur: Quare meritò noster Petrus Vvadingo acutus comprimis Theologus, doctusque controuersista non cum secundis nimium proinde in patribus, & Conciliis versatur disputatione 1. de incarnatione dub. 6. §. 2. numero quinquagesimo nono, vers. *Probari solet ex Patribus*, merito dixit: Patrum testimonia, quæ ad necessitatem

fitatem absolutam incarnationis vt pro mortali satisfieret, circumferuntur, neque firma, neque ex re esse Ita ille vniuersim docuit de omnibus, nos autem singulatim de vrgentibus locis ostendamus.

4 Primus est Cyrilli epist. 1. seu Exegesi de verbi incarnatione tom. 6. Concil. Ephes. cap. 11 ante med. vbi contra Nestorium, qui in Christo hominem gratia ornatissimum, Deo tamen verbo physicè exunitum fuisse asserebat, contendit non fuisse exunitum Physicè verbo, purumque hominem: qua passione sua pretium iustum pro peccatis hominum soluere non posset, *si perpessionem illam puri cuiuspiam hominis esse dicamus.* Quid vrgentius? Sed non promit: Nestorius enim hominem Christum naturali propagatione ex Adamo conceptum, quare ex eadem, qua nos, perditionis massa, fermentoque originalis culpæ in sua conceptione acidum, licet postmodum gratia ornatissimum asserebat, teste eodem Cyrillo 1. de recta fide ad Reginas cap. *Quod redempti sumus per sanguinem christi*; Assereque tenebatur, vt ait Photius constantinopolitanus episcopus ad Michaelem de septem Synodis t. 1. Concilior. à Vasquez obiectus. Nam si Christi humanitas exunita à diunitate, qua à peste originis præseruata est ex Adamo propagaretur, *eam propriis morbis laborantem reliquisset*: Verba sunt Photij, Si ergò ex naturali sui conceptione mortale Christus purè homo contraxit, iuxta Nestorij errorem, & sensum, solidè, ac strictè redarguitur non esse hominem purum; sed Deo vnitum, quandoquidem pro omnium hominum peccatis iustum, & adæquatum prætium dedit: nam si exunitus concideretur ex Adamo, mortale originis haberet suæ, quod gratia illa maxima data indigno, & peccatori aboleretur: quare in suo peccato abolendo Dei esset condonatio, & remissio, ac proinde non esset in eius passione iusta æqualisque pro omnibus peccatis hominum, ex quibus remissum condonatumque fuerat suum, solutio, & satisfactio.

5 Obiicitur Adrianus Pap. 1. epist. decretal. ad Episc. Hispan. col. 4. fin. in hæc scribens: *Sicut peccata nostra non tolleret, si ipse peccatum haberet, ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sorde pecati necessarium egerit, vt gratiam adoptionis acciperet*: quibus videtur clarè docere non minus repugnare satisfactionem hominis puri Christi sine vnione, sed sine sorde peccati, & cum gratia adoptionis, quam si cum peccato esset: sed certè si locus non truncatus, sed cum contextu legatur, nihil tale docet. Etenim Adrianus ibi illud Augustini effatum: *Adoptatos nos esse per gratiam ipsius, qui peccata soluere venit*, commentans subdit: *Quomodo per illius gratiam nos sumus adoptati, si ipse consors nobis in adoptionis gratia fuit? credamus ergo, quod dici nefas est participem etiam nobis in causa peccati*, hominem Christum: *nam sicut peccata nostra, &c.* Itaque Adrianus contra Feluis, & Helipandi errorem eo loco arguit tanquam contra consequentiæ vi Nestorianum, adoptatum, non posse esse hominem Christum, nisi Dei Filius naturalis, ac Deus non sit. Tunc autem cum purus homo esset ex naturali propagatione Adami non solum in gratia adoptioni, sed in peccato etiam nobis fore participem, quare sicut in peccato existens peccata nostra non tolleret suum, nisi gratia aliqua, condonatio, & remissio ipsi fieret, ita neque totum genus humanum adoptari mereretur licet gratiam adoptionis antea recepisset, qua, vt à peccato quod contraxerat, mundaretur, Deique adoptiuus filius fieret, eguisset; nam iam in ipsa gratiæ antecedenti donatione sui Peccati condonationem, ac remissionem supponeret: quare hominum peccata adæquatè non solueret, nec suam gratiam promereretur. Illud itaque *sine sorde pecati*, non ad hominem qui ex adoptione purus in Christo conuincebatur, sed ad eum qui in Christo verè fuit Deo vnitus, ac verus simul Deus, referendum est. Idem est Concilij Francfort. sensus col. 4. sacrosyllabi, vbi Adriani verba transcripsit.

6 Eam ob rem Fulgentius, Ambrosius, & Augustinus sæpè docent non posse purum hominem, aut humanam naturam non vnitam hypostaticè homines redimere, aut à peccato liberare, quia in ea hypothesi peccato esset infecta. Quo etiam fortasse sensu Augustinus primo de peccator. merit. cap. 14. rectè dici aiebat ad Rom. 5. *Ita per vnius iustificationem in omnes homines, &c.* non autem per vnius iustitiam: hæc enim imitatione poterat illi adesse, quin esset causalitate, sicut per Christum in nos. Possent enim esse multi iusti imitandi: *Iustus autem, & iustificans, nemo nisi Christus*: quia reliqui (excipe Virgine) peccatores: *Quisquis ergo ausus fuerit dicere, iustifico te, consequens est, vt dicat etiam: crede in me.* Quamquam hic authoritatem iustificandi, & remittendi offensam tanquam iustitiæ auctorem, & offensæ remissorem, & condonatorem (quod soli homini qui Deus esset, poterat conuenire) in solo Christo homine fuisse contendit Augustinus, vt doctè Ripalda disputatione nonagesima sexta, sectione sexta, numero sexagesimo tertio, versus fin. Etenim in humanitatem adhuc, vt hypostaticè vnitam, quæ meritoriè, & satisfactoriè superabundanter nos redemit, & iustificauit, credere non tenemur, sed in personam verbi ipsi vnitam, quæ Deus est, non autem humanitas, quæ etiam vt vnita, Deus non est.

7 Opponitur Proclus Zizicenus homil. de Christi nat. tom. 6. Conc. Ephes. c. 7. sic effatus: *Homo quod peccati debito subiaceret, saluare se non poterat*, ob rationem proxime factam: *Angelus vero quod tantum redemptionis pretium ipsi non suppeteret, humanum genus redimere nequibat.* Sed si posset pura creatura gratiæ auxilium ad contritionem promereri condignè peccatori, ab illa creatura, & à peccatore pretium peccati suppeteret: ergo censebat Proclus id puræ creaturæ meritis præstari non posse. Resp. Proclum fortasse de prætio rei oblatæ, non autem meritorio fuisse locutum, vt plures Patres loquuntur sæpè. Secundò id solum quæsisse, vt ab vno fieret satisfactio pro mortali; imò pro mortalibus omnibus, asseruisseque ad id ab vno siue homine, siue Angelo præstari non posse: quia ab homine vno, nec pro suo mortali, in quo necessariò erat, poterat sine vlla omnino condonatione satisfieri, ab Angelo autem, licet iusto non poterat pretium adæquatum solui pro peccato alterius: tum quia sine huius retractatione peccatum aboleri non poterat: tum quia meritum auxilij vnius; vel plurium non erat meritum omnium, quibus peccator carere ob mortale debebat. His autem opponitur quod si & Angeli meritum, & peccatoris contritio iungantur, fiat adæquata mortalis vnius satisfactio; at verò pro omnium hominum innumeris peccatis, in Angelo vno virtus satisfactiua non erat; imò neque in pluribus moraliter loquendo: quare moralem necessitatem incarnationis, vt summum docuit Proclus; quam ne nos quidem negamus; sed physicam, aut metaphysicam. Neque aliis est sensus auctoris de Cardinalib. Christi operibus apud Cyprian. & Leonis serm. 1. de nat. & 12. de Pascha, vbi aliam subdit rationem: quia mediator ad inimicos componendos medius vtriq; esse debet, & affinis.

8 Denique oppones Athanasium serm. de nat. Christi: *Non homo se ipsum pro nobis obtulit: neque id potuit fieri per vllam creaturam*; nempè si adæquatè pro nobis satisfaciendum sit. Nisi aliud adderet, responderem loqui de satisfactione adæquata per rem oblatam, non per meritum. Sed subdit Athanasius rationem: *Quia omnis creatura de mutabilitate suspecta est.* Quibus licet illum sensum excludat alium tamen aperit nobis amicum, non aduersum: nempè necessariam fuisse incarnationem, ne redemptio ex peccabilitate antecedenti puræ cuiusvis creaturæ de se ad malum mutabilis foret antecedenter intenta; sed potius ex humanitatis vnitæ impeccabilitate antecedenti firma prorsus, & in se, & in nostra æstimatione maneret: acutè enim ad rem hanc aiebat Irenæus 3. aduers. hæres. *Nisi Deus donasset salutem, non firmiter eam teneremus*; Hanc verò necessitatem, & nos fatemur, sicut & puræ creaturæ in proposito reparationis nostræ mutabilitatem, quæ nostram spem labefactaret.

9 A ratione oppones: Potest quis mereri de condigno alteri gratiam, & remissionem mortalis, ac proinde pro eius mortali condignè satisfacere; ergo, & potest sibi mereri de condigno reparationem post lapsum, quod est absurdum à Ripalda, disputatione 95. sectione 2. numero 14. illud tamen nego: quia alienum peccatum, cuius remissionem, seu reparationem opus iusti de condigno meretur, meritum huius non mortificat; ast mortale proprium postea etiam futurum cum obuersari debeat, cùm de præmiando opere per reparationem futuri lapsus cogitat, ac proinde indigno esse donandum, ac decernendum præmium videt: quo fit, vt merito iam mortificatæ dignitatis per peccatum proprium, ac proinde nec condigno præmij supernaturalis tantum donum supernaturale donandum esset quod implicat. Sed dices: ergò saltem poterit quis absolutè promereri sibi perseuerantiam in gratia de condigno. Nego consequentiam: tum quia perseuerantia in gratia longè maius donum est, atque æstimabilius quauis gratiæ intentione, atque coniuncto gratiæ, & remissionis offensæ mortalis: tum quia de facto opera omnia iustorum gratiæ, & gloriæ præmiis adæquatè præmianda esse à Deo statutum est, sicq; adæquatè præmiantur. Quare auxilia gratiæ ad perseuerandum, siue perseuerantiæ donum vltra Præmium condignum de facto sunt, licet secundum se vltra illud non sint: quia meritum condigum, quod gratiæ tantæ adæquatur, huic eidem, & simul alteri dono, quantumuis exiguo, nedum tanto adæquari minime nequit.

QVÆSTIO IV.

De necessitate Incarnationis pro veniali, & quouis commisso cum ignorantia inuincibili offensæ Dei satisfaciendo.

EST est ex dictis profligata, cum pro macula, tum etiam pro debito pœnali horum obiectiuo quodcumque illud sit siue auxilij carentia, siue temporanea pœna damni, vel sensus; coniungimus autem mortalis admissi cum ignorantia, seu inaduertentia Dei præcipientis, vel offensi satisfactione, quia qui de huius satisfactione agunt putant esse veniale.

CERTAMEN I.

Aliorum super vtroque placita.

1 SCotus in 4. disputatione 21. Gabriel disputatione 16. quæstione 5. artic. 1. docuerunt secluſa etiam omni gratia Dei posse per puri hominis naturales vires condignè, & ad æqualitatem pro veniali satisfieri: quare ad id ne gratia quidem, nedum incarnatione opus esse. Verum cum contra Massilienses definitum sit nihil viribus naturæ præstari posse, quod ad vitam æternam conducat, atque satisfactio pro veniali, quod vitæ æternæ ingressum, quandiù durat, impedit, conducat ad ingressum vitæ æternæ, fit sanè ex viribus naturæ, ac sine gratiæ auxilio eiusmodi satisfactionem haberi non posse, Idcircò sententia hæc ab omnibus Theologis iam exploditur potius quam impugnatur. Eam autem sic impugno: quia actus proprius, quo est venialis macula eluenda, debet esse è genere suo perfectior eo, quo eluenda est macula mortalis: siquidem maiori charitate opus est, vt Dei offensam leuem, quam vt gauem detestemur; vt patet, sed ad actum charitatis, quo macula grauis eluatur, pro eaque, à nobis satisfiat opus est auxilio gratiæ. Ergo ad actum charitatis, quo macula venialis eluatur, ac pro ea à nobis satisfiat auxilio gratiæ potiori opus erit, quin vires naturę sufficiãt. At inquies probare hoc de satisfactione per modum formæ solum, non per modum meriti, & æquiualentiæ: si enim iustus cum solo veniali illud ex motiuo virtutis oppositæ detestetur, tunc gratia, quam de condigno meretur, eique infunditur maculam venialis illius abolebit, sicut quæ similis detestationis inuitu datur in sacramentum: ergo ea detestatione meretur expulsionem venialis. In re ardua de expultione venialis per gratiam concedo totum. Sed quæro, an iustus ille homo purus sit, secundò an eandé detestationem gratiæ habitualis meritoriam absque auxilio gratiæ habeat? Si asseras, Massilianismum apertè incurres Hoc argumento refutata manet satisfactio aliena puri hominis sine auxilio gratiæ pro veniali alterius. Etenim meritum illud, & gratiam, & auxilia gratiæ in merente necessariò supponet, vt gratiam alteri mereatur, qua veniale aboleat.

2 Petrus de Soto instit. sacerd. lect. 18. de pœnit. cum aliis, & R. Complutenses iudicat satisfactione pro veniali puro hominiabsolutè impossibilem, ac proinde ad satisfactionem pro illo exhibendam opus absolutè fuisse. Probant Soto, & alij, quia iuxta Trid. sess. 6. c. 11. orat. Dominica venialia nostra debita nobis à Deo remitti oramus illis verbis: *Et dimitte nobis debita nostra*: atqui venialis remissio eius expulsio? est ergo venialis expulsio absque Dei remissione esse nequit: Tum sic: venialis expulsio est Dei remissio necessariò remissio peccati à Deo, nequit esse absolutè ex nobis satisfactio: ergò satisfactio venialis absolutè ex nobis est impossibilis. Sed certè cum oratio hæc in prouidentia, quæ de facto est, ad Deum habeatur, vt summum de facto probat, non etiam absolutè de possibili. Sed nec probat de facto. Sæpè enim oramus pro remissione debiti, quod tamen soluendo de facto absolutè sumus. Secundò cum exhibita etiam à nobis ex gratia Dei satisfactione pro veniali, de ea nobis certò non constet, oramus pro eius à Deo remissione, si fortè pro illo nondum fecimus satis. Et cordatissimo quidem consilio, metuque prudenti, & sancto: cum de culpis etiam remissis metumque edoceamur ab Ecclesiast. c. 5; dicente: *De propitiato peccato noli esse sine metu*: vel quia de propitiatione ipsius incertus es, vel quia eo propitiato manere potest pœnæ reatus. Si autem à Deo maculę expulsionem oramus, remissionem dicere debemus, non quia remissionem necessariò expulsio venialis contineat; sed quia quæ à Deo sine nostra satisfactione expulsio venialis est, remissio Dei est. Recentiores Complutenses probant: quia in collatione auxilij gratia à Deo facta sine quo, vt diximus, nec contritionem perfectam venialis depulsuam, nec gratiæ, qua veniale peccatum expellatur, meritum habere possumus) est necessaria Dei remissio. Eius quippè auxilij donatione, & cõtritionem, & meritum, ac proinde, & solutionem debiti Deus nobis donat. Ostendimus tamen donationem auxilij nullam esse remissionem Dei adhuc palliatam, quæ nostræ satisfactionis æqualitati obsit, licet iustitiæ satisfactionem impediat.

3 Card. Lugo d. 5. sect. 7. docet possibilem quidem nobis absolutè esse pro veniali satisfactione non tamen ita nobis de facto contingere. Probat ex epist. 1. Ioann. c. 1. vbi de venialibus ait: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, ac statim: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat*. Ergo de facto est remissio nostrorũ omnium venialium per Ioannem: ergo non est de facto satisfactio nostra Dei remissioni repugnans. Non vrget: Solum enim probat virtute sacramenti pœnitentiæ venialia necessariò esse remittenda, etsi contritio perfecta desit, quæ tam in sacramento illo, quam extra, siue se ipsa, siue adiuncta gratia, quam mereretur, siue formali Dei remissione venialia depellat. Vrgeo ex

admissa à Lugo absoluta possibilitate nostræ satisfactionis pro veniali ad nostram satisfactionem de facto, quam ipse negat pro eodem, Nihil enim aliud haberet contritio perfecta, quia in illo casu absolutæ possibilitatis faceremus pro veniali satis, eiusque maculam eluereмus, quam contritio perfecta de veniali, qua ex Dei amore super omnia de facto sæpè veniale detestamur. Ergo contritioni, quæ de facto est pro veniali, satisfacere de facto possumus; ac proinde altera sententiæ huius pars alteri repugnat.

4 Pro mortali verò à se commisso, vel admisso cum inaduertentia Dei etiam præcipientis, & offensi Cardinalis idem disputatione quinta, sectione quinta, docet à puro homine satisfieri absolutè posse: quia veniale solummodo esse putat: quare, & consequenter ad suam doctrinam proximè à nobis daram videtur sentire. Cæterùm mortale de se peccatum cum huiusmodi inaduertentia commissum si cætera adsint, non veniale, sed mortale esse, quæstione quarta, ostendebamus: ac proinde satisfactionem pro illo, sicut, & pro mortalibus aliis docet, ab homine puro docere debebat absolutè impossibile. Secundo cùm in huius Doctoris principiis nulla infinita admisso peccato offensa Dei foret, qui eo nullatenus contemneretur, nulla ad Deum posset esse satisfactio: ei enim, quem nullatenus nulla actione mea offendi, lædivè, pro illa satisfacere minimè possum. Vnde rursus fit, vt bene Bernal. disputatione quarta, sectione septima, §. 4. neque Christum posse pro eiusmodi peccato Deo satisfacere, defectu materiæ satisfactionis, seu pro qua satisfaciendum ipsi foret. Nec potest Lugo recurrere ad realem identitatem formalitatum maculæ, & offensæ Dei in peccato illo: tum quia rationem offensæ Dei in peccato illo non admittit, vt diximus: tum quia si eam admitteret maculæ identificatam, cum macula de se grauis esse supponatur, & offensa ipsi identificata grauis esset, etsi Dei præcipientis, & offensi abesset aduertentia; eodem quippè gradu macula, & offensa ipsi identificata augeseerent: quare sicuti neque pro aliorum mortalium offensis in eius doctrina ita nec pro huius offensa satisfieri Deo à puro homine absolutè posset.

pro veniali à puro homine ex Dei gratia & auxilio totum ius Dei creditoris quæsitum Deo ob veniale se ipsa extinguit ac soluit: ergo implicat vllam fieri ipsi remissionem venialis à Deo, cùm illud depellit.

2 Respondetur obuiæ huic contra suam rationem difficultati Soarius: statui gratiæ iusti se conterentis perfectissimè de veniali connaturalem esse venialis illius remissionem; attamen à Deo vt absoluto Domino posse veniale, neque expelli, neq; remitti Sed instant recentiores: quia cùm venialis macula posita adhuc contritionis satisfactione in Soarij sententia remaneat, iustè Deus non solùm vt absolutus Dominus; sed vt iudex etiam poterit venialis offensam non remittere, ac proinde contritio illa non erit pro veniali satisfactio: siquidem, vt diximus, quidquid pro aliquo satisfactio est sui solummodo positione totum ius ei, cui satisfit ex illo aliquo quæsitum, debet extinguere, ac debitum totum satisfacientis soluere. Verùm cùm in Soarij sententia satisfactio hæc non sit per formalem incompossibilitatem contritionis, quæ satisfit, cum macula venialis; sed per rei æquè vel magis æstimabilis exhibitionem, quàm fuerit offensa venialis, poterit in eius sententia manere venialis macula exhibita satisfactione contritionis pro eius offensa, quin venialis offensa remaneat: quare poterit Deus absolutè vt supremus Dominus maculam non expellere; sed retinere, quin possit offensam vt iudex, aut creditor, supremusvè Dominus non remittere, cum sit iam remissa.

3 Vrgentius Soarificæ rationis repugnantiam ostendo: vt contritio sit satisfactio pro veniali, totum quale quale ius creditoris Dei offensi extinguit: ergo cū Deus libere etiam vt supremus Dominus, vel iudex veniale expellit post exhibitionem contritionis, nihil de suo iure, qua offensus veniali illo fuerat, siue de sua offensione remittit: de iure enim quod non habet aliquis remittere aliquid non potest. Quo circa potestas illa expellendi contritione exhibita, vel secus maculam venialis, non potestas Dei retinendi offensam, illamvè remittendi sed abolendi vel secus maculam: ac proinde nulla esse potest in expulsione maculæ venialis à Deo remissio: maculæ autem expulsio, qua maculæ expulsio formaliter est, remissio non est, quæ solum offensæ qua offensa est, esse potest, vel ergo offensam à macula non differre formaliter, sed esse eandemmet formalitatem Soarius admittit, vel admittit esse formalitatem diuersam, si eandem, ac proinde maculæ, qua macula est, expulsionem exhibita contritione remissionem esse faretur, & offensæ remissionem intercedere fateatur necesse est: quod aperte pugnat cum satisfactione pro offensa veniali, quam in nostra perfecta contritione recognoscit? Sin autem diuersas esse formalitates, ac separabiles admittat, in expulsione maculæ à Deo post nostram contritionem nequit remissionem vllam quæ offensæ solummodo esse potest, recognoscere: cùm per antecedentem contritionis nostræ satisfactionem tota offensa supponatur soluta.

4 Secundo arguo contra hunc fauorem, & remissionem Dei in expulsione venialis post exhibitam à nobis de illo contritionem perfectam. Si enim libertas illa Dei posita etiam contritione ad expellendam, vel secus venialis maculam satis est, vt in eius expulsione Dei fauor, & remissio respectu eius, qui eum venialiter offenderat, intercedat: ergo etiam posita nobisque applicita satisfactione Christi pro veniali fauori & remissioni Dei in eius expulsione locus erit. Probo consequentiam, quia Christus eatenus pro nostris venialibus satisfecit, quatenus nobis auxilia ad contritionem & gratiam, quibus à macula liberaremur; condignè licet indignis fuit promeritus eatenusque nobis eius satisfactio fuit applicita, quatenus eiusmodi gratia, & auxilia nobis à Deo ob Christi merita, siue intra, siue extra sacramenta conferuntur: sed data gratia, & auxiliis efficacib. positaq; proinde ex meritis, & satisfactione Christi cõtritione est adhuc in Deo libertas iuxta Soarij doctrinã expel

expellendi vel secus maculam venialis: ergo & est locus fauori & remissioni Dei in eius expulsione. Probatur secundò: quia quomodocumque fuerit Christi pro nobis, nostrisque peccatis satisfactio huiusque applicatio, his etiam omnibus positis liberum ex natura rei erat Deo maculam venialis expellere, vel secus: ergo posita satisfactione Christi locus est fauori Dei, ac remissioni venialis, quæ apertè cum satisfactionis ratione pugnant. Dices non esse liberum posito Dei pacto cum Christo satisfacturo. Sed in primis in pacto illo Dei erit anticipata remissio. Secundò illud etiam pactum nobis prodest, vt nobis ex meritis, & gratia Christi de veniali contritis nulla fiat in expulsione remissio. Dices merita Christi esse valoris infinitè excedentis malitiam & offensam venialis. Contra: quia nec satisfactioni nostræ per contritionem locum remissioni, & fauoris facit in venialis expulsione quod huius maculam & offensam in morali æstimatione non excedat: verè enim excedit in Soarij sententia; sed quod in Deo libertatem expellendi vel non expellendi maculam venialis absolutè relinquat, vt idem Soarius aiebat: ergo si hanc etiam relinquit in Deo satisfactio Christi eiusque applicatio fauori, & remissioni Dei in expulsione venialis locum relinquet.

5 Denique nec libertas Dei est ad maculæ venialis expulsionem posita iusti contritione de illo perfecta, nec si libertas adesset ad fauorem, gratiam, & remissionem in eius expulsione satis foret. Primò probatur facilè in in sententia asserente contritionem formam iustificantem, & sanctificantem esse, quam vero similiorem reputo, ostendique controuersia de gratia iustificante. Etenim contritio perfecta perfectè conuertit formaliter hominem à creatura ad Deum, conformem legi, & dictamini diuino & humano reddit; destruit fundamentum totius malitiæ moralis, quod erat auersio à Deo, & dictamine rationis diuinæ, & humanæ: atqui toto fundamento malitiæ moralis destructo coniunctoque arctissimè homine cum Deo per amicitiam perfectam cum illo, implicat manere peccati maculam: ergo contritione perfecta de veniali posita implicat libertas Dei ad expellendam vel secus maculam venialis. Sed etsi contritio non sit forma iustificans, & sanctificans, in ea & gratia habituali iusti perfectè se de veniali conterentis ea omnia inueniuntur, quæ in contritione si forma iustificans & sanctificans esse admittatur; ad esse: quare ex coniuncto contritionis, & gratiæ habitualis idem argumentum conficitur. Sed esto non sit in his formalis expulsio peccatis sed expellenda à Deo libere pro naturæ posteriori eius macula sit (quamquam vix intelligi possit quid ex parte Dei præstandum denuò sit, vt macula venialis formaliter & exercitè expellatur, si præfata, quæ in contritione iusti de suo veniali supponuntur, formalem eius expulsionem non contineant) tamen eius expulsio pro posteriori futura, connaturaliter debetur contritioni hominis iusti, eiusque merito condigno; imò excedenti per te: ergo expulsio illa non est fauoris & gratiæ Dei; sed debita & remuneratoria: ergo non est liberalis remissio.

tius peccati venialis, ac proinde pro toto illo satisfactio. Prima antecedentis pars est doctrina altius fundata à Vazquez locis supra citatis, nobisque probatissima vltima eiusdem antecedentis pars omnium Theologorum est, qui adeò perfectam contritionem de mortali, nedum de veniali concipi à nobis posse defendunt, vt totum debitum pœnale soluere queat; imò ita de facto fuisse ab aliquibus conceptam, vt totum debitum pœnale ipsorum de facto soluerit, authenticis historiis, ac testimoniis comprobatum est. Tota ergo difficultas stat in secunda antecedentis illius parte confirmanda, quod nimirum nullum debitum obiectiuum ad eiusmodi contritionem eliciendam supponatur à Deo remissum in auxilij ad illam necessarij donatione; eo quod per veniale nullum debitum aut dignitatem carendi auxiliis ad perfectam de illo contritionem incurramus.

2 Id autem probat idem Vasquez: quia si ea dignitas carendi auxiliis ad se conterendum de veniali in ipso includeretur, post mortem decedentis in veniali ea dignitas carendi auxiliis seu indignitas habendi illa permaneret, ac proinde & indignitas ingrediendi gloriam, ad quam nisi depulso per contritionem veniali aditus non patet, qui illo impeditur: atqui iustus quiuis gratia decedens habet dignitatem ingrediendi gloriam: ergo si in veniali esset indignitas habendi auxilia ad contritionem de illo, seu quod idem est, dignitas carendi illis esset aliquando simul dignitas, & indignitas ad ingressum gloriæ, quod aperto induat Marte. Ergo & implicat esse in veniali dignitatem carendi auxiliis ad perfectam de ipsa contritionem. Probationem hanc ex ipsius Vasquez doctrina reiicere etiam conantur Complutenses recentiores. Posset enim dignitas hæc venialis esse carentiæ auxiliorum temporariæ, siue pro huius vitæ tempore: quæ proinde morte intercedente, qua hæc vita finitur periret, etsi veniale perseueraret, cum iam satis passus esset pœnæ, quam ex ea dignitate & merito pati debebat. Non secus atque Scotus cum suis in 4. q. 1. Gabriel. 16. q. 5. ar. 3. dub. 2. Vega 14. in Trid. c. 6. Medina Cod. de satisfact q. 2. Chonink d. 10. de pœnit. dub. 6. Gaspar. Hurtado diff. 18. de pœnit. disp. 10. & dis. 8. diff. 12, nosque supra docebamus satisfactione pœnarum pro venialibus debitarum cessare in damnatis eas patiendi dignitatem etsi maculæ venialium, siue venialia actualiter in illis æternè perseuerent: quia meritoria illa dignitas pœnarum non in sola venialis macula; sed in ea & negatione satis passionis fundatus.

3 Hoc ipsum ex ipsius Vasquez doctrina iidem recentiores euincere conantur: docet enim Vasquez d. 3. c. 4. §. vlt. gratiam, & merita in hac vita non mereri auxilium de condigno ad contritionem ante mortem, quod tamen adhibita perseuerantia ad mortem vsque de condigno merentur quia de condigno merentur gloriam, quam impedit veniale ex Dei auxilia per contritionem eluendum: vt enim Trident. ait sess. 6. c. 6. gloriam iustus non meretur nisi adhibita perseuerantia, & dependenter à conditione quod iustus extra statum viæ sit; cùm tamen meritum gloriæ, & auxilij ad tollendum illius impedimentum post mortem sit intrinsecum naturale iustorum operibus independenter à Dei voluntate: ergo licèt denùi dignitas demeritiua carendi auxiliis necessariis ad contritionem de illo in veniali, poterit esse carendum pro statu viæ, ac dependenter ab eo statu tanquam à conditione: quare & eo statu per mortem cessante poterit & dignitas venialis carendi auxiliis ad contritionem de ipso cessare: ac proinde cessabit etiam tentata à nostro Vasquez contradictio. Verùm, si demeritum, seu dignitas demeritoria venialis carendi auxiliis ad contritionem de illo sit dignitas carendi determinato tempore, sicuti & ad pœnas alias ob illud subeundas, nequit esse ex natura rei tempus illud determinatum viræ, seu status viæ tempus. Cùm enim status viæ non idem & æqualiter omnibus venialiter peccantibus sit, atque alij initio, alij prope viæ, seu vitæ suæ finem venialibus

CERTAMEN II.

Veræ, & communis sententiæ probatio Soarij examinatur.

1 IAm igitur communis, eaque vera Doctorum sententia fert hominem purum ex gratiæ auxilio non solum absolutè posse pro veniali satisfacere; sed & de facto sæpè satisfacere pro illo. In vtraque conclusione de possibili & de facto duo fulmina belli conuenere, Vasquez disput. tertia, cap. tertio, Soarius disput. quarta, sect. 11. quos vtriusque asseclæ, vulgo sequuntur, & quoad conclusionem de possibili Cardinalis Lugo sect. 7. citata; Probat Soarius quia licèt contritio ad expulsionem venialis (cum quo in eius sententia formaliter non pugnat) nouo Dei illum remittentis fauore indigeat; tamen cùm magis hominem ad Deum conuertat, quàm ipsum à Deo auerterat veniale, quo si rectè perpendatur non tam à Deo vltimo fine auertimur, quam diuertimur, & retardamur: atque insuper cùm sit dubio procul præstantius Dei obsequium contritio, quàm sit ipsi infensum veniale, haud dubium, quin contritio sit æquiualens, siue ad æqualitatem de facto satisfactio. In hac verò Soarij ratione repugnantiam deprehendunt recentiores Complurenses, quam sic edisserunt: satisfactio æqualis à debitore præstita creditori totum ius creditoris se ipsa extinguit: quia cùm illud ad æqualitatem compenset, si satisfactio fit, ita, & illud totum soluit, & dissolvit. Ergo satisfactio exhibita

CERTAMEN III.

Nostri Vasquez ratio altera propugnatur.

1 ALia ratione eandem sententiam probat Vasquez: quia nimirum libera perfectaque nostra de veniali contritio est forma ipsum expellens; insuper nullum debitum obiectiuum supponit à Deo remissum: cùm ob veniale dignitatem carendi auxiliis ad contritionem de illo non incurratur: ac denique adeò perfecta esse potest est que in viris sanctissimis de veniali contritio, vt reliquum etiam debitum pœnale illius excludat. Ergo libera & perfecta nostra de veniali contritio perfecta est debiti subiectiui & obiectiui to-

æquæ malitiæ poſſint delinquere,cum æquali nimirum merito,& dignitate pœnæ, fieri minimè poteſt, vt inæquale tempus carendi auxiliis vt pœnam reſpiciant,ſicuti reſpicere debent,ſi tempus viæ,ſeu vitæ huius tempus ſit adeò *in* æquè peccantibus inæquale. Quo ruit impugnatio prima.

4 Sed nec ſolidior eſt ſecunda : nam auxilia & gloria, quam iuſtus meretur, ex natura rei nec meretur determinatè,nec pro tempore determinato; ſed ſolùm meretur præmium ſupernaturale, liberumque prorſus Deo ex rei natura ſit, in his, vel illis ſupernaturalibus illud deſignare atque conferre. Vbi vero in gloria & auxiliis ad pellenda venialia poſt mortem donandis præmium deſignauit,rectè infertur non mereri auxilia in hac vita conferenda de condigno:quia hæc, & illa præmia poſt mortem meritum excedunt,quod præmiis illis poſt mortem dandis omnino æquatur. Si ergo ex natura rei demeritum venialis reſpectu auxiliorum ad carentiam eorum pro tanto tempore eſt, vt aiunt recentiores, liberum Deo ex natura rei erit tempus tantum, quo illis careant,deſignare; non autem quod carentia auxiliorum minoris ſpatij ſoluatur demeritum, ſeu dignitas carendi auxiliis. Ergo cum deſignatum tempus ſit huius viæ & vitæ ſtatus per te,quod poſt veniale commiſſum breuius multò ſæpè eſt, quàm illud quo carere auxiliis dignus erat qui venialiter peccauit, etiam poſt mortem dignitas meritoria carendi auxiliis perſeuerabit nondum per ſatispaſſionem illius pœnæ omnino abolita,& quandoque nulla ferè ſui parte imminuta:ſiquis nimirum prope mortem venialiter peccet. Denique ea omnia, quæ recentiores iſti obiecerunt, locum habere,vt ſummum, poſſent reſpectu dignitatis meritiuæ venialis carendi auxiliis;aſt ſi ea dignitas venialis non ſit demeritiua;ſed dignitas formalis illius qualis qualis violationis amicitiæ Dei, atque diuerſionis à Deo vltimo fine,vt iidem recentiores contendunt locum minimè habent : quamdiu enim venialis macula perdurat,ea etiam dignitas, quæ in illa ſola adæquatè fundatur, permanebit : vt de dignitate formali ad pœnas mortalis ſubeundas docebamus d. 2.q. 2.cert.2. & 3.

5 Eandem partem antecedentis, quod nimirum in venialinon ſit dignitas carendi auxiliis ad contritionem de ipſo, ac proinde quod nullam debiti obiectiui remiſſionem à Deo factam,contritio illa ſupponat, probat idem Vaſquez à priori : quia veniale non conſtituit inimicum Dei; ſed cum eius amicitia componitur : ergo relinquit motiuum, cuius intuitu poſſunt à Deo conferri beneficia,quæ ad arctiorem cum Deo amicitiam tendunt ex complacentia etiam venialiter peccantis:ergo nequit in veniali eſſe dignitas carendi auxiliis ad contritionem de veniali, qua ad arctiorem cum Deo amicitiam homo ille perueniat. Probo conſequentiam:quia nequit aliquis dignus eſſe, qui priuetur auxiliis ad arctiorem amicitiam ab eo, qui actu de eius amicitia gaudet, ſibique complacet in illa. Secundo:dignitas carendi auxiliis ad arctiorem amicitiam cum Deo, pugnam habet cum aliqua vlteriori amicitia Dei:ſed veniale non habet pugnam cum aliqua vlteriori amicitia Dei : ergo nec habet dignitatem carendi auxiliis ad vlteriorem amicitiam cum Deo. Tertiò probatur : quia omnium auxiliorum ſupernaturalium ad contritionem priuatio eſt pœna grauiſſima, ſiquidem vnius ſolùm donatio tam magnum præmium eſt : ergo eſt pœna excedens malitiam leuem minutulumque venialis demeritum. Sed inſtant recentiores iidem. Dignitas ad pœnam temporalem cruciatuum compoſſibilis eſt cum amicitia Dei in venialiter peccante; imò & dignitas ad carentiam temporalem viſionis Dei:ergo & dignitas carendi temporariè auxiliis ad contritionem,compoſſibilis cum amicitia Dei erit. Nego ſecundam partem antecedentis:veniale enim non meretur de condigno priuationem temporalem viſionis Dei, licèt eam formaliter impediat. A dignitate verò pœnæ ſenſus temporalis ad dignitatem carendi auxilis nulla eſt pariras,cùm adeo hæc illam excellat, neque pœna ſenſus arctiorem amicitiam cum Deò tollat, ſicut tollit auxiliorum carentia. Inſtant ſecundò. Qui violat grauiter amicitiam Dei per mortale, dignus eſt priuari omni auxilio, & beneficio Dei : ergo qui eam violat leuiter per veniale, dignus erit qui aliquibus Dei beneficiis, ſcilicet auxiliis ad ſe conterendum de illo, ſaltem ad tempus priuetur Nego conſequentiam de auxiliis ob rationes datas, licèt in aliis bonis non adeò magnis; nec ad arctiorem amicitiam cum Deo ſpectantibus,& conducentibus videatur legitima.

CERTAMEN IV.

Concluſio probationum, & impugnationum eneruatio.

1 EX dictis conſtat concluſionem ſatisfactionis pro veniali abſolutè poſſibilis à puro homine,imò & de facto exhibendæ per perfectam contritionem de illo efficaciter abſolutè à noſtro Vaſquez in ſuis etiam principiis probari,præcipuè ſi ſecundam illam antecedentis partem vltima probatione proximè à nobis aſſerta n.5. aſſumamus; licet enim primam illius probationem recentiores Complutenſes non ſatis,vt vidimus, impugnent; tamen non adeò ſolidam iudicamus, atque ſecundam eius partis probationem à priori noſtris ſuppetiis roboratam. Conſtat etiam rectè eandem ſententiam probari Soarij ratione:ſi illud de remiſſione facta à Deo in expulſione maculæ venialis omittatur. Tertiò probatur efficaciter concluſio argumentis omnibus, quibus quæſtione antecedenti cert. 6. probabamus poſſe iuſtum alteri mereri de condigno auxilia ad reſurgendum à mortali, ac proinde & pro debito ipſius carendi auxiliis condignè ſatisfacere. Rationibus item quibus q.3.& 4. oſtendimus poſſe à puro homine pro macula & offenſa mortalis ſatisfieri : hæc enim efficacius argumento à maiori ad minus affirmatiuè de ſatisfactione pro veniali probabunt. Ea verò quiuis præſenti materiæ facilè applicabit. Ex quibus omnibus tandem apertè conficitur ad ſatisfactionem pro venialibus Incarnatione Dei opus minimè fuiſſe.

2 Oppones primò ex Anſelmo lib. 1.*cur Deus homo.* c. 21.Id eſt maius malum alio, quod vt euitetur, eligi illud aliud debet; atqui vt vitetur veniale, eligi debet contritionis negatio : ergo veniale maius malum eſt quam negatio contritionis : ergo contritio minus bonum eſt,quàm negatio venialis:ergo non eſt tam bona contritio, quàm ſit malum veniale : quare nec erit contritio æquiualens in æſtimatione cordata pro veniali ſatisfactio, vt ratio Soarij nobis probata aſſumebat. Reſpondetur hoc argumentum nihil probare, quia multum probat. Eiſdem enim,& principio, & conſequentia probabis nec merita Chriſti eſſe tam bona, quàm ſit malum veniale:quia eis etiam renunciandum foret,ne veniale patraretur. Indeque rurſus fieret, nec Chriſtum meritis,& operibus ſuis potuiſſe pro veniali ſatisfacere. Probaretur inſuper infinitas malitiæ venialis, ſiquidem vt illud vitaremus, crearis omnibus, & infinitis meritis Chriſti renunciare debebamus. Diſtinguæ igitur maiorem argumenti : Quod eligi debet vt euitetur aliud *ex dictamine rationis recto in ordine ad operationes cuiuſque morales* : nego maiorem:*ex dictamine rationis recto attendente rerum intrinſecum valorem,& dignitatem ſine ordine ad morales cuiuſque operationes*:concedo maiorem.Minorem ſimiliter diſtinguo: *ex dictamine rationis recto in ordine ad operationes morales*, concedo minorem:*non in ordine ad illas, ſed attendendo intrinſecum rerum valorem,& bonitatem* ; nego minorem : & inde nega conſequentiam. Ratio eſt : quia etſi aliquid minus malum ſit,quàm aliud; ſi tamen à recta ratione operandi diſcordat, recta operandi ratio non poteſt non ab illo diſcordare; ac proinde ex eius dictamine ſemper

ſemper illud fugiendum eſt, eiuſque negatio procuranda,etſi aliud maioris in ſe bonitatis,valoris,& æſtimabilitatis amittendum ſit.

3 Oppones ſecundò contra rationem Vaſquez : ſaltem eſt in veniali meritum congruum priuationis auxiliorum : ergo & in auxilij donatione ad contritionem de illo aliqualis eſt à Deo remiſſio. Negant Vazquiani nonnulli antecedens, Deumque venialiter ſolum peccantibus nunquam ob venialis demeritum negare auxilia credunt;ſed ne male vſuris vertantur malo. Sed certè de bono vſu auxiliorum efficacium certus omnino Deus eſt : ergo nequit ea venialiter peccantibus denegare, ne malè vtantur ipſiſque ; vertantur malo fatendum igitur eſt in veniali demeritam congruum auxiliorum cum Vaſquiano,Gaſpare, Hurtado. Primo:quia Patres paſſim denegari nobis à Deo auxilia ob venialia docent, grauioreſque lapſus permitti, idque amica omnino, & rationabili prouidentia, vt ſcilicet cautiores deinceps circa venialia, atque in charitate feruentiores reddamur,ne ab ea per venialia decidamus, ſi Deus ob illa auxilia, quorum abſolutus Dominus eſt ob maiorem noſtram vtilitatem, ac ſine crudelitate vlla nobis deneget. Neganda tamen eſt conſequentia:nam ex merito ſolùm congruo non incurrimus debitum carendi auxiliis : quare cùm ea venialiter peccatori donat nullam debiti remiſſionem facit Deus. Inſtabis:meritum congruum auxiliorum aufert ab illis rationem gratiæ ; vti ex Paulo inferunt Patres, & Concilia contra Maſſilienſes:ergo demeritum de congruo eius, quod datur ad ſatisfactionem exhibendum,minuet huius perfectionem. Patet:quia ſi gratia quoduis minutulum etiam meritum excludit,ita, & ſatisfactio cuiuſuis etiam minutuli debiti remiſſionem. Nego conſequentiam:quam minimè probat ratio ſubiuncta, cùm in merito congruo carendi auxilio nullum adhuc minutulum debitum carendi illo inueniatur, ac proinde neque in eius donatione ad contritionem de veniali,quæ pro illo ſatisfactio eſt,vlla minutula adhuc remiſſio.

4 Hinc autem dubitabis quomodo auxilium ad contritionem de veniali ſit gratia reparationis per Chriſtum, cùm illius carentiam per veniale de condigno non fuerimus promeriti ? Vaſquez cap. 3. n. 21. docet non eſſe gratiam reparationis in ſe; ſed in radice ratione noſtri originalis in omnibus,& actualis mortalis in aliquibus. Addit verò non eſſe gratiam reparationis in radice ratione peccati Adæ, quod cùm, & alienum,& iam delatum ſit,non videtur in nobis dignitas aliqua eius carentiæ inde in nobis perſeuerare. Quomodo autem hoc cohæreat cum eo, quòd iuxta ipſum 1. p.d. 95.c.5. Adæ peccatum ſit cauſa noſtræ reprobationis:quia debito actiuo peccati Adæ paſſiuum in nobis reſpondere debeat, iuxta eundem 3. p. d. 216. c. 5. vbi ex debito actiuo Adæ ad noſtri originalis contractionem paſſiuum in nobis ad illam probat, examinatum à nobis eſt controuerſiis de prædeſtinat, ac de peccatis. Addo ego ad rem præſentem auxilia ad contritionem de veniali non ſolùm in radice; ſed, & in ſe eſſe gratiam reparationis per Chriſtum : quatenus meruit nobis Chriſtus, vt non obſtante demerito congruo auxiliorum, quod in noſtris venialibus eſt, eius demeriti, occaſione nobis non denegentur à Deo.

CONTROVERSIA III.

De cauſis extrinſecis incarnationis.

DE intrinſecis Incarnationis cauſis diſputatum affatim à nobis eſt, dum verbo & humanitate media vnione hypoſtatica conſtare docuimus, atque vnionis huius terminos formales,materiales, & naturam monſtrauimus controu.1.quare nunc de extrinſecis Incarnationis eiuſdem cauſis,ſine nimirum, occaſione, & motiuo, atque efficienti cùm phyſica, tum meritoria cauſa agendum nobis præſenti controuerſia erit.

DISPVTATIO I.

De fine, & occaſione Incarnationis.

QVM rerum omnium ab intellectuali agente liberè effectarum, vti à Deo Incarnatio peracta eſt,prima cauſa ſit finis, de Incarnationis à Deo efficiendæ fine agendum primo loco in præſentiarum erit:videndumque in primis quiſnam Deo Incarnationis decernendæ tam intrinſecè,quàm extrinſecè adæquatus finis extiterit ? Qui quidem cùm reparatio hominis à peccato fuiſſe deprehendatur, videndum ſecundo loco erit, an Incarnatio ob huiuſmodi finem ante præuiſum peccatum decerni potuerit. Tertiò, an potuerit decerni ob eiuſmodi finem efficaciter intentum ante, vel ſaltem poſt peccatum præuiſum.Quartò an deficiente peccato,ex vi præſentis decreti Chriſtus veniret ? Quæ omnia ſeorſim examinanda duxi,vt eorum, qui illa coniunctim diſputantes,omnia implicant potius quàm explicant,confuſionem vitarem.

QVÆSTIO I.

Quiſnam Deo Incarnationis decernendæ adæquatus extitit finis?

QVM nemo ſenſum Domini nouerit, ipſiue de rebus ſtatuenti à conſiliis fuerit teſte Paulo,nihil in hac quæſtione firmum humano diſcurſu afferri poſſet, ni Deus ipſe per ſcripturas Apoſtolicas traditiones, Concilia, & Patres ſuum nobis in tanto myſterio peragendo finem explicuiſſet.Quare hac vel maximè in re à Patribus,Conciliis,& ſcriptura ne latum quidem vnguem licèt ſano Theologo diſcedere.

CERTAMEN I.

Qui negent, quique aſſerant hominis reparationem à peccato Incarnationis finem extitiſſe.

1 RECentiores Thomiſtæ cum Caietano 3.p.q.1.a.3. §.*ad ſecundum verò dubium*, aſſerunt Incarnationem præceſſiſſe redemptioni cauſalitate tanquam huius finem;non autem præceſſiſſe prioritate maioris vniuerſalitatis,ſeu à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia.Ita enim aiunt : Incarnationem Deus decreuit, vt eam redemptioni peccati alligauerit, quæ ſine peccato eſſe minimè poſſet.Quibus Thomiſtæ hi,vel redemptionem peccati Incarnationis finem extitiſſe negant, vel mutuam cauſalitatem finalem inter Incarnationem, & peccati redemptionem manifeſtè admittunt. Id quod,& contra ipſorum doctrinam eſt, & cùm in eodem genere cauſæ finalis admittatur omnium iudicio, ac principio per ſe noto repugnans. Sed neque quidquam ſolidum pro ſua afferunt doctrina; imò verò contra illam multa. Etenim per ipſos Incarnatio, ac merita Chriſti abſolutè præuiſa, ac proinde in executione

tione exercita præcesserunt redemptioni peccati, aſt per ipſos etiam quod prius executione eſt reſpectu alterius, medium reſpectu illius eſt, non finis, illudque alterum eſt finis reſpectu ipſius. Ergo Incarnatio per ipſos medium ad redemptionem fuit, non finis reſpectu illius. Secundò: præſtituto fine Incarnationis efficaciter intento, & redemptione tanquam medio efficaciter volito, vt hi præſtituunt, nequit non in eorum doctrina amari peccatum, ſine quo eius redemptio eſt impoſſibilis: quod eſt abſurdum: ideò enim pœnitentiam prædeſtinationis effectum eſſe poſſe iidem negant, quia pœnitentia ſine peccato, quod neceſſariò ſupponit, eſſe minimè poteſt, ac proinde neque amari à Deo ex fine gloriæ, quin peccatum ametur.

2 Tertiò: medium & finis nequeunt ſaltem in connaturali prouidentia ad idem motionis ſignum pertinere, ſimulvè natura decerni, ſiue intentiuè, ſiue executiuè: cùm intentiuè finis amor debeat medij electionem natura præcedere; atque executiuè medium debeat finem cauſalitate anteire: quare in connaturali ſaltem prouidentia ſigna diuinorum decretorum penes obiectorum, ſeu rerum decretarum ſigna debent aſſignari. Ergo ſimultas intentionis, vel executionis Incarnationis, quæ finis redemptionis per hos eſt, & redemptionis, quæ per eoſdem eſt medium ad illam nequit eſſe niſi per extraordinariam Dei prouidentiam, qua Deus connaturali neglecta ita fieri velit. Rogo ergo Thomiſtas, vnde eis de extraordinaria hac Dei prouidentia conſter, oſtendant, precor, aliquod Patrum, vel ſcripturæ teſtimonium. Imò cum certum ipſis etiam ſit merita verbi Incarnati, ſeu Chriſti motiuum redemptionis exequendæ de facto fuiſſe, nequeunt decreta executiua vtriuſque in prouidentia vlla ad idem ſignum pertinere. Denique nec decretum vnius eſt illatiuum alterius: cùm enim Incarnatio ſine redemptione peccati eſſe abſolutè potuerit: & contrà redemptio ſiue ſatisfactio pro peccato ſine Incarnatione, vt ſupra docebamus, neutra ad alterius conſequutionem medium vnicum erit, vt ad electionem alterius ex alterius intentione etiam efficaci Deus cogi queat.

3 Alexander 3.p.q.2.m. 13. Albertus in 3.d. 20.a. 4. Scotus d.7.q.3.§. *Sed hi ſunt.* d. 19. q.vnica §. *in iſta quæſtione*, & in reportatis q. 4. § 30. *declarandum*, quæ alias extat ſub diſtinctione 6. Iacob. Valent. in Pſal. 81. & 102. Albertus Pigtius 8. de libert. arbit. c. 1. a. 2. & 3. ac lib. 10. c. 1. Catherinus de eximia Chriſti prædeſt. & annotat. contra commentaria Caietani in 3. p. q. 1. ar. 3. Claudius Taurinenſ. q. 1. de prouid. a. 2. Viguerius c. 20. inſtitut. Theologic. §. 1. verſ. 4. Galatinus 7. de arcanis aiunt: peccati etiam originalis remedium Incarnationis finem minimè extitiſſe, ſed Dei gloriam, quidvè ſimile. Pro ea etiam ſententia refertur Rupertus de gloria Trinitatis, & proceſſ. Spirit. S. à c. 19. ad 21. & 3. in Matth. de gloria, & honore filij hominis, quatenus aſſerit non Chriſtum propter homines, ſed hos potiùs, & Angelos propter Chriſtum effectos. Quorum omnium fundamentum eſſe poteſt, quod Deus vniuerſa propter ſemetipſum operatus dicatur: è ſui nimirum ſuæque gloriæ amore: quare pro hac etiam ſententia hi omnes citari poſſent, quos controuerſ. de prædeſt. ita proloquium illud ſcripturæ interpretari referebamus. Sed certè locus ille, vt ſummum, de Deo fine, *cui* ſonare poteſt, non autem de Deo fine *qui* ſuarum operationum, de quo in præſentiarum inquirimus. Atque vniuerſim Deum plura nobis ex noſtra complacentia velle, & operari, quare, & propter nos vt finem *cui* plus ſatis, eo loci monſtratum à nobis eſt.

4 P. Gabriel. Vaſquez d. 10. c. 5. d. 13. c. 2. Lorca, & Raguſa d. 23. Vincentius relect. de gratia Chriſti q. 6. Becanus c. 1. q. 9. concl. 9. n. 8. Gaſpar. Hurtado, & Vaſquiani recentiores frequenter cenſent redemptionem peccati Adæ, ac noſtrorum originalium adæquatum finem Incarnationis fuiſſe. Addunt Thomiſtæ nonnulli apud Vaſquez d. 13. c. 1. n. 2. non ſolùm horum; ſed, & actualium noſtrorum plurium redemptionem intra adæquatum Incarnationis finem contineri: licet nec numerum, nec genus actualium in eo fine incluſorum deſignent: antiquioribus his Thomiſtis conſenſere Aluarez 3.p.q.1.a.4. atque ex noſtris Valentia ad eam q. a. 6. Granados controu. 1. de Incarnat. d. 2. Denique Thomiſtæ alij genus actualium peccatorum, quorum redemptio adæquato Incarnationis fine continetur, deſignantes aiunt eſſe actualia prædeſtinatorum, vt refert Vaſquez proximè n. 3. Horum omnium ſententias quoad ſpecialia, in quibus à noſtra diſcordant in noſtrarum concluſionum probationibus commodiùs refellemus.

CERTAMEN II.

Hominum à peccatis omnibus reparatio Incarnationis decernendæ Deo extitit finis.

1 DIco primò: Actualis Adæ ac noſtrorum omnium originalium remedium fuit Deo Incarnationis finis. Ita DD. omnes omnes citati cert. 1. n. 4. eſtque iam Theologis communis concluſio me quidem iudice in ſcriptura, & Patribus expreſſa. Primò enim Matthæi 18. & Lucæ 15. continetur in parabola paſtoris, qui, vt ouem errantem reduceret, relicto in deſerto grege illam quæſiuit, quam parabolam de Dei è cælo, & Angelis ad nos aduentu Patres communiter interpretantur. Secundò Lucæ 19. Chriſtus de ſe aiebat: *Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Ioannis 3. *ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat.* 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere.* Symbolum Nicenum: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Nazianzenus orat. 4. de Nat. quæ eſt 36. de Theologia cauſam ſuſceptæ à Deo carnis fuiſſe ait, vt nobis ſalus pararetur. Conſonant Ambroſius de Incarnatione c. 6. & omnium elegantiſſimè Cyrillus Alexandr. 5. Theſauri c. 8. quorum verba dabimus cert. 3. Adde plures alios Patres recitandos q. 4. & recitatos controu. 2. diſp. 3. afferentes ob præuiſum venenum peccatum in omne hominum genus effuſum Deum in medicum, & reparatorem ad nos aduentaſſe, vt medelam, & reparationem afferret nullatenus peccatis deficientibus venturum. Nec ſatisfacit Scoti ſolutio, nimirum hæc de decreto Incarnationis Dei intelligenda eſſe, cùm expreſsè de aduentu Chriſti ſecundum ſe, & verbi ad nos deſcenſu Patres loquantur. Sed hanc, & alias aduerſariorum ſolutiones q. 4. oportunius, fuſiuſque refellam.

2 Dico ſecundò: Reparatio noſtri omnium ab omnibus mortalibus actualibus intra finem Incarnationis decernenda fuit. Eſt omnino contra Vaſquez, Raguſam, Lorcam, Becanum, atque ex parte contra Thomiſtas, quatenus aliquorum ſolùm actualium aut plurium reparationem intra finem Incarnationis conſtituebant. Quæuis enim limitatio abſque fundamento vllo adhibetur, etiam illa de peccatis ſolis prædeſtinatorum? etſi enim reprobi actualium mortalium reparationem de facto non conſequantur, nihil probat: nam originalium etiam reparationem plures de facto non conſequuntur: cùm tamen aduerſariis conſentientibus in omnium originalium remedium tanquam in finem fuerit à Deo Incarnatio decreta. Secundò: cùm reparatio hominum à peccatis quibuſvis non fuerit finis Incarnationis efficaciter intentus; ſed ſolùm inefficaciter, vt q. 2 ſtatuemus; imò neque ante præuiſum abſolutè peccatum eius reparatio efficaciter à Deo intendi potuerit, vt docebimus q. 3. atque actualium noſtrorum reparatio per Incarnationem ante eorum abſolutam præuiſionem intenta à Deo fuerit, vt citatis quæſtionibus apparebit, nihil obeſt, quod cum reparationis finem de facto Deus aſſecutus non fuerit. Probatur concluſio

concluſio ferè eiſdem teſtimoniis, quibus prima: licèt enim illud parabolæ paſtoris, & illud Lucæ 19. *venit ſalvum facere, quod perierat*; ſupponere videantur ouem iam abſolutè aberrantem, & homines iam de præterito perditos, id tamen non ad eorum ſalutem, & reductionem intendendam; ſed ad faciendam, & in executione immediatiùs procurandam intelligendum eſt, vt verba ipſa *ſaluum facere quod perierat*, latiùs oſtendunt. Item illud ſymboli Nizeni *propter noſtram ſalutem* de peccatis omnibus etiam actualibus vt minimum ſonat, quibus etiam ad mortem vſque non minus, quàm originalibus, ægrotamus. Accedit: quòd cùm ſæpè Chriſto Domino cum publicanis, & aliis actualibus peccatoribus conuerſanti Iudæi oblatrarent, reſpondit ipſe: *Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus*: ac rurſus: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*: quaſi diceret: Ad hos vocandos veni. Adde Cyrillum Heroſolymitanum Catechet. 6. §. Cùm itaque tantas docentem veniſſe Chriſtum, vt remedium idololatriæ afferret, Irenæum aientem non venturum Chriſtum niſi omnium iuſtorum ſanguis requirendus foret. Chryſoſtomum hom. 3. in Acta, recitandum cert. 3.

3 Dico tertiò: Remedium omnium noſtrorum venialium fuit Deo Incarnationis decernendæ finis. Paucos habet concluſio hæc patronos; ſed bonos. Vidi eam obiter aſſertam à Magiſtro Albiz Complutenſis Academiæ primario Theologiæ Profeſſore, atque à noſtris Recentioribus Complutenſibus ſæpè à nobis citatis celebri ſuo manuſcripto de Incarnat. Duo mihi fundamenta ſuppetunt: alterum ab authoritate illis ſymboli Nizeni verbis: *Propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt*, & illis Nazianzeni iam recitatis: *vt nobis ſalus pararetur*, ac ſimilibus aliorum Patrum infra q. 4. recitandis. Salus etenim animæ, non vitæ ſolùm à morte peccati mortalis reparationem; ſed à quouis ſpirituali morbo, quo malè ſe animus ſpiritualiter habeat, inſtaurationem apertè includit: atqui per veniale, licèt animus ſpiritualiter non intereat, ægrotat tamen, atque malè ſe ſpiritualiter habet: vt patet: ergo eius reparatio à veniali eſt ſalus animi ac noſtra intenta ex ſymbolo, & Patribus à Deo in Chriſti aduentu, & verbi incarnatione. Alterum fundamentum à ratione eſt, quia de ea Dei in nos noſtraque ſpiritualia commoda charitate, ex qua filium ſuum incarnari decreuit, quamque tantopere Chriſtus in ſuo Euangelio, atque eius Apoſtolus Paulus extollunt, credi minimè poteſt ex deſiderio non integræ ac perfectæ ſalutis noſtræ per venialium etiam reparationem filium ſuum miſiſſe. Accedit quod cùm finis aduentus Chriſti declarans ſit noſtra ſalus qua æternam, vitam conſequamur, conſequivè abſolutè atque expeditè poſſimus *iuxta* verba annexa poſtremis recitatis ex Ioannis tertio, *Non pereat*; *ſed habeat vitam æternam*: ac venialia quæuis vitæ æternæ recipiendæ impedimenta ſint; eorum etiam remedium finem incarnationis fuiſſe, fatendum neceſſariò videtur. Eadem concluſionem probabunt quæ vltimo loco dabimus concluſione alia de venialibus.

4 Obiicies ex Vaſquez contra tertiam concluſionem Auxilium ad reſurgendum à veniali, quod veniale de condigno ſaltem non demeretur, non eſt gratia reparationis per Chriſtum: ergo eius reparatio non fuit finis aduentus Chriſti. Plus probat, ſi quid probat, quam intendat obiectio. Nempe neque reparationem à venialibus fuiſſe finem ſecundarium incarnationis neque eo merita Chriſti extenſa deflexiſſe, vt à venialibus repararemur. Sed nihil probat: tum quia congruè demeretur veniale auxilia ad ſui reparationem, vt docuimus controu. 2. d. vlt. q. 6. cert. 4. num. 3. ſecundò quia etſi non demereatur auxilium ad ſui reparationem, illud tamen non meretur, ac proinde illud Chriſtus potuit mereri, atque incarnatio decerni, vt illud etiam mereretur, ſicque à veniali repararetur. Opponit ſecundo contra hanc, & præcipuè contra ſecundam concluſionem actualia noſtra, ſiue mortalia, ſiue venialia ſupponunt gratiam ſufficientem Dei ad ea vitanda, & in meritis Chriſti datam: ergo non venit Chriſtus ob finem reparationis noſtræ ab illis. Probat conſequentiam: quia nequit intendi decreto incarnationis reparatio à peccato nondum abſolutè præuiſo: cùm autem ante actualia; imò, & ante auxilia ſufficientia ad ea vitanda Chriſti merita, & incarnatio exiterint, ſi ex eo fine decreta incarnationis exiſtentia Deo fuerit, eſſet intenta eorum reparatio ante ipſorum exiſtentiam, & abſolutam præuiſionem. Sed certè obiectio hæc falſum ſupponit, ſcilicet reparationem peccati ante eius abſolutam præuiſionem nullatenus intendi à Deo poſſe; cùm tamen intendi inefficaciter queat, vt videbimus quæſt. 2.

CERTAMEN III.

Cuiuſuis ex aſſignatis peccatis reparatio intrinſecè adæquatus finis incarnationis fuit.

1 PEccatorum omnium, quæ enumerauimus, reparationem finem intrinſecè adæquatum incarnationis fuiſſe conuenirent DD. omnes citati cert. 1. n. 4. ſi omnium quæ nos, reparationem in ſuis concluſionibus numeraſſent: quare vnuſquiſque ex eis ſtatuit eorum peccatorum, quæ aſſignat, reparationem eſſe finem intrinſecè adæquatum incarnationis. Vocatur autem finis intrinſecè adæquatus, qui licet alios fines admittat ad motionem finalem executionis effectus; tamen ita validè ille mouet, vt ſe ſolo de facto moueret ad operis executionem, etſi fines alij nec mouerent, neque exequenti oberrarent, neque ab eo intenderentur. Nos autem non ſolùm reparationem omnium, quæ aſſignauimus, collectiuè ſumptorum, finem intrinſecè adæquatum incarnationis fuiſſe aſſerimus; ſed, & cuiuſuis ex aſſignatis etiam in indiuiduo reparationem finem intrinſecum incarnationis defendimus. De omnium collectiuè ſumptorum reparatione facilis eſt concluſio: quia ſola peccatorum reparatio finis incarnationis deſignatur ſcripturæ, & Patrum locis datis, dandiſque cert. 4. & quæſt. 4. quibus Chriſtus dicitur *non venturus*, ſi peccata deeſſent, etſi alia omnia adeſſent: quia ad ea reparanda incarnatio, & Chriſtus decretus à Deo fuit: ergo eorum omnium ſaltim coniunctim reparatio ita Deum vt finis ad exequendam incarnationem mouit, vt adæquatè illum ad eius executionem mouerit. Alioqui non ob illum ſolum finem Deus incarnationem executurus diceretur: ergo omnium ſaltem coniunctim reparatio decernenti atque exequenti incarnationem Deo fuit finis intrinſecè adæquatus, ſeu qui ita Deum ad incarnationem mouit; vt illo ſolummodo attento atque intento ex vi præſentis decreti incarnatio poneretur.

2 Quod autem cuiuſuis generis peccatorum ex aſſignatis reparatio ſeorſim finis intrinſecè adæquatus incarnationis fuerit, ita, vt, etſi aliorum generis alterius reparatio non intenderetur, nihilominus ob reparationem peccatorum illius generis ex vi præſentis decreti incarnaretur Deus, maioris negotij probatio eſt. Supponit autem concluſio quod efficaciter contra Vaſquez probauimus in phyſicis, ſcilicet effecta omnia, præter voluntatis actus à duplici ſine totali; imò à duplici totali agente pendere poſſe. Et quidem de reparatione peccati Adæ, noſtrorumque originalium finem intrinſecè adæquatum incarnationis fuiſſe, fatentur cum S. Thoma Vaſquez Soarius, & Thomiſtæ, qui eorum ſolùm reparationem incarnationis finem agnoſcunt: idque vt minimum probant citata ſcripturæ, & Patrum teſtimonia.

De reparatione vero actualium tam mortalium, quàm venialium finem intrinsecè adæquatum Incarnationis fuisse, tota est nostræ sententiæ, & probandæ, & defendendæ difficultas. Subiungam tamen statim probationem, quæ de vtraque seorsim; imò, & de reparatione peccati Adæ, originalium; imò, & cuiusque ex actualibus in indiuiduo intentum euincat: quare integram nostram conclusionem, & sententiam probet.

3 Sic autem probatio habet. Finis Incarnationis intrinsecè adæquatus is de facto fuit, qui ita Deum ad Incarnationem mouit, vt aliis omnibus seclusis seu non mouentibus intentionaliter finaliter Incarnatio de facto fieret à Deo: sed reparatio hominis à peccato cuiusuis generis; imò à quouis eorum indiuiduo siue originali, siue actuali mortali, vel veniali ita Deum mouit vt finis ad Incarnationem, vt sublatis, vel non mouentibus intentionaliter finaliter aliis perageretur Incarnatio à Deo: ergo reparatio cuiusuis, etiam in indiuiduo, peccati fuit intrinsecè adæquatus finis Incarnationis. Minor, cuius solùm desiderari probatio poterat, est Chrysostomi hom. 3. in Acta in hæc scribentis. *Etenim, si vnius animæ salus tanta est, vt ob hanc filius Dei fieret homo*; animæ verò salus à quouis indiuiduo etiam peccato adhuc veniali, quo anima procuidubio ægrotat, reparationem dicit. Ergo ob reparationem animæ à quouis etiam indiuiduo peccato adhuc veniali fieret homo Deus per Chrysostomum ex vi præsentis decreti Incarnationis, quod de facto fuit; alioquin minus cordatè dixisset: *Fieret homo*: cùm ex vi aliorum decretorum possibilium Dei res esset puræ diuinationis, & in qua dici solùm cordatè posset, *fortasse fieret homo*. Nec satis est, quod respondent Vasquez, & Recentiores Complutenses, solum ibi asseri à Chrysostomo Christum decretum fuisse in hominum omnium, & singulorum remedium: quod satis, inquiunt, verificatur, si in omnium, & singulorum remedium, & salutem ab originali recipiendam fuerit verbi incarnatio posita; ac Christus decretus.

4 In primis solutione hac, velint nolint, Vasquez, & Recentiores admittunt reparationem cuiusque ab originali fuisse finem intrinsecè adæquatum Incarnationis, quod abnuebat vterque. Secundò admittit Vasquez contra suam doctrinam posse vnum effectum (nempe Incarnationem) ob duplicem finem totalem fieri, atque actiuè à Deo duplici totali decreto vel pluribus, quorum vnumquodque intrinsecè suum finem totalem habeat, actiuè pendere: cum enim actus voluntatis suis finibus, & motiuis, ob quæ eliciuntur, connexa sint, nequit vnus decreti duplex, vel multiplex intrinsecè adæquatus finis assignari: ita enim ab iis omnibus finibus, ob quos decretum habetur, dependet, vt si omnes prorsus non adsint, ac moueant, etsi vnus vel plures eorum permaneant, implicet decretum persistere: quare ob quemque adæquatum intrinsecè finem Incarnationis decreta multiplicanda sunt, quorum quoduis adæquata causa actiua Incarnationis existat. Tertiò: quia salus animæ tanta est, ob cuiusque salutem, ait Chrysostomus venturum Christum, seu Filium Dei hominem esse faciendum: atqui salus à venialibus quibusque absolutè animæ est: ergo ob eam Filius Dei fieret homo, nec solùm ob mortale originis reparandum Chrysostomi sententia.

5 Secundò probatur conclusio: quia iuxta illam Dei pietas, & misericordia atque erga homines charitas maximopere commendatur, qui, vt à minimo quoque actuali peccato vnumquemque eorum liberaret, eo animo fuit, vt tantum Incarnationis mysterium, seque totum impenderet. Tertiò: adest inde hominibus singulis potentissimum motiuum ad quoduis minimum actuale peccatum etiam veniale vitandum, cùm videat tanti ab æquo rerum æstimatore Deo eius reparationem fieri, vt pro ea carnem induere decreuerit. Id quod nobis intimare volebat Chrysostomus, atque ex ipso reliqui vitæ spiritualis magistri. Dices ex Gregorio Magno recitando cert. 4. deficiente Adæ peccato non oportere, vt Christus veniret, idest, non esse motiuum, & causam aduentus Christi, neque de facto ex vi præsentis decreti venturum esse, vt ibi dicemus: ergo cæterorum reparatio non est finis intrinsecè adæquatus incarnationis. Respondetur primò: in Adæ peccato reliqua nostra tam originalia, quàm actualia ex deordinatione appetitus oriunda, tanquam in radice contineri: idque perspectum satis Gregorio fuisse, qui tandem omnium nec solùm peccati Adæ reparationem loco illo complexus est. Secundò: licèt loqueretur de Adæ peccato solo, nil probat argumentum. Intelligendus enim esset Gregorius de motiuo occasionali, non finali, sicut, & plures alij Patres q. 4. recitandi. Potuit enim illud solum peccatum præuisum occasionem præbere Deo Incarnationis decernendæ ob aliorum etiam reparationes tanquam adæquatos intrinsecè fines. Plures autem Scholastici non satis motionem occasionis in re præsenti à motione finis distinguentes distortè minusque aptè ex Patrum testimoniis discurrunt.

CERTAMEN IV.

Peccatorum omnium simul reparatio adæquatus, etiam extrinsecè, finis Incarnationis fuit?

1 Conclusio est contra Scotum, & suos, contra Soarium, & asseclas; sed nostri Vasquez, Thomistarum, & reliquorum, qui nobiscum q. 4. sentient, ac ferè communis. Probatur: Is est finis extrinsecè etiã adæquatus actionis, & effectus, extra quem nullus alius finis ad fuit operanti: atqui Deo operanti Incarnationem nullus alius finis præter peccatorum omnium reparationẽ ad fuit: ergo reparatio peccatorum fuit adæquatus etiam extrinsecè finis Incarnationis. Maior est definitio finis extrinsecè adæquati. Minor probatur quia finis decretorũ Dei de facto non nisi ex auctoritate scripturæ, Conciliorum, & Patrum prudenter. & Theologicè assignari potest: atqui ex scriptura, & Patribus sola reparatio hominum à peccatis, nilque præterea aliud fuit Deo Incarnationis decernendæ, atque exequendæ finis: ergo Deo decernenti Incarnationem nullus alius finis extitit præter reparationem à peccatis. Minor syllogismi huius ex recitatis locis certam. 2. præsertim n. 1. satis probatur, atque ex ipsis aduersariorum testimoniis constat, quæ videri possunt apud Patres Soarium, & Iacobum Pinto 2. de Christo crucifixo, solumque probant, si quid contra nos probant, Christũ priùs natura decretũ, & existentẽ fuisse, quàm Adamus, aut vlla creatura existeret, à Deo nec decernereturnon autem alium finem, quàm hominum à pecatis reparationem Deo Incarnationem & Christum suo signo (de quo postea) decernenti oberrasse. Primum autem præsentis quæstionis non est; sed quartæ, vbi pertotium de eorum Patrũ sensu agemus. Vt autem secundũ (quod præsentis instituti est) apertè constat, summatim præcipua aduersariorum testimonia perstringam.

2 Ex Paulo ad Ephesios... *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Secundum ex Theodoreto apud catenam Lippomani in id *Faciamus hominẽ*. Gen. 1. vbi ait: tanto honore primum hominem à conditore Deo affectum, quia videbat Deus verbi Incarnationem, hominemque eandẽ personam fore cum Deo. Adsonant Tertul. verba de resur. carn. c. 6. *Quidquid limus* (Adæ ad Dei imaginẽ efformati) *exprimebatur, christus cogitabatur homo futurus*. Item ex Basilio apud Catenã citatã ex Origene, & aliis dicentibus illud, *Faciamus hominem*, non esse ad verbum nudum; sed iam incarnatum, siue ad Christum, sed vbinã horũ testimoniorum dicitur Christi, esto ante Adamũ decernendi alium

alium quam reparationis Adæ & aliorum hominum à peccatis finem Deo extitisse; sed audiant quem obiiciunt (eritque ex inimicis nostris salus) Cyrillum Alex. 5. Thesau. c. 8. ait enim, *præfundatum ante nos Christum in Dei præscientia, vt, cum ordine diuino benedictio maledictionem antecederet, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, seruitutem diaboli adoptionis libertas, posset natura humana superatis malis, quæ interim acciderunt in pristinam per gratiam Christi, qui fundauit eam in bonis, dignitatem recurrere*. Ergo, vt ad gratiam pristinam post lapsum recurreremus, Christus ordine, & decreto diuino præfundatus est ex Cyrillo; ac proinde non nisi ob finem nostræ à peccatis reparationis decretus est. Rupertus denique obiicitur 3. de glor. Trinit. & proces. Spiritus S. vbi ait Angelos & creata omnia propter Christum eiusque gloriam fuisse producta. Sed locus adhuc est, vt Christus propter hominum salutem, & reparationem inefficaciter intentam produceretur. Secundò: quid Rupertus contra tot grauiorum selectorum Patrum turbam?

3 Probatur secundò eadem minor ex Irenæo aduers. hæres. c. 14. dicente: *si non haberet caro saluari, nequaquam verbum Dei caro factum esset*. Ex Athanasio ser. 3. contra Arianos col. 312. editionis Parif. *Necessitas quippe indigentiaque hominum anterior fuit, quàm illius natiuitas, qua sublata carnem non induisset*. Ex Augustino serm. 8. de verb. Apostoli: *venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat si homo non periisset, filius hominis non veniisset*. & ser. 9. *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ*. Ex Leone Magno ser. 3. in Pentec. *Si enim homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita deuiasset, creator mundi creatura non fieret*. Ex Ecclesia demum ita Mariam alloquentis.

Peccatores non abhorres,
Sine quibus nunquam fores.
Tanto digna filio.

Quibus locis ob reparandos homines, nullo alio intento veniisse Christum expresè dicitur, ac peccatis reparandis deficientibus non venturum, de quo q 4. Atque hæc sanè omnia satis demonstrant nullum alium finem præter hominum salutem, atque à peccatis reparationem ex scriptura, & Patribus constare, vti in minori illa vltima assumebamus, ac proinde cordatè, & Theologicè nullum alium finem Incarnationis Deo adscribi posse, sed eum fuisse adæquatum etiam extrinsecè finem decernendi, atque exequendi Christum.

4 Ad vberiorem tamen, & vrgentiorem probationem audiamus Patres positiuè excludentes alios fines Incarnationis: ac proinde expresè nostram conclusionem docentes. Ambro. de Incarn. c. 6 *Quæ erat causa Incarnationis, nisi vt caro, quæ peccauerat, redimeretur?* Ac si dicat: nulla alia sanè Nazianzenus orat. 4. quæ est 36. de Theologia: *Quæ autem humanitatis susceptæ à Deo propter nos causa extitit? Profectò vt nobis salus pararetur. Quid enim aliud causæ afferri potest.* Aug. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 26. ait: *Christum non aliam ob causam venisse, nisi vt hac dispensatione misericordissimæ gratiæ omnes quibuss & saluos faceret?* Et post supra data verba ex serm. 9 *Nulla causa veniendi fuit Christo Domino nisi peccatores saluos facere* Gregor. M. in 4. Reg. c. 1. ad id: *Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt*, ait: *si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere non oporteret: non enim venit vocare iustos; sed peccatores ad pœnitentiam si pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eam venire non oportebat*. Quibus locis verba *oporteret*, & *causa* non necessitatem, vt malè aduersarij respondent; sed causam finalem aduentus Christi scripturæ locis, quæ hi Patres memorant, contentam significant.

5 Obiicies Cyrill. Alex. 5. Thes. c. 3. ita contra Arianos fatum: *si, vt hæretici dicunt, vt nos produceret Deus, filium suum produxit, erit ipse propter nos factus, non nos propter ipsum: cur ergo non nobis aget gratias, qui propter nos est? Erit etiam ipse sic gloria nostra, vt fœmina viri: non enim vir creatus est propter fœminam; sed fœmina propter virum*. Et post pauca: *si propter nos filius factus, primi nos erimus apud Deum: sic enim Deus non primum, deinde filium propter nos intendisse videbitur*. Quæ ex fine nostræ salutis decretæ Incarna-

tioni præstituto æquè absurdè inferri videntur. Respondetur illa omnia de verbo secundum se absurda esse, rectè contra Arianos, qui illud creaturam, & propter creaturas factum blasphemabant, deducebat, & vrgebat filius: similia verò de filio non secundum se; sed iucarnato, siue de verbi Incarnatione non absurdè; sed catholicè admitti: cùm finem Incarnationis nostram salutem extitisse dogmaticum sit. Denique obiicit illud 1. Cor. 2. de Christo. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quàm prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram*. scilicet humanitatis Christi, ex qua gloria, & honor nobis eius consanguineis redundat. Sed non est ibi sermo de Christo; sed de crucis, & passionis ignominia in nostram salutem, & gloriam æternam à Deo ordinata: quare pro nobis militat Paulus.

QVÆSTIO II.

An incarnatio ob præfatum reprobationis finem ante præuisum peccatum decerni potuerit?

Decreta ne Christi existentia fuerit, ante præuisum peccatum ex intentione efficaci reparandi hominis à peccato? Lis est, q. 4. dirimenda: sed quæ ex præsenti quæstione, vel maxime, pendeat. Si enim ex eo fine decerni absolutè nequeat minus poterit ex eo fine efficaciter intento decerni, & sanè, quæ ad Dei attinet decentiam (ex qua parte rem nunc consideramus) eadem est, siue reparatio hominis à peccato efficaciter, siue inefficaciter intendatur difficultas, vti ex dicendis constabit: quare de intentione absolutè, provt efficacem & inefficacem coërcet, rogamus.

CERTAMEN I.

Aliorum opiniones, atque discursus Recentiorum ex Ripalda desumptis confutantur, à priori.

1 Vasq. d. 10. à c. 5. d. 11. & 12. & 13. ex his, quæ de permissione peccati, vt prædestinationis effectus esse nequeat, asseruit 1. p. d. 39. c. 2. negatiuam sententiã supponit potius, quam probet: pro eaque plures ex antiquis refert. Nec dissentiunt Gasp. Hurt. Næratius, & Beccanus, qui cum ipso de permissione peccati: 1. p. censebant. Ratio vtrique difficultati communis illa erit ad præsentem instruenda. Nam incarnatio ex eo fine electa, atque decreta non amatur adeo ob propriam bonitatem, tanquam finem, neque amatur ob solam finis, bonitatẽ, seu solum, quia finis bonus est, sed quia ipsa vtilis est ad finem eiusmodi consequendum: ergo id omne amari debet eo decreto, per quod vtilis incarnatio ad eum finem est; ac fine quo vtilis ad illum esse non potest: ast incarnatio ad finem reparationis à peccato vtilis non est, nisi medio peccato, fine quo est reparatio impossibilis: ergo nequit amari ædeo, vt vtilis ad reparationem à peccato, quin, & ametur peccatũ quod quidem Deo repugnet: ac proinde, & decerni incarnationem ante præuisũ peccatum, ac non suppositum, ex fine reparandi hominẽ ab illo Suar. licet rem hanc expresè non tangat, oppositum nihilominus supponere videtur. d. 5. cui adstipulabuntur, quotquot cum ipso 2. de concursu Dei c. 5. ad 4. & 3. de prædest. sect. 1. permissionẽ peccati inter prædestinationis effectus recensent verũ, cum ipse neget citatis locis de prædestinatione, & concursu Dei posse adeo peccatũ ex intentione pœnitentiæ permitti, solúque ex humilitatis intẽtione posse adeo permitti defẽdat, idẽ in

nostro casu dicere tenebatur, atque de permissione ob pœnitentiam, cum vtriusque ratio, in nullo discordet, vt patet.

2 Difficultati tamen vtrobique eluendæ semina posuit, quæ non exclusit tom. 3. de gratia lib. 12. cap. 11. num. 2. ea tamen exclusit Ripalda tom. 1. de Ente super naturali d. 66. sect. 3. ex cuius doctrina, tam hic, quam d. de effectibus prædestinationis Recentiores Complutenses duplicem ex finis intentione electionem mediorum esse posse aiunt. Aliam intrinsecam, & formalem, qua scilicet medium amatur, vt vtile formaliter: aliam vero extrinsecam, & materialem, qua medium vtile cognitum non vt tale amatur; dum eligitur, sed vel ob suam bonitatem, vel ob vtilitatem, quam ad alium finem habeat. Cum enim finis intentio ad dandam illi existentiam tendat, ideoque media ad illum obtinendum apponat, si poni fine amore vtilitatis formali queant, amari, atque apponi, vt vtilia ad finem opus non est, vt patet in electione ipsa, quæ vtilis, ac necessaria ad finem consequendum est; atque ex eius proinde intentione apponitur, quin ob vtilitatem, imo neque absolute ametur reflexe, cum apponitur in mediis autem aliis cognitio vtilitatis requiritur, non quidem, vt proponat motiuum amandum, sed materiam, ad quam apponendam extrinsecus intentio mouere, &, si efficax sit, etiam determinare queat intendentis voluntatem. Id quod exemplo intentionis satisfaciendi pro peccato, ex qua actus charitatis ob solam Dei bonitatem elicitus imperatur, licet eius vtilitas prænosci debeat, vt imperetur, satis euinci iudicarunt ex qua doctrina aiunt incarnationem decreto electionis intrinsecæ, & formalis ex intentione, & fine reparationis à peccato ante eius præuisionem apponi non potuisse, quin peccatum adeo amaretur, vt argumentum aduersariorum conuincebat; ast decreto electionis materialis, & extrinsecæ quo, vt vtile ad illam, cognoscitur quidem, sed non amatur, apponi ante peccatum præuisum potuisse, quin adeo peccatum amaretur.

3 Cæterum Doctrina hæc de extrinseca electione displicet vehementer Petro Hurt. de Mandoz. 2. 2. t. 2. d. 134. sect. 4. d. 135. sect. 1. sub sect. 2. nec minus nobis, Philosophisque, ac Theologis reliquis debet displicere. Contra primo: vtilitas medij ad finem intentum prænosci debet per vos, vt apponatur ex ea intentione, per electionem extrinsecam, & materialem; ergo, quia non potest non amari eius vtilitas, vt ex ea apponatur intentione, quod idem est, ac non posse apponi ex illa nisi per electionem intrinsecam. Probo consequentiam, idcirco requiritur cognitio bonitatis cuiusuis in obiecto ad ad actus voluntatis prosequentis illud, quia voluntas nequit ferri nisi in bonum, & præcognitum: sin assigna aliud animasticum principium: ergo cuiuscunque bonitatis obiecti, siue vtilis, siue delectabilis siue honestæ requiritur cognitio ad actum voluntatis prosequentis, ideo est, quia eiusmodi bonitas futura est actus prosequentis illud obiectum formale motiuum, & obiectum, quod ratione sui, & secundum se ametur. Confirmatur: quia electio formalis, quæ vtilis ad finem est, atque apponitur, quin eius vtilitas amatur, vt sic apponatur, opus non est, vt eius vtilitas prænoscatur, vbi autem prænosci opus est solum est, vt reflexe ex ea intentione ametur: ergo cuiuscunque medij vtilitas ad finem intentum prænosci debet, vt ex eius intentione apponatur ideo est, vt vtilitas ipsa, seu medium, vtile ametur. Confirmatur, quia finis ineptus est, ad mouendam sui intentione voluntatem ad id quod vtile ad ipsum non fit: ergo, quia vtiliter medij est motiuum etiam voluntatis mouendæ per illius electionem, alioqui negabo bonitatem honestatis, aut delectabilitatis esse obiecta intentionis, & motiua ad amorem finis, licet non nisi ad honestum, & iucundum moueri voluntas per intentionem queat.

4 Rursus arguo: Motio finis per intentionem ad electionem medij debet esse obiectiua, vt sit gratia finis, & propter finem iuxta Arist. & Philosophos omnes: atqui motio obiectiua finis ad electionem nequit esse nisi mouendo voluntatem, vt gratia ipsius, & propter ipsum amet apponatque media: quod ipsum est, vt ea amet, & apponat, vt vtilia ad ipsum: ergo motio finis nequit esse ad electionem medij, quæ formalis, & intrinseca electio non sit. Minor, & per se videtur nota, & probatur: quia, quæcumque motio voluntatis per intentionem finis, quæ non sit per medij eligendi vtilitatem ad finem intentum non erit motio voluntatis ex parte finis obiecti, siue tenens se ex parte obiecti solicitantis obiectiue voluntatem ad eiusmodi electionem, sed actiua solum, & physica motio intentionis physicè voluntatem impellentis, ac determinantis voluntatem ad electionem. Confirmatur: quia in re præsenti, & simili alia de permissione peccati ex intentione gloriæ intentiones inefficaces in mea opinione sunt, esse que posse omnes, etiam aduersarij admittunt, neque ad rem præsentem, & aliam de permissione peccati negant: atqui ex inefficaci intentione reparationis à peccato nulla est motio, & determinatio actiua physica voluntatis: ergo sola remanet obiectiua, ex qua voluntas eligat incarnationem, vt vtilem ad eum finem. Nec refert hæc omnia instari in actu charitatis imperato ex intentione satisfaciendi Deo pro peccatis, quem finem ipse non respicit. Nam actus ille charitatis electio sui ipsius non est neque materialiter, sed eius electio est actus imperij quo ille imperatur ranquam eius obiectum, & medium, quod respicit, & prosequitur, vt vtile ad satisfactionem pro peccato exhibendam.

5 Denique determinatio illa ab intentione, & cognitione vtilitatis ad amandum medium, non, vt vtile ad finem, imo motio quæuis ab eis est impossibilis, nam: amor ille medij non tamen, vt vtilis ad finem, intentum, sed, vel ob eius delectabilitatem, vel honestatem, nequit esse propter aliud, & gratia alterius in vllo sensu sed propter se; si autem ob eius vtilitatem ad alium finem, ille finis est, qui mouet, eaque intentio, atque vtilitatis ad illum cognitio, non vtilitas ad alium, quæ apertè non amatur. Patet, non sublatæ ea intentione, & cognitione vtilitatis non amatæ, æquè erit medij amor ob eius honestatem. delectabilitatem, vel vtilitatem ad alium finem, ob quam amatur. Sublata vero cognitione honestatis, vel vtilitatis ad alium finem, ex cuius amore amatur, non erit ille medij amor, vt patet: ergo intentio, & finis illius, ad quem, vt vtile medium non amatur ad eius amorem nihil præstat, sed prorsus impertinenter se habet, vt coram Recentioribus obiiciebam, quin solutio adhiberetur perceptibilis.

CERTAMEN II.

Ab absurdis electio hæc extrinseca, atque ab inutilitate ad rem præsentem exploditur.

1 PRæfata extrinsecam electionem ex ipsa electionis, & intentionis natura, atque à priori refellunt: iam à posteriori, & absurdis, neque vero segnius, impugnatur primo. Intentio mouet ad electionem medij materialem sine amore vtilitatis eius ad finem intentum: ergo poterit mouere potentiam externam exequentem ad medij oppositionē sine electione, vt bene arguit. Hurt. subiect. 3. Patet quia nulla est ratio, vt post intentionem, & cognitionem vtilitatis medij expectetur electio, qua determinetur potentia exequens ad medium apponendum, ac non potius determinetur immediate ab intentione ipsa, si medij vtilitas amanda per electionem non sit sicut enim intentio, & cognitio vtilitatis determinent potentiam voluntatis liberam ad medij electionem potius determinare poterunt potentiam exequentem non liberam de se sed subditam despotice motibus voluntatis, vt medium exequatur hoc autem est totam Philosophiam euertere. Dices non esse sufficiens determinatiuum in voluntate ad medium apponendum, quovique hoc fit amatum, & volitum secundum suam entitatem electione saltem materiali, & extrinseca. Contra: quia actiones extrinsecæ sæpè apponuntur, ac fiunt, quin ipsæ secundum suam entitatem amentur: ergò hæ poterunt ex intentione, & cognitione vtilitatis determinari sufficienter, vt à potentia externa exerceantur. Contra secundò; quia à paritate cōtendo ego fore sufficiens determinatiuum, imò potius, quam ad electionem medij, nisi hoc amandum sit, vt vtile: ac proinde opus non esse, vt secundum se adhuc ametur: nec pater recursus ad experientiam: cum enim hæc fundetur per omnes philosophos, in eo quod amandum sit medium, vt vtile, si amatur ex intentione finis: tu autem id neges, & satis determinari extrinsecè voluntatem dicas ad electionem, medijque appositionem actiuè ex intentione, & cognitione voluntatis: infero ego potius determinandam eis potentiam exequentem sine electione, & amore medij secundum se ad eius positionem, contra omnem experientiam, quam tua hac opinione pessundari tanquam absurdum deduco, nisi aliam rationem disparitatis assignes.

2 Arguo secundo ab absurdo, quo R. coram vexabant, cum hac doctrina in permissione peccati vtebantur: quia, si vt amor medij sit electio absolutè ex aliquo fine, eiusque intentione satis sit coëxistentia intentionis, & cognitionis vtilitatis medij ad eum finem, & amoris medij ob aliam quampiam bonitatem amati, cum obiecta plura desiderata inuicem sæpè vtilia sint, atque vt talia cognoscantur: (v. g. actus charitatis ad satisfaciendum Deo, & actus satisfactionis pœnitentiæ ad placendum Deo) actus isti inuicem pendebunt, tanquam à fine, atque intentione cuius inuicem electiones sint. Item cum nihil ferè sit, ad quod aliud quoduis vtile Deo non sit, vel vt efficiens, vel, vt obiectum, atque ipsi cognitum vt vtile: nihil de facto producet Deus, quod non eligat extrinsecè, ad cætera omnia, & contra in hac sententia, mutuoque se ferè decreta omnia præcedent. Nec refert, si dicas non amari ea obiecta, & effectus, vt finem, & intentiuè, sed desiderari solum: quare neque determinari ad electionem mutuò. Contra: quia in tua hac opinione desiderium rei, propter se, & non ob aliud intentio est sufficiens, vt determinet, seu moueat ad electionem extrinsecam, quin opus sit, vt illa intentio, atque rei vtilis amor electio sit, vt ametur, qua vtilis ergo nulla solutio. Dices secundò: in mutuo vtilibus rebus ex libertate voluntatis pendere vnum in aliud ordinare, & non è contra hoc aliud in illud vnum. Contra: ergo intentio, & cognitio vtilitatis rei ad finem intentum non satis ordinant, ac determinant voluntatem, vt amor materialis rei vtilis eliciatur: ac proinde, licet simul existat, non erit electio extrinseca adhuc, illius intentionis Contra secundò: quia vlterior ordinatio libera voluntatis nihil aliud esse poterit, nisi expressa volitio, vt ob finem intentum amerur: quod ipsum est eligi, & amari, vt vtilem, siue formaliter eligi: quare electio formalis solum admitteretur.

3 Tertiò argumentor; quia si extrinseca illa assistentia intentionalis, & cognitionis, vtilitatis rei, quin, vt vtilis ametur, verè ordinatur electio, & res vtilis in finem intentum, nullus actus ita erit intrinsecè speciei vnius, vt inuariatus intrinsecè non sit idemmet speciei alterius in genere moris: quod præter quam quod est, totam moralem philosopham, & theologiam inuertere, plura infert absurda, v. g. actus eleemosynæ ob finem, & ex intentione subleuandi miseriam pauperis intrinseca electio, & formalis erit misericordiæ: atque eadem manens intrinsecè inuariata erit charitatis ex solo desiderio placendi Deo, & cognitione vtilitatis eleemosynæ ad placendum Deo, quin vt Deo placeat eleemosynarius eum actum eliciat, & eleemosynam eligat. Sin autem assistat desiderium satisfaciendi Deo, licet non propterea eliciatur, erit actus pœnitentiæ, quod nemo somniauit. Fiet enim inde ex omnium virtutum existenti desiderio, licet non nisi ex vnius motiuo elicitum actum ad omnes virtutes Pertinere. Fiet secundò: eundem illum actum eleemosynæ; quoad intrinsecum, atque ex eleemosynæ fine solum elicitum è coexistentia sola desiderij gloriæ inanis, aut veneris & cognitionis de vtilitate rei datæ ad eas assequendas, quin alterutra per illum actum intendatur, esse tamen libidinosum, atque inanis gloriæ actum iustè à Deo puniendum: sunt in re theologica, & morali prorsus absurda.

4 Tandem doctrina hæc ad rem præsentem est inutilis. Licet enim ea saluari posset permissionem peccati effectum prædestinationis esse, tamen Christum decretum esse electione intrinseca, & formali ex nostræ reparationis fine, & intentione certissimum est: cum Patres motiuum decreti incarnationis nostram reparationem, & salutem fuisse consonè designarent illis verbis: *Propter nostram salutem*, atque illis, *vt salui essemus.* ac similibus datis quæstione prima, dandisque quæstione 4. quod electione intrinseca, & formali, ex fine, & intentione reparationis nostræ fieri solummodo potuit: hæc quippe sola habet finem pro motiuo, quatenus formaliter fertur in vtile ad illum. Iam verò si quæ medium respicit vtile ad finem electio, nequit non ea omnia respicere, sine quibus medium vtile ad illum esse non potest, nisi illud supponat aliunde positum, Deus incarnationem decernens ex fine reparandi hominem intrinseca electione quin peccatum supponat; illud quidem amare compelletur, vt aduersarij obiiciebant: atque extra rem, irritoque labore tota hæc doctrina de electione extrinseca ad rem præsentem non adhibuit; facilius quidem rem componerent Recentiores, si sui memores essent. Ipsi enim docent intentionem posse mouere voluntatem ad electionem formalem, & intrinsecam medij remoti, vt vtilis sine amore proximi, sine quo vtile non est, quod iam fusius ostendam.

CERTAMEN III.

Soarij, & Recentiorum sententia altius singulariusque à nobis fundata arridet.

1 VT difficultatem propositam, quæ vnica in affirmatiua conclusione est, omninò emolliam, in electione formali, & intrinseca (cuiusmodi fuisse incarnationis decretum, ex fine, & intentione salutis nostræ Patres docent, quæque sola vera electio est) singulari doctrina vtar, quæ viginti, & amplius retro annis animum subiit, dum ordines decretorum diuinorum à Recentioribus Complutensibus excogitatos tractatu ipsorum de voluntate dictato disp. 6. memb. 2. numero 29. in fescessu placentino refellerem. Censeo ergo amore medij remoti non amari, nec cogi voluntatem ad amandum medium proximum, sine quo remotum vtile ad finem intentum non est: licet ametur vt vtile ad eum finem; ac proinde negandam esse consequentiam primam argumenti aduersariorum positi certam. 1. num. 1. quare potuisse ex hac parte decerni incarnationem ob finem reparandi hominem à peccato nondum apposito, ac præuiso existenti. Huius cogitationis fundamenta posuit Arist. laudatus à Vasq. 1. 2. disp. 4. cap. 4. cum aliis ibi relatis, docens inter media nullatenus habere rationem finis respectu mediorum remotiorum: quare remotius non amari ob media proximiora, sed eorum vnumquodque ob finem tantum. Vnde sic arguo: Vtilitas medij proximi, non est eadem vtilitas medij remoti, sed ab illa diuersa, ergo amor directus vtilitatis medij remoti, non est amor directus vtilitatis medij proximi: ergo neque vtilitas medij proximi est directè amota amore quo directè amatur vtilitas medij remoti. Hæc nemo inficiatur. Pergo. Sed, neque vtilitas medij proximi amatur indirectè amore vti-

litatis medij remoti, siuè huius vtilitas ob vtilitatem medij proximi: quia alias medium proximum respectu remoti haberet rationem finis eiusque motionem, neque vtrumque ex quo amaretur propter finem.

2 Probo secundo, vel explico proximam assumpti proximi probationem. Id solum oportet amari indirectè amore vtilitatis medij remoti, quod est propter se amabile: atqui medium proximum fini intento non est mea serie, atque ex eius finis intentione amabile propter se: ergo neque oportet amari indirectè medium proximum amore vtilitatis medij remoti. Minor probatur primo ex suppositione facta numero primo: quia alias intermedia haberent rationem finis. Secundo à priori: quia tota amabilitas medij cuiusuis est vtilitas: ast nulla vtilitas est amabilis propter se: quare neque medium proximum erit ob illam propter se amabile. Dices hæc omnia solum probare inter media proximiora non habere rationem finis, neque esse propter se amabilia: quia ipsa sunt amabilia propter aliud; Hoc autem non tollit, vt alia amabilia sint propter illa in ea serie, scilicet remotiora: quia hæc sine illis vtilitatem non habent: eo autem ipso, quod sint amabilia remotiora propter proxima, amor remotiorum indirectè tendet in proximiora: quare maior primi syllogismi secundę huius probationis non consistet. Sed contra: quia nemo dicet se vocare Chirurgum propter, siue ob scissionem venæ, siue ob sanguinis effusionem, licet ad id eum vocet, sed ob sanitatem, quia eam secundum se non amat, sed solam sanitatem, quæ propter se amatur: ergo id solum amatur indirectè amore medij remoti, quod in illa serie amatur propter se.

3 Probatur tertiò à priori assumptum idem, ac simul refellitur solutio, quia id solum amatur indirectè amore vtilitatis, quod est terminus formalis vtilitatis amatæ: atqui sola bonitas finis intenti, non autem vtilitas medij proximi, est terminus formalis vtilitatis medij remoti: ergo sola bonitas finis intenti, non autem vtilitas medij proximi amabitur indirectè amore medij remoti. Antecedens est certum: nam ideo, qui amat pœnitentiam, non amat indirectè Peccatum, qui terminus necessarius peccati est, quia non est terminus formalis bonitatis, siue honestatis pœnitentiæ sed materialis solum. Neque consequentiæ prima est obscurior. Solum ergo subsumptum probationem desiderat quam ita subiicio, medium remotius non ideo amabile est, quia vtile ad medium proximum; sed quia vtile ad finem, ergo sola bonitas finis est terminus formalis vtilitatis, seu amabilitatis medij remoti, non autem vtilitas medij proximi. Sed vlterius probo antecedens quod de se patet; quia tolle per impossibile respectum physicum medij remoti ad proximum, siue conducentiam physicam ad illud seruata conducentia, & respectu vtilitatis ad finem, atque inuenies æque amabile medium remotius; Contra verò, tolle respectum conducentiæ, & vtilitatis ad finem seruata per impossibile conducentia ad medium proximum nullatenusque medium remotum erit amabile ex intentione, & fine illo: ergo terminus formalis amabilitatis, siue vtilitatis medij remoti est sola bonitas finis, non autem vtilitas medij proximi. Quod autem sine vtilitate medij proximi nequeat esse vtilitas medij remoti, quæ ad illud conducit, & sine illo esse physicè non potest, solum probat esse materialem terminum amabilitatis medij remoti, sicut peccatum honestatis pœnitentiæ terminus est, sine quo illa esse physicè nequit.

4 Dices, conducentia, atque vtilitas mediata claudit essentialiter conducentiam immediatam, atque vtilitatem medij proximi: ergo nequit amari vtilitas mediata medij remoti, quin amerur cõducentia, & vtilitas immediata medij proximi; ergo eodem amore, quo amatur medium remotum, qua vtile, amatur medium proximum. Distinguo primam consequentiam: nequit amari absolute, nego consequentiam, & inde nego consequentiam secundam; quia vtilitas medij remoti, licèt physicè, realiter, & materialiter mediata sit, non tamen amatur vt mediata, sed tantum, vt vtilitas, siue vt medium vtile ad finem; formaliter autem, & præcisè, vt vtile ad finem, non respicit vtilitatem intermedij sed solum materialiter sumptum, vt re ipsa vtile est. Instas: cum aliquid alicui vtile amamus, persona, cui id volumus, non est terminus formalis vtilitatis illius, sed solum materialis, & tamen non possumus illud vtile ipsi velle, quin personam ipsam amemus, ergo solum terminus formalis vtilitatis, sed materialis etiam amari debet amore quo ipsa vtilitas amatur. Distinguo. Non possumus amare vtile alicui, quin amemus perpersonam, qua terminus materialis vtilitatis amatæ est, nego eam partem antecedentis, qua terminus est amoris illius, vt respicit personam, siue qua, complacentia est concedo, vt sic autem habet obiectum formale complacentiæ, nempè personæ bonitatem, ob quam illam amamus amicitiæ affectu, eique bona reliqua volumus.

QVÆSTIO III.

Poteritne incarnatio decerni ob finem nostræ reparationis efficaciter intentum ante, vel saltem post peccatum perquisitum.

QVNTVR hic de intentione efficaci prorsus ex parte actus, & obiecti deinde de absoluta ex parte actus; conditionata vero ex parte obiecti.

CERTAMEN I.

Ex intentione efficaci prorsus absolutæ nostræ reparationis à peccato nequiuit decerni incarnatio ante præuisum peccatum.

1 EST omnium conclusio, qui negant præfinitiones actuum liberorum, etiam per scientiam mediam regulatas. Ibi vero sunt Molina, Vasquez, Lessius, Herisle, alijque plures, quos referebamus ex nostris, exterisque controuersia de voluntate. Ex eis autem qui actuum liberorum præfinitiones admittunt, Murciani Recentiores nobis etiam consentiunt: quia licet casu in nostram antiquam cogitationem, de amore medij remoti ob finem non amato proximo, recenter inciderint id tamen cum finis intentio inefficax solum est verum putant: falsum verò, si medium remotum ex efficaci intentione finis apponatur; tunc enim si medium aliquod vnicum sit ex intermediis censet ex intentione efficaci cogi ad illud amandum. Nos autem eodem modo philosophandum censemus in amandis mediis propter finem, siue efficaciter, siue inefficaciter intendatur ex parte motionis obiectiuæ, finis, & intentionis, licet ex parte motionis actiuæ, seu physicæ determinationis discrimen adsit quoad mediorum appositionem quidem, non amorem. Nam efficax cogit quidem voluntatem ad ea omnia apponenda, sine quibus de facto obtinendus finis non est, ad quod non cogit inefficax: sed tamen, si medium aliquod sine sui amore possit apponi, non cogit ad illud amandum, sed apponendum, etiam si vnicum, ac necessarium sit. Cum autem ob prouidentiæ suæ infallibilitatem peccatum decreto suo positiuo possit apponere Deus ad id solum cogit, vt amet

amet permittere, siue permissionem peccati, non autem, vt amet peccatum: quare non ex eo, quod ad peccati amorem cogendus Deus sit, probanda est conclusio, sed aliunde ex principiis, quæ omnem præfinitionem actuum liberorum diffiniunt.

2 Probationi autem suppono intentionem deesse efficacem, nec solum per extrinsecam denominationem ab effectu desumptam, connecti de se necessario cum fine intento, atque cum mediis necessariis ad illum, vt latè probaui controuersia de voluntate, vnde sic arguo. Cum ea efficaci intentione nequit stare actionis peccaminosæ nondum præuisæ libertas: ergo cum ea intentione nequit stare peccatum: ergo nequit stare reparatio à peccato, quæ impossibilis est sine peccato. Vtraque consequentia est certa, neque ab vllo neganda. Antecedens probo. Cum ea intentione ponitur ex parte antecedentis causalitate aliquid incompossibile cum negatione transgressionis Adæ, v. g. ergo cum ea intentione nequit stare transgressionis libertas. Antecedens probo: cum ea intensione ponitur ex parte antecedentis causalitate aliquid necessariò connexum cum transgressione Adæ, sed necessariò connexum ex parte antecedentis causalitate cum transgressione Adæ: ergo cum ea intentione ponitur ex parte antecedentis causalitate, aliquid incompossibile cum negatione transgressionis Adæ. pergo ad probationem consequentiæ ex confirmato antecedenti deductæ. Posita ex parte antecedentis incompossibilitate, seu impossibilitate negationis transgressionis Adæ auferrur necessariò indifferentia, seu possibilitas ex parte antecedentis, seu potentia in actu primo ad vtrumlibet, à qua formaliter transgressionis libertas desumitur: ergo cum ea intentione nequit stare transgressionis libertas

3 Dices intentionem illam se ipsa non exequi peccatum, sed mediis auxilijs conferendis: quare non aliam habere connexionem, quam mediatam ratione auxiliorum, neque rationis alterius, quam sit auxiliorum connexio, non quidem antecedens causalitate, sed logica solum cum transgressione intentionis efficacis, connexio non physica, & antecedens, sed logica solummodo erit. Contra primò: quia licet intentio illa efficax non sit exequens seipsa immediatè reparationem, & transgressionem, tamen non habet conexionem ratione auxiliorum, sed se ipsa ita connexa est cum transgressione, vt implicet cum prædicato intrinseco suæ intrinsecæ efficaciæ non poni transgressionem, alioqui cum prædicato illo efficaciæ intrinsecè componi poterit transgressionis negatio: eritque efficax illa intentio antecedenter fruſtrabilis: quod indignum atque indecens Deo efficaciter intendenti prorsus erit: vt scilicet, quod seriò intendit, & fieri toto voluntatis suæ conatu amat, possit absolutè non esse, licet consequenter non esse nequeat. Contra secundò: quia licet connexa sit mediatè, siue non sine mediis, si tamen de se connexa sit implicat media illa ex illa intentione apponenda libera de se esse, neque de se necessariò connexa cum effectu: alioqui posset esse sine necessaria de se connexione intentio illa, quod idem est atque posse esse sine se ipsa: quare intentio illa non erit de se efficax respectu finis, ac necessariò connexa de se cum illo, vt supponebatur.

4 Id quod explico, & confirmo: nam vel ita intelligis mediatam istam conexionem intentionis efficacis finis per media, vt tota ratio connexionis, quæ est in eiusmodi intentione, sit conexio mediorum, à qua, seu ratione cuius intentio efficax, quasi secundario connexa sit, quia illa apponit media, quæ connexionem illam logicam, & consequentem habent non physicam & antecedentem, vel præterea aliam connexionem in ipsa intentio diuina efficacia recognosces: si primum dicas intentio illa efficax de se non est, neque de se connexa. Non de se connexa quia tota connexio est in mediis, quæ extra ipsam sunt: quare destrui suppositionem, ex qua discurrimus. Non efficax quia si nullam connexionem habet est voluntas inefficax, ex qua apponuntur in mea opinione efficacia auxilia in prædestinatis, atque in omni vera opinione in non prædestinatis pluribus apponuntur, possuntque in prædestinatis apponi: sin autem connexio mediata hæc non est denominatio pura, à connexione mediorum quæ aponuntur, sed intrinseca, licet ratione mediorum consequentem, & logicam solum connexionem habeat, ratione tamen suæ connexionis antecedentem, ac physicam habebit cum transgressione dices id quod addit cõnexio intentionis efficacis diuersum quid esse à connexione logica mediorum, scilicet connexionem ipsius intentionis cum mediis illis, quia efficax est, cogitque propterea Deum, vt media illa efficacia apponas, quod non habet voluntas inefficax. Sed contra: quia ea coactio voluntatis, vt media efficacia apponat, supponit tendendi modum voluntatis, siue intentionis efficacis in finem firmum, necessariumque respectum ad illum, ex quouis coactiua voluntatis fundatur, qui respectus ad finem prior est, quam connexio, & respectus coactionis & mediorum, quibus intentum finem Deus exequitur: quia enim firmiter voluntas adhæret fini cogit voluntatem ad media apponenda non contra solutiones alias latè persequebar controuersia de voluntate, summatimque refellam in simili certamine sequenti.

CERTAMEN II.

Neque ex intentione reparationis per merita Christi post præuisum peccatum decerni incarnatio potuit?

1 EOsdem Patronos conclusio habet eodemque argumento procedit autem de meritis omnino determinatis decretum de Christo per merita hæc determinata tempore, & indiuiduo est antecedens merita necessarioque connexum cum his, atque incompossibile cum eorum negatione: ergo tollit indifferentiam voluntatis Christi ad ea, vel eorum negationem: ergo, & ab operibus Christi libertatem, quæ in ea antecedenti indifferentia, & potentia ad vtrumlibet consistit: ergo, & tollit ab eis operibus meritum, quod nisi salua eorum libertate stare non potest. Recurrunt aliqui ad scientiam conditionatam, qua ante decretum visus est Christus liberè operaturus: sed contra: quia vel conditio sub qua visus est operaturus Christus fuit auxilium solum, vel etiam cum illo hoc antecedens decretum, si hoc secundum eodem modo visus est operaturus necessariò sub ea conditione conflata ex decreto, & auxilio, atque posita vtraque ex parte antecedentis, probabam operaturum necessariò Christum absolutè; si autè exparte scientiæ obiecti conditionatæ antecedentis decretum solum sit auxilium pro conditione operationis, tunc licet sub ea coditione liberè esset operaturus, non infertur liberè operaturus posita physica præmotione. Patet res exemplo: liberè quis iret in carcerem, si vocaretur à carcerato amico; vocatur, & simul à lictore ducitur, vt carceretur: an liberè tunc carcerem adit.

2 Recurrunt alij ad rationem principij extrinseci, quæ est in decreto, ac proinde quantumuis connexum sit cum effectu non potest lædere libertatem. Solutio tamen est contra Augustinum, Chrysostomum, Damascenum, & Anselmum strenuum humanæ libertatis vindicem, qui non ignorantes præscientiam, & prædestinationem extrinsecas voluntati humanæ esse non tamen inde eas cum nostrorum operum libertate componunt; sed quia illam non antecedunt natura, sed supponunt. Secundo: quidnam vocant extrinsecum voluntati? an entitatiuè diuersum id habet physica prædeterminatio, an non inhærens ipsi? certè inhæsio principij

cipij partialis non addit efficaciam, actiuitatem, & determinationem ad effectum, vel neceſſariam connexionem cum illo, ob quæ ſolum poteſt impediri ex parte antecedentis potentia ad negationem effectus, atque indifferentia ad vtrumlibet aboleri. Secundò: per extrinſecum non inhærens conſtituitur libertas in omnium noſtri ſententia: nempè per decretum concurrendi indifferenter ad vtrumlibet cum voluntate: ergo per decretum extrinſecum determinatum ad vnam partem abolebitur. Tertiò in nulla congerie cauſarum poteſt eſſe potentia ad coniungendum duplex contradictorium, ſiue ea ex cauſis, & principiis ſibi intrinſecis inhærentibus, ſiue non inhærentibus conflетur; atqui ſi voluntas, quia intrinſecè immediata poteſt ponere negationem operationis, cùm decretum, quia de ſe efficax, ac neceſſariò connexum cum illa neceſſariò ponat actum in hac congerie cauſarum erit potentia ad coniungendum operationem, & negationem operationis: ergo erit potentia ad coniungendum duplex contradictorium, ſi principium extrinſecum, & neceſſariò, & eſſentialiter connexum cum effectu non lædat voluntatis libertatem.

3 Hoc eodem argumento impugnantur Murciani Recentiores, qui reſpondent principia remotè ſolum influentia (cuiuſmodi decretum de quo hic agimus) quantumuis de ſe connexa cum effectu non lædere libertatem, ſeu indifferentiam voluntatis. Secundò impugnantur argumento ab Anſelmi authoritate, & reliquorum Patrum, qui ſcientes prædeſtinationem non influere proximi in noſtros actus liberos non inde illam cum eorum libertate concordant, ſed quia eis non præcedat natura; farentes, ſi præcederet, prædeſtinatio, etſi remotè influat, voluntatis indifferentiam & noſtrorum actuum libertatem peſſumiri. Tertio argumentum faciendum contra ſolutionem de principio extrinſeco poteſt hic non minori efficacia transferri. Quarto licet ad abolendam influxiuè libertatem actus requiratur præter neceſſariam connexionem principij determinati cum actu influxus immediatus principij in actum tamen ad abolendam libertatem, ſeu potentiam ad oppoſitum impediriuè, non eſt neceſſarius influxus immediatus in illum. Patet: quia impedimentum ſolum impediens non dicit influxum. Pone cum aduerſariis actum *A* prouenire à principio ſaltem inadæquatè diuerſo à principio actus *B*: atque inſuper principium actus *A* liberum, atque indifferens de ſe eſſe; principium autem actus *B* eſſe de ſe neceſſarium principium actus illius, atque quemuis ex his actibus cum altero eſſe incompoſſibilem: quare, & connexum cum negatione alterius: actus *A* negationem voco (producitur *B* à ſuo principio, tunc principium *B* non influit immediatè in *A*, & tamen eo poſito implicat eſſe *A*, ac non eſſe *B*, & *C* quæ eſt negatio actus *A*: ergo ſine influxu immediato principij impedientis in actum poteſt aboleri libertas, & indifferentia potentiæ de ſe liberæ ad illum, vel eius negationem. Caſus adeſt in infuſione gratiæ à Deo independenter ab vſu (vt fieri poteſt) noſtræ libertatis, qua tollitur libertas ad peccandum. Secundò in vnione hypoſtatica, qua tollitur antecedens potentia ad omittendum præceptum; cum tamen, neque proximè, neque remotè influat in opus diuinitus vnita, ſed ſolum orationeneceſſariæ connexionis cum altero extremo.

4 Porrò diſtinctionem hanc impedimenti impedientis influxiuè, & ſolum impeditiuè acutè attigit Anſelmus cap. 1. concordiæ vbi ait: *Non quia neceſſitas* (conſequens) *cogat, impellendo* influxiuè, *aut prohibeat* impediendo ſolum, *rem eſſe, aut non eſſe.* Denique impugnantur Recentiores, quia id quod impoſſibile eſt per aliquid natura prius nequit fieri poſſibile per id quod erit natura poſterius, niſi per hoc auferatur, vel illud prius à priori id, ratione cuius id erat impoſſibile, ſed negatio operis ſatisfactorij in Chriſto eſt impoſſibilis per decretum quod remotius principium eſt, quam principium proximum, quare & ordine naturæ prius illo: ergo nequit fieri impoſſibile per principium proxime influens in actum de ſe natura poſterius, niſi per hoc auferatur, vel decretum prius, vel ab eo connexio neceſſaria, & eſſentialis cum opere ſatisfactorio; aut meritorio Chriſti, ratione cuius ea negatio erat impoſſibilis: ergo perſeuerante decreto, quod nequit eſſe ſine ea eſſentiali connexione cum opere, nequit eſſe operis negatio poſſibilis ex natura huius decreti, quod præcedit cauſalitate ad opus illud: ac proinde cum illo non eſt impotentia proxima de ſe indifferenti poteſtas ad operis negationem, quod ſolum contendimus, quod enim eo ſublato libera maneat, nihilpræſtat Sublato enim quouis impedimento libertatis maneat libertas, quin inde probetur illud impedimentum libertatis non eſſe quin inde probatur in primis fuiſſe impedimentum, quod eius ablatione opus fuit, vt ſtaret libertas.

5 Reſpondent tamen Recentiores iidem decretum hoc pendere in ſui exiſtentia ab opere Chriſti, cum quo de ſe connectitur, ac ſine quo eſſe non poteſt: quare, & à libertate voluntatis, à qua ipſum opus pendet. Quod autem decretum natura præcedat non obeſſet voluntatis indifferentiæ, atque operis quemadmodum, neque illis obeſt præſcindentia præſcientiæ eiuſdem operis indurationæ, ſed extremum hoc, dum non magis obeſſe libertati præcedentiam naturæ cauſæ neceſſariæ, quam durationepræſcientiæ neceſſariæ eſt expreſsè contra Anſelmum, ſapitq; errorem Ariſtotelis, qui æquè ex præcedentia præſcientiæ indurationem, atque cauſæ neceſſariæ in natura futuri libertatem aboleri cenſebat. Secundò: ſolutio hæc æquè facit pro phyſica prædeterminatione, eſtque ſolutio quarta Abeldæ pro illa. Ea quippè ſi non ſtrictius, immediatus tamen cum actu noſtræ voluntatis eſſentia ſua connectitur: nequitque eſſe ſine illo, quo fortius, ſtrictiuſque, ac determinatius principium noſtri actus ponatur ex parte actus primi, ſeu cauſæ, melius in hac doctrina eius libertati conſuletur. Siquidem magis, ſtrictiuſque cum actu connecteturab illo, vt iſti cenſent in ſui exiſtentia pendebit, atque à libertate voluntatis. Quid ergo ad libertatem actus tuendam principia neceſſaria abolenda curamus, Sed negetur à principio ſdeterminato, & neceſſario connexo cum actu, & effectu aboleri actus libertatem, contra Patres, Theologos omnes, atque contra libertatis eſſentiam; denique non quæuis connexio infert dependentiam: atque inter cauſam neceſſariam, & effectum, dabitur dependentia realis, & vera viciſſim, quod æquè repugnat, atque mutua cauſalitas. Dependentia ergo non dicit ſolam connexionem cum alio; Sed connexionem cum alio quod afferat; detque eſſe termino connexo, non autem cum alio à quo eſſe recipitur.

CERTAMEN III.

Veroſimiliores ſolutiones præcluſæ.

1 MElius reſponderi poſſet, atque probari dependétia hæc decreti incarnationis ob repationem per hęc Chriſti merita hoc tempore obtinendā à Chriſti operibus liberis, ac proinde eo decreto non tolli ab operibus Chriſti libertatem, quia intentio illa efficax, & decretum regulata ſunt per ſcientiam mediam eorumdem operum Chriſti, quare & ea ſublata decretum, & intentio efficax reparationis per hæc merita Chriſti tollerentur; aſt ſcientiam mediam auferri pendet ab vſu abſoluto voluntatis, & libertatis in eis operibus eliciendis: ſtatum quippè conditionatus pendet ab abſoluto: Si enim purificara conditione opus abſolutè non eſt, numquam verum fuit, quod, ſi poneretur foret atque ideo ſcientia conditionata, licet ſtatum abſolutum, & purificationem conditionis, ſeu decretum collatiuum auxilij natura præcedat, non impedit abſolutum

lutum vſum libertatis: quia ab eo auferri obiectū ſcientiæ conditionatæ: quare, & ſcientia abſolutè antecedenter poteſt. Vnde, & intentionem illam efficacem reparationis per Chriſti merita, ex qua decerneretur incarnatio, quæ à ſcientia conditionata pender, poſſet abſolutè antecedenter libertatis vſus auferre: quare neque intentione illa impediretur, licet ex parte antecedentis præcedat. Hæc tamen ſpecioſius aliis excogitatis dicuntur, ſed non verius: licet enim decretum, intentioque hæc per ſcientiam mediam regulata ſint, non tamen, ita eſſentialiter ſunt ſcientiæ mediæ connexa, vt ea ſublata intentio, & decretum auferantur: actus quippè voluntatis non variatur ſcientia variata, & in actu charitatis regulato per ſcientiam abſtractiuam in via patet, qui hac pereunte in patria, ſuccedente viſione idemmet perſeuerat.

2 Secundo falsò ſupponitur non ſecuto opere abſolutè in caſu noſtro obiectum ſcientiæ conditionatæ præcedentis, ac proinde ſcientiam mediam auferendā: quare licet ex huius exiſtentia, intentio, & decretū penderent, non tamen non ſecutis Chriſti operibus deficerent. Aſſumptum probo: nam obiectum ſcientiæ conditionatæ, quæ præceſſit decretum, fuit opus liberum Chriſti futurum, ſi detur ſola cogitatio, & auxilium efficax voluntati Chriſti: atqui, etſi opus non ſit opus liberum poſito decreto ſimul cum auxilio, non deſtruetur, obiectum ſcientiæ illius conditionatæ: quia, etſi ſub decreto, & auxilio non ſit liberè futurum per ſcientiam illam conditionatam viſum eſt: ergo nec deſtruetur ſublata libertate operis per decretum eſſentialiter regulatum per ſcientiam conditionatam ſcientiæ huius obiectum: quare neque ſcientia ipſa, neque decretum ipſa regulatum deficeret, ſiue non fuiſſet, ex eo, quod opus liberum in caſu præſenti non foret. Scientia autem conditionata operis liberi ſub conditione, non ſolum auxilij, ſed & decreti intentionis non potuit regulari decretum ipſum, tum, quia conſcientiam conditionatam ad ſeipſam ex parte obiecti ſupponi oporteret, vel in ſcientiis conditionatis daretur in infinitum regreſſus, tum quia decretum hoc in ſtatu conditionato, non minus obeſſet libertati operis in eo ſtatu, quam poſitum abſolutæ operis libertati officeret. Sed dices: ſaltem non fuiſſet intentio illa efficax reparationis per hæc merita Chriſti, niſi fuiſſet ſcientia conditionata, quæ abſolutè pendet ab vſu aliquo libertatis, ſed quid inde? ſi non hoc ab vſu pendet; an quia ab alio vſu libertatis conditionatè præuiſa ſcientia illa purificata conditione penderet, ſeruareturque proinde vna libertas, ſeruari etiam dicenda eſt, cum ea ſcientia conditionata poſita daretur phyſica prædeterminatio, & certè hæc ſolutio in primam recedit, quam impugnaui cert. 2. n. 1.

3 Denique reſponderi poſſet, non omnem connexionem etiam neceſſariam naturæ ex parte principij ſuppoſitam ad actus noſtræ voluntatis illorum libertatem abolere quare ex neceſſaria connexione intentionis efficacis reparandi homines per hæc merita Chriſti determinata, & decreti incarnationis ex eo fine ſic intento non bene inferri ab operibus hiſce Chriſti libertatem aboleri. aſſumptum videtur negotio facili ſuaderi. Nam ſcientia media, ex qua auxilium congruum datur, bene operaturis de facto eorum bona opera natura antecedit; quandoquidem auxilia ipſa, decretumq; eorum collatiuum anteuertit, Dei voluntatem, vt cordate auxilia conferat deducens, atque ex alia parte connexa eſſentialiter eſt cum conſenſu ita vt ea, & auxilio poſito conſenſum abſolutum non eſſe repugnet; ergo non omnis connexio eſſentialis eorum quæ natura præcedunt, opus liberum eius abolet libertatem. Hoc argumento in quod Theologiæ auditor recens incidi amplius triginta retro annis, male Vaſquianos aliquos Magiſtros meos vexabam, dum pro Soariſticis prædefinitionibus ſtarem; neqùe leue adeò viſum eſt noſtris comprouincianis præfinitionibus, vt ei vni tot ſuarum præfinitionum machinas ſuſtentandas non imponant.

4 Non magno poſt tempore Herice ad nos cuſſus venit, qui, & difficultatem tetigit: reſpondiq; ſcientiam conditionatam præſupponi natura ad conſenſum non ex huius exigentia, ſiquidem collato auxilio congruo, ac non ex ſcientia cōditionata conſenſus hic eod. modo foret, ſed ex perfectione operantis Dei, vt cordatè: ac non cæco modo de mediis ad finem intentum accommodis prouideret. Sed nil hic ſolutionis inuenio: quod enim ad conſenſum neceſſaria ſcientiæ conditionatæ præcedentia non ſit, ſi tamen de facto præcedit, eſtque eſſentialiter connexa cum conſenſu abſoluto, de facto impediet libertatem, vt argu. contendit. Eſſe. n. princip. requiſitum ad effectum eſſentialiter non affert impedimentum libertatis, (vt patet in axilio ſolo quod eſſentialiter requiſitum eſt ad conſenſum, cuius libertatem ſeruat illæſam) ſed determinatio princip. ad conſenſum, neceſſariaq; cum eo connexio, quā habere poteſt, quod vltra conſenſus indigentiā de facto ad illud ex p. princ. aduocatur. Inde Herice ipſe, atque ex noſtris omnes docent adhibita ex parte principij phyſica præmotione, quæ per nos neceſſaria ad conſenſum non eſt, libertaté conſenſus euertendam. Atque in noſtra, ſi ea doctrina vera eſſet, præfinitiones, quæ ad conſenſum, neq; ex parte illius, neque ex parte Dei requiruntur libertatem ſeruarent contra Herice doctrinam, d. 7. de prædeſt. c. 5. n. 28. d. 19. c. 2. d. 23. c. 9. denique cum nihil Deus niſi cordate prouidere poſſit, conſenſuſque liber à Dei prouidentia per ſe dependeat, neſcio quo pacto ſcientia conditionata quæ ad cordatam Dei erga conſenſum prouidentiam neceſſaria eſt, ad conſenſum, licet mediatius, neceſſaria non ſit.

5 Alij quos ſtomachatur Herice aptius me iudice, ſi ſatis rem explicarent, reſpondent connexionem illam, licet rei antecedentis ſit, non eſſe phyſicam, & naturā antecedentem, ſed logicam, ſc. illatiuam logicè, & arguitiuè, non phyſicè, & cauſatiuè, quia connexio ſcientiæ conditionatæ, nulla cum ſuo adhuc obiecto creato eſt, à quo nullatenus ſpecificatur, ſolum eſt cum obiecto, quod repræſentat; ſcilicet futuro ſub conditione, neque ex poſitione auxilij, ſub quo fore conditionatè viſum eſt, cum futuro abſoluto, connectitur; neque enim illa etiam quoad ipſius repræſentationem, ſed ſola exobiecti poſitione completur. Sed admiſſa ſcientiæ diuinæ cum ſuo obiecto creato connexione ſcientiæ conditionatæ connexio eadem ſcientia futurum abſolutè repræſentat in illo priori, quare neque cum illo connexa de ſe eſt, neq; ratione auxilij quod ei non addit repræſentationem, Logicè autem, ſiue arguitiuè connexa eſt cum conſenſu abſoluto, quatenus poſita conditione, id, quod ſub ea viſum ſub conditione futurum eſt, nequit non eſſe abſolutè. Id quod ex futuritione ipſa conditionata, & purificatio conditionis inferretur licet ex parte antecedentis nat. & ſylogiſmi ſcientia conditionata non adhiberetur; Quare neganda eſt phyſica ſcientiæ conditionatæ connexio cum futuro abſoluto, quod natura antecedit, ſolumque logica mediata, & extrinſeca concedenda eſt, quatenus futuritio conditionata, cum qua connectitur, tanquam cum obiecto, logicè connectitur cum futuro abſoluto poſita conditione. Id quod aliter ineficaci intentione operis alias liberi contingit: cū ex prædicato efficaciæ connexa de ſe ſit cum opere illo. 2. Reſp. poteſt ex dictis n. 2. ſcientiam conditionatam in ſui exiſtentia pendere ab obiecto conditionato, quo ſublato, & ipſa auferretur, auferri vero poteſt obiectum conditionatum antecedenter libertate abſoluta: niſi. n. poſita conditione libere ponatur conſenſus abſolutè non eſſet conſenſus ſub conditione, quod ea conditio poneretur: quare neque eſſet ſcientia conditionata in Deo de conſenſu illo, nihil autem cuius exiſtentia à cōſenſu abſolutò libero dependeat, quantumuis connexum cum illo ſit poteſt illius officere libertatiſquod ſecus in efficaci intentione euenire eo n. vidimus.

6 Reſtabat de decret. incarn. ex effic. intent. reparandi hominem per merita Chriſti indeterminata, hæc nimirū, vel illa, vel per determinata, hoc tamen vel illo tempore indeterminato exhibenda diſputare, licet hic ab Scholaſticis reliquis omittatur; Id tamen cum eadem ſit difficultas in componenda libertate

operis indeterminati præcepti, vel determinati pro tempore indeterminato cum Christi antecedenti impeccabilitate, nec simul cunctis libertatis discursib. distentis auditorũ mentes discruciem,neq;aliquid repetã eo me expectari à vobis volui,vnde huc quę dixerimus, accommodanda facilè possitis traducere.

CERTAMEN IV.

De intentione efficaci conditionata conclusiones reliquæ.

1 VAriè apponi conditio potest,vt antecedenter ad merita absolutè præuisa decernatur hominis reparatio per merita Christi determinata, atque ex ea intentione decernatur incarnatio.Potest enim conditio esse merita Christi ipsa, Deo sic intendente, atque statuente: volo efficaciter reparationem hominis à peccato, in quod incurrit per merita Christi, si eiusmodi merita extiterint,& tunc quidem dicendum est potuisse ita intendi,atque ex ea intentione incarnationem decerni, quoad reparationem à peccato originali,quæ sine reparandi meritis,& libertate peragitur. Patet:quia tunc efficacia intentionis nihil agit, cogitvè Deum, vt merita apponat necessariò, solum, vt si hæc à Christo apposita fuerint Deus gratiam infundat, qua originalis macula eluatur: Licet autem infusio hæc gratiæ necessario, & infallibiliter futura sit,ex vi efficacis illius intentionis,semel positis meritis Christi, cum ad eam infundendam hominis merita,& libertas expectanda non sint,vt patet in gratia infusa infantibus,vt in baptismate, nullius interuentura de facto libertas in necessaria illa gratiæ infusione proteritur: quare ex sic intenta efficaciter hominis reparatione ab originali,nulla est repugnantia cum mediorum libertate:cum immeritis Christi planè seruetur, atque in homine reparando libertas nulla intercessura sit,quæ debeat seruari.

2 Dico secundo ex fine reparandi homines ab actualibus sub conditione meritorum Christi efficaciter intento non potuit Christi incarnatio decerni.Conclusio hæc eadem ferè est cum ea, quam contra de prædest. statuebamus,nempè homines non fuisse electos ad gloriam, vt de facto ea donanda est, imò neque eligi potuisse efficaciter ante eorum præuisa merita:quia, licet efficax illa electio libertati meritorum Christi,quæ supponit,in quibusque fundatur minimè officiat, obest tamen electorum hominum meritis, sine quibus, danda eis gloria è Dei statuto non est. Verum enim,& inconcussum catholicum illud proloquium perstare debet. *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te:* quod autem libertas, ac proinde merita electorum stare cum ea efficaci electione ad gloriam, ante eorum merita præuisa non possit argumento facto certam. 2. init. ac contra solutiones omnes obfirmato toto illo, ac sequenti cert. probatum loco illo fuit. Illud autem sic ad rem hanc accommoda. Nam decretum efficax conditionatum posita conditione adeo efficaciter fertur in efficatum intentum,tamq; essentiali, ac necessaria connexione cum illo connectitur, atque absolutè efficax fertur in finem suum, connectiturque cum ipso;vt idcircò vulgò dicatur decretum conditionatum purificata conditione in absolutum transire: cum autem ab actualibus peccatis reparatio non nisi libera eorum retractatione, per attritionem in Sacramento,atque per contritionem extra illud obtinenda sit decretum illud efficax conditionatum, quod illam non patitur cum reparatione per actum liberum peccatoris aperte pugnabit, eritque eum ea incompossibilis.

3 Dico tertio: si conditio voluntatis efficacis reparandi hominem, per merita Christi non sint ipsa merita,atque insuper merita ex ea efficaci intentione apponantur,quia nondum visis meritis,visa conditio purificata fuit,non poterit finis obtineri,atq; proinde efficax illa voluntas,& intentio est impossibilis. Probatur:quia antecedenter ad merita purificata fuit conditio, atque voluntas iam efficacia absoluta fertur in reparationem per merita,atque immerita ipsa sine quibus, nequit homo reparari per illa: ac proinde à meritis sine quibus Christi meritum,& libertatem prorsus aufert, vnde pugnat cum fine assequendo.Dices:ponatur pro conditione negatio actus contrariij operis meritorij Christi,v.g. negatio odij peccatorum, quod contrarium est amori peccatorum,hoc pacto:volo efficaciter reparare hominem per amorem Christi huius instantis, si in eo non oderit peccatores:potest esse in amore libertas. Nam, licet odij negatione posita ex libertate contradictionis ad eam negationem,vel odium amor necessario,ac non liberè ex voluntate illa efficaci futurus sit,ast potest poni ex libertate contrarietatis ad odium, & amorem; tuncque cum non ante amorem ponatur negatio odij, sed potius post illud efficacia decreti,eiusque necessitas à libertate contrarietatis præuenitur exercita in amoris productione,à quo causatur negatio odij.Sed hæc contra conclusionem non sunt; quia meritum, seu amor præuidetur, & ponitur ante condictionem, quæ erat negatio odij cum amore incompossibilis.

4 Dico quarto: si antea quam conditio purificata videatur,opera Christi fuerint,vt possunt exercita, non tolleret eorum libertas, nec meritum, poteritque finis reparandi hominem per merita Christi obtineri:quare absolutè intentio efficax ante præuisa merita Christi sub alia quapiam conditione,& decretum incarnationis sub illa intentione minimè repugnant. Prima conclusionis pars,ex qua secunda facilis,pronaque est, facile suadetur:quia ante viam positamque conditionem voluntas efficax conditionata efficaciam absolutè non habet,neque connexionem cum fine,& intermediis necessariam; Ergo opera Christi exercita ante purificatam conditionem possunt libera esse. Exemplum sit casus obiectionis proximè contra tertiam conclusionem ex efficaci intentione reparandi per amorem Christi homines,sub conditione negationis odij instruat Deus in voluntate Christi libertatem contrarietatis ad odium,vel amorem peccatorum, vt potest, tunc amet peccatores Christus, atque ex hoc amore sit negatio odij in voluntate Christi:cùm hæc negatio odij,quæ erat conditio pro posteriori ex naturali contrarietate, & incompossibilitate odij cum amore ponitur, exercitium libertatis præcesserat antequam purificaretur conditio, haberet intentio illa efficaciam, & necessariam connexionem cum fine,& intermediis absque præiudicio libertatis meritorum Christi,vt patet.

5 Dices:quæuis conditio,siue natura sua,siue ex arbitrio illam apponentis natura præcedit, ad id,quod apponitur:non enim nisi negatoriè dici, intendivè potest existentia Petri sub conditione,quod sedeat,vel si sedeat,quia nullatenus sessio Petri illius existentiam potest antecedere: ergo conditio sub qua efficaciter intenta est reparatio hominis per merita Christi necessario debet antecedere merita Christi. Nego consequia negatio odij v g. non fuit conditio apposita ad merita Christi,sed ad reparationem per illam, ad quam si ex ea intentione exequi Deus velit (non enim debet teneturvè, nisi apposita conditione:) fortasse conditio debet præcedere:quia si reparatio præcedat, purificata conditione,nõ vi illius intentionis efficacis conditionatæ effecta est; sed aliunde, vel saltem non vi illius,non autem ad media, vel inter media præcedere vsquam debet: cum autem merita Christi non sit reparatio ob merita, quæ est illius efficacis intentionis finis liberè adeò ante conditionem apponi possunt, eaque opposita postmodum æquè commodè ob illa reparatio fieri,ac si post conditionis appositionem merita succederent, vt patet:insuper negatio odij amor, re ipsa non est, potestque ex libertate contradictionis apponi, atque naturæ priori ad amorem præcedere:quod satis est,vt sub eius conditione,amor adhuc ipse,ac per illum reparatio hominum efficaciter adeo intendatur.

QVÆ

QVÆSTIO IV.

Adamo, vel quouis alio homine non peccante, an Christus ex vi præsentis decreti veniret.

DIXI *ex vi præsentis decreti:* an enim ex vi decreti alterius,Adami, vel aliorum peccatis deficientibus venturus esset,vanæ diuinationis non disputationis cordatæ materia est: *Ecquis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliatus eius fuit.*

CERTAMEN I.

Adamo non peccante Christus non veniret?

1 SCotus in 3.d.1.q.3. docuit deficiente Adæ peccato Christum absolutè secundum subsistantiam venturum, licet non compassibilitate, quæ non nisi post illud decreta est:consentit Marsil.in 2.d.20.q.3.art.1. dub. 4.Gabriel q.vnic.art. 1. Maior.art. vlt. post qu. princip. Molina d.vlt. de opere sex dierum. Sed tamen conclusionem nostram posuere S.Thom.3.p.q.1.art. 2.cum Caiet. & assectis ibidem Gabr.art.3.d. 1.Capreol.in 3. d.1. q.vnic.art.1.concl. 1.Carthus.cum Petro Tarantasia ibi q.2. licet pro oppositа referatur,d.20.q.4.vers. fin. Ferrara 4. contra Gent. c. 55. §. *circa prædicta aliud dubium.* Marsil. meliora sapiens in 3.q.1.art.3. cum Bonau. d. 1. art.2.q.2. Richard.art.1.q.2.Gabr.d.2.q.vnic.art. 3. dub. 3.Abul.in q.44.in 4.Matth.Ioan.Arboræus 3.Theosophię 3.c.8.Vasq.d.10.à cap.4.Card.Delug.d.7.sect.1.à num.2. Vvadingo d.3.dub.3.n.23.Bernal.d.17.sect.1 nu. 21. quibus adde Soar. disp. 5. sect. 5. quem plures sequuntur Salazar de conceptione,c.24.§.3. & Complutenses Recentiores,qui licet Christum ante præuisum peccatum Adæ decretum defendant, tamen ita decreta incarnationis,quisque suo modo disponant, vt pro posteriori non potuerit non esse peccatum, cum quibus d.seq.singulatim de hoc postremo disputandum, ex instituto nobis erit: atque examinandum, an cum primo cohæreat. His igitur omnibus in præfixa conclusione assentimus. Licet eam non inde, vnde ex eis non pauci probemus; quia nimirum cum ex fine reparationis à peccato, eiusque intentione decretus fuerit Christus, quæ sine peccato esse non potest necessariò ad eius aduentum, suppositum fuisse peccatum,ne illud amare teneretur Deus, ac proinde deficiente peccato defecturum decretum, atque Christum proinde ex vi illius minimè venire potuisse. Sed huius argumenti infirmitatem ostendimus, q.1. cert. 3. etsi ex inefficaci intentione, nedum inefficaci, ex qua decretus Christus est, reparationis à peccato veniisset.

2 Probatur ex Matth. 18. & Luc. 15.vbi ex parabola pastoris, & ouis, quæ è grege secesserat concludit. *venit ergo filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat:* ante eius scilicet aduentum,1. ad Thimot. 5. *venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Math.9.& Luc. 5.*Non veni vocare iustos,sed peccatores.*Non autem veniisset vocare, saluosque facere peccatores potius, quam non peccatores,nisi absolutè peccatores essent,cum aduenit sed veniisse vocare peccatores conditionatè, si fuissent. sed duo etiam testimonia postrema capiunt ex primo, atque ex concordi Patrum in hac re sensu.Aug. serm.8. de verbis Apostoli. *Si homo non periisset filius hominis non veniisset,* serm. 9. *Nulla causa veniendi fuit nisi peccatores saluos faceret:tolle morbos,tolle vulnera,& nulla causa est?* Causa autem finalis sublatis ab statu absoluto peccatis, ac solum in statu possibilitatis à quo auferri non possunt, persistentibus esse posset;quare cum statum absolutum peccatorum,vt causa aduẽtus Christi sint Aug exposcit causæ nomine occasionem ante aduentum præuisam designat M.Greg.in 1.d.4.Lug.c.1.*iuxta omnia opera, quæ fecerunt,* sic habet;*si ergo pro peccatoribus venit,si peccata dẽ-*

essent,eum venire non oportuerat. Irenæ.14.aduersus hæres. *si non haberet caro saluari nequaquam verbum Dei caro factum esset.* Possibiliter autem,ac conditionatè loquendo non magis deessent peccata,quam non deessent, nec magis haberet caro saluari,quam non haberet,cum vtrumque & non possibile sit,& sub diuersis conditionibus futurum: quare de absoluta peccati præexistentia, ex qua absolutè saluatione homini opus esset, loquuntur.

3 Cyrill.Alex.dialog.5.de Trinit.ante medium, *Sciat, quod humanitatis crimina illi* (humanitatis Christi) *diuinitatis gloriæ occasio fuerint:nam si non peccassemus neque factus esset nobis similis,neque sustinuisset* 2.in Ioan.c.3. *quoniam priprimus Adam, non bonum,vt deleuit, sed malum vt diximus elegit,atque ideo morti addictus Spiritum amisserat de cœlo secundum Adam misericordia misit.* Idem docet 8. contra Iul. Athan.serm.3.contra Arrian. *Necessitas indigentiaque hominum anterior est,qua sublata carnem non induisset.*Damasc.4. de fid.c.4.*quoniam autem imaginis diuinæ notas per mandati transgressionem obscurabimus atque deleuimus,idcirco eius, quod deterius est,hoc est naturæ nostræ particeps ipse efficitur.* Hier. in 2.Eccles. *quia homo infixus in limo peccati indiguit maiori auxilio,idcirco venit ipsa sapientia.* adde Chrysost. hom. 2. & 3.in Math.serm.3.in Luc.hom.9.in psal.1.Theod.epit. diuin.decret.de incarn.Cyril.Hierosol.de cathec.epiph. 1.contr.hæres.Niss.de sacr.bapt.init. serm.de Christi nat. Theophilact.in id Ioan.3.*sic Deus dilexit mundum.* quibus omnibus Ecclesiæ ad B. Virginem hymnus accinit.

Peccatores non abhorres
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna Filio.

Quibus plura referunt citati pro nobis DD. neque alia huc spectantia etiam dedimus q.1.cert.2.n.5.

4 Respondent Scotistæ solum negari à Patrib.Christi aduentum in carne passibili peccato deficiente,non autem eius aduentum absolutè licet id videatur sonare. Plura enim in scripturis absolutè etiam prolata,sub aliqua circunstantia intelligi debent.sic Ioan. 7. fratribus dixit:*Non ascendo ad Diem festum istũ.*absolutè; & tamen subintelligi debet palam,vobiscum: nã absolutè quidã ad festum illud ascendit,& Math.15.Chananeę dixit absolute;*non sum missus nisi ad oues,quæ perierunt,domus Israël.* primo sc.loco conuertendas:nã ad omnium etiã hominum salutem fuit missus.Sed tamẽ cum Patres venturũ nõ esse absolutè dicant peccato deficiẽte,motiumque aduentus absoluti occasionale peccati præcedentiã assignat quibus modis omnis adueniędi negatur: & tota occasio aduentus designatur: qui absolutè quouisque modo venturum Christum aiunt;& si peccatũ deficeret aperte Patribus,imo,& primo scripturæ testimonio aduersantur.Instantiæ ad rem non sunt. Nã primo eis locis sensus ex facto,aliisque scripturæ verbis limitandus esset,atque ex illis sensus; in quo Christus loquebatur eruẽdus Ast absoluta scripturæ,& Patrum in re præsenti locutio,& intelligentia;cũ neque ex facto, locovẽ alio scripturæ,aut Patrum limitanda sit, in sensu absoluto est capienda iuxta bonas interpretandi regulas.

5 Ad hæc primo loco Ioan. 7. Vaticanus, Nonnus, Chrysost.& Euthymius legunt.*Non ascendo nunc,*vel *nondum ascendo.* Eucherius. *Non ascendo ad diem festum hunc.* quare ad eundem hunc festum diem se ascensurum negauit,non autem absolutè ad festum illud, ad quod secundo die ipsius, quod à vesperis diei primi Hebræus inchoabat ascendit, & ibidem Ioannes obseruat illis verbis:*Iam autem die festo mediante ascendit Iesus.* Secundo cum discipuli,vt se suaq;in publicum daret,palamq;ascenderet precarentur eod. sensu, quo precabantur negatum ab ipso intelligere pronum est,sicut, & legimus impletum:cum non palã,sed quasi in occulto ascenderit.locus Matth.non de suo aduentu absolutè, sed præsentiam;prædicationẽ,& miracula exhibendo, vt doctè Mald.suadet Cananeæ cui respondet,desiderium,& petitio,quæ desideret ad ea vero Iudæis solum per seipsũ exhibenda venisse factum probat,Tyrum enim & Sydonem adiisse dubitat merito Mald.non autem adiisse, vt prædicaret miraculaq;ederet,sed vt lateret dub.non est Porrò argumentum aliud contra Scotistas, vulgò ex Vasquez, capite 9. petitum quod in existentia nequeat

abstrahere à passibilitate, & impassibilitate Christus: quare ex vi decreti independentis ab existentia peccati veniret impassibilis, existenteque peccato, vt pro posteriori naturæ extitit, non posset venire seu primo existere passibilis, vt de fide exstitit, nil præstat. Nam, licet in nullo instanti temporis abstrahere possit à duplici extremo contradictionis; ast in priori naturæ abstrahit: ac proinde decretum prius terminatum ad subsistentiam Christi pro primo instanti seu esse non debuit ad qualitates ipsius terminari; sed secundum decretum, quod pro posteriori naturæ de eius qualitatibus ageret.

6 Ex eisdem Patrum testimoniis aliorum solutiones præcluduntur. Prima ex distinctione sueristica ordinis intentionis, & executionis præfinitionum, quam controuersia de volunt. satis disturbauimus. Sed hic sane, licet admittatur solutionem non dabit. vel enim vi prioris decreti ordine intentionis, quod ante præuisum peccatum ponunt, veniret Christus de facto, vel expectandum est secundum decretum ordinis executionis, post præuisú peccatum vt absolute veniat: si secundum; habemus intentum: si primum absolute deficiente peccato Christus ex vi præsentis decreti veniret, contra scripturam, & Patres absolutè contradictorium docentes. Præterea, vt ex dictis cõstat: si decretũ illud ordinis intentionis, ponatur ex fine reparandi Adamum à peccato, efficaciter intentõ tolletur Adami libertas, & peccatum si autem ex alio fine, iam reparatio hominis non erit finis totalis incarnationis. Quæ impugnatio aliam R. Complut. solutionem, & doctrinam impugn. Nempe Christi existentiã duplici totali decreto statutam fuisse, quorũ alterum totalé finé alium quam hominis salutem habuerit, atque ex peccato sumpserit occasionem. Sed alius finis, quam reparationis humanæ contra Patres recitatos q. 1 est cert. 2 à n. 4. secundò impugnatur simul, semelque vtrumque. Nã, si decretum alterũ ex alio fine totali, totaleque est, vt asseris, neque ex peccato solicitatũ, deficiẽte peccato, & decreto alio Christus veniret ex vi præsentis decreti, & sanè, nisi decretũ, & Christi aduentũ occasione peccati, & ob hominis salutem tanquam ob finem totalem; qui totalé alium finem excluderet, recognoscerent, nequaquã deficiente peccato Christum venturum absolutè negarent. Aliæ Soarij, & R. doctrinæ, ex quibus solutiones aliæ possent adduci, non tã huic nostræ conclusioni repugnant, quam defendunt, & cum alia sua de ordine decretorum conciliant: quo autem fructu videbimus. d. sequenti.

CERTAMEN II.

Deficientibus aliquorum originalibus Christus non veniret,

1 COnclusionẽ tradunt. S. Th. citato loco Vasq. d. 93. à n. 13. Soar. d. 5. sect. 6. Salazar de conceptione c. 24. §. 6. Lup. d. 7. sect. 5. n. 51. Bernal. d. 17. sect. 1. qui tamen de omnibus originalibus loquuntur: & eorũ aliqui docent præuisum non fuisse originale contractũ in posteris sed contrahendum, vt loquitur Vasq. d 13. c. 2. quod non est ita intelligendũ vt absolute contrahendũ fuerit præuisum ad decretum de Christi existentia, sed imminens tum quia idem est in re hac præuideri absolutè contractum, atque absolutè contrahendum: tum quia ratio istorum doctorum æque de contrahendo, atque de contracto probat. Aiunt enim: præuisa non fuisse contracta omnium hominum originalia, vt detur locus præseruationi B. Virginis ab originali eæ meritis Christi, quod æquè de contrahendo de futuro, ac de contracto de præterito probat, si quid probat; sed certè nil probat, vti ex dicendis d. seq. qu. vnic. constabit. Probat concl. Bernal. sect. 3. n. 28. quia alias causa aduentus Christi nõ esset communis, & salutis omnium. Sed tamen etsi originalia omnium non expectarentur, vt decerneretur incarnatio ex fine reparationis omnium ab originalibus inefficaciter intento, ac proinde nondum præuiso, neq; in vllo signo futuro Christus decerni potuit, ac proinde aduentus Christi salus omnium, & communis causa esse posset.

2 Probat secundo ratione alia Salazar n. 101. præuisa fuisse originalia omnia ante Christi existentiam contracta alioquin, si ante præuisum Christum originalia imminebant, ac post præuisum fuere contracta in conspectu Antidoti venenum serpere, Antidota Christo nempè, ac medico inglorium est. Nam posterius decretum, saltem permissiuum, originalis viso Christo habendum à Deo foret, & contraheretur. Sed ratio hæc vanæ incumbit pietati; tum quia viso Christo permitti pro posteriori naturæ adeò plura peccata actualia certissimum est: cum auxilia sufficientia, etiam omnia ex meritis Christi sint: tum quia posito Adæ peccato, post quod absolutè præuisum decretus Christus fuit sólà naturali propagatione, ex illo opus est, vt in reliquis peccatum contrahatur, non autem vt peccatum ipsum originale, vel ametur, vel aliter permittatur. Sed instat Salazar non peccaturos nos in Adam, si ex posteriori decreto, ac non ex pacto præcisè pro nobis inito cum Adamo, originariè peccaremus, illud præcisè non capio; vel enim excludit originem ex Adamo vt originarie peccemus, & hoc est contra ipsum pactum quod fuit pro Adami posteris. Si autem non excludit decretum concurrendi ad generationem posterorum, quod solum necessarium est, vt posteri Adami sint, atque ex illo propagati originale contrahant iuxta pactum est, & sine quo originale non contraheretur: hoc autem solum in Deo admittitur, vt imminens originale ante Christũ præuisum contrahatur: ergo ex pacto tunc peccarent originaliter posteri, atque in Adamo peccasse dicerentur.

3 Nostra ergo de aliquorum originalibus conclusio, scilicet non existentibus Christum absolutè venturum non fuisse. Probatur: quia aliquorum originalium præuisio Christi existentiam deque illa decretum antecessit: ergo eis deficientibus deficeret decretum, ac proinde exui præsentis decreti Christus non veniret. Antecedens probatur ex S. Thom. citato art. 4. docente: veniſſe Christum, *propter peccatum originale, quod traductum est originaliter in posteros*, iam traductum in posteros de plurali. Athanas. serm. 3. contra Arrian. col. 212. edit. Parisiens. *vt cognoscas nostram culpam illi dedisse occasionem, vt descenderet, nostramque præuaricationem verbi Dei humanitatem elicuisse.* col. 312. *Necessitas indigentiaque hominum anterior fuit quam illius nativitas.* Occasio autem absolutè data, atque necessitas absolutè, non nisi ex peccatis absolutè existentibus, sicque visis est. Cum autem ex culpa nostra; atque hominum indigentia plurium sit hominum, neque plurium culpa actualis esse potuerit, vt ex dicendis constabit reliquum est, vt plurium, & nostra communis scilicet nobis originalis culpa fuerit absolutè præsuppositа, ac præuisa ante aduentum Christi.

4 Huc etiam faciunt illa Damasc. 4. de fide c. 4. *Quoniam autem imaginis diuinæ notas obscurauimus, atque deleuimus, idcirco naturæ nostræ particeps ipse efficitur.* Atque illud Cyril. 5. Thesaur. cap. 8. *Sciebat enim mortales nos futuros propter peccatum: ac ideo ex misericordia sua ante secula constituit, vt verbum suum homo, & initium viarum, & fundamentum fieret, renouaretque hominem in se ipso factus primogenitus in multis fratribus.* Ecce peccatum ob quod nos, plures scilicet homines, mortales absolutè futuri eramus, vetustatemque induerамus; à qua nos renouaret, factus in multis fratribus primogenitus antecedentiam absolutam: eadem ferè sentiant in aliis testimoniis datis cert. 1. n. 2. & 3. è quibus illud Aug. *tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est veniendi.* & Gregor. *si peccata deessent eum venire non oportebat.* Memoria in primis recolere oportet: neque illud. *Non veni vocare iustos sed peccatores;* memoria excidat: sicut & illud: *Peccatores non abhorres, &c.* quo Ecclesia Mariam alloquitur: è quibus plures peccatores absolutè tales Christo ex ipsa futuro antecessisse constat. Id autem cum de peccatis actualibus pluribus intelligi nequeat, vt statim patebit, de originalibus intelligendum est.

CERTA

CERTAMEN III.

De reliquis originalibus, atque actualibus statuitur; an deficientibus veniret Christus.

1 CVm originale peccatum in nullo contrahatur homine antequam ex Adamo per generationem propagaretur de facto, certum est non omnium hominum originalia peccata fuisse ante Christi decretum præuisa absolutè: ac proinde, neque eodem discursu, & fundamento, quo de aliquibus originalibus statutum est, Christum ex vi præsentis decreti non venturum, si illa deficerent, de reliquis, ac de omnibus statui posse, quod autem certum sit originalia plura absolutè contracta ante decretum de existentia Christi præuideri minime potuisse facile suadetur: Nam, vt de facto absolutè contrahatur, opus est, vt de facto per generationem, quæ fuit, ex Adamo procrenetur: atqui generatio plurium hominum, quæ fuit, nequiuit absolutè decretum de Christi existentia anteire: ergo neque originalia eorum, quæ in illa generatione fundantur, eamque supponunt potuerunt decretum illud de existentia Christi anteire. Minor suadetur: Nam plurium hominum generatio, quæ fuit, precibus honestis, Deoque gratis parentum obtenta est: vt patet in Baptista, Samuele, Isaac, ex veteri testamento; atque in nouo plures filios parentum impetratos orationibus, ex legitimis historicis compertum est: atqui honestæ illæ Deo gratæ preces, Christi existentiam, & de illa decretum absolutè præsupponebant: ergo vtrumque à fortiori generatio illorum filiorum, quæ precibus parentum posterior fuit, absolutè suppositi: quare decreto de existentia absoluta Christi, nequiuit generatio, & originale illorum filiorum, quod in illo fundatur, absolutè præire. Consequentia tota euidens est, & maior certa. Minor autem probatur quia preces sanctæ, Deoque gratæ non potuerunt non esse ex meritis Christi: atqui hæc merita Christi existentiam supponunt absolutam, ac proinde decretum illud: ergo & preces illæ vtrumque supponunt. Minor hæc eam habet certitudinem, qua ostendemus controu. de meritis Christi in illo non fuisse neque esse absolutè posse merita in spe, quæ vocantur per modum preti, & solutionis, sed solum merita remuneranda, quæ necessario, & essentialiter Christi existentiam supponunt. quod ipsum argumentum eadem firmitate probat de originalibus eorum, qui ex vitioso concubitu sunt procreati, cum eorum parentibus gratia per Christum ad vitandum prauum illum concubitum pro naturæ priori ad illum adfuerit.

2 Sed, licet ex eo fundamento (quod ante absolutam Christi existentiam, deque ipsa decretum, eorum originalia, qui parentum precibus Deo annuente geniti, atque eo modo ex Adamo propagati sunt, & illud decretum, & Christi aduentum absolutè præuisa præcesserint) eis deficientibus Christum ex vi præsentis decreti non venturum minimè suadeatur, cum potius, & decretum, & Christi existentiam fuerint subsecuta. Indagandum est: an aliunde possit probabiliter suaderi, & quidem ita posse decreta disponi, vt, licet originalia hæc contracta absolutè ad decretum de existentia Christi non præcedant, ita tamen cum illo connectantur, vt eo pro priori naturæ suppositо originalia hæc nequeant non absolute pro naturæ posteriori apponi facile mihi ex dictis est, etenim, si decretum de Christi existentia sit ob finem reparandi hos homines, ab his originalibus efficaciter intentum, & de se essentiaque sua sine eorum reparatione ab originalibus hisce, cum qua essentialiter connexum est, esse minimè poterit: quare, nec sine absoluta originalium eorum existentia sine qua reparatio absoluta esse non potest; quod autem ex ea efficaci intentione reparandi homines ab originalibus hisce Christus absolute decerni potuerit, videtur certum. Neque enim ex parte bonitatis, & decentiæ Dei vlla est repugnantia cum ex ea intentione efficaci reparationis à peccatis non cogatur Deus ea peccata amare, vt ostendimus quæst. 2. sed neque ex parte peccatorum originalium vlla est contradictio. Cum enim in his contrahendis nulla exercenda sit hominum illorum libertas, sed è sola Adami capitis libertate, quam ante incarnationis decretum absolutè exercitam supponimus in transgressione, & ex naturali propagatione illorum ex Adamo, ad quam libertate opus non est, necessario resiliunt: licet necessario ex vi efficaciæ decreti illius apponenda originalia illa sint, nihil contra eorum naturam, & essentiam agetur.

3 Neque vero quidquam refert generationem quæ de facto fuit precibus honestis, Deoque gratis, ac proinde liberis fuisse ab horum parentibus impetratam quarum libertati voluntas efficax reparandi illos ab originali videatur repugnare. Etenim cum nec generatio illa, quæ fuit, medium vnicum esset, neque preces medium vnicum ad eandem generationem forent, neque ad hanc generationem, neque ad preces illas vlla erat necessitas ex illa voluntate efficaci: quare preces illæ parentum libere prorsus & honeste, demeritorie haberi à patribus, non obstante voluntate illa efficaci potuerunt, sed verò, licet discursus hic eam decretorum coordinationem possibilem euincet, ex qua, decreti incarnationis cum absoluta existentia, posterius natura futuri peccati connexio essentialis euincatur; ait cum alius modus coordinandi decreta possibilis sit, scilicet, si Christus non ex efficaci intentione reparandi præfatos homines ab originalibus contrahendis, sed ex inefficaci solum decretus fuerit, quo in casu Christi existentia, & decretum nullam cum existentia horum originalium connexionem haberet: ac proinde eis deficientibus Christus non deficeret, aliquid vlterius fundamenti desideratur, vt alterutro modo coordinata fuisse decreta incarnationis affirmetur, ac venturum, vel non venturum Christum, originalibus hisce deficientibus statuatur, & mihi quidem secundo modo fuisse decreta disposita, ac deficientibus his originalibus venturum Christum probabilius est: cum Patrum testimonia de Christo non venturo deficientibus peccatis, de iis solum peccatis sint, quæ aduentum Christi, eiusque decretum præuisa absolutè præcesserunt, vt vidimus.

4 De actualibus vero peccatis aliorum ab Adamo hominum dicendum est: eis etiam deficientibus Christum venturum. Cum enim auxilia ad ea peccata vitanda, ex meritis Christi absolutè præuisis, ac remunerandis fuerint, (quæ solum in Christo admitti possunt) Christi existentiam, & decretum præcedere absolutè ea peccata nequeunt; sed neque ex intentione efficaci reparationis eorum prouenire; quia id pugnat cum libertate eorum necessaria, vt sint peccata, vt vidimus: quare decretum de Christi existentia, nullam cum absoluta peccatorum actualium istorum existentia connexionem, siue præsuppositiue, siue consequenter habere potest. Neque inferas reparationem à peccatis hisce, imo, & ab eorum quotiis, adæquatum incarnationis finem intrinsecum non fuisse. Nam ex inefficaci finis intentione, nemo finem exequi tenetur; imo nec medium aliquod apponere, vel, si vnum, aut plura etiam appoſuerit, ad vlteriores apponendos progredi: quare incarnato verbo ex fine reparandi homines ab originalibus potuit ab aliis mediis cessare neque inde teneretur peccata ipsa permittere, alindvè vlterius medium adhibere: licet enim finis intentio quæuis ad media apponenda sollicitet voluntatem, ac proinde mouere possit, vt apponantur; sola tamen efficax intentio finis cogere voluntatem ad ea apponenda potest, vt omnibus Philosophis notum, est quo circa eos miror, qui inde venturum, vel non venturum Christum deficientibus his, vel illis peccatis præcisè definiunt, quod eorum reparatione finem incarnationis esse comperiant: cum non inde solum, sed ex connexione decreti de incarnatione, quod absolutè præuisum peccatum supposuerit, vel ex efficaci reparationis intentione processerit, definiendum sit. Inde enim solum potest incarnatio connexionem habere necessariam, cum absoluta

existentia peccati, vt hoc sublato absolute, & ipsa absolutè necessario deficiat.

DISPVTATIO II.

De ordine diuinorum decretorum circa existentiam Christi, Adami, atque hominum cæterorum; vbi de Beatæ Virginis, à debito etiam originalis culpæ immunitate.

NIhil de ordine possibili diuinorum circa præfata decretorum hîc disputo. Cum enim. d. 1. q.1. euicerimus adæquatum, etiam extrinsecè, incarnationis finem à nostris peccatis per Christi merita reparationem extitisse: ac q. 2. eum finem tam ante quam post præuisa peccata intendi inefficaciter potuisse: imò, qua Dei intendentis decentia sola spectatur, etiam efficaciter: constat ex ea, inefficaci saltem, intentione potuisse Christum ante omnes homines absolutè præfiniri, vel ante aliquos, vel post aliquos etiam, vel omnes absolutè decerni. qua in re Theologorum plurium studia, atque labores miror semper, nunquam demiror, quibus solo decretorum istorum possibili ordine adinuento, eorum pars, ante plurium, vel, omnium etiam, hominum existentiam decretum absolute ex ea intentione Christum clamat; Pars vero eorum, neque ignobilior, neque minor inversi ordinis decretorum, possibilitate adinuenta Christi existentiam post aliorum hominum existentias decretam vociferatur. Cum tamen, si vterque ordo ex ipsa obiectorum, & intentionis natura possibilis sit, vter eorum seruatus fuerit, non è sola vnius, vel alterius possibilitate statui deberet.

QVÆSTIO I.

Vtra in diuino decreto præcesserit? Christi an aliorum communium hominum existentia?

HE communibus hominibus inquiro, ne B. Virginem comprehendam, cuius priuilegia, ipsius etiam existentiæ primæ agnata, diuersum diuinorum decretorum ordinem exigebant de quo q. sequenti.

CERTAMEN I.

Duplex opinio variè ab authoribus fundata reiiciuntur.

1 SVar. d. 5. sect. 5. Christum deficiente peccato Adæ minimè venturum admittens, tamen eius existentiam, ante peccatum, imo, & ante Adamum decretam absolute fatetur, quia, inquit, initium viarum Domini Christus fuit, atque ita eius existentia decreta est, vt perfectiori modo possibili esset exequenda: cum autem condendus homo sub conditione videretur peccaturus, perfectiusque fieret incarnatio ith rationem à peccato, quam in non reparationem, fit Deum, tum ad hominis conditionem, tum ad peccati permissionem, & reparationem ex eo decreto de Christi absoluta existentia teneri: quare recte cohærent, & Christi, quam Adami, & peccati, existentia prior, & tamen sublato Adami peccato Christum non futurum. Ordiar à leuiori impugnationem. Contra primo: Deus ad amandum optimum non tenetur, vt suppono ex controu. de volunt. Ergo, sine fundamento dicitur voluisse Deum incarnationis executionem perfectiori modo possibili. Secundo cum ita visus fuerit Adamus sub conditione horum auxiliorum peccaturus, vt sub conditione aliorum videretur non peccaturus, perfectiorque sit modus reparandi hominem præseruatiue, seu præueniendo illum à peccato, ne in illud, labatur, quam lapsum reparando, infertur potius ex tuo illo decreto incarnationem futuram in non futuri peccati sub aliis auxiliis præseruationem, quam in futuri sub iis, sub quibus admissum est reparationem; ac proinde Adæ peccato non existente Christum futurum: contra id, quod discursu isto tuendum susceperas.

2 Contra tertio: quia intentio illa incarnationis perfectissimo modo exequendæ, vt ad eum, quem perfectissimum asseris, apponendum Deum cogat, cum mediisque, & fine necessario connectatur, vt alterum sine altero esse non possit, vt asseris, efficax intentio esse debet. Vnde autem tibi innotuit esse efficacem? Nam ad media omnia ad eiusmodi executionem, finemque reparationis obtinendum ex inefficaci eius intentione moueri posse Deum nulli, nec tibi, dubium est: cum homines prædestinatos, electos efficaciter ad gloriam ante præuisa merita non ideo asseras, quod ex inefficaci intentione, seu electione saluari non possent, sed aliis rationibus, quas controu. de prædest. diximus ostende aliquid in scriptura, vel Patribus, vel effectibus, vt id, quod nos nunc possibile permittimus, de facto euenisse verosimiliter suadeas. Quarto: denique ordo hic decretorum, & secum, & cum re intenta prorsus pugnat. Nam, si intentio illa exequendæ incarnationis perfectissimo modo sit efficax, atque reparatio, ad quam perfectissimus modus incarnationis est, vt asseris, decreto incarnationis antecedenti, existentiam Adæ, & peccati amari efficaciter debeat, vt debet, ad hoc, vt necessario cum existentia Adami, & peccati connectatur tollit libertatem transgressionis Adæ, ac proinde abolet necessario peccatum, iuxta dicta, d. 1. q.3. cert. 1. vbi, & cert. 3. solutiones omnes diffici: ergo pugnat hic tuus decretorum ordo, & secum, & cum re intenta: nimirum: vt nequeat diuelli existentia Christi, ab existentia peccati. Denique: in huius doctrina saluari non posse, quin Deus amet peccatum, cuius reparationem ante illud præuisum efficaciter intenderit ex dicti d. 1. q. 2. satis apertè deducitur contra Suar. & alios qui in nostram peculiarem cogitationem non incurrerint.

3 P. Granad controu. de incarnat. tract. 3. d. 1. sect. 4. ex quo Recentiores Complutenses, eandem Christi præcedentiam, atque eius cum Adamo, & peccato futuris pro posteriori naturæ necessariam connexionem paulo aliter componunt Cum enim, inquiunt, Deus videret Adamum in hac rerum peristhasi peccaturum tanto posterorum malo, nolebat fore in ea peristhasi Adami existentiam; cum autem simul videret Christum, si adesset, ea omnia reparaturum, maioraque inducturum bona, voluit Adami existentiam cum Christo simul: vt quando peccatum adesset, adesset statim reparatio, maioribusque inductis bonis eius damna repararentur; Non secus ac, qui curiam adire desiderans, certus de inimicis, vel morbo ipsum in solitudine inuasuris viam, non nisi satellitibus, medico, ac medicinis comitatus, veller capessere, quin inde inferre liceat, vel inimicorum, vel ægritudinis inuasionem ab ipso desiderari. Cum autem Adamus cum Christo in ea rerum peristhasi decretus sit, sub qua visus conditionate fuerat peccaturus, implicat Adamum, & Christum existere sine peccato: sicut implicat id, quod futurum sub aliqua conditione

conditione est, purificata, seu posita conditione absolute nõ esse. Sed contra primo: quia totus hic discursus solã decreti huius possibilitatem suader, si quid suadet: ea vero admissa, vt de facto extitisse credamus fundamentum desideratur: maxime, cum in illo connaturalis prouidentiæ ordo inter media, & finem negligatur, iuxta quam prius natura Adamus debet existere, quam auxilia, quæ ipsius operationes vitales sunt; hic autem ordo non solum connaturaliter, sed, & essentialiter seruandus est, vt nequeat non à Deo seruari: eo autem seruato, discursus intentum non probat, causaque cadit, vt iam ostendo.

4 Etenim, nisi simul natura decernatur fore, existentia Christi, Adami, & auxilij intelligetur prius natura decretus Adamus cum Christo, quin efficacia decreti huius perueniat ad auxilium; si autem ad auxilium hoc, sub quo visus est peccaturus non peruenit, posito hoc decreto, & existentia Christi, & Adami, poterit poni à Deo aliud auxilium, sub quo visus conditionate fuit non peccaturus Adamus: hoc autem posito non peccabit Adamus, imo neque poterit peccare consequẽti impossibilitate, sicut Tuaiebes, posito alio, subquo visus est peccaturus, non peccare non posset; ergo posset, imo necessario existeret Christus non existente peccato Adami quod autem efficacia illius decreti nequeat secundum se attingere existentiam auxilij simul natura cum existentia Adami, Probatur quia auxilium illud essentia tua est actus vitalis Adami: ergo est essentia sua Adamo absolutè existente posterius: ergo essentia tua prius natura decreta est existentia Adami, quam auxilij. Secũdo existentia Adami decreta est à Deo se solo, existentia auxilij non est decreta à Deo se solo, sed concurrendo simul cum Adamo, vt patet: ergo neque eodem decreto, neque decretis duobus simul tamen natura decerni à Deo potuit, existentia Adami, & existentia auxilij, subquo visus est conditionate peccaturus; sed vnum quidem decretum essentia sua prius terminatum fuit, ad existentiam Christi, & Adami, alterum vero, & essentia sua posterius, terminatum fuit ad existentiam auxilij, ac proinde per decretum prius licebat auxilium illud non apponere, sub quo visus erat Adamus peccaturus, atque Christum existere non existente peccato.

5 Dices non licere: quia, licet diuersa sint, sunt tamen ea decreta necessario inter se connexa. Sed rogo vade nam connexa esse probas? Nam ex obiecto connexa non sunt existentia quippe Adami connexa cum huius auxilij existentia non est: sed neque ex scientia conditionata connexa sunt: ergo erunt connexa ex fine aliquo efficaciter intento per prius decretum, quod quidem nequeat per aliud medium, obtinere quam per illud auxilium, ac proinde Deum cogat, vt illud absolutè apponat quis ergo ille finis efficaciter intentus à Deo est per prius illud decretum; ad quod auxilium hoc medium vnicum sit? certe, vel peccatum, vel eius reparatio: peccatum efficaciter intentũ à Deo non admittes: ergo admittes reparationem à Deo efficaciter intentam fuisse ante præuisum peccatum; contra peccati necessariam libertatem: incideque in impugnationes Soarij nuper factus, cuius sententiam, nihilque præterea tot laruis tectam, quasi nouum quid, nobis diuendebar. Sed esto: nihil de fine, &, connexione hac decretorum disputemus, decernatur pro tuo libito simul Adamus, in his circunstantiis, & cum hoc auxilio: certe, cum auxilium hoc de non transgrediendo præcepto pactum supponat, quo Deus posterorum voluntates, in Adamo collocauit, atque Adamus acceptauit, atque ob posterorum sic in se collocatorum damnum, maximè à transgressione detineretur Adamus: pacti Adami cum Deo libertas aboleretur, si decretum de eius, existentia efficacia sua, per se ipsum, vel per aliud decretum, quod inferat ad auxilium: necessario perueniat: nam ante illud pacti initio Adami cum Deo intercedit si autem libertas pacti ex parte Adami non ad sit, quomodo in Adamo peccauerimus, non ita in Adamo facile explicabitur. Neque enim moraliter nostra erit Adami voluntas, nisi ipse libere suos actus nostros esse velit: quocirca libertate paciscentis Adami sublata poterimus gratia priuari, vt ipse in nobis puniatur tanquam in filiis, ast eius transgressio nostra non ita clare poterit fieri. Denique toto discursu inoffensè admisso non probar Christum ante Adamum extitisse absolute, vt contendebatur, sed simul existere, quare nec fauet Cyrillus, qui existentiam Christi antecedentem sonat, non simul: aneam cum Adamo, atque ad antecedentiam à Recentioribus inducitur, vt mox videbimus.

CERTAMEN II.

Duplex alia opinio reiecta.

1 POsterorum omnium absolutam existentiam, ante absolutam existentiam peccati Adæ, imo, & ante pactum, licet post Christum, docuerunt Scotus cum suis. Marsi. in 2. d. 20. q. 13. a. 1. dub. 4. Gabriel. q. vn. a. 5. Mai. dub. vlt. post quæst. principalem Carthus. q. 1. versus fin. Salaz. de concep. c. 24. §. 3. & Recentiores Complut. aqua tamen regula virginem deiparam excipiunt. Putant enim ad inclusionem in pacto cum Adamo intro inclusorum existentiam prærequiri cum autem reliqui à deipara homines inclusi proculdubio fuerint eorum existentiam ad pactum, & peccatum, quod pactum supponit, præcedere necessario. Cum autem. B. virginis existentiam non præcesserit eam in pacto non inclusam; quare, neque in Adamo peccasse, debitoue originalis culpæ obnoxiam fuisse pronum est. Sed certe opinio hæc, tota, ad Marianam ab originalis debito immunitatem tuendam est composita, inutiliter ad id excogitat videtur; siquidem etsi ad inclusionem in pacto includendorum existentia necessaria non sit, facile B. virginis exclusio absoluta componitur: quod autem ea ex meritis Christi fuerit, ardua est difficultas, quæ ex hac opinione minime pendet: secundo principium, cui innititur nulla firma, imo, neque vero simili ratione sustentatur: cum enim in pacto illo nullius posterorum Adami consensus liber exigatur, vt pactum consumetur; quorsum eorum existentia, vt illud cum Adamo feriatur, necessaria est, cum quibus nil in eo pacto agitur, licet eo de omnibus actum fuerit?

2 Noster Ruiz improbat posterorum Adæ existentiam necessariam ante pactum: quia Adamo non peccante plures homines forent: cum nemo impubes obiret: nemo sterilis esset: nemo valetudinis causa copula abstineret: nulla item copula fœtu careret: æquus virorum, ac mulierum numerus esset item cum diuersa alimenti materia esset homines Adæ posteri essent diuersi, & tamen inclusi hi in pacto fuissent, si Adamus obseruasset præceptum: quorum tamen ante pactum nulla existentia fuerit: ergo ea non est necessaria: sed hæc parum vrgent. Nam primo: etsi Adam non peccaret possent peccare filij, & eisdem incommodis subiacere: vnde nec plures, nec diuersi homines essent. Secundo: cum numerus futurorum hominum præstitutus iuxta Patres plures sit, qui numero apostatarum Angelorum respondeat vt eorum sedes occuparentur, iustorum numero expleto mundus cessaret: tertio: vt bene Scotus in 2. d. 20. disponi posset, vt eadem materia, quæ nunc, & tunc generationibus inseruiret. Quartò: ad inclusionem in pacto diuersitas, vel identitas, ex parte materiæ, dum eædem essent animæ nihil oberat. Instant autem Recentiores Complutenses cum Ruiz, plures ex vigamia, adulterio, vago concubitu sunt procreati; quæ omnia non peccante Adamo minime fuissent sed hæc omnia non hominum, sed circunstantiarum diuersitatem probant, si quid probant. Neque vero id probant. Nam, licet ea omnia cum statu innocentiæ pugnent, ast cum hic inamissibilis non sit, in illo non repugnant: ac proinde adulteria, & mali, ad exercendos bonos possent

pro

procreari, si is Deo finis præstitui fortasse queat: imo, & qui mali nunc, tunc forte iidem essent boni.

3 Lugo denique probat non eosdem homines futuros, ex Chrysost. homil. 5. de pœnit. dicente: Esau non à Deo sublatum, quia *si excessus fuisset maximum fortasse iustitiæ florem mundus amisisset.* Pro nepotem, videlicet, Iob nepris Saræ filium, sed certe eundem Iob ex aliis progenitoribus habere mundus potuit, licet minus iustum: quare non probatur defecturus idem secundum substantiam Iob, imo neque secundum iustitiam: cum ex aliis parentibus ortus æque iustus esse posset; quod satis innuit Chrysost. illo aduerbio, *fortasis*, quod subiunxit quare hoc solum probat diuersitatem in circunstantiis propagationis Iob, qui ex parentibus aliis posset existere absolute, non autem in substantia: quare antecedentiam in cluſorum in pacto non impugnat. Posset autem impugnari alia ratione, quam mox in nostra conclusione dicemus: quia ex vi præsentis decreti nemo ex aliis parentibus esse posset. Loquimur autem de decretis, quæ fuerunt, eorumque coordinatione, non quæ esse possent: decretum autem productionis Iob, quod re facto fuit, de eo producendo ex his progenitoribus fuit, quibus proinde sublatis Iob ex vi præsentis decreti, deficeret absolute. An autem non peccante Adamo Iob, & posterorum pro genitores, tollendi essent non ita facile definietur hæc igitur opinio de necessitate antecedentiæ posterorum Adæ ad pactum pro eis etiam initum ea solum, & ratione impugnari efficaciter nequit.

4 Si vero Soarium. Salazar. & Recentiores excipias citatos pro opinione proxima reliqui citati disp. 1. q. 4. cert. 1. num. 1. pro opinione negante aduentum Christi deficiente Adæ peccato docent: Adami suique peccati *existentiam* antecessisse ad existentiam Christi de posteris vero Adæ Vas. cum assectis post Christum decretos videtur docturus: cum dicat Christum non suppositisse originalia contracta sed contrahenda, ideſt imminentia: contractio vero originalis in posteris Adæ peccato ipsius suppositi, ac priuilegij negatione, à propagatione, seu generatione posterorum ex ipso nihilo differt re ipsa in verosimiliori de peccato originalis essentia iudicio: cum autem non, nisi ea generatione ex Adamo posteri extiterint, qui negant Christum post originalia posterorum contracta fuisse decretum, idem ante posterorum existentiam, & generationem decretum fuisse consequenter docebunt. Id quod expresius, atque in terminis, vt aiunt, vniuersè docent, ex eis doctoribus Ruiz. d. 13. de prædest. sect. 4. Cardin. Lugo d. 7. de incarnat. sect. 3. à num. 28. & sect. 4 fine Vvadingo, & Bernal. sed tamen hoc, quod de Adæ posteris vniuersim dicitur, non adeo vniuersim est verum, vti ex dicendis certamine sequenti constabit. Neque ratio nostri Lugo adeo vniuersim probat: sed de eis solum, qui parentum precibus obtenti sunt, filiis de quibus si Eccles. 7. vbi filiis erga parentes reuerentia his commendatur: *quoniam nisi per illos natus non fuisses*, Sermo esset, vt voluit Lugo, non filiis omnibus diceretur: cum non omnes parentum precibus orti fuerint.

quod hoc anterius, & occasio Christi decernendi fuerit verbis illis: *venit saluum facere, quod perierat.* Irenæ. 14. aduersus hæres. *si non haberet caro saluare.* Athanas. serm. 3. contra Arrian. *Indigentiam, necessitatemque nostram anteriorem.* Cyrillus Alex. 5. Thes. *Crimina nostra occasionem dedisse.* quæ omnia non, nisi de peccato in primis Adami absolutè existenti intelligi posse citato loco ostendimus atque respectu aduentus Christi dicta à Patribus verba ipsa ibidem recitata demonstrant; quare male Recentiores Complutenses respondent, Patres loqui de remedio, & medicina posteriori peccato absoluto, non de aduentu Christi, seu medici, qui prior peccato absoluto fuit. Cum de aduentu Christi Patres expressis verbis loquantur.

2 Probatur secundo conclusio. Nam Leo Magn. serm. 3. in Pentecost. Aug. de verbis Apost. serm. 8. Irenæus, & Cyrill. pro conditione negationis aduentus Christi ponunt, negationem peccati: ergo antecedit negationem aduentus Christi: siquidem quæuis conditio, siue ex natura rei, siue ex statuentis arbitrio ad id quod sub ipsa fore statuitur; debet præcedere: ergo peccatum ipsum est conditio antecedens existentiam Christi, purificanda pro priori ad aduentum Christi. Probo hanc consequentiam, in omni conditione naturali negatiua ad alteram negationem. v. g. applicationis agentis ad negationem effectus si enim negatio applicationis ad negationem effectus conditio prior natura est; applicatio ad effectum prior natura erit: & in conditionibus arbitrariis, si negatio cantus causa est negationis muneris recipiendi, cantus erit conditio, sine qua non ad munus recipiendum. Et ratio est: quia posita conditione, etiam arbitraria negatiua ad negationem quousque negatio, quæ est conditio per habitum oppositum tollitur, nequit esse habitus alter, cuius negatio sub conditione illa statuebatur: ergo habitus oppositus conditioni negatiuæ, est remouens prohibens respectu habitus alterius sub ea conditione, negatiua negati: quare, & natura prior illo, quod satis nobis est ad conclusionem probandam, & vrgetur amplius in nostro casu, quia ita aiunt Patres non venturum Christum si non esset peccatum, vt adstante peccato, quod occasionem dedit aduentui Christus aduenerit quare non solum esse remotionem impedimenti negatiui aduentus Christi, sed, & occasionem, ob quam Christus aduenerit de facto fuisse declarant, ac proinde ad illum debere procedere.

3 Dico secundo Christus ex vi præsentis decreti, multorum hominum, & originalium peccatorum existentiam naturæ priori antecessit: quare, & antecessit ea decretum de ipso absolute futuro. Probatur quia de facto plurium generationes ex gratia Christi, seu per merita Christi fuerunt: atqui merita Christi, quæ vere merita sunt supponunt Christi existentiam: sunt enim merita solum remuneranda, vt de merito Christi agentes monstrauimus: ergo, & plurium generationes supponunt absolutam Christi existentiam: Atqui ante generationes, quibus de facto hi homines extiterunt, non potuerunt, aut ipsi, aut eorum originalia, quæ ipsis generationibus contrahuntur, existere, sed simul cum illis: ergo existentia plurium hominum, & originalium fuit absolutè posterior decreto de absoluta existentia Christi. Maior primi Syllogismi Probatur: quia, vt dicebam supra disp. 1. q. 4. cert. 3. plures homines propagati, genitique sunt precibus parentum Deo gratis, cum in veteri, tum intestamento nouo, quæ non, nisi ex gratia Christi potuerunt haberi. Adde plures etiam ex vsu honesto, ac meritorio, matrimonij esse procreatos, qui tamen sine gratia Christi esse non potuit sicut neque gratia ad vitandum adulterium, aut prauum concubitum, ex quibus plures etiam homines de facto procreati fuere, vt eodem loco dicebamus.

4 Dico tertio Christus absolute decretus fuit ante omnia peccata actualia hominum, si primum Adæ peccatum excipias. Ratio est quia antecedenter ad admissionem peccati cuiusuis actualis, præuentus peccator

CERTAMEN III.

Propria sententia.

1 DIco Primo Christus absolutè futurus non nisi post absolutam Adami, & peccati ipsius existentiam fuit decretus. Docent Doctores omnes citati proxime, & d. 1. q. 4. cert. 1. num. 1, pro opinione negante Christi aduentum deficiente Adami peccato, si Soarium, Salazar, Granados, & Recentiores, Complutenses excipias. Probatur facile: quia Patres ibidem citati; imo, & scriptura peccatum præextitisse, vt Christus veniret, asseruerunt, vt ex datis ibi locis constat: imo inde non venturum Christum aiunt deficiente peccato,

peccator quiuis fuit auxilio gratiæ per Christum, vt vinceret cum Laude tentationem: ergo quoduis actuale hominum peccatum supponit naturæ merita Christi, vere merita, & quæ absolutam Christi existentiam supponunt: ergo, & supponunt decretum de absoluta existentia Christi, quod illa necessario præcessit. Dices: licet, vt vincatur peccatum gratia per Christum necessaria sit, ast, vt possit vinci solum, non autem de facto vincatur sufficit minimum auxilij, seu cogitationis ad non peccandum, ac detinendam, voluntatem à peccato, quod ipsum requiritur ad constituendam voluntatem sufficienter indifferentem ad peccandum: ergo nisi asseras minimum cogitationis, & auxilij esse gratiam per Christum nequis defendere Christum absolutè decretum ante omnia actualia: nam, cum minimo potuerunt homines actualiter peccare. Sin vero id asseras requires gratiam Christi ad peccandum, quod est dissonum absurdum, Respondeo Doctorem nostrum Gasparem Hurtado, sequentibus pluribus, docuisse minimum cogitationis, & auxilij esse gratiam per Christum, nec iure creationis debitam. Neque ideo dissonum quid admitti, si Christi gratiam requiri ad peccatum, non, vt quid in ipsum inducens, sed vt à peccato retrahens admittatur. Nam ad maiorem peccati grauitatem requiri gratiam eo modo retrahendo certum omnibus est, cum grauius, peccet, qui maiori luce, ac Dei illustratione præuentus deliquit. Sed neque hac opinione opus est conclusioni præfixæ; licet enim minimum cogitationis gratia Dei per Christum non sit omnes tamen homines gratia Dei per Christum præueniri ne peccent certum est: quod si minimum ad libertatem sufficiens sit gratia creationis, aliquid supra minimum ex meritis Christi donari erit asserendum de his vero late controu. de gratia: qua de facto ante actualia omnia peccata, excepto Adami, Christum esse decretum.

5 Dico quarto: Christus post reliquorum hominum à supra enumeratis existentiam, & originalia fuit decretus. Ratio petenda ex dictis d. 1. q. 4. cert. 2. vbi probauimus Christum deficientibus aliquorum hominum originalibus non esse venturum: quia Patres non vnum solum peccatum fuisse occasionem absolute, ac præcessisse incarnationi docent, sed plura: quæ cum actualia esse nequeant, neque aliquorum præfatorum originalia, neque in sensu formaliori peccatum primum Adæ (licet enim plurium sit, tamen vnicum est.) erunt hic enumeratorum originalia. Nequeunt autem originalia, quæ ipsa generatione absolutè contrahuntur Christi absolutam existentiam præcedere, quin, & hominum, quorum sunt existentia absoluta præcedant. Sed dices per nos concluſ. 2. & 3. quidquid ex gratia Christi pendet absolutè extitit post Christum, & decretum de existentia ipsius: & eorum, qui nec precibus à Deo obtenti sunt, neque ex vsu honesto, & meritorio propagati, generatio fuit parentum actuale peccatum, quod iuxta dicta conclusione 3. Christi gratiam supposuit: ergo cæterorum, qui non sunt incluſi concluſ. 2. generatio ac proinde, & originale Christum absolutè atque decretum de eius existentia suppositi, nec potuit ex vi præsentis decreti esse ante illud. Minor probatur, quia generatio non ex vsu honesto matrimonij, sed vel extra matrimonium, vel intra matrimonium non ob suscipiendam prolem, sed ob Venerem habitam peccatum est: ergo generatio omnis non honesta, & sancta. Nego antecedens, nam intra matrimonium generatio ob Venerem peccatum non est, in quo venerea delectatio, licet sancta, & laudabilis non sit, non tamen est adhuc veniabiliter peccaminosa, vt male docuit Gaspar. Hurt. deceptus verbis Augustini 2. de consensu Euangelist. c. 1. Complexu carnali coniugatorum dicentis, *qui propter solos gignendos filios adhibenda est*, quæ verba non legem ad coniugatas continent, sed ad meliora exhortationem, & consilium, pluribus, & à priori, & ab asurdo suo loco ostendam. Copula item extra matrimonium licet peccatum fit, ast apud Gentes, & paganos, sæpè inuincibiliter ignoratur, cum apud Doctores, adhuc Catholicos, non ita facile ex naturali ratione peccatum esse demonstretur: quare in illis materiale peccatum solum erit: ad quod gratia per Christum, etiam retrahendo, non præcedit: quare plurium generationes, & originalia Christum eiusque decretum absolutè non suppositurunt de quibus, Patrum testimonia intelligi debent de cæteris autem prauc formaliter concubitu progenitis satis clarè docuimus. n. 5. fine.

CERTAMEN IV.

Obiectis aduersantium opinionum occuritur.

1 QVæ hactenus contra præfixas conclusiones ab aduersariis ex cogitata sunt eo omnia tenduntur, vt decretum de absoluta Christi existentia omnium hominum, etiam Adami, absolutam existentiam præcesserit, deque eis condendis decreta. Obiiciunt ex prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*: vbi voce *Dominus*, quæ in Deum respectu sapientiæ increatæ puræ, nec dum incarnatæ cadere, nequit, de incarnata esse sermonem aiebat; Ambros. 1. de fide. c. 7. ac de interpellatione Iob. c. 2: Concil. Hispalense 2. Iustinian. imper. edicto fidei, aliique Patres: atqui, non fuit ante omnia Dei opera sapientia incarnata in duratione, neque in præscientia Dei, in qua omnia ab æterno, sunt cognita: ergo solum fuit ante omnia prioritate naturæ, & causalitatis. Respondetur litterali sensu sapientiam, practicam abstrahentem, à creata, & increata, siue complectentem vtramque, ibi per Prosopopœiam induci loquentem, vt homines ad sui studium alliciat: huius rei gratia, primo suam dignitatem, commendat: quod Deo vniuersa condenti adfuerit increata: creata vero bona cuncta suis alumnis fuerit elargita, vt è libri fine, & contextu capitis liquet. Sed tamen Patres plures de sapientia increatæ secundum se eum locum interprætantur, indeque, & filij diuinitatem, & æternam generationem consone probant. Neque obest vox *Dominus*, neque enim Dominum, respectu sui appellet sapientia, sed respecta creaturarum, ad quas loquitur: sicut Deus ipse sæpè ad eas loquens ait: *Ego Dominus* cum tamen sui Dominus esse nequeat, sed illarum.

2 Sed esto: sit de sapientia incarnata, vt præter citatos, volunt. Athanas. serm. 3. contra Arrian. Augustin. 1. de Trinit. quid mirum, si ratione Deitatis de Christo homine Deo diuina prædicentur? verum Athanas. & septuagint. legunt. *Initium ad opera sua.* Aug. *principium viarum ad opera sua*; scilicet reparanda, ac renouanda, vt ait Athanas. col. 212. *vt illum creari ad opera, hominem, fieri, ad hominum instaurationem intelligeres*, fuisse autem hæc post peccatum satis clare docuit. col. 201. dicens: *cum opera extarent, & necessarium erat ea, alicuius administratione castigari, tunc demum se dedidit, vt descenderet.* atque significari voce *creauit* contra Arrianos contendit. Castigare vero emendare est vitium iam admissum. Neque aliud possunt Patres docere: eum expresse Christum non, nisi post peccatum præuisum aduentasse docuerint, illud vero *antequam quidquam faceret*: facere, & orare, pro instaurare atqui reficere, sæpè in scriptura Vsurpatur. Isai 65. & 66. 2. Petri. 4. Apocal. 21. & alibi. Adde *initium* quandoque dignitatis, non causalitatis primatum significare, vt Iob. 40. Behemoth. *principium viarum Domini* dicitur, ac nos Iacob. primogeniti, *vt simus initium aliquod creaturæ*, *eius.* Eundem explicatum habet illud ad colos. 1. *quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlo, & in terra.* vt condere idem sit quod renouare, ac reparare, quod per Christum primogenitum in

fratribus effectum fuit, vt bene Athanaſ. ſupra Auguſtinus vero ſupra cap. 12. de verbo ſecundum ſe interpretatur, quem Patres vulgo ſectantur: ſolus Rupertus illud *in ipſo* ad Chriſtum, ſeu hominem verbum retulit eſtque textui conformior interpretatio, ſic enim habet: *qui eſt imago Dei inuiſibilis, Primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo &c.*

3 Obiectant ſecundo illud ad Epheſ. 1. num. 4. *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*: cauſalitate nimirum: ſicut, & alibi dixit: *Antequam quidquam boni, aut mali egiſſent Iacob dilexit; eſau autem odio habuit.* Præterea: antecedentia in duratione omni Dei amori communis eſt: quare neque inde ſatis Dei ſpecialis erga electos ad gloriam, vel fidem amor commendaretur cum ergo ob merita Chriſti ſpeciali amore ante mundi conſtitutionem cauſaliter, ac proinde ante hominum exiſtentiam electos fuiſſe Paulus dicat Chriſtum abſolutè decretum antecedenter ad homines reliquos dicendum eſt: ſiquidem eius merita non exiſtente Chriſto abſolutè eſſe, ac præuideri, vt ad electionem mouerent, minime poſſent. Hoc expendunt Recentiores Complutenſes, qui merita per modum pretij, & ſolutionis, ſeu in ſpe tuentur: quibus tamen admiſſis ponderatio tota eleuatur: cum antequam ipſa, & Chriſtus exiſtant abſolute eiuſmodi merita in eorum ſententia moueant, in noſtris autem veris, ſoliſque meritis remunerandis vrgeret forte ſi conſtitutio mundi creationem, ac non potius eius, quam nunc ex Chriſti meriris habemus, diſpoſitionem ſignificaret. Sed nec, ſi creationem ſignificet, probatur ſatis illud *ante* prioritatem naturæ, non æternitatis denotare: ex qua Dei amor ſæpè nobis in ſcriptura commendatur *charitate perpetua dilexit*: quæ præcedentia non parum onerat amatum itaque primo loco electio, ac reprobatio æque ante mundi conſtitutionem ex æternitate habitæ à Deo dicuntur, atque electio ex meritis Chriſti, vt ipſis etiam accepta feratur tanquam cauſalitate motiua illam præcedentibus, non tempore in ſecundo vero prædeſtinationem ex meritis noſtris non eſſe: quid inde pro aduerſa concluſione? frigidius adhuc eſt, quod ex Baſilio, origine, Theodoreto in catena Lipomani aiunt: conſilium illud Geneſ. primo, *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: cum Chriſto fuiſſe habitum: nimirum exiſtente abſolutè ante hominis primi formationem: etenim non exiſtentem alloqui ineptum foret. Sed, cum conſilium hoc Trinitatis ex æternitate fuerit, neſcio quo pacto cum Chriſto, qui ex æternitate non fuit haberi propriè, ac non ineptè potuerit? ſolum contendunt Baſilius, & reliqui ex eo loco verbum, quod incarnaſſe Ariani fatebantur: Perſonam æternam, ac diuinam eſſe, diſtinctamque à Patre, quo cum de hominis formatione, ac proinde ante eius exiſtentiam agebat.

4 Vrgent Recentiores iidem ex Tertulliano 6. de reſurrect. carnis decente: *quidquid limus exprimebatur chriſtus cogitabatur homo futurus*: vt videlicet ad eius imaginem efformaretur conſenſit Anaſtaſ. Synaita 2. Anagogicar. contemplat. in exhamer. ergo Chriſtus abſolutè exiſtens præceſſit natura Adami, ac reliquorum proinde hominum creationi, vt obiectum ſiue exemplar: quare, & prius fuit decretus, & factus, quam Adamus in obiectantium doctrina neſcio quo pacto vtraque efformetur conſequentia ipſi enim de obiectis per ſe quarto modo cognitionis, qua verbum procedit, diſputantes in eis ſpiritum S. enumerant: quia, inquiunt, licet actiue filio, & cognitione generante poſterior ſit, prior tamen obiectiue eſſe poteſt: ergo, & præcedentia obiectiua Chriſti, abſolutè adhuc futuri, ad Adamum non infertur actiua, & abſoluta eius præcedentia ad ipſum: ſed quia doctrinam hanc controuerſ. de Trinit. d. 5. & in phyſicis controu. de cauſis. d. de cauſarum præcedentia mutua, reſpondeo: futuritionem, in qua cogitabatur Chriſtus, cum effingebatur Adamus, iuxta Patres hoſce, conditionatam fuiſſe: quia ea ſatis eſt ad exemplar, & idæam obiectiuam Dei: cum ſatis ſit mera rerum poſſibilitas, ex qua cognita plura operatur Deus inde patet ſolutio ad illud, quod ex Bernardo ſerm. 17. in cant. iidem obiectant. ibi enim videtur aſſerere peccatum Angelorum quod dubio procul Adæ peccato præceſſit, fuiſſe eorum inuidentiam generi humano ob gloriam incarnationis verbi ipſis reuelatam, ac muſitationem, eorum præ ſuperbia inobedientem Deo præcipienti, vt hominem Deum adorarent: quare Chriſtus abſolutè exiſtens, & præuiſus fuit ante Adæ peccatum ſed tamen conditionate propoſita incarnatio, præceptumque eam adorandi, ſi eſſet, inuidenti, muſitationis, & inobedientiæ præ ſuperbia materia malis Angelis eſſe potuit. Secundo: non ita firmiter Bernardus illud fuiſſe Angelorum peccatum aſſeruit, vt eius authoritati firmus diſcurſus poſſit imponi concludit enim. Hoc ego non aſſero dicere ſpiritum; ſed nec contra dicere audeo.

5 Veniamus ad Achilem Recentiorum teſtimonium Cyrilli. 5. Theſ. c. 8. vbi ait: *Præfundatur ante nos Chriſtus, & in ipſo omnes ſuperædificamur: idque ante initium mundi in præſcientia Dei: vt cum ordine diuino benedictio maledictionem anteceſſerit, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, ſeruitutem diaboli adoptionis libertas, poſſit natura humana ſuperatis malis, quæ interim acciderunt per gratiam chriſti, qui fundauit eam in bonis, in priſtinam dignitatem recurrere.* Ecce ordine diuino præfundatus ante nos Chriſtus ante mundi initium, in Dei præſcientia; quæ erga abſoluta eſt, dicitur: atque eodem ordine benedictio maledictionem anteceſſiſſe quod ſi de durationis antecedentia, non cauſalitatis, in præſcientia, & decreto reſpectu executionis intelligas, non magis præceſſit mundo Chriſtus, & benedictio maledictioni, quam è contra. Reſpondet Vaſquez: dici etiam præceſſiſſe libertatem ſeruituti, quam neceſſario cauſalitate ſupponit: cum nemo, niſi à ſeruitute præhabita liberetur. Verum aliud eſt liberatio, aliud libertas. Poſſumus enim liberi eſſe, imo, & ſumus à Turca liberi, cuius nunquam ſerui extitimus, & cuius ſeruitute nunquam ſumus liberati genuimus ſenſus nobiſque non aduerſus, ſed amicus ex contextu facile eruitur. Antecedentia enim præſcientiæ Chriſti, eiuſque præfundatio ante nos non fuit cauſalitate obiectorum horum, ſed durationе anteriorис æternitatis, ex qua decreuerat, ac præuiderat Chriſtum futurum ante noſtram, & culpæ, executionem de ea enim præcedentia Adamus, & nos certi animos erigere poſſemus, ſpemque concipere iterum ſuper fundamentum illud, quod lapſum hominem denuo fundauit, erigendi ſpirituale ædificium, quod cælos pertingeret. Hanc enim ſolam præcedentiam ſonant verba: *conſtituit ante ſæcula, & ante mundi initium in præſcientia.* Alioqui ſibi contradiceret Cyrillus vi ibi, atque alibi dicenti: Chriſtum fundamentum noſtrum factum fuiſſe ex præuiſione peccati: Prædixerat enim: *ſciebat nos mortales futuros propter peccatum: ac ideo ex miſericordia conſtituit ante ſæcula, vt verbum ſuum fieret homo, & fundamentum.* Ac rurſus noſtram explicationem traddens ait: *Præuidit enim Deus hominem peccaturum, & in mortem caſurum: præuidit etiam conferentia generi eius, & quomodo renouaretur, & ad, immortalitatem rediret*: poſt præuiſum ſcilicet lapſum: *ideoque quaſi radices huius ſpei in filio ſuo nobis diſpoſuit.* quid clarius.

6 Sic etiam explicandus venit Irenæus 3. aduerſ. hæreſ. c. 33. dicens: *Prædeſtinanti Deo primum animalem hominem, vt à ſpirituali ſaluaretur: quia, cum præexiſteret ſaluans, oportebat, vt, quod, & ſaluaretur, fieri, vt non inuacuum ſit ſaluans.* loquitur enim de præexiſtentia ſaluantis in ſcientia Dei ad exiſtentiam ſaluandi, ne illis ſaluans inuacuum ſit, ſi nunquam in tempore ſaluandus apponeretur quod ſi illud *primum* ad verbi aliter vſurpetur, clarius eſt hominem animalem, ideſt Adamum, primo loco præfinitum cuius oppoſitum docere Irenæus nequaquam poteſt: cum loco dato d. 1. q. 4. cert. 1. expreſſe doceat Chriſti aduentum non niſi poſt peccatum præuiſum fuiſſe decretum. Secundo locus æquè obiicientes Complutenſes Recentiores vrget: cum ipſi aſſerant Chriſtum, vt ſaluatorem, & Redemptorem, de quo loquitur Irenæus poſt peccatum præuiſum fuiſſe decretum. Nec ſatis eſt præfinitum fuiſſe Saluatorem ſub conditione, quod peccata, & peccatores adeſſent. Nam ex ea conditionata voluntate peccatores, ſeu ſaluandos apponi neceſſarium non erat contra Irenæi rationem. Denique, ſi locum de prædeſtinatione propria intelligas Adami, vt verba ſonant, quæ fuit ex meritis Chriſti omnium opinione poſt peccatum admiſſum, nihil tuæ ſententiæ locus fauet, & ſane illud *animalem hominem* apertè dicit hominem iam peccatorem. Per peccatum enim, vt dicitur Pſalmo. 48. v. 13. *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*: cum primo ſpiritualis conditus fuerit; ſenſus igitur erit: prædeſtinatum hominem iam animalem, & peccatorem, vt ſaluaretur per ſpiritualem oportuiſſe fieri, vt ſaluaretur de facto ille qui ita prædeſtinabatur: rita, vt illud quod ſupra *ſaluaretur* cadat: ideſt *oportebat fieri quod etiam ſaluaretur.* Sic enim ſaluans fruſtra, & inuacuum non eſſet: ſicut eſſe poterat, niſi ſaluaretur homo, etiam poſt ſaluantem Chriſtum, vt aduerſarij volunt præfinitus. Atque hic quidem niſi quod noſtris, plus fortaſſe æquo, blandimur, germanus Cyrilli ſenſus videtur.

7 Sed enim locus Cyrilli poſtremo loco recitatus maiori pondere opponi poſſet pro ſententia aſſerente poſteros omnes Adæ poſt abſolutè decretum Chriſtum fuiſſe decretos. Primò enim aiebat præuiſum fuiſſe peccaturum hominem primum conuenientia eius generi remedia: ideoque Chriſtum nobis ſpei fundamentum poſitum eſſe. Nec parum habet opinio hæc fundamenti in facto cum enim ob peccatum ex lege, & præſenti, vt aiunt, iuſtitia primi parentes mortem incurrerint ſtatim obeundam vacui etiam liberis tollendis remedio forent, niſi decreto ſtatim Chriſto, in quo tantæ calamitati de remedio prouiſum eſt, eorum vita pœnitentiæ donaretur ſalutari; & eorum filij partim in ærumnarum ſolatium, partim in tranſgreſſionis promitterentur, an denunciarentur ſupplicium: quorſum enim primis parentibus, quibus in iuſtitia conditis benedictionis loco dictum fuerat, *creſcite, & multiplicamini.* geneſ. 1. num. 28. poſt peccatum geneſ. 3 17. dicitur: multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos? niſi, quia filiorum orbitas peccato incurſa, licet non adeo iucunda, vt ſupplicium non ſaperet, eorum propagatione tollebatur, & ſane ni Patrum teſtimonia recitata d. 1. q. 4. cert. 2. num. 3. & 4. quæ ob peccata in plurali præuiſa Chriſtum veniſſe ſignificant inſenſu formali plura formaliter intelligi deberent, ſatiſque eſſet plura virtualiter (quod Adami peccatum fuit, in quo omnes, de para excepta, deliquimus) intelligere, vt non nimis violenter intelligi poſſunt, huic ego ſententiæ facilis acquieſcerem?

***

R. P. Chriſtoph. de Ortega, de Dei incarnat.

CERTAMEN V.

Vltima obiectio eneruatur.

1 VLtima obiectio ſit: poſſe eſſe connexionem aduentus abſoluti Chriſti cum peccato Adami abſolutè exiſtenti, Deique ob illud abſolutè præuiſum motionem, etſi propriori naturæ Chriſtus Redemptor efficaciter ante Adæ, & Angelorum peccatum, gratiam, & exiſtentiam præfiniatur, & exiſtat ſicque initium viarum Domini ſit, vt ſapientia teſtatur etenim, ſi Deus ex ſcientia ſua conditionata videat: ſi complaceam in mundo hoc toto, qui de facto poſitus eſt ex ſubſtantiis, & accidentibus omnibus conſtans, erit: poſita eiuſmodi complacentia res omnes; munduſque eis conſtans erit abſolutè futurus, ac proinde fore abſolutè omnes videbuntur à Deo, quare, & gratia, & peccatum, & Adami; & Angelorum exiſtentia: eis autem ſic à Deo in complacentia illa viſis decernit Deus efficaciter Chriſti Redemptoris exiſtentiam, eamque in actu exercito ponit, vt ſic iam abſolutè futuro præuiſo peccato Adami medeatur: ex eiuſque meritis gratiam, & exiſtentiam Angelis, & Adamo in actu exercito elargitur, viarumque domini in mundi fabrica exercita initium eſt; quin ex efficaci præfinitione Chriſti Redemptoris neceſſitas antecedens peccati, aut amoris Dei erga eius poſitionem abſolutam ſpecie adhuc tenus, inferatur; quæ ex aliorum præfinitionibus Chriſti Redemptoris immediatè poſt ſcientiam mediam peccati, atque ante abſolutam, abſoluteque præuiſam peccati futuritionem concipiuntur, videbatur inferri. Verum diſcurſus hic, qui in inuolucro noſtris Salmantinis Recentioribus ipſius authoribus placet, neſcio an bene euolutus placeret. Primo enim Chriſti exiſtentia, & aduentus pro priori naturæ ad creata omnia eo ſapientiæ loco minimè continetur, vt vidimus. num. 1. & 2. quare huius propoſitionis compoſitio cum alia de neceſſaria præcedentia peccati abſolutè futuri ad decretum de Chriſto Redemptore inutilis, atque otioſæ prorſus cogitationis compoſitio eſt. Mitto diſcurſu hoc naturalem ordinem decretorum diuinorum negligi, qui cauſarum, & effectuum in ſe exiſtentium ordini, & ſignis debet concordare.

2 Secundo neceſſitas præcedentiæ peccati abſolute futuri ad decretum Chriſti Redemptoris eſt neceſſitas præcedentiæ peccati in ſe; exercite futuri, atque, vt talis præuiſi, non autem ſolum in cauſa, & purificatione conditionis, pro eoque purificationis illius ſigno, vt citata Patrum teſtimonia à nobis data cert. 3. & d. 1. q. 4. cert. 2. num. 3. & 4. ſatis oſtendunt, ſuadetque ratio: nam, vt in ſe, & ſecundum ſe videatur peccatum ad ſignum poſterius natura, in quo futurum in ſe, & in actu exercito peccatum erit viſio debet deſcendere, atque in eo illud pertingere: ergo poſt illud ſignum Chriſtus Redemptor præfiniendus neceſſario erit, ſi poſt abſolutè præuiſum peccatum neceſſario ex Patribus, vt fateris, præfiniendus ſit, non autem pro ſigno purificationis conditionis ante Adami exiſtentiam, eiuſque gratiam, & peccatum, pro quo ſolum ſigno abſolutè non eſt, ſed erit cauſalitatis futuritione, quæ ſigno poſteriori effectus futuri completur: non ſecus, atque futuritio temporaria duratione ad præſentem, ex qua res futura eſt, completur: quare hæc videri futura nequit, niſi in illa poſteriori duratione exiſtens videatur. Tertio: complacentia illa Dei de mundo toto, ac rerum omnium mundi congerie, ac ſerie per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ propoſitis Deo ex parte conditionis, &

antecedentis ad futuritionem earum omnium ſub conditione complacentiæ ipſius non eſt cauſa, & conditio adæquata ſeriei illius rerum omnium mundi: ſed cum aliis decretis & cauſis quæ propoſita ſunt quare futuritio peccati, & gratiæ Adami in illa ſola præuideri abſolute minime poſſunt, ſed in decreto producendi primum, quod cauſa eſt ſuo ordine cæterum, ordine etiam ſuo reliqua poſteriora, & poſteriora, poſterius, & poſterius purificationibus ſuarum cauſarum proximarum ſed inquiunt Recentiores ita plane euenisſe, ac proinde Chriſtum in ſcientia illa conditionata præuiſum fuiſſe fore in actu exercito ſub conditione abſolute præuiſi peccati Adæ in cauſa, ſeu purificatione conditionis complacentiæ Dei, non dum autem futuritionis in ſe exercitæ peccati, & gratiæ ipſum antecedentis, quæ dependenter, atque ex meritis Chriſti in actu exercito fuere.

3 Sed contra primo quia vel ante ſtatum futuritionis abſolutæ in conditione purificata præuiſum etiam conditionate fuit peccatum, eique antecedens gratia ſub conditione aduentus Chriſti, vel ſub alia conditione, tanquam proxima, & immediata cauſa, & conditione gratiæ, ſicut ſub conditione gratiæ, tanquam proxima cauſa, & conditione præuiſum peccatum eſt, vel ſub alia conditione proxima: quandoquidem ſub ſolius complacentiæ conditione non erat, neque eſſe poterat futura ſi primum complacentia purificata pro naturæ priori ad gratiam, & peccatum fore videretur abſolutè Chriſtus, ac pro poſteriori gratia Adami, eiuſque peccatum: quare etiam in ſtatu abſolutæ futuritionis tuæ Chriſtus Redemptor præcedet. Nec valet eo admiſſo poſtea ſigna executionis inuertere: cum ſcientia illa conditionata fuerit de rerum cauſis, earumque ex ipſis futuritione exercita in ſe ipſis non autem de futuritione illa ſignata, vt ſic dicam, & logicâ, ſeu arguitiua, quæ ex præciſa conditionis purificatione abſoluta poſitione præciſè eſt: quare, vt rerum poſitio abſoluta conditionatæ, quæ præuiſa ad complacentiam illam eſt, conformetur veraque proinde ex poſitione earum in ſtatu abſoluto, à quo conditionatus ille, pender, probetur gratia, & peccatum in ſe, & exercite exiſtentia debent in ſtatu abſoluto Chriſti aduentum abſolutum præcedere, nec ſatis eſt præcedere, vt futura ſignata, & arguitiua pro ſigno poſitionis complacentiæ, ſeu purificationis conditionis: quæ præcedentia phyſica, & cauſalitatis, ſeu conditionis phyſicæ præcedentis non eſt, ſed logica ſolum, de qua hic non diſputatur. Contra ſecundo: quia pro priori naturæ ad complacentiam illam ſeries rerum omnium propoſita ſupponitur vt in illam ipſam feratur complacentia tanquam in quid in ſtatu, non quidem futuritionis conditionatæ, ſed ſolum poſſibilitatis præſuppoſitum tanquam obiectum complacentiæ, atque ex parte conditionis poſitum ſi complacuero in hac ſerie rerum omnium mundi à me cognita poſſibili erit vt cognita à me eſt: in qua ſerie rerum? in ea, quæ independenter à complacentia, atque vt illius obiectum, ante ipſam, & futuritionem conditionatam ex ipſa complacentia præcognita eſt: ergo illa ipſa ſerie futuræ ſub conditione complacentiæ conditionate res omnes mundi præuidentur: ergo non præuidetur fore Chriſtus ſub conditione peccati abſolutè futuri futuritione abſoluta ex purificatione conditionis, ſeu poſitione complacentiæ, quæ omnino à complacentia pendet, ſed futuri in ſe, & exercite, cum quo pugnat, quod in ſe, & exercite à Chriſti, eiuſque meritis in actu exercito poſitis gratia illud antecedens proueniat, proueniretve conditionate videatur.

4 Demum in id tota hæc machina erecta eſt vt Chriſtus vt Redemptor etiam efficacirer decretus, poſituſque in actu exercito exiſtens ante exercitam exiſtentiam creaturæ vllius mundi defendatur connexus tamen cum peccato, quin Adami neceſſaria libertas aboleatur ad peccandum, & ad amandum peccatum, quod medium neceſſarium ad redemption. m per agendam eſt cogatur Deus: quæ abſurda ægrè vitari poſſe æſtimant Recentiores præfati ſi immediate poſt ſcientiam conditionatam peccati Adæ, atque ante vllo ſaltem modo eiuſmodi peccatum abſolutè præuiſum præfinitio, ſiue decretum efficax, etiam ſcientia illa conditionata regulatum, de Chriſto Redemptore adhibeatur verum incommoda hæc præfata Recentium doctrina haud quaquam miteſcere, ſic facile oſtendo etenim, licet gratia Adami, eiuſque peccatum à complacentiæ illius à poſitione tantum ante decretum efficax Chriſti Redemptoris fore abſolute, atque vt abſolutè futura præuideri à Deo admittamus, cum præfinitio, ſeu decretum hoc efficax Chriſti Redemptoris ante exiſtentiam Adami, gratiæque omnis ipſi collatæ, atque peccati ab ipſo commiſſi exercitam, de factoque in ipſis poſitam pro priori naturæ à Deo habeatur, apponitur ſane aliquid Deum neceſſitans, & cogens ad amandum, eligendumque, & apponendum peccatum abſolute exercitum, ſine quo redemptio, cum qua decretum illud efficax de Chriſto antecedens exiſtentiam exercitam peccati connexum eſſentialiter eſt, eſſe nuſquam poteſt, item appoſitum in eo decreto antecedenti eſt aliquid cum quo peccatum in actu exercito non eſſe nequeat: ac proinde, & Adami libertas ad tranſgrediendum præceptum aboletur: cum ex parte antecedentis decreti ea neceſſitas, atque omnino independenter ab exercitio actuali, & exercito Adami ſit appoſita quare æque dura incommoda illa duo præfinitionis Chriſti Redemptoris ante præuiſum abſolutè adhuc ex purificatione conditionis Adami peccatum in hac Recentium doctrina perſiſtunt: imo cum hi Recentiores gratiam, & peccatum Adami in actu exercito non niſi ſub decreti illius efficacis de Chriſto. Redemptore conditione futura admittant; eoque decreto antecedenti peccatum poſito neceſſarium ſit antecedenter peccatum, ſcientia conditionatæ huius futuritionis peccati in actu exercito apponendi ſub complacentia illa, vt de facto ea purificata poſitum in actu exercito ſit, non media quidem, ſed naturalis, & neceſſaria erit: quare apertius decreto Redemptoris Chriſti, quam præfinitione alia poſt ſcientiam mediam immediata habita peccati libertas aboletur eius enim præfinitionis poſitionem antecedenter auferri poſſe à voluntate ſe circa peccatum exercente non minus, quam obiectum, & ſcientiam conditionatam qua eſſentialiter regulatur eius doctores ſpecie ſaltem aliqua contendunt: quod huius doctrinæ authores ne ſpecie quidem tenus poſſunt prætendere.

QVÆSTIO II.

De Mariæ Dei, hominumque Parentis ab originalis, debito etiam, immunitate.

AD fuſiorem diuiparæ ab originali immunitatis tractatum ſatis me ob pigno-rabant, & generis, & ordinis, mei pietas auita verum non eis ſolum titulis piæ huius ſententiæ, ac veritatis defenſioni adſtringor. fatear enim lubens, quod diuinæ miſericordiæ debeo non inuitus. Me ſcilicet, non tam quia ſocietatis Ieſu alumnum illius propugnatorem, quam quia eius propugnatorem ſocietatis Ieſu alumnum eſſe cum enim de ignatia fæculo ad religionem euocarer, genioque, an numine ad dominicanam, apud quam immaculata virginis conceptio minus audit, bene vehementer impellerer, ne contra tantæ, tamque communis matris honorem fors aliquando

quando crederem, ſimularemvè quidpiam, vel ſaltem aliquid diſſimularem, ad ſocietatem noſtram, in qua plena ſemper diuini parentis extitit laus tanquam ad mariani honoris, & pietatis aſylum confugi. Cum ergo ex hoc diuinorum decreterum ordine, quem verſamus virilis, & theologica pro vtraque, & ab originali, & ab huius debito Virginis immunitate in primis ratio pendeat, vt non vtrumque ad plenum ſurda re per tempus, præſenſque inſtitutum nobis liceat, aſt difficilioris immunitatis à debito, quæ ſola iam diſputationibus vlterioribus eget, propria loci huius fundamenta præterire per pietatem non licebit.

CERTAMEN I.

Ad deciſionem notata.

1 VT difficultatis punctum clarius diſpiciatur, nota primo: debitum originalis poſſe ſine originali eſſe. Etenim in quocumque originale conſiſtat debet incurri vi incluſionis in pacto poſitionis peccati Adæ, atque originis ex ipſo quare, licet quis contra horum omnium vim gratia à Deo in ſui conceptione donaretur ab originali quidem, nõ autem à debito contrahendi illud eſſet immunis, quocirca Ægydius de præſentatione audiendus non eſt, 4. de concept. q. 4. art. 5. à §. 2. dum ait, ab his omnibus quæ B. Virginem ab originali liberant, à debito etiam eſſe liberandam: ipſa ſiquidem gratiæ infuſione, qua originale, aiebat, ille impeditur, & debitum aboletur; non ſecus atque in nobis cum ab originali per gratiam emundamur contracto, debitum originalis auferatur: verum debitum paſſiuum exigentiæ, ſiue obnoxietatis contrahendi culpam originalem ex vi incluſionis in pacto tranſgreſſionis Adæ, atque originis ex ipſo cum debito pecuniario, quod ipſa pecuniæ ſolutione remiſſione ſoluitur male confundens Ægidius immerito contra DD. omnes inſultat cum tamen qui originale non contrahit, debitum contrahendi non ſoluit, quin in eo gratiam Dei, & beneficium debeat recognoſcere, quod peccatum non contraxerit quod debebat, nos autem cum à contracto per gratiam liberamur debitum illud contrahendi eximus non quidem gratia ipſa, ſed incurſione in peccatum, quod cum ſemel ſolum incurrere deberemus vbi ſemel incurrimus debito incurrendi ſatisfecimus, quamquam debito alio carendi gratia, & beneficio Dei quæ formalis dignitas demeritoria mortalis cuiuſvis eſt, ipſique identificata: quare mortali ſublato, & ea dignitas neceſſario aufertur. Cùm ergo debitum pecuniarium in ablatione, ac retentione alieni inuito Domino ſtet impoſſibile eſt reſtitui ablatum, vel remitti quin retentio contra voluntatem Domini, ac proinde, & debitum ſubiectionem ceſſet; aſt cum debitum contrahendi originalem pacto, tranſgreſſioneque Adami, atque origine ex ipſo, vel ſtet adæquatè, vel fundetur quandiù hæc adſunt debitum contrahendi conſiſtet, etſi originale non contrahatur: vi autem debitum hoc alicui ex poſteris Adæ, non adſit aliquid ex tribus illis, quæ illud, vel fundant adæquatè, vel conſtituunt, ipſi abfuiſſe neceſſarium eſt: quocirca, cum propagatio, & origo ex Adamo nulli eius poſtero deficiat, cum ex ea origine eius poſteri ſint, incluſio ipſius in pacto de gratiæ priuatione, vt de facto fuit initum, deeſſe debet, vt debito originalis contrahendi liberetur.

2 Nota ſecundo in pacto illo de transfundenda gratia in poſteros Adæ, nõ potuiſſe eſſe generalem conditionem transfuſionis in omnes obſeruationem præcepti, neque priuationis gratiæ reſpectu poſterorum omnium ſine exceptione vlla præcepti tranſgreſſionem: ex hoc quippè ſecundo fieret, vt nullus ex Adæ poſteris in gratia concipi, ac non in peccato deberet trangreſſione poſita: ex primo autem, quod ex iiſdem nemo, etſi contra originalis debitum in gratia concipe-retur, gratiam originalem reciperent: etenim id ſolum originale eſt, quod vi originis habetur, non autem quod quaſi caſu, nulloque originis iure cum ipſo coniungitur; cum autem deiparæ gratia in conceptione ipſius habita originalis gratia, & iuſtitia à, fere omnibus Theologis, ac tota penè Eccleſia admittatur reſpectu ipſius in deiparam vi originis transfundendæ obſeruationem præcepti, quæ non adfuit conditionem non fuiſſe, ſed ſolam eius ex Adamo propagationem certiſſimum eſſe debet: idcirco communi modo conſtituendi pactum Dei cum Adamo de gratiæ in poſteros tranſfuſione, vel non transfuſione non ſatis firmiter acquieſco. Sic enim vulgo ſtatutum pactum inter Deum, & Adamum putatur. *Do tibi gratiam transfundendam in poſteros omnes ſi præceptum obſerues, ſi autem illud transgrediaris, & te, & illas (excepta ea, quam in matrem elegero) gratia priuabo.* Putatur enim exceptione illa matris ſuæ Deum firmaſſe in contrarium legem, & pactum de gratia non transfundenda in Mariam, etſi Adamus parens peccaret; ac proinde vi pacti huius, & originis Mariæ matris ex Adamo transfuſionem gratiæ deiparæ deberi. Cæterùm: ſi reſpectu omnium omnino poſterorum præcepti obſeruatio, nec ſola origo ex Adamo, conditio ad gratiæ in ipſos transfuſionem in prima pacti parte fuit appoſita, non niſi ea purificata, atque obſeruatione præcepti ab Adamo adhibita, transfuſio gratiæ ex Adamo ipſo in poſterum vllum eſſe poterit, vi partis illius pacti poſteris proficuæ, ex qua ſolum ipſis deberi transfuſio gratiæ poteſt, etſi poſtea in parte pacti poſteris nociua exceptio illa electæ, ſiue eligendæ in Dei matrem fœminæ accedat. Etenim licet ea exceptione appoſita vi originis ex Adamo pacti, & tranſgreſſionis gratiæ priuatione electa in matrẽ incurrere, non debeat, quod ſatis eſt, vt neq; originale debeat incurrere, aſt non debet vi originis gratiam recipere, cum ſola origo ſine præcepti obſeruatione conditio ad gratiæ in poſterum quemque Adami transfuſionem non fuerit. Sic igitur pacto toto conſtituto integrum prorſus Deo vi etiam pacti illius eſt poſita origine ex Adamo electæ in ſui matrem, gratiam, vel denegare, vel conferre quin vi originis ex illo eam conferre ipſi teneatur ſolum enim habet ea exceptione electa in matrem Dei, ne gratiæ recipiendæ in ſui conceptione origo ex Adamo, eiuſque tranſgreſſio ſicut poſteris reliquis obſit, non autem, vt gratiæ tunc ab ipſa recipiendæ origo proficiat: quare ſic conſtituto pacto gratia, & iuſtitia deiparæ, quantumuis in conceptione recepta, originalis non fuiſſet, vt fuiſſe clamant piæ opinionis Doctores.

3 Vt ergo originalis deiparæ iuſtitia, & gratia cum omnib. pię huius ſententię affectis defendatur ita pactũ ſtatuendum eſt, vt reſpectu Mariæ Adami filiæ ſola origo ex ipſo ad gratiæ transfuſionem in pacto requiratur. Id quod pacto illo cõmuniter ſtatuto non cõſiſtere nuper oſtendebamus. Altero autem ex tribus modo conſtituto pacto conſtabit. Primo: ſi pacto illo, quod communiter circumfertur exceptioni eligendæ in Dei matrem addatur: *Excepta ea, quam in matrem elegero cui è ſola propagatione ex te Adamo gratiam, quam in te pono transfundam, etſi præceptum meum trangrediaris.* Secundo modo ſi addatur ex parte etiam proficua poſteris in pacto illo exceptio ſimilis: *do tibi gratiam transfundendam in filiam tuam, quam elegero in matrem: atque in poſteros reliquos, ſi præceptum obſerues; ſi autem transgrediaris illud, reliquos ab illa poſteros gratia priuabo.* In primo autem modo duriuſculum videtur, quod ex hipotheſi transgreſſionis, & peccati Adami, ac proinde, & Adami peccatoris gratia, quam iam amiſiſſe ſupponitur, vi originis ex ipſo transfundenda in poſterum afferatur: id quod, licet obiecta poſteri illius maternitatis Dei dignitas vincere abſolutè poſſit duriuſculum videtur: facilíuſque, ac ſuauius vellem diſcurſus noſtros theologicos componi. In ſecundo vero modo nihil duritiei illius inuenitur: quare illi maximè acquieſcam, niſi doctis tertius modus ſcripturæ accommodatior fortaſſe videatur. Tertius igitur modus conſtituendi pactum Dei cum Adamo de

transfundenda in eius posteros gratia sic hebet. *Do tibi gratiam transfundendam in posteros: si autem præceptum meum transgrediaris posteros reliquos tuos, præter matrem meam, gratia, eiusque transfusione priuabo.* In hoc tertio modo, sicut in secundo cessat illud, quod vi originis ex Adamo suppositò, siue in hypothesi Adami iam peccatoris gratia postero ipsius alicui transfundenda promittatur: solumque admittitur in tantæ matris suæ honorem pactum de transfundenda gratia vi originis ex Adamo; tunc, cum iniebatur Deo amico reuocatu pro ipsa non fuisse: ac proinde vi originis ex Adamo in gratia, & iustitia propriè, & rigorosè originali fuisse conceptam: nec deest cogitationi huic in genesis historia fundamentum: quia de pacto Dei cum Adamo inito, quoad transfusionem gratiæ in posteros nulla est de obseruationis præcepti conditione mentio: quare, & ab ea absolutum fore videretur, nisi limitatio illa ad negationem transfusionis, & priuationem gratiæ posterorum Adæ legeretur genes. 2. n. 17. *in quocumque die comederis morte morieris*: siue vt vertit Hebræus Philo, *morte moriemini*, quibus verbis non contineri Virginem beatam, sed, vel exceptam subintelligi, vel supponi ij omnes censent, qui etiam originalis debito supponunt immunem. Cæterùm non admodum aprè in prima illa proficua nobis parte pacti ad transfusionē gratiæ in omnes vniuersim homines sola origo ex Adamo vt conditio, requireretur, statim adeo vniuersim, vel limitanda, vel retractanda: quare secundo illi modo assentior, præsertim cum nihil pro hoc tertio ex scriptura firmum reperiam, in qua, nec tertius exprimitur, neque secundus ille improbatur.

4 Nota tertio, vt priuatio gratiæ nostra, nostra etiam culpa sit, nec solum Adami in posteris ob propriam ipsius transgressionem pœna, oportuisse, vt ex pacto etiam liberè vtrinque inito Adamus posterorum nomine obseruaret, vel non obseruaret siuè violaret præceptum, vt sic Adami transgressio, posterorum etiam transgressio foret, atque hi moraliter in ipso delinquerent: sicut de omnibus eius communibus posteris (dixi communibus, ne Mariam videar comprehendere) in Adamo peccasse Patres consonè docent. Facilius autem ea intelligitur, quomodo Adæ peccatum, posterorum etiam peccatum fuerit: quomodo etiam, si vlterius priuatione nostra gratiæ præter nostri ex Adamo propagationem, & existentiam originale nostrum constituatur, non sola Adami in filiis pœna, sed & eorum sit culpa: multoque adhuc facilius intelligitur, quod æstimo verius, sola propagatione ex Adamo, qua eius posteri sumus, fieri nos originalier peccatores: quia nimirum peccatum quod in Adamo, posterorum etiam de se erat, vbi primū ex ipso orti adiunt eos inficit, ni gratia præueniantur: solum quippè expectabat posterorum Adæ existentiam gratia vacuam, atque expeditam, vt qui in alio peccauerant in se peccatores fierent. Obseruaret vero, ac de facto violauit Adamus præceptum nomine posterorum collocatis ex Dei oblatione, & libera Adami acceptatione nomine posterum voluntatibus in voluntate ipsius, siue in ipso eorum capite prudentissimo, sapientissimo, ornatissimo, sanctissimoque: non secus atque pupilli voluntas è iudicis decreto, & curatoris acceptatione in huius voluntate, seu volitione physica ritè, & validè quandoque collocatur.

5 Hinc nota quarto: Voluntates aliquorum posterorum potuisse ita in Adami voluntate constitui, vt, quoad obseruationem tantum, non autem, quoad transgressionem collocarentur. Cùm enim ea collocatio è Dei, & Adami mero arbitrio pendeat, si Deus, & Adamus ita inter se conuenerint, vt solum quoad obseruationem, & pacti proficua, non autem, quoad nociua posterorum aliquot nomine, & persona Adamus agat, nusquam quoad nociua, factum Adami illorum erit, seu quod quidem est pro illis tenebit. Id quod pupilli, & curatoris nuper tacto exemplo vulgari, & appositissimo clarebit. Curatoris enim pro pupillo actiones ciuiles, si huic proficuæ sint, pupilli etiam actiones ratæ habentur in iure, nociuæ autem non item: neque enim pupilli actiones ratæ, & validæ ciuiliter reputantur in iure nociuæ ipsi actiones curatoris: ac proinde illi competit in integrum restitutio, vt ad litem integram denuo possit accedere: quod, si quoad nociua etiam, pupilli voluntas in voluntate curatoris esset absolute constituta, fieri nequaquam posset. Dices tamen: libertas essentialiter est libertas ad vtrumlibet: ergo nequit esse libertas Adami ad obseruationem, posterorum etiam libertas ad obseruationem, quin sit eorum etiam libertas, quoad non obseruationem, siue transgressionem constituatur. Argumentum probat etiam contra Pupilli, & curatoris exemplum vulgatissimum: sed contra neutrum probat. Nam libertas moralis, seu imputatiua, & in alio dicit, quod ille alius nomine, & ex persona alterius physicam suam libertatem exerceat: potest autem illam exercere nomine alterius, quoad vnum extremum, ac non, quoad aliud, vt de se patet, atque exemplo Pupilli, & curatoris.

6 Nota quinto contra plures, præcipuè tamen contra Complutenses Recentiores: opus non esse eos omnes, siue viros, siue fœminas, qui originale contraxerunt inclusos fuisse in pacto illo à Deo cum Adamo inito pro signo libertatis Adami, & indifferentiæ ad obseruandum, vel transgrediendum præceptum: neque opus item esse eorum voluntates absolutè in Adami voluntate inclusas, pro illo etiam signo præcedere; sed satis omnino esse, si conditionate ex parte obiecti includerentur, eorumque voluntates in Adami voluntate collocarentur sub conditione, posterius etiam natura pacto, imo, & peccato, putificanda. Ratio à priori est: quia constitutio hæc voluntatum posterorum in Adami voluntate nihil est aliud, quam velle Deum, & Adamum, vt hic eorum nomine, & quasi ex eorum personis suam circa obseruationem, vel transgressionem præcepti libertatem exerceat: potest autem vterque pro suo arbitrio velle, vt illam exerceat nomine aliquorum, vel plurium, & plurium sub conditione in signis posterioribus pacto, & exercitio illius libertatis purificanda: siquidem, cum totalis causa physica illius actionis sit physica Adami libertas, quin ad physicam eius actionis elicientiam voluntatum aliarum in ipso collocatio vllatenus, ex parte principij requiratur, ad moralem imputabilitatem satis erit velle, vt illorum ea actio sit sub hac vel illa conditione, posterius etiam vsu libertatis purificanda: dummodo ante eiusmodi vsum absoluta sit ex parte actus voluntas illa conditionata ex parte obiecti. Probatur secundo exemplo illo curatoris, & Pupilli: huius enim nomine, ex eiusque persona curator agit item: valide quidem, si actio curatoris Pupillo proficua est: cum tamen esse proficuam post vsum facultatis, & libertatis curatoris est, siue facto ipso, & vsu resultet: quare, & potestas illa, seu voluntas pupilli, quoad ciuiles actiones in voluntate curatoris ex decreto iudicis, & acceptatione curatoris conditionate collocatur sub conditione posteriori natura, vsu, & exercitio libertatis physicæ curatoris.

7 Tertio probatur. Nam collocatio hæc voluntatum nostrarum in voluntate Adami de facto non fuit absoluta prorsus, sed conditionata ex parte obiecti sub conditione nimirum nostræ propagationis ex ipso: vnde, si ex nobis aliquot homines aliunde, quam ex Adamo propagarentur, à Deo vè conderentur, neque essent absolutè in pacto illo inclusi, neque eorum voluntates absolutè in Adamo collocatæ: quare, neque in Adamo peccassent, neque originale contraherent: quia conditio propagationis ex Adamo purificata in eis non esset: ac proinde nec pacti voluntates transirent in absolutas: atqui conditio hæc propagationis ex Adamo purificanda, purificataque fuit in aliquibus, (ne dicam in omnibus,) post pactum, collocationem nostrarum voluntatum in voluntate Adami, vsum libertatis eius in transgressione, & peccato, imo post Christi aduentum & merita, quæ posterius natura Adami peccato fuere

fuere, ergo voluntas Dei, & Adami pacisentium, vt vsus libertatis ipsius quoad transgressionem, vel non transgressionem esset moraliter vsus nomine & ex persona posterorum, ac proinde collocatio voluntatum posterorum licet absolutè ex parte actus fuerint, fuerunt tamen conditionatæ ex parte obiecti sub conditione posterius natura pacto, vsu libertatis Adami, eiusque peccato. Minor, quæ sola probationem desiderat probata manet, disp. 1. quæst. 4. cert. 2. atque proximius, quæst. 1. cert. 3. num. 3. vbi ostendimus homines plures fuisse meritis Christi remunerandis post Adæ peccatum decreti ex suis parentibus, quare, & ex Adamo tandem propagatos. Denique huius cogitationis, obseruationisque nostræ veritas & vtilitas clarebit magis certam. 4. vbi in aduersa doctrina immunitatem deiparæ à debito originalis defendi nullatenus posse contra hactenus excogitatos illam tuendi modos solidis impugnationibus ostendemus.

CERTAMEN II.

Mariana à debito originalis immunitas ab authoritate fundatur.

1 DOctores, qui Virginis à debito etiam originalis, immunitatem approbant, vel defendunt, ex nostris sunt R. P. Petrus Canisius cognomento germaniæ Apostolus lib de deipara c. 27. §. *Ad Thomam* vbi ab illo *omnes in Adam peccauerunt*, in quo est originalis debitum, Virginem excepit Salmeron. in cap. 5 ad Roman. d. 49. pag. 617. & 619. colum. 2. Franciscus Turrian. epistol. ad Iacobum Amiotum, ac de peccato originali §. *Sed iam accessuri* ad finem Angle, in floribus 2. sententiar. disput 31. quæst. 1. appendice 6. Iustinianus in 1. 2. ad Timoth. num. 6. Cosmas Magallanes ad eundem locum sect. 3. annotat. 6. §. *Addo mihi videri*. Valentia t. 2. d. 6. quæst. 11 pu. 1. & 4. ac disp. 2. quæst. 1. punct. 2. vbi tacitus assentit, dum ea de re Catharinum non improbat Ludouic. Pont. in cant. exhortat. 20. §. 3. Ferdinandus de Salahar, de concep. cap. 24. Salas t. 2. tract. 13. disp. 11. sect. 5. quæstiunc. 11. Granad. mémeliora sapiens controu. 2. de incarnat. tract. 1. d. 3. sect. 22. Alarcon obiter tractatibus de volunt. & prædest. & fusius publicè dictato Complut. manuscripto de incarnatione Perlin. libello Apolog. pro immaculata conceptione disput. 4. cap. 14. Barradas. tom. 1. in Euang. lib. 6. cap. 3. Benedictus Fernandez cap. 9. in genes. cap. 9. sect. 8. Lugo disput. 3. sect. 3. num. 37. Ambros. Pennalosa. in suis vindiciis disput. 10. à num. 5. Bernardus Aldrete de incarnat. tom. 1. dip. 22. à sect. 4. iamque ex pluribus retro annis omnes Magistri nostri recentiores in manuscriptis, ac tam specialibus, quam generalibus thesibus propugnandis; ex alienis vero Doctoribus Nicolaus Decusa Nicolai Pa. 4. Cardinalis tom. 2. ad id canticor. 2. versu 2. *Sicut lilium inter spinas* Ambros. Catherin. opusc. de conceptione, part. 1. à §. *Priusquam vero*, Cornelius Musus Episcop Bitonti nus in epist. ad Rom. cap. 5. Bernard. de Bust. 1. part. Marial. serm. 9 part. 2. Ægyd. de præsent. 4. de concep. quæst. 4. art. 5. à §. 2. Lehana Carmelit. Apolog. pro concept. cap. 32. Clictobæus de concept. Virgin. cap. 8. Basil. Legionens. 1. p. variar. relect. 3. quibus accedunt iam Franciscani omnes Doctores, qui passim cussis pro hac Mariæ à debito originalis immunitate, & libellis, & thesibus nobiliter à suo præceptore Scoto degenerarunt, ne à pietate erga communem matrem pietate deficerent. Et quidem Soarius noster t. 2. 3. part. disput. 3. sect. 2. §. *Queret aliquis* hanc sententiam probare videtur, & clarius adhuc t. 2. tractat. de peccatis disput. 9. sect. 4. cui & nos sententiæ libenter subscribimus.

2 Iam ex Patribus Richardus Victor. in Breuiario Romano edito Lugduni anno 1544. lect. 6. festi de concep. sic habet. *Non decuit, vt caro Mariæ, qualitumque foret obnoxia culpæ.* Ergo nec originali quæ qualitumque culpa est, atque in cap. 2. & 6. cantic. *Tota fuit pulchra, quam totam possedit gratia: quia nullum in ea locum habuit peccatum.* Si autem debitum haberet locum in ea destinatum habuisset peccatum, etsi eam non occupasset. Petrus Damian. serm. de natiuit. Virgin. apud Soar. disput 3. cit. sect. 5. *Quid vitij in eius corpore, aut mente vendicare sibi potuit locum, quæ totius diuinitatis meruit esse sacrarium?* Eadem ferè habet Augustinus, seu, qui eius nomine author est sermonis de natiuit. Virgin. apud Iacobum de Valentia in id canticor. 1. 12. *Dum esset Rex.* Potuisset autem locum sibi vendicare peccatum, quæ obnoxia de le ac destinata esset peccato. Simile argumentum continēt verba Chrysippi Hierosol. Præsbiteri ser. de S. M. dicens: *Ane solis ortus, qui nullum ferre potest occasum.* Si enim ferre debet, quo pacto ferre non potest? Germanus Patriarcha serm. de zona, & fasciis B. Mariæ illud psalm. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Explicans apud Surium die 31. augusti. ait: *Puritate omnibus antecellentem Mariam nulli penitus culpæ affinem.* Esset autem affinis culpæ, si peccato esset obnoxia, & quod idem est, in Adamo peccasset. Rupert. 6. in cantic. ad id *Duo vbera tua*, sic Virginem alloquitur. *Libera es ab omni iugo peccati.* Ast si iugo peccati subiaceret, seu eius debito subiaceret, à subiugatione quidem libera esset, si non peccasset, à iugo autem libera esse non posset.

3 Anselmus serm. de concept. in Breuiario Noguerolis approbato à Sixto 4. lect. 1. die 4. infr. octau. pendens illud Pauli *omnes in Adam peccauerunt*; sic ad Mariam ait. *Sicut te, non intra omnia, sed supra omnia, quæ facta sunt ineffabili modo contueor: ita te non lege naturæ aliorum in tua conceptione deiunctam esse opinor.* Quid clarius? Lex enim naturæ etiam debitum est.

3 Sed clarius idem Anselmus apud Breuiarium idem die 6. infra octauæ eiusdem in eam ipsam sententiam iterum Mariam alloquitur. *Te morte peccati in tuo conceptu potuisse prægrauari, considerare animus hoc vetat, intentio abhorret, lingua fateri non audet.* Quo autem pacto non potuit si debuit; Cyprianus, seu quicumque eius nomine author est libri de Cardinalibus Christi operibus, serm. de natiuit. ita scribit. *Quoniam plurimum à cæteris differens natura communicabat, non culpa*: ergo neque culpa in Adamo cæteris communicabat ab eis plurimum differens Maria, quorum culpa erat, culpa in Adamo, quod si in Adamo cum cæteris non peccauit, neque obnoxia originali fuit, debitumve huius incurrendi contraxit, debitum quippè hoc atque peccato originali obnoxietas à peccato in Adamo diuidi nequit Augustinus t. 7. lib. de natura & gratia cap. 36. ait, de Maria *nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Ergo nec cum de peccato in Adamo, ac proinde, & debito originalis agitur, quæstionem vult habere de Maria, maximè, quia si in Adamo peccasset non posset de eius originali, quod peccati in Adamo consequens naturale est, quæstio haberi, atque infra scribit *plus gratiæ Mariæ collatum esse ad vincendum omni ex parte peccatum*: ergo ad vincendum etiam peccatum in Adamo, alioqui non omni ex parte peccatum venisset. Rursus tom. 10. sermone vndecmo, in narali Domini, ait, cum dixit Angelus: *gratia plena, ostendit ex integro iram excluſam primæ sententiæ.* Non esset autem ira primæ sententiæ ex integro excluſa, si in Adamo peccasset, ac debito originalis subiaceret: cum vtrumque ex primæ sententiæ ira sit S. Iacobus sua liturgia, t. 6. Biblioth. Patrum nouæ *omnibus modis irreprehensam Mariā appellat*: ergo neq; ob peccatum in Adamo, quod licet in illo ipsius peccatū foret, si in illo peccasset. Hier. in breu. Hisp. lect 1. die 2. infra octau. concep. *quidquid in Maria gestum est, totum puritas totum gratia est.* Non esset verò totum gratia, & puritas, si in Adamo peccasset. Idem Hieronymus serm qui habetur in officio de conceptione Franciscano approbato à Pio 5. in 2. nocturno. *Ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Neque in Adamo scilicet, neque in peccato illo.

4 S. Theſiphon. Martyr Iacobi minoris diſcipulus lib. plumbeo ex repertis in ſancto monte granatenſi anno 1595. *Mariam non tetigit primum peccatum.* At tetigiſſet ſanè, ſi in Adamo peccaſſet. S. Dominicus apud Coccium lib.3.articulo 1.& apud Breuarium Romanum probatum à Sixto IV. atque editum Lugduni: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & numquam maledicta formatus, ita decuit in ſecundo Adamo fieri.* Conſonant autem hæc verbis Eccleſiæ Achaiæ in paſſione S. Andreæ, quæ ab illa, vt verba eius Apoſtoli ad Tyrannum Ægeam referantur, atque vt ipſius quæ tota Eccleſia Chriſtiana in eius feſto recitantur: *quomodo de immaculata formatus fuerat homo primus, ita neceſſarium fuit, vt de immaculata virgine natus Chriſtus &c.* ergo legi peccati, quæ maledictio terræ, ſeu naturæ humanæ fuit, B.Virgo non fuit ſubiecta; in quam ſententiam ſcripſit S. Ildephonſus lib.de parturit. & virginit. Mariæ circa med. aſſerens, *eam in totum fuiſſe extraneam à maledicto primæ damnationis.* Dixerat autem ſuperius, *quod, Maria nec Adam,* ſcilicet, qua peccatorem non qua Patrem, *ad ſe admiſit:* quare quod neque in ipſo peccauit, ſed quatenus ad Mariam attinet, Adam, ac ſi non peccaſſet exiterit. Adeſt etiam nobis oratio Miſſalis Romani, editi Lugduni anno 1545. pro die, & feſto conceptionis quæ hodie huius myſterij deuotis ex vſu quotidiano eſt, ſicque habet. *Deus qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitabulum præparaſti, concede quæſumus; vt ſicut ex morte Filij tui præuiſa eam ab omni labe præſeruaſti, &c.* Cui conſonat oratio alia officij memorati Noguerolis: *Deus, qui immaculatam Virginem Mariam, vt digna Filij tui Mater exiſteret, ab omni labe peccati in conceptione ſua liberaſti, &c.* Sed an non peccatum ipſius in Adamo lapſus, ſeu labes eius in illo effet? Recitari poterat Anſelmus, iterum Anſelmus ad c. 5. epiſt. 2. ad Corinth. *omnes mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, dempta Dei matre, ſiue originalibus, ſiue actualibus.* Etenim ſi originalia in plurali ad Mariæ exceptionem referantur, cum in vnoquoque in ſe vnitum ſolum contrahatur à contracto inſe, & contracto in Adamo, B. Virgo aſſeritur immunis, quatenus, & immunis à debito, cum ita ſolum reſpectu eiuſdem intelligi plura originalia queant. Sed primo, pluralitas originalium reſpectu omnium reliquorum verius, ſinceriuſque intelliguntur. Secundo eius operis author Anſelmus non fuit, ſed doctiſſimus, & notiſſimus ſcriptis ſcholaſticis ſuis Heruæus generalis ſacri ordinis Prædicatorum Magiſter. Idcirco eiuſmodi teſtimonium adhibui mihi pro re præſenti non ſatis firmo, quia pro immunitate Deiparæ ab originali perſpicuum eſt, tantique ex aduerſa huic myſterio familia Doctoris.

5 Sed adhuc pendenda eſt ratio Anſelmi recitati num. 2. fine illis verbis: *Ita & te non lege naturæ aliorum in tua conceptione opinor.* in quibus naturalis, & ſolida Marianæ huius à lege, ac debito originalis peccati, è dignitate, & gratia maternitatis Dei continetur, Licet enim in naturam humanam totam vniuerſim ea maledictionis lex, eo quod à tranſgreſſore Adamo propagata fuerit, lata videatur, Id tamen de Principis Dei legiſlatoris matre intelligendum minimè eſſe ratio ipſa videtur monſtrare, ſicut nec de Principe ipſo, quocum ipſius Mater moralem quandam non vnionem modo, ſed vnitatem, & identitatem iudicatur habere, ac proinde à lege, quæ Principem legiſlatorem non tangit cenſetur exempta, argumento Vlpiani in l. *Princeps*, Digeſtis de legibus, quæ ſic habet. *Princeps legibus ſolutus eſt, Auguſta autem licet legibus ſoluta non eſt, Principes tamen eadem ipſi priuilegia tribuunt, quæ & ipſi habent.* Hinc audire mihi videor ſupremum Creatorē Imperatorem Virgini matri illis hac ſuper re loquentem, quibus olim Artaxerxes Aſſuerus pauidam Iudæam, Eſtherem ſponſam, ac Reginam ob legem de excidio Iudæorum omnium vniuerſim latam, fuit alloquutus Eſther 15. *Noli metuere, non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex, maledictionis & peccati, conſtituta eſt.* Si autem, licet pro omnibus ea lex ſonet, pro Matre Dei legiſlatoris ea dignitas, atque ſponſæ Dei conſtitutam non eſſe demonſtrant, vbinam eius in Adamo peccatum, vbi eius ad originale incurrendum debitum, & vt ita dicam obnoxietas, quæ non niſi conſtante contra ipſam lege poſſunt conſiſtere. Diſcurſum integrum ad rem hanc mutuatis etiam ab Aſſuero verbis approbauit Sixtus Pap. 4. dum Authoritate Apoſtolica memoratum Noguerolis officium approbauit anno 1480. die 4. octobris pontificatus ſui anno decimo: ſiquidem in reſponſorio lectionis 9. Matutinorum hæc habentur: *Omnes moriemini, quia in Adam peccauiſtis; Tu vero, ne timeas ô Maria inueniſti gratiam apud Deum; Non enim pro te ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.*

6 Aliam adhuc huius veritatis rationem, & confirmationem ex eodem Anſelmo non omittam. Etenim ille libro de conceptu virginali roganti Boſſo: *Quo modo Deus accepit naturam de maſſa peccatrice ſine peccato.* Reſpondit: *Nempè decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſeipſum diligebat, ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet vnus, idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ipſe filius ſubſtantialiter facere ſibi matrem eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & naſceretur ille, de quo procedebat.* Quam eandem rationem dederat antea Anſelmus idem lib. de conceptione Virginis, & peccato originali capite decimo-octauo, ſcilicet: *Oportuiſſe Dei Matrem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequeat intelligi*: Poſſet autem maior puritas ſub Deo intelligi, ſi Maria in Adamo peccaſſet, & debitum originalis incurriſſet. Puritas enim cum receſſus à peccato ſit eo maior eſt, quo diſtantior quis eſt à peccato: vnde Deus puriſſimus eſt, quia etiam in actu primo à peccato recedit, quia nullam ad peccandum potentiam habet quare maior erit ſub Deo puritas creaturæ, quæ licet habeat potentiam ad phyſicandum, vt de Deipara communiter ſtatuitur tamen debitum ad peccandum originaliter non habet, neque in Adamo peccarit. Quæ ratio, & tentatam à noſtro Vaſquez ſolutionem tertia parte, tractatu ſecundo, diſputatione 117. capite 11. præcludit, & ſanctus Thomas in 1. diſputatione 17. quæſtione ſecunda, articulo 4. ad 3. & diſputatione 44. quæſtione vnica, articulo 3. in noſtram ſententiam pertraxit, vt mox videbimus. Miraculi vero inſtar eſt audere aduerſarios piæ opinionis aliquot ſancti Anſelmi auctoritatem nobis obiicere ex libris *cur Deus homo*, de quibus ipſemet ibidem fatetur maiori, quam par eſſet, breuitate, ac feſtinatione à ſe compoſitos editoſque fuiſſe. Verum neque ea ſcribendi, edendique celeritas in cauſa eſſe potuit, vt contra eam ſententiam, quæ altè adeò ipſius menti, cordique inſederat ipſius cogitatio nedum calamus dictaret quidquam: maximè cum aliter ſuo tempore opinantes, ac celebritatem omnimodæ in Marianæ ab ab originali derrectantes ferè immodeſta pietate his obiurgauerit homil. de hac feſtiuitate. *Erubeſcant omnino, qui tantam diem, tantaque Sacramenta ac myſteria tenebris ignorantiæ inuoluti reſpuunt celebrare: eo quod viri, & mulieris copula in conceptione virginis exiſtit.* inferius: *Si non placeat illis celebrare ſolemnia conceptionis carnalis Dominicæ Matris, placeat illis colere animæ eius ſpiritualem creationem, ac corporis, & animæ copulationem*: atque inſuper epiſtola integra ad Coepiſcopos ſuos ad huius myſterij celebrationem fuerit adhortatus, eaque obtinuerit ab Eccleſia Lugdunenſi, vt eiuſmodi ſolemnitate initium faceret, ac reliquis glorioſum exemplum, vt ſermo Anſelmi ex eiuſdem de ea feſtiuitate ſcriptus, ſeruatuſque in oratorij Romani Bibliotheca, atque à Baronio perlectus, & Baronius ipſe in ſuo Martyrologio, Rom. die 8. decembris teſtantur. Aduerſa igitur noſtræ, ac ſuæ ſententiæ Anſelmi verba, non aſſerentis, ſed Boſſi dubitantis, & quærentis fuere, quomodo Deus accepit naturam de maſſa peccatrice ſine peccato, ſicut libro citato de conceptu virginali iterum quæſuit. Supponitur enim ibi, Deiparam non ſolum peccato obnoxiam in eoque concepram, ſed & natam fuiſſe, quod ne bardus quidem homo, nedum doctiſſimus

Anſelmus

Anſelmus tunc aſſereret cum Deiparæ nativitas à tota celebrabatur Eccleſia, nec Mariæ ſolum, ſed & Baptiſtæ natiuitas; Licet autem Anſelmus dixerit Mariam fuiſſe de his qui mundati ſunt per Chriſtum non eius conditionis eſſe volut, ſed generis, nihilque curauit tunc de eius immunitate à debito, originali, quia ad conſequentiam de immunitate Chriſti ab originali nihili referebat alterutrum, quemadmodum & alia, quæ Boſſus ibidem ſupponit non reiicit, nec declarat, quia præſentis inſtituti non erant longioremque deſiderabant ſermonem.

CERTAMEN III.

Bernardus, & Thomas noſtræ ſententiæ nomen dedere.

1 SEd iam Bernardi ipſius, qui præcipuus noſtræ huius ſententiæ, atque immunitatis ab originali æſtimatur impugnator, teſtimoniis ſulcienda etiam immunitas Virginis à debito erit ex quibus primum eſto ex ſerm. de aſſumpt. vbi hæc habentur. *Caro Virginis ex Adam aſſumpta maculas Adæ non admiſit*: Ergo neque in illo peccatum, quod ex maculis Adæ proculdubio eſt. Scio hunc ſermonem à nonnullis ſanctiſſimo Cardinali Petro Damiani attribui, ſed ab aliis Bernardo tribuitur: neque doctiſſimi patris Damiani authoritas omittenda fuit. Item ſermone 4. ſuper *ſalue Regina*, haber. *Innocens fuiſti ab originalibus, & actualibus peccatis: nemo ita præter te. Vnde auctoritas Auguſtini: cum de peccatis agitur, nullam de beata Maria volumus fieri mentionem.* Sed hos ſermones è ſtyli diuerſitate non eſſe Bernardi aduerſarij contendunt leuitatis fundamento: quoniam vt notat Gaufridus, ſiue Gothfridus Monachus Clarauallenſis annos terdecim Bernardi diſcipulus, quique eius vitam conſcripſit non eodem ſemper ſtylo Bernardus fuit vſus ſerm. Item ſermone 13. in cæna Domini de originali agens verbis Auguſtini: *De qua cum de peccatis agitur nullam prorſus volo habere quæſtionem.* Iterum Mariam excepit, quem ſermonem plures ſemper, licet alij reclamarint germanos Bernardi fœtus iudicarunt, ac demum reclamantibus neglectis, non ignoratis inter genuina eius opera collocarunt. Tertio ſerm. de beata Maria; qui incipit *Aue Maria* in hæc ſcripſit. *Licet Maria de Patrum natura per peccatum viriata duceret originem, præelecta tamen, & præſeruata ad purum.* Non autem ita ad purum, ſi in Adamo peccauit. Quarto: ſerm. de aquæductu. *Pura ſiquidem humanitas in maria non modo pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ*, illud *ab omni*, etiam contaminationem in Adamo excludit, & *ſingularitate naturæ*, à communi lege, & debito originalis naturarum reliquarum ex Adamo propagatarum Mariæ naturam exceptam declarat. Quinto ſermon. de verbis Apocal. *Candidiſſimus ſanè, & callidiſſimus huius Mulieris amictus; cuius omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, vt nihil in ea, non dico tenebroſum, ſed obſcurum, aut minus lucidum.* An non minus lucidum quidpiam eſt ipſius in Adamo peccatum atque imminentis peccati originalis obſcuritas: At inquiunt aduerſarij Bernardum epiſt. ad Lugdunenſem Eccleſiam docuiſſe Mariam in originali fuiſſe conceptam, acriterque in eam inuectum, quod feſtum conceptionis celebraret. Reſpondent tamen plures ex noſtro Ojeda eam epiſtolam Bernardi explorato non eſſe: ſed fortè Nicolai Monachi Amanuenſis, de quo Bernardus quæritur, quod epiſtolas aliquot ipſius nomine falſo ad aliquos ſcripſerit, ſed certè eas tunc temporis à Bernardo, & Cœtanis, vel immediatè ſuccedentibus deprehenſas fuiſſe, atque vt ſpurias à legitimis Bernardi epiſtolis ſeparatas, de impoſtura ſuſpectas omnes certum eſſe debet: cum tamen in clarevallis archiuo, euulgatiſque Bernardi operibus, vt ipſius epiſtola habetur, atque ab antiquis omnibus fuerit iudubitanter recepta. Accedit, quod è Canonicorum Lugdunenſium reſcripto, ac de tam acri obiurgatione querelis non poſſet non Bernardus eius epiſtolæ impoſturam ſtatim agnoſcere. Denique Nicolaus ille contra Bernardi quæ putatur ſententiam pro immaculata conceptione ſtabat, vt conſtat ex epiſtolis Petri Abat. Cellenſ. contra ipſum quorſum ergo conficta Bernardi epiſt. ſuæ opinioni apud Lugdunenſes detraheret, imò eam acriter adeo infectaretur? Nec ſatis eſt Nicolaum, qui ſtomachum Cellenſi mouit, ac immaculatam concep. propugnabat non hunc Amanuenſ. Bern. fuiſſe, ſed alium neſcio quem, imò quem & ſic reſpondentes ignorant, cum nullum ſit alterius Nicolai aſſerendi, atque ab illo notiſſimo Bern. Amanuenſi diſtinguendi fundamentum.

2 Epiſt. legitimam Bern. fatemur. Negamus tamen in ea concepr. de qua loquimur, in peccato orig. ac debito illud contrahendi aſſertam, ſed aliam, nempè actuam Parentum, quæ in maritalibus amplexibus, & voluptate commixtionis ſeminum eſt, ac temporariè animationem fœtus præcedit. vt docet Bellarm. c.3. lib. 4. de amiſſione grat. § *Hæc igitur* ex rationibus, quibus Bernardus conceptionis Marianæ ſanctitatem impugnat, ſatis oſtendit. ſcilicet: quod ſanctitas maritalibus amplexibus, & vbi libido non defuit, non potuit ſe ſe inferere, aut cum peccato coniungi, ac proinde, non aliter id fieri potuiſſe, niſi Deipara ſpiritus ſancti opera conciperetur quæ omnia de paſſiua generatione animationis fœtus inepte ſolum dici poſſent: cum huius ſanctitas, quin ex eis aliquid admittatur, defendi poſſit, etiam à non nimium doctis, & acutis, & quidem non damnaſſe Bernardum ſanctificationem conceptionis Mariæ ſed actiuam illam animationis Mariæ, ante animatam conſtat ex Scholaſticis priſcis. S. Thoma in 3. d. 3. q. 1. ac Bonau. eodem libro, atque vtriuſque Magiſtri Alenſis 3. p. q. 9. m. 2. & Albertus. in 3. d. 8. a. 3. qui diſputantes an B. virgo ſanctificata ante animationē addunt-que, poſtremi ſunt verba: *oppoſitum eſt hæreſis condemnata à B. Bernardo in epiſtola ad Lugdunenſes, & ab vniuerſis Magiſtris Pariſiis.* nemo autem ex priſcis Scholaſticis in quæſtione de virginis ſanctificatione in ſui animatione pro negatiua Bernardi authoritate ex præfara epiſtola vtitur in ea vero actiua conceptione carnali commixtionis ſeminum peccatum agnouit Bernardus non proprium, & formale, ſed cauſale ſolum, quatenus ad originale neceſſitabat animam de ſe, vbi primum ipſi vniretur, ni Dei gratia, atque excluſione à pacto præſeruaretur ita concipiendus, vt docte idem Anſelmus explicat dum ſeminis humani immunditiam, & hominum actiuam in peccatis conceptionem aſſertas Iob. 14. & Pſal. 50. explicabat. lib. de concept. virg. & peccato origin. c. 13. 15. 19. & lib. de conceptu virginali. c. 7. & lib. *cur Deus homo* quibus locis conceptam à Parentibus in peccatis Mariam etiam aſſeruit: eam vero præſeruationem Mariæ, atque à pacto excluſionem non negauit, quam toties totis viribus, niſibuſque defendit: vel ſi mauis peccatum eam actiuam conceptionem appellauit Bernardus quia ſemen illud commixtum non ſolum ad originale neceſſitabat fœtum, ſed, & ab originaliter peccatoribus erat, & de ſe propterea ad peccata actualia, & libidinem inclinabat: qua ſenſu aiebat. S. Th. in 2. d. 30. a. 2. ad 4. *licet ſemen non habeat in ſe infectionem culpæ, in actu, habet virtute*, & Apoſtolus ad Rom. 7. num. 17. *iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Atque Auguſt. 5. contra Iulian. 10. de Genet. ad litter. & epiſt. ad Euodium, & Fulgent. de incarnat. & gratia Chriſti Mariæ carnem, carnem peccati appellarunt, eius autem, & neceſſitatis ad originale, & inclinationis ad actualia ſeminis ad originali quondam infectis parentibus deciſi ob quæ peccatum, & peccatrix caro vocatur præſeruationem, etiam ante animationem in ſeminali illa Mariæ concipiendæ materia ſic expreſſit incognitus in Pſalm. vigeſimonono, verſic. quadrageſimotertio, *B. virgo Maria peccatum originale cauſaliter contraxit: quia per ſeminalem propagationem, fuit con-*

cepta, *sed non contraxit formaliter: quia antequam anima eius esset creata, illud semen fuit purificatum, & sanctificatum.* In sensu igitur causali peccatum, & libidinosam de se actiuam conceptionem Mariæ dixit Bernardus, neque vsquam celebrandam esse, sicut Anselmus docuerat datis verbis postremis certam. 2. numero 6. sub med. quia destinatum erat illud semen ad sanctissimæ illius animæ habitaculum, templumque tandem Dei incarnandi, ad idque à Deo consecratum, & purificatum, vt incognitus aiebat: ac proinde eam etiam actiuam conceptionem celebrari ab Ecclesia posse: non secus ac templi dedicatio celebratur.

3 Sed cum hæc etiam actiua Deiparæ conceptio simul cum passiua ab Ecclesia, & Canonicis Lugdunensibus celebraretur Bernardus, vtriusque celebritati se opposuit, rationibus illis primæ celebritatem impugnauit, vtramque verò ea ratione, quæ suam etiam contra passiuam haberet: nempè absque Romani Pontificis authoritate communi Ecclesiæ, Patrumque vsu, & traditione non esse introducendam celebritatē, *Quam non probat ratio, non commendat antiqua traditio, ritus Ecclesiæ nescit.* Non autem negat conceptionis passiuæ sanctitatem; imo neque hanc nouam esse assertionem, sed nouam esse conceptionis celebritatem, quam & qui sanctam putauerant, Patres prudentiæ causa omisserant celebrare: *Periculosè*, inquit, *præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præteriit.* Quin licet asserere apertè sanctitatem conceptionis passiuæ, tunc non auderet, ne eius celebritatem confirmaret: videtur tamen nihilominus eam ab actiua distinguens subobscurè docuisse: Concludit enim: *ante conceptionem*, actiuam, *sanctificari non potuit, quia non erat, sed neque in ipso quidem conceptu propter peccatum quod inerat:* In actiuo scilicet modo explicato, non in passiuo, ne ratio supponat probandum. *Restat vt post conceptum* (actiuum illum, quem peccatum sensu dicto appellauit) *in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur*: quia vbi primum existit, tunc enim iam existens est, ac pro naturæ priori suam sanctificationem anteceſſit. Duo hic omittenda non sunt. Alterum contra Viuarium de conceptione contendentem ex hac Bernardi epistola, & rationibus euincì debitum originalis contrahendi in Deipara. Cum tamen nec leue in illis ad debitum suadendum fundamentum appareat, vt eas considerantì statim apparebit, sed neque in alia Bernardi ratione qua ibidem aduersariorū fundamentum refellit. Scilicet: deberi conceptionem tam actiuam, quam passiuam celebrari, quia partum præiuit. Eam verò merito refellit Bernardus: quia fieret inde, auos, & proauos Mariæ, reliquosque eius progenitores celebrandos esse, quia & ipsi partum præiuerunt. Nos autem non ideo ab originali eiusque debito Mariam asserimus immunem, quia eius conceptio passiua partum præcessit; sed quia à pacto excluſa è filij meritis tantæ maternitatis titulo fuit. Alterum est aliquot immunitatis Marianæ ab originali defensores, vt contra se Bernardum non haberent ex reuelatione recitata in officio de conceptione Bernardini de Bust. lectione 5. secunda die infra octauæ, immerito docuisse sanctum Bernardum in ea fuisse opinione, vt putarit actiuam conceptionem Marię cum libidine culpabili parentum habitam esse: ac proinde cum illa macula nigra in pectore fratri Monacho apparuisse. Verum quo sensu conceptionem actiuam peccatum, & libidinem dixerit Bernardus, explicuimus Satis num. proximo circa finem: eamque virtute, & merito parentum plenam fuisse tradit Damascenus oratione prima de natiuit. & S. Brigitta 6. reuelation. capite 55. secundo si vera ea reuelatio, & apparitio est: non de actiua conceptione Deiparæ sed de passiua in peccato originali expressè loquitur; quare nullo fructu impia, ac male tuta in Christi sanctissimo auos Bernardo impiè etiam tribuitur: & quidem ni pro veritate mentis Bernardi tot locis explicitæ pugnaremus longè maioris æstimanda esset pro pia, & nostra hac opinionibus Bernardi immortalis, & beati confessio, quam mortalis, & viatoris contradictio: sed certè ea reuelatio quæ facta Cistercianſi Monacho citata lectione 5. refertur, vel existimata solum fuit, ac non vera, vt veris etiam prophetis quandoque poteſt contingere, vt doctè S. Antonin 1. part. sum. Theolog. tit. 8. cap. 2. vel confictа, vt de alia S. Catharinæ Senens. cuius ibidem meminit Antonin. pro minus pia opinione, promptum, piumque est iudicare, cum de ea dixerint Raymund. Thom. Senensis Stephan. Carthus. aliusvè quispiam vitæ, ac reuelationum S. Catharinæ fide dignus compilator, neque in opusculis de eius reuelationibus cum cæteris habeatur. Sed in libro orationum eius in quibus exhausta & imbibita Dominicanorum ea de re sententia, non ex relatione loquebatur: quod etiam totum Bandelli testimonio, non nimis tuto innititur. Posset locus alius Bernardi opponi, in quo consona aliis Patribus locutio continetur, quæ simul cum eorum locutionibus explicabitur oportunius cert. 5.

4 Nec minus doctè, atque erga Deiparam piè pro ipsius ab originali, & debito pugnauit S. Thom. Etenim in 1. 2. d. 17. q. 2. art. 4. ad 3. & d. 44. q. vnic. art. 3. ad 3. cum in 3. argumento illud Anselmi principium proposuisset: *Oportere, vt Dei mater ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequeat intelligi.* Ea conuictus respondet. *Ad tertium dicendum: quod puritas intenditur per recessum à contrario: & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione inquinatum sit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit, fuit tamen sub Deo in quantum erat in ea potentia ad peccandum, quod ipsum ferè iisdem verbis respondit loco primo.* Non autem summa sub Deo si in Adam peccasset, neque immunis ab originali si illis debitum contraxisset: quemadmodum neque à vectigalibus immunis fuisse dicitur, qui ea debuit, licet Principis munificentia non soluerit: neque sola potentia physica ad peccandum sub Deo eius puritas esset si in Adamo peccasset, atque originalis contractionem deberet. Tertius iocus sit ex opusculo 8 in salutem angelicam, teste Thomistarum doctissimo Cardinali Turrecremata, qui locum immutare non audet, apud Salmeron. in epistola ad Romanos, disputatione 51. pag. 637. & Salmerone ipso. Sic autem locus in antiquioribus impressionibus habet. *Ipsa enim purissima fuit quantum ad culpam: quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Ita etiam locum apud antiqua, ac non adulterata S. Thom. opera habere testatur Vincentius Iustinianus Dominican. tract. pro immaculata concept. §. *Petrus Canisius.* Vbi suo ordini magnam primorum defensorum puræ conceptionis gloriam his adscribit; *Sanctus Thomas in opusculo in salutationem Angelicam, & in tenebris sententiarum dixit eam fuisse immunem, & liberam ab omni peccato tam originali, quam actuali: vt ego nesciam, in quo alio ordine mendicante sint Doctores tam antiqui, qui id dixerint.* Eamque fuisse eius loci sententiam suadent, vel demonstrant potius verba contextus: cum in Mariæ laudem ea Augustini verba supra à nobis recitata, sensumque approbet: *Mariam gratia Filij sui vicisse omni ex parte peccatum: & nullam debere fieri mentionem Mariæ cum de peccatis agitur.* Non vero esset purissima à peccato si in Adamo peccasset, atque eius puritas illam à debito originalis non separasset: neque hoc admisso quæstio de eius originali occurere memorari à S. Th. non posset aut deberet, vt ad eadem Augustini verba dicurrebamus. Quartum S. Thomæ testimonium sit ex eius commentariis in epistolas Pauli ad cap. 3. ad Galat. lectione sexta, vbi in hæc scripsit. *Non inueni mulierem, præter Virginem Mariam, quæ à peccato originali immunis esset.* Ita habetur in editione Parisiensi anno 1532. & in veneta anno millesimo quingentesimo quinquagesimo-quinto, atque in antiquioribus reliquis, vt vetustissimis se legisse testatur noster Enriquez 3. de sacramento confirmationis, capite vndecimo littera M licet in nouioribus ab anno 1592. ex quo primum editione Antuerpiensi fraude Remigij florentini adulteratus textus fuit, sic legitur: *Mulierem autem ex omnibus non inueni,*

ni, quæ omnino à peccato omni immunis esset, adminus originali, vel veniali. Et quidem verbis suis se se corruptio prodit: illa quippè disiunctio solum adhibetur cum de alterutro extremo dubitatur. De venìali autem peccato in Maria quæstio esse non potest; de originali vero in alia nulla cum certò reliquæ illud contraxerint. Quintum denique S. Thomæ testimonium sit ex eius in psalmos commentarios: Illud enim psalm. 18. *in sole posuit tabernaculum suum.* his interpretatur. *Ideſt corpus suum posuit in sole id est in beata Virgine, quæ nullam habuit obscuritatem peccati.* cont. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Obscuritas autem aliqualis peccati est debitum peccati, atque in Adamo peccatum: nam licet in alio ipsius tamen peccatum est: ergo neque ea habuit ex S. Th. Maria.

5 Verum aliqua contra piam, & nostram hanc conclusionem, licet recitatis pro eis pauciora nobis ex S. Thoma aduersarij opponunt. Primum ex 3. sentent. disp. 3. quæst. 1. art. 2. disputans num B. Virgo sanctificata fuerit in ipso instanti infusionis animæ negatiuè respondet: quia aliàs non eguisset redemptione per Christum: cum non redimatur nisi, qui peccato seruit ex Hosimo relato, & aprobato ab Augusto epistol. 157. & 3. contra Iulianum cap. 3. quod ipsum ob eandem rationem docet 1. 2. q. 81. art 1. corp. vbi solum Christum à contractione originalis ex Adam deriuati excepit, quod & de fide vtrobique esse docet, & oppositum erroneum. Denique opponitur 3. p q. 27. art. 2. toto, vbi nobis apertius, atque piæ opinioni aduersari ob eandem rationem videtur. Cæterum non nisi in S. Thomam irreuerenter, & iniuriæ prorsus credi poteſt toties in vtramque partem claudicando mutasse sententiam. Idcirco respondeo primo conceptionem eis locis pro actiua parentum vsurpasse, vel strictius pro corporis formatione, quam ipse inferius 3. p. q. 33. art. 1. corp. principalem, ac propriissimam generationem, seu quod idem est, conceptionem fœtus appellauit, quo solum sensu ad ea vsque tempora disputatam de sanctitate Mariane conceptionis quæstionem testatur Caiet. citata quæst. 27. in commentario art. 2. his verbis *Absolutè loquendo inter has duas positiones extremas, scilicet quod fuerit sanctificata ante infusionem animæ, vel post infusionem, est positio media: quod fuit sanctificata in instanti infusionis animæ. Cuius opinionis author hic non meminit, quia tempore suo non erat adinuēta.* Satisq; Angelicus Doctor ostendit eodem certamine 2. argumento 3. sicc scribens. *Non celebratur festum nisi de aliquo sancto: sed quidam celebrant festum conceptionis B. Virginis: Ergo videtur, quod in sua conceptione fuerit sancta: & ita quod ante animationem fuerit sanctificata.* Id ne obiicere quidem sue doctrinæ debebat tantus Doctor, imo ne hebes quispiam, nisi conceptionem pro formatione fœtus vsurparet, non pro eius animatione: si enim conceptio pro animatione vsurpatur: quomodo ex eo quod fuerit sancta inferetur fuisse sanctificatam ante animationem, adhuc apparenter, ac non omninò disparatè. Secundo respondeo S. Thomam eis locis loqui de incursione in culpam originalem, non actuali, sed debito generationis ex commixtione seminis Parentum, vt docent ex Thomistis Dominicanis plures, neque ignobiles, in quibus F. Ioannes de S. Thom. t. 1. 1. partis, disp. 2. atque illustrissimus Dominus F. Ioannes de Araugo 1. 2. quæst. 71. articulo 3. & ex aliis Magister F. Basilius Legionensis, & F. Petrus Bernal. non tamen cum his censeo loqui de debito absolutè talis; sed debito solum, quod vi propagationis ex Adamo ex commixtione semini, Parentum de se consideratæ haberet, nisi electa è Christi meritis in ipsius matrem à pacto excluderetur, atque eius voluntas, à voluntate Adami excluſa absolutè maneret; Idque probat, & ratio illa locis omnibus citatis à S. Thom. repetita: quia aliàs non eguisset Christi redemptione: etsi enim actu originale non contraxerit, si tamen quocumque gradu ei contrahendo fuit expositа, ni meritis Christi redimeretur redimi præseruatiuè potuit, eguitque Christi præseruatiua redemptione, vt benè Caietan. 1. 2. qu. 81. art. 2. nobis opposito his verbis: *Neque enim solum redemptione eget captiuus actualiter, sed et iam obnoxius captiuitati.* id quod ignorare S. Thom. imò neque omnino non indoctus minimè poterat: indicantque ipsius verba corporis art. 2. oppositi ex quæst. 27. tertia parte, arg. 2. (*Secundo: quia cum sola creatura rationalis sit susceptiua culpæ ante infusionem animæ rationalis proles concepta non est culpæ obnoxia*) S. Thom. de obnoxietate ad culpam originalem loqui eamque absolutè negasse ante animationem proinde, & ab illa liberationem quæ disputabatur ibi; & de qua negatiuè S. Doctor concluſit: reliquitque remotum debitum propagationis ex seminis parentis vtriusque commixtione non sanctificata, seu purificata à venenosa, an traducendi in filiam suam Adami originale peccatum ex quo rectè infert numquam incursuram originalem culpamiquia neque in obnoxietate, siue actu primo debiti in origine de se spectata, neque eguisse redemptione quia etiam sine illa originis suæ cursu non incurrebat, seu currebat in culpam.

6 Tertiò respondeo, quod huic solutioni est proxime affine, vocaria S. Thom. peccatum originale vim illam seminis parentum non solum traductiuam originalis: sed fomitis etiam, & igniculi incendentis animum ad peccata actualia quæ originale ab ipso appellatur, ob quod caro ex femine illo non purificata caro peccati, & immunda dicitur ab Augustino citato à sancto Thoma vbi proximè ad 4. & ab aliis Patribus, qui proinde carne Virginis carnem peccati, & mundi tam absolutè dicunt, quare, immundam fuisse absolutè supponunt, vsque ad incarnationem etiam, sensu tamen à nobis dando certamine quinto. Hoc autem sensu facilè clarebit doctrina S. Thom. vbi proximè solutione ad 4. & solutione ad 2. vbi ait Virginem aliquando fuisse contagio originalis inquinatam: contagium autem non morbum ipsum, sed morbidas quasdam ipsum comitantes qualitates importat. Hoc autem originalis contagium, seu inclinatio ad peccata actualia, quæ propagatione naturali per maris, & fœminæ commixtionem originale actu, siue actuale vocatur à sancto Thoma, sæpè: Nam prima secundæ, quæstione octuagesima-prima, articulo tertio, ad secundum, ait. *Ad secundum dicendum: quod peccatum originale per baptismum aufertur reatu, in quantum anima recuperat gratiam, quantum ad mentem, remanet tamen peccatum originale actu quantum ad fomitem qui est inordinatio partium animæ, & ipsius corporis, secundum quod homo generat, & non secundum mentem, & ideo baptizati traducunt peccatum originale.* Quam doctrinam explicat, & approbat, Caietanus ibi, repetitque fere sanctus Thomas citata quæstione vigesima-septima, tertia parte, articulo secundo, ad quartum. Nec refert sanctum Thomam hic corp. dicere loqui se in eo articulo de emundatione à peccato originali: nam & vitij seminis, & carnalis generationis emundatio, à sordibus originalis peccati mundatio est: atque insuper loquitur contra eos, qui conceptione, siue formatione sui ante animationem sanctificatam Deiparam putabant, ac proinde conceptionis illius festum celebrari; quod nisi gratia sanctificante cuius sola anima est capax quæ nondum animato fœtui inerat, fieri non posse contendit in corpore: quare, & concludit ante animationem sanctificatam non fuisse propriè imo neque vllo alio sensu purificationis seminis paterni vt obnoxia aliquo sensu originali maneret, vt opus erat ad hoc vt per Christum esset redempta, eiusque redemptione egeret. Tertiò respondent aliqui partes ante distinctionarios fuisse ab Angelico Doctore cōpositas: quare tandem pro immaculata conceptione, eiusque omnimoda ab originali immunitate stetisse, & assumptum quidem quoad primam secundæ, & secundam secundæ facilè suadetur: nam ad verbum ferè speculo morali Vincentij Velouacensis respondent, quod debitum ab hoc fuisse antequam speculum naturale ipsius euulgaretur, & ipse testatur, & traduntur S. Hernandus

nandus del Caſtillo, ac reliqui Ordinis Dominicani Hiſtoriographi? Cùm autem natura ſpeculum Vincentiæ anno 1244. in publicum dederit, morale anno 1243. euulgatum, vt minimum ab ipſo fuiſſe certiſſimum eſt. Eo vero tempore Thomam decimum nonum vt ſummũ annũ egiſſe indubitatum eſſe debet. Etenim anno 1274. vix quinquagerius obiit: ad quem ex 1243. vnus ſupra triginta anni decurrerunt; quos ſi è quinquaginta demas nouemdecim ætatis reliqui fuerant anno illo 1243. quo ſpeculum morale Vincentij 1.2. & 2.2. prorſus conforme lucem publicam vidit. Cùm igitur tanta horum operum conformitas, vel Vincentium à Thoma, vel hunc à Vincentio tranſcripſiſſe, quod ſuo nomine in lucem tandem prodiit, euidentiſſimè demonſtret: ſi eligas primum ante decimumnonum ætatis ſuæ annum, quo Vincentius, & tranſcripſerat, & ſuo nomine euulgarat eas partes ſummæ à Thoma compoſitas, cùm ſcilicet vix Theologus eſſet auditor cogeris fateri: ac proin reliqua eius opera in quibus noſtram ac piam ſententiam docuit Thomæ iam maturioris, & Magiſtri fuiſſe. Sin vero mutuaſſe ex Vincentio ea opera ſanctum Thomam eligas eliges quidem quod Dominicanus Fr. Franciſcus Garcia edit. Romana operum S. Thom. anno 1583. aſſeruit his verbis: *In 1. 2. & 2. 2. reperuſanda ad ſpeculum morale Vincentij confugiebamus: ex quo apertiſſimum eſt, S. Thomam mutuaſſe ferme omnia, quæ in his codicibus de virtutibus & vitiis ſcripta reliquit.* vt ea propter Sixtus Senenſis Dominicanus S. Thom. in hac, ſcriptorum claſſem redegerit *collectores, Rapſody, Centonarij, Beda, Eucherius, Thomas Aquinas.* ea vero lectione æquè conuincitur iuniorem adhuc, nec dum probatum Magiſtrum è Vincentio opera illa mutuatum eſſe. Incredibile enim eſt Thomam, iam magiſterio, & doctrina illuſtrem alterius tandiù vulgata opera tranſcripta ſolum ſuo nomine euulgaſſe. Sed quid inquiunt ad teſtimonia 3. ſententiarum hæc omnia, quem poſt primi commentarios à S. Thoma compoſitum dubitare non poſſumus. parum certè ſed tamen adhuc extant teſtimonia citra dubium huic & aliis obiectis poſteriora, & commentariis in Pſalmos, & in epiſtolas Pauli quæ poſt diſtinctionarios etiam à S. Thom. ætatis materioris compoſita latè probat Doctor Palau: ac demum cum ex S. Thomæ vita conſtet Apoſtolum poſt eiuſmodi ſuarum epiſtolarum commentaria S. Thomæ in viſione dixiſſe ipſum in Commentariis illis ſuam mentem aſſequutum fuiſſe quantum in hac vita percipi ab humano intellectu poteſt quo pacto ingenuus, doctus, atque in communem matrem pientiſſimus Doctor ab ea ſententia poſtea contra Marię honorem recederet, quam de Pauli mente eſſe Pauli ipſius teſtimonio didiſcerat.

7 Quartò denique reſpondeo: vniuerſa piæ opinioni, noſtræque huic concluſioni aduerſantia vitiata prorſus eſſe, atque confiſta. Id generatim ſuadetur: quia F. Franciſcus Garcia editione Romana citata in S. Thomæ operibus centum ſupra mille loca, vel addictione, vel ſuberactione corrupta à ſe correcta teſtatur aliumque ſupra hunc numerum corruptum ipſe fecit 1. 2. q. 102. art. 5. ſolutionem ad q. de ſuo inferens ſi ergo in tot aliis gratis, nullaque de cauſa vitiata S. Thomæ opera fuere, in præſenti in qua doctrinæ toties à ſe aſſertæ, cuique ipſius ſcriptis eudendis præſunt obſtinatore ſiſtunt, aduerſus legitur vitiata potius fuiſſe pronum eſt iudicare: ſed non hoc ſolo generali iudicio, & argumento res hæc ſibi facit fidem, vt ſingula quæ opponuntur expendentes facilè monſtrabimus. Etenim locum ad Galatas, qui piæ opinioni fauet vitiatum à Remigio illo vidimus, num. 5. atque alium ex 1. Sententiarum diſput. 17. quæſtione 1. articulo 4. ad 3. qui antiquioribus editionibus extat, atque vt genuinus, à Dominicanis pluribus recognoſcitur, quos refert, & ſequitur Fr. Mauritius de villa probata fer. 30. in editionibus nouioribus ab anno 1526. vel vitiatus legitur, vel ſupprimitur iam locus aduerſus ex 3. ſententiarum corruptus vel ſuppoſititius deprehenditur: tum quia ſi verè ſententiam quam paulo ante in 1. docuerat mutaſſet illius, & fundamentorum meminiſſet, atque illam rationibus, ac fundamentis quæ tunc non occurrebant ad inuentis ſe retractare admoneret quod nullatenus neque ibi, ne alii oppoſitis præſtitit: ſed ſolum eis, quæ ſæpius docuit, contradicit: quod nullus non vecors ſcriptor præſtaret ſecundo indignum etiam ſano, nedum tanto Doctore eſt erroneam, & contra fidem afferere opinionem piam, quam ipſe tot locis docuit, & irretractatam reliquit: aſſerit autem erroneam, & contra fidem eſſe locis citatis ex 3. ſententiarum, & 1. 2. at vero 3. p. q. 27. a. 2. ad 3. ait tolerabilem eſſe vſum Eccleſiarum feſtum conceptionis celebrantium: quod ſtare non poteſt cum eiuſmodi cenſura neque ea cordatè ferre tunc poſſet cum eius opinionis vſus toleratus, vt minimum à Romana Eccleſia videbatur, vt S. Th. fatetur, atque eius coæraneus S. Bonau. quì idcirco in 3. d. 3. a.... q. 1. illum reprehendere non audet. Tertio: quia cum ex Tridentina Synodo, & decretis Sixti. 4. & Pij. 4. conſtet opinionem piam nulla cenſura dignam eſſe, in illa ſerenda grauiter S. Th. erraſſe fatendum illis erit, qui eius ea teſtimonia eſſe contenderint locus, & articulus ille tertiæ partis ſpeciatim ſuppoſitius prorſus videtur articulus quidem: quia in Bibliotheca. d. Beltrani de Gueuara Archiepiſcopi Compoſtellani extabat 3. pars. S. Th. ex veteriſſimis exemplaribus cuſſa ſine eo articulo. Locus autem, & verba articuli illius aduerſantia vitiata recognoſcuntur. Primo, quia titulo illius, qui de ſanctificatione ante animationem eſt non reſpondent: neque concluſio articuli ex antecedenti, quod ante animationem ſancta non fuerit infertur, quod ſcilicet fuerit ſanctificata poſt animationem, cum dato antecedenti in ipſo animationis inſtanti ſanctificari potuerit id quod Caietanus recognouit recitatus. num. 5. licet falſo, vt ex hactenus dictis conſtat, docuerit de ſanctificatione Mariæ in animationis inſtanti quæſtionem nondum extare, dum S. Th. ſcriberet ſi autem verum id admittatur totus ille articulus, reliquaque aduerſa teſtimonia, vt ſuppoſititij è doctrina. S. Th. abradenda erunt inſuper rationes omnes, quibus a. 4. probat in Deipara nullum actuale veniale fuiſſe, eædem maiori efficacia ſuadẽt neque in ea debitũ, aut originale fuiſſe, quod grauius, & mortale eſt, vt omnes fatẽtur ac legẽti conſtabit. Adde articulorum ordinem præpoſterũ eſſe cum in primo inquirat an ſanctificata fuerit ante natiuitatem ex vtero; Dein ſecundo an ante animationem cum huius diſputatio deberet primæ præcedere, niſi in ſecunda hac ſtatuiſſet definire in ipſa animatione fuiſſe ſanctificatam, quæ definitio, ſi præcederet primam illam de ſanctificatione ante natiuitatem ex vtero prorſus aboleret. Denique S. Thom gloriоſum apparuiſſe Epiſcopo Fantino dubitanti de S. Thom. circa conceptionis punctum mente, atque aſſeruiſſe ſe pro vera, & pia ſtetiſſe opinione, ac propterea Fantinum feſtum conceptionis deinceps in ſua diœceſi celebraſſe authores ſunt quindecim, in quibus Ægydius. Quod ſi aliquando, alicubiv aliter ſenſerit nobiſcum, & cum pia opinione tandem ſenſiſſe ex libro retractationum S. Doctoris, quem ſe vidiſſe teſtatur Magiſt. Ioann. Vital. referuntq; viginti, & eo amplius authores conſtat, vbi oppoſitam retractaſſe narratur.

***

CERTA

CERTAMEN IV.

Pro eadem concluſione Rationes, arduæque difficultatis aliorum imbelles ſolutiones.

1 A Ratione vero ea omnia quæ ab originali, ab eius debito immunem Mariam oſtendunt. Primo enim Matris ignominia hæc in filium redundaret: ſecundo moralis inter filium, & Matrem vnitatis, ac identitatis iure aliqua eſſet filij Dei, æternæ lucis ad Belial, ac tenebras peccati conuentio, ſi eius Mater in Adamo peccaſſet. Tertio: habitaſſet diuina ſapientia in corpore Deiparæ ſubdito, & obnoxio peccato imo, & peccatis, ad quæ originale inducit, ſeu inclinat quarto: Adami, Angelorumque Regina ipſis ignobilius concepta fuiſſet quinto: quia Dei Mater non ea puritate niteret, (vt Anſelmus aiebat, imo, & argumentabatur cert. 2. n. 6.) qua maior ſub Deo nequeat intelligi, ſi in Adamo peccaſſet, ac debito originalis ſubiaceret ex quo principio plura, inprimiſque immunitates ab actualibus quibuſque, adhuc venialibus, atque prærogatiuæ innumeræ Deiparæ conceduntur, etiam contra generales pro omnibus puris hominibus ſcripturæ locutiones: ſi autem non toto rigore principium hoc intelligatur ea omnia, vel eorum plura concedi Mariæ cum fundamento rationis minime poterunt. Sexto refricanda eſt ratio illa, quam expendebamus ex Anſelmo cert. 2. n. 5. quod maledictionis lex ſicuti neque in legiſlatorem Deum, ita neque in eius Matrem tenet, argumento Vlpiani citata. l. Princeps quod argumentum confirmatur vlterius ex Auguſtino t. 7. circa fin. libro 2. Hypognoſticon verſus medium vbi, opponentibus contra illud ad Roman. 5. quo per vnum hominem mors in mundum introiſſe, dicitur, per duos homines, nempe Adamum, & Euam intraſſe, reſpondet, *ſi cordis oculas non amiſiſtis, attendite dictum eſſe: iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Ac rurſus *erunt duo in carne vna. Nam ideo, per vnum hominem, dixit Apoſtolus: quia cum in viro ſuo mulier vna ſit caro in ſemine progenies computatur.* quare filij exceptione, qui caro Matris eſt, excepta etiam à lege maledictionis intelligi etiam debet Maria ſeptimo: quia nec Deo filio defuit ſapientia, nec potentia, neque in Matrem amor, vt eam à pacto, & lege maledictionis excluderet: ergo excluſa de facto fuit. Conſequentia eſt certa: Antecedens complanatione contradictionum, quæ in ea excluſione Mariæ ſeu non inclusione in lege maledictionis, ſeu pacto quoad nociua ſtabiliretur cert. 5. octauo cum ex hac Deiparæ à debito originalis immunitate certo ipſius ab originali in ſua conceptione libertas deducatur pietas erga immaculatam Deiparæ conceptionem, ad eius à debito etiam libertatem ſtatuendam debet armari.

2 Ardua tamen contra hanc Mariæ non inclusionem in pacto, ac non collocationem voluntatis Mariæ in voluntate Adami pro priori naturæ ad vſum libertatis eiuſdem in tranſgreſſione præcepti ſe attollit difficultas licet enim fieri à Deo facile potuerit, vt abſolutè pro eo ſigno Deipara in pacto incluſa non fuerit, neque eius voluntas in Adami voluntate collocata: ac proinde, & quod ipſa neque originali obnoxia fuerit, neque in Adamo peccarit; aſt id è Chriſti meritis, & redemptione fuiſſe, vti fuiſſe è ſacris dogmatibus fateri tenemur ardua difficultas, neque hactenus, me iudice, ſuperata eſt. Etenim, ſi inclusio, & collocatio, vel non collocatio, & excluſio, vt debitum originalis contrahatur, atque in Adamo peccetur, vel ſecus abſolute prorſus ante vſum libertatis Adami tranſgreſſione, & peccato Adami exercitæ eſſe debet, ac Deipara pro eo ſigno non fuerit incluſa, neque eius voluntas in voluntate Adami collocata, quomodo per merita Chriſti; non niſi poſt eius libertatis vſum, & peccatum, vt vidimus, futuri eſſe potuerit, non ita facile, imo vix difficulter apparebit. Reſpondent Soariſtæ, Granados ſect. 25. & Complutenſes Recentiores: in ſua doctrina de Chriſti exiſtentia, ſeu abſoluta futuritione ante Adæ peccatum, imo, & exiſtentiam difficultatem prorſus euanſcere. Sed tamen, cum merita Chriſti non niſi, vt morte conſumata gratiam vllam de facto à Deo obtinuerint, (iuxta illud Iſai. 53. n. 10. *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam*, videbit ſemen longæuum) morſque ipſa de facto naturam originali vitiatam Iudæ proditoris, accuſantium Phariſæorum, tortorum crucifigentium natura ſuppoſuerit, mors Chriſti, quæ merita conſummauit, ſigoauitque Adæ peccatum ac proinde vſum libertatis eius in præcepti tranſgreſſione, ex qua originalia in poſteros illos deriuarunt, natura proculdubio ſuppoſuit: quare ea Mariæ non inclusio meritis Chriſti, vt de facto gratiam, redemptionemque hominibus obtinuerunt, non debebitur, licet Chriſtus ante Adæ peccatum abſolute extitiſſe Doctoribus hiſce permittamus. Contra ſecundo quia eiuſmodi præcedentia Chriſti abſolutè futuri ante abſolutam Adæ tranſgreſſionem, & peccatum Patrum, & ſcripturæ teſtimoniis, rationibuſque theologicis abunde confutauimus. d. 1. q. 2. & d. hac 2. q. 1.

3 Contra ſpecialiter tertio contra Recentiores Complutenſes quia præſeruatio hæc ex non inclusione Mariæ in pacto per merita Chriſti, fuit præſeruatio redemptiua, ſeu per merita Chriſti qua Redemptoris: ergo ſuppoſuit Chriſtum non ſolum abſolutè exiſtentem, ſed etiam abſolutè Redemptorem: atqui per hoſce Recentiores Chriſtus abſolutè Redemptor non, niſi poſt abſolutè præuiſum Adami peccatum fuit decretus: ergo ea præſeruatio, vt redemptio præſeruatiua ſit abſolutam exiſtentiam peccati ſupponere debet: quod pugnat cum præſuppoſitione non inclusionis Mariæ ante vſum libertatis Adami peccato exercitum. Reſpondere poſſent Recentiores eam abſolutam non inclusionem Mariæ in pacto ante Adami peccatum fuiſſe ob merita Chriſti, non quidem abſolutè præuiſa, & remuneranda, ſed per modum prætij, & ſolutionis contra: quia per eiuſmodi merita, ſi veram motionẽ meritiuam habere poſſent, etſi non ante, ſed poſt præuiſum peccatum futurus abſolutè Chriſtus eſſet potuit Deipara in pacto abſolute non includi pro ſigno illo priori ad vſum libertatis ad peccatum, vt patet, & q. 1. contra ipſos Recentiores obſeruabamus: quia eiuſmodi merita abſolutam ſui exiſtentiam, ac præuiſionem, vt moueant præmiantem non requirunt, ſed ſolum conditionatam: quare neque merentis abſolutam exiſtentiam ſupponunt ergo ſi eis meritis ad rem præſentem vſuri erant Recentiores ſuperflue. ad Mariam pro ſigno illo abſolutè non includendam, vel excludendam à pacto antecedenter ad Adæ peccatum, & pactum, & Adamum abſolutam Chriſti exiſtentiam ſtatuunt contra ſecundo: quia, vt dixi ſæpius, probaboque abunde contra de meritis Chriſti, merita hæc per modum pretij, & ſolutionis commentitia omnino, ac prorſus abſurda merita ſunt.

4 Ex aliis, qui ante Magiſtrum meum Didacum Daza meritorum per modum pretij, & ſolutionis authorem ſcripſerunt, reſpondet Salazar, c. 24. §. 12. cum Chriſtus venerit ad reparanda, quæ fuerunt peccata, & poſt ipſa, ſolum ſuppoſui ſe natura inclusionem voluntatum poſterorum, qui peccarunt in Adamo; non autem non inclusionem virginis, quæ non peccauit in illo, cuiuſque non inclusio ad aliorum, peccata ſiue in Adamo, ſiue in ſe ipſis impertinenter ſe prorſus habebat: quare ea non inclusio potuit eſſe, & Adami peccato, & Chriſto, eiuſque meritis natura poſterior. Contra: quia vt Adami actio poſterorum etiam ſit requiritur abſoluta inclusio eorum ex parte actus primi voluntatis liberæ Adami: ergo, vt illorum moraliter non ſit negatio inclusionis eius pro eo ſigno requiratur; licet non requiratur, vt ſit Adæ peccatum aliorum etiam poſterorum peccatum contra ſecundo: quia voluntas Dei

includendi,vel non includendi,hos, vel illos poſteros in eius voluntate prior natura fuit Adæ peccato, & vſu libertatis,vt horum eſſet, ſecus aliorum : ergo ea non inclusio non inclusorum ad idem ſignum ſpectat, atque inclusio inclusorum; licet non ad peccatum in Adamo, & debitum inclusorum, tamen ad negationem peccati in Adamo, & debiti non inclusorum : ergo, quod poſt peccatum Adami, in quo peccarunt aliis, & eorum inclusionem eſt, poſt negationem inclusionis aliorum, quæ eodem ſigno fuit,eſſe debet. Denique poſita negatione inclusionis pro illo ſigno neceſſariæ,vt in Adamo peccent poſteri,debitumque originalis habeant;& ſi Chriſtus poſt peccatum non veniret virgo in Adamo non peccaret,neque peccare poſſet debitumvè originalis contrahere:ergo id Chriſti meritis non debet.

5 Propterea Alarcon admiſſa præcedentia eius non inclusionis Deiparæ Mariæ in pacto,& non collocationis voluntatis eius in Adami voluntate pro ſigno libertatis Adami in actu primo ante eius libertatis vſum,& exercitium in præcepti tranſgreſſione, aſſerit tamen eam non inclusionem Mariæ in pacto, ac non collocationem voluntatis eius in voluntate Adami per merita Chriſti pro poſteriori naturæ ad eius libertatis vſum, & peccatum futuri eſſe optimè potuiſſe : ſiquidem earum negationum præcedentia reſpectu Chriſti futuri, & meritorum eius, non proxima, vt patet, ſed remota eſt, ac remoti ſolum principij : principium autem meriti remotum ſub ipſum meritum cadere poſſe verum hic author reputat, multiſque ſuadere contendit. Cæterum doctrinam hanc de principio meriti remoto, quod ſub ipſum meritum cadere poſſit, multis ſatis Conueltenſium Recentiorum obiectio : quod ſcilicet poſſent abſolutè eſſe eiuſmodi non inclusiones virginis in pacto,& voluntate Adami, Chriſto etiam abſolutè non exiſtente ; iuxta ipſius Alarcon doctrinam. Etenim de poteſtate antecedenti loquendo verum ſit, at vero in eorum etiam Recentiorum. Et Alarcon doctrina poteſt aduentus Chriſti neceſſarius neceſſitate conſequenti ipſe ex negationibus illis inclusionis in pacto, & voluntate Adami : quare, & falſum abſolute eſſe poterit eas Deiparæ non inclusiones abſolutè eſſe poſſe Chriſto abſolutè non futuro. Omittendas hic duxi duas alias ſolutiones affines : alteram noſtri Ioannis Perlin. ſupra d. 4. cap.14.alteram noſtrorum etiam Salmanticenſium Recentiorum qui ex ſcientia conditionata,vel decretorum,vel complacentiæ Dei de mundi huius futuritione rem hanc facile componi exiſtimant eos autem impugnatos in ſimili habes. q.1.cert.1.2.& 5. quare inde impugnationes huc aduocandæ,atque applicandæ erunt.

CERTAMEN V.

Solidior ratio, eiuſque, & concluſionis vindicatio.

1 PRopoſitæ difficultatis ſolutionem melius cæteris attigiſſe viſus eſt mihi noſter Cardinalis Lugo.d. 7.ſect.3.licet non ita planè,ac dilucide illam explicarit, ac nos ex datis principiis cert. 1. à num. 5. cum enim eo loci oſtenderimus inclusionem in pacto,& collocationem voluntatum poſterorum in Adamo ſub conditione poſterius peccato ipſius purificanda eſſe potuiſſe, imo,& ita de facto fuiſſe pro poſteris pluribus ita etiam non inclusio, & non collocatio voluntatis Mariæ in Adami voluntate conditionata,ſub conditione poſterius natura vſu libertatis Adami, eiuſque peccato purificanda eſſe optimè potuit:ac proinde ad Diuiparæ, filiique gloriam ità euenisse dicendum prorſus erit. *Conſtitui volo poſterorum tuorum voluntates in te, quoad obſeruationem,& tranſgreſſionem præcepti, ea, quam in Matrem elegero, quoad tranſgreſſionem, excepta quod ſi pecces priuabo reliquos ab illa gratia, quam tibi in eos omnes tranſfundendam imperior : tum reliquæ fœminæ à maternitate illa excluduntur.* Peccat Adamus nondum facta Mariæ in Matrem Dei electione,ac proinde necdum inclusa illa vel excluſa abſolutè à pacto, eiuſvè voluntate in Adami voluntate abſolutè collocata:eoque Adami peccato exercito, atque abſolutè præuiſo ad illud reparandum decernitur abſolutè futurus, venitque Chriſtus : meretur, ſuaque morte merita conſumat : tum è ſic conſumatis Chriſti meritis Maria in Dei Matrem eligitur à Deo : ſicque non inclusio eius in pacto, ac non collocatio voluntatis eius in voluntate Adami, quoad tranſgreſſionem, quæ ex parte obiecti conditionata fuit ſub eius electionis conditione, electione poſita, & purificata conditione in abſolutam tranſit,ſitque abſoluta non inclusio, & collocatio cum autem electio illa, ſeu conditionis purificatio, qua abſoluta illa non inclusio,ac non collocatio effecta eſt, è Chriſti meritis fuerit, ſit certe Deiparam ex meritis Chriſti à pacto abſolutè excluſam, ſiuè non inclusam,atque eius voluntatem in Adami voluntate, quoad tranſgreſſionem abſolute non collocatam eſſe : ac proinde ex eiſdem meritis, neque originale contraxiſſe, neque eius debitum, neque in Adamo peccaſſe : imo in illo peccare, aut originale, eiuſvè debitum contrahere potuiſſe.

2 Sed enim non deſunt, quæ modum hunc noſtrum impugnent. Primo : notata illa à nobis data cert. 1. à num. 6. quibus tota hæc noſtra moles innititur,facile videntur euertiquare, & noſtra hæc ſententia à fundamentis ſubruere. Etenim,ſi propagatio ex Adamo conditio fuit ſub qua aliquorum poſterorum Adæ voluntates in Adamo collocatæ, atque ipſi incluſi in pacto Dei cum Adamo inito fuere : ergo quouſque propagati abſolutè ex Adamo ſunt neque in pacto fuerunt abſolutè incluſi, neque eorum voluntates in Adamo abſolutè collocatæ. Pergo ergo peccatum horum, quatenus horum in Adamo, atque originale ipſorum apponenti propagationem ipſorum ex Adamo merito tribuatur. Atqui per nos eo loci tribuitur Chriſto eiuſque meritis, atque omnium opinione ea propagatio ex Adamo tribuitur neceſſario Deo,vt authori:ergo,& huic,& Chriſto, eiuſque meritis eorum, & in Adamo peccatum, & quod abſurdius eſt,originalia, vt ſpecialibus cauſis debent attribui. Vrgetur,ac ſimul præcluditur euaſio, quæ poterat occurrere licet enim collocatio voluntatum in Adamo neceſſaria fuerit, vt poſteri eius in ipſo peccarent,atque originale contraherent, vbi primum exiſterent, eaque à Deo proculdubio fuerit, ſi tamen pro ſigno indifferentiæ voluntatis Adami, atque ante prauum ipſius vſum abſoluta intelligatur tota culpa etiam originalis ex illo prauo vſu dimanans male vtenti Adamo, non autem Deo collocanti in eo poſterorum voluntates merito tribuitur, nam penes illum phyſice, ac penes poſterorum voluntates collocatas moraliter fuit malus vſus,cum poſſet eſſe ab illis bonus; aſt vero abſoluta collocatio à Deo per purificationem conditionis, ſeu poſitionem propagationis ex Adamo per merita Chriſti,ac poſt prauum vſum libertatis Adami,eſt collocare abſolutè eorum poſterorum voluntates cum determinatione,vt in Adamo peccent, atque originale contrahant : quod non minus Deo repugnat, quam ſi voluntatem produceret, de ſevè poneret prædeterminatam ad peccatum vnde, ſicut in hoc caſu peccatum actuale Deo retribueretur, vt authori, ita, & in noſtro eorum poſterorum originalia eidem, vt authori, & cauſæ tribuenda videntur.

3 Verum cum certum omnino ſit, ſiue poſteri ordine intentionis, vel in cauſa, ſeu purificatione conditionis ſupponantur futuri,& incluſi in pacto abſolutè,non tamen ita ordine executionis, & actu in ſe ipſis exercito præceſſiſſe, neque ex Adamo propagatos eſſe,vt non expectata fuerit Adami tranſgreſſio,& peccatum,ex quo ſe nudos eſſe primi Parentes cognouerunt, ideſt concupiſcentiæ motus ad generationem, primo cognouerunt, vt Patres ad eum locum interpretantur:negari minimè poteſt ad originalis contractionem poſterius illud ſignum expectarum fuiſſe poſt vſum libertatis Adami, & eius liberam determinationem natura poſteriorem ad peccatum eamque conditionem in pacto ipſo eſſentialiter imbibitam eſſe. Non enim pro illis aliquo ex eis modo ante pactum futuris initum fuit,niſi ſub conditione illa,quod poſteri de facto,& exercite Adami forent,& exiſterent : quare, vt ei difficultati reſpondere tenentur, quatenus originalis contractionem tangit. Pro peccato vero,in Adamo, & collocatione voluntatum earum in illo ſimiliter reſpondere tenentur. Nam poſteri incluſi in pacto non ſunt,niſi ſub conditione,quod poſteri exercite forent, vt citato num.6. & 7. docebamus ſi enim per poſſibile vel impoſſibile Adami poſteri, de facto iidem non eſſent,qui quouis ex dictis modo, ſiue in decreto, ſiue in purificatione conditionis præuidebantur futuri, vt in pacto includerentur.Reſpondeo ergo pactum illud, & voluntatem includendi poſteros abſoluta ex parte actus eſſe; conditionata vera ex parte obiecti,ideſt, vt ex perſona reliquorum hominum, eorumque nomine obſeruaret,vel tranſgrederetur præceptum ſi eius poſteri forent exercite,ac de facto exiſterent, pro quocumque ſigno ex illo exercite tales exiſterent quare quatenus ad voluntatem Dei, & Adami etiam paciſcentium totum negotium,pacti, & collocationis voluntatum per actum erat, atque cum indifferentia ad bonum, vel malum vſum in quo tranſgreſſio, vel obſeruatio præcepti,poſterorum eſſe poſſet, ſolumque deerat ſubiectorum poſitio ad quam duplex illa conditio erat in pacto imbibita nempe, & exiſtentiæ exercitæ ipſorum, quam nemo poteſt, negari poſteriorem natura pacto,& peccato Adami fuiſſe, & propagationis exercitæ ipſorum,ex Adamo,quam neceſſario admitti ab omnibus pro poſteriori naturæ debere contendimus quare ea propagatione ex Adamo poſita,ſicuti,& ea poſterorum exiſtentia non ponitur à Deo peccatum,ſiue in Adamo,ſiue originale,ſed ſubiectum, licet poſt prauum vſum libertatis Adami ſit eiuſmodi poſitio, ex quo nequeat non poſterius Adami vtrumque habere vbi primum talis exiſtat ac de facto vi pacti, & collocationis quatenus ex parte voluntatis Dei his etiam qui de facto poſteri Adami fuere,relicta fuerit moralis poteſtas,vt obſeruarent in Adamo, gratiamque conſequerentur,etiam poſt obſeruationem ex illo propagatis quare,quod in Adamo peccarint, atque originale contraxerint ſoli Adami,tranſgreſſioni debent, non propagationi,quę de ſe indifferens eſt,quam Deus potuit quidem pro eis qui de facto ſunt impedire,ac in eis proinde peccatum,ſicut,& plura, quæ non impedit, etiam actualia,non tamen tenetur,ſed in Adami pœnam, pactique effectum,alioſque honeſtiſſimos fines ex parte ſua apponere potuit.

4 At inquies poſteri omnes in Adamo peccauerunt tunc, cum ipſe peccauit : aſt non potuerunt peccare in illo niſi abſolutè pro tunc eſſent incluſi, atque eorum voluntates in eius voluntate collocatæ : ergo pro illo tunc,ſeu prioriad vſum libertatis Adami fuerunt eius poſteri in illo abſolutè incluſi independenter omnino à conditione poſteriori natura vſu libertatis Adami. Maior eſt fere dogmatica ex Patribus Auguſt. 27. de ciuit. Dei *quando Adam cum omnibus, & ipſe peccauit.* quia ait omnes in illo eramus Anſelm. de conceptu virginali c.7. *in Adam omnes peccauimus,quando ille peccauit* reddiqueque rationem *quia de illo futuri eramus* : quam eandem reddit etiam c.27.*quia fuerunt omnes homines in Adam.* quibus:ſi rectè expendantur, teſtimoniis non maior ſola,ſed diſcurſus totus videtur contineri. Reſpondetur diſtinguendo maiorem : in actu exercito nego, in actu ſignato concedo:quia tunc illud Adæ peccatum deſignatum eſt:eo ipſo, quod ex eorum perſona,& nomine operaturus ex pacto, & voluntate Dei fuit Adamus conſtitutus : cum autem nondum poſteri exercite eſſent neque exercite ipſi peccarunt abſolutè: exercitum enim horum peccatum abſolutè tale originale fuit,neque enim nondum exercite exiſtentium, & exercite poſterorum Adæ peccatum vllum abſolutè exercitum eſſe, concipivè poteſt quare peccatum, quod in Adamo vocatur, præcisè ſumptum peccatum in actu ſignato poſterorum eſt, non in actu exercito,ac debitum contrahendi originale, vbi primum ex Adamo exiſtant : quia poſterorum omnium vniuerſim loquendo nomine operatus ille eſt, nondum poſteris deſignatis,ſeu determinatis, pro illo ſigno naturæ id enim pendet ex voluntate Dei pacifcentis, & Adami ſi velis etiam acceptantis ex eorum perſona, & nomine operari. Minorem ſimiliter diſtinguo non potuerunt peccare in actu ſignato,niſi eorum voluntates abſolutè incluſæ eſſent in actu ſignato pro illo ſigno, atque ipſi incluſi eo modo fateor niſi eſſent incluſæ in actu ſignato,& exercito nego minorem, & diſtinguo conſequentiam independenter omnino in actu ſignato à poſteriori natura conditione ad vſum libertatis fateor,independenter à conditione poſteriori naturæ in actu exercito nego conſequentiam.

5 Atque hic ſane apertus eſt teſtimoniorum, & rationum ex Patribus recitatarum ſenſus cum enim pro illo priori vſus libertatis Adami omnes, eius poſteri in actu ſignato peccauerint, debitumque originalis contraxerint,quotquot poſtea eius poſteri fuere vera futuritione,& temporis, & cauſalitas, peccaturi pro poſteriori dicebantur, atque pro illo ſigno peccare in illo de præſenti, in actu ſignato, quia ex tunc iam illud Adami peccatum eorum nomine, atque ex eorum perſona patratum eſt, cum poſterorum omnium nomine vniuerſim fuit per actum nondum deſignatis,determinatiſvè nedum exercite poſitis, poſteris illius:quare rectè dicimur omnes tunc in illo peccare, quia de ipſo futuri eramus,ſeu quia erramus in illo. Vnde etiam conſtat : quo nam pacto B.virgo,ni in Dei Matrem ex meritis Chriſti electa fuiſſet in Adamo peccaſſe diceretur atque pro illo ſigno tranſgreſſionis Adami peccare ſignate,de præſenti nam inter poſteros communes, quorum omnium vniuerſim ſignatum illud peccatum erat, quorumque nomine, & perſona Adamus operabatur, Virgo tunc eſſet,ſicut cæteri omnes,ſiue viri ſiue fœminæ in Dei Matres pro naturæ poſteriori non eligendæ : dices ergo peccarunt æquè in Adamo homines etiam purè poſſibiles ex ipſo,nunquamque in ſe, aut ex ipſo adhuc poſterius natura tranſgreſſione Adami extituri, æque atque ex ipſo pro eo poſteriori propagandi : ſiquidem non magis horum, quam illorum deſignatum, ſeu in actu ſignato peccatum illorum fuit,nec magis horum,quam illorum voluntates fuere in Adami voluntate collocatæ. Patet extremum hoc. Nam pro illo ſigno nondum determinata erat horum potius, quam illorum exiſtentia abſoluta in ſe, aut ex Adamo propagatio. Vnde rurſus cum pro illo ſigno neque exceptio Deiparæ,ſeu eius in Matrem Dei electio adeſſet, ſed adhuc ex Adamo, ac ſine ſui in Dei Matrem electione eſſe poſſet, pro illo ſigno eius æquè, ac cæterorum, qui pro tunc communes Adæ poſteri poterant eſſe ſignatum peccatum erat fateor obiectionem hanc, eiuſque abſurdum vtrumque videri difficillimum.

6 Reſpondeo tamen, veramque illationem eſſe negandam. Etenim, licet pro illo ſigno, qui futuri ex Adamo erant non magis eſſent decreti, aut exiſtentes, quam reliqui homines purè poſſibiles ex ipſo, neque pro illo, ſiue in illo futuri ex decreto tam intentiuo efficaci,quam executiuo, quare neque ex aliquo pro illo priori pacti,& indifferentiæ voluntatis Adami exiſtenti neceſſario futuri; at vero futuri pro poſterioribus ſignis erant, ſecus pure poſſibiles. Cum autem pactum, & collocatio pro futuris ſolummodo ex Adamo fuerint, non autem pro iis, omnibus qui ex ipſo poterant propagari, ac propagandi non eſſent, pro illis ſolis validum pactum, & collocatio voluntatum in Adamo, adhuc pro illo

illo signo fuit, in quo non magis ex Adamo futuri erant, quam alij, qui poterant esse. De eis enim signate loquitur, & paciscitur, qui de futuris, ex Adamo: quare, & eorum solummodo voluntates pro illo etiam signo in voluntate Adami sunt, qui pro quouis etiam posteriori signo ex illo futuri sunt, eorumque solummodo peccatum signatum, siue in actu signato est: voluntas enim illa condicionata ex parte obiecti sub conditione propagationis ex Adamo posterius natura futuræ, vel deambulatoria reputanda est, vt de voluntatibus testamentorum iuristæ vulgo loquuntur, vsque ad posterius natura secutam mortem testatoris, vel vitam, & mortem ante pubertatem posthumi filij, pro quo nondum animato Pater defunctus testatus est, vel fictione iuris, & pacisentium Dei, & Adami: posteri illi futuri ex Adamo dum pro illis nondum physice in se, neque in decreto Dei pro illo signo existentibus paciscuntur, pro existentibus absolutè reputantur: cum sub ea conditione paciscuntur. Sicut fictione iuris in testamento Patris defuncti pro filio posthumo, & fœtus animatio, & mors ante pubertatem peractæ iuris fictione reputantur.

7 Inde etiam constat negandum esse absurdum secundum, siue eius illationem, vt Mariam in Adamo non peccasse, neque originalis debitum incurrisse tueamur. Etenim sicut ex futuritione absoluta ipsius ex Adamo nuda dictis modis inclusa in pacto, atque voluntas eius in Adamo collocata sufficienter intelligeretur pro illo signo, vt Adami physica transgressio ipsius in actu signato transgressio tunc esset; sic eodem pacto ex futuritione electionis in Matrem Dei adiuncta futuritioni ipsius ex Adamo nondum absolutè inclusa in pacto, intelligitur, neque ipsius voluntas absolutè in Adami voluntate collocata: quare neque Adami transgressio ipsius in actu signato transgressio reputatur, ipsaue in Adamo peccare: quinimo non peccare in Adamo intelligitur, neque in pacto includi, eiusue voluntates in voluntate Adami voluntate collocari: quia licet pro illo, seu in illo signo, & priori naturæ physicè, & exercite electa in Matrem non sit eius tamen electio ex meritis, Christi posterius natura exercite futura fictione iuris, & voluntatis Dei paciscentis, & Adami acceptantis in actu signato supponitur. Licet huius existentiæ, & futuritionis iuris, & imaginariæ veritas, ex futuritione posterius natura exercita Mariæ, in Dei Matrem ex meritis Christi eligendæ, & futuræ tanquam à termino, & posteriori suo modo pendeat, aut connectatur: quia nisi posterius natura futura Dei Mater, atqui in Dei Matrem eligenda esset de ea in actu signato exceptio, quoad pacti nociua pro illo priori de Maria in actu adhuc signato non esset, neque intelligeretur. Denique ea omnia, quæ contra Deiparæ ab originali exemptionem minus piæ opinionis authores opponunt ipsius à debito immunitatem eodem impectu oppugnant: eis tamen, quæ ex testimoniis adducuntur: supra occurrimus. A ratione vero præterea, quæ specialem hunc nostrum modum impugnant, diffectaque à nobis proximè sunt, nihil est, quod nos leuiter tangat: cum constet ex dictis maiori filij beneuolentia ex eius meritis nobilissima præseruatione Deiparam fuisse redemptam cum non solum ante originale, sed, & ante eius debitum fuerit ex eius meritis præseruata.

***

DISPVTATIO III.

De causa efficienti, & physica, & meritoria, siue actiua, & exactiua incarnationis.

DVo hæc causarum genera in vnam disputationem coegi: tum, quia de efficienti physica nisi tota de potentia obedientiali disputatio huc intempestiue aduocetur per breuis quæstio, nedum iusta disputatio foret tum quia meritoria causa efficientem emulatur quatenus non nisi existens absolute mouet, & causat, atque finali, de qua hactenus disputatum est in modo causandi per obiectiuam motionem socia est, & affinis, eodemque gradu agentis intellectualis operationibus, effectibusque præcedit. Neque vero hic de eis omnibus disputabo, quæ sub titulo causæ meritoriæ incarnationis vulgo disputantur, pertinentque ad disputationem demerito humanitatis Christi, vt dignificatæ vnione hypostathica, ac proinde incarnationem pro priori naturæ effectam supponunt, commodiusque simul, ac semel controu. de merito Christi discutientur. Primo ergo disputandum hic venit: an meritis humanitatis non dignificatis vnione hypostathica, siue Christi, siue personæ alterius diuinæ incarnatio obtineri potuerit. Secundo: an circunstantiæ incarnationis v.g. immediata ex virgine generatio, vel mediatior ex Auis &c. eiusue acceleratio sub ipsorum ceciderit merita? Tertio: causa efficiens physica incarnationis.

QVÆSTIO I.

An Christus aliquatenus vnionem hypostathicam fuerit sibi de facto promeritus?

DE merito operum humanitatis Christi respectu suæ vnionis, siue adæquate, siue inadæquatæ præsens quæstio procedit, & de merito quidem vnionis adæquate sumptæ solum de merito congruo esse posset videtur: cum humanitas tota secundum vtramque sui partem exvnita operans vel tota, vel secundum animam solum debeat natura precedere, vt adæquatam sui vnionem secundum omnem partem promereatur. De merito vero vnionis inadæquatæ, tam de congruo, quam de condigno, agitari quæstio potest. De congruo quidem operum animæ pro naturæ priori ad sui vnionem, hypostathicam, & vnionem cum corpore iam hypostathice vnito, respectu vnionis suæ hypostathicæ de qua eodemmodo philosophandum nobis est, ac demerito humanitatis exvnitæ, respectu suæ vnionis hypostathicæ adæquatæ de condigno vero si anima pro priori naturæ vnita, & operans supponatur siue dependenter, siue independenter à corpore suas spirituales, & honestas actiones. (Loquimur autem in his quæstionibus de facto de præcedentia, & prioritate animæ, & humanitatis nondum vnitæ, non autem de præcedentia earum, & operationum temporaria ad vnionem hypostathicam promerendam. Neutram enim sui hypostathicæ vnione temporarie de facto præcessisse dogmaticum est, vt contra aliquorum errores ostendimus controu. 1. d. 2.) si autem ita vnitas hypostathicè animus atque operans supponatur, mereaturque vnionem hypostathicam corporis, qua incarnatio completur absolutè incarnationem promerebitur, quam absolutè non supponit.

CERTA

CERTAMEN I.

Nullatenus incarnationem de congruo pro merita humanitas Christi; acrius tamen, quam par est affirmatiua sententia à nonnullis censuratur.

1 DOctores nonnulli affirmatiuam sententiam de merito congruo humanitatis erga vnionem suam hypostathicam eadem duratione obtinendam erroris insimularunt. Me autem iudice non satis firmo iure. Licet enim, quia omnium ferè Theologorum, atque Scholarum est negatiua conclusio, vt statim referemus, nihilque siue ab authoritate, siue à ratione apparet, quod acriter affirmatiuam suadeat, atque negatiuam impugnet, temeritatis notæ videatur affirmatiua subiacere; errorem tamen ne redolet quidem, nedum incurrit. Etenim, quod Ioan. 3. Lucæ. 1. Ad Titum. 3. gratia incarnatio dicatur, ac proinde non ex meritis, de nostris meritis intelligendum videtur; respectu enim nostri gratia prorsus est: quod non tollit præmium respectu humanitatis Christi fuisse, ac proinde respectu illius gratiam non esse. Sic auxilia gratiæ, reliquaque Dei supernaturalia dona ex meritis Christi nobis obuenientia respectu nostri gratia, ac beneficia Dei sunt, licet per Christum, vt bene Vasq. d. 21. cap. 1. reliquique Doctores, & tamen respectu Christi, cuius merita eiusmodi Dei donis in nobis præmiantur non gratia, sed strictè præmia sunt. Neque vero firmius est illud Psalmi 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Quem locum de humanitatis Christi supra Angelos per vnionem hypostathicam exaltatione intellexit Paulus ad Hebræos 2. immediatè præmittens, quod eo etiam psalmo præmittitur *quid est homo, quod memor es eius?* tantundemque est, ac dicere, quænam merita hominis Christi ad eiusmodi exaltationem præcesserunt? nulla sane.

2 Huic expositioni, & sententiæ accinit August. 11. de corrept. & gratia atque 15. & vlt. de prædest. sanctor. ac sæpius ita effatus. *Quid egit ille homo, unde meruit, vt à verbo assumeretur?* Verum Dauid eo Psalmo ad litteram de Adamo locutus, est ac figuratè solum de Christo, cuius ille Typum gerebat; vt Paulus intellexit, quare, sicut ibi Adami merita ex propriis viribus habita, vt ei Deus orbem subiiceret, nulla prorsus fuisse asseruntur, ita neque humanitatis Christi figurati merita vlla ad ipsius per hypostathicam vnionem supra Angelos euectionem, atque ad orbis totius subiectionem, futurique sæculi principatum (quorum etiam ibi meminit Paulus) ex propriis viribus exstitisse dicuntur. Atque hic sane sensus vel præcipuus, vel germanus, vel saltem non incongruus Augustini: cum eis locis omnibus contra Pelagianos, & eorum ex propriis viribus merita ex instituto decertet, vt docte obseruabat Vasq. proxime. c. 5. n. 46. secundo ad Dauid, & Pauli locum dici posset, etsi demeritis ex auxilio gratiæ profectis loqueretur, cum tot alia præter vnionem data à Deo humanitati Christi Domini ibi à Paulo, & Dauide recenseantur, nempe orbis subiectionem, & imperium, & futuri sæculi Principatum, negasse de facto puræ humanitatis etiam auxilio gratiæ elicitis meritis ad totum illud congruitatem; licet ex eis aliquid, etiam vnionem hypostathicam attigissent: quæ, licet tantum donum in se ipsa sit, ast minus quid est, quam coniunctum, seu cumulus ex ipsa, atque illis etiam donis simul conflatus, vt de se se patet.

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

3 Nec satis est merito congruo vnionis hypostathicæ admisso in humanitate Christi ea omnia humanitatem Christi promeruisse conuinci, quæ vnionis titulo eidem humanitati debebantur, ac proinde, & in illa donabantur. Sicut dici vulgo solet: qui dat formam dat consequentia ad formam. Alia enim donationis ratio, alia meriti est. In donante quippe propriè donante, quique è perfecta doni scientia donat ea omnia dari ab ipso velle intelligimus, quæ dono suo recipienti accessura præuouit. Vnde, & idem de aliis metaphorice donantibus, vt de causis naturalibus creatis, quæ nihil certe cognoscunt, metaphorice dicitur formæ donatione consequentia ad formam donare, ni proloquio hoc velis solam primam, ac principalem causam formæ, rerumque omnium Deum, qui & formam, & consequentia ad formam apprime nouit intelligi debere: Meritum autem, etiam congruum, nec solum condignum proportionem aliquam cum præmio habere natura sua debet. Cum autem proportionem habere cum eo possit, quod minus est, quin eam habeat cum eo, quod est maius, atque coniunctum illud ex vnione hypostathica, & aliis donis à Psalmista, & Paulo memoratis maius quid vnione sola proculdubio sit, poterit huic soli intra congruitatem proportionari, quin coniuncto, ex ipsa, & donis aliis conflato proportionetur, vt secunda dicebat solutio. Hæc quidem eo solum animo dicta sunt, vt ab affirmatiua sententia erroris immerita nota exulet deinceps.

4 Negatiua tamen sententia nobis semper placuit à Doctorum authoritate fere omnium, non tamen à plurium rationibus. Tenuit Magister in 3. disp. 4. Gabri. quæst. vn. a. 3. dub. 3. Carthus. quæst. 4. cum. S. Bonau. Ricardo, Vdelrico. Durandus, quæst. etiam. 4. Scotus cum suis in 4. d. 2. quæst. 1. fine S. Th. 3. p. quæst. 2. a. 11 vbi Caietan. Medina ac reliqui Dominicani: ex nostris etiam. S. Thomæ interpretibus, & Doctoribus. Valentia ibi q. 2. pu. 8. Vasq. d. 21. citata. Soar. d. 10. à sect. 3. Granad. controu. 1. tract. 14. d. 2. sect. 1. Lugo d. 8. sect. 1. num. 1. Vvadingo d. 10. dub. 3. Bernal. d. 17. sect. 1. vterque Hurtado, ac reliqui nostri Recentiores imo, & doctores fere reliqui. Probant Soarius, & Thomistæ plures: quia actiones substantialis compositi, ita à supposito, qua suppositum est, necessario sunt, vt subsistentia, siue personalitas necessario sit, vel partiale earum principium, vel quid se ex parte principij tenens ad illas, saltem, vt necessaria conditio: ergo Christi humanitas, quousque in verbo subsitit, non potuit de facto operari: arqui, vt in verbo subsitit vnionem hypostathicam clausit. Ergo vnio hypostathica ex parte principij proximi expediti ad opera meritoria humanitatis naturæ priori de facto præcessit: ergo eorum operum effectus, ac præmium de facto esse nequiuit, quin principium meriti sub meritum caderet: quod repugnat. Verum principium illud de necessaria præcedentia natura subsistentiæ ad naturæ substantialis operationes difectum satis à nobis est controu. de causis d. 6. atque hoc. 1. sæpè vbi illud Aristotelicum *Actiones sunt suppositorum*, tantundem valere, ac singularium monstrauimus.

5 Probatur conclusio primo Pauli, & Augustini testimoniis datis, quæ, vt eam nec de fide nec fidei proximam euincant, atque oppositam erroneam; at vero longe verosimilius ex omnium Theologorum interpretatione, & contexu merita omnia humanitatis, etiam ex gratia profecta respectu vnionis hypostathicæ simul tempore habitæ prorsus ea loca excludunt. Si enim eiusmodi meritis ex gratia etiam, congrue vnionem illâ humanitas promereretur aliquid esset homo ille, vt ad eam, atque alia dona conferenda memor ipsius Deus esset. Secundo Augusti. omnia merita, etiam ex gratia, negans humanitati ad vnionem argumento validiori merita Pelagiana ex viribus naturæ denegabat eidem. Tertio omnia

negasse locis certum mihi est eandem quippe sententiam suam explicatius traddens cap. 36. Enchirid. scripsit. *Nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, vt singulariter promereretur Deum.* serm.8.de verbis Apostoli: *Numquid & illa præmisit, & bene viuendo factus est filius Dei.* Ecce merita etiam ex Dei beneficio exclusit. Denique. 11. de correpr. & gratia sic habet: *ista natiuitas profectò gratuita coniunxit in vnitate personæ hominem Deo, carnem verbo istam natiuitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt.* quibus similia habet Dyonisius Alexandrinus. Si autem gratuita, ergo non remuneratoria: si illam bona opera omnia humanitatis secuta sunt: ergo non præcesserunt meritiuè. Sed quid argumentis agimus cum textus ipse sit *non bona opera meruerunt.*

6 A ratione probatur primo conclusio. Quia decentius est merita omnia humanitatis Christi infiniti valoris recognoscere, ac proinde dignificata ab vnione hypostatica, quam valoris finiti: aut vnio dignificans meritum nequit esse præmium ipsius: alioqui principium meriti sub meritum caderet: quod in connaturali, prouidentia, iuxta quam res de facto regulantur, esse impossibile euidentissimum est, à nemine dubitatum: atque in supernaturali prouidentia, & potentia absoluta certum omnibus est, vno, vel altero excepto, quos aperte confutauimus contr. de merito, cõuincemusque hic contr. de merito Christi. Probatur secundo: quia meritum congruum etiá vnionis hypostatícæ nequit reperiri in bonis operibus adhuc ex gratiæ auxilio elicitis nisi gratia etiam habitualis dignificans adsit operãti: neque enim hac deficiente in operibus sanctis, seu honestis potest esse ad præmium, & donũ tantũ aliqualis illa operis proportio cum præmio, quæ ad congruitatem meriti requiritur: atqui tam gratia iustificans humanitatem ipsique auxilians data humanitati Christi fuit, intuitu prehabitę pro priori naturæ vnionis hypostathicæ, vt communis Theol. sententia fert, ostendemusque contr. de merito Christi: ergo nequiuit ob merita à gratia auxiliante, & sanctificante humanitatis profecta, & dignificata dari, quin principiũ remotum meriti sub meritum caderet, quod repugnat. Tertio, & efficacius cum decreto simultaneæ productionis humanitatis, & vnionis hypostathicæ meritum operum humanitatis respectu suæ vnionis hypostathicæ repugnat prorsus, vt q.2. ostendemus: ergo de facto non adfuit quæ omnia æquè probãt cõtra animæ merita prove sui hypostaticam vnionem natura præcedens consideratur.

CERTAMEN II.

Nec inadæquata vnionis hypostaticæ meritum adfuit.

1 IAm de operibus animæ pro priori naturæ vnitę hypostathicè sicque promerentis vnionem hypostathicã corporis, (cuius merita condigna sanè essent, si data fuissent statuendum est) disputamus. Supponimus autem contra Vasq. & alios relatos. d.2. q.3. animam, & corpus diuersis animis hypostathicæ partibus à verbo assumptas fuisse. Etenim, si eadé, vt illi aiebant, vnione hypostathica indiuisibili vtrumque à verbo assumptum esset, cum eodem executiuo decreto, & actione vnio illa indiuisibilis vtriusque ad verbum necessario poneretur, atque essentia, sua vnio eorum actualis ad verbum esset nullo naturæ signo posset præcedere existens in vno, in quo non esset, ac non intelligeretur re ipsa existens in alio, siue ad aliud terminata: quare neque esse posset dignificans pro priori naturæ animam, eiusque opera, vt ob illa pro posteriori naturę in eorum præmium terminaretur ad corpus. Solũ ergo procedit disputatio in nostra, & vera doctrina de reali, & entitatiua diuersitate vnionis hypostathicæ animæ ab vnione hypostathica corporis in ea vero negatiuæ nostræ sẽtẽtiæ probatio difficilis merito nonnullis videatur. Etenim in suppositione hac potuisse animã vnitã hypostathice, ac pro naturæ priori operantẽ socij corporis vnionẽ de condigno promereri certissimũ est: quid ergo promeritum de facto fuisse prohibebit: ecũ, & ea omnia, quæ de incarnationis executione fides docet, cum eo merito de facto cõsistant, & dignitati animæ vnitæ videatur decentius tantum donum socio corpori promereri. Confirmarique videtur validissime argumento hac in re de Christi meritis satis frequenti, & vnico, quo id totum meruisse Christum de facto operibus humanitatis vnitæ dicimus, quod sine repugnantia potuit ob vnionis excellentiam, atque inde prouenientem humanitatis vnitæ dignitatem. Fateor me diu ob præfatam rationem in affirmatiuam partem, quæstionis de facto, quam versamus, vehementer inclinasse.

3 Cæterum cum in ea semper sententia fecerim, vt Theologicas conclusiones magis ab authoritate scripturæ, & Patrum, quam à philosophicis rationibus deducendas existimem, pro negatiua tandem sententia steti, quia eam scripturæ, & Patrum testimoniis magis sãltem adsonam iudicaui. Etenim cum animæ in hoc instanti incarnationis corpori vnitæ operationis totam humanitatem, imo, & hunc hominem qui Christus est, denominarent: si eis de facto vnionem hypostathicam ad corpus promeritus esset qua totus homo essumeretur à verbo: cum vnione præsuppositа verbi ad animam vnione ad corpus quam promerebatur, quaque humanitatis, seu, quod idem hic est, hominis assumptio complebatur, totus homo, seu humanitas ex operibus, & meritis absolutè ipsius assumeretur à verbo: ergo aliquid esset homo, vt Deus illius memorasset, vt assumptione verbi supra angelos exaltaretur contra Paulum; aliquodque egisset, vnde meruisset, vt à verbo assumeretur contra augustinum recitatos, quæst. 1. cap. 1. num. 2. & genuinè explicatos num. 5. Accedit à ratione quod, & conclusionem, & Patrum argumentum confirmet. Vt enim docuimus controu. 1. d.2. q.2. cert.1. à num.1. ad. 4. anima non prius natura assumpta à verbo fuit, quam corpus, seu caro signata: quin potius si aliqua prius assumenda esset de facto, & connaturaliter, materia, seu caro prius natura assumenda à verbo foret, quam anima, quæ non nisi dispositа, ac proinde existente materia pro priori naturæ, atque ad sic existentis exigentiam creari debuit: cum autem existentia hæc materiæ dependenter ab vnione ad verbum in nostris principiis fuerit eius vnio, videtur prius natura exequenda, ac certè non posterius natura quam animæ, & vnio, & existentia, vt ibi docebamus. Qua doctrina cessat difficultas contra nostram decisionem, quæ de facto solummodo procedit. Denique Deus solo hominum amore, soliusque peccati, ac proinde necessitatis humanæ præuisione incarnasse, eisque solum motiuis, & fine missum à Patre filius ex innumeris scripturæ, & Patrum testimonijs hactenus ostendimus: quæ omnia meritum omne, siue humanitatis, siue animæ de facto prorsus excludunt.

4 Contra conclusionem primam certaminis primi oppones illud Psalmi 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ præ consortibus, seu participibus tuis.* quæ de vnctione humanitatis oleo diuinitatis intelligunt Augustinus. 3. contra Maximin. cap. 15. ac lib. 16. de Trinit. cap. 26. Hilar. 7. de Trinit. Concilij Francford. epist. ad Episcop. Hispan. col. 7. Anselm. & Beda in 1. ad Hebr. Basil. & Hieronym. ad eum locum. Id quod illud *præ consortibus, seu participibus tuis* satis suadet: eo quippe sanctitas Christi media vnione per Deitatem ipsam sanctitate reliquorum iustorum, qui per participationem tales sunt præstantior denotatur. Atqui vnitio hæc Deitatis propterea facta dicitur, quod iustitiam homo Christus, siue eius humanitas

humanitas dilexerit, oderitque iniquitatem: ergo ob eius merita facta à Psalmista dicitur. Sed præter quam quod vnctionem istam non ita constanter de vnctione oleo Deitatis Patres intelligunt, vt Athanas. orat. 2. contra Arrian. sub finem, & Hilar. 11. de Trinit. sub med. de magnificatione eius sanctitatis in Iordane facta, Ambros. de lætitia, & gaudio animæ Christi nullam sentientis asperitatem peccati, quam praui homines sentiunt. Hieronym. & Francfortdiense de resurrectione, assensione, & dominatione in reliquos. Idem Hieronym. epist. 140. ad Principium. De gloria accidentaria regni Christo post passionem tradditi; vt sceptro æquitatis omnes iudicaret, illam vnctionem non explicant illi etiam qui de vnctione Deitatis interpretantur illud *propterea*, causam finalem, non autem meritiuam significare aiunt. Vt sensus sit, vt iustitiam diligeres, & odio haberes iniquitatem vnxit se Deus oleo Deitatis: nec in casum: siquidem ita planè effecisti. In quem eius loci sensum sit præter alios elegantèr Naz. orat. 36. 4. de Theolog. n. 7. Christi nomine aiebat: *Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua, opera autem ipsius veritas, & iudicium, quorum causa diuinitate delibutus est. Illa enim humanitatis vnctio est.* Atque eam quidem interpretationem sequuntur Bellarminus cum aliis in eum Psalmum Vasquez proximè cap. 7. Beccanus cap. 14. quæst. 6. numer. 12.

5 Oppones secundo illud Apocal. 5. *Dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatem.* Sed certè cum hic agatur de merito mortis Christi; quod ab eius humanitate vt vnita hypostathicè habitum est de digno seu condigno merito vnionis ageretur, non de congruo, ac non dignificato per vnionem de quo hic solummodo in præsenti disputamus: quare extra rem ad præsens institutum is locus inducitur: an vero meritis, vt dignificatis vnione hypostathica ipsam pro illo ipso instanti quo ea dignificabat, promeritus fuerit de facto, aut promereri potuerit, an saltem pro durationibus diuersis, difficultates sunt controu. de merito Christi. d. & q. citatis ex instituto disputandæ: & quidem pro instanti eodem, quo vnio opera dignificat illis ita dignificatis eam nec promeritum Christum fuisse, imo nec promereri potuisse concors aduersariorum etiam, ac reliquorum doctorum sententia est. Cæterum diuinitatis nomine non Deitatem ipsam, sed honorem, laudem, gloriam, & cultum ob ipsam debitum eo loco intelligi authores iampridem fuere. Lyra, Rupertus Dyonis. Carthus. S. Thom. & nostro sæculo Vasq. proximi, & Recentiores alij non pauci ac demum si de acceptatione Deitatis per vnionem intelligi vltro admittamus de re vnione humanitatis resurgentis, siue re vnionis corporis ad animam, qua formaliter humanitas resurrexit hypostathica ad verbum, quam de condigno morte sua promeruisse Christum probabile est satis, atque vt summum is locus intelligetur, quod, vt dixi præsentis instituti nihil refert. Sed nec pluris refert illud Basilij testimonium ex hom. 25. quæ est de humana Christi generatione vbi de humanitate ait. *Digna vnigeniti diuinitati coniungi fuit.* ibi enim de dignitate non quidem meritiua sed laxè sumpta loquitur Basilius: sicut de cruce canit, Ecclesia, *quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum, & dominum*, scilicet quam sua electione tanto honore Deus dignatus est; ac passiui dignam illa sua electione efficit: vel in qua dignitas negatiua; id est nihil quod peccatum redoleret, Deique susceptione indignam redderet, inuenit.

***

QVÆSTIO II.

Potuerit ne Christus incarnationis substantiam, siue vnionem hypostaticam absolutè promereri.

QVÆSTIO hæc de eodem meritorum genere procedit, sc. merito congruo operum totius humanitatis pro priori naturæ ad vnionem sui cum verbo operantis ex Dei auxilio respectu vnionis hypostathicæ adæquatę sumptę vel de merito condigno operum animæ, vt vnitæ hypostathicè ad verbum, ac pro priori naturæ operantis, merentisque vnionem hypostathicam verbi ad carnem merito, vt diximus condigno. Loquimur autem si quidem ex suppositione eorum omnium, quæ de facto adfuerunt, vt neutro modo vnionem suam Christi, vel humanitas, vel animæ de facto mereretur, sic enim quæstioni non magis locus esse possit, quam si quæreretur, an ex suppositione, siue in sensu composito, quod non meruerit, simul meritis incarnationem; quod implicat in terminis: cum ad coniungenda duo contradictoria nulla vsquam potestas esse omnium sententia queat. Solum ergo supponitur simul tempore humanitatem totam hypostathicè vnitam verbo fuisse vbi primum extitit, quin tempore, sui à verbo assumptionem præcederet.

CERTAMEN I.

Sententia duplex de merito vnionis, seu incarnationis adæquatæ sumptæ ab humanitate, atque imbelles vtriusque probationes.

1 POtuisse Christum operibus humanitatis simultaneæ productæ atque hypostathicè vnitæ vnionem hypostathicam sui ad verbum congrui promereri operibus ab ipsa pro priori naturæ ad vnionem hypostathicam ornata gratia habituali elicitis docuere Val. 3. p. q. 2. a. 11. Becan. c. 14. q. 6. n. 6. Petr. Hurtad. d. 27. sect. 8. Albertin. de prædicamento substantiæ. d. 3. q. 3. Vvadingo. d. 10. dub. 3. §. *Dico secundo.* aliisque quam plures Recentiores. Ratio vnica, & communis huic, & aliis conclusionibus affirmatiuis de possibili; quod nimirũ nulla in huiusmodi meritis congruis humanitatis respectu vnionis suæ hypostathicæ ad verbum simul tempore dandæ inueniatur repugnantia. Etenim licet ad meritum congruum, & aliqualiter proportionatum operum humanitatis respectu suæ vnionis hypostathicæ gratiæ habitualis dignitas in operante humanitate requiratur, vt supra statuebamus, atqui hæc habitualis gratia, sicut, & reliqua bona, de facto, non nisi vnionis hypostathicæ titulo, & intuitu, ac proinde pro posteriori naturæ ad illam collata à Deo fuerit, vt postea ostendimus: aut nihil Dei absolutam potentiam, & libertatem prohibebat, quominus illam ac reliqua dona humanitati pro priori naturæ ad vnionem hypostathicam conferret, si vellet. Insuper quod vnio hypostathica eodem instanti conferenda esset merito operum humanitatis pro priori naturæ operantis obstare absolutè nequit: cum præmium in eodem instanti quo meritum adest conferri operanti à Deo proculdubio possit: Horum impugnatio assignanda à nobis implicatio erit.

2 Negatiuam conclusionem tenuere Thomistæ. Medina Aluarez. Cabrera. 3. p. q. 2. a. 11. ac reliqui. Vasq. d. 21. cap. 6. Soar. d. 10. sect. 3. Lugo d. 8. sect. 1. n. 5. Gaspar. Hurt. d. 6. difficult. 4. Probabant Thomistæ. Quia humanitas non nisi existens potuit absolutè mereri; atqui si existit nisi per verbi existentiam media vnione, &

incarnatione communicatam: ergo quæuis humanitatis operatio meritoria supponebat eius vnionem ad verbum,huiusque incarnationem, æqui atque existentiam humanitatis.Nulla humanitatis operatio potuit absolutè vnionem ipsius hypostaticam ad verbum, siue incarnationem;quin principium meriti sub meritum veniat,quod apertè tam horum, quam aliorum fieri omnium sententia repugnet fateor equidem ex illo principio de existentia humanitatis Christi per verbi vniti existentiam consequentias omnes inoffensè currere. Sed tamen principium illud falsum omnino est vt d.2.q. 3. euincebam. Secundo neque cum Thomistarum principiis cohæret. Etenim materia non propria,& intrinseca entitaue existentia, siue essendi actualitate existit vt in physicis,sed sola existētia,seu essendi actualitate formæ: quare, & tota humanitas solius formæ existentia existit quando forma informatur: nequit enim existentiam habere,quæ nihil aliud quam forma in horum sententia est;quin existat: sicuti neque habere albedinem quin sit alba. Ergo neque potest existere per existentiam verbi nisi duplicem habeat existentiam. Quod si dicas ab existentia verbi prouenire pro naturæ priori, vt existat,quid prohibet pro priori naturæ vniri formam materiæ,atque tam hanc, quam humanitatem totam existere existentia formæ, atque sic existentem operari, vt vnionem hypostaticam cum verbo, atque huius incarnationem promereatur naturæ posteriori ob eiusmodi opera à Deo exequendam?

3 Probat secundo Soarius, ex quo,& assleclæ. Quia actiones sunt suppositorum ita vt subsistentia saltem vt conditio ad quamuis substantiæ operationem necessario ex parte principij se teneat:ac proinde, & verbi vniti substantia natura necessario præcedere debeat ad quamuis humanitatis Christi operationem. Ea quippe solum humanitas Christi in personam, & suppositum coalescit. Sed & hoc principium,abunde confutatum reiici in physicis, ac sæpè in materia præsenti. Lugo tamen paulo aliter ex doctrina nostri Mancæi de impeccabilitate humanitatis Christi,atque in amissibilitate vnionis hypostaticæ per peccatum, argumentum hoc de necessaria præcedentia subsistentiæ verbi ad quamuis humanitatis operationem efformauit,quia inquit ad idem signū pertinet subsistentia aliena ad quod propria,quem destruit,cuique substituit, si adesset pertineret,aſt propria quia complementum naturæ substantialis(puta humanitatis in re præsenti) daretur naturę substantiali seu humanitati,si adesset pro priori naturæ ad eius operationis ab illisque independenter omnino:ergo,& aliena quæ eius loco substituitur pro priori ad humanitatis operationes,ab illisque independenter prorsus dari necessario debet:ac proinde nequit dari subsistentia verbi pro posteriori ad opera humanitatis; aut propter merita humanitatis honestè operantis.Probaret,vt summum, discursus non posse connaturaliter, & de facto non præcedere subsistentiam verbi in humanitate ante operationes ipsius,non autem absolutè non posse potentia absoluta Dei non præcedere, sed subsequi potius humanitatis operationes, & merita. Verum neque illud probat,quidquid reclamant Complutenses Recentiores;naturæ enim secundum se ac præcisè consideratæ si deberet adhuc diuisiuè subsistentia aliena, maximè increata verbi,sed solum propria determinata quam determinatè exigit.

4 Rursus illam ipsam necessariam præcedentiam subsistentiæ verbi ad operationes humanitatis suadet Lugo. 1.Modus operandi sequitur modum essendi: atqui modus essendi humanitatis est dependenter à subsistentia quam habet:ergo, & modus operandi humanitatis erit dependenter à subsistentia quam habet ipsa humanitas,scilicet subsistentia verbi. Confirmatur. Ex eo principio animus pro priori naturæ ad vnionem cū corpore eodem instanti temporis executam nequit operari,seque ipsam,atque alia intuitiui cognoscere,sicut in separationis statu facit.Sed,& hoc totum solum probat necessitatem eiusmodi ex natura rei; non absolutè. Secundo neque id probat axioma in sensu quo obiicitur est apertè falsum.An caloris operatio ita sequitur modum essendi ignis aquo procedit,vt ipsa,sicut ille si non pendeat,aut inhæreat subiecto? An etiam pondebit ab igne alio,à quo sua causa,non autem calor ipse dependet?In his ergo axiomatibus à Deo vniuersalibus illud semper deprehendi, vnum tantum verum sensum habere, & in quo vix ab arguentibus adducatur. Confirmatio non vrget non enim ideo animus pro priori naturæ ad vnionem cum corpore in eodem instanti futuram,seu existentem,non operatur, quia operatio necessario aut saltem connaturaliter sequitur modum essendi sui principij operatiui,neque enim animus rationalis à corpore, seu materia vnionivè ad ipsam pendet;sed quia animus solum separatus positiui à corpore, independenter à corpore, non autem præcisiuè solum separatus:cum autem vnitus in eodem instanti corpori est non quidem positiui, sed præcisiui separatus à corpore pro priori naturæ vnionis ad ipsum solummodo est. Quare animi ad corpus vnio ipsius operationes non præcedit,quia animus in suo esse ab vnione pendet;sed quia operationes animi vniti pro eo statu ab vnione,& corpore pendent, ex quo oppositum potius axiomatis illius deducitur.

5 Nihilo etiam solidius est aliud nostri Vasquez argumentum. Quia si gratia habitualis supponeretur pro priori naturæ eleuans opera humanitatis ad congruitatem,& aliqualem proportionem meriti vnionis hypostaticæ,data esset pro illo priori humanitati ex affectu adoptionis,seu filiationis adoptiuæ:ergo pro illo priori constitueret humanitatem Christi filium adoptiuum,ac proinde absolutè dicendus esset Christus in hoc instanti reali filius adoptiuus.Siquidē quæcumque pro priori naturæ in quouis durationis instanti sunt absolutè in illo instanti durationis esse dici necessario possunt.Atqui dicere Christum etiam secundum humanitatem esse aliquando filium adoptiuum,est absurdum, & ne acrius loquar periculosum, vt de Christi filiatione disputans ostendam.Sed negatur facilè assumptum,data enim esset gratia habitualis ex affectu filiationis naturalis obtinendæ pro signo posteriori vnionis hypostaticæ obtinendæ per merita ab illa dignificata,quemadmodum media omnia non ex affectu sui,sed finis per illa obtinendi apponuntur.Sed instabis,pro illo priori non esset filiatio naturalis qua sola potest impediri gratia ne humanitatē constituat filiam,seu filium adoptiuum:ergo constitueret filium adoptiuum. Distinguo antecedens, non esset filiatio naturalis *præuisiui*, concedo antecedens,*negatiui*, nego antecedens, & nego consequentiam. Requiritur enim ad filiationem adoptiuam, negatio realis,& cura filiationis naturalis:quare quousque ea adsit gratia non tribuit humanitati effectum filiationis adoptiuæ:vt autē negatio adsit in hoc instanti durationis, quæcumque in illo sunt recenseri debent, in eis autem inuenietur pro natura posteriori filiatio naturalis humanitatis, à qua pro priori natura. Præscindebatur. Sed quo inquies in operibus illis complaceret pro illo priori naturæ Deus, tanquam in operibus filij naturalis,aut adoptiui? neutro,inquam,modo,sed præcisiuè ab vtroque: siquidem neutro modo humanitas haberet filiationem, cum ab vtraque,pro illo naturæ priori præscinderet.Complaceret autem tanquam in operibus Iusti,Sancti,& Amici.

CERTAMEN II.

Vrgentior alia Patris Vasquez ratio examinatur.

1 HOc pro eadem negatiua conclusione argumentum seorsim examinare placuit,quia ex illius districto examinare vtilis valdè ad plures alias Theol difficultates doctrina parabitur,est autem huiusmodi, Implicat aliquid simul tempore esse æquale,& inæquale eidem. At si opera humanitatis pro priori naturæ ad vnionem

vnionem elicita,congruè merentur vnionem hypostaticam, tunc etiam temporis dandam, ac propostetiori naturæ datam aliquid esset simul tempore æquale, & inæquale eidem:ergo implicat dari opus pro priori naturæ ad vnionem meritiuum vnionis hypostaticæ simul tempore, licet pro posteriori naturæ datæ. Minor probatur: quia illud opus pro illo priori naturæ consideratum esset solummodo meritum congruum,& absolutè inæquale respectu vnionis hypostaticæ diuinæ; pro posteriori autem naturæ in eodem etiam instanti temporis esset absolutè meritum condignum,& æquale respectu vnionis hypostaticæ diuinæ, imo supra condignum,& excedens: ergo esset aliquid simul tempore inæquale per defectum sui, & æquale, imo excedens eidem. Maior est affirmatiua conclusio. Minor probatur. In eo instanti temporis, licet pro naturæ posteriori, esset vnio hypostatica humanitatis, ac proinde hæc infinitè digna, ac filius naturalis Dei: ergo in eo instanti opus illud esset infinitæ dignæ humanitatis, ac Filij naturalis Dei: ergo infinitè meritorium, æquanſque valore meritiuo,imo excedens donum vnionis hypostaticæ diuinæ: Etenim, vt meritum ad dignitatem eleuetur præmij, seu boni in præmium dandi,solum requiritur,vt adsit tunc temporis absolute dignitas in subiecto: neque aliter hæc illud alleuat,quam per sui assistentiam subiecto. Adesset autem tunc temporis subiecto operanti dignitas vnionis.

2 Nec satis est, si dicas vnionem hypostaticam datam im præmium esse vnionem verbi, quæ quidem nequit dignificare opus illud,quod congruè ipsam merebatur ad merendum condignè ipsam. Implicat enim principium adhuc dignificans meritum,cadere sub ipsum meritum ab eo dignificatum.Item quia ad id quod in ipso opere meritiuo præhabetur necessario ab operante, atque essentialiter includitur in ipsius merito,vt tale: sequet meritum ipsum tanquam ad præmium terminari, quod quidem diuersum omninò à merito esse debet. Non ergo præfato argumento conuincitur eiusdem vnionis hypostaticæ quam congruè merebatur, & inæqualiter per sui defectum, fore illud opus humanitatis,meritum æquale, & condignum,imo & inæquale per excessum, ac proinde nec infertur dari meritum simul tempore æquale,& inæquale eidē omninò præmio, vt intendebatur. Hoc inquam satis non est. Illud enim idem respectu cuius opus illud congruè, & condignè meritiuum, ac proinde æquale, & inæquale non est vnio ipsa hypostatica verbi, quam simul tempore datam ob meritum congruum illius operis ex aduersariorum sententia supponimus. Hanc enim opus illud, vt dignificatum per ipsam non posse condignè promereri ob rationes datas perspicuum nobis semper fuit. Sed vnio alia hypostatica Patris, vel Spiritus S. quam quidem opus illud pro priori naturæ ad vnionem hypostaticam humanitatis quæ verbo congruè merebatur humanitas equi, atque verbi hypostaticam vnionem licet hæc hypostatica vnio non autem alia ad Patrem, vel Spiritum sanctum data illi de facto in præmium sit. Sed vnio ad verbum ex qua dignificandum illud opus fuit ad meritum condignum vnionis cum Patre, vel Spiritu sancto simul tempore æqualitas, & inæqualitas meritiua in eodem opere conuincitur. Imo respectu eiusdem vnionis verbi idem conuincitur. Quia vnio verbi hypostatica æque omnino perfectionis, & æstimationis in ratione doni, & entitatis, cum vnione Patris, vel Spiritus sancti non minus quam vlna alteri vlnæ quantitatiuæ æqualis sit. Ergo opus quod æquat valore vnionem Patris, vel Spiritus S. æquat etiam valore vnionem Filij, non secus atque corpus æquale vlnæ quantitatiuæ necessario æquale est alteri cuiliber vlnæ, licet aliunde, non autem ex inæqualitate non possit ad vnionem verbi, vt meritum condignum ipsius comparari.

3 Respondit præfato argumento Buanus: proximè, primo. Meritum congruum sumi posse præcisiuè pro valore, quem in se opus claudit, non habita ratione æqualitatis, vel inæqualitatis cum præmio, & positiuè prout dicit inæqualitatem cum illo, quæ quidem repugnat cum æqualitate cum illo in instanti eodem. cum autem præcisiuè valorem infinitum, & vim motiuam habeat, potest Deum mouere, qui illum solum attendens in sui motione præscindit ab inæqualitate, & æqualitate, quam reipsa pro naturæ posteriori habet, sicut valor ipse præscindit. Vnde non verificatur meritum re ipsa esse æquale, & inæquale respectu eiusdem sed solum re ipsa æquale esse, atque in motione ab æqualitate præscindere. Sed contra, quia motio illa meritiua operis secundum intrinsecum valorem considerati, licet ab æqualitate præscindat, & condignitate pro posteriori futura, si meritiua est nequit præscindere à congruitate, seu rigorosa inæqualitate, ac negatione æqualitatis cum vnione hypostatica; quam se non habet: ac proinde nequit non secundum se esse non æqualis valoris cum vnione hypostatica: Etenim meritum necessario, vel congruum, vel condignum est siue æquale, vel inæquale præmio, neque abstrahens à congruo, & condigno meritum vllum de facto, & in indiuiduo ac reipsa mouens dari potest, licet ab vtroque ratio meriti in communi, & abstracta metaphysicè præcisa concipi queat. Quæ tamen nisi ad alteram speciem meriti, vel congrui, vel condigni, aut alterius indiuiduum contrahatur præmiaturum mouere. Secundo, valor licet habeat bonitatem operis secundum intrinsecum solum, non habet rationem, nec motionem meriti, quovique adsit talis, vel talis dignitas operantis,non secus atque in gratia secundum se, licet adsit iustitiæ, & sanctitatis ratio, non tamen filiationis adoptiuæ, nisi expectetur,& adsit absoluta negatio filiationis naturalis in subiecto pro tempore,quo illud filium adoptiuum constituit:atque expectata dignitate operantis quæ absolutā in hoc instanti adest, adest dignitas Filij naturalis Dei; ergo meritum solummodo condignum vnionis hypostaticæ diuinæ, ac nullatenus congruum, nisi quod à te contradictione manifesta in conclusione affirmatiua defenditur.

4 Respondent tertio alij: Nullum in eo esse inconueniens, vt aliquid pro priori naturæ inæquale alteri sit, cui eidem pro naturæ posteriori sit instanti eodem inæquale.Cæterum duplex contradictorium adhuc pro diuersis realibus signis naturæ in eodem instanti durationis, simulvè tempore in eodem subiecto non minus repugnant, quam si pro eodem signo naturæ eidem conuenirent. Cum enim quæcumque pro illis signis adsunt sint de se contradictoria prædicata siue esse, & & non esse simul in instanti eodem verificabuntur, in quo est contradictionis implicatio. Confirmatur exemplo ex præsenti materia petito; Etenim, quia filiatio adoptiua absolutè dicit negationem filiationis naturalis absolutè talem in subiecto, nequit humanitas Christi quæ eam negationem absolutè non habet,sed potius eius contradictorium, scilicet naturalem filiationem Dei, esse pro priori naturæ Filius adoptiuus Dei, ex gratia pro priori etiam naturæ data, vt potuit ad vnionem, & pro posteriori naturæ Filius naturalis Dei ex vnione hypostatica ad Verbum Filium pro illo signo habita: neque è contra ex vnione hypostatica quam in priori naturæ ad gratiam habitualem de facto habuit Filius naturalis,ac pro posteriori pro quo habuit gratiā habit. Filius adoptiuus, quin qui adhuc Filium adoptiuum Dei Christum secundum humanitatem ex gratia habituali defendunt, ad diuersa hæc naturæ signa recurrere tentarint, sed vel negari requiri negationem filiationis naturalis ad adoptiuam, vel naturalem filiationem pro omni signo naturæ ab illa relegauerint. Solutio igitur hæc rudiorum solummodo esse potest, qui prius, & posterius causalitatis siue instantia, ac signa naturæ crassiusculè percipientes, vel potius non percipientes instantia esse verificationis, seu in quo nec solum instantia, à quo & causalitatis.

5 Quarta solutio argumento posset adhiberi ex doctrina Ludouic. Turrian. opusc. 8. disp.1.dub.1. Ripaldę disput. 80. num. 2.& 15. vbi pro se inter alios refert

Alexandrum, S. Thom. & S. Bonau. non satis firma coniectura. Item Merah. de incarnatione disputatione 14. sect. 2. ad 3. Granad. 1. 2. tract. 11. de grat. disp. 2. nu. 26. asserentium gratiam, sui dignitatem operantis non dignificare opus ipsius ad quod eliciendum ipsa pro priori naturæ non præcedat, quod in casu præsenti deficit vnioni hypostaticæ humanitatis, ac proinde eius præcedens opus ab vnione hypostatica verbi condignum vnionis hypostaticæ diuinæ, ipsique æquale aut excedens in valore non reddetur, cessatque proinde tentata argumento Vasquiano repugnantia. Verum Granados num. 13. & tract. 12. disp. 1. num. 8. oppositum docuit expresse dicens gratiam, non solum, quæ non præcedat natura operis elicientiam, sed & quæ hanc natura subsequatur illud dignificare. Ac Meratius iam citandus oppositum planè, vel docet, vel supponit, quare vix ea doctrina habet duos constantes authores. Imo Suarez qui pro illa steterat lib. 12. de gratia, cap. 22. num 6. ad 4. eam retractat, cap. 28. n. 29. & t. 1. 3 p. disp. 4. sect. 4. §. *Ad primum.* Quibus consentiunt Petrus Hurtado 22. d. t. 27. Lugo hic disp. 6. sect. 3. Ouid. citandus, ac Mæratius disp. 12. de gratia sect. 31. docet, quod si contritio ab habitu gratiæ proximè, aut remotè non procedat promerituram de condigno gratiam habitualem primam, quod & docuere Ricardus in 4. d. 27. art. Vasq. 1. 2. c. 216. n. 16. & d. 219. capite secundo, numero 4. ac postea Ouiedo, tract. 9 de merito contro. 5. p. 3. n. 46. nec satis consectariè Ripalda d. 78 n. 52. atque ex hypothesi quod sit forma sanctificans Suarez cap. 28 citato num. 24. affirmat. Dignitas autem contritionis intrinseca entitatiuè nequit entitatem ipsam contritionis pro priori naturæ præcedere, quin se ipsa contradictoriè prior sit, & posterior. Et quidem in opere præcepto nulla esse potest libertas si proximè, vel remotè gratia præcedat natura illius elicientiam, cum qua stare nequit omissio. Ac tandem, vt opus, siue à Deo, siue à Principe ad altioris ordinis præmium, & æstimationem euehatur, non oportet, vt à dignitate personæ quomodolibet proueniat, sed satis quod operans eam tunc habeat, vt sit opus æstimabilius, vt mille exemplis facilè constat, & Tridentinum quidem sess 6. cap. 16. definiuit. *Bonum opus hominis iusti, esse meritorium vitæ æternæ.* Vt autem hominis iusti absolutè sit, sat est, quod operantem comitetur, quin natura ad opus præcedat. Quare ex necessitate præcedentia gratiæ pro priori naturæ ad opus eliciendum, vt illud dignificet, non hunc probatur intentum.

6 Nihominus aliunde verum est, vt opus humanitatis ab vnione hypostatica in eius præmium data dignificandum non esse, ac proinde Vasquianam contradictionem cessare eiusque augmentum deficere. Licet enim, vt dignitas operantis opus honestum ipsius dignificet, opus non sit, quod ad eius effectionem pro priori naturæ aliquo modo præcedat, opus tamen est, ne pro posteriori naturæ saltem, vt præmium operis conferatur, vt doctè contra Vasq. hic, & citata disput. 219. num. 20 docuit Becanus, & contra Granados duobus locis postremis, ac fortè Soarium cit. c. 28. n. 29. docuere Petr. Hurt. cit. Sphor. 4. sum. n. 59. Lug hic d. 6. sect. 3. Ouid. citatus, ac docti, & ingeniosi Recentiores Atqui dignitas vnionis hypostaticæ licet adsit tunc operanti humanitati, adest tamen posterius natura, vt operis præmium: ergo nequit illud dignificare ad præmium vnionis hypostaticæ, ac proinde cesset implicatio deducta. Doctrinam maioris supponerem ex suo loco scilicet controuersia de merito, vti ex aliis controuersiis sæpè principia alia suppono, ne totam Theologiam, quam difficultates de incarnatione tangunt, intempestiuè cudam. Sed adeo malè probatam à nonnullis video, vt eorum probationes reiicere, ac solidiores adiungere, ne ex ea propositione discursus claudicet, vtile lectoribus merito iudicarim.

7 Probant igitur aliqui ex eo quod vnio hypostathica data ob opus humanitatis propriori naturæ elicitum illud ex communi Doctorum omnium sententia non dignificaret. Sed quam falsò hoc assumatur constat ex dictis, siquidem plures dignificandum contendunt. Secundo alij probant: quia cum eò meritum crescat, quo maior est dignitas, & gratia operantis, maiorque gratia, & dignitas operantis fiat per secundum gradum datum iusto in præmium merebitur opus, vt illa etiam dignificatum, gratiam vlteriorem, atque vt hac dignificatum vlteriorem, & sic vlteriorem in infinitum. Hoc argum. reiiciunt Ripalda, & Ouiedo quia augmentum gratiæ præmium per partes minores, & minores fieret, ac proinde ad indiuisibile gratiæ in præmium datę deueniretur, quod in aliquorum sententia satis non est ad dignificandum opus ad aliud indiuisibile adhuc gratiæ in præmium. Sed tamen si opus illud intensissimum, ac valdè perfectum esset, atque à grato, & iusto, vt vnum eliceretur dubio procul plus multò gratiæ mereretur, quam erat in operante. Ex qua maiori gratia ampliorem, & ampliorem vlterius mereretur, etiam admissa illa aliquorum sententia. Nutat ergo aliunde argumentum nempè ex suppositione illa quod ex maiori augmento gratiæ habitualis cæteris paribus operis meritum crescat, quod prorsus falsum contra plures ex nostris ostendebam contr. de merito, atque hic obiter, licet breuiter ostendam.

8 Probat melius Lugo proximè ex natura meriti, & præmiantis, vt talis. Meriti enim est mouere voluntatem præmiantis his quæ antecedentis ad illam habet, alioqui causa moralis mouens, ac prior illa non esset, vt patet: ergo ad meritum non spectat præmium, quod eius affectus, & posterior voluntate præmiandi est, sed solum ea, quæ ante præmium, & voluntem præmiandi habentur ab operante. Explicat exemplo. Decernat Rex occisori hostis plebeio nobilitatem, nobili titulum: an plebeius occisor, quia occisione ipsa nobilis fit, titulum etiam est consequutus, minimè. Probatur secundo, quia ex opposito infertur, ei qui cum debitis dispositionibus confessionis, & attritionis sacramentum pœnitentiæ suscipit, vel non conferri, imo aliquando nunquam gratiam conferri, vel contradictio æqualitatis, & inæqualitatis cum præmio eodem, quam Vasq. contendebat nuper. Probo illationem, quia attritio, & dispositiones merentur de congruo primum gradum gratiæ, sicque disponunt, ac proinde quo maior dispositio est, plus gratiæ in Sacramento datur recipienti, vel ergo datur in eo instanti quo sacramentum absoluitur, & tunc dignificantur ab ea in opinione aduersa ad gratiam aliam vlteriorem æqualis vt minimum perfectionis cum ea, quæ data est, etsi vlteriores primo gradus gratiæ perfectiores primo nõ admittamus, sed æquales ac proinde in eodem instanti dispositiones illæ habebunt meritum congruum, & inæquale, & condignum, atque æquale respectu eiusdem præmij: æqualis vt minimum gratiæ, quæ in præmium congruum earum dispositionum data fuit, siautem vt hoc euitetur dicas tunc non disponе pœnitentem statim mori, & totum aliud absurdum concedere teneris. Tertio probo, quia implicat debitum vt obligationem debitoris, iusque & exigentiam creditoris in ipsum solutione illius quod debet augeri, atqui præmium est solutio debiti merenti ex iure, & exigentia meritiua: ergo implicat præmio meritum, & ius seu exigentiam meritiuam ad aliud augeri, seu dignificari. Quarto probo ratione quam in secunda sua solutione ad Vasquez argumentum attigisse videtur Becanus, & confirmat rationem datam ex Lugo: quia nouum meritum, nouat dicit necessario libertatem, etenim in meritorio opere honesto, & laudabili nostro, est determinatus valor, vt quatuor, vel vt quinque, atqui hic quidem intrinsecus actui huic honesto liberè elicito valor quatuor, vel quinque recipit præmij, siue congrui, siue condigni: ergo exhaustus totus eius valor meritiuus fuit, quin accedente noua præmij dignitate aliquid valoris in eo sit, quod dignificet vlterius, aut eleuet ad præmium alterius: nam valor operis intrinsecus, atque ad quatuor tantum quæ iam recepit: ergo nequit augeri

geri ad plura extrinsecus à dignitate, licet posset eleuari, vt ad totidem altioris ordinis esset, ni antea præmium totius magnitudinis suæ recepisset.

CERTAMEN III.

Eadem negatiua conclusio efficacius probata nobis etiam arridet.

1 TAmetsi sententia absolutè negans humanitatem potuisse mereri de condigno suam hypostaticam vnionem ad Verbum, siue huius incarnationem simul tempore cum ipsa factam, per opera, quæ pro priori naturæ vnionis hypostaticæ ab ipsa humanitate gratia habituali ornata procederent, adeo segniter à doctissimis eius Patronis probetur, vt vidimus. Nihilominus semper ex aliis principiis efficacius probanda visa nobis est, valdeque arrisit cum illam expresse ab Augustino non semel traditam videremus. Cùm enim Christi humanitatem non meruisse de congruo incarnationem, siue vnionem ad verbum simul tempore factam, ita eam negat, vt simul potuisse absolutè, illam absolutè meri expresse inficietur. Ita enim scribit serm. 8. de tempore. *Nunquid & ille homo prius vixit, & bene viuendo factus est Filius Dei.* Naturalis nimirum per vnionem hypostaticam ad verbum. Ergo ex Augustini sententia quandiu extitit homo ille Filius Dei non potuit per opera humanitatis pro priori naturæ ad incarnationem, siue hypostaticam vnionem ad verbum Filium elicita, incarnationem ipsam, siue vnionem hypostaticam simul tempore datam promereri. Patet conseq. quia si simul tempore existens Filius Dei homo ille per humanitatis opera pro priori naturę ad incarnationem, & vnionem hypostaticam elicita promereri illam potuit, atqui per illam Filius naturalis Dei esse: ergo opus non fuit vt suæ vnioni præuixisset, sicque ipsam, ac media illa Filius Dei esse promeretur, vt ibi asserit, vel potius vt certum supponit Augustinus.

2 Duo solum huic argumento responderi posse video. Primum loqui Augustinum in connaturali prouidentia, & de potentia ordinaria, non autem in prouidentia extraordinaria, atque absoluta potentia Dei. Illud enim satis erat, vt de facto non meruisse incarnationem ostenderet: siquidem Deum iuxta connaturalem prouidentiam, atque potentiam ordinariam de facto tam in ordine naturæ, quàm gratiæ operari credendum est, vbi de oppositio non constiterit, vt in re præsenti non constet; quod autem connaturali prouidentia atque potentia ordinaria opera humanitatis pro vt gratia habituali ornatæ pro priori naturæ ad vnionem simul tempore factam elicita nequeant illam promoreri constat, quia nisi hoc ita esset de facto illam promerita fuissent, vt enim modo dicebamus id in quouis ordine de facto effectum dicendum est, quod connaturalius in ordine illo est. Deinde quia sicut gratia habitualis radix omnium supernaturalium donorum est, ac proinde illa omnia debet connaturali prouidentia præcedere, ita vnio hypostathica radix omnium donorum humanitatis vnitæ est, ac proinde debet gratiam ipsam habitualem in connaturali modo incarnationis exequendæ præcedere. Quare non potest gratia habitualis vnionem hypostaticam præire, vt opus erat ad eleuanda opera humanitatis ad proportionem aliqualem congruitatis, vt vnionem pro posteriori naturæ dandam de congruo mereretur. Secundo responderi posset Augustinum loqui de meritis semipela planis ex viribus propriis humanitatis.

3 Cæterum, vt à secundo hoc ordiamur, disiectum satis à nobis est. q. 1. cert. 1. n. 5. Rursus autem confutatur: quia meritis Pelagianis, atque propriis humanitatis viribus non minus repugnet humanitatem, seu hominum promereri vnionem hypostaticam, cui præuixisset, ac temporarie antecederet, quam eam, cui temporariè neque antecederet neque præuixisset, & tamen Augustinus illam promereri potuisse si præuixisset tanquam certum supponit. Ergo merita de quibus ibi agit non sunt Pelagiana siue à naturalibus, ac propriis humanitatis viribus profecta. Sed neque amplius præstat prima solutio. Etenim licet posita pro priori naturæ vnione hypostathica, vt de facto posita fuit radix omnium donorum supernaturalium, atque etiam gratiæ intelligatur. At vero gratia vt producatur connaturali prouidentia non petit ab vnione hypostathica naturæ rationalis ad Deum oriri, Alioqui per extraordinariam prouidentiam ordinis adhuc supernaturalis, Angelis, & hominibus non vnitis hypostathici Deo gratia semper donaretur, quod nisi ineptè dici non potest. Gratia vero ita est radix reliquorum supernaturalium donorum, vt hæc à gratia tanquam à radice pendeant, ac proinde neque absque illa nisi per extraordinariam prouidentiam ordinis supernaturalis, vt fidei, & spei habitus in peccatore seruantur, fieri aut conseruari queant. Quare æquè naturali prouidentia ordinis supernaturalis ni aliunde repugnaret gratia præcederet, atque modo sequitur vnionem hypostathicam humanitatis. Sed vtramque solutionem eruat radicitus ipse Augustinus in eandem sententiam ita scribens c. 36. Epchirid. *nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, vt singulariter promereretur Deum?* Ecce nec per singulare, & extraordinarium Dei, cuiusque gratiæ beneficium, ac prouidentiam, & potentiam Dei singularem, & extraordinariam fieri potuisse ait Augustinus vt bonis, & sanctis operibus mereretur homo, seu humanitas Christi vnionem hypostathicam, ni sui vnione ad verbum vixisset prius: ac proinde, nec de potentia absoluta potuisse per opera humanitatis pro priori naturæ vnionem suam hypostathicam simul tempore effectam congruè promereri, vt negatiua nostra sententia stet.

4 Iam (quod hac in re longe est, vt vidimus, difficilius) ratione probanda est conclusio, quam reor fuisse Augustini, quæque in aliorum principiis nescio an inueniatur, cum tamen in nostris ipsa se facile prodat. Cum enim in illis individua Christi humanitas, vt persona propria, ac suppositum creatum non sit, vt de fide certo non est, existat dependenter ab vnione actuali ad personam verbi sit, vt pro quocumque signo eius existentia (necessaria, vt sit causa, ac pro priori naturæ ad operandum, & merendum vnionem præcedat) adsit etiam dependentia ab vnione hypostathica actuali ad verbum ex decreto Dei quo existentia humanitati donatur cum tali dependentia ab vnione hypostathica actuali, indispensabiliter adhuc diuinitus in eodem instanti temporis futura: ergo licet vnio pro posteriori naturæ ad existentiam humanitatis cum ea dependentia decretam, donatur, liberum Deo donanti non est pro eo instanti vnionem humanitatis ad verbum ponere: ac proinde neque humanitati illam pro eo instanti habere, vel non habere. Sed quidquid meriturò secundum se considerato habere, vel non habere, vel non habere contingens absolutè non est, nec præmiaturo donare vel secus liberum non est materia præmij respectu operum illius esse non potest, vt de se patet, fusiusque ostendimus controuersia de merito; ergo neque vnio hypostatica verbi potest esse præmium operum humanitatis vnitæ, ac proinde neque eius opera vnionis hypostaticæ, hanc vt dixi, reor Augustino occurrisse rationem, atq; in eorum omnium Patrum testimonio contineri, qui supra dicebant humanitatem verbo in existere, in eoque sustentari, ab eoque susceptam, ea enim omnia, vt supra ostendebamus, entitatiua dependentia humanitatis in sui existentia, & entitate ab vnione actuali ad verbum apertè continentur;

CERTÀ

CERTAMEN IV.

Potuit abſolutè Chriſtus operibus animæ pro priori naturæ vnitæ corporis vnionem ad verbum promereri de condigno, ſecus de congruo.

1 PRæfixa concluſio de merito congruo patet ex dictis. Etenim cum animi exiſtentia decreta fuerit reperiuntur ab vnione actuali, ſiue ad verbum promereri de congruo, neque hæc dari in præmium operum animæ pro priori naturæ ad ſui vnionem hypoſthaticam operantis: quia animæ exiſtentiæ neceſſariæ, vt pro priori naturæ poſſit operari, contingens non eſt, ſed omninò neceſſarium verbo actualiter vniri: Reſpondentur enim ab vnione actuali ad verbum data, ac decreta à Deo eſt animæ exiſtentia: quare nec diuinitus poteſt illam non habere, ac proinde vnio animæ ad verbum materia præmij reſpectu ipſius non eſt, vt nuper in ſimili docebamus. Ex eo autem infertur iuxta dicta cert. 2. num. 5. & 8. non poſſe non opera animæ in eo inſtanti elicita vnione hypoſthatica verbi dignificari, ac proinde vnionis hypoſthaticæ corporis condignè ſolum moritoria eſſe poſſe. Cum enim dignitas perſonæ quæ in operum ipſius præmium data non eſt, ſola ſui aſſiſtentia operanti in inſtanti quo operatur, quin ex parte actus primi, ſeu operantis pro priori naturæ eorum affectionem præcedat, illa dignificet, non vnio hypoſthatica animæ hypoſthaticè vnitæ in inſtanti quo operatur ipſius opera dignificare; ac proinde condignè meritoria vnionis hypoſthaticæ ad verbum conſtituere. Hinc autem apertè conuincitur non poſſe tunc eadem opera eſſe congruè meritoria eiuſdem vnionis hypoſthaticæ corpori ad verbum ſine contradictione manifeſta: quod ſcilicet idem opus animæ ſimul atque inſtanti eodem eidem præmio æquale, & inæquale meritoriè ſit, cum congruitas meriti reſpectu præmij dicat operis inæqualitatem vt cert. 4. expendebamus cum Vaſq.

2 Concluſio vero ſecunda de poſſibilitate abſoluta meriti condigni vnioni corporis ad verbum ab operibus animæ vnitæ hypoſthaticè ad verbum eſt contra eos Doctores qui partes compoſiti ſubſtantialis incapaces ſubſiſtentiæ partialis, ſiue propriæ, ſiue alienæ defendunt. Item contra eos qui de facto animam, & corpus non niſi vnione indiuiſibili totius humanitatis aſſumptas fuiſſe à verbo decuerunt. Etenim ſi vnio hypoſthatica animæ, & corporis ad verbum eadem prorſus, & indiuiſibis eſt, nequit animæ opera ad vnionem corporis cum verbis dignificare, quin ad ſeipſam promerẽdam ea dignificet, ac proinde ſeipſam prioritate naturæ præcedat, quod eſt manifeſtè impoſſibile. Solum ergo habet locum concluſio in eorum opinione, qui vnionem hypoſthaticam animæ ad verbum diuerſam, diuerſam ab vnione hypoſthatica corporis ad verbum idem nobiſcum defendunt, ex quibus omnes ferè Recentiores ſecundam hanc noſtram concluſionem tuentur. Sed aduertunt tamen plerique concluſionem intelligendam de operibus animæ vnitæ hypoſthaticè verbo pro illo priori nondum autem vnitæ corpori, ac dependenter ab illo operantis. Ego vero horum principiis nihil ad rem præſentem referre iudico diſcrimen. Etenim licet operationes animæ dependenter à corpore cui eſt vnita vnionem cum illo ad ſuorum operum effectionem pro priori naturę ſupponant: at in horum principiis non ſupponit vnionem corporis ad verbum, nec neceſſitatem habendi actualem vnionem in corpore, aut in Deo illam ipſi ineuitabiliter conferendi: Quare nihil eſt quo corporis poſterius natura futura vnio materia præmij, ita etiam operantis animæ vnitæ hypoſthaticè eſſe non poſſit. Licet in noſtris principiis non ſine ea diſtinctione concluſio hæc defendi queat vt ſtatim oſtendam.

3 Dico ergo per opera animæ hypoſthaticè vnitæ, atque ex vnitæ pro illo priori corpori, ac independenter ab illo operantis poteſt anima vnionem hipoſthaticam corporis de condigno promereri: quod ſatis eſt ad prolatæ concl. huius 2. veritatem, vt patet. Probatur. Quia animam hypoſthaticè vnitam, nondum vnitum corpori operari independenter ab illo pro priori naturæ ad vnionem abſolutè non repugnat: ita vero operante eius opera ab vnione hypoſthatica, quam pro eo inſtanti, vel tempore operationum independenter ab illis habet, eſt omnino neceſſarium, vt n. 1. monſtrabamus; ergo eiuſmodi operationes animæ eſſent meriti infiniti, ergo æquarent: imo excederent in valore meritiuo præmium illud vnionis hypoſthaticæ corporis ad verbum, vt præmium condignum, imò condigno minus à Deo donari. Præfatæ omnes conſequentiæ ita ſunt antecedenti connexæ, vt probatione non indigeant. At dicere aliquis poſſet vnionem hypoſthaticam corporis nihil ad dignitatem animæ iam vnitæ conferre: cum ipſa iam habet ſummam è creatis vnionis hypoſthaticæ diuinæ dignitatem, quam ſua illa vnione ad verbum præhaberet: Sed enim negari minimè à ſano Theologo poteſt, æquoque, ac prudenti rerum æſtimatore, multum dignitatis animæ accreſcere, ex eo quod vnito hypoſthaticè ad verbum, corpori vniatur, atque aſſocietur.

4 Dico inſuper, per opera dependenter à corpore ſibi vnito, anima vnita etiam hypoſthaticè verbo de condigno corporis hypoſthaticam vnionem ad verbum idem promereri. Huius aſſertionis probationem tentare aliquis inde poſſet; quod parti compoſiti vnitæ verbo compartis alterius vnio ad verbum idem debeatur; tum iure compartium mutuo, tum quia vnione illa partis alterius ad verbum ponitur ſubſiſtentia aliena partialis, quæ compleri nequit niſi vnione partiali aliena ſubſiſtentia partis alterius media vnione ad idem verbum partis alterius, ſcilicet corporis. Parti autem ſubſiſtentiæ totalis debere compartem aliam, ſicut cuilibet parti alteri, vt totam ſubſiſtentiam, & ſuppoſitum componat perſpicuum omnibus erit. Verum inualidè inde pro hac arguitur concluſione. Ex eo enim quod compoſiti pars dependenter ab vnione ad verbum producatur, & exiſtat, non petit quod alia eadem dependentia exiſtat, ac producatur, vt patet. Vnde etiam conſtat non eſſe ſubſiſtentiam partialem alienam, ſeu partem ſubſiſtentiæ alienæ. ac proinde totum ceſſat argumentum. Sed eo toto admiſſo adhuc non tenet, id enim quod à Deo exigitur à creatura, ac iure illo naturæ quali quali, eo præcisè à materia præmij non extrahitur quare, & ſub eius creaturæ meritum cadere optimi abſolutè poteſt, vt de merito Chriſti agentes videbimus.

5 Solida ergo huius concluſionis probatio ea ſolummodo eſt, quæ ex noſtris principiis facili negotio deducitur: quia nimirum vnio animæ, & corporis, ac dependentia animæ à corpore in operando, ſupponit corporis exiſtentiam ad animæ ſic operantis operationes. Ea vero exiſtentia corporis, quæ ſola de facto fuit poſita, nec corpori contingens fuit vnionem ad verbum tunc habere actualem, nec liberum Deo illam conferre corpori, ſed omnino neceſſarium, ac proinde eiuſmodi vnio actualis corporis ad verbum materia præmij non eſt, vt non ſemel proximè ex controuerſia de merito docebamus. Quod autẽ exiſtentia corporis, quæ ſola de facto fuit habere actualem vnionem ad verbum non ſit contingens, ex dictis etiam proximè liquet. Eius quippè exiſtentia decreta à Deo fuit dependenter ab vnione actuali corporis ad verbum (vt opus eſſe docuimus, vt verbum totam integram humanitatem, quæ corpore etiam conſtat, catholicè aſſumpſiſſe, ſuſcepiſſe, ac ſuſtentaſſe dicamus, neque ſolam animam, vt heretici memorati, & confutati ſupra aiebant) ſi autem fuit cum ea dependentia corpus, eiuſque identificata exiſtentia à Deo decreta, atque producta, ex vi eius decreti determinatus minatus, & coactus manſit Deus ad conferendam corpori in illo inſtanti actualem vnionem cum verbo. Nuſquam igitur indifferens, ac liber ad eius collationem vt dicebamus.

QVÆSTIO III.

De merito Patrum erga vnionem hypoſthaticam humanitatis, ſeu Incarnationis ſubſtantiam.

PATRVM nomine Chriſto durationē, nec ſolum humana generatione anteceſſores omnes comprehendimus, eadem quippè eſt, de progenitoribus, ac de anteceſſoribus aliis ad meritum ſubſtantiæ incarnationis, ſeu vnionis hypoſthaticæ humanitatis ad verbum difficultas. Procedit autem quæſtio, & de facto, & de poſſibili, atque in prouidentia quæ de facto eſſe abſolutè poteſt.

CERTAMEN I.

De facto antiquorum Patrum nemo vnionis hypoſthaticæ, ſiue incarnationis ſubſtantiam fuit promeritus, neque in ordinaria prouidentia potuit.

1 ANtiquos Patres vnionem hypoſthaticam, humanitatis Chriſti, ſeu verbi incarnationem ſecundum ſubſtantiam congruè fuiſſe de facto promeritos docuere Caietanus, & Medina tertia parte, quæſtione ſecunda, articulo nono. Valentin. diſputatione prima, quæſtione ſecunda, puncto 8. Soarez diſputatione decima, ſectione ſexta, Aluarez diſputatione decima-ſeptima, Cabrera diſputatione decima-quinta, Raguſa, ac tandem Granad. controuerſia prima de incarnatione, tractatu decimo-quarto, diſputatione ſeptima, numero octauo, alijque ex Thomiſtis Recentiores. Negatiuam vero in-quæſtione de facto concluſionem docuit Alexander tertia parte, quæſtione octaua, medio tertio, ticulo ſecundo, Marſil. in 3. quæſtione quinta ararticulo primo, concluſione tertia, & quarta, atque articulo tertio, dubio primo, concluſione prima, Scotus in q... d. 2. quæſt. 1. §. *Ad primum.* Solutione 3. quem conſonè ſua ſchola ſectatur Panthuſa de prædeſt. & gratia capite 10. ſeu ardentius in Irenæi aduerſus hæreſ. librum primum cap 2. num. 2. venerabilis Pater Caniſius 2. de Deipara poſt initium, vbi eam communem Theologorum ſententiam appellat Vaſquez diſputatione 22. cap. 4 Petrus Vvadingo diſputatione 10. dub. 8. Bernal. diſputatione 17. ſect. 2. Lugo, & tot Recentiores, vt communis iam Theologorum, hac præcipuè poſt Caniſium ætate, merito haberi dicique poſſit, eique & nos libenter proinde ſubſcribimus, & quia Scripturæ, & Patribus. (quod plurimum hiſce in Theologicis rebus curandum nobis eſt) aliiſque ſolidioribus Theologiæ bonæ principiis videmus conformiorem.

2 Probatur concluſio. Primo ex Ioanne 3. Luc. 1. ad Thitum 3. ad Epheſ. 2. & ex pſalm. 82. aliiſque innumeris Scripturæ locis, quibus verbis Filij Dei incarnatio miſericordia, gratia, meraque Dei charitas erga homines nuncupatur; atque nihil horum propriè fuiſſet, ſi ex hominum meritis adhuc congruis contigiſſet, ergo non ex meritis hominum incarnatio contingit Verbi. Minorem probat facile argum. Patrum Aug. Proſp. & aliorum contra Pellagiana, ac Semipellagiana merita gratiæ adeo per exigua, vt vix merita ab eis diſcerentur, ſed an & occaſio quædam gratiæ nobis à Deo conferendæ tenuiſſima: & tamen arguebant Patres contra illa. Ex eis per exiguis meritis gratia nobis vocationis à Deo confertur. Ergo iam gratia non eſt gratia. Secundo probat Bernal. Chriſtus decretus fuit vt Patres omnes iuſtificarentur, ac mererentur apud Deum ex gratia ipſius vt dogma Theologicum eſt, ſi Adami gratiam auxiliantem, & iuſtificantem in ſtatu innocentiæ, & ante lapſum excipias: ergo non eſt decretus quia Patres ipſum fuere promeriti, conſequentia imo, & antecedens eſt Patrum, qui ex illo Pauli ad Epheſeos. 1. *Elegit nos in ipſo, vt eſſemus ſancti.* Sic contra Pelagianos, ac ſemipelagianos inferunt, *ergo non qui futuri eramus ſancti*, quem ipſum diſcurſum, iterum nos contra merita in ſpe, ſiue per modum prætij, & ſolutionis vrgebimus.

3 Probatur à ratione concluſio, ac ſimul negatiua etiam concluſio de potentia etiam ordinaria, ac prouidentia gratiæ quæ de facto eſt. Quia vt Paulus nuper aiebat ad Epheſeos. 1. *Elegit nos in ipſo vt eſſemus ſancti*, & ex Apocal. *Agnus qui occiſus eſt ab originè mundi*: iuxta concordem Patrum, & Theologorum interpretationem Chriſtus, ſeu humanitas eius vnita verbo hypoſthaticè principium fuit omnis meriti, & gratiæ ſanctorum Patrum: ergo eiuſmodi gratia, & merita ſanctorum Patrum non potuerunt mereri incarnationem, ſeu vnionem hypoſthaticam. Probatur conſequentia vnio hypoſthatica ſeu incarnatio ſecundum ſubſtantiam fuit principium omnium meritorum ſanctorum Patrum in connaturali prudentia, quæ de facto eſt, vt locis datis ſcriptura teſtatur. Eſtque dogma catholicum: aſt principium meriti nullum poteſt cadere ſub meritum, cuius eſt principium: ergo vnio hypoſthatica, atque incarnatio ſecundum ſubſtantiam nequit cadere ſub merita Patrum, quorum eſt principium in ordinaria, & connaturali prouidentia gratiæ quæ de facto fuit. Minor eſt etiam Theologorum axioma. Confirmatur, & axioma hoc, & totum argumentum. Quia ideo negatur à Theologis omnibus Chriſtum meritis vnione hypoſthatica dignificatis meruiſſe ipſam vnionem, hypoſthaticam; quia principium meriti nequit ſub meritum cadere: cum alias quidquid poſibile eſt mereri ob meritum Chriſti infinitatem, eiuſque gloriam ipſius meritis, concedendum neceſſario ſit. Huius argumenti ſolutiones varias, atque axiomatis eius interpretationes reiiciam de merito Chriſti agens.

4 Sed dices Adamo in ſtatu innocentiæ data fuit à Deo gratia, tum auxilians, tum iuſtificans independenter à meritis Chriſti. Ergo potuit in ea prouidentia gratiæ, quæ de facto fuit, incarnationis verbi ſubſtantiam, atque vnionem hypoſthaticam humanitatis ad ipſum promereri, operibus, quæ in eo ſtatu potuit abſolutè efficere. Argumentum hoc ab eis aſſumi nequit, qui Chriſtum decretum ante Adami exiſtentiam abſolutam aiebant, ac proinde vnionem hypoſthaticam Chriſti fuiſſe principium gratiarum omnium, quæ Adamo etiam in ſtatu innocentiæ, fuerunt à Deo collatæ. In noſtris vero principiis licet probatio proxima locum abſolutè non habeat, habet tamen locum probatio reſpectu gratiæ, quæ in eo etiam ſtatu ad alia virtutum exercitia, præter obedientiæ, atque obſeruantiæ impoſiti præcepti collata Adamo ex meritis Chriſti fuit; atque à tranſgreſſione præcepti non retrahat, ne-

que ad eius inducebat obseruantiam, ac proinde non supponebatur ad transgressionis peccatum ex cuius prouisione absoluta, ad cuiusque remedium decretus à Deo Christus fuit. De ea vero gratia quæ Adami transgressionem re ipsa præcessit, atque ex meritis Christi in nostra sententia non fuit, in qua proximum argumentum locum non habet, ac videtur obiectio procedere. In primis conclusionem primam, quæ de facto est, nihil præstat. Licet enim gratia illa ad obseruantiam præcepti per Christum, siue ex Christi meritis non fuerit, ast cum effectu obseruationis præcepti caruerit, nullum ex illa meritum cum Adamo profectum est, cum vicerit potius in illo tentatio, fueritque potius Adami transgressio, atque peccatum. Solum ergo conuincet vt summum, obiectio possibilitatem absolutam, siue potentiam absolutam Adami, ad merendam vnionem hypostaticam, siue incarnationem, quam quidem potentiam habuit, cum eam habuerit ad obseruandum præceptum ex gratia, quæ Christi meritis non innitebatur, ac proinde in prouidentia gratiæ, quæ de facto fuit, vt dicebatur in obiectione.

5 Verum neque id in eiusmodi prouidentia probat. Etenim in prouidentia quæ de facto fuit, nec verbum incarnaret, neque Christus veniret, nisi Adamus præcepti transgressione peccaret: ergo potentia quæ in Adamo fuit ad non peccandum per transgressionem erat potentia, vt Christus non veniret in ordinaria prouidentia quæ de facto fuit aduentus Christi, & incarnationis Verbi diuini. Ergo non potuit esse potentia mundi aduentum Christi, & incarnationis secundum substantiam in prouidentia ordinaria, & quæ de facto fuit aduentus Christi, & incarnationis Verbi diuini. Consequentiam hanc probo. Etenim potentia merendi aduentum Christi, & incarnationis substantiam per suum actum nequit identificari cum potentia, vt per illum non veniat. Explicatur vis illationis: nam potentia vt veniat, est potentia non quidem merendi, & obseruandi præceptum, sed potius demerendi, & peccandi per transgressionem præcepti, ob quam ita venit, vt alias in prouidentia, quæ de facto est non veniret: potentia autem ad merendum, & obseruandum, est potentia ad id quo posito non veniret Christus, nec esset incarnatio in eius prouidentia, quæ de facto fuit. Ergo si potentia merendi per obseruationem, esset potentia merendi, vt veniret Christus in prouidentia aduentus quæ de facto fuit, esset potentia merendi, vt veniret per id quod in ea prouidentia venturus absolutè non erat: ac proinde esset potentia absoluta ad coniungendum duplex contradictorium, siue ad merendum impossibile in prouidentia, quæ de facto fuit, quæ apertè repugnant.

6 Sed licet hæc contradictio non obstaret, atque gratiæ omnes reliquæ non præsuppositæ ad transgressionis peccatum in Adamo ipsi à Deo merè gratuitò, & liberaliter, ac non ex meritis Christi collatæ fuissent, in quibus, & merito inde profecto Adami cessat proculdubio contradictio, adhuc posita prouidentia quæ de facto est aduentus Christi, & ex qua sublato Adami peccato Christus non veniret adhuc eiusmodi merito Christi aduentum, & incarnationis substantiam Adamus promereri absolutè non potuit. Probatur: quia in ea prouidentia promereri Adamum aduentum Christi absque ipsius peccato non venturi esset mereri reparationem post lapsum, quod nemo de condigno promereri potest de facto, atque in ordinaria prouidentia, (vnde ad potentiam, & prouidentiam absolutam consequentiam facilè deducemus, vt docent sanctus Thomas 1. 2. quæstione centesima decima-quarta, vel vigesima quarta, articulo septimo, eiusque interpretes omnes ad vnum. Soarius 22. de gratia, capite decimo-septimo, & communiter tam antiqui, quam Recentiores Theologi: eſque me iudice de fide ex 18. Ezechiel. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius non recordabuntur.* At si amissa gratia per peccatum restitueretur ob merita condigna ante acta iusti, recordarentur. Secundo sæpè in scriptura, & Conciliis statuitur gratis nos iustificari, non solum primo ab originali, sed & vlterius ab actualibus vt communiter Theologi interpretantur: ergo non ex meritis anteactis condignis. Tertio quia alias qui simul iustus fuisset, ac mereretur, in gratia decederet; tandem, etsi sæpius laberetur vita; quia quidquid codignè à Deo mereremur infallibiliter ex diuina promissione consequimur: ergo nullus qui semel iustus fuit, damnabitur, sed necessario gloriam consequetur, quod est contra Tridentinum dicens sessione sexta, capite decimo-sexto, iustos conquuturos gloriam, quam promerentur, *Si tamen in gratia decesserint*, vbi eam conditionem iustis deesse posse supponit.

7 Hæc quidem de facto solum probare videntur de merito condigno reparationis post lapsum non fore; Ast si duæ illæ probationes ex Scriptura penetrentur, satis meriti condigni absolutam possibilitatem impugnant. Etenim licet Deus absolutè possit denegare præmium meritis nostris etiam condignis, ast nequit merito quod ex gratia condignum est, condignitatem auferre, nisi auferendo gratiam operantis, qua condignum redditur. Hanc autem nequit Deus auferre iusto operanti ex suppositione quod iustus sit dum operatur vt in casu nostro, quare si de facto non meretur iustus reparationem post lapsum, nec illam absolutè potest mereri, & quidem durus nimis erga amicos suos Deus foret, si id quod absolutè ipsi mererentur, statuta à Deo lege denegaret. Secundo eadem impossibilitas absoluta improbatur, quia dignitas operis à iusto eliciti respectu gratiæ conseruandæ, est non absolutè quidem, sed sub conditione quod non apponatur peccatum, vel quod apponatur gratia. Prima conditio implicat cum reparatione peccati, quæ esse nequit nisi fuerit appositum. Secunda est nugatoria condignitas meriti: quod scilicet reparetur peccatum, si per gratiam reparetur, quod ius sine vllo merito omnes habemus. Consequentia illa probatur: quia non est maior dignitas operis ad remissionem peccati seorsim, quam ad gratiam seorsim imo minus esse debet, cum in remissione peccati, vtrumque de lege ordinaria claudatur. Inde arguo tertio, quia condignitas meriti gratiæ impeditur saltem, ac mortificatur per peccatum etiam subsequens, vt patet in merito condigno gratiæ, & gloriæ quod peccatum subsequens mortificatur, & impeditur: Ergo si esset condignitas meriti ad reparationem post lapsum, esse condignitas vt ipsa subsequente peccato non impediretur, quod repugnat. Denique condignitas operum solum est, vt dona supernaturalia gratiæ, & gloriæ, quin ad eorum durationem extendatur: alioqui semel iustus condignè mereretur suæ gratiæ conseruationem, nec posset damnari, non autem illam meretur, quia vltra entitatem gratiæ qua eius meritum exhauritur, & soluitur, eius conseruatio est. Ergo multo minus extenderetur ad reparationem post lapsum, quod multo quidem maius est.

8 Hæc contra Ripaldam dixerim qui disput. nonagesimaquinta sect. secunda, singulariter, ac totis viribus contendit posse absolutè loquendo iustum mereri de condigno sui reparationem post lapsum. Ea vero satis probant Adamum non potuisse de condigno mereri reparationem post lapsum per medium adeo excellens atque fuit, Verbi incarnatio, & Christi Domini aduentus, adhuc per illa opera quæ ex meritis Christi non forent: nec maiori multo difficultate probabitur in prouidentia, & decreto, quod de facto de aduentu Christi fuit, non potuisse de congruo adhuc illis ipsis operibus incarnationem Verbi, & Christi aduentum promereri. Etenim licet verum sit iustum posse absolutè promereri de congruo reparationem sui & gratiæ post lapsum (imo

(imo de facto, & cum effectu illam promereatur efficaciter, vt docent sanctus Bonauentura in 2. disputatione vigesima-octaua dubio secundo. Scotus cum suis in 4. disputatione secunda, quæstione prima, articulo secundo. Soar. 12. de gratia capite 38. numero sexto; Ripald. proximè sectione tertia; Ouiedo 1.2. tract. 9. contro. 7. punct. 3. & suadet ratio quia peccatum solum opponitur dignitati meriti, quæ iustitia operantis est, non autem congruitate, tum quia peccator actualis meretur de congruo reparationem sui, & gratiæ, eleemosinis piisque operibus, & orationibus, quas pro sui reparatione à lapsu inutiliter ad Deum non fundunt; tum quia sanctitati vitæ assueti, facilius à lapsu resurgunt: ex merito nimirum congruo ante actæ in iustitia vitæ) ac proinde id etiam illis Adami operibus dare merito possimus, vt reparationem gratiæ post lapsum congruè mereretur; at vero reparationem à lapsu, & gratiæ restitutionem per incarnationem Verbi, & aduentum Christi, seu quod idem est mereri vt Verbum incarnaretur Christusque veniret, vt ipsum post peccatum repararet, adeo excellès præmiũ est, vt à iusti Adami meritis per peccatum subsequens transmissis, seu transmittendis, omnem etiam congruitatem, & proportionem meriti congrui abolet, nec Deus in tanti boni collatione ob illa liberalis solum remunerator, vt meriti congrui remuneratione solet, sed prodigus suorum donorum monstraretur.

CERTAMEN II.

In alia prouidentia potuerunt Patres substantiam incarnationis mereri de congruo, ac fortasse de condigno.

1 EX duabus præfixis conclusionibus prima quæ de merito congruo sanctorum Patrum erga vnionem hypostaticam humanitatis Christi, & incarnationis substantiam est, à Theologis admittitur communiter, facileque ex dictis probatur: quia in alia possibili prouidentia gratiæ potuit hæc sanctis Patribus donari à Deo non ex meritis Christi (vti Adamo in statu innocentiæ plura Dei dona independenter à meritis Christi data fuisse, ne dicam omnia, certum nobis est) tunc autem neque eorum gratiæ, neque meritorum principium esset incarnatio, ac Christus: quare licet ipsius existentiam sancti mererentur Patres principium meriti non caderet sub meritum. Insuper in ea prouidentia possibili muneri sanctos Patres, etiam Adamum aduentum Christi non esset mereri Christi aduentum post lapsum, & peccatum: in ea quippè prouidentia veniret, etsi nullum adesset peccatum reparandum. Denique possent sancti Patres excellentiam meritorum ex illa gratia habere, quibus sua aliqualis adesset proportio cum præmio tanto, puta actuum supernaturalium, vel heroicorum ex naturalibus, vel cumulum ex naturalibus pluribus, vt Deus eis meritis annuere sine prodigalitatis nota posset: neque enim vt benè Bernal. minutulus quiuis virtutis opus, v. g. assis eleemosina justi hominis vnionem, seu incarnationem de congruo meretur.

2 Quoad possibilitatem vero meriti condigni sanctorum Patrum erga vnionem hypostaticam humanitatis Christi, siue erga substantiam incarnationis non ita conuenit Doctoribus. Eam vero conclusionem tradunt Medina 3. p. quæstion. 2. citata Soar. supra sect. 5. Granados disput. 7. num. 4. ita vero vt Patrum meritis non nisi ex promissione Dei adiuncta condignitas possit obuenire. Atque ea etiam adiuncta nondum sit condignitas perfecta. Displicet vtrumque. Licet enim à Dei promissione operibus efficacia in ordine ad præmium consequendum, siue illius consequendi infallibilitas adueniat iuxta doctam Sancti Thomæ doctrinam ast condignitas ad præmium nequit illis inde prouenire, sed ex intrinseca operum laudabilitate, atque honestate, & dignitate operantis omnino coalescit, vt controu. de merito cum Vas. ac solidioribus Theologis ostendebam. Quare si Sanctorum opera secluſa Dei promissione eam qualem condignitatem meritiuam respectu vnionis non habent, è Dei promissione illam habebunt.

3 Secundo implicat initium è promissione Dei esse codignum respectu vnionis, ac non esse in eorum, atque omnium sententia perfectè, ac simpliciter condignum. Etenim condignitas licet æqualitatem proportionis in æstimatione morali operis cum præmio (licet non mathematicam, vt male nonulli æstimant, sed quæ magis, & minus non nihil patiatur, vti in iustis rerum præmiis contingit, quæ summũ medium, & infimũ, non obstante æqualitate eorum cum rebus, quam eo quod iusta præmia sint important, esse possunt) vel ergo posita Dei promissione vnio humanitatis Christi esse præmium, vel prætium iustum aliquo ex dictis modo meritorum SS. Patrum, vel non. Si esset: ergo perfectè condignum, si non esset, non esset condignum: sed solummodo congruum: quare, & additum illud *imperfectè* diminuens erit, ac meritum à condignitate, quam conclusio sonabat, ad congruitatem demittet. Ad hæc, cum posita dignitate honestè, & laudabiliter operantis, dignitas meriti respectu præmij sola expectetur in horum sententia promissio Dei ad absolutam meriti condignitatem, nescio quo pacto absoluta, & perfecta condignitas in SS. Patrum meritis respectu vnionis in eorum præmium promissæ esse non possit.

4 Si autem ea concl. quam subdubius solum propono, alicui absolutè placuerit, probandâ ita erit. Quia licet vnio hypostathica reliquis Dei donis excellentior sit; ast finitum tandem, ac creatum donum est, vt pote quid absolutè creatum: ergo merito aliquo finito, & creato hominis iusti æquari demum poterit absolutè; alioqui non finitum, & creatum, sed infinitum, & increatum donum erit, vt arguebam controu. 2. d. 3. pro possibilitate satisfactionis à pura creatura, pro macula, offensa, & debito obiectiuo peccati mortalis. Solutiones in re simili datas præccupauimus. Dices ex vnione hypostatica infinitè sancta euadit humanitas, ex vnione formaliter infinitè sancta euadit humanitas, etenim non ex vnione formaliter infinitè sancta euadit, sed ab extremo diuinæ naturæ, & personæ, quam quidem non meretur in se, sed eius vnionem, (sicut iusti non Deum, sed eius visionem merentur) licet ad præmium ij effectus necessario consequantur. Dices secundò: merita iusti respiciunt de se vt præmium æquale, gratiam, & gloriam, ergo nequeunt respicere vnionem hypostaticam longè eis donis maiorem, vt præmium æquale, quod enim æquale est longè minori, nequit longè maiori æquale esse, verum citata d. 3. q. 6. ostendi merita iustorum de se non respicere determinatè gratiam, & gloriam, tanquam præmium, licet à Deo in prouidentia quæ nunc est, in eis solum donis præmium stata lege donetur.

5 Sed quoniam id quod datur gratiæ, & gloriæ in præmium condignum, quodque ex aliis donis supernaturalibus donari operibus iustorum absolutè posset à Deo, est minus, quam vnio hypostatica humanitatis, adhuc videtur difficultas perstare, ac non posse esse æquale merita vlla iustorum; quæ dono à Deo minori æqualia sunt dono à Deo maiori vnionis hypostaticæ, quam sit tota aliorum supernaturalium donorum collectio, quæ condignè omnium iustorum meritis responderent. Hoc quidem vrgentissimum contra præfatam conclusionem argumentum est, & quod solum dubium me de ipsius veritate fecit: cui tamen dupliciter respondet. Primo, distinguendo in in dono illo bonitatem, seu æstimabilitem entitatiuam, & moralem in se, atque aliam relatiuam, & respectu merentis, ac subiecti, & de bonitate, & æstimabilitate entitatiua morali etiam doni illius in se dubium non est maiorem longè esse æstimabilitate, ac bonitate morali in se totius coniuncti aliorum omnium

nium donorum supernaturalium possibilium: at vero in relatiua, siue in ordine ad subiectum merens non ita certo æstimo esse maiorem. Vnio quippè hypostatica humanitatis alienæ non adeo bona est, atque æstimabilis merenti, atque cumulus ille supernaturalium donorum eius humanitati concessus, etsi non in tota extensione, & intensione eorum possibili: quare si ab vnione hypostatica alienæ humanitatis huius excellentias ex illa captas segreges, atque vnionem hypostaticam ipsam non vt subiecto alicui adiunctam, sed quatenus extrema, vt extrema solum concernit, vel vt ita dicam nulli inhærentem, minorem æstimabilitatem habet moralem, quam gratiæ, & aliorum supernaturalium inhærentium subiecto, valor respectu merentis, ac subiecti: sicut ingens pecuniæ summa non mea, aut alterius minoris sit, quam longè minor, quæ mea sit, aut alterius.

6 Respondeo secundo, argumentum hoc vt summum convincere non posse justos, sanctosque Patres ac solum dignitate præditos, quam gratia habitualis eiusdem speciei cum ea, quæ in hac providentia datur, conferre potest, non posse vnionem hypostaticam de condigno mereri, at vero cum gratia habituali alterius speciei nobilioris, & perfectioris (quam possibilem esse citata disputatione 3. quæstione 6. docebamus, atque in Christo eiusque Matre extitisse nescio quo absurdo concederetur) non posse illam de condigno mereri minimè probat. De ea enim non ita constat æquare opera adeo excellenter iustificati præmio gratiæ, ac gloriæ, ac proinde non posse æquari superiori dono vnionis hypostaticæ. Denique in beata Virgine fuit dignitas Matris seu maternitas, in qua nulla appareat repugnantia, vt eius opera dignificet ad meritum hypostaticæ vnionis, ni eam supponeret existentem: ac proinde non ex inæqualitate meriti, sed ex suppositione principij ad eius opera meritoria vnionem hypostaticam Christi mereri non potuit. Cur autem vnionem hypostaticam Spiritus sancti quantum ex se est ipsius opera non meruerint, non satis percipio. Præsertim cum eam Christo corredempticem mundi Patres, ac Theologi fateantur, quod è gratia habituali vlla condignè fieri, vt specialis Deiparæ prærogatiua sit Theologi communiter inficiantur: quare in eorum principiis ex sola dignitate maternitatis corredempticis per sua merita dignitas specialis Deiparæ potest defendi.

QVÆSTIO IV.

An Christi progenitores, tales suo quisque gradu esse promeriti fuerint, aliasque Incarnationis circunstantias.

DE merito Virginis erga Dei maternitatem, quam habuit, ac de aliis remotioribus Christi progenitoribus, auis, atauis. &c. Erga suam quisque Christi remotiorem progenituram inquirimus: quæ omnia, quia incarnationis circunstantiæ sunt cum absque eis incarnationis subsistentia esse potuerit, eorum occasione de circunstantiis aliis incarnationis an potuerint sub horum, aliorumque sanctorum Patrum meritum cadere, anque de facto ita ceciderint, examinabimus.

CERTAMEN I.

Meruit suam Deiparæ Christi Maternitatem.

1 BEatissimæ Virgini erga suam Christi maternitanegasse absolutè meritum video Vincentium de gratia Christi, qu. 5. art. 3. dub. 2. Lorcam d. 22. Siluium q. 2. art. 11. Vvadingo disp. 10. dub. 8. quibus licet fauere Soarius videatur, d. 10 negans circunstantias antecedentes incarnationem sub meritum venisse de aliis intelligendus est, à maternitate cuius meritum Deiparæ absolutè, & expresè concedit, ne à seipso discordet. Cæteri vero Theologi eiusmodi meritum in Virgine recognoscunt, S. Thom. q. 2. art. 11. ad 3. vbi ferè eius omnes interpretes Caiet. Med. & Aluar. Item in 3. d. 1. q. 3. art. 1. ad 6. vbi etiam S. Bonau. a. 1. q. 2. Gabr. q. vnic. art. 3. dub. 3. Almainus q. 3. dub. 3. fine. Marsil. q. 5. art. 3. dub. 3. concl. 3. Abulensis paradox. 1. c. 34. Valent. q. 2. p. 8. Vasq. d. 23. per totam. Soar. d. 10. sect. 7. & 8. Granad. proximè d. 8. sect. 5 Lug. d. 8. s. 5. Bernal. d. 17. sect. 4. Ragusa, vterque Hurtado; reliquique ex nostris, atque exteris Theologi Recentiores, quibus, & nos assentimur. Cùm enim tantam Virginis Matris prærogatiuam Patres, & Ecclesia elata prædicent voce, eam licet grauis difficultatis, tamen multas alias theologicas minimè deferendas conclusiones peruagantis nutu communi Dei, hominumque parentis denegare apertè esset à pietate deficere, ac fortasse nobis præ cæteris inhonestius qui eiusmodi difficultatis tam cum hac, quam cum aliis conclusionibus componendæ apertam habemus viam monstrandam controu. 6. d. 2. qu. 5. cert. 5.

2 Probatur primo. Meritum absolutè Deiparæ erga Christi maternitatem ex 1. Lucæ num. 45. Elisabeth. *Beata quæ credidisti quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi.* Ad quæ August. serm. 13. de temp. *quem Christum, non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis.* Statim vero Maria, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, inquit. *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ad quæ etiam Augustin. sermone 18. de Sanctis: *ô felix obedientia; ô insignis gratia, quæ dum fidem humiliter dedit, cæli in se corporauit opificem. Hinc promeruit illam gloriam,* &c. *Ecce ait ex hoc &c.* Basil homil. 8. de sancta, siue humana Christi generatione. *Propter vitæ*, inquit, *puritatem Beatam Virginem electam fuisse in matrem Dei.* Ac rursus præ aliis feminis ad maternitatem Dei hominis electam ait: *quoniam nulla puritate par Mariæ reperiebatur.* August. serm. 10. de natiuit. siue 14. de temp. *Talis eligitur Virgo quæ tantum haberet meritum, vt Filium Dei in se susciperet.* Consonat sibi de natura, gratia, cap. 36. ac de sancta virginitate c. 4.

3 Nec minus apertè Ambrosius in eandem scripsit sententiam epist. 28. & 82. *Quanta sit Virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi: vt esset etiam corporale Dei templum*: Deum nimirum sua carne vestiendo, vestitumque fouendo, ac 2. de Virginib. sub initium, *quæ digna fuit ex qua Filius Dei nasceretur.* Consonat sibi lib. 2. præparat. ad Missam Chrysost. hom. 49. dubitabundæ illi Marianæ ad Angelum interrogatiunculæ. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Ita respondet. *Atqui propter hoc ipsum fit, nam si cognouisses non fuisses habita digna, quæ huic ministerio inseruires.* Card. Petr. Damian. serm. de assump. *Singularis*, inquit, *eius sanctitas, & gratia hoc promeruit, quod susceptione Dei singulariter iudicata est digna.* Similia habet serm. 3. de natiuit. Hoc ipsum (ne recitandis, nedum expendendis à Deo apertis testimoniis Carth. inutiliter oneremus (M. Greg. 1. Regum c 1 Damasc 4 de fide c. 15. Bern. serm. 7. de assump & 2. de aduentu & epiphan. ex Epihanio hær. 18. Euseb. Emiss. hom. in Euang feriæ 5. Chrys. ser. 143. Io. Max. dial. 1 c. 14. Fulg. ramen audiamus 7. de incar. & grat. ex quo aliorum testimon. sono tenus con

clusioni huic aduersantium amicum sensum cognoscebamus: *Ipsum*, ait ille, *Deum hominem factum, & concipere, & parere non humanis meritis, sed concepti, nascentisque ex ipsa summa Dei dignitate*, id est dignatione, *promernit.*

4 Egregie ad rem hanc pertuetusus Poëta Prudentius canebat in Cathemerino, & hymno ante cibum.

Edere namque Deum merita.
Omnia Virgo venena domat.

Ac Fortunatus, vel eo solum, Renantius, lib. de æter. gaudiis.

Virginitas felix, quæ patrem est digna Tonantis:
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

His sanè scripturæ Patrumque testimoniis, ac Spiritu sancto edocta Ecclesia his Deum Patrem quotidie alloquitur orans: *Deus qui gloriosæ virginis matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti.* &c. atque in antiphona Paschali idem his verbis profitetur.

Regina cœli lætare
Quia quem meruisti portare
Resurrexit sicut dixit &c.

Vbi de Christo, ac verbo incarnato, quem virgo portauit, quique sicut dixit, Ecclesia, loquitur. Nec refert Hieronimum Dial. 1. contra Pelagianos, ac Bernardum ser. illo 1. de assumptione negasse virgini meritum maternitatis Christi. Loquuntur enim de merito ex propriis viribus Pelagiano, ac non ex gratia Dei per Christum, vt patet ex instituto Hieronimi, qui ibi contra Pelagianos agebat. Atque ex Bernardo ne fuæ ex eodem sermone citatæ pro nobis sententiæ, contradicat. Itaque ex propriis viribus meruisse maternitatem, negant, ex gratia vero concedunt cum Fulgentio proxime citato.

CERTAMEN II.

Meritum mariæ erga Christi maternitatem condignum fuit.

1 QVale vero quantumque marianum hoc erga Christi materniratem meritum fuerit, non adeo, est apud Scholasticos exploratum. Valentia, Valquez, Soar, Cabrera, Granados, & alij, congruum solummodo fuisse aiunt, condignum. Imo hoc postremum meritum concedere, censura dignum nonnulli ex aduersariis reputant verum citati, atque, ex eis consentibus doctores ab omni censura liberum, & probabile meritum condignum fatentur. Illud autem, vt verum defendunt. S. Bonau. Abulens. Gabriel. Almainus, & Bernal. locis citatis. Licet enim. S. Bonau. & qui eum sequuntur dignum. Solummodo meritum Virginis erga Christi maternitatem appellent, non ideo ita appellant, vt æqualitatem eius meriti cum præmio maternitatis excludant, quam digni nomen ipsum importat; sed vt aliorum merita etiam digna, ac æqualia eiusmodi præmio negent. Vocisque, & hymno spectato condignum illud solummodo dici videtur, quod aliorum meritorum dignitatem; & æqualitatem cum præmio eodem admittit. Probatur ex Patribus citatis Chrisost. Damasceno, Bernardo, Petro Damian. & Ambrosio, vltimo loco Prudentio, Venantio, Fortunato, & oratione Ecclesiæ recitata. In quibus omnibus Maria dignè meruisse eligi in Dei matrem apertè dicitur.

2 At inquies vocem *dignum*, seu digni impropriè eis locis vsurpari, sicut, & nomen meriti dum à Leone Papa, atque ab Ecclesia sumitur dum de Adami peccato dicitur. *O felix culpa quæ tantum ac talem meruit.* ac *digni* Vox dum de cruce ab Ecclesia cantatur. *Quæ sola fuisti digna sustinere Regem cœlorum, & dominum.* Qua dignitate, & merito sola Dei dignatio significatur, qua, & reparare nos à peccato, & crucem voluit ascendere. Verum hæc nullius sunt ponderis. His etenim locis aliquod est, quod nos improprietatem sermonis agnoscere cogat. Nihil autem in casu nostro est, quod nos ad improprium earum vocum sensum compellat: imo vero multa quæ nobis propriam earum acceptationem suadeant. Ea enim testimonia rationem dignitatis Mariæ, vt in Dei matrem eligeretur assignant vitæ puritatem, & sanctimoniam, obedientiam, fidem, virginitatem, & similia, quæ quidem omnia actus proculdubio meritorij sunt, vt patet. Inde vero arguo à ratione secundo; meritum maternitatis tribuitur Deiparæ ob eximiam, ac reliquis fœminis præexcellentem virtutum, & morum sanctimoniam: ergo quia ipsius merita ea fuerunt, quæ meritis aliarum omnium fœminarum longè anteirent: atque plures sanctæ fœminæ potuerunt mereri de congruo maternitatem Dei; imo vero de facto ita fortasis fuerunt promeritæ, vt cert. 3. videbimus: ergo Deipara non congruè solum, sed digne, atque ad æqualitatem, siue, vt ab scholasticis dicitur condignè illam fuit promerita. Tertio probatur conclusio. Quia solo consensu in maternitatem Dei plus meruisse B. virginem quam omnes Angeli, & homines cunctis suis bonis operibus docuit. S. Bernardinus Senensis, cui Theologi, & omnes post hac subscripsere. Quid ni condignè meruerit maternitatem.

3 Dices: meruit virgo de condigno, & ad æqualitatem meriti cum præmio maternitatem. Ergo hoc solum condignè recepit, ac meruit, ergo non recepit gratiam, neque illam condignè meruit suis operibus. Quod enim æquale vni præmio est, nequit esse eidem simul cum aliis æquale. Respondetur primo negando primam consequentiam. Vt enim supra docebamus æqualitas meriti cum præmio adeo Ad amussim non est, vt suam non habeat latitudinem, sicut, & iustum rerum prætium illam habet. Secundo nihil est absurdi, actu vno, vel altero meritoriis maternitatis de condigno nec meruisse, nec recepisse de condigno gratiam, cum maius adeo donum illis de condigno mereretur, & reciperet. Atque insuper cum tantam à Deo ante maternitatem, & gratis, & in remunerationem continui ab instanti suæ conceptionis exercitij adeo excellentium virtutum postea ardentius ac nobilius ad extremum spiritum continuandi, atque vlterius, & vlterius gratiæ augmentis præmiandi. Sed obiicit Bernal. non videri rationabiliter tot tantasque gratias Virgini collatas, nisi quia iam mater Dei erat: ergo hæc dignitas adeo excellenti virginis dignitati; ac merito fuit suppositæ. Verum rationabiliter illi datas, vt mater Dei esset, non quia erat fatetur Ecclesia in recitata oratione cert. 1. n. 4. Instabis quarto, ergo, & antiqui Patres meruerunt de condigno esse Christi Progenitore. Nego consequentiam adhuc de Progenitura eorum remotiori: licet hæc longe minus præmium quam maternitas sit, & tamen consequens, neque absurdum est, neque absque fundamento in Patribus, & scriptura, vt aiebat Bernal. proximè §. 4. num. 88. de quo statim cert. 3.

4 Rursus oppones, meruit Virgo de condigno Dei materniratem: ergo, & meruit de condigno incarnationem ipsam. Ægrè ab hac se obiectione expedi, & Bernal. qui vnionem hypostaticam ab actione productiua humanitatis, siue à maternitate non distinguit. Negatur cum S. Thoma proxima consequentia. Aliud quippe est maternitas seu productio humanitatis à Virgine, aliud hypostatica vnio, siue incarnatio, ac proinde vnum potuit Virgo sine alio mereri de condigno: sicut obiectantes ipsi fatentur de congruo meruisse maternitatem, non autem incarnationem. Instas, qui meretur dari rei alicui existentiam, rem ipsam eiusque existentiam meretur. At Virgo merens maternitatem Christi meretur dare existentiam Christo, & Incarnationi, seu vnioni hypostaticæ. Ergo meretur horum trium existentiam, & de condigno quidem. Maior per se videtur patere. Rursus autem probatur. Quia eatenus solum meremur à Deo existentiã gratiæ, quatenus meremur, vt Deus illam in nobis operetur minor autem videtur certa: mereri enim maternitatem Christi

seu hominis Dei,nihil aliud est quam mereri dare existentiam Christo,seu homini Deo, qui talis existit per incarnationem, siue hypostaticam vnionem existentem.Confirmatur,quia qui meretur aliquid ineuitabiliter connexum cum alio, v. g. actio cum suo termino, mereturr, & aliud cum quo connectitur. Vnde hoc aliud materia præmij respectu vlterioris operis eliciti ab eo, qui actionem iam promeritus semel fuit nusquam esse potest.*Dixi connexum tanquam actio cum suo termino*, qui scilicet non supponitur existens ad actionem cum ipso connexam,sed ipsa actione illius termini ponitur existentia.

5 Verum enim vero instantia hæc non vrget. Etenim admissa maiori de qua statim, minor est falsa. Maternitas quippe Virginis erga Christum fuit solius humanitatis generatio,non autem vnionis hypostaticæ humanitatis ad verbum,qua Christus,homo simul,ac Deus constitit.Licet quia idem in Christo qui homo in primo instanti productionis humanitatis à Virgine & Deus fuit denominatio geniti à virgine, quæ in hominem illum cecidit per idiomatum communicationem in Deum,seu diuinam personam, quæ homo ille erat. Sed nec maiorem admittere debemus. Licet enim mereri,vt Deus in nobis aliquid ponat, seu efficiat sit mereri illius alicuius substantiam, seu existentiam, quia eius donatio ab actione illius quod donat non distinguitur,certumque sit mereri præmium ab aliquo, esse mereri ab eo vt illud nobis donat, ac proinde mereri gratiam à Deo nihil aliud sit quam mereri affectionem gratiæ à Deo in nobis; at vero cum actio quatenus à creatura formaliter non sit actio, & donatio Dei, non est idem mereri creaturam vt rei productio ab ipsa fit, ac mereri rem ipsam, siue vt à Deo donetur. Confirmatio nihil magis euenit intentum, & maiorem illam. Aliud quippe est materiam præmij respectu noui meriti esse non posse terminum actionis, quam iam semel promeruimus. Aliud vero ideo non posse esse materiam præmij respectu noui meriti, quia merito ipso actionis tanquam præmium necessarium terminus ipse respondeat. Hoc enim falsum est, primum autem verum. Quia cum materia præmij id solum sit,quod dare, ac non dare sit in potestate donantis, id quod ad præmium donatum necessario consequitur sine noua donantis libertate noui præmij materia esse non potest, licet ante actionis donationem,si meritum termini etiam adesset,materia præmij esse potest respectu meriti huius secundi.

CERTAMEN III.

Progenitores Christi reliqui tales esse sunt promeriti,atque eorum aliqui de condigno, sicut, & alias incarnationis circunstantias.

1 PRogenituræ Christi suo quemque gradu reliquos Christi Progenitores fuisse absolutè promeritos concors omnium ferè Theologorum sententia est;contra Syluium,& Lorcam,qui merito ea de re malè apud alios audient:est quippe sententia expressa fere in scriptura Genes. 22. n. 16. vbi Deus ad Abrahamum piè eruendo animo in charam Sobolem fœuientem. *Quia fecisti rem hanc,nec pepercisti filio tuo propter me*, Ecce meritum, *benedicuntur in semine tuo &c.* quæ commentans Paulus ad Galatas.5.n.16. ait, *quod*, semen tuum, *est Christus*:Christi nimirum ex ipsius semine propagatio. Similiter ob Dauidis de templo Dei struendo desiderium.2.Regum.7.Dominus ait,*stabiliam thronum eius vsque in sempiternum*. Qua de re istorum Psal. 88. *Ponam in seculum seculi semen eius; & Thronum eius sicut dies cœli*; ac rursus Psalmo 131.*Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum:de fructu ventris tui ponam super sedem tuam &c. & filij eorum* filiorum, *Dauid vsque in seculum sedebunt super sedem tuam*. Ea vero dauidici regni perennitas in Christo ex eius semine tunc promisso ad impleta est iuxta illud Angeli ad Mariam Lucæ 1. *& dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum,& regni eius non erit finis*. Quibus propagatione Christi secundum carnem ex Maria sanctorum illorum Patriarcharum sobole præclarissima factam illis ob numerata pia facinora, promissionem impletam testatur.Euangelista. Atque inferius Maria ipsa in cantico *magnificat* illis verbis.*Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham,& semini eius in sæcula*. Hoc ipsum meritis Ioachimi,& Annæ Christi auis concedendum piè fore illorum merita præcelsa,atque Ecclesiæ in eorum festis orationis satis suadent.

2 An vero meritum hoc congruum solummodo,an vero condignum fuerit?sub iudice adhuc lis est. Pro eius tamen exacto iudicio aduerto. Dupliciter potuisse, Christi auos,atauosque esse Christi Progenitores mereri.Primo merendo Virginis ex ipsis propagandæ Christi maternitatem, & ita quidem neque condignè, neque congruè sunt promeriti, non condignè quidem: quia maternitas Virginis valore, atque æstimatione aliorum sanctorum merita longè adeo superabat, vt vox meritorum Virginis prærogatiua sit tantum donorum meritiua exæquare condignitate. Secundò quia per tot intermedios progenitores peccatores Deo inuisos ad implendum erat.Sed neque congrui ita id meruisse certum mihi est,vt tota gloria meriti maternitatis Christi integrè atque vnicè Deipara seruetur, quin Patrum remotiorum meritis vllis iuuetur. Sed solis Christi meritis quibus gratiam ad id merendum,ac proinde,& ipsam debet maternitatem, & sanè tantum hoc donum maternitatis Dei reputo,vt aliorum,quam Mariæ, meritorum,non æqualitatem modo; sed, & proportionem excludat.Secundo modo potuerunt Patres mereri esse remotos Christi Progenitores merendo Virginem alias Dei matrem futuram vel iam electam ex ipsis propagari.Quod quod quidem donum licet adeo excellens, & gloriosum longè tamen minus est Dei maternitate, & quod egregie illo Abrahami facinore tentato, atque ex parte sua peracto,insigni fide, atque spe eiusdem Isaci obedientia,Iacobi oratione, ac fortitudine, religione Dauidis,ac denique Ioachimi, & Annæ sanctimonia, non solum meritoria proportione ad congruitatem attingi;sed, & ad condignitatem vsque possit æquare.

3 De circunstantiis aliis incarnationis,an sub Patrum Priscorum merita venerint,dubitatur ab scholasticis.Illæ vero sunt,loci,& temporis,quibus Christus aduenit, circunstantiæ atque in primis de loco quo Christus natus est,atque hominibus conspicuus est factus, Doctoribus fere omnibus conuenit sub Patrum antiquorum merita veniisse.Videantur Vasq. proximè cap. 4. Soar. sect.6. Lugo d.8.sect.4.n.34. Bernal.d. 17. sect. 3. §. 2. Ragusa. d. 47.Lorca d.22.apud quos reliqui. Probatur ex cap.16. Isaiæ.n.1.vbi ait:*emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion*. Vbi Isaias patebat vt propè Christus nasceretur:quod,& impetrauit,vt suadet euentus, cum fuerit in Nazareht, natus. Nec satis est id aliunde futurum iam fuisse, ac proinde non ex meritis,& oratione Isaiæ.Vt enim rectè. S. Thomas in illud caput, *Congruum erat,vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant*, quare Isaiæ meritis cunctus cordatè tribuendus est maximè cum eiusmodi circunstantia non adeo excellens donum sit, vt meritis Patrum proportionem eximat, imo neque æqualitatem: quare neque condignitatem. Censeo ergo circunstantiam loci incarnationis, condigno merito antiquos Patres à Deo obtinuisse.

4 Circunstantiam temporis meritis Patrum obtentam,negant Iorca c. 23. Ragusa §. 1. Lugo citatus noa eisdem,sed eiusdem tamen imbecillitatis, argumentis, quia conuenientius tempus remedio hominum incarnatione intento,& assequendo, quod quidem à meritis hominum independens est eligendum necessario erat. Quare circa tempus meritis hominum locus non fuit.

Sed

Sed certè remedium hominum omnium, nec plurimorum,qui possent efficaciter intentum à Deo decreto, incarnationis:non fuit,vt patet, sed solum inefficaciter ex qua intentione,libera Deo huius vel illius temporis electio fuit, ac locus meritis Patrum, vt hoc potius quam illo foret. Ragusa quia è breuiori,vel tardiori incarnationis tempore pendebat plures, vel pauciores prædestinari:cum tamen nullius prædestinatio à purè creatis meritis pependerit. Negari facilè assumptum posset.Sed illud distingue,pendebat occasionaliter concedo,meritorie nego.Occasionaliter autem nullum est inconueniens quod à meritis purè creatis aliquorum prædestinatio pependerit.Lugo supponit falso duo, & actiones à tempore indiuiduari; & quod maior duratio actionis meritiuæ ex qua eius meritum augetur ab hoc tempore penderet,quin in alio æquali idem meriti augmentum esse possit,quæ sunt falsa. Instat Ragusa. Post Patrum preces longo tempore dilata incarnatio fuit v. g. post Abraham.Isaac.Iacob & Dauidis preces;ergo non meruerunt de facto accelerationem. Sed respectu Ioachimi,& annæ, ac Simonis,& Annæ Prophetissæ locum non habet obiectio.Sed nec respectu aliorum.Cum enim longius multo differri incarnatio posset,accelerationem sunt promeriti, qui promeriti sunt ne vlterius differretur.

5 Valquez ergo d.23.c.5. Soar. d.10.sect.6. Gaspar. Hurt.d.6.difficultate 8. Bernard. proximè, & Doctores communiter cum. S Thom.q.2.a.11. afferunt antiquos Patres accelerationem Incarnationis promeritos. Probatur ex datis verbis Isaiæ 16.& ex illis. c. 45. num. 8. *Rorate cæli de super,& nubes pluant Iustum:aperiatur terra, & germinet saluatorem*. & c.61.*vtinam disrumperes cælos, & descenderes*. ad quæ recitatus S.Thom. vbi proximè aiebat *Congruum erat,vt Deus exaudiret eos qui ei obediebant*. & sanè potuisse eos accelerationem promereri certum omnino est. Alioqui, & eorum orationes inconsultæ, atque imprudenter à Deo auxilia gratiæ ad eas coram se fundendas donata forent. Si autem mereri poterant, & impetrare à Deo accelerationem Incarnationis quæ de se tandiu vlterius differri poterat, cur non etiam à Deo obtinuisse negabimus. Secundo probatur ex responso illo precibus, atque expectationi Simeonis de Israëlis redemptione cælitus dato Lucæ 2.n.25. *non visurum se mortem nisi videret Christum Domini*, quæ promissio meritis expectationis,& precum Simeonis manifestè respondent,sicut, & Annæ prophetissæ precibus in templo, assiduis respondisse docet Ambrosius. 2. in Lucam cap. de Simeone; & Anna. Dices potuisse vtrumque mereri vitæ prorogationem miraculosam vsque ad Christi aduentum aliunde statutum. Sed facilius sine miraculo diceretur accelerationem incarnationis fuisse promeritos. Inducitur pro nostra tententia id Psalmi 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam* Sed ibi de peccati miseria inqua meriti ratio non est,agitur. Illud item Danielis 9. *septuaginta hebdomadæ abbreviatæ*, sed fonus decipit, cum sensus alius ab instituto præsenti sit,vt vidimus controu.1.d.1. q.cert.

6 Oppones meritum Christi remunerandum dicit Christi,& meriti existentiam physicam extra causas:ergo supponit exercitam Dei libertatem circa physicam Christi existentiam in se:ergo non est Deo liberum pro aliquo posteriori naturæ,vt Christus in hoc vel illo tempore existat.Patet consequentia in opinione quæ asserit durationem à re durante non distingui,in ea quippe rei duratio solum addit extrinsecam imaginariam durationem,quæ nec diuinitus remoueri potest,vnde id eius libertati non subiacet, sed solum existentiæ Christi, & meritum eius positio: Quare quod hac vel illa duratione imaginaria existat materia præmij, non erit nisi quatenus existentia incarnationis materia præmij est:Hæc autem nec sub Patrum merita venit,nec potuit, cum ad hæc, Christus, meritaque ipsius supponantur existentia. Respondetur Dei libertatem non solum esse circa existentiæ,positionem,sed circa coëxistentiam rei cum hac,vel illa imaginaria atque immobili duratione, etiam si duratio nihil intrinsecè inhærens rei durantî superaddat:addit enim extrinsecam, & immobilem illam imaginariam durationemquare potest videri existens:quin coexistens huic vel illi durationi imaginariæ, decernique existens quin coexistens. Quare liberum Deo est decernere in præmium coexistentiam cum hac vel illa duratione, sicut in conseruatione patet:In qua libera Deo est non existentia solum rerum, sed, & coexistentia tali vel tali durationi imaginariæ. Tota ergo difficultas est, quod ægrè concipiamus existentiam rei,siue rem existere realiter adhuc pro naturæ priori, ac non in aliqua duratione imaginaria cui coexistat. Cum tamen nequeat non coexistere re ipsa ab existere diuersum quid esse; & quidem quoad Dei libertatem ad præmij materiam requisitam attinet, licet modum superadditum rebus addamus, vt durent eadem est difficultas. Nam propriori naturæ supponi debet rei coexistentia cum hæc determinatè durationè imaginaria:qua posita liberum Deo non est aliam rei eidem durationem dare: cum huic tpatio imaginario durationis non nisi hæc rei duratio possit affigi,sicuti rem res sit,nec sit durantis diuersitas:ne sine necessitate modos multiplices adstruamus.

7 Sed adhuc vrgeo in quauis de duratione opinione. Dignitas meriti dicit coexistentiam operantis, & formæ seu principij dignificantis in eodem instanti: ergo,vt opera Christi sint meritoria de condigno gratiæ antiquorum Patrum,sicque à Deo videantur,debent coexistere humanitas operans coexistens operi;& vnione hypostatica in aliquo instanti, vel tempore durationis Christi:ergo non venit sub Patrum merita existentia Christi pro duratione illa; ac proinde neque incarnationis acceleratio. Respondetur negando antecedens absolutè;licet ad meritum pro hoc instanti,vel durationi,eorum omnium in illo coexistentia requiratur. Nam ad meritum secundum se, nec relatè ad tempus satis est coexistentia entitatiua eorum omnium. Sed licet his argumentis totum demus, solum probant non potuisse sanctos Patres promereri omnem accelerationem incarnationis absolutè possibilem; non autem non potuisse aliquam accelerationem illius promereri;quod satis pro nostra conclusione est. Etenim potuerunt meritis suis efficere,vt illud tempus,quo existere, ac mereri visus à Deo fuit, non esset vitæ Christi primum, ad postremum, atqui triginta tribus fore annis ante illud esse inciperet, atque aduentaret: cum tamen si eorum merita deessent tempus illud foret fortasse primum.Quæ quidem solutio plausibilior est,vt potè captu facilior.

QVÆSTIO V.

De Causa physica dispositiua, & efficienti incarnationis.

UTRVMQVE causæ genus coniunxi: quia plurimum sententia dispositiones effectiuè ad formam cui disponunt concurrunt: ac certè in exigendo concursu à Deo conueniunt.

CERTAMEN I.

Nulla fuit ad vnionem hypostaticam dispositio;esse tamen aliqua potuit.

1 EXtrema conclusionis pars est contra Vasq. d. 40. Soarium, & alios. Est autem Gasparis Hurt.d. 6. dis.2.& aliorum; facilisque probatur. Etenim si humanitas

nitas cum gratia sui vnioni ad verbum præuixisset, vt absolutè potuit, ex eius dignitatis præcedentis posset aliqualiter ad vnionem hypostaticam disponi: sicut anteactæ præfecturæ,& dignitates, ad maiora apud homines disponunt. Sed etsi non præuixisset, vt non præuixit,posset præcedere natura gratia disponens,ornansque humanitatem ad vnionem hypostaticam. Sin ad repugnantiam. Dices quod pro illo priori humanitas haberet filiationem adoptiuam,pro quo nec dum naturalem filiationem habebat:cum tamen filiatio naturalis non patiatur in eodem instanti temporis filiationem adoptiuam adhuc pro illo signo, & priori. Benè, ergo cum adsit per te filiatio naturalis pro posteriori signo naturæ impediet filiationem adoptiuam gratiæ pro priori naturæ, pro quo disponeret ad vnionem hypostaticam,& filiationem naturalem humanitatis per illam.Nulla ergo est implicatio à te assignata.

2 Obiicies; humanitas, vt in personam propriam creatá non erat,sed in diuinam confletur,debet per nos existere,vt pars,ac dependenter ab vnione ad verbum. Ergo pro priori existentiæ est dependentia ab vnione hypostatica in humanitate. Ergo,& pro priori ad gratiam,quæ existentiam humanitatis supponit:quare non poterit non vnio hypostatica esse prior natura, quam gratia;ergo si gratia aliunde ponatur præcedere vt dispositio vnionem hypostaticam, ponetur respectu eiusdem esse priorem,& posteriorem; quod implicat. Respondetur negando primam consequentiam. Nam dependentia humanitatis in sui existentia ab vnione hypostatica non est à priori,siquidem humanitas existens ad sui vnionem ad verbum præsupponitur pro priori naturæ existens:solum ergo est dependentia à commitante temporariè tanquam termino necessario simul tempore ponendo.Cum qua stat benè vt decretum de vnionis existentia exercitè posita, sit posterius decreto existentiæ humanitatis, & aliorum, quæ Deus velit natura in illa præcedere, vt dispositiones ad vnionem.

3 In quæstione vero de facto affirmarunt Alex. 3. p.q. 7. m. 2. art. 1.& q.11.m. 1.q. 12.m.1.a.1. S. Bonauent. in 3.p.d. 2.a.3.q.2. Gabriel. q. vn. a. 2. concluſ. 2. Ricard. a.2. q.3.ac S. Thom.q.1.& 2.a. 2. negamus vero nos gratiam fuisse de facto dispositionem ad vnionem hypostaticam cum Scoto,& suis in 3. d. 2.q.2.§. *Contra hoc arguo primo.* S.Thom.3.p.q.7.a.13. vbi Thomistæ, & præcipui q. 6. a.3. Vasq.Soar. Hurtado,& alij. Communiter Thomistæ probant fundamento, quod humanitas per verbi existentiam existat, supra à nobis reiecto. Alij quia ex dispositione accidentali(eiusmodi esset gratia) non posset haberi vnio hypostatica substantialis.Peius, cum ex dispositionibus accidentalibus materiæ, vnio substantialis compositi naturalis quotidie proueniat Soarius,quia passiones æquè atquè actiones suppositorum sunt,sensu nimirum sæpè à nobis confutato, ac semper confutando. Quarto, quia vnio hæc est de complemento naturæ. Vasquez. Quinto, quia intelligi nequit quod gratia non detur intuitu vnionis præhabitæ. Sed constat rectè id intelligi, atque esse posse. Ratio ergo est, quia gratia, sicut, & dona reliqua,de facto intuitu vnionis data humanitati fuit. Ergo non potuit de facto dari vnio hypostatica intuitu gratiæ, ne inuicem se ipsis prius, & posterius natura existant.

4 Obiicies id Lucæ. 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei.* vbi ante filiationem naturalem humanitatis, eius sanctitas recenseretur habitualis nego sancti nomine gratia habituali, sanctum intelligi; vel eo quod filij Dej nomine debitum, & obuenturum ob sanitatem illam dicitur: cum filiatio Christi ob sanctitatem vnionis, non ob gratiam habitualem ipsi debita fuerit, & obuenerit. Secundo ex præcedentia locali in textu malè infertur prioritas naturæ. Dices secundo naturæ ordine quæ maximè distant, non nisi præuia, ac quasi media inter vtrumque dispositione aliqua vniri debent:ergo humanitas, & verbum, quæ maximè distant,non nisi præuia,& media gratia vnientur. Respondetur antecedens verum esse in his quæ connaturaliter atque ad exigentiam causarum naturalium fiunt,secus in iis,ad quæ nulla esse exigentia potest,sed ex mero amore,gratia,& beneuolentia, misericordiaque fiunt, vt incarnatio. In iis enim quæ ita fiunt quominus dispositiones attendunturplus amor, & misericordia diuina elicient,vt patet, sæpèque Paulus testatur. Imo vero si dispositiones quales, quales vnionis expectari oporteret non sola gratia,sed, & reliquæ humanitatis supernaturalis dotes deberent præcedere natura vnionem, oporteretque humanitatem sui vnioni præuixisse, atque excellentibus se virtutibus exerceri, vt sic postea ad vnionem cum verbo assumeretur:Quorum nihil ita præstitum, ac dispositum à Deo fuit.

CERTAMEN II.

Solus Deus Trinus communi concursu causa efficiens vnionis hypostaticæ fuit.

1 DVos speciales concursus præter communem tribus Personis ad physicam vnionis hypostaticæ effectionem video à Theologis nonnullis ex cogitatos. Primo omnia Soar.d.10.s.1.§. *De Ipsa autem* circa medium.Granados tractatu. 4. d.vlt. sect. 1. Bernal. d. 19. sect. 3. docuere B. Virginem physicè instrumentaliter saltem effectionem vnionis attigisse virtute, & potentia obedientiali, idque à pluribus ætate sua doceri testatur Medina.3.p.q.31. a. 4. licet parum sanum esse iudicet.Lorca d. 18.n. 7. esse improbabile omnique fundamento destitutum ait.Vasquez.d. 21. n. 7.se huius sententiæ fundamentum probabile non videri fatetur.Cernebat autem in re Theologica satis acutum. Cæterum cum à Deo sit sententia illa de potentia obedientiali communiter recepta,nequit non conclusio hæc,quæ illi innititur suam habere probabilitatem saltem extrinsecam:quare nequit censuris subiacere. Cæterum nobis, quibus potentia illa obedientialis rerum summopere displicet ob rationes quibus affatim eam, controu. de causarum actiuitate confutauimus, non potest non displicere. Eius autem impugnationes ex iis quibus principium cui innititur eruimus petendæ sunt. Inde etiam impugnandus erit concursus actiuus humanitatis ad vnionem hypostaticam, vnionem partium materiæ,& formæ per nutritionem acquisitarum,quem primus eodem fundamento excogitauit Bernal.§.4.fundamentum de identitate vnionis hypostaticæ cum productione humanitatis euertimus contra Bernal. d. procem.q.2.cert.4.

2 Secundo Franciscus Abræ de Rachonis.3.p. tract. 1.q.1.Petrus Vvadingo d.4.dub.4.§.2. n. 54. docent verbi Personam speciali influxu præter communem Trinitati toti, vt causam nimirum specialem ad vnionis hypostaticæ productionem concurrere. Quam sententiam temeritatis notarunt Recentiores Complutenses in Francisco Abræ(quem solum,non autem Vvadingo viderant)quia operationem ad extra diuinæ Personæ,aut personalitati, non communem Trinitati adscribit.Sed certè Granad.1.p.q. 12. d. 5. & 7. aliique plures Recentiores personalitati cuiuis diuinæ actiuum influxum per modum speciei intelligibilis cuique proprium,& specialem, nec toti Trinitati communem expressè concedunt. Quare nescio an temeritatis nota iam prudenter cadat in assignantes aliquam operationem ad extra toti Trinitati non communem, sed alicui ex personis Trinitatis propriam, ac specialem, ob titulum specialem aliquem in aliqua operatione ad extra repertum, vt in visione intuitiua personalitatis cuiusque diuinæ,atque hic in solius verbi incarnatione.

3 Cæterum nobis semper tenendum est nullam operationem ad extra excogitari iure posse, quæ formaliter indiuisibiliter toti Trinitati non respondeat,iuxta illud Ioan.5.*non potest à se facere quidquam nisi quæ viderit Patrem facientem,quæcunque enim ille fecerit,hæc, & filius similiter facit.*Illud enim similiter non operationem solum,sed operationis etiam denotat modum.Vide Augustinum, & Patres ibi.Vnde Patribus, & Conciliis sanctum illud axioma semper fuit. *Indiuisa sunt opera Trinitatis ad extra,*vt d.procæ.q.2.cert.4.n.5.contra Vvadingo persequebar. Sed illud axioma in re præsenti specialiter obseruandum docuerunt Concil.Lateran.sub Innocentio. 3.relatum.c.*firmiter* de fum.Trinit. vbi de filio ait. *à tota Trinitate communiter incarnatus.*Tolet.6.c.1. *Cum tota cooperata sit Trinitas formationem susceptihominis (Quoniam in separabilia sunt opera Trinitatis,)solus tamen filius susceptit humanitatem.* Repetit Concil.Tolet.9. confes. fidei. Atque. S.Ildephensus ita ad Mariam. *Tota indiuisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te,sola persona filij Dei in corpore tuo nascitura,carnem assumet de te.* Hinc.S.Tho.q.2. art.8. ad 2. concludit, omnes personas Trinitatis esse vnientes hypostaticè humanitatem, non autem illam assumentes.

CONTROVERSIA IV.

De intrinsecis Incarnationis effectibus.

IN effectibus intrinsecè ab vnione humanitati communicatis alij primarij sunt, alij secundarij: positivi item, vel negativi. De eorum aliquibus (nimirum personam constituere increatam, creatamque absumere) satis superque dictum est.d.1.procem.& controu. 1. d. 1.Reliqui ergo iam intrinseci effectus suo ordine examinandi sunt, & quoniam Persona humanitati per se vnita filius naturalis Dei est, An humanitatem, hunc-que hominem Christum, qua hominem,filium naturalem Dei constituat? disputabimus primò. Secundò an omnem humanitatis Christivè, qua hominis seruitutem, ac subiectionem respectu Dei impediat. Tertiò An communia Trinitati humanitati suos formales effectus præstent? Quartò de sanctitate humanitatis substantiali per Deitatem. Quintò denique de eiusdem humanitatis impeccabilitate.

DISPVTATIO I.

De filiatione Christi.

INQVIMVR de Christo, qua homine, siue secundum humanitatem examinabo primum an ei competat filiatio naturalis Dei?secundo: qua illi ratione conueniat? Tertio: an simul in illum filiatio Dei adoptiua quadret? sed quoniam eorum, quæ super his dicemus, certitudo ex erroris Felicis, atque Elipandi indagatione, ac deprehensione Conciliique Francfortdiensis,& epistolæ Adriani authoritate omnino pendet: primam de vtroque quæstionem instituam.

R.P. *Christoph de Ortega,de Dei incarnat.*

QVÆSTIO I.

De Felicis, & Elipandi errore, ac de Concilij Francfortdiensis, & epistolæ Adriani authoritate.

FELICIS apud Illergetes, seu Catalonios Vrgelitani Episcopi, atque ab ipso edocti Elipandi Archiepiscopi Toletani error Solino Maurorum Rege ortus anno septingentesimo octuagesimo-tertio, tam certis coniecturis,apertisque testimoniis à profundæ eruditionis viro,& alienarum mentium,vt,sic loquar,mente Gabriele Vasquez traditur:vt si ab aliis animi,an ingenij?abesset contentio,ea de re dubitari minime posset;alteruter tamen,vel vtraque, quæstio iam est,quod alias vix foret historia.

CERTAMEN I.

Coniecturis, ac testimoniis propriis Felicis,atque Elipandi error aperitur.

1 ERrorem hunc Nestorianum fuisse putant Soar. disputatione quadragesima-nona,sectione tertia, Bernal.tota disputatione quadragesima-quarta, summa vero eruditione Vasq. ostendit eos formaliter Nestorianos non fuisse,nec plures pro naturarum pluralitate in Christo admisisse personas,sed vnam; licet consequentiæ vi, vel errorem deferere, vel ad Nestorium accedere tenerentur: solumque illos errasse in denegando Christo, qua homini, siue secundum humanitatem, filiationem naturale Dei, adscribendaque adoptiua: Vasquio consentiunt, præter Asseclas, Luis.Torres, & Gasparum Hurtado, Petrus etiam Hurtado,disputatione octuagesima-tertia, sectione secunda solitaque errorum comprehensiua breuitate Petrus Vvadingo disputatione vndecima dub.primo, paragrapho primo, suadent id in primis coniecturæ graues.Cum in Hispania enim, & Conciliis Toletanis ante actis omnibus, præcipuè. 4. 6. 11. 15. & 16. in quibus plus satis versatus Elipandus erat,Nestoriani erroris damnatio,fideique ipsi opposita professio adeo esset expressa, incredibile prorsus est errorem, adeo ab eis execratum voluisse Elipandum excitare. Quod autem in Toletanis Conciliis hic fuerit versatissimus constat primo. Quia Iuliani prædecessoris; qui Concilio. 15. Toletano præfuit, ceterisque clarius doctrinam totam Chalcedonensis, atque Ephesini Contra Nestorianum errorum profitetur, authoritate niti se Elipandus iactabat, quod si Bernal. ipse disput.sexagesimasexta, sect.prima, paragrapho primo num. 5. inde satis contra Soarium probari existimat Christum, quatenus hominem specificatiue filium Dei à Felice, & Elipando non negari, quod res esset tunc in Ecclesia exploratissima: Cur idem argumentum in re præsenti non admittit? Secundo: quia cum in Conciliis Toletanis postremis omnia ante actorum confirmarentur, atque in 11. diceretur *Dei filium secundum humanitatem non esse adoptione,sed natura filium.*Exceptionem de filiatione eius naturali secundum humanitatem in eo, & sequentibus contineri putauit.

Tertio : quia cum ea Concilia contra Acephalos pro distinctione naturarum , & proprietatum , cuiusque in Christo , pugnassent , ex eorum doctrina diuinæ filiationem naturalem , humanæ , vero naturæ adoptiuam , tribui iudicabat.

2 His , vt putabat authoritatibus nixus Elipandus eos animos cæpit , vt primum in Hispania Beatum Eruditum Asturem Presbiterum , & Heterium Huxumensem Episcopum , tunc apud Mauros exulem , quod suæ doctrinæ aduersarentur , hæresis damnari , sperauerit , curaueritque : sicut Mingentianorum hæresim de Paschatis celebratione in Concilio Hispalensi se Præside , ac confutatore damnauerat : vt Constat ex eius Epistola data Octobri anno septingentinsimo octuagesimo-tertio , ad fidelem Abbatem apud Astures , quæ extat initio libri contra ipsum Gothice à Beato , & Heterio conscripti apud Bibliothecam Toletanam. Cum autem in Hispania ad suam , tanquam ad Catholicam , doctrinam Episcopos plures , (in quibus , & Asicaricus fuit) sua , & industria , & authoritate per traheret , imo (excepto Heterio qui Beato aduersanti adhæsit vt is in suo illo libro testatur) Episcopos Hispaniæ omnes : Epistola , doctrinæ que suæ libello ad Carolum Magnum datis curauit , vt Galliæ etiam Episcopi coacto Concilio Beatianam doctrinam , & paucorum , & Subdolam , damnarent : Imperatorem insuper hortabatur , vt sua doctrina , & communis , & fidei dogmatibus conueniens , multorum doctiorumque Concilij , & disputatione coram ipso examinaretur : vt constat ex fragmento rescripti Regij ad Elipandum , & ex epistola Concilij Francfortdiensis ad eundem , atque ex libro eiusdem Concilij , qui inscribitur Sacrosyllabo 5. Cum ergo Elipando ipsi , cæterisque Hispaniæ , & Galiæ Episcopis,imo, & fidelibus cunctis adeò esset Nestoriana hæresis nota , atque execrabilis , si ea Felicis , & Elipandi hæresis erat quomodo in illam tot Hispaniæ Episcopos Elipandus pertraheret , vt solus Heterius Beato repugnanti adhæserit ? Vt ipsi suo illo libro fatentur , qua item spe trahendi in illam omnes Galliæ etiam Episcopos, & Doctores Concilium , quam posset plurimorum , per Carolum magnum cogi curaret , & quam enixe datis litteris expoſceret ? Non ergo fuit Nestorianus Elipandus ; sed nouum alium errorem à Felice Vrgelitano ebibit , ac propagare tentauit : nempe Christum , qua hominem , siue secundum humanitatem filium , Dei non naturalem , sed adoptiuum , solum esse.

3 Sed age iam non coniecturis modo , sed Concilij Francfordiensis testimoniis refragatur. Epistola enim eius Concilij ad Episcopos Hispaniæ columna septima , hæc habentur *intelligite fratres , qui legitis : & nolite noua , & incognita nomina fingere.* columna decimaoctaua , *Nolite nouas versare quæstiunculas* , atqui Nestorij error noua tunc nomina , & quæstiunculæ nouæ non essent , sed antiquæ , ac præ vetustate carioſæ , & antiquatæ : ergo nouus, diuersusque à Nestorio Felicis , & Elipandi Error fuit. Secundo Carolus magnus epistola , seu rescripto ad Elipandum citato apud Concilium Francfordiense columna tertia , inauditum in Ecclesia Elipandi errorem testatur his verbis. *Quatenus sancta omnium vnanimitas firmiter decerneret , quid credendum sit , de adoratione carnis Christi , quam nuper nouis assertionibus sanctæ Dei vniuersali Ecclesiæ antiquis temporibus inauditis vos ex vestris scriptis intulisse Cognouimus.* Quia nimirum , negata ab ipsis naturali Dei filiatione humanitati , deterius quam auditum hactenus fuerat de adoratione humanitatis loquebatur Elipandus. Eadem item epistola ad Episcopos Hispanenses columna decima-quinta , hæc habentur : *dices : cur times adoptiuum Christum Dominum nominare ? dico tibi : quia nec Apostoli eum sic nominauerunt : nec sancta Dei Catholica Ecclesia consuetudinem habuit sic eum nominandi : imo nec credere eum adoptiuum esse.* Longéque inferius recitato Hilarij testimonio. *Tu vero , quisquis es , qui Christum prædicas adoptiuum , vnde ipse tibi sensus venisset , voluissem scire. Patriarchæ nescierunt : Prophetatores hoc nomen tacuerunt : Doctores fidei nostræ non docuerunt.* Quæ ex libro Beati , & Heterij videntur transcripta. Adrianus Epistola , quæ in eodem Concilio extat , confutata ex variis scripturæ locis adoptione Christi secundum carnem , in quibus Christus filius proprius , *specialis , naturalisque Dei absolutè nuncupatur* addit *quod si &c. Cuncta , quæ protulimus ad diuinitatem tantummodo Filij Dei referendæ opinantur : dicant vbi vnquam communi affectu dixerit nobiscum:Pater noster.* Vbi enim sic dixit Luc. vndecimo , non è persona propria , sed nos docens orare dixit. Si autem Nestorianus esset error non eo quod naturalis semper Dei, Filius , nunquam vero adoptiuus ab scriptura , & patribus Christus fuerit nominatus ; sed quod damnatus ab Ecclesia error iam dudum esset , atque personæ Christi vnitas in scriptura contineretur reiiciendus foret. Fuit ergo Elipandi error non de personarum pluralitate Nestoriana in Christo,sed de eius adoptione secundum carnem,seu humanitatem,vt his testimoniis habetur expresè.

4 Eadem item epistola Adrianus Pa. & Patres Concilij Francfordien. in libro Sacrosyllabo Paulini præcipue cura edito , atque à Concilio approbato si Elipandi filiatio adoptiua confutatur. *Hæc igitur dicentes , aut in vtero Virginis eum suspicantur adoptatum (quod dici nefas est , quia de B. Virgine inenarrabiliter sumptit , non adoptauit carnem) aut certe purum eum hominem , sine Deo natum (quod cogitare impium est ,) necesse est fateantur.* Quibus ex adoptiua Christi secundum humanitatem filiatione Elipandum deducit , ad Nestorianismum : quod scilicet in vtero Virginis humanitas Christi non fuerit assumpta à verbo , eique vnita , sed impropria fuerit persona , sicque adoptata , vel purus homo natus etiam fuerit. Ergo id non asserebat Elipandus; alioqui inepte deduceretur , tanquam ad absurdum ad suam conclusionem. Idem argumentum continent verba , quæ ex eodem libro sacro Syllabo , damno suo obiectant aduersarij. Sic autem habent columna octaua , *Dei ergo filius , qua ratione credi potest adoptiuus ? qui inseparabiliter assumpto , homine in vna persona coeunte vtraque natura , non duo filij , alius Dei , & alius hominis : vt (sicut illi errando æstimant) adoptiuus ; sit filius hominis &c.* Ac si dicat cum Felix , & Elipandus vnitatem personæ Christi Catholicè retineant , non diuidant Nestoriane , incredibile , ac miraculi instar est , quod humanitati , Christoue , qua homini , filiationem adscribant adoptiuam , quam , si personas diuiderent , facilè possent adscribere. Error igitur , in consequens quidem illorum erat , ait Concilium ; quod , coëunte per ipsos vtraque natura in eandem filij naturalis Dei personam ; homo , siue hominis filius , sit adoptiuus filius Dei. Denique Adrian. cit. epist. post init. sic erroris huius materiam scripsit. *Materia autem causalis perfidiæ inter cætera reiicenda de adoptione , Christi secundum carnem &c.* Erant autem cætera , seruitus propria respectu Dei in Christo , qua homine , atque negatio vlterioris adorationis, ac perfectioris , quam filiisaliis adoptiuis Dei , Christo qua homini exhibenda , vt quæst. de seruitute

uitute Christi , & Controuersia. 6. d. vltima videbimus.

5 Neque vero in Felicis, & Elipandi errore referendo historici dissentiunt. Alcuinus Caroli magni Magister , atque ipsis Coætaneus tertio , de Trinitate capite nono , docet Christum secundum se totum esse vnam Trinitatis personam , filiumque naturalem Dei , non adoptiuum. Subditque statim. *Ideo cum Patre , & Spiritu sancto , vnus est Deus non nuncupatus , sicut hispanica hæresis impia temeritate affirmare præsumpsit. Asserens Dei filium in diuina natura Deum esse verum , in humana nuncupatiuum : similiter , & in diuina natura proprium filium Dei , & in humana adoptiuum.* Sed perge , inquit aduersarius noster Bernal. ad ea , quæ immediate subdit Alcuinus. *Diuidens vnam personam filij Dei cum Nestorio in duas personas : id est veri filij , & adoptiui.* Ergo hic etiam error illorum erat. Sed malè arguit : nam hoc non ponitur ab Alcuino , vt illorum assertum : quare nec sub participio *asserens.* Sed , tanquam absurdum , quod eorum faciebat error , nempè personarum diuisionem , ponitur sub participio *diuidens.* Cuius etiam rationem subdidit vbi proxime sacrosyllabus liber. dicens : *Cum certissimum constet in illam personam , quam habuit eternaliter , de Patre genitus , Dei filium assumpsisse naturam , quam nemo Catholicus confirmatus adoptiuum esse ausus est dicere.* Ionas Aurelian. eis etiam Coætaneus. primo , de cultu imaginum sic de Felice scripsit *quoniam iuncto suo sceleratissimo errori Elipando Toletanæ vrbis Episcopo Christum secundum humanitatem , non esse proprium Filium Dei , sed adoptiuum prædicare ausus est.* Annonius circiter centum solum annis post Concilium Francfortdiense. De gestis Francor. capite octuagesimo , ait Elipandum à Felice quæsiisse , *Quid de humanitate Christi sentiret ?* Felicemque respondisse *adoptiuam esse.* Addo Vienens. anno septingentesimo nonagesimo tertio , in Francfortdiensi, Synodo. Sic habet. *Hæresis cuiusdam Episcopi Felicis nomine damnata est , qui Christum , secundum quod homo est , adoptiuum Dei filium dicebat.* Genebrardus , tertio , Chronici anno septingentesimo nonagesimo quarto , ait *damnatum esse tunc errorem de adoptione humanitatis in Christo.* Est autem error Felicis , & Elipandi damnatus in Francfortdiensi Concilio ?

CERTAMEN II.

Humanitatis Christi adoptionem Felicis , & Elipandi errorem fuisse , & denegationem naturalis filiationis clarius ex Elipandi,ac Beati,& Fleterij scriptis ostenditur.

1 QVid autem his moramur ? Audiantur primi illi Elipandi impugnatores Beatus , & Heterius , qui ex eius epistola ad fidelem Abbatem sic suam sententiam , atque Elipandi errorem , (materiam nempè controuersiæ) proponunt citato libro contra Elipandum. *Vna pars Episcoporum dicit : Christus adoptiuus est humanitate , & nequaquam adoptiuus diuinitate , Altera pars dicit : ex vtraque natura vnicus est Dei Patris filius proprius non adoptiuus. In tantum proprius , vt ipse sit Dei filius , Deus verus , & ipse adoretur,& colatur , qui sub Pontio Pilato est Crucifixus. Hæc pars nos sumus : id est Beatus , & Heterius.* his ergo erat an eadem persona , quæ secundum diuinitatem filius naturalis Dei per omnes erat , filius etiam naturalis Dei esset secundum humanitatem , vt hi asserebant?An adoptiuus : vt volebant Felix , & Elipandus dum Christo homini naturalem filiationem denegabant , solamque adoptiuam concedebant concreto nomine *homo* , sed abstracto *humanitas* vtebantur , ne cum Nestorio sentire viderentur , ac Christi personas diuidere : quin de vna eademque persona Christi,secundum diuersas naturas, se diuersimodè loqui. Sic enim ait Elipandus citata epistola ad fidelem Abb.*Beatus , & Æterius dicunt vna persona , & vnus agnus non poterit ex parte esse proprius filius , & ex parte adoptiuus,ideſt ex parte filius , & ex parte non filius.* Cuius oppositum de vna eademque agni persona ipse docebat proximè vero ante data verba Bonosi Nestorianum errorem , & Beati sententiam omnino oppositam insectatus ait. *Bonosus , & Beatus pari errore Condemnati sunt. Ille credidit de Matre adoptiuum , & non de Patre ante sæcula propriè genitum , & incarnatum* ; Cum enim personas Nestoriane diuideret personam Verbi Filij vnitam realiter humanitati atque incarnasse negabat : quare , & eandem personam Christi de Matre adoptiuum , de Patre propriè etiam genitum æternaliter inficiebatur. *Iste credidit. de Patre genitum , & non de Matre temporaliter adoptiuum* Ergo dissentit æque à filiatione naturali,ac non adoptiua eiusdem personæ Christi secundum humanitatem,quam ex Matre temporaliter accepit ?

2 Demum de suo errore audiendus est Elipandus ipse confessione fidei suæ medio , quæ extat in libro Beati , & Heterij citato , Correctissime proposita à Vasquez disputatione octuagesima-nona , capite secundo , vbi sic habet , *Quem sacra scriptura testatur pro salute humani generis Deitate exinanita hominem factum , circumcisum , baptizatum , flagellatum Crucifixum Mortuum , Sepultum , Seruum , Captiuum , Peregrinum , Leprosum , despectum , & quod deterius est non solum ab Angelis , sed etiam ab hominibus minoratum , vermem esse dictum , ex persona eius scriptura dicente : ego sum vermis , & non homo , opprobrium hominum , & abiectio plebis : Cuius gloriam secundum diuinitatem stupent Cælestia , & magnitudinem contremiscunt terrena : & qui dicit gloriam meam alteri non dabo , homo interior in vna , eademque persona agglomeratus , atque carnis vestimento indutus : quia non per illum , qui natus est de Virgine visibilia , & inuisibilia condidit , sed per illum , qui non est adoptione , sed genere , neque gratia , sed natura : & per istum Dei simul , & hominis filium , adoptiuum humanitate , & non adoptiuum diuinitate , nondum redemit : qui est Deus : qui vtrum comedisset , an bibisset ? ei Cognitum manet , cui nonnulla actionis suæ mysteria nescire voluit. Quasi conformes sunt omnes sancti huic filio Dei , secundum gratiam , & cum adoptiuo adoptiui , & cum aduocato aduocati , & cum Christo Christi ; & cum paruulo paruuli , & cum seruo serui. Credo etiam inter ipsa sancti Spiritus Charismata gratiarum Spiritum sanctum esse adoptiuum , in quo Clamamus Abba. Pater in quo spiritu non nego hominem Christum esse adoptiuum. Credimus enim , quia in resurrectione ei similes erimus , non diuinitate , sed carnis humanitate , videlicet carnis assumptione , quam accepit de Virgine.* Miraculi instar est doctum aliquem his lectis , an Elipandus Nestorianus fuerit ? dubitasse. Nullis enim ipsi aptioribus verbis à Nestorij errore declinarent. Primo enim *Dei filium hominem factum , atque incarnatum,carnemque assumpsisse , accepisse de Virgine.* fatetur quæ , nisi vnione hypostathica cum carne, & vnitate personæ solius diuinæ in Christo contra Nestorium asserta ; dici nequeunt : sicut neque idiomatum communicatio illis verbis contenta eundem filium Dei *circumcisum baptizatum &c.* esse , quam Nestorius negabat. Tertio eundem filium Dei intimè , ideſt per intimam vnionem,nec per solam affectionem esse hominem,testatur. Quarto *in vna eademque*

demque persona agglomeratus, vt per Physicam vnionem vtramque naturam in eandem coire personam ostendat. Denique ait *sanctos Christo secundum gratiam quasi conformes*, vt aliunde, quam ex gratia Spiritus sancti humanitati donata, in qua filiationem, adoptiuam, siue adoptionem mox constituit, dissimiles eidem filio Dei Christo dec laret.

3 Reclamat Bernal. subdolas esse hæretici voces, sicut Nestorij, dum, vnionem absolute, suam illam affectiuam vocabat. Illoque verbo *agglomeratus* anguem Nestorianum latitare, qui illis statim profilit. *Non per illum, qui natus est de Virgine visit ilia, & inuisibilia condidit, sed per illum, qui non est adoptione, sed genere, non gratia, sed natura.* quid enim est ille, & ille, nisi duplex Nestoriana Christi persona? O virum præ nimia fidei animositate plus æquo meticulosum! quiescret Ecclesia Dei, teste Cyrillo, si vnionem realem, atque intimam personæ verbi ad humanitatem Nestorius admitteret: si Dei filium incarnatum atque hominem factum assereret: si idiomatum communicationem fateretur: hisque omnibus ab Elipando admissis, imo, & vnitate, & identitate personæ in duplici natura tu adhuc Nestorianismum in illo suspicaris! ast inquies *agglomero* filorum aggregationem sine physica vnione significat: quare physicam vnionem verbi ad humanitatem videtur negare. Haberet forte locum suspicio, nisi agglomeratio Dei, & hominis diceretur ab Elipando esse in vnam, eandemque personam, quod sine physica vnione esse non potest. Ille autem, & ille non ad personas referuntur, sed ad naturam. Cum immediatè subnectat, *& per istum Dei simul, & hominis filium, adoptiuum humanitate, & non adoptiuum diuinitate*, Ecce vnitatem personæ Christi: atque ad naturas illum adoptiuum filium, & illum naturalem respicere: quare nec de ea locutione à Beato, & Heterio Elipandus carpitur, cum suam mentem satis explicuisset, longè à Nestorianismo distare. Instat Bernal: teste Alcuino Christum hominem dici ab Elipando *Deum nuncupatum*, *seu nuncupatiuum* sed quid inde homo græca, & latina eruditione hac, illac perfluens coniectat pro Elipandi Nestorianismo? *Nuncupor* idem est, quod *appellor*; quare *nuncupatus*, vel *nuncupatiuus* idem quod appellatus, vel appellatiuus erit, vt bene Vasquez q. 8. num. 37. med. quare admisisse Elipandus eis verbis ostenditur idiomatum communicationem contra Nestorium: tantum abest, vt illis Nestorianismum incurrat! Soarez reclamat recitatam Elipandi confessionem non fuisse eam, quam ad Concilium Francfortdiense misit, sed ampliorem aliam, in qua Nestorianismus contineretur, quem in illo impugnant Adrianus, & Concilium citatis epistolis, & libro Sacrosyllabo. Verum etiam edicendis constabit ab eis Patribus vi consequentiæ solum argumento ab absurdo ad Nestorianismum è suo errore Elipandum deduci: quod potius probat Elipandum Nestorianismum execrasse, vt supra docebam.

4 Obiiciunt Soar. & Bernal. Concilij Francford. citata Epist. verba hæc: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab vniuersali Ecclesia refutata est etiam, & damnata?* Ac rursus: *veternosam, ac è re diuina Nestorij suscitatam appellant.* Sed tamen solum volunt eam hæresim in radice Nestorianam esse: quia humanitatis Christi adoptio nisi posita diuisione personarum vi consequentiæ nequeat defendi. Quo etiam sensu intelligenda est nubes testium, quam ex Vasq. num. 33. & Soario sect. 3. sollicitauit Bernal. sect. 1. num. 1. pro Elipandi Nestorianismo, vt aperto hujus errori obnubilarent. At instat ex immediatis eius epistolæ verbis: *quapropter fortasse filium* (Nestorium) *damnare noluistis, dum alios Bono sum*, &c. *qui prauc de Dei filio senserunt in epistola vestra anathematizatis.* relatoque Cyrilli testimonio pergunt. *videntur enim Nestorius dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem.* ast *videtur.* In iudiciis vim declarationis habet ex. C. præterea. 2. de appellationibus. Sed tamen epistola illa non tota iudicium Elipandicæ hæresis est, sed, & illius impugnatio, atque illis verbis à Nestorianismo vi consequentiæ præsumpto arguitur, non asserto: quare *videtur* suspitionem doctrinæ connexæ de se cum Nestorij errore solum significat; non declarationem erroris impugnati: id quod satis innuit aduerbium illud *fortasse*, initio positum. Deinde Bonosus primus Nestorianæ hæresis author fuit, vt bene Vasq. d. 15. cap. 2. num. 11. nosque obseruamus controuer. 1. d. 1. quæst. 2. cert. 1. quare in Bonoso Nestorius damnatus ab Elipando fuit; licet, ob erroris huius cum illius hæresi connexionem, ex silentio de Nestorio prudens Patribus suborta fuerit suspicio. Sed quorsum, inquit Bernal. dum Elipandi error à Concilio impugnatur vnitas personæ Christi tam multis sæpe probatur, si eam ipse sponte concedebat? Respondetur vero facile: vt firmius esset, quam ex hæretici ab errantis arbitrio, antecedens, ex quo euidenter erroris conuincebatur: ne, vt suum errorem defenderet, nec à Deo apertè conuiceretur, vnitatem personæ, quam initio catholicè fatebatur, Nestoriane negaret. Id quod inde satis claret: quod vbi à Concilio directè Elipandi error ex scriptura impugnatur nullum testimonium pro personæ vnitate recitatur, sed solum quando discursu ex vnitate personæ elipandica impugnatur adoptio. Atque hoc solum volebat Vasq. num. 33. dum coniectura. 3. aiebat: nihil ab eo concilio de vnitate personæ Christi obiectum ex scriptura, scilicet Elipando, fuisse; cum tamen ea omnia, quæ obiicit ex illo Bernal. vidisset tot ante annis Vasquez Concilij, illius iam dudum ab scholarum vsu exulis vindex, ac reductor.

5 Insistit Bernal. illis epistolæ Adriani col. 4. & sacro syllabi col. etiam 4. verbis: *quomodo per illius gratiam nos sumus adoptati si ipse consors nobis in adoptionis gratia fuit? Nam sicut peccata non toleret, si ipse peccatum haberet; ita adoptionis gratiam non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sorde peccati necessarium egerit, vt gratiam adoptionis acciperet.* Sed, si eadem esset, & vna Christi persona filij naturalis Dei, posset nobis gratiam adoptionis mereri: ergo, ne malè arguere Patres dicantur, dicendum est Elipandum diuisisse Nestoriane Christi personam induas. Respondeo negando subsumptum. Retenta enim vnitate personæ filij naturalis Dei in Christo, quin ea filiatio, dignitasque diuina communicaretur humanitati, vt Elipandus erroneè asserebat, illius opera non dignificabantur, vt gratiam adoptionis nobis mereretur: quousque, vt minimum, gratis ipsi gratia adoptionis donaretur: quare non omnibus gratiam adoptionis mereretur: sicut, si ipsi remitteretur peccatum, non pro omnibus satisfaceret peccatis, eavè omnia toleret. Secundo respondi controuers. secunda, Loqui hic Patres de homine assumpto, & adoptato ex prius peccatore. Illud enim sonat *Consors nobis in adoptionis gratia*: & illud etiam, *Propter hominem, quem assumpsit sine sorde peccati, necessarium egerit*, priusquam assumeret, *vt gratiam adoptionis acciperet*: quia in peccato prius fuerat. Quod necessario fuisset aliquatenus ei remissum: quare non peccata nostra, in quibus & suum erat, tolleret & ipse: nec nostri omnium, in quibus & ipse erat gratiam adoptionis mereretur. Id ipsum argumentum continet Adriani epistola citata sententia, quam mutuatus videtur ex Augustino tractatu 2. in Ioann. capite primo, ad illa *Quot quot autem receperunt &c.* Ioann. 1. *Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille vnigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius; Ille enim venit vnigenitus vt solueret peccata, quibus implicaremur, ne adoptaret nos propter impedimentum eorum.* Ac si dicat nisi homo ille vnigenitus veniret, sed prius sicut nos veniisset peccator, peccata omnium non tolleret, & impedimenta non solueret, ne Filij Dei fierent,

rent, essentque peccatores, cum & suum peccatum ipse non sustulisset, suumque impedimentum non soluisset.

6 Atque hunc esse Patrum, & argumenti huius sensum claret, vlterius ex epistola cit. Concilij col. 15. vbi hæc habentur. *Adoptiuus siquidem non habet aliam significationem, nisi, vt Iesus Christus non sit proprius Filius Dei, neque ex Virgine ei in filium genitus, sed nescio ex quo seruo adoptatus in filietatem, vt vos dicitis.* Id est seruus natus ex Virgine non Deo, sed seruo alij ex quo esset, cuique naturalis Filius ex Virgine, nasceretur. Deniq; idem sensus apertè colligitur ex testim. Adriani cit. ep. & Conc. Francford. sacrosyllabo recitato, & ponderato cert. 1. num. 4. vbi contendunt Elipandi doctrinam in Nestorianismum deducere altero è duobus modo; vel quod purus homo etiam per partum permanserit id quod impugnant ex vnitate personæ Christi, quæ est filius Dei: vel quod falsum in vtero Virginis conceptus sit purus homo, & in peccato, licet posterius fuerit assumptus: id quod impugnant testimonio, & ratione Augustini proximè datis ex munere vniuersalis Redemptoris, quod habere, nedum explere minime posset, si ipse peccator præextitisset. Sed instat demum Soar. ex verbis proximis, *vt vos dicitis*, quæ referri ad proxima, & immediata verba debent. *Sed nescio ex quo seruo adoptatus in filietatem* Ergo dicit Concilium errorem etiam Elipandi fuisse Christum, qua hominem, purum hominem fuisse, & ex seruo adoptatum. Respondetur tamen illud, *Vt vos dicitis*; referre prima illa verba de significatione adoptiui in sententia Elipandi, indeque colligere, & eum purum hominem fuisse, qua hominem, ac seruum Dei non naturalem, & eundem Dei Filium in vtero saltem Virginis, vt proximè contendebat Concilium contra Elipandum: atque insuper alteri quam Deo, genitum seruo scilicet Patri, quo virginitas Mariæ pessundaretur, quod autem hæc argumenta sint, non sententia Elipandi, quam Concilium impugnat constat ex illis verbis, *Sed nescio, ex quo seruo adoptatus.* Si enim sententia Elipandi eis verbis referretur *non nescio quo*, sed designatè referretur consultò. Merito impugnationes alias contra Soarium, & Bernalem ex censuris quas de filiatione adoptiua ferunt Patres: eas enim commodius vrgebimus qu. 4.

CERTAMEN III.

Concilij Francfordiensis, & epistolæ Adriani authoritas contra nonnullos stabilitur.

1 DVpliciter de vtriusque authoritate agi potest. Primo secundum se. Secundo de eis, vt habentur t. 3. Concilior. Primo quidem modo authoritas tanta est, vt res ibi definitas de fide faciat. Etenim Concilium eiusmodi extitisse contra Felicem, & Elipandum, eorumque de adoptione errorem constat ex Adone Sigeberto, Abbate Vspergensi in suis chronicis anno 793. Regino, Genebrardo, Gordonio anno 794. Baronio t. 9. annal. anno 783. & 794. item ex Annonio illius fere sæculi authore de gestis Francor. lib. 4. cap. 83. Blondo Æneade 2. lib. 1. Antonino 2. p. tit. 14. Platina in Adriano. De eo etiam Concilio, Francofordiensis nomine omisso testatur Ionas Aurelianens. ei coæraneus 1. de cultu imagin. init. t. 5. Biblioth. Paul. Æmil. 2. de gestis Francorum. propè fin. Dum in eo Concilio damnatum Elipandi errorem aiunt, qui in Francofordiensi damnatus est. Sabellicus Æneade 8. lib. 8. in eo cum Platina errans quod in eo Concilio errorem Felicis de cultu imaginum damnatum dicat: deceptus, quod de adoratione humanitatis Christi consequenter ad errorem de adoptione dictum sentiret, atque ibi etiam damnatus fuerit. Mariana 7. de rebus Hispan. cap. 8. Seuerin. Binius edit. 9. Concilij Francofordiensis. Licet hi cum Baronio, Gualtero, Gordonio Nestorij hæresim à Felice, & Elipando suscitatam tenuisse dixerint à nobis explicato testentur: quam ob rem de existentia Concilij Francofordiensis ad Felicis & Elipandi errorem damnandum dubitari à sano nedum à docto homine, nequit. De authoritate vero constat Adriani auctoritate vero constat Adriani auctoritate (cuius legati Stephanus, & Theophilactus ei adfuerunt, teste Adone) actum illud Concilium esse: item ab Adriano, quæ ibi definita contra errorem Felicis, & Elipandi fuerunt, quæque in eo acta sunt omnia confirmata fuisse citati Doctores memorant: constatque ex epistola Adriani ad Episcopos Hispaniæ, siue ea fuerit per legatos ad Concilium missa, vt innuit Carolus Magnus citata sua epistola, siue postmodum ab Adriano edita. Etenim Adriani epistola prorsus est Concilij Francofordiensis dogmatibus, ac definitionibus conformis. Constitit denique Concilium illud Patribus tercentis ex Gallia, & Germania coactis, vt in epistola Concilij ad Elipandum habetur. Addunt citati Doctores in eis Patres etiam Italos fuisse, quod mihi dubium non est, cum Romani Pontificis authoritate Concilium cogeretur consteque sacrosyllabum eius Concilij librum à Paulino Italo Episcopo Nolensi magna ex parte fuisse confectum. Nec magis dubito aliquot Hispaniæ Episcopos, de quorum ferè omnium doctrina agebatur eo conueniisse, quamuis de beato solum constet ex epistola Elipandi ad Carolum Magnum, vbi beatum per antiphrasim eum appellat: aitque ferre secum libellum de adoptione Christi, quem ipse misit ad Abbatem fidelem: quæ ex Caroli rescripto clarent.

2 Iam vero de Concilij Francofordiensis, quod nunc habetur. t. 3. Concilior. industria Pithœi, atque eruditissimi viri Laurentij Surij, authoritate, ipse de eo, quod de reliquis conciliis à se repertis, editisque anno 1567. testatur epistola ad Philippum Hispaniarum Regem, & epistola ad lectorem. Nimirum se nihil in Conciliis, aut eorum numero addere, vel detraheres, sed tantum cudere, quæ ex vetustissimis exemplaribus manu scriptis, & ex grauibus, Catholicisque Bibliothecis excerpserit. Accedit, quod ea omnia, quæ in hoc concilio vt t. 3. Concilior. habetur, continentur, præter quam, quod pia, Catholicaque sunt iis, quæ in Francfortdiensi disputata acta, definita, damnataque Historici Ecclesiastici omnes, atque illius temporis Doctores memorant, omnino concordant: quare & ij omnes Concilio Francofortdiensi, quod ibi habetur, fidem faciunt. Tertio cum ex epistola Adriani in sententiis hæresibus prædictis confutandis, damnandisque conuenit omnino, & cum iis, quæ de hac, & de ipso Doctores memorati retulerunt: quare mutuo se, & Concilium, & epistola Adriani fouent, promouentque authoritatem: ac proinde speciale argumentum, quod mox pro epistolæ Adriani authoritate subiungant pro Francofordiensis Concilij authoritate etiam facit. Quarto denique post examen quod res tanta exigebat, superiorum Ecclesiæ consensu approbatione, & facultate centum circiter retro annis fuit excussum, ab Orthodoxis Doctoribus, Catholicisque academiis omnibus receptum: eius testimoniis ac definitionibus ad res fidei, quæ ibi continentur, vel contentas ibi concernunt, tanquam certis indubitatisque fidei, & catholicæ doctrinæ regulis Catholico nullo reluctante omnes vtuntur. Ob hæc igitur de Concilij Francofortdiensis vt habetur tract. 3. Conciliorum authoritate dubitari, sine temeritate vt minimum, non posse censet Soar. supra §. *Dices tandem.* Vasquez vero plus etiam authoritatis ei Concilio defert c. 7. cui ego omnio consentio.

3 Circa authoritatem epistolæ Adriani præter ea omnia, quæ pro Concilij Francfortdiensis fide recensuimus, illud etiam suppetit argumentum, quod scilicet

licet Pontificis authoritate, iussuque sine quo fieri nequaquam posset, Romæ habito Concilio grauissimorum Doctorum, anno 1592. inter alias epistolas decretales Pontificum excussa fuit, eiusdem Adriani epistolis aliis, vt testatur Vasquez proximè numer. 27. cum autem ibi dicatur eam epistol. ex Concilio Francofordiensi (quod scilicet t. 3. Concilior. habetur) fuisse desumptam vtriusque est grauior adhuc firmiorque approbatio: quæque sexaginta annorum decursu vtrique magnam authoritatem conciliet: sed enim religiosiores eruditi, qui eruditorum nomen è fide difficili, atque ingenij suspicionibus aucupantur obiiciunt, in eo Concilio iniuriosius S. Ildefonsum, S. Eugenium, S. Iulianum accipi, de eis enim hæc leguntur: *quæ ex Parentum vestrorum dictis posuistis, vt manifestum sit quales habeatis Parentes.* & infra de precibus missæ à S. Ildephonso adhibitis, *nihil curandum esse*, dicitur. Respond. tamen facilè, Elipandum horum, & Augustini authoritatibus corruptis suam sententiam confirmasse: cum autem in solius Augustini libris Patres Concilij non Hispani, versati essent, solum Augustinum ab Elipandi impostoris liberarunt, Toletanos vero Sanctos, quos non legerant liberare non poterant: quare admissa Elipandi recitatione, in eis audiendos non esse aiebant; sicut Paulus ad Galat. 1. *Licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter quam quod euangelizabimus vobis Anathema sit.* Nego vero ea absolutè dicta à Concilio creditavè eorum testimonia esse iudicamus, sed ex suppositione, quod eorum essent, vt asserebat Elipandus. Nam Concilium in eius epistolę finem imposita ab Elipando suis prædecessoribus, sicut, & Augustino suspicatur, atque in hæc illum hortatur. *Desinite fratres vestros per aures populi christiani diffamare parentes.*

4 Opponunt durius etiam in ea, & Adriani epistola Elipandum, & vniuersim Hispaniæ Episcopos omnes tractari cum tamen neque omnes errarint, neque ea seueritate Concilia, & Pontifices, Hæreticos ab erroribus soleant epistolis suis ad fidem reuocare: sed in primis omnes Heterio excepto, Hispaniæ Episcopi cum Elipando errarunt, vt supra obseruamus. Secundo tanta fuit Elipandi arrogantia ad res fidei statuendas, vt aliis etiam nationibus certam fidei regulam vellet præscribere: eamque animi elationem, ne in epistola quidem ad Carolum Magnum dissimulauit: vti ex huius rescripto constat, vbi hæc legimus. *In quarum vtique serie litterarum non satis nobis eluebat, an quasi ex authoritate magisterij nos vestra docere dispositis? an ex humilitatis discipulatu nostra discere desideratis?* Tertiò cum obsistentes pro fide beatum, & Herte. Hæreticos Elipandus inclamaret acriter à Concilio, & Adriano obiurgandus fuit, vt compescereretur: sicut Cassianus, & Massilienses viri alioqui docti, & pij quod Prosperum, & Hilarium insectarentur, sanamque doctrinam insectari prohiberent, durius à Cælestino epist. 1. accepti sunt. Quarto cum Elipandi error bis antea damnatus in Felice Vrgelitano foret, vt ostendemus q. 2. & 4. non ignorantiam solum, sed & contumaciam præ se ferebat seueritate Concilij, & sedis Apostolicæ frangendam. Quinto non Patrum, & Pontificum omnium stylus æque suauis semper fuit, sed pro cuinsque ingenio acriori, vel mitiori, aut durior aut suauior. Legite Hieronymum contra Hæreticos, imo, & contra Catholicos quandoque multa acrimonia disputantem. Sexto demum, licet Concilium, & Adrianus in suis epistolis loquantur contra errantes aliquando austerius, accidiusque, neutra tamen epistola suauitatis vacua, atque omnia ieiuna fuit, vt ex vtriusque fine facile legenti constabit.

5 Opponunt tandem aliquid saltem falsum, quod Patres Francfordienses ignorare tunc non poterant, in eam epistolam, quæ nunc haberur obrepsisse. Nempe ob iniuriam Christo eo errore illatam Hispaniam in Maurorum potestatem venisse, cum constet multo ante à tempore à Sarracenis expugnatam, atq; subiectam Hispaniam fuisse 3imo ab expugnatione eius per Mauros quatuor Archiepiscopi Elipando erranti præcesserant scilicet *Cicilia, Petrus Pulcher, Sunicredus, Concordius*, vt erudite obseruabit Garsia, de Loaisa in collectione Concilior. Hisp. Commentar. de Primatu Ecclesiæ Toletanæ, quem addidit ad decretum Gundemari. Respondet Soar. Hæc ad delicti exaggerationem dicta à Concilio fuisse initium seruitutis sub Maurorum ditione pro continuatione seruitutis eiusdem assumente. Ego vero Concilij sententiam, neque per exaggerationem, sed per veram historiam dictam fuisse censeo: neque initium seruitutis pro continuatione illius, sed in rigida significatione esse à Concilio vsurpatam; hæresim autem Hispanicam, & errorem Christo iniurium, ob quem Concilium ait Hispaniam sub imperium Maurorum venisse non bene esse ab obiectantibus intellectum. Etenim ante Elipandi errorem aliis Christo Domino non minus iniuriis flagrauit. Primo quidem sub Gothorum imperio Ariana hæresi contra Dei filium, & Christum; Deinde hæresi Acephalorum æque iniuriosa Christo. Hos igitur generales Hispanorum errores Christo iniurios oppressionis Sarracenæ, ab initio etiam, causam Hispaniæ fuisse prudenter, ac vere Patres illi suspicabantur: atque domestico exemplo continuationem miseræ seruitutis ob errorem elipandi à Deo Christo ignominiosum de ipsius adoptione, & seruitute præfatum, prudenter etiam minitabantur, ni eos obsisterent.

QVÆSTIO II.

An *Christus, qua hic homo, siue secundum humanitatem re ipsa Filius naturalis Dei sit.*

DVPLICITER potest *Hic homo* vsurpari: vel adiectiuè pro persona in recto, & humanitate in obliquo tanquam forma denominante, vel substantiuè Pro humanitate in recto, & personalitate, seu supposito in obliquo, vt docebamus disput. 1. sæpeque alibi dicemus, præsertim controu. 7. disput. 1. de idiomatum communicatione priori modo accepto *Hic homo*, quæstio fuit cum Ario, & Nestorio ac similibus, an Filius naturalis Dei Christus qua *hic homo* foret? Arius enim adhuc secundam personam Trinitatis, quæ *huius hominis adiectiuè* sumpti directum significatum in Christo est, Filium Dei naturalem, & consubstantialem negabat. Nestorius vero cum suis, cum personam humanam diuersam in Christo à diuina recognosceret illam, siue hunc hominem Christi adiectiuè dictum, neque per id omatum communicationem Filium Dei admittebat; Admittebant vero, Felix, & Elipandus, vt vidimus, fusiusque hac quæst. 2. & 4. videbimus: quare adiectiue sumpto *hic homo* nulla cum his quæstio esse potest. Si autem *hic homo* substantiuè accipiatur, iuxta acceptionem secundam, addita reduplicatiua *quatenus*, vel *in quantum* triplicem sensum facere potest. Primum additi diminuentis. Vt *homo secundum animum est immortalis*; ergo *homo est immortalis*. Secundum sensum facit non diminuentis additi, sed designantis rationem, vel formalem, vel primariam materialem, per quam prædicatum toti conueniat subiecto: sic Christus quatenus *hic homo* dicitur *visibilis passus* &c. Et neque hoc sensu potest esse quæstio præsens. Cùm certum sit humanitatem neque esse rationem formalem, neque materialem primariam, seu cui primario competat filiatio naturalis quæ dicitur de toto subiecto Christo. Tertius sensus est, an pars designata illa particula reduplicatiua, sit etiam subiectum, cui conueniat prædicatum, quo explorato toti subiecto competit, ratione alterius partis, sic negamus hominem secundum animam, vel quatenus animam habet esse mortalem, & corporeum: igitur accepto homine substantiuè, atque reduplicatiua voce *quatenus* in

in tertio hoc sensu quæstio procedit? sed adhuc *homo* substantiuè dictus, accipi potest, vt vagè subsistentiam aliquam dicit, vel vt re ipsa in Christo est, dicitque increatam. Verbi subsistentiam realiter sumptam: quomodo accipimus in præsentiarum vt dicit aliquam subsistentiam vagè ac non determinatè increatam, vel hanc formaliter sumptam, tertiam instituemus quæstionem.

CERTAMEN I.

Christus qua homo, siue secundum humanitatem Filius Dei naturalis de fide est.

1 FElix, & Elipandus vnitatem personæ in duplici Christi natura catholicè admittentes negarunt tamen Christum quatenus hominem, siue secundum humanitatem, vt reipsa in Christo est, filium Dei naturalem esse. Quibus videntur consensisse ex Scholasticis antiquioribus Scotus, Gabr. & Durand. reliquique DD. qui Christum vel absolutè, vel quatenus hominem, aut secundum humanitatem Filium Dei adoptiuum asseruerunt: Sic enim modo, quo Dei adoptiuum Filium Christum asserunt, naturalem eius filium negant. In eadem causa sunt, qui Christi humanitatem adoptiuam, vel adoptatam Dei filiam docent. Siquidem adoptiua filiatio cum naturali filiatione stare minimè potest. vt iam videbimus. An vero dum Christo qua homini, siue secundum humanitatem citari Scholastici naturalem filiationem negant, solamque adoptiuam adscribunt, hominem, vt re ipsa in Christo est, an solum formaliter, qua talem viurpent, q. 3. examinabimus. Expressius sententiam hanc secuti videntur Lorca d. 34. n. 4. n. 37. Ragusa d. 28. asserentes Christum, qua hominem solum per idiomatum communicationem naturalem Dei Filium esse Quod est: sumpto homine adiectiuè pro persona Christi habente humanitatem: id quod satis non esse, vt Felicis, & Elipandi damnationes fugiant constabit ex cert. 2. & q. 4. cert. 2 nam & illi Christum, qua hominem, naturalem Dei filium per idiomatum communicationem citatis locis admittebant, aliquidque vlterius de hominis in Christo naturali filiatione Dei contendebant Patres esse admittendum.

2 Æquè etiam apertè Bernal. d. 66. per totam, præsertim sect. 1. §. 4. Christo, qua homini, eiusque humanitati filiationem naturalem Dei negauit; tamen adoptiuam non admisit, sed mediam quandam vtrique repugnantem, quam filiationem proriam Dei dixit: ac proinde Christum qua hominem, ac secundum humanitatem filium proprium Dei solummodo tenendum esse asseruit. Fundatur in verbis Pauli ad Rom. 8. 32. *Proprio filio suo non pepercit.* Secundo pluribus Concilij Francoford. locis vbi Christus secundum humanitatem & carnem filius Dei proprius dicitur. Eam denique propriam filiationem in Christi humanitate ita explicat potius, quam probat: quia humanitas Christi à Deo producitur, ac proinde eius filia est: cum autem Deo vnita sit, ac producatur extranea filia Dei esse non potest, sed propria, & coniuncta Deo parenti: Verum tertium hoc filiationis genus inter naturalem, & adoptiuum, non solum præter omnium sensum, sed contra ius omne est. In quo nullus præter naturalem, & adoptiuum filius cognoscitur: imo filius proprius idem ipsum quod naturalis constanter in iure est. Lege *Filiesfamilias*, Digestis de adoptionibus. lege *Impuberem*, Cod. eodem titulo, ac passim instituta eod. tit. Vnde secundo Pauli, & Francoforrd. testimonia, quæ pro se congerit Bernal. ipsum impugnant. Recole verba data Concilij, q. 1. cert. 2. num. 6. Beatique, & Hererij materiam controuersiæ cum Elipando proponentium n. 1. init. ac verba illa ipsius Elipandi eodem numero posita. *Non poterit ex parte esse proprius*, scilicet qua Deus, *& ex parte adoptiuus.* Qua Deus autem naturalem filium, & ipse, & beatus Christum asserebant, ipseque statim explicuit in sua confessione num. 2. *Qui non est adoptiuus, sed genere, neque gratia, sed natura*, idem significari nomine filij proprij, ac naturalis. Item Alcuinus recitatus q. 1. ad. cert. 1. n. 5. *In diuina natura proprium filium Dei; in humana adoptiuum.* Si autem proprius filius, vt volt Bernal. medius est inter naturalem, & adoptiuum, non autem naturalis, sed qui naturalem potius, neut, & adoptiuum excludat quomodo Elipandus, qui in diuinitate, & qua Deum naturalem Dei filium asserebat, Catholicique ith Doctores, & Concilium, qua Deum, ac secundum diuinitatem proprium filium appellant, quin in eius sententia naturalem negent filiationem? Secundo filius verus teste Vernal. in phrasi communi, & Conciliorum idem prorsus est quod naturalis: atqui Christus secundum quod Dauid. filius, idest secundum carnem, & humanitatem definitur à Concilio Francoford. recitando q. 4. cert. 2. n. 3. fine. *Filius Dei non adoptiuus, sed verus.* Contra Felicem, & Elipandum: ergo, & definitur filius Dei naturalis. pluribusque aliis locis dicitur: *Filius Dei verus, non putatiuus: proprius non adoptiuus.* Vbi; & verus id est naturalis dicitur, & proprius, dum adoptiuo opponitur, pro vero, seu naturali tanquam synonimum nomen viurpatur.

3 Accedit quod filiatio assignata à Bernale stat in productione humanitatis, & proprietas in vnione ad Verbum Deum: ergo hac filiatione, qua filiatio indiuidua est, neque est Christus qua homo primogenitus, neque vnigenitus. Siquidem Adam ob sui à Deo productionem filius Dei dicitur Lucæ 3. num. 38. plurefque alij Christi progenitores eodem iure Filij Dei ante Christum fuere. Quarto proprietas hæc non est proprietas filiationis, cum hæc indiuidue sumpta stet in productione humanitatis indiuidua, proprietas vero in vnione ad Deum, Vnde licet humanitati Christi competat esse filiam ratione filiationis præfatæ, & esse propriam Dei ratione vnionisait non competet esse filiam propriam, vt definit Concilium. Nam adiectiuum *proprius*, appellat iuxta Summuliſtarum regulas, supra formale, & directum significatum substantiui *Filius*, cui concordat non supra materiale, alioqui logicum imperitum, procerum tamen, logicum magnum dicere debemus: quare licet humanitas quæ vocis *Filius* subiectum, filia, & propria item Dei sit; nusquam Dei filia propria erit, neque secundum illam, aut quatenus homo Christus proprius filius Dei. Tandem in doctrina hac, vti in falsis euenit secum Bernal. non cohæret. Cùm enim sect. 3. §. 2. correlatiuam huius filiationis propriæ in Deo assignans ait nu. 139. qua Edium respicere Trinitatem. num. vero 142. qua proprium respicere, vt terminum propriissimum Verbum, seu Filium diuinum, cui solum vnita humanitas est. Ergo male contendit Bernal. num. 141. voces illas de cœlo auditas. *Hic est Filius meus.* Patris de Christo qua homine esse: meus enim proprium valet, Christusque, qua homo proprius Patris, non est per te, sed Filij per te loquentis.

4 Cæterum nihil de filiatione naturali Christi quatenus homo est, aut secundum humanitatem contra præfatas opiniones definitum in Ecclesia hactenus fuisse docet Soar. disput. 49. sect. 1. §. *Dico ergo primo*, ante med. sect. 2. §. *Non omittam*, sect. 5. §. *Dico ergo tertio.* Lorca supra num. 37. Lugo disput. 35. num. 25. Bernal. disput. 46. sect. 1. §. 1. num. 9. contra vero Vasquez disp. 89. Luis. Torres opusc. 13. disp. 2. dub. 2. §. *Verum dico quinto* Petrus Hurtado disput. 83. sect. 5. sub sect. 4. & Gaspar. Hurtado definitum esse contra Felicem, & Elipandum asserunt non esse filium adoptiuum Dei Christum, qua hominem, sed proprium Filium: cumque medium Filium inter naturalem, & adoptiuum chymericum putent, naturalem esse definitum tradunt. Consentit expresse Granad. controu. 1. de incarnatione tract. 16. disp. 3. sectione 2 §. *Dico secundo.* Constatque apertè ex Concil Francoforrd. ex Adriano epistolis citatis, & libro sacrosyllabo, vbi adoptiuam Christi, qua hominis, filiationem contra Felicem Vrgelitanum,

gelitanum, atque Elipandum Toletanum excludant, naturalem Dei filiationem de humanitate, vt in Chriſto re ipſa iacet, ſeu de Chriſto qua homine Pontifex, & Patres definierunt, quin ante hoc Concilium bis damnata ea propoſitio fuerat. Primum à Concilio prouinciali Reginenſi, ſeu Ratiſponenſi apud Reginum Baioriæ, ſeu Bauariæ Metropolim. ciuitatem, hodiè Ratiſponam, vbi Carolus Magnus hiemauerat. Cùm enim tunc Cathaloniæ, ac proinde Vrgeli dominaretur, teſte Ambroſio Moral. 3. hiſtor. Hiſpan. cap. 26. vt Fælicis Vrgelitani doctrina humanitati Chriſti Filiationem Dei naturalis denegans adoptiuamque attribuens examinaretur eo Concilium cogi curauit, à quo, & damnata eſt, vt refert Annonius 4. de geſtis Francor. c. 83. cuius Concilij & damnationis ſub Ratiſponenſis nomine meminerunt Centuriatores, Centur. 8. capit. 9. Feuardent. 3. aduerſus hæreſ. verbo *Chriſtus*, ex his, quos addidit Alphonſus de Caſtro, nec ſolum Felicis doctrina ibi damnata, ſed Felix ipſe conuictus iuſſus à Carolo Magno fuit Romam adire, erroremque ſuum coram Pontifice retractare, vt effecit teſte Anthonio proximè, Sigeberto in chronico, anno 793. Regino anno 794. qui propterea Felicis hæreſim tertio in Francofordienſi Concilio damnatam fuiſſe ibidem refert.

CERTAMEN II.

Vlterior concluſionis eiuſdem ab authoritate probatio.

1 EX Scriptura præcisè teſtimonia ſuppetunt, non quæ rem hanc de fide eſſe demonſtrent, ſed quæ ſatis ſuadeant; maximè cum ex eis olim eam euinci, licet non definierit, contenderint: tamen Adrianus epiſt. ad Epiſcopos Hiſpan. Primus locus ſit ad Rom. 8. *Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad quæ Adrianus. *Scimus, quia non eſt traditus ſecundum diuinitatem. ſed ſecundum id quod homo erat, illum nimirum, qui traditus eſt, id eſt hominem ipſum Apoſtolus proprium Dei Filium proteſtatur.* Secundus ex Matthei 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Ad quæ in ſacroſyllabo hæc: *fortaſſis erigeres perfidiæ aurem, ſi abſolutè dixiſſet, tu es Filius Dei viui fingeres forſitan more tuo falſa argumentatione, vt diceres: ſecundum diuinitatem eum Filium Dei confeſſus: ſed quoniam cum additamento dixerat tu es Chriſtus Filius Dei viui omnium hæreticorum ora fidei ſuæ pugno attriuit: Chriſti namque nomen ab homine quem aſſumpſit accepit, quia vnctus in homine fuit.* Ideſt humanitate, quo teſtimonio Adrianus eodem modo citata epiſtola vtitur. Nec dici poteſt loqui Patres hos de filiatione Chriſti hominis per communicationem idiomatum: nam Adrianus eo modo contendit eſſe Filium naturalem Dei, quo ſolus; vt homo dicitur traditus, ſed etiam, vt Deus: ergo contendit etiam excluſa idiomatum communicatione, qua hominem, ſiue ſecundum humanitatem, Chriſtum eſſe naturalem Filium Dei. Secundo Filium naturalem Dei per idiomatum communicationem hominem Chriſtum non negabat Elipandus, vt vidimus, ſed hoc ſenſu quem patres intendunt, quin Adrianus Elipandi vocibus ſe accommodans pronomine *ille* non perſonam hominis, ſed naturam ſignificat, ſicut ipſe Elipandus iuxta dicta quæſtione 1. certamine 2. numero 3. id quod ex illo: *quia vnctus in homine fuit.* Clarius conſtat. Nam in homine, vt perſonam dicit, neque vnctus Chriſtus eſt, neque eius homo aſſumptus, ſed in humanitate.

2 Eadem emphaſi refert Adrianus illud Matth. 3. vbi aſcendente è Ioannis baptiſmate Chriſto Spiritus S. Columbæ ſpecie ſupra ipſum deſcendit, voxque hæc Patris è cælo audita eſt: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* ad quæ ſic Adrianus epiſtolæ fine. *Aduertite quia nihil vobis reſtat, vt ſecundum diuinitatem tantummodo credatis dixiſſe Patrem: Hic eſt filius meus; ſed potius ſecundum humanitatem, ſupra quam ſpiritus dicitur deſcendiſſe.* Quo etiam modo expendit ſimile Patris elogium, vel potius idem repetitum Matth. 17. vbi *Filij dilecti*, nomine naturalem Patres, & interpretes omnes intelligunt. Conſonat huic Adriani ponderationi Petrus epiſt. 2. c. 1. *Accipiens enim*, ait, *à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene Complacui &c.* gloriam enim tunc ſecundum humanitatem accepit tempore, quam ſecundum diuinitatem æternè habuit. An vero Pater ibi loquens tota Trinitas ſit? vt volunt Adrianum indicaſſe, an ſolus æternus Pater declarabimus infra ex Patribus. M. Gregor. 1. Moral. c. 6. alias. 29. ad id; *vir magnus inter omnes orientales.* ſic ad rem præſentem habet. *omnes, qui in fide Deo naſcuntur ſuperat*, Chriſtus; *quia non, vt cæteros adoptio, ſed natura illum diuinitatis exaltat, qui eſt humanitate cæteris apparuit ſimilis, diuinitate tamen manſit ſuper omnia ſingularis.* Pende id. *Natura illum diuinitatis exaltat.* oppoſitum adoptione cæterorum, vt exaltatum in Dei naturalem filium hominem, in eo, quo cæteris ſimilis eſt, nempè humanitate, aſſeri à Gregorio intelligas: in eoque eſſe ſuper omnia ſingularem, qui adoptione filius Dei eſſet communis, quæ ſententia adeo conſtans, ac certa Gregorij eſt, vt Elipando ſuppoſititiis Ildephonſi teſtimoniis ſe protegenti ſic citata epiſt. ad ipſum Concilium Francfortdienſe reſcripſerit. *Si ildephonſus veſter in orationibus ſuis Chriſtum adoptiuum nominauit, noſter vero Gregorius Pontifex Romanæ ſedis, & clariſſimus toto orbe doctor, ſemper eum vnigenitum nominare non dubitauit.*

3 Sed iam in noſtræ ſententiæ confirmationem, ſanctique noſtri Ildephonſi honorem, qua vafritie, & malitia pro Chriſti adoptiua filiatione, & negatione filiationis naturalis Dei ab Elipando recitaretur oſtendamus. Quo etiam ab ea impoſtura noſtros etiam Eugenium, & Iulianum vindicabimus. Et quamuis ex eis, quæ Auguſtino ad erroris illius confirmationem impoſita ab Elipando Concilium Francfortdienſe deprehendit, ſatis ſuadebatur ſanctiſſimos, doctiſſimoſque hos patres impoſturas ſimiles ab Elipando liberius paſſos fuiſſe: cum eorum ſcripta non adeo, atque Auguſtini volumina tunc eſſent euulgata: Audiendus nunc eſt Ildephonſus t. 9. Biblioth. lib. aduerſus eos, qui diſputant de perpet. Virginit. S. Mariæ, & de eius parturit. col. 3. ſic fatus. *Non illum, vt cæteros adoptio filios, Dei fecit filium, ſed diuinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltauit.* Ecce quam non diſſonet; ſed conſonet Gregorio Pergit: *donauit, & illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt eſſet totus Dei filius homo, & verbum:* (id eſt ſecundum humanitatem, & diuinitatem) *quia nunquam non fuit Dei filius, qui ſempiternus permanet vnigenitoris vnigenitus. Nunquam igitur ipſe purus homo conceptus, nec natus, ſicut cæteri naſcuntur infantes, vt ei adoptionis gratia, aut ex molimento virtutum prærogatiua filij præſtaretur; ſed Dei verbum, quia caro factum eſt, aſſumpſit hominem in ſe ſine perſona hominis, vt totus eſſet Chriſtus proprius Dei filius &c.* quibus prophetice ſucceſſorem Elipandum, ne erraret docuit ſatis, atque errantem conuicit argumento, quo tot poſt annis à Patribus Francfortdienſibus, edoctus, Conuictuſque fuit non eſſe adoptiuum Chriſtum qua hominem: quia extranea Deo humanitas illa, perſonaque Chriſti non erat.

4 Succedat Hilarius ſexto de Trinitate circa finem, illud ad Rom. 8. *Proprio filio ſuo non pepercit* ita ponderans *Nunquid nam, & iam nunc, adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis eſt nomen?* vbi licet contra Arrian. agat, rationem tamen Concilij Francfortdienſis contra Elipandum anticipato ſatis acute dedit, Iſidorus de doctrina, & fide Eccleſiaſticor. dogmat. c. 2. & author. libri de Eccleſiaſticis dogmat. apud Auguſt. C. etiam 2. relati à Concilio Francford. citata epiſtola ſic aiunt: *Dei Filius hominis factus eſt filius; natus ſecundum veritatem naturæ ex homine hominis filius, vt veritas vnigeniti non adoptione nec appellatione ſed in vtraque natiuitate filij nomen naſcendo, haberet, vt eſſet verus Deus, & verus homo vnus filius.* Conſonat Leo 9. epiſt. 3. quæ eſt ad Petrum Epiſcopum Anthiochenum confeſſione fidei extat t. 3. alias 4. Concilior. ſic ſcribens. *Credo Deum verum, & hominem verum, proprium in vtraque natura:* (Filium) *non commixtionem, neque diuiſionem paſſum: non adoptiuum, neque phantaſticum: vnicum, & vnum Filium Dei in duabus naturis.* Adde Alcuinum reciratum quæſt. 1. cert. 1. Beatum, & Heterium recitatos cert. 2. qui in eodem libro contra Elipandum vbi poſtquam dixerant, quo caſu adoptiuus Chriſtus homo foret, ſubdunt col. 13. *Nunc autem, (ſicut beatus Auguſtinus teſtatur in omnibus libris ſuis) ex quo cæpit eſſe in vtero Virginis Filius Dei vnicus eſſe cæpit.* Ex quibus ſatis liquet filiationem naturalem Dei in Chriſto qua homine etiam, ſiue ſecundum humanitatem definitam eſſe, oppoſitumque damnatum à Conciliis, Adriano, Auguſtino, & reliquis Patribus.

5 Conſtat etiam ab omnibus Scholaſticis eſſe concluſionem receptam, ſi Scotiſtas aliquot, & Bernalem excipias, quem temeritatis anticipato videtur damnaſſe Sozinus noſter, grauius vero Vaſquez, nec video quo pacto ſingularitatis, vt minimum, notam effugiat, qui contra Doctores reliquos citatos, totque Patrum ſincera, & plana teſtimonia humanitati Chriſti, propriam hactenus inauditam introducat filiationem, ac deneget naturalem, quam in primis reliqui etiam Scholaſtici docent. M. Albert. citand. q. 3. Valent. d. 1. qu. 23. punct. 1. §. *Breuiter*, Becan cap. 18. quæſt. 5. ac reliqui ſocietatis noſtræ Doctores. Aluarez d. 74. n. 13. Medina Cabrera, & Thomiſtæ alij, 3. part. q. 23. art. 4. Baſilius Legionenſ. citandus qu. 3. atque vniuerſim quotquot Scholaſtici rem hanc poſt Vaſquez, & Francofortdienſis Concilij, atque epiſtolæ Adriani inſtauratam in ſcholis notitiam de hac re ſcripſerunt. Accedit, quod contra ius, falſque omne proprium Filium medium inter naturalem, & adoptiuum inducit, eumque incompoſſibilem cum Filio naturali docet, ex quo abſurdum infertur quod contra ipſum notabam cert. 1. num. 2. impugnatione 2. ſcilicet Chriſtum, qua Deum etiam Filium Dei naturalem hæreticè negandum quandoquidem Filius proprius Dei, qua Deus eſt à Patribus aſſeritur: quare in hac doctrina naturalis Dei Filius negatur.

QVÆSTIO III.

Ratio theologica formalis filiationis naturalis Dei in Chriſto qua homine, ſiue ſecundum humanitatem examinatur.

TSI concluſio de filiatione naturali Dei in Chriſto qua homine, ſiue ſecundum humanitatem, vt reipſa in Chriſto eſt, certa adeo ſit; ratio vero theologica non adeo certa, & conſtans omnibus Theologis eſt Theologica difficultate perculſis in varias vias diſperſis.

CERTAMEN I.

Rei difficultas, variæque aliorum ſolutiones confutatæ.

1 DIfficultas contra proximam dogmaticam concluſionem ſic habet; filiatio naturalis eſt *Origo viuentis à viuente à principio coniuncto, ſiue per principium coniunctum in ſimilitudinem naturæ.* modo à nobis explicato controuerſ. de Trinit. diſputat. 3. At humanitas Chriſti, vt reipſa eſt, non producitur à Deo principium coniunctum, ſiue à principio coniuncto, neque in ſimilitudinem naturæ cum Deo producente, vt Patet: ergo neque eius eſt à Deo generatio, ſiue filiatio in fieri, neque in illa filiatio vera, naturaliſque Dei in facto eſſe. Recentiores aliqui negant minorem: quia, cum homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus dicatur, eo ipſo, quod humanitas Chriſti producta à Deo viuente, ac viuens ipſa eſt, ſimilis ab illo in natura producta proculdubio eſt; vt etiam productionis: principium vero coniunctum cenſent ſatis ratione vnionis hypoſtaticæ, qua Deus producens coniunctus eſt producta humanitati. Pro hac doctrina nollem ſtare Petrum Hurtado. Etenim, ſi ad naturalem Dei generationem, ac filiationem ſimilitudo, quæ eſt in creatura, etiam rationali ad Creatorem, ſit ſatis, male Hilarius lib. de Synodo aduerſ. Arrian. reliquique Patres inferunt ex filiatione Dei naturali, quæ in Verbo eſt, & ſimilitudine, quæ inter Patrem, & Filium diuinum debet intercedere Verbi cum Patre conſubſtantialitatem. Illud etiam de coniuncto principio impugnabitur ſtatim. Recentiores alij apud Lugo d. 31. ſect. 2. ratione vnionis hypoſtaticæ vtrumque in humanitate reperiri arbitrantur. Nempe, & coniunctionem Dei producentis, & ſimilitudinem cum illo in natura eadem quam habet humanitas phyſicè per vnionem, eos autem bene impugnat Lugo. Nam productione humanitatis non ponitur ſimilitudo, in illa, ſicut poni debet per naturalem generationem in filio naturali; neque per principium coniunctum exercetur humanitatis productio: ſed huic per accidens adiungitur, quod principium illud coniunctum phyſicè cum ſuo termino, ſcilicet humanitati, ſit, vt patet quo in ea parte, in qua Recentiores primi cum ſecundis conueniunt, impugnati etiam manent.

2 Verum in ſecundum modum olim incidens ita pro eo diſcurrebam. Nimirum non obeſſe veræ generationi naturali, quod ſimilitudo vi generationis, qua influxus eſt, principiumque coniunctum in termino ponatur, vt patet in æterna generatione, qua, vt influxus eſt formaliter non ponitur natura in Filio, quæ nullatenus producitur, ſed perſonalitas ſola formaliter, ac ratione illius tota perſona; ſed ponitur natura generatione æterna, qua hæc communicatio eſt. Quid ergo mirum, ſi in filiatione hominis, ſeu humanitatis Chriſti, ipſius productio ſimilitudinem in naturâ diuina cum Deo generante non ponat, ſed aliunde è formali vnione ponatur: cum eaque productio, quæ generatio ſe ſola non erat generatio ſit? Confirmatur: quia, vt diximus, humanitas Chriſti producta fuit dependenter in ſui exiſtentia ab vnione hypoſtatica, vt ſic perſonam creatam non haberet. Si autem demus eadem actione, & humanitatis, & vnionis exiſtentiam fuiſſe ſimul productam in eadem actione identificatum inuenietur, quod in actione generatiua æterna. Nam licet illa actio, qua humanitatis productiua ſimilem in natura non ponat, aſt qua eademmet vnionis productiua eſt eam ponit, vt in Verbi generatione, qua influxiua eſt non ponitur natura Patris generantis, ſed qua eademmet eſt communicatiua; & quidem ſi de conceptu metaphyſico naturalis generationis non ſit, vt, qua productio ſimilitudinem naturæ cum generante ingenito ponat, ſed ſatis ſit ſi ex adiuncta communicatione ponatur, quod realiter, vel ſolum formaliter productioni termini adiungatur per accidens erit. Hæc porro meditatio in Bernalis ſententia, qui cum Vvadingo actionem humanitatis productiuam re ipſa vnionem hypoſtaticam eſſe defendit erat adhuc expeditior. Sed ille tamen non eo vſque diſcurrit.

3 Sed neque noſtri huius diſcurſus fulcro ea opinio fundata videtur nobis poſſe conſiſtere. Cum enim generatio ſpecies actionis ſit per omnes, actio indiuidua, quæ totum eſſe, etiam indiuiduale, actionis habet, quin generatio ſit, alterius extrinſeci, ſiue phyſice; ſiue metaphyſicè, adiunctione fieri generatio nequit: alioqui indiuiduum vnum mutare ſpeciem poſſet, atque ſub alia oppoſita collocari permanendo ſimul cum tota ſua indiuiduatione, quod implicat apertè, quis enim dicat indiuiduum hominis. Verbi gratia Petrum equi

indiuiduum alterius extrinseci, siue physicè, siue metaphysicè adiunctione fieri posse? cum ergo tota actionis productiuæ humanitatis essentia adhuc indiuidua, (quæ tota ab agente,& termino est,) generatio non sit ex adiunctione physica, vel metaphysica communicationis humanitatis productę in natura cum Deo producente fieri generatio nequit. Ratio à priori est: quia ex diuersitate termini non subordinati, siue realiter, siue formaliter actio creata realiter, vel formaliter specificatur,& indiuiduatur: vnde actio eadem, vt terminatur ad vnionem etiam in Bernalis sententia, diuersa formaliter est à se quatenus ad humanitatem terminatur: quare neque est hæc formaliter generatio. Dices, actio quæ huius termini eductio non est, v.g. quantitatis eucharisticæ eductio esset ex respectu ad subiectum quin aliquid in ea foret, quod non esset eductio: ergo productio humanitatis à Deo viuente, licet respectu illius præcisè generatio non esset; ast respectu vnionis cuius etiam est productio, quaque similitudinem cum viuente producente ponit in humanitate tota erit generatio, seu productio viuentis à viuente in similitudinem naturæ. Nego consequentiam: quia agens, & passum sunt extrema actionis essentialiter subordinata, & vnum quodque eorum inadæquatum. Vnde nulla actionis eductiuæ formalitas intelligi potest, quin ab vtroque oriatur, & vtrumque essentialiter respiciat; ast vnio, & humanitas termini inter se subordinati illius actionis, qua simul vtraque produceretur non sunt: quare respectus indiuiduus ad vnionem, non esset formaliter respectus ad humanitatem: ac proinde huius productioni per accidens productio assimilatiua metaphysicè, & formaliter contingit. Hinc constat ratio disparitatis æternæ generationis, quæ cum sit essentialiter productio ad intra essentia sua est productio communicatiua naturæ eiusdem, quæ est in generante. Denique duplex recitata opinio impugnatur, quia hac ratione Christus, qua homo totius Trinitatis Filius esset non Patris, cuius solum Filium esse cert. 3. ostendemus, vel potius nullius personæ Filius esset, vt dicemus d. 4. q. 2. cert. 1. n. 5.

4 Soar. sect. 1. & 2. Christum, qua hominem Filium esse naturalem ait: quia est hæres bonorum paternorum Dei, qua homo est iuxta 1. ad Rom. *Locutus est nobis in Filio; quem constituit hæredem vniuersorum.* Quod ius Christo qua homini competit non qua Deus. Sed hæc effectum filiationis ostendit; non autem rationem eius filiationis reddit, quam solum in præsentiarum inquirimus: nec difficultatem propositam à priori, atque ex essentia, & definitione naturalis generationis petitam soluit, explicatvè, in quo stet filiatio hæc naturalis Dei. Etenim dum impugnatio illa à priori consistit dicent aduersarij loqui Paulum de Christo, qua Deo, vt innuere videntur, quæ sequuntur. *Per quem fecit, & sæcula.* Secundo si de Christo quatenus homo est, loquutum admittant, dicent loqui per idiomatum communicationem: quare male adhuc à posteriori, patrum conclusio probabitur. quæ cum videret Soar. ait filiationem istam & ius hæredis bonorum Dei fundari in vnione hypostatica intrinseca, & naturali ipsi Christo, licet non humanitati, Christovè qua homini, siue secundum humanitatem, vt re ipsa est, accepto: atq; humanitatis naturalem Dei filiationem non esse propriè naturalem filiationem illa definitione contentam, qua ratione solum quatenus Deus est Christus naturalis Dei Filius dici potest. In primis explicatio hæc difficultati succumbit, patrumq; conclusionem de propria filiatione, & naturali Christi qua hominis, respectu Dei deserit planè. Secundo cum ius hæredis eo gradu, quo est filiatio, sit in Filio: si Christus, qua homo propriè naturalis Filius non est, nec propriè erit hæres naturalis Dei Patris, qua homo Christus est: solumque erit adoptiuus hæres, ac Filius ratione gratiæ habitualis. Tertiò cum sola filiatio naturalis pugnet cum filiatione adoptiua gratiæ, ratio Patrũ contra filiationem adoptiuam Christi qua hominis, siue secundum humanitatem prorsus enerueturus. Quarto: vt hæc omnia cessarent, nulla in hac doctrina ratio, aut explicatio cõclusionis affertur, sed solum ratione vnionis hypostaticę humanitatem habere filiationem illam naturalem impropriam: quod, qua ratione fieri per vnionem possit, indagamus omnes, ac duos iam modos impugnauimus. Explica ergo tuum, si ab illis diuersus est, si fortè probetur.

5 Granad. 1. 2. §. *Dico secundo.* Parum, vel nihil à duobus primis modis discrepans, imò nec eorum præcipuè secundi subtilitatem attingens, Christum qua homiem, siue eius humanitatem, Filium naturalem Dei esse ait: quia ratione vnionis hypostaticæ diuinam naturam participat, sed tamen præcedentium modorum omnia impugnationib. patet, atq; omnes hi modi impugnationi huic, nostro iudicio, efficaci. Nam Spiritus S. producitur similis strictius in natura diuina Patri, & Filio, participesque Deitatis ipsorum, iusque habet ad omnia bona Dei, multoque amplius, quam humanitas ratione vnionis, quæ laxior participatio, ac similitudo est, quam identitas, iurisque laxioris ad bona Dei: cum nec Deam humanitatem, nec omnipotentem, nec immensam &c. constituat, sicut identitas naturæ constituit Spiritum S. & tamen similitudo in Deitate Spiritus S. cum suo principio eiusdemque Deitatis participatio identica non constituit Spiritum S. Filium: ergo multo minus similitudo, participatioque diuinę naturæ, quæ est in humanitate per vnionem ipsam, siue Christum, qua hominem, Filium Dei naturalem constituet: vel si eum, qua talem Filium Dei naturalem constituit, potiori iure Spiritus S. Filius Dei naturalis habendus erit: quod est hæreticum, & contra Athanas. & fidei Nicænæ symbolum illis verbis. *Non factus, nec genitus, sed procedens.*

CERTAMEN II.

Vera dogmaticæ huius veritatis theologica ratio.

1 SOlidam veramque dogmaticæ huius naturalis filiationis Christi qua hominis, siue secundum humanitatem Respectu Dei rationem videtur mihi attigisse. M. Albertus, in 3. d. 10. a. 13. clarius Valent. d. 1. q. 23. punct. 1. explicatius Vasq. vbi proximè c. 14. num. 80. omniumque clarissimè, & Luculentissimè, Basil. Legion. plures ex antiquioribus referens. Consentiunt Cursel. lib. 2. controu. 2. Lugo Card. vbi proximè sect. 3. n. 29. & ferè Vvadingo d. 11. dub. 1. §. 2. num. 11. & 12. est autem huiusmodi: quia nimirum humanitas ratione vnionis ad filium naturalem Dei habet filiationem naturalem Dei in facto esse: quemadmodum ergo: quia Christus, qua homo eiusque humanitas albedinem pulchritudinemque habet: qua homo Christus, humanitasque ipsius alba pulchraque denominatiuè, & est, & dicitur, siue albedinem habens, Christusque, qua homo albus, & pulcher: ita etiam, quia filiationem naturalem Dei ratione vnionis humanitas re ipsa habet, tam ipsa, quam Christus qua homo, siue secundum humanitatem Filius naturalis Dei denominatiuè, & est, & dicitur, accidentaria, nempè prædicatione de humanitate secundum se, essentiali vero de Christo, qui sine ea humanit. & vnione esse essentialiter nequit, ac de ipsa etiã humanit. vt in Christo est: non secus atque humanitati eidem accidentale est albedinem habere, vel pulchritudinem, quare de ea accidentaliter prędicatur albam esse, vel pulchram ast essentialiter, vt eas habet formas. Ex qua ratione bene infert Basil. Legionens. si humanitas Patri, vel Spiritui S. vniretur loco Filij, licet æquè tunc diuinitati vniretur, tamen non fore illam, siue Christum, qua hominem naturalem Dei Filium. Ne vero inde etiam naturalem Dei Filium æternũ inferas per idiomatum communicationem Filium Dei non solum intrinsecè, & essentialiter esse, dicivè posse, sed denominatiuè etiam sicut dicitur passus, ac mortuus. Nam idiomatum, communic. ea solum de natura altera in concreto dicuntur ratione alterius, quę huic per se, ac primario, competunt non

non illi: ast huic concreto Verbum ac filius Dei per se ac primario, & essentialiter competit esse Filium naturalem Dei, non autem humanitati nisi ratione vnionis ad ipsum: quare neque esse filium denominatiuè de filio Dei per idiomatum communicationem dicetur. Cuius ratio generalis, & à priori est, quia implicat aliquid esse per se, ac simul denominatiuè, seu non per se tale.

2 Atque eum quidem esse Patrum sensum constat. Primò: quia contendunt Christum qua hominem, siue secundum humanitatem esse Filium naturalem Dei, non solum per idiomatum communicationem, per quam, (vt vidimus Filium naturalẽ Dei esse Christum, qua hominẽ, etiam Elipãdus concedebat) sed alia etiam ratione quæ nisi hæc sit, alia non inuenitur: secundo: quia ita docent Patres esse Filium Dei, Christum qua hominem siue secundum humanitatem, vt non solum dicant esse quæ talem Filium Dei (quod vtcumque, licet, vt vidimus, ægrè ratione vnionis ad Deitatem, participationisque diuinæ naturæ, quam re ipsa Christi humanitas habet intelligi potest,) sed esse Dei vnigenitum, primogenitum, eundemque filium Dei, qui genitus ab æterno, siue æternaliter à Patre est: id quod cum identicè, & essentialiter dici de humanitate, siue Christo qua homine nequeat, vt vidimus, neque ratione vnionis ad Deitatem, quam æquè haberet humanitas vnita Patri, vel Spiritui, nec tamen tunc esset vllo sensu primogenitus, vel vnigenitus, idemque Filius Dei, qui fuit ab æterno, restat, vt filius idem, qui ab æterno vnigenitus, ac primogenitus Dei Christus qua homo dicatur à Patribus denominatiuè: quia scilicet, ratione vnionis ad filiationem in facto esse, siue ad Filium Filius naturalis Dei Christus, qua homo, siue ipsius humanitas accidentariè sit, ac denominetur modo explicato. Denique nostra hæc ratio, atque explicatio filiationis naturalis Christi qua hominis, siue humanitatis probatur: quia difficultates propositæ illam non tangunt. Nam prima, & cui succumbunt reliqui, à definitione naturalis generationis petita naturalem filiationem denominatiuam non impugnant: cuius definitio non est, sed essentialis, quæ in filiatione Verbi, à qua humanitas denominatur, dubio procul reperitur. Secundum argumentum, cui, quia illud non viderunt, non occurrerunt aliarum rationum DD. nec visum quandiù in illis perstiterint soluent, vim contra nos minimè habet. Nam Spiritus neque essentialiter, seu intimè Filius est ob rationem à nobis datam controu. de Trinitate, nec denominatiuè, quia neque æterno Filio vnitur, sicut humanitas, neque ipsi identificatur, sed solum deitati, quæ provt in illo, Filius adhuc identicè non est iuxta fidem.

3 Dices: ergo, si humanitas vniretur Spiritui S. diceretur, esseteque denominatiuè Spiritus S. Fateor? Quid enim ibi absurdi? Pergis: ergo, & diceretur humanitas tunc spirata denominatiuè. Deglutires cum Lugo sect. 3. n. 31. consequentiam, nec fortè magno Theologiæ incommodo; negada tamen est: Nam denominatio passionis grammaticalis, cuiusmodi est spiratum esse solum denominat terminum non subiectum eius; sic materia animæ, & albedinis subiectum, licet animetur illa, hac vero dealbetur illius creatione non dicitur creata, neq; huius eductione dicitur educta, licet huius etiam eductionem patiatur. Dices: ergo nec poterit iuxta hanc doctrinam humanitas Christi, seu Christus, qua homo vnigenitus. Quod est contra Patres. Nego etiam consequentiam, quia hæc nomina sumuntur pro termino generationis in facto esse subsantiuè, nec solum, vt adiectiuè denominato à generatione; quo solummodo vsurpatur nomen spiratus, seu spiratum. Instabis autem, vt probes consequentiam illam primam. Humanitas in eo casu esset Spiritus S. vt nunc est Filius: sed Spiritus est quid spiratum saltem neutrè, & Filius neutrè etiam quid genitum, ergo humanitas tunc esset quid spiratum, nunc autem quid genitum, seu quod idem est, quid habens extrinsecè generationem, seu spirationem, à quarum altera in alterutro casu denominetur: quo admisso æquè commodè imo necessario admitti debet in altero casu Christum qua hominem, eiusque humanitatem esse spiratum, vel spiratam in altero vero genitum. Resp. tamen argumentum purum esse paralogismum. Distinguo maiorem; esset Spiritus S. & nunc est Filius humanitas denominatiuè, & adiectiuè, Concedo maiorem. Substantiuè, & essentialiter nego maiorem. Minorem norem item: Spiritus, & Filius *suõstantiuè* est quid spiratum, & genitum *denominatiuè* concedo minorem, Spiritus, & Filius *denominatiuè*, est quid spiratum, & genitum denominatiuè nego minorem, & nego consequentiam, & reliqua.

4 Obiicies ex Vasquez, & Lugo: ergo si humanitas vniretur hypostaticè Patri esset Pater Verbi denominatiuè sicut modo est Filius denominatiuè Patris, vt mox dicam cert. 3. Respondet Lugo num. 34. ita posse tunc dici Patrem per idiomatum communicationem sicut modo dicitur Filius. Sed certè plus petit argumentum, nempè eodem prorsus modo debere tunc dici patrem Christum, qua hominem quo dicitur nunc Filius. cum Filio vnitus est. Vel ergo tunc Filium solum per idiomatum communicationem dici Christum qua hominem contra Patres, & contra te credis, vel vlterius aliquid debes respondere: posseteque facile iuxta sua principia consequentiam admittere: ego autem illam nego: quia Patris denominatio agendi est, quæ non cadit in actionis subiectum, sed in actionis principium: vt patet in eductione, quæ subiectum è quo terminus educitur, non denominat educens, sed solum principium actiuum. Instabis; æque pater in diuinis essentia sua Pater est iuxta Patres datos controu. de Trinitate; disputatione 3. & 7. atque Filius essentia sua est Filius: ergo, sicut hic, quia secum dum se habetur ab humanitate per vnionẽ, licet non à generatione passiua genitam, seu Christum qua hominem genitũ denominet, ast denominat Filium æquè habitus Pater per vnionem ab humanitate licet denominaret Patrem à generatione hoc est generantem, ast Patrem absolutè denominaret humanitatem siue Christum, qua hominem. Respondetur antecedens in sensu quo obiicitur fallum, nec Patrum esse, vt ostendam cit. disp. 3. quæst. 4. & disput. 7. Paternitas ergo & Filius sumi possunt, vel relatiuè prædicamentaliter, vel pro persona Patris, & Filij. Primo modo æqua est vtriusque ratio, neuterque vnitus humanitati denominat illam, siue Patrem, siue Filium prædicamentaliter. Secundo modo non est ratio Patris, & Filij eadem. Nam persona Filij secundum se considerata, ac præcisè à generatione, quam essentialiter supponit, vt in se sit, est Filius in facto esse, ac proinde filiatione intrinseca in facto esse humanitem, cui vnitur, Christumque qua hominem Filium constituit denominatiuè. Pater autem personaliter constitutus non est Pater prædicamentaliter, neque generans formaliter, sed omnem generationem, & paternitatem formalem antecedit, solumque dicit innascibilitatem: quare eam solum humanitati sibi vnitæ denominatiuè communicaret. Instabis filiatio naturalis in diuinis est denominatio extrinseca prouenies à generatione per nos in terminum productum: sed humanitas Christi non est terminus productus per generationem naturalem Dei: ergo nequit denominari denominatione filiationis naturalis Dei. Distinguo maiorem. Filiatio formalis prædicamentalis fateor; Formalis intrinseca, seu illius prædicamentalis terminus, nego: ac proinde de hac poterit Christus qua homo, seu humanitas eius denominari, etsi terminus productus per generationem non sit, licet prædicamentali in nostra doctrina nequeat denominari, talis. Plura parraphis multis oponit Bernal. maiori contentione, quam difficultate, quæ proinde minoris æstimo, quam tempus, & chartam. Illud aduerte filiationem hanc in facto non esse formã à qua Verbum Filius dicatur, sed terminum productum generatione, à qua Filius, & est, & dicitur, ne aliquo diuino, à quo formaliter diuina persona denominatur, similem denominationem ab humanitate suscipi contra statum fixumque à nobis principium d. 3. cogaris admittere.

CERTAMEN III.

Cuiusnam personæ Trinitatis Christus, qua homo filius sit.

1 VAsquez citato capite 14. §. *Tertio colligitur.* Soar. sect. 2. §. sextam rationem Luis. Torres supra dub. 9. Gaspar. Hurtad. supra Petrus Hurtad. supra sect. 6. Becan. c. 18. qu. 15. num. 8. asserunt Christum qua hominem re vera totius Trinitatis filium esse, licet ea locutione vtendum non sit, nisi cautè, ne duplex naturalis generatio Deo appingatur: ipsi, altera saltem ab æterno coæua, & temporalis alia. Laudo religionem, metus autem, qui veritatem zelent pessimè semper odi: vel enim filius est naturalis Dei Christus qua homo, alia filiatione quam æterna, vel non alia? si alia duplex filiatio naturalis Dei asseritur in conclusione: ergo æque est absurda conclusio, atque illius in loquendo vsus: quare & conclusio æquè atque vsus illius exterminanda est, vel æquè vsus ipsius atque conclusio ipsa admittendus erit. Si non alia filiatione, quam æterna verbi Christus qua homo filius naturalis Dei est: ergo eum solum respiciet Patrem, quem filiatio æterna Verbi, à qua denominatur, atque est filius respicit, atqui filiatio æterna Verbi solum respicit, vt Patrem primam Trinitatis personam, non autem tres totas personas Trinitatis, soliusque primæ personæ, non totius Trinitatis Verbum constituit Filium, vt Fides Dei catholica docet: ergo humanitas Christi, seu Christus, qua homo solum respiciet primam personam: vt Patrem non Trinitatem totam illiusque solum, non Trinitatis totius erit naturalis Filius, & quidem ex ratione secundæ huius partis mireris in consequentiam nostrorum Vasq. & Assecl. qui nobiscum in ratione, & explicatione naturalis filiationis Dei in Christo qua homine cert. 2. conuenerunt, & tamen filium eum qua talem totius Trinitatis nunc asserunt. Totum horum fundamentum fuit Adriani sententia non satis penetrata quam infra explicabo, imo bonum etiam malæ huius locutionis in tantorum Doctorum obseruantiam debitam aperiam.

2 Bernal. citata d. 46. sect. 3. §. 2. docet Christum qua hominem in ratione filij totius Trinitatis filium esse, atque etiam in ratione proprij, quæ productioni, seu quod idem est filiatione humanitatis ratione vnionis hypostaticæ per accidens iungitur, & proprium totius Trinitatis esse: sed enim permissa nunc Bernal. propria filiatione humanitatis media inter naturalem, & adoptiuam, quam satis impugnauimus q. 2. Permissa etiam nunc adiunctione accidentali ad productionem humanitatis, ex quo adiuncto propria ea filiatio constituatur, quæ secundum se talis non est, quam etiam impugnauimus hic cert. 1. nihilominus doctrina hæc nequit sustineri absolutè, multoque minus in eius principiis. etenim, etsi vnio humanitatis facta sit non solum ad personalitatem Verbi, sed ad totam eius personam quare, & ad naturam, vt identificatam cum Verbi personalitate, id quod probabile esse docuimus, nequit efficere naturam humanam propriam totius Trinitatis hypostaticam illa vnio: quia vnio hæc illius efficit propriam humanitatem, cui illam annectit: atqui vnio hypostatica humanitatis facta non solum ad personalitatem Verbi, sed ad totam etiam personam, quare, & ad naturam, vt identificatam cum Verbi personalitate non adnectit humanitatem ad tres personas Trinitatis, sed ad solam Verbi personam: ergo solius Verbi propriam facit non Trinitatis totius: ergo neque est filia (vt grammaticè concordem) propria humanitas totius Trinitatis, sed Verbi solius, quod argumentum maiorem vim habet in sententia alta communiori, quam etiam probabimus asserente humanitatis vnionem ad solam Verbi personalitatem factam formaliter, & immediatè esse, quam ne exopposita inferatur ad tres personas fuisse humanitatem vnitam, adeo certam reputat Bernal. vt oppositum errorem somniatum appellet d. 22. sect. 1. num. 1.

3 Vera igitur ac nostra conclusio sit Christum qua hominem, siue secundum humanitatem naturalem filium solius Patris esse. Est longè communior Alex. 3. p. q. 8. m. 3. a 4. S. Th. q. 23. a. 2. ad 2. cum Thomistis, Albert. in 3. d. 4. a. 4. S. Bonau. a. 7. q. 2. & 3. Gabr. q. vnic. art. 3. dub. 2. Durand. q. 1. Lorcæ, & Basil. Legion. supra plures ex antiquis referentis, Granad. sect. 3. n. 18. Lugo sect. 3. n. 21. Vvadingo d. 11. dub. 1. §. 3. n. 4. cui supposita ratione, & explicatione nostra de filiatione naturali humanitatis Christi consentit Bernal. sect. 3. citata §. 1. n. 136. Probatur primo ex hoc principio ratione, quam in secunda parte dilemmatis contra Vasquez, & DD. primæ sententiæ efformabamus n. 1. Secundo probatur ratione qua Concil. Tolet. 11. confess. fidei probat Christum qua hominem, etsi Spiritu S. loco viri concurrente conceptum, tamen Spiritus sancti filium non esse. *Ne*, inquit, *duos Patres Filij videamur asserere, quod vtique nefas est dici*: Atqui si tota Trinitas, vel alia persona à Patre æterno sit Pater Christi qua hominis, hicque qua talis alterius, vel reliquarum personarum Trinitatis Filius Christus qua homo duos, aut plures etiam Patres habebit: ergo nefas est dici esse filium alterius personæ præter æternum Patrem Christum, qua hominem. Tertio probatur ex suppositio Concilij in hac ratione scilicet Christi qua hominis etiam vnicum Patrem naturalem esse, sc. eundem, qui eiusdem qua Deus est naturalis est Pater.

4 Probatur quarto. Quia filiatio naturalis humanitatis de qua ex instituto tractarunt contra Elipandum Adrianus, & Patres Concilij Francford. quæque eorum testimoniis, & argumentis euincitur est sola filiatio à Patre æterno, vt patebit legenti quæ dedimus hactenus ex ipsis, & quæ dabimus de adoptione, & seruitute Christi, qua hominis agentes: quæ quia in proximo lectori sunt nunc recitare omittimus. Quinto: quia ad eam solam filiationem æternam in Christo, qua homini conuenientem euincédam inducuntur à præfatis Patribus Scripturæ loca, de eaque sola explicantur: indeque & vnigenitum, & primogenitum non adoptiuum etiam qua hominem probant Concil. Francfortd. epist. ad Episcop. Hispan. col. 3 *ex vtraque natura, & vnigenitum esse & primogenitum.* col. 6. *in vtraque natura esse, & vnigenitum, & primogenitum.* quæ omnia respectu patris æterni in Scriptura dicuntur. Non respectu alterius personæ Trinitatis. Sexto ex ratione, quam Concilium Francford dedit, cur in nullo instanti Christus qua homo fuerit adoptiuus his verbis. *Nunquam enim non fuit filius: quia numquam non fuit Pater.* Atqui filiatio ab altera persona Trinitatis, quam à Patre æterno aliquando imo per totam æternitatem antecedentem ad Christi existentiam non fuit: quare neque illi respondens paternitas, seu Pater: ergo de sola filiatione à Patre, quæ nunquam fuit, & Patre correlato qui fuit semper Pater. Loquuntur Patres, dum de filiatione Christi, qua hominis, & correlato eius Patre loquuntur.

5 Tota aberrandi oppositis DD. occasio fuit Adriani locus cit. epist. sic illud Matth. 3. & 17. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* pendens. *si secundum diuinitatem dixisset, nequaquam diceret, in quo mihi bene complacui, sed tantummodo in quo mihi bene complacuit. Sed dum dicit complacui totam simul Trinitatem comprehendit: quia in homine Christo tota complacuit Trinitas.* quæ fore eadem iterum repetit: ergo inquiunt, tota Trinitas complacens locuta est, Christumque qua hominem filium vocat. Mala consequentia, & periculosa. Nam gaudium omnium personarum vna sola dixisse nomine suo videretur, quæ nimirum Pater erat. Idcirco non dixit vox *Complacuimus*, quod dici debebat, vt omnes loqui manifestaretur, sed *Complacui*, id est ego Pater cum reliquis. Est autem periculosa consequentia. Nam Dei Patris nomine illas voces fuisse. *Hic est Filius meus &c.* testatur Petrus epist. 2. c. 1. *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi magnificæ gloriæ*

gloriæ. Hic est filius meus &c. Consentiunt Patres omnes Hilar. 6. de Trinit. ante med. Augustin. 2. de Trinitate c. 10. post med. Leo. serm. de Transfigur. Athanas. serm. 4. contra Arrian. vers. fin. serm. 3. vers. med. Chrysost. Hom. 12. & 57. in Matth. Euthym. Anselm. & Hieron. ad 3. Matth. sensus igitur Adriani est filiationem Christi, qua Deus est, solius Patris virtute fuisse præstitam, ac proinde illi tanquam vnico authori sine aliorum consortio de edito filio à se complacentiam, & gaudium conuenire at, vero, vt humanitas de facto filia esset non absque aliis effeciisse, cum tota Trinitas, & humanitatem, & vnionem sit operata: quare, & gaudium de humanitate, atque homine Christo filio tanquam de opere communi commune Trinitate erat: ast gaudium de filio suo solius Patris. Nam licet media vnione, seu per effectionem vnionis filiatio in facto esse in humanitate à tota Trinitate ponatur, ast filiatio posita non respicit principium actiuè ponens illam tanquam correlatum, neque Patrem ipsum, quatenus productione vnionis eam actiue in humanitate ponit, sed solum illum quem de se respiciebat naturaque sua, scilicet principium generans in diuinis, qui solus Pater est: vnde, cum humanitas solo respectu filiationis, à qua denominatiue est filius terminum correlatum respiciat, solum Patrem, vt eius filius naturalis denominatiue respicit nullamque aliam Trinitatis, vt Patrem, cuius filius sit: neque hoc fortasse intendebant Doctores aduersarij, sed solum personas omnes ad vnionis per quam filia Patris humanitas Christi constituebatur productionem concurrisse, ac de filio Patris, suis etiam suppetiis, denominatiue constituto complacuisse, vt Adrianus solum voluit.

QVÆSTIO IV.

Sit ne Christus quatenus homo, vel hic homo *formaliter sumptus filius Dei naturalis.*

DE Christi, qua hominis, siue secundum ipsius humanitatem, vt re ipsa est, sumptam filiatione naturali respectu Dei egimus. q. proxima, & antecedentibus contra Felicis, & Elipandi errorem iam hic non de Christo, qua homine, vel hoc homine, vt re ipsa est, sed provt eis nominibus significatur, ac secundum formale significatum præcise, quod voces *homo*, & *hic homo* important, disputanda res est. Negotium pure scholasticum, atque à dogmatibus liberum. Quidquid nescio qui Doctores, qui excerptio solum in codiculis Concilia, & Patres legunt, de eorum mentem, & institutum semper ignorant, non adeo liberum à dogmatibus contra Felicem, & Elipandum editis æstimant.

CERTAMEN I.

Notata, aliquotque faciliores eadere conclusiones.

1 NOta primo ex dictis. d. proœm. q. 1. & 2. dicendisque controu. 9. d. 2. q. 1. hanc vocem *homo*, vt sic prolatam, eiusque formalem conceptum, si ex propria, ac primæua Patrum, & Conciliorum acceptione vsurpanda sit, nullatenus significare suppositum siue personam, sed naturam quia Patres quidquid commune, ac non indiuiduum significat substantiale naturam significare, non suppositum, seu personam constanter docuerunt teste imperatore Constantino Pogonato in edicto fidei, aliisque Patribus quorum testimonia plura citatis locis dedimus: vbi, & rationem euidentem ex definitione Personæ tradita à Boëtio: atque in Conciliis, & in Scholis, vt dogma Theologicum conseruata adiecimus. *si enim persona est rationalis naturæ individua substantia.* Substantia hoc nomine communi *homo* significata sine differentia vlla individuali non magis persona erit, quam animal à rationali præcisum homo esse sic posset. Quo circa miror Theologorum plurium in consequentiam, qui ea definitione personæ retenta voce concreta communi substantiæ suppositum, & Personam naturæ substantialis, cuius ea vox est, significare in communi etiam docent: v. g. vocé *homo* personam humanam: cum idem sit, ac si docerent præcisum conceptum ab individuatione, esse individuationis ipsius conceptum, quod est manifesta contradictio. Sed tamen, eo omisso vox *homo* formaliter, & præcise, siue adiectiua, siue substantiua significatione, & acceptione,) de quibus statim) ne ab his quidem Theologis personam, siue personalitatem singularem, vel in recto, vel in obliquo significare asseritur.

2 Nota secundo vocem *homo* quia concreta vox est, aptam natam esse, vt adiuncta nota ecceitatis, siue singularitatis personam significet; quod non habet vox *humanitas*, quia abstracta, licet naturam humanam in communi significet, vt citatis locis ex docta Damasceni obseruatione retulimus. Nota tertio adiuncta ecceitate vocem *hic homo*. Posse adiectiue, vel substantiue vsurpari si adiectiuè vsurpentur, atque accipiantur, rectum vocis homo est conceptus substistentiæ in cõmuni, natura vero, seu humanitas est eius vocis significatum in obliquo, vt dicat homo idem, atque voces istæ *habens humanitatẽ*, vt latius persequimur controu. 8. d. 1. supraque leuius tetigimus. Inde fit signum illud ecce tatis *hic* si homo adiectiue sumatur afficere personalitatis, seu habentis, cum quo gramm aticaliter concordat, significatum: ac proinde denotare personalitatem singularem, atque, in casu nostro verbi personalitatem, quæ humanitatem Christi habet, atque sustentat; naturæ vero in obliquo tunc significatæ de se non denotare singularitatem: neque enim eam afficit, cum qua grammaticaliter non concordat. Si autem *homo* substantiue capiatur rectum significatum est humanitas, obliquum autem personalitas, siue suppositum. Vnde pronomen demonstratiuum ecceitatis, *hic* nempe voci *homo* adiunctum denotauit humanitatis, cum qua in recto concordat, singularitatem; secus autem singularitatem personalitatis, vel suppositum, cui in casu non concordat. Itaque *hic homo*, adiectiuè sumptus in re præsenti de se significat verbi personalitatem hanc habentem, humanitatem indefinite hanc, vel illam, non hanc determinate in singulari; substantiue autem acceptus contra significat de se hanc humanitatem, quæ de facto in Christo est, determinatam in singulari cum hac, vel illa personalitate vage, non singulari Verbi, quam habet, sed aliqua, siue propria, siue aliena?

3 Verum, licet hæc ita sint de rigore sermonis, ex disputantium conuenientia, & concordia potest rigorosa hæc earum vocum significatio laxari, vt pronomen *hic* siue adiectiue, siue substantiue accipiatur *homo*, cui adiungitur vtrumque, & suppositum, seu personalitem determinet, & naturam, in singulari, vt in re præsenti si adiectiue sumatur significet *hoc habens*, scilicet verbi personalitatem, *hanc humanitatem singularem*, quæ nimirum in Christo Domino est; sin autem substantiue *hanc humanitatem cum hac personalitate verbi*; & sane sumpto adiectiue *hic homo*, huius conuenientiæ disputantium contra rigidam, & propriam earum vocum significationem, nullus est doctrinæ ad rem præsentem fructus: accepto vero substantiue erit doctrinæ, in ea disputantium concordia, extra propriam earum vocum significationem fructus non exiguus: quare de quæstione in ea vocum earum acceptione arbitraria toto cert. 2. agetur, postquam in hoc rigida earum significatione quid respondendum quæstioni sit statuerimus.

4 Dico primo Christus quatenus homo præcisè, & formaliter sumptus non est filius naturalis Dei. Est conclusio, cui Theologus nemo aduersari queat. Nam homo, non, provt re ipsa est in Christo, sed, vt voce abstracta, & communi significatur impropria, ac primæua Patrum significatione naturam significat, non suppositum, neque humanitatem hanc singularem, neque vnionem eius hypostaticam ad Verbum, à qua humanitas Christi, Christusque qua homo habet esse Filium naturalem Dei: ergo vt sic præcisè acceptus homo, qui Christus est, eiusque humanitas non concipitur, neque est Filius naturalis Dei. Deinde in acceptione plurium Theologorum, licet impropria, etsi suppositum, ac personam vox *homo* significet, non tamen hanc determinatam personam, sed aliquam vagè, vel personam humanæ naturæ in communi, provt præscindit à Petro, Paulo, & Christo: ast provt præscindit à persona determinata naturæ humanæ, seu ab homine hoc, qui Christus est, neque dicit personam Filij, neque vnionem hypostaticam humanitatis ad illam, ac Deum. Ergo in nulla sententia Theologorum Christus, qua homo formaliter, & præcisè sumptus, est Filius naturalis Dei, dicivè potest.

5 Dico secundo: Christus qua *hic homo* sumptus substantiuè formaliter, & præcisè non est Filius naturalis Dei. Probatur ex dictis num. 2. etenim *hic homo* substantiuè dicit hanc humanitatem determinatam, quæ in Christo est, personalitatem vero in obliquo vagam, hanc videlicet, vel illam, propriam, vel extraneam, non autem humanitatis huius vnionem ad personalitatem diuinam Verbi, & Filij æterni, atque ad Deum: atqui quousque hæc ex parte obiecti concipiatur, & significetur significare, concipivè nequit filiatio naturalis adhuc *denominatiuè*, in humanitate: ergo hic homo substantiuè sumptus formaliter præcisè non est filius naturalis Dei. Neque huic conclusioni Theologus vllus aduersari potest. Maior difficultas est quando ex conuenientia disputantium *hic homo* substantiuè sumptus significet non solum singularem hanc humanitatem, quam de se, vique suæ propriæ significationis designat, sed, & singularem hanc personalitatem Verbi, quam habet humanitas, an vi significationis huius significet, atque, ex parte conceptus obiectiui formaliter ponat humanitatem Christi, seu Christum, qua hunc hominem Filium naturalem Dei. In qua re eadem est de hoc homine sic substantiuè accepto, atque de hoc homine adiectiuè vsurpato difficultas: nam vtroque modo Verbi personalitas, siue habens humanitatem, siue ipsi vnita significatur, quare vtrumque cert. 2. à nobis examinandum est.

CERTAMEN II.

De hoc homine, adiectiuè sumpto, & substantiuè, ex arbitraria significatione disputantium conclusiones?

1 LOquar hic semper de significatione formali, vel vocum de se cum adiectiuè *hic homo* vsurpatur, vel ex arbitraria significatione disputantium, cum substantiuè vsurpatur, atque ex illa personalitatem verbi determinatam significat. Nam in sensu materiali nulla esse potest inter Catholicos difficultas, quin Filius naturalis Dei sit Christus, qua *hic homo* acceptione vtrauis. Cum enim vtrouis modo significetur personalitas Verbi, quæ realiter Filius Dei est, & identicè, qui hoc non negat negare nequibit *hunc hominem* adiectiuè sumptum, siue hanc personalitatem habentem humanitatem esse Dei filium materialiter, & identicè; item humanitatem in personalitate hac, siue cum personalitate hac Verbi subsistentem habere filiationem Dei naturalem in facto esse, cui reipsa illa personalitas significata identificatur: tota ergo difficultas, & quæ subtilium mentium est in præsenti sensu, & significato formali, & præciso harum vocum *hic homo* (siue ex se, siue ex concordia, & arbitrio dicto disputantium) consistit.

2 Dico primo sumpto subsantiuè *hic homo* formali sensu etiam adiuncta arbitraria significatione disputantium, vt singularem Verbi personalitatem significet Christus, qua hic homo non est filius naturalis Dei. Hanc conclusionem sæpè Compluti Bæticæ, ac Toleti cussis generalibus thesibus propugnatam, Magister quidam in aliis minimorum fratrum conclusionibus generalibus præside Magistro eius ordinis Montalbo Toleti propositam impediri per sanctum inquisitionis tribunal. atque expungi satagebat, quasi Elipandi errorem contineret in eius autem conclusionis defensionem plures, cum ex aliis, tum è nostra societate nobiles Magistri prodiere oblatis Magistro Montalbo non solum eius approbationibus, sed, & Apologeticis libellis, quos ego vidi, & plurium Singraphas recognoui, in quibus P. Petrus Gonzalez, Galindo, & P. Ioannes Martinez de Ripalda, quos honoris causa nomino. Licet autem ea tuta in fide opinio, neque à dogmatibus Theologicis discordans, tatisque Recentioribus communis sit, nescio an satis communibus eorum principiis concorder? vti eorum aliquibus penè ad silentium in publicis generalibus conclusionibus euici. Docent enim Personas relationibus Paternitatis, filiationis, & spiratoris constitui in esse personali, & distingui, vt vnam, & aliam personam: ne, si absolutis personalitatibus constituatur vnaquæque, & distinguatur ab alia, alioqui, & si Spiritus sanctus non procederet à Filio distingueretur realiter ab illo. Sed hæc omnia cum conclusione hæc minimè conueniunt. Sic ostendo. *Hic homo* substantiuè sumptus addita arbitraria significatione personalitatis Verbi dicit formaliter vnionem ad eam singularem, ac propriam personalitatem constitutiuam, & distinctiuam Verbi à Patre. Sed personalitas Verbi propria constitutiua, & distinctiua eius à Patre est filiatio formalis naturalis Dei per te: ergo vi significationis formalis dicit humanitatem cum filiatione naturali Dei per te: ergo dicet *hic homo* in ea significatione formali Filium naturalem Dei denominatiuè.

3 Dices constitui, & distingui personas per relationis conceptum inadæquatum. Contra ergo non constituuntur, ac distinguuntur personæ Trinitatis per relationes. Nam inadæquatus ille relationis conceptus, vel est absolutè relatio formaliter, vel non? si non est formaliter relatio absolutè dicta, sed pars illius non constituuntur personæ, ac distinguntur relationibus formaliter, & absolutè talibus per te; si est autem sic conceptus relationi absolutè, & formaliter: ergo non inadæquatus conceptus ipsius contra solutionem: nihil enim respectu sui ipsius adæquate, & inadæquate tale, siue pars, & totum esse potest. Secundo recurrit argumentum, cui respondebas: nempè, humanitatem vnitam constitutiuo, ac distinctiuo personali Filij à Patre vnitam esse, atque habere filiationem: quare, & esse Filium Dei naturalem denominatiuè. Dices conceptum personalitatis absolutum esse inadæquatum constitutiuum, seu distinctiuum huius personæ ab alia. Contra quia vel eo intelligitur persona hæc singularis Filij in esse singularis personæ adæquate constituta, vel non quousque conceptus relationis aduenias? si extremum hoc: ergo, cum vnio humanitatis denotata his vocibus *hic homo*, sit ad personalitatem Verbi adæquatè talem, & qua Verbum persona absolutè est, & adæquatæ, atque cum humanitate personam adæquatè talem constituit, eæ voces significant vnionem humanitatis ad filiationem Verbi: quare, & hanc humanitatem, siue hunc hominem naturalem Dei filium. Denique in constitutione, & distinctione metaphysica, & per formalitates vnius personæ ab alia est implicatoria distinctio inadæquati constitutiui, ac distinctiui nam quoduis distinctiuum, ac constitutiuum speciale metaphysicum esse, debet formalitas indiuisibilis, in qua nullatenus conueniat

conueniat aliud. Id enim in quo alia diuersa eiusdem lineæ conueniunt, nec speciale huius constitutiuum, ac distinctiuum esse potest, sed potius conceptus communis cum illis: quare ille solum conceptus, qui pugnat, nec potest esse in alio, est huius speciale constitutiuum, & distinctiuum adæquatum, vt latius persequebar controu. de Trinit. d. 7. q. 1. & 2. ex quo q. 3. ostendebam, etsi personæ absolutis constituantur, verum tamen Spiritum sanctum à Filio distinguendum non esse, si ab eo non procederet.

4 Probari ergo conclusio in solis principiis nostris, & facilè quidem, potest. Docuimus enim controu. de Trinit. d. 7. q. 1. & 2. diuinas personas absolutis personalitatibus constitui, atque distinguì; absolutis quidem, & prædicamentaliter, & transcendentaliter: licet personæ eis constitutæ intrinsecè relatione transcendentali principij productiui, vel termini productibilis, aut productione, relatiuæ sint adæquatè; relatione vero prædicamentali inadæquatè solum, & tamen q. 3. cert. 2. cum hoc constare demonstrauimus, quod si Spiritus sanctus non procederet à Filio non distingueretur realiter ab illo. Ex his igitur sic conclusionem facilè probo. *Hic homo*, formaliter, & præcisè vi significationis suæ, & arbitrariæ prædictæ subsantiuè acceptus solum dicit hanc humanitatem cum hac Verbi personalitate præcisè, & formaliter, qua personalitas est: ast Verbi personalitas hæc formaliter, & præcisè, qua talis, non est filiatio naturalis Dei, neque in fieri, neque in facto esse, sed personalitas, siue vltima singularitas absoluta: vt ex locis citatis suppono: ergo *hic homo* vi significationis suæ, & arbitrariæ prædictæ non dicit hanc humanitatem cum filiatione naturali Dei. Pergo: ergo nec dicit Filium naturalem Dei denominatiuè adhuc. Probo hanc consequentiam. Implicat concipi Filium naturalem Dei, adhuc denominatiue, illum à quo haberi non concipitur filiatio naturalis Dei in fieri, seu prædicamentalis, vel intrinseca, & in facto esse. Sed ab obiecto significato his vocibus formaliter non habetur filiatio naturalis Dei, siue in fieri, aut prædicamentaliter, siue in facto esse: ergo implicat obiectum vocibus *hic homo* formaliter significatum, vt eis præcisè, & formaliter significatur, concipi, aut esse formaliter Filium naturalem Dei etsi arbitrario personalitas Verbi significetur.

5 Dico secundo. Christus quatenus *hic homo* adiectiuè sumptus formaliter non est Filius naturalis Dei. Conclusionem nemo, siue docuit, siue improbauit: quia nemo in sensu rigido formali illam disputauit, sed solum in materiali, & identico, in quo falsam omnino esse ostendimus num. 1. sed probata iam est argumento proximo, quo probabamus conclusionem primam. Eisdem enim principiis innititur de constitutione, & distinctione personarum diuinarum, in propria, & essentiali cuiusque personæ ratione per personalitates absolutas, ac nullatenus per relatiuas, seu relationes, siue in fieri, & prædicamentales, siue in facto esse, & personis intrinsecas. Sic autem ratio huic conclusioni accommodatur. Nam *hic homo* adiectiuè sumptus dicit in recto personalitatem Verbi qua sustentantem, seu habentem humanitatem: sed ea personalitas, qua personalitas Verbi præcisè, & qua sustentans, habens, ac suppositans humanitatem Christi, non continet formaliter filiationem naturalem Dei, siue in fieri, prædicamentalem, siue in facto esse; ergo *hic homo* adiectiuè non dicit filium naturalem Dei, neque Christus, qua *hic homo* adiectiuè sumptus formaliter est Filius naturalis Dei. Dices contra vtramque conclusionem. Per nos probabile esse vnionem hypostaticam terminatam esse non solum ad personalitatem Verbi, sed ad naturam etiam, vt ipsi identificatam: id est ad totam Verbi personam, in qua per nos etiam est filiatio naturalis Dei in facto esse, Verboque intrinseca: quare significata ea vnione, vt eis nominibus, & vocibus *hic homo* significatur significari filiationem in facto esse. Respondetur non significari eis vocibus vnionem, aut personalitatem, vt re ipsa de facto fuit, atque est, sed quatenus fuit ad personalitatem, vt diximus: quare nulla est obiectio.

QVÆSTIO V.

An Christus qua homo, vel secundum humanitatem sit Dei adoptiuus Filius.

IN sensu formali reali, non autem in formali metaphysico procedit. Nam qua homo, ac secundum humanitatem præcisè significatam formaliter, & secundum se, imo, & secundum hanc humanitatem, aut Christum qua hunc hominem in proximè enumeratis acceptionibus formaliter, præcisè, filiationem adoptiuam non contineri citra dubium est. Dubitatur ergo de humanitate, Christouè, qua homine, cum iis, quæ re ipsa humanitati, hominique Christo erant, qua in re habenda præ oculis sunt, quæ de errore Elipandi, & pro filiatione naturali Christi, qua hominis, siue secundum humanitatem è Concilio Francfortdiensi, Adriano, aliisque Patribus dedimus contra Soar. & Bernal. tota. q. 1. & q. 2. cert. 1. & 2. ne hic superuacuo labore repetantur. Deinde particulæ *quatenus homo*, vel *secundum humanitatem* subiectum, cui vel soli, vel primario competat filiatio adoptiua designant: quare, & dum dicitur, *quatenus homo*, substantiuè nomen homo vsurpatur.

CERTAMEN I.

Aliorum placita proponuntur.

1 FElix, & Elipandus relati, ac explicati. q. 1. asseruere Christum, quatenus hominem, siue secundum humanitatem adoptiuum filium Dei esse. His consentit Dur. in 3. d. 4. q. 1. licet enim neget Christum esse Spiritus S. Filium per adoptionis gratiam, ne cum Ario videatur verbo, qui Christus est filiationem naturalem negare, vel cum Nestorio in homine Christo personam creatam admittere: addito verbo illo *secundum humanitatem*, vel *quatenus hominem* Christum adoptiuum Filium Spiritus sancti rectè dici posse ait per adoptionis gratiam; quæ cum à Deo, & tota Trinitate sit, licet Spiritui sancto approprietur, Trinitatis totius, ac Dei Filius adoptiuus dici poterit Christus secundum humanitatem, vel quatenus homo in Durandi sententia: quare cum Elipando, & Felice conueniet. Fauent Durando Ricard. d. 10. a. 2. q. 1. & Recentiores nonnulli, licet alia ratione negent Christum absolutè, ac sine addito illo Filium adoptiuum Dei esse: quia neme respectu eiusdem naturalis, ac simul adoptiuus absolutè esse; aut dici potest Gabr. Maior. & Almain. eadem. d. negant Christum, etiam *quatenus hominem* esse, dicivè posse Filium Dei adoptiuum: quia inde centent etiam contra præfatos inferri Christum absolutè esse, dicique posse talem; quidquid enim de Christo qua homine dicitur, de eo absolutè dici potest, vt esse mortalem. passum &c. Negant item posse dici, aut esse adoptiuum *secundum humanitatem*: quia id sonat humanitatem esse primario talem, ac secundario suppositum, & personam: cum tamen ratio Filij, cuiusuis generis sit, ac nomen, suppositi, & personæ sit, non naturæ. Cæterum minus propria locutione, provt adoptio ex parte subiecti personam non concernat, posse dici, effequè humanitatem Christi adoptiuam filiam Dei, siue à Deo adoptatam?

2 Melius sanè, ac solidius adoptionem Christi cum hoc

hoc addito *secundum humanitatem* ea ratione reiecissent hi Doctores, qua reiiciebant simili alio addito *quatenus homo*. Nam æque ex addito *secundum humanitatem*, atque, ex illo, quatenus homo, infertur Christum absolutè esse, aut dici posse Dei Filium adoptiuum. Ratio enim ab eis data pro addito secundum humanitatem prorsus est imbellis. Quia licet natura seorsim à supposito non dicatur alicuius Filia, vel Filius, quoniam Filij denominatio propria suppositi, ac personæ est non naturæ solius, adiuncta vero personalitate Verbi suppositum dicitur secundum naturam humanam, siue humanitatem Filius ritè, ac propriè. Nam Christus secundum humanitatem Virginis dicitur Filius. Respondet Gabriel in subiecto *Christus*, etiam cum additur *secundum humanitatem*, contineri semper filiationem naturalem, quæ adoptiuam impediat, secus in subiecto *humanitas*. Sed in primis iam prima ratio defertur. Secundo in subiecto hoc *humanitas Christi*, de quo concedis esse adoptiuam etiam contineturfiliatio naturalis. Tertio vel loqueris de humanitate Christi secundum se præcisè consideratà, vel vt re ipsa iacet cum omnibus, quæ re ipsa habet, vnione, gratia habituali &c. si primo modo adoptiua non est, cum gratiam secundum se, præcisè, & formaliter sumpta non habeat, æqua solum adoptiua, seu adoptata Filia esse posset; si secundo modo, non solum adest gratia habitualis ipsi re ipsa, sed & hypostatica vnio, ac filiatio naturalis Dei, quæ per te adoptiuam filiationem gratiæ impediat. Nec refert receptionem gratiæ non esse vnionem, quare, &, vt gratiam recipit humanitas non haberet filiationem naturalem Dei nam in primis hoc ipsum dicam, de Christo quatenus homo. Secundo forma quæ sui assistentia alterius impedit effectum, vt filiatio naturalis adoptionem gratiæ, non impedit quatenus infirmat subiectum ea ipsa informatione, qua informat forma impedita, quod est impossibile, sed quatenus informat in eodem instanti durationis, quo alia assistit subiecto, sicut adest humanitati vnio, in eodem instanti, in quo gratia habitualis.

3 Scotus in 1. d. 10. q. 1. ac in reportatis quem sequitur Bassolis ea. q. monet eam propositionem Christus est Filius adoptiuus Dei negatam absolutè à Patribus fuisse, negandamque in eodem sensu Nestoriano; tamen probabiliter ait posse defendi Christum adoptiuum esse: non explicat autem satis an in extremo hoc loquatur de Christo cum addito *secundum humanitatem*, an absolutè? Ratio autem, qua eam propositionem absolutè negat profundius aliquid intendit, ac melius, quam sonat; quia, vt aliquis in Filium adoptetur, oportet, vt sit, saltem prius natura extraneus: at Christus pro priori naturæ ad vnionem hypostaticam habuit gratiam habitualem, qua non erat extraneus, sed ius habebat ad bona Dei. ergo non fuit in Filium adoptatus à Deo. Sed in primis ratio hæc falso supponit pro priori naturæ ad vnionem fuisse in homine Christo gratiam habitualem, cuius oppositum docuimus controu. 3. d. vlt. q. vlt. imo subiectum Christus, de quo asserit, ante vnionem intelligi nequit, ne dum esse pro aliquo priori ad illam cum gratia habituali. Secundo per gratiam habitualem constitui in illo priori Filium proprium Dei: cum hæc adoptiuum; non proprium, imitatiuum, non verum, Filium constituat. Tertio pro priori naturæ ad gratiam habitualem non habuit humanitas Christi ius ad bona Dei, quare nec fuit proprius Dei Filius, etiam in tuo sensu, sed extraneus: ergo ea ex parte potuit adoptari in Filium: quarto arguo præcipuè ergo, nisi præcessisset pro priori naturæ homo Christus cum gratia habituali ante vnionem, ac proinde non extraneus vnione ipsa adoptaretur: ergo vel censes vnionem Verbi, ac Dei ad humanitatem esse solum affectiuam, & affectus, sicut est adoptiua filiatio (quod est Nestorianismus, quem fugis) vel vnionem physicam adoptionem esse formalem, quod ne Elipandus quidem docuit, & cum tua doctrina non cohæret. Si enim gratia habitualis proprium Filium per te constituit Dei: quomodo vnio hypostatica diuinaque natura, & persona, quam affert humanitati solam adoptionem afferret? scilicet nobilior longè, strictiorque Dei participatio, & coniunctio filiationem ignobiliorem?

4 Scholastici reliqui Christum, etiam *qua hominem*, siue *secundum humanitatem* adoptiuum Dei filium constanter negant. Licet, an de fide sit negatiua oppositæ, atque affirmatiua damnata? non omnes conueniant. Bernal. d. 65. sect. 4. insistens iis, quæ de errore Elipandi, atque Felicis docuerat, ait eorum errorem Nestorianum fuisse, neque hunc de Christi secundum humanitatem, siue *qua hominis* adoptione; sed tamen illius occasione, & hunc fuisse damnatum. Quod autem hic error de adoptione damnatus in Elipando non fuerit, neque ab illo assertus probat: quia alioqui, quo, inquit, pacto tot Scholastici doctissimi Concilio Francfortdiensi, in quo damnatus Elipandi error fuit, tempore à Deo vicinores humanitatis Christi, siue Christi secundum humanitatem asseruerunt adoptionem. Sed certè, cum, licet non in Elipando, ast erroris, quem docuit occasione damnatam à Francfortdiensi, & Adriano eam propositionem asseras tuo argumento te iugulas. Nos autem facile Respondemus Concilium Francfortdiense, atque Adriani epistolam à suo ferè tempore (quod fuit annus circiter Octingentessimus) vsque ad Laurentij Surij tempora superiorum incuria in non adeo publicis, & versatis Bibliothecis delituisse, imo nec post modum vsque ad Vasquij nostri tempora Theologorum scholis ex vsu fuisse, vt ex Iuniorum Theologorum, & vetustiorum illorum scriptis patet, in quibus nullum Francfortdiensis, & epistolæ Adriani testimonium legitur, nullaque est eorum mentio; licet plures, etiam ex vetustioribus scholasticis, Concilij, & epistolæ illius rationes contra Elipandi adoptionem fuerint assecuti, vt videre præcipuè est in Ricardo, & S. Thoma.

5 Soar. supra Lorca. d. 34. m. 4. quibus in re consentit Lugo etiam supra, asserunt definitum esse Christum specificatiuè, imo, & absolutè non esse Filium Dei adoptiuum, atque contradictoriam propositionem damnatam; non autem hanc *secundum humanitatem* sine *in quantum homo* reduplicatiuè *est adoptiuus*: ex qua putant cum durando non inferri absolutè *est adoptiuus Christus*. sed male putant quia ratione materiæ in primis infertur. primo quia, vt Gabrielem, & Almainum redarguebamus, cum denominatio Filij proprior sit suppositi, quam naturæ, nequit supposito secundum naturam conuenire, quin proprius supposito absolutè conueniat: Secundo: quia, vt contra eosdem arguebamus, si loquamur de humanitate, ac Christo secundum humanitatem, vt re ipsa est, atque reali assistentia personæ Verbi Filij Dei naturalis humanitati qua adoptio gratiæ impeditur, vt vere impeditur, æque est Filia humaniras Christi, seu Christus secundum humanitatem, vel *qua homo*, aut non est Filius, atque Christus absolutè: cum idem impedimentum vtroque modo, & humanitati, & Christo absolutè adsit, vel non adsit. Si autem non impediat filiatio naturalis adoptiuam gratiæ nisi in subiecto, vt significatur adsit, vel quatenus informatur forma adoptionis, seu gratia multo probabilius dicetur Christus secundum humanitatem adoptiuus, quam negabitur, quod est contra Soarium, & hosce Doctores. Nam vnio hypostatica, & filiatio naturalis Dei, quam affert, neque adest in formali significato humanitatis, neque in informatione eiusdem per gratiam. Vlterius consequentia illa bona est ratione formæ, nec materiæ solius. Nam quoties reduplicatiua secundum, vel quatenus non est additum diminuens, vt in hac *Æthyops est albus secundum dentes*, quia designat minutulum aliquid subiecti, de quo dicitur prædicatum, sed sumitur, ac remanet reduplicatiuè non destruit, aut subtrahit subiectum positum in recto, de quo dicitur prædicatum, sed designat ratione cuius verificatur prædicatum: quare, si in subiecto in recto posito absolutè repugnat prædicatum: falsa est propositio; sin autem est vera cum reduplicatiua verè dici poterit de subiecto absolutè, ac sine illa posito. Vnde, quia Christus *secundum*

secundum humanitatem, seu *quatenus homo* dicitur esse creatura, esse mortuus, esse filius Virginis, ea omnia absolutè dici Christo posito dicuntur absolutè, valeque consequentia quæ vero de ipso absolutè dici nequeunt, vt esse puram creaturam, atque, in re præsenti, esse Filium adoptiuum Dei eadem consequentiæ vi, & certitudine negantur.

CERTAMEN II.

Christum neque secundum humanitatem, *vel* quatenus hominem *adoptiuum Dei Filium esse de fide est.*

1 CVm q. 1. ostenderimus hanc formalissimam de adoptione Christi secundum humanitatem, propositionem fuisse Felicis, & Elipandi errorem damnatum primo in Concilio Regionensi, siue Ratisponensi, secundo à Pontifice Felicis, iussu Caroli Magni, illum abiurantis, recipiente abiurationem, tertio à Concilio Francofortdiensi, & Adriano Pontifice in Elipando, & Hispanis Episcopis ipsius sequacibus, illum errorem damnantibus, constat apertè negatiuam propositionem à nobis præfixam, eique errori contradicentem de fide esse: atque ita planè censent quotquot de Felicis, & Elipandi errore q 1. de filiatione naturali Christi, *qua hominis*, siue *secundum humanitatem*. q. 2. nobiscum censebant. Plura testimonia, quæ hoc euincunt dedimus. q. 1. & 2. quare hic addenda reliqua sunt; in primis illud ad Hebr. 1. *olim Deus loquens Patribus in Prophetis nouissime diebus istis locutus est nobis in filio*, ast in filio qua homine locutus est, sicut in prophetis, qua hominibus, quosque filios non nominat, quia licet adoptiui essent, & imitatiui, veri, ac naturalis Filij comparatione Filij non erant dicendi: etsi adoptiuus aliis comparati Filij etiam dici deberent. Ergo Christum, qua hominem, vel secundum humanitatem Filium Dei naturalem Apostolus docet. Pergit, *quem constituit hæredem vniuersorum*, quæ filiationem naturalem continent; nam adoptiua non constituit hæredem vniuersorum; nec ius ad omnia dat, sed ad aliqua solum, gloriam scilicet, & si quæ alia: nec tamen de Christo qua Deus, vel secundum diuinitatem explicari possunt: nam qua Deum sibi per omnia æqualem, ac vniuersorum Dominum, quomodo Pater instituat, vel constituat hæredem? ergo loquitur de Christo *qua homine*, siue *secundum humanitatem*, sicque naturalem Dei Filium appellat, adoptiuum negat.

2 Concilium Francfortd. col. 4. & 5. illud in baptismate Iordanis *Hic est filius meus dilectus*, expendit sicut Adrian. recitatus. q. 2. cert. 2. num. 1. quod Pater de Christo secundum humanitatem loquatur: probatque ex adiuncto Spiritus sancti specie columbæ descensu his verbis: *quo pacto credi potest super Deum descendisse, à quo nunquam recedit.* Rursus Adrianus citata epistola petri confessionem laudatam, præmiatamque à Christo Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* ad Christi humanitatem, in qua solum vnctus, non in diuinitate fuit, & in qua Filius hominis erat, de quo Christus rogauerat *quem dicunt homines esse filium hominis?* referendam putat. Deinde Concil. Francfortdiense eo loco ad rem præsentem recitatis, ponderatisque testimoniis Lucæ. 1. 32. vocabitur *Altissimi filius*, & num 35. *quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei* sic habet: *Rursus Matthæus narrat Angelum dixisse quod enim in ea natum est de Spiritu. S. est: vt palam daretur intelligi de corpore dixisse, quod de inuiolata Virgine sumpsit more sacri eloquij partem pro toto, vt per solum corpus totum intelligas hominem in anima rationali ex ea natum. Sed ne quilibet scrupulus ambiguitatis remaneret, quia de incarnationis eius mysterio dixerit, statim post pauca subinfert; dabit ei Dominus Deus sedem dauid Patris eius. Secundum carnem videlicet, Dauid filius dictus est, non secundum diuinitatem. Habes igitur quomodo, de quo supra dixerat, quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei non adoptiuus, sed verus, non alienus, sed proprius, de eo subiecit. Dabit ei Dominus sedem Dauid Patris eius.* iterum col. 3. ait *Christum ex vtraque natura, & vnigenitum esse, & Primogenitum.* col. 6. *Hæc testimonia ideo posuimus, vt cognoscatis Deum, & Dominũ nostrum Iesum Christum in vtraque natura esse, & vnigenitum, & Primogenitum.* ac penult. col. *Corde credamus ad iustitiam, ore autem confiteamur ad salutem Dominum nostrum Iesum Christum verum Dei Filium, non putatiuum, proprium in vtraque natura, non adoptiuum,* Demum. col. vlt. *verum Deum, verumque Dei filium confiteamur in vtraque natura diuina scilicet, & humana.*

3 Pro huius dogmaticæ veritatis demonstratione vnica, tribus locis à Concilio, & Adriano, tripliciterque disposita, supponendum est filiationem adoptiuam, non veram, sed imitatiuam esse, & quæ cum filiatione naturali in eodem respectu eiusdem sit in compossibilis, *l. filius familias.* de adoption. l. *impuberem.* c. eodem titulo illis verbis *Adoptio est sic legalis actio, qua, qui mihi filius familias non est, sed Titio.* &c. instituta de Adoptionib. lib. 1. tit. 11. sic definitur *legitimus actus, per quem fit quis filius, qui filius non est pene naturam imitans.* Hilarius recitatus à Concil. Francfort. cit. epist. *& in ipso vsu nostro est adoptiuus Filius, & verus. Adoptiuum filium non dicimus naturæ esse, qui verus est filius.* Vnde Concilium concludit. *si verus filius, nequaquam adoptiuus quia adoptiuus, sicut in testimonio sancti Hilarij positum est non vere naturæ est filius.* Id quod notarunt olim Concilium Alexand. & Cyril. etiam Alex. & Concil. Epheſ. in 1. contra Nestorianos distinguentes filiationem in naturalem, & adoptiuam per vnionem veram, & non veram. Vnde Concil. Francfort, in sacrosyllabo ait *Abusiuè enim, & non essentialiter adoptiuus est filius dictus.* Ratio autem incompossibilitatis huius filiationis adoptiuæ cum naturali à priori insinuata satis est à Francofortd. Concil. in sacrosyllabo col. 6. dicente: *Omnis enim adoptatio ex affectione ducit vocabuli sui originem: vt si dicas: vtinam sis mihi in filium.* quæ explicatius repetit col. 7. ex quibus sic probatur præfata incompossibilitas. Adoptatio imbibit, vel supponit essentialiter desiderium, votum, ac optationem, vt sic loquar, coniungendi sibi aliquem in filium, siue loco filij ipsum substituendi: ergo adoptatio supponit adoptatum filium verum, & naturalem non fuisse, tum quia nulli desiderari, nullusque desiderare potest, quod ipse de se, ac independenter à desiderio habere cognoscitur: tum quia nemo in aliquo gradu potest esse sui ipsius substitutus.

4 Curiosior, quam opportunior disputatio nonnullis est: quonam filiatio adoptiua naturalem imitetur? communiusque definitur esse in iure hæreditario, siue ad bona alterius. Sed tamen siue intelligant ad bona omnia, siue ad aliqua nequit in bona Theologia consistere. Nam gratiæ adoptio non dat ius ad omnia bona Dei per illam adoptantis. Item Christum non constituit adoptiuum, & dat ius ad bona eadem, ad quæ alius præber. Tertio Spiritus sanctus adoptiuus filius non est, & habet ius ad omnia bona Dei. Consistit ergo imitatio hæc essentialiter in eo, quod affectu aliquid naturalis filiationis suppleatur in adoptato, vt naturæ similitudo, vel principij, seu Patris per illud coniunctio, sitque similitudo, & coniunctio hæc affectata, seu per affectum: quæ quidem in nobilissima adoptione nostri à Deo perfectissima est: cum sit per formam intrinsecam inhærentem, quæ simul est coniunctio affectiua obiectiua, & naturæ Dei adoptantis omniũ creatarum, quæ esse possunt, simillima participatio; sed de hoc alias latius, satisque dicta nunc sint, vt Doctoribus aliis, potius quam occasioni, & instituto præsenti morem geramus. Ad rem igitur sic ex ea suppositione certissima efformanda ratio dogmatis præsentis erit, vti ab Adriano, & Patribus Concilij Francfortdiensis fuit efformata.

5 Filius adoptiuus est solo affectu Filius, atque absolutè extraneus adoptanti: atque Christus *quatenus homo* substantiuè sumptus, siue *secundum humanitatem*, vel etiam adiectiuè sumptus, nunquam fuit, aut est solo affectu Filius, atque extraneus absolutè Patri Deo: ergo nunquam fuit, aut est Filius adoptiuus Dei adhuc secundum humanitatem, vel *qua homo*, siue adiectiuè, siue substantiuè sumptus. Maioris prima pars traditur à Francfortdiensi citato col. 7. *ex affectu quidem pars subrepit parui, vt in vtroque conueniat dilectionis affectio.* Secunda vero pars. col. 5. Sacrosyllabi. *Porro adoptiuus dici non potest nisi is, qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus.* atque Adrian. colum. 2. suæ epist. cit. *Adoptiuum eum, & non proprium Filium confitentur: quasi alienus aliquando à Patre fuerit, aut per carnis extra ab eo factus esset assumptionem.* Vtramque vero partem simul saris probauimus num. 3. breuique, ac dilucidè posuit Francfortdiense cit. epist. col. 16. *quid est adoptio? nisi charitatis copulatio, qua Pater sibi adoptione copulat Filium, quem proprium non habet?* Minor probata satis est q. 2. & authoritate, & ratione. Nam Christus substantiuè etiam sumptus *qua homo* nunquam non habuit filiationem naturalem Dei, qua verbum, atque humanitati communicatam, vt denominatiuè Filius naturalis Dei esset, vt vidimus q. 3. cert. 2. nunquam ergo fuit Deo Filius ex solo affectu, aut extraneus. Consequentia est legitima. Integrum vero discursum dedit Francofortd. cit. epist. col. 12. dicens. *Vnitas personæ, quæ est in Dei filio, & filio Virginis adoptionis tollit iniuriam.* multoque prius August. de Trinit. & vnit. Dei. c. 11. ad id Colos. 1. *in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*: ideò secundum corpus, & humanitatem, sic effatus: *sunt isti*, iusti, *Filij gratia, ille*, Christus, *natura: quia in istis participatio diuinitatis, in illo plenitudo.*

CERTAMEN III.

De fide est, humanitatem Christi adoptatam non esse: vbi futiles vtriusque impugnationes, & probationes aliquorum reiicio.

1 ET hanc conclusionem definitam ab Adriano, & Concilio Francofort. pluribus locis datis cum hac tum 1. 2. & 3. quæstionibus, eademque prorsus ratione probatam reor. Etenim humanitas Christi, nec solo affectu vnquam Dei filia, extraneaue Deo Patri fuit: cum nunquam non fuerit verbo hypostaticè vnita. Ergo nunquam fuit adoptiua, seu adoptata. Nec satis est, quod pro priori naturæ ad vnionem non intelligatur, sitve filia naturalis Dei, ac propria, vt habere censeatur extraneitatem sufficientem ad adoptionem, vt ex Durando nonnulli contendunt. Nam, vt sæpè monui oportet impedimentorum, quæ sui assistentia reali effectus alterius formales impediunt negationem absolutam pro instanti reali durationis pro priori naturæ ad effectus illos ab altera forma præstandos præsupponi. Obiicies Marium Victorin. 1. contra Candidum Arrian. pag. 6. t. 5. Biblioth. dicentem. *Nos adoptione filij, ille natura etiam, & quadam adoptione Filius, & Christus, sed secundum carnem.* Respondeo ex Vasq. num 90. illud *quadam adoptione* satis denotare non loqui Marium de adoptione absolutè tali, sicut de aliis dixerat, sed minus propriè loqui, vt significaret vnionem hipostaticam necessariam humanitati, seu Christo, *qua homini.* ad filiationem naturalem Dei denominatiuam à Dei gratia, ac beneficio fuisse profectam: quo naturalis hæc humanitatis, Christivè qua hominis filiatio denominatiua, ac non essentialis adoptioni per gratiam habitualem in aliis iustis exercitæ similis est. Nec aliud forte voluit Scotus supra.

2 Oppones rursus Hilarium. 2. de Trinit. post med. dicentem *Potestatis dignitas non amittitur, dum Carnis humilitas adoptatur*: ergo fatetur Hilarius carnem, siue humanitatem Christi fuisse adoptatam. S. Thom. quæst. 23. a. 4. ad 1. ac S. Bonau. Respondent Hilarium minus propriè, siue impropriè fuisse locutum, sicut nuper de Mario victorino dicebamus; sed certè ibi fundamentum textus dedit, secus textus Hilarij, quare sine Hilarij nota iniuriæ saltem solurio teneri non potest. Melius Vasq. cap. 15. num. 91. respondet eos codices mendosos esse: quia in aliis legitur *adoratur* pro *adoptatur* eaque lectio, & Hilarij contextui, & intento multo est conformior: quæ ni ita essent crederem minori mendo pro *adoptatur*, transcriptum ab aliquo *adoptatur.* Siquidem Hilarius vim adoptionis apprimè cognouit, vti ex eius testimonio dato cert. 2. Claret. Tertio obiicitur Irenæus. 3. aduers. hæres. dicens *Propter hoc verbum Dei homo: & qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus verbo Dei, vt adoptionem percipiens fiat filius Dei.* Respondet Feuardentius Irenæi Scholiastes ibi, ex quo Vasq. citato num. 90. Irenæum impropriè vsurpasse adoptionem sicut Marius Victorinus supra. Melius Soar. & Bernal. respondent Irenæum eo loco finem incarnationis designasse, vt scilicet homo, qui secundum gradum specificum nobis est communis, & Christo, provt in nobis, non provt in ipso, filationem Dei adoptiuam percipiens filius Dei fieret adoptiuus.

3 Multum hic Laboratur à Vasq. cap. 12. num. 68. Petro Hurtado d. 82. §. 34. Bernale. d. 65. à num. 4. in explicanda alia ratione Sacrosylabi columna 7. & 8. vbi dicitur: *quia sicut præfati sumus adoptiuus dici non potest, nisi, qui prius alienus est ab eo, à quo adoptari desiderat.* quam rationem in Ricardo. 3. d. 10. a. 2. q. 1. reprehendunt Vasquez, & Hurtado: quis in primo instanti suæ existentiæ potest quia adoptari à Deo, quin prius fuerit alienus, vt patet in B. Virgine, quæ nunquam fuit non filia Dei. Respondet Hurtado Concilium confutare errorem Elipandi, quod humanitas ante vnionem in vtero Virginis præexiterit aliena sed, neque is fuit error Elipandi, licet ad illum cogeretur à Patribus, vt vidimus, nec, si esset, bene impugnaretur: nam assumit probandum: scilicet, nunquam præexitisse alienam humanitatem, quod per te ab Elipando negabatur. Respondet Bernal. num. 8. si de diuina adoptione sit sermo, saltem prius natura debere adoptatum filium non esse; de humana vero prius etiam tempore. Contra: quia fœtus sororis, vel fratris potest ab homine adoptari: quo in casu vbi primum est erit Filius adoptiuus ipsius, quin prius tempore Filius non fuerit. Primum etiam est falsum: alioqui, cum humanitas Christi propriori naturæ ad vnionem filia Dei nullatenus fuerit ex ea parte potius coniungetur adoptiua, vel adoptata contra fidem. Sensus ergo argumenti est iuxta subiectam materiam humanitatis, & hominis Christi, qua talis nempe, pro duratione, qua naturalis filius non posse esse adoptiuum, quia impeditur adoptio assistentia reali in eadem duratione filiationis naturalis: quare oportere, vt Filius aliquando asseratur adoptiuus, quod assignetur quando non fuerit naturalis; quod in Christo, qua homine non inuenitur: cum semper eius humanitas, Verbo filio naturali fuerit vnita.

4 Præfixam conclusionem probat. S. Th. citato. a. 4. corp. & ad 3. quia filiatio quæuis suppositi competit non naturæ: suppositum autem Verbi filiationem naturalem continet impedientem adoptiuæ. Displicet ratio nostro Vasquio ferè argumentis, quibus eam in Gabriele reiiciebamus. Etenim nisi aliunde ostendatur pugna filiationis naturalis cum adoptiua respectu eiusdem eidem supposito duplex filiatio non aduersatur, vt patet in Christi filio Virginis, & Dei. Addeo an filiatio naturæ, an suppositi primario

primario competat sub lite esse potesse. Neque antiqui Philosophi, qui suppositum à natura singulari non distinguebant, adhuc formaliter dubitarunt filiationem, & generationem passiuam, & adoptionem naturæ singulari propriè competere. Nec postea sacrosyllabus dicens *assumpsit, non adoptauit carnem* idest humanitatem non suppositum. Nec video quid referat naturæ singulari, esse, vel non esse partem, aut produci dependenter in sui existentia ab vnione ad aliud (in quo ratio suppositi, vel eius negatio consistit) vt dicatur propriè, vel non dicatur propriè genita, & filia. Sed de hac re plura vide apud Petrum Hurtado §. 45. his confectari à non satis impugnata à Bernale. d. 55. lect. 3. à num. 22.

DISPVTATIO II.

De seruitute, subiectione, ac minoritate Christi, qua hominis, aut secundum humanitatem respectu Dei.

EX vnione humanitatis hypostatica ad verbum examinandum, est an formaliter impediatur in humanitate naturalis seruitus ipsius respectu Dei? an etiam subiectio, vt ab illius obedientia sit liber Christus, qua homo, & prorsus immunis? si autem subiectio hæc non impediatur, debeatque Christus, qua homo, Deo obedire, atque in hoc sit potestas coactiua, quæ nam præcepta Christo, qua homini, fuerint à Deo imposita erit discutiendum.

QVÆSTIO I.

De Christi qua huius *etiam* hominis *seruitute respectu Dei.*

AN Christus quatenus homo, vel secundum humanitatem stricte Dei seruus, ac propriè sit præsentis quæstionis materia est, & quidem adiectiuè sumpto homine liquet ex dictis seruum Dei esse Christum, qua hominem, minimà posse adhuc formaliter, & præcisè. Nam in habente humanitatem Christi sub conceptu communi seruitus hæc, quæ prædicato communi non competit, nisi ratione singularis determinati (cuius solum per se est produci, & seruari physicè à Deo, in quo eiusmodi seruitutis ius omnino fundatur) nequit conuenire, nisi hoc singulare habens humanitatem Christi nempè Verbi personalitas eam habeat seruitutem: quæ quidem ipsi cum re ipsa Deus sit prorsus repugnat quæstio ergo solum est de Christo, qua homine substantiuè sumpto, siue secundum humanitatem, vt re ipsa in Christo est: nam neque homini substantiuè sumpto in communi, & præcisè, neque humanitati præcisè in communi seruitus competit, nisi ratione singularis, in qua sit restat ergo, vt quæstio de Christo, qua hic homo substantiuè, siue secundum hanc humanitatem, vt re ipsa in Christo est, procedat, quo sensu agitata à Patribus, & scholasticis hactenus fuit.

CERTAMEN I.

Christus, qua hic homo, siue secundum humanitatem seruus propriè Dei nec est, nec dici sine fidei iniuria potest.

1 SEruitutem propriam sic Aristot. primo Politicor. cap. tertio post notata multa definit. *Quicunque enim sui ipsius non est secundum naturam, sed alterius, homo autem est, hic natura est seruus.* ac statim definit particulam illam *Alterius* his verbis. *Alterius autem homo est, qui possidetur homo existens.* Id est non pars eius, à quo possidetur, hominis, sed adæquatè diuersus. Quod amplius statim explicuit subdens. *Res vero possessa instrumentum ad acquirendum actiuum, & separatum.* scilicet à possessore. Cuius defectu hominis manus serua propriè ipsius non est, licet ei in omnibus ad nutum ministret. Clarius, ac breuius seruus est *viuens rationale, quod alterius simpliciter est, siue ab altero simpliciter possidetur.* Prima verba subiectum explicant seruitutis latius, quam *homo*: nam comprehendunt substantias creatas intellectuales omnes, etiam spirituales, *alterius est simpliciter*, vel *simpliciter possidetur* formam seruitutis, & terminum ipsius: quia relatiua seruitus est, declarat. Neque enim seruitus est dominium passiuum, quoad aliquas operas: quale patitur mercenarius respectu conductoris, cuius simpliciter non est seruus, nec eius Dominus conductor, sed operarum; sed simpliciter, & absolutè tale non operarum modo, sed substantiæ serui. Licet autem Aristoteles naturalem creaturarum rationalium seruitutem Dei non agnouerit, tam hanc, quam legalem ipsius definitio complectitur: quia altera alterius similis valde, etiam in sui principio est. Seruitus enim à seruando dicta est, sicut à seruitute dictum est seruire ex eo quippè, quod aliquis, vel producatur, vel seruetur ab alio, cum secus sine ipsius iniuria posset, in ipso seruitus; in illo dominium erga ipsum resultat. Hinc quia creata omnia rationalia ita à Deo producuntur, seruanturque, vt sine eorum iniuria non produci, ac non conseruari ab illo possent, in hoc dominium, in illis correlata seruitus necessario resultat. Cuius solius propterea dominium, & earum seruitus correlata naturalia dicuntur: nam quandiu naturam habent Deo debent seruationem, à quo in suo esse, & natura essentia sua necessario pendent, ac proinde illi soli natura sua debent seruitutem. Sed vero cum iusti belli iure captos hostes, sine eorum iniuria possimus occidere, cum secus illos seruando facimus, nostro beneficio seruantur: ex quo etiam naturalis instar in nobis dominium, in illis seruitus legis dispositione suboritur, quæ legalis proinde nominatur §. *ius autem* instituta de iure natur. illis verbis *Bella orta sunt, & captiuitates secutæ, & seruitutes.* Notant vero hic omnes; ac Bernal. seruitutes reliquas, vt peccati, & alias similes impropriè dictas seruitutes esse.

2 His positis Lugo, & Bernal. quæstionem hanc inter Catholicos totam de nomine censent: cum in re nequeat inter illos esse dissensio. Verum in re tanta aliter, quam Patrum, & Ecclesiæ vsus tulerit effari non leue, sed graue discrimen, crimenque fuerit. S. Thom. quæst. 20. a. 1. ad 2. & toto. a. 2. vbi Caiet. & Cabrera. §. 5. cum Thomistis aliis: item. q. 23. a. 4. ad 3. Bassol. in 3. d. 9. ad 1. Palud. d. 12. quæst. 2. opin. 3. dicto. 1. Soar. d. 44. sect. 1. 5. *Secunda opinio* antiquos alios posse mala consequentia in ducens, Valentia d. 1. q. 20. pun. vnico §. *Ratione autem solius naturæ.* Ragusa. t. 2. d. 26. a. 5. 1. Aluar. d. 64. num. 8. Lorca. d. 68. à num. 12. aliique Recentiores asserunt Christum quatenus hominem, siue secundum

humanitatem seruum Dei proprium esse; absolutè vero non esse ita dicendum, ne personas cum Nestorio videamur in Christo separare. Bernal. d. 58. sect. 2. §. 1. num. 28. & §. 4. num. 59. & 63. etiam absolutè Christum dici posse seruum ait, neque consequenter negari posse à Doctoribus præfatis admisso, vt admittendum constet, esse seruum propriè secundum humanitatem: qua in re consequentius illis discurrit. Contra Vasq. d. 80. tota eiusque individui assecla Luis. Torres, & Gaspar. Hurtado. Becan. cap. 16. quæst. 2. num. 10. Lugo d. 28. sect. 3. Granad. controu. 1. tract. 15. d. 2. num. 13. licet pede non satis firmo. Petrus Hurtado d. 68. sect. 2. §. 7. ac Petrus Vvadingo d. 13. dub. 7. num. 92. si attentè legatur, docent Christum neque secundum humanitatem seruum Dei proprium esse in eo solum à reliquis discrepat Vvadingo num. 80. quod duplicem propriam seruitutem, nec solum ab Aristotele, ac Doctoribus omnibus definitam, admittat. scilicet, aliam etiam, qua seruus, neque à filiatione, neque ab æqualitate honoris cum Domino excludatur: quæ, licet, definitione seruitutis ab omnibus recepta non contineatur, propria tamen est: cum sæpè in scriptura, & Patribus Christo tribuatur, sed non vidit attentè Adrianum, iam recitandum, qui eas scripturæ, & Patrum locutiones improprias expresè appellat, atque ab eis per metaphoram vsurpatas. Secundo constat quamuis aliam seruitutem eatenus talem dici, quatenus definitè ab Aristotele ac Theologis reliquis partem aliquam affert, refertvè similitudinem: quare, & impropriam esse, ac metaphoricam, vt percurrenti singulas, omnesque alias patebit.

4 Dicendum igitur est cum Doctoribus hisce Christum, adhuc quatenus hominem, siue secundum humanitatem, proprium seruum Dei non esse. Est conclusio Patrum, quos dabimus inferius, & Clithouæi in c. 23. Damasc. 3. de fide. Theodoreti adhuc Nestoriani impugnatione sexti Anathematismi Concilij Alexandrini: vbi docet posita vnione humanitatis ad Verbum, quam tunc negabat, humanitatem Dei seruitutem necessario exuisse. Nizetæ. 3. Thesauri. c. 38. num. 5. definita insuper fuit ab Adriano, & Concilio Francfort. contra Felicem, & Elipandum, qui Christo, qua homini, siue secundum humanitatem, cum adoptione appingebant seruitutem, vt ostendimus eius confessione recitata. d. 1. q. 1. aliisque Concilij Francfort. & Adriani testimoniis. Constatque ex Adriano citata epist. ad Episcop. Hisp. circa med. sic eos super hoc errore carpente: *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, vt adoptiuum eum Filium, quasi purum hominem calamitati humanæ subiectum, & (quod pudet dicere) seruum eum impij, & ingrati tantis beneficiis, liberatorem non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini queruli obtrectatores Deo odibiles illum seruum nuncupare, qui vos de seruitute diaboli liberauit? cui seruituti vos iterum nitimini perfidiæ sponte colla summittere? &c.* Francfort. ep. ad eosdem circa fin. *Intelligite in hac professione vestra duplicis diabolicæ fraudis latuisse dolos. Hoc est: vt vos, qui gratia baptismi redempti estis ab vnione Catholicæ, disiungeret Ecclesiæ, & schismatici erroris laqueo à via salutis æternæ retraheret, & gentibus* (Mahumetanis) *inter quas habitatis Christianæ fidei initia intercluderet. Dum, & Dominum nostrum Iesum Christum, quem Deum colimus, & adoramus seruum prædicatis, & adoptiuum.* Respondet Bernal. sect. 3. paragrapho primo errorem de seruitute Christi ab Historiographis in Elipando non notari: quare ab Adriano, & Concilio à quibus Elipandi errores damnati sunt, seruitutem non damnari. Sed quid historia opus est vbi ipsius adest confessio, ac tam aperta Adriani, & Concilij testimonia, in quibus durius de seruitute, quam de adoptione increpatur? quin contra adoptionem tertiam solum epistolæ partem duas vero contra seruitutem ab Adriano datas fatetur Bernal. §. 2. à quo per totam sectionem aliquam seruitutem Christo ab Elipando impactam probat. Respondet seruitutem Elipandi damnatam Nestorij fuisse, cum quo Christi personam diuidebat. Aft Elipandum Nestorianum non fuisse, sed vnam tantum in Christo agnouisse personam ostendimus. d. 1. q. 1. secundo: cum pro antecedenti ad impugnandam seruitutem Elipandi vnitatem personæ Christi Concilium, & Adrianus assumant, male arguerent, nisi ea vnitas ab Elipando concederetur, & sane ab ipso concedi præter hæc proxima illa Adriani verba suadent, *quasi purum hominem seruum eum*: idest: ac si purum hominem reputarent, quem Dei personam, ac non purum hominem fatentur.

4 Respondent tertio Aduersarij Elipandi errorem damnatum de seruitute peccati fuisse quia dicitur seruitus *calamitatis humanæ*: cum tamen seruitus naturalis, ac non peccati conditionis humanæ non non calamitatis sit. Secundo: quia Concilium in ea epistola ex eo, quod Adam seruus non fuerit natus, quia in peccato factus non est, infert. *Christus autem non fecit, ideo seruus non est peccati.* Ergo han seruitutem peccati negat, non naturalem, in qua Adamus natus citra dubium fuit. Tertio: quia ex 3. ad Hebræos. (vbi num. 3. Christus *amplioris gloriæ præ Moyse* dicitur, redditurque ratio num. 5. & 6. *Moyses quidem tanquam famulus fidelis fuit in tota domo eius; Christus vero tanquam Filius in domo sua.*) sic arguunt Patres Concilij contra Elipandum. *quomodo amplioris gloriæ, si seruus sicut, & Moyses, vel ex seruo adoptiuus?* scilicet, inquit Bernal. putabat Elipandus ex seruo peccati adoptatum Christum, sicut Moyses ex seruo in Filium filiæ Pharaonis fuit adoptatus. Quarto: quia Elipandus Christum dixit plane in sua confessione recitata. d. 1. q. 1. cert. 2. *captiuum.* sed tamen peior est cæteris solutio. Nam error hic apertus de seruitute peccati in Christo impudentissimus, neque eatenus, apud Hæreticos auditus, quomodo omnes Episcopos, præter Heterium, traheret? quomodo, & hunc, & Beatum sibi super eo repugnantes, damnandos à Galliæ, ac Germaniæ Episcopis speraret Elipandus? secundo ipse in sua confessione ait esse seruum sicut omnes sancti illis verbis: *quasi conformes sunt omnes sancti huic filio Dei secundum gratiam: & cum adoptiuo adoptiui, & cum seruulo seruuli.* At qui iustis, qua talibus, seruitus peccati non est, quæ solum adest illis, qui faciunt peccatum, iuxta Petrum à Concilio recitatum: ergo seruitus Christi, de qua Elipandus, non erat seruitus peccati. Tertio Adrianus cert. 2. referendus contendit Christum non esse seruum, quemadmodum Iob, Iacob, & Dauid iam iustus, qui serui peccati, non erant. Quarto Concilium loquitur expresse contra Elipandum de seruitute Christi respectu Dei Patris vt ex his patet. *Quid dicitis de Deo Patre, qui eum in baptismo etiam, & transfiguratione, quæ facta est in monte, Filium nominauit, non seruum.* Atqui seruitus peccati non est respectu Dei, sed peccati, vt patet: ergo seruitus Christi, de qua Elipandus, & Concilium non est seruitus peccati, sed Dei.

5 De hac igitur Moysis seruitute in domo Dei loquuntur Paulus, & Concilium, vt ex vtroque textu claret, dum ex eius denegatione amplioris præ illo in domo Dei gloriæ Christum ostendunt; quin extremis verbis allusio ad Moysis ex seruo adoptionem vllatenus fiat: sed solum consequentia notetur sæpè errore Elipandi, siue de adoptione, siue de seruitute Christi secundum humanitatem nempè: vel simul cum vnione seruum fuisse, vel præcessisse tempore humanitatem sine vnione, vt locus adoptioni, & seruituti ipsius daretur. Id autem, quo primo nitebantur aduersarij, de calamitate humana videant non esse adiunctam seruituti, sed adoptioni ab Adriano: & bene. Nam, licet respectu puri hominis adoptio fæliciras sit, respectu vero non puri hominis, sed Dei simul, calamitas esset, quæ Christum destrueret, personasque

personasque separaret, neque hominem illum relinqueret Deum. Illud de captiuitate dicitur ab Elipando de comprehensione Christi ad passionem, & mortem, sed quid, inquies, succensent Patres Magis Elipando de seruitute, quam de adoptione, si non loquitur de seruitute peccati? Respondeo: quia etiam respectu Dei indecentior est seruitus Christo, quam adoptio. Verum est, Adrianum, & Patres occasione huius Elipandinæ seruitutis omne seruitutis genus, de quo in scriptura fit mentio, ac non tropicè, seu metaphoricè à Christo Domino propulsasse, & seruitutem peccati, verbis secundo loco obiectis ex Concilij epistola. Deinde inferius legalem respectu creaturæ (hominis videlicet, aut Angeli) quarum omnium Dominus est. Seruitutem respectu Dei iure creationis, conditionisque humanæ, quam solam Elipandus Christo tribuebat, verbis à nobis datis num. 4. fine aliisque infra dandis. Vnde Adrianus sub epistolæ cit. finem concludit: *Opus namque eius (Christi) vt sit vnicus proprius, & dilectus Filius Dei, nostrum opus est, vt simus serui per conditionem, & Filij per gratiam.* Ac demum seruilem in operando conditionem, dum concil. citata epistol. *Seruum* eum à Prophetis dictum ait, *Non ex conditione seruitutis, sed ex humilitatis obedientia.* Atque Arrianus epistola sua *solum ob seruilis formæ conditionem*, impropriè nec in se, sed in Sanctis, qui ipsum præfigurabant.

6 His præclusa quartum, & quintum effugium Bernalis & aliorum manent, scilicet damnatas esse duas alias seruitutes ab Elipando assertas: alteram Spiritum seruitutis, qua ex coactione, & timore Deo obediret. quam damnatam fatemur; sed non solam, neque vt Felicis & Elipandi errorem, sed eius occasione. Hoc patet: nam seruiturem quam in sua confessione tribuebat Christo erat similis seruitute Sanctorum, qui non timoris Spiritu, sed Filiorum adoptiuorum amore clamant iuxta psalm. ad Rom. 8. *Abba Pater.* Secundo seruitutem Elipandi numquam hi Patres directo nisi ex vnitate personæ Verbi in Christo ratione vnionis humanitatis ad ipsum impugnant, vt cert. 2. videbimus. Altera soluto est damnari in Elipando legalem seruitutem respectu alicuius creaturæ, sed hoc etiam proximè præclusimus. Sexta solutio damnatam in Elipando fuisse seruitutem Christi qua hominis specificatiuè, non reduplicatiuè secundum humanitatem, vel quatenus homo subsantiuè provt dicit humanitatem in recto. Sed tamen cum eodem sensu, & acceptione asseratur ab Elipando de Christo seruitus, atque adoptio, vt patet ex eius confessione: damneturque ab Adriano, ex Concilio in Elipando, vt patet ex dictis, dicendisque, & ex totis epistolis, & sacrosyllabo: atque adoptio asseratur ab Elipando, damneturque à Concilio, & Adriano in Christo secundum humanitatem, seu quatenus homo subsantiuè acceptus est, asserta: eadem acceptione, & asserta ab Elipando, & damnata à Concilio fuit seruitus Christi, qua hominis subsantiuè, & secundum humanitatem reduplicatiuè. Accedit Adrianus post epistolæ medium, dicens: *Deus, & homo erat, qui secundum Deum dicebat, ego & Pater idem sumus, & secundum humanitatem Pater maior me est, & tamen non ait Pater Dominus meus est.* Ac versus fin. ex illo Patris, *Hic est Filius meus dilectus*: deducit non secundum diuinitatem dictum, sed secundum humanitatem, supra quam columba descendit, concluditque: *ipse vtique*, secundum humanitatem, *vnus, proprius, & dilectus, non seruus &c.* Deinde contra hanc seruitutem secundum humanitatem reduplicatiuè militant argumenta Adriani, & Francfortdiensis, vt cert. 2. constabit. Ac tandem cum prædicatione de Christo secundum humanitatem reduplicatiuè valeat argumentum ad eandem de Christo absolutè Bernale fatente, quare melius de eo, qua homine specificatiuè: si damnata seruitus de Christo homine, siue secundum humanitatem non est, neque de Christo, siue absolutè, siue qua homine specificatiuè damnata erit.

7 Vltima solutio sit, quam ex Valentia supra §. vlt. arripuit Bernal. vbi proximè: seruitutem in Elipando damnatam esse seruitutem naturalem, non secundum se, sed vt coniunctam adoptioni, vt in 2. part. epistolæ concludit Adrianus semper contra Elipandum ex psal. 8. vers. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, Sic: *Dominum igitur Angelorum &c. Vos dicitis seruum, & adoptiuum.* ex 2. ad Philip. *& omnis lingua confiteatur*; ita post med. epist. *& vestra lingua non confunditur seruum eum, & adoptiuum latrare.* Atque ex Matth. 3. & 17. *Hic est Filius meus*, concludit, *ipse vtique vnicus, proprius dilectus, & non seruus, & adoptiuus.* Verum Elipandus ipse hanc sui erroris interpretationem præclusisse, ac præcauisse in sua confessione videtur dicens. *Quasi conformes sunt omnes Sancti huic Filio Dei secundum gratiam, & cum adoptiuo adoptiui, & cum aduocato aduocati, & cum Christo Christi; & cum paruulo paruuli, & cum seruulo seruuli.* Vide quam seorsum ab adoptione Christo tribuat seruitutem. Ac inferius ait: *Hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, seruum, peregrinum;* Vbi non solum seruitutem adoptioni non coniunxit, sed ne huius quidem meminit, & Concilium Francfortd. sub epistolæ finem in errore Elipandi, ait: *Duplicis diabolicæ fraudis latuisse dolos dum Christum, & seruum prædicatis, & adoptiuum.* Ecce damnatum duplicem distinctum errorem, & adoptionis, & seruitutis. Ac post epistolæ medium. *Si ergo verus Deus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc adoptiuus esset, vel seruus.* vtrumque ergo diuisim in Elipando damnatur. Denique sæpè seorsum confutatur ab Adriano, & Francofortdiensi adoptio, seorsimque seruitus; atque hæc maiori stomacho quam illa, vt vidimus. Item seruitus cum indecentior Christo sit, alterius adiunctione ad sui damnationem non eget: quod autem quandoque in confutatione post singulatim explosas vtraque hæresis iungatur exiguo argumento est ad intentum. Nam potuit vterque error coniungi, vt coniunctim quam aberraret monstruosè proponeretur.

CERTAMEN II.

Rationibus Adriani, Francfortdiensis, aliorumque Patrum eadem veritas monstratur.

1 PRima Adriani ratio ab authoritate negatiua Scripturæ petita est. quia inquit, licet in eius vmbris Iob, Iacob, & Dauid, ita Christum Scriptura nominet: *Postquam autem*, ait cit. epist. *Cessauit vmbra veritatis, & ipsa inpromptu manifesta est veritas, quæ sub allegorica sylua latebat, nusquam eum à Patre seruum vocatum legimus; sed Filium.* Nec patitur etiam in aliorum personis, ni allegoricè, seruum, sicut *perram, leonem, & agnum* in veteri testamento dictum. Pergit: *Enim vero in ipso etiam articulo passionis, (in quo seruilis forma pati parata erat, Vbi omnis humanæ conditionis infirmitas monstrabatur) non eum Dominum appellauit, sed Patrem. Puter, inquit, si possibile est &c. quoniam magnum pietatis Sacramentum, quod apparuit in mundo, iuxta Paulum, assumptum est in gloria. Nullus vnquam Euangelistarum, nemo Apostolorum seruum eum commemorat; sed Dominum, & saluatorem.* Quæ duo seruituti opponit tanquam pugnantia cum illa. Ab eo edoctus Carolus M. epist. ad Elipandum apud Concil. Francford. confess. fid. ait. *In forma Dei (creator, in forma serui Redemptor.* Hoc argumentum magnam vim habet: nam in rebus tanti ponderis perpetuum Scripturæ de aliquo silentium haberi debet ipsius à Catholica doctrina exterminium; sicque ad ipsum silentium Scripturæ obseruatum ab Augustino fuit qu. 56. in Genes. licet addat non incongruenter potuisse, à Christo qua homine Dominum Deum dici: at hoc incongruenter non est idem ac propriè præcipuè respectu sui simili argumento ex silentio Scripturæ de Christi adoptione militabat Adrianus supra contra errorem de Christi adoptione. Contra hanc rationem obiiciunt nonnulli loca,

ex Matth. 11. & Ioann. 20. quæ potius Adriani, & Augustini obseruationem, & rationem continent, quam impugnent.

2 Ratio Adriani, & Concilij Francfortdiensi. & aliorum patrum similis illi est, quem contra adoptionem humanitatis Christi, ex ipsis efformabamus. Seruus proprius, vt naturalem ambit, & legalem debet esse alter adæquatè ab eo, cuius est seruus: constat ex definitione Aristotelis, & omnium à nobis data cert. 1. num. 1. atqui Christus non est adæquatè diuersus, seu alter à Patre Deo, adhuc secundum humanitatem: ergo Christus adhuc secundum humanitatem non est propriè seruus Dei. Minor probatur: Filius qua Filius pars Patris imo idem cum Patre est: atqui Christus adhuc secundum humanitatem, est naturalis Dei Filius, vt videbimus d. 1. quæst. 2. ergo Christus adhuc secundum humanitatem, est Dei pars, imo idem cum Deo. Confirmatur magis vnus est Filius cum Patre, quam vxor cum marito: ast vxor quia vnum cum marito nequit esse mariti serua: ergo multo minus esse poterit Filius seruus Patris. Maior suaderur. Vnitas vxoris cum marito ex matrimonij contractu, & affectu summa est quatenus in Filio, siue formaliter, siue radicaliter per se nimis, & carnis commixtionè idem, quasi vni tertio sunt ergo ratione vnitatis, quam habet quiuis eorum cum Filio inter se habent summam vnitatem: ergo strictior maiorque vnitas, siue identitas est Filij cum Patre & cum Matre, quam vtriusque inter se se. Patet nam *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis.* Minor autem est expressa Leonis pap. 1. epistola ad Rusticum cap. 4. *Non omnis mulier iuncta viro vxor est viri: nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt.* Est insuper omni iure constans. Authentica de Consulibus. §. *Si autem vxor.* collat. 4. leg. *Mulieres.* C. de dignitatibus l. 9. titul. 1. partita 2. libro 12. vbi ea de causa, & ob communicationem honoris æqualis cum marito declaratur vxorem mariti seruam esse non posse, vt ratione vrgebimus tertia. Ac demum ex veteri testamento constat seruam matrimonio cum domino liberam fieri.

3 Præfatum argumentum inculcat sæpè Concil. Francfortd. cit. epist. post med. *Si ergo verus Deus est, qui de Virgine natus est,* (vtique secundum humanitatem) *quomodo tunc potest esse adoptiuus, vel seruus?* Post pauca: *Credamus eum Dominum, & non seruum ipso dicente vos vocatis me Magister, & Domine: & benedictis: Sum etenim &c. & dum omnipotens Dei filius nostræ fragilitatis naturam in vnitate suæ personæ assumere voluit, vt esset mediator Dei, & hominum cur non debuit ex meliori Filiorum dignitate, & multo excellentiori nostram sibi in vnitate personæ sociare humanitatem? quatenus sua gloriosa, & propria nobilitate nostræ seruitutis redimeret ignobilitatem?* ac longè à med. Iuculentius: *Quid est aliud dicere eamdem Virginem adoptiuum, vel seruum genuisse,* (genuit autem secundum humanitatem) *nisi negare Deum illam genuisse? Si Deus generatus est, à Virgine, nequaquam adoptiuus, sed Filius: quia alia est persona personæ propriæ Filij alia adoptiui, vel serui.* Adrian. recitatis verbis cert. 1. num. 3. eodem argumentatur modo, dum ait adoptionem, & seruitutem Dei non nisi in purum hominem cadere posse, quod ipsum argumentum dedit sæpè Damascen. constanter Christum non esse propriè Dei seruum defendens 3. de fide cap. 21. *Illud quoque sciendum est, eum ne seruum quidem, dicere nobis licere,* & post pauca: *sanè seruilis ordinis esset caro, nisi Verbo Deo copulata esset; ast cum semel ei personaliter vnita est quonam pacto in seruilem classem redigeretur?* concluditque sub fin. *Si autem qui seruum eum dicunt, vnum Christum instar Nestorij in duos diuidunt.* quia cum vnitate personæ Filij hominis Christi seruitus consistere non potest, demum lib. 4 cap. 19. *Si quæ re vera disiungi nequeunt (hoc est carnem à Verbo, animo, & cogitatione distinxeris) & seruus, & ignarus dicitur: quia videlicet seruæ, & ignorationæ laborantis naturæ erat: ac nisi Caro Deo copulata fuisset seruia proculdubio, & ignorans extitisset. Verum ob personalem cum Deo Verbo vnionem id habuit, vt nec serua esse, neque in ignoratione versaretur: eoque factum est, vt Patrem Deum eum suum vocarit.* Sententiam, & discursum ferè transcripsit Nizeras 3. Thesaur. cap. 38. num 5.

4 Ex hac morali vnitate, atque identitate filij cum Patre, quam iure vnionis humanitas Christi cum Deo habet suboritur in ipsa honoris æqualitas, ferè in fede, ac dignitate, ob quam etiam vxor viri serua propriè esse non potest: cum de ratione serui sit inæqualitas in honore, vt Christus dominus expresse. luc. 17. his verbis: *quis vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso agro dicat illi: statim transi, & recumbe; & non dicit ei: para quod cœnem, & præcingere, & ministra mihi donec manducem, & bibam, & post hæc tu manducabis, & bibes.* Quod autem Christi humanitas habeat æqualitatem ferè honoris cum Deo ipso Deique Filio, cui vnitur, & aquo filia denominatiuè est videbimus controu. 6. d. vltima de adoratione. Nunc probatur ex eo, quod Dei nomen possideat, licet non iure identitatis, ast communicationis: vnde appellatur homo Christus ὁμόθεος à Naz. or. 42. 2. de Pascha te à Damasc. 4. de fide c. 19. id est *idem Deus,* non diuinus, sicut Regis vxor Regina imo, & humanitas addito *audacter* vocatur *simul Dea.* Luculentissime Fulgent. 3. ad Thasimund. c. 13. *qualiter autem homo ille potuit Dei nomen, nisi quoniam à Deo susceptus vnam possedit cum eo nominis dignitatem.* Consedit etiam Deo, qua homo, quod honoris fere æqualitatem seruo propriè Dei repugnantem ostendit qua de re Leo. M. Pas. serm. 1. de Ascens. Eleganter scribit: *Reuera magna erat, & ineffabilis causa gaudendi cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressa Angelicos ordines, & vltra Archangelorum altitudines eleuanda, nec vllis sublimitatibus, modum suæ promotionis habitura, nisi æterni Patris recepta confessu illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in filio.* Damascen. 4. de fide c. 2. *quo circa per paternæ dexteræ vocabulum nihil aliud significamus, quam diuinitatis honorem, atque gloriam, in qua cum Dei Filius, vt Deus, eiusdemque cum Patre substantiæ ante secula esset ad extremum incarnatus, corporeoque modo consedet: in eandem nimirum gloriam ascita ipsius carne vna etenim eademque cum sua carne adoratione ab omnibus rebus conditis afficitur.* consonat Cyril. Alex. Apolog. defens. anathematismi 8. reliquique Patres de adoratione humanitatis Christi. Præfit argumentum Francford. circa epistolæ finem datis verbis certam. 1. *Dum, & Dominum nostrum Iesum christum, quem Deum colimus, & adoramus, seruum prædicatis, & adoptiuum.* ac circa med. ex 3. ad Hebr *Amplioris gloriæ &c. quomodo amplioris gloriæ, si seruus, sicut & Moyses.* Adrianus è sua epistola recitatus num. 1. *quoniam magnum pietatis sacramentum, quod apparuit in mundo iuxta Paulum assumptum est in gloria.* ac vers. med. *Numquid docuerunt Patres Ecclesiæ eum seruum, vel adoptiuum prædicare? Cum vniuersalis Ecclesia Euangelicis, atque Apostolicis imbuta lucidissimis documentis, Deum, ac Dominum suum totis medullis cordis, tota animæ deuotione in dextera eum Patris profitetur sedentem* Chrysostomus homilia decimatertia, in epistol. ad Hebr. ad id: *Hoc enim semel fecit.* Sic ait; *ne putes eum sursum stare, vt ministrum esse ostendit, quia dispensationis res ista est: sicut enim seruus factus est, sic etiam minister. Sed sicut seruus factus minister non mansit seruus, sic & minister factus non mansit minister. Non enim ministri est sedere, sed stare.* Cyril. Alex. posit. Symboli Niss. circa med. *Accepit autem formam serui, vt liberis non seruus existens ad libertatis redijt gloriam, in similitudinem hominum factus est, qui in forma, & in Patris inæqualitate non homo,* (sicut puri alij) *existens, vt fieret in similitudinem Dei secundum participium* participationem, *locupletatus est.* Quod argumentum vim habet in Bernalis sententia, qui tandem æqualitatem in honore, & dignitate humanitatis cum Deo fatetur; in nostra autem qui non æqualitatem, sed ferè recognoscimus non habet exiguam: nam ius confessendi cum Domino cuiuis propriè seruo repugnat.

5 Quarta ratio quia cum dominium diuinum creationis iure Deo, qua Deus est, competat, ac seruitus correlata sit respectu Dei toti Trinitati, singulisque, & omnibus

omnibus eius personis, quibus æquè competit esse Deum, competet hominis, seu humanitatis Christi dominium, huicque seruitus respectu omnium, & singularum personarum Trinitatis: ergo Christus quatenus homo erit seruus sui ipsius, personaliter sumpti: ac rursus personaliter sumptus sui ipsius quatenus hominis Dominus. Atqui hoc pugnat eandem personam sui ipsius seruum propriè, ac dominum esse reiectum iampridem in Nestorio fuit à Concil. Alex. in epistola recepta, & approbata ab Ephesino (quæ est 10. Cyrilli Alex.) in confess. fid. & anathematismo 6. atque ab eodem Cyrillo in eius defensione, & lib. ad Euoptium, vbi acriter Nestorianas voces de Christo *infans, & infantis Dominus.* reprehendit Ergo Christus, qua homo, siue secundum humanitatem non est propriè Dei seruus. Debemus integrum argumentum Damasceno 3. de fide cap. 21. sic de humanitate loquenti post data verba num. 3. sub med. *Cum vnus christus sit sui ipsius, profecto, & seruus, & Dominus esse nequit. Hæc enim non ex eorum numero sunt, quæ simpliciter dicuntur, sed quæ cum aliquo conferuntur. Cuiusnam igitur seruus erit? Patrisne, ergo non omnia ea, quæ Pater habet Filij quoque sunt: siquidem Patris seruus est, sui autem minimè.* Licet autem Concilia, Alexandr. & Ephes. ac Cyrillus ibi hominem Christi eius Filium, Christumque hominis, seu infantis Dominum, ac Nestorij sensu, Deū etiam negant, concedant autem Patrē Christi Deum esse, quia in eo diuisionis personarum in Christo aberat, suspicio quæ erat in aliis primis adhuc Dominum appellare ausi non sunt quia idem aderat diuidendi personas in Christo periculum: quare nostro huic, & Damasceni argumento annuerunt. Nec refert ab his agi contra seruitutem hominis purè Nestorianam non contra seruitutem hominis simul Dei. Cum enim ex oppositio principio vnitatis personæ in Christo seruitutem à Christo qua homine relegent, eorum ratio seruitutem etiam non puri hominis exterminat: quare, & ab Adriano, & Francfordiensi ex eis fuit ratio desumpta: quia occasione alterius Elipandi errorem anticipato confutarunt veteres Patres, damnarūtque: non secus ac Bernal. qui ita respondit, aiebat, ab Elipando quidem adoptionem Christi, qua hominis non fuisse affertam, sed solum Nestorianismum suscitatum: huius tamen erroris occasione confutatam damnatamque ab Adriano, & Francfortdiensi fuisse adoptionem hominis simul Dei, siue nō puri: quia id etiam suis rationibus, ac testimoniis Patres isti egerunt. Demum sola Adriani, & Francfortdiensis Concilij authoritas adeo expresè damnans, ac impugnans Christi qua hominis, siue secundum humanitatem Verbo vnitam propriam seruitutem conclusionem certam, ac de fide satis superque faceret.

CERTAMEN III.

Oppositionibus obuiatur.

1 OPpones contra secundam, & tertiam rationem ex Bernale vnitas, seu identitas, vel physica, vel moralis filij cum Patre, & vxoris cum marito infert eorum in honore æqualitatem, repugnatque propriæ seruituti Filij respectu Patris, & vxoris, respectu mariti: ergo eadem vnitas repugnat propriæ seruituti Patris respectu filij: ergo duplici titulo Deipara immunis necessario est à propria seruitute respectu Dei. Probo hanc consequentiam: Deipara est sponsa Spiritus sancti, ergo æqualis honoris cum ipso. Item est mater vera filij Dei: ergo, si quid nostræ Patrum rationes valent, Maria Deipara ex duplici titulo serua Dei propriè non est, quod est erroneum. Respondetur titulum sponsæ Spiritus sancti proprium, & strictum non esse: cum matrimonium strictum cum Spiritu sancto, atque vnitatis strictæ sponsorum rationem non habuerit, nempè carnis seminisque commixtionem cum Spiritu sancto, qui sponsus Mariæ, licet non propriè, specialiter tamen dicitur, ad hominis Christi generationem sponsi vice supernaturaliter concurrit cum aliis etiam Trinitatis personis physicè, solus autem per appropriationem, titulus autem maternitatis filij Dei non vrget: quia, licet ab identitate, & à qualitate honoris filij cum Patre, ac repugnantia seruituris propriæ respectu Patris, valeat consequentia ad patrem respectu filij intelligi debet de Patre, qui filiationem naturalem ponit, non eius subiectum, scilicet humanitatem, quam Deipara posuit generatione; quanto vero errore consequentia admitteretur ostendemus, cum Theologiam diu à nobis meditatam de Maria Deipara scholasticam, Deo fauente edemus.

2 Ex veteri testamento opponi plura possunt, sed quod allegorico, metaphorico, nec proprio seruitutis sensu dicta testantur Adrianus, & Francfortdiens. ex nouo obijcies Matth. 11. *Confiteor tibi Pater: Domine cœli, & terræ,* id est omnium, qui, & in cœlo, & in terra sunt, vt interpretatur Athanas. orat. 3 contra Arrian. quare nunc in cœlis Dominus Pater erit, illeque qua homo seruus. Respondit Maldonatus ibi: *Obseruarunt Athanasius & Cyrillus interpunctionem inter nomen Patris, & Domini studiosè & significanter adhibitum: ne Deum non solum Patrem, sed etiam Dominum suum vocare videretur. Patrem enim non cœli, aut terræ.* instas ex Ioan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Si ergo sui, ac discipulorum Deum dicit cum horum Dominus Deus sit, & sui Dominum fatetur. Verum vt bene Damasc. 4. de fide, cap. 8. obseruat cum seorsim sui Patrem, & Deum dixerit diuersimodè suum, ac discipulorum, & Patrem, & Deum profitetur: quare illorum, non sui Dominum atque adoptiuum, vt ex eo loco Patres contra Arrium argumentantur. Tertio dices Matth. 12. de Christo explicari illud Isai. 42. *Ecce seruus meus suscipiam eum.* Sed hoc ita legunt 70. *seruus meus Iacob.* atque apud Math. vbi omittitur Iacob, legitur *Puer meus,* vt de ministro obsequentissimo, non stricto seruo in persona Christi dictum intelligas? licet in Iacobi qui eum præfigurabat persona seruitutis nomen cum proprietate retineatur iuxta Adriani, & Francfortdiensis explicationem testimoniorum veteris testamenti explicationem nostræ, ac suæ conclusioni aduersantium. Quarto oppones ad Philip. 2. *qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens:* ergo sicut diuinam, ita & seruilem naturam humanam filius accepit: Distinguo consequens cum Leone, & Augustino recitatis à Francfortdiensi formam seruilem, siue serui *actu seruum,* nego; *actu non seruum* concedo: quia filiatione naturali impediebatur seruitus. Quinto dices Matth. 4. Christum adorationem sibi ab ipso petenti diabolo respondisse: scriptum est enim *Dominum Deum tuum adorabis, & illi seruies,* ac præcipitium suadenti. *Non tentabis Dominum Deum tuum:* Ergo cum eis tanquam sibi dictis Christus vratur, Deum Dominum, seque ipsius seruum recognoscit. Sed opus non est, vt eis tanquam sibi dictis vratur Christus, sed aliis omnibus, vt ostendit dæmon non esse tentatam adorationem exhibendam. Sed esto vratur tanquam sibi dictis: non ideo dominium respectu Dei intelligi debet sed satis est absolutè respectu cæterorum An non posset dicere, *Dominus Pater produxit me,* etiam qua æternus est filius? imo sic in sapientia dicitur sæpè, vel formaliter, vel æquiualenter *Dominus possedit me, creauit me:* cum tamen respectu sapientiæ æternæ genitę Dominus non sit. Ratio est: quia nomine appellatiuo vndecumque sumatur, quis vti potest, cum aliquem sibi loquentem inducit non secus ac proprio. Vltimo opponunt ex 1. Corinth. 13. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, christus vero Dei;* sed his dominium, aut seruitus propria non denotatur: nam inter ea, quæ Corinthiorum dicuntur *Paulus, Apollo, & Cephas.* qui illorum serui non erant, numerantur, imo extremis verbis generationem æternam Christi qua verbum est, à Patre cuius qua tale, seruus non est, denotari plures autumant Patres.

Patrum

3 Patrum testimonia quædam, vt bene Lugo eorum sunt, qui Christum appellari posse seruum contendunt, quibus fere omnes aduersarij, qui absolutè talem dici posse non admittunt, sed solum cum addito secundum humanitatem respondere etiam tenentur, ex illis sunt Hieronym. ad locum Isai. 42 recitatum Cyrill. Alex. lib. ad Euoptium vbi de seruitute Verbi incarnati, quoad apparentiam solum, nec respectu Dei sed Cæsaris in solutione vectigalis loquitur, atque 6. de Trinit. vbi potius pro nobis, est his verbis: *quoniam autem secundum naturam est Deus, & Dominus permittit, & offensam, & ignobilitatem seruitutis excellentia gloriæ victam superari*: At offensa non est, si naturalis, & intima humanitati assumptæ foret, neque superari, nisi desertione humanitatis verbo posset. Est ergo seruitus hic ministerij, non conditionis. Ac infra *dispensationi secundum carnem ad breue tempus permisisse seruitutis modum; postea vero ad claritatem naturalis dominij rediisse*. Non esset autem permissio naturalis seruitutis, nec ea deposita ad dominium naturale reditus retenta humanitate. Ac tandem exposit. symbol. Nizæni circa med. aiebat. *Accepit autem formam serui vt liberi, non seruus existens*. Ex illis etiam est Athanas. serm. 3. contra Arrian. fol. 10. illud prouerb. 8. *Dominus creauit me*. De Christo explicans, & contra conclusionem difficilis nisi truncatè recitaretur, quare sola loci continui lectio solutio erit. Sic habet. *Qui cum filius Dei sit, & Deum habeat Patrem, cuius ipse est propria soboles: tamen per id tempus*, (quo factus homo apud nos fuit) *Deum non Patrem, sed & Dominum appellat; non quia seruus, sed quia serus speciem assumpserat; alioquin par erat, qui erat Verbum ex Patre, vt Deum Patrem suum appellauerit: id enim proprium est Filio erga Patrem. Cæterum ita cum veniisset ad opus Patris absoluendum, & speciem serui accepisset, conueniens fuerat, vt Patrem suum, & Dominum vocaret*. propter speciem, & ministerium: *Merito igitur, quia nos seruì, non ille, cum talis effectus est, quale; nos eramus, seruus appellatus*. Ex illis etiam est Naz. orat. 35. 1. de Filio. *Tu mihi contra illas ingratitudinis tuæ voces enumera has, videlicet: Deus meus & Deus vester. Maior creauit, fecit, sanctificauit. Seruum etiam, si lubet, & obedientem adiunge*. Sed hæc non sententiam, sed permissionem eius vocis continent: nec nisi secuta *obedientem* temperatam, vt non de propria seruitute intelligatur. In illis etiam numeratur Ambros. 5. de fide cap. 6. *Non igitur præiudicat, quod subiectus dicitur, cui non præindicat, quod seruus legitur*. quia filiatione, quidquid in proprietate earum vocum ignobilitatis est, aboletur, & euacuatur, vt nuper Cyrillus aiebat.

4 Difficilius obiiciuntur Athanas. orat. 3. contra Arrian. fol. 4. in hæc verba. *Quatenus in confesso est, & eum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit, siue seruus, hominis appelletur. Omnes enim istiusmodi vocatæ in ratione humanitatis benè, & propriè competunt, illaque omnia non substantiam verbi, sed hominem eum fuisse demonstrant*. Aug. ser. 78. de temp. *sed & seruum eum euidentissimè confitemur*. Chrysost. ser. 7. in ad Philip. 2. *formam serui accipiens*. scripsit, *sicut in forma Dei perfectus est Deus, ita in forma serui perfectus est seruus*. Verum Athanas. num. 3. ac superius Chrysost. etiam cert. 3. & August. sæpè in hac q. adeo expresse negant Christo adhuc qua homini seruitutem propriam, vt hic non eo sensu illam ipsi tribuere certissimum sit. Seruum igitur non in strictissima significatione, in qua nunc disputamus vsurpant; sed in alia vsitata etiam, & frequenti pro subiectione alicui debita: quam adeò inclamabant contra negantes Christo veram naturam creatam humanam, cuius creationis iure; licet filiatione naturali seruitus alia impediebatur; secus illa subiectionis, vt sequenti q. videbimus. sic Concilium Francford. citata epistola aiebat: *Seruum non ex conditione seruitutis, sed ex humilitatis obedientia nuncupatum*. Atque Adrianus reiectis vetereis testamenti testimoniis ait Ambrosium, aliosque Patres ita locutos; *Propter eos videlicet Hæreticos, qui phantasticum, aut etiam semiplenum Dominicum corpus sacrilego ore susurrabant*. Contra eos vero qui Christum hominem puram creaturam, vel cum Arrio, vel cum Nestorio dicebant, seruum stricta nostra significatione negabant: vt vnam Filij Dei increatam personam, qua naturalis seruitus iure creationis, & conseruationis alioqui fundanda impediretur, catholicè in Christo monstrarent.

5 Quid autem de Felice, & Elipando actum fuerit scire fortassis aueas. De Felice Ado Viennens. anno 792. hæc habet. *Synodus iterum facta contra supra dictam hæresim in Francoford. legatis Apostolicæ sedis præsidentibus Theophilacto, & Stephano Episcopis, & authoritate sanctorum Patrum conuictus, & damnatus est iterum Felix* (videlicet post Ratisponensis Concilij damnationem, fuæque apud Adrianum hæresis abiurationem, *perpetuoque exilio apud Lugdunum relegatus est. quem ferunt in ipso suo errore mortuum*. Elipandum vero resipuisse falsis coniecturis tradit Ambrosius Morus 13. histor. Hispan. cap. 26. Paulo firmioribus Mariana 7. de rebus Hispan. capite 8. Ioan. Auentinus vero historicè, nec coniecturaliter in suis Bocorum annalibus vbi hæc de Concilio Francford. *Tertio ibidem damnata est hæresis Feliciana, & Elipandina de adoptione filij Dei; omnesque subscripsere Sacerdotes. Elipando agnoscenti errorem venia data est, dignitas seruata*. Atque Lutrandus Subdiaconus Toletanus post Tucinensis Diaconus Epistola ad Regimundum Eliberatinum Episcopum reperta per nostrum eruditissimum Theologum Hieronymum de Higera in Bibliotheca Fuldensi sic scripsit. *Gratulor mihi, quod cum Toleto, vbi sub sanctissimo Præsule Bonito Toletano subdiaconus fui, in Italiam profiscerer aliquot historiæ libros mecum adsportaui; in quibus ordine erat collecta series multorum Hispaniæ Episcoporum; quos in hac bibliotheca reperi Fuldensi, vbi exulabat iussu, vt credo Caroli Magni Imperatoris ex Hispania allatos, quos, vt aiunt, illi obtulerat sanctissimus Elipandus Archiepiscopus Toletanus postquam illum erroris sui de adoptione Christi serio, & verè pœnituit*.

QVÆSTIO II.

De minoritate, & subiectione Christi respectu Dei.

DIXIMVS negationem propriæ seruitutis effectum esse secundarium filiationis diuinæ quæ è Filij naturalis Dei dignitate censetur, atque persona subsistit, qua seruitus propria vnitæ hypostathicæ humanitatis impediatur. Nunc autem examinamus an eadem vnitate personę filij Dei minoritas, & subiectio propria respectu Dei in Christo, siue secundum humanitatem, siue absolutè impediatur.

CERTAMEN I.

De minoritate, & subiectione Bassalatus.

1 DIco primo Christus qua homo, vel secundum humanitatem minor est Deo, ac omnibus Trinitatis personis est de fide Ioan. 14. 28. *Pater maior me est*. ad quæ August. 1. de Trinit. cap. 7. *Veritas autem ostendit secundum istum modum, etiam se ipso minorem Filium quomodo enim non seipso minor, qui semetipsum exinaniuit formam serui accipiens?* & paucis interea latis: *Est ergo Filius Deo Patri natura æqualis habitu minor: in forma enim serui quam accepit minor est Patre*. Concil. Tolet. 11. confess. fid. sub. med. *in hoc, quod homo minor est Patre, item maior, & minor se ipso credendus est. In forma enim Dei etiam ipse Filius se ipso maior est propter humanitatem assumptam: quia diuinitas maior est*, & post pauca. *Secundum formam Dei æqualis est Patri, & Spiritui sancto: quia nec Spiritus sanctus, Nec Deus Pater, sed sola filij persona susceptit carnem per quam minor esse creditur illis personis duabus*. obiicit Bernal. illud *qua homo* posse sumi specificatiuè æquè atque réduplica

duplicatiuè: atque specificatiuè quidem esse falsam, quia dicit personam in recto. respondet in hac, similibusque propositionibus sumi in sensu scripto, & dialectico: nempè reduplicatiuo: quasi specificatiua acceptio minus stricta, & dialectica foret. Melius ex nostra doctrina respondetur nomen *homo*, & substantiua absolutè prolata naturam in recto significare, & non suppositum, seu personam, vt suppositi Concil. Toletan. 11. post primum testimonium dicens: *Secundum diuinitatem, qua æqualis est Patri, & ipse, & Pater maior est homine, quem sola Filij persona suscepit*. vbi homo in recto humanitatem significat, est vero notandum: cum seipso maior, vel minor dicitur Christus addendum esse secundum diuinitatem maior, & secundum humanitatem minor: tum quia ita Augustinus, & Concilium Toletanum loquuntur: tum quia pronomen relatiuum se ex parte prædicati positum refert idemmet, ac secundum eandem rationem, secundum quam positum ex parte subiecti fuerit, vt ex Concilio Alexandrin. recitando certamine secundo, & ex bona grammatica liquet satis.

2 Maior est difficultas, an Christus absolutè, ac sine reduplicatione possit dici Patre minor; an saltem Deo minor, vel Spiritu sancto, seque ipso? de primo Vasq. disp. 80. cap. 1. Bernal. dist. 56. sectione 2. §. 1. Granados tract. 15. controuersia prima, disputatione prima, numero secundo: asserunt Christum absolutè dici posse Patre minorem. Negant vero Soarez disputatione 43. in præfatione §. 1. init. Lugo disputatione 28. numero 4. §. *Alij autem communiter*. quibus assentior. Probatur, quia nunquam Christus in Scriptura, aut Patribus minor absolutè dictus est, nisi cum addito secundum humanitatem, vel eius periphrasi. Probatur secundo, quia propositio, quæ in sensu proprio errorem continere potest, admittenda minimè est absolutè, sed solum cum explicatione, quæ omnem prorsus erroris occasionem, & amphibologiam depellat atqui Christus minor est Patre absolutè, ac sine addito *Secundum humanitatem*, vel eius periphrasi, in sensu proprio potest errorem continere: ergo absolutè, & sine præfato addito, vel eius periphrasi admittenda minime est. Minor quæ sola in discursu hoc probationem desiderat, suadetur. Quia licet minoritas positiua vox sit, tamen absolutè dicta de aliquo dicit absolutè negationem æqualitatis ipsius cum alio, quo dicitur ille minor: ergo sensus huius propositionis *Christus est minor Patre* absolutè ac sine addito dictæ hic erit: *Christus non est æqualis Patri*, siue *non habet æqualitatem cum Patre*. Atqui hic est Arrianorum error formalissimus: ergo ea propositio in sensu proprio potest errorem continere.

3 Dicendum est tertio: Christus Deo, Spiritu sancto, seque ipso minor dici absolutè nequit. Huic conclusioni neminem video repugare. Miror autem eos, qui secundæ conclusioni repugnant, huic tertiæ non contradicere: cum altera alteri necessaria consequentia connexa sit: nam ex Patre ad Deum, & Spiritum sanctum, ac Filium, valet in hac re consequentia. Eædem sunt conclusionis huius probationes, quæ pro secunda. Prima quia nusquam apud Scripturam, & Patres eiusmodi propositiones inuenientur. Secunda: quia in sensu proprio continere Arrianismum possunt: ast dices contra vtramque conclusionem primo Ioan. 14. 28 absolutè de se dixisse Christum *Maior me est Pater*. sine addito *secundum humanitatem*. Respondeo dixisse tamen sine illius additi periphrasi: sic enim textus habet: *Si diligeretis me gauderetis vtique quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est*. Ast ad Patrem non vadebat, qua Deus, siue secundum Deitatem, secundum quam numquam à Patre recessit vllo sensu, sed secundum humanitatem, vt benè Adrianus supra pro filiatione naturali Christi secundum humanitatem contra Elipandum ex hoc loco arguebat disp. 1. q. 2. cui ibidem Francfordienses Patres consonabant. Dices secundo contra rationem. Subiectio, & inferioritas, dicit etiam negationem æqualitatis cum eo, cui aliquis inferior, & subiectus est, & tamen admitti debet Christum inferiorem subiectumque Patri, ac Deo esse absolutè: ergo, & absolutè admitti debet esse Patre, ac Deo Christum minorem. Respondetur negando maiorem (quidquid sit de minori, de qua cert. sequenti.) Nam subiectio, & inferioritas solum dicit existentiam inferioris, & subiecti in loco inferioris, siue spatij, siue dignitatis, aut potestatis, quod absolutè potest competere eidem, quia sit in superiori etiam; vt patet in eo, qui duplicem præsentiam in loco inferiori vnam, in superiori aliam haberet. Tandem dicas quæcunque de Christo secundum humanitatem dicuntur dici per nos absolutè de Christo possunt: sed intelligendum est, quoties non continent negationem prædicatorum, quæ Christo absolutè competunt, licet ratione alterius naturæ.

4 Dico quarto Christus neque absolutè, neque cum addito, *quatenus homo*, vel *secundum humanitatem*, dicendus est, Dei Patris, aut alterius, vel omnium personarum Trinitatis Bassallus, eovè sensu illis subditus, vel subiectus. Hanc conclusionem Scholastici quos viderint, nec docent in terminis, nec disputant, qui tamen seruum Dei propriè secundum humanitatem Christum asserunt Bassallum etiam Dei, in quo minor, minusque sonans indecentia est asserere non dubitabunt. Ob eamque causam nescio an omnes, qui seruituti propriæ succensent, æquè sint eius Bassallatum proprium Christi respectu Dei execraturi. Mihi tamen æquè ferè bassallatus, ac seruitus propria Christi secundum humanitatem stomachum mouet. Licet enim ab authoritate, atque Ecclesiæ definitione, quæ nullibi de hac extat adeo certa conclusio nostra non sit: quia neque hactenus expressis terminis, ab vllo hæretico dictum, neque in Ecclesia disputatum. Censeo tamen æque, ac seruitutem propriam Christi secundum humanitatem damnandum ab Ecclesia bassallatum, eisdemque scripturæ testimoniis, & rationibus. Etenim non minus distingui adæquarè debet bassallus à Principè suo; quam seruus à Domino: licet non æquè ignobilis bassallatus forma, ac propriè seruitutis forma sit: atqui Christus secundum humanitatem Filius naturalis Dei cum sit ex datis scripturæ, & Patrum testimoniis habet vnitatem, & identitatem cum Deo Patre, quam q. 1. expendebamus cert. 2. ergo nequit esse adhuc secundum humanitatem Dei bassalus. Confirmatur: quia nec Filius naturalis Regis, neque Filius vxor Regina in bassallatu sunt respectu Patris, & Mariti Regis.

CERTAMEN II.

De subiectione Christi respectu Dei.

1 AGimus iam, de subiectione, quæ nec seruitutis, nec bassallus sit, sed sine minoris decentiæ Filio naturali, indigna nota de qua dicendum est primo: Christum secundum humanitatem Deo, tribusque personis Trinitatis subditum, subiectumque, atque inferiorem esse, vt eius, earumque præceptis debeat obedire. Etenim minoris dignitatis secundum humanitatem quam Deus, ac Trinitas est etiam, vt filia naturalis Dei denominatiuè: neque filiatio aufert humanitati dependentiam à Deo in esse, & conseruari: quare licet, nec seruus nec Bassallus Dei, Totiusque Trinitatis secundum humanitatem Christus sit: quia ea naturalis filiatio non compatitur; ast obediendi, præceptis obligationem, quæ in filiis etiam locum habet, nequit humanitas Christi, siue Christus, qua homo iure filiationis exuere. Est veritas Catholica Patribus, & Scholasticis in confesso: vt videre est in epist. Concilij Alexandr. quæ est decima

Cyrilli eamque fusè probat Damasc. lib. de duabus Christi voluntatibus contra Monothelitas. Nec refert eundem 4. de fid.c.59.dixisse: *Neque, vt Deus, nec vt homo à Patre vnquam desertus est*, nolens, *nec peccatum, nec maledictum factus est: nec Patri subiici necesse habuit*; intellige violenter, & coactè, vt sequentia hæc ostendunt: *qua autem homo nunquam contumax fuit, vt ei subiectione sit opus.* vt benè obseruauit Vasq. vbi proximè n.5. ex Naz. orat. 36. 4. de Theologia post n. 14. minoris adhuc refert profundius illud 1. Cor. 15. num. 28. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc, & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* qua si ante iudicij diem Christus Deo subiectus non fuerit. Soar. d. sect. & §. vltimis id intelligit, non de subiectione noua Christi, sed de vocatione soli Deo peracta Ecclesiæ redemptione, & gubernatione, traditaque Deo in beatitudinem, qui finis suarum actionum fuit. Dixerat enim Paulus. *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis*: Nam licet meritoria beatitatis actio Christi pro Ecclesia fuerit; est solius Dei, vt Deus, donatio est quare Christi qua hominis merita, quibus omnes subiecit, ad eam donationem mouent Deum, non autem efficiunt; sed opus habent Soarius explicare quonam ea subiectio Christi tunc futura perficienda sit.

2 Vasq. num. 6. docet, non fore nouam Ecclesiæ traditionem, sed publicationem, per publicam regni, siue parte Ecclesiæ traditionem in iudicis die; vt enim reprobo iam diu sub dæmonis ditione habitos solemniori actu cunctos dæmoni tradet: ita etiã, & Deo iustos, suamque coronam in subiectionis signum coram demittet. Quadrat in textum explicatio hæc ex August. Theophilacto: dictumque à paulo fuit, ne quis omnium dominatu superbum Christum putaret aduersus patrem reuelaturum, sicut de Ioue contra Saturnum Patrem gentium fabellæ narrabant: Paulo aliter Bernal. ait significare ipsius humanitatis subiectionem antiquam continuandam, tunc etiam in adeo superba fortuna totius mundi ipsi Patris Dei potentia, & gratia, volentibus pluribus, nolentibus aliis, tandem subiugati, quin subiugationem antiquam detrectet. Aliam tertiam explicationem magis probauerat immediatè Vasq. & Naz. orat. 36. 4. de theolog. post num. 14. in id Luc. 1. *& regni eius non erit finis.* Nempè prædestinatorum, quorum aliqui ante illum diem subiecti non fuerant, subiectionem tunc faciendam: in quibus tanquam in membris Christus subiicietur. Consonat Nyssenus cum orgine dicens: *Ecclesiæ enim subiectio Christi subiectio est.*

3 Dicendum est secundo simpliciter, & absolutè potest dici Christus subiectus Deo, ac Patri, Spiritui S. respectu autem filij non nisi cum addito *secundum humanitatem*, respectu autem sui ipsius cum duplici addito: subiectus secundum humanitatem sibi secundum diuinitatem dici debet. Prima pars est. S.Th. 3. p.q. 20. art. 1. ad 1. dicens conuenientius esse asserere, Deo subiectum esse Christum secundum humanitatem quam sine addito: quibus supponit sine addito esse conueniens. Maximè cum error Arrianus de inferioritate, & subiectione Christi secundum se totum respectu Dei, ob quod vitandum conuenientius cum addito dicebatur, tandiu cessarit, atque cum illo disconuenientiæ in propositione absoluta periculum: sicut, & in hac Christus est creatura, quæ iam est communis, vigenreque Arrianismo sine addito secundum humanitatem erat vitanda: atque ita expressè asserunt Vasq. Soar. Lugo locis citatis 1. q. vlt. ac Bernal. d. 57. sect. 1. §. 1. n. 5. Ratio est: quia quæcumque Christo secundum alteram naturam competunt, neque aliis contradicunt, quæ ipsi competunt secundum aliam absolutè de illo dici queunt: vt esse creaturam. Secunda pars respectu filij probatur: quia sono tenus diuidit Christi personam *Verbumque* asserere videtur cum Nestorio *infantis Deum*, nisi cum addito propositio efferatur: Tertiæ partis ratio est: quia relatiuum *sui, sibi, se*, refert idem ipsum, quod præcessit: quare si absolutè dicatur Christus sibi subiectus est, totus Christus subiectus dicetur, si autem secundum humanitatem subiectus sibi dicatur, secundum humanitatem sibi subiectus denotabitur, secundum eandem, nisi addatur aliud secundum diuinitatem sibi subiectus secundum humanitatem est; Satis hæc cauta à Concil. Alex. sunt epist. ad Nestor. 10. Cyril. propè med. apud. Ephes. 1. his verbis. *Sed neque Dei Patris verbum Christi Deum, aut Dominum nominamus: ne vnum rursus Christum, & Filium, & Dominum in duos apertè diuellentes in blasphemiæ crimen (vtpote Deum ipsum sui ipsius constituentes) incidamus: Verbum enim Dei, vt sæpè iam admonuimus, carni secundum hypostasim vnitum, & Deus est creaturarum omnium Dominus: sui autem ipsius, neque Dominus, neque seruus est. Ita enim sapere, aut dicere nil aliud est, quam impiè desipere: appellat quidem Patrem Deum suum, licet Dei verbum Deus sit, & ex paterna substantia genitum: non ignoramus tamen cum ipso quod Deus est, hominem quoque factum esse: proindeque secundum legem humanæ naturæ congruentem Deo subiectum esse. Interim, vt sui ipsius, vel Deus, vel Dominus sit, id fieri nulla ratione potest: vt homo igitur, ad exinanitionis conditionem, quod spectat æquè ac nos Deo se subditum fatetur. Ad hunc quoque modum sub lege factus prædicatur.*

4 Dices subditus ligari potest superioris præceptis: atqui Christus Dei præceptis, etiam qua homo ligari non potuit: ergo adhuc qua homo, subditus Dei, subiectusve Christus non fuit. Probatur minor, quia ex 1. ad Thimoth. 19. *iusto lex posita non est*, quæ ad Galatas 3. 19. *Propter transgressiones posita*, dicitur. Cuius ratio est, quia lex, siue præceptum continet peccati comminationem, nisi obseruetur: Christo autem iusto, etiam qua homini, pecccatum est impossibile, quare, & præcepti obligatio, & comminatio peccati. Negatur tamen minor. Ad probationem ex Paulo loquitur de lege veteri, quatenus id, quod naturalis iubebat: quæ imposita fuit, quia omnes naturalem transgrediebantur: Si qui autem iusti erant, cum sine lege alia naturalem obseruarent, pro ipsis posita lex vetus non fuit, quæ lata est pro transgressoribus. Comminatio item peccati nisi lex, vel præceptum obseruetur in lege non continetur, licet nisi obseruetur incurratur peccatum quod est eius transgressio; sed'esto contineatur: cum conditionata sit communicatio potest esse sub conditione impossibili, & quæ in hoc casu non pugnet cum absolutè antecedenti Christi impeccabilitate. Instas: Præceptum natura sua practicum est, & directiuum operis, quod vel posset omitti, vel aliter fieri: at Christus ratione impeccabilitatis nequit opus præceptum, vel aliter facere, vel committere: ergo neque ad illum potest dirigi præceptum: distinguo vltimam partem maioris: *Quod vel potest omitti, vel aliter fieri posito præcepto*, nego maiorem, *non posito*, concedo maiorem. Potuit autem Christus sine impeccabilitatis antecedentis præiudicio opus præceptum, vel aliter facere, vel omittere præcepto non posito. Sed instabis; agnita Dei voluntate de opere à se præstando non posset Christus non illud exequi etiam non posito præcepto, ergo non potuit ad ipsum dirigi præceptum iuxta nostram solutionem; item imprudenter præciperetur Christo à Deo quod alias sine præcepto præstandum à Christo nouerat. Resp. distinguendo antecedens. voluntati Dei efficaci est verum; sed implicat in terminis: nam hæc cognita ac reuelata est præceptum Dei Christo intimatum: si non sit voluntate Dei efficaci, sed complacentiæ poterat opus omittere; sed esto non posset tamen sine præcepto non illud præstaret ex formali obedientiæ virtute, & intrinseca laudabilitate, & merito excutionis: quare neganda est consequentia: nam aliter sine præcepto opus præstaret, neganda item secunda; prudenter enim superior præcipit subdito, quod alias futurum nouit, vti illud ex obedientiæ etiam virtute exequatur, vt quotidiè videmus.

QVÆSTIO III.

Quænam præcepta Christus à Deo habuerit.

Hic non solum de præceptis positiuis Dei, sed & naturalibus agemus: quæ licet propriè imposita à Deo non sint, sed solum quatenus naturæ rationalis à qua dictantur, est conditor, tamen in eis dictamina naturæ rationalis creatæ imitationes, & participationes sunt diuinorum. Primo ergo agemus de præceptis naturalibus, quæ Christus homo habuerit præsertim de morte pro hominibus obeunda: secundo an saltem rei huius habuerit præceptum diuinum. Tertio demum: an de omnibus aliis præceptum diuinum habuerit.

CERTAMEN I.

Præcepta naturalia omnia habuit Christus, qua homo, non tamen mortis pro hominibus, aliter etiam non redimendis.

1 Christum Dominum qua hominem, teneri præceptis naturalibus non mentiendi, non peierandi, & similibus, atque vniuersim non faciendi quidquid intrinsecè malum est controuersiæ, ac disputatione non patet: eis quippè, non qua homo solum, sed qua Deus tenetur. Cùm enim naturalia præcepta solum dicant dictamen rationis naturalis, non autem ordinem ad superiorem præcipientem, vt controu. de legibus dicebamus: licet Deus supremus omnium Dominus sit, nullique possit esse subiectus: eo præcisè, quod rationis rectum, imo perfectissimum dictamen habeat, eis naturalibus præceptis tenetur: qua peroratione Deus in naturali lege, præceptisque dispensare queat, quin dispensatio obligationi, quam Deus habet se conformandi legi naturali aduersetur, diximus controuersia eadem. Tota ergo de præceptis naturalibus difficultas respectu Christi qua hominis in eo stat, an scilicet habuerit absolutè præceptum naturale mortis pro hominum redemptione obeundæ? saltemvè ex suppositione quod aliter redimi homines non possent: Soar. disputatione 46. sectione 3. Ragusa t. 2. disputatione 14. §. *Quæri vero non immerito*, docent absolutè eiusmodi naturale præceptum habuisse, qua hominem Christum. Bernal. disputatione 57. sectione 4. §. 2. licet eis non omnino consentiat; ast ex suppositione, quod aliter homines redimendi non forent censet Christum, qua hominem præcepto naturali obeundæ pro eorum redemptione mortis obnoxium fuisse.

2 Dico primo Christus non habuit præceptum naturale moriendi est Bartolom. Medinæ 3. part. quæst. 43. articul. 2. conclus. 1. Petri Hurtado disp. 77. sect. 4. aliorumque apud ipsum Recentiorum, Bernal. vbi proximè. Ratio facilis: quia nemo ex vlla virtute tenetur cum propriæ vitæ dispendio summum alterum, vel damnum reparare, vel bonum prouidere, quod alias reparari, vel, prouideri potest sine illo: atqui redemptio hominum à peccatis, eorumque in salutem, ac supremam beatitatem assertio, sine vitæ Christi dispendio peragi poterat: ergo, nec tenebatur Christus homines reparare, atque in beatitudinem vindicare propriæ vitæ dispendio: quare neque pro illis mortem oppetere. Minor est perspicua: nam poterat Deus peccata gratuito remittere, gratiam infundere beatitudineque homines donare, vel ea omnia ob cuiusuis actus meritorij Christi titulum præstare, quin morti se Christus traderet: cum minutulo cuiusvis Christi actui meritum adsit infinitum; id autem Isai. 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum.* conditionem non ex necessitate redemptionis, sed liberè adhibitam continet; acquid sub ea faciendum erat, non autem sine illa faciendum non esse ostendit: quod autem Cyrill. Alex. 1. de recta fide ad Reginas tit. *quod mors Christi salutaris fuerit.* Proclus Zizicenus hom. de Christi natiuitate tract. vel pagina 6. Concilij Ephes. Leo. 1. sermone de Christi transfiguratione ad id *Bonum est nos hic esse.* & sermone 1. de passione Pseudo Cyprian. libro de Cardinalibus Christi operibus, dicant hominum peccatis nullum nisi in Christi morte remedium esse posse ex vi præsentis decreti non aliter redimendi, saluandique homines, quod posterius natura incarnatione, atque acceptatione præcepti à Christo de morte obeunda fuit: etenim, vt diximus controuersia prima decretum incarnationis non fuit ex fine redimendi homines per merita Christi efficaciter ab solutè intento, sed inefficaciter solum, vel vt summum efficaciter conditionatè.

3 Dico secundo: nec si aliter homines redimi, saluarique non possent teneretur Christus naturali præcepto mortis subeundæ. Ita Hurtado, & Medina citatis est tamen contra Bernalem etiam proximè probauit conclusionem Medina: quia æstimabilius pro minus æstimabili perdere nemo iure naturæ tenetur: atqui Christi vita salute, & beatitudine nostra æstimabilior est: ergo nullo naturæ iure pro eis tenebatur Christus vitam ponere: impugnat Hurtado: quia inde inferretur Christum pro eis non fudisse quidem vitam, sed prodigè profudisse, nisi ad id teneretur. sed se impugnat, & malè quia multa nobis prætiosiora quam sit alienum peccati malum, possumus sine prodigalitate perdere, vt vitetur peccatum alienum, quin ad id iure naturæ teneamur; maximè cum ex motiuo Charitatis Dei præstatur, in cuius obsequium vitam fundere, etiam non sine alio fructu non profusio, sed curta pietatis debitæ professio est. Negat secundo minorem: quia quod amittitur Christi morte, est vnio animæ cum corpore non autem vtriusque ad verbum, quæ sola æstimabilior est malo peccati alieni. Impugnat solutionem Bernal. quia vnio hypostatica est totius compositi immediatè non partium, quæ proinde cum composito perit. Sed supponit falsum impugnatio, vt vidimus controuersia prima: melius impugnaret: quia pereunte vnione animæ, & corporis, periret vnio ipsius hypostatica, quod probabilius asseritur. Impugnat secundo melius quia quidquid de hoc sit vita illa quæ ponenda est vita erat Dei, quare & æstimabilior. Secundo maiorem Hurtado distinguit, quam de propria, & absoluta æstimabilioris perditione, scilicet in perpetuum, concedit, de impropria, & ad tempus, qualis fuit vitæ Christi perditio, negat & inde consequentiam, sed certè nisi vita perdita Christi pro nostris malis ad tempus solum æstimabilior illis sit non erit superabundans redemptio; si autem, neque æquè æstimabilis (quod satis ad argumentum esset) non erit redemptio sufficiens contra fidei dogmata. Quarto respondet Bernal. posse æstimabilioris iacturam à Deo; ad inæstimabilioris lucrum ordinari: quare, & à nobis, ac Christo maximè, si in eo Dei voluntati conformetur; sed nulla solutio. Non enim dubitatur an posset maximè posita Dei voluntare efficaci: solumque contendit Medina non deberi iure naturæ: quare eius ratio post tot tentatas solutiones perstat.

4 Hurtado specialiter probat: quia Christus iudex hominum omnium erat à Deo constitutus: sed iudex non tenetur vllo naturæ iure delin-

quentes liberare,ergo nec Christus, homines peccatores.Impugnat Bern.quia iudiciaria potestas in homines, non nisi post mortem data Christo fuit:nam rediuiuus primum dixit Matth. vlt. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Sed fallitur: nam hic locus non est adeo specialis de iudiciaria potestate; atque ille ante mortem ab ipso dictus *Omne iudicium dedit Filio quia filius hominis est.* Neque in primo tempus donationis designat illud ipsum,quo loquitur. Respondet secundo:non liberare à miseria peccati homines,cum id præstari potest, intrinsece esse malum, & quod in Deo sine culpa cuenire sola fide creditur: quare iudiciariam potestatem Christo communicari à Deo cum potestate non liberandi peccatores licitè non potuisse, quod secus habet in iudiciaria potestate humana, quæ sola ad punitionem delictorum data est. Sed contra: quia si intrinsecè malum est non liberare delinquentem à miseria eum qui potest, nequit esse de fide licitum id Deo esse. Secundo id non sola fide, sed naturali ratione ostenditur Deo licere ex iudiciaria suprema potestate.Nam de ratione potestatis iudiciariæ, est licitè posse nocentes punire. Vnde constat rursus non esse intrinsecè malum non liberari reum à iudice à quo posset, si iuxta merita puniat. Melius impugnatur:quia potestas iudiciaria Christi solum est circa bonum, vel malum vsum gratiæ redemptionis ab ipso paratæ hominibus iudicandis: quare propriori naturæ ad redemptionem ipsam supponi debet titulus, ob quem licitè possit non redimere, quos redimit, qui nequit esse iudiciariæ potestatis vsus, qui non nisi post illam, & bonum, vel malum gratiæ vsum esse potest.

5 Solida ergo Medinæ ratio est ad redemptionem siue satisfactionem Christi pro hominibus re etiam oblata, quam controu. de merito, & satisfactione statuemus. Secundo probo conclusionem vniuersim, quia neque titulo charitatis erga Deum tenetur Christus vitam pro liberandis hominibus à peccato profundere: eum Dei nil referat nationes omnes saluari, vel perire teste Iob: quare nisi Dei voluntas efficax supponatur, quæ intimata præceptum est, ex Dei charitate nulla esse obligatio potest: tunc autem iure naturæ non erit; sed nec ex charitate, aut misericordia erga homines potest obligatio consistere; hi enim tituli solum vrgent in casu extremæ necessitatis, in quo transeunt ad titulum iustitiæ, quæ aliorum bona extremè indigentis faciunt: Atqui hic titulus non potuit Christum vrgere. Nulla quippè quantumuis extrema necessitas dat ius indigentibus ad vitam alterius effundendam, vt ipsis succurratur. Vnde nec bonum reipublicæ commune delinquentes obligat,etiam perditissimos,vt morte non fugiant si possint, ac proinde licitè fugiunt, atq; à propinquis occultantur. Hinc vt optimè de republica meriti laudantur, qui pro ipsius commodo, aut libertate, se vltro morti tradiderunt: quia nulla obligatione, soloque patriæ amore tantum facinus peregerint: ius ergo in alterius vitam solius supremi dominij diuini est. Tertio probatur: quia Christus etiam qua homo,superius longè humanis dominium, & regnum habuit: qua Deus vero fuit peccatis hominum suo modo offensus: nullus autem Rex aut delicto offensus tenetur propria morte Bassalos præsertim sui offensores liberare; vt his præsertim titulis Christi erga homines charitas commendetur quod nulla obligatione præceptum de morte obeunda, quod liberè posset non acceptare, vt mox videbimus acceptarit, mortemque ipsam pro Bassalis, atque sibi infensis hominibus oppetierit.

CERTAMEN II.

Christus, obeundæ pro hominibus mortis præceptum positiuum diuinum habuit.

1 MAgister Victoria vsque adeo in omnibus suis operibus liberum Christum voluit, vt nullam etiam præcepti positiui,nedum naturalis,diuini,obeundæ mortis obligationem in Christo fateretur. ita ex ipso refert, probabileque reputat Bartol. Medina 3. part. quæst. 43. art. 2. ex quo sententiam,& rationes mutuatus est Lorca dispu. 3. de incarnat. quibus ex nostris accessere Ioannes Anthonius Velasquez, ad Philip. 2. numer. 815.& 16. ac Ludouicus Roa. manuscripto in epist. ad Ephes. cap. 1. num. 13. quæst. 15. apud Petrum Hurtado. Referuntur item à Lorca antiqui nonnulli subobscurè loquentes, dubiaque proinde fide. Nostra vero conclusio reliquorum omnium Theologorum, ac scripturæ interpretum est.Probatur: quia voluntas Dei, vt Christus oblatam ab hostibus mortem non refugeret sed pro hominum salute acceptaret, vbi primum ipsi intimata fuit præceptum est, diciturque in scriptura Ioan. 10.v. 19. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* cap. 14. num. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater* (eundi ad ipsum per mortem) *sic facio.* Psalm. 39. num. 9. *in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus Volui, & legem tuam in medio cordis mei.* id quod ad rem hanc Paulus ad Hæbr. 10 dices hæc omnia de mandato, ac præcepto laxè sumpto intelligenda esse, sicut plura alia scripturæ loca. Verum alibi ratione materiæ ita intelligenda sunt: ast in casu nostro materia id non suadet: cum neque Christo, qua homini, præceptum hoc vllam indecentiam afferat, neque *in* acceptanda morte illius auferat meritum, ac libertatem, vt videbimus controu. de merito Christi mirari autem hic est Lorcam qui ideo laxè hęc interpretanda contendit,quia si strictum præceptum intelligatur acceptationis huius libertas abolebitur: tum tamen nec physica prædeterminatione nec aliis naturalibus præceptis,quæ in Christo recognoscit aboleri arbitretur pro quibus nihil respondet,quod pro præcepto obeundę mortis æquè non satisfaciat. Confirmatur: quia Dei ad Christum qua hominem præcepta adeo strictè intelligenda esse,atque Christi præcepta ad discipulos satis clarè ipse docuit Ioan. 13. n.10. dicens: *Si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.*

5 Dices ex Basilio, illud mandatum,seu præceptum de morte intelligendum impropriè de communicatione diuini decreti de illa per generationem, siue processionem æternam, cuius rei rationem videntur tam ipse quam Chrysost. homil. 56. 68. & 75. & commentar. in locum illum reddidisse,quia Legislator subditus legi non est: sed tamen interpretatio illa Arrianorum est non asserta ab his Patribus sed permissa. meritoque non asserta:etenim decreta libera non præsupponuntur, vt talia præhabita natura, siue origine à Patre ad processiones: alioqui processiones saltem præ suppositiuæ liberæ forent: secundo valde abusiua est ea præcepti, & mandati vsurpatio, & qua Spiritus sanctus mandatum præceptumque adueniendi ad discipulos in pentecoste præceptum accepisse habuisseque à Patre, & Filio, à quibus procedit, dici æque posset, atque Christus obeundæ, acceptandæque mortis pro hominibus præceptum à Deo habuerit: cum sui illius aduentus decretum ab vtroque per processionem acceperit. Tertio vt Deus est Christus accipitque per processionem decretum de morte sua, vt homo est, nequit adhuc impropriè accipere mandatum, seu præceptum. Sic enim fert præceptum, non accipit, etiam improprium, Is enim solum accipit, qui exequi illum potest:non potest autem exequi quatenus

tenus à Patre procedit nisi Arriano sensu, qui creaturam Dei Verbum blasphemabant;quare præceptum de morte sua,etiam improprium,vt homo solum accepisse dici Christus potest.Denique ipsa Basilij, & Chrysostomi ratio impropriam præcepti acceptionem permittentium probat respectu Christi, qua homo est, propriam esse. Aiebant enim non fuisse præceptum stricte de morte ad Christum, quia legislator subditus legi non est. Ast hoc solum probat de Christo,qua Deus,& Verbum est, non autem,qua est homo. Dices secundo. Immediatè ad illud Ioan.10. 19.*Hoc mandatum accepi à Patre meo.* dixisse Christum num. 18. se libere moriturum, nullaque obligatione, illis verbis: *Potestatem habeo ponendi animam meam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo eam tollit à me, sed ego pono eam à me ipso.* Respondetur facilè solum dicere se nulla hominum violentia moriturum inuitum, sed sua voluntate, atque Patris præcepto obtemperantem, vt statim subiunxit cum quo etiam in vltimo instanti stare libertatem acceptantis Christi mortem ab hostibus oblatam constabit controu.sequenti.

3 Probatur rursus ex 2. ad Philip. num. 8. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.*Vbi obedientiam æque propriam, atque humiliationem Christi in sua morte recognoscunt Patres, & interpretes omnes. Atque Agatho Pa.ep. ad Imperatores. col. 5. apud 6. Synod.ex Ambrosio obedientiam Patri à Christo exhibitam in morte acceptanda non esse sicut illam, quam matri voluntariè spontaneè,neque obligatoriè, exhibebat,affirmat,vt ex præcepto, & obligatoriam illâ fuisse demonstret.Suique interpres Paulus ad Rom.5.19. ait: *sicut per vnius in obedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituuntur multi.*atqui vnius inobedientia,Adami,scilicet, fuit transgressio præcepti: ergo illi opposita obedientia Christi in morte acceptanda fuit præcepti obseruatio quin à perfectissima, formalissimaque obedientia Christum occubuisse docent Patres, & Catholici omnes: quæ sane sine præcepto esse non potest. Discursum integrum aureis hisce verbis clausit.B. Laurentius Iustin.opusc. de contemptu mundi. *Duplex præceptum primus homo habuit, vnum naturæ ad custodiendum bonum datum alterum disciplinæ ad promerendum bonum promissum, quod quidem bonum melius non poterat mereri,quam per puram obedientiam, quæ tunc mera est,quando præceptum ex se obligat, & non ex alia causa.*moxque: *Hanc obedientiam experimento operis Christus didicit: hanc consummatus in cruce compleuit.* At inquies obedientiam perfectissimam non expectare superioris præceptum, sed solius voluntatis ipsius notitiam. Sic enim habet.S.Th.2.2.q.104.a. 2. *voluntas superioris quomodocumque innotescat est quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo præuenit; voluntate tamen superioris intellecta.* Nosterque sanctissimus Patriarcha Ignatius.6. p. constit.c.1. §.1.*omnes obedientiam plurimum obseruare, & in ea excellere studeant.Nec solum in rebus obligatoriis,sed etiam in aliis:licet nihil aliud,quam signum voluntatis superioris, sine vllo expresso præcepto, videretur.* sed S. Th. non ait tunc esse obedientiam propriorem, & perfectiorem, sed *promptiorem* videri: id quod ad animi ad obediendum promptitudinem spectat, non ad obedientiæ proprietatem,quæ non nisi ex præcepto exercetur, vt innuit.S. Th. dum, vt actum præuenientem obedientiam vtcumque vocet, voluntatem superioris agnitam *tacitum quoddam præceptum appellat*,ideſt certum genus præcepti, quemadmodum ex Naz. vita sancta *quædam parænesis*, siue exhortatoria ad virtutem appellatur. Id ipsum voluit. S. Ignatius scilicet executionem voluntatis superioris nondum præcipientis cognitæ obedientis promptissimi signum esse, ac vt medium insuper obedientiæ propriæ, ac perfectissimæ obtinendæ appositissimum apponit;sicuti, & conformitatem iudicij nostri cum iudicio superioris, quam supremum obedientiæ gradum vocat;sed tamen extensione quadam eius vocis obedientiæ se loqui fatetur aurea illa sua epistola de obedientiæ virtute.

4 Tertiò præter Pauli, & Ioannis professos interpretes addendi sunt plures Patres, doctoresque grauissimi eorum loca cursim ita intelligentes. Insuper Dyonis.Areop. 4. de cœlesti Hierarch.dicens:*verbum,cum indutum carnem veniſſet,ab eo ordine hominis dignissimo, quem ipse Deus præscripsisset, atque elegisset non defecisse animaduerto. Sed persuasu facilem Patris,ac Dei per Angelos circa eius vitam dispositionibus subiici.* post pauca. *eundemque per Angelos paternis legislationibus, seu legibus subiectum cernimus.*Athanas.serm. in illud *Anima mea turbata est.* relatus à 6. Synodo act. 15. fine de naturali Christi à morte præcepta auersione nostræ à difficilibus præceptis simili agens sic ait:*ergo, & in Domino aduersitatem quidem oportebat fieri à carne,obedientiam vero vincere,quamuis enim Deus est,verum in carne,& secundum carnem obedientiam complet, & voluntati carnis voluntas præualet Deitatis.* Post pauca *& ita hominum inobedientiæ soluuntur per hanc admirabilem obedientiam, qua Christus obediuit pro nobis.* Anselm. 1. *cur Deus homo.* c.9.*Potest etiam dici, quia præcepit illi mori Pater,cum hoc præcepit Pater vnde incurreret mortem.* nempe:vt oblatam ab inimicis non renueret,sed acceptaret. Hinc constat quid c.8. negauerat, cum mortem Christo præceptam negauit:vt scilicet mortem sibi conscisceret,atque inferret id ipsum docet Ambros. 10. de fide.c. 20.videndus tandem August.tract.79. in Ioan.circa fin.tract. 82. à med. in id Ioan.14. num. 10. *si præcepta mea seruaueritis.* 14. de ciuit. c 15, dicens præceptam Adamo abstinentiam, Abrahamo filij necem,Christo mortem; horumque laudatam obedientiam illius inobedientiæ opponit. Ac.t. 9. toto libro contra fermon.Arrianor. præsertim.c.10.multa,à Christo, etiam mortem,præsita è Patris præcepto,& voluntate docet: ac mortem subiisse ex Dei præcepto. c. 6. & 7. per totum præcipuè a. §.43.vbi ait *voluntate,& præcepto Patris ad passionem,& mortem properauit:* probatque ex illo *Non sicut ego volo,sed sicut tu;*& ex illo *factus obediens vsque ad mortem.*quin ex eo probat *Patris,& filij*, qua homo est, *diuersas*,ideſt inæquales, *esse naturas, quia obediens Patri ostenditur filius*,quod ex conformitate eius cum ex Patris voluntate non probabatur,sed solum ex conformitate ipsius cum Patris præcepto; quæ solum inferioritatem naturæ filij,qua hominis,respectu naturæ Patris euincit. Indeque tandem ait Adamum faciendo voluntatem suam contra Dei voluntatem,id est præceptum, mundum perdidisse,Christum vero non faciendo voluntatem suam contra Dei voluntatem,ideſt præceptum, sed potius Dei voluntatem, & præceptum mundum reparasse. Ne tamen Arriani colligerent ex Christi Dei filij obedientia stricta Dei præcepto proprio, qua Dei Filium esse inferioris naturæ respectu Patris, non autem æqualis,& eiusdem cum illo concludit: *tamen obedientia in illo,quæ contraria est inobedientiæ,secundum id quod homo est,commendatur.*

5 Id tamen Christi,qua hominis decentiæ, eximioque eius cum erga Deum, tum erga humanum genus amori in hoc aliisque sibi impositis à Deo præceptis merito damus:vt ea primum dependenter à libera ipsius acceptatione Deus imposuerit; non tamen ita, vt eorum executio,(v.g.mortis acceptatio,) præcepti de ea acceptanda, acceptatio sub qua à Deo imposita sit,(vt nonnulli antiquæ difficultatis de merito Christi seruando in operibus præceptis nouiter excogitarunt, quos affatim coram impugnauimus argumentis dandis controu. de merito Christi) puteturi sed acceptatio cum primum imponebatur, atque intimabatur natura præceprorum executionem antecedens. Similiter intelligendum non est ita impositum esse sub conditione acceptationis, vt pro quouis instanti libere acceptare posset, ac petere relaxationem à Deo post acceptationem cum primum impositum, & acceptatum à Christo fuit,vt Lugo,Vvadingo, & Bernal. eodem loco refutandi existimarunt. Id enim minorem existimationem de Christi constantia in Deo sic imponente,atque in Christo inconstantiam inde coram argueret, imo impossibilem.Nimirum acceptati præcepti cum plena, perfectissimaque omnium circunstan-

tiarum cognitione relaxationem peti à Christo posse, tentarique recusatione fugam. Sed enim maiori difficultatis præfacæ metu quam momento aguntur. Putant enim cogitatum suum illis Matth. 26. verbis contineri: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Non posset autem, inquiunt, tunc rogare Patrem, & liberationem sui à morte imperrare, si semel acceptato de illa obeunda præcepto pro eo etiam instanti liber ad acceptandum rursus non esset, vel ad petendam præcepti illius relaxationem à Patre. Soluit tamen Maldonatus anticipato obiectionem hac docta paraphrasi. *Putasne, si non sciuissem decretum esse à Patre meo, vt morerer, non potuisse me duodecim legiones Angelorum ab eo petere, eumque mihi daturum fuisse?* At inquies paulo ante dixisse Maldonatum. *Duplex Caluinistarum error his verbis confutatur: & Christum necessario mortuum &c.* ergo error Caluinistarum est Christum mortuum cogente præcepto: quare solutio data ex ipso alium sensum habet. Sed in primis verba prima Maldonati alium sensum non patiuntur: quare potius credi deberet in viro, si quis alius, constantiæ, & consequentiæ laude præstantissimo, verba antecedentia alium, quam intendi ab aduersariis possit, sensum continere, & verè quidem habent. Nam necessitas Caluinistica, & fati, & violentiæ inimicorum cædentium Christum inuitum erat, non autem præcepti necessitas, & obligatio, & sanè eo solum sensu loquutum Christum, Petri, qui sermoni occasionem dedit factum exigebat ipse enim, ac si inuitus Christus hostium potentia, ac non magis Dei, suaque voluntate opprimendus foret, ferro stricto agendum putabat. Secundo: cum tempus morti præceptæ præfinitum non vltimo instaret, tunc poterat sui comprehensionem differre, rogareque Patrem, vt notanter dictum videatur, & exhibebit mihi *modo* non postea.

CERTAMEN III.

De multis aliis præcepta diuina Christus habuit, qua homo, non de omnibus, quæ gessit dum viueret?

1 TOletus noster in Ioan. 10. num. 18. *Hoc mandatum accepi à Patre* annotat. 16. §. *sit igitur prima conclusio.* & in Ioan. 12. num. 49. *ex me ipso non sum locutus.* Maldonat. ad eadem loca. Aluarez de auxiliis lib. 12. d. 22. num. 18. & de incarnat. d. 46. num. 12. æstimant opera omnia cum suis circunstantiis à Christo præstita, dum apud nos vixit, ipsi à Deo præcepta fuisse. Citatur etiam à nonnullis Soar. d. 37. sect. 3. §. *Hæc responsio*: falso tamen, vt sequentibus parraphis patet. Contra vero non omnia à Christo exhibita, quandiu mortalis vixit, præcepta à Deo fuisse docent. S. Th. q. 9. de verit. a. 3. ad 1. in 3. q. 1 a. 2. ad 3. ac 3. p. q. 18. a. 4. ad 3. asserens Christum non fuisse determinatum ad bonum in particulari. Fonseca apud Bernal. citandum. Vasquez. d. 74. Lessius de libertate Christi sect. 3. num. 49. Soar. sect. 4. §. *Tertio de actibus.* Moncæus. d. 9. Petr. Hurt. d. 77. sect. 7. Bernal. d. 57. sect. 5. §. 2. & 3. ij tamen omnes de actionibus internis cum suis circunstantiis solummodo loquuntur, dum præceptas Christo à Deo negant, ne illorum libertas, & meritum aboleatur. De externis vero operationibus nihil curant, distinctius tamen à nobis de omnibus, & singulis siue internis, siue externis Christi hominis operationibus versanda quæstio est, ac definienda.

2 Dico primo omnes externæ Christi actiones cum circunstantiis, quæ Iudæorum inuidiam conciliarunt, ac Christi cædem disponere occasionaliter poterant, v. g. prædicatio, præcipuè suæ diuinitatis, iustitiæ, & sanctitatis obseruandæ zælus, Iudæorum, & Pharisæorum reprehensiones, & similes in talibus occasionibus præceptæ fuerunt Christo homini à Deo, est expressa sententia Anselmi 1. *cur Deus homo* c. 9. init. aientis. *Non bene discernis inter hoc, quod fecit exigente obedientia, & quod sibi factum, quia seruauit obedientiam. Cur persequuti sunt eum Iudæi vsque ad mortem? non ob aliud nisi, quia veritatem, & iustitiam viuendo, & loquendo indeclinabiliter tenebat &c.* inferius *sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi vitam,* à se quod dicit præceptum se occidendi, *sed propter obedientiam seruandi iustitiam, in qua tam fortiter perseuerauit, vt inde mortem incurreret.* de suæ dignitatis prædicatione facile probatur: quia ad salutem, & reparationem hominum incarnatione intentam medium necessarium fides Christi Mediatoris est, quæ nisi eius prædicatione non haberetur. Secundo quia ea de re Christus loquens Ioan. 12. 42. aiebat. *Ego ex me ipso loquutus sum nihil: sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* quæ licet à Christo de se, vt verbo, dicta, ad denotandam processionem à Patre interpretentur Græci aliquot Patres, atque Aug. sicut, & illud Ioan. 16. num. 13. *Non enim loquetur à semetipso.* vt eius monstretur processio; occasio tamen, ac verba de se, vt homine loquutum ostendunt, assererequе se ea, quæ humanè fuerat de sui diuinitate locutus, in Patris mandatis habere etenim, qua Deus est mandatum Patris nullum habere potest.

3 Dico secundo nullus actus internus in indiuiduo cum motiuo, & circunstantiis omnibus fuit à Deo præceptus Christo. Ratio est: quia licet præcepto actus externi secundario precipiatur actus necessarius internus, vt externus ponatur: cum tamen pluribus internis, & ex pluribus notiuis, & circunstantiis poni queat, nullus in indiuiduo, atque in his circunstantiis, & motiuo hoc necessarius est: quare nullus præcepto actus externi secundario Christo præceptus fuit determinatus. Sed nec primario, & directè. Primo, quia neque aliis hominibus ita actus interni à Deo præcipiuntur, nedum Christo, qua homini etiam, suo naturali filio, vt vrgebo conclusione. 3. secundo: quia, vt articulo. 2. num. 5. obseruabam ipsa mortis acceptatio à Deo ad hominum reparationem intentam necessaria absolutè, & independenter à Christi acceptatione præcepta Christo non fuit: ergo multo minus hæc indiuidua acceptatio cum hoc motiuo, & circunstantiis; sed integra hæc Christi libertati fuerunt. Tertio: quia alias si ea omnia præcepta sunt Christi abolebitur libertas. Licet autem in mortis obeundæ præcepto sit præceptum negatiuum non refugiendi mortem oblatam, nec solum acceptandi: tamen, si pura omissio impossibilis sit voluntati, sono tenus præceptum negatiuum est; si autem pura omissio sit possibilis, licet omnium actuum recusantium collectiuè, ac simul omissiones præcipiantur; ast, vt acutè iam Recentiores admittunt, quæuis omissio pura interna ex hoc, vel illo motiuo esse potest, quod satis ad Christi meritum erit.

4 Dico tertio. Neque alij actus exrerni ab enumeratis præcepti Christo homini fuere. Probatur: quia, vt præcipi omnes potuerint, vt de facto præcepti asserantur, fundamentum in scriptura, & Patribus desideratur. Secundo: quia oportuit Christum non solum in operibus præcepti, sed consilij etiam nobis exemplo præluxisse: si autem externa omnia præcepta ei fuissent, id præstare minimè posset. Tertio: quia, nisi Christus præceptum haberet nihil præstandi in Dei obsequium propter ea, quæ ipsi à Deo præcipiebantur auarè, nimis, cum Deo se Christus gereret, nihil præter præcepta opera in Dei obsequium præstando: At vero eiusmodi præceptum non habuisse, vel inde satis constat, quod nullum eiusmodi præcepti, vel leuiter impressum in scriptura, aut Patribus vestigium appareat. Secundo durius, indecentiusque se gessisset Deus cum Christo homine, quam par esset: non enim nisi inscio, ignaroque subdito eiusmodi præceptum imponitur. Tertio:

Tertio: cum ad Christi decentiam præceptum de re necessariissima ad hominum reparationem, nempè de morte obeunda, non nisi dependenter à Christi libertate, & acceptatione latum à Deo fuerit: quonam pacto omnia opera Christi præcepta à Deo credamus? quæ omnia secundam etiam conclusionem, æqueque de actibus internis, non omnes præceptos Christo fuisse suadent.

5 Firmiora hæc pro conclusione tertia, quam illud Petri Hurtado quod si tantum iussa Patris Christus præstitisset, quia omnia ei à Patre præcepta forent, seruus inutilis Christus, qua homo, fuisset; ex parabola seruj inutilis, & sententia Christi Lucæ. 17. num. 7. *sic & vos cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* iuxta interpretationem Maldonati ibi num. 10. Salmeron. tract. 7. & tractat. 30. numer. 10. ex origine. t. 2. lib. 3. in epist. ad Roman. fol. 3. cæterum iuxta alios plures tota parabola, & sententia à Christo inducitur, vt discipulos ab inani bene gestorum, & miraculorum per ipsos patratorum abducat gloria: ad quæ patranda immediatè fecerat copiam verbis illis: *si habueritis fidem sicut granum Synapi*, ac de quibus gloriabundi redierant ad Christum c. 20. num. 18. *etiam dæmonia subiiciuntur nobis.* quo sensu nihil ad intentum ex parabola, & sententia Christi deducitur. Sed illa admissa interpretatione: Christi adhortatio ad eos est, qui ex pigritia, ac negligentia ex iis quæ præter præcepta possent nihil in Dei obsequium præstant: ostendunt enim præcepta non ex Domini amore, sed è seruili metu se præstare. Si autem omnia ipsis, sicut Christo aduersarij volunt præcepta à Domino essent, nihil præterea præstare illi possent in Domini obsequium. quocirca impossibilitati, non vero negligentiæ, aut pigritiæ aliorum obsequiorum omissio verteretur; quare nec præceptorum omnium executio seruili metui, non amori erga Dominum, verteretur; ac proinde seruorum inutilium infamiam dechinarent, sicut, & in casu simili Christus, & quidem, cum posse à Deo omnia præcipi homini Christo certum sit, si quid argumentum probaret, probaret sanè contra Hurtado Christum qua hominem inutilem seruum esse aliquando posse, quod est valde ipsi iniurium.

6 Iamque has extremas conclusiones impugnant leuia sunt. Præcipuum est illud Ioan. 12. 49. quod pro conclus. 1. abducebamus, solumque probat de operibus in illa contentis. Secundo opponitur illud ex c. 26. exodi. num. 40. vbi ad Moysem Deus *inspice, & fac*, in tabernaculi fabrica, *secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* fuit autem, inquiunt, ad Moysis tabernaculum, quod Ecclesiæ erat, vel vmbra, vel Typus, Ecclesiæ tabernaculum non manu factum, sed sanguine Christi acquisitum, atque constructum: ergo sicut Moysi fabricæ illius omnia, etiam circunstantiæ, monstrata, præceptaque à Deo sunt, ita, & Christo omnia, quæ ad Ecclesiam constituendam in hac vita peregit. Multi sunt Recentiores in ostendendo non omnes circunstantias tabernaculi illius Moysi à Deo iussas, vt argumentum debilitent, quod etiam eo admisso satis enerue est. Sed ait, quia Moysi famulo domus iussa omnia sint, Christo homini domus Domino iussa etiam omnia illico fuerint? ait enim Paulus ad Hebræ 3. *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam* Secundo fuerint necessaria omnia ad hominum redemptionem, & Ecclesiæ fabricam Christo homini à Deo præcepta: an omnia, quæ Christus egit necessaria erant, vbi ferè omnia redundarunt cum minutulum Christo opus fuerit satis? Tertio: plura ad redemptionem, & Ecclesiæ fabricam non spectantia Christus egit, dum viueret, vt vt sessio, somnus, ambulatio, talis cibi manducatio. Obiiciunt Ioan. 6. num. 38. *descendi de cœlo, non, vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Sed voluntas mea significat voluntatem proprio amore fundatam, & regulatam, non Dei beneplacito, & voluntate, quæ etiam erga non præcepta est. Denique obiiciunt Christum in omnibus perfectissimè operatum: ergo ex obedientia, quæ sine præcepto esse non potest. Sed restat probandum perfectissimum motiuum esse ex obedientia, non ex Charitate; quod magis elucet, cum voluntati soli Dei, nec dum præcipientis, voluntas, atque operatio nostra concordat.

DISPVTATIO III.

An diuina alia humanitati Christi suos formales effectus communicent?

IN diuinis quædam positiuè concipiuntur & significantur, quædam negatiuè, licet nihil negatiuum in Deo sit, ac proinde positiua alia, alia vero negatiua dicuntur. Positiua sunt essentia, siue existentia, & Deitas, quæ reliquorum diuinorum radix metaphysica est. Item potentia intellectiua, eiusque actus, siue intellectus, & scientia, & voluntas, ac volitio, deinde omnipotentia de quorum omnium metaphysica, siue identitate, siue distinctione formali egimus. t. 1. controu. 1. d. 2. atque hoc t. controu. de Trinit. licet leuius, ac pressius. Negatiua autem sunt immensitas, infinitas, æternitas, & si quæ alia. Primo igitur de existentia, secundo de cognitione, aut volitione diuinis, tertio de attributis aliis omnibus, in quibus generalis, eademque decidendi ratio est, disputabimus.

QVÆSTIO I.

An humanitas Christi per diuinam, seu verbi existentiam existat?

ELEBRIS, licet non ex multis retro annis fuit præsens difficultas, cum sola Thomistarum, qui vocantur, schola apud Hispanos floreret. Potest autem duplex quæstionis sensus esse. Primus an sola diuina verbi existentia existat humanitas vnita? secundus, an licet existat propria existentia existat etiam diuina. Primo sensu hic cum Thomistis quæstio versabitur. Secundo vero cum Vbiquistis. q. 4. ex vniuersalibus principiis ad statuendum pro omnibus attributis diuinis.

CERTAMEN I.

Thomistarum sententia præfundamentorum debilitate fubruit ac S. Th. à Thomistarum impostoris vindicatus.

1 HEnricus quodlib. 3. q. 2. Dionys. Carthus. in 2. d. 6. q. 5. sub fin. Capreol. q. 1. a. 1. & apud Soar. in 3. d. 6. ferrara 4. contra gent. c. 9. c. 35. c. 41. Caiet. 3 p. q. 17. a. 1. vbi Aluarez, Medina, ac reliqui inrati Thomistæ Nazar. q 4. a. 1. Nauarret. t. 1. controu. docent humanitatem non propria, & sua, sed Verbi, cui vnitur existentia diuina existere ac proinde diuinam existentiam effectum formalem existendi humanitati communicare. A ratione vix aliquid solutione dignum afferunt. Ab authoritate inducunt primo Sophronium epist. sæpè citata, ac recitata, & approbata a. 6. Synodo act. 11. & è Calcedonensi

Calcedonensi ante med. vbi habet *in ipso verbo, non in se habuit*, humanitas, *existentiam, vnam cum verbo*. Sed tamen illa verba *vnam cum verbo* de suo addit Medina. Sed demus addita non esse. Missa Soarij solutione, quæ ad Sophronij mentem non est, respondeo: nomen *Hyparxis* quòd in græco existentiæ respondet idem, quod *vsia*, siue substantia significare, vt vult Athanas. epist. ad Episcopos Africæ, quæ idem valet ferè atque hypostasis teste Budeo in commentariis linguæ græcæ: ac ideo indifferenter à Patribus græcis pro substantia, vel pro persona vsurpabatur. vult ergo Sophronius humanitatem non subsistere in se propria personalitate, sed in verbo, cuius sola, & vna personalitas, ac persona in Christo est: id quod satis exprimunt verba *existendi in* tanquam innitendo, quod natura solum in supposito, siue persona habet, vt proæmiali. d. q. 1. & 2. ex ratione, & Patribus ostendebamus: satisque suadet intentum Sophronij, quod erat Nestorij errorem illa sententia repellere. Eundem habent explicatum similia verba Damasceni. 3. de fide c. 3. 11. & 13. atque illa quæ falso, vt vult Soar. referunt Thomistæ ex c. 22. *carnem in verbo habuisse existentiam*. ex anima aliorum Patrum testimonia pro hac sententia recitant, quibus infra nos, & animum, & mentem reddemus.

2 Prouocant ad S. Th. quia q. 17. citata. a. 1. docet *esse accidentis in supposito, quod non est simpliciter esse suppositi, neque ad illum constituendum spectat, posse in illo multiplicari; esse autem substantiale formæ, vel naturæ pertinentis ad esse simpliciter suppositi non multiplicari in illo: quare cum in Christo vtraque natura pertineat ad esse simpliciter huius suppositi, quod Christus est non esse in illo concedendum duplex, sed vnum tantum esse.* quodlib. 9. a. 3. ait. *Humanitatem non habere esse in Christo, ita, vt ipsa esse dicatur, sed solum esse id, quod aliquid est, quia est in alio.* Hæc fere. S. Th. verba sunt pro Thomistis; sensus autem ac mens Doctoris sancti à Deo pro eis non est, vt Paludanus, & ipse insignis Thomista contra suos esse. S. Thomam apertè fateatur infra. Probatur facile ex citato quodlib. 9. a. 2. & 3. & q. disputata de vnione verbi, ante alias disputatas de virtutibus a. 1. ad 10. a. 4. ad 1. vbi ait: esse humanitatis in Christo esse distinctum ab esse diuinitatis, & verbi; licet quia pars est totius Christi dicat neutram habere esse simpliciter, sed secundum quid. Cum ergo esse humanitatis ab esse diuinitatis distinguat duplex esse alterum humanitatis, alterum Deitatis, & Verbi planè fatetur. Secundo cum Deitati esse simpliciter, æquè atque humanitati in Christo deneget, ne inde inferatur Deitatem, & Verbum etiam, in Christo non habere existentiam propriam in eius sententia, quomodo id de humanitate inferatur? vocat ergo citata. q. 17. esse simpliciter, & absolutè esse totius substantialis, & per se, ac non in alio, seu suppositi, quod cuiuis parti, & constituenti suppositum, seu totum substantiale prorsus repugnat: quare, & humanitati, quæ pars in Christo est, & verbo, (quod licet non, vt pars, & quid perfectibile, ast vt perfectiuum quid Christum constituit) quæ in Christo sunt, repugnat esse simpliciter. Cum autem esse per se, & simpliciter, seu non in alio, neque suppositum, siue esse simpliciter constituant, & suum esse in supposito seruant, & distinctum ab esse suppositi, & aliorum accidentium, quæ in idem suppositum inciderint. Hoc ipsum solum voluit, imo explicuit, quod lib. 9. imo, cum dixit humanitatem esse id, quo aliquid est, satis expresit toti composito, qui Christus est, aliquod esse actuale, siue existentiæ conferre de suo, vt patet. Ibidemque docet sicut accidentia plura suppositi plura esse simpliciter non sunt, ita neque plures Christi naturas: quia quod natura sua accidentia habent, nempè esse in alio habent ex accidenti naturæ plures, quæ vnum suppositum constituunt. Hanc porro doctrinam ebibit ex citata epist. Sophronij Sinod. 6. acto. 11. ante med. *quæ enim extat persona composita ex inconfuso constans temperamento partitionem conuenientium nescit, sed esse vnum, ac permanere vnum sortitur.* Ac infra. *Sed est vnum, & duo hoc ipsum agnoscibile, vnum quidem secundum substantiam, atque personam: duo vero secundum ipsas naturas, & naturales proprietates, ex quibus esse vnum sortitur natura duplex, & vnum permanere seruauit.*

3 Idem S. Doctor 3. p. q. 4. a. 2. & 3. docet humanitatem assumptam non esse assumptionis terminum, sed ad illam præsupponi, nempè præsuppositione, qua terminus assumptionis ipsi præsupponi nequeat: at terminus præsupponitur assumptioni secundum possibilitatem sui: ergo non solum secundum eum statum, sed secundum statum existentiæ præsupponitur ex S. Th. humanitas ad sui assumptionem: quare, & existit existentia propria prius natura, quam vniatur Verbo, ac non per huius existentiam, & q. 6. a. 4. ad 3. ait, carnem Christi non esse prius natura, quam sit à Verbo effecta esse tamen prius natura, quam sit Verbo vnita. Nequit autem aliquid esse absolutè, & ens productum, aut existens prius natura, quam habeat existentiam: ergo ex S. Th. humanitas, quæ prius natura est absolutè ens effectum, & existens, quam verbo vniatur, non habet esse absolutè, & existentiam ab vnione ad illud. Obiicis. S. Th. q. 17. cit. a. 1. vbi argumente. 3. sic arguit *in Trinitate est vnum esse, quia est vna natura: ergo in Christo sunt plura esse, quia sunt plures naturæ*, atque ad. 3. concedit antecedens iuxta suam doctrinam 1. p. q. 3. a. 3. & 4. quia personæ identificantur cum natura diuina. Quod si in eo articulo ageret de esse suppositi, vt diximus potius negare deberet: cum plura sint supposita, & personæ Trinitatis, licet in natura identificentur. Sic Vasquez pro aduersariis illis acutius obiecit. Respondeo tamen facilè ex nostris principiis loqui de esse, & existentia simpliciter, & suppositi, quia eo loco 1. p. aliisque pluribus, vt vidimus contra. de Trinitate d. 6. q. 1. in personis Trinitatis nullum aliud esse personale siue existentiam agnoscit præter esse, & existentiam essentiæ, ac naturæ: quare vnum esse personale etiam in eis est; quod secus eueniret (concludit S. Doctor.) si personalitates esse personale, & haberent de se formaliter, & conferrent personæ suæ, nec solum iure identitatis cum essentia existerent. Cum autem duplex natura, vnum suppositum, seu esse substantiale constituat neutra est esse simpliciter, & per se, sed vtraque est in alio, vt eodem articulo docuisse. S. Thomam ostendimus num. 2.

4 Debilius adhuc à ratione pugnant Thomistæ. Primo: quia existentia in creatis realiter distinguitur ab essentia: ergo non existet existentja creata propria, sed Verbi, & aliena. do satis impugnatum in philosophia antecedens, & consequentiæ partem primam; nego tamen secundam ex prima improbabilem. Secundo arguunt. Humanitas Christi subsistit subsistentia Verbi, non sua: ergo, & existit existentia Verbi non sua. Vide consequentiam aliquid in communi, & horum Thomistarum sententia, naturæ super additum, nempè personalitas, suppletur formaliter à Verbo: ergo, & identificatum cum natura supplebitur; nempè existentia. Secundo cum subsistere subsistentia Verbi humanitatem Christi; ac non propria, sit esse partem Christi, erit consequentia: est pars Christi componens illum cum Verbo: ergo non existit secundum se nisi Verbi, cum quo componit, existentia: quod est contra essentiam partis actualis componentis. Dices existentia substantiæ est esse per se: humanitas non est per se, sed in alio: ergo non habet existentiam substantiæ. Distinguo maiorem: substantiæ totalis concedo; partialis nego, vt patet: nam, etsi existat existentia Verbi existit in alio, & vt pars atque in alio instas: subsistentia siue esse suppositum est actus primus, & existentia actus secundus suppositi. Nescio quo pacto apprehendi, ne dum indicari, asserique assumptum à sano Philosopho queat? Nam cum ratio suppositi dicat existere per se, si propria subsistentia sit, & in alio si aliena: quo pacto sine existentia esse, imo concipi suppositum, valeat prorsus ignoro. Imò cum existere abstrahat à conceptu, per se, vel in alio, conceptum existentiæ prius esse prioritate maioris vniuersalitatis, dubitari non potest, quin neque priorem esse causalitate, & natura, si subsistentiæ modus superadditus naturæ sit cum, cum ab ipsa fluat, vel saltem ex ipsa educatur.

5 Ab absurdis arguunt. Humanitatis Christi existentia est creata, & propria: ergo per communicationem idiomatum potuit Verbum dici existere existentia creata, sicut plura alia, quæ propria humanitatis sunt, dicuntur. Nego consequentiam: tum quia denominatio existendi intrinseca solum est, & quæ solum competit subiecto per identitatem cum ipsa: tum quia idiomatum communicatio solum est eorum prædicatorum, quæ ita sunt propria vnius naturæ, vt è genere suo alterius naturæ non sint, vt ostendemus. controu. 7. d. 1. vnde Verbum nequit dici per communicationem idiomatum substantiale, vel rationale à substantia rationali humanæ naturæ, vel è contra hæc, adhuc concretè, à substantia rationali Dei. Arguunt secundo: vnio subsistentialis tunc solum intelligi potest, cum esse vnius vniti trahitur ad esse alterius: atqui si humanitas habet propriam existentiam esse humanitatis non trahitur ad esse alterius: ergo nec erit vnio subsistentialis vtriusque naturæ in Christo, quod est absurdum. Nescio quam magno absurdo negetur vnionem hypostaticam substantialem intrinsecè esse, nec solum extrinsecè ab extremis substantialibus, quæ vnit, vt de vnione animi, & corporis dicebam. Sed credamus pluribus substantialem intrinsecè esse. Maior adeo est falsa, vt, qui eam docent, non trahi ad Eutychetis errorem videantur, sed vltro venire. Item in vnione materiæ, & formæ instatur apertè. Arguunt tertio: ex duobus entibus in actu nequit vnum per se constitui: atqui humanitas, & Verbum sunt duo entia in actu si humanitas suam habet existentiam: ergo nequit ex eis constitui vnum per se. Distinguo maiorem: entibus totalibus in actu concedo maiorem, partialibus, seu non totalibus nego, & distinguo minorem: totalia, nego; partialia concedo, & nego consequentiam, vt respondebamus dum contra hos Thomistas pro existentia propria materiæ primæ pugnabamus: quin implicat vnum ens in actu componi nisi ex pluribus partibus, seu entibus partialibus in actu. Arguunt quarto: Humanitas accipit propriam existentiam generatione Virginis: ergo Virgo non est mater Dei; sed humanitatis solius, quod est hæreticum. Sed nisi in existentiam humanitatis terminetur Virginis generatio, in quid terminabitur? an in essentiam possibilem, atque potentia, & virtute causarum carceratam? atqui hæc per vos improducta est, & æterna. Secundo actio omnis tendit in rei existentiam à virtute causæ, vt eam ex potentia actu ponat. Tertio attingentia essentiæ actualis humanitatis per Virginis generationem satis non est per vos, vt Virgo Mater Dei dicatur: ergo multo minus sufficiet, attingentia essentiæ humanitatis possibilis: vel si hæc sufficit potius illa. Nec refert si pro Thomistis dicas Virginis generationem attigisse vnionem hypostaticam, tum quia id confutauimus. d. proœmiali, & controu. 1. Secundo: vnio ipsa existentia Verbi debet existere in eorum doctrina. Tertio: quia attingentia illa vnionis, non est à Virgine, vt viuens est, sed per potentiam obedientialem in animis quibusque cum ipsa communem. Ergo qua generat proprie non generat Deum facile ergo negatur consequentia. Nulla enim Mater immediatè attingit generatione suppositum, si subsistentia modus superadditus sit, sed existentiam naturæ, atque immediatè suppositum, quod ex agnata illi subsistentia, seu adiuncta resultat, quæ Christi humanitati diuina est, in nostra vero sententia generatione ipsa producitur natura independenter ab vnione ad aliud, vel dependenter, & sic subsistentia propria, vel aliena, si illud aliud suppositum, vel subsistentia sit. Ac demum ostendi controu. 1. d. 2. quomodo rigidè Virgo sit Mater Dei, sola præsuppositione vnionis hypostaticæ materiæ, & animæ humanitatis Christi ad vnionem earum inter se, quæ à Virgine ponitur.

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

CERTAMEN II.

Ex communibus Theologicis, etiam veterum Thomistarum principiis opposita, & communis sententia statuitur.

1 Scholastici reliqui humanitatem propria, non autem Verbi existentia existere defendunt. Albert. in 3. d. 6. a. 5. Scot. q. 1. Gabr. q. 2. a. 2. concl. 1. Almain. q. 2. Bassol. q. vn. a. 2. Durand. q. 2. Ricard. a. 2. q. 2. & quodlib. 1. q. 3. ex antiquis Thomistis Heruæus d. cit. q. 1. a. 3. Paludan. q. 3. sub fin. versu *quidam tamen dicunt.* atque vterque d. 9. apud Soar. Henric. quodlib. 13. q. 5. apud Vvadingo, licet alibi ab aliis pro opposita referatur, & quod caput contra Thomistas est, S. Th. locis datis. S. Bonau. d. 5. a. 2. q. 1. ad argumenta ex nostris omnes ad vnum. Vasq. d. 71. à cap. 2. Soar. d. 36. sect. 1. Valentia. 3. p. ad q. 17. a. 2. Ragusa, & Becan. vterque Hurtado Complutensis, & Salmantinus, Lugo, Vvadiugo. d. 4. dub. 9. Bernal. d. 47. quos, & nos sequimur. Probari solet ex Damasceno 3. de fide. c. 3. init. dicente humanitatem assumptione non fuisse substantia existentiaque priuatam, quam scilicet haberet non assumpta. Sed tamen ibi solum contendit contra Eutychianos non fuisse destructam, & conuersam in Deitatem, quare omnes vertunt non fuisse *conuersam*, ac pro Verbis citatis ex Græco B. Ilius vertit, *neque in nihilum redactam.* & c. 11. dicens naturam assumptam fuisse, *non provt in intellectu, & præcissam, sed indiuiduam, & in eadem existente specie.* Sed solum vult speciem humanitatis assumptam præcisè non fuisse, sed vt est identificata cum indiuidua natura, sicut species reliquæ cum suis indiuiduis identificantur re ipsa: ad quem sensum vertebat Billius *eadem, quæ in indiuiduo, eademque cum ea, quæ est in specie.* A Patrum ergo authoritate præter Sophronij, & S. Th. testimonia data cert. 1. solus pro existentia humanitatis propria sua, ac non Verbi referri potest Epiphan. Episcopus. 7. Synodo. act. 6. t. 3. Concil. apud Soar. distinguens humanitatem ab hypostasi, vt illa dicat humanitatem existentem, hypostasis vero subsistentiam addat: atqui si humanitas existentia Verbi existeret, humanitas existens, Verbi subsistentiam, vel diceret, vel supponeret; quare ad hypostasim, siue suppositum addenda non esset.

2 E communibus autem, etiam Thomistarum principiis arguo primo, quia in eorum sententia non est nisi vnica existentia Deitatis in Trinitate: ergo humanitas existens existentia non sua, sed Verbi existet existentia Deitatis, cui immediatè non vnitur, & per se, sed solum ratione identitatis cum personalitate Verbi cui in eorum sententia per se, & immediatè vnitur tantum: quod est difficile effectum formalem existendi tribui non solum ab existentia non identificata existenti, sed ab existentia non per se, formaliter, & immediatè vnita, sed mediatè, & materialiter solum. Secundo cum existentia Deitatis non magis Verbi, quam aliarum personarum sit humanitas non magis existentia Verbi, quam Patris, aut Spiritus existentia existet, quod non admittunt. Licet enim quia Verbo Deitas identificatur humanitati vnitæ afferatur Deitas, & existentia: ast non ideo existentia increata est, quia Verbo identificatur, sed quia de se talis est: qua vero talis existentia increata est facit formaliter humanitatem existere; ergo non qua Verbo identificatur, sed sub ratione existentiæ communis tribus Personis. Arguo secundo ex alio principio

communi in vno sensu, firmiorique in sententia Thomistarum quia Arist.2.de anima.c.4. tex. 37. air. *cunctis viuentibus causam, vt sint formam ipsam, ac substantiam esse patet: at viuere viuentibus est esse: cuius sane causa est, vt constat, atque principium forma.* Cum enim forma viuentibus adest viuunt, & existunt, cum abest moriuntur: vt inde Thomistæ doceant materiam existere per existentiam formæ atqui in humanitate forma,& animus est: ergo per illam viuet existetque humanitas non per Verbi existentiam. Est totus diuersus S. Th. 3. p. q. 2. a. 5. vbi argumento 3. non esse opus vnione animæ ad corpus in Christo: quia hoc Verbo vnito sufficienter viuificabitur, respondet ad 3. *dicendum quod duplex est principium vitæ corporalis vnum quidem effectiuum: & hoc modo Verbum Dei est principium omnis vitæ. Alio modo est aliquid principium vitæ formaliter. Cum enim viuere viuentibus sit esse,* (vt dicit Philosophus. 2. de anima.) *sicut vnum quodque formaliter est per formam suam, ita corpus formaliter viuit per animam, & hoc modo non ponitur corpus viuere per Verbum, quod non potest esse corporis forma.* quibus præclusa est solutio Thomistarum prima. Nempe viuere sumi ab Arist. & S. Th. pro viuere, seu vita in actu. Secundo:quemadmodum S. Doctor. explicuit. 1. p. q. 54. a. 1. ad 2. sed quomodo *forma, ac substantia* dicatur vita, aut viuere in actu secundo ab Aristot. cum vita in actu secundo sit accidens, & operatio vitalis? Deinde quomodo sit causa, vt sint viuentia (vt aiebat Aristot.) operatio vitalis, quæ viuentia supponit constituta, & existentia? item forma, qua formaliter, & non actiue viuunt, & sunt viuentia, vt ait S. Thom. non est operatio vitalis, sed anima, seu forma substantialis viuentis. Loco vero citato. 1. p. non hunc textum, sed alium ex 11. metaphysicæ iuxta diuisionem Auerrois, vel ex 12. iuxta communem interpretatur, vbi Aristot. vitam pro operatione vitali vsurpauit: quomodo negat Angelis essentialiter vitam habere, licet, essentialis sit eis vita pro essentia sumpta, iuxta Augustini acceptionem in libris de Trinitate.

3 Ex eo etiam principio sic arguo tertio cum Vasq. viuere, ac vita viuentibus est esse existentiæ, siue existere: at vita, & existentia humanitatis caduca, & defectibilis est; ergo non increata, & æterna Verbi:alioqui erit immortalis, & æterna vita humanitatis Christi; neque defecit, mortuusque fuit Christus, qua homo: quæ sunt hæreses formales. Dices non mansisse in triduo humanitatem vnitam Verbo, quia nec mansit humanitas: quare defectu subiecti, non vitæ mortuam fuisse humanitatem. Impugnat Vasq. quia ante triduum mortis nihil præter animam, & corpus vnitum Verbo erat, quæ,& eadem vnita perseuerarunt in triduo. Sed dicent adhuc defecisse vnionem animæ, & corporis essentialiter requisitæ ad humanitatem. Sed rogo an vnio actualis animæ,& corporis requiratur essentialiter, vt humanitas existat,actuque sit, etiam cum Verbo vnita:vel non requiratur? si non requiratur nulla est solutio. Si requiritur: inquiro, an etiam vnio existat existentia Verbi? vel sua?si sua: cur id non datur animæ,& corpori?si existentia Verbi:ergo provt sui vnionem ad Verbum præcedit non supponitur existens actu:qui ergo perit,ac deficit provt ex parte subiecti præcedit vnioni ad Verbum,cum,vt sic existentiam sui neque habeat,neque requirat, cuius defectu ex parte actus primi vnio hypostatica deficiat defectu subiecti, ac proinde æterna eius existentia Verbi,qua existebat: quod ipsum argumentum, & impugnatio solutionis huius in tota humanitate efformatum à radice solutionem conuellit. Nam si Verbum vt vniatur humanitati, deque illi existentiam, & vitam requirit, ac præsupponit existentiam humanitatis in se,& extra causas: quomodo dabit quod in illa prærequirit,& supponit. Si non prærequirit ex parte humanitatis esse actuale,& extra causas,& nihil,sed solum eius possibilitatem,& esse adhuc intra causas. Cum possibilitas humanitatis necessaria sit,& æterna per hosce,nec possit deficere,quomodo deficit vita,& existentia Verbi æterna defectu subiecti:nempè humanitatis? Arguo quarto,quia forma vitæ, & existentiæ viuentis est anima, seu forma viuentis essentia sua:adeoque,vt corpus, siue materiam viuificet formaliter,existereque faciat in Thomistarum doctrina: ergo implicat vnitam esse animam Christi eius corpori, quin illud, ac totam proinde humanitatem formaliter faciat existere. Ergo nequit non humanitas propria, ac connaturali sua existentia existere etiam cum Verbo est vnita. His omnibus respondent Thomistæ actualitatem essendi in humanitate,& reliquis non esse existentiam, sed solum proximam existentiæ capacitatem. Hoc tamen præcludam cert.3.initio:satisque ex apprehensione terminorum,& communi præclusum est.

4 Respondeti secundo possent ad omnia etiam hæc animam de se viuificatiuam corporis esse,ac formalem vitam,& existentiam corporis,& viuentis, ni id muneris à Verbo vnito prius natura præueniretur. Sed contra primo: quia, si Verbum partes animæ præoccupauit,quid ni Apollinaris error admittatur, atque asseratur Verbum vnitum fuisse corpori Christi pro anima,& mente,solumque corpus sine illis à Verbo fuisse assumptum. Contra Secundo:quia ex S. Thoma. 3. p. q. 4.a.2.q.6.a. 4. prius natura genita fuit humanitas,quam assumeretur à Verbo, vnireturque hypostaticè: ergo prius natura existit partium vnio inter se se,sine qua humanitas non est,quam eius vnio hypostatica. Contra tertio: quia Thomistæ ex Heruæo, & Caietano citatis contro.1.d.2.q.2.cert.1.ideo à 6. Sinodo Nazianzeno, & Augustino dictum putant corpus per animam, ac mentem, siue his mediis assumptum à Verbo fuisse, quia per animam, seu mentem tanquam per formam recipit existentiam, quæ spectanda pro priori naturæ fuit, vt assumeretur, atque vniretur Verbo:in quo licet falsa plura inuoluantur,vt ibi monstrabam manifeste Thomistarum,si hac solutione vrantur,in consequentia deprehenditur.Contra quarto: quia quouis naturæ ordine anima,& corpus assumpta,vnitaque Verbo fuerint,humanitatis existentia,quæ sine partium existentia non est, præsupposita ad vnionem hypostaticam fuit per hosce ex Heruæo,& Caietano.Ens quippe in potentia,ac nondum existens vniri alteri nequit in horum,& vera doctrina:cum modus vnionis,sicut,& modi reliqui rem,cuius modus est,& cuius absolutum esse modificat existentem supponat,nec illi possit existentiam tribuere. Etenim realis modalis,siue modi à re distinctio,in eo à reali absoluta,seu rei à re distinctione secernitur, quod modus sine rei,quam modificat,cuiusque modus est existentia existere nequeat, res autem sine modo existere valeat:quod fieri minimè posset,si vnio hypostatica humanitati existentiam daret,vel Verbo,cui illam vnit, illi existentiam afferret:etenim pereunte vnione hypostatica humanitas necessario periret iam vero,si ad vnionē hypostaticā in hoc instanti humanitatis existentia pro illo prius natura supponitur, propria humanitatis existentia,non potest pro illo eodē instanti non esse. Deinde quid nam existentiæ præstabit Verbum vnitum humanitati,cuivè eius parti,cuius quarumque existentiam absolutam prius natura,quam vniatur absolutè supponit? an vnioni partium? atqui hanc assumptam vnitamque hypostaticè verbo plures negant. Secundo si hæc assumpta etiam fuit ipsius absoluta existentia præcedere natura debet sui assumptioni ob rationes proximas. Tertio humanitatis existentia præsupposita per vos,& vnionis existentiam claudit,vel supponit. Quarto Virginis actio,qua hominem Deum genuit, ad vnionis partium humanitatis existentiam,tanquam ad terminum proximum,& formalem fuit tantum terminata.

5 Dices ad hæc eadem actione vnitas partes humanitatis,& inter se,& verbo fuisse. Sic enim aiebat Leo Pa. 1. epist. 11. post med. *Natura quippe nostra non sit assumpta est, vt prius creata, post assumeretur; sed vt ipsa assumptione crearetur.* & Fulgentius de incarnat.& grat. Domini nostri Iesu Ch. *ipsa quippe acceptio carnis fuit conceptio Virginis.* Si autem eadem actione vtraque vnio fuit producta:cum hypostatica afferat Verbum,potuit vnio partium Verbo viuificari, & existere. Sed quid de partibus humanitatis hac solutione dicent, quarum existentia ad vtramque vnionem præsupponi monstrauimus;quare viget argumentum quartum. Si enim simul natura vtraque vnio est nequit Vnione hypostatica Verbum præuenire munus formæ in tribuenda vita,& existentia corpori; maximè cum anima illud intrinsecè informet,atque humanitatem Christi essentialiter constituat, nisi in errorem Apollinaris ire aduersarij velint insuper contra hanc solutionem militant secundum,tertium, & quartum argumentum. Nam vnio illa hypostatica vnionis partium ad Verbum immediatius verbum, eiusque existentiam pertingit increatam:quare,& erit æternè,ac indefectibiliter existens contra fidem. Tertio est solutio contra doctrinam Thomistarum. Si enim vtraque vnio eadem actione producitur ad vnionem hypostaticam vnionis partium humanitatis huius vnionis existentia absoluta non præsupponetur natura contra hosce Thomistas,qui extremi vniendi existentiam prius natura ad sui vnionem supponi merito docent quare falsa omnino est solutionis huius doctrina,atque extra Patrum illorum mentem, quicontra hæreticos citatos,confutatosque contr. 1.d.1. q.3.solum contendunt non prius tempore,quam Verbo vniretur humanitatem præxtitisse. Id quod Verba illa Leonis. *Prius,* & *Post* quæ absolutè dicta tēporis denotant prioritatem,& posterioritatem,satis sonant. Clariusque hæc,quæ in eodem contextu infra subiecit Fulgentius. *Non est igitur aliquod interuallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium,& concipiendæ maiestatis aduentum?*

6 Quinto demum arguo ex communi alia etiam Thomistarum doctrina:Angelus quiuis,siue bonus, siue malus naturali sua virtute intellectiua intuitiuè videt humanitatem Christi existentem,& vt quid actuale, & extra causas,nec solum,vt intra causas,& possibile: atqui si humanitas Christi existeret formaliter per existentiam Verbi Angelus nullus posset videre illam existentem virtute naturali sua intellectiua: ergo humanitas non existit per existentiam Verbi. Minor probatur:quia nihil potest videri,vt ens actu, siue, vt existens, quin actualitas essendi,& existentia formalis ipsius videatur: at,si humanitas existit per existentiam Verbi,nequit eius existentia,siue actualitas essendi videri ab vllo Angelo virtute naturali sua intellectiua:ergo, si humanitas existit per existentiam verbi nullus Angelus posset virtute naturali sua intellectiua videre illam existentem. Maior proxima probatur. Nemo enim,qui videre albedinem nequit,videre potest album,vt album Probatur minor si humanitas existit per existentiam Verbi nequit videri illius existentia,& actualitas essendi, nisi visa existentia Verbi,quæ humanitatis existentia eadem est: atqui existentia verbi nequit videri ab vllo Angelo virtute sua naturali intellectiua: ergo, si humanitas existit existentia verbi, illius existentia nequit videri ab vllo Angelo naturali sua virtute intellectiua. Minor hæc fuadetur existentia verbi est aliquid intrinsecum Deo:nihil intrinsecum Deo videri ab vllo Angelo potest virtute sua naturali intellectiua: ideo enim Dæmones Christi personam nunquam videre possunt, quia quid intrinsecum Deo Christi persona est:atque insuper in Thomistarum opinione, qui visionem præcisiuam non admittunt,si virtute naturali aliquid intrinsecum Deo Angelus videre posset naturali virtute posset esse Beatus:maximè si videre posset verbi existentiam, quæ existentia Deitatis est,in eorum sententia, nihiloque formaliter à Deitate differt.

R.P. *Christoph de Ortega,de Dei incarnat.*

CERTAMEN III.

Ex vniuersalioribus principiis existentiæ humanitatis per existentiam Verbi confutatur.

1 NOn ex his solum principiis, sed ex vniuersalioribus confutandi iam Thomistæ sunt, vtque eis æquiuocationis, & Verborum præcludamus effugia, scire oportet:existentiam, de qua hic, nihil aliud in rebus esse,quam actu absolutè esse, siue absolutam actualitatem essendi,qua res est in se extra suas causas, & extra nihil: quæque est actus logicus in ordine ad quem possibile dicitur possibile, estque terminus actionis, qua res extra suas causas ponitur in esse actuali, quod ab æterno non habuit, cum solum intelligebatur sub illo quali quali esse possibili, vel obiectiuo solum, vel virtuali omnipotentiæ, à qua poni in actu potest. Etenim posita hac sola essendi actualitate rei extra causas, & extra nihil res existit, eaque sola ablata deficit,ac non existit. Hanc per se notam veritatem, ex qua, tam hic, quam in existentia sua materiæ per existentiam formæ clarè Thomistæ confutantur, obscurant ex eis nonnulli asserentes actualitatem essendi non esse existentiam, sed capacitatem proximam, & ordinem ad illam Sed pura verba dant, pueris fortasse, viris autem doctis minimè accipienda. Prima impugnatio sit: rogare vt explicent quid præter actualitatem essendi præfatam addat existentia sua. Secunda: quia actus essendi est actus potentiæ logicæ,siue possibilitatis essendi:atqui actus possibilitatis essendi est existentia: ergo actus,siue actualitas essendi est existentia. Tertia: quia actio terminatur ad effectus existentiam: ast ad nihil aliud terminatur quam ad actualitatem essendi effectus in se extra causas, & nihil: ergo actualitas essendi præfata est existentia quarta illa capacitas proxima existentiæ non est capacitas pure obiectiua, siue potentia logica puræ possibilitatis: ergo est capacitas subiectiua, vel actiua: vtriusque autem generis capacitas proxima non nisi existentium est: ergo dicit capacitas proxima existentiam.

2 His positis Arguo sic. Rei cuiusque existentia identificatur re ipsa cum essentia ipsius: atqui Verbum eiusque intrinseca existentia non identificatur cum essentia humanitatis: ergo Verbum, eiusque existentia non est existentia humanitatis, vel infero: sed existentia Verbi est existentia humanitatis per vos: ergo humanitas identificatur cum Verbo, & eius existentia re ipsa: ecce Eutychianam conuersionem, & confusionem naturarum in Christo: cum verbum re ipsa identificetur cum Deitate, eius autem existentia idem etiam formaliter sit per hosce cum illa. Maior est principium latè probatum in metaphysica contra Thomistas, & quod iam ex eis plures admittant: vt videre est in Nazario. 3. p. q. 4. a. 1. vbi solam distinctionem admittit ex natura rei inter essentiam,& existentiam, quæ distinctio in eius schola formalis, & rationis ratiocinatæ solummodo est: clariusque ad nos in hoc principio accedi q. 17. Arguo tertio quia vel humanitas distinguitur à Verbo, vt ens actu, ab ente actu, vel vt ens possibile ab ente actu, siue actuali: si extremum, non erit realis actualis distinctio, nec absolutè maior, quam humanitatis possibilis à se ipsa existenti. Patet nam, & entis possibilis actualis distinctio esse non potest: & cum Verbum existentia, & actualitas essendi humanitatis sit non aliter ad Verbum, quam ad sui existentiam comparabitur humanitas. Vnde rursus neque erit vera realis compositio in Christo ex humanitate,& Verbo. Cum compositio vera sit realiter

distinctorum vnio,quæ extrema realiter actualiter distincta,& existentia supponit,vt ex Thomistis supra dicebamus.Hæc autem sunt absurda. Si dicas primum:ergo existentia humanitatis realiter distinguitur à Verbo, eiusque existentia.Patet:quia implicat existentiam, siue actualitatem essendi,in qua,& secundum quam duo distinguntur eandem esse in vtroque, non minusquam realiter distincta re ipsa identificari:alioqui licet personæ,qua tales distinctæ,sint in Trinitate,eandem possent habere personalitatem.Idem argumentum fit de vnione reali, quæ realem actualem extremorum distinctionem,& existentiam requirit.

3 Arguo Quartò:quia materia,& anima terminant in se actiones creatiuas, & earum vnio Virginis generationem,quibus ponuntur,& extra suum nihil, & extra causas: ergo vnum quodque eorum adæquatè, & adæquatam à suis causis existentiam recipiunt in se non à Verbo:quare,& humanitas, quæ nihilo ab eis differt. Probatur:quia terminus actionis est esse actuale, siue existentia effectus in fieri:ergo eo præcisè,quo enumerata terminant in se,& secundum se, ac non per Verbum actiones dictas,ponunturque in se,& extra suas causas, & nihil,in se,& secundùm se existunt,habentque existentiam non per Verbum iuxta dicta n.1. Argumenti huius refert parui,quod vnio materię,& animæ,eadē actione, qua vnio hypostatica à Virgine producatur. Arguo quintò quidquid vniendum est alteri,cui non inhæreat (vt solutionē de simultanea existentia natura,& productione formæ eductæ,& suæ vnionis per eandem actionem,in aliquorum sententia præueniam) præsupponitur natura productum,& existens ad vnionem cum illo:atqui tota humanitas vnienda fuit Verbo non inhærendo ipsi: ergo tota humanitas præsupponebatur natura existens ad vnionem cum Verbo, ante quam vnionis, nondum natura existentis, beneficio à Verbo existentiam haberent, haberevè possent. Respondet Thomista nescio quis apud Soar. §. *ad hanc, & præcedentem rationem.* Humanitatem in fieri præcessisse natura sui assumptionī,& vnioni ad Verbum;ast in facto esse præcessisse vnitam,& assumptam, vt per Verbum in facto esse existeret: quare maiorem veram esse de vniendis *in fieri* loquendo,falsam vero *in facto esse*. Contra fieri humanitatis prius natura est assumptione ad Verbum: ergo,& factum esse humanitatis prius natura est vnione, seu facto esse assumptionis ad Verbum.Patet: nam fieri, & factum esse, vel ad idem naturæ signum, & instans spectant,vel ita proximè, & inseparabiliter natura cohærent,vt nulla naturæ mora distungi possint,vt interim præcurrat assumptio in fieri, posterior humanitate,in fieri,siue eius productione,pertingatque prius in facto esse humanitatem illam vniendo hypostaticè, quam productio illam ponat in esse actuali: & extra causas,& nihil:id quod à Deo est impossibile,vt nec divinitus fieri possit:quia cursus naturalis fieri ad factum esse solum pendet à Dei libertate,quatenus ab eo pendet decretum concurrendi vel se solo, vel cum causis secundis:quo posito non pendet ab eius libertate sistere concursum,ne effectum ponat: idcirco constans in scholis est rerum prioritates,& posterioritates in facto esse pro prioritatibus, vel posterioritatibus earum in fieri,siue suarum productionum assignari.

4 Atque,vt appareat, quam falso hæc doctrina ad rem præsentem inducatur quamque sit certa illa maior, rogo Thomistam cur difficile adeo in sua doctrina admittat productionem humanitatis priorem natura esse, quam eius ad Verbum assumptio? certè id solum respondere poterit:quia ex communi,& necessaria omniū apprehensione quidquid vniendum est alteri non inhæsiue,vt humanitas Verbo,debet prius natura præsupponi existens in se,& productum in facto esse quod si ita non esset nullatenus præcedentia vniendi, siue humanitatis in fieri ad sui assumptionem admittenda foret. Sed probatur vlterius illa maior de vniendorum existentia necessario præsuppositа in facto esse, ad sui vnionem. Nihil enim aptum proximè est,vt vniatur in statu possibilitatis solum alioqui res nunquam futura, imò quin produceretur,vniri alteri posset, quod ne in cogitationem quidem cadere potest. Item vniri posset alteri nunquam producendo: cum par sit vtriusque extremi ratio ad vnionem.Secundò,quia cum vnio modus realis sit sine reali existentia extremorum esse non potest; cum tamen extrema sine vnionis existentia possint existere,vt oportet ad hoc,vt vnio ab extremis realiter modaliter distinguantur. Tertio quia rem esse vnitam modaliter ipsi contingit: nihil autem realiter alicui contingit,quod in se absolutè non est;alioqui dicam securè nunc Antichristum esse album,frigidum,sedentem, vel ambulantem.Dices ad secundam impugnationem præsentiam modum esse rerum,& tamen rem sine præsentia esse non posse.Distinguo sine omni collectiue fateor, quia aliquam debet habere; ast distributiuè posse sine omnibus esse,quod satis est,vt quæuis modus esse rei illius conuincatur.Secundo ea necessitas existendi cum aliqua præsentia,nec sine omni collectiue, non ex intrinseco præsentiæ,& existentiæ rei prouenit,quod modo,& rei repugnaret,sed ab extrinseco spacio imaginario infinito,extra quod poni res finitæ non possunt.

5 Sexto arguo. Humanitas in casu præsenti non solum est extremum vniendum Verbo non inhæsiue, sed & vnionis ipsius reale subiectum, realisque materialis causa in omnium sententia: atqui omnis causa realis præsupponitur natura existens in se ante suum effectum:ergo humanitas præsupponitur natura in se existens ante sui vnionem ad Verbum. Negant minorem Thomistæ quia solam causam efficientem supponi existentem prius natura effectu admittunt. Nam finis, aiunt,ante suum effectum non supponitur existens. Sed contra: quia finis causa intentionalis est causans nimirum per sui existentiam intentionalem in mente,apprehensione; ergo malè inde negatur præsuppositio existentiæ causæ realis,cuiusmodi est materialis ad suos effectus edendos:ergo causa omnis realis præsupponitur existens realiter ad suos effectus. Contra secundo: quia non aliunde causa efficiens præsupponitur existens ad suum effectum;quam quia causa realis est:at causa materialis,& formalis causæ reales sunt:ergo, & præsupponentur existentes ad suos effectus. Dices efficiens continere existentiam effectus, quam ponit, in sua virtute, quæ nequit contineri nisi à re actu existenti.Contra: quia causa materialis quatenus intrinsecè causat componendo continet formaliter partem existentiæ effectus,scilicet totius, æque atque causa formalis. Item quatenus est eductionis subiectum,vt in nostro casu humanitas,se gerit respectu vnionis,continet ex parte sua in sua eductiua passiua potentia existentiam effectus,sicut ex parte,& genere suo illam continet efficiens: ergo æque atque hoc debet præsupponi existens ad suum effectum ob hæc fortasse Aluarez.3. p. q. 17. fatetur humanitatem præsupponi existentem ad sui vnionem cum Verbo, atque vt quid productum cum actualitate essendi in facto esse,ast eam actualitatem essendi,siue existentiam esse cum habitudine ad Verbi existentiam. Sed inquiro:an sine termino huius habitudinis,& ante illam intelligatur absoluta existentia, seu actualitas essendi humanitatis in se extra causas,& nihil? si neges recurrunt omnia argumenta numeri proximi, & ostendis tuam doctrinam in terminis implicare; si fatearis, das manus,atque ad nostras venis partes. Nam quod existentia humanitatis sit respectiua existentiæ Verbi, si tamen absolutè existentia humanitatis est, nihil obest, quod existentiæ Verbi sit ex accidenti respectiua: imò nec si transcendentaliter ad Verbi, & Dei existentiam referretur, sicut in communi opinione creata omnis existentia refertur:& in nostra quidem humanitas Christi non nisi dependenter ab vnione ad Verbum existentiam habet,vt pars sit,ac non subsistantia individua totalis,& persona creata:iuxta dicta d. procem. q: 2.

QVÆST.

QVÆSTIO II.

An sola volitione, atque intellectione diuinis Christi humanitas voluerit formaliter, & intellexerit.



QVÆSTIO hæc de facto nunc examinatur, vt errores Monotheliticarum,& similium authoritate Patrum,& Conciliorum, cum hac de re tum de dogmatibus aliis, quæ inde pendent propulsentur de possibili autem quæstione tertia disputabitur, vt philosophicis etiam momentis veritas catholica confirmetur.

CERTAMEN I.

Monothelitarum error,eiusque Patroni exactè recensentur, ab eoque liberatur Honorius.

1 MOnophysitæ, quia apparentem solum humanitatem non solidam, ac veram Christo Domino tribuebant consequenter humanam voluntatem eiusque actum Christo denegabant: solumque ei, & voluntatem,& volutionem concedebant diuinam,sicuti, & intellectum, & sapientiam. Consentiebat prorsus Apollinaris cum Deum pro anima corpori Christi solummodo concederet. Quorum fundamenta contr. 1. disp. 1. quæst. 2. radicitus euellebamus. Nunc autem cum solis Monothelitis, conferenda est manus. Quorum error à priscis scholasticis, vt alia theologicæ eruditionis plura,non satis intellectus à nostro Vasq.d.73. cap. 1. accurate est propalatus.Aiebant ergo in Christo duas naturas cum suis quamque facultatibus esse; Cæterum solum dari in eo actum voluntatis diuinæ, qua materiales etiam humanitatis facultates ad suas quæque operas, & applicarentur, & mouerentur: quas ideo Theandricas, Deique viriles nominabant: qui error ex alio manabat. Putabant enim actum quemuis voluntatis humanæ diuinæ oppositum necessario, ac proinde peccatum esse: quare ne in Christo peccatum admitterent, atque in eodem ipsius suppositо voluntates repugnantes actum voluntatis humanæ Christo denegarunt. Constant hæc ex Machario Patriarcha Antiocheno sectæ huius Principe in sua confess. 6. Synod. tract. 2. ab hoc errore steterunt Stephanus Polichronius,Cyrus Alexandrin. & Theodorus Pharenens.epist. ad Michaëlem Bulgariæ Principem de septem Synodis cap. de 6. Synodo. Steterunt etiam Sergius Pyrrus, & Paulus Patriarchæ Constantinopolitani. Addit Vasq. Typum quemdam Pauli discipulum;sed Typus hic non homo quidem, sed formula fidei fuæ fuit data à Paulo ad Concilium Lateranense sub Martino 1. vt constat ex consult. 4 eius Concilij Lorca d. 69 n. Granad. tract. 13. de incarnat. disputat. 1. numer. 3. siue negari etiam Christo à Monothelitis asserunt creatam humanam scientiam, neque immerito cum ita Monothelitæ cuiusdam confessionem referat Agatho in sua epist. act. 4. 6. Synod. *& vnam esse eandemque vnius Domini nostri Iesu Christi, & Deo dignam sapientiam, scientiamque omnium,& cogitationem secundum vtrumque: ideest secundum eius diuinitatem, & humanitatem: quia & vnam operationem confitemur Deo dignam, sicut superius dictum est.* quo spectat Synod. 6. act. 4 & 8. definitio. *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent. duas naturas eius prædicamur: & vnamquamque proprietatem naturalem habere confitemur, diuinam omnia, quæ diuina. humanam omnia, quæ humana absque peccato.*

2 Ad Monothelismi partes accessisse ferunt,& antiqui Monothelitæ, & Iuniores Honorium Pap. 1. quos imitatur Canus.6. de locis cap. vlt. §. *Huic loco.* sed malem aliquid piæ falsæ excusationis SS. pontific. Melchiore Cano,quam Erasmi errori impensam verbo his ces *qui Phocam scribunt instituisse Romanam Ecclesiam esse Ecclesiarum caput,pièquidem forsasse id: sed imprudenter scripserunt.* Fundamenta sunt, Primum quod 6. Synodo actu decimo-tertio, columna teria damnatis Monothelitis damnatur Honorius *Eo quod* (aiunt Patres) *inuenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quòd in omnibus eius mentem secutus est, & impia dogmata confirmauit.* Atque sub actionis eiusdem finem: *Comperimus* (inquiunt) *in eandem impietatem concurrere,* nempe Honorium. Tertium fundamentum est ex epist. 1. Honorij eiusdem ad Sergium, in qua verbus med. ita habetur: *vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi.* Quartum denique fundamentum, quia, & in aliis posterioribus Conciliis ea Honorij damnatio refertur,nec iubetur expungi: quod est tacita, vt minimum damnationis eiusmodi approbatio: atque hæc quidem fundamenta sunt omnia, vt tanto Pontifici Monothelitismus adscribatur, quæ quam sint infirma eruditus quiuis comperiet, nosque ea singulatim, summatimque perà currendo pro minus eruditis, & curiosis aperta eruditione, facilique difficiemus.

3 Et in primis, vt testimonium ex Honorij epist. recitatum intelligatur, & quæ ex illo sexta Synodus de Honorio iudicasse dicitur, sciendum est: Honorium non alias quam ex epistola Sergij Monothelitarum errorem, & doctrinam cognouisse; Sergius autem in eis litteris quæ extant 6. Synodo actu 12. inter principium, & finem, non vt suam, sed aliorum causam, Monothelismum proponit, Catholicum agens,quidque in ea sentiendum sit initio Romanæ sedis iudicio submittens: deinde ait, se ita de vna, vel duplici Christi operatione litem suborta componere, ne vna, vel duplex dicatur, *sed ex vno* (eius verba sunt) *eodemque incarnato Deo verbo, sicut iam fumus affati, omnem diuinam, atque humanam operationem procedere. Hoc autem nos Leo, Dei portitor instruit manifestè perhibens. Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium habet.* quo Leonis testimonio contra Monothelismum acriter pugnarunt.S. Maximin. disp. cum Pyrrho Damascen. 3. de fide cap. 15. fin. Agatho Papa cum Synodo Romana epist. 1. ad Imperatores Tiber. Heracl. & Augustum versus fin. Synodi 6. eam epistolam, & testimonium Leonis admittentis, insuper paulo post epistolæ Honorij med. sic ex Sergij relatione legitur: *insuper, & ei consequens sit prædicere duas voluntates contrarietatem circa inuicem habentes tanquam Dei quidem verbo salutarem volente adimplere passionem; humanitate vero eius obsistente voluntati.* quasi nomine diuersarum operationum Christi, à voluntate humana, & diuina non diuersitas physica, sed moralis auersitas intelligeretur à Monothelitis: nomine autem vnitatis operationis non physica sed moralis omnimodi consensus, & concordia. quemadmodum, qui aliter sentiunt, aut volunt vulgo; tam latinè, quam hispanè diuersarum voluntatum, ac iudiciorum dicuntur; qui autem non aliter sed eodem modo censent, idemque volunt vnius voluntatis nominantur, hispanè *son de diuerso parecer,* vel contra *dettismo.* Latinè vero *quot capita tot sententiæ.*cum tamen plurium indicia & affectus, licet moraliter concordent, nequeant non physicam diuersitatem habere: itaque, siue simulare loqueretur Sergius Honorio, siue ex animo.sensus, qui ex eius litteris percipiebatur Catholicus erat quare licet alias suspectæ fidei haberetur,ex eius tamen epistola Patres,atque eius concilij præses Martin. 1. epist. ad vniuersos Christi fideles post init. Sergio Monothelismum tribuere certo ausi non sunt, dum eius hæresis patronos recensent,sed dubitanter. *Sergius vel eius successores Pyrrhus, & Paulus.*

4 Cum ergo Sergius in ea epist. Catholicum simulans Catholico sensu loqueretur, quomodo, Honorius ei assentiens, neque aliunde animum,si forte tunc fuit

dolus erat,percallens Monothel.haberi potest? cú ergo vnam in Christo fatetur voluntatem intelligit vnã moraliter per conformitaté humanæ volunt. cum diu.non physicè vnã, sed diuersas,non tamen aduersas;ex physica diuersitate operationum voluntatis diuinæ,& humanæ in Christo non inferri contrarietatem quam ex Monotheletis aliis referebat Sergius multis probat Honorius post illius epist. med. Primo ex idiomatum communicatione,quæ in Christo ratione vnionis hypostaticæ inuenitur, quæ duplici voluntati repugnanti locum in illo non dat. Secundo quia voluntas humana diuinæ contraria solum esset ex natura corrupta per peccatum. Aſt *profectò*, ait, *à diuinitate assumpta est nostra natura,non culpa illa profectò natura, quæ ante peccatum creata est*, id est illius conditionis, *non quæ post peccatum vitiata*. id est, vt post pauca scribit,*nullum experiens contagium vitiatæ naturæ*: quare inquit tacitè voluntas humana Christi, nequit esse aduersa diuinæ,à qua diuersa est.Tertiò idem probat versus epist.fin.illud Corinth.1. num.12. *diuisiones operationum sunt idem vero Deus,qui operatur omnia in omnibus*. Sic ad idem institutum expendens: *Si enim in aliis, id est, in membris suis, Spiritus Christi multiformiter operatur,in quo viuunt, & mouentur, & sunt quanto magis per semetipsum mediatorem Dei, & hominum, plenè ac perfectè, multisque modis,& ineffabilibus confiteri nos communione vtriusque naturæ conuenit operatum?* Quasi dicat non vnitas physiceque coniunctas naturas tot tantisque operationibus sibi conformiter operari facit Spiritus Christi: ergo multo pluribus imo in omnibus, naturam sibi vnitam physicè, eiusque voluntatem sibi conformiter facier operari.

5 Stet ergo diuersas Christi operationes voluntatis diuinæ,& humanæ ab Honorio non negatas,sed solum sibi aduersas: ac proinde moraliter solum, non physicè vnam vtramque esse prædicatam, vt testis auritus, oculatusque est Honorij secretarius zælo, & dignitatibus celeberrimus, ac epistolæ illius amanuensis apud S. Maximum. Mart. disp.cum Pyrrho col.18. sic eius propositionis sensum, atque Honorij mentem explicans:*quod in Christo, vt homine vna tantum fuisset voluntas, seu,quod non fuisset pugna voluntatum,& appetitionum, qualis est in nobis. Lege scilicet membrorum repugnante legi mentis.* idemque secretarius apud Baronium.t.8.anno. 633. §. *Sed præstat in his*. Atque apud Seuerin. Binium noua editione concil.actione 13.Synodi 6. ait:*vnam voluntatem Domini diximus non diuinitatis eius, & humanitati. Cum enim scripsisset Sergius esse,qui dicerent in Christo duas contrarias voluntates, rescripsimus Christum non habere duas contrarias voluntates,carnis inquam,& Spiritus,vt nos habemus post transgressionem,sed vnam tantum,quæ naturaliter humanitatis eius nota essentialis est id ita esse euidenter ex eo demonstratur, quod membrorum, & carnis facta est mentio, quæ diuinitati quoque eius non possunt attribui*. Quæ solutio, siue explicatio, licet alia videatur : eadem tamen est, cum contrarietas voluntatis carnis cum Spiritus voluntate sit etiam contrarietas cum voluntate Dei cui semper est voluntas Spiritus conformis.Adde Honorium,sub eius epistolæ initium ita scribere de Christo Domino *Operatum diuina, media humanitate Verbo, & Deo naturaliter vnita eumdemque operatum humana ineffabiliter*. Post pauca. *Passiones, & opprobria pertulit*. Tolerantia, ac tristitia dolorum,passionis &c.*Dum constet diuinitatem nullas posse perpeti humanas passiones*. Atque ad epist. finem concludit. *Hæc vobis cum fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum vnanimiter prædicamus hortantes vos, vt vnius, vel geminæ nouæ vocis inductum operationis, vocabulum aufugientes vnum nobiscum Dominum Iesum Christum Filium Dei viui, Deum verissimum operatum in duabus naturis diuinitu, atque humanitus fide orthodoxa,atque vnitate Catholica prædicetis*. Repetit exhortationem eandem epist. 2. ad Sergium ter,non semel,vt nouitate vocis duplicis operationis,nempe moraliter diuersæ,id est aduersæ, missa vnum Dominum Iesum Christum in vtraque natura quæ cuiusque sunt propria inconfuse, (ne eutychizetur,& confundantur operationes physicæ in vnam,quo sensu nouæ voces erant)indiscretę,& indiuisę idest sine repug.contrarietate,operari.Prudenter autè noluit statim ante maturã Ecclesiæ discutionem periculosam ad res graues,licet de nomine,quæstionem definire. Duæ istæ Honorij epistolæ extant fragmentatim in 6.Synodo act.12.& 13. fine §. *Habet autem* : vtraque verò apud Baronium anno 633.

6 Vnde constat 6.Synod.si verè damnauit Honorium suspicione falsa ductam errasse; quia verbis catholicis quidem,Sergio consenserat,quem iam,& fama publica, & ecthesi sua fine Monotheliſmi expositione Heraclij nomine publicata hæretico sensu locutú deprehenderat. Nec mirum est errasse in delinquente declarando, in quo humano iudicio testium & indiciorum concilium gubernatur : præcipuè, cum vltra Papæ commissionem, & legatorum institutionem in damnatione procedit vt hic euenisse constat ex epist. 1. Agathonis ad imperat.col. 2. vbi habetur: *Licentiam proinde eis,sine authoritatem dedimus apud tranquilliſſimum vestrum imperium (dum iusserit eius clementia) similiter satisfaciendi in quantum eis dumtaxat iniunctum est, vt nihil præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem huius Apostolicæ sedis, vt à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est sinceriter enarrare*. Quibus non solum constat vltra commissionem Pontificis, ac proinde per errorem damnatum à 6. Synodo fuisse Honorium. Sed potius damnationem ab hæreticis Monotheliris fuisse suppositam.Siquidem in prædecessoribus Agathonis, à quibus veritas contra monotheliſmum instituta dicitur, Honorius numeratur;& clarius ad epist.init. *Vade & Apostolicæ memoriæ meæ paruitatis prædecessiores Dominicis doctrinis instructi, ex quo nouitatem hæreticam in Ecclesiam Constatinopolitanæ Ecclesiæ Præsules introducere conabantur nunquam neglexerunt exhortari, atque obsecrando commonere, vt à prauí dogmatis errore saltem tacendo, desisterent*. An non Honorium, qui nascente monotheliſmo Sergium hortabatur locis recitatis,citatisque num.5.post med.quasi digito demonstrat monotheliſmo obsistentem? Cum ergo epistola hæc Agathonis ad Imperator. Constantin.Pogonatum,& altera eiusdem, & concilis sub ipso acti ad imperatorem eundem contra Monothelitas, in quibus catholicam veritatem à suis prædecessoribus traditam Agatho testatur in 6. Synodo fuerint perlectæ,ac Synodus act.17.in confes. fidei de se ita scribat: *expansis manibus amplectitur tam suggestionum, quæ à sanctissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ad Constantinum piissimum, atque fidelissimum nostrum Imperatorem, quæ nominatim abiecit veos, qui docuerunt, vel prædicauerunt (sicut superius dictum est) vnam voluntatem,& vnam operationẽ*. Quo pacto,nisi sibi contradicat Synodus,Honorium ab Agathone inter prædecessores suos monotheliſmo resistentes numeratum de monotheliſmo damnarent.

7 Accedit quod ad 6. Synodum Honorij epistolæ ad Sergium, quibus Monotheliſmum reiicit, Patrumque testimoniis,confutat,*quos*, (vt Agatonis verbis in sua illa epist.col.2.vtar) *Apostolica Ecclesia suscipit*. per legatos Agatonis videantur perlatæ.Deinde ante sextam Synodum Honorius à suis successoribus vindicatus ab hac hæreticorum impostura fuerat. Immediato enim ipsius successore Seuerino Heraclij,& ministrorum vexationibus, quod Sergij ecthesim non probaret ante annum enecto, Ioannes. 4. successit. Hic cum audiret pro Monotheliſmo à Patriarchis Constantinopolitanis Honorium Seuerino antecessori obiectum iussit Honorij Secretarium eius mentem exponere, vt præstitit verbis datis num. 5. Rursus cum Theodoro Ioannis 4.successori Paulus Constantinopolitan. dignitate ob monotheletism de positus Honorium pro sua doctrina allegaret, tanquam aperte falsum allegans neglectus, neque satisfactionem meruit : cum pro Honorij fide abunde,& fæliciter Romæ. S. Maxim. cum Pyrrho recenter disputasset. Theodoro successit Martinus 1. qui contra Monotheletism pugnans martyrio tandem coronatus est. sub eo Concil.Lateranense actum contra Monothelitas fuit S. Maximi eiusdem causæ Martyris hortatu in quo cum Pauli epistola pro se iterum citantis inter alios Honorium legeretur Maximi Aquileiensis ore respondit Concilium, *venerunt Principes huius nouitatis, id est Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, & in nobis de suis inuenerint nihil: licet propterea calumniari nos irrationabiliter studuerint. quod facere solent hæretici suam ex hoc cooperire dementiam properantes*. Ipseque Martinus 1. epist ad vniuersos Christi fideles post Concilij finem: Sic ait, *Catholicæ recordationis antecessores nostri Pontifices*, in quibus Honorius, *non destiterunt admonentes eos, & contestantes recedere à sua huiusmodi hæresi*. Martino successit Eugenius,cui Vitalianus,huic vero à Deo datus,post quem donus. Hunc Constantinus Pogonat. rogauit, vt suos ad concilium legatos mitteret, oratumque se à Monotheletis enixè scripsit, vt Vitaliani nomen è sacris dipthychis deleretur, retineretur Honorij 1.de Vitalio delendo precibus non acquieuit Donus refcribens. *Hoc quidem, vtpotè omnem æqualitatem seruantes, & vtrosque orthodoxos habentes*. Dono successit Agatho, qui egregiè,vt vidimus num. 6. quique authoritate Apostolica legatos ad 6. Synodum misit. Cum ergo tam legati, quam Patres Concilij, & Honorj epistolis, & Agathonis atque tot pontificum antecessorum Agathonis integram, atque à Monotheletis suspicione Honorij fidem haberent, quomodo scienter monotheliſmum Honorio Patres imponerent quomodo legati adeo veritatis conscij non modo imponi paterentur,sed & ipsi subscriberent? maximè cum adeo solerter iussa Agathonis fuerint contra monotheliſmum executi,atque ea honorij condemnatio non solum præter, sed contra Agathonis iussa foret: imo contra ius fasque Pontificem mortuum, qui nunquam apud occidentales cum quibus vixerat, & apud quos obierat, imo neque apud bonæ notæ Græcos, & qui, vt sanctè vita functus honorificè humatus, atque in sacris dipthychis scriptus fuit, & conseruatus à Dono, male de monotheleſi audierat, vt hæreticum damnare. Cum Ecclesia mortuos hæreticos claros nisi constet in sua hæresi obstinatos obisse nunquam condemnarit : tuncque è sacro exhumari, & è sacris dipthychis nomen eius expungi iusserit, vt constat ex 4. & 5. Synodo in causis Ibæ, & aliorum, & ex constanti Ecclesiæ vsu.

8 Ex quibus apertè conuincitur eam Honorij damnationem Synodo 6. Græcorum perfidia supposititiam esse, vt suam causam tanti Pontificis authoritate meliorem redderent. Sicut similium malitia corruptum concilium generale 5. deprehendit sexta Synodus act. 12. & 14. fuamque epistolam ad Flavian. Leo ipse epist. 83.ad Palestin.Synodum item Calcedonensem Gregorius lib.5.epist. 14. ad Narsem. vbi idem cum Ephesina factum suspicatur. Sicut & Nicolaus 1. cum epistola Adriani 1. ad quam Michaëlem Imperatorem remittens in epistola ad ipsum ait: *Si tamen non falsata est more Græcorum*. Nec vana est Nicolai suspicio : nam quæ ipse epistola ad Photium ex epistola Adriani allegat non extant in hac provt in Synodo 7. recitatur, quæ omnia, atque alia ad rem hanc plura eruditè observat Bellarminus citatus : si ergo tertiam, quartam, quintam, & septimam Synodum Græcorum Hæreticorum perfidia vitiauit : quidni sextam maiori suo commodo in Honorij damnatione corruperit; præsertim cum immediatè post Synodum 6. tot Episcopi hæretici Trullanos canones contra Romanæ Ecclesiæ authoritatem ibidem fecerint, atque ita censent Baronius anno 680. Binius ad act. 13. Synodi 6. Theophanes Græcus scriptor teste Anastasio bibliothecario in Honorio : neque minus corrupta in Honorio recensendo, damnandoque, cum Monothelitis habenda est epistola Leonis 2. ad Constantinum Pogonatum relata post Synodi 6. finem similiter Bedæ Cathalogus Monotheletarum, in quo numeratur Honorius, non quidem lib. de natura rerum cap. 67. (vt citat Canus) qui tot capitibus non constat, sed lib. de sex ætatibus mundi anno 639. qui ab aliquo scioso ob supposititiciam illam Synodi 6. damnationem corruptus ea in re fuit : qui enim Beda Honorium in Monothelitis nominaret, quem 2. histor. Anglica.cap. 17. 18. & 19. egregium Pontificem laudat, atque in vita S. Bertol.*doctrina clarum venerabilem, beatum, sanctumque* compellat, vt bene arguit Bellarmin.citandus.Porro 7.Synodus non damnat Honorium act. vlt. sed fine causæ examine sextæ damnationem transcribit. instat Canus Synodo 8. actu 7. referri, & approbari epistolam Concilij Romani sub Adriano 2 vbi Honorius authoritate sedis Apostolicæ à Synodo 6. damnatus dicitur merito, quia; addit Canus, Agatho epist. ad 6. Synodum Honorium anathematizat, vt constat ex act. 4. omnia sunt falsa : nam 8. Synodus actu 7. epistola Concilij Romani falsum ait, illicitam fore damnationẽ defuncti Honorij ab orientalibus, nisi primæ Romanæ sedis consensus præcessisset: quibus neque factam damnationem affirmat, nec sedis Romanæ præcessisse consensum epistola Agathonis ad 6. Synodum nulla fuit, neque act. 4. neque vsquam alibi, sed solum duæ ad Imperatorem Constantinum 4. Pogonatum, in quibus, vt vidimus, Honorius Catholicus per omnia Pontifex habetur. Sed dicet tandem Sergium quinquennio post epistolam ad Honorium, hoc adhuc superstire ecthesim scripsisse, cui non constat reclamasse Honorium. Sed oporteret ostendere consensisse : nam silentium potuit clamandi oportunitatem expectare : Tandem accedant Doctores præter datos. Damascen. lib. de hæresibus reperto, translato, atq; eruditè annotato per Frontonem Ducæum editione Damascen Paris. anno 1616. fine versu Monotheletæ, Photius Patriarcha Constantinop. epist. ad Michael Bulgariæ Princip. de 7. Synodis in sexta Zonaras in vita Constantini 4. Pogonati, qui singuli Monothelitas singulatim recensentes; etiam in 6. Synodo damnatos nusquam in eis Honorium recensent : cum tamen si in eorum errore fuisset de eoque à 6. Synodo damnatus, vt sectæ illius Princeps numerandus foret. Ob hæc fanè, vel omnia,vel ferè ab hac calumnia Honorium merito liberant Paulus Diaconus, Blondus, Nauclerus, Sabellicus, Platina, reliquique præter supra datos Latini Historiographi, Petrus Hurtado, & Bernal. quibus, & nos, reliqui subscribere debemus.

CERTAMEN II.

Monotheliſmus confutatus, ac difficilis Lateranensis locus illustratus.

1 CONtra hunc Monothelitarum errorem pugnarunt acriter Patres Synodi 6. suo Agathone Pa. act. 4.8.11.& 18. atque Agatho ipse epist. ad Heracl. & Tyber. & epist. decretali instructionis legatorum, quos ad eam Synodum misit, receptaque ab illa fuit act. 18. Patres insuper Concilij Lateran.sub Martino 1.consultat. 5. can. 11. 12. 13. & 14. Patres item Synodi 7. in confess. fid. Patres Concilij Florentini sub Eugen. 4. sess. vlt. in decreto Eugenij § 3. qui omnes hanc hæresim damnant ex Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*. Ioann. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*. Luce 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat*. In quibus aliter inefficaciter voluisse Christum voluntate humana,quam Pater,& ipse vellent diuina manifestum prorsus est, ac proinde Christum non sola voluntate diuina, qua hominem voluisse. Secundo,vt ostendimus disp. 2. quæst. 3. Christus qua homo perfectè Deo, ac strictè obediuit:non potuit autem obedire actu voluntatis diuinæ : ergo actu voluntatis humanæ : ergo non fuit in Christo sola voltio diuina, sed & humana. Adde plura ex dictis contra Apollinarem contron. 1. d. 1. Item plura ex dicendis de timore, & tristitia Christi; quæ dubio procul actus voluntatis humanæ sunt, nec minus certo in Christo fuerunt.Videnda præterea contra hunc errrorem sunt testimonia Patrum, à citatis Conciliis; & Pontificibus contra eum recitata datis locis : deinde S. Maximus disput. cum Pyrrho Damasc. 3. de fide capite 14. & 15. & libro de duabus Christi voluntatibus, ac lib. *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*.

sumus. & loco citato ex libro de hæresibus.

2 Sed persequamur erroris huius præcipuum absurdum: etenim sub latis à Christo actibus humanæ voluntatis, omne prorsus meritum aboletur. Patet: quia meritum in volitione diuina esse non potest. Cum Christus per illam mereri, qua Deus nequeat, vt omnibus inconfesso est: sed neque, qua homo: siquidem in potestate illius, qua homo est, stat volitionis diuinæ exercitium, eiusvè negatio. Vnde neque in actibus externis vlla erit Christo libertas, aut meritum: cum in potestate humanitatis Christi, arbitrijque humani dominio illos elicere, vel cohibere absolutè non staret: siquidem posita volitione diuina, vt elicerentur, non elici non possent, ablataque elici nequirent, (nisi fortè à materiali appetitu, si huic proprium actum Monothelitæ inconsequenter concedant, in quo sicut nulla libertas est, ita neque in externis operationibus ab ipso profectis libertas, & meritum ab eo potest communicari) Dei quippè volitio de facto non alia ratione cum externis humanitatis Christi operationibus, atque cum nostris comparatur: non enim verbum, quia humanitati vnitum speciali concursu influxuque ad humanitatis opera concurret, sed solo generali Trinitati communi, quod nostra etiam edenda cooperatur; licet eius volitio in hoc errore humanam suppleret, quæ in humanitatis arbitrio non esset, vt diximus. An verò extranea, & alterius naturæ volitione, (& idem est intellectione) alterius voluntas intelligere, atque amare possit, anque ita contigerit humanitati Christi, vt non solum propriis suis huius actibus, sed & diuinis etiam amauerit, & intellexerit; res est liberior, nec censura digna pars alterutra, quæstione que 3. examinanda, vbi hic etiam Monothelitarum error philosophicis momentis impugnabitur. Huius erroris vero fundamenta de Christi impeccabilitate petita infirma sunt. Potuit enim actu voluntatis creatæ efficaci, se conformare diuino, licet in ipso essent affectus naturales inefficaces: sicut aiebat Paulus: *Non quod volo bonum hoc ago*: in quibus nihil indecentiæ, & imperfectionis est, sed summa, cum opposita voluntate efficaci superantur, perfectio.

3 Occasione huius erroris confutandi difficilia verba protulit hæc Lateran. Concilium sub Martino 1. consultat. 5. Can. 15. *Si quis secundum scelerosos Hæreticos Dei virilem operationem, quod Græci dicunt* Θεανδρικὴν *vnam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos Patres, aut ipsam, Dei viribus, quæ posita est, nouam vocabuli dictionem vnius esse designatiuam, sed in vtrisque mirificè vnionis demonstratiuam condemnatus sit.* ergo affectus humanus Christi, qui vnica operatio est Theandrica, seu Dei virilis dici nequit: quod est contra Dionys. epist. 4. ad Caium Damascen. 3. de fide c. 15. Theologos omnes, & rationem: cum ille affectus sit vnica operatio hominis Dei, ac proinde Dei virilis, siue Theandrica: sed tamen ex concilij instituto facilem habent verba explicatum. Definiebatur enim ibi contra Monothelitas, vt diximus, qui vnicæ operationis nomine actum voluntatis diuinæ tantum in Christo admittebant, licet externos actus (quos non operationes, sed motus appellabant) à volitione diuina despoticè imperatos in Christi humanitate faterentur: solum ergo damnatur, qui Dei virilem operationem sola volitione diuina, atque externa creata ab ea, non à volitione humana proueniente constare docuerit; non autem, qui doceat sola volitione humana Christi consistere dignificata à Deo verbo vnito humanitati operanti: quo sensu, & à citatis Patribus, & Theologis operatio Theandrica, ac Dei virilis vsurpatur, & ratione probatur efformara, atque expressè à Lateranensi Concilio admissa extremis illis verbis: *Sed in vtrisque mirificæ vnionis demonstratiuam.*

4 Duplex igitur est Theandricæ, seu Dei virilis operationis apud Patres Catholica acceptio, vt-benè, ac eruditè Vasquez obseruat d. 5. cap. 5. numero 39. Altera in ratione meriti, altera in ratione actiuitatis: & Theandrica quidem in ratione meriti nihil à volitione diuina trahit: sed solum à sanctitate, & dignitate verbi, ac Deitatis, cui humanitas operans est vnita: idque in genere causæ formalis, quam ob rem Nazianz. orat. 36. 4. de Theolog. ipsum velle hominis Christi *Deificatum esse*, aiebat: ex quo phrasim ebibisse visus est Sophron. epistola citata, & approbata Synodo 6. act. 11. & Damascen. 3. de fide capite 15. longè ante fin. hæc habet: *Non enim humano modo factitabat, vt qui non homo solum, sed etiam Deus. Vnde etiam ipsius passiones, viuificæ, ac salutares extiterunt.* Theodor. Episcop. Anciran. hom. natiuit. 6. Concil. Ephes. capite 10. circa fin. *Mors namque, veluti ipsius Dei facta, mortem demolitur: nam qui moritur, simul Deus, & homo erat.* & capite 2. eiusdem Concilij idem hom. alia de natiuitate contra Nestorium qui hominis Christi passionem Deo adiungere nolebat infert: *Ergo nec sanare eum passiones hominum dicis, neque cruce spoliasse virtutem diaboli, neque nostrum peccatum affixisse ligno, neque propriis passionibus sanasse hominum passiones, neque morte dicis eum destruxisse mortem. Si enim non fecit Deus propriας passiones, vnde passionibus Christi tantatum correctionum sunt factæ virtutes? Sed istæ passiones propriæ factæ Dei, virtutem quidem tantarum correctionum ex diuinitate perceperunt.* Quibus affluxisse videtur Dyonis. Alex. epist. contra Paulum Samosatem apud Turriani Hoplotecham init. dicens: *Diuinè inquam saluos fecit passione propria, & non humanè.* Theandricè vero, & Dei virilis operationis in ratione actiuitatis acceptio est in operatione miraculorum patratiua per voluntatem humanam instrumentaliter, per diuinam principaliter, vt explicueruut Sophronius epist. citata Cyrill. Alex. lib. aduersus Antropomorphitas capite 20. & 22. Leo Pap. 1. epist. 10. ad Flauian. contra Eutychetem capite 4. ante med. Damascen. vbi proximè, & cap. 19. vbi ait Theandricam operationem esse, quod in Christo agit, *altera natura non sine altera.* Quibus fortasse vtrumque Theandricæ operationis genus complexus est.

QVÆSTIO III.

An humanitas Christi, licet non solus, actibus tamen intellectus, & voluntatis diuinæ intelligat, & amet de facto etiam? an saltem possit.

STATVTIS iam contra Monothelitas actibus propriis humanitatis, quibus ipsa & amet, & intelligat: videndum est, an intelligat, & amet etiam actibus diuinis? An saltem illis intelligere possit, & amare?

CERTAMEN I.

Christi humanitas amore, & intellectione diuinis, neque intellexit vsquam, neque amauit.

1 HVgo Victorin. t. 3. lib. de sapientia animæ Christi docet eam intellectione diuina intellexisse, non per essentiam, & suam entitatem, sicut Deus, sed per intellectionis diuinæ communicationem media vnione, id quod, & de eadem ratione videtur dicturus. Hugoni consensit Ioannes de Ripa Apud Vasquez disput. 50. cap. 1. & 1.2. disputatione 7. cap. 1. apud Soar. disputatione 24. sectione 2. in quæstione vero de possibili asserturi videntur Ægyd. de præsentat. tractatu de beatitudine, pluresque Recentiores Salmantini, qui asserunt Beatos posse Deum formaliter videre visione increata

increata Dei quæstionem hanc de possibili Vasq. non attigit tamen si ratione qua de facto negat, stemus, vel sponte, vel inuitus videtur affirmaturus de possibili. Negat enim de facto q. 50. c. 1. fine, quia humanitas non est vnita proximè, & immediatè intellectioni, & amori diuinis: alioqui cum operationes communes sint tres personæ pluſquam voluntate, & affectu humanitati communicassent. Ex hac igitur ratione (quam pro conclusione de facto, debilem, & inconsequentem ostendam) sic infero: ergo posita vnione immediata humanitatis cum cognitione, & amore diuinis, eis humanitas intelligeret, & amaret: atqui vnio immediata humanitatis cum illis est possibilis ergo possibile etiam est humanitatem Christi intelligere, & amare iuxta hanc rationem, actibus illis diuinis. Minor est certa dum mihi repugnantiam non exhibeas.

2 Lugo disput. 16. num. 11. atque alij ex Soario eam exhibent repugnantiam quia actus illi diuini non sunt formæ, neque ad eos est humanitas incompleta sicuti incompleta est respectu personalitatis cui immediatè vnitur. Contra quia licet nihil diuinum forma sit tamen per vnionem sui ad humanitatem effectum formalem illi præstare potest, ac præstat, vt patet in personalitate verbi, quæ humanitatem personam constituit, atque in formalitate diuina, siue Deitas illa, siue persona, siue quæuis alia sit, qua humanitas redditur formaliter sancta, vt dogma Theologicum, imo Catholicum est. Inde etiam impugnatur repugnantia secunda. Etenim, licet humanitas in genere suppositi, ac personæ incompleta non sit respectu actus diuini, quo formaliter sit constituenda persona, vel suppositum, sicut personalitate verbi, ast in ratione intelligentis, & amantis diuinè constituta non est sed incompleta. Secundo illud de complemento humanitatis per personalitatem tanquam per superadditum modum falsum esse ostendebamus d. proem Aliam repugnantiam assignabis proximè, quod scilicet tota Trinitas non solo affectu communicaret, si huius vnio facta fuisset immediatè ad aliquid Trinitati commune Sed ostendimus supra id non inferri adhuc de facto, si facta fuisset in communi aliquo solum vt indentificato cum verbi personalitate: neque Patres contra Patripassianos ex huiusmodi vnione humanitatis ad Deitatem, vt verbo identificatam illam consequentiam deducere, sed ex eo quod Deitati secundum se immediatè vnitam humanitatem assererent, quod est, valde diuersum. Secundo absurdum illud de facto absurdum, vi inferri fortasse aliquibus contra Patres videatur, ast de possibili nemo est, qui reputet absurdum, si vnio immediatè humanitatis ad Deitatem fieret: tunc enim non solum verbum vnitum humanitati diceretur, solumque passum, sicut modo: imo Patrum argumentum vnionis illius immediatæ ad commune satis ostendit nullam ab eis in vnione humanitatis ad Deitatem repugnantiam agnosci, sed solum in ea, quæ de facto fuit absurdum.

3 Cæterum conclusionem nostram negatiuam de facto docent antiqui omnes, si duos citatos excipias, S. Boriauent in 3. disputatione 14. articulo 2. quæstione 3. vbi sanctus Thomas sæpè quæstione prima, articulo 1. quæstione 20. de veritate articulo 1. Marsil. in 3. disput. tatione 14. quæstione 10. articulo 2. p. 3. Capreol. quæstione 1. articulo 2. & in 2. disputatione 7. quæstione 2. Vasq. vbi proximè Soar. disputatione 24. sectione 2. Lugo citatus Vvadingo disputatione 6. dubio 1. Bernal. disputatione 33. sectione 1. §. 1. Salas 1. 2. t. 1. tract. 2. disputatione 2. sectione 1. cum aliis. Nostri Vasquij ratio, quæ nec Soario displicet, nec Lugo posita à nobis fuit numer. 2. Nobis autem displicet prorsus. Primo: quia, vt eodem numero tetigimus lateque supra ostendimus controuersia prima, vnionem humanitatis immediatè ad totam personam verbi, quare, & ad Deitatem essentialiter in persona verbi inclusam, ac communia reliqua terminari, nec ad solam verbi personalitatem, & satis est probabile: ergo licet immediata vnio ad communia requiratur in humanitate vt actibus diuinis intelligat, & amet de facto illis amabit, & intelliget. Secundo ea immediata vnio humanitatis ad eos actus non requiritur, vt eis illa formaliter reddatur amans, & intelligens in eorum principiis: quare etsi mediatè solum vniatur humanitas actibus diuinis ex eo capite non infertur humanitatem actibus diuinis de facto non intelligere, & amare. Assumptum probo: quia humanitas in horum sententia non vnitur immediatè alicui communi prædicato diuino, sed soli verbi personalitati, quod adeo eis certum est, vt oppositum censura graui dignum putent: atqui in eorum etiam sententia humanitas Christi, vel Dei sanctitate, vel Deitate, vel alio communi redditur formaliter sancta: ergo vt diuina formalitate humanitas talis, vel talis reddatur opus non est, vt ei immediatè, & proximè vniatur humanitas: ergo in eorum principiis, licet humanitas non vniatur immediatè, & proximè actibus diuinis poterit tamen illis amare, & intelligere: quare ratio hæc à fundamentis subruit suis.

4 Ab authoritate adeo certam conclusionem æstimat Salas cum aliis, vt definitam putent ab Agathone, Leone, & sexta Synodo citatis: ego vero definitam inficior Solum enim contenderunt Leo contra Eutychetem, Agatho, & Concilium contra Monothelitas fuisse in Christo volitionem creatam nihil statuentes, an etiam simul amauerit volitione diuina, de quo quæstio non erat: Vnde ex eorum principiis certo deducitur fuisse etiam in illo creatam intellectionem: Leo quidem vt ex diuersitate actuum diuersitatem naturarum statueret. Hinc eius testimonium approbatum à Synodo sexta, actu septimo; multum efficaciæ ad horum Doctorum intentum remittit. *Nec enim*, ait, *in quo quam vnam dabimus naturalem operationem, Dei, & creaturæ*, viralem vtique, secus non vitalem, *vt neque quod creatum est, in diuinam inducamus naturam*; Cuius operationis vitalis immanentia per identitatem est, neque, *quod eximium est diuinæ naturæ*, vtpotè vitalis eius operatio, *ad competentem creaturæ locum deiiciamus.* Sensus ergo est, nec operationes vitales volitionis, (& idem est intellectionis) posse esse confusas; quare neque naturas, vt Eutyches volebat: quia operatio vitalis Dei debet esse idem cum Deo: quare si operatio vitalis amoris in Christo humana erat, quia in humanam conversa fuerat natura diuina non posse esse Dei amorem; Si autem humana fuerat in diuinam conuersa non posse esse hominis amorem, qui non poterat non esse creatura, si creaturæ vitalis operatio, & amor esset saltem connaturalis, an vero operatione vitali Dei, eiusvè termino non quidem vitaliter, nec naturaliter alias posset amare voluntas creata? nihil ad suum intentum conduceret non definit, sed ex diuersis Christi voluntatibus diuersas argui naturas: quia debent habere diuersa principia saltem connaturalia, & contra duplici principio duplicem connaturalem operationem, rectè contra Monothelitas eo testimonio, & argumento vtitur sexta Synodus: cum ij duplex principium, & naturas duas in Christo ecognoscerent, quibus duplex connatulalis operatio debebatur.

5 At inquit Bernal. paragrapho secundo. Hæretici ad Cachinos riderent Leonis discursum, ita intellectum. Ipsi enim non asserebant humanitatem, tanquam operatione ipsi connaturali, & debita, De intellectione, & volitione intelligere, & amare, sed tanquam per actum, neque ab ipsa effectum, neque ipsi debitum, sed indebitum, & per indebitam sui cum illo coniunctionem. Monui in primis Leonem contra errorem Eutychetis, non autem contra Monothelitas. Scripsisse secundo, Synodum 6. bene intulisse, nec ridiculè ex natura humana ab eis admissa debere concedi ab ipsis connaturalem illi operationem, nec solum diuinam ex Leonis testimonio, & discursu, id quod solum contendebant. Tertio si ridicula ea argumentatio est, Bernal. paragrapho tertio, eius ticulum sic terminat? *Habuisset Christus scientiam creatam etiamsi sciens fuisset per increatam:* atque hoc eodem Leonis, & Synodi 6. discursu in primis probat? Eandem patitur explica-

tionem testimonium Agathonis aliud, atq; aliud eiusdē Synodi act. 4. pro eorum Doctorum intento. Etenim quoad naturæ rationem attinet, vtrumque loquitur, quod negantibus definitum super hoc aliquid fuisse satis erit; vtque rem hanc absoluamus rogo aduersarios definitanè sit ab eis Patribus impossibilitas amandi, & intelligendi humanitatem Christi actibus diuinis? negabunt omnes id esse definitum, sed inde negare debent definitum esse de facto: nam definitio de facto debebat esse ex aliquo scripturæ loco, vel expressa propositione Concilij, aut discursu reuelato, & definito quorum nihil tale extat, nisi quatenus admittendam probat in Christo volitionem creatam humanitatis: quatenus autem probat negationem amandi, aut intelligendi actibus diuinis eodem modo probat discursus de possibili. Imo à ratione probari hanc conclusionem non aliter posse censeo, quam probata impossibilitate, siue ab impossibili, de quo cert. seq.

CERTAMEN II.

Impossibile est humanitatem Christi actibus diuinis intelligere, vel amare.

1 ÆQuè ferè est conclusio negatiua de possibili, atque de facto communis, & iure quidem. Si enim possibile humanitati sit actibus diuinis intelligere vel amare, cum maxima humanitatis perfectio sit, vnitæ verbo de facto negari haud facilè poterit. Probat Bernal. quia cognitione increata humanitas comprehenderet Deum incompossibilem à creatura: quia cognitio increata essentialiter est Dei cōprehensio. Resp. aliqui nō posse cognitionē increatam vnius humanitati secundum omnes sui formalitates. Impugnat Bern. quia non est maior ratio, vt possit secundū vnā, quā vt possit secundū omnes: cum tamen implicatio in vnione secundum omnes sit, non autem secundum vnam, vel aliquas impugnaret melius, quia cognitio diuina est formalitas indiuisibilis è suoque indiuisibili adhuc formaliter, conceptu infinita in genere cognitionis, sicut de quauis formalitate, & prædicato diuino sæpè monstrauimus: ergo implicat vnius humanitatem cognitioni diuinæ secundum vnam formalitatem, ac non secundum omnes. Respondent secundo idem requiri à pluribus æqualitatem inter cognoscentem, & cognitum ad comprehensionem, quæ posita etiam cognitione diuina in humanitate cognoscente non esset inter hanc & Deum, sed contra: quia licet ea æqualitas requiratur inter obiectum, & cogoscentem elicitiuè ad comprehensionem, secus cum cognoscens non elicit comprehensiuam cognitionem, sed solum illam aliunde elicitam accipit se mere passiuè, aut quasi passiuè habendo: vt in nostro casu contingit.

2 Infirmius arguit Bernal. idem argumento alio, quod pluribus gratum fore sperat num. 17. quia inquit, si Dei cognitione humanitas cognosceret, cum diuina cognitio inuariata sola obiecti extrinseci positione illud repræsentet, atque à motione eadem met cognitio diuina illud non repræsentet, fieret humanitatem sine vlla Physica, vel reali sui mutatione cognoscere in hoc instanti obiecta, quæ in proximo non cognouisset, in quo obiecta quæ nunc sunt, non existebant: hoc autem est implicatorium, quod vix ob Dei infinitatem, & eminentissimæ virtutis cognoscitiuæ excellentiam in Deo saluatur. Sed tamen nescio qua spe gratum aliis fore confidebat argumentum, quod ipsi vno ex capite tandem displicuit, cum ex pluribus posset? Etenim neque absurdum aliquid inferretur, si concluderetur intentum argumenti, neq; intentum concluditur. Etenim non concluditur modo cognoscere cognitione diuina, quæ antea non cognoscebat sine vlla mutatione reali humanitatem, vel enim antea etiam cognoscebat cognitione diuina, qua tunc etiam informaretur, vel neque ea informabatur, nec cognoscebat humanitas, si postremum hoc: cum nunc cognoscit quæ antea non cognoscebat mutatio realis adest informationis, siue vnionis diuinæ cognitionis quæ immediatè antea humanitati non aderat. Si primum sicut Deo semper repræsentat cognitio diuina eadem, & omnia quæ ab æterno repræsentabat ita ab instanti primo vnionis humanitatis eadem, & omnia semper humanitati repræsentaret: quare non cognosceret nunc, quod antea non cognoscebat difficultas autem re vera est, an eadem repræsentaret casu quo aliqua obiecta, quæ aliquando sunt, numquam essent? Si enim cognosceret cognitio esset falsa, quod repugnat diuinæ, quia cognoscere humanitatem aduersarij aiunt: si non cognosceret, sine vlla variatione esset cognoscens humanitas, quæ modo est cognoscens. Sed hæc difficultas in cognitione diuina est, non autem in eius coniunctione cum humanitate, atque formali effectu cognoscendi præstiti per cognitionem diuinam humanitati: quare nihili ad casum præsentem refert, nihilque absurdi continet.

3 Duplicem impossibilitatis huius solidam, & à priori rationem attigerunt, Leo, & Agatho, atque ex ipsis Synod. 6. Prima continetur datis verbis illis Leonis cert. 1. n. 4. *vt neque, quod creatum est in diuinam inducamus essentiam; neque quod eximium est diuinæ naturæ ad competentem creaturæ locum deiiciamus.* Quibus probat vnius naturæ operationem non posse alteri naturæ inseruire saltem connaturaliter, vt vidimus; sed principium probat, adhuc potentia absoluta non posse; Est autem huiusmodi ratio. Nulla formalitas diuina tribuere potest suum formalem effectum, nisi ei cui identificatur, siue quem quasi informat identicè; at actus intelligendi, & volendi diuini non possunt identificari humanitati vnitæ, siue illam identicè quasi informare, ergo neque possunt illam reddere formaliter amantem, vel intelligentem. discursus est legitimus, minor euidens. Maior haud obscurior, sed quam fusius illustraturi sumus q. 4. pro impossibilitate communicationis effectuum formalium humanitati à reliquis attributis diuinis non vitalibus vbi eodem discursu contra Vbiquistas agemus. Secunda special s pro his actibus diuinis vitalibus facta fuit ab Augustino aduersus Iulianum dicentem voluntaris motum esse illius tantum, cuius est natura voluntas. Angeli tantum, quia ab huius voluntate, & natura est, hominisque, quia natura, & voluntate hominis, & Dei tantū quia ab eius voluntate, & natura. Quibus recitatis ab Agathone epist. cit. & approbata à 6. Synod. concludit. *Vnamquamque earum, quas hic spiritualis Pater dinumerauit naturas proprium motum habere, & vnicuique assignari debere voluntatem*, id est volitionem: *Nec enim potest Angelica natura diuinam habere voluntatem, neque humana natura voluntatem Dei, & Angeli.* & infra, *necesse est, & duas nos naturales in eo fateri voluntates, diuinam scilicet, & humanam: quia neq; diuinam eius, quantum ad naturæ rationem pertinet humanam habuisse voluntatem dicendum est: neque rursus aliquam ex eisdem Christi substantiis absq; naturali extitisse voluntate.* Tacta etiam fuit à Damasc. 3. de fid. c. 14. & 15. Ambros. 2. de fid. c. 4. Leone 1. epist. 10. ad Flau & 96. ad Leon. Augusst.

4 His verbis ratio secunda à priori, & animastica continetur pro præsenti conclusione specialis, vt dicebamus. Sic eam instruo cum Lugo d. 18. n. 9. Actus vitalis essentialiter est formaliter, vel præsuppositiuè motus ab animo, & viuenti cuius est procedens: sed actus intelligendi, & volendi vitales essentia sua sunt: ergo essentialiter sunt formaliter, vel præsuppositiuè motus ab animo, & viuenti, cuius sunt. Maior est certa ex comm. de anima, d. de actu vitali. Minor haud dubior, vtraque expressa à Trid. sess. 6. Can. 4. damnante eos, qui nihil arbitrium nostrum agere ad actum charitatis, *Sed velut inanime quoddam mere passiuè se habere*, aiebar, vbi vt Sinonimum operationis non viuentis, seu vitalis ponitur, quod non agat in illā, qui eam patitur, & dicitur actū amoris esse operationē non ab inanimi princip. solum, sed à viuenti, quod ipsum de cognitione dictum pura, & qui ē actualis tendentia animi in obiectum, siue cognitū. siue amatum absq; eius attentione intelligi nequit, sicut neq; attentio animi siue ipsius operatione. Pergo ex illa consequentia: atqui intellectio, & amor diuinus nequeunt esse motus ab animo, & natura humanitatis Christi: ergo nequeunt cognitio & amor diuinus esse cognitio, & amor humanitatis Christi: ac proinde, neque eis humanitas intelligere, & amare. Assumptum est certius, quam vt egeat probatione: nam cognitio, & amor diuinus nequeunt à creatura procedere. Dices etiam nequeunt à Deo procedere, vel produci, & tamen sunt actus virales, & cognitio, & amor Dei. Difficultas hæc non est huius loci satis fuerit nunc asserere procedere à Deo virtualiter, siue esse eius intentionalem motum, quod ij actus non habent respectu humanitatis.

5 Ex his sanè patet disparitas inter effectum formalem sanctificationis humanitatis per Deitatem, & subsistentiæ per subsistentiam diuinam hæ enim formalitates diuinæ vitales non sunt, nec petunt ab eis procedere, cuius sunt, suosque formales effectus communicant, vt fileam modo discrimen aliud ex ratione prima petitum, quod debeat scilicet attributum quoduis diuinum, vt suammet formalitatem communicet, alicui habere cum illo physicam, & realem entitatem, vt q. 4. latius prosequar. Patet etiam ex hac vltima ratione cur Deus speciei impressæ sui munus in mentibus Beatorum supplere possit, secus expressè quæ vitalis est. Obicies Greg. M. lib 8. epist. 42. dicente contra Agnoitas iudicij, & aliorum ignorantiam Christo Tribuentes. *Res autem va'de manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse non potest: nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere esse aliquid, quod Dei sapientia ignoret?* & Damasc. 3 de fid. cap. 22. *Qui asserunt Christum progressum in sapientia fecisse, negant vnionem factam esse à primo ortu. & Nestorio fidem adhibent.* Atqui ex ignorantia humanitatis Christi, de aliquo vel ex progressu in scientia non infertur vel negatio, vel dilatio vnionis illius ad verbum, nisi supponatur humanitatem media vnione scientia diuina intelligere: ergo id fentiunt hi Patres, Respondeo primo: Patres non de humanitate, sed de Christo, atque hoc homine concretè sumpto loqui, de quo nisi negata vnione, vel admissa dilatione vnionis humanitatis ad verbum, vel ignorantia, vel in scientia progressus dici absolutè nequit: cum vbi primum fuit qua Deus omnia increata scientia nouerit. Secundo respondeo cum Vasquez disp. 89 n. 42. & si loquantur de humanitate non supponi ab eis illam cognitione diuina intelligere, sed iure vnionis creatam omnium scientiam deberi, atque euidentia physica inferre illi fuisse concessam à primo ortu: quare nihil exinde ignoraſſe: quare admissa ignorantia, vel progressu in scientia eadem euidentia negandam esse vnionem, vel absolutè cum Nestorio, vel à primo ortu, licet non euidentia metaphysica, cum posita etiam vnione posset absolutè Deus creatam omnium scientiam humanitati denegare, vel differre, sicut alia distulit, quæ iure vnionis humanitati etiam debebantur.

QVÆSTIO IV.

An diuina attributa non vitalia suos formales effectus humanitati Christi communicent.

NON agimus de formali sanctificatione humanitatis per Deitatem de qua integra instituetur disputatio sequens, sed de attributis aliis nō vitalibus v. g. immensitate, æternitate, facultatibus, ac potentiis, intellectus, & voluntatis diuinis, omnipotentia, si ab actibus intellectus, & voluntatis diuinæ admiratur diuersa, tunc enim non vitalis dicenda est. De omnibus enim communibus formalitatibus diuinis non vitalibus eadem est, & dubitandi, & definjendi ratio.

R. P. Christoph de Ortega, de Dei incarnat.

CERTAMEN I.

Vbiquistarum error, & fundamenta.

1 VBiquistæ apud Valentiam, 3. parte quæstione 2. disputatione 1. 3. §. 2. errore nouo antiquam Eutychetis hæresim suscitarunt: asserentes, nec solum Christi personam, vi vnionis hypostaticæ ita diuinas perfectiones participasse, vt verè sit, ac dicatur omnipotens, æterna immensa, seu vbique præsens, mundi conseruatrix, & directrix, vt constat ex Schmidelini propositionibus 134. & 296. repetitionis Vvitemberg. & ex refutatione libri primi Valentiæ de vbiquitate, pagina nona, & vigesima-prima. Addunt non eodem modo Deitati communicata esse humana, quo humanitati, quæ Deitate assumitur, & perficitur, non autem hanc perficit neque assumit communicata sunt diuina. Probant ex 2. ad Colossenses. *In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Id est diuina omnia in corpore Christi sunt, etiam attributa, sine quibus Deitatis plenitudo non est, vt idcirco Patres plures accepisse Christum secundum humanitatem dicant, quæcumque etiam diuina, in tempore accepit: ergo est humanitas omnipotens, & immensa. Negatur consequentia ob dicenda cert. 2. & 3. item ex Math. 18. *Data est mihi omnis potestas*, atque ad Philip. 2. *Potestas eius potestas æterna*: Sed hæc de persona Christi non de humanitate dicuntur. Tertio: quia Patres sæpè, quæ sunt Dei propria, de humana natura, & voluntate prædicant vt Damascenus aiebat, *vt autem verè, & secundum naturam Dei verbi voluntas, humana facta est, omnipotens est.* Quomodo, & similibus Patres plures loquuntur: ergo admittunt Patres diuina attributa communicare vi vnionis suos effectus formales humanitati, atque Vbiquistarum propositiones: nempè naturam humanam, eiusque voluntatem esse *omnipotentem*.

2 Respondeo Patres sæpè in iis, ac similibus propositionibus abstractum pro concreto vsurpasse per Synedochem partem pro toto acccipientes sicut contra se etiam concretum pro abstracto per eandem figuram aliis locutionibus vsurparunt. Patet id quidem: nam sæpè, dum aliqua naturæ alteri non conuenire contendunt, ea tamen prædicant de illa, quia nimirum eam pro concreto vsurpant. Sic Vigilius Pap. 2. contra Eutych. contendens nihil perpessam fuisse in passione diuinitatem nihilominus dixit. *Clauis diuinitas confixa est, sed ipsa penetrari non potuit.* quibus verbis nisi abstractum pro concreto vsurpetur, & contra suum intentum, & veritatem, & contra additionem sententiæ Vbiquistarum recitatam Vigilius loqueretur. Sic ergo locutos Damascenum, & Patres obiectos dicendum est. Respondeo secundo dici à Damasceno, humanitatem, eiusque voluntatem omniporentem, quarenus per vnionem facta est organum, & instrumentum Dei proprium ad miracula, & omnipotentiæ opera patranda, quo sensu Mysten. tr. de anima dixit, *Verbum tradens corpori, & animæ suæ diuinitatis virtutem. &c.* & Ephes Concil. *Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem esse; quia facta est propria verbi cuncta viuificare valentis anathema sit.* Sed fortasse germanior testimonij huius ex Ephesino sensus fuerit humanitatem Christi, quia verbi est, viuificatricem esse non physicè quidem sed meritoriè respectu nostri hominum quos peccato mortuos, suis meritis à verbi dignitate dignificatis ad gratiæ vitam reuocauit.

3 Quarto inquiunt, à pluribus Patribus caro, & humanitas assumpta eiusdem gloriæ esse cum Deo assumente dicitur: ergo quia gloriæ diu. formaliter fit particeps ratione vnionis. Sic Basil. in psal. 21. aiebat. *Natura assumpta diuinitati assamenti eam vnita est, eiusque gloriæ, & honoris particeps.* Cyril. Alex. 10. Thesau. c. 9. *Paternam gloriam in hominem, quem assumpsit, petendo, vt homo traducit.* Theodoret. lib. 1. c. 5. *vt homo accepit gloriam, quam habuit, vt Deus.* Respondetur: non loqui hos Patres de gloria, & dignitate diuina formaliter æquali in huma-

nitate, sed quæ ad illam, quam proximè possit, accedat, omnemque pure creatam antecedat longè, vt disputatione sequenti, & controuersia sexta, disputatione vltima de adoratione fusius ostendemus, vbi ea, & difficiliora alia loca explicabimus, quod si eandem diuinam, & æqualem Deo dignitatem humanitati vi vnionis communicari, quare & eandem adorationem ipsi atque Deo deberi admittamus, magnum argumentum damus Vbiquistis. Interim satis ad præsens fuerit non agi hic de dignitate diuina vnione formaliter communicata humanitati: siquidem petitione humanitatis iam vnitæ traductam siue obtentam ipsi aiebat Cyrillus. Denique arguunt ex illis Symboli Nicæni, & Athanasij: *Sicut anima rationalis, caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.* Ergo sicut anima rationalis sui vnione ita corpus informat, vt se suamque virtutem ipsi communicet, nihilque adhuc intellectionem, nisi per ipsum, & cum ipso operetur (iuxta Deuteron. 29. *Non dedit tibi Dominus cor intelligere?* & 1. Regum 3. *dedit tibi cor sapiens.*) Ita Deus vnionis vi sic se, suamque virtutem communicat humanitati Christi, vt nihil nisi per illam, & cum illa operetur. Nego in primis suppositum consequentis: intellectione quippè non intelligit formaliter phantasia, neque eo sensu eius actus est intellectio, licet ex parte obiecti à phantasia procedat: oporteret autem, vt intellectio esset phantasiæ, & corporis actus, quo intelligeret, vt inde probaretur vi similis vnionis humanitatem Christi cognitione increata intelligere, atque aliorum diuinorum attributorum formalitates participare, testimonia adducta cor pro habitudine, & dispositione animi ad intelligendum vsurpant, vt Ezechiel. 36. *Auferam à vobis cor lapideum, &c.*

4 Respondeo secundo negando absolutè consequentiam. Nam similitudo non debet in omnibus tenere, neque se vltra intentum Athanasij, & Concilij, quæ illam docuerunt. Solum enim contendunt non esse duas personas Christum, sed quid vnum, & veram personam ex vtraque natura diuina, & humana sine vlla earum confusione, aut alterius in alteram conuersione, quæ si adesset, nec duplex natura in se consisteret, neque Christum com oneret: sicut si anima in carnem conuerteretur, aut cum illa confunderetur hominem componeret. Sed enim reclamant Hæretici nouatores, *nisi* attributa diuina formalitates suas humanitati communicare fateamur Nestorianos nos esse, ac cum Mahometanis de Christi dignitate sentire, qui de Christo nihil diuinæ dignitatis prædicant, sed solum humanis superiorem, creatam tamen. O quam bene errores Nestorij, & Mahometi caluerunt isti. Nestorius errauit, vt vidimus disputatione secunda, quæstione tertia, negans vnionem physicam vtriusque naturæ in persona verbi, ac proinde negans in Christo veram, & realem personæ diuinæ vnitatem; non autem quod vnitate personæ admissa, atque vnione physica vtriusque naturæ in illa, negaret diuina attributa suas formalitates humanitati vnitæ communicare, ac proinde non esse hanc immensam, æternam omnipotentem doceret, quod prorsus Catholicum semper fuit; Mahometus vero errat, quod neget Christum Deum, ac proinde quod eius dignitatem ex vnione humanitatis ad Deitatem, siue personam diuinam prouenire neget, solumque eiusdem generis cum dignitate aliorum Sanctorum, ac prophetarum, licet in eo excellentiorem in Christo fateatur. Quod si nos, quia diuinæ æqualem dignitatem formaliter à dignitate formali diuinâ communicatam humanitati negamus, licet à Deitate importatam, fatemur Nestoriani, & Mahometani sumus Schmidelino, dicat nobis quis ipse sit, qui eam humanitatis dignitatem, & maiestatem creatam absolutè, & increatam minorem licet reliquis creatis superiorem docet esse, d. Vvitemberg. propos. 170. & 190. & cum Vbiquistis reliquis Apologia Vbiquetariæ concordiæ prima parte, capite primo, folio quarto, & capite tertio, folio sexagesimo octauo.

5 A ratione ita arguunt, vt præ ignorantia, & cæcitate non fide solum sed ratione carere videantur. Eatenus solum Deus est homo in nostra sententia catholica, quatenus est habens, seu sustentans humanitatem, non autem quatenus Deitate ranquam forma Deus constituitur humanitas: Ast Deus sustentat etiam omnia: ergo dici etiam poterit: Deus est equus, musca, & reliqua. Obardos? Sed distinguo maiorem: quatenus est habens, ac sustentans *tanquam principium producens, & conseruans humanitatem*, nego maiorem; *tanquam terminus vnionis* cum ipsa *qua possessiuè* est habens & sustentans *tanquam terminus etiam dependenter à cuius vnione ponitur existentia humanitatis* in nostra sententia concedo maiorem, & distinguo minorem tanquam principium producens, & conseruans solum est sustentans omnia concedo minorem, & nego consequentiam. Arguunt secundo: verbum prout in actu primo est ante vnionem non sustentat humanitatem, sed prout in actu secundo vnionis? atqui actus secundus hic est vnio: ergo vnio non verbum est homo. Distinguo antecedens primum: non sustentat potentia, nego, actu concedo. Distingo similiter primam consequentiam: & concesso subsumpto nego consequentiam; nam posito illo actu reducitur potentia sustentandi verbi ad actum. Vide tuum discursum. Deus secundum se in actu primo ante operationem nihil creatum sustentat, sed prout in actu secundo operationis: at hæc est actio non Deus: ergo Deus nihil creatum sustentat, quomodo ergo assumebas in argumento primo Deum sustentare omnia ranquam Catholicum, vt verè est, dogma Deum omnia sustentare.

6 Sed iam Logicam exacuunt Hæretici, atque instant: ergo hæc propositio. Homo est omnipotens, omniscius, immensus, & Deus est purè materialis: quia nisi humanitas ponatur in recto ex parte subiecti, tanquam quid omnipotentiam participans, siue immensitatem, & Deitatem, ponetur Deus: ac proinde erit sensus Deus est Deus, cum dicitur homo Deus. Nego consequentiam: Est enim sensus *habens humanitatem, est habens Deitatem*: quare formalis propositio denominatiua, qua significatur eandem, & communem esse vtrique naturæ personam. Instant rursus, si humanitas nequeat esse huius propositionis *Homo est Deus* subiectum, communicatio idiomatum verbalis erit, non realis, quod est absurdum. Negatur facilè assumptum: quia licet omnis prædicatio, & communicatio idiomatum verbalis sit, realis tamen dicitur cum prædicatum vtrumque reipsa, nec sola voce conuenit subiecto, quod in prædicatione per communicationem idiomatum inuenitur; quia Deus, & homo, & quæcumque vtriusque naturæ prædicata, nec sola vox eidem personæ denominatiuè conueniunt: nam re ipsa eadem persona, quæ habet Deitatem, & cætera diuina, habet humanitatem, & Cætera humana. Hucvsque discurrerunt Hæretici pro suo errore cum tamen pro illo plura subtiliora argumenta, & quæ non parum Catholicis negotij facesserent ad manum sint, vt statim in sequentibus certaminibus ostendemus; Sic tamen fieri oportuit, vt clarius pateat cum fidei oculo etiam rationis ocellum caligare.

CERTAMEN II.

Vbiquistarum error confutatur.

1 NOuus Vbiquistarum error damnatus in aliis vetustioribus fuit. Primum in Concilio Calcedonensi contra Eutychetem in confes. fid. vbi naturarum Christi confusio damnatur, distinctioque asseritur illis verbis: *Nulla naturarum differentia sublata, sed salua magis vtriusque naturæ proprietate.* Neque enim humanitas potest esse Deus, immensa omnipotens, nisi humanitatis, ac Deitatis confusio, & identitas per vnionem facta

facta admittatur, vt statim arguentes ostendemus. Respondet Schmidelinus repetit. Vvitemberg. propositi. 152. ac 153. se non confundere naturas sed solum asserere humanitatem per personalem vnionem propriam esse, ac manere Verbi, quod illi communicat sua. Sed tamen Eutyches eam proprietatem iure vnionis personalis, eamque personæ vnitatem recognouit, & tamen propter diuinorum cum humanis confusionem damnatus est, quia absque eorum identitate esse non poterat. Eiusdem erroris damnationem, ac rationem damnandi dedit nobis Hieronym. ex positione fidei ad Damasc. dicens: *illorum execramur etiam blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur à tempore susceptæ carnis omnia, quæ erant diuinitatis in hominem commigrasse, & rursus, quæ erant humanitatis in Deum esse transfusa, vt, quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione vtraque exinanita substantia, Deitatis, videlicet, & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse commutata.* quam eandem sententiam eisdem ferè verbis habet August. serm. 191. de temp. Nec satis est, quod Vbiquistæ physicè essentialiter humanitati diuina non tribuant: quia neque ita vllus ex antiquis hæreticis delirauit, sed solum arcano modo humanitati diuina tribuebant. Inde vero Patres eos impugnabant: quod nisi identitas, & confusio naturarum, & proprietatum admitteretur diuina humanitati tribui non possent.

2 Ex aliis antiquioribus Synodis nihil contra hunc errorem firmum inuenies. Licet Valentia, citato. lib. 1. de vbiquitate per patriarchos plures damnatum in aliis contendat. Maxime §. 10. damnatum suadet Synodo. 5. atque ab Ephesina, ex quibus aliqua recitat testimonia, quæ me iudice rem languide suadent, nihilque proinde persuadent. Addit Vbiquistas cum Monothelitis esse damnatos, quos ex parte imitantur: illos enim damnatos censet non solum, quod creatam volitionem, & intellectionem humanitati Christi negarent. Sed etiam quod eam diuinis actibus intelligere, & amare docerent. Verum ostendimus, q. 3. cert. 1. de hoc extremo damnatos Monothelitas non fuisse. Secundo Vbiquistæ nihil de actibus vitalibus diuinis expresè loquuntur, sed de Deitate, immensitate, cæterisque non vitalibus Dei attributis, ex quibus ad actus vitales diuinos consequentia non tenet, vt constat ex ratione data q. 3. cert. 2. cæterum in Concilio Basilien. propositiones sequentes Augustini de Roma Archiepiscopi Nazareni, quæ eædem omnes Vbiquistarum sunt, summo Patrum consensu fuere damnatæ. *Humana natura assumpta à Verbo ex vnione personali est veraciter Deus naturalis.* Secunda: *Duæ naturæ in Christo, humana, & diuina æqualiter diliguntur à Deo, & æqualiter sunt diligibiles propter personam communem.* Tertia: *Humana natura Christi est persona Verbi.*

3 Hæc ab authoritate: A ratione arguo quia si vnio hypostatica satis est, vt diuina prædicentur de humanitate: ergo satis etiam erit, vt de diuinitate prædicentur humana implicat enim hoc esse illud, & illud non esse hoc: atqui vnio hypostatica satis est, vt hoc aperte esse dicatur illud: ergo satis erit, vt illud dicatur esse hoc. Neque vero negari potest ab Vbiquistis: cum æquè admittant in suo sensu *homo est, Deus*, & *Deus est homo*: in quibus non personam, sed naturas in recto poni eis nominibus asserunt atque abstractis etiam vnam de alia naturam enuntiant: *humanitas*, nempè *est Deitas.* Videant autem quot inde legitimè inferantur absurda ergo Deitas est passibilis, ac de facto est passa: Ecce Acephalismum, & Eutychianam vesaniam. Item ergo humanitas est impassibilis: quibus contradicunt Deitas non est passibilis nec passa: humanitas fuit passa, & passibilis: item secundum humanitatem Christum esse creaturam, & creatorem: se ipsum produxisse, atque à se esse productum: esse se ipso superiorem, & inferiorem: se ipsum sustentare: & hæc quidem secundum naturam eandem, vt fugi contradictio nequeat: quæ etiam de Deitate, ac secundum Deitatem de Christo verificari iuxta Vbiquistas negari nequeunt: cum non minus arcano illo eorum modo, ipsi etiam Deo arcano, & imperceptibili Deitas humanitati, quam humanitas Deitate media vnione communicet.

4 Fors dicent vnionem illam naturarum, quæ satis sit, vt altera de altera cum suis proprietatibus enuntietur, quæque apponit arcanum illud identitatis certæ, quæ Verbo *est*, significatur, non esse naturarum inter se, sed in tertio, nempe Christo, qui vna, eademque persona est homo, & Deus, vt ex præceptore Luthero explicat Schmidelinus contra 1. librum Valentiæ de vbiquitate pag. 50. *sunt vnum*, inquit, *personale, non vnum identicum: idest in persona Verbi vnita sunt diuinitas, & humana natura.* Sed contra: quia licet afferat vnio compositi vnitatem, & identitatem personæ hoc satis non est, vt natura, eiusque proprietates de altera prædicentur, vt Vbiquistæ volunt, licet satis sit, vt vtraque eiusque proprietates de eadem prædicentur persona. Probatur: quia anima, & corpus eodem modo conueniunt in tertio vnius compositi, quod media sui vnione constituunt, & tamen ex tertij vnitate non habent quod satis est, vt alterum, eiusque proprietates de altero enuntientur. v.g. *corpus est anima*, vel *spirituale, indiuisibile.* secundo vrgentius: neque identitas in tertio ad enuntiationem extremi vnius de alio potest sufficere, non solum ratione vnionis. sed etiam identitatis, quæ strictior coniunctio cum tertio est. Alioqui cum personæ Trinitatis in tertio essentiæ identice conueniant, nec solum vnitiue, dici vna persona de alia, atque enuntiari valeret, debereque v.g. *Pater est Filius*, & *Filius est Pater*: atque vterque de Spiritu Sancto ad conuertentiam diceretur: quod est prorsus hæreticum: insuper admittere debent de Christo secundum humanitatem vbiquitatem, seu immensitatem, & æternitatem, etiam ante resurrectionem, quod sibi repugnantes negant. Cum ante illam habuerit vtraque natura vnitatem in Christo, quem constituunt, & identitatem in eius vna persona.

5 Ex his arguo secundo à priori ratione, quam supra num. 1. infinuabam ac Patres, præsertim Hieronymus, attigerunt. Etenim ad veram enuntiationem vnius de alio, vtriusque identitas, saltem secundum rectum significatum, requiritur, vt lippis est, & tonsoribus natum ea quippe identitas copula, *est*, significatur, cum hoc dicitur esse illud: atqui cum dicitur humanitas, est Deitas, vel est Deus, rectum subiecti non est idem cum recto prædicati, nisi Eutychiana confusio, seu conuersio vnius naturæ in aliam admittatur, vt Patres dicebant: ergo nequit verè Deitas, vel Deus enuntiari de humanitate. Minor probatur: quia humanitas talis manens nequit esse idem Deitate in suo esse perseuerante: ergo cum dicitur ab Vbiquistis *humanitas est Deitas* rectum subiecti non est idem cum recto, imo neque cum aliquo prædicati. Sed neque cum prædicatur de humanitate Deus in concreto, v.g. *humanitas est Deus*; siue enim *Deus* sumatur adiectiue, siue substantiuè eius nominis rectum non est idem quod humanitas. Etenim *Deus* substantiuè sumptus dicit in recto Deitatem: idem enim est ac Deitas in supposito, siue cum personalitate: ast Deitas idem, quod humanitas non est: ergo rectum extremorum, siue subiecti, & prædicati in hac propositione *humanitas est Deus* non est idem sumpto substantiue *Deus*, sed nec rectum vocis *Deus* adiectiuè vsurpatæ idem est quod humanitas, de qua in ea propositione enuntiatur. Deus enim adiectiuè acceptus idem valet atque habens Deitatem. Pro rectoque dicit personam, quæ Deitatem claudit, vel (vt verius puto) personalitatem siue vltimam singularitatem naturæ, quasi physicè communis: ast neque persona tota neque eius personalitas est idem cum humanitate: ergo subiectum huius propositionis *humanitas est Deus* non est idem cum recto prædicati, & si *Deus* adiectiuè vsurpetur quare nisi Eutychiana naturarum confusio, vel alterius in alteram conuersio ab Vbiquistis admittatur, nequeunt illæ propositiones ab eis asseri.

CERTAMEN III.

Nec denominatiue humanitas est Deus, immensa, vel omnipotens.

1 Dices hoc nomen *Deus* adiectiuè, ac denominatiuè sumptum posse sumi non solum pro habente Deitatem tanquam personam, seu personalitem, sed tanquam subiectum vnionis ad Deitatem, quod quidem est, humanitas in vulgata plurium Theologorum sententia: sic autem accepta denominatiue, & adiectiuè voce Deus rectum subiecti, & prædicati huius propositionis *humanitas est Deus* idem est: nam humanitas eo sensu est habens subiectiue, seu quasi subiectiue Deitatem: quare eadem veritate, & proprietate dici poterit *Deus* adiectiuè sumptus, atque paries, vel homo dicitur Albus. Moneo hac solutione Vbiquistas vti non posse. Tum quia eodem modo dici posse aiunt. *humanitas est Deitas*, atque *humanitas est Deus*. Cum tamen in prima propositione Deitatis in abstracto locum adiectiua, ac denominatiua vsurpatio non habeat: tum etiam, quia prædicata denominatiua verbaliter solum de subiectis prædicari, eisque conuenire aiebant cert. 1. num. 6. quare licet hoc sensu ea propositio admitteretur, non satis Vbiquistis foret. Respondeo tamen vocem *Deus* communi acceptione, à qua recedere cordatis, nedum Catholicis, non licet etiam adiectiue vsurpatam non denotare subiectum physicum vnionis suæ, sed solum formale sustentatiuum metaphysicum Deitatis, siue eius vltimam singularitatem, quasi physicam nempè personalitatem: quare humanitas ab vnione Deitatis denominari quidem poterit *Deifera*, ac *Deificata*, nusquam autem Deus adhuc adiectiuè vsurpato nomine *Deus*. At dices sic res habeat in nomine Deus: sat in his vocibus immensus, omnipotens quæ adiectiua natura sua sunt: ac præsertim omnipotens, quod est adiectiuum, ac denominatiuum potentiæ diuinæ, siue omnipotentiæ, secus res videtur habere. Nam potentis nomen adiectiuum denominatiuum est subiecti, quod vnionis, siue inhæsionis physicæ iure potentiam habet: vnde de ferro ignito verè prædicatur esse calefactiuum, ignitiuum potensque ad ignem, vel calorem producendum: quia ad hæc potentiam iure vnionis ad illa habet: ergo, & humanitas vi vnionis ad omnipotentiam verè dicetur omnipotens.

2 Respondent Recentiores, vt aliquid effectum suum formalem denominatiuè præstet, debere ad illud comparari tanquam constituens vnum per se cum illo: quomodo attributa, & diuina reliqua à personalitate Verbi cum humanitate non comparantur. Contra: quia vnum per se constituendum ex forma, & subiecto denominando non debet esse vnum per se substantiale, siue suppositum, tum quia accidentales cum subiectis denominatis vnum per se eo sensu non constituunt, quare, licet metaphysicè sumpta attributa diuina reliqua non constituant vnum per se cum humanitate, poterunt illam denominare: tum quia physicè sumpta æque componunt vnum per se nempè Christum, atque Deitas cui physicè identificantur: tum denique, quia à sanctitate Deitatis, quæ non substantia formalis Dei, sed eius attributum est sanctificatur humanitas, denominaturque sancta. Recurrere Vasquez posset ad mediatam vnionem humanitatis respectu communium attributorum, quod supra impugnauimus, nuncque rursus ex eius principiis impugnatur quia ipse docet præsentiam immediatè vniri, ineſseque quantitati, ac mediatè solum substantiæ, & tamen hanc præsentem facit, ac denominat. Tertio alij respondent vtramque coniungentes solutionem. Aiunt enim effectus formales communicatos etiam adiectiuè, seu denominatiuè à forma physica, vel metaphysica naturæ vni, non posse mediatè alteri communicari naturæ cui vnitur illa, ni vnum per se cum illa constituat. Sed cum vtraque huius solutionis pars impugnata seorsim sit, tota satis erit reiecta. Contra rursus quia personalitati, seu personæ Verbi, cui humanitas vnitur, & cum qua vnum per se constituit communicatur immediatè diuinitas, & attributa, maxime existentia: ergo humanitati communicabunt ea omnia suos formales effectus, de eaque adiectiuè, siue denominatiuè prædicabuntur.

3 Solida ergo ratio petenda ex Patribus est non alia ab ea, quam dedimus, vt negaremus Deum in concreto adhuc posse de humanitate adiectiuè adhuc, seu denominatiuè prædicari quia nimirum attributa Dei non præstant suos formales effectus nisi subiecto siue physico, siue Metaphysico, cui re ipsa identificantur: ad idque imposita communi hominum acceptione huc vsque perdurante, semperque perduratura fuere. Vnde fit vt omnipotentis, æterni, immensi nominibus Deus æquè intelligatur, atque nomine Dei, vt idcirco Doctores omnes neminem Vbiquistam esse posse dicant, qui Eutychianus non sit, ac humanitatis, & Deitatis confusionem non admittat. Cum ergo humanitas vi vnionis cum diuinis attributis, ac formalitatibus non identificetur, nequit adhuc adiectiuè ab eis denominari denominationibus diuinis. Huic solutioni, & doctrinæ in primis nititur Valentia citatus, pluresque ex illo. Sed instabis vi vnionis humanitas Christi sanctificatur Deitatis sanctitate: personatur personalitate Verbi: constituitur filia naturalis Dei filiatione naturali Verbi: redditur antecedenter impeccabilis impeccabilitate diuina: at his omnibus non identificatur per vnionem: ergo diuina suos effectus formales communicant humanitati vnitæ, cui non identificantur, ac denominatiuè de ea dici possunt. Respondeo notanter à me dictum *denominationibus diuinis*. Nam denominationibus non diuinis possunt diuina humanitatem vnitam, nec identificatam denominare, vt dicebam num. 6. post. med. Vbiquistæ autem diuinas denominationes Dei, omnipotentis, immensi &c. pro humanitate vnita contendunt, eaque solum nos catholice negamus, quo posito facilis est ad instantias propositas solutio.

3 Ad primam nego humanitatem dici essevè sanctam, à sanctitate attributali Dei. Hæc quippe solum Deum, cui identificatur denominare, sanctumque formaliter potest reddere: sicut de denominationibus diuinis aliorum attributorum dicebamus. Ideo enim sanctitas essentialis, siue per essentiam dicitur: quia Deum tantum, in cuius essentia physica est sanctum constituit denominatur autem, constituiturque humanitas sancta, diuina quidem quasi forma, cui vnitur quæ tamen Deo formalis, & attributalis sanctitas non sit, neque eum sanctum denominet: nempè Deitate, vel persona, cui vnitur, quamque vnione ipsa participat. Cum enim sanctitas non per essentiam stet in Deitatis participatione, nequit, non Deitate, quam vnione participat, humanitas sanctificari. Similiter respondeo ad tertiam instantiam de impeccabilitate antecedenti non reddi, ac denominari humanitatem impeccabilem antecedenter ab essentiali Dei antecedenti impeccabilitate, sed à Deitate, qua Deificatur, ac proinde alligatur humanitas ad extremum oppositum cum exertitio praui: imposque redditur prosequendi obiectum, quod Deus prosequi nequeat qui autem sanctitate, & impeccabilitate Dei attributali constituti, denominarique humanitatem sanctam, & impeccabilem aiunt, nescio, quo pacto denominatiuè immensam, atque omniporentem non esse valeant defendere. Ad secundam instantiam de personalitate diuina dicito non constituere humanitatem personam, quin potius ipsius personam destrui, vt aiebat Paschasius in Concilio Francfortdiensi recitatus à nobis. d. procem. quia ex productione humanitatis dependenter ab vnione ad personam Verbi habet humanitas non esse substantiam individuam totalem, cui solum competit esse propriè personam, atque in Christo vna solum Verbi persona remanet. Dicitur autem

autem personalitas Verbi persona hominis: quia humanitas dependenter ab vnione ad personam, siue personalitatem Verbi producta in Verbo tanquam in termino vnionis sustentatam suam existentiam, suumque esse habet, ratione cuius Verbum, seu personalitas habens Deitatem est habens humanitatem, ac dicitur esse in suppositio diuino quod si modalibus morem geramus velis, atque propriè suppositari, ac personari humanitatem Verbi personalitate, suppositatur, ac personatur alienè, seu in alio, quæ denominatio Deo non tribuitur ab eiusmodi personalitate: quare neque est denominatio diuina.

5 Ad illud de filiatione naturali humanitatis participata à filiatione diuina, à qua filia naturalis Dei denominatiuè dicitur (quod sanè in re præsenti, iuxta veriorem, clarioremque nostram de filiatione naturali humanitatis doctrinam, est omnium difficillimum.) Respondetur, non denominari humanitatem naturalem Dei Filiam, siue Filium eadem formalitate, qua Filius naturalis Dei Verbum constituitur. Nam Verbum dicitur naturalis Dei Filius à processione à Patre per principium coniunctum in similitudinem naturæ quatenus passiua est processio, qua ratione humanitas Christi filia naturalis Dei non est, sed à filiatione in facto esse, à qua filia denominatur; quare à formalitate, qua denominatur Deus filius denominatione diuina non denominatur filia humanitas ac proinde constans est nullam diuinam formalitatem denominare denominatione diuina subiectum, cui non identificatur. At dices Verbum est filius naturalis Dei in facto esse, ergo à filiatione in facto esse. Ergo filiatio in facto esse dat denominationem diuinam filij naturalis Dei, ac proinde non poterit iuxta nostram doctrinam humanitatem, cui non identificatur, filiam naturalem constituere, ac denominare. Respondetur nulla alia formalitate Verbum esse Filium in facto esse, quam processione in naturæ similitudinem, vt passiua processio est licet in facto esse dicat in facto esse personam filij, quod fieri non dicebat, omnimodamque naturæ similitudinem etiam in secunditate ad intra, vt suo loco dicebamus controu. de Trinit. d. 3. hæc autem processio, vt diximus humanitatem non denominat filiam, vel filium naturalem Dei sed eius terminus nempè naturalis filius in facto esse, qui sui ipsius forma denominans non est, sed alterius: nempè humanitatis, cui vnitur.

6 Vel respondeo aliter filium naturalem Dei denominatiuè nihil aliud dicere, quam habere per vnionem filiationem Dei, atque eo sensu accipi posse Filium naturalem Dei fuisse nos à Patribus edoctos occasione Elipandini, & Feliciani erroris, secus autè nomina omnipotentis, & immensi, aliorumque attributorum communium, quæ non nisi subiecto, cui identificantur formalitates suas communicant, quæ nullo fructu eo sensu accipientur imò non sine incommodo pro ea habentibus non identicè, sed vnitiuè solum vsurpabuntur, vt singula percurrentibus constabit. Etenim omnipotentia si ab actibus intellectus, & voluntatis diuinis differat potentia exequens intellectus, seu voluntatis, vt meliores Theologi censent, imperium despoticum sympaticè erit: quare illius tantum est, illeque solum potens ea constituitur, cuius voluntatis imperio subditur: non potest autem subdi imperio voluntatis creatæ, cui vnitur, sed solum imperio voluntatis diuinæ: ergo sola vnione non habet illam creatura: rationalis. Non secus ac si mihi, vel Angelo Petrus vniretur potentia loco motiua mea, vel Angeli dici non posset posse se loco mouere, quia non ipsius voluntati, sed meæ, vel Angeli voluntati subditur. Item immensitatis, & æternitatis effectus formalis est in omni loco, & duratione præsentare eum cuius est, quemque immensum, & æternum constituit, idque indiuisibiliter: iure autem vnionis id præstare nequit alioqui humanitatem Christi præsentem faceret æternitati anteactæ, antequam in se fuisset, vel nulli durationi præsentaret cum æque omnem indiuisibiliter comprehendat. Vnde idem probatur à pari de immensitate quod vnitam creaturam non ponat vbique: atque insuper quia alias daretur creatura è suis prædicatis immensa, & æterna nempè vnio: hypostatica, quæ natura sua vbique, atque æternum esset cum non posset esse nisi cum æternitate, & immensitate: quare concreta, & denominatiua attributorum non dignificant habentes illa, vt cumque, sed identice, vt diximus, licet in filiatione subiectum illam habens per vnionem significaret ex vsu Patrum?

DISPVTATIO IV.

De sanctificatione humanitatis Christi vi vnionis hypostaticæ.

NOn agimus de sanctificatione humanitatis vi vnionis hypostaticæ me fiatè, & exactiuè, quatenus gratiam, sicut dona alia plura, atque humanitatis vnitæ ornamenta iure suo à Deo reposcit ea enim omnia extra effectus formales extrinsecos humanitati per vnionem communicatos, de quibus solum præsens controuersia est, numerantur agimus ergo de sanctificatione formali humanitatis per vnionem, vel per extremum, cui illam adnectit præcisè.

QVÆSTIO I.

An humanitas vi vnionis formaliter sanctificetur.

TAtvendvm contra Nestorianos in primis venit dogma Catholicum: nempè Christum, etiam qua hominem, sanctum in conceptione ipsa extitisse iuxta illud Luc. 3. *quod enim ex te nascetur sanctum*, & Ioan. 10. *quem Deus sanctificauit, & misit in mundum*. id quod de sanctitate, & sanctificatione propria pro animi perfecta iustitia, & munditie à peccati sordibus, nec solum de sanctificatione, & sanctitate impropria, quæ rebus etiam inanimis Deo, eiusque cultui consecratis competit, de quo Christo, vt homine Patres communiter interpretantur. Hilar. 7. de Trinit. Athanas. lib. de natura hum. suscepta Chrysost. hom. 60. in Ioan. id quod etiam rationes pro conclusione nostra subiiciendæ, Patrumque testimonia conuincent.

CERTAMEN I.

Vi vnionis hypostaticæ humanitas Christi formaliter sanctificatur.

1 FOrmalem strictam propriamque iustitiam, & sanctitatem definiuit Dionys. 12. de diuin. nom. hoc pacto. *Ab omni immunditia libera, & omnino incontaminata puritas*. quæ sanè, vt absolute sanctitas, & iustitia sit puritas perfecta ab omni immunditia mortalis esse debet; vt autem perfectior, ac perfectissimè, etiam à venialium sordibus. Cum autem à peccati immunditia puritas, & libertas sit ad iustum, honestumque dictamen adhæsio, quam Reus, vtpotè prima forma iustitiæ totius, rectæque rationis regula, suamet entitate habet, fit, vt eatenus rationalis creatura iusta, sanctaque formaliter, ac libera à peccati sorde sit, quatenus particeps est diuinæ naturæ iuxta id 2. Petri 1. *Per*

quam

quam maxima,& preciosa nobis promissa donauit , vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Hinc iusti , ac sancti dij vocantur à Christo Ioan. 10.*si illos dixit Deos &c.* ex hac quidem sanctitate,& participatione diuinæ naturæ , in qua consistit , prouenit sanctos filios Dei esse , iusque hæreditarium ad Dei bona habere habilesque ad operationes Dei proprias,scilicet amorem, & intellectioné supernaturales reddi per simultaneam habituum supernaturalium sanctitati debitorum infusionem atque hæc summatim de sanctitate,iustitiaque formali ad præsentis quæstionis decisionem adnotara fuerint satis.

2 His ergo positis Paludan.in 3.d. 13.q. 2. opin. 4. concl.1. Ricardus Iaper.a.8. §.*Occurrit hic.* Marsil.q. 10. a.1.conclus.1. Capreol.d.12. q.vn.a.13. init. Durand. q. 2. num. 5. & d.13.q.1. concl. 3.S. Bonau. a.1.q. 1. negant Christi humanitatem vi vnionis formaliter sanctificari : ac proinde ad eius meritum gratiam habitualem, qua opera dignificarentur, opus fuisse. Cui sententiæ subscripsere Aluarez.3.p.q.7.a.1.Nazar.controu. 2. conclus.7. ac Thomistæ nonnulli. Cæterum Vasquez d.41. c.3.& 4.Soar.d.18.sect.1.Valencia.q.7.pun. 1.Palacios in 3.d.13.Ragusa d.67.Luis.Torres opusc.3.de grat. d.1.dub.5.& opusc.6. d.10. dub. 1. Hurtado vterque. Granad.tract. 7.d.1.Lugo d.16.sect.1. num.2.Vvadingo d.2. dub. 2. d.5.dub. 2. concl.1. Bernal. d. 29.sect. 1.per totam Lorca d.36. iamque omnes Recentiores asserunt vi vnionis hypostaticæ humanitatem Christi formaliter sanctificari:licet an ipsa,an hæc formalitas diuina,vel alia ex eis,quas humanitati adnectit forma sit,à qua sanctificetur formaliter humanitas? non omnibus omnino conueniat , eam porro sententiam ex antiquis plures apud Paludanum docuerunt,atque nouo studio,multaque eruditione Patrum illustratam ad scholas è diuturno postliminio reuocatam reduxit noster Vasquez,cuius vt, ie more,gloriæ inuideret Lorca nulla Patrum , vererumque Scholasticorum authoritate inductam aiebat vbi proxime.Cum tamen ipse illis ipsis nostri Vasquez testimoniis,nulloque alio sua industria quæstio,eam sequaturs nec potuerit antiquos Scholasticos Paludano memoratos non videre,nisi Paludanum non viderit.

3 Patrum testimonia cuncta,qui simul videre volet legat Vasquezium citatum. Nos enim,qui repetitionem odimus,non hic omnia dabimus , sed quæ huic conclusioni solum inseruiunt:alia vero , quæ aliud etiam probant;nempè qua formalitate diuina vi vnionis humanitas sanctificetur dabimus.q. 2. quæ vero humanitatis , etiam antecedentem impeccabilitatem ostendunt dabimus. d. 5. Primum testimonium sit Dyonisij Alex. epist. contra Paul.Samosaten.latina per nostrum Franciscum Turrian. vbi , cum dixisset homines virtutum exercitio sanctificari , atque in sanctitate crescere , ait hominis Christi sanctificationem alterius rationis esse *modumque humanum superare.* inferius Christi sanctitatem Baptistæ sanctitati longe antecellere ait:*quia in Ioanne quidem erat opus,in Iesu vero natura.* & inferius adhuc:*Non enim sortitus est unctionem externam sicut nos sortiti sumus.* Basil. in id Psal.44.*Propterea unxit te Deus.*Sanctitate nostra ex operum exercitio designata sic Christum alloquens ait : *Tibi vero naturalis est coniunctio ad bonum , & abalienatio ab iniquitate.*Naz. orat.36.4.de Theolog.num.93. eidem differentiæ insistens ait *Christus vero (* nempè vnctus dicitur *) propter diuinitatem , ea enim humanitatis unctio est,non operatione*, gratiæ , *vt in aliis Christus sanctificans , sed totius unguenti præsentia.* Cyrill. Alex. 1. in Ioan. c. 17. ad id *Plenum gratiæ, & veritatis.* eam differentiam attingens ait : *gloriam tamen , & gratiam filij longe absque comparatione sublimiorem videbit. Non enim mensura sibi datur , vt cæteris : nec de foris accedit ; sed vt imperfecto perfecta substantialiter inest à Patre naturaliter habita.* Hoc ipsum præclarissime obseruauit Guarricus Abb.serm. 1, in natali Apostolor. Petri , & Pauli illud canticor.5. v. 11. *caput eius aurum optimum.* de Christo Ecclesiæ,& Sponso,& capite expendens sic habet.*siue diuinitas , siue charitas auro significetur , hæc omnia Christus non per participationem , sed per substantiam* ; ac statim,*nos cum simus natura plumbei , vel magis lutei , gratia , & participatione non aurum vel aurei , sed,vt multum,deaurati ?*

4 Adde Fulgentium, de fide ad Petrum. c. 2.circa fin. Aug. 13.de Trinit.c.19.& Bedam,qui præfatam gratiæ plenitudinem de gratia vnionis ad locum Ioannis interpretantur,sicut,& illud Lucæ. 2. *gratia Dei erat in illo.*& Ioan.10 *quem Pater sanctificauit.*idem Beda, & Euthymius cum Hilar. 7. de Trinit. post med. August tract. 48. in Ioan. gratia vero , & sanctificatio per vnionem non est Christi secundum diuinitatem , sed secundum humanitatem, Accedunt Cyrill. Alex. 4.in Ioan.c.29.Damascen. 3. de fide c.3. Nizet. 3. thes. c. 3. Elias Cretens. in orat. 1. Naz. ad illa Verba *Ac dæmones* Concil. Francofortd. epist. ad Episcop. Hispan. col. 7. Hieronym. ad data verba Psalmi. 44. Ildephons. serm. de purgat.& parturit. B. Mariæ. col. 2. t. 9. Biblioth. Hilar.7. de Trinit. ad eadem verba Psalmi.44. August. 3. contra Maximin. c. 15. & 16. de Trinit. c. 26. asserentes vnguento Deitatis , vel personæ Verbi vnctam fuisse humanitatem. Vnde Athanas. orat. contra Arrian.post serm.4.contra eosdem in id *ex Deo Deus est verbum* sic Christi,qua Dei nomine habet.*Ego sum Chrisma siue unctio : Christus autem siue unctus est homo, qui à me assumptus est.* Atqui vnctio ibi contenta,est vnctio sanctificans,vt explicant Cyril. Alex. epist. ad Solitar. vitam exercentes,ordine 1. ex quo , & refertur , & probatur è Concilio Ephesino. c. 1. Fulgent. 3. ad Trasimund.Aug. 5.de Trinit. c. 26. ergo per Patres præfatos vnione , hypostatica sanctificatur humanitas Christi.

5 Dices hæc omnia de radicali sanctificatione humanitatis per vnionem intelligenda esse,quatenus gratiæ,qua formaliter sanctificatur humanitas exactiua est. Sed contra primo , quia iam humanitas sancta esset in Christo sicut in nobis.Respondebis non fore:quia in illo iure naturæ,& vnionis esset;in nobis opus , & meritum,vt secundo loco aiebat Dyonisius Alex.Contra primo:quia statim ait:*non enim sortitus est unctionem externam*, siue vt ait Cyril. *Nec de foris accepit , sed substantialiter inest &c.*ac Naz.vnctionem esse Deitatem,qua, vt infra dicemus illam audacter simul Deam appellat : ergo sublimius sanctitatis, & vnctionis diuinæ genus in Christi humanitate recognoscit Nazianzenus , quam in nobis per gratiam,qua diuinæ naturæ participes sumus,ac sine audacia vlla Dij per participationem nuncupamur à Deo,& Christo Ioa.10.*si autem illos dixit Deos.*Gaurricus item aurum,aureamque sanctitatem hominis Christi , id est naturalem,& substantialem,non sicut nostram accidentalem nominauit. Tertio Patres gratiam,qua diuerso à nobis modo humanitas Christi sanctificatur aiunt ex operibus non esse,aut crescere:cum tamen gratia habitualis Christi humanitati ex eius meritis datam esse, sicut,& plura alia dona, probabilius fortasse sit , certe autem probabile.Quarto denique ex dicendis cert. 2.& q. 2.satis, abundeque solutio ista reiicietur.

CERTAMEN II.

A ratione eadem conclusio suadetur.

1 PRo eadem conclusione arguo à posteriori primum opera Christi infiniti simpliciter valoris meritiui,& satisfactorij sunt,vt theologicum,imò , & Catholicum dogma fert ; atqui infinitus valor meritorius, & satisfactorius nequit prouenire à gratia habituali,vel alia quauis forma sanctificante creata humanitatis operantis:ergo prouenit ab aliquo increato, quod vi vnionis ponitur in humanitate,quoque ipsa sanctificatur,eoque dignitatis infinitæ gradu in ordine ad præmium supernaturale formaliter collocatur,qui satis fit ad infinite significanda ipsius opera. Minorem probant aliqui : quia si absque aliquo increato , per formam creatam infinite

infinitè significaretur humanitas, eiusque opera, cum eam formam in eo gradu,quo humanitati Christi data est dari à Deo humanitati cuiuis non vnitæ hypostathicè gratuitò possit, fiet incarnationem ad satisfactionem pro hominum peccatis necessariam absolutè non fuisse contra Patres. Ostendimus autem controu. de necessit. incarnat. d. q. & cert. vltimis Patres ablolutam necessitatem physicam, vel metaphysicam incarnationis ad satisfactionem pro peccatis hominum minime docuisse, neque ad illam infiniti absolutè valoris operibus opus fuisse. Probatur ergo primo : quia nulla forma dignificans creata potest esse simpliciter infinita,sed secundum quid , vt summum : ergo neque infinitè simpliciter humanitatem,eiusque opera dignificare.Secundo probatur : quia gratia,& sanctitas cuiuscumque generis sit, quantumuis in eo crescat , non magis eleuat, dignificatque opus,quam dignificaret in remisso gradu generis eiusdem,vt multis probabam contra Recentiores nostros Castellanos contr. de merito, & hic leuiter attigi, breuiterque nunc probo. Nam etsi persona, siue personalitate vnita humanitas formaliter sanctificetur, eaque tribus vniretur personis eius opera non magis dignificarentur:ergo licet pluribus gratiæ gradibus meum opus dignificetur non magis dignificabitur:parui enim ad dignitatem personæ augendam refert dignitatis partes inter se vnitas, intensiuè, vel exunitas eiusdem generis habere,dummodo eidem personæ,seu naturæ operanti simul adsint.

2 Argumentum hoc eleuare conatus est Lugo disp. 16.à num. 4.ad 9. contendens non dignificata natura operante posse eius opus dignificari, atque eleuari ad præmium , quare etsi humanitas Christi non sanctificaretur, dignificareturvè à persona , vel perfectione diuina iure vnionis, posse tamen eius opera ad meritum,& valorem infinitum eleuari. Assumptum probat : quia si humanitas aliqua vniretur sanctissimo Archangelo Michaeli, cuius sanctitate , aut personalitate nullatenus sanctificaretur, illius tamen opera maius , altiorisque ordinis præmium mererentur, quam si in propria persona perstitisset, ex quo infertur idem sua proportione euenturum humanitati vnitæ hypostathicè , etsi nulla formalitate diuina sanctificaretur. Sed tamen male suadetur exemplo illo assumptum. Nego enim facilè è sola vnione ad Michaëlem quantumuis sanctissimum , humanitatis opera eleuanda ad præmium altioris ordinis, quam naturalia (permittamus ad ampliora naturalis ordinis eleuanda) nam è sola sanctitate operantis, quæ sola in ordine, & dignitate supernaturali illum constituit eleuari , dignificarique eius opera possunt in ordine ad præmium supernaturale:maximè in nostris principiis, quæ typis Lugo ipse peruenit de modo eleuationis operum ad præmium supernaturale, vt dicecebamus disp. & quæst. vltimis citatis : quare dum assumptum exemplo illo confirmat, Lugo aperto secum marte decertat.

3 Sed instabis humanitas Christi sanctificatur à Deitate (vt ratio statim à priori subicienda suader, fusiusque ostendemus q.2.) & tamen æquè mediatè ipsi vnitur, atque in casu posito vniretur humanitas sanctitati Michaëlis : quia vnitur immediatè soli personalitati, & ratione huius Deitati,quæ illi identicè coniuncta est:ergo in eo casu humanitas sanctificaretur, ac dignificaretur dignitate, & sanctitate Michaelis:quare & eius opera eleuarentur ad præmium supernaturale. Hac instantia vti nequit Lugo , quin causa apertè cadat. Nam iam admittet ad dignificationem operum opus esse sanctitate operantis,qua verè sanctus,dignusque in ordine supernaturali constituatur , siue ad id immediata vnio eius cum sanctitate requiratur, siue mediata sufficiat , de quo lis præsens non erat.Secundo nec sufficere mediatam, quæ est in casu posito, probat instantia. Primo quia iuxta probabilem quam diximus sententiam controu. 1.d.1.vnio ad totam personam verbi, quare, & ad Deitatem,vt identificatam cum eius personalitate facta fuit:quare neganda est secunda antecedentis pars cum eius probatione. Secundo : quia etiam admissa parte

non vniretur humanitas Deitati æquè mediatè , atque in casu illo Michaeli vniretur. Nam vnitur termino identificato cum termino formali proximo,in eo autem casu vniretur Michaeli , qui vnitus sanctitati realiter ab ipso diuersæ est.

4 Probatur secundo conclusio à priori ex dictis in notatione posita cert. 1. num.1.quia sanctitas non per essentiam est participatio diuinæ naturæ, qua qui illam habet, est obiectum dilectionis amicitiæ Dei participesque fit operationum supernaturalium propriarum Dei, filiusque Dei constituitur, hæresque bonorum Dei maximè supernaturalium:atqui humanitas Christi vi vnionis hypostathicę particeps fit diuinę naturæ iuxta illud: *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Filia insuper naturalis Dei constituitur , vt d. 1. ostendebamus: fit particeps operationum supernaturalium , bonorumque Dei hæres : ergo vi vnionis hypostathicæ humanitas Christi formaliter sanctitatem habet , siue sanctificatur. Confirmatur : quia gratia habituali ex eo, quod sit participatio longè imperfectior, & imitatiua , non physica,& constituat obiectum Deo gratum,filiumque, licet solum adoptiuum,sui vnione sanctificat formaliter, ergo multo præstantius vnione qua physicè diuinitas participatur ab humanitate, & qua filia Dei naturalis humanitas constituitur formaliter Christi humanitas sanctificabitur.

QVÆSTIO II.

Quonam vi vnionis Christi humanitas formaliter sanctificetur.

IAm forma, qua vi vnionis formaliter humanitati sanctitas afferatur examinanda est ; licet enim increatam formalitatem fore q. 1. euicerimus quęnam ea formalitas sit definita non est, atque insuper an satis sit eam in obliquo nostro intelligendi modo connotari,an in recto, siue in sę dici debeat,nec sufficiat, vt formæ sanctificantis terminum attingi.

CERTAMEN I.

Varia Doctorum placita , & conclusiones communiores.

1 COnueniunt Doctores Deitatem esse formam sanctificantem humanitatis vnitæ, quare de aliis diuinis formalitatibus , atque vnione hypostathica solum discordant Gaspard. Hurtado Complutensis disputatione 7. de incarnatione different. 2. & Petrus Hurtado Salmantinus disput.15. de anima sect. 3. Bernal. disp. 29.de incarnat. sect. 2.num. 30.docent omnibus , & singulis diuinis formalitatibus humanitatem Christi vi vnionis hypostathicæ formaliter sanctificari. Secunda sententia docet etiam personalitate verbi formaliter sanctam constitui:ita Valentia 3.p. q. 7. punct.5. Soar.d. 49.sect.2.§ *Difficultas ergo talia*,& d.18.sect.5.Lorea d.36.n.11.Basil. Legion. select. 4.pro cathedra Scoti, Granad.tract.7.d.1.Lugo disp.16.sect.2.concl.2.n. 31.de attributali Dei sanctitate, si attributum tale sit, ac non Deitas ipsa,paucos dubitare video,vel quia attributum Dei ab essentia diuersum esse inficiantur , cum Deitas sibi formaliter coniunctissima sit , ac radix suæ beatitudinis determinata specificatiuè ad honestam operationem , vtpotè prima rectitudinis regula , in quibus solum formalis Dei sanctitas stare potest : vel quia , etsi attributalem Dei sanctitatem formaliter ab essentia diuersam recognoscant,ea humanitatem sanctificari supponunt ; est autem aduertendum cum Lessio de perfectionibus diuin. libro 8. capite 1.Luis. Torres opusc. 3.

de gratia d.1. dub.7. & in ſelectis d.4. duplicem in Deo ſanctitatem formalem attributalem excogitari poſſe:alteram naturalem,ſiue attributalem ſpecialiter dictam,de qua hactenus loquebamur;alteram operationis:ſcilicet,quæ Dei operatio,amoris.v.g.vel viſionis ſui eſt,ſi charitatis actus,& viſio beata formæ ſanctificantes eſſe dicantur iuxta ſatis vulgatam apud Theologos ſententiam.De eis autem omnibus procedit difficultas præſens,& de ſanctitate diuina operationis aſſerit Torres ſanctificare formaliter humanitatem.Vltima denique ſententia fert vnione ipſa hypoſthatica Chriſti humanitatem tanquam forma ſanctificari ſic cenſent Soar. d. 53. ſect. 3.§.*vnde ad alteram partem*,Bernal.d. 29. ſect. 4. num.53.

2 Dico primo humanitas Chriſti ſanctificatur formaliter per Deitatem:eſt omnium,qui contra Paludanũ q.2.citatum docent humanitatem ſanctificari vi vnionis hypoſthaticæ,quos ibi recitauimus, & partim hic n. 1. partim vero concluſionibus ſequentibus.Ratio eſt quia quatenus per vnionem habetur Deitas participatur formaliter diuina natura:in quo ſtat ſanctitas formalis, vt q.1.dicebamus.Eſt Patrum concluſio aſſerentium oleum quo vncta humanitas fuit,diuinitatem fuiſſe,quos recenſebamus.q.1.cert.1.n.4.Ex quibus Damaſc.3.de fide.c.3. habet:*ipſe enim ſe ipſum vnxit : vngens quidem, vt Deus ſua Deitate,vnctus autem, vt homo Nam ipſe eſt hoc,& illud ſiquidem Deitas eſt vnctio humanitatis.* Naz. ibidem citatus, ac recitatus num.3.& orat.42.2.de Paſchate habet: *Perfectus namque fuit non modo propter diuinitatem, quã nihil perfectius;ſed etiam propter humanitatem diuinitate delibutam, idemque effectam,quod id,à quo per vncta eſt:atque vt audacius loquar ὁμόθεον ideſt ſimul Deam.* Nam Θεὸς fœmininè etiam dicitur,in quo gentiliſmum videbatur Nazianzenus redolere,quod aduerbio *audacter* vitauit orat. 51. ſiue epiſt.1.ad Cledon. *ſi pars deterior* humanitatis caro nempè *aſſumpta eſt;vt per incarnationem ſanctificetur?* ſuo nimirum modo *præſtantior non aſſumetur,vt per humanitatis ſuſceptionem ſanctificetur?* conſonat. Synodus.3.Conſtantinopol. generalis. 6.act. 17.alias 18. longè ante fin. de finit.fidei orthodoxæ circa fin. & Concil. Florent. poſt ſeſ. vlt.inſtruct. Armenor. §. *Tertio definitur* his verbis: *quemadmodum enim ſanctiſſima, atque immaculata animata eius caro Deificata non eſt perempta,ſed in proprio ſuo ſtatu, & ratione permanſit:ita,& humana eius voluntas Deificata non eſt perempta ſaluata eſt autem magis ſecundum Deiloquum Gregorium.* (Naz.orat.36.4.de Theolog.) *Nam illius velle, quod in ſaluatore intelligitur non eſt contrarium Deo, vtpotè Deificatum totum.*

3 Ex quibus arguo ſecundo quia gratia habitualis quæ improprius Deificat,iuxta illud Ioan.10.*ſi illos dixit Deos*,eſt forma ſanctificans : ergo potius Deitas, quæ proprius media vnione Deificat Chriſti humanitatem iuxta hos Patres. Idem ducitur argumentum ex Cyril. Alex. 1. in Iſai orat. 4. ad id capitis. 6. *& miſſus eſt ad me vnus de Seraphin*, & ſcholiis de incarn. vnigeniti.c.8. & 6.Dialogor. de Incarnat. longè à principio Damaſceno.3.de fide. c. 15. 17.& 19. lib. 4. c. 3. Nizeta in orat. 51. Naz. ſiue epiſt. 1. ad Cledon. aſſerentibus, humanitatem Deitate penetratam in in Chriſto fuiſſe, ſicut candens ferrum igne quæ d.5. expendam cum poſtremis verbis Nazianzeni, ſimilibuſque aliorum Patrum pro antecedenti humanitatis Chriſti impeccabilitate, pugnabo, eademque ponderatione hanc concluſionem fortius, euincunt quæ à paritate aliorum attributorum obiici poterant,ſoluta habes.d.3.q.2. & vltima : quod autem mediatè ſolum Deitas vniatur,nec ſit ſtrictè forma, vt ait Lorca,ſolutionem non meretur,diſiectumque ex parte eſt.q.1.cert.2.num.3.Dices ab eo eſt ſatisfactio, à quo prouenit non ſolum operatio ſatisfactoria, ſed eius valor:at valor operum prouenit formaliter à ſanctitate, & dignitate operantis : ergo ſi hæc ſit in humanitate Chriſti Deitas omnibus perſonis commnnis,& Deitas, & tres perſonæ pro nobis ſatisfecerunt æquè ac filius. Nec ſatis eſt ſatisfactionem dicere operis ſatisfactorij elicientiam. Nam actiones non ſunt ſuppoſitorum effectiue,adhuc tanquam à conditione : quare operatio ſatisfactoria humanitatis non magis eſt effectiue à filio, quam à Patre,& Spiritu ſancto in noſtra doctrina. Reſpondeo tamen vtroque modo,& operatiuè,& valoroſè filium,præ Patre,& Spiritu ſatisfeciſſe operatiuè, quia licet perſonalitas effectiuè adhuc conditionaliter opera non præſtet ſed ſola indiuidua natura ; aſt perſona illius naturæ operans denominatur, non aliæ : ſolus autem filius perſonat humanitatem non autem Pater, & Spiritus. Valoroſè, quia Deitas ſanctificat humanitatem, quatenus vnitur : vnitur autem ſolum, vt perſonæ filij identificatur : qua ratione communis Patri,& Spiritui non eſt, vt dicebamus. controu.1.

4 Obiicies.S.Th. 3.p.q.2.a.1. ad 1.vbi ait quia anima Chriſti vnita diſtincta maneat, ac non per eſſentiam diuina *oportet quod fiat diuina per participationem, quæ eſt ſecundum gratiam.* ſed intellige gratiam vnionis de qua prooemio quæſtionis 7.*ſed de gratia vnionis iam dictum eſt.* Dices eadem.q.2.a.1. ad 2. ait: *gratiam habituatem neceſſariam eſſe, vt Chriſtus habeat operationes perfectas.* nihil probat. Vocat enim perfectas, operationes ſupernaturalis amoris, cuius gratia principium eſt, & cæterarum radix,ſicut,& ſupernaturalium habituum, demum.q.7. art. 1: ait : *eandem eſſe gratiam perſonalem, qua anima Chriſti iuſtificata eſt, & gratiam eius principij,quod eſt caput Eccleſiæ.* gratia vero capitis eiuſdem rationis eſſe debet cum gratia membrorum. Sed hoc nego : nam non haberet influxum meritiuum in membra,ſi gratia habitualis ſicut noſtra eſſet,iuxta communem ſententiam : quin gratia habitualis perſonalis dici nequit. Apertiùs pro noſtra ſententia eſt. q. 6. a. 6.*gratia vnionis eſt ipſum eſſe perſonale.* q. 8. a. 6. *Humanitas Chriſti ex eo, quod eſt diuinitati coniuncta habet virtutem ſanctificandi.* non phyſicè actiuè : ergo meritoriè, quatenus diuinitate eius opera dignificantur. q. 22. a. 2. ad 3. *Acquiſiuit enim actualem hoſtiæ ſanctificationem tunc in paſſione ex antiqua charitate, & gratia vnionis ſanctificante eam abſolutè*, quid clarius ?

5 Dico ſecundo. Tota perſona aſſumente ſanctificatur formaliter Chriſti humanitas. Hanc vero communem : quia neminem negaturum credo, qui primam doceat licet neminem ex Scholaſticis expreſsè aſſerentem viderim niſi vtrumque Hurtado, & Bernalem quatenus generatim quouis diuino vi vnionis ſanctificari humanitatem docent videtur ſatis aperta S.Th. concluſio datis verbis ex q.6.a.6.clarior Athanaſij.orat. cita.contra Arrianos vbi è verbi perſona aiebat : *ego ſum Chriſma,ſiue vnctio;chriſtus autem ſiue vnctus eſt homo, qui à me aſſumptus eſt.* Naz.orat. 36. 4. de Theolog. num. 93. dicentis humanitatem vnctam eſſe *totius vngentis præſentia* Dyonyſ.Alex. epiſt.citata in noſtri Turriani Oplotheca. *Per ſe vnctus & ſibi ipſi ipſe eſt vnctio.* ipſe autem,& ſe perſonam refert. Idque voluit Aug. 15. de Trinit. c.26. ſcribens. *Tunc vnctam fuiſſe inuiſibili Deo humanam naturam, quando diuinæ eſt iuncta perſonæ.* Ratio eſt facilis.Quia vnione ad perſonam totam Verbi, quæ eſt filiatio in facto eſſe humanitas conſtituitur filia naturalis Dei,vt vidimus. d.1. ergo formaliter ſancta : nam filiatio adhuc adoptiua Dei nequit ſine ſanctitate eſſe aut intelligi. Deipde nequit conſtitui filia naturalis denominatiuè,quin particeps diuinæ naturæ formaliter conſtituatur.

6 Hic Vrgentius opponeret Lorca effectus formalis idem nequit præſtari ſubiecto à duplici forma diuerſa : quia nil aliud eſt formalis effectus,quã communicare ſe ſe formam ſubiecto:quare ſi forma diuerſa ſe communicet nequit eſſe effectus formalis idem : atqui ſi perſona ac Deitas ſanctificent humanitatẽ idem effectus formalis,nempè conſtituendi illam ſubſtantialiter ſanctam, præſtaretur à duplici forma:ergo nequit vtraque ſanctificare humanitatẽ.Reſpondetur hoc argumẽto non probari eundẽ numero effectum formalẽ tribui ab vtraque ſpecie autem eundẽ ſanctę ſubſtantialiter non repugna tribui ab vtraque:ſicuti neque conſtitui album in ſpecit eundeme

eundem à duplici albedine. Deinde neque ſpecie, ſeu quaſi ſpecie idem effectus formalis ab vtraque præſtatur humanitati : cum Deitas non conſtituat humanitatem ita ſubſtantialiter ſanctam,vt eam conſtituat naturalem Dei filiam, ſicut conſtituit perſona verbi vt d. 1. docebamus.Dices eo ipſo,quod ſanctam conſtituit humanitatem Deitas conſtituit filiam ; non adoptiuam feliciano errore:ergo naturalem:nulla ergo eſt diuerſitas. Nego maiorem.Nam ſi Deitate filia Dei eſt,cuiuſnam filia erit?an Dei ipſius,ſiue Deitatis,qua filia conſtituitur? hoc implicat nempè ipſius quo formaliter filia eſt,filiam tanquam Patris eſſe.Cum ergo non ſit cuius filia eſſe poſſit,nequeatque filiatio ſine Patre cogitari, ne dum eſſe.Deitate ſancta conſtituetur humanitas non filia, vt docebamus. d. 1.q.3.

CERTAMEN II.

Negatiuæ duæ concluſiones ſtatuuntur.

1 DIco tertio perſonalitate,aut aliis attributis à ſanctitate formaliter humanitas Chriſti non ſanctificatur.Ita Vaſq.d.8.c.4.d. 3. c.3.d. 41. c.4. Luiſ.Torres opuſc.3. de grat. dub.6.& 7. opuſc.5, d. 10. dub. 4. Becan.c. 8,q.1.num. 6. Raguſa.d.67.§.2. verſu *dubitari poteſt*,& Recentiores,ſed neſcio quæ ab eis defendi concluſio de perſonalitate poſſit,cum filiatione ſiue realiter,ſiue formaliter ſumpta conſtitui perſonam filij aſſerant : quare re ipſa adæquatè identificari filiationem cum perſonalitate filij:ergo,cum realiter vnitur perſonalitati filij humanitas,nequit non vniri filiationi,atque realiter habere filiationem,filiaque naturalis Dei euadere,ac proinde ſancta argumentis datis cert. 1. num. 5. Aiunt Recentiores poſſe perſonalitate conſtitui filiam, quin ſancta conſtituatur humanitas.Sicut Verbum conſtituit filium, non autem ſanctam Deitatem reddit eadem perſonalitas.Sed neque Deitatem filiam conſtituit: vnde ergo probas conſtituere poſſe filiam, ac non ſanctam:quin Verbum eo præcisè quod filius eſt nequit non ſanctum formaliter eſſe.Nos autem qui filiationem in ſola perſonalitate non ſtatuimus ſic concluſionem probamus de perſonalitate, ac reliquis à ſanctitate attributis quia perſonalitas, & attributa præcisè,nec fiſiatio,nec Deitas, nec ſanctitas attributalis formaliter ſunt:ergo humanitas,qua vnita attributis, & perſonalitati præcisè,nec eſt filia Dei formaliter, nec participat Deitatem,neque habet formaliter ſanctitatem:ergo neque quatenus vnitur perſonalitati præcisè,& attributis eſt formaliter ſancta conſequentiæ ſunt certæ, Antecedens quoad ſecundam partem probatum controuerſia de Deo vno,& controu. de Trinit. nec de quomodo dubitetur:quoad primam verò partem probatum manet eadem controu.de Trinit. d. 8. quoad tertiam partem probo quia ſanctitas attributalis purè talis eſt attributum ſpeciale conſequens Deitatem, qua Deitas eſt:ergo prædicatum commune,& eſſentiale ab aliis diuerſum eſt:atqui communia,& eſſentialia prædicara diuina diſtinguuntur formaliter, imo in plurium præſertim Recentiorum ſententia, etiam realiter virtualiter,à perſonalitatibus.

2 Dices etiam prædicatum exiſtentiæ conſequi Deitatem eſſeque prædicatum commune, & tamen in perſonalitatibus reperiri formaliter:quare, & ſanctitatem reperiri in eispoſſe.Oſtendi controu de Trinit.d.6. q.1.falſum eſſe aſſumptum.Sed licet entis, atque exiſtentiæ tranſcendentia in diuinis admitteretur, quare, & in perſonalitatibus formaliter, & præcisè ſumptis reperiri,non ſtatim de ſanctitate admittendum foret. Quia non magis tranſcendere hoc attributum debet, quam poſitiua reliqua intellectionis, volitionis, quæ tranſcendentia non ſunt. Imo nihil poſitiuum tranſcendens attributum eſſe poteſt. Sed probo, quia omnipotentia ſola virtute productiua ad extra intellectus, & voluntas eiuſque actus ſolo ordine ad obiecta repreſen-

tanda, immenſitas ſola porentia replendi omnem locum,& æternitas omnem durationem, etiam imaginariam,perſonalitas ſola terminatione,& ſingularizatione vltima,quaſi phyſica,Deitatis, & conſtituendi cum illa perſonam intelligitur,quin cogitetur de puritate à ſorde peccati,adhæſioneque ad bonum, & ad honeſtum, atque ad dictamen rectum,ſeu primam regulam rationis,& reliquis, quæ ſanctitatem formalem, vel conſtituunt eſſentialiter,vel conſequuntur:ergo ratio formalis ſanctitatis non eſt formaliter in attributis reliquis,& perſonalitatibus,neque ea tranſcendit denique prædicata tranſcendentia ſolum prædicatis, quæ tranſcendunt,vt in illis ſunt ſuas formalitates communicant, non aliis formaliter diuerſis, nedum realiter diuerſis, vt humanitas:quare etſi ſanctitas tranſcenderet alia attributa,& perſonalitates eis non ſanctificaretur formaliter humanitas.

3 Rurſus perſonalitates non poſſe eſſe ſanctitates formales probatur. Etenim cum aduenient Deitati puræ omnino à ſorde peccati, atque firmè adhærenti ad bonum,& regulam honeſti:quomodo tribuent illi,quod in ipſa ſupponunt.Si enim perſonatæ naturiæ adæquatè aduenirent, non poſſent eſſe illius perſonalitates; quia perſonatam adæquatè ſupponebant : nihilque alteri poſterius natura affert, quod prius natura illud habebat. Item ſanctior eſſet perſona, quam Deus, vt Deus. Reſpondet Lugo num. 37. perſonalitates, (& idem eſt de attributis aliis)non eſſe ſanctitatem reſpectu Deitatis,eſſe tamen reſpectu humanitatis. Contra quia ſi formaliter ſanctitas in ſe eſt potius reddet ſanctam Deitatem,cui identificatur ; ſin verò ſanctitas formaliter non eſt id,cui vnitur, non poterit ſanctum formaliter reddere.Negat Bernal.num. 39. ſanctificandam Deitatem à perſonalitatibus,& attributis aliis,licet ſint etiam formales ſanctitates:quia Deitas ſumma ſanctitas cum ſit,incapax eſt vlterioris ſanctitatis.Sicut, quia Deitas nequit eſſe Pater,ſeu relata perſonatur relatione Paternitatis,non autem relata redditur:atque in triduo cadauer vnione ad Verbum ſuppoſitabatur, non ſanctificabatur:quia ſanctitatis incapax erat Implicat tamẽ ſolutio in terminis,ſi enim perſonalitates, & idem eſt de attributis,ſummam diuinam ſanctitatẽ ſupponunt,quomodo ſanctitatem diuinam afferunt, cum nihil afferat, quod ſupponit,& implicet afferre vlterius aliquid in illo genere in quo ſupponit ſummũ illud de relatiua perſonalitate ſupponit falſum nam relatio non eſt ſola perſonalitas patris,vt vidimus:id autem quod ea in quocũque conſiſtat,refertur eſt tota perſona non eſſentia.Cadauer incapax ſanctitatis eſt:aſt Deitas de ſe ſanctitatis eſt capax:quare quidquid diuinum illam ſanctam non reddit ſanctitas non eſt.Denique vt demus attributa reliqua,& perſonalitates eſſe formaliter ſanctitates non ſtatim infertur ab eis ſanctificandam vi vnionis humanitatem,vt conſtabit ex concluſ.ſequenti.

4 Dices habita perſonalitate per vnionem habet formaliter humanitas aliquid diuinum:ergo participat formaliter Deitatem,ac diuinizatur,ac proinde ſanctificatur formaliter humanitas per vnionem perſonalitatis. Diſtinguo Antecedens,aliquid diuinum adiectiuè, ſeu denominatiuè metaphyſicè,ſeu habens identicè Deitatem fateor,ſubſtantiuè metaphyſicè,quod ſc. formaliter Deitas ſit nego antecedens:nam perſonalitas Deitas formaliter non eſt,& nego conſequentiã.Sola enim diuinitate formaliter habita per vnioné phyſicè, vel imitatiuè per gratiã participat diuinitate,ac diuinizatur humanitas.Inſtas perſonalitatis conceptus dicit identitatẽ cum Deitate:ergo humanitas habẽs perſonalitatẽ habet Deitatẽ.Diſtinguo antecedens idẽtitas formalis,nego;realis concedo:& nego cõſequentiã ſolũ enim infertur habere aliquid,quod eſt idẽ realiter cũ Deitate.Obiicis ſecundo perſonalitate redditur humanitas infinitè amabilis à Deo:ergo infinitè ſancta formaliter. Antecedens omni ſenſu eſt falſum nihil enim amabile vllo ſenſu eſt,quod bonum nullo ſenſu eſt,vel habet.Docuimus autẽ contr. de Trin.d.6 perſonalitates bonitatem, & perfectionem præcisè ſumptas non eſſe : quare humanitas, dum

ex eis vnam habet, bonitatem non habet. Secundo etsi essent bonitates, solum constitueretur bonum ea bonitate subiectum, identicum formaliter etiam: esset enim bonitas transcendentalis, quæ vt in vno prædicato est, non constituit bonum aliud prædicatum etiam realiter identificatum cum illo, ne dum humanitatem realiter diuersam. Sed constituat bonam denominatiuè adhuc distinguo antecedens infinitè amabilis physicè, siue amore physico, quo solum amabile est bonum transcendentale ob physicam bonitatem transeat; amore morali, & amicitiæ supernaturalis in ordine ad beatitudinem nego antecedens: & inde nego consequentiam Obiicit Lorca è sola vnione ad personalitatem esse humanitas etiam antecedenter impeccabilis: ergo sancta. Mala consequentia in eius principiis: docet enim d. 57. è sola obligatione Verbi ad regendam humanitatem, in quo nihil formalis sanctificationis humanitatis includitur reddi humanitatem antecedenter impeccabilem. Secundo antecedens est dubium.

CERTAMEN III.

Duæ aliæ Conclusiones negatiuæ.

1 DIco quarto attributali sanctitate Dei non sanctificatur formaliter Christi humanitas. Fauet conclusioni Gaspar. Hurtado non multa consequentia. Consequentius eam docent Recentiores Complutenses, docereque debent quotquot contra Vbiquistas ratione statim subiicienda nobiscum vtebantur. Nam attributa diuina solum communicant suos effectus formales, ac de sua formalitate denominant subiectum cui identificantur: atqui sanctitas attributum diuinum est: ergo solum communicauit suum effectum formalem, deque sua formalitate denominabit subiectum, cui identificetur: atqui per vnionem non identificatur humanitati: ergo non communicabit illi effectum formalem, nec de sua formalitate sanctam denominabit. Hæc sanè ratio probat de quauis sanctitate attributali, siue purè attributalis specialiter dicta sit, siue operationis, quæ sanctitas formalis in diuinis sit, vt visio, & amor, sed de postrema hac sanctitate operationis probatur specialiter conclusio contra Luis. Torres citato dub. 7. quia per omnes, qui in visione, & amore Dei sanctitatem formalem recognoscunt, eatenus sanctificant quatenus videns, & amans Deum constituunt subiectum, vt fatetur Torres. d. 1. de grat. dub. 5. d. 4. selectar. dub. 7. atqui visione, & amore Dei non constituitur humanitas Christi videns, aut amans Deum teste eodem Torres. d. 13. selectar. dub. 5. imo nec constitui posse probabimus. d. 3. q. 3. ergo sanctitate operationis, seu visione, & amore Dei non sanctificatur formaliter humanitas Christi.

2 Dico quinto: humanitas non sanctificatur formaliter vnione ipsa hypostatica. Sic docet Vasq. d. 41. c. 4. Ragusa d. 67. §. 2. Becan. c. 8. q. 1. Luis. Torres opusc. 6. de gratia d. 1. dub. 2. Granad. tract. 7. d. 1. Lugo d. 16. num. 27. Lorca. d. 36. num. 10. Pessantius. q. 7. a. 1. d. 1. & Toletani nostri Recentiores. Probat Vasquez, quia si sanctitas vnio foret, cadauer Christi in triduo cum illam haberet, sanctum fuisset. Displicet: nam Deitatem, quæ sanctificans forma est per te, etiam habuit, & personalitatem, & tamen nec sanctificatur, nec personatur, quia eorum effectuum formalium in capax est. Ratio ergo sit quia per Patres eo formaliter sanctificatur: vnionis humanitas, quo Deificatur atqui vnione ipsa non Deificatur humanitas tanquam forma, sed tanquam nexu, & vnione formæ, sicut vnione gratiæ habitualis Deificatur imitatiuè homo quiuis: ergo vnione hypostatica tanquá forma non sanctificatur humanitas. Probatur secundo à priori quia sanctitas formalis creaturæ est Deitas participata vel physicè, vel imitatiuè per gratiam, vel affectiuè, & intentionaliter per visionem, vel amorem perfectum charitatis: atqui vnio hypostatica, nec est Deitas physicè participata, nec imitatiuè, nec affectiue, aut intentionaliter, quia nec gratia, nec visio, nec amor Dei est: ergo non est sanctitas formalis creaturæ: quare nec humanitatis. Tertio: quia sanctitas vi vnionis communicata humanitati infinita est, vt dicemus. q. sequenti: imò inde probatur, vt vidimus, humanitatem formaliter vi vnionis hypostaticæ sanctificari, vt infinite sancta defendatur: at vnio nequit communicare se ipsa infinitum quid humanitati, sed solum ratione termini, quem affert: ergo non ipsa vnio, sed terminus ipsius est forma sanctificans humanitatem.

3 Obiicies gratia vnionis dicitur summa ab Aug. 13. de Trinit. c. 9. & Enchirid. c. 40. sed vocat gratiam vnionis terminum, quem affert, scilicet personam, & Deitatem: alioqui summa sanctitas non esset: vel vsurpat gratiam non pro sanctitate formali, sed pro beneficio quod autem alij Patres aiunt vi vnionis humanitatem sanctificari intelligendi sunt, sicut nos, qui ita etiam loquimur, tanquam nexu, non tanquam forma: quomodo Soarium pro opposita citatum intelligerem: quia d. 18. sect. 1. §. *sed quæret aliquis.* ait esse vnionem conditionem tantum ad humanitatis sanctificationem. Id etiam vult Granados dicens vnione sanctificari humanitatem, vt quo, nam forma sanctificans est quod sanctificat, conditio autem est, quo medio, & intercueniente sanctificat. A ratione dices vnio secundum se melior, perfectiorque est gratia habituali: ergo potius sanctificabit, quam gratia. Distinguo in genere physico, concedo antecedens in genere morali, seu amicitiæ Dei, & ordine, & iure ad beatitudinem nego suppositum. Plura enim perfectiora sunt in genere physico, quam gratia, & tamen non sunt formæ sanctificantes, vt anima rationalis. Dices vnio reddit humanitatem in sensu composito saltem impeccabilem: ergo sanctam. Distinguo antecedens, ratione sui formaliter nego; conditionaliter, ac ratione termini, quem affert concedo antecedens, & nego consequentiam.

4 Instat Bernal. licet sit vnio Deitatis formaliter sanctificantis, non obest, quominus sit ipsa etiam forma sanctificans: sicut vnio substantiæ partialis puta animi ad corpus substantialis. Sed quis ideo negat esse formam sanctificantem, quia est formæ sanctificantis vnio? videat rationes datas, easque impugnet Bernal. vel probet ex eo quod sit vnio formæ sanctificantis eam etiam formam sanctificantem fore, & inueniet vnionem gratiæ formam sanctificantem non esse, licet formæ sanctificantis vnio sit, neque ideo vnionem partis substantialis substantialem quia partis substantialis vnio est, sed quia compositum substantiale intrat. Denique dices: vnio est strictior connexio cum Deo, & participatio Deitatis gratia, & amore: at sanctitas formaliter est connexio cum Deo, & participatio Deitatis: ergo vnio hypostatica strictior sanctitas formalis est, quam gratia, & amor. Distinguo maiorem, in fieri, siue, vt nexus concedo, vt Deitas in facto esse participata, & connexa nego & distinguo minorem, in facto esse concedo minorem, in fieri, & vt nexus nego minorem, & consequentiam iuxta dicta.

QVÆSTIO III.

Quousque humanitas Christi vnionis vi formaliter sanctificetur?

QUAM magnitudinem sanctificationis formaliter vi vnionis positæ in humanitate examinamus finitane, an infinita sit? si infinita autem, an humanitatem æque amabilem constituat, ac ipsum Deum?

CERT.

CERTAMEN I.

Humanitas vi vnionis infinitè est sancta non autem æquè amabilis, ac ipse Deus.

1 HVmanitatem vi vnionis hypostaticæ infinitè sanctam euadere docent quotquot vi vnionis formaliter sanctificari defendunt, quin inde necessariam ad satisfactionem pro mortali incarnationem asserebant plures controuersia secunda, quod infinitas meriti, & valoris satisfactorij ad eiusmodi satisfactionem requiratur, nequeatque haberi nisi ex infinita dignitate operantis vi vnionis humanitati Christi quæsita. Docet expresse conclusionem Vasquez disputatione sexta, capite secundo, numero duodecimo; licet non inde necessitatem incarnationis defendat, ac Doctores omnes pro alterutra opinione circa secundam quæstionis partem citandi. Probatur facilè: quia mensura magnitudinis in sanctificatione non è subiecto, seu applicatione formæ sanctificantis taxatur, sed à forma ipsa sanctificante: atqui licet humanitas, & vnio, quæ est aplicatio formæ sanctificantis ad subiectum, siue humanitatem finitæ sint, forma tamen qua humanitas sanctificatur est quid infinitum: nempè Deitas, & persona diuina, vel quid tandem in aliis sententiis diuinum: ergo humanitas infinitè sanctificatur vi vnionis hypostaticæ. Dices sanctificationem humanitatis non esse sanctificationem per essentiam, sed per participationem Deitatis, quæ participatio formaliter est vnio: atqui vnio est quid finitum: ergo sanctificatio humanitatis vi vnionis hypostaticæ est quid infinitum, distinguo maiorem non per essentiam, id est per sanctitatem essentialem humanitati fateor, non per essentiam diuinam sanctificantem formaliter, nego eam partem. Secundam etiam distinguo per participationem, id est per communicationem totius Deitatis in facto esse concedo eam etiam partem, id est habitionem partis Deitatis, seu Deitatem imitatiuè, aut totius Deitatis habitionem in fieri, siue vt quo, nego eam partem, quo solum sensu vnio est participatio Deitatis; vnde concessa minori negatur consequentia.

2 Ex hac conclusione circa secundam quæstionis partem inferri affirmatiuam conclusionem putant Doctores non pauci, ac proinde asserunt humanitatem vi vnionis hypostaticæ æque amabilem reddi, ac ipsum Deum, vt statim in obiectionibus contra secundam nostram conclusionem vrgebimus. Si enim infinitè sancta vi vnionis hypostaticæ euadit humanitas euadet etiam infinitè amabilis à Deo amore amicitiæ: cum amabilitas huius generis idem formaliter quod sanctitas sit: at Deus nihil amplius amabilitatis habet, quam amabilitatis infinitatem: ergo humanitas Christi, quæ infinitè sancta, & amabilis vi vnionis hypostaticæ euadit, nihil minus habet amabilitatis, quam Deus ipse: ergo æquè est amabilis ac ipse Deus vi vnionis hypostaticæ humanitas Christi, & confirmari potest ex ratione, qua conclusionem proximam probabamus: quia mensura sanctificationis non desumitur ex mensura subiecti, & applicationis, sed formæ sanctificantis: quare neque mensura amabilitatis inde desumetur, sed ex forma sanctificante, & constituente amabile subiectum, quæ eadem est in Deo, & humanitate, nempè Deitas, quæ minor se ipsa esse non potest. Confirmatur secundo: quia licet vnione communicetur gratia habitualis, tamen æquè amabilem hominem constituit, ac ipsa gratia in se amabilis sit. Confirmatur tertio: quia humanitas ob excellentiam diuinam, quam vnitam habet æquè adorabilis, æquaque imo eadem adoratione latriæ, ac ipse Deus: quia eadem excellentia in vtraque est ob horum aliquam affirmatiuam conclusionem tradunt Vasq. disp. 6. cap. 3. num. 18. Mæratius t. 2. tract de incarnatione disp. 6. sect. 5. num. 7. & recentiores Complutenses, bona quidem consequentia. ad ea, quæ docet de adoratione latriæ humanitatis Christi.

3 His tamen non obstantibus dico secundo. Humanitas Christi non redditur vi vnionis hypostaticæ æquè sancta, & amabilis, ac ipse Deus. Sic docuere Soarez disputatione 22. sectione 2. §. *Dices*, Granados tractat. 7. disputatione 1. numero 14. Lugo disputatione 16. sectione 3. numero 54. id quod supponit Vvadingo, vel cursim potius docet disput. 12. dub. 4. §. *Dico secundo*, qui licet obiter meliori tamen reliquis consequentia locutus est: nam alij quidem humanitatem ratione excellentiæ diuinæ, quæ ipsi vnione hypostatica communicatur æque venerabilem, atque adorabilem, atque Deum ipsum fore defendunt, imo eadem latriæ supremæ adorationi adorabilem esse, cum quo non esse humanitatem, æquè sanctam, & amabilem vi vnionis, ac Deus ipse sit, bona consequentia stare minimè potest. Etenim cum æquè communicetur humanitati, vi vnionis, hypostaticæ eadem Dei sanctitas, & amabilitas, atque eadem Dei excellentia vi eiusdem communicatur æquè perfectè sancta, & amabilis à Deo Dei sanctitate, seu Deitate vnita redditur formaliter, atque vnita excellentia Dei reddatur excellens: at per vos Dei excellentia vnita redditur humanitas æquè, imo eiusdem excellentiæ ac ipse Deus, æqueque, ac eodem prorsus modo adorabilis, ac ipse Deus: ergo Dei sanctitate, & amabilitate vnita æquè sanctitatis, æqueque, atque eodem modo amabilis reddetur, ac ipse Deus: Hæc sanè ita cohærent, vt alterum sine altero, vel asseri, vel negari irrationale fore iudicem: quare Vvadingo nostri, vtrobique negantis consequentiam laudo, imitaborque, licet à Doctis pluribus quarumdam authoritatum metu in puncto de adoratione humanitatis Christi defertam.

4 Probatur conclusio, & primum ab authoritate Concilij Basilensis supra recitata ex sess. 22. vbi conclusionem nostram definitam reor, quidquid nonnulli reclament. Ibi enim inter propositiones alias Augustini de Roma Archiepiscopi Nazareni summo Patrum consensu damnatas vt vidimus ante acta disputatione, q. vlt. cert. 2. dum Vbiquistas refelleremus, hæc etiam propositio damnata est. *Duæ naturæ in Christo humana, & diuina æqualiter diliguntur à Deo, & æqualiter sunt diligibiles propter personam verbi.* Ecce nostræ conclusionis contradictorium damnatum, quod & Vbiquistarum errorem esse loco citato notabam. Dices errorem Augustini de Roma, atque damnatę huius propositionis sensum esse de æquali diligibilitate humanitatis, ac Dei non solum quoad sanctitatis, ac diligibilitatis magnitudinem sed quoad eius etiam modum: asserebat enim æquè per se esse diligibilem humanitatem, nec solum æquè magnè, vt sic loquar, ac ipsam Deitatem, seu Deum. Asserebat namque, vt ibidem retulimus, humanitatem veraciter esse Deum naturalem: nempè cum Eutychete naturam humanam cum diuina confundens. Solutio tamen hæc repugnat expresse verbis Augustini de Roma. Nam in hac sua propositione duas naturas humanam, & diuinam recognoscit inconfusas in vna persona contra Eutychetem, sicut & Vbiquistæ recognoscunt: licet ex propositione hac Eutychismus contra vtrumque, imo & contra Theologos, qui eam proximè docuerant deducatur, vt ex ratione à priori subiicienda cert. 2. constabit.

CERTAMEN II.

Rationibus eadem secunda conclusio monstratur.

1 VT à ratione secundam conclusionem euincam animo oportet aduertere bonitatem, formamque quamuis quo strictius, alicui subiecto, seu quasi subiecto coniungitur, intimiusque ipsum penetrat eo magis ipsum reddere tale; quo autem minus ei coniungitur, minusque penetrat minus tale ipsum reddere. Ratio est impromptu: quia cum forma per sui coniunctionem cum subiecto se se illi communicet, quo strictior coniunctio, maiorque fit magis se subiecto communicabit, quo autem minor, & laxior, se communicabit illi minus. Hinc quo minor, remotiorque coniunctio sanctitatis, & excellentiæ cum aliquo est, minus illud sanctum, & excellens in eo genere est, quo autem proximior, & intimior, sanctius, excellentiusque in genere euadit eodem, vt patet in animo, qui quia immediatius, intimiusque coniunctam sapientiam, sanctitatem, & reliquas eius proprias dotes recipit, quam corpus excellentior in eis, digniorque quam corpus habetur; Inde etiam fit, vt ei, qui intentionem per maiorem radicationem qualitatis fieri execrantur admittunt maiori alia radicatione, siue inhæsione qualitatis in se indiuisibilis magis participandam qualitatem: licet aliunde maiorem hanc radicationem, & inhæsionem qualitatis ad intentionem intercedere posse confutent. Aduerte tandem summam longè, strictioremque aliis omnibus coniunctionibus formæ, vel quasi formæ ad subiectum, vel quasi subiectum esse vtriusque identitatem. Reliquæ enim coniunctiones vnum id est vnitum faciunt, quod patitur vnitorum, imò, & supponit, ac necessario seruat physicam diuersitatem. Coniunctio vero indentitatis formalitates, siue quasi formas rei, vnum, idemque re ipsa constituit, quin earum diuersitatem physicam pati queat.

2 Hinc probatur conclusio à priori quo strictior, & intimior est formæ, vel quasi formæ vnio ad subiectum, vel quasi subiectum eo magis reddit illud tale; quo autem laxior, & extimior eo reddit illud *minus* tale: atqui vnio sanctitatis diuinæ, in quocumque stet, est strictior intimiorque coniunctio cum Deo ipso, quam diuini illius, quodcumque sit, quo humanitas vi vnionis sanctificatur sit coniunctio cum humanitate: ergo sanctitas diuina magis sanctum, & amabilem reddet Deum, quam diuinum illud, quo sanctificatur humanitas, reddat illam sanctam, & amabilem. Maior probata manet num. 1. notato 1. minor haud segnius suaderur ex notato 2. coniunctio identitatis longè strictior, intimiorque est reliquis coniunctionibus formæ, vel quasi formæ ad subiectum, vel quasi subiectum: atqui sanctitatis diuinæ, in quocumque stet, cum Deo coniunctio est, coniunctio identitatis; coniunctio vero diuini illius, quo sanctificatur humanitas, non est coniunctio identitatis illius cum humanitate, sed coniunctio physicæ vnionis re ipsa diuersorum: ergo coniunctio sanctitatis diuinæ in quocumque stet, strictior, intimiorque cum Deo ipso est, quam sit coniunctio diuini illius, quo vi vnionis tanquam per formam, humanitas sanctificatur. Hic facilè liberabimus oppignoratam à nobis fidem cert. 3. num. 4. fine. vbi ostendendum pollicebamur Augustini de Roma Vbiquistimo; & Theologorum contra quos conclusionem hanc statuimus damnatatam propositionem, formalem Eutychianissmum non esse, aut in illum eius authores cogi: etenim, vt è proximo discursu patet, nisi diuini illius, quo vi vnionis sanctificatur humanitas, identitas, confusioque Eutychiana cum humanitate asseratur, vix ægrè, imo ne vix quidem, æqua sanctitas, & amabilitas humanitatis, ac Dei, siue Deitatis poterit bona cuiusequentia defendi.

3 Probatur secundo à ratione conclusio: id quod est sanctum, & amabile super omnia creata magis amabile est, eo quod non est amabile super omnia creata: atqui Deus est amabilis super omnia creata; humanitas autem, etiam vt vnita Deitati, vel diuino prædicato, quo sancta, & amabilis formaliter vi vnionis redditur, non est sancta amabilis, & super omnia creata, ergo Deus est magis sanctus, & amabilis, quam humanitas etiam vnita Deitati, vel diuino illi, à quo vi vnionis sanctificatur, & amabilis redditur. Maior est per se nota: Minor probatur; quia Deus est amabilis super omnia creata: at humanitas adhuc, vt vnita Deitati, seu diuino illi, à quo sanctificatur, amabilisque redditur, non est amabilis super omnia creata: quod sic probo. In coniuncto omnium creatorum est humanitas etiam vnita: ergo, quod non est amabile, super humanitatem etiam vnitam non est amabile super omnia creata: atqui humanitas etiá vnita non est amabilis super seipsá vnitá: ergo humanitas etiá vnita non est amabilis super omnia creata: dices creata illa omnia, super quæ Deus amabilis est intelligi debere de purè creatis, in quibus humanitas non est. Contra: quia humanitas ex vnione esse creatum quid, & purè creatum non amittit, licet homo ex illa, & personalitate diuina conflatus purus homo non sit, nec creatura pura; licet autem vt vnita claudat Deitatem sanctificantem, aft Deum illam absolutè non facit, Deus autem absolutè talis amabilior est omni eo, quod Deus absolutè non est: quia Deus absolutè talis sanctus bonusque per essentiam est, reliqua etiam humanitas vnita, solum per participationem; quòcirca longè aliter amari Deitas, & persona Verbi vnita debent, atque humanitas per illas sanctificata, vt iam ostendam vlterius argum. 3.

4 Probatur tertio à ratione conclusio: quia in his, quæ eodem amoris genere amabilia sunt verum habet illud Aristotelis proloquium: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Sicut in his quæ sunt cognoscibilia propter aliud, quod per se, ac ratione sui cognoscibile: atqui Deitas ac Deus amabilis est per se in eodem genere amabilitatis, humanitas autem propter Deitatem, ac Deum: ergo hic amabilior est, humanitas vero minus amabilis. Hinc aduersariorum rationibus facilè occurritur. Illud de adorationis æqualitate prorsus est falsum, vt dixi, & latius persequar controu. 6. d. vlt. Ad tertium de gratia hbituali nego suppositum: gratia enim habitualis non est amabilis eodem amoris genere, quo iustus: nempè amicitiæ Dei, cuius gratia est incapax: quod si suppositum admittamus, negabo iustum esse æquè amabilem, ac gratiam, quia vt modo dicebam: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Ad secundum constat ex ratione à priori eandem formam ex maiori coniunctione reddere magis tale subiectum, licet coniunctio conditio sit. Ad primum infinitis eiusdem ordinis permitto non posse dari vnum maius alio: aft vnum infinitum posse ex genere suo maius perfectiusque esse alio generis, seu ordinis inferioris: est autem diuersi generis sanctitas, amabilitasque Dei per essentiam, quæ in Deo est sanctitate, & amabilitate per participationem Deitatis eiusdem per physicam vnionem. Negligo hic potius, quam ignoro illas de nomine quæstiunculas, quas maiori impetu, quam momento versant nonnulli: an sanctitas vi vnionis humanitati communicata, intrinseca, an extrinseca, moralis, an physica, mediata, an immediata sit, ac dici debeat.

DISPV

DISPVTATIO V.

De impeccabilitate humanitatis Christi.

CVM impeccabilitas nihil aliud sit, quam oppositio incompossibilitatis cum peccato, atque oppositio hæc formalis solum, atque etiam antecedens esse possit, si ex parte actus primi aliquid cum peccato pugnans apponatur, de vtraque impeccabilitate humanitatis Christi disputandum erit; an vi vnionis hypostaticæ ipsi euenerit? Tertio: an eiusdem vi pugnet cum peccato habituali, & originalibus, eiusque reatu? Quarto, an etiam humanitas pugnet cum omissione operum etiam, quæ ex solo concilio, non ex præcepto erant? Quinto an in aliquo voluntas humana Christi potuerit à diuina discordare? Cuius occasione, an aliqua humanitatis Christi voluntas impleta non fuerit? examinabimus: quæ omnia, an vi vnionis formaliter humanitati, eiusque voluntati conueniant discutienda sunt: quare ad controuersiam hanc de effectibus intrinsecis incarnationis disputanda merito veniunt.

QVÆSTIO I.

An Christi humanitas vi vnionis hypostaticæ sit consequenter impeccabilis.

ENSVS quæstionis in aperto est: nempè an vi vnionis hypostaticæ aliquid ponatur in humanitate Christi formaliter cum peccato incompossibile, vt eo posito ob formalem repugnantiam illius nequeat peccatum simul induci.

CERTAMEN I.

humanitas Christi non peccauit, sed & consequenter peccare minimè potuit.

1 HVmanitatem Christi de facto non peccasse, nèque originaliter, neque actualiter de fide est. De originali peccato solum Hæretici fortasse dissentiunt, qui humanitatem vnioni ad verbum præextitisse docuere, de quibus supra, atque expresè Nestorius controuers. 2. de necessit. incarnat. disputatione vltima, quæstione 5. certamine 4. de peccato actuali errauit apostata Præmonstratensis Lyndano teste apud Vasq. disputatione 61. capite 1. asserens Christum in cruce desperasse, dum aiebat: *Deus meus vt quid dereliquisti me.* Matthæi 27. 49. & Marci 15. 34. Hunc eumdem errorem, sicut & veteres alios exhumatos, vel potius inferno erutos discipulis tradidit Caluinus apud Maldonatum commentario in eum Marth. locum. Sed tamen contra Nestorij errorem de Christi originali militant Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur,* concipietur iuxta Patres, & interpretes, *Sanctum vocabitur Filius Dei*, atque illud Clarius de hominis Christi, siue humanitatis eius conceptione eodem capite dubitando Iosepho de sponsæ venire dictum. *Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*; vbi, *natum*, cum ante partum diceretur pro *conceptum* positum fuisse dubitari non potest, id quod Patrum interpretationi eiusdem verbi primo loco positi fidem facit non exiguam. Cum eodem sensu vtrobique ab Angelo eandem vocem vsurpatam, dum de eodem mysterio loquebatur, dubitandum non sit. Ratio à priori: quia humanitas Christi per semen virile propagata non fuit, ac proinde neque in pacto Adami inclusa: quare non solum ab originali immunis fuit, sed neque eius debito obnoxia.

2 Apostatæ vero illius; & Caluinistarum errorem de peccato actuali apertè conuellunt illa ad Hæbr. 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*, & cap. 7. n. 26. *Segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus;* id est distantior à peccato omni, quam cœli à terra loco sint diffiti, & 1. Petr. 1. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* At quomodo non inuentus in ore dolus si eis vocibus, *vtquid dereliquisti me*, desperasset, aut quo pacto si de patre desperasset statim spiritum Patris manibus committeret? dicens. *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*: vt doctè expendebat Maldonatus. Ratio etiam huic errori repugnat. Cum enim numquam humanitas non vnita hypostaticè verbo extiterit, ac proinde nunquam non fuerit sancta, à Deitate, & à verbi persona, ac naturalis Dei filia, nunquam potuit habere, nedum habuit, de facto peccatum non solum actuale, sed neque originale, & si pacto inclusa humanitas, atque illi obnoxia assereretur humanitas, vti ex sequenti conclusione constabit. quod si Corinth. 2. de Christo dicitur. *Pro nobis peccatum fecit.* Non peccatum peccati nomine, sed hostia pro peccato intelligitur, vti ex loco integro claret, qui sic habet: *Eum, qui peccatum non fecerat pro nobis fecit, Deus, peccatum:* nempè ipsum Christum peccatum fecit Deus, cum tamen nec Christus peccatum esse possit propriè, sed pro peccato hostia, nec Deus peccatum propriè facere possit. Si autem alibi peccatum tribui Christo legitur, non ipsius sed nostrum est, cuius debitum, vt pro nobis satisfaceret, soluendum misericorditer suscepit; Caluini ratio, seu potius delirium erat. Oportuisse Christum, in quem; vtpotè peccatorum hominum fideiussorem, ira nobis debita à Deo effundebatur, omnes damnatorum pœnas depluere, in quibus est desperatio. Sed cur non eum etiam blasphemasse docet, cæteraque mala, quæ dæmonibus in pœnam à Deo permittuntur admisisse? deinde an Christi satisfactio pro peccatis pœnæ magnitudine, ac potius è dignitate satisfacientis metienda est.

3 Circa peccati impossibilitatem consequentem in humanitate Christi ratione vnionis hypostaticæ Scotus in 3. dist. 2. q. 1. §. *Ad argumenta principalia*, d. 12. q. 1. cum suis Garbr. q. vnic. art. 2. (vbi Durand. q. 1. & 2.) & d. 1. q. 2. a. 1. circa fin. Henricus quodlib. 6. q. 6. docent humanitatem Christi, etiam cum vnione hypostatica posse peccare, neque habere consequentem adhuc impossibilitatem peccandi, id quod videtur insinuare Alex. 3. p. q. 7. m. 2. a. 1. q. 11. m. 1. q. 12. m. 1. a. 1. Reliqui tamen Theologi docent vi vnionis humanitatem Christi esse consequenter impeccabilem ita Magist. in 3. d. 12. c. 2. S. Th. q. 2. a. 1. & 2. S. Bonau. a. 2. q. 1. & 2. Ricard. & Palud. q. eadem Capreol. q. vnic. a. 1. & 3. Almain. d. 1. q. 2. post init. Dionys. Cistercienf. q. 3. a. 2. Molin. 1. p. q. 14. a. 13. d. 18. m. 4. ad quam etiam quæstionem Caiet. Bannez. & Nazar. Vasq. d. 61. c. 3. Soar. d. 33. Valent. q. 15. punct. 2. Ragusa d. 114. Becan. c. 12. q. 3. concl. 4. Monzeus d. 9. c. 2. Granad. tract. 10. d. 2. vterque Hurtado, & Lugo d. 26. Vvadingo d. 8. dub. 1. Bernal. d. 43. sect. 1. alijque, è quibus nonnulli temeritatis notant sententiam aduersam: ego vero paulo solum duriorem iudico, quam si cum gratia peccati compossibilitas asseratur, quam de potentia absoluta asserere nullam meretur censuram, ex natura rei aliquam. Probatur conclusio ex 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare; quia ex Deo natus est.* Atqui Christi humanitas vi vnionis Dei filia naturalis, sanctaque infinitè est, atque habens semen Dei in se: ergo quandiù vnionem habet, non facit nec facere potest peccatum; alioqui si posset mala causalitas afferretur à Ioanne peccati non facti à Filio Dei,

etiam

etiam adoptiuo : quia Dei filius est, Deique semen in eo manet.

4 Secundo probatur ex verbis Naz. orat. 36. 4. de Theolog. probatis à Synodo Constantinopolitano 3. gener. 6. act. 17. & 18. à Florentina gener. 8. instruct. Armenor. post sess. vltimam quæ sic habent : *Illius enim voluntas*, Christi, *cum tota Deificata sit Deo procul dubio non aduersatur.* August. de incarnatione Verbi circa fin. *Sicut vas ipsum, quod substantiam continet vnguenti nullum genus aliud potest recipere liquoris : ita anima Christi, velut in quo inerat substantia vnguenti, nempè sanctitatis, impossibile fuit, vt contrarium reciperet odorem* 11. de correptione, & gratia. *Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in vnitatem personæ à verbo Deo natura humana susceptа per liberum voluntatis peccaret arbitrium : cum ipsa susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ita susceptа nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Anselm. 2. Cur Deus homo cap. 10. init. Christum peccare non potuisse ait, *quia erat Deus.* Athanas. 1. de incarnat. post init. *Verbi tamen incarnatio secundum naturam Dei facta nostrorum vitiorum susceptibilis non fuit, quæ ex vetustate etiam, hoc tempore hærere in nobis solent.* Post pauca : *in eo miraculum est, quod Dominus homo factus est sine omni peccato.* Consonat Hilar. 10. de Trinit. Cyrill. Alex. contr. Antropomorphit. cap. 23. *Stolidi vero, ac dementes sunt qui ipsum etiam Christum, nescio quo pacto peccare posse affirmant: eam ob causam quod in eadem atque nos specie fuerit versatus.* Quibus consequens, vt minimum humanitatis Christi impeccabilitas asseritur.

CERTAMEN II.

Eadem conclusio à ratione probatur.

1 VErum enim vero, licet conclusio impeccabilitatis consequentis humanitatis vnitæ firma adeo ab authoritate sit, à ratione infirmè ab aliquibus probatur Soarez sect. 2. ex eo probat: quia peccatum, vtpotè actio Christi esset venerabile, cum ei essentia sua venerabilitas repugnet. Negatur facilè : non enim omnia, quæ naturæ vnitæ hypostaticæ esse possent venerabilia sunt, nisi in eis capacitas venerabilitatis supponatur: alioqui si natura assumeretur equina, vt potest hinnitus, & calcitratio eius venerabiles essent. Item Iudæ oscu lum, & labia, Malchi alapa cædentis Christum manus, ac colaphisantium, & tortorum, quæ Christum æquè arctè, imo arctius, ac vestes contigerunt venerabiles sicut Christi vestes sunt venerabiles essent, cum ergo peccatum essentia sua turpissimum, atque execrandum quid sit, licet à natura vnita prodiret venerabile minimè foret. Sic etiam asserimus omnes naturam irrationalem sanctificandam à Deitate, & persona verbi non fore, etsi assumeretur, vt potest, quia irrationalia sanctitatis omnis incapacia sunt. Thomistæ eam, vt plurimum rationem assignant: quia cum actiones suppositorũ sint. Si natura humana vnita supposito diuino peccaret, peccaret, ac peccare diceretur Deus verbũ : qua ratione vti Soarius libenter ad consequentem hanc impeccabilitatem, sicuti, & ad antecedentem posset. Ostendi tamen falsum esse illud principium in sensu, quo ab his vsurpatur : quare absurdum solum esset, quod verbum per idiomatum communicationem, ac Deus diceretur peccare, si peccaret humanitas vi vnionis in verbo suppositata. Hoc autem non irrationabiliter absurdum esse aduersarij negarent : etenim non minus repugnat verbo, ac Deo mors, quam peccatum : & tamen sine absurdo per idiomatum communicationem dicitur verbum, ac Deus mori : ergo sine absurdo per eandem diceretur peccante humanitate peccare.

2 Respondent ex S. Th. q. 29. de verit. art. 1 ad 1. prædicata, quæ per se primo conueniunt supposito, si diuino repugnent non posse per idiomatum communicationem dici de Deo, ac supposito diuino, vt patet, inquit, in prædicato creaturæ. Cum ergo peccatum, vtpotè actio, per se primo conueniat supposito, cuius actiones omnes sunt, ac diuino supposito repugnet, nequit de Deo per communicationem idiomatum dici: sed doctrina allegata non est S. Th. vt mox ostendam, sed falsa, falsoque illi principio nititur à nobis sæpè reiecto, ac tandem implicat cum Thomistarum ratione, quam impugnamus S. Th. doctrina loco citato est ea quæ hypostasi secundum se, sine consortio naturæ conueniunt, si diuinæ repugnent, non posse de Deo dici, ac supposito diuino per idiomatum communicationem, vt esse creaturam, incipere esse, quia sensus, vel saltem æquiuocatio illius esse potest suppositum diuinum ea omnia habere: cum autem peccatum non conueniat supposito sine consortio naturæ, non obest regula S. Th. quominus per idiomatum communicationem peccare dicatur, sicut dicitur mori. Secundo doctrina ille falsa prorsus est : quia esse creaturam nõ magis dicit actionem suppositi propriam, quam mori, & tamen dicitur per hos de Deo per communicationem idiomatum ex regula illa. Item ambulatio, fletus, commestio, actiones, & per se primo dictæ in horum doctrina de supposito sunt, & repugnant diuino, & tamen per idiomatum communicationem dicuntur de Deo. Denique iuxta hanc doctrinam non infertur absurdum quod ratio Thomistarum intendit. Cum enim peccatum per eos dicatur per se primo de supposito, & repugnet diuino sicut esse creaturam, sicut licet dicatur de humanitate esse creaturam, non statim dicendum est per idiomatum communicationem de Deo, ita nec peccare, etsi de humanitate vnita diceretur. Hoc ipsum confutat Granados nostri solutionem, quod de Deo per idiomatum communicationem ea solum dicantur prædicata, & actiones quas Deus amat, peccatum autem, nec amare quidem potest. Bene ergo etsi peccaret hmmanitas non infertur Deum, ac verbum per idiomatum communicationem dicendum esse peccare vt tua ratio contendebat. Regula etiam hæc est falsa : quia licet Deus permissiuè solum atque omissiuè se haberet circa mortem Christi non volitam, sed per suspensionem puram decreti concurrendi ad vitæ ipsius conseruationem, sicque humanitas Christi obiret, Deus tamen ipse per idiomatum communicationem diceretur mori : ergo communicatio idiomatum non pendet ex eo quod prædicata, quæ de altera natura dicuntur Deus velit, & amet, vt patet in occisione, & passione, vt à Iudæis, quam ab illis passus dicitur Deus, quin vt ab illis Deus illam amarit, tum adeo vt sic, fuerit execrabilis.

3 Probanda ergo conclusio est primo: quia sanctitate Deitatis communicatæ humanitati vi vnionis hypostaticæ redditur humanitas impotens etiam antecedenter ad peccandum : ergo nequit peccare consequenter. Patet consequentia: quia ex potentia, siue possibilitate consequentis in eisdem circunstantiis rectè infertur potentia antecedens in actu primo ad consequens, siue ad actum secundum. Assumptum vero antecedens probabitur abundè à quæst. 2. Sed ne conclusio hæc facilior, & clarior à difficiliori illa pendeat, probatur secundo ratione à Patribus recitatis insinuata, atque explicatius efformata à Vasquez c. 6. Monzeo c. 2. Lugo sect. 2. quam sic ego efformo gratia, & sanctitas è prædicato suo repugnat formaliter cum peccato, siue contrariè siue contradictoriè, ergo quo maior, perfectiorque sanctitas est, magis fortiusque pugnabit formaliter cum peccato : atqui sanctitas humanitatis vnitæ est maxima quæ potest adesse, atque infinita absolutè nempè Deitatis, & personæ diuinæ, à qua deificatur, atque substantia tota vnguenti vngitur, & sanctificatur, vt Patres aiebant : ergo fortissimè, atque insuperabiliter cum peccato vbi primum adest humanitati formali pugna pugnabit, ac secum illud in humanitate minimè patietur, quod ipsum est impeccabilitas consequens humanitatis vnitæ. Hinc friget Durandi obiectio, quia licet positione huius sanctitatis per Deitatem nihil virium addatur porentiæ humanitatis ad resistendum peccato ex parte actus primi, nihilque imminuatur potentiæ

tentiæ ad peccandum, actus secundus peccati impeditus formaliter per incompossibilitatem cum forma oppositа, & supposita est : ad vtramque autem incompossibilem formam coniungendam nunquam fuit potentia in humanitate, ac proindè Deum, cuius tantum ea coniungenti potentia est, peccatum refunderetur, quod cum præsuppositа Deitatis sanctitate in humanitate iungeretur.

QVÆSTIO II.

Fueritne vi vnionis humanitas Christi antecedenter impeccabilis.

POst consequentiam humanitatis Christi impeccabilitatem de antecedenti inquirimus.

CERTAMEN I.

Difficultatis punctum, & conclusio affirmans authoritate probata.

1 CVm peccabilitas antecedens sit potentiæ indifferentia ad peccandum, vel non peccandum, impeccabilitas erit determinatio potentiæ ad non peccandum (siue ea determinatio actiua sit, siue impeditiua solum) se ex parte actus primi tenens. Licet enim obseruatione præcepti fiat pro hoc instanti durationis peccatum, seu transgressio oppositа voluntati impossibilis : cum tamen impedimentum hoc non se teneat ex parte actus primi potentiæ liberæ ad peccandum, vel obseruandum præceptum, sed vsu, & actu secundo ipsius inducatur, libertatem ad peccandum non impedit: quocirca impedimenta quæ se ex parte actus primi tenent ad peccandum absolutè excluſa debent per se præsupponi ex parte actus primi potentiæ vt libera ad peccandum maneat in hac duratione. Cum enim physica sui assistentia potentiam impediant in actu primo ad peccandum quouſque eorum negatio pro ea duratione adsit nequibit esse potentia expedita in actu primo ad peccandum, quare neque in actu primo potens ad vtrumlibet, in quo libertas, & differentia ipsius essentialiter consistit; at vero impedimenta potentiæ ex parte actus secundi appositа, vel apponenda non debeat supponi excluſa ad indifferentiam, & libertatem potentiæ in actu primo, cum eam eiusque vsum sequantur : quod si per accidens libertatis vsum præueniant, quæ per se illum sequi nata sunt, quippè, quæ per se ad actum spectant secundum, quia extrema sunt, ad quæ indifferens potentia, tanquam ad actus suos comparatur, per accidens potentiæ libertatem impedient, ac proinde, eorum etiam sic per accidens vsum libertatis præuenientium, negationes ex parte potentiæ liberæ in actu primo supponendæ sunt : patet in gratia infusa à Deo independenter ab vsu libertatis ad peccandum, quę libertatem in actu primo ad peccatum cum ipsa incompossibile prorsus abolet : quare gratiæ independenter ab vsu libertatis collatæ negatio ex parte potentiæ liberæ ad peccandum in actu primo supponenda est : verum cum id non perse, naturaque sua habeat gratia, vt independenter ab vsu libertatis ad peccandum donanda sit de se impedimentum libertatis non est, neque eius absolutè negatio supponi ex parte actus primi debet ad libertatem seruandam Potentiæ ad Peccandũ, sed solũ vt indepẽdenter ab vsu libertatis collatæ ; quod secus euenit in his, quæ de se, naturaque impediméta sua sunt ex parte actus primi. Contra vero si ea quæ natura sua impeditiua libertatis in actu primo sunt, atque à Deo dari independenter ab vsu libertatis expoſcunt dependenter ab eo donentur, vt quandoque possunt per accidens libertatem seruabunt, quia ex parte actus primi supponuntur excluſa, quem eiusque vsum tunc pro posteriori sequuntur.

2 Tota ergo difficultas est an vi vnionis hypostaticæ aliquid sit in humanitate, quod natura sua potentiam voluntatis instructam cogitatione sancta retrahente à peccato, & mala suadente peccatum, ac proinde indifferentem, & liberam ad peccandum ex parte actus primi ita impediat, vt non solum potestate consequenti, quia formaliter affert sanctitatem cum peccato, & actu secundo eiusmodi potentiæ liberæ incompossibilem, aut quia collatum sit per accidens independenter ab vsu libertatis circa peccatum, vt eo durante pro duratione illa nequeat voluntas peccare ; ac proinde nisi ex parte actus primi eius negatio supponatur nequeat esse in Christi voluntate ad peccandum pro ea duratione libertas : quod psum est in sensu diuiso vnionis in hoc instanti posse peccare, id est si ab ea diuidatur, seu separata esset pro hoc instanti vnio, non autem in sensu compoſito, id est posita vnione peccare non posse. Licet enim semel posito quouis pugnante solum formaliter cum peccato nequeat esse pro eodem instanti peccatum, ast nisi antecedenter cum illo pugnet, pro hoc eodem instanti potuisset non poni, & poni loco eius peccatum, vt patet, alius enim sensus diuisus, quem solum Recentiores recognoscunt pro alio instanti sequenti, solum inseruit quæstioni tertiæ de inamissibilitate vnionis per peccatum. Denique dixi *vi vnionis*, quod formaliter intelligendum in hac quæstione est non radicaliter, & illatiuè. Cum enim vnio hypostatica radix sit visionis beatæ, & Charitatis inde necessario ortæ, quarum vtrauis potentiam abolet ad peccandum dubium non est quin humanitatem Christi, sicut, & cæterorum Beatorum, impeccabilem reddat radicaliter. Vt ergo de specialiori, ac non commune Beatis Christi impeccabilitate antecedenti vi vnionis hypostaticæ iñ humanitatem inducta fit quæstio, illud vi vnionis formaliter est accipiendum non radicaliter.

3 Sic igitur explicatam antecedentem impeccabilitatem humanitatis Christi vi vnionis hypostaticæ defendunt Scholastici Doctores, qui eius impeccabilitatem consequentem vi vnionis hypostaticæ defendebant q. 1. cert. 1. n. 2. Est item expressa Patrum sententia, quos magno numero referunt Vasq. Moncæus nostrique reliqui. Dionys. Alex. epist. Contra Paul. Samosaten. *Nisi fuisset* (Christus) *idem, qui erat Deus, verbum non poterat esse alienus à potestate peccandi. Nemo enim est quin peccare possit nisi vnus Christus : sicut Pater Christi, & Spiritus sanctus.* Antecedenter scilicet ; Nam consequenter plures alij sunt, qui peccare non possunt. Huc faciunt testimonia Nazianzeni, Augustini, Anselmi recitata quæst. 1. certam. 1. numero 3. Epiphan. anchorato longè à med. *Numquid fuspicabimur ipsum peccatis fuisse subiectum?* Cum aliis sanctitatem omnem tribueret, *Carnem suam frænabat;* Pergit, *Ipse enim in se habens naturæ humanæ vniuersa sustinuit Deus existens : tamen non diuisa ad malitiam, non fracta à malignitate, non capta voluptate*, inferius, *si superne perfectus est, & infra perfectus est : non in alio profecto habitauit, sed in seipsum omnia perfecit.* August. cap. 40. enchirid. hominem in tantam personę vnitatem susceptum ait, vt idem filius Dei, & hominis foret : *ac si in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.* De peccator. merit. & remiss. c. 11. de Iob ait : *secundum illam iustitiam qua se nouerat iniustum se vituperauit, atque distabuit, æstimauitque se tertam, & cineremente conspiciens Christi iustitiam in cuius non tantum diuinitate, sed neque anima, neque in carne vllum potuit esse peccatum.*

4 Cyril Alex. contra Antropomorphitas capite 23. post verba recitata quæstione prima, certamine primo, numero quarto, immediatè subdit. *Si enim debit esse, quod erat, aut ex diuina natura in humanam tantum, ac nostri similem naturam abiit humanam imbecillitatem illi obtexit? si vero humanam naturam gestauit, vt eam quam ab Adam acceperat imbecillitatem in se valeret, ac peccate superiorem declararet, cur frustra id anxiè inquirunt, quod inuenire non possunt?* Vbi peccabilitatem humanitatis Christi non conuersa Deitate in humanitatem iudicat impossibilem. Synodus 6. act. 8. in confess. Macharij ; postquam

Christum impeccabilem appellat hæc ex Athanasio de aduentu Christi contra Apolinar. refert, & probat: *Si autem non in natura peccatrice impeccabilis visus est, quomodo condemnatum est peccatum in carne, nec efficaciam habente?* nempè ad peccandum, (vel vt legitur in exemplari Athanasij, *neque prævaricationem habente*) *neque Deitate peccatum sciente.* Cuius argumenti vim examinare huius loci non est, sed solum scientiam, quæ ad rem præsentem apertè facit assumere. Chrysost. in id Isai. 7. *Propterquod antequam sciat puer &c.* iuxta vers. Hieron. 2. dialogor. contra Pelag. ac Hieronym. impeccabilem Christum hominem appellant: idque proprium Dei esse: quare de antecedenti impeccabilitate loquuntur. Mitto aliorum testimonia, quæ oportunius pro nostro huius impeccabilitatis antecedétis modo primo recitabimus: sicut & testimonia alia, quæ ad probandam inamissibilitatem pro istanti sequenti vnionis semel habitæ pro antecedenti afferemus.

CERTAMEN II.

Aliorum pro humanitatis antecedenti impeccabilitate rationes imbelles.

1 MAgister, Bonau. & Soar. aiunt humanitatem Christi ex consortio diuinæ personalitatis cui vnita est in personam coaluisse, cuius non humanitatis solius huius operationes erant, quia actiones suppositorum sunt: quare, vt prauas posset exercere, opus erat, vt verbum etiam specialiter non solum generali concursu ad eas posset concurrere, quod diuinæ personæ repugnat, ac proinde humanitati, quæ sine illa operari nequibat. Huic opinioni assentitur Bernal. d. 43. sect. 1. §. 3. numero 26. licet alia misceat principia de speciali dependentia humanitatis à verbo, atque identitate actionis productiuæ humanitatis cum vnione hypostatica à nobis impugnata d. procem. quæstione 2. certamine 4. generatim ergo impugnatur sententia. Primo: quia actiones eo sensu suppositorum non sunt, vt sæpè dixi, & probaui latius in physicis. Secundo: quia per hos personalitas conditio solum est ad agendum humanitati operanti: quare ei tribui operatio, qua prava non debet. Tertio, quia licet sit comprincipium speciale influxuum subditur voluntati humanitatis operantis, cui si se accommodaret eius virtute abutenti, non magis esset causa malitiæ operationis pravæ Verbum, quam tota Trinitas cum generale concursum offert, eoque abutitur voluntas. Cofirmatur: quia habitui supernaturali cuiuisvè alteri principio partiali subdito despoticè voluntatis libertati non imputatur moralitas virtutis supernaturalis: ergo neque moralitas vitij. Quarto denique: quia cum omissio ex partiali principio non concurrente adæquatè causetur omittente liberè de se voluntate Christi humana esset omissio actus præcepti, quin verbo imputari posset; cum per ipsum omissio actus non steterit, cum omissione voluntatis factus fuerit actus verbo impossibilis. Mitto rationem aliorum de communicatione idiomatum actionis peccaminosæ humanitatis cum verbo impugnatam, q. 1. cert. 1. num. 5.

2 Vasq. supra sæpè, & præcipuè cap. 7. Luis. Torres d. 10. citata dub. 6. eiusque reliqui discipuli aiunt, vnionem hypostaticam non pendere ab operibus humanitatis, vt dicebat Dionys. Alex. recitatus d. 2. q. vlt. quare petere natura sua dari independenter ab illis, atque expressiores cogitationes ad obediendum Deo, & abstinendum à prohibito, quin locum relinquat ad cogitandum expressius contra præceptum, seu circa opus prohibitum; quod opus omnino erat, vt posset antecedenter voluntas exequi, vel non exequi præceptum, vel sequi prohibitum, iuxta eius doctrinam 1 2. d. 128. cap. 6. Hinc deducit: neque pro instanti sequenti vnionem semel habitam posse peccato perdi cum debeat conseruari independenter ab operibus, sicut primo natura sua producta est, atque pro illo etiam expressiores cogitationes debeantur; quod secus in gratia habituali euenit, cui neutrum debetur. duo hic traduntur, & impeccabilitas antecedens vi vnionis, & eius inamissibilitas per peccatum: atque alterutrum duplici fundamento: alterum de necessaria productione vnionis hypostaticæ independenter ab operibus, alterum de debito expressioris cogitationis. Fundamenta impugnabo hic quatenus ad antecedentem impeccabilitatem attinent; quatenus vero ad vnionis inamissibilitatem q. 3. Primo: quia doctrinam de expressioribus cogitationibus affatim reiecimus contra. de auxiliis. Secundo, quia loco citato ex 1. 2. licet expressiorem cogitationem ad efficaciam requirat, tamen vlterius futuritionem conditionatam consensus requirit, neque cum expressiori cogitatione necessario coniungendum consensum ait, sed locum relinqui, vt expressior cogitatio ad oppositum quæratur: ergo licet vnione hypostatica detur cogitatio expressior ad opus præceptum, nec locus relinquatur ad cogitandum expressius circa oppositum poterit voluntas non elicere actum præceptum, eritque libera libertate contradictionis, vt fiat, atque illum omittat, peccetque peccato omissionis, quod satis est, vt peccabilis antecedéter fit omissiuè, licet non cõmissiuè: ac proinde absolutè impeccabilis antecedenter nõ erit.

3 Resp. Recent. nullam cogitationem retrahentem à præcepto practicam esse in humanitate Christi, sicuti neque in beatis. Sed contra, qua vel ratio practici, aut non practici stat in intrinseco cogitationis, vel sumitur à potentia impedita aliunde, si in intrinseco cogitationis: ergo non adstante vnione cogitatio illa de non acceptanda morte v. g. practica non esset æquè atq; astante, vel si practica tunc esset, & nunc practica erit, cum vnio adest, si extrinsecus à potentia impedita per aliud, sicut in beatis à visione Dei, qua rapiuntur necessario ad amorem summi boni super omnia, ac proinde ad non faciendum aliquid Deo offensiuum, siue displicens: ergo exigentia expressioris cogitationis, & huius positione præcisè non auferetur ratio practici à cogitatione ad non acceptandam mortem: quare libera erit voluntas ad non acceptandam. Secundo restat explicandum his Doctoribus, quid sit illud aliud, quod potentiam impedit à negatione acceptandi mortem, quoque in practica redditur cogitatio illa non acceptandi posita vnione. Dices esse cogitationem amittendæ vnionis, si mortem non accepret. Contra primo: ergo vnione, & expressiori cogitatione, quam petit, non impeditur ratio practici à cogitatione non acceptandi. Contra secundo: quia hæc cogitatio qua illud malum proponitur, nisi visio beata eadem sit, quod ad rem non est, non rapit voluntatem, ac Dei amorem super omnia quo impos faciendi quid Deo inuisum, & offensiuum, siue commissiuè, siue omissiuè reddatur voluntas: neque cogit ad amorem efficacem vnionis, quæ bonum infinitum non est, quo cum pugnet amor operis cum ipsa incompossibilis, vel fuga operis necessarij ad eius conseruationem: etenim ad id solum cogit summi boni, Dei scilicet visio beata qua talis. Contra tertio: quia vnio per hos DD. inamissibilis est per peccatum semel posita: ergo cognitio illa amissibilitatis seu amissionis vnionis per peccatum, vel si humanitas peccet, est falsa, ergo nequit esse in humanitate Christi, vt Vasq. eiusque discipuli, imo, & Theol. reliqui docent cognitio falsa prorsus repugnat.

4 Secundo impugnatur: quia id solum natura sua datur independenter à negatione peccati, quod antecedenter cum peccato, nec solum formaliter pugnat: ergo nisi ostendatur ratio cur pugnet antecedenter cũ peccato vnio hypost. frustra, & gratis assumitur dari natura sua independenter à negatione peccati: quidquid enim opponitur peccato, & non habet antecedentem oppositionem dari potest dependenter natura sua à negatione peccati, vt patet in graria habituali dices à priori inde solum posse probari: ast te non probare quod detur natura sua independenter à negatione peccati, sed ab authoritate Dionysij Alex. dicentis dari independenter

denter à meritis vnionem, & inde à posteriori probari impeccabilitatem antecedentem, siue oppositionem antecedentem vnionis cum peccato. In primis fateris te non explicare istam antecedentem impeccabilitatem, sed conclusionem ex authoritate remotè inferre, quam proximè immediatè, atque in terminis Patres tradunt, cuiusque rationem Theologia inquirit. Deinde non est idem dari independenter à meritis, atque à negatione peccati. Etenim ex eo præcisè quod sit forma dignificans opus in eod. instanti nequit cadere sub merit. operis iuxta doctr. Vasq. contr. 3. d. 3. q. 1. cert. 4. à nobis laudatam, & probatam: ergo in eius doctrina, & quidem vera, non est opus quod vnio, qua opera humanitatis dignificantur pugnet antecedenter cum peccato ad hoc vt nequeat dari dependenter à meritis; siue vt detur natura sua independenter à meritis. Tertio valeat consequentia. Datur natura independenter à meritis: ergo datur natura sua dependenter à negatione peccati. Valebit tamen etiam hæc: datur dependenter à meritis: ergo & dependenter à peccari negatione: ergo eo solum quo impeditur dependentia à meritis impeditur dependentia à negatione peccati: atqui dependentia à meritis sola identitate præmij, & formæ dignificantis in eodem instanti impeditur per te, non autem oppositione antecedenti cum peccato: ergo neq; vt detur independenter à negatione peccati, opus est, vt pugnet antecedenter cum peccato. Subsumptum antecedens probatum manet ex Vasquij doctrina. Probaturque rursus: quia per opera humanitatis dignificata ab vnione hypostatica in vno instanti, etsi opera præcepta sint, posse humanitatem Christi promereri vnionem pro alio Vasq. docet.

5 Denique quod natura sua datur dependenter à negatione peccati, vt gratia habitualis potest dari indepẽdenter ab illa, atque impedire libertatem, vt diximus: ergo, licet vnio hypostatica natura sua detur independenter à negatione peccati, poterit dari dependenter ab illa, tuncque cum vsum libertatis sequatur, ad peccatum eiusmodi libertatem non impediet, ac proinde in eod. instanti stare poterit in humanitate, & vnio, & potentia libera ad peccandum. Confirmatur: qua Principia impedientia de se influxiuè peccatum, ex parte etiam antecedentis possunt dari à Deo in eodem instanti dependenter à negatione peccati. Etenim potest Deus decernere, dare gratiam, & visionem Beatam, cuius illa semen est in hoc instanti dependenter à negatione peccati, & tamen visio natura sua impedimentum influxiuum ex parte antecedentis est ad peccatum. Cuius rei rationem dum discrimen impedimenti ex parte antecedentis purè impeditiui ab impedimento, ex parte etiam antecedentis influxiuo designo, videbis cert. 4. Iam vero sic data vnione hypostatica dependenter à negatione peccati expressiores cogitationes, quæ posterius natura darentur, antecedentem potestatem peccandi, quæ ante supponebatur, lædere haud quaquam possent: & sanè supposito quod vnio hypostatica independenter à negatione peccati daretur inutiliter ad libertatẽ ad peccandum abolendam expressiores cogitationes aduocantur ex eo enim præcisè, quod vnio, quæ cum peccato est saltem formaliter incompossibilis, independenter ab vsu libertatis ad peccandum, vel non peccandum donetur, ipsumque præueniat, libertatem ad peccandum ex parte antecedentis impedier, vt cert. 1. n. 1. docebamus.

6 Gaspard. Hurt. d. 10. diff. 7. antecedentem humanitatis vnitæ impeccabilitatem in eo constituit, quod Deitas quam humanitati vnio affert, forma sanctificans sit, & fortior peccato, quare & à peccato insuperabilis. Rident solut. Complut. Recent. & tandem dum suum fortasse nostrum impeccabilitatis huius antecedentis modum suo modo explicant in hanc solutionem incidunt, quam riserunt in vtrisqimpugnatur: quia in genere formalis incompossibilitatis æqua est incompossibilium repugnantia, nec maior nobilioris formæ, quam oppositæ ignobilioris, vt patet in habitu, & eius priuatione, quæ quo nobilior est, habitus est ignobilior. Ratio est: quia quo gradu forma pugnat, estque incompossibilis cum opposita, & hæc pugnat, estque incompossibilis cum ipsa: Fateor vnam formam maiorem habere exigentiam perdurandi, quam aliam, vt contr. de alterat. d. apud nos data, ab aliis prius cussa de resist. & impug. naturali euincebamus. Sed maior hæc exigentiæ fortitudo posset ad inamissibilitatem vnionis per peccatum in sequenti instanti inferuire de quo q. 3. ast ad impediendam libertatem potentiæ in actu primo ad peccandum, pro instanti in quo est, de quo nunc nihil inseruit: cum non sit exigentia Durandi pro instanti, in quo est, atque insuper formalis oppositio tota cum peccato non sit in actu primo, antequam existat peccatum, nisi independenter detur à negatione libera peccati; vt patet in gratia habituali, quæ, & incompossibilitatem habet, & perdurandi exigentiam, & tamen nisi detur indepẽdenter ab vsu libertatis ad peccandum non impedit libertatem in actu primo ad peccatum. Sin autem maior illa fortitudo sit in actu primo potentiæ ad peccandum explicetur quid sit. Nã maior fortitudo vnionis ex parte potentiæ ad non peccandum insuperabilis à peccato idem est, quod impeccabilitas antecedens, cuius rationem inquirimus. Denique si maior illa fortitudo ex parte potentiæ sit exactiua, poterit Deus non annuere, imo, etsi sit actiua, & influxiua etiam, poterit dari vnio à Deo dependenter à libera negatione peccati, vt dicebamus n. 5. nuncq; potentiam liberam ad peccandum, cuius vsum natura sequitur, retrogradè impedire non poterit, nisi sibi ipsi contradictoriè natura præcedat.

CERTAMEN III.

Rationes alias Doctorum conuello

1 RAecentiores Complutenses ex Moncæo nostro annis pluribus hac ratione antecedentem humanitatis impeccabilitatem, atque exigentiam naturalem vt detur independenter à negatione peccati: ficque potentiam in actu primo ad peccandum impediat explicarunt, quia vnio personalis loco, & signo propriæ donanda est ad complementum naturæ, propria vero personalitas, & quæcumque naturam complent dari petunt independenter ab omni vsu libertatis, nec solum à negatione peccati. Confirmarique acutè posset quia vnio personalis præcisè solum affert personalitatem, quæ formalis sanctitas humanitatis non est: quare neque ex oppositione formali cum peccato eius negatio expectanda natura sua est, vt donetur, sicut ad donationem gratiæ expectatur. Verum natura complementa sua exigit, non autem exigit quod sine alterius adiuuantis interuentu donetur, neque contra eius exigentiam fit si statim in primo suæ durationis instanti ob merita suorum operum, & obseruantiam præcepti, ac proinde negationem peccati donetur, sed solum si non donetur complementum quod exigit. Contra secundo: quia licet naturaliter dari sine intermediis vllis complementum personale peteret, non tollitur, quo minus Deus dependenter ab vsu libertatis dare absolutè possit, si velit: quare potentia absoluta poterit præueniri à libera negatione peccati vnio hypostatica, atque cum antecedenti peccabilitate consistere. Tertio: vnio, qua supositalis formaliter, & præcisè nihil affert peccato repugnans adhuc formaliter, & vt pro aduersariis dicebam: solum ergo pugnat ratione Deitatis identificatæ cum personalitate verbi, quam formaliter affert: illa enim affertur sanctitas infinita humanitati, quæ pugnat formaliter incompossibiliter cum peccato: atqui ratione huius potius petit dari vnio dependenter à negatione peccati incompossibilis sicut quæuis alia forma sanctificans: ergo licet personalitas propria petatur à natura independenter à negatione peccati, non autem aliena diuina. Quarto: pone humanitatem peccasse in instanti primo suæ existentiæ, assumptamque fuisse in secundo, tunc nequit non assumi ad vnionem dependenter

pendenter à destructione, ac negatione peccati ante acti, idque natura sua. Demum tota hæc doctrina supponit personalitatem creatam distinctum quid esse à natura individua totali,cuius oppositum ostendimus d. procœmiali.

2 Herize. 1.p.d.24.c.3.n.40.Granad.tract.3.de incarnat.d.3.sect.4.n.25.Lugo supra sect.3.n.3 aiunt,vi vnionis teneri Deum ad decernendum suspensionem concursus ad actum Christo prohibitum, & concursum ad præceptum quorum altero præcepta operatio ex parte antecedentis non poterit non esse, altero prohibita esse nequibit. Sed in primis : cur Deus vi vnionis ad sic decernendum teneatur,explicare,assignarevè deberet hæc opinio. Secundo , vel ita vnio ea decreta exigit à Deo, sicut causæ naturales concursum, & similia:& tunc sicut sine indecentia non semper causis naturalibus annuit, ita huic exigentiæ poterit non annuere , vel est exigentia cui nequeat non annuere Deus sine indecentia, & hoc erit ostendendum ab his Doctoribus. Deinde quomodocumque exigatur poterit Deus expectata negatione peccati pro hoc instanti decernere vnionem pro posteriori naturæ,quo in casu peccatum in hoc instanti pro priori naturæ possibile fuit , ac proinde humanitas in instanti vnionis est peccabilis antecedenter, vt sæpè dixi. Quarto licet posito decreto non concurrendi ad prohibitum sit commissio antecedenter impossibilis humanitati, ast omissio actus vitalis, v. g. acceptationis mortis posito decreto concurrendi erit possibilis antecedenter voluntati humanæ : cum hæc sit essentiale comprincipium quo non concurrente ponetur omissio nisi aliud decretum absolutum prædeterminans voluntatem Christi ad eam acceptionem addatur.

3 Bernal. citatus sect.1.§.3. à n.17. supposita vulgari repugnantia, ipsi tamen non probata, contrarietatis peccati cum gratia docet,fore vt Deus speciali concursu influeret in peccatum,si humanitas peccaret ac proinde,& ipse peccaret;quod quia fieri prorsus repugnat ex parte antecedentis,& humanitatem vnitam peccare ex parte antecedentis repugnat. Probat specialem Dei concursum in peccatum : quia in præsentia contrarij contrarium quoduis fortiori Dei concursu eget, vt conseruetur, quam sit concursus naturalis; Lugo vero d.26.sect.1.à n.11.qui primus in hunc modum incidit, contendit contrarium alterum tantum, quod alio supposito pro priori naturæ in subiecto denuò inducitur robustiori Dei concursu egere.Sed certè vterque ex minus penetrata natura, & essentia pugnæ , & resistentiæ contrariorum discurrit,sicut & reliqui,qui ante nostram ea de re disputationem in similibus discurrerunt,vt patebit; cum post hoc opus nostram Deo dante philosophiam ediderimus. errat itaque vterque in assignando, siue vni, siue vtrique contrariis Dei concursu fortiori ad conseruationem illius in præsentia alterius : neque enim maiori opus tunc est, quam in contrarij absentia, sed minus debito. Secundo : cum Deus peccati author non sit, concursus, etsi maior necessarius foret, non ab illo, sed à voluntate esset, licet autem ad physicum amplius concurreret, si id esset ad exigentiam, siue vt non deesset determinationi pertinacis voluntatis, non magis peccati author foret quam concursu generali. Tertio si peccatum supponeretur prius natura in solam vnionem edendam in eodem instanti fortius incumberet Deus. Quarto in peccato omissionis cuius est efficacissima causa negatio concursus voluntatis creatæ,nihil concursus adhibendum Deo esset,sed solum ad vnionis conseruationem. Quinto si decerneret dare vnionem dependenter à negatione libera peccati præcessisset peccabilitas antecedens,& peccati negatio ad vnionem quare opus non esset maiori ad vnionem , quæ sola foret concursu Dei, nedum ad peccatum,quod esse pro illo instanti non poterat. Sexto demum errauit vterque impeccabil.tatis antecedentis intelligentia existimans esse potestatem coniungendi gratiam vnionis,& peccatum,seu peccatum,& eius contrarium,vel contradictorium:ad quod opus sit maiori concursu Dei in peccatiexistentiam. Non est autem potestas ad vtrumque simul,sed ad vtrumlibet vnum scilicet, vel alterum, quę esse ex parte antecedentis ad peccatum potest in instanti, quo est vnio contraria , non secus atque pro instanti quo est gratia habitualis quæ Bernal. obiicit se ipsis languescunt, & nutant.

4 Capreolus , & Palud. quod sequitur Suar. d. 34. sect.2.Moncæus etiam supra;Granad.tract.10. d.2. à n. 11.Becan. supra Vvadingo d.8.dub.1. §.2. n. 16. Bernal. cit.sect.1.§. 3. qui vnicam hac in re , & præcipuam rationem censet , aiunt : verbi personam iure vnionis teneri ad regimen humanitatis vnitæ , vt ipsi humanitatis peccata imputanda sint non secus atque filij , & vxoris peccata , quæ eis permiserint Patri , & marito imputabuntur. Similiter appetitui rationali , nisi motus sensitiui inordinati:quia hic pars inferior subdita illius est in quantum possit cohibeat. Sed inquiunt Recentiores Complutenses,si periculum absit consensus appetitus rationalis hic non tenetur eos cohibere in probabili opinione:ergo cum absit periculum verbo consentiendi in peccata humanitatis non tenebitur ea cohibere. Sed contra : quia ideo non tenetur appetitus rationalis in eo casu,quia sensitiuus non habet libertatem;quare nec sunt ij motus peccata,quæ ipsi imputentur:ast in humanitate libertas adesset : quare & peccatum , quod verbo imputaretur. Vasq. & Recentiores Complutenses acriter in hanc inuehuntur sententiam , & merito in Soarij principiis. Nam obligatio hæc regiminis solum est obligatio non permittendi peccata , seu dandi auxilia congrua , & quæ non habeat connexionem nisi mediatam ratione auxiliorum quæ consequens solum est in Soarij sententia , ac proinde,quæ non tollit libertatem ad peccandum.Confirmatur:quia in Soarij sententia efficax præfinitio regulata per scientiam mediam non tollit ad actum libertatem , quia non connectitur cum illo nisi ratione auxiliorum. Tandem, si detur vnio hypostatica à Deo dependenter à negatione libera peccati, obligatio inde orta in verbo sequeretur natura vsum libertatis erga peccatum:quare eam in actu primo non impediret.

5 Denique sic olim discurrebam , vt quia sanctitas humanitati per vnionem à Deitate communicata substantialis est,totiusq; gratiæ habitualis aliis principium, & radix cum nobis,tum humanitati Christi,cui eam etiam determinatè exigit, quare posita vnione ponitur in humanitate principium determinatum gratiæ,quę contrariè,vel contradictoriè oppositum est extremum peccato.Cum autem ad libertatem supponi debeat ex parte actus primi potentiæ liberæ priuatio cuiusvis principij determinatiui alterius extremi ex his ad quæ potentia de se indifferens est,vt libertas in actu primo,seu potestas ad vtrumlibet seruetur,fit planè,vt libertas in actu primo ad peccandum,vel non peccandum in humanitate vnita Deitati nequeat consistere:quare neque peccabilitas antecedens pro instanti vnionis in quouis signo consideratæ, potentia. Miror Granados,& alios,qui docuerunt humanitatem vnitam in actu etiam primo , incapacem erroris esse, quia, vt vnita exigit perfectam scientiã humanitati,quæ errori ipsius circa obiecta illa repugnat in hanc sententiam non incurrisse; Pro ea porro stare videntur testimonia Patrum , quæ Christi impeccabilitatem exemplis ferri, & carbonis igniti explicant, dicentis Christi humanitatem non aliter ignitam Deitate esse,ac proinde impeccabilem, ea testimonia cert.seq.expendam.Sed enim cogitatio hæc à nouitate frigescens nobis ipsis displicuit : quia à Deo expectari potest libera peccati negatio in hoc instanti , vt humanitas vniatur,atque vnio,& gratia habitualis dari dependenter à peccati negatione, & vsu libertatis ad peccandum , sine vlla violentia, & miraculo , sed potentia ordinaria,quo casu vnio libertatem in actu primo humanitatis ad peccandum non impedit, eritque absolutè humanitas pro instanti, in quo vnio adest, antecedenter peccabilis : Quod si potentia absoluta fieri solum posse contendas , vt vnio detur dependenter à negatione peccati : saltem euincam humanitatem vnitam esse posse potentia absoluta, vt esset antecedenter peccabilis

peccabilis absolutè,quod est absurdum , minusque humanitatem Christi decens,Patribusque assonum.

CERTAMEN IV.

Propriæ,solidioresque meditationes pro antecedenti humanitatis Christi impeccabilitate.

1 TAntorum doctorum exemplo accensus,quorum casus , vt non sequentium ignorantiæ gloriam faciant,certè excusationem prætendunt , aliam ad hanc rem Patrum vestigiis impressam,licet vetustate, an præcedentium incuria, emortuam viam aggrediar. Est autem huiusmodi discursus.Humanitas Christi sanctificatur Deitatis sanctitate,seu sanctitate,quæ Deitas est , vi vnionis hypostaticæ:atqui sanctitati Deitatis , seu quæ Deitas est, repugnat antecedenter , nec solum consequenter,peccatum:ergo humanitati sanctæ per Deitatem repugnat antecedenter , nec solum consequenter peccatum.Minor est certa. Nam Deus ita è conceptu sanctitatis suæ sanctus est,vt ex illo necessario,& infallibiliter sit in omni signo,etiam ante vsum libertatis determinatus ad bonum quoad speciem,imposque admittendi peccatum:quare cuicumque sanctitas diuina secundum se communicetur idem præstabit. Hanc rationem traduntPatres plures ex recitatis. q. 1. atque ex datis hac q. 2. ferè omnes. Recole illud Dionys. Alex. *Nemo est quin peccare possit nisi Christus : sicut Pater Christi , & Spiritus sanctus* Idest inde eoque modo, sicut pater , & Spiritus impeccabiles sunt ita Christi humanitas , & & homo Christus eodem modo recitatus,Cyril.ibidem aiebat non posse humanitati vnitæ obiici imbecillitatem ad peccandum nisi inferatur Deitatem desisse , fuisseque in humanitatem conuersam atque Epiphanius Anchoratо longè post medium.*si superne*,qua Deus , *imperfectius est,& infra*,qua homo , *imperfectius est : si superne perfectius est,& infra perfectius est*.Quia non aliam , neque alio modo (si diuersitatem habendi per vnionem , ac non per identitatem , secludas) perfectionem , & sanctitatem peccato cuiuis repugnantem habet humanitas vnita Deo,quam Deus ipse. Cum ergo sanctitas substantialis Dei , quæ Deitas est , atque eminentialis duplicem oppositionem habeat cum peccato,& formalem,& antecedentem , siue in actu primo,& secundo humanitas , quæ Deitate in se accepta sanctificatur vtramque oppositionem habebit , erique non solum consequenter , sed & antecedenter impeccabilis.

2 Rem totam illustri exemplo ob oculos posuit nobis Origen.2. Periarch. c. 6. post med. dicens. *ferrum natura sua est capax caloris , & frigoris;si tamen semper intra fornacem ignis detineatur dici poterit incapax frigoris. Hoc ergo modo illa anima,quæ quasi ferrum in igne , sic semper in Deo posita est,omne quod agit &c.Deus test.* Paucisque interallatis. *Ad omnes deinde sanctos calor aliquis verbi Dei putandus est peruenisse:in hac autem anima ipse ignis diuinitus substantialiter requieuisse putandus est.*quid illustrius ? Hæc fortasse in eandem sententiam verba Nizetæ in orat.51. Nazianzeni. *quemadmodum si totus aër igneus esset , vel potius ignis esset,& granum quoddam ferreum in eum conijceretur , necesse profecto esset hoc quoque eadem qualitate affici , qua id,quod excedit,& superius est,& ita quidem , vt meo iudicio , nihil aliud,quam ignis esse videretur ; tametsi essentiæ ratio integra ipsi,& in columis esset : eodem modo humana natura diuinæ copulata vsque adeo superata est,vt hominis natura,nec manere quidem videretur,tametsi aliogui proprietatem suam retineret.* Cuius sententiæ ea vis est. Ferrum natura sua frigidum , ignitum tamen,grandique igne circundatum nequit frigefieri ex parte antecedentis nisi à validiori contrario : atqui humanitas sanctitate Deitatis ignita est tota,eaque sanctitas infinita est , & insuperabilis : ergo nequiuit adhuc ex parte antecedentis frigefieri peccato.Hæc ratio eadem est licet exemplo explicata,cum data num. 1. in hanc cogitationem testimoniis hisce ductus incidi in Iesumontano fecessu æstate anni.1632. dum philosophis præsiderem:quam,cum ibi scholasticis Theologicis nonnullis Complutensium Recentiorum discipulis familiaribus me hac super re consulentibus impertitus tunc essem Recentiores tribus post annis eandem,eisdemque,& rationis,& authoritatis momentis è cathedra dictarunt. Forte casu in eam inciderunt licet eatenus alium Moncæi modum defendissent : quia vero illi nobis Theologiæ lectura , & ingenio præibant testium oculatorum , qui eam anno, & æstate illa in meis schedulis legerant , Syngraphas recepi , & adseruaui : vt dum meam posthea dicerem iactantiæ suspicionem omnem propulsarem.

3 Oppones licet posita vnione ante vsum libertatis in hoc instanti ad peccandum reddatur humanitas antecedenter impeccabilis : ast potest poni, daríque à Deo dependenter à negatione peccati, vt sæpe diximus, dum modos aliorum impugnaremus , tunc que pro hoc instanti non impediet libertatem in actu primo ad peccandum:ergo posita vnione potest absolutè humanitas esse peccabilis antecedenter pro hoc instanti , quo est vnita. Recentiores Complutenses minus sententiam hanc nostram penetrantes totum admittunt , atque à Patrum sententia deficiunt:quia putant certum posse vnionem dari à Deo dependenter à negatione peccati pro eodem instanti , quo datur. Aiuntque tunc solum esse humanitatem Christi impeccabilem antecedenter pro instantibus sequentibus , quæ non satis cohærent , vt videbimus. q. 3. de inamissibilitate vnionis per peccatum disputantes. Nos ergo negamus vnionem posse dari dependenter à negatione peccati pro eo instanti, quo datur. Ratio petenda est ex differentia duplicis impedimenti potentiæ liberæ in actu primo iuxta Anselmum de concordia præscientiæ , & prædestinationis : scilicet impedientis impediriuè , & impedientis actiuè,seu influxiuè,quæ impediunt actiuè , seu influxiuè solum impediunt determinando actiuè potentiam ad alterum extremum , exigendoque à Deo concursum ad illud,quod non impedit, quominus ante illud prioritate naturæ expectet Deus, vt ponatur extremum illud, atque exerceatur potentiæ libertas.Impedimentum impediens solum impediriuè non impedit determinando actiuè,seu influxiuè potentiam liberam in actu primo,sed sola sui assistentia potentiæ liberæ:quare implicat assistere ac non impedire eius libertatem in actu primo in illo instanti,in quo ei adest:vnde implicat esse libertatem pro vllo signo respectu eius , ad quod impedit, darique dependenter ab vsu libertatis illius. Sanctitas autem substantialis diuina , & Deitatis est ex hoc genere impedimentorum respectu peccati , ad quod potentiam in Deo non impediunt actiuitate,aut exigentia,sed assistentia sola identitatis , atque in humanitate assistentia sui ad illam per vnionem:quare implicat nunc esse,& non impedire:ac proinde,& dari dependenter à negatione peccati , & post vsum libertatis humanitatis in negatione ipsius.

4 Oppones : si humanitas præexisteret duratione ad sui vnionem ad verbum peccaretque in priori illa duratione, atque in posteriori assumeretur , tunc quidem donaretur dependenter à negatione peccati habitualis ante actiquare vsum libertatis in eius ablatione sequeretur : ergo potest dari libertas in hoc instanti vnionis erga peccatum,siue ad conseruandum, vel non conseruandum peccatum. Respondeo conclusionem hac obiectione non tangi,quæ est de impossibilitate antecedenti ad peccandum : humanitatis , quæ ante peccatum assumpta à verbo fuit in casu vero,quo peccasset non retractatio peccati,quæ esset ex parte humanitatis destructio , & ablatio peccati peccatum non esset,nisi in aliqua circunstantia:vbi autem peccatum denuo foret vnio dependenter à retractatione dari minime posset pro eo instanti ob rationem datam , si autem vnio sit circunstantia obligans humanitatem ad retractationem , non erit obligatio ad liberam retractationem ,

sed ad necessariam: cum supponi debeat pro priori naturæ ad obligationem vnio à qua oritur, quare, & ad non peccandum, seu retractandum coget. Quomodo vnio cum peccato habituali pugnet dicendum est. q. 4. si autem pugnet contradictorie certum est non posse dari dependenter à negatione peccati habitualis: cum priuatio non nisi per habitum pellatur, neque ablata intelligi possit nisi eius positione. Sed hæc omnia, nisi q. 4. citata, explicari prorsus nequeunt: satis nunc sit vbi peccatum nouum foret non retractari peccatum transactum humanitatis antecedenter, sed ab vnione ad retractationem necessitari: vbi autem non foret, licet libera maneret; ac proinde posset dari vnio dependenter ab vsu libertatis circa retractationem, non autem ad peccandum, & non peccandum pro hoc instanti, in quo est vnio id quod secus habet in opinione Moncæi, quem simili argumento impugnabamus cert. 3. n. 1. in qua licet adsit obligatio retractandi caret.

5 Secunda nostra impeccabilitatis antecedentis humanitatis Christi ratio est quam ex Capreolo, Palud. Soar. & aliis referabamus, altius tamen fundata in nostris principiis in eis enim nihil, quæ contra hosce dedimus, præstant. Etenim obligatio verbi impediendi peccata humanitatis vnitæ non connectitur cum negatione peccati humanitatis ratione auxiliorum tantum, & consequenter, sed se ipsa connectitur, vel potius connectit verbi impeccabilitatem cum negatione peccati humanitatis, & impotentia eius antecedenti ad peccandum: ne verbo imparentur si peccet, aut antecedenter, & in actu primo peccare verbum possit, si humanitas antecedenter adhuc peccare queat vnde extrinsecus obligatione, & impeccabilitate verbi vniti humanitas Christi antecedenter impediam habet libertatem ad peccandum, licet non nisi auxilius datis quæ de se libertatem in actu primo non impediunt præcepta exequatur. Non secus atque præfinitione consensus voluntas auxiliis ad illum vel eius oppositum instructa antecedenter extrinsecè libera non est, vt latius controu. 2. de Incarnat. & controu. de voluntate, fusius adhuc ostendo.

6 Eum antecedentis impeccabilitatis modum ita explicatum dedesunt nobis Athanas. & Cyril. recitati. q. 1. cert. 1. n. 1. ac luculentius Damascen. lib. *Quod ad imag. Dei facti sumus*, dicens, *non personam, sed humanitatem à verbo assumptam esse, ne naturæ humanæ voluntas quæ naturæ tribuitur, volitione, quæ hypostasim attingit* (non physicè vt ostendimus, sed moraliter, imputativè) *à diuinæ voluntatis præscripto discederet, sed ei sponte pareret in omnibus.* Vbi notanter *sponte*, non autem liberè dixit. Maiori vti reor emphasi Athanas. vbi proximè ait: *ipse enim Deus in se habens* (humanitatem) *naturæ humanæ vniuersa sustinuit non diuisa ad malitiam.* Nempè à se Deo non diuisa ad malitiam, quem peccata humanitatis non ex propria, sed ex Dei vniti persona operantis non tangere minimè possent. Nec refert quod ex Durando opponit Vasq. actiones nimirum impediendi peccata humanitatis communes esse Trinitati: quare obligationem ea vitandi verbi solius esse non posse, quasi actio, & obligatio impediendi idem sint; ac proinde nequeat esse obligatio vnius personæ, & actio impediendi trium quia actiones ad extra indiuisas habent. Secundo, vt diximus verbum vnitum se ipso non actione aliqua peccata humanitatis in actu primo impedit, quare in suppositione falsa peccat obiectio.

7 Quod si adhuc videatur argumentum nostrum contra alios perstare posseque absolutè dari impedimenta hæc nostra siue purè sui assistentia impediens, siue imputabilitatis verbo post vsum libertatis ad peccandum ostendam breui vnionem hypostaticam quæ secum verumque impedimentum deuoluit ita dari in nostris principiis nusquam posse. Cùm enim iuxta dicta d. procem. q. 2. cert. 5. existentia humanitatis non sit nisi dependenter ab vnione ad verbum simul tempore necessario habenda, neque aliter dari potuerit, vt hypostaticè Deo vniretur propria mque hypostasim amitteret: cumque ex alia parte existentia humanitatis pro priori naturæ ad peccatum sicuti & ad quamvis aliam eius operationem requiratur, fit plane pro priori naturæ ad peccatum esse in humanitate determinationem ad vnionem hypostaticam, quæ omnium sententia, formaliter cum peccato repugnat: iam vero cum determinatione ad vnum ex extremis repugnantibus nequit esse potentia ad alterum (esset enim potentia ad coniungendum duplex contradictorium (neque indifferentia ad vtrumlibet, quæ contradicit determinationi antecedenti, & in actu primo ad alterum: quare in ipsa humanitatis existentia in actu primo ante omnem vsum libertatis circa peccatum, vel potius in decreto de existentia humanitatis dependenter ab vnione ad verbum, quod ante ipsam existentiam natura præcedit est impotentia humanitatis ad peccandum, & determinatio ad vnionem hypostaticam, ad non peccandum: atque adeo vnio hypostatica dependenter ab vsu libertatis ad peccandum dari minimè potest.

8 Sed adhuc contra vtramque hanc nostram rationem videtur argumentum, quo reliquos vexabamus, perstare. Si enim detur vnio humanitati post vsum libertatis eius ad peccandum: quomodo eam libertatem, impediet, siue vnionis assistentia in instanti eodem, siue inde orta obligatio verbi, & imputabilitas peccati humanitatis verbo vnito; Cum eam pro priori naturæ exercitâ supponat? Confirmatur ex nostra doctrina: quia eleuatio operum humanitatis vnitę per vnionis assistentiam informatiuam humanitati operanti fit, & tamen si post vsum operum humanitatis, atque in eorum pro priori naturæ elicitorum præmium dari contingeret ea nullatenus eleuaret, aut dignificaret: Ergo licet vio hypostathica, & imputabilitas peccatorum humanitatis verbo vnito, si forent, quæ inde consurgit, impediat, antecedenter potentiam humanitatis vnitæ ad peccandum per solam sui assistentiam informatiuam humanitatis eidem; non impediet si post vsum libertatis humanitatis ad peccandum, ac dependenter à negatione peccati, in instanti eodem donarentur.

9 Nihilominus duplex ille noster modus impeccabilitatis antecedentis humanitatis Christi, etiam de potentia absoluta etiam in nostris principiis perstitit, licet in aliis stare minime possit. Nequit enim in principiis nostris hypostatica vnio humanitatis ab vsu libertatis eiusdem ad peccandum vllatenus præueniri siquidem humanitatis existentia, sine qua nulla eius potestas ad operandum esse potest, nequit ab vsu libertatis, ad peccandum (quam, vel constituit, vel præsuppositiuè præcedit) dependere. Cum autem in nostris principiis humanitatis existentia decreta à Deo fuerit dependenter ab vnione hypostatica necessario, & infallibiliter vi decreti illius pro eo instanti, & duratione qua humanitas existeret apponenda; quare, & ex priori naturæ ad vsum libertatis sit vnio infallibiliter futura: atque ex alia parte vnio hypostatica omnium ferè sententia cum peccato saltem formaliter pugnet, fit planè, vt nequeat in humanitate esse potestas ad peccandum, alioqui esset simul potestas indifferens ad extrema opposita cum determinatione ineuitabili ad vnum ex illis: quod ipsum est potestatem chymericam ad coniungenda duo contradictoria fateri. Illud autem principium nostrum de existentia humanitatis Christi decreta dependenter ab vnione hypostathica pro eodem instanti necessario futura monstratum abunde à nobis d. procem. de Trinit. q. 2. cert. 5. n. 4. & 5. atque in his sæpe repetitum.

QVÆ

QVÆSTIO III.

An vnio hypostatica semel habita sit deinceps peccato inamissibilis.

RES hæc, licet antecedenti humanitatis vnitæ impeccabilitate valde sit affinis, est tamen ab illa diuersa, non eadem. Quare affinitate decepti perperam Recentiores Complutenses vtramque confuderunt quæstionem in terminis examinarunt Vasq. & Suarez primum, post modum vero reliqui. Loquimur autem de inamissibilitate adhuc diuinitus.

CERTAMEN I.

Vnionis inamissibilitas per peccatum ex ex Patribus fundatur, male vero à nonnullis ex ratione?

1 CONclusionem docent Vasquez supra. c. 7. Suar. sect. 2. versu *sed ex hac conclusione*. Moncæus. d. 9. c. 4. Granad. tract. 10. d. 2. num. 17. Lugo. d. 26. sect. 5. Vvadingo; subobscurius. d. 8. dub. 1. §. 2. Gaspar. Hurt. supra d. 43. diffic. 2. Complutenses imo, & reliqui Recentiores: solus, quem viderim, Petrus Hurtado. d. 60. sect. 4. §. 33. nostræ conclusioni aduersatur. Verum non tam nobis, quam Patribus aduersatur. Cyril. Alex. de recta fide ad Theodosi. t. 1. Concil. Ephes. c. 4. in noua editione sic habet: *Animam rursus humanam postquam illam propriam sibi reddidisset, suæ quæ naturæ firmitate, & immutabilitate perinde, ac vellus colore, imbuisset, peccato superiorem declararet &c.* & inferius. *Posteaquam verbi omnia viuificantis caro effecta est, quod peccatum non nouit eueltigio statum firmum, ac omnibus modis stabilem, peccatoque, quod olim tyrannidem exercebat multis partibus potentiorem nacta est.* Et contra Antiopomorphit. c. 23. post data verba. q. 2. cert. 1. *si vero idcirco humanam naturam gessauit, vt eam, quæ ab Adam acceperat imbecillitatem, in se validam, ac peccato superiorem declararet: cur frustra id anxie inquirunt, quod inuenire non possint.* Athanas. 1. de Incarnat. post init. *Verbum in se reformauit*, naturam Diabolo instigatam, *neque vlterius eam fraudis diaboli, aut inuenti mortis susceptibilem reliquit.* ac rursus. *verbi tamen incarnatio secundum naturam Dei facta nostrorum vitiorum susceptibilis non fuit.*

2 Epiphan. supra q. 2. *Nunquid suspicabimur eum peccatis fuisse subiectum?* Origen. post data primo verba. q. 2. cert. 4. immediatè *ideo nec conuertibilis, nec mutabilis dici potest, quæ*, natura, *inconuertibilitatem ex verbi Dei vnitate indesinenter ignita possedit.* August. denique 11. de correpț. & gratia. *Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in vnitatem personæ à verbo Deo natura humana susceptа per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cum ipsa susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ita susceptа nullum in se motum malæ voluntatis admitteret*: Sin autem semel habita vnione natura peccare deinceps posset, sicque peccato vnionem abiicere, nec omnino firma, & stabilis, inconuertibilis, insuperabilis, ac superior peccato insusceptibilis vlterius fraudis diaboli, & peccati, indesinenter ignita, vt patres loquuntur, sed potius conuertibilis ad peccatum, eoque superabilis, designenter ignita foret: imo metuendum cóntra Augustinum esset ne liberè in sequenti instanti peccaret. Censent ergo Patres semel posita vnione in primo instanti non posse in sequenti naturam peccare, itavt peccato vnionem amittat: quare semel habitam vnionem à natura esse deinceps peccato inamissibilem.

3 Sed vero vt in antecedenti impeccabilitate euenit, infirmæ, vt plurimum rationes à Doctoribus affingnantur, dum quiuis ad suum modum antecedentis impeccabilitatis à nobis q. 2. impugnatum recurrit. Alij ad necessariam præcedentiam naturæ personalitatis; siue, vt comprincipij, siue vt conditionis necessariæ, vt humanitas operetur, quæ respectu sequentium instantium temporis eadem est atque in primo, quos impugnatos ibi habes. Alij exigentiam vnionis, vt detur independenter à negatione operum, peccati: quod in conseruatione maiorem vim habere videtur. Etenim semel habita petit conseruari, & consequenter ne in instanti sequenti introducatur peccatum. Sed tamen potest Deus semel, simulque decernere illam dare nunc, & in sequenti non conseruare, si peccet humanitas, seu non conseruare nisi dependenter à negatione peccati, sed in quo est licet petat durare in sequenti. Tertio petat, ac Deus non annuat illam conseruare prius, & peccatum postea illius titulo pellere, seu prius peccati euitationem, vt posterius natura ipsam conseruet. Quidnam in eo contradictionis reperies: tunc autem poterit absolutè peccato deperdi ex parte antecedentis, etsi humaniras peccet, vt potest, ex parte etiam consequentis vt patet.

4 Recurrit Vasq. cum suis ad exigentiam vnionis expressiorum cogitationum, quam habebit in secundo etiam instanti, nisi mero Dei arbitratu supponatur pro priori naturæ destructa: quo in casu libera erit ad peccandum, & non peccandum, sed negatio peccati tunc regredi nequibit, vt præcedat destructionem peccati, quam supposuit. Cæterum expressiori cogitatione non auferri libertatem, ad peccandum ostendimus. Secundo: exigentia expressioris cogitationis est, vel ad status decentiam, vel aliud quoduis ab vnione pro duratione illa in qua existit non pro sequenti, in qua nondum existit, imo neque est extitura fortassis. Est enim exigentia, vt decenter existat existentiamque exigentis supponit, sicut reliquæ omnes exigentiæ actiua, & dispositiua, licet ob existentiam contrariij non semper in illo eodem instanti donetur, sed sequenti. Denique admittatur totum: ei tamen exigentiæ expressioris cogitationis poterit Deus non annuere, atque expressiorem illam cogitationem ad non peccandum humanitati nunc vnitæ pro instanti sequenti denegare: quo in casu, & poterit vnio semel habita peccato in sequenti instanti deperdi.

CERTAMEN II.

Recentiores Complutenses irrito hac in re, & inconsequenter laborant.

1 AIebant isti vnionem natura sua permanentem, virtualiter perseuerare in sequenti instanti quousque formaliter excluſa intelligatur. Quocirca nisi mero Dei arbitrio ex parte actus primi excluſa formaliter supponatur, non erit libertas ad peccatum, quo pro posteriori expellatur, cum antecedentem peccabilitatem impediat, vt dicebatur q. 2. cert. 1. n. 1. si autem mero Dei arbitrio ex parte actus primi potentiæ ad peccandum supponatur formaliter excluſa, quidnam aget peccatum ad eius exclusionem? ergo nequit vnio semel habita peccato pro sequenti instanti, ac duratione periré. Verum doctrina hæc superfluo continet exigentiam perdurandi vi vnionis semel habitæ. Si enim necessarium impedimentum antecedens est sine illa exigentia amitti in sequenti duratione per peccatum non potest, vt cert. 3. ostendemus. Deinde est doctrina insufficiens, atque cum principiis Recentiorum pugnat. Hoc extremum probo. Hæc est bona consequentia in

tua

tua doctrina, & irrefragabilis vnio potest dari dependenter à meritis in hoc instanti: ergo potest dari dependenter à libera negatione peccati in hoc instanti. Ex hac autem est inevitabilis consequentia alia: ergo potest non esse si adsit peccatum in hoc instanti: atqui per te vnio potest conseruari in secundo instanti dependenter à meritis: ergo, & conseruari dependenter à negatione peccati, & peccato perire absolutè. Dices conclusionem intelligi de negatione peccati admissi in secúdo instanti quo vnio perit demus id. Potest perire consequenter ad tua principia dependenter à negatione peccati admissi in primo instanti: ergo, & in secundo. Probo, magis debet impedire peccatum in actu primo existentia realis formalis vnionis, quam existentia solum virtualis eiusdem vnionis in secundo ratione exigentiæ huius realis formalis existentiæ: atqui non impedit, iuxta tua principia, realis formalis existentia vnionis peccatum in actu primo pro instanti primo: ergo neque impediet pro instanti secundo. Rursus per te vnio secundi instantis potest supponi prioritate naturę ad vnionem instantis primi: cum vnio pro primo possit per te cadere sub meritum operum secundi instantis dignificatorum gratia vnionis, & sic de sequentibus; tunc autem vnio secundi instantis non perdurabit ob exigentiam vnionis in primo cum vnionis existentia, quare, & exigentia posterior esset vnione pro secundo, & sic de sequentibus, si in illis efformetur argumentum: ergo ab exigentia non proueniet durare virtualiter vnionem in secundo instanti.

2 Sed in consequentiis missis veniamus ad doctrinæ insufficientiá. Existentia realis formalis vnionis non impedit per te absolutè prorsus libertatem humanitatis in actu primo ad peccandum, si detur vt posse ais, dependenter à negatione peccati, pro eo instanti in quo datur, vt vidimus q. 2 cert 4. num. 3. ergo minus impediet existentia vnionis solum virtualis. Contra secundo existentia illa virtualis solum est exigentia prædeterminationis formalis in secundo instanti, quæ in vnione est: ergo non est existentia prædeterminationis formalis: atqui sola prædeterminatio formalis pugnat cũ libertate formali in actu primo; ergo existentia virtualis vnionis in actu primo non impedit libertatem in actu primo ad peccandũ. Tertio: quia, licet existentia illa virtualis, seu exigentia, vt duret vnio in secundo instanti, sit indepẽdens à negatione peccati in secundo instanti, ast non est, vt duret vnio independẽter à negatione peccati ergo non fiet contra exigentiam illam, seu existentiam virtualem vnionis, si non ob illam solum, sed ob negationem peccati in secundo instanti decernatur à Deo vnionis per duratio pro secundo instanti: ergo existentia illa virtualis vnionis in secundo instanti non pugnat, neque impedit libertatem humanitatis in actu primo ad peccandum in secundo instanti. Vnde rursus peccato poterit perire vnio, si in eo admittendo humanitas in secundo instanti libertatem suam exerceat, vt antecedenter potest: tunc que ob peccati exigentiam exigentiæ vnionis pro primo instanti, vt duret pro secundo fortius reclamanti connaturali fere prouidentia vnio peribit: cum in expectanda negatione peccati, vt decernatur eius duratio contra exigentiam fere non fiat, inde neganda vero posito peccato fortiori exigentiæ attendatur.

3 Contra quarto quia è sola exigentia perdurandi intrinseca vnioni non est virtualiter absolutè vnio pro secundo instanti, sed conditionatè solum si Deus annuat: in se enim quoduis creatum subditur iuri, & dominio supremo Dei erga creata: ergo si Deus comprimum vnionem dat, vel immediatè visa exigentia perdurandi decernat, vt perduret si non peccet non existet virtualiter absolutè, sed solum conditionatè, scilicet sub conditione negationis peccati, qua absoluta illa exigentia temperatur: quare licet si Deus annueret absolutè esset virtualiter vnio pro signo, & actu primo, sicque eius impediret libertatem ad peccandum: cum solum conditionatè annuit sub conditione nimirum negationis peccati, ne virtualiter quidem absolutè est ante vsum libertatis ad peccandum, vel non peccandũ. Dices eo ipso, quod decernitur perduratio dependenter à negatione peccati dècernitur destructio si peccet: ergo non attenditur exigentia ad conseruationem. Respondetur ita fieri à Deo posse, quod est impugnatio alia, qua probatur de potentia absoluta vlterius conclusio. Sed tamen non infertur consequentia ex antecedenti: nam licet posito peccato destrueretur ex vi eius decreti vnio non attenta, sed posthabita ad eius destructionem exigentia perdurandi; At vero ad conseruationem posita negatione peccati, non hæc solum, sed & exigentia perdurandi attenditur: vnumquodque tanquam partiale conseruationis eius motiuum.

CERTAMEN III.

Solidiores ex nostrũ principiis probationes.

1 EX dictis q. 2. cert. 1. num. 1. & cert. 4. num. 3. probatio inamissibilitatis per peccatum semel habitæ vnionis procliuis est. Etenim impedimentum pure impediens libertatem in actu primo debet ex parte actus primi potentiæ libere supponi exclusus, vt seruetur libertas in quauis duratione: atqui vnio hypostatica est impedimentum pure impediens libertatem in actu primo ad peccandum: ergo debet supponi excluſa ex parte actus primi ante vsum liberum peccati in quauis duratione: ergo in nulla duratione potest perire ob peccatum admissum. Probo consequentiam: nam maior, & minor probata sunt locis citatis. Id quod pro priori naturæ ad vsum libertatis supponitur absolutè excluſum necessario, nequit per vsum libertatis eiusdem absolutè excludi quin mutuo vtrumque, & à se etiam ipso dependeat, implicatoriè: sed negatio vnionis supponitur excluſa ante vsum libertatis ad peccatum in duratione quauis: ergo in nulla duratione potest perire ob admissum peccatum vnio, seu auferri, & amitti per peccatum duplici ergo ratione, qua in primo instanti probabimus non posse in primo instanti dependenter à negatione peccati existere, peccatoque impediri ne fit, pro secundo, & sequentibus instantibus non posse peccato amitti, ac destrui suadetur quia nimirum, tum è sanctitate subſtantiali Deitatis antecedenter etiam pugnante cum peccato, & verbi antecedenter omnino impeccabilis obligatione impediendi peccata humanitatis, sola sui assistentia per vnionem ad humanitatem impeditur pure impeditiuè potentia eius alias libera ad peccatum: quare ex parte actus primi in secundo, & sequentibus instantibus debet eius negatio præsupponi, vt sit in humanitate ad peccandum potestas: quare, & eius destructio pro solo arbitrio Dei, independenter à peccato, quod ex parte actus primi potentiæ liberæ ad peccandum esse nequit.

2 Sed dices hoc discursu non fieri, quod ex præexistentia vnionis in primo instanti non possit destrui à peccato, seu ex eo, quod semel sit non possit deinceps per peccatum amitti. Eodem enim modo non posset non existere per peccati appositionem in secundo instanti, etsi non præextitisset vnio in primo: ac proinde quod nunc est secundum instans existentiæ vnionis esset primum existentiæ ipsius. Etenim æquè tunc, ac nunc vnio impediret in actu primo potentiam ad peccandum in hoc instanti quod modo est secundum, esseque tunc primum, vt discursus noster docet: quare præexistentia materialiter solum se habet iuxta hanc rationem, quominus destrui nequeat per peccatum vnio semel existens. Si autem sententia, germanusque Patrum sensus tenendus sit præexistentia vnionis semel habitæ formaliter se habere debet, vt vlterius sit inamissibilis per peccatum. Ex eo enim quod semel vnita fuerit humanitas verbo, ac Deo, aiunt Patres firmum illam statum contra peccatum esse assequutam, stabilemque esse in bono, quod derestabilitate in eo instanti, quo existit vnita intelligendum non est, cum gratia semel habita

habita pro eo instanti, quo habetur animum obfirmet in bono, atque ita contra peccatum stabiliat, vt pro eo nequeat peccato succumbere: ergo firmitas illa specialis in bono, quam vnio tribuit humanitati. & adeo extollunt Patres ex eo, quod semel habeatur debet esse pro instantibus, & durationibus sequentibus: quare ex præexistentia in primo volunt prouenire etiam in secundo instanti, quod per peccatum nequeat depelli, sitque inamissibilis per illud.

3 Respondeo primo solum velle Patres assignare differentiam, qua nos per gratiam contra peccatum roboramur, & qua Christus firmatur contra peccatum per vnionem: cum enim gratia solum stabiliamur nos contra peccatum per formalem incompossibilitatem illius cum ipso, quin impediatur potestas nostra peccandi in actu primo, fit, vt in sequenti instanti, in quo gratia non dum existit perseuerans conuerti ad malum possimus peccatoque admisso gratiam deperdere, vt, proh miseros mortales! quotidie experimur. Cum autẽ gratia vnionis Christi humanitas non solum consequenter, & ex formali incompossibilitate, sed antecedenter, & ex actu primo potentiæ ad peccandum, quæ vnione aboletur, aduerſetur peccato pro sequenti duratione, in qua eandem oppositionem habebit, eodemque modo potestatem peccandi abolebit peccato perire non poterit, vt ostẽdimus ex eorundem Patrum principio de antecedenti humanitatis vnitæ impeccabilitate. Itaque illi ex vnione verbi ad humanitatem duo, sicut nos ab eis edocti, gloriosa humanitati Christi deduxerunt, sed non ex diuersis duobusque, sed ex vnico principio, quia alterum ex illis, alterius consectarium est, Nempè, & antecedentem Christi impeccabilitatem, & vnionis inamissibilitatem per peccatum, & hanc quidem reor mentem esse Patrum genuinam.

4 Vt autem difficilioris genij, aut ingenij lectores quiescant admittamus mentem Patrum esse, vt ex præexistentia vnionis formalites prouenint eius inamissibilitas deinceps per peccatum, nec solum ex antecedenti impeccabilitate humanitatis pro instanti, quo verbo Deo existit vnita, vt autem hoc etiam sensu vnionis semel habitæ inamissibiliratem per peccatum defendas nota morales obligationes, (cuiusmodi est obligatio verbi ad vitanda, & impedienda peccata humanitatis sibi vnitæ, vt diximus) licet è physica fundamentorum existentia oriantur, primoque existant, tamen, vt perdurent, ac conseruentur opus non habere, vt earum fundamenta tunc etiam physicè existant quandiu obligationes illæ perseuerant, sed satis esse, quod ea fundamenta retractata sufficienter, vt moraliter destruantur, non sint, vt patet in obligatione matrimonij, contractu promissionis, imò, & morali malitia, & reatu peccati transacti non satis retractatis. Ex quo sic probo conclusionem in sensu dicto. Moralis obligatio non solum durat quandiu existit physicè fundamentum, sed quandiu fundamentum moraliter destructum per sufficientem retractationem non est: ergo moralis obligatio impediendi, ac vitandi peccata humanitatis nunc vnitæ durauit pro omni signo instantium sequentium quousque absolutè destructa sit. Ergo, nisi pro signo libertatis in actu primo ad peccandum, ac proinde independenter à peccato destruatur vnio à Deo, perseuerabit in actu primo obligatio verbi, atque imputabilitas antecedens peccati humanitati verbo, quæ pugnat cum antecedenti verbi impeccabilitate, quæ stare debet, & cum libertate in actu primo humanitatis ad peccandum, quæ ea obligatione, & antecedenti verbi omnimoda impeccabilitate aboletur, vt diximus: ergo ea vnio semel habita ex eo, quod semel habita ab humanitate sit, formaliter est deinceps inamissibilis per peccatum.

5 Satis hæc conclusionis nostræ veritatem ex verbi vniti obligatione expediunt. Cæterùm, cum inde, tum ex ipsius vnionis hypostaticæ, vi, & natura faciliùs eadem veritas. Ostenditur ex dictis q. 2. cert. 4. n. 6. cum enim existentia humanitatis hypostaticæ vnitæ in secundo, tertio, ac reliquis conseruationis suæ instantibus, æquè, atque in primo productionis suæ, non nisi dependenter ab vnione hypostatica simul tempore apponenda fuerit decreta, ipsa existentia humanitatis necessario ad vsum libertatis ad peccatum, quo amittenda esset, præsuppoſito, imo in decreto ipso de eiusmodi existentia stat antecedens omnem vsum libertatis ad peccandum determinatio ad vnionem, peccato formaliter repugnantem, pro conseruationis eiusdem instanti eodem: quare, & peccandi pro eo instanti impossibilitas antecedens: qua semel habita vnio pro instantibus sequentibus, redditur absolutè inamissibilis per peccatum, vt nostra conclusio ferebat.

QVÆSTIO IV.

Pugnetnè vnio cum peccato originali habituali, & reatu humanitatis, quæ vnioni præextitisset.

GIMVS hactenus de pugna, atque incompossibilitate siue in actu primo, & antecedenti, siue consequenti, & in actu secundo vnionis habitæ ab humanitate cum peccato ab ipsa admittendo. Nunc autem de eius pugna cum admisso ab humanitate, quæ sui vnioni in propria persona præduraſſet, posteaque assumeretur disputandum est. Id quod factu esse possibile cum citandis omnibus suppono: nulla enim in assumptione humanitatis habitualiter ex peccato ante acto peccatricis infertur contradictio. Vel enim vnio, & peccatum habituale pugnant contradictoriè, vel non pugnant: si pugnant aduentu vnionis periret; si non pugnant contradictoriè, & si cum vnione perseueraret contradictio non esset: quod ipsum de peccato originali eiusdem naturæ vnioni præexistentis dictum puta. De reatu vero nil apparet, quo illius naturæ vnio possit impediri.

CERTAMEN I.

Pugnat contradictoriè vnio cum vtroque peccato: sed non ob aliquorum rationes.

1 OPpositum dicent Scotistæ, qui vnionis cum peccato actuali pugnam negant contradictoriam, & ij fortasse, qui gratiam solam cum peccato habituali cõpossibilem aiunt, nisi Dei accedat condonatio, vt Soar. & Lugo: illi etiam, qui ante acti peccati maculam non elui quousque adsit actualis retractatio libera peccatoris, à quibus non admodum eram alienus. Inde enim ad gratiã vnionis videtur consequentia procliuis. Verum conclusionem nostram docent de habituali peccato, idem de originali dicturi, Soar. d. 34. sect. 2. §. *Dico ergo secundo*. Vvaldingo. d. 8. dub. 2. Bernal. d. 43. sect. 1. supponiturque in doctrina Vasquezij, & Ludouici Torres referenda cert. 2. quibus assentior; rationibus autem non item. Prima sit Bernalis §. 3. n. 17. pro pugna cũ actuali efformata, atque ad pugnam vnionis cum habituali extensa quia, si cum gratia vnionis habituale, aut originale persisteret à Deo seruaretur peccatum humanitatis, vt à causa speciali, quod repugnat. Etenim vt contrarium in præsentia contrarij persistet maiori concurtu opus est: ergo, vt conseruetur alterutrum peccatum in præsentia vnionis hypostaticæ maiori, quam in eius absentia concursu opus habebit. Atqui hic concursus maior non præstabitur ab humanitate, quæ nihil circa habituale, vel originale denuo operatura est, vt

seruentur:ergo concursus ille maior ad habitualis, vel originalis conseruationem in præsentia vnionis necessarius à Deo præstaretur.

2 Magno hic conatu totus est Lugo in negando rationis assumpto:admissoque antecedenti primo probationis,ait,non necessario maiorem concursum præstandum in conseruatione peccati,sed in productione vnionis in contrarij peccati præsentia, quæ non minus impedit vnionis in humanitate productionem, quam vnio producta peccati conseruationem:si autem maior concursus à Deo in producenda vnione præstetur, à Deo,vt honestè potest, causa specialis conseruationis peccati non erit. Verum admisso antecedenti illo, & vnio, & peccatum non nisi maiori concursu poterunt existere:quare, & argumentum Bernalis vrgeret: licet eo admisso peccauerit vterque: quia alter maiorem concursum ad peccati conseruationem tantum, alter vero ad vnionis tantum productionem requirat.Sed adhuc peccarunt grauius vterque:licet venia digni, quia cum omnibus,qui ante nostram controuersiam de resistentia,& impugnatione formali, & actiua scripserunt. Etenim cum viderent in præsentia contrarij agentis plus virtutis in agente opposito ad effectum edendum requiri, idem de præsentia contrarij formalis putabant,idemque etiam de concursu, vt maior in cuiusuis contrarij siue formalis,siue actiui præsentia ad effectus productionem requiratur. Cum tamen longe alia ratio sit de maiori actiuitate, atque de maiori concursu in contrarij præsentia.Etenim contraria agentia se mutuo impugnant, sibique in actu primo resistunt exigendo actiuitate sua,quæ exactiua etiam est concursum à Deo ad suum quodque effectum cum alterius effectu pugnantem formaliter: vtriusque autem actiuitatis arbiter Deus si legibus naturæ, quam suo supremo dominio stare velit, collata vtriusque actiuitatis exigentia fortiori ad ampliorem effectum concursum præbet, minus vero forti ad minorem, eodemque modo respectu resistentiæ formalis contrariarum formarum, quæ exigentia intrinseca perdurandi resistunt solum,se gerit, non tamen maiori concursu omnipotentiæ suæ seruat effectum in præsentia contrarij, quam illum primo produxerat, cum contrarium aberat: pugna enim contrarij est, vt antiquo concursu Deus abscedat,atque resistentia effectus, vt in illo persistat: quandoquidem vt in se existat effectus concursus antiqui permanentia, etiam in contrarij præsentia satis habet:quare naturaliter nequit concursum excipere maiorem:cum hic saltem naturaliter effectus indigentiam nequeat excedere,imo in Vasquij, & aliquorum sententia adhuc supernaturali:quin implicat concursum antiquum in præsentia contrarij seruari,termino pereunte,sine quo actio esse,nec diuinitùs potest: falso ergo Lugo, & Bernal admittunt in præsentia contrarij effectum eundem maiori concursu opus habere.

3 Sed inde argui potest conseruationem anteacti peccati habitualis, & originalis humanitatis assumptæ Deo esse tribuendum, vt speciali illius conseruatori. Etenim vnio hypostatica vbi primum est exigit, ne peccatum, saltem naturaliter incompossibile, existat in humanitate:ergo Deus tenetur illud non conseruare,seu destruere in eo instanti, quo ponitur vnio,si ex legibus naturæ, & causæ vniuersalis se gerat: ergo si illud seruet,ac non destruat, vt specialis illius peccati causa, & conseruator se geret: ergo vt speciali peccati conseruatori habituale, & originale tribuerentur Deo,ni posita vnione non conseruet illa,vel destruat.Simili argumento vidi cuiusdam religionis Magistros ex nostro Lugo essentiam peccati habitualis negatione condonationis Dei constituentes à Deo in publicis thesibus turbatos,vt metu delationis ad inquisitionis tribunal,ni adessem opinionem è Carthedra, vti ab aliis expostcebatur,illico retractassent.Respondeo facile peccatum habituale sicut à Deo non ponitur, ita nec seruari ipsius concursu,sed sola non retractatione humana,ad quam Deus,qui non commissit, admissitvè non tenetur,sed homo:quare penes humanitatē vnitam solum esset peccati conseruatio quandiu illud non retractaret.Neque iure vnionis tenetur Deus auxilia efficacia humanitati conferre,vt retractet.Licet enim iure vnionis titulus adsit,vt humanitati auxilia eiusmodi,sicut,& alia plura donarentur,non est autem titulus Deum absolutè obligans,& cogens,seu coacte exigens,sed precarius solum,cui sine vlla indecentia renuere potest Deus:sicut in pluribus humanitati Christi donandis diù Deus non annuit,nedū humanitati peccatrici antea,in qua titulus ea omnia denegandi aderat iustissimus, si grauiter deliquisset,sufficiēlque,si solū venialiter peccasset:cum ergo concursum subtrahere,auxiliavè ad retractationē,cuius negatione seruabatur peccatum non teneretur Deus: quomodo specialis conseruator habitualis,vel originalis haberetur?sed etsi condonatione Dei auferri habituale peccatum,& originale posset,non tenetur Deus illā apponere:quare non apponens illud non conseruat:ei,neque ipsi non condonanti peccati eiusmodi perduratio esset tribuenda.Nullus quippè cuiusuis generis creditor tenetur debitum condonare:alioqui post primum commissionis,& debiti instans,& peccatum,& debitum foret necessario abolendum:quod est erroneum in debito,& offensa peccati;in aliis debitis paradoxa ridicula.

4 Sed ecce inquies *in permanentia peccati habituali, & originalis cum vnione contradictiones plures.*Primo enim esset humanitas ob peccatū eiusmodi digna carere omni dono,& beneficio Dei,quouisque malo quod ei à Deo posset infligi;ob vnionem vero digna carendi omni eo malo,& habendi omnia Dei dona,& beneficia.Dignitē esset quæ æternū puniretur pœna,& damni,& sensus; & quæ non ita puniretur,sed æternum Deo frueretur iucundè.Tertio:esset obiectum eadem humanitas odij,& amoris Dei,absolute amica,Dei,& inimica absolutè foret:cui repugnantiæ Soar,& Vvadingo in primis fidunt. Ad primam repugnantiam,& secundā dicent aduersarij nullas esse sunt enim tituli positiui oppositi: opposita autē positiua coniungi in eodemque esse,à quo ratione diuersorum habeantur,contradictionem non habet. Ad tertiū negabunt similiter contradictionē contineri quod absolutè odio,& amore Deus illam prosequatur humanitatem,sitque ipsa amica Dei,& inimica sumpta inimicitia pro positiuo,quod dicit, non autem pro absoluta negatione amicitiæ:altero enim vnionis titulo diligeretur,altero haberetur odio:vel dicent secundo absolutè odio solum habendam à Deo,nec amicā fore.Licet enim Deitas sanctificare subiectū apta sit,atque amicitiæ Dei obiectum constituat;supponitur autem ex parte subiecti capacitas,ad eum effectū:vnde bruto vnitus Deus illud non sanctificaret.Cum ergo humanitas habeat peccatū, quod totam maculat,inficitque humanitatem, ac diuini odij obiectum reddit per accidens habet incapacitatem sanctitatis,siue habet capacitatem impeditam,vt sanctificetur,quam bruta per se habent:fic etiam,licet gratia habitualis filiam adoptiuam Dei humanitatem constituat, ne tamen id præstet,filiatione naturali Dei in Christi humanitate ex parte subiecti impeditur.

CERTAMEN II.

Firmius probatur vnionis cum peccato habituali repugnantia, atque originali, ac de oppositione cum reatu statuitur.

1 EX dictis hactenus constat quanto iure Soar. dixerit oppositionem,ac repugnantiam vnionis cum peccato habituali(quod ipsum de originali est) naturæ præexistentis suæ vnioni non à Deo,atque cum peccato actuali explorarā esse.Eā tamē ea ratione firmius suaderi iudico ratione,quā attigit Molin.1.p.q.14.a.3.d.8.Valent. 3.p.q.15.pun 2.ex quibus,& Moncæus.d.9.c. 2.Vvad.n. 21.Bern.§.3.à n.26.ea vero in horū principiis nō admodū est firma eo quippè innititur principio:quod actiones suppositorū physicè sint siue,vt à principio influēte, vel

vel se tenente ex parte principij actiui earum;quod satis sæpè reiecimus,atque in Thomistarum ratione.q.1.cert. 1.estque ad rem præsentem inutile: cum in peccatum habituale ex ante acto naturæ prædurantis ad vnionem cum supposito diuino nihil supponitur diuinum agendum habeat,vt habituale,vel originale perdurent.Solum ergo diceretur peccator denominatiuè Deus, aut verbum per denominationem, aut idiomatum communicationem, in quo nulla appareat maior repugnantia, quam in eo quod dicatur mortuus,vt contra Thomistas q.illa.1.cert.1.dicebamus.Adde quod si vnio illius naturæ,facta ad naturam diuinam esset, vt posse fieri ostendebamus controu.1.d.2.pugna eius vnionis cum peccato habituali,vel originali humanitatis ea ratione non probabatur.

2 Neque firmior est ratio in Bernalis principiis. Ait etenim vnionem esse productionem humanitatis vnitæ pendentem,vt *quo*,à supposito diuino,à quo media ipsa, vt *quod*,humanitas penderet tanquam à particulari sustentante, quod cum illa loco proprij suppositi vnum suppositum constitueret,eamque,eiusque accidentia,& actiones etiam peccatum æquè,ac suppositum propriū sustentaret,quod est absurdum,diuinoque supposito repugnans.Sed principium illud de vnione,quæ sit humanitatis productio,refellebamus satis.d.procem.q.3. cert. 5.Secundo sustētare naturam peccatricem habitualiter, imo,& actualiter non est peccare physicè,sed solum denominatiuè,& remotè sustentare peccatum imo actiuè sustentare naturam peccatricem productione,& conseruationē, vt causam particularē,ac proinde remotè peccatum ipsius,quatenus producit peccatorem Deo indecens non est,vt patet in dæmonis productione, quæ à Deo,vt causa particulari fuit.Quod autem vnum per se cum humanitate constituat suppositum diuinum solum euincit per idiomatum communicationem dicendum esse peccatorem quod Bernal.ipse §. 2. absurdum non reputat. Ac tandem,vt dicebamus, si vnio ad Deitatem esset totus discursus euaneseceret.

3 Solum ergo in principiis nostris vim habet ratio illa,quā præfati Doctores attigerunt.Cum enim vi vnionis humanitatis actiones,& omissiones penes personam diuinam moraliter sint,atque inde non solum supposito diuino suppositetur,sed,& illo,qua personalitas formaliter est,personaretur humanitas vnita,vt dicebamus. d. procem.q.2.fit,vt nisi statim,ac vnita humanitas illa esset retractaret efficaciter,(si id opus sit,vt aboleatur habituale)ante actum peccatum,ea non retractatio humanitatis verbo Deo speciali causæ imputaretur: quemadmodum de peccato actuali post vnionem admisso dicebamus.q.2.cer.vlt.quod ipsum argumentum eodē modo probat de vnione ad Deitatē penes quā ius,& obligatio est regendi humanitatē vnitam,neque ipsa sui iuris omnino est,ac proinde negatio efficacis retractationis ipsi etiā imputaretur,quare,& cōseruatio peccati habitualis, & originalis etiam,si hoc voluntarietatem posterorū in Adamo includat,propriaque cuiusque adulti retractatione opus habeat quod si opus condonatione Dei etiā habeat habituale,atque originale,vt destruatur, nisi eam Deus vnitæ humanitati statim faciat specialis conseruationis peccati causa erit.Etsi enim non vnitæ humanitati cōdonare nō teneatur peccatū,sicut,& nec creditor debitū extraneo remittere,ast humanitati iā propriæ condonare teneretur ne nimis durus,diriusque Deus sit.

4 At inquies: in non retractando peccato nulla est culpa humanitatis vnitæ:ergo nec verbi,aut Dei, qui eā regere tenetur:solum enim inde imputabitur ad culpam omissio,aut commissio culpabilis humanitati nego consequentiam.Nam ex ea obligatione omnes humanitatis actiones Dei,vt causæ specialis,moraliter sunt:quare,& peccati conseruatio per negationem retractationis quæ licet humanitati vitiosa non sit, ast Deo est indecens,& impossibilis: quemadmodum plura quæ pupillo non imputantur, nec dedecent, si à tutore, vel procuratore fieri permittantur,vel finantur omitti Tutorem dedecebunt.Hæc ratio vniuersim in quauis opinione de oppositione, ac repugnantia gratiæ cum peccato non se sola,sed simul cum retractatione, vel condonatione Dei:locum habet si autem se sola gratia cum peccato repugnet contradictoriè,siue physicè, vt vult Vasq. cum pluribus,siue moraliter,vt vult Ioan. Martinez de Ripalda cum aliis.Cum per vnionem humanitas illa Deificaretur,sanctificareturque infinitè,vt d.4.q.1.& 4.ostendebamus,longeque amplius imo infinities,quam gratia habituali,fit plane,vt cū vnione neque originale, neque habituale,adhuc veniale queat,etiā supernaturali potentia,vllatenus cōsistere:cū contradictoriorū pugna nec diuinitus possit ad amicitiæ concordiam cicurari.

5 Circa pœnæ reatum Vasq.d.61.c.6. Luis. Torres. opusc.6.de gratia d.10.dub.11.censent necessario abolēdum per vnionem:quia per illam humanitas digna per vnionē esset videndi,fruendique Deo,omnique bono,& carendi omni malo;per reatum vero digna esset non videndi,fruendique Deo:quæ,etiam pro vnico instanti cōtradicunt.Sed cōtradictio hæc in terminis dignitatū,non in ipsis positiuis dignitatibus est,vt dicebam cert.1.quare termini coniungi nunquam poterunt, secus dignitates. Dices visione beata aboletur reatus,& actu charitatis perfectissimo:ergo melius vnione.Respondet Bernal. antecedens esse verum nō ex rei natura,sed ex lege Dei: quare ex natura rei non inferri abolendum reatum per vnionem,assumptū mihi de abolitione reatus per visionem est certū;de actu charitatis falsum: quia actus charitatis natura sua satisfactorius est. Sed neque hinc infertur abolendum reatum per vnionem:cum vnio satisfactorium quid natura sua non sit.Soar.d.34.sect.2.§.antepen.Bernal.d.43.sect.3.n.64.censent mansurum reatū non autē æternæ pœnæ,qui in nullo remanet iusto,sed pro vnico instanti:quia in primo actu primi instantis ab humanitate vnita satisfieret.Sed aliud est deberi pœnam pro vnico instanti,aliud vnico instanti,& actu satisfieri, potest enim vnico actu huius instantis satisfieri pro pœna debita pro pluribus annis.Secundo hic solum quæritur,quid possit reatus vi vnionis permanere,non vero,vt actus satisfactorius humanitatis coniungitur:hoc enim pacto nullus remanebit reatus in primo vnionis instanti,in quo honestum,& satisfactorium actum humanitas dubio procul eliceret?

6 Censeo ergo totum reatum demeriti peccati ante acti permanere ex natura rei cum vnione posse in humanitate,quæ antea peccasset,non autem reatum pœnæ æternæ si lethaliter peccasset Hæc videtur pugnare secū nec solum cum Doctoribus citatis. Sed certè magis illi secum in repugnantia vnionis cum reatu æternę pugnare videntur.Etenim cum indemerito,seu merito,& dignitate valorosa intrinseca peccati ad pœnam, dignitatem ad pœnam æternam recognoscant, pœnæque toti delicto debitæ manere obnoxium delinquentem ex natura rei non implicet culpa abolita quoties actu proprio satisfactorio delinquentis non aboletur, nec fit à creditore,vel iudice supremo pœnæ remissio,fit planè, vt qui sine actu proprio,& satisfactorio per gratiæ infusionem,vel vnionem hypostaticam iustificaretur ex natura rei cum reatu æternæ pœnæ posset persistere:nisi spontè Deus aliter statuisset:nempè iustificatis æternitatem pœnæ generali,vel speciali lege remittere:in nostris autem principiis,cum æternitas pœnæ non valori, aut dignitati meritorię mortalis peccati debeatur,sed dignitati formali inimicitiæ Dei, quæ cum malitia,& macula mortalis,vt mortale est,identificatur, implicat mortali abolito per gratiam habitualem, vel per vnionem manere eam dignitatem,siue reatum ad pœnam æternam. Licet manere possit dignitas meritoria, siue reatus totus valorosus mortalis,qui ad pœnam temporalem solum est.

7 Obiicit Soar.vnio in eo casu non pugnaret cum reatu pœnæ:ergo nec cū habitu vitioso,quod habuisset, si pluries antequam vniretur humanitas peccasset. Negat ille consequentiam eis tamen rationibus, quæ me primum ad admittendam, cum aliis ignominatis, quos citat, consequentiam impellebant. Solum enim ostendit congruentias, vt habitus vitiosi posita vnione ab humanitate depellerentur, non autem, vllam,ita

fieret, repugnantiam. Quare aliunde neganda est consequentia, atque assignanda repugnantia habitus enim (siue qualitas distincta ab speciebus, sit, siue species viuidiores ex actibus relictæ, atque asseruatæ, vt verius esse docuimus controu. de anima d. de habitibus) nihil aliud sunt, quam physicæ quædam facilitates inclinantes naturam, siue voluntatem ad actus vitiosos: atqui hæc inclinatio, & promptitudo, siue facilitas nequit stare in voluntate humanitatis vnitæ ad actus vitiosos: ergo cum vnione sunt habitus vitiosi impossibiles. Minor probatur: quia, vt dicebamus. q. 2. & 3. posita vnione ponitur in humanitate impotentia antecedens ad peccandum pro eo instanti quo est, & pro sequentibus, nisi pro priori naturæ adhuc pro sequentibus vnio supponatur destructa: at cum impotentia ad actus vitiosos repugnat potentia facilis ad illos: ergo, & habitus: quod si contendas physicam habitus entitatem perseueraturam, perseuerabit non formaliter, vt habitus, sed materialiter, solumque cadauer: vt sic dicam, habitus vitiosi extincti per vnionem: sicut de fomite peccati, & tentationibus dicemus inferius.

QVÆSTIO V.

An Christi humanitas vi vnionis hypostaticæ ad opera consilij, ita fuerit praedeterminatus, vt ea neque antecederet, potuerit omittere?

REM hanc ab antiquis scholasticis pene intactam disputauit primus Vasq. d. 73. ex quo nondum cussio. Soar. d. 37. sect. 4. §. *quomodo autem*, Moncæus. d. 9. c. 7. §. *sed, vt nunc*, Ragusa. d. 131. §. vlt. Petrus Hurtado. d. 61. c. 5. Lugo d. 26. sect. 10. Bernal. d. 54.

CERTAMEN I.

Ad opera consilij formaliter, & in actu secundo sumpta fuit humanitas Christi determinata antecedenter.

1 COnsilij opera materialiter, & in actu primo sunt quæcumque sub diuinum consilium cadere possunt: possunt autem cadere quæcumque virtutum opera non præcepta: cum de eis consilium humanitati Christi dare Deus possit, si velit: opera vero consilij formaliter, & in actu secundo accepta ea sunt, de quibus de facto consilium dedit per publicam scripturæ Patrum, aut priuatam reuelationem. Quid autem consilij in re præsenti importet notandum primo erit. Atque in illud præbente requiritur in diiudicando rectè de rebus rectè agendis securitas maior: aliqua item superioritas respectu illius, cui præstatur consilium in se autem ipso consilium non solum dicit iudicium superioris de operis bonitate, & perfectione, sed, & maiorem propensionem animi, & voluntatis in illo, vt opus illud fiat: quare consilium est significatio iudicij, & propensionis animi superioris, ad subditum, vt hoc opus non præceptum præ illo faciat, siue gratius facturum esse superiori, si hoc opus, quam aliud præstet. Aduertendum est secundo sanctitatis moralem perfectionem præterquam in sanctitate, & iustitia formali stare in maiori animi propensione, & adhæsione diuinis consiliis exequendis: quocirca, quo maior, vel minor sanctitas moralis in animo fuerit, eo maior, vel minor adhæsio, propensio, ac promptitudo ad Dei consilia exequenda in animo erit: cum igitur in animo Christi summa, atque infinitè excedens creatis moralis sanctitas, & perfectio fuerit, etiam cum venialibus pugnans, dubium non est quin, & summa fuerit voluntaris eius ad consilia Dei exequenda adhæsio, ac proinde omnibus sibi à Deo præstitis acquieuerit. An vero ita eis acquieuerit omnibus, vt non potuerit non etiam antecedenter, velomnibus, vel aliquibus acquiescere, præsentis quæstionis materia est, ac difficultas.

2 Recentiores nonnulli apud Hurtado sect. 6. init. docent Christum, qua hominem, siue ipsius humanitatem potuisse absolutè diuinis consiliis non acquiescere: quia alioqui non esset in eius operibus libertas, ac meritum. Sed ostendemus controu. de merito Christi cum antecedenti humanitatis Christi impeccabilitate meritum, & libertatem etiam in operibus præceptis, in quibus clarior difficultas est, amicè componi. Item de omnibus operibus, quæ Christus exhibuit consilium à Deo accepisse non est certum: quare in aliquibus meritum, & satisfactio pro nobis esse posset. Arguebant secundo: quia posset in Christo homine summa moralis perfectio sanctitatis esse, quin antecedenter adstringeretur consiliis absolutè: sicut in Deo est, qui nullis consiliis adstringitur. Sed vt alia mittam. Deus à nullo recipere consilium potest iuxta dicta num. 1. de consilij natura; potest autem Christus: quare moralis perfectio ex adhæsione diuinis consiliis merienda est in Christo, qua homine, secus autem in Deo. Arguebant tertio ex Anselmo 1. *cur Deus homo?* c. 19. post init. vbi cum Boso diceret negari non posse moriendo Christum melius, & Deo gratius præstitisse quin dicatur. *Eum non debuisse facere, quod melius esse, & magis placere Deo cognouit. Quomodo ergo asseremus eum non debuisse Deo, quod fecit? ideò quod melius esse, magisque Deo placere cognouit? Præsertim cum creatura debeat Deo totum, quo est, & quod scit, & quod potest*: Respondet Anselmus. *quando illi, creaturæ, Deus concedit aliquid licitè facere, & non facere dat illi ita suum esse vtrumque, vt licet alterum sit melius, neutrum tamen exigatur determinatè.* Sed vel loquitur de exigentia præcepti, & non est ad rem: vel consilij, & hanc negat de opere meliori secundum se: quare nihil Recentioribus præstat.

3 Lugo sect. 10. num. 134. docet Christum, qua hominem potuisse antecedenter diuinis consiliis non acquiescere physicè quidem non autem moraliter: non secus ac nos ad omnia venialia collectiuè sumpta vitanda potentiam physicam habemus, non moralem impotentiam istam antecedentem moralem à physica diuersam ne in exemplo quidem venialium valuit percipere. Si enim pro omnibus, & singulis instantibus, & occasionibus potentia physica adest ad vitanda venialia, & omnia, & singula: ostende quid deficiat ex parte actus primi ad moralem potentiam vitandi omnia, & singula venialia. Quare physica illa potentia ad omnia collectiuè vitanda moralis etiam potentia est. Solum ergo potest vocari impotentia moralis consequens: quia, vt de more, atque ordinaria prouidentia auxilia efficacia hominibus Deus impertit ad omnia vitanda nulli ex hominibus communibus impertietur, sed in aliqua, vel aliquibus occasionibus sufficientia solum, & in re quidem præsenti nulla præter physicam impotentia moralis excogitari potest. Nec enim lis est an omnibus consiliis diuinis coniunctim possit antecedenter voluntas humana Christi dissentienti, sed an alicui, respectu cuius, si potentia physica est ad dissensum. Quidnam moralis illa impotentia erit? si dicas esse maximam propensionem humanitatis vnitæ ad diuina consilia sectanda, cui difficile queat voluntas reluctari, rogo an tandem facultas sit physica in voluntate, vt reluctetur dissentiens? vel secus? si non est: ergo id, quod moralem impotentiam vocas, physica impotentia est: si est facultas physica, absolutè poterit consilio diuino humanitas dissentiri: quare in proposita quæstione cum impugnatis Recentioribus censet.

4 Propositam nostram conclusionem de impotentia absoluta

absoluta humanitatis Christi ad dissentiendum operibus Consilij formaliter, & in actu secundo docent Soarez Moncæus, Ragusa, Petrus Hurtado supra §. 34. Bernal. sect. 5. Probatur; quia humanitas Christi sanctificatur summè à Deitate, cum in genere physicæ, seu formalis sanctitatis, tum in genere sanctitatis moralis: ergo eadem sanctitate pugnat antecedenter cum coniunctione cuiusvis moralis imperfectionis: atqui dissensus à consilio diuino est moralis imperfectio: ergo sanctitas Deitatis quæ est in humanitate Christi pugnat cum dissensu à quouis consilio diuino. Primam consequentiam probo quia sanctitas moralis in actu primo, quo maior est dicit maiorem adhæsionem, ac propensionem ad diuina consilia exequenda: ergo summa summam, quæ esse possit: at hæc qua nequeat voluntas in actu primo, & antecedenter dissentiri consilio diuino est summa, ac non repugnat, sed potest absolutè esse: ergo hanc continet summa sanctitas moralis à Deitate humanitati Christi proueniens. Confirmatur: quia concors est Patrum, & Theologorum sententia non potuisse voluntatem Christi humanam aduersari diuinæ: at si posset dissentiri consilio diuino posset aduersari voluntati diuinæ in illo significatæ: ergo non potest aduersari consilio diuino. Denique impotentia hæc absoluta dissentiendi consilio diuino maxima est perfectio in genere sanctitatis moralis, & in qua nihil absurdi, aut repugnantiæ inuoluitur, sed quidquid sine incommodo, aut repugnantia perfectius, meliusque est humanitati Christi debet concedi: ergo & hæc impotentia antecedens dissentiendi consiliis diuinis.

5 Cæterum in assignanda formalitate, ratione cuius impotentia hæc absoluta in humanitatem inducatur citatis Doctoribus non conuenit, Lugo, & Hurtado visioni beatæ humanitatis attribuunt. Ragusa vnioni soli: ex quo dissidio conclusionis nostræ falsitatem prodi clamabat Bernal. sect. 2. nu. 16. sect. 3. num. 33. quam tandem ipse sequitur sect. 5. vt vidimus, quin dissidium componat; est autem compositu facile? Quod enim vnione inducatur hæc impotentia non tollit quod visione beata etiam inducatur, sicut cæteris beatis induci censeo, licet hæc inferioris ordinis impotentia habenda sit, sicut impotentia peccandi antecedens, & ab vnione, & à visione beata eidem humanitati prouenit. Verum ad rem præsentem proprius censebat Ragusa, & accommodatius, si visioni tanquam conditioni, & Deitati, ac personæ diuinæ, quam affert tanquam formæ eam tribuat impotentiam: quippè hic de speciali impotentia, & nobilissima dissentiendi consiliis diuinis, quæ in humanitate est disputamus, non de communi Beatis etiam, & imperfectiori, quæ sola à visione beata potest prouenire. Obiicit Bernal. vnio, ac Deitas non est formaliter moralis perfectio: ergo non pugnat cum morali imperfectione. Distinguo antecedens: in actu secundo concedo: nam hæc est actualis adhæsio, & exercitium seactu exercito conformandi consiliis diuinis, in actu 1. nego. Hæc namque est determinatio in actu 1. ad adhæsionis illius excercitium. Instabis physicum, & morale non sunt sub eodem genere: ergo nequeunt sibi inuicem repugnare: atqui sanctitas Deitatis in humanitate quid physicè coniunctum illi est; imperfectio autem non assentiendi consiliis diuinis quid morale: ergo nequeunt sibi repugnare. Nego primam consequentiam. Nam gratia quid physicum est, & peccatum quid morale, & tamen sibi repugnant. Secundo nego subsumptum: nam principium operis moralis, licet physicum sit, morale quid est in actu primo. Etenim physici, & moralis ratio non pugnant in entitate eadem imo semper coniunguntur.

CERTAMEN II.

Operibus consilij materialiter, & in actu primo sumptis potest voluntas Christi absolutè dissentiri.

1 COnsentio Valentiæ q. 19. pun. 2. Vasq. d 73. n. 36. Salas 1. 2. t. 2. tract. 3. d. 7. sect. 8. dicentibus Christum ac Beatos liberos esse in operibus supererogationis. id est, de quibus ab eis præstandis significara Dei voluntas ipsis non fuit. Pro cuius conclusionis probatione nota primo: Deum non prosequi possibilium existentiam adhuc inefficaci desiderio necessario, sed prorsus libero: (quidquid sit de necessitate, vel libertate, cõplacentiæ Dei) erga possibilia, in quo est DD. & sententiarum diuersitas) vt controu. de voluntate Dei fusè ostendimus. Vnde cum consilium hanc Dei propositionem, per desiderium saltem inefficax, vt à Christi humanitate præstaretur, supponat, eiusque significationem humanitati factam includat, fit vt non necessario in Dei consiliis ad humanitatem Christi numeranda sint, quæcumque in genere moris meliora, imo neque quæ optima esse deprehendantur. Nota secundo Christum Dominum nobis in vitæ spiritualis ducem, ac Principem hominibus datum esse cum plena ea in re potestate præscribendi nobis, cum verbo, tum facto, & exemplis totius perfectionis humanæ regulas seu consilia; id quod & facto ipso comprobatur. Cum perfectionis regulæ, quæ extant, vel omnes, vel ferè in Euangelio de Christi verbis, & factis contineantur: vt inde perfectio omnis nomine Euangelicorum consiliorum cõpelletur. Insuper probatur ratione: quia, vt in humanis Regibus euenit, qui cum aliquem in ducem, atque aliquorum Principem constituunt, de cuius scientia, & virtute confidunt, agenda omnia integra illius arbitrio, atque electioni in eius honorem relinquunt: sicque cum Mose, Christi typo, & figura à Deo factum legimus illis verbis: *Ecce constituì te Deum Pharaonis*: ergo potius ita factum cum Christo, ciusque humanitate credemus, cuius scientia, sanctitas, dignitas, longè, imo infinities erat maior.

2 Confirmatur: quia Deus potest creaturæ alicui liberam operum honestorum electionem relinquere iuxta Anselmum recitatum cert. 1. n. 2. fine: ergo potissimè humanitatis Christi tam perfecta Deitatis sanctitate ornatæ, tantaque scientia instructæ, vt ideo Matth. 11. 26. postquam dixit; *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Scientiam commendarit suam: *& nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius*, quasi dicat is solum plenam mihi eligendi in omnibus facultatem à Patre factam dubitauit, qui de scientiæ meæ præcellentia dubiter. Nec nisi in veritatis huius confirmationem ante insigne illud humanitatis consilium, & exemplum, quo pedes discipulorum lauit dictum fuit: *Scient, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ideft cum sciret integram sibi esse à Patre suarum actionum electionem, & sanè Anselmus, ideo posse creaturæ liberam relinqui suorum operum electionem à Deo relinqui aiebat, vt ita factum à Deo cum Christi humanitate Boso ni suaderet. Clarusque adhuc Anselmus ad eius capitis medium in hanc eandem sententiam scribit. *Quoniam ipse, est Deus, & homo, secundum ex qua fiat homo, sic accepit à diuina natura, quæ alia est ab humana, esse suum, quod habebat, vt nihil deberet dare, nisi quod volebat.* Quibus aliam etiam rei huius rationem acutè præfit Anselmus. Quæ sic habet, iure vnionis ita Deificata est Christi humanitas, vt ipsa simul Dea quodammodo euaserit, ac certè cum pleno. Creatorum omnium, quare, & actionum quarumque suarum dominio: ergo earum vsus integer humanitati etiam in operibus honestis, & perfectionis fuit, quin aliquid deberet. Confirmatur hæc ratio: quia vi vnionis data humanitati fuit sanctitas Deitatis, ac perfectio diuina, cui integrum in

actu primo est in operibus honestis, & consilij eligere.

3 His adnotatis Bernal. citatus sic videtur conclusionē probare: quia, cum summa perfectio creaturæ sit se conformare diuinis, vel non agendo id, de quo agendo, vel omittendo consilium à Deo habere; atqui de operib. consilij in actu primo consilium à Deo non habet, ergo ad hoc, vel illud agendum non est determinata in actu primo humanitas Christi vi summæ sanctitatis suæ moralis in actu primo. Confirmatur: quia Deus summam habet sanctitatem moralem, siue moralem perfectionem in actu primo, & tamen non determinatur per illam in actu 1. ad electionem operationis de se perfectionis maioris, vt dicebamus n. 1. atqui in operibus consilij materialiter, & in actu 1. tantum, & maior perfectio de se vnius operis præ alio: ergo humanitas Christi non determinabitur à summa sanctitate morali quam habet per Deitatem ad electionem operis de se imperfectioris. Atque hæc quidem satis conclusionem vniuersim euincunt. De facto autem plura fuisse opera humanitatis Christi de quibus consilium Dei nō habuit, imo omnia opera, quæ exercuit non ex præcepto eiusmodi fuisse certius mihi est ex dictis n. 1. & 2. atq; insuper quia sic, sine vlla difficultatis adhuc, vmbra in operibus Christi pluribus, libertas meritum, & satisfactio facilius intelligitur. Porro ex hac ratione conclusionis nullo negotio diluitur id quod aduersus conclusionem; nempè summam humanitatis perfectionem, seu sanctitatem moralem in actu primo dedecere minoris de se perfectionis opus, quam posset eligere: nam deficeret illi in exercitio aliqua perfectio, nec adeo gratum voluntati Dei opus eliceret: quare nec se voluntati diuinæ, quam perfectè posset, conformaretur humanitas; omnia enim hæc instantur contra obiectantes in summe perfectè Deo, quem ad optimum eligendum non teneri diximus, licet gratius Deo obiectiuè, & perfectius opus foret. Nec tunc Deo vel humanitati imperfectius eligenti moralis perfectio priuatiuè deficit, licet desit negatiuè: quia illam non habet, sed quam non debet. Solum enim debet humanitas se conformare voluntati Dei practicæ, quæ regula perfectionis summa est.

QVÆSTIO VI.

An Christi voluntas fuerit in omnibus conformis diuinæ? an in aliquo contraria.

QVÆSTIO hæc definita ferè est in præcedentibus, sed tamen ob difficultates aliquot ex Scripturæ testimoniis expediendas in propriis terminis examinanda est.

CERTAMEN I.

Voluntas humana Christi in omnibus conformis diuinæ fuit, nec potuit in aliquo ipsi contrariari.

1 PRima conclusio de conformitate voluntatis humanæ Christi cum diuina, neque vsquam de facto illi contrariatā esse de Dei præcipientis volūtate de fide est, expressa Psal. 39. num. 8. *Scriptum est, de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui: & legem tuam in medio cordis mei.* Item Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* c. 14. n. 31. obuiam comprehensoribus procedens: *Sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* Definita etiam est contra Hæreticos nonnullos in Conc. Lateran. sub Martino 1. consultat. sine secretario 5. cap. 16. & pluries in 6. Synodo sæpius præcipuè epist. Agathon. ad Constantin. Pogonat. ac 4. approbata act. 8. & 18. in qua plura Patrum testimonia recitantur, atque act. 11. in epist. Sophronij act. 17. in definit. fidei, Cyril. 2. in Ioan. c. 146. lib. 4. cap. 1. Damascen. 2. de fide cap. 22. circa fin. lib. 3. cap. 14. 17. & 18. Chrysost. hom. 47. in Ioan. Hieronym. in id Matth. 26. *fiat voluntas tua.* August. ad loca citata Ioannis, & q. 77. in nouum testamentum. Probant aliqui, quia voluntas præceptiua Dei de aliquo à nobis præstando efficax absolutè est de illo: ergo cum Christus sciret omnem Dei voluntatem efficacem esse necessario implendam, non nisi imprudenter voluntate sua contra niteretur. Verum antecedens est falsum. Si enim voluntas Dei præceptiua efficax absolutè foret operis præcepti, quodvis negatiuum præceptum, ac positiuū particularis & determinati operis in indiuiduo aboleret prorsus libertatem iuxta dicta cotron. de volunt. atque hic contron. 1. d.... Solum ergo dicit præceptum voluntatem efficacem absolutè præcipiendi, non autem exhibitionis operis à subdito, in Deo præcipienti. Solida ergo ratio Theologica sumitur; quia Christus qua homo eius præcepti non ignarus, sed plenè conscius voluntate contraria Deo præcipienti peccasset, ast nusquam peccauit, imo nec peccare potentia consequenti, aut antecedenti potuit, ergo nusquam voluntate sua humana contrarius fuit diuinæ præcipienti, sed prorsus illi fuit de facto conformis. Simili ratione probatur nusquam non fuisse voluntatem humanam Christi conformem voluntati Dei conciliantis Christo; quia nisi conformis semper eiusmodi voluntati fuisset admittenda sanè in eo foret aliqua moralis imperfectio, vt ex dictis q. 5. patet.

2 Dico secundo neque antecedenter potuit voluntas humana Christi contraria esse diuinæ, siue præcipienti, siue consulenti. Probatur facile ex dictis, q. 2. & 5. quia potentia voluntatis antecedens ad dissentiendum, siue contrariandum voluntati Dei, siue præcipientis, siue consulentis humanitati esset potentia antecedens ad peccatum vel imperfectionem moralem admittendam, atqui neutrum habet voluntas Christi potentiam antecedentem; ergo voluntas Christi non potest antecedenter contrariari,

trariari, aut non conformari voluntati Dei siue præcipientis, siue consulentis humanitati Christi. Confirmatur argumento positiuo à paritate à minori ad maius visionis & amoris beati. At inquit Lugo potuisse esse actum contrarium voluntati Dei antecedenter ad illam, vel eius notitiam in humanitate sine peccato, & imperfectione. Sed inprimis tunc non esset voluntas illa contraria diuinæ præcipienti, vel consulenti, si ad præceptum, & consilium diuinum natura antecederet, imo etsi ad solam notitiam illorum, siquidem ante notitiam, & intimationem, & euulgationem præceptum, & consilium non est. Secundo si propriori naturæ ad præceptum, aut consilium diuinum, de hoc actu, vel oppositi omissione actus oppositus à voluntate Christi positus est, nequit pro posteriori naturæ esse præceptum de huius omissione, vel actus aduersi positione: ergo repugnat casus. Probo: præceptum, & consilium practicum essentia sua est: ergo implicat esse de impossibili, siue actu, siue omissione: at si positio huius actus pro hoc instanti natura præcedat ad præceptum, vel consilium omissionis eius, vel positionis actus contrarij de impossibili: ergo implicant pro posteriori naturę ad actum voluntatis humanæ præceptum, & consilium diuinum de eius omissione, vel actu oppositō. Sublumptum probo: quia posito in hoc instanti pro priori naturę actu hoc voluntatis absolutè est in hoc instanti: ergo implicat absolutè esse eius omissionem absolutè, qua absolutè non sit in hoc instanti: similiter esse actum contrarium ab hac voluntate humana, cum in ea non sit potestas ad iungendos duos actus contrarios, quare etsi à Deo poni actus oppositus qūeat, non tamen à potentia voluntatis cui imponeretur præceptum, vel daretur consilium.

3 Opponunt Hæretici illud Matth. 16. *Pater si possibile est transeat à me calix iste; veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: siue, vt apud alium Euangelistam. *Transfer calicem istum à me veruntamen non mea voluntas sed tua fiat.* Vbi voluntati Dei præcipientis mortem suam aduersari, ita fatetur, vt vtramque simul impleri non posse fateatur. Hilar. can. 31. in Matth. Hieronym. & Anselm. ad Matth. verba aiunt: fugam, & timorem voluntatis Christi non fuisse mortis, & passionis suæ, sed vsque ad mortem, vt notarunt Euangelistæ scandali scilicet discipulorum ob illam, repugnat tamen textui, & incompossibilitati implerionis, vlteriusque voluntatis humanæ suæ, & diuinæ quam Christus fatetur. quo etiam confutata manet solutio S. Bonau. in 3. d. 17. q... a. 1. q. 3. Ricardi ibi ratione 2. Gabr. a. 2. concl. 6. Durand. q. 1. n. 8. Marsil. q. 11. a. 3. p. 1. & 2. Maior. d. 17. q. 1. concl. 2. & 3. ex Damasc. 3. de fide c. 18. asserentium voluisse Deum, vt humanitas mortem refugeret. Tertio Durand. & Richard. proximè & Palud. ibi a. 1. q. 3. quib. fauet S. Th. 3. p. q. 18. a. 3. corp. a. 5. & 6. & q. 21. a. 3. vbi Caiet. Respondent ex Damasc. 2. de fide c. 22. motum illum voluntatis humanæ Christi in fuga de morte non fuisse liberum, sed naturalem. Contra: quia actus non liber, seu indeliberatus voluntatis nequit non ex defectu consideriationis prouenire, qui in Christo nequit admitti. Contra secundo: quia voluntas illa fuit de facto cum plena deliberatione, & cognitione voluntatis Dei erga oppositum, vt textus suadet. Damasc. vero S. Th. ac reliqui Doctores naturalem vocant, non quia indeliberata fuerit, sed quia iuxta naturæ inclinationem seipsam conseruandi, noxiaque auertendi fuerit.

4 Solida ergo solutio fit: voluntatem illam non fuisse contrariam voluntati præceptiuæ, aut consiliatiuæ Dei. voluntas enim præceptiua Dei fuit, vt Christus non excusaret, sed acceptaret mortem ab inimicis oblatam efficaciter absolutè, cum quo non pugnat voluntas absolutè inefficax; efficax autem conditionata formaliter excusandi mortem, si Dei præceptiua voluntas non adesset, qualem fuisse illam Christi docent Durand. in 2. d. 15. q. 2. n. 9. Gabr. in 3. disp. 17. q. vnic. art. 2. concl. 3. & 4. Almain. q. 1. concl. 3. & 4. S. Th. q. 21. a. 4. vbi Caiet. vel solum virtualiter efficax conditionatè, quia inferret efficacem fugam mortis, si abesset Dei voluntas præceptiua acceptandi, & non refugiendi oblatam mortem, vt vult Vasq. d. 73. c. 3. & qui cum ipso voluntates efficaces absolutas ex parte actus, & conditionatas ex parte obiecti inficiantur eiusmodi autem voluntatem conditionatam, vel virtualiter, vel formaliter non absolutam fuisse, atque cum absoluta efficaci ejusdem humanitatis conformi diuinæ compossibilem satis produnt verba ipsa. *Si fieri potest &c. sed non sicut ego volo, sed sicut tu.* & *non mea voluntas, sed tua fiat.* Pugna ergo, & oppositio incompossibilitatis non erat inter humanam illam conditionatam voluntatem, & diuinam præceptiuam; sed inter vtriusque effectus, scilicet moriendi, & non moriendi, vt expressit satis illis verbis Christus: *si possibile est*, & illis. *si non potest hic calix transire à me nisi bibam illum &c.* vnde hæreticorum ponderationes, & obiectio euanescunt.

5 Opponunt secundo: fuit in Christo voluntas humana, & efficax non vna solum effectu carens: ergo contraria diuinæ. Antecedens constat ex Matth. 9. vbi cæcis ad visum restitutis serio silentium præceptum indixit, qui tamen *ipsi diffamauerunt eum.* & Marci. c. 7. fine adstantibus miraculo surdi, & muti præcepit, ne cui dicerent: *quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.* atque eodem capite superius dicitur *ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere.* ex qua larendi voluntate, quia effectu caruit, colligit Agatho. Pa. epist. decretali recitata in 6. Synodo. act. 4. & approbata act. 17. humanam fuisse: ac proinde efficacem fuisse supponit: nam in efficax diuina sæpè effectu caret, vt patet in voluntate saluationis omnium hominum, quos *omnes vult* Deus, teste Paulo *saluos fieri.* & tamen plures pereunt. Consequentiam admisso antecedenti. Vasq. d. 58. c. 2. admittit; putat certam Bernal: quia voluntas efficax effectu carens necessario erat de re oppositā illi, quam Deus efficaciter volebat, velleque Deum Christus, qua homo, sciebat. Ego vero, & antecedentis examen in certamen secundum referuem, nego consequentiam, quam ratione formæ falsam prorsus iudico. Potuit enim Christus efficaciter velle voluntate humana, quod Deus inefficaciter solum volebat, quin efficaciter vellet oppositum: neque illud assequeretur. Puta: potuit velle alicuius reprobi salutem, & in gratia decessionem, quam Deus inefficaciter volebat certo: æqueque certo non volebat efficaciter peccatum eius finale, & damnationem ante illud: & tamen voluntas illa efficax Christi careret, & pœnitentiæ finalis, & salutis effectu Poterat item humanitas Christi absolutè efficaciter velle aliquid, circa quod edendum concursu Deus purè omissiuè se haberet: quo in casu voluntas illa humanitatis careret effectu, quin Deus efficaciter vellet oppositum. Nihil ergo ratione formæ concludit argumentum. Sed neque ratione materiæ, & eius quod de facto fuit, vt iam iam ostendo.

CERTAMEN II.

Nulla efficax voluntas humanitatis Christi effectu caruit.

1 GRauior est ex citatis testimoniis de antecedenti secundæ illius obiectionis difficultas: an aliqua efficax voluntas humanitatis Christi effectu intento caruerit, nec fuerit impleta in qua asserit Vasq. citatus ob Agathonis testimonium, & argumentum. Negat Soar. d. 38. sect. 5. cum Caiet. 3. p. q. 18. a. 4. & reliquis Thomistis, licet in modo explicandi voluntates illas Christi non nihil dissideant apud Vasquez. c. 1. consentit Bernal. d. 53. sect. 2. quibus, & ego. Est item expressa sententia Augustini citati cert. 1. num. 1. præsertim, q. illa 77. Gregorij Magni. 19. Moral. c. 14. Ratio est prompta, quia, quocumque modo effectus quiuis futurus non esset, notum Christo, qua homini, erat: ergo efficax eius volitio non solum imprudens esset, sed, & impossibilis. Probo impossibilitatem, non solum ex imprudentia, quæ Christi voluntati repugnat,

repugnat, sed quia implicat impossibile cognitum, vt impossibile intendi efficaciter: atqui cognito effectu non futuro, siue negatione illius futura cognoscitur effectus futuritio impossibilis: ergo nequit voluntas efficax in illam ferri: cum tamen voluntas efficax essentia sua feratur in effectus futuritionem; quod si negatio futuritionis effectus esset ex voluntate efficaci Dei, Christo etiam ea innotuisset: quare in voluntate efficaci effectus ab humanitate non imprudentia solum, verum & culpa incurretur.

2 Dices potuisse Christum pro priori naturæ ad scientiam de futuritione negationis effectus, & voluntatis Dei circa illam velle efficaciter voluntate sua humana effectum, tunc autem neque imprudenter, neque culpabiliter vellet. Sed hoc conclusionem de facto quassat. Secundo assumitur falsum. Cum enim Christus qua homo, sciret deberi sibi futurorum omnium cognitionem maximè eorum, quæ ad ipsum aliquatenus spectare possent pro nullo signo ignorare, vel non scire potuit deberi sibi cognitionem cum futuritionis, vel non futuritionis, seu negationis actus illius, de quo efficaciter volebat decernere, ac de voluntate efficaci Dei circa illum, vel oppositum: ac proinde imprudenter statueret non expectata scientia eorum quibus intendendus effectus posset impediri: prudentia enim dictat appetere efficaciter ea solum, quæ cuique factibilia, & assequibil a sunt: quare omnium impedimentorum, siue ex parte antecedentis, siue consequentis quam exploratissimam scientiam expectandam esse ab eo, qui illam habere possit, antequam efficaciter appetat: ergo cum Dei voluntas efficax de oppositio sit impedimentum ex parte antecedentis, atque oppositi futuritio ex illa ex parte consequentis ad effectum, horumque notitia euidens haberi à Christo homine possit, imo habenda necessario in illo eodem instanti sit, licet pro naturæ posteriori imprudenter à Christo homine, qui ita futurum sciebat, ante illam scientiam statueretur de effectu, nec solum prudenter, sed culpabiliter, cum sciens, & volens se exponeret periculo volendi efficaciter contra efficacem voluntatem Dei.

3 Ad Agathonis testimonium, & argumentum respondeo voluntatem illam latendi rectè conuinci humanam fuisse, ac non diuinam, licet circa latendi finem solum fuerit, vt vere fuit inefficax ex eo solum, quod circa media omnia humanitati possibilia ad latendum efficax fuerit, vt verè etiam fuit in homine Christo. Voluntas enim diuina licet inefficax finis, efficax autem circa media ad illud possibilia, & efficacia nequit effectu carere, vt patet in voluntate inefficaci salutis prædestinatorum: quæ quia efficax circa media efficacia est, carere effectu neutiquam potest. Atque hanc fuisse Agathonis mentem suadent hæc ipsius verba: *ergo ne ille omnium conditor, ac Redemptor, de quo dicitur: omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra: cuius velle hoc est, quod posse, in terris latere volens non potuit &c. nisi hoc ad humanam eius voluntatem, quam temporaliter dignatus est assumere, dirigatur?* Vbi ad potentiam diuinæ voluntatis, etiam de hominibus redimendis, quæ solum circa media efficax esse iuxta Vasq. potest, Pontifex recurrit, vt inde humanam, quæ effectu in Christo caruit, voluntatem probet, non diuinam fuisse. Hoc ipsum verba textus exprimunt, *& non potuit latere.* Ad quæ Damascen. 3. de fide cap. 17. *quo etiam factum est, vt cum sui conspectum subducere vellet per se id non potuerit; quod nimirum Deo verbo perspicuum id fieri placuisset, verè, ipse esse humanæ voluntatis imbecillitatem.* Siquidem appositis omnibus, quæ potuit ad latendum occultationem sui non obtinuit effectuque, ad quem omnia quæ potuit media apposuit, tandem caruit.

4 At insurgit Vasquez voluntas humana finis, ex qua media omnia possibilia adhibentur ad illum obtinendum efficax omnino est, sin ostende, inquit, quonam ab inefficaci humana voluntatem efficacem humanam discrimines; nisi quod ex hac homo media omnia sibi ad finem efficaciora possibilia adhibeat, secus ex inefficaci: atqui per te ex voluntate illa latendi apposuit Christus, qua homo omnia media sibi possibilia, & quam potuit efficacia: ergo voluntas humana latendi in Christo efficax fuit. Sed facilè maiorem distinguo, *ex qua media omnia nobis possibilia adhibeantur: necessario* concedo maiorem, *non necessario*, sed libere nego maiorem, & ecce discrimen quod exposcis efficacis voluntatis humanæ ab inefficaci: quod illa cogat, vt media efficacia, quæ ab intendenti possint adhibeantur, inefficax vero non cogat ita apponi, licet ita apponi non vetet. Accedit quod iuxta Vasquez ipsum voluntas Christi, etiam humana fuit ostendendi suam imbecillitatem humanam, idque etiam à Damasc. asseri docet, ad quod vt lateret fecit quod potuit, neque aliter ostendi imbecilitas humana poterat, nisi eis præstitis omnibus, quæ potuit non latendo: ergo potuit velle inefficaciter latere, alioqui veller latere, & non latere ad ostensionem suæ infirmitatis humanæ, atque vtrumque efficaciter, ac simul: nempè duplex contradictorium, quod repugnat.

QVÆSTIO VII.

An vi vnionis peccati fomes fuerit in humanitate Christi extinctus? an ligatus? an viuus, & solutus?

AB hac quæstione vnionis hypostaticæ oppositionem non solum cum peccato, sed cum peccati principiis examinamus; ac primum de oppositione cum fomite peccati, qui peccatorum in nobis, quasi prima radix est.

CERTAMEN I.

Quid fomes, quidque eius ligatio, & extinctio sint statuitur.

1 EXplodenda circa primum est aliquorum apud Vasquez, & Soarium infra opinatio: nempè fomitem esse morbidam, nescio quam in appetitu qualitatem, & præter nat. corrupt. in malum inclinantem. Etenim inclinatio ad malum, vt malũ in appetitu esse non potest. Nec si posset aliud esset quam habitus vitiosus: hic autem infantibus in quibus peccati fomes est, gigni actibus non potuit, imo, nec ab hominibus, antequam primo, imo sæpè actualiter, imo omni vitiorum genere peccent, ad quæ inclinatio vniuersalis est fomes: nisi demus à solo Deo progigni, vel à natura ipsa, non sine conditoris iniuria manare. Si autem inclinatio illa non sit ad malum, vt malum, sed vt delectabile, sicut appetitus ad reliqua delectabilia se solo inclinat, ita, & ad delectabile, quod malum morale sine ea qualitate inclinabit. Ascetici Patres, & spiritualis vitæ Magistri quid huic opinioni simile sonant: Sed id tamen volunt per peccatum eis priuatam naturam, quibus appetitus à delectabili malo non ita fortiter traheretur. Durandus igitur in 3. q. 3. docet ipsam potentiam appetitus esse peccati fomitem, siue inclinationem in actus circa delectabile dissonum rationi. Contra tamen, quia fomes peccati est effectus peccati originalis per Tridentinum, sess. 5. decreto de peccato originali: atqui originale non est causa appetitus sensitiui, ergo hic secundum se non est fomes peccati. Secundo in Diuipara, beatis, Christo Domino, & Adamo innocenti fomes peccati non est per patres, & concilia, & tamen in eis omnibus est appetitus sensitiuus; ergo appetitus ipse sensitiuus fomes peccati non est.

2 Vt hæc vitaret Vasq. d. 41. c. 5. n. 47. Vvadingo d. 8. dub. 3. n. 23. versu *Dico primo.* Fomitem peccati in actu appetitus circa delectabile inhonestum quatenus voluntatem vt illud prosequatur sollicitat omnino constituunt: Vasquez, quia in Christo Deipara, ac beatis appetitus cum tota sua latitudine adest, & tamen abest peccati fomes: quare non in illa inclinatione appetitus quatenus

quatenus etiam delectabile inhonestum concernit, sed in actu præfato erit constituendus Vvadingo: quia Patres peccati fomitem concupiscentiæ legis membrorum, ac tentationis nominibus in se deplorant. sed hoc nõ vrget: eæ quippè voces indeordinatam facultatem etiam commodè caduntatque insuper effectus fomitis, quos solum, non illum per se sentiunt congeruntur. Nec magis vrget primum. Nam licet in nuda solaque potentia appetitus sensitiui non sit inclinatio in delectabile dissonum rationi, ac deordinatio sufficiens ad peccati fomitem, poterit tamen esse in illa cum aliis ex parte actus primi se tenentibus, quæ Christo Deiparæ, ac beatis deficiant: ergo non stabit in actibus appetitus sensitiui, licet in appetitu ipso secundum se non stet. Sed vlterius impugnatur sententia: quia fomes peccati potest extingui iuxta Patres, & Theologos omnes; at motus ille, siue actus deordinatus sensitiui appetitus auferri quidé potest, non extingui. Nã si auferetur nihil illius manet, sicut manent in igne extincto carbones, & ligna; si non auferetur, licet impediatur ne inflammet non extinguitur. Secundo: quia in infantibus & sopitis prorsus, in quibus nullus motus appetitus sensitiui indelectabile dissonum rationi est, est tamen peccati fomes. Tertio motus ille appetitus est tẽtatio interna; Aſt omnis tentatio interna oritur à concupiscentia Iacobi. 1. num. 15. *Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua.* Quo concupiscentiæ nomine fomitem peccati Patres omnes intelligunt: ergo motus ille appetitus sensitiui oritur à fomite peccati: ergo non magis potest esse fomes peccati, quam esse sui ipsius principium.

3 Dicendum nobis est cum Soar. d. 34. sect. 2. & t. 2. 3. p. d. 4. sect. 5. fomitem peccati esse appetitum sensitiuum non præcisse sumptum, sed deordinatum ad effectus, & motus erga bonum delectabile dissonum rationi, seu in honestum: quæ deordinatio qualitatem superadditam non claudit, vt vetustiores aiebant, sed solam negationem donorum, quibus ex parte actus primi motus inordinati impedirentur, siue legatione extinctione. Probatur: quia nec est potentia secundum se, vt contra Durandum ostẽdimus: nec affecta morbida illa qualitate Theologorum antiquorum: nec motus appetitus sensitiui à vazquio assertus, vt vidimus: nec aliud apparet excogitabile, quàm potentia appetitus deordinata per negationem illorum donorum, quibus ordinanda erat, vt nihil contra rationem appeteret, de se fecit: ergo in eo stat fomes peccati. Probatur secundo: quia fomes peccati est principium omnium tentationum internarum, vt aiunt Patres omnes ex recitato Iacobo: at solus sensitiuus appetitus deordinatus est principium earum tentationum: ergo sic deordinatus appetitus fomes peccati est. Minor probata est contra vasquez num. 2. fine. Probatur tertio, ac simul impugnatur vazquez, & Vvadingo sententia. Quia è duabus deordinationibus appetitus sensitiui in ea, quæ prima, & radix alterius est fomes peccati constitui debet, aſt prima deordinatio appetitus sensitiui, est deordinatio ipsius in actu primo, posterior autem, & secunda est motus actualis: ergo in illa deordinatione stat fomes peccati, non autem in hac. Maior probatur, tum quia fomes peccati omnium sensu est radix interna peccatitum quia fomes idem significat, quod incentiuum peccati, quod quidem flammæ concipiendæ initiũ est, vimq; dicit, & potẽtiam fumigantem, qua facilè in anima peccati flamma concipiatur, quæ omnia nõ nisi in appetitum sensitiuum deordinatum quadrare possunt.

4 Quid autem ligari hunc fomitem sit, quid extingui quouè alterum ab altero differat indagandũ iam est. Soar. t. 5. §. *Vt differentiam.* fine, tam ad ligamen, quam ad extinctionem fomitis necessarium putat, vt deficiat illi aliquid requisitum ex parte actus primi, vt in actũ prodire queat. Nempè Dei decretum concurrendi, vel obiectum, aut interna illius sensatio. Sed tamen licet nec obiectum, nec interna sensatio deficiat ligari appetitus deordinatus aliũde poterit propriè, si ea præsidia homini ex parte intellectus, & voluntatis adsint, quibus voluntas appetitus deordinatus aliunde poterit propriè si ea præsidia homini ex parte intellectus, & voluntatis adsint, quibus voluntas appetitus motibus etiam deordinatis trahi, nocerivè nequeat, quemadmodum fera, vel canis ligatus propriè dicitur non solum qui adeo arctè catena, vel fune ligatur vt progredi nullatenus queat, sed & qui ita ligatur, vt licet progredi aliquantulum possit non ita vero, vt eo perueniat, vnde possit nocere. Secundo Dei decretũ de concurrendo, vel non concurrendo cum appetitu sensitiuo ad suos inordinatos motus prius quidé est, vel eis motib. vel eorũ negatione, posterius autẽ natura determinatione in act. 1. appetitus ad illos per obiecti sensibilis internam sensationem, sicut, & posterius natura est determinatione ignis in actu 1. decretum concurrendi cum illo ad calefactionem, atque vniuersim cum quauis causa creata non libera, & indifferenti in act. 1. sed determinata, quare nisi Deus præternaturali prouidentia de se meroque suo arbitrio vtens independenter à causis secundis earumq; exigentia, atque antecedenter ad huius præuisionem decernat non concurrere cum appetitu sensitiuo ad deordinatos illos motus decretum non concurrendi ad illos nequit esse ligamen fomitis peccati ex parte actus primi fomitis ipsius, sed post illum erit, licet fit ante actum secundum deordinatum appetitus.

5 Vt autem rigidam ligaminis huius atq; extinctionis diuersitatem explicemus, vocis vtriusque proprietas, vnde per metaphoram ad rem præsentem translatę sunt accuratè erit inspicienda. Extinctio igitur de ligno ignito dicitur propriè, cuius similitudinem fomes seu appetitus deordinatus gerit, qui voluntatem mediis inordinatis suis motibus tanquam flammis inflammare aptus est de se. Sicut ergo quandiù lignum fumigat, licet neque igne faciat aliud, neque flammas concipiat, neque est, neque dicitur extinctus, quia eas concipere, atque inflammare aptũ proximè est. Ita appetitus sensitiuus quandiù inordinatus manet, licet motus inordinati flammam non concipiat extinctus absolutè erit, quãdo manente appetitu in se (qui materia apta deordinationi, & flammis illis cõcipiendis, quasi lignum est) tollitur deordinatio. Ligatio vero propriè de eis dicitur, quæ possunt localiter disiungi, atque moueri ac de fomite, qũia ad motus deordinatos suos progredi, ac insuper ad voluntatem sollicitandam per illos peruadere potest; ligatur verò propriè, cum manente fomite, seu appetitus deordinatione, impeditur ne possit progredi siue ad suos inordinatos motus, siue ad trahendam voluntatem ad effectus circa delectabile rãtioni dissonum, atque inhonestum, vel arctius, vel laxius vt num. 4. exemplo canis ligati explicabimus, eo autem gradu, quo fomes ligatus est expeditus absolutè esse non potest, licet absolutè ipse eiusque potentia maneat, sicut, licet mea facultas progressiua maneat cum vinculis, quibus ligor, aſt non manet expedita absolutè, atque soluta: Soluta enim, & expedita potentia, cum impedita, atque ligata prorsus repugnant, vt de se patet.

CERTAMEN II.

Quibusnam fomes peccati, vel extinguatur, vel ligetur, statuitur.

1 DEordinatio appetitus, qua fomes peccati formaliter constituitur, nihil aliud est, quam appetitus ipse, & sensatio interna delectabilis boni inhonesti cum vi mouendi illum ad eius boni prosecutionem, & negatio eorum, quæ, si animæ, atq; appetitui qui reipsa idem cum illa est, adessent fortius detinerent, ne iret in illud obiectum, quam à propositione ipsius per internæ sensationis virtutem traheretur. Caiet. ergo & Dur. apud Soar. t. 2. 3. p. d. 4. s. 5. §. *Cum vero,* docent: fomitem per intrinsecã qualitatum inhærentiam, videlicet habituum perfectorum extingui posse, contra quos moueri alias appetitus posset. Sed primo habitus naturales virtutum præter expressiores species obiecti honesti, & delectabilitatis, quam exercitio virtutum experti fuimus reieci controuersia de anima: quare habitus voluntatis per accidens infusos nõ admitto; Supernaturales vero non inclinant, nedũ determinant ad suos actus, sed solũ sunt potentię cõplementa vt act. sup. possit attingere, quod sine illis pertingere non valebat. Tertio potentia appetitiua physica qualitate

Sll mobilis

mobilis non est, quia solum est mobilis intentionaliter, siue per obiecti propositionem, vt controu. etiam de anima ostendebam: quare physicæ qualitatis assistentia, neq; ab obiecto delectabili prosequendo, retrahi, neq; ad oppositum prosequendum impelli, trahivè potest. Hæc ex principiis propriis, ex communibus. Contra quarto: quia appetitus naturaliter fertur in delectabile applicatum, nisi per superioris potentiæ imperium, & motionem contineatur, cuiusmodi habitus perfectarum virtutum minimè sunt. Quintò: habitus perfectarum virtutum non reddunt impotem appetitum, vt delectabile bonum oppositum non prosequatur, sicuti neque habitus vitiosus, quantumuis intensus impotem reddit potentiam, vt prosequatur bonum: quare non solum appetitus deordinationem non extinguit, sed neque absolutè ligat. Nec refert habitus virtutum, & gratiam ratione subiecti in quo sunt, v. g. Deip. vel homine Christo, eam vim habere: nisi enim ratione subiecti plures partes qualitatis coniungantur, vt in subiecto denso contingit è subiecto maius actiuitatis qualitas habere non potest. Sed esto posset: non tamen rationis alterius, quam eius actiua virtus foret.

2 Dico primo: decreto Dei de non concurrendo cum appetitu circa delectabile dissonũ rationi ligatur fomes, non extinguitur extrema conclusionis pars probata est cõtra Soar. cert. 1. n. 4. Manet enim deordinatio appetitus, licet defectu comprincipij necessarij ad motus inordinatos impeditanè voluntati, atque animo noceat: ast in ea deordinatione fomes formaliter consistit, eiusque in actu primo vita: ergo manet fomes viuus, cum quo pugnat cõtradictorie extinctum esse: ergo eo decreto non concurrendi ad motus inordinatos cum appetitu fomes peccati non extinguitur. Quod autem eo decreto fomes peccati ligetur ex parte antecedentis ad motus inordinatos patet, quia siue decretum eiusmodi habeatur independenter à determinatione appetitus in actu 1. ad obiecti delectabilis inhonesti prosecutionẽ per propositionẽ internæ sensationis, siue post illam, atque inspecta determinationis eius exigentia, nequit appetitus moueri ad illud obiectum: cum deficiat illi comprincipium necessarium ad eiusmodi motum: ergo ligatur ea deordinatio appetitus in actu primo, siue fomes peccati, ne ad illum motum progredi queat, neque voluntati noceat.

3 Dico secundo. ligatur etiam fomes peccati decreto non concurrendi cum voluntate ad consensum circa bonum delectabile dissonum rationi; secus autem auxilio efficaci retrahente à consensu negatiuè, vel positiuè. Prior pars conclusionis huius patet: quia licet tunc appetitus deordinatus possit progredi ad motus deordinatos suos, ast deficit illi comprincipium necessarium, vt voluntatem ad consensum inhonestum circa suum obiectum trahat eique mediis inordinatis suis motibus noceat: quare licet laxius, neque adeo arctè, atque decreto primo, ligatus est fomes, siue, appetitus deordinatus ne vlterius procedat, ac voluntati noceat. Secunda conclusionis pars de auxilio efficaci retrahente à consensu voluntatem, negatiuè ne consentiat solummodo, siue positiuè inducendo illam efficaciter ad actum oppositum, cum consensu ad quem appetitus, eiusque deordinati motus voluntatem sollicitant; probatur, quia cum eo auxilio remanet potentia antecedens voluntatis expedita ad consensum turpem, & inhonestum: quare, & pugna fomitis, eiusque inordinati motus antecedens, licet potestate consequenti vinci voluntas nequeat, quia necessitate logica nõ potest non esse negatio consensus turpis, quam infert per Logicam, siue consequentiæ illationẽ auxilium efficax retrahens ab illo consensu quod qua efficax, futuritione consensus saltem conditionata constituitur, quodsi ligatum fomitem, & eius motus inordinatos ex parte actus secundi, siue consequenter, ne voluntatem noceat auxiliis efficacibus contendas, quatenus hæc futuritionem negationis consensus concernunt non nimis renitam: atque eo pacto dictam peccati fomitem ligatum esse in Apostolis aliisq; confirmatis in gratia pro quibus decretum conferendi auxilia efficacia, quibus à consensu turpi retraherentur in omni occasione in Deo fuit.

4 Dico tertio: fomes extinguitur remotione habituali per totum vitæ tempus sensationis internæ de bono delectabili dissono rationi. Probatur, quia appetitus sine obiecti repræsentatione nequit exparte adhuc actus primi ferri in illud: cum nequeat ferri in incognitum: ergo sublata habituliter pro toto vitæ tempore sensatione interna boni delectabilis dissoni est impotentia antecedens appetitus, vt in illud feratur: ergo non est inclinatio ad illud: ergo nec deordinatio quæ in ea inclinatione in actu primo ad delectabile dissonum formaliter consistit: ergo nec fomes viuus, qui nil aliud est, quam ea appetitus deordinatio in act. 1. Hæc omnia certa sunt. Dixi autem habitualem esse debere eam remotionem. Lignum enim, quod ad tempus solum non fumigat extinctum non est: quare licet infantibus, ac sopitis, vel extasi impatientibus ea interna sensatio boni delectabilis dissoni non adsit, quia tamen habituliter, totoque vitæ tempore, sed ad tempus solum abest fomes in eis extinctus non est. Erit autem sensationis internæ habitualis remotio per Dei decretum de ea sensatione semper ab aliquo remouenda, vel obiecti ac specierum remotione, vel alias non coccurrendi ad sensationem internam erga illud, aut vehementi alicuius obiecti cognitione, præcipuè Dei visione, quæ vsum sensibilis non relinquat, vt in extasi vsu venit, & similibus.

5 Dico quarto, fomes extinguitur adstante etiam eiusmodi interna sensatione, sola impeditione virtutis motiuæ per illã obiecti delectabilis dissoni. Probatur: quia impedita virtute motiua intentionalis obiecti delectabilis dissoni, nequit ex parte actus primi appetitus ad illud moueri: ergo neque habet inclinationem in act. 1. ad delectabile dissonum sine qua inclinatione in actu primo, neque deordinatus appetitus est, nec fomes potest consistere. Multifariàm vero potest virtus motiua delectabilis dissoni etiam propositi per internam sensationem impediri, vel auferri. Primo per vehementem repræsentationẽ de damno grandiori in eius delectabilis dissoni prosecutione appetitui factam, ad cuius aspectũ delectabile mouere appetitum non poterit, vimque motiuam amittet, vt contingit in carnibus propositis, quæ famelicum canem mouere nequeunt, cum aliquis simul præsentatur gladio illi minitãs, ne deuoret. 2. Repræsentatione grãdioris delectabilitatis capiendę ex actu oppositi facta per internã sensationem, siquidem obiecti spiritualis cognitio & prosecutio corpus etiam delectat. Psal. 83. n. 3. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Cuius delectationis sensibiles species nondum exercitatis potest Deus infundere. Tertio per lumen magnum supernaturale in obiectus boni oppositi honesti, damnique tam positiui quam negatiui inducendi ab assensu circa obiectum quodlibet delectabile dissonum, præcipuè si eo lumine, & repræsentatione ad efficacem fugam illius voluntas rapiatur: tunc enim ratione identitatis, vel radicationis in eadem anima cum appetitu immobilis huc bono delectabili reddetur. Hoc lumine supernaturali præuenta fuit Adæ voluntas, atque fomes in illo extinctus: quia lumen illud pro naturę priori admotus appetitus, atque habituliter, perpetuoque duraturum datum ex parte Dei fuit; atque adeo nisi consentiente prius natura voluntare, & prosequente bonum delectabile rationi dissonum moueri ab eo appetitus non poterat. Denique visione beata, qua longè imo infinitè excellens delectabilibus creatis bonum Deus clarè proponitur prosecutione delectabilis dissoni amittendus, ex qua in voluntate ardẽs eius amor necessario concipitur, quæ duo pro priori naturæ ad appetitus motionem data immobilem illum ad delectabile dissoni prosecutionem reddunt, ac vim motiuam locutionis internæ de dissono delectabili prorsus infringunt. Sicque in beatis fomes peccati extinguitur.

CERTAMEN III.

In Christi humanitate peccati fomes viuus nec fuit nec esse potuit, sed omnino extinctus.

1 Est vetustiorum Theologorum prima conclusionis pars in 3. d. 15. S. Th. 3. p. Vasq. d. 41. c. 5. num. 48. med. Soar. d. 34. sect. 2. §. *Dico Secundo.* Lugo d. 22. sect. 2. Vvadingo d. 8. dub. 3. num. 30. §. *Dico tertio.* Bernal. disp. 44. sect. 3. num. 51. versu *Quoad fomittem*; ac vno verbo Recentiorum etiam omnium sententia. Dedit eam nobis ac illis Cyrill. Alex. lib. 3. Pentabilij latini per nostrum Francisc um Turrianum in sua hoplotheca dicens: Verbum corpus suum vificum fecisse: *Quippe cum sit vita secundum naturam, vtpotè Deus vt faciens nos participes eius spiritualiter, corpore etiam faceret victores corruptionis, & interitus, & legem peccati, quæ in membris carnis est, per seipsum inanem reddens damnauit peccatum in carne sua.* Epist. 1. ad successum sub med. post librum de incarnat. vnigeniti apud Turriani hoplothecam, ait carnem in nobis ægrotantem assumpsisse, propriamque incarnatione fecisse; *vt quia est vita, & vitæ author destrueret eius corruptionem, & increparet motus ingeneratos, motus scilicet ad voluptatem. sic enim perimendum erat peccatum in carne. Recordamur autem, quod Paulus legem peccati vocauit motum in nobis genitum. Igitur quia caro facta est propria verbi defuit subiecta esse corruptioni: & quia peccatum non fecit, vtpotè Deus & carnem, vt dixi, fecit propriam, defuit ægrotare ex cupiditate voluptatis.* Quibus illustrem conclusionis rationem mox expendendam nobis etiam dedit August. 1. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 11. post med. de concupiscentia, siue appetitu inordinato contra rationem, *quam*, inquit, *Spiritui resistentiam non habere in carne mortali ille tantummodo homo potuit, qui non per ipsam ad homines venit.* Pseudo Zyprian. de Cardinal. Christi operib. c. de ieiunio sub init, docet humanitatem Christi diuinitati associatam sensu, & consensu caruisse peccati. Leo Pap. 1. epist. 11. ad Iulian Coensem Episcop. vers. fin. *Nihil enim carni suæ habebat aduersum: nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis, & mentis, nec tentabatur illecebris.* Concilium Germanum generale 5. act. 8. can. 12. damnat Theodorum Mopsuestenſem, quod dixerat: non solum alium esse Christum à Deo verbo, sed eum esse patientem molestias à passionibus animæ, & carnis desiderijs, & à deterioribus paulatim recedentem, atque ita ex profecta operum perfectum.

2 A ratione non infirmiora argumenta succedunt. Probari primum solet: quia, cum ad incarnationis finem ea appetitus deordinatio, seu fomes necessarius non fuerit non oportuit in homine Christo fuisse. Secundo: quia fomes viuus relinquitur nobis ad pugnam, quam vincendo in virtute crescamus, vt ait Trident. sess. 5. decreto de peccato originali: atqui Christus non potest in virtute, & sanctitate crescere, cum in eis fuerit ab ipso conceptionis instãti, etiam quatenus homo consummatus: ergo non fuit in eo fomes peccati; quod vero ad nostrum exempium attinet satisfuerit exterius, quod solum videri potest à dæmone vincendo tentatum fuisse. Bonæ quidem hæ congruentiæ, sed tamen congruentiæ sunt, quæ rem non euincunt, quæ euinci facilè aliunde potest. Firmius probatur ex dictis: quia humanitati Christi Domini vnionis, summęque dignitatis titulo ea omnia adfuerunt, quibus extingui fomitem docebamus cert. 2. n. 4. extinctumque fuisse in Adamo innocenti, & Beatis asseruimus quare de facto non vno tantummodo extinctum esse fomitem fatendum est; sed tamen cum plura humanitati Christi vnionis, & dignitatis titulo debita denegari absolutè potuerint, denegataque quandiù mortalis vixit, procul dubio sunt, non adeo absolutè rationes istæ adhuc euincunt. Secundo; vt eam absolutè necessario suaderent, non tamen ad rem præsentis controuersiæ, in qua de effectibus proximè formaliter ab vnione humanitati Christi communicatis solum disputamus: quare, vt conclusio de facto necessariò, & infallibiliter, atque ad præsentem controu. accommodatius, ac peculiarius de Christo quam de Adamo, aliisque beatis probetur, videndum est an sit in humanitate Christi aliquid, quod fomiti peccati repugnet, vt secunda conclusionis præfixæ parte asserebatur.

3 Negarunt quidem Vasq. proximè n. 55. §. *Ego tamen existimo.* Lugo d. 26. sect. 4. n. 52. Vvad. cit. n. 33. §. *Dico quar-*

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

to. Asseruere tamen, sicut & nos Soar. cit. §. *Sed quæri tandem potest.* Bern. vbi proximè n. 54. sed eis tamen rationibus ducuntur, quibus assentiri non possim. Prima: quia motus inordinati appetitus indecentes sunt moraliter, ac proinde si in Christi humanitate insurgerent, essent verbo vnito imputabiles: ergo repugnant cum vnione in humanitate Christi, sed contra primo: quia motus illi naturales sunt, nec indecentes moraliter, vlla veratione prohibiti, nisi voluntati, ne eos procuret, eiusve subortis delectetur, atque ad summum, ne eos deliberato permittat: quare si in natura vnita, cui dessent enumerata illa cert. 2. n. 4. indeliberato, nec procurati à voluntate, nec cum eius delectamento insurgerent præuenientes libertatem, nihil moralis indecentiæ, atque imputabilitatis verbo vnito in eis motibus foret. Nec magis præstat, quod eiusmodi motus mali obiectiuè, & inhonesti sint, atque ad malum voluntatem sollicitent, & contra rationem rebellent iuxta Trident. sess. 5. August. sæpè. Nam ea omnia habet tentatio externa, quam tamen passa humanitas vnita, fine vlla verbi indecentia, fuit vt fides docet, denique, vt ea omnia Soario, & Bernali daremus. nempè motus eiusmodi appetitus etiam cum rationem, ac voluntis libertatem omnem præueniunt moraliter indecentes esse, ac proinde si in humanitate insurgerent vnitæ, fore verbo imputabiles, quare humanitati vnitæ repugnare, ast fomes in eis motibus non est, sed in deordinatione appetitus in actu primo, vt cum Soario ipso cert. 1. docebamus: ergo non inde probatur humanitati vnitæ fomitem repugnare, sed solum vnione ad verbum esse ligatum, ne in eos prodeat actus.

4 Ratio ergo repugnantiæ fomitis in humanitate vnita ea est quam per se dederunt in nobis Cyrillus Alex. & Leo Pap. recitati n. 1. quia nimirum humanitas hypostaticè vnita non solum sanctificatur Deitate, & persona verbi, sed Deificatur, red diturque antecedenter omnino impeccabilis, atque ad malum immobilis prorsus ex parte actus primi, id quod perfectissimo, ac præstantissimo modo præstari à Deitate, ac persona vnita certum esse debet: est autem præstantissimus, ac perfectissimus modus, si non solum actum primum proximum ad peccandum, sed & remotum etiam, qualis est appetitus deordinatio, à Deitate, ac persona vnita impediarur: auferendo per sui assistentiam, & vnionem ad humanitatẽ repræsentationi boni delectabilis dissoni per sensationem internam vim motiuã intentionalem respectu humanitatis vnitæ, cuius appetitũ sensitiuum suamet assistentia per vnionẽ Deitas ac persona diuina reddant immobilem ab eiusmodi boni delectabilis dissoni repræsentatione: quare non minus imporem illum ex parte actus primi ad eos actus constituunt, atque voluntatem ad motus peccati. Cum autem id per solam assistentiã Deitatis, ac personæ diuinæ media vnione hypostathica fiat, nequit in eod. instanti durationis vnio esse, quin reddat antecedenter appetitum immobilem, atque vim motiuam sensationi internę respectu illius: auferat: quare, & fomitem extinguat de antecedenti immobilitate voluntatis ad peccatũ per Deit. & personã vnitam d. antecedenti docebamus. vbi discrimen impedimentorum ex parte actus primi impedientium purè, & impedientium per actiuitatem assignabamus.

CERTAMEN IV.

Corollarium de Christi tentationibus.

1 EX doctrina proxima quid de Christi tentationibus Dicendum tenendumque sit statuere procliue est. & quidem exterius tentatum Christ. Dom. fuisse certũ ex fide est, cum diabolus trib. gulæ, inanis gloriæ, & ambitionis, & auaritię tentationib. illũ in deserto impetiuerit: vnde, & videtur interius etiã fuisse tentatũ; cũ externæ illę tentationes non potuerint non sensationes eor. obiect. internas nat. progignere, imo, & de facto progenuerint atq; ad intellectus repr. eor. processerint. Nihil autẽ aliud videtur esse in nobis interna tentatio, quã obiecti dissoni

repræsentatio interior, & per sensationem internam, & per intellectus cognitionem, & repræsentationem eiusmodi obiecti, nihilominus communis, & tenenda conclusio est Christum Dominum, etiam qua hominem, siue secundum humanitatem internas tentationes passum minimè fuisse. Ita docent, vel supponunt quotquot de facto fomitem peccati humanitati Christi negant fusius paulo aliis. Lugo d. 22. sect. 1. n. 11. Bernal. disp. 41. sect. 1. num. 5. est expressa Leonis Pap. 1. extremis illis verbis. *Nec tentabatur illecebris.* Augustini negantis homini Christo *Spiritui resistentiam*, quæ in tentatione interna non esse nequit referuntur pro conclusione eadem à Lugo vbi proximè Gregor. & Damasc.

2 A ratione etiam ea omnia militant, quæ pro conclusione negante fomitem de facto humanitati Christi ab aliis, & à nobis afferebantur cert. 3. num. 2. eis quippè omnibus titulis tentationes internas humanitati Christi non adesse oportuit. Insuper, & vis motiua sensationis, & cognitionis internæ auferebatur, vnde constat disparitas tentationis internæ ab externa, qua Lugo, & Bernal. quidem adeo, vt tentationem externam à dæmone negari facilius, quam paritati respondere iudicauerit: quia inquit, facta impossibili interna tentatione, externa, quæ propter illam est fit impossibilis: sicut in infantibus & amentibus apparet, qui non dicuntur à dæmone tentari cum ab eo in actus ex obiecto malos agantur: quia peccare non possunt. Cæterùm non ideo solum, quia peccare non possunt: sed quia id dæmoni notum est, nequitque serio peccatum intendere, vt ad tentationem oportet, cum peccatum nouit impossibile: ast cum hominem Christum Deum esse, atque antecedenter impeccabilem non cognosceret eum ad peccata enumerata inducere, externa illa tentatione, ac propterea, & internam media externa excitare, serio intendere, ac procurare potuit, quin in impossibile cognitum, vt impossibile conaretur: quare tenenda est Euangelij rigida, & propria significatione propositio: *Ductum scilicet fuisse Iesum in desertum ab spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Externè cum ea significatione propria nihil indecorum Christo absurdumvè in theologia, seu scripturæ aduersum contineatur iuxta firmam statamque catholicis regulam interpretandi Scripturam.

3 Lugo vero admissa tentatione Christi externa, negat consequentiam ad internam Christi tentationem: sita tamen, vt externam æquè, atque Bernal. videatur alia ratione negare, neque difficultati satisfaciat. Negat quippè: quia tentatio illa interna Christo non fuerit animo hostili à dæmone excitata. Ast non alio animo externam, atque internam tentationem Christi tentationem excitabit, ergo neque externa illata à diabolo fuit animo hostili, quare neque fuit propriè tentatio contra textum, & antecedens quod admittis. Contra secundo quia externa fuit animo hostili & cum existimatione, & animo vincendi Christum, quod possibile diabolus putabat, vt nuper dicebam: ergo internæ repræsentationi non defuit ad proprietatem tentationis animus hostilis diaboli eam excitantis, etsi is ad tentationis proprietatem requireretur. Tertio neque id ad propriam tentationem requiritur: à concupiscentia enim orta, vel coniuncta cum proprio amore tentamur vt Iacobus ait, quin malum nostrum animo hostili procuret appetitus, sed bonum delectabile: item fœmina à viro amasio, & vira fœmina quin alteruter hostili animo alterum in peccatum inducat, sed oblectamenti causa quæ instantia effugium illud præcludit: quod appetitus, eiusque motus subditi prorsus despoticè rationi, & voluntati sint. Nam amasius fœminæ subditus non est, illamque tentat ad libidinem non animo hostili. Denique quod Deus neminem tentet iuxta Iacobum, licet externas excitet tentationes, ex quibus oriuntur internæ, non ideo est, quia non animo hostili, sed quia amico solum victoriæ materiam eis subministrat, vt vincamus, atque ex eo animo simul confert auxilia, & vires ad victoriam, non quod ad tentandum animus hostilis necessarius sit, atque ex odio velle nobis ruinam spiritualem peccati, sed satis est ad illud nos hortari atq; incitare etiam ex animo nostri temporalis commodi.

4 Dico secundo in humanitate Christi internæ tentationes esse non potuerunt. Est Doctorum, qui peccati fomitem in humanitate Christi nobiscum iudicarunt impossibilem: eisdemque rationibus cum ea conclusione. Probatur: quia etsi ab externis tentationibus, internæ etiam repræsentationes appetitiui, & voluntati factæ fuerint: at vis earum motiua eis omnibus enumeratis ibi, ac præcipuè Deitate impedita fuit ex parte actus primi, ac prorsus eneruata, atque sublata. Sed obicies contra vtramque conclusionem de possibili ex Lugo. Non repugnat humanitati Christi actus materialiter solum malus ex obiecto: ergo nec fomes peccati, nec interna tentatio, nec motus appetitus deordinatus malusque materialiter solum repugnabit. Antecedé, probat, quia non repugnat humanitati vnitæ in amentiam incidere, atque sic amenti puerum occidere fratrem putas hostem reipublicæ. Antecedens eiusque probatio sub lite adhuc Theologorum est de qua partim d. antecedenti, partim controuersia sequenti. Quod autem ad præsens attinet eo permisso negatur consequentia: quia peccatum materiale tantum nec peccatum est in se: quare pugnam cum sanctitate Deitatis nullo gradu habet de se, neque è suo principio: neque est peccati inductiuum; at vero tentatio interna fomes peccati, eiusque inordinati motus, licet peccatum non sint, ast sunt inductiua de se peccati, eiusque principia, & quæ proinde cum sanctitate Deitatis omni gradu, etiam remotissimo, antecedenter pugnante, omnino repugnent in humanitate, quam sui vnione sanctificat, ob quam non solum *Innocens, impollutus* homo Christus dicitur à Paulo, verum, & *segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* idest innocentiæ, & sanctitatis distantioris excelsiorisque à peccatoribus, siue eorum peccatis quam sit cœlum à terra, hoc est beati cœlites, ab hominibus peccatoribus terræ: ast Beatorum innocentia adeo peccatis distat, vt cum eorum remotis principiis nimirum internis tentationibus fomite, eiusque motibus repugnet per omnes: multo igitur certius cum eis pugnabit sanctitas & innocentia excelsior, & à peccato distantior, quæ in humanitate Christi per Deitatem est.

CONTROVERSIA V.

De effectibus, siue perfectionibus humanitati Christi vnionis titulo datis.

QVM è sanctitate, & dignitate humanitatis Christi vi vnionis formaliter communicata à Deitate operum Christi meritoria infinita dignitas proximè proueniat, de merito Christi controuersia de effectibus intrinsecis vnionis videbatur disputandum. Sed quoniam difficultates, quæ circa Christi meritum occurrunt integram controuersiam explebunt, nec effectus communicatos humanitati ipsi, sed ipsius operibus dignitas meritoria contineat, ac tandem perfectiones & effectus titulo vnionis intellectui, & voluntati Christi communicatos, atque harum potentiarum actus, qui in Christo fuere, merita Christi, vel supponant, vel includant; controuersiæ de merito, hanc effectibus, & perfectionibus humanitati Christi cum ad intellectum, tum ad voluntatem atque ad vtriusque actus spectantibus præmittere decreuimus.

DISPV

DISPVTATIO I.

De scientia creata humanitatis Christi.

DE increata Christi scientia nihil hic disputandum occurrit, præterea, quæ controuersia de scientia Dei dicta à nobis sunt, cum ea humanitas Christi, nec intelligat, nec possit, vt ostendimus controu. 4. d. 3. q. 3. creata vero scientia Christi potest esse beata, per se infusa, infusa per accidens, acquisita, scientia fidei; Ac demum an scientia hæc Christi secum patiatur ignorantiam, vel errorem? disputandum erit.

QVÆSTIO I.

De scientia beata humanitatis Christi Domini.

DVPLEX hic sub præfixo titulo, quam oporteat vulgo disputantur: quia communia Christo cum Beatis eorum pleraque, & quæ ad visionem, & Beatitudinem propriè spectant eiusmodi sunt. An Christus per speciem ab obiecto, & à lumine diuersam videat Deum? An ea visione viderit creata in verbo formaliter? An causaliter ratione decentiæ status illius fœlicissimi? An visione Dei formaliter sanctificetur, reddaturque consequenter, an etiam antecedenter impeccabilis? quibus similibusque aliis omissis, quæ peculiaria scientiæ beatæ Christi Domini sunt solum examinabimus.

CERTAMEN I.

Visio beata Christi animæ à conceptionis initio, vt non erroneè, ac hæreticè, non sine temeritate negabitur.

1 CErta adeo apud Theologos conclusio est, vt à Recentibus supponatur potius, quam disputetur: ab antiquis vero constanter asseratur in 3. d. 14. Richard. a. 1. q. 1. Durand. q. 1. art. 1. Argent. a. 1. Palacios. d. 1. S. Tho. interpretes cum ipso. q. 10. a. 4. q. 15. a. 10. q. 34. a. 4. supponunt, vel asserunt cursim. S. Bonau. Scotus, & Gabriel. ex Recentioribus Canus. 12. de locis c. 14. Salmeron. t. 14. d. 4. in epist. ad Ephes. Valent. 3. p. d. 1. q. 10. pun. 1. Soar. d. 25. sect. 1. Vasquez cum assectis multis in locis. Ragusa. d. 85. Granad. tract. 8. d. 2. sect. 1. Lugo. d. 19. num. 2. Vvadingo d. 6. dub. 2. Hurtado vterque noster, Bernal. & reliqui omnes. Primus hac de re dubitauit Erasmus apud Canum, qui conclusionem nostram certam Theologica certitudine censuit. Soar. vero oppositam, errorem hæresi proximum dixit. Nos autem temerariam solum iudicamus: nullo enim scripturæ testimonio communi Patrum sensu accepto conclusio nostra, vel formaliter, vel illatiuè continetur, neque conspiratio à Patribus expresè asseritur, vt bene Vvadingo. Primus scripturæ locus pro ea inductus ex 1. Ioan 1. est: *Deum nemo vidit vnquam vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse narrauit*, quia nimirum solus vidit. Sed Cyril. Chrysost. & alij de vnigenito, qua Deus est, ac æternus filius intelligunt. Dices intentum Ioannis esse Præferre Christi testimonium testimoniis aliorum, qui Deum, de quo loquebantur non viderant, sicut ille. Ergo, quia Christus Deum, de quo, vt homo, loquebatur, qua talis viderat. Admisso antecedenti nego consequentiam. Satis enim prælationis est humanitatem Christi de Deo loquentem ipsi vnitam esse, qui speciali titulo curare iure vnionis debebat, ne mentiretur, aliterve quam ipse de se nouerat, de ipso loqueretur. Secundus locus. *Nemo ascendit.* (spiritualiter per Dei visionem) *in cœlum, nisi, qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Sed scire tamen aueo, quam certa illa expositio sit de ascensione spirituali per Dei visionem, & ea nihilominus admissa de Christo, qua Deus est, (qua talis enim descendit de cælo, non qua homo) satis aptè intelligitur: ipse enim per idiomatum communicationem filius hominis rectè dicitur. Tertius locus. *in quo sunt thesauri omnes sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Sed locus est apertè de scientia increata; qua humanitas non intellexit, vt vidimus. Subditur enim *in ipso inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter*, idest diuinitas cum suis perfectionibus omnibus quartus locus Ioan. 1. *vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* idest sanctitatis, & scientiæ. Verum illud *plenum* cum eo concordat, quod in eadem oratione caro factum esse dicitur, quod verbum fuit, non humanitas Christi, seu Christus, qua homo.

2 Plura pro conclusione eadem ex Græcis Patribus extra rem inducuntur: cum ij visum Deum à Christo secundum Deitatem, & scientia increata explicent tandem. Perperam item Græci alij adducuntur cum Damasceno serm. de transfigurat. asserentes ex Deitate vnita gloriam tunc illam redundasse. Loquuntur enim de gloria corporis, quæ nunc apparuit, non de gloria animæ, licet visio Dei sit, quæ tunc non apparuit; nec si de ea loquerentur conclusionem docerent: cum trigenario iam Christo contigisset, non à conceptionis initio. Clarius loquuntur Latini, sed non ita, vt explicationes aduersantium, si essent, plerumque, non paterentur. Aug. 4. de consensu Euangelistar. c. vlt. fine dicens mortale m hominem non posse in hac vita videre Deum. *qua maxime proprietate differat à cæteris homo, cuius susceptione verbum caro factum est.* Sed differentia hæc de potentia, & titulo est, non de actu, qui posito vnionis titulo negatus humanitati Christi, qualibus qualibus congruentiis vsque ad resurrectionem dici posset, contra quas non omnino euidenter conuinceretur. Richard. de S. Victore. 2. de Emanuele c. 22. *quod nos expectamus in consummatione, illi datum est in sua conceptione.* Sed explicari posset de dono Deitatis per vnionem, quod nobis per visionem donandum expectamus. Euseb. Cæsar. 10. demonstrat. Euang. c. vlt. sic è Christi persona ait: *cum adhuc intra celam gestantis me in vtero lateren, te tamen Deum meum videbam.* Christi autem qua Deus est, non est Deus; sed ipse Christus est Deus: ergo Christum, ait vt hominem vidisse Deum. Dicere possent: licet loquatur, vt homo, tamen cum eadem Dei, & hominis persona in Christo sit loqui posse de visione Dei, quam habet, vt Deus. Fulgentius. q. 3. ad Ferrandum *veritati fidei prorsus alienum est dicere animam Christi non plenam Deitatis suæ habere notitiam.* infra. *Ad eius animam pertinet illa prærogatiua: in qua sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* inferius. *Possumus dicere animam Christi plenam habere notitiam Deitatis, & tantam, quantam ipsa Deitas sui, sed non sicut Deitas.* Ad primum tamen, & postremum dicerent fortè loqui de Christo post resurrectionem, atque in cælo, in quo tunc erat, quando ea scribebantur. Secundo plenam Deitatis notitiam non dicere Dei visionem, sed cognitionem omnium perfectionum Dei, quam per infusam scientiam, & reuelationem posset anima Christi habere: tantum enim, & quantum magnitudinem cognitionis obiectiuam, siue ex parte obiecti, designat, non qualitatem, quæ potius explicatur aduerbio *sicut*, quod negatur animæ Christi: cum dicat Paulus de statu Beato *tum cognoscant sicut, & cognitus sum* à Deo nimirum visione clara. Ad secundum constat quid de eo loco Pauli Patres plures censeant: nempè sermonem esse de increata scientia, & sapientia Dei, quæ in anima Christi realiter physicè per vnionem erat; non ita, vt eis anima Christi formaliter intelligeret. Tandem adduci possent plura Patrum testimonia, quæ apud Vasq. d. 47. c. 1. num. 4. & 5.

negant Christum qua hominem in scientia profecisse in quibus est Damascen. 3. de fide c.22. sic effatus: *Propterea eos, qui dicunt (Christum verum incrementum in sapientia accepisse, consequenter negare vnionem factam esse à primo illo carnis ortu. Nam si tunc facta est, quid tandem afferri potest, quin omnibus prorsus sapientiæ, gratiæque operibus affluxerit?* Sed respondere posset aliquis: profectum scientiæ, de quo hic Patres, esse circa res, quarum notitiam denuo in ipso homines recognoscerent, non autem circa Deum clare visum. Secundo: esse de profectu scientiæ quandiu vixit, & ætate crescebat. Visionem autem Dei in hac vita Christo homini non contigisse: quare neque eum scientiæ profectum fecisse in vita hac mortali, in qua factus à Patribus negatur.

3 Verum enim vero, licet solutionibus hisce Patrum testimonia eludi, vtcumque possint, ne clarè eorum authoritate euincatur conclusio, sincero tamen eorum sensu intellecta eam euincunt, à quo discedere temerarium est. Maxime cum Patrum negantium profectum scientiæ, & sapientiæ Christo, licet de profectu scientiæ circa obiecta alia, atque hac in vita loquantur, tamen eorum ratio, eiusque principium generaliter de profectu scientiæ cuiusuis, ac circa obiectum quoduis, in quocumque statu probet; vt postremis verbis Damasceni satis claret: sic igitur eius, & reliquorum Patrum rationem pro conclusione theologicam ediffero. Visio beata iure vnionis hypostaticæ debetur humanitati Christi; atque ex alia parte ad nostram redemptionem per passionem, & mortem eiusmodi visio non oberat. Ergo data fuit humanitati à primo instanti suæ vnionis ad Verbum: quod ipsum instans primum etiam fuit conceptionis humanitatis. Totus discursus datus nobis est à Damasceno proximè. Sed rursus probatur per partes, & primo antecedentis pars prima quia, (vt bene Hilar. orat. 4. contra Arrian. & lib. de salutari Christi aduentu. Augustin. in id psal. 65. *Beatus, quem elegisti, assumpsisti.* & q. 65. ex octoginta tribus, & 4. de consensu Euangelistar. c. vlt. fine, & S. Th. supra ex illo Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*) Christo, qua homini, ratione vnionis Patris vnigenito, debentur gratiæ, & dona non ad mensuram, sed cum omni plenitudine, & consummata: atqui hæc consummantur per Dei visionem: ergo cum Dei visione data sunt humanitati Christi à primo suæ conceptionis instanti. Probatur secundo: quia doni perfectio dicit eius notitiam in recipiente, vt inde dicatur *omne donum perfectum à Patre luminum descendere*: quare nisi à primo conceptionis instanti, quo per vnionem data humanitati Deitas est perfectè ab humanitate Deitas cognosceretur, & Deus imperfectè donasset, atque humanitas imperfectè, si imperfectum donum, non sine veritatisque indecentia, recepisset: vt ferè argumentatur Fulgentius citatus. Probatur tertio: quia cum Christus ab initio conceptionis Dei, & hominum Mediator esset, oportuit, vt vtrosque perfectè cognosceret, gloriamque, quam nobis semper merebatur, experiretur. Probatur quarto: quia gloria corporis ab animæ gloria naturaliter deriuatur: ergo hæc adfuit Christo, qua homini in transfiguratione titulo quidem filiationis naturalis Dei, vt vox paterna tunc declarabat. *Hic est filius meus dilectus*: eam autem naturalem filiationem habuit humanitas iure vnionis ad filium, quæ ipsi à conceptionis initio adfuit: ergo ex tunc adfuit gloria animæ, quæ sine visione non est, humanitati Christi. Secunda antecedentis pars probatur: quia solius gloriæ corporis suspensione locus tormentis, & passioni, quibus redimendi eramus satis, superque dabatur. Consequentia vero discursus nostri legitima est. Etenim quæcumque titulo vnionis debebantur humanitati (debebantur vero excellentia, & perfecta omnia) nec redemptioni per passionem, & tormenta officiebant, data statim humanitati fuisse Patrum, & Theologorum axioma est. Nec refert, quod Ioan. vlt. dicatur. *Non ne oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam?* est enim de gloria corporis sermo, vt ibi Patres, & de transfiguratione agentes constanter docent. Quo autem pacto cum Dei visione, summoque inde humanitatis gaudio, dolori, timori, atque tristitiæ humanitatis eiusdem locus fuerit infra. d. ....q. .... explicabitur.

CERTAMEN II.

Obiecta, quæ Christi humanitas in verbo viderit taxantur.

1 SVpponitur Beatos obiecta plura in verbo videre sensu à nobis explicato controu. de Beatitudine: qui propterea nunc examinandus non est, sed obiectorum numerus taxandus, sunt autem obiecta, de quibus nunc quæstio esse potest creata omnia, siue possibilia, siue futura. Dico ergo primo vidit in verbo humanitas Christi omnia possibilia. ita Herize. 1. p. d. 36. c. 4. num. 41. ac vulgo Recentiores Soar. d. 26. sect. 2. supponuntque ex antiquis Gotfred. quodlib. 9. q. 3. Basol. 44. prologi. a. 3. Durand. in 3. d. 4. q. 2. & in 4. d. 49. q. 3. & alij, qui Beatos in verbo possibilia omnia videre defendunt. Probatur: quia omnium possibilium visio in verbo est creato intellectui, & possibilis, & perfectio: ergo humano Christi intellectui de facto fuit concessa: consequentia è principio generali, quod de facto humanitati Christi datum asseri debeat, quidquid possibilis perfectionis est, nec redemptionis officio aduersatur, est certa. Antecedens probatur: quia, etsi Deum, & possibilia omnia intellectus creatus videret, vnica etiam visione, (quod nec admittimus, neque est ad præsentem conclusionem necessarium) adhuc Deum non comprehenderet: quia non æquaret Dei cognoscibilitatem, iuxta dicta controu. de attributis negatiuis d. de incomprehensibilitate Dei: atqui ea solum repugnantia assignatur ab aduersariis: ergo non repugnat intellectum creatum videre in verbo omnia possibilia. Dices primo S. Th. q. 10. art. 2. negare conclusionem ob hanc repugnantiam. Sed ne locis ex ipso à nobis datis controu. citata aduersetur intelligendus est de cognitione omnium possibilium in verbo, siue in omnipotentia, tanquam in medio, ad quam omnipotentiæ quantum cognoscibilis est, cognitio, penetratio, quare, & comprehensio requiritur. Dices secundo: ea visio infinitorum possibilium esset: ergo infinita: quod creatæ repugnat cognitioni in primis repugnantia hæc constans non est. Deinde sit constans: non infertur ex infinitate obiecti infinitas cognitionis: vt patet in Dei visione. Dices tertio: Arnaldum de villa noua Medicum à Tarraconensibus inquisitoribus damnatum fuisse, quod doceret Christum scire omnia, quæ Deus, vt refertur directorio inquisitor. 1. p. q. 11. hoc autem, vel nostra conclusio est, vel infertur ex illa. Sed tamen vt bene Soar. Herize. vbi proxime, Arnaldus ille cognitiones suppositorum esse non naturarum vniuersim docebat: atque inde asserebat Christum sola cognitione suppositi diuini, quod vnum in ipso erat, cognoscere: quare, & æquè perfectè omnia cognoscere, qua hominem, atque qua Deum in quibus, & Monotheliſmus, & doctrina erronea de æquè perfecta cognitione hominis Christi, atque esset cognitio Dei continebatur: quorum neutrum doctrinæ nostræ est: quare eius damnatio nihili nostræ conclusionis refert.

2 Dico secundo. Vidit Christus in verbo existentia omnia in quauis temporis differentia, præterita, præsentia, futura, positiua, negatiua, libera, necessaria, dummodo eam scientiam non supponant. Est ferè omnium Theologorum conclusio cum S. Th. proxime citato Bernalis. d. 34. sect. 1 §. 2. num. 15. Moncæi. d. 2. selectar. c. 12. licet hi requirent, vt à Christo videantur existentia, quod Christi visionem antecedant. quæ limitatio, vel superflua est, vel falsa, si: n. de obiectiua eorũ antecedẽtia ad sui visionem loquuntur superflua est, cum obiectum quoduis sui visionem creatam obiectiuè necessario præcedat de antecedentia vero alia præter obiectiuam est falsa, vt ex rationibus conclusionis apparebit. Probatur primo:

primo: quia eorum omnium cognitio non repugnat, Christumque decet. Secundo: quia existentium omnium, quæ ad quemque Beatum spectant, visio in verbo communis est prærogatiua Beatorum: atqui Christus, & Beatus in anima semper fuit, atque præfata omnia existentia ad ipsum non vno tantum titulo, spectabant: ergo ea omnia vidit in verbo. Minor probatur. Primo: quia prædestinatorum, siue electorum, propter quos omnia condita sunt, homo Christus est caput. Secundo, quia omnium iudex. Tertio quia rerum omnium Dominus, Rex, & gubernator, vt controu. 6. ostendemus. Quo autem pacto cum hac Christi scientia de actibus liberis futuris eorum libertas cum in Christo, tum in aliis consistat, constat satis ex dictis controu. de scientia Dei: quia nimirum cognitio hæc supponit obiecta, non facit, estque ipsis natura posteriorquare nequit indifferentiam ad illos ex parte actus primi, siue antecedenter, impedire, aut ipsorum libertatem abolere.

3 Oppones illud Marci. 13. & Matth. 24 *de die illa*, iudicij *sciat horam nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius hominis*. quod cum ab Arrianis contra verbi præscientiam, & diuinitatem obiceretur Athanas. serm. 4. contra ipsos Cyril. Alex. 9. Thes. toto. c. 4. ac reliqui Græci Patres respondent intelligendum esse de Christo, qua homine: ergo ex hoc loco, & Græcorum Patrum interpretatione humanitas Christi futurum hoc ignorauit Respondet Vasq. errasse in eo Patres Græcos, sensumque loci esse ignorasse qua hominem Diem iudicij quatenus aliis non reuelauit, eosque scire, fecit: quemadmodum tunc scire, & cognoscere alias dicitur, quando alios scire, & cognoscere facit, aut velle genes. 22. *Nunc cognoui quod timeas Deũ*. quia tunc, & ipsi, & aliis timorem Abrahami reuelauit, atque *in hoc cognoui quod diligas &c.* vt bene interpretantur Aug. 1. de genesi contra Manich. c. 22. ac 1. de Trinit. c. 12. & fæpius ad hæc loca consentiunt Solutioni Hilar. 9. de Trinit. Ambros. 5. de fide. c. 7. Nec obstat quod solus Pater dicatur illum Diem scire, quem tamen discipulis non reuelabat. Etenim reuelabat homini Christo. Secundo Hilar. can. 29. in Matth. & fere 9. de Trinit. Laudarus ab Alphonso de Castro ignorari à se Diem iudicij dixisse Christum, qua hominem, aut: quatenus ignorari dicuntur à viris prudentibus, quæ in occulto esse, nec dici rogantibus oportet. Dici autem à Christo Deum solum scire, vt discipulorum rogantium studia quiescerent. Verauis solutione, & interpretatione satis probabiliter germanus loci sensus, & solutio datur, quare vtraque laudanda nobis, probandaque est. Illud autem in nostro Vasquez improbandum, quod erraſſe tot Patres Græcos in admittenda rigurosa ignorantia diei iudicij in homine Christo adeo aperte admittat. Cum alterutro ex dictis sensu, etsi alius ipsis non occurrisset, benignè eos posset interpretari, & tamen alius occurrit Græcis Patribus, quem ipse magis probat. Neque enim tot docti Patres dubitare, nedum negare, absolutà strictam diei iudicij præscientiam poterant, strictamque eius ignorantiam homini Christo adscribere ex eo loco, in cuius contextu tot signa dici eiusdem, quasi rei sibi notissimæ discipulis prænunciabat.

4 Tertia demum solutio, atque eius loci genuina interpretatio Vasquio ipsi d. 51. c. 3. num. 14. versu *cæterum*. atque Vvadingo d. 6. dub. 3. §. 5. ac demum nobis etiam probatior est. Christum negasse humanitatem suam de suo, ac secluso vnionis titulo, propriisque intellectus sui viribus diem iudicij scire, sicut, & de Angelis negauit, quibus nulla naturæ suæ debita, & proportionata notitia abest, vt discipulorum, qui se, & Angelis, & homine Christo inferiores viribus recognoscebant, de eius diei notitia inania studia sedaret. Est aperta Græcorum Patrum interpretatio. Athanas. vbi proxime: *Patam*, inquit, *facit se, vt hominem ignorare: quia hominum est ignorantia laborare, sicut Paulus dicebat nescire se an in corpore &c.* quia id è suis viribus nesciebat, licet ex reuelatione cognosceret. Cyril. etiam cap. citato ait: Christum hominem scire, qua erat Deus, ideſt Deo suppositaliter coniunctus, sicut sciebat vbi Lazarus positus erat, cuius mortem, vt homo prædixerat, & tamen è viribus solius naturæ humanæ ignorantiam loci fatebatur vbi positus erat, quia vnionis titulo nouerat: sic ergo, & diem iudicij à sua humanitate, qua nuda, aiebat ignorari. In eum sensum notitiam hanc diei iudicij in humanitate *super humanam* vocauit Damasc. 3. de fide c. 15. Naz. orat. 36. *Non scit, vt homo*, iudicij diem, *si quis partem aspectabilem*, humanitatem, *ab ea, quæ sola mente potest perspici*, diuinitate, *separauerit*. nudam eam vnione considerando. Ac num. 63. exiguum concedi Christo ait, si Christo, qua Deus solum est, non autem etiam, qua homini notitia diei iudicij concedatur. Consentit vtrobique Nizetas: atque ex primo loco Damasc. 3. de fide. c. 21. sic habet: *Si secundum diuini loquum Gregorium, separaueris, quod videtur ab eo, quod intelligitur, videbitur ignorans caro; at propter hypostaseos identitatem, & inseparabilem vnionem locupletata est Domini anima futurorum cognitione, vt, & reliquis diuinis signis.* in eandem interpretationem iuit M. Gregor. 8. epistolar. epist. 42. & Caietan. ad Matth. 24.

5 Scio Origenem hom. 30. in Matth. dupliciter ea loca interpretari, vt à Christi humanitate diei iudicij ignorantiæ strictæ indecentiam propulset. Primo: vt iuxta vulgatam Ticomj regulam sibi, vt capiti membrorum Ecclesiæ ignorantiam eiusmodi tribuerit. Id quod approbant Gregor. M. proxime, & Eulogius Episcop. Alexandrin. secundo, vt loquatur de scientia experimentali Christus: quemadmodum. 2. cor. 5. de eo dicitur *eum, qui nescivit*, siue iuxta vulgatam, *non novit, peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Quod etiam probant Bernard. tract. de gradib. humilit. ad citatum Marci locum. Epiphan. Anchorato fol. 8. & longe à med. Chrysost. hom. de Trinit. post med. tom. 3. cæterum futurorum aliquorum scientiam Christo, qua homini negare, nec hæreticum, neque erroneum est: cum neque in scriptura expressum, neque ab Ecclesia definitum, neque concordi Patrum sententia statutum. Licet enim Themistius quidam à Sophronio damnetur, vt hæreticus in sua epist. apud Concilium 6. generale act. 11. quia diceret: *quod Christus sciverit diem iudicij, secundum, quod erat Deus sempiternus, sed ignoraverit secundum, quod veraciter erat homo factus.* non vrget: ille enim Acephalus Eutychianus erat, qui in incarnatione Deitatem conuersam in humanitatem delirabat: ac proinde Deo etiam, qui factus homo fuit ignorantiam illam appingebat. Sed tamen diei iudicij scientiam Christo, qua homini negare temerarium valde foret. Aliorum vero futurorum aliquorum non item: imo multo est probabilius, vti ex dicendis à certamine 3. satis constabit.

6 Inutili hic quæstione, & vexantur ipsi, & Theologicam vexant Recentiores. An scilicet actus liberi, & quæ ab ipsis pendent visione beata, quæ ad ipsos conducat antecedenter (siue proximè proponendo miseriam pauperi ad actum misericordiæ, vel remotè mouendo ad Dei amorem, à quo ad misericordiam, vel aliam quempiam virtutis actum voluntas impellatur) possint videri? implicare autem affero. Cum enim scientiam quamuis creatam obiecta naturæ priori antecedant, si eos actus scientia beata natura etiam antecedat dabitur inter eos, & visionem beatammutua realis antecedentia, atque eorum quoduis erit prius natura, quam sit. Quare ex ipsis terminis repugnat eos actus liberos visione beata antecedenti videri. Repugnat secundo quia visio beata essentialiter est vera ergo si actus liberos, quos antecedit repræsentat ex parte antecedentis ad ipsos est aliquid cum ipsorum negatione incompossibile: ergo non erunt liberi, quod repugnat contradictoriè cum asserta eorum libertate. Nec refert visionem, prout repræsentat miseriam pauperis, vel Dei bonitatem, quo solum pacto actum misericordiæ antecedit, non repræsentare illum, cum eovè ratione essentialis suæ veritatis connecti, sed quatenus ipsum repræsentat, quo pacto non est illo naturæ prior, sed posterior, vt scientia, ac visio quæuis suo obiecto posterior est: quare actus misericordiæ liberati non obesse. Etenim cum eadem in secundi entitate visionis, & miseria, & actus misericordiæ essentialiter verè repræsentetur, implicat repræsentationem miseriæ, quæ antecedit, esse sine actu misericoriæ, cuius

cuius nequit non essentialiter vera repræsentatio esse. Confirmo: quia impedimenta libertatis non ponuntur secundum formalitates præcisas, sed secundum impedimentorum realitates, secundum quas solum possunt physica reali prioritate naturæ actibus præcedere. Neque instari potest argumentum in scientia visionis Dei circa miseriam, & actum misericordiæ ea quippe obiecta non facit, sed suo ordine factum, ac positum repræsentat, quia è suo primario obiecto, & principio, quod Deus est, infinita repræsentatio euadit, quæ solam obiectorum quocumque gradu, & statu positionem desiderat. Atque hæc sanè non solum de actibus liberis, sed de iis etiam, quæ ab ipsis pendent, v.g. gratia, & gloria, quæ de facto ab actibus Christi meritoriis pendent intelligenda sunt. Nam posita visione beata de illis non possunt non esse, ne visio falsificetur: quare, vel esse possunt gratia, & gloria sine actibus meritoriis Christi, contra suppositionem: vel actus hi ea posita non possunt non esse: vel gratia, & gloria possunt non esse, ac proinde visio de eis falsificari poterit. Horum autem quoduis repugnat.

7 Sed instabis posita scientia conditionata, & prædestinatione, siue collatione auxilij efficacis ex illa, quæ dubio procul consensum nostrum antecedunt, non tollitur consensus absoluti libertas: quia quatenus antecedunt connexa cum illo non sunt, sed quatenus subsequuntur obiectiua naturæ posterioritate ad illum: ergo cum beata visio quatenus antecedit actum misericordiæ, ac repræsentat miseriam non connectatur cum illo, sed, quatenus illum repræsentat, atque obiectiua posterioritate subsequitur, cum illo connectatur ipsius libertatem non lædet. Fateor instantiam hanc magnam habere vim contra Recentiores Complutenses, qui primam solutionis aduersariorum impugnationem nobis dederunt: instarique rursus posse eosdem ex præfinitione actuum liberorum, quam sine libertatis eorum præiudicio admitti posse iidem defendunt. Nos autem instantiæ eiusmodi minimè tangunt, qui actuum liberorum præfinitiones nusquam admittimus: ostendimusque controuersiis de scientia, & voluntate Dei, atque hic controu. 2. scientiam conditionatam, & auxilium, imò, & prædestinationem non connecti secundum se cum futuritione absoluta consensus intrinsecè, de auxilio patet in nostra sententia. De scientia item conditionata constat. Neque enim eam habet cum illa immediatam tanquam cum obiecto, quod non repræsentat: neque mediatam ratione futuritionis conditionatæ, quam repræsentat: cum futurum conditionatum physicè non connectatur cum futuro absoluto, sed logice, & metaphysicè, seu discursiuè, ac per rationem: quare ratione huius connexionis sui obiecti conditionati cum futuro absoluto, nequit scientia conditionata physicè, & intrinsecè cum futuro absoluto connecti, sed logicè solum, & extrinsecè, quod connexionis genus non obest consensus absoluti libertati, vt patet in ipsa futuritione conditionata, & nuda auxilij entitate: licet sublata futuritione absoluta consensus futuritio conditionata auferretur, sicut, & conditionata scientia, quæ nihil præter futuritionem illam conditionatam scientiæ Dei secundum intrinsecum addit.

CERTAMEN III.

Vidit Christus in verbo infinita existentia sincathegorematicè, non cathegorimatice: virtute tamen finita.

1 VIdisse Christum in verbo infinitum existentium siue infinita existentia sincathegorematicè, Probatur facile quia cognouit viditque omnes hominum, & Angelorum cogitationes per æternitatem futuras: atqui hæ sunt infinitè sincathegorematicè: ergo vidit infinita existentia absolutè pro variis durationibus, sincathegorematicè quidem infinita: quia nunquam infinita multitudine existent simul cum plures, & plures futuræ deinceps sint quacumque duratione assignata. Non vidisse autem infinita cathegorematicè probatur: quia fortasse rerum creatarum multitudo infinita simpliciter repugnat, atque, vt minimum nunquam de facto erit: quare nec à Christo in verbo, imò neque à Deo, potuit videri. Sed dices videt infinitas sincathegorematicè cogitationes per æternitatem futuras: ergo cognoscit infinitas cogitationes cathegorematicè. Probatur consequentia infinitas illas cogitationes simul, & in hoc instanti cognoscit. Ergo simul, & in hoc instanti sunt obiecta huius cognitionis infinitæ illæ cogitationes: ergo sunt obiecta infinita simul: ergo cathegorematicè infinita. Est æquiuocatio in probatione malæ illius consequentiæ. Cognoscit quidem simul infinitas cogitationes simultate ex parte cognitionis, ac proinde, & illarum prout obiecta, & cognita denominantur extrinsecè, non autem simultate cogitationum ipsarum secundum se, quod requiritur, vt res ipsæ obiectæ dicantur esse cathegorematice infinitæ, siquidem infinitæ illæ cognitiones in nullo instanti infinitæ erunt, sed plures, & plures per æternitatem. Sed instabis cognoscit simul ex parte cognitionis cogitationes omnes futuras per æternitatem: ergo videt nullam præter ea superesse. Ergo non sunt infinitæ futuræ per æternitatem, siue sincathegorematice infinitæ, Distinguo antecedens omnes collectiuè determinatè ex parte obiecti negos: diuisiuè, & indeterminatè concedo antecedens. Videt enim simul plures, & plures per æternitatem successuras. Vnde negatur prima, atque inde etiam secunda consequentia.

2 Oppones Secundo. Christus videt in verbo omnia existentia pro quauis temporis differentia ergo in eo instanti, quo videt suam visionem, videt hanc visionem reflexam, & aliam, qua reflexe videt hanc tertiam, & aliam, qua reflexe videt quartam, & sic in infinitum visiones reflexas: ac proinde infinitum cathegorematicè rerum existentium: quod ipsum argumentum confici potest de reflexis cognitionibus. Dei supra visiones reflexas Christi visionis suæ, & visionum reflexarum Dei. Respondet Lugo. d. 19. sect. 1. num. 14. visionem Christi directam esse eandem met supra se ipsam reflexiuam non secus, ac diuinam: quare re ipsa vnicam esse solum visionem Christi, licet realiter virtualiter à se ipsa diuersam, solumque formaliter diuersam per rationem: sicut in diuina scientia philosophamur. Vnde reale formale infinitum cathegorematicum conditionum reflexarum Christi non infertur, sed solum reale virtuale, & formale solum rationis, seu per rationem, in quo nullum est obseruandum, sicuti neque est in Deo; vt à numero 17. ad idem argumentum in visione diuina efformatum, & in cognitione Christi reflexa supra suam, & diuinam cognitionem. Contra tamen est quia vis reflectendi supra se ipsam propria solum est diuinæ cognitionis tum quia infinita est, tum quia essentia sua omnium cognoscibilium repræsentatio è suo primario obiecto euadit, nihilque ab aliis obiectis repræsentionis formalis acquirit, sed sola externorum positione ea repræsentat, quare in ratione repræsentationis ab illis nullatenus pendet, neque est illis vllatenus posterior, cognitio autem omnis creata, finitæ, ac determinatæ repræsentationis sit, id solum in omni signo repræsentat determinatè, quod in primo repræsentabat, estque quouis suo obiecto posterior, quare nihil aliud repræsentare potest, quod primo non repræsentabat, ne in aliquo signo sine seipsa sit, nequitque suo obiecto quod repræsentat non esse posterior: quocirca, cum visio creata Christi directa vbi primum alia obiecta extrinseca repræsentabat, seipsam non repræsentet eademmet nequit pro signo vllo reflexè se ipsam repræsentare, quin in primo sine se ipsa fuisse conuincatur: nequitque seipsam repræsentare, quin sit seipsa natura posterior, atque à seipsa pendeat, quæ omnia contradictiones manifestas inuoluunt.

3 Facilius

3 Facilius ergo longè, longéque verius respondetur negando antecedens. Nec enim opus, imo nec possibile est Christum, qua hominem existentia omnia, in quauis differentia temporis in verbo, imò neque absolutè videre: cum enim visionem suam alia accessario reflexa videre debeat, & hanc alia, & infinitum cathegorematicum, admitti de facto debet contra omnes, & quod pugnans cõtradictorie est processus causarum, è cuius repugnantia cum Aristotele Dei, seu primæ causæ existentia à philosophis, & Theologis omnibus in primis demõstratur, siquidem obiecta quæuis causalitate suas creatas cognitiones, ac visiones præcedunt, vel sistendum tandem est in aliqua Christi visione, quæ ab ipso vlteriori reflexa non cognoscatur: ac proinde asserendum non omnia, quæ in quauis duratione existunt à Christo videri. An vero visionem directam suam reflexa alia Christus videat in verbo, atque hanc alia, atque alia istam, & quo tandem vsque supra suas reflexas, & reflexas visiones reflectendo perueniat? taxatum à Doctoribus hactenus non est. Censeo ergo reflectere supra suam visionem beatam, vt ri ad gaudium de summa illa fœlicitate cõcipiendum oportet. Item supra visionem directam aliarum creaturarum, quarum visio titulo non solum vnionis hypostaticæ, sed status beatifici deberetur; ac propterea visio earum in verbo nuncupatur: quia, & id ad gaudium accidentale de statu illo beatifico spectat, ibique visiones reflexas Christi sistere: quia cum in aliqua vltima sistendum ipsi sit, vt diximus, quæ reflexa alia non videatur, ne processus infinitus admittatur; atque non sit maior ratio concedendi reflexam visionem secundam, quam tertiam, quartam, quintam, & reliquas in infinitum, in prima visione reflexa sistere Christum cordatius, & rationabilius asseritur. Scio contra visionem beatam Christi opponi à Recentioribus, quod contra visiones beatas omnium Beatorum militat æque. Nempe; si detur visio beata Christi fore incorruptibilem natura sua: quod pugnat cum prædicato creaturæ in ipsa inhibito. Nam visio beata essentialiter est vera iudicatiuè, seique ipsius, ac suæ perpetuitatis repræsentatiua. Fallo enim assumitur visionem beatam esse essentialiter veram iudicatiuè. Simplici enim visione constitit; iudicium autem de eius duratione erit, siquidem habet è libero decreto Dei conforme, ipsumque decretum sequens. Secundum falsum omnino est: esse sui ipsius, ac suæ perpetuitatis repræsentatiuam, vt patet ex dictis, & tandem respondet Lugo num. 23. §. *Respondeo secundo, & melius.* Patet ex dictis; & tertio, cum eam perpetuitatem non habeat visio à se neque ex vi primæ suæ existentiæ: cum visionem sui in via, & ad tempus dari à Deo non repugnet, licet ratione status detur Beatis cum perpetuitate, eaque visione beata ipsa vera essentialiter iudicatiuè repræsentetur, indicabitur, eritque perpetua, & incorruptibilis ex decreto Dei, in quo nulla est repugnantia, vt patet.

4 Dico tertio vidit Christus in verbo infinita sincathegorematicè virtute finita. Conclusionis huius probatio facilis est, iamque supra data in simili, atque in re præsenti dabitur commodius dum Scoti argumentum à priori soluamus num. vltimo postquam futiles aliorum solutiones reiecerimus. Arguit Scotus ad cognoscendum æquè duo maior virtus requiritur, atque ad cognoscendum vnum: atque ad plura duobus maior, maiorque ad plura: ergo ad cognoscendum infinita sincathegorematicè in infinitum succedentia virtus infinita requiritur. Confirmatur: quia quo plures cognoscuntur effectus perfectius cognoscitur causa: ergo cum effectus infiniti cognoscuntur infinitè perfectè cognoscitur causa, quod virtute finita fieri nequit. Recentiores apud Vvadingo d. 6. dub. 5. num. 60. vtrumque antecedens distinguunt. Si plura, aut infinita in se cognoscantur maior, aut infinita virtus requiritur, concedunt: requiruntur enim plures, aut infinitæ species, si cognoscantur in alio, vt à Christo in verbo cognoscuntur, negant: quia vnica illius species sufficit. Sed contra primo: quia videri à Christo, & beatis creaturas in verbo non est videri per verbi speciem, & abstractiuè, sed verbi visionem beatam titulum esse, vt illis visio creaturarum donetur iuxta doctrinam nostri R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat. Vasq. d. 50. c. 3. ac sæpè. 1. p. & t. 1. 1. 2. à nobis datam, hic, fusiusque probatam controu. de Beatitudine: quare visio creaturarum in se cum sit, atque infinitarum, vel infinitis speciebus formaliter, aut virtualiter opus erit in horum doctrina. Secundo: sit medium in quo infinitæ illæ creaturæ à Christo cognoscantur non ne infinitum quid mouens, vt medium ad eorum cognitionem requiretur. Contra tertio: quia difficultas non est in infinitate speciorum formali, vel virtuali, quæ se tenent ex parte obiecti, nec magis negari earum infinitas discreta potest, quam infinitas obiectorum, si se ipsis concurrerent, sicut, vt minimum, terminant cognitionem, sed de virtute potentiæ, aut luminis se ex parte potentiæ tenentis, aut formalis virtutis specierum requisitæ ad infinitorum cognitionem, an infinita esse debeat?

5 Vvadingo ipse multis extra rem num, 64. notatis respondet num. 65. distinguendo antecedens primum (quomodo etiam in eius doctrina distingui secundum debet) Maius lumen requiritur ad cognoscenda æquè perfecte plura pluribus actibus cõcedit; vnico actu negat: in primis, si quæ de virtute contra Recentiorum sententiam, quam execratur Vvadingo ad cognitionem transferantur dicta eorum impugnationibus, & ipse confutatur. Secundo per ipsum n. 64. tota difficultas est in animi attentione æquè præstanda pluribus obiectis æquè cognoscendis, atque vni: hæc vero difficultas eadem est, siue vna siue pluribus cognitionibus cognoscantur. Contra tertio: quia in huius doctrina ea difficultas maior attentionis animi æquè præstãdæ pluribus obiectis, & cognitionibus, quam vni, est eius necessitas, & dependentia à magna copia spirituum vitalium ad perfectum phantasma requisitum, ad perfectam cognitionem: ergo in iis, qui cognoscunt independenter, ac sine conuersione ad phantasma æqua poterit esse animi attentio ad plura obiecta, atque ad vnum: ad plures item, atque ad vnam cognitionem: atqui in sententia Gregorij in 2. d. 11. q. vnica, quam sequitur Vvadingo num. 64. & 65. Beati intelligunt sine conuersione ad phantasma, ac independenter ab illo: ergo æqua poterit dari in eis, & in Christo proinde animi attentio ad plura obiecta, quam ad vnum, ad pluresque æquè perfectas, atque ad vnam eorum cognitionem. Non mirum fallo argumento induci Vvadingo hic, vt putet naturaliter æquè posse perfectè plura simul cognoscere, atque vnum: quia, quo perfectius cognoscitur obiectum eo perfectius amatur: ergo perfectio vnius operationis animæ non obest perfectioni alterius: etsi enim in operationibus, quæ alias animæ iuuant, vt cognitio ad amorem obiecti, media qua à bonitate obiecti impellitur voluntas ad amorem, & in præmissis respectu assensus conclusionis, res ita habeat: quia quantum virtutis in attentione animæ necessaria in huius doctrina ad perfectiorem cognitionem insumitur maiori applicatione obiecti per illam, & impulsu ad amorem, & assensum cõclusionis compensatur; ast in cognitionibus non subordinatis, quales sunt obiectorum disparatorum, vt futuræ, quæ Christus nouit, non est, quo ea virtus perfectæ vnius cognitioni impensa compensetur. Melius probaret: quia potentia vitalis intellectus applicata æquè, & de se expedita operatur naturaliter quantum potest: quare æquè applicata pluribus, & expedita, atque vni æquè perfectè plura, atque vnũ cognosceret, sed hac de re contr. de anima, vbi propria difficultatis huius sedes, absque disputauimus.

6 Facilius ergo independenter ab vnitate, vel pluralitate specierum, & cognitionum, quibus plura obiecta cognoscantur, respondetur, distinguendo antecedens vtrumque: maior virtus requiritur ad plura æquè cognoscenda, atque ad vnum ex parte vitalitatis potentiæ, seu principij vitalis, præcisè nego: quia eadem virtus intellectilis in se vitalis potentiæ plura, & vnum æquè perfectè potest cognoscere; ex parte principij non vitalis subdistinguo; maior: proportione arithmetica fateor: proportione geometrica nego, & idè est de perfectiori cognitione, & maiori causæ, quo plures cognoscuntur effectus: vnde negatur vtraque consequentia. Doctrina hæc distinctionis sæpius à nobis data est, & explicata estque, vel pueris

ipſis nota,quare largiori explicatione non eget.Totaque ſolutio confirmatur apertè in viſione Dei, obiecti nimirum non ſecundum quid, & in vno genere infiniti, (quo,vt ſummum,modo creata infinita eſſe, adhuc fincathegoreматicè poſſunt,) ſed ſimpliciter, & abſolutè infiniti;& tamen lumine, ſpecie, & cognitione finita à Beatis videri dogma Theologorum eſt. Diſputari hic à nonnullis ſolet an viſione beata Chriſtus, qua homo, Deum comprehendat, vel ſola, vel adiuncta etiam eius titulo,vt diximus ſcientia omnium poſſibilium, & futurorum. Id quod de Beatis vniuerſim plures diſcutiunt. Nobis autem vtrobique omittendum eſt. Tum quia ex dictis.controu.de attributis.d.de Dei incomprehenſibilitate dirimi à quouis negatiuè nullo negotio poterit:tum quia à nobis ita pro vtraque quæſtione fuit dirempta, ne quæſtio,vocum potius,quam rerum,ſæpius noſtras carthas oppleret.

QVÆSTIO II.

De ſcientia per ſe infuſa humanitatis Chriſti Domini.

EX dictis conſtat creata, ſiue futura, ſiue poſſibilia, licet non viſione beata, eius tamen titulo per aliam ſcientiam videri. Ea autem vna è tribus, aut triplex eſſe in Chriſto poteſt. Vel per ſe infuſa, quæ nimirum quoad ſubſtantiam ſupra intellectus humani vires, & exigentiam abſolutè ſit:non loquimur autem de fide, de qua alia inſtituetur quæſtio,ſed de creatorum viſione: infuſa per accidens,quæ,licet intellectus humani viribus patrari, atque exigi abſolutè poſſit,hic tamen, & nunc nec parari,neque exigi valet:tandem acquiſita, eiuſdemque rationis cum ea,quam de pluribus proprio labore,& induſtria homines acquirunt, in præſenti autem de infuſa per ſe ſolum diſputamus, de duabus aliis deinceps dicturi.

CERTAMEN I.

Scientiam per ſe infuſam animæ adfuiſſe Chriſti Concors Theologorum ſententia eſt.

1 ALex.3.p.q.13.m.1.& 2.S.Bonau.in 3.d.14.a.1.q.1. Scotus.q.3.§.*Contra concl.* Richard. a.3. q.1. & 2. Almain.q.1.a.2.Gabr.q.vnica.a.2.init.Nominales reliqui, & Dur.q.4.ſcientiam aliquam à viſione beata diuerſam, per ſeque infuſam,in Chriſti humanitate non fuiſſe, ſed ſolum per accidens infuſam, eiuſdemque rationis cum acquiſita aiunt.Etenim licet creata in verbo videri negent, aſt eadem verbi viſione beata cum illo videri opinantur:quare,& aliam per ſe infuſam ſcientiam ad ea videnda ſuperfluere:quandoquidem ea poſita, neque amplius,neque melius viderentur, quam viſione beata qua vero conſequentia ſcientiam per accidens infuſam admittant,contra quam ſua hæc militat ratio,prorſus ignoro ſi dicant ſcientiam illam,ſeu viſionem beatam, quatenus ad inferiora obiecta acquiſitæ terminantur,per accidens infuſam nominari,ſicut,qua terminatur ad Deum, beata dicitur,dicant per ſe etiam infuſam vocari, quatenus ad ſuperiora obiecta ſcientiæ per ſe infuſæ propria contendit.Reliqui Theologi ſcientiam per ſe infuſam animæ Chriſti adſcribunt.S.Th.3.p.q.9.a.4.corp.ac ſæpius.q. 11.quibus in locis Thomiſtæ,ac interpretes omnes. Capreol.in 3.d.14.q.1.a.1.concl.2.& a.3.ad 1.contra 2.concl. Paludan.q.2.Marſil.q.10.a.2.Vaſq.d.52.c.1.Soar.d.25.ſect. 3.§.*dico primo* Vvadingo.d.6.dub. 8.n.105.verſu *dico tertio.* licet non ſuis principiis,ſed ſola Scholaſticorum authoritate,non vltro eat, ſed trahatur,Lugo.d.20.ſect.1.n.3. Bernal.d.35.vbi non tam diſputat,quam ſupponit quatenus vero à viſione beata diſtinguatur iuxta varias eorum ſententias de viſione creaturarum in verbo erunt intelligendi;Nos autem eam ex æquo à viſione beata diſtinguimus.

2 Ægrè autem ab his doctoribus ſententia de ſcientia infuſa per ſe à viſione diuerſa in Chriſti anima contra aduerſarios, quorum ne tanguntur quidem,nedum quaſſantur,principia,ſuadetur. Arguit.S. Th. q.9. art. 3. quia omne quod eſt in potentia ad formam, etiam ſupernaturalem,quandiu ad actum non reducitur imperfectum manet;at intellectus eſt in potentia ad omnia intelligibilia,etiam ſupernaturalia,reduciturque ad actum per ſpecies intelligibiles,& cognitiones eorum: ergo quandiu eas intellectus Chriſti nõ habet imperfectus erit:id quod ſtatum vnionis hypoſtaticæ dedecet valde;dicent autem aduerſarij imperfectionẽ entis eſſe,ſi omnino in potentia ſit,vel ad actum perfectiorem; ſecus autem ſi ad actum perfectiorem perfectiori actu reducatur:vt reducitur intellectus Chriſti reſpectu creaturarum per actum viſionis beatæ ſcientia infuſa longè nobiliorem,ac per nobiliores ſpecies obiectorũ ſupernaturaliorum,nempè lumen ipsũ gloriæ, vel nobiliores alias, quæ cum ipſo ad eundem actum viſionis Dei,& obiectorum ſupernaturalium concurrant,vt patet in Angelis, quorum intellectus, ſicut, & animæ ſeparatæ imperfectus non eſt, licet ſit in potentia ad cognitionem obiectorum naturaliũ per ſpecies alienas,quia ſpeciebus propriis eorum dignitati, & ſtatui debitis,ac proportionatis, & nobilioribus ad actum ea cognoſcendi reducitur. Qua etiam doctrina eneruatur noſtri Lugo ratio ſecunda deſumpta ex ſtatu gratiæ, & ſanctitatis humanitatis Chriſti ratione hypoſtaticæ vnionis longè nobiliori eo,in quo animæ iuſtæ ſeparatæ, atque Angeli per gratiam adoptionis,& viſionem beatam collocentur,tanquam per radicem aliorum donorum, & ſpecierum ſupernaturalium. Etenim ſi ſtatus humanitatis per vnionem longè nobilior eſt nobiliores ſpecies obiectorum ſupernaturalium, nobiliorque eorum cognitio humanitati Chriſti à nominalibus aſſignantur, quam ſint ſpecies,& cognitiones per ſe infuſæ Angelis, & animabus beatis.

3 Si ergo,quid de vtriuſque ſententiæ diſſidio ſincere iudicem dicturus ſim,reor earum Doctores, quoad præſentem attinet difficultatem de nomine ſolum diſſidere.Cum enim primæ ſententiæ Doctores aſſerant eodem beatę viſionis actu creata omnia videre,& quatenus circa ſupernaturalia obiecta creata verſatur,vel à gloriæ lumine,vel à ſpeciebus ſupernaturalibus ſimul cum illo concurrẽtibus procedere,nequeant negare, quatenus ad ea terminatur,ſupernaturalẽ,quoad ſubſtantiã eſſe ſcientiam illã ;inficiari non poſſunt:quare nec,quoad præſens attinet,de re à Doctoribus ſecundæ ſententiæ diſſentiri, quoad alia vero,quæ nominalium ſententia continet de rebus,nec ſolum de vocibus,non vna ſolũ contr.eſſe poterit.Prima:an eadem viſione beata,creata etiam obiecta ſupernaturalia à Chriſti humanitate videãtur?an diuerſa? Secũda:an ſpeciebus diuerſis à lumine gloriæ,an hoc ſolo ad ea cognoſcẽda humanus Chriſti intellectus,& eleuetur,& vtatur?Tertia:an ſpecies eiuſmodi particulares pro vnoquoque ſupernaturali obiecto ſint,an vniuerſales pro eorũ pluribus,vel omnibus,quæ ad quæſtionem tertiã de ſciẽtiæ per ſe infuſæ principiis,non ad præſentẽ ſpectant in qua meo iudicio,vt dixi,de rebus non diſcordant:cum omnes ſcientiã obiectorũ ſupernaturaliũ per ſpecies ſupernaturales quoad ſubſtantiam,quare,& quoad ſubſtãtiã ſupernaturalẽ,ac per ſe infusã Chriſti animę tribuant.

4 Ea propter,licet nihil cenſura digno ab eo,qui animæ Chriſti ſcientiam per ſe infuſam negaret, præſtandũ conſpirato aſſerant Doctores:ita eos tamen interpretor, vt de cenſura hæreſis,erroris,hiſvè proxima loquãtur:neque temeritatis notã is fugere poteſt,qui rationi probabiliori ſaltẽ,aut aperto Patrũ teſtimonio deſtitutus vt ſic opinãti eueniret,cõtra omnes Theol.in re hac graui doceret.Ex quo vero ſciẽtia hæc animæ Chriſti fuerit infuſa conueniunt

conueniunt Doctores eam ipſi à conceptionis initio inditam eſſe. Cum enim ratione vnionis tunc factæ,& dignitatis,quam hæc in animam illico deriuat infundenda eſſet,atque à ſenſuum, & phantaſiæ miniſterio, quæ ad ſuam perfectionem tempus requirunt, minimè pendeat,illico infundi,& potuit,& debuit: nihilque fuit cur Deus in eius infuſione traheret moras. Probatur ſecundo ex Paulo ad Hebr.10. vbi ſic ex Pſal. 30. de Chriſto, qua homine ſcribit: *ingrediens mundum, dicit: hoſtiam,& oblationem noluiſti corpus autem adaptaſti mihi.* quibus docet Paulus tunc,cum primum conceptione ſua mundum Chriſtus, qua homo ingrederetur, totum incarnationis ſuæ, ac redemptionis noſtræ myſterium ſupernaturale, ac de eo diuinum conſilium percalluiſſe, ſuaſque ad redimendos homines partes acceptaſſe. Subditque propterea Paulus *in qua voluntate ſanctificati sumus.*

CERTAMEN II.

Obiectorum naturalium futurorum non fuit ſcientia per ſe infuſa, ſecus conditionatorum, & poſsibilium ſecundum eos ſtatus præcisè.

1 SVpernaturalia omnia in obiectis ſcientiæ huius per ſe infuſæ contineri ſecundum omnes eorum ſtatus certum eſt: dummodo non omnes actus Chriſti includas,ne proceſſum in infinitum reflexarum Chriſti cognitionum in curras. De naturalibus obiectis etiam futuris plura imo omnia ad ſcientiam per ſe infuſam humanitatis Chriſti pertinere docent Soar.d.27.ſect.1.§.*Dico primo.* Falſo referens omnes, qui hanc ſcientiam in Chriſto admittunt.Raguſ.d.90.ſiue Cabrera.3.p.q.11.a. 6.d.3.concluſ.1.Lugo.d.20.ſect.2.n.25.& 29 Bernal.d.35. ſect 1.n.2.referrique pro ea poſſunt, qui actum ſupernaturalem circa obiectum,etiam formale,purè naturale admittunt(ſi Scotum,& Gabrielem excipias, qui nihilominus aliter in re hac aliunde cenſent) ij vero ſunt Baſſol. in 3.d.28.q.vn.a.1.d.23.q.vn.a.2.ad 1. Conrad.1.2.q.2.n.3. Palacios in 1.d.28.d.2.Molina in concordia.q.14.a.13.d.7. 13.14.& 32.Ægid. de ſupernaturalit.d.5. dub.3.ac de fide d.14.num.7.Herize.1.p.d.38. Granad.1.2. controu.8. de gratia tract.1.d.14.ſect.3. & procemio.1.p.d. 4. num. 17. Lorca.d.9.de gratia concl.1.& 2.Sforcia.4.ſummæ Theolog.n.25.Vinſſeldius de libero arbitr.& grat.ſect. 3. m. 4. cum Guilliel.Borrillumg.in 3.d.23.q.1.quos refert, & ſequitur Ripalda t.1. de Ente ſupernat. lib. 3. d. 45. ſect. 1. & 2.

2 Dicendum tamen nobis eſt primo : nihil naturale futurum abſolutè, ſeu exiſtens in quauis temporis differentia eſt obiectum ſcientiæ per ſe infuſæ animæ Chriſti. Ita Scotus,& Gabriel,& nominales omnes S.Bonau. & Richard.citati cert.1.n.1.Vaſq.d.52.c.1.Mæratius de incarnat.d.26.ſect.1.n.6.& 7.quibus adde negantes poſſe eſſe actum ſupernaturalem circa obiectum omnino naturale, etiam pro formali ij vero ſunt Caiet.1.2.q.63.a.3.Curiel. q.109.a.1.dub.3.§.4.concl.2.Zumel. d.1.& 2.& a.3. d.3. Medinæ q.62.a.2.Bann.2.2.q.1.a.2.q.6.a.1.q.24.a.2,& Thomiſtæ reliqui,ex noſtris præterea Arrubal.1.p.q. 14 c. 6. Faſol.q.12 a.1.num.9.a.8. num. 42. Ianner.t.2.d. 6. q. 3. num.153.Didacus Ruiz de prædeſt. d. 46. ſect. 5. num. 3. Probatur concluſio quia actus potentiæ naturalis circa obiectum purè naturale non habet connexionem cum aliquo ſupernaturali : ergo neque eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam:atqui viſio humanitatis Chriſti circa creata obiecta naturalia abſolutè exiſtentia eſt actus potentiæ naturalis circa obiectum purè naturale : ergo non eſt ſupernaturalis, quoad ſubſtantiam, ſiue, quod idem eſt per ſe infuſa.Antecedens primum eſt certum,& conſequentia prima legitima.Etenim ſupernaturale per ſe,& abſolute,ſiue ſecundum ſubſtantiam illud ſolum-

modo eſt quod habet connexionem cum aliquo ſupernaturali: quare, & ordine rerum ſupernaturalium pereunte conſiſtere,& illud nequiret. Reliquæ conſequentiæ indubitatæ ſunt, vt patet ex quæſtionis præfatione, ſiue explicatione,vt mittam modo nec ſi connexionem haberent ſtatim ſupernaturalem fore viſionem : oſtendi enim controu.de ente ſupernat. in genere poſſe eſſe aliquod ens naturale eſſentialiter à ſuper naturali principio effectiuè pendens, dummodo à natura pendeat exactiuè.

3 Dices primum antecedens falſum eſſe, quia actus potentiæ naturalis circa obiectum purè naturale ſupponit quandoque ex parte potentiæ habitum ſupernaturalem,ac proinde habet connexionem cum illo, eſtque ſupernaturalis:ſicque euenit viſioni Dei de obiectis creatis naturalibus abſolutè exiſtentibus. Contra primo : quia habitus ſupernaturalis, ſiue ſupernaturale comprincipium ex parte potentiæ ſolum habet locum cum potentia improportionata de ſe eſt ad obiectum, & proinde inſufficiens, neque potens ſe ſola illud attingere : atquī potẽtia naturalis porportionata de ſe eſt obiectum cuiuis naturali:cum ſit in eodem ordine naturalitatis cum illo, neque hoc ſit in ordine ſuperiori, quouè nequeat facultas naturalis pertingere: ergo habitus ſupernaturalis non habet locum in potentia naturali, vt verſetur circa obiectum purè naturale.Contra ſecundo:quia potentia naturalis per vos,& omnes verſari poteſt de ſe circa obiectũ pure naturale quoduis : ergo ad actum huius potentiæ circa illud nequit concurrere ex parte potentiæ habitus ſupernaturalis,vt ſupernaturalis eſt.Probo conſequentiã: Nam in actu,qui totus poteſt procedere à principio naturali,& obiecto naturali purè,nihil eſt ſupernaturale, vt patet:quo circa,licet diuina voluntate habitus ſupernaturalis ad concurſum cum potentia vocaretur non concurreret concurſu,ſiue influxu ſupernaturalis;ſeu formaliter, vt principiũ ſupernaturale,ſed influxu naturali;& vt principium naturale formaliter:ſicut eadẽ adhuc formaliter infectilis omnipotentiæ virtus cũ,cauſis naturalibus,non ſupernali influxu,& virtute formaliter, ſed naturali ad effectus naturales concurrit. Denique omnia prædicata actus circa obiecta naturalia adæquatè reſpondent potentiæ naturali,& obiecto:ergo hæc ſolum ex parte principij præſupponuntur iuxta doctrinam latè à nobis probatam in phyſicis contr.de cauſis.d.de cauſa adæquata,& inadæquata.

4 Dices primo:hæc omnia ſolum probare non poſſe dari habitum,ſiue comprincipium ſupernaturale ex parte potentiæ naturalis,vt verſetur,ſiue ad actum circa obiectum purè naturale,quia de ſe poteſt verſari circa illud, atque omnia prædicata actus ſufficienter reſpondent potentiæ,& obiecto naturali. Sed hæc ſolum probant non requiri comprincipium ſupernaturale, ſiue habitum ex parte potentiæ,aſt ſecus dari à Deo non poſſe abſolutè cum non repugnet in noſtris principiis eundem effectum pendere à duplici cauſa adæquata.Sed hoc præcluſi impugn.2.fine.Ac rurſus impugno:quia ne materialiter quidem poteſt principiũ ſupernaturale ex parte potentiæ ſe tenendo concurrere ad actũ naturalẽ:ſiquidem in eo actu nullus concurſus ex parte potentiæ ſe tenens eſſe poteſt niſi vitalis,quẽ habitus ſupernaturalis,aliudvè agens præter potentiam vitalẽ præſtare nequit.Tertio:cum actus ad quem potentia naturalis poteſt,quique ipſi,& obiecto ſecundũ omnia ſua prędicata ſufficienter reſpondet naturalis prorſus ſit,licet demus ſuperfluo concurrere ad illum habitum ſupernaturalem potentiæ inditũ idem ipſe erit, ac proinde naturalis ſecundum ſubſtantiã,ac non ſcientię per ſe infuſæ.Dices ſecundo circa obiectũ naturale purè poſſe quidem de ſe potentiam verſari,ac ſine habitu actibus pluribus,non tamen omnibus poſſibilibus,in quibus ſunt aliqui, qui ex modo tẽdendi in obiecta naturalia purè ſupernaturales ſunt, ac principium ſupernaturale requirunt.Sed modus iſte tendendi actui identificatus, quiſupernaturalis ſit,neque ab aduerſariis percipitur aliquando,cum nunquã nobis explicetur. Etenim quidquid in actu cognitionis ipſo modi,& perfectionis hactenus inuẽtũfuit,eſt intẽſio,claritas penetratio obiecti,quę omnia pro maiori potentiæ conatu,ſpecierum intenſione,&

perfectione augescunt,& pro summa ad summum : neque ab habitu supernaturali prouenient,qui ad nihil horum datur,sed ad proportionandam potentiam de se improportionatam cum obiecto, quæ si abesset habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis à nullo admitteretur.

5 Respondet secundo Bernal.num.4.res purè naturales cognosci posse sub ratione, & motiuo formali supernaturali, potentiæ obedientialis, quam habent, dissimilitudinis à rebus supernaturalibus,productionis,vt re ipsa est,suæ à Deo Trino,quæ omnia supernaturalia formaliter sunt.Soluit quæstionem solutio, non difficultatem. Etenim vel ea omnia prædicata,quæ supernaturalia esse asserit absolutè intrinseca sunt rebus naturalibus, vel extrinseca:si extrinseca:ergo naturalia secundum se cognita à Christo non cognoscuntur scientia secundum substantiam supernaturali,& per se infusa, quod solum contendimus,non autem quod sub alio motiuo supernaturali cognita scientia,siue cognitione per se infusa non cognoscantur:nam sub motiuo diuinæ reuelationis nemo dubitat cognitione supernaturali cognosci naturalia obiecta posse. Si autem eas omnes rationes intrinsecas rebus naturalibus absolutè asseras, cum per te supernaturales sint,naturalia omnia absolutè supernaturalia esse asseres. Vt enim aliquid supernaturale absolutè sit satis est aliquam eius formalitatem supernaturalem esse, vt patet in visione beata,quæ,qua visio, & qua vitalis formaliter, & secundum alias formalitates, in quibus cum cognitionibus naturalis conuenit supernaturalis non est, & tamen absolutè est supernaturalis : quare destruitur quæstio,nullumque obiectum purè naturale relinquitur: nec soluitur argumentum quod circa purè naturalia obiecta visio debeat esse naturalis, solum enim euincitur doctrina hac,quod possit esse supernaturalis circa obiecta supernaturalia,ac non purè naturalia. Denique tota Doctrina est falsa, vt in philosophia ostendi. Potentiam enim obedientialem à rebus creatis eradicaui, nec si admittatur supernaturalis erit, sed prædicatum generale creaturæ, & subiectionis eo titulo diuinæ omnipotentiæ,& Dei voluntati, ad quosuis vsus : quod supernaturale non est,sed potius communenaturali, & supernaturali creaturæ. Relatio vero dissimilitudinis, sicut prædicamentales reliquæ reuera nihil præter fundamentum, & terminum rebus addunt : quare in dissimilitudine entis naturalis à supernaturali hoc solum supernaturale est:quod si velis aliquid fundamento superaddi,non autem voles ipsi identificari, quod in famam mentem cadere nequit:sed esse accidens quoddam: quod non tollit ens naturale,quod eam habet secundum se in naturalitate pura permanere,atque, vt talem videri illud de productione, neque impugnatione opus habet.

6 Licet autem hæc ita sint de absolutè existentibus obiectis naturalibus in quanis temporis differentia de conditionatè vero solum existentibus,vel possibilibus naturalibus provt in eis statibus, censeo scientia per se infusa à Christi humanitate videri. Ratio est:quia Christus ea secundum eos status in se videbat,& clarè æquè, atque absolutè existentia:id quod nisi per species proprias eorum secundum status illos possibilitatis, & conditionatæ futuritionis fieri non potuit:atqui species propriæ possibilium,& futurorum conditionatorum, qua talium, sunt supernaturales quoad substantiam:ergo, & eorum visio supernaturalis quoad substantiam, ac per se infusa scientia erit : nihil enim requirit ad sui existentiam principium supernaturale quoad substantiam quod natura non exigat,quod supernaturale non sit. Minor suadetur quia futura conditionata, & possibilia, qua talia, secundum eos status absolutè non existunt, siue non habent,vt sic existentiam : ergo nequeunt efficere, neque exigere à Deo specierum sui secundum status illos productionem,sed neque ab vllo alio ente naturali exigi,aut produci possunt:ergo earum productio est supra vires, & exigentiam totius naturæ quod ipsum est supernaturalem illam secundum substantiam esse:quod secus euenit in absolutè existentibus,quæ sui species producere, aut exigere aliquando possunt:ac proinde, cum nondum ad sunt,vel quando præterierunt,licet nõ exigant,ac proinde sine eorum concursu,aut exigentia à Deo producantur Species,quoadmodum eas producendi supernaturales solummodo sunt,quoad substantiam vero naturales : quia sunt eiusdem rationis,& speciei cum illis, quas illa obiecta,si adessent,vel producerent,vel exigerent. Dices ergo cognitio,seu visio Christi de absolutè existentibus,in quauis temporis differentia,negationibus rerum possibilium fuit supernaturalis quoad substantiam:quia non sunt existentes,sed existentiũ potius negationes.Obiectio hæc tangit difficultatem prolixam de possibilitate,vel impossibilitate specierum propriarum puræ negationis in intellectu quam nunc definire prolixum,& extra rem effet. Respondeo ergo si possibiles sint in se videri à Christo negationes incertum autem,an negationis quali quali existentiæ absolutè debeantur:quia eas,licet agere nequeat, ast possit exigere.Si impossibiles solo discursu, ac non in se, & per species proprias, à Christo videri naturali scientia.

CERTAMEN III.

Deus nullatenus est obiectum scientiæ per se infusæ Christi.

1 NOn defuere,qui Deum in obiectis huius scientiæ per se infusæ numerarint. Aliqui enim per ipsam quidditatiuè cognosci. Deum asseruere. Durandus vero apud Bernal.iam citandum vtcumque ea scientia cognosci Deum,vt vnum aiebat.Bernal.vbi proxime §. 2. n.15. cognosci etiam vt trinum:pro quo refert Caiet.q.11.a. 1. Soar.d.27.sect.5.Salas.1.2.t.2.tract.2.d.6.sect.7.Ripaldam t.1.d.12.sect.2.Lugo proximè sect.3.qui solum ait Trinitatem ex visione vnionis hypostaticæ cognosci, non autem per scientiam infusam,Ripalda vero ibi hac de re nihil. Solum sect. 1. n. 7.argumento Aluarez respondit; Deum per scientiam infusam posse abstractiuè videri. Vulgatior tamen,longeque verior sententia negat Deum scientia per se infusa à Christi humanitate cognosci. Ita Bannes.2.2.q.5.a.1.Vasq.vbi proximè, & 1.p.d. 135. c. 3. pluresque Recentiores expresse insuper.S.Th.3.p.q.11.a. 1. in hæc verba *ipsam diuinam essentiam per hanc scientiam*, per se infusam,*non nouit*,Christus,*sed per beatam*. Vvadingo cognitione quidditatiua non cognosci Deum per scientiam infusam approbat.d.6.dub.9.§. *Dico primo*.sicut Lugo supra,sed non aliter cognosci per illam nõ improbat. Probat vterque quod expresse approbat de cognitione quidditatiua:quia quidditatiua rei cognitio est visio,& intuitio ipsius, vt præter illos Vasquius,& Soarius affirmant:quæ Dei non nisi per scientiam beatam haberi potest. Sed tamen claritatem visionis, & intuitionis rei ad quidditatiuam eius cognitionem non requiri,sed satis esse si exactè eius quidditas,& essentia adhuc per species alienas,& abstractiuè cognoscatur certum mihi est. Sicque Aristoteles, & Philosophi reliqui definitionem rei per essentialia prædicata abstractiuè cognita, quæ cognitio abstractiua est,quidditatiuam, & essentialem eius definitionem, & cognitionem constanter hucusque nominarunt.

2 Probatur autem vniuersim conclusio.Quia Dei visio,& intuitio nequit nõ esse visio beata:atqui scientia per se infusa,qua talis,visio beata non est:ergo nec Dei visio, & intuitio est scientia per se infusa.Sed neque est abstractiua Dei cognitio hæc scientia,siue Dei cognitio in alio in nullo enim obiecto scientiæ per se infusæ cognosci Deus potuit ab humanitate Christi per ipsam scientiam. Tũ quia si aliquod eius obiectũ mouere posset,vt in ipso, vel ex ipso Deus cognosceretur solum posset,mouere,vt cognosceretur Deus per aliam cognitionẽ à scientia infusa pendentem,quæ scientia per se infusa non esset, sed ab ea diuersa, sicut quæ ex obiectis reuelatis intellectus cognoscit;assumptum probo. Licet enim plura scientiæ per se infusæ relatiua sint ad Deum, siue vnum, siue trinum,atque cum eo connexa:demusque relatiua esse media ad correlatiua cognoscenda : ast medium ad cognoscendum aliud, prius natura debet cognosci, quam illud, ad quod cognoscendum medium est:alioqui non erit medium in quo aliud cognoscatur,sed simul cognoscetur vtrumque in seipso, vel in alio suo medio, vnumquodque vt ait Aristoteles de relatiuis esse simul natura, & cognitione, cum quo nequit stare vnum esse medium ad cognoscendum aliud correlatum. Iam vero si medium prænosci natura debet ad id quod in ipso cognoscitur, ac proinde obiecta scientiæ per se infusæ, in quibus tanquam mediis Deus abstractiuè cognoscendus est, prænosci per illam debet ad sui abstractiuam cognitionem in ipsis non poterit sic cognosci Deus per infusam scientiam quia ipsa scientia infusa sibi ipsi prioritate naturæ præcedat quod est implicatorium, & contradictorie repugnans:ergo repugnat Deum per scientiam infusam in eius obiectis abstractiuè tanquam in mediis cognosci, ac proinde Deum abstractiuè cognitum esse scientiæ per se infusæ Christi obiectum.

3 Secundo licet relatiua mutuo in essendo dependeant, atque inuicem in existendo connexa sint, quare ex vnius existentia inferri aliud possit:tamen vnum sine alio cognosci posse non dubito,non enim ex connexione, & dependentia in essendo statim infertur dependentia formalis & connexio necessaria in cognoscendo nisi solum materialis dependentia vnius ab alio,tanquam apponente, seu comitante suam entitatem, in qua veritas,& cognoscibilitas obiectiua diuersa ab illius attributis extremi veritate, & cognoscibilitate est:quare & apta secundum se, sine alio terminare cognitionem. Sed esto, nequeat vnum relatiuum sine alio cognosci, sitque inuicem medium, vt vnum in alio, ac per eandem cognitionem abstractiuè cognoscatur. Hic tamen in casu nostro Deus abstractiuè in obiectis scientiæ per se infusæ ad ipsum, quauis ratione relatis, non cognosceretur ab humanitate vnita,quia Deum eius decentiam,& dignitatem attendentem claram termini visionem donare oportebat, nisi habitam præsupponeret: quo in casu in conspectu claræ Dei visionis nullum medium vim haberet ad mouendum humanitatis Christi intellectum ad cognitionem Dei obscuram, & abstractiuã, vt de testimonio humano ad credendum quod videmus vim non habere ostendebamus in controuersia de actibus intellectus;licet de testimonio diuino alia sit ratio,vt videbimus q.5.

CERTAMEN IV.

Argumenta aduersantia diluuntur.

1 OPpones contra concl.de obiectis nat.absolutè existentibus futura naturalia,& secreta cordis in seipsis visa à Christo sunt, & prædicata læpè, atqui hæc vtraque nequeunt habere,neq; exigere species proprias: ergo eorum species supernaturales quoad substantiam sunt,nec solum quoad modum:quare,& eorum visio per se infusa scientia erit.Vvadingo d.6 dub.7.§.2. negat maiorem:nam futura in seipsis, ac per species proprias non posse videri censet. Primo : quia alias non adeo laboraretur à Theologis in modo quo Deus ea in seipsis cognoscet. Secundo : quia neque rei, vt existentis species propria dari potest,nedum vt futuræ. Etenim si rei existentis species propria darctur,etiam non existentem repræsentaret in actu primo,vt existentem. Posset enim re existente sublata perseuerare : ergo species illa propria non magis esset principium apprehensionis veræ, quam falsæ de suo obiecto : quod pugnat cum prædicato speciei propriæ, quæ qua talis debet esse principium determinatum veræ apprehensionis de suo obiecto:quo argumento species propria futuri, & præteriti probatur impossibilis cum hoc rem existentem,qua existentem dicat. Ac proinde concludit essentiæ solius, & possibilitatis præcisiuè sumptæ species proprias dari posse. Verum contra rationem possibilis, qua talis species proprias, quas naturaliter experimur esse ait : quin eius naturales species proprias dari non posse ostendimus cert. 1. num. 6. atque,vt eius argumento contra ipsum vtar:quo pacto tandiù in conceptu proprio, & vero possibilitatis rerum habendo laboratur à Philosophis, & Theologis si eius solum species proprias rerum existentium, & præteritarum esse,quas & hominum,& Brutorum etiam memoria quotidianis experimentis eruicit.

2 Difficultas de modo quo Deus futura cognoscit,& existentia ob specierum defectum, quæ ipsis cognoscendis Deo ex vsu esse non posset, minime prouenit ; sed quod eadem scientia inuariata Dei permaneat in ratione repræsentationis, & cognitionis, vt ad solum Deum terminatur, ac vt ad creata actu representantia extenditur, siue tunc cum ex æternitate cognoscuntur adsint, vt otiosa Caietani ingenij subtilitas commenta est,siue non adsit. Secundum argumentum nihil præstat:nam species propriæ naturaliter non nisi existente re,à cuius existentia exactiuè saltem, quandoque actiuè etiam pendent,à producuntur : quare natura sua species propriæ rei existentis,eam quæ verè existit solum apprehendi existentem facient : ac proinde & erunt natura sua veræ apprehensionis principium,quod solum habet è conceptu suo species propria.Cum autem res ablata est,& species perseuerat eam non productione qua non est existentem repræsentat, sed pro qua fuit,vt in memoria patet. Concessa igitur maiori de secretis cordis neganda minor:de futuris distinguendum pro duratione, qua nondum existunt fateor; absolutè nego:quia pro duratione,qua existunt exigere possunt species eiusdem rationis : quare cum sine, & ante eorum exigentiam dantur secundum modum solum supernaturales sunt,vt dicebamus cert.2. num.6 docentque omnes vulgò Vasq. 1.p.d. 200. & 208. atque hic d.51.num.5.Lugo d.26. sect.2.num.33.non satis consequenter ad suam doctrinam.An vero puræ alicui creaturæ futurorum anticipatæ species natura sua deberi possint Vasq repugnantiam non agnoscit,Lugo assignat:quod species & cognitio natura sua obiecti actualem existentiam supponant.

3 Oppones secundo contra eandem conclusionem. Potentia intellectiua spiritualis superior obiectis materialibus,& diuina creatis creata, & materialia spirituali, & diuina cognitione cognoscunt, ergo principium supernaturale superius poterit naturalia inferiora supernaturali cognitione pertingere. Nego consequentiam:quia in cognitione spirituali Angelicirca obiectum materiale inferius est prædicatum spiritualitatis, ad quod Potentiæ spiritualis à qua desumitur, exigentiam habet; in cognitione vero obiecti purè naturalis cum illi satis proportionata sit potentia naturalis,nullum est è suo genere prædicatum,quod ipsi,& obiecto adæquatè non respondeat: quare nulla est in eo actu formalitas, aut prædicatum ratione cuius habeat exigentiam supernaturalis comprincipij : cum autem omnis dependentia ab alio comprincipio causæ notæ,quæ sit dependentia per se,supponat indigentiam illius comprincipij in effectu ratione prædicati,quod causæ ipsius notæ respondere nequeat, fit,vt ad cognitionem obiecti naturalis, nequeat supponi comprincipium supernaturale per se : quod si per accidens supponi posse contendas, ostendi aliunde esse impossibile supponi ex parte potentiæ,& licet per accidens supponatur non fore actum, seu cognitionem supernaturalem,neque influxum supernaturalis illius comprincipij formaliter supernaturalem, vt patet ex dictis cert. 2. num. 3.& 4. quocirca nisi aliunde ostendas actum circa obiectum purè naturale esse supernaturale,sicut è subiecto cui inest actus cognitionis Angelicæ,vel humanæ intellectiuæ probare potest spiritualitatem, nusquam probabis posse per se prouenire à potentia supernaturali per se, seu, vt supernaturali formaliter : id autem meiudice probabis nunquam.

4 Obiicit tertiò Lugo supra sect. 5.nu.72.§. *Cæterùm*. Christo Domino data fuit vnica species vniuersalis pro omnibus obiectis purè naturalibus, ac fortasse vnica eo-

rum omnium cognitio ab ſpecie illa prouenies: atqui vnica illa ſpecies,atque vnica omnium naturalium cognitio,neque effici,neque exigi ab obiectis purè naturalibus poterat:ergo tam ſpecies illa Chriſti, quam cognitio fuit per ſe infuſa ſcientia.Admiſſa maiori,q.3.examinanda,nego minorem. Omnia enim obiecta purè naturalia coniunctim,quidquid in ea ſpecie erat exigebant;nempè virtutem ſui omnium in actu primo repræſentatiuam qua,vel coniuncta,vel partita æquè eorum exigentiæ ſatisfit:quare cum alterutro modo exigant, in alterius donatione eorum coniunctim exigentia naturalis non ſuperatur. Sed eſto ſupernaturalis quoad ſubſtantiam ea ſpecies vnica ſit:in ordine ad purè naturalium cognitionem materialiter ſe haberet,vt modo dicebamus: neque enim alio modo clariori, & perfectiori vnumquodque, vel omnia purè creata cognoſcerentur vnica illa cognitione ab ea ſpecie prouenient quam,ſi diuerſis vnum quodque æquè claris,& perfectis innoteſcereret:quare neque ea cognitio illud ſupernaturale principium per ſe ſupponeret formaliter, qua tale poſſet enim à pluribus prouenire ſpeciebus naturalibus; ac ſupernaturalitas identitatis tot formalitatum purè eſſet materialis in vtraque,vt exemplo concurſus omnipotentiæ ſupra dato ſatis clarè monſtratur.Licet enim eadem infectilis potentia Dei ſit potentia ad omnia ſupernaturalia: quia ratione perfectionis quaſi ſubiecti attributa omnia diuina è ſuo primario conceptu infinita eſſe debent:ac proinde concurſus adeffectus naturales à potentia ſupernaturalium etiam ſit,tamen naturalis eſt:quia ad eos materialiter potentia ad ſupernaturalia ſe habet.

5 Oppones,vt probes contra communem ſupernaturalia ſaltem non eſſe neceſſario ſcientiæ per ſe infuſæ obiecta:quia obiecti ſupernaturalis poteſt dari ſpecies naturalis ſecundum ſubſtantiam:ergo viſio ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam:conſequentia videtur legitima ab ſpecie ad cognitionem. Antecedens probatur: quia actus fidei,ſpei,& charitatis, qui ſupernaturales dubio procul ſunt,memoriam habemus, quæ non niſi mediis ſpeciebus eorum haberi poteſt.Negatur tamen abſolutè antecedens.Species enim illæ memoriæ actuum ſupernaturalium inſeruientes ab illis generantur, qui ſupernaturalia principia ſunt:quare cum illos ad ſui productionem exigant ſupernaturales ei unt. Cum neque è natura exigantur.Secundo,vt daremus ſpecies illas confuſas,ac non claras actuum ſupernaturalium naturales eſſe de claris erat negandum quæ Chriſto datæ ſunt,ac proinde de intuitiua ſcientia,quam de ſupernaturalibus obiectis habuit. Inſtabis dantur ad actus virtutum moralium,quæ purè naturalis ordinis ſunt,virtutes, ſeu habitus per ſe infuſi, & ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam:ergo poteſt dari comprincipium ſupernaturale ad actus naturales:quare licet ſpecies ad viſionem ſupernaturalium obiectorum per ſe infuſæ,ac ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam ſint, viſio tamen naturalis poterit eſſe.Quod ſi dicas actus harum virtutum, vt ab eis habitibus prouenient eſſe ſupernaturales: inferam contra alteram concluſionem circa obiecta purè naturalia poſſe dari actus ſupernaturales:ſiquidem obiecta virtutum moralium ſunt purè naturalia. Reſpondetur habitus eiuſmodi per ſe infuſos ad virtutum purè moralium, & naturalium virtutum actus dari minimè poſſe,niſi aliquid ſupernaturalis rationis, aut motiui ex parte obiecti adiungatur.Eadem enim contra hos ratio militat, atque contra actus,& habitus ſcientiæ:atque vniuerſim niſi vbi adeſt improportio potentiæ naturalis, & obiecti ſupernaturalis,ac proinde inſufficientia ad actum circa illud, vt in actibus,& obiectis fidei ſpei,& charitatis contingit, tam potentiæ intellectiuæ,quam volitiuæ habitus ſupernaturales,vt circa illa obiecta verſentur, negandi æquè ſunt. Inſtabis tandem. Poteſt dari cognitio ſupernaturalis, ad actum naturalem:ergo, & habitus, ſeu comprincipium ſupernaturale ad actum naturalem. Nego conſequentiam, nam cognitio ſolum eſt conditio applicans potentiam obiecto, non autem principium influens in actum.

QVÆSTIO III.

De principio ſcientiæ per ſe infuſæ humanitatis Chriſti.

DE potentia intellectiua humanitatis Chriſti cum ſolis Thomiſtis poteſt eſſe diſſidium, qui putant habitus ſupernaturales eſſe totam rationem agendi; Eos autem controu. de actibus facultatis intellectiuæ, & volitiuæ abundè confutauimus.Solum ergo in examen nunc vocantur habitus ſupernaturales, phantaſia, & ſpecies ſupernaturalium obiectorum circa quæ ſcientia per ſe infuſa verſatur.

CERTAMEN I.

Phantaſia, & habitus ad hanc ſcientiam non influunt.

1 CVm hoc vitæ ſtatu phantaſmata,ac proinde phantaſia ad noſtros etiam ſupernaturales actus ſuo gradu concurrant.Idem de Chriſti ſcientia per ſe infuſa quandiù apud nos viator exiſtit,cenſebat Durandus in 3. d.14.q.3. num. 7. dicendum tamen nobis eſt phantaſma non eſſe ſcientiæ per ſe infuſæ Chriſti principium. Ita S. Th.3. p. q. 11. art.2. Caietan.& reliqui interpretes ibi Vaſq. diſp.52.cap. 2. num. 10.Soar. diſp.25.ſect.3. §.*Dico ergo ſecundo,* ratione ſecunda concluſionis d.28.d. 1.Lugo d.20.ſ.1.n.5.& 7.Bernal.d.35.ſ.4.§.3.& ferè Doctores reliqui,ſupponitque Vvadingo ſemper.Probatur,quia modus intelligendi dependenter à phantaſmate, ſeu per conuerſionem ad illud, tunc ſolum habet locum cum intellectus, vel phantaſmate pro ſpecie obiecti vitatur, vel per illud ſpeciem recipit obiecti: atqui ſpecies per ſe infuſæ, nec phantaſmata ſunt, nec ab illo productæ, ſed propriæ obiectorum à ſolo Deo inditæ: ergo ſcientia per ſe infuſa non habetur per dependentiam, & conuerſionem ad phantaſmata. Quod autem Chriſtus non ſolum fuerit viator, ſed & comprehenſor, ſicut Beati: ac proinde conuerſione ad phantaſmata opus non habuerit, ſicuti neque illi ad hanc ſcientiam firmum non eſt. Siquidem vt infra videbimus ratio illa comprehenſoris, ſeu clare videntis Deum non eximit Chriſtum à conuerſione ad phantaſmata ad intelligendum cum ad aliquam ſcientiam eiuſmodi conuerſione opus habuerit, quare niſi hæc ratio ad datam à nobis tandem reducatur,nihil probat.

2 Scio Soarium, & Recentiores aliquot apud Bernal. proximè num.103.modum alium conuerſionis ad phantaſma intelligendum excogitaſſe, atque ex S. Thom. vt putant, q. 11. art. 2.ad 3. vt ſcilicet, ex cognitione independenter à phantaſmate habita cuiuſmodi eſt per ſe infuſa ſcientia,per ſpecies infuſas phantaſia ad idem ipſum ſenſibili modo concipiendum applicetur, atque eiuſmodi obiecti phantaſma ſimul producat. Et hoc quidem pacto aiunt Chriſtum in ſcientia hac per ſe infuſa potuiſſe ad phantaſmata conuerti: atque hunc ſanè modum conuerſionis Chriſti ad phantaſmata in ſcientia per ſe infuſa multis in caſum confutauit Bernal. ibi, cum poſſet pauciori bus. Etenim admiſſa eiuſmodi applicatione phantaſiæ per ſcientiam infuſam ad eliciendum ſenſibili modo phantaſma de ſcientiæ illius obiecto paucis contra Soarium, & recentiores oſtendere poſſet ſcientiam per ſe infuſam ab eiuſmodi phantaſmate non pendere, ſed potius phantaſma illud pendere à ſcientia per ſe infuſa, quæ independenter ab illo habita ab his authoribus aſſeritur,& à qua per ipſos phantaſma illud dependet: ac proinde non tam intellectum ad per ſe infuſam

fuſam ſcientiam habendam ad phantaſma conuerti, quam phantaſiam. conuerti ad ſcientiam ad phantaſma obiecti eiuſdem fabricanda.

3 Circa ſupernaturalem habitum communiter à Theologis, præſertim non adeo recentibus,cenſetur ad ſcientiam per ſe infuſam Chriſti ex parte principij requiri, vt ſupernaturalibus huius ſcientiæ obiectis proportionetur potentia intellectiua, quibus de ſe vtpotè naturalis improportionata eſt,atque ad verſandum circa illa eleuetur id quod à paritate habituum fidei ſpei, & charitatis ex parte potentiæ ad earum virtutum actus eliciendos requiſitorum ſatis putatus euinci, quos contradicendum nobis ſecundo eſt habitum ſupernaturalem ex parte principij ad ſcientiam per ſe infuſam minimè præcedere, ita expreſsè Valentia 3.p.q.11.pun.1.Vaſq.d.54.c.2.& aſſeclæ debentque ita docere, qui lumen gloriæ nihil aliud, quam claram Dei ſpeciem eſſe docent, quin ex parte potentiæ ſupernaturalis alius habitus requitatur ad videndum Deum; eos cit. controuerſia de beatitudine in hanc ſententiam inducit Vaſq. S. Thom. quæſt. 11. art. 6.ad 3. vbi ait habitum ſcientiæ infuſæ ſe habere ad reuejata, ſicut lumen intellectus agentis ad intelligibilia, quod quidem quaſi ex parte obiecti ſe tenet illius ſpecies miniſtrando, ſiue fabricando, non autem ex parte potentiæ, ſicut habitus potentiam iuuant,vel complent. Eandem ſetnentiam probabilem cenſet Bartolomeus Medina 3. part. quæſt. 11.citata, art.5. eam etiam deducens ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 1. art. 2. ad 2. eamque ſequi tenentur quotquot nobiſcum controuerſ. de habitibus ſpeciebus admiſſis acquiſitos negant, cum vtrumque ex ex eodem principio proportione ſeruata deducatur.

4 Ratio eſt facilis, quia ea ſolum ex parte cauſæ requiruntur ad effectum, quibus quidquid eſt in illo continetur: atqui in ſpecie propria ſupernaturali obiecti ſupernaturalis, circa quod actus per ſe infuſæ ſcientiæ verſari debet, atque in potentia intellectiua continetur quidquid eſt in actu; ſeu effectu, qui eſt ſcientia per ſe infuſa: ergo ſpecies, & potentia tantum requiruntur ad ſcientiam per ſe infuſam ex parte cauſæ, quare habitus ſupernaturalis non requiritur, aut præcedit ex parte principij ad illam. Maiorem abundè probaui in phyſicis controuerſia de cauſis d. de cauſa adæquata,vbi principium hoc Vaſquianum fusè oſtendi, atque à Petri Hurtado, & Recentiorum aliorum impugnationibus propugnaui. Minor eſt certa: quia in ſcientia per ſe infuſa ſunt prædicata actus vitalis repræſentationis ſupernaturalis talis obiecti: atqui hæc omnia continentur in hoc principio coniuncto è potentia vitali cognoſcitiua, & ſpecie ſupernaturali obiecti ſupernaturalis, vt patet. Illud de proportione requiſita inter potentiam, & obiectum ſi rectè intelligatur eſt verum:ſed ſpecie ſupernaturali indita ponitur ſatis: ſolum enim eſt defectus virtutis in naturali potentia, vt circa obiectum ſupernaturale verſetur ſuis actibus, qui circa tale obiectum ſupernaturales eſſe debent, ad quos edendos in naturali potentia virtus non eſt completa, & adæquata, poſita vero ſpecie ſupernaturali, vt comprincipio completur, neque alio modo eleuatur potentia naturalis ad effectus ſupernaturales edendos inſtantia de habitibus ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis ad harum virtutum actus requiſitis non vrget: ſiquidem illis ablatis ad eos actus ſupernaturales nihil ex parte principij ſupernaturale eſt, nec ſatis eſt ad actus charitatis cognitionem ſupernaturalem fidei requiri: vt enim ſupra dicebamus cognitio in actus voluntatis non influit neque illorum eſt actiuum principium.

CERTAMEN II.

Requiritur ex parte principij ſupernaturalis ſpecies ad hanc ſcientiam.

1 DIco tertiò, ſpecies ſupernaturalis requiritur ad ſcientiam per ſe infuſam de obiecto abſenti. Probatur:quia intellectus eſt princip.inadæq.ad cuiuſuis obiecti cognitionem:ergo & ad cognitionem,ſeu ſcientiam per ſe infuſam obiecti ſupernat.ergo compleri debet,vel obiecto ipſo ſupernaturali, vel eius ſpecie ſupernaturali, ſi obiectum abſit. Siquidem niſi adiuncto comprincipio ſupernaturali principium adæquatum abſolutè ſupernaturale non erit, vt oportet ad actum ſupernaturalem per ſe infuſæ ſcientiæ: atqui concluſio eſt de obiecto abſenti, & quod de ſeipſo nequeat concurrere ad ſui cognitionem. Antecedens fusè probatum à nobis eſt controu.. de anima d. 1. vbi noſtri Vvadingo ſolutiones diſſecimus. Conſequentia vtraque eſt certa: quin ne Vvadingo ipſe negare auſus eſt in obiecti abſentia ſpecies effectiuè concurrere ad ipſius cognitionem, Licet actiuum concurſum ad illam præſenti deneget obiecto: qua conſequentia viderit ipſe. Nos enim in vtroque in conſequentiam apertam vidimus loco citato. Iam monui nos in præſenti de ſcientia infuſa, quæ fidei non ſit, atque ob reuelationem diuinam non agere, ſed quæ ſit viſionis, ad fidem enim ſupernaturales ſpecies non requiruntur, vt patet.

2 Grauior ſanè difficultas eſt, an præſente tempore, & loco ſupernaturali obiecto (à coniunctione enim locali ad paſſum ſola agentia ſpiritualia rationabilia, ac libera abſoluebamus ad agendum controu. 6. de cauſis d. 1.q.4. ſecus ſpiritualia etiam non rationalia, quibus adeo perfectus operandi modus non debetur) ſpecies ſupernaturalis ipſius ex parte principij ad ſcientiam per ſe infuſam requiratur? Dicendum eſt quarto:requiri ſpecies ad ſcientiam per ſe infuſam Chriſti de obiectis etiam præſentibus. Probatur: quia ſpiritualia obiecta, cuiuſmodi ſunt ferè omnia obiectaper ſe infuſæ ſcientiæ, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis ordinis ſeipſis influxiua non ſunt in ſui cognitionem: ergo licet adſint ſpeciebus, quibus compleatur potentia ad illam opus erit, vt cognoſcantur: Conſequentia eſt legitima. Probatur antecedens ab experientia. Anima enim ipſa preſens cuique adeſt, & coniuncta potentiæ intellectiuæ: item habitus gratiæ animæ iuſti, eiuſque intellectui eſt etiam coniunctus, ac præſens, & tamen non videntur: alioqui iuſtus quiuis certus ſine Dei reuelatione de ſua iuſtificatione eſſe poſſet: ergo quia ſeipſis obiecta ſpiritualia, neque influxiua ſunt in ſui cognitionem, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia ſint, nec pro hoc ſtatu eorum ſpecies animæ vnitæ debentur, quibus ſolum cognoſci ſine miraculo poteſt. Dices ſpecies obiectorum generatim ſubſtituta eſſe: ſubſtitutum autem in naturalibus, nequit eſſe præſente principali, cui ſubſtituit: cum natura abhorreatt ſuperfluum, ſed tamen in naturalibus, ſi principale actiuum non ſit vt experientiis illis oſtenditur poteſt ſine ſuperfluitate ſubſtitutum actiuum habere etiam cum adeſt.

3 Sed dices falſum eſſe antecedens, neque ſatis experientiis illis ſuaderi: etenim licet anima, & gratia ſeipſis influxiua ſint in ſui cognitionem, tamen, quominus clarè videantur, ac percipiantur, prouenit ex impedimento animæ ratione vnionis ad corpus, & ſtatus huius vitæ, ex quibus habet non niſi craſſiori modo, & corporeo, etiam ſpiritualia, & incorporea percipere: quia nec ſine conuerſione ad phantaſmata poteſt intelligere: ac proinde omnia quandiù in hac vita eſt, etiam ſpiritualia, & inſenſibilia, debet ſenſibilium adinſtar cogitare id quod eueniret, etſi ſpecies propriæ adeſſent, vt patet in memoria cognitionum ſpiritualium, quæ præterierunt: earum quippè ſpecies ſunt in intellectu, & tamen

tamen eas non niſi corporeorum adinſtar recordamur; & confirmatur: nam obiecti præſentis, nec aliter quam per ſpecies cognoſcibilis, ſpecies propriè debentur potentiæ: ergo animæ debentur nobis ſpecies propriæ, & gratiæ inditæ ipſis iuſtorum animis etiam debebuntur. Cur ergo nec nos animam noſtram videmus, nec ſuam iuſtus gratiam? non ne ex craſſo, & corporeo modo intelligendi, quem anima in hoc ſtatu habet? ergo licet influxiua ſint in ſui cognitionem anima, & gratia ac reliqua ſpiritualia dona, quæ iuſtus habet, ex craſſo modo, & corporeo cognoſcendi, & intelligendi, quem pro hoc ſtatu habemus proueniet. Confirmatur ſecundo: quia, & ſi dicamus non dari pro hoc ſtatu ſpecies proprias animæ, & gratiæ, non alia cauſa erit, quam ſtatus huius impedimentum: quod ipſum dici æqua probabilitate poteſt de negatione influxus earum in ſui cognitionem pro hoc ſtatu. Cum ergo Chriſti anima vnionis, ac viſionis Dei titulo à legibus craſſi huius corporei modi cognoſcendi, etiam pro hoc ſtatu abſolutus fuerit obiecta præſentia ſe ipſis ſine ſpecierum interuentu in ſcientiam per ſe infuſam Chriſti influxiſſe probabilius eſt.

4 Hæc dum pro oppoſita concluſione cogitebam adeo me in illam impellebant, vt tantum non induxerint. Vidi enim tandem animam gratiam, & ſupernaturalia, ac ſpiritualia dona à nobis pro hoc ſtatu non videri alterutrimque poſſe prouenire: vel ex impedimento ſtatus, & craſſo modo noſtro intelligendi pro eo, vel quia obiecta ſpiritualia, ſiue naturalia, ſiue ſupernalia de ſe influxiua non ſint in ſui intellectionem, atque pro hac parte maioris rationis momenta adinueni tandem. Primo enim illud de craſſo modo intelligendi animæ noſtræ ex concretione cum corpore nimis craſſus modus diſcurrendi viſus mihi eſt. etenim craſſus ille modus cognoſcendi omnia corporeorum adinſtar, eſt neceſſitas conuerſionis ad phantaſmata, quæ tota eſt ob ſpecierum propriarum de obiectis defectum, cui ſpecies ſenſatæ, & phantaſmata pro hoc ſtatu ſuccurrunt: quare, ſi ſpecies propriæ, vel aliquid ex parte obiecti influxiuum ad claram ſui cognitionem adſit, nulla omnino erit ad phantaſmata conuerſio, nec craſſus ille modus omnia corporeo modo intelligendi. Id quod probatur ex communi omnium philoſophorum ſenſu, qui vt neceſſitatem hanc conuerſionis intellectus ad phantaſmata ad intelligendum adſtruant, in primis contra Platonem probant proprias rerum ſpecies animo ante immerſionem in corpus inditas non fuiſſe: quia niſi eo errore diſſecto neceſſitatē conuerſionis ad phantaſmata probari non poſſe merito cenſent: ſiquidem admiſſo principio proprio adæquato cognitionis rerum, & ex parte potentiæ, & obiecti opus ea conuerſione minime erit: ergo ſi adeſt obiectum ſeipſo influxiuum in ſui cognitionem nempe anima, & gratia, ac reliqua ſpiritualia non craſſo illo, & corporeo modo per conuerſionem ad phantaſmata, ſed clare, & proprie videbuntur contra experientiam. Accedit: quod ſi anima, & gratia influxiua in ſui cognitionem eſſent ſaltem corporeo modo illas cognoſceremus, & apprehenderemus cum ad ſunt: quia ad phantaſmata conuerteremur, ſicut, & cognitiones noſtras corporeo modo apprehendimus, quia earum habemus ſpecies, licet non admodum proprias: vnde, & certi de eorum exiſtentia eſſe poſſemus, ſicut de noſtrarum cognitionum exiſtentia certi ſumus, quod in gratia eſt contra Tridentinum: & in vtraque contra experientiam: etenim animæ, & gratiæ exiſtentiam ſolo diſcurſu aſſequimur.

5 Atque hinc diſſectum manet illud, quod è noſtrarum intellectio non memoria dicebatur, neque enim illarum ſpecies propriæ adſunt, arque aſſeruantur, ſed obſcurè, ac dependenter à phantaſmatibus productæ; ſicut & intellectiones iſtæ habitæ fuerunt, vel non intellectionum, ſed phantaſmatum, quæ ſimul habita à nobis ſunt recordamur: de quo ſuo loco controuerſia de actibus intellectus. Illud tandem de ſpeciebus animæ debitis cum de ſeipſa, tum de gratia, & donis ſupernaturalibus, ac proinde, & adeſſe debent quin tamen cognoſcantur minus vrget: Etenim non adeſſe eiuſmodi ſpecies adhuc imperfectiora ſenſibilia ſeipſis non ſpeciebus interiectis ſentiantur: quare ſpeciebus ad ſui cognitionem egere ad obiecti nobilitatem ſpectare reor: ergo cum ſpiritualia nobiliſſima ſint, ea ſeipſis in ſui cognitionē influxiua non erunt. Confirmatur: quia Deus non ſeipſo, ſed media ſui ſpecie, vt melior, & maior bonæ Theolog. pars docet ad ſui cognitionem influit in Chriſti Domini, & beatorum mentibus, quibus tamen ſeipſo præſentiſſimus eſt: ergo, quia ſaltem connaturalius eſt ſpiritualibus nobiliſſimis obiectis ſpeciebus mediis ad ſui cognitionem concurrere etiam cum mentibus adſunt.

CERTAMEN III.

De huius ſpeciei phyſica entitate.

1 CIrca phyſicam ſpeciei huius Chriſto ad ſcientiam per ſe infuſam inſeruientis entitatem duo ſolum occurrunt veſtiganda. Primum de eius vniuerſalitate (quam ſpeciebus poſſibilem controuerſ. de ſpeciebus oſtendimus (an fuerit illi quam Angelicis ſpeciebus maior videtur negaſſe S. Th. q. 11. art. 6. ad 1. vbi Caiet. & Thomiſtæ, & Lugo d. 20. ſect. 5. num. 63. niſi infinita per ſcientiam infuſam Chriſtus nouerit: tunc enim vnicam pro infinitis omnibus fore ait ne dentur actu ſpecies infinitæ, ſed cum in eo caſu habitus, & cognitiones infinitas fore admittat ipſe cur adeo faſtidit in ſpeciebus infinitatem? Dicendum tamen eſt ſpecies animæ Chriſti Angelicis fuiſſe vniuerſaliores ita Scot. in 3. d. 14. q. 4. cum tuis Vaſq. d. 54. n. 14. à §. *Contra vero Scotus*, & præcipuè ſub capitis finem. Soar. d. 29. ſectione 1. concluſione 2. Mærat. d. 27. & DD. citandi pro concl. ſeq. Probatur facilè: quia attenta dignitate vnionis hypoſtaticæ perfectiores Angelicis ſpecies debentur animæ Chriſti: ſunt autem vniuerſaliores perfectiores. Confirmatur: quia eo titulo attento perfectior, & vniuerſalior ſcientia Per ſe infuſa animæ Chriſti, quam Angelis data eſt. Ex quo arguo ſecundo: quia cum anima Chriſti entitatiuè imperfectior natura Angelica ſit maior perfectio ſcientiæ per ſe infuſæ Chriſto, quam Angelicæ in exceſſum perfectionis ſpecierum refundi modo poteſt. Dices hoc probare perfectiones fuiſſe ſpecies Chriſti, quoad actiuitatem, non quoad vniuerſalitatem. Sed contra quia dignitas vnionis, cuius tantum titulo, & perfectior cognitio, & ſpecies in actiuitate data eſt, non ſatis compenſatur, ſiue exhauritur donatione ſpeciei perfectioris in actiuitate: ergo, & recipit eo ipſo titulo perfectiorem in maiori vniuerſalitate.

2 An vero eo vſque vniuerſalitatis ſpecies hæc animæ Chriſti peruenerit, vt vnica pro omnibus ſcientiæ per ſe infuſæ obiectis fuerit? negat Vaſq. numero 13. §. *Mihi tamen*. Soar. ſect. 1. & reliqui citati contra præcedentem concluſionem. Probant ex communi ſenſu, & conſenſu Theologorum, quod non nimis iam vrget vt conſtabit ex oppoſita concluſione, & eius Doctoribus. Secundo: quia cum in obiectis ſcientiæ per ſe infuſæ naturalia plura, & ſupernaturalia contineantur, non videtur eorum omnium ſpeciem eandem eſſe poſſe. Minus vrget: tum quia naturalia ab obiecto ſcientiæ per ſe infuſæ relegauimus: tum etiam quia non eſt maior difficultas in vniuerſalitate ſpeciei circa plura obiecta vtriuſque ordinis, quam circa plura, aut totidem ordinis ſolum alterius. Tertio: quia licet ea ſit ſpecies perfectior, & poſſibilis. Fuit tamen poſſibilis ſpecies diuiſa, ſeu plures, ac non vnica: ergo, vt illa in ipſo aſſeratur determinatè de facto de Dei decreto illius potius quam alterius conſtare debet, ex Patrum vel Theologorum ſaltem conſenſu communiori, qui potius eſt pro pluralitate ſpecierum, quam pro vnitate. Hoc argumentum conuellet probatio noſtræ concluſionis. Quarto demum Soar. arguit: quia ſcientia beata, etſi perfectior ſit ſcientia per ſe infuſa, tamen neq; ipſa, neque eius ſpecies ſimplex, & vnica eſt: ergo multo minus ſpecies ſcientiæ per ſe infuſæ ſimplex, & vnica erit. Primò antecedens eſt falſum. Secundò conſequentia non tenet: nam ſcientia beata ex obiecto nobilior euaderet, licet non haberet vnitatem, quam ſcientia ſaltem aliqua poſſibilis per te haberet: cum in ſcientia per ſe infuſa vnitas per te non repugnet: ac denique Soarius ipſe ſcientiam per ſe infuſam Chriſti ſimplicem qualitatem eſſe ait contra hanc, quæ nobis in ſpecie opponit, conſequentiam.

3 Dico ſecundo: ſpecies per ſe infuſæ ſcientiæ vnica & ſimpliciſſima fuit pro obiectis omnibus ita Marſil. in 3. quæſtione 10. articulo 2. parte 3. Bernal. ſupra ſectione 3. §. 2. numero 75. ac Recentiores plures memorati à Lugo ſupra numero 62. in eamque facilis veniret Vvadingo ſtatim citandus. Probatur facilè: quia quicquid perfectionis poſſibilis incommodo vacat Chriſto titulo vnionis hypoſtaticæ eſt à Deo conceſſa à nobiſque in ipſo aſſerenda; atqui ſpeciei huius vnitas maior eſt perfectio, atque incommodo vacat: ergo, & conceſſa ipſi à Deo fuit, & eſt à nobis in Chriſto aſſerenda. Minor eſt certa. Nam eius vnitatis poſſibilitatem vel ipſi aduerſarij expreſsè fatentur: incommodum autem non aſſignant, neque ex ſcriptura, neque ex Patribus, neque ex munere Redemptoris, ratione cuius perfectiones aliquot Chriſti humanitati denegatæ ſunt. Maior eſt in hac materia principium, ſeu dignitas Theologica, ex qua plura aduerſarij ipſi, noſque, & deduximus, & deducemus Chriſti humanitati gloriosa: quod niſi ſtatum, firmumque perſiſtat: corruant neceſſe ſit: atque in re præſenti Soarius ipſe, tam habitum quam actum ſcientiæ per ſe infuſæ Chriſti Domini ſimplices qualitates phyſicas eſſe defendit. Præſtaret igitur in ſpecie etiam impreſſa, in qua non alia difficultas eſt, ſed eadem, conſequentiam vnitatis, & ſimplicitatis tenere.

4 Dubitari ſecundo poteſt, an ſpecies ſcientiæ per ſe infuſæ Chriſti eadem ſit cum ſpecie impreſſa Dei, ſeu, (quod idem apud nos eſt) cum lumine gloriæ. Poſſibilitatem identitatis ſpeciei vtriuſque fatentur omnes. Vvadingo dub. 8. de facto habitus huius ſcientiæ, & luminis gloriæ fluerſos aſſerit concl. 1. idem dicturus de ſpeciebus, ſi eas admitteret; concluſione tamen 2. ita probat identitatis vtriuſque habitus poſſibilitatem, vt de facto eam euincat quia nimirum potentia eo, quo potens, ac proportionata conſtituitur ad videndam cauſam, potens, proportionataque eſt ad videndum effectum: at per ipſum lumine gloriæ potens, proportionataque eſt anima Chriſti ad videndum Deum omnipotentem omnium creatorum cauſam: ergo, & ad videndum per ſcientiam infuſam creata obiecta ſupernaturalia: ergo de facto ſuperfluit habitus ſcientiæ per ſe infuſæ à lumine gloriæ diuerſus. Cæterùm antecedens adhuc ex parte potentiæ vniuerſim eſt falſum, in ſpecie vero falſiſſimum, vt patet. Ego igitur quæſtionem de facto dirimere non auſim: quia nullum tamen pro alterutra parte fundamentum firmum. Nam, etſi Chriſtus viſionem beatam fuerit in primo ſui inſtanti promeritus potuit eam promereri ex actibus virtutum moralium, ad quos ſolum infuſa per accidens ſcientia præcedat, ac proinde non ſpecies ſcientiæ per ſe infuſæ, nec lumen ipſi identificatum. Secundo, licet actu virtutis ſupernaturalis, ad quam ſcientia per ſe infuſa, eiuſque ſpecies lumini identificata præcederet, potuit mereri conturſum ad viſionem Dei pro priori naturæ ſuſpenſum, vt locus merito viſionis Dei daretur: quare ratione maioris perfectionis debitæ humanitati Chriſti pro vtriuſque vnitate eſto.

CERTAMEN IV.

De huius ſpeciei vſu.

1 CIrca huius ſpeciei vſum plura curſim examinanda ſunt. Primum an fuerit Chriſto liber ad aliqua, vel omnia huius ſcientiæ obiecta cognoſcenda? Affirmandumque eſt cum communi, & probatur à ſimili de Angelis, & animabus ſeparatis, quæ ſpecierum liberum vſum habent: quæ proinde perfectio Chriſto potius concedenda eſt: cui nec defuit cognitio prævia ad eiuſmodi electionem cum ex ſpecie illa obiecta ſingula, & omnia diſcurſu aſſequeretur. Solum liber non eſt in ipſius ſpeciei cognitione prima, ad quam nulla alia prænotio præceſſit: niſi forte illam ex reuelatione potius, quam in ſeipſa nouerit: qua in re nihil magni ſumptus inuenio, neque incommodi alius: fidei enim actus in Chriſti humanitate q. 5. oſtendam.

2 Secundum: an fuerit liber vt ea ſpecie vtens ad phantaſma ſimul in ſcientia per ſe infuſa elicienda conuerteretur. S. Thom affirmaſſe, quæſtione 11. articulo 2. nonnullis videtur: ſed malè. Solum enim ait ſenſus in Chriſto otioſos, fruſtra ob ſcientiam infuſam non fuiſſe; quia per eos tunc obiecta ſenſibilia ſcilicet, ac ipſis proportionata cognoſcebat. Vnde malè etiam ex loco Soarez diſputatione 28. ſectione 1. docet cum aliis impropriè in huius ſpeciei vſu ad phantaſmata Chriſtum fuiſſe conuerſum eo modo conuerſionis, quem ex Soario referebamus, ac refellebamus cert. 1. n. 2. vbi oſtendimus eā neque impropriè dici poſſe conuerſionem ad phantaſma. Secundo: infertur eodem modo dici poſſe Beatos, & Chriſtum vſu luminis gloriæ ad phantaſma conuerti. Deinde conuerſio illa in vſu ſpeciei circa omnia obiecta per ſe infuſæ ſcientiæ locum æquè habet, cum ab his aſſeratur circa aliqua tantum, vt benè obſeruat Bernal. diſputatione 35. ſectione 4. paragrapho 3. numero 107. & 108. cum quo melius reſpondetur præſenti dubio negatiuè ex Vaſquez citato, & Lugo ſect. 6. num 75.

3 Dubitatur tertiò: An omnia obiecta huius ſcientiæ ſimul, ac ſemel vnico actu Chriſtus cognouerit? Affirmant quoad vtrumque Marſil. in 3. quæſtione decima, articulo ſecundo. Soar. memoratus certamine tertio, numero ſecundo, fine. Bernal. diſputatione trigeſima quinta, ſectione quarta; Vaſquez verò diſp. 52. cap. 2. fine Lugo diſp. 20. num. 67. cognoſci ſimul omnia à Chriſto aiunt, non autem vnico actu: conſequenter ad ea, quæ de ſpecierum huius ſcientiæ pluralitate docuerunt, quorum concluſioni, ſed aliis rationibus acquieſco. Ratio noſtra eſt; quia vt docebamus quæſtione prima, certamine tertio, à numero 2. ſcientiam ipſam infuſam per ſe directam aliorum obiectorum vidit Chriſtus, vt de tanto dono, & gaudereret, ac Deo gratias ageret: non autem eodem actu directo, quem ſupra ſeipſum reflectere repugnat: ergo alio actu ſupernaturalis, ac per ſe infuſæ ſcientiæ. Duplicem ergo actum per ſe infuſæ ſcientiæ in Chriſto admittimus. inde facilè quartum dubium poteſt expediri, an actus viſionis beatæ re ipſa ab actu vtroque per ſe infuſæ ſcientiæ diuerſus fuerit in Chriſto? Et quidem ſi actu regulato per ſcientiam infuſam Chriſtus viſionem Dei promeruit, de quo controu. de merito, cum hanc illa natura anteierit; non potuit non ab illa viſio differre. Sin autem non meruit res puræ diuinationis videtur quæſtionis de facto reſolutio, cum ſit vtrumque poſſibile. Sed tamen in eo caſu ſtandum pro vnitate vtriuſque erit, in qua maior eſt perfectio titulo vnionis humanitati Chriſti etiam debita;

vt de vnitate speciei infusæ dicebam certamine 3. num. 4. fine.

4 Dubitatur quintò de certitudine, eiusque gradu scientiæ huius per se infusæ certitudinem eius agnoscunt omnes, ex quibus aliqui, quia supernaturalis actus est, cui falsitas repugnat, ac proinde probabilitas cum falsitatis periculo: impugnat Lugo, quia licet non ex motiuo: at ex potentiæ infirmitate poterat esse formidolosus assensus: sicut voluntatis infirmitate amor supernaturalis inefficax, ac sicut Salas 1. 2. tom. 1. tractatu 11. ad 3. numero 34. atque ex ipso alij docent virtutem prudentiæ posse habere actum probabilem, licet non falsum. Melius impugnaret actu fidei, qui ex obiecto certus est: nec tamen ex subiecto æquam habet certitudinem, & quæ tentationes non patiatur; Sed tamen licet hæc ita sint, ac præterea repugnantiam non inueniam falsitatis cum supernaturalitate actus: cum non repugnet Deum authorem specialem effectiuum erroris esse, licet repugnet authorem esse assertiuum illius, tamen hæc in scientia per se infusa Christi locum non habent. Etenim assensus formido ex infirmitate potentiæ vnitam humanitatem dedecet valdè. Secundo in clara visione rerum certitudo physica adest, qua formido physica abigatur: Metaphysica autem adfuit in hac visione per se infusa Christi: cum Deus humanitati sibi vnitæ errorem, aut species rerum existentium pro tempore, quo non existebant infundere, sine sui indecentia non posset. Quare huius scientiæ per se infusæ Christi certitudo valdè aliarum creatarum visionum certitudini excessit: cum in naturis sibi non vnitis, & errorem eius infundere, & species rerum pro tempore, quo non existunt producere, & conseruare pro libito possit.

5 Sexto dubitatur, an Christus per hanc scientiam composuerit assensu, dissensuque diuiserit? quod si de compositione, & diuisione ex parte obiecti sumpta, sit sermo, in meis principiis, qui præcisiones formalitatum ex parte obiecti per actus intellectus, etiam intuitiuos, admitto composuisse, ac diuisisse certissimum est. Si autem de compositione, aut diuisione formali actuum scientiæ, quorum alter supponatur, vt apprehensio prædicati, alter subiecti, ad actum assensus, seu compositionis, & dissensus, seu diuisionis; affirmat Bernal. disputatione trigesima-quinta, sectione quarta, paragrapho tertio. Sed inconsequenter ad suam doctrinam de vnitate actus huius scientiæ circa obiecta omnia: etenim si vnicus actus est circa omnia, nequit prius natura vnum alio cognoscere, vt posterius natura assentiatur, vel dissentiatur, quin idem actus sibi ipsi natura præcedat, quod repugnat; quare, & eo sensu Christum scientia per se infusa componere, vel diuidere.

6 Septimo tandem dubitatur, an Christus scientia hac per se infusa discurrat, & formaliter quidem discursiuam non esse patet: quia visio est sui obiecti. An vero possit ex vno obiecto in aliud scientiæ huius Christus discurrere per illammet quidem est impossibile; cum sibi ipsi nequeat natura præcedere, vt opus ad discursum erat: nec possit discursiua circa eadem obiecta esse, quæ visio, ac non discursus formaliter est. Cum autem dixerimus duplicem esse actum scientiæ per se infusæ Christi alium directum, alium reflexum rogabis: an saltem per alium actum discursus possit Christus discurrere ex vnius obiecto in obiectum alterius, & negandum est, etsi vtriusque adesset connexio ob rationem dandam, quæstione quarta.

***

QVÆSTIO IV.

De scientia infusa per accidens humanitatis Christi.

DVplex scientiæ per accidens infusæ genus examinandum hic est circa obiecta eadem naturalia. Alterum scientiæ claræ, & eorum vt in se sunt, qualem Angeli, & animæ separatæ de illis fortiuntur alterum scientiæ habitæ per obscuriores species iis, quas ministerio sensuum habemus, omnino similes, cuiusmodi fuit scientia infusa Adamo, Salomoni, aliisque, vt suspicor scientiarum principibus, & inuentoribus: puta Aristoteli. De his duabus per accidens infusis scientiis minus distinctè, & quasi de eadem loquentes Vasquez, Soarez, Lugo, atque alij confusionem legentibus peperere, quam vt nos vitemus vtrumque seorsim examinabimus.

CERTAMEN I.

De scientia clara naturalium obiectorum per accidens infusa Christo.

1 VAsquez disputatione 55. Soarium videtur reprehendere quod hanc claram naturalium obiectorum per accidens infusam scientiam Christo concedat. Lugo disputatione vigesima prima, & disputatione vigesima, ad per se infusam reuocare videtur. Bernal. qui res distinctius proponens eam concedit per se infusam scientiam in tituli etiam fronte non sine vocis abusu appellabit. Ea omnibus vt dicebam fuit in huius scientiæ examine confusio. Nos autem claram hanc naturalium obiectorum per accidens infusam scientiam clarè, ac distinctè fatemur. Probatur facilè: quia cum ratione vnionis, tum visionis beatæ iure quicquid animabus separatis Angelis ac beatis, eoque amplius humanitati Christi debebatur, nihilque in eius donatione incommodi apparet; atque illis debentur, donanturque plurium naturalium obiectorum, & species, & scientia: ergo longè plurium alterutro titulo, humanitati Christi, & debitæ sunt, & donatæ. Quod autem tam eorum obiectorum species, quam scientia non sint per se, sed per accidens solum infusæ satis claret, cum supra naturæ totius exigentiam non sint; Sed solum hic, & nunc si exigentia vnionis, & visionis humanitatis abesset non deberentur iuxta dicta quæstione secunda, de scientia, & speciebus futurorum, & secretorum cordis Christo datis.

2 Constant inde plura contra Bernalem, disputatione citata. Primum obiectum scientiæ huius Christi latius patere obiectis similis scientiæ animæ separatæ Angelorum, ac beatorum. Siquidem ad eam extensionem dignitas vnionis, ac vniuersalis redemptoris, & iudicis munus perfectioris insuper visionis Dei prærogatiua necessario attendenda est. Secundo constat huic scientiæ eliciendæ vniuersaliores species, quam animabus separatis, Angelis, ac Beatis concessas, concedendasvè, Christo datas fuisse: imo vnica pro obiectis scientiæ huius omnibus: vt ratione dignitatis vnionis pro vnitare speciei per se infusæ quæstione tertia, discurrebamus. Tertiò constat Christum à primo conceptionis initio simul omnia scientiæ huius obiecta vidisse: nec simul totum, sed vnico scientiæ huius actu (si ipsummet actum excipias, qui non seipso, sed alio scientiæ eiusdem actu reflexo videtur: iuxta dicta in simili de actu per

per se infusæ scientiæ) id enim vnionis dignitas suoptè iure reposcit. Plura denique, quæ de huius scientiæ habitu disputat in casum Bernal. mittenda à nobis sunt, qui nullos habitus naturales ab speciebus, & cognitionibus siue in intellectu, siue in voluntate recognoscimus, imo nec supernaturales præterea tres virtutum Theologalium fidei, spei, & charitatis; Nec si naturales, habitus admitteremus ad scientiam claram, & per proprias species habitam admittendi forent cum nulla in eius actibus possit esse intellectu difficultas, quam in actibus obscurè eliciendis deprehendimus.

3 De huius scientiæ certitudine, compositione, ac diuisione, & discursu eodem modo philosophandum est, ac de eis in scientia per se infusa nuper philosophabamur. Restat rationem impossibilitatis discurrendi licet alia scientia, ex actu ex vno obiecto scientiæ per se infusæ in aliud quam huc remisimus exhibere. est enim eadem pro impossibilitate discurrendi ex vno obiecto clarè viso, in aliud clarè etiam visum à Christo quacumque scientia videantur. Duas autem, quo melius fidem liberem præstabo, quarum secundam, quasi à nobis in aurem insusurratam dedit Cardinalis de Lugo d. 22. sect. 3. & 1. de fide. Prima ratio à priori sit, qua adstante motiuo omni ex parte superiore è genere suo ad assensum veritatis nequit moueri motiuum è genere suo inferius ad assensum veritatis eiusdem: atqui ad assensum circa obiecta, quæ Christus, siue per scientiam per se, vel per accidens infusam, siue per beatam clare videt, adest ipsi motiuum omni ex parte superius è genere suo motiuo discursus ad assensum circa eadem, ergo nequit hoc motiuum discursus mouere Christum ad assensum circa eademmet obiecta, quæ aliqua ex his scientiis clare, & in se videt. Maior mihi, & nostro Vasquez certa est, & cui ipse solum fidit, vt fidem cum clara obiecti visione, & cognitione iudicet impossibilem, atque ferè est ex terminis nota, lateque à nobis probata controuersiis de scientia Dei, & de fide. Minor est certa quia, vt de scientiæ per se infusæ certitudine dicebamus, creatis omnibus certitudine physica, & metaphysica quæuis clara Christi scientia longè est certior: item est quauis euidentia discursiua clarior: ergo omni ex parte, siue claritatis, siue certitudinis perfectius motiuum affert, perfectiusque è genere suo mouet, quam motiuum discursus.

4 Secunda nostra ratio, quam Typis præuenit Lugo est. quia voluntas nequit vti electione medij ad finem, quem perfectè possidet, alias electura: ergo neque intellectus vti potest medio ad cognitionem veritatis quam perfectissimè summa claritate in seipsa per visionem deprehendit, ac possidet. Dices supernaturaliter saltem vti potest voluntas electione medij ad finem perfectè possessum: ergo etiam intellectus supernaturaliter vti poterit medio ad cognitionem, & assensum veritatis, quam clarè videt. In primis data consequentia habebitur de facto Christum in eis obiectis, neque discurriſſe, neque naturaliter discurrere potuisse. Neque enim vanè, ac sine fructu, miraculum illud admittendum in Christo est, vt benè Lugo aiebat. Secundo falsum prorsus est antecedens. Siquidem de bono possesso desiderium esse non potest vllum, sed gaudium solum; aut electio sine intentione, ac desiderio finis prorsus est impossibilis. Dices etiam possesso fine possumus naturaliter media apponere, quia gloriosius iucundiusque nobis esse potest illum per id etiam medium obtinere, v. g. per merita nostra tanquam media, quam sine illis illum obtinere. Sed iam alium finem adiungis ante eam electionem non possessum: nempè iucunditatem, & gloriam habendi illum finem per eiusmodi media: quare non improbas rationem nostram, nec intentum probas. In casu autem nostro eadem veritas perfectissimè possessa, & deprehensa aliis ignobilioribus modis, atque imperfectioribus obtinenda esset. Sed instabis: melius etiam est mediis pluribus veritatem eandem euidenter, ac certo cognoscere, vt patet in eo, qui pluribus demonstrationibus à priori, & à posteriori eandem veritatem, & conclusionem nouit: ergo, idem obiectum clarè visum ac certo demonstratiuè etiam cognoscere perfectius erit. Distinguo antecedens: pluribus modis in quibus alius sit omni ex parte, atque è genere suo perfectior nego: etenim iis, quæ video, vel demonstro ob medium, vel testimonium fallibile assentiri nequeo, æque perfectionis ex genere probat instantia, sed non est contra nos.

5 Ex hac nostra & sua ratione postrema infert Lugo citatus fidem diuinam cum obiecti perfecta visione esse non posse adhuc diuinitus: Vasquez vero id ipsum ex ratione prima deducit. Nos autem visionem perfectam, & fidem diuinam eiusdem obiecti non solum supernaturaliter, sed etiam naturaliter iudicamus compossibilem vt latè ostendimus controu. de fide, & non nimis curtè quæstione 5. docebimus: quia motiuum fidei non superat omni ex parte motiuum visionis, à quo in claritate superatur, licet hoc in certitudine superetur ab illo, quare alterum alteri vim motiuam expeditam relinquit; quare sicut iis, quæ credimus, demonstrabiliaque sunt, possumus per demonstrationem assentiri, quin fidelis doctior, qui Dei vnitatem demonstratiuè nouit, fidem actualem vnitatis Dei amittat: ita in fidei assensu circa ea, quæ videntur contingit ob rationem datam, quæ eadem vbique est, & in clara visione fortior.

CERTAMEN II.

Scientia obscura similis nostræ per accidens infusa Christi humanitati minimè adfuit.

1 SAnctus Thomas quæstione 20. de verit. articulo 3. ad 1. & in 3. disputatione 14. quæstione 1. articulo 3. ad 3. & 5. Richard. quæstione 2. Paludan. ibi fine. Soar. disput. 30. sectione 1. Bernal. d. 37. sectione 1. §. 1. eam scientiam à primo conceptionis suæ instanti Christo concedunt. Lugo disputat. 22. sect. 1. non nisi in adulta ætate provt phantasiæ organa in eo disponebantur. Eam siquidem nostræ, non in obscurioribus, per quæ à Christo habita est speciebus, sed in productione ipsius scientiæ per conuersionem ad phantasmata, ac proinde dependenter à phantasia, similem etiam nostræ iudicauit: quare licet species tunc essent, secus cognitio quouisque organa disponeretur, sicut nec fuit in eo locutio, & deambulatio, quousque organa, ac membra earum disposita fuere. Hanc doctrinam multis impugnat Bernal. in casum tamen, quia Lugo rationem non tangunt. Primo: quia ante organorum dispositiones virtutes morales admittit Lugo. Si de habitibus loquatur negat expresse Lugo habitus virtutum moralium ab speciebus, & cognitionibus diuersos, vt ipse Bernal. fatetur. Nec si eos admitteret ab instanti conceptionis in Christo teneret consequentia ex illis ad scientiam, sed ad species illius, quas concedit, si loquatur de actibus virtutum moralium cum hi à scientia per accidens infusa clara, de qua cert. 1. regulari potuerint, non infertur scientiæ obscuræ huius actus per conuersionem ad pantasma elicitus pro eo instanti. Impugnat secundo: quia Adamo huiusmodi scientia data est ab instanti primo; sed licet phantasiæ organa disposita tunc Adamum habuisse, secus in sui conceptione Christum. Tertiò recurrit ad scientiã Christianorum 12. cum legis DD. in templo docebat. Sed dicet Lugo tũc habuisse phantasię organa disposita, quod naturaliter in fieri in pueris aliis vidimus aliquoties: vel supernaturaliter, vt in Christo multis de causis potuit euenire. Denique totus est Bernal. in ostendendo nihil imperfectionis, imo perfectionis plurimum esse si Christo à conceptione ea scientia concedatur, sibique multa respondet, quæ facilè impugnet. Non autem tangit fundamentũ aduersarij quẽ refellit de necessitate conuersionis ad phantasmata in vsu specierum obscurioriorũ nostris similium: quod vnicè quassandum erat, vt eius opinio euerteretur. Sed iam vtrumque à suis fundamentis impugno.

2 Dico primo contra Doctores citatos: Scientia obſcura noſtræ ſimilis per accidens infuſa Chriſto nunquam adfuit ita S. Thom. priorem ſententiam aduerſariis fatentibus retractans 3.p. q.9. art. 4. vbi rem ex inſtituto diſputauit. Caietan. & Thomiſtæ, atque alij interpretes, Valent. q 9. punct. 1. Capreol. in 3. d. 14 q. vnic. art. 1. concl. 2. & 3. ad 1. contra, 2. concluſ. fine Vaſquez d. 55. c. 2. Mærat. d 30. ac plures alij ex noſtris Recentiores. Probant ex Vaſquez plures. Etenim cum ſcientiam aliquorum obiectorum huic ſimilem acquiſierit infertur, ſi circa hæc ſcientiam per accidens infuſam habuerit habuiſſe duo accidentia ſolo numero diuerſa; ſi autem non habuerit in ſcientia eiuſdem rationis profeciſſe cum illa acquiſitè nouit. Sed parum habet momenti probatio, vt ex q. 6. conſtabit. Solida probatio ſit: quia ſcientia eiuſmodi, & obſcura eſt, & res aliter quam ſint ex parte modi cognoſcendi repræſentans, quæ imperfectio humanitatem vnitam hypoſtaticè videtur dedecere, vel ſaltem minus decere vbi vel abſolutè, vel ad redemptionem per doctrinam, & paſſionem ſuam opus illa Chriſtus non habuit: atqui opus ad hæc Chriſtus non habuit; ergo vtpotè quid minus ipſum decens relegandа à Chriſto eſt. Minor probatur: quia illa abſolutè opus non habuit; cum eadem obiecta ſcientia alia per accidens infuſa, clara & ſpeciebus eorum propriis, atq; vt in ſe ſunt perfectiſſimè cognoſcebat: neque ad doctrinam neceſſaria fuit: cum eaſdem veritates naturales ex illa clara ſcientia per ſimilitudines, atque aliorum ad inſtar, quæ eadem ſcientia clara nouerat, atque eſſe inſuper explicandis illis ad noſtrum captum appoſitiſſima, vt noſtro modo ea perciperemus. Paſſio autem qua redimendi eramus acquiſitam ſolum ſcientiam petiit, vt videbimus quæſtione 6. ergo ſimilis huic per ſe infuſa ſcientia neceſſaria Chriſto ſiue abſolutè, ſiue ad magiſterium, noſtramque redemptionem non fuit ſed potius ſuperflueret, ac proinde, vtquid minus perfectum minus Chriſtum decuit, quo ſolutum eſt, atque impugnatum, cui præcipuè Bernal. fidebat argumentum.

3 Dico ſecundo contra Lugo. Si Chriſto ea ſcientia digna foret ab inſtanti conceptionis ipſi adfuiſſet. Probatur quia eius vſus dependenter à phantaſia, ſeu per conuerſionem ad phantaſmata non foret: ergo neque organorum phantaſię diſpoſitio per tempus ipſi adueniens expectanda ad eam ſcientiam eſſet. Conſeq. in huius principiis certa, ac legitima de ſe eſt. Probatur antecedens: quia cõuerſio ad phantaſmata, ſiue dependentia à phantaſia ad intelligendum mediis ſpeciebus obſcurioribus, quas habemus ſolum eſt, vt diximus, quatenus phantaſma loco ſpeciei concurrit ad intellectionem, vel ex ipſo intellectus agentis miniſterio ſpecies à materialitate defæcatæ abſtrahuntur, id quod ſupponit Lugo ipſius ratio, vt oppoſitum antecedenti probet: qua ſcilicet ſenſibilia obiecta prius ſenſum phantaſiæ, deinde intellectum mouent, atqui ſpecies ita per accidens infuſæ independenter à phantaſia, & phantaſmatibus haberentur quandoque haberentur vt habitas à Chriſto in ætate adulta teſtatur Lugo: ergo in vſu earum ad intelligendum, nec conuerteretur ad phantaſmata, neque à phantaſia, eiuſque organis intellectus penderet. Confirmatur hæc ratio, & probatur ſecundo: quia beati ſpeciebus his obſcurioribus requiſitis in via vtuntur ad intelligendum in patria ſine conuerſione ad phantaſmata, atque independenter à phantaſia (vt vulgo Theologi docent apud Salas 1. 2. t. 1. tract. 2. d. 6. ſect. 8.) quia tunc eæ ſpecies ab iis in exiſtendo non pendent: ergo cum ſpecies per accidens infuſæ Chriſto ab eis no penderent, ac Chriſtus excepta paſſibilitate, & merito, quæ vſus ſimilis non excludit, è beatorum ſtatu ſe gerat ſpeciebus ſimillibus independenter à phantaſia, ac ſine conuerſione ad phantaſmata, vtetur ad intelligendum.

QVÆSTIO V.

De ſcientia per ſe infuſa fidei humanitatis Chriſti.

QVIS QVAM ad ſcientiam Chriſti acquiſitam veniamus, nihil dubij circa ſcientiam infuſam ſine examine ſtricto relinquendum eſt, ſcientiæ per ſe infuſæ fidei in Chriſto examen, neſcio an ſatis hactenus rigidum fuerit. Cum Doctores, an ex communiori rerum præiudicio an ex accurata meditatione impoſſibilem fidei actum in Chriſto ſupponant, potiuſquam ſolidè probent.

CERTAMEN I.

Fidei actus in humanitate Chriſti fuit abſolutè poſsibilis.

1 CONcluſioni aduerſantur præfixæ communiter antiqui Doctores in 3. d. 16. Vaſq. & Soar. 3. p. q. 7. commentario articuli 3. vbi etiam Thomiſtæ Vvadingo d. 5. dub. 4. num. 28. Lugo d. 21. ſect. 3. num. 30. & 32. Bernal. d. 31. ſect. 1. §. 1. num. 6. ſed non iiſdem omnino fundamentis omnes. Nam Lugo cenſet numero 30. quoad immediatos aſſenſus viſionem claram cum actu fidei circa obiectum idem minimè repugnare, ſed tamen obſcuritatis fidei imperfectionem Deum dedecere, quare, & humanitatem vnitam friuola ratio, & mala conſeq. adeo ad humanitatem vnitam. Plura enim humanitatem etiam vnitam non dedecent, quæ Deum non deceant quare, & ipſe tandem numero 32. in rationem recidit communiorem de pugna claritatis viſionis, & obſcuritas fidei circa idem obiectum, cui rationi ferè reliqui fidunt. Cùm enim cognoſci idem clarè, & obſcurè ſimul repugnet: atque in Chriſto, cum Dei tum ſupernaturalium, tum denique naturalium etiam obiectorum intuitionem, viſionemque claram omnes admittant, eis ipſis obſcurus fidei actus circa aliquod ex illis factus ipſi fuit impoſſibilis. Vaſquez vero vt erat ingenio ſolidiori, quodque vocum ſono minimè duceretur, videretque obſcuritatem hanc ipſammet entitatem poſitiuam actus fidei eſſe, & claritatem illam poſitiuam entitatem viſionis in ipſis formaliter nullam repugnantiam recognouit. Sed neque illatiuè induci ex illis poſſe: cum neutra alterius cognitionis claritarem, vel obſcuritatem aboleat in altera, vel in intellectu, qui viſione clarè videret obiectum, etſi per fidem videret obſcurè. neque enim fides facit intellectum abſolutè circa obiectum tenebreſcere; ſed ſolum clareſcere per ipſam, quod non tollit clareſcere per aliam, quo obſcuritas fidei reſpectu claritatis viſionis ab obſcuritate tenebrarum, quæ earum abſoluta negatio eſt, valdè diſcordat.

2 Ob hæc ille aliunde horum actuum repugnantiam altiùs aliis Doctoribus veſtigauit. Nimirum ex eo principio quod nos ſtatuimus, q. 4. cert. 1. num. 3. nempè adſtante motiuo potentiori ad aſſenſum minus potens, ſeu debilius è genere ſuo, mouere ad illum non poſſe: aſt motiuum veritatis claræ, & intuitiuæ vitæ fortius potentiuſque eſt, quam motiuum veritatis eiuſdem obſcurè ſolum viſæ ex motiuo reuelationis: ergo non poterit motiuum fidei ad aſſenſum fidei mouere adſtante clara eiuſdem veritatis viſione, ſed & hanc rationem diſſeci cert. 1. citato n. 5. moxque iterum diſſiciam. Tertiò denique impoſſibilitatem actus fidei cum viſione obiecti eiuſdem probant omnes ex illo 1. Corinth. 13. numero 9. *Ex parte cognoſcimus diſcurſu, ex parte prophetamus*, fide

fide, *cum autem venerit quod perfectum eſt*, nempè clara Dei viſio, *euacuabitur*, deſtruetur, *quod ex parte eſt*. ideſt imperfectum diſcurſus, ac fidei noſtræ. Nec ſatisfacies Pauli teſtimonio, ſi dicas: ſolum probare de facto fidem cum viſione clara obiecti non fore: quod ex Dei decreto libero euenire poſſet, licet circa idem obiectum vterque actus poſſibilis ſimul, ac compoſſibilis foret: Pauloque ita futurum reuelari; non autem loqui Paulum de impoſſibilitate ſimultaneitatis actus veriuſque. Etenim, licet verba Pauli de eo, quod de facto erit, ſonent, aſt rationem è duabus poſtremis alteram ſaltem continet, vel potius vtramque de perfectione claritatis, quæ eſt in viſione clara, cum qua nequeat ſtare fidei obſcuritas, ac de maiori perfectione motiua veritatis viſæ, quæ locum non relinquat, vt eadem obſcurè cognita mouere ad ſui aſſenſum poſſit: quare probat etiam negatiuam concluſionem de poſſibili.

3 Noſtram autem concluſionem docent ex antiquis plures cum quibus Petrus Hurtado t. 1. de fide.... d. ſect.... & de incarnat. quem politiores quique Recentiores ſectantur. Ea vero ex oppoſitis omnino principiis probanda nobis eſt. In primis enim claritas viſionis, & fidei obſcuritas, etſi eſſentialis ipſi foret in eodem intellectu non pugnant, vt cum. 1. oſtendebamus. Secundo aſſenſus fidei eſſentialiter obſcurus non eſt. Etenim poſita euidentia reuelationis ſtat aſſenſus ob illam: ergo, & fides: atqui tunc nulla eſſet in illo aſſenſu obſcuritas: ergo obſcuritas non eſt eſſentialis aſſenſui fidei. Antecedens primum conſtat: quia ſtaret obiectum adæquatum formale fidei, ſiue hoc conſiſtat in veritate, & veracitate Dei applicata ex parte obiecti per reuelationem rei reuelatæ, ſiue ipſa etiam reuelatione, ac teſtimonio Dei conſtituatur. Ergo, & ob illud erit aſſenſus: ergo, & eiuſdem ſpeciei cum aſſenſu fidei, quod nunc habemus. Extrema hæc conſequentia eſt certa. Antecedens autem patet. Quia ſola deficeret obſcura propoſitio reuelationis, quam nũc habemus, quæ nullatenus obiectum formale fidei conſtituit. Prima conſequentia inde deducta conſtat: quia ex meliori, ac nobiliori applicatione motiui nequit ipſum inefficax reddi, ſed potius non poteſt non efficacius mouere: atqui poſita euidentia reuelationis, & teſtimonij Dei melior, nobiliorque applicatio adeſt motiui formalis fidei, quam ſi per obſcuram proponeretur cognitionem: ergo efficacius mouebit ad aſſenſum ob illud. Confirmatur quia citius mouet teſtimonium Petri euidenter cognitum, quam ex alterius relatione, vel aliunde non clarè notum.

4 Dices fidem humanam non eſſe eſſentialiter obſcuram, ſicut fides diuina: quare mouere poſſe, & melius, ac fortius teſtimonium humanum euidenter notum, ſecus diuinum. Sed contra quia petit ſolutio principium, & rationem à priori æquam in vtroque motiuo intactam relinquit, inſuper euidentia teſtimonij diuini non eſt, euidentia reuelatæ veritatis in ſe: quare hæc euidentia non eſt eadem euidentia obiecti, cui ob euidens teſtimonium intellectus aſſentitur: quare quod non euidens in ſe adhuc manet, atque eo genere obſcurum, ſeu non clarum relinquitur in ſe, ſed in alio, ſcilicet in atteſtante. Dices poſita euidentia reuelationis diuinæ non poſſe non intellectum aſſentiri diſcurſiuè ob reuelationem, cum quo pugnat ſe ipſi aſſentiri eundem intellectum tanquam ob motiuum formale, vt opus erat ad fidem: quare ſolum aſſentietur intellectus diſcurſu. Sed contra: quia hæc etiam ſolutio petit principium. Contra ſecundo: quia poſita euidentia reuelationis fortius, & efficacius motiuum adeſt ad aſſenſum immediatum ob illam, quam ad aſſenſum mediatum ex illa per diſcurſum: ſiquidem adhunc extremorum præcognitorum connexio etiam præcognita ad aſſenſum vero fidei immediatum motiuum eſt ipſummet diuinum teſtimonium, ſeu diuina authoritas, quæ certior eſt, atque æquè clarè cognita, cum adeſt euidentia reuelationis, atque connexio extremorum, quæ naturalis ſolum eſt, ſicut, & formę ſyllogiſticæ certitudo: ergo, ſi hæc minus perfecta certitudo euidenter cognita intellectum rapit ad aſſenſum diſcurſiuum, & mediatum veritati reuelatæ ex reuelatione, citius, fortiuſque illum mouebit ad aſſenſum immediatum fidei ob diuinam reuelationem.

5 Hinc probatur ſecundo concluſio: quia licet motiuum euidentiæ veritatis intuitiuæ viſæ ſuperet claritate motiuum fidei, hoc autem etiam in via obſcurè cognitum ſuperat certitudine motiuum veritatis viſæ, ſiue per diſcurſum euidentem cognitæ: cum ſit authoritas diuina, certior longè, atque infallibilior; quauis certitudine purè creata: ergo, qua certior poterit mouere adſtante motiuo euidenti creato ad diſcurſum: ſicut hoc mouet, quia clarior adſtante moti uo certiori fidei. Hoc argumentum ſupponit, approbatque Paulus ad..... Laudans quod fide credamus etiam, quæ euidenti diſcurſu aſſequimur ex creaturis. *Sed habetis firmiorem Prophetium ſermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Quod argumentum probat actum fidei obſcurum ob cognitionem obſcuram reuelationis non pugnare cum euidentia creata quauis. Sed locum habere cum illa, imò, & vtrumque aſſenſum naturaliter eſſe compoſſibilem: in caſu vero noſtro cum Chriſtus diuinæ reuelationis euidentiam habuerit efficacius probat: quia certitudine motiuum reuelationis motiuum veritatis viſæ longè excedit: euidentia vero non ſuperatur: quare citius, vrgentiuſque motiuum fidei ad ſuum actum, quam ad ſuum aſſenſum veritas euidenter cognita; ac viſa mouebit. Sed hoc perſequar ſtatim certam. 2. vbi ad Pauli obiectum teſtimonium reſpondebo, ampliuſque præſentem concluſionem confirmabo.

CERTAMEN II.

De facto fuit actus fidei in Chriſto circà reuelata ſaltem plura.

1 HAbet concluſio eoſdem aduerſarios, atque præcedens, neſcio autem an eoſdem, vt debet, Patrò nos habeat. Probatur facilè: quia poſita euidentia reuelationis actus fidei nullam habet obſcuritatis indecentis imperfectionem: cum ſit, vt vidimus, ab obſcuritatis fidei noſtræ imperfectione prorſus defæcatus: atqui Chriſto adfuit euidentia reuelationis: ergo nullam in ipſa haberet imperfectionem: haberet autem perfectionem maioris certitudinis, quauis viſione creata humanitatis; ergo Chriſto de facto fuit conceſſa. Patet, quia quidquid maioris abſolutè perfectionis eſt, nullamque imperfectionem, præter limitationem, quam imbibit ratio creaturæ, ſecum affert humanitati Chriſti eſt de facto conceſſum. Ex quo principio ſcientiam claram per ſe, & per accidens infuſam illi adſcripſimus ſupra. Probatur vrgentius ſecundo: quia motio reuelationis euidenter cognitæ non ſolum poſſibilis eſt ad aſſenſum veritatis alias, ſiue diſcurſu, ſiue intuitione euidentis, ſed naturalis, ac neceſſaria, vt cert. 1. num. 5. oſtendebamus: quare ſine miraculoſa concurſus diuini ſuſpenſione non poterat non eſſe aſſenſus humanitatis Chriſti ob illam, qui actus fidei foret: atqui hæc ſuſpenſio concurſus diuini nullatenus conſtat ex ſcriptura conciliis, aut Patribus, vt conſtabit ex ſolutione teſtimonij ſuprà ex Paulo oppoſiti: ſed neque ex ratione Theologica, quæ potius pro nobis eſt; vt vidimus; videbimuſque amplius probatione tertia ſtatim ſubiiciendа: ergo de facto actus fidei circa reuelata, etiam intuitiuè viſa ab humanitate Chriſti aſſerendus in ipſa eſt.

2 Probatur tertio concluſio de pluribus, vt minimum reuelatis: quia quæcumque Chriſtus Dominus nos in Euangelio docuit ſunt à nobis credibilia fide diuina, nec ſuperantur certitudine ab his, quæ nobis per Prophetas, & Apoſtolos ſunt dicta: atqui, ſi ea ex viſione ſolum, non autem ex fidei cognitione, & motiuo Chriſtus nos docuit, non erunt certa, ac credibilia fide diuina, ſuperabunturque certitudine ab his, quæ nobis per Prophetas, & Apoſtolos innotuerunt: ergo ea nos

Christus ex fidei cognitione, & motiuo docuit. Minor probatur: quia quæ dicta nobis per Prophetas, & Apostolos fuere sunt certa, ac credibilia fide diuina, quæ quæ longè superat certitudine, quæcumque ex creata quauis certitudine, & euidentia noscuntur: atqui, si Christus sua nos docuit ex visione solum eorum, non autem ex reuelatione Dei, & sua fidei cognitione, quæ illi innitatur, assensus eius testimonio innitens, non innitetur, tandem diuinæ reuelationi, sed visionis suæ euidentiæ, ac certitudini longè inferiori: ergo ea omnia non erunt credibilia à nobis, ac certa certitudine fidei diuinæ, sed longè minus certa his, quæ nobis per Prophetas, & Apostolos dicta fuere. Dices Deum assistere humanitati Christi, ne erret in docendo citius, ac melius, quam summo Pontifici, & conciliis: cum de Christo, qua homine, dictum à Patre nobis omnibus fuerit in baptismate, & transfiguratione. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui: ipsum audite.* imò, & in iudicando humanitatis error Deo, ac verbo imputaretur, vt supra docuimus ac d. 2. iterum dicemus: quare æquè certitudinis erunt, quæ Christus nos docuit ex intuitione, atque ea, quæ ex reuelatione, & fide nobis alij dixerunt.

3 Sed contra primo: quia, licet hoc modo doctrinæ Christi veritas in Dei bonitatem tandem referatur, longius tamen, & mediatius, quamquæ è Dei reuelatione, & dicentis authoritate nobis ex fidei cognitione proponeretur: quare minus certa proximè forent: quia minus immediatè infallibilitati diuinæ inniterentur. Secundo esto: æquè sint certitudinis: aſt non essent inde credibilia fide diuina, sicut neque Pontificis, aut concilij propositio res formaliter credibiles facit fide diuina ex assistentia Dei; ne in proponendo errent, sed solum quatenus est applicatio (certa quidem, & infallibilis ob eiusmodi assistentiam) diuinæ reuelationis, qua formaliter assensus fidei obiecta, ac formaliter credibilia constituuntur. Contra tertio: quia iis, quæ nos Christus docuit non ex eiusmodi assistentia, sed ex diuina reuelatione authoritatem Christus fecit vbique: *omnia, quæ audiui à Patre meo nota feci vobis.* atque iterum. *A me ipso non loquor, verba, quæ ego loquor non sunt mea, sed eius qui misit me.* Dices secundo reuelationem eorum factam Christo à Deo fuisse, non vt ille crederet, quæ clarè videbat, sed vt reuelata nobis prædicaret: quare fidei nostræ obiecta sunt, licet ipse non crederet. Sed contra quia cum Patris loquutio ad ipsum directa fuerit credere ipse poterat, ne Deum fabellam, vt aiunt, surdo narrasse dicamus. Si autem potuit credere: credere statim debuit, ne peccaret, quia is, qui ad aliquem loquitur locutione ipsa ab eo exigit fidem, vt benè Lugo t. de fide d.

4 Reliquum est opposito Pauli testimonio satisfacere. Sed id quidem facilis operæ fuerit. Si fidei nostræ, quæ in via est imperfectio duplex notetur. Quæ ab ipsius substantia re ipsa differt, quamque euacuandam Paulus in patria docet. Prima, quod obiectum ex parte, non autem secundum se totum penetret: secunda, quod obscurè cognito testimonio Dei innitatur: ac proinde, & fides obscura sit. Vtramque imperfectionem notauit Paulus illis verbis immediatis ante nobis obiecta: *videmus nunc per speculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem*: ecce obscuritatem cognitionis, ac fidei nostræ inuia, & claritatem, qua depellatur in patria. *Nunc cognosco ex parte*; ideſt, non totum Deum obiectum; *tunc autem cognoscam, sicut, & cognitus sum.* ac proinde *cum venerit, quod perfectum est euacuabitur, quod ex parte est.* nempè fides hæc, quæ imperfecta, ex inadæquatione, & obscuritate est, non autem absolutè substantia fidei, quæ in totum Deum, & obiectum suum euidentia in atteſtante clarè feratur, locoque imperfectæ huius Beatis cum Dei visione contingat, quod secus in charitate euenier, quæ eademmet quæ in via, perseuerabit in patria: cum idem vtrobique sit, & principium, & obiectum. Confirmatur: quia eodem modo scientiam destruendam, atque fidem ait Paulus in patria: cum tamen nemo ex aduersariis scientiam cum visione eiusdem obiecti pugnare doceat ex eo solum quod non per species alienas, & abstractiuas cognitiones futura sit. Denique, licet Beatis, quibus satis perfectionis erit videre, quæ crediderunt, concursus ad credendum denegaretur de facto, aſt Christo ne eius illi desit perfectionevè fidei cerritudo è creatis suprema desit, vtque nos ex reuelatione doceret denegandus minimè fuit, sed omnino concedendus, vt vidimus.

QVÆSTIO VI.

De scientia humanitatis Christi acquisita, nostræque simili.

DVPLICITER à nobis scientia acquiri, pararique potest. Primo per experientiam: secundo per alterius doctrinam, nostramque disciplinam, siue discipulatum. Inquirimus ergo an vtroque, vel altero saltem modo ab humanitate Christi domi parata fuerit, vel acquisita?

CERTAMEN I.

Humanitas Christi propriis experimentis scientiam nostræ similem acquisiuit.

1 RAtio conclusionis ad manum est; quia, licet cognitio hæc non sit æquè perfecta, atque clara eorundem obiectorum cognitio, ac proinde minus sit dicens, vt humanitati Christi à Deo donetur, cum eorum scientia donanda erat: aſt absolutè est perfectio aliqualis humanitatis viatricis, atque Christi passioni, nostræque per illam redemptioni, valdè consentanea. Oportuit enim, vt dolores, cruciatusque sentiret, audiret blasphemias, irrisiones videret, aceti, ac felli gustaret amaritudines, atque ea omnia, quæ pro nobis pertulit sensibiliter perciperet, nec solum sensibiliter, sed intellectualiter etiam ad passionis perfectionem exactam cognosceret. Probatur secundo: quia posito obiecto sensibili, & per se, vel speciem sui potentiæ applicito naturaliter, exterius sensitur: ex ea vero externa sensatione interior etiam phantasiæ sensatio naturaliter oritur ex interna autem hac naturaliter suboritur intellectiua eiusdem obiecti cognitio: quare in Christo Domino, cuius potentiæ, & organa apprimè erant disposita, obiectorum occurrentium naturalis sensatio externa, & interna, atque intellectio naturalis fuit, non miraculosa: qualis absque fundamento intellectionis eius negatio assereretur?

2 Ab authoritate non sunt pro eadem conclusione momenta minora, est siquidem Laurentij Iustin. lib. de casto connub. c. 10. cum S. Th. & iam inter Theologos communis eam tradidit Paul. ad Hæbreos. 5. *didicit ex iis, quæ passus est obedientiam.* Id est denuo experimentaliter cognouit labores, ac dolores, quos in obeundis Patris mandatis fuit perpessus, vt benè, ac fusè Ricard. Victor. 1. de Emanuele. c. 15. expendit. Ad Hæbr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris tentatum autem per omnia.* Ad quæ Cyril. 3. de recta fide ad Regin. *Si enim non esset verbum Dei factum homo, sciuisset vtique, & sic, humanam infirmitatem, vt Deus: ipse enim nouit figmentum nostrum, vt scriptum est.* Psalm. 102. *& siquidem (humanam quiddam de ipso dicere licet) etiam nondum in hanc vocatum foret nostrarum passionum experientiam: vbi autem indutus est carnem tentatum est per omnia. Nihilominus non dicimus, quod ignouerit: sed quod præexistente diuina cognitione etiam per ipsam experientiam voluit discere.* Extrema sic clarius vertit noster Peltanus. t. 1. concil. Ephesini. c. 6. *Nec tamen dicimus ante quidquam omnino eorum omnium ignorasse: sed scientiæ diuinæ, quam obtinebat, eam quoque notitiam, quam affert experientia, accessisse.* Isai. 7. *Antequam puer sciat malum, & bonum.* & Isai. 8. *Antequam puer sciat vocare Patrem suum, & Matrem suam auferetur fortitudo Damasci.* Ex quibus scientiam hanc paulatim experientia, provt sensuum organa in dies proficiebantur, acquisitam colligit in Christo Fulgent. 1. ad Trasimund. c. 7. Ambros. autem de incarn. Dominicæ sacram. c. 7. sic ad extremum locum scribit. *Sapientiam Dei futura, & occulta non fallunt; experts autem cognitionis infantia per humanam vtique imprudentiam, quod adhuc non didicit,* per sensus *ignorat.*

3 Accedit locus supra à nobis explicatus Matth. & Marci. *de die autem illa, & hora nemo scit.* &c. quem de scientia experimentali, quam denuo parandam à Christo homine docent, intelligendum aiunt Origen. hom. 50. in Mat. & Bernard. lib. de gradib. humilit. sub init. celebris tandem ad rem præsentem est locus Lucæ. 2. vbi num. 40. habetur: *Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia.* quæ Ambros. ante verba ex ipso data ita legebat. *& implebatur sapientia.* quo eius incrementum exprimitur. Sed clarius ab Euangelista. num. 52. *& Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines.* Ad quæ Ambros. proximè paulo superius: *quomodo proficiebat sapientia Dei? doceat te ordo verborum. Profectus est ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideo ætatem ante præmisit, vt secundum hominem crederes dictum: ætas enim, non diuinitatis, sed corporis est. Ergo, si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit: quia à sensu sapientia.* Quid clarius pro scientia Christi experimentali, atque assensuum ministerio, sicut nostra dependenti? Eodemmodo, licet non adeo expressis verbis, de profectu in scientia per sensus, eum locum interpretantur Epiphan. in Ancorato. Athanas. serm. 4. contra Arrian. Cyril. 10. Thesa. c. 7. ac de recta fide ad Regin. Fulgent. vbi proxime Beda, & Euthym. ad eum locum. Etenim in scientia quomodocumque infusa Christi eum profectum admittere non possunt.

4 Dices eodem modo dicitur Christum excreuisse in gratia, atque in sapientia: cum tamen gratiæ augmentum in dies nemo in illo admittat: ideo fortasse Athanas. & Cyril. vtriusque augmentum in suo corpore, nempè Ecclesia dictum ibi volunt. Sed reluctatur textus, qui totus de Iesu vita, & persona est. Origen. & Epiphan. supra. Naz. orat. de laud. Basil. Cæsar. Dialog. 1. Vigil. lib. 3. & 5. contra Euthyc. gaudent. respons. ad Paul. Diacon. in id *Pater maior me est.* Damasc. lib. de duab. natur. Theophilact. in eum locum intelligunt vtriusque augmentum non in entitate, sed in hominum opinione, atque ostensione ad ipsos facta. Sed est contra hanc tantorum Patrum suspiciendam expositionem: quod in eis Iesus, non solum apud homines profecisse, sed, & apud Deum dicatur: id est verè iuxta Hebraicæ phrasis energiam. Respondet Maldonatus, ex aliquot veteribus Theologis, & communi & Recentiorum, sensum esse, quod hominibus apud Deum, seu verè proficere sapientia, & gratia Iesus videretur. Sed textus constructio difficile ad eum sensum trahitur, vt patet. Dici tamen adhuc posset: ostensionem illam gratiæ, & sapientiæ non esse per opera solum eluforiè illas demonstrantia. Sed quæ verè ex eis prouenirent: quare, & ostensio apud Deum etiam vera omnino esset. Quo pacto meo iudicio difficultas quiescit obiecta. Sed, quoniam primam eius loci interpretationem citati Patres non retractarunt, tenenda est, neque secunda hæc deserenda, sed ex vtraque genuina adæquataque loci interpretatio conflanda, vt de scientiæ experimentalis profectu vero, & ostensiuo etiam intelligatur; de gratiæ vero ostensiuo solum. Sæpè enim eiusdem contextus verba, dispositione eadem, non eodem sensu accipienda sunt, sed iuxta materiæ cui iunguntur capacitatem, vt doctè Maldonatus ibi. Sic Ioan. 20. num. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum:* cum non ipsius eodem modo, ac discipulorum Patrem significet, & Matth. 8. 22. *dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* vbi primo loco mortui in anima, secundo mortui corpore significantur. Neque nostræ conclusioni aduersatur Damascen. lib. *quod ad imag. Dei facti sumus.* dicens scientiam Christi non fuisse paulatim auctam, sed statim perfectam, sicut, & infantile ipsius corpus. Loquitur enim de scientia infusa Christi.

5 De scientiæ huius habitu constat ab speciebus, quæ nostris similes sunt, nullatenus distingui. De obiectis nonnulli cum Caietano omnia mundi huius inferioris obiecta fuisse putant, quippè Angelorum ministerio eorum omnium phantasmata, vt species abstraheret, Christo censent præsentata. Id quod non alio modo, quam præsentatione omnium obiectorum per se, vel per species suas potuit ab Angelis præstari quod, & ridiculum est, & falsum. Etenim hoc pacto in scientia hac Iesus cum ætate non proficeret, sed simul omnia hæc, & præsentarentur, & cognosceret. Secundo ad ea tantum, quæ ipsius passioni conduxerunt, quæque obuia sensibus Christi fuere admittenda ea scientia est: vt rationes, quibus ea in Christo probatur, satis ostendunt. Visum discurrendi ab vno huius scientiæ obiecto in aliud concedit Christo Vasq. c. 4. num. 20. §. *dicendum igitur*, multo, quam in nobis perfectiorem ex scientiæ infusæ adiunctione. Sed nescio quid scientiæ infusæ adiunctio ad discurrendum conferat: cum circa eius obiecta, vtpotè clarè vita, locus discursui non sit. De scientiæ huius certitudine, quoad sesus attinet, erroneam esse posse, iudico, ac colores iridis, qui veri non sunt in philosophia communi, percepturum sensibus Christum, imò, & intellectu apprehensurum, quod enim aliqui aiunt Christum sua diuina virtute sensus præueniisse ne deciperentur aliterve sensibilia, quam in se essent perciperet, licet vtcumque fieri posset, factum tamen veritati naturæ assumptæ derogaret non parum: cum inde connaturalis modus percipiendi sensibilia planè negetur. Sed tamen cauendum est ne propterea iudicio, & assensu circa ea obiecta deceptum decipivè Christum potuisse admittamus, vt Magister Victoria admisit apud Vasq. d. 61. c. 9. num. 57. Etenim iam ignorantia, & error absurdè in Christo admitterentur. Eam ergo apprehensionis deceptionem, & errorem infusa, & clara scientia sua præstantius ad iudicium corrigebatur in Christo, quam in nobis per imperfectiorem scientiam nostram emendatur.

CERTAMEN II.

Nullam scientiam disciplinæ, & doctrinâ creata paratam Christus Dominus habuit.

1 GNostici apud Irenæum. 1. aduers. hæres. c. 17. Erasmus in annotationib. ad nouum testam. ad 2. Lucæ Lossius, Melanchton, & Lutherus apud Canis. 3. de Deipara. c. 22. Christum sub præceptoris ferula alphabetum, pluraque alia ab hominibus didicisse blasphemarunt: quibus conclusio nostra aduersatur. Ratio est: quia discere ab aliquo est ex alicuius doctrina denuo absolutè, vel melius scire, quod antea, vel absolutè ignorabatur, vel non ita perfectè sciebatur. Christus autem perfectius creata nouerat scientia infusa, quam ex hominis; alteriusvè creaturæ disciplina scire posset: ergo non potuit à creatura discere: quocirca cum Christus homines, aut Angelos audiebat, nihil denuo cognoscebat ex his; quæ dicebantur, neque eis, etiam ob illorum testimonium assentiebatur, à quo moueri iuxta dicta ad assensum non poterat: quia perfectius illi, ac fortius euidentiæ motiuum aderat. Licet experimentali scientia locutiones eiusmodi cognosceret. Sed dices Luc. 22. *Apparuit ei Angelus de cælo confortans eum: & factus in agonia prolixius orabat* &c. Etenim confortare Christum non aliter Angelus potuit, quam rationes proponendo, quibus passionem tantam bono, hilarique animo adire posset, quasque tunc Christus nesciret. Si enim eas ante Angeli propositionem æquè benè Christus nosset otiosa, & inutilis ea foret propositio, vt confortaretur. Sed inde vero Arriani Christum puram esse creaturam arguebant, Idcirco Hilarius 10. de Trinit. de historiæ huius veritate dubitauit, atque à Catholicis expuncta à Lucæ textu dicitur ab ipso, & è Hieronymo. 2. contra Pelagian vers. med. licet de

de eius veritate non dubitauerit, vt falso refert Bernal.d.38.sect. 3.§.1. num. 19. sed nec dubitari iam à Catholico potest:cum extet in vulgata editione recepta, atque probata à Concilio Trid.sess. 5. indecreto de vsu sacrorum librorum.

2 Chrysost.serm.de S.Trinit. post med. Epiphan.hæresi.69. Theophylact. Titius Bostrens. & Lucas Burgens. ad eum locum.S. Th.in 2.d.11.q. 1.a. 3.ad 7.Vasq.d.56.c. 2. asserunt confortationem ibi solum dicere laudem fortitudinis Christi ab Angelo præstitam. Sic Deuter. 32. Moyses in cantico. *Roborentur in ipso omnes filij Dei*, quæ Epiphanius eiusque interpres sic actiuè vertunt,*confortent ipsum omnes Angeli Dei.* Ideſt laudent eius fortitudinem. Apocal.4.*Dignus est agnus,qui occisus est accipere gloriam, & honorem,& virtutem.*& c.5.*accipere virtutem,& diuinitatem, & sapientiam,& fortitudinem.*Id est eius laudem.Psal. 8. ex *ore infantium,& lactentium perfecisti laudem.* Hæbræa *fortitudinem.* Si ergo pro fortitudinis laude fortitudo accipi dicitur in scripturæ phrasi, eiusdem laude rectè confortasse Christum Angelus dicetur.Obiicit Lugo quia naufragum iam fluctibus obruendum de animi dotibus in solatium laudare importunum foret. Foret quidem:Angelus non tentabat solatium Christi,sed laudem de eius fortitudine,quæ confortatio dicitur in scriptura.Opponit Bernal. quia gaudium, ac voluptatem,imò, & laudem Angelorum de sua fortitudine nouerat scientia infusa antea Christus. Benè:sed non nouerat scientia experimentali. Neque id obesset quominus Angelus cum Christū de ea laudabat fortitudine dare ipsi fortitudiné, eumque confortare iuxta Scripturæ phrasim diceretur.

3 Bernal.d.38. *sect.3.* non bona fide refert ex Patribus, & Soario citandis Angelum motuis propositis animos Christo fecisse. Sed contra: quia vel iudicabis posse eis motuis animos Christi augere, vel non? Si primum:vel Christus discere ab illo potuit,vel Angelus à Deo etiam ad eam confortationem missus deceptus fuit:quorum alterutrum absurdum est. Si secundum vana,& inanis illa confortationis ceremonia fuit,ac solum apparens nullo spectante,qui confortari Christum iudicare posset. Et quidem apparitio Angeli fuit solum,non confortationis, qualiscumque ea fuerit: quare vana est ea Bernalis meditatio Patribus imposita. Hieronym. igitur.Dialog. 2.contra Pelagian. circa med. & Cyril. epistol. 9. verè confortatum Christum ab Angelo docent. Indeque alter auxilij necessitatem ad honestè viuendum contra Pelagianos probat, alter vero contra Euchychianos naturam etiam humanam Christi: ne si diuina sola admittatur in Deo timor, tristitia,atque auxilij Angelici indigentia admittatur:quam,& Damasc.in humanitate Christi admittit.3. de fide.c. 20. atque eius interpres Nizetas. 3. Thes.c. 37. Ex hoc loco Bernardus serm. 1. de S.Andrea apparuisse Angelum ait, vt Christum indolore, in anxietate consolaretur. Hilar. supra ex quo Beda quomodo confortatum ab Angelo aiunt, quo propter nos tristis fuit: ideſt verè.Consentiunt Lyra.& Caiet. ibi.S.Th. 3.p.q. 12. a. 4.ad 1.cum Dominicanis ibi Lugo d. 21.sect.2.num.24. versu *Ego magis.* Bernal. proxime.§.3.quam expositionem ob tantorum Patrum authoritatem respuere non possumus: maximè, cum & à prima iubetur, defendique posset, quin ab Angelo Christus quidquam didicerit. Potuit enim Angelus Christum confortare quin aliquid eum doceret. Primo eius fortitudinem laudando,gratiasque agendo pro iis, quæ patiebatur,atque aggrediebatur pati: suo item beatifico modo compassionem exhibendo: sui etiam splendore,ac maiestate sensus exhilarando, comitando à discipulis derelictum, Patris voluntatem sensibiliter, vt benè Maldonatus in 26. Matth. num. 40. intimando: ac præcipuè deprecando, vt benè Bernal, vt lætificis cogitationibus (quas voluntariè,vel abiecerat, vel effectu priuarat,vt ita tristaretur, atque anxiaretur) locum faceret.

4 Dico secundo Christus à nulla creatura potuit edidicere.Probatur:quia creaturarum omnium rationalium Magister,& Doctor,vt vnionis dignitatem decebat, iuxta id Ioan.1. *Erat lux vera,quæ illuminat omnem hominem.* &.... dicitur *magni consilij Angelus*: at cum hoc pugnat aliquid ab aliqua creatura discere, vel doceri. Secundo: quid omnium habuit,clarissimâ scientiam,aliis omnibus,quæ creaturæ doctrina,acquiri possent, longè præstantiorem. An vero cum vnione hypostatica præcisè discipulatus ab aliqua creatura prorsus absolutè humanitati repugnet ab ea quæstione pendet, an humanitas hypostaticè vnita ignorare, aut errare absolutè potuerit. Si enim absolutè potuit errare, & potuit à creatura doceri. De ea vero quæstione agendum per otium erit. d. sequenti.q.1.

DISPVTATIO II.

Deiis quæ scientia Christi, siue in intellectu, siue in voluntate impediri posse videbuntur.

SCIENTIA Christi impediri posse in intellectu ipsius videbuntur ignorantia, & error: indeque in voluntate admiratio timor, & tristitia. De quibus ſeor sim dilputatione præsenti agendum nobis erit.

QVÆSTIO I.

Fnerit ne,essevè potuerint in humanitate Christi,ignorantia,aut error.

IGNORANTIA dupliciter capitur. Primo positiuè pro ignorantia prauæ dispositionis,quomodo idem,quod error est.Secundo negatiuè pro scientiæ carentia præcisè. Hæc autem rursus diuiditur in ignorantiam presse negatiuam, & priuatiuam. Priuatiua est carentia scientiæ debitæ secundum statum, & conditionem subiecti. Presse negatiua est scientiæ non sic debitæ carentia. Error vero est iudicium de re aliter, quam sit, quod ad rem attinet præsentem: licet laxius sumptus error in sensibus, & apprehensione locum habere possit.

CERTAMEN I.

Priuatiuam etiam ignorantiam habere absolutè potuit Christus; ast minimè habuit.

1 DIco primo potuit Christus habere ignorantiam etiam priuatiuam. De presse negatiua ignorantia dubium non est,quin in Christo esse potuerit, imo, & ignorauerit de facto aliqua:cum infinitè supra suas cognitiones non reflecterit, vt supra docebamus:quare aliquam tandem cognitionem suam non cognouerit, seu nescierit, ne processus causarum subordinatarum infinitus admittatur. De ignorantia priuatiua probatur conclusio: quia, licet vnionis titulo reliquorum futurorum notitia Christi humanitati deberetur, eaque maximè ipsius statum decerent eorum tamen omnium, vel aliquorum notitia negari ipsi à Deo absolutè potuit: ergo, & esse in Christi humanitate ignorantia priuatiua, quæ nihil aliud est, quam negatio notitiæ, siue cognitionis debitæ statui,& conditioni humanitatis Christi. Antecedens probatur primo:quia eorum omnium notitia liberè fuit humanitati Christi à Deo data: ergo, & potuit absolutè

absolutè ipsi à Deo denegari:alioqui liberè data illi non esset, sed necessario. Secundo probatur:quia status plenè beatificus, ac proinde impassibilitas, & claritas corporis eodem vnionis titulo humanitati eidem debebantur à sui conceptione:& tamen denegatæ illi in hac vita fuere ex aliis finibus à Deo: ergo, & notitia debita futurorum negari absolutè ex alis finibus à Deo potuit.

2 In quæstione de facto Gnostici, alias Valentiniani apud Irenæ.1. aduers. hæres. c.17. diei iudicij; atque in illo futurorum,imò,& aliorum plurium ignorantiam Christo blasphemè tribuebant: atque vt testis est Isidor. 8.Origin. c.5.circa finem, etiam qua verbum Christus est.Quos proinde per iocum Ignoitas appellat. Hi autem planè Arrianismum incurrerunt: siquidem, Arriani teste Athanas. orat. siue serm. 4. contra ipsos post med. & Hilario de Trinit. ex ignorantia diei iudicij, quam ex Matth.24.& Marci 13.filio Dei imponebant, illum Patri consubstantialem negabant.An vero Ignoitæ iidem qui Agnoitæ fuerint?asserunt Vasq.d.51.c.2.num. 2. Sander.7. de visib.Monarchia hæresi.108.Negant melius Castro hæres.8. Prateol.verbo *Ignoitæ.*Agnoitæ enim eiusmodi ignorantiam Christo solum, qua homini affigebant,vt testatur Nizephorus. 18.hist. c. 50. Gregor. Magn.8.epistol.11.epist.42.contra eorum hæres. vbi Eulogium Episcop.Alexandr.laudat, quod eam confutarit. Porro Agnoitæ à Themisto duce dicti Themistiani sunt, vt aiunt Sophron.Patriarcha Hierosol.epist. ad Sergium. 5.in concil.Constantino.act.11,approbata act.14. liberat. Archidiac.Cartag c.19.Breuiarij.c.2.Concilior. post Aelian.3.Damascen.de hæres. verbo *Agnoitæ.* Horum errorem excitarunt denuò Iosius;Melanchton.Lutherus, & Erasmus cit.d.1.q.vlt.cert.2.num.1. ampliarunt autem illum Bullenger.Brenti.& Caluin.apud Canis. citatum ibidem asserentes ignorasse Christum,qua hominem in siculnea esse folia tantum, imo errasse iudicando esse etiam fructum,atque insuper passionis,ac mortis suæ euentum cum Patrem orabat, vt *calix si fieri posset à se transiret.*

3 In eadem sententia, quoad diei iudicij ignorantiam humanitatis fuisse referuntur Patres plures Irenæ. 2. aduers.hæres. c.49 Basil. epist. *inquisitum* ad Amphilochium latina per Feuardentium. Naz. orat. 36. 4. ad Theolog. num. 60.quos omnes è contextu vniuscuiusque ab eo sensu eruditè vindicauit Vasq. citatus à num.6. Sed vero eiusmodi ignorantiam clarè in Christo admittunt Athanas.vbi proximè, vt testis est Vasq. num. 5. Tolet. in c. 2. Lucæ annotat. 86. Salmeron. t. 4.p. 3. tract. 4. atque apud eosdem Cyril. 9.Thes. cap. 4. vbi ignorasse Christum, qua hominem vbi Lazarus positus, siue depositus fuerat, etiam admisit. Ambros. autem.2. de fide. ad Gratian. c. 3. ait dubitasse de suæ passionis, euentu ac morte, cum Patrem, vt transiret, si posset, orabat. Cæterum licet hæc citati Patres admittant clarè citatis locis nullam tamen errori huic fidem,vel authoritatem faciunt. Ea enim admissio permissiua solum fuit Arrianis ex eo præcipuè testimonio Matth. 24.*de die autem illa, & hora nemo scit, nisi solus Pater.* & Marci 13. *neque filius, nisi Pater* contra filij, ac verbi diuinitatem arguentibus, vt argumenti imbecillitatem clarius ostenderent. Cum enim Arriani eandem personam verbi, ac filij Dei in duplici natura faterentur, humana, scilicet altera, atque altera verbi, ac filij, quam ex ignorantia rigurosa diei iudicij, quam Christus Dei filius de se videbatur fateri, non esse diuinam. Sed creatam probare Arriani nitebantur: ignorasse Patres admittunt, atque ita professum de se Christum eo loco, vt volebant. Arriani: ast secundum humanam naturam intellectam ignorantiam nihil inde confici contra filij, ac verbi diuinitatem. Nil ergo præsidij Agnoitæ, ac nouatores citati in his Patribus habent; habent autem aliquantulum in Origene ad locum Matth. hom. 30. in ipsum versus finem,atque in Ianseuio.c.123. concordiæ Euang. circa fin. qui licet ignorantiam diei iudicij in Christo, qua homine absolutè non admittant, tamen probabiliter asseri posse fatentur, qua in re sunt periculosè, ne dicam erroneè decepti.

4 Dico secundo nullius rei ignorantiam priuatiuam Christus qua homo habuit. Conclusio hæc in nullo Concilio definita est; sed tamen constanti Patrum consensu acordi, ac perpetua Ecclesiæ traditione dogmatica est: ideo opposita conclusio, vt hæresis à Patribus refertur num. 2. nostraque conclusio traditur à Patribus datis. d.1. q. 1.& 2. qui negant diei iudicij ignorantiam in Christo, etiam qua homine, atque his quos statim idem negantes referemus Iuson. Mart. q. 58. ad Orthodox. Ignorantiam Christo tribuere *impium* vocat. Clem. Alex. 6. Pædag. init. *si ita est*, (vt aliquid Christo baptizando defuerit) *vt aliquid disceret opus fuit; sed eum cum Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum. Neque enim quis verbo maior fuerit: sed neque Magister, ac Doctor est eius, qui solus est Magister.* Erat autem secundum humanitatem baptizandus, & baptizatus, ac secundum eam etiam omni creatura maior, & omnium Magister: quare neque secundum humanitatem discere à creatura potuisse asserit Clemens: id quod his clarius persequitur. *An non ergo,vel mutis,fatebuntur Verbum perfectum ex perfecto Patre natum ex œconomia,*Incarnationis dispensatione, *præordinatione esse perfectè regeneratum? Et si erat perfectus, cur quid erat perfectius tingebatur?* Ioannis Baptismate, *oportebat, inquiunt, implere humanam perfectionem. Pulcherrimè: ita enim dico. Simul ac ergo à Ioanne tingitur fit perfectus? Scilicet. Nihil ergo à Ioanne didicit? nequaquam: solo autem lauacro fit perfectus.* Hilarius de Trinitate. *Cum igitur omnis in eo sit plenitudo, & omnia per ipsum, & in ipso reconcilientur, & dies illa reconciliationis nostræ expectatio sit, hanc ille diem ignorat, cuius, & in se tempus est, & per se Sacramentum eius est?* Etiam, qua hominis, cum ei iudicium omne datum sit, quia filius hominis est, *Etenim aduentus sui dies ista est, de qua Apostolus ait,*&c. Consentiunt Chrysost. hom. 68. in Matth.24. Basil. contra Eunon.sub fin. vtrunque locum explicans Naz. orat. 36. 4. de Theolog. post med. Hieronym.in locum Matth. & in id Ierem.31. *Mulier circundabit virum.* Bernard.hom.2. *super Missus est.* ad locum eundem. Damasc. 3. de fide c.21. & Nizet. 3. Thes.c.38. Sic Nazianzeni sententiam illustrant. *Si Theologi Gregorij sententia,id quod in oculorum aspectum cadit, ab eo quod mente, atque intelligentia percipitur, distinxerit, seruus, & ignorans caro dicitur; verum ob personæ identitatem, atque indiuisam coniunctionem Domini anima rerum futurarum cognitione,* &c. *locupletata est.* Et c.12. *qui asserunt Christum progressum fecisse in sapientia,* quia prius aliquid ignorauit, *negans vnionem factam esse.* M. denique Gregorius 8. epistolar. epist. 42. *Quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse non potest.*

5 Duplicem dogmaticæ huius veritatis rationem dederunt nobis recitati Patres. Primam Damascen.& Gregor. quia vnionis titulo omnium futurorum humanitati data cognitio est, quæ neque in se, nec cum fine, aut munere Incarnationis pugnat: atqui cognitio diei iudicij, & reliquorum, quæ ab hæreticis obiiciuntur, nec in se, neque cum fine, aut munere Incarnationis pugnat: ergo data humanitati Christi de facto fuit. Confirmatur: quia, quæ Christi, atque humanitatis eius statum, & conditionem cognosci decent, nequeunt in se, vel cum incarnatione, vel eius fine, aut munere pugnare: ignorantia autem priuatiua solum esse potest carentia cognitionis eorum, quæ humanitatem eiusque statum decent cognosci. Nec refert posito titulo, & exigentia vnionis posse cognitionem absolutè denegari à Deo nam quoties de oppositа Dei voluntate non constiterit ex Scriptura,vel Patribus, aut incommodo Theologico, quæ hic absunt, annuere de facto Deum exigentiæ tenendum est:quia ea est connaturalior prouidentia, sicut de causarum naturalium absolutè exigentiæ conniuere.Rationem secundam conclusionis expressit Hilar. quam sic instruo. Quidquid spectat ad statum in quo quisque à Deo collocatus est, atque ad munus ipsi à Deo coniunctū datur de facto illi à Deo, atqui cognitio diei iudicij,& futurorū reliquorū spectat ad statū,& munus

munus, in quo à Deo posita fuit Christi humanitas: ergo data de facto ipsi à Deo fuit. Minor probatur, quia Christus, qua homo, cõstitutus à Deo est vniuersalis Redẽptor, Magister, & Iudex: atqui diei iudicij, & reliquorum futurorum, quæ sunt omnia, vel effectus, vel media redemptionis, vel eorum abusus, cognitio pertinet ad munus Redemptoris. Magistri, atque iudicis vniuersalis: ergo pertinet eorum cognitio ad statum, & munus in quo humanitas Christi collocata à Deo fuit.

6 Ad loca Matth. 24. & Marci 13. Respondimus d. 1. censent intelligenda esse de ignorantia capitis Christi in suo corpore nempè Ecclesiæ, cuius defectus sæpè capiti eorum in se incapaci attribuuntur iuxta Regulam Ticonij. Ita M. Greg. proximè cum Eulogio libro contra Agnoitas, & Origenes, & Damascen. sic explicans profectum Christi in sapientia. 3. de fide capite 22. intelligenda autem de ignorantia experimentali aiunt Origen. Bernard. de gradib. humilit. ad verba Marci Epiphan. Ancorato longè post med. ac fol. 8. Chrisost. tom. 3. hom. de Trinit. longè à medic. Sed vtraque explicatio impugnata à nobis est disp. 1. Quia textui, & intento non congruit: quia etiam de causa reiicienda est alia Basilij Epist. Citata ad Amphiloch. nempè solum Patrem scire, à se nimirum: de qua etiam expositione Naz. oratione 36. 4. de Theolog. numero 36. ait exiguum intelligere. qui sic intellexerit: quia soli Deitati diei iudicij cognitionem concedere videtur. Duplex ergo expositio probanda, probatáque à nobis, d. 1. fuit. Altera Ambrosij 5. de fide capite 7. Hilarij 9. de Trinit. asserentium eis verbis denotari non esse tempus diem illum propalandi: ac proinde scientiam pro manifestatione ibi sumi, atque pro hac negari consentit Alphonsus de Castro. Sic nescire se boni, ac prudentes dicunt rogantibus, quæ secreto opus habent, & manifestare non expedit, imo Deus ipse eo modo sæpè loquitur, de iis, quæ nouit, vt multis testimoniis. d. 1. demonstrauimus. Altera nobis gratior erat. Gregorij. M. & Naz. Damasceni Nizetæ, vbi proximè Caiet. Vazquij, & aliorum humanitatis viribus, vt ab vsione sciunctę diem illum nescire; suppresit autem vnionis titulo scire vt discipulorum curiositatem de eius diei notitia compesceret, quam Angelis negatam, atque præcellenti humanitati tot miraculis illustri de se indebitam, nec sui titulo datam Magister profitebatur.

nulla est in re præsenti difficultas. Quæstio autem de possibili paulò est difficilior pro qua statuendum est errorem culpabilem (quem non aptè hic cum practico, quo omnis peccans est ignorans, Vasq. & Lugo confundunt) in humanitate Christi esse non potuisse: cum ea esset, etiam vi vnionis ad verbum antecedenter impeccabilis.

2 Solum ergo potest esse quæstio de errore inculpabili an humanitati Christi potuerit absolutè continge? affirmant Vasq. proximè, Lugo d. 21. sect. 3. num. 26. §. *oppositæ sententiæ* vbi Theologorum plurium, & Recentiorum, & antiquorum esse ait. Negat autem Soar. d. 24. sect. 3. §. *difficile quidem*, Sed nescio an debita distinctione disputent, ac doceant. Etenim, vt clarè hac in re, & disputetur, & definiatur dupliciter humanitas Christi consideranda est. Primo, vt præcisè vnita, secundo, vt scientiis beata, atque per se, & per accidens infusis etiam ornata. Deinde, vt sic ornata possumus loqui de errore circa earum scientiarum obiecta, si quæ sint, alia præterea, quæ eiusmodi scientiis cognoscuntur, quibus positis dico secundo. Circa obiecta earum scientiarum nullus potest error absolutè esse in humanitate Christi eis scientiis ornata. Huic conclusioni assentitur Soar. nec dissentiri possunt, Vasq. & Lugo. Ratio est prompta: quia implicat error cum scientia, & euidentia circa obiectum idem: atqui in humanitate Christi illis scientiis ornata est scientia, & euidentia circa earum obiecta: ergo in humanitate Christi eis scientiis instructa implicat error circa earum obiecta. Maior est dignitas, siue axioma philosophicum probatum abunde controuers. de anima, controu. de actibus intellectus, ac de se patens. Quid enim virtutis habebit medium obscurum erroneum, atque, vt summum, verosimile, & apparens, vt in conspectu motiui certi, & euidentis intellectum mouere trahereque possit in assensum, seu iudicium oppositum; circa alia si quæ sunt obiecta eadem est difficultas, ac de errore humanitatis vnitæ, nec iis scientiis ornatæ, cum circa illa obiecta perinde se aliorum scientia habeat, ac si in humanitate non esset.

3 Dico tertio contra Vasq. & Lugo. Humanitati præcisè, vt vnitæ hypostaticè repugnat absolutè error. ita Soar. citatus. Cuius pietati, potius quam rationi assentior. Nam actiones suppositorum in sensu Soarij non esse sæpè, ac plus satis ostendimus: quare ob eam rationem humanitatis error verbi re ipsa non esset, nec cum eius infallibilitate pugnaret, sed solum per idiomatum communicationem, quomodo plura alia re ipsa verbo repugnantia ratione vnionis hypostaticæ de ipso dicuntur. Anselmi citati testimonia extra rem sunt. Nam loquitur de humanitate Christi non præcisè, vt vnita, sed, vt re ipsa Magistra omnium, atque scientiis ad id muneris necessariis fuit ornata: quas si demas non inuenio ratione solius magisterij, cur absolutè decipi humanitas nequeat, sicut absolutè decipi, errareque summus Pontifex potest, licet Dei nomine errorem nequeat docere, quod neque humanitas errans præstare tunc posset. Denique arguit. Quia physicus ille humanitatis error inculpabilis, respectu verbi permittentis culpabilis foret, quod repugnat verbo accidere, vt se in aliquo culpabiliter gerat. Sed antecedens in sua communi doctrina de ratione formali personalitatis probare non potest contra Vasq. qui respondet verbum non aliter teneri regere humanitatem vnitam, quam sui prorsus iuris etiam sibi vnitam reliquit, quam reliquas non sibi vnitas humanitates.

4 Cæterum in nostris principiis firma, imo vnica pro conclusione ratio est. Diximus enim rationem formalem personalitatis præter rationem essendi independenter ab vnione ad aliud, quam dicit subsistentia propria addere naturæ subsistentis independentiam in operando, siue rationem essendi cum pleno, & absoluto Dominio operationum suarum independenter ab alio, cui incumbat regimen, & gubernatio ipsius in illis, vt

CERTAMEN II.

Nullus error in Christi humanitate fuit, essevè potentia absoluta potuit.

1 Conclusio negatiua de facto Catholica prorsus, imò magis Catholica est quam præcedens: Aduersatur hæreticis citatis cert. 1. numero 2. fine, & Magistro Victoria Dominicano, qui docebat supra deceptiones sensuum humanitatis in Christo ad intellectus etiam deceptionem peruenisse. Probatur primo, quia error magis dedecet humanitatem vnitam, quam ignorantia: atque hæc, indecentiæ causa, non fuit de facto in Christo, vt vidimus: ergo multo minus fuit de facto error. Secundo: quia error nec Beatos docet, quam ab eis de facto abest: ergo multo magis ab humanitate Christi. Tertio: quia, vt benè ac fusè persequitur Anselm. libro secundo, *Cur Deus homo?* capite 3. error de facto in Christi humanitate admissus multum authoritati Magisterij, & doctrinæ hominis Christi derogarer, quarto: quia cum esset in Christo scientia obiectorum infusa, & clara præsto sensuum, & apprehensionis deceptiones, siue errores corrigebantur, ne de re vlla aliter ac in se esset iudicaret. Et quidem in quæstione de facto

aiebat. S. Th. à nobis datus, & explicatus. d. procem. q. 2. vnde fic ad personam, quæ naturam personat alienam, ita eius gubernationem spectare, vt quidquid indecens illa admittat, licet inculpabiliter, vitio personæ ipsam suppositantis, ac personantis vertatur, si ab hac potuerunt impediri; sicut, imò magis, quam tutori, curatori, & Pædagogo actiones defectuosæ minoris, & pupilli, quas potuerunt impedire, licet inculpabiliter ob defectum aduertentiæ à minori, & pupillo fiant: quia ex munere tenentur eas vitare in natura, quam vt propriam sua sub cura regendam susceperunt ex quo sic arguo. Error physicus est ex obiecto malus etiam moraliter, vt admittit Lugo num. 28. §. *Respondeo transeat.* & patet quia error est abusus potentiæ naturalis datæ à Deo, vt veritas cognoscatur: ergo accedente voluntario sufficiente ad culpam erit culpa, & malum morale: atqui in permissione, erroris etiam inculpabilis humanitatis, quem posset verbum impedire esset sufficiens voluntarium verbi ad culpam ipsius: ergo peccaret verbum errore etiam inculpabili humanitatis: quod prorsus repugnat, ac proinde, & error etiam inculpabilis humanitatis. Subsumptum probo. Ex eo quod tutor, & Pædagogus naturam pupilli suam ad regimen ex munere fecerint, satis apponunt voluntarij ad culpam in permissione voluntaria defectuum ex obiecto malorum, pupilli inculpabiliter etiam eos operantis: at verbum, strictius iure vnionis, & personationis humanitatis Christi suam illam fecerat ad regimen, & gubernationem actionum ipsius: ergo permissione voluntaria inculpabilis erroris humanitatis, qui ex obiecto malus est, satis apponeret voluntarij ad culpam.

5 Totus est Lugo in negando, atque impugnando subsumpto. Putat enim vt aliquid ex obiecto malum imputetur ad culpam opus esse, vt voluntarium sit naturæ ipsius, quæ illud physicè operatur. Oppositum autem exemplis datis euicimus, milleque aliis possemus. v. g. Prætoris, quia mentem exurere segetes, domum, vel publicum aliud ædificium permitteret, cum posset impedire: qui tamen voluntaria permissione actionis illius in amente inculpabilis satis voluntarij apponeret, vt alterius factum ex obiecto malum sibi imputaretur ad culpam. Sed instat Lugo poterat verbum licitè interficere humanitatem sibi vnitam: ergo, & errorem illius permittere. Negatur consequentia. Vnio enim personalis non exemit humanitatem à supremo dominio verbi, sicut intra regimen verbi in operando constituit. Quod si diceret. Potest verbum permittere humanitati se ipsam occidere inculpabiliter, quod ex obiecto malum est, quin verbum peccet: ergo, & incidere in errorem paritas quidem esset; sed negandum antecedens foret. Denique opponit. Potest verbum permittere humanitatem vnitam in amentiam incidere: ergo, & errare. Sed, si loquatur de amentia, cui etiam inculpabiliter causam humanitas daret, negandum esset antecedens: eadem enim est ratio, ac de errore actuali; secus si de amentia sine concursu, siue cooperatione humanitatis, etiam inculpabili, quæ cooperatio nequit in errore deficere.

6 Conflat hinc, quid in ea quæstione, quam hic decidendam ex d. de Christi impeccabilitate asseruauimus dicendum sit: an scilicet humanitas Christi potuerit materialiter absolutè peccare affirmat Lugo d. 26. sect. 4. num. 48. expresse: videturque affirmaturus Vasq. d. 61. num. 55. admittens potuisse esse in Christo motus inordinatos appetitus sensitiui, quia nisi rationis consensus accedat peccata non sunt. Sed negandum tamen est: quia, licet ex inaduertentia actus materialiter malus possit malus non esse, imò ex errore meritorius humanitati, tamen nequit non verbo vnito ex obligatione regiminis, & gubernationis humanitatis culpabilis esse. Sed instabis denique error non est ita intrinsecè malus ex obiecto, vt nequeat ex fine honestari: ergo ex fine ostendendi veritatem humanitatis assumptæ potuit honestè, & humanitas errare, eiusque error à verbo, permitti quemadmodum Philosophos, quod ei scientiæ suæ gloriam non tribuerunt. *Sed euanuerunt in cogitationibus suis traddidit Deus in reprobum sensum:* Dæmonesque quotidiè infusis erroribus punit. Respondetur tamen errorem esse intrinsecè malum: quare nec posse accedente voluntario sufficienti non esse peccatum tam humanitatis voluntariè errantis, quam verbi in sibi vnita permittentis in Deo respectu Philosophorum alia est ratio: nam permissione ipsa peccati formalis punire delinquentes potest, atque physicam entitatem peccati, provt ab ipso est, velle quare, & errorem damnatis infundere.

QVÆSTIO II.

De Christi Domini admiratione, & risu.

Admirationem, ac risum in eandem cogimus quæstionem, quia hanc risus supponit, ac proinde quidquid admirationem impedit alicui, & risum impediet.

CERTAMEN I.

Nusquam in Christi humanitate fuit admiratio vera.

1 Legimus Matth. 8. Christum Dominum Centurionis fidem miratum dixisse tantam se in Israële fidem non inuenisse. Maldonatus ibi num. 10. nonnullos refert existimantes eam admirationem veram in Christi humanitate fuisse. A qua sententia, dum alij longè abscedere apud eundem vellent, nescio an aliquid recesserint. Etenim illam ipsam explicatius propositam sectantur. Præmissa enim multiplici Christi scientia creata, infusa nempè per se, & per accidens, atque experimentali è rerum euentibus, occurrentibusque obiectis captam, de quibus nos d. 1. aiunt: de iis, quæ scientia experimentali nondum Christus nouerat, licet aliis scientiis ea ipsa illi innotescerent potuisse veram animo admirationem concipere: cum autem Centurionis fides eo vsque experimentaliter Christo nota non fuisset, quia eo vsque euentus non occurrerat, verè de ea fuisse miratum Christum: sed contra: quia si de iis, quæ nondum experimentaliter nouimus, licet alias nobis notissimis, mirari possemus: cum nemo ante rerum euentus eas experimentaliter nouerit, sapientissimus quisque æquè, atque ignarissimus, de omnibus miraretur. Secundo quia non solum de eis, quæ certo aliunde nouimus, sed quæ præsumptione, & coniectura prudenti euentura præuenimus cum eueniunt, ac denuo experimentaliter nouimus non miramur. Ergo multo minus Christus fidem Centurionis, quam clarè prænouerat miraretur, cum eueniret, atque illam denuo experimentaliter euentu ipso nouit.

2 Vera igitur nostra, & concors Theologorum omnium, qui hac de re disputarunt, sententia est: Christum miratum verè nunquam fuisse, etiam Centurionis fidem: vt eo etiam Matth. loco Patres, atque interpretes omnes constanter docuerunt, ibi docent miratum dici, quia ad eximiam Centurionis fidem commendandam ea signa Christus fecit, quæ admirantes facere, atque exhibere solent. Sic Deus iræ incapax iratus dicitur cum durè punit: quia id ipsum irati homines facere consueuerunt.

Ratio à priori ad manum est. Quia vera, ac stricta admiratio de iis solum concipi potest, quæ denuo sciuntur, atque absolutè antea ab eo, qui illa miratur ignorabantur: atqui Christus, & Centurionis fidem, & futura reliqua ab ipsa sui Conceptione clarè nouerat, vt vidimus: ergo nec Centurionis fidem, nec futurorum aliud ante eorum euentum absolutè ignorabat: ergo neque, cum eueniebant, ac denuo experimentaliter nouerat, aliquid eorum mirabatur. Sed, vt auditoribus fidem, ad quam eos volebat accendere, Centurionis commendaret, ea tunc dixit, fecitque, quæ mirabundi assuescunt exhibere.

3 Hæc porro expressa, constansque fuit Augustini sententia ad eum Matth. locum. Etenim. 1. contra aduersar. leg. & Prophetar. c. 7. sic habet. *quisquis miratur, secundum consuetudinem, qua homines loquuntur, inopinatum, atque improuisum sibi esse significat, quod miratur. Sed Iesus, qui omnia præsciebat, quod mirandum aliis prædicabat, mirando laudabat.* & 1. de Genes. contra Manich. cap. 8. *quis autem in illis fecerat illam fidem, nisi ipse, qui miratur? quod si, & alius eam fecisset, vt quid miraretur, qui præsciuerat? quod mirabatur Dominus noster nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moueri. Omnes igitur tales motus eius, non perturbati animi sunt signa, sed docentis Magistri.* Quid precor ad rem hanc dici, siue clarius potuit, siue illustrius?

3 Nihilominus præfixa conclusio non nutat. Primo quia humanitas Christi ab initio conceptionis, ac deinceps in actuali omnium obiectorum suarum infusarum scientiarum cognitione perstitit semper, vt supra d. 1. docebam, nisi spatio illo breuiculo, horti, quo sponte à lætis obiectis animum auertit, vt ttistitiæ, & anxietati faceret locum. Cum enim ad eius scientiæ vsum conuersione ad phantasmata opus non haberet æquè facilè omnia simul, atque eorum obiecta singula cognoscebat. Secundo: quia, licet non semper in actuali omnium clara cognitione fuisset, tamen pro loci, & temporis oportunitate alia, & alia, præcipuè notabiliora actu cognoscebat: quare nullibi ei inopinatum accidere, occurrerevè potuit. Tertio: quia, licèt habitus, & species ob literatæ animum contra obiecti nouitatem, & de eo admirationem concipiendam non arment, vt exemplis datis euincitur; ast Christi domini memoria, sicut reliquæ humanitatis ipsius potentiæ, viuida, firma, ac perfectissima fuit, quod satis erat, vt res antea cognita, nec nouitatem menti ingereret, neque admirationem.

4 De risu iis ipsis datis probatisque conclusionibus satis est definitum nec in Christo fuisse: quod satis probatur, quia nullibi ridens Christus ab Euangelistis refertur. Secundo quia cum risus admirationem necessario supponat cum in Christo admiratio non fuerit, nec risus fuisse conuincitur. Constat item neque esse potuisse risum in Christo ob eandem dependentiam risus ab admiratione, si vera sunt, quæ de admirationis impossibilitate in Christo docebamus.

CERTAMEN II.

Nec potuit Christi humanitas de aliquo mirari.

1 REs hæc ratione, quam pro antecedenti conclusione dedimus satis demonstrata videbitur; sed tamen nisi aliquid addatur minus, quam par est, conclusio hæc ratione illa euincetur. Si enim verum sit, quod Vasq. d. 53. cap. 2. num. 18. §. *Alterum vero* docebat: nempè Christi humanitatem non semper in actuali omnium futurorum cognitione perstitisse de rerum euentibus admirationi non admodum angustus aditus videtur patere. Pone enim per aliquot, neque admodum paucos annos grande aliquid destitisse Christum cogitare, ac demum illud coram ipso euenire: cur illud non miraretur? tunc enim ante acta iam olim obiecti illius cognitio adeo obliterata esset, vt ad præueniendum contra admirationem animum, atque vt eius cognitionis experimentalis nouitatem admirationi necessariam denudaret, penè non fuisse videretur: ergo illud posset Christi humanitas mirari.

2 Dices species, infusas, atque habitualem Christi tandiu etiam de obiecto illo actualiter non cogitantis, scientiam satis esse, vt eius humanitas contra obiecti nouitatem, atque de illo admirationem præueniretur. Mitto nunc scientiam habitualem solum actibus acquisitam, quæ sola intento respondentis posset in seruire nullam ab speciebus diuersam esse. Contra quia videmus senes gnaros antea, quibus, & habitus, & species præcognitorum ad sunt, vel obiectorum similium, de similibus, imò iisdem denuo visis mirari, ac ridere, quod extremum nusquam sine admiratione fit. Videmus item Doctores vetulos apprimè olim in suis facultatibus instructos, præclarosque Magistros, ad earum, quas ipsi docuerunt propositiones auditas mirari sæpè, ac penè obstupescere: cum tamen eis, neque earum scientiarum habitus, neque species desint, neque per oppositos actus perierint. Adde habituali cognitione, & specie impressa obiectum menti formaliter non præsentari: quare cum præterita cognitio temporis tractu prorsus elanguit æquam ferè nouitatem menti obiectum ingerere, ac si nunquam cognitum fuisset.

QVÆSTIO III.

De Christi Domini timore.

TImoris affectus, sicut, & admirationis voluntatis actus est; sed tamen quia hic scientia Christi, æquè atque illa, nonnullis impediendus videbitur, hic etiam de eo disputabimus.

CERTAMEN I.

In Christi voluntate rationali fuit mortis, & passionis timor, ac, & de aliorum scandalis timor, & dolor.

1 CAiet. 3. p. q. 46. a. 7. & 8. ratione sua. Titelm. & Iansen. in Matth. 26. timoris affectum humanæ rationali Christi voluntati negant. Vtrumque autem affectum timoris, & doloris in ipsa recognoscunt. S. Th. in 3. d. 15. q. 2. a. 3. q. 2. & 3. p. q. 46. a. 7. & 8. ipso Caietano teste vbi reliqui eius interpretes Alex. q. 18. a. 1. §. 2. Henric. quodlib. 8. q. 7. Albert. M. d. citata. a. 8. fin. Scot. q. vn. §. *quantum* ad 3. Gabr. q. vn. a. 1. not. 1. a. 2. concl. 4. Almain. q. 1. ante med. in Corol. & concl. 4. Mai. 4. a. 2. Capreol. d. 17. q. vn. a. 1. concl. 1. S. Bonau. d. 13. a. 2. q. 2. corp. & ad vlt. Marsil. in 3. q. 11. a. 2. concl. 3. & 4. Ricard. citata d. 15. a. 4. q. 2. Dur. q. 2. ad 1. Palud. a. 1. concl. opin. 3. Vasq. d. 73. c. 4. num. 23. Soar. d. 38. sect. 3. Lugo. d. 22. sect. 2. Vvadingo. d. 6. dub. 2. concl. 2. Bernal. d. 41. sect. 2. atque vt longiorem vitem catalogum scholastici reliqui. Scio inter hos adhuc esse de nomine dissidium: quibusdam asserentibus eum timorem, & dolorem fuisse in Christi rationali voluntate secundum portionem inferiorem, quæ circa sensibilia versatur, non autem secundum superiorem, quæ versatur circa æterna. Sed hi non aduertunt etiam iuxta hanc suam portionum voluntatis diuisionem de malis æternis aliorum timorem, ac dolorem

dolorem concipi à voluntate Christi secundum portionem superiorem potuisse: secundo diuisio, & conclusio hæc absolutè est falsa. Etenim diuisionis portionum earum author Augustinus superiorem vocauit, quæ circa obiectum quoduis regulatum secundum regulas æternas versatur, vt doctè probat Vasq. 1. 2. d. 105. c. 4. inferiorem, quæ circa quoduis secundum regulas temporales. Vnde conclusionis falsitas patet. Cum enim Christi timor, & dolor de quouis obiecto etiam sensibili ex virtute atque honestate fuerit, de illo non nisi vt regulato, & moderato secundum regulas æternas esse potuit, quare, & secundum voluntatis rationalis superiorem portionem. Sed quidquid de nomine sit constat concordem esse Theologorum sententiam eos affectus timoris, & doloris in voluntate rationali humanitatis Christi fuisse: quare neque id sine temeritate, vt minimum negari posse id quod iampridem damnatum est tempore Alexandri ab Academia Parisiensi, grauique censura dignum iudicatur à Vasq. d. 62. c. 3. n. 17. §. *Postremo*, atque ab aliis Recentioribus.

2 De aliorum scandalo timor, & dolor voluntatis rationalis humanitatis Christi probatur ex illo, *væ mundo à scandalis*, atque illo, *væ autem homini illi.* Atque ad illud *omnes vos scandalum patiemini in me* Docent Ambros. Hilar. & Hieron. qui etiam Christi timorem etiam in horto, non tam de passionis, ac mortis suæ acerbitate, quam de Iudæorum in eis perpetrandis peccato fuisse his verbis asseruit. *Signanter dicit transeat à me calix iste. Id est populi Iudæorum, qui ignorantiæ excusationem habere non poterunt si me occiderint.* Ad quæ etiam verba Origen *vt, & mundus saluetur, & Iudæi in mea passione non pereant.* Quibus consentit Beda ad eundem locum; eos vero affectus de passione, & morte sua Christi rationalem voluntatem tunc in horto habuisse, cum verbis illis patrem orabat satis oratione ipsa Christus explicuit, atque Euangelista illis verbis *Cæpit pauere*, ac plus satis, *guttæ illæ sanguinis* è pauore, ac timore concepto decurrentis in terram. Huius timoris merito Martyrum fortitudinem tribuunt Cyril. 10. Thes. c. 3. post med. Bernard. serm. 1. de B. Andrea. Chrysost. hom. 24. in Matth. circa fin. Damasc. 3. de fide cap. 18 vbi, & cap. 23. ipse, ac Cyrill. 4. in Ioann. cap. 1. Athan. de incarnat. Christi longè à med. Nyssen. lib. contra Apollinar. Epiphan. hæresi 69. contra Arionanitas hæresi 76. Contra Dimoeritas ex eo loco probant in Christo humanam naturam mente, & voluntate propria præditam, quia in Dei voluntatem, ac mentem, timor, dolor, ac tristitia cadere nequeunt. Ex iisdem item Scripturæ, & Patrum testimoniis Agatho. Pap. epist ad Imperatores apud 6. Synod. act. 4. approbata act. 1. & Constantin. Pogonat. in edicto fid. act. eadem approbat à Leone pap. 2. Item Concil. Lateran. sub Martino 1. act. 5. probant, definiuntque contra Monothelitas voluntatis humanæ operationem propriam in Christo fuisse, nec solam volitionem diuinam. Adde Fulgent. 3. ad Trasimundum & cap. 21. & 22. Augustin. ad id psalm. 93. *Quousque iustitia conuertatur in iudicium.* Qui timoris, doloris, ac tristitiæ de morte etiam, ac passione sua in voluntate rationali humanitatis Christi admittunt fusèque probant.

3 Ita verò Fulgent. & August. affectus hosce in Christi humana voluntate probant, vt voluntarios illos, ac liberos in ipsa voluntate, ac prius in illa, quam in appetitu sensitiuo vsum libertatis minimè quoad illos in christo præueniente excitatos fuisse probent, quin potius ex libero voluntatis timore, timor appetitus sensitiui in in Christo natus est; id quod docuerunt etiam Leo 1. epst. 11. quæ est ad Iulianum dicens: *Vigebat veritas affectionum sub moderamine Deitatis, ac mentis.* Sophronius epist. recitata in 6. Synod. act. 11. recepta vero act. 13. scribens: *erat namque ipse sibi reconditor* (id est primus condus, seu *despensero* hispanè) *Passionum humanarum, & actionum, & non solum reconditor, sed & arbiter.* Athanas. lib. de incarnat. Christi id Ioan. *Nunc anima mea turbata est.* Sic expendens; *Nunc idem est, quod quando voluit.* Ex quo eadem docet Damasc. citato cap. 23. Chrysost. hom 62. in id Ioan. 11. *Infremuit spiritu, & turbauit semet ipsum* Sic habet *Norat lacrymas excitare, & affectum arguere.* id est compescere quod fremitu ostendit, cui consentiunt August. tract. 49. in Ioan. Theophylact. & Eutymineum locum Cliocthouæus 7. in Ioann. capite 20. Maldonatus, & Tolet. ad citata Ioann. loca. Ex Scholasticis vero Caiet. 3. p. q. 8. art. 2. Palud in 3. d. 17. q. 1. art. 3. in 3. modo dicendi Durand. d. 15. q 2. num. 5. Vasq. d. 62. c. 1. n. 2. & communiter Recent. Ea vero motuum primo primorum cohibitio non fiebat in Christi voluntate per virtutem physicam maiorem voluntatis humanæ Christi, quæ per vnionem potentior physicè effecta non est, sed impetratiuè à Deo iure enim vnionis voluntati Christi debebatur gratia præueniens, qua liberè, atque honestè motus similes appetitus voluntate præueniret, excitaret, atque excitatos compesceret, prout vellet.

4 An autem eiusmodi affectus voluntatis Christi, passiones animi strictè, ac propriè dici possint quæstio est de nomine, in qua affirmo cum S. Thom. q. 15. art. 4. vbi eos animam Christi passibilem absolutè appellat, cum Vasq. vbi proximè num. 5. ex Cyril. 10. Thes. cap. 3. Damasc. 3. de fide cap. 20. fine. Ambros. 2. de fide c. 3. fine. Fulgent. 3. ad Trasimund. cap. 21. licet enim in nobis hi affectus rationem, ac libertatem præuenire, atque ad malum inclinare soleant, quorum neutrum in Christo habuerunt, non tamen inde passiones propriè, ac strictè nominantur, sed quia cum aliqua corporis passione, ac commotione fiunt, quæ vtique in Christi corpore non defuit; Sed tamen quia vulgari, licet non scholastica, ac propria acceptione passione animi vehementes in malum inclinationes nominantur, quibus; qui carent passiones non habere dicuntur, cauendum merito monet Bernal. d. 41. sect. 1. num. 4. ne, dum ad vulgus habetur sermo Christus passiones habisse dicatur, ne aliquem inordinatum affectum saltem primò primum rationis perturbatorem, ac proinde Christi humanitate indignum imperiti intelligant: neque audiendus est Hieronymus in id Matth. 26. *Tristis est anima mea.* Affectus holce voluntatis Christi pro passiones vocans: rationem præuenientes nimirum, vt dixerat ad id Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam.* Est quippè ea in re singularis, & reliquis Patribus datis aduersus: nec fauet Leo Pap. 1. citata epist. dicens: *sensus corporei vigebant in Christo sine lege peccati.* Nam motus primo primus in malum lege peccati inductum fuit, estque non quidem peccatum, ast imperfectio Christi humanitate indigna. Nec magis fauet 6. Synod. act. 4. & 8. statuens habere humanitatem Christi, *omnia quæ humana absque peccato* sunt. Quod non est motus primo primus in malum: Nam definitur ibi contra Monothelitas, qui omnem affectum voluntatis creatæ Christi peccatum fore putabant.

5 Solus Cyrillus 10. Thesc. 2. post med. his verbis videtur Hieronymo fauere. *Singulas passiones carnis in Christo absque peccato commotas inueniet. non vt ab ipsis homo ille superaretur, sicut, & nos, sed vt commotæ vincerentur virtute inhabitantis verbi: & sic natura nostra reformaretur ad melius.* Ergo admittit Cyrillus motus, seu passiones deordinatas in malum in Christi humanitate, licet verbi virtute deuictas. Respondet Vasq. loqui ibi Cyrillum de fuga, & timore mortis, quæ quidem passio, seu mala de se inclinatio non erat: quia passiones, seu malæ inclinationes sunt circa obiecta de se mala, non autem quia prohibita, vt erat fuga mortis in Christo, quæ ex prohibitione, & præcepto solum mala erat. Contra primo: quia passiones inclinantes ad malum tales non sunt, quod in malum, qua tale inclinent, sed in bonum delectabile, quod hic, & nunc malum est, quod malum est ex præcepto prohibente, atq; ex se malum est. Contra secundo, quia venerea delectatio mala de se, & essentialiter non est, cũ accedẽte matrim. mala non sit, sicut deficiente præcepto mala non sunt, quæ ideo sunt mala; quia prohibita: ergo inclinatio ad illam passio non est, quare æquè, atque timor, & fuga mortis poterit in Christo admitti: quod est execrandum. Contra tertio: quia propensio, & simplex complacentia, & inclinatio ad esum carnis die veneris passio est, & inclinatio mala, & tamen eius carnium non est de se malus; sed solum ratione præcepti prohibentis.

hibentis. Respondetur facilius mortis fugam inefficacem in Christo prohibitam non esse præcepto moriendi, cum voluntate efficaci acceptandi, ac non refugiendi illam ab hostibus oblatam non opponatur: quare malam adhuc ex obiecto, & præcepto non fuisse, quin potius fuisse honestam, ac meritoriam. Inclinare autem in malum possent, nisi vnio adesset, quatenus efficacem mortis fugam inferre, atque inducere tunc possent: sed tamen virtute verbi vniti, etiam in actu primo superantur, ne in eam inclinent, vt ait Cyrillus: quare neque passiones eo sensu sunt.

CERTAMEN II.

Quæ timorem, ac dolorem Christi impugnant, examinantur.

1 OPpones Fulgent. 3. ad Trasimund. c. 6. dicentem *verè passus passioni non subiacens, mortuus mortem non sentiens.* dici posset non subiacere passioni cedentem, ac deuictum Christum, atque eo sensu mortem non sensisse: sed certè loquitur de Christo qua Deus est: licet enim per idiomatum communicationem passus, ac mortuus verè dicatur Deus; ast Deus qua talis nec passus physicè, nec mortuus est, nec mortem sensit. Oppones Aug. Enarratione. 2. in Psal. 21. ad id. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies.* Vbi impauidum contra mortem Paulum contemplans ait. *Non est fortior miles, quam Imperator &c. Ille optat mortem, vt sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem?* nequaquam inquit. Respondetur solum negare Christi timorem, ac fugam efficacem mortis, non autem inefficacem, quam neque in Paulo negauit, sed vt naturalem affectum fateretur. A ratione oppones timorem dicere mali imminentis incertitudinem, ex qua euadendi illud spes concipi possit teste Arist. 2. Rhetoricor. c. 5. vnde inter non timentes eos enumerat *qui spe extincta malis immortui sunt, veluti extremè timi: sed opus est salutis subesse spem: pro quo luctantur. Cuius signum; quod timor ad consulendum inducit. Nemo enim de re consulit, de qua non est spes.* At Christus mortis, & futurorum certitudinem habuit: ergo non potuit habere spem illa vitandi, neque de illis timorem quo circa Marci 14. pauori Christi tædium, & mœstitiam adiunxit, vt non de proprio timore, sed de tristitia intelligatur locutus, vt tandem concludit S. Th. q. 15. a. 7.

2 Caietan. ibi interpretatur S. Th. de timore voluntatis rationalis Christi, quæ cum scientia intellectuali Christi regeretur, per quam certitudo mortis suæ, & malorum aliorum Christo aderat, timere, per voluntatem rationalem Christus non poterat, vt argumentum probat, quia neque eorum euasionem sperare valebat: at timorem appetitus sensitiui de morte sua non negasse: quia Phantasiæ cognitio, qua hic regebatur solum apprehendebat mortis periculum, nec certo futuram indicabat ex qua negatiua mali illius in certitudine poterat benè Christus per appetitum sensitiuum timere. Sed contra primo: quia interpretatio hæc deserit dogmaticam sententiam de timore voluntatis rationalis Christi de sua morte, ac negatiuam parum in fide tutam Angelico Doctori iniuriosè appingit. Contra secundo: quia San. Th. eo loci de timore appetitus sensitiui expressè loquitur, cum quo solum humanitati Christi negat. Contra tertio: quia ratio Caietani, & asseclarum Thomistarum falsa omnino est. Etenim certitudo intellectus in sensum, deriuat, ita, vt nequeat non, vt certum, aut incertum sensu apprehendi, quod certum, aut incertum ab intellectu iudicatur: sicut indicante intellectu non fore malũ, quod antea imminens apprehendebatur, & futurũ, ac proinde timebatur, timeri illud post hac ab appetitu nequit. Quarto: quia è sola illa negatiua incertitudine mali, nisi cognoscatur positiuè posse illud non esse, & fortasse nisi apprehendatur non fore nequit spes concipi illud euadendi, vt oporteat per Thomistas ad hoc, vt appetitus possit propriè timere.

3 Lugo. d. 22. sect. 3. vt argumento satisfaciat recurrit ad signa naturæ; vt prius natura cognouerit mortem non vt certo futuram sicque, & timuerit, spem euadendi conceperit, mediaque euadendi tentauerit: nempè orationem ad Patrem: posterius vero natura mortem certo futuram cognouerit, sicque nec sperare potuerit, nec timere, vt argumento ipso conuincitur. Contra primo: quia eâdem scientiâ infusâ mors, eiusque certitudo, seu necessitas humanitati Christi repræsentabatur: ergo vtriusque cognitio simul natura fuit: neque enim idem ipsum realiter se ipso prius, ac posterius natura esse potest. Secundo: ab instanti conceptionis Christus certam habuit de sua morte, eiusque futuritione necessaria cognitionem: ergo certitudo hæc præventa à cognitione incerta mortis pro priori naturæ non fuit. Tertio: quia vel illa priori cognitione mortis imminentis, non autem certitudinis eius cognoscitur mors vt euitabilis, vel non? primum esse nequit, quia esset ea cognitio falsa, & erronea in Christo non admittenda: secundum autem satis non est ad spem vitandę concipiendam: cum hæc non nisi de malo cognito, vt vitabili concipi nequeat: ergo ex ea scientia, & cognitione non potuit Christus timere: quia, vt hic concedit argumento, cui respondet, ea solum quis mala timere potest quorum euasionem sperare potest, quarto demum: cum Christus pro priori naturæ ad cognitionem certam futurorum sciret sibi certam eorum omnium cognitionem deberi, imprudenter spectaret mortem vitare, mediaque ad vitandam apponeret anticipato ad signum posterius, in quo certo sciret an illam vitare posset: ac proinde an vtiliter, an irrito vitare spectaret, atque ad vitandam media possent apponi.

4 Melius respondet Vasq. d. 62. c. 3. num. 24, ex quo Soar. ac reliqui cognitionem non certæ futuritionis mali imminentis, ac proinde spem illud vitandi non requiri ad timorem proprium, vt sic, sed ad efficacem: ad quem solum sequitur consultatio mediorum ad illud vitandum, ac de quo Arist. loquebatur. Nam timor, seu fuga inefficax (qualis fuit in Christo) mali non infert necessario consultationem mediorum, licet ex eo, sicut ex quauis voluntate inefficaci media possint liberè apponi, & quidem fugam voluntatis imminentis mali certo cogniti affectum esse, & passionem animi veram, ac propriam certum est: atqui non est tristitia, quæ solum est de malo præsenti, & habito, neque vlla alia passio: ergo est vera, ac propria passio timoris. Secundo spes de bono indubitanter, ac certè futuro concipi potest propriè: ergo, & timor de malo certè futuro concipi propriè poterit. Antecedens patet, quia ex. S. Th. q. 7. a. 4. & communi Theologorum Christus sui corporis gloriam propriè sperauit, & in mea sententia fusius traddenda. d. 4. plura alia, quæ certo sibi futura nouerat. Consequentia est certa, & in qua, vel maximè illud axioma tenet oppositorum eadem est ratio. Tertio: eadem vi consequentiæ sic arguo: de ratione spei propriæ de bono futuro non est timor illud amittendi: ergo nec de ratione timoris proprij de malo imminenti erit spes illud vitandi: quare neque cognitio euitabilitatis eiusmodi imminentis mali. Ratio à priori: quia nequit esse de essentia actus connexio cum actu sibi opposito, atqui spes est actus oppositus timoris proprij: ergo nequit esse de essentia timoris proprij connexio cum actu proprio spei, neque contra, huius cum actu timoris: ergo alteruter sine altero esse potest. Secunda ratio à priori sit: quia cognitio minuens, ac retrahens obiectum proprium actus nequit essentialiter ad illum requiri: ast cognitio de incertitudine futuritionis imminentis mali minuit timoris proprij obiectum: ergo nequit ad timorem proprium requiri.

5 Accedunt exempla plura, & obuia: nam potionem amaram, scissionem venæ, cauterium, & iniucunda similia quæ salutis causa passuri certo sumus, atque obfirmato animo elegimus iam iam executi, ac passuri timemus. At inquies rationes hasce à priori in timore efficaci infringi, quem, & cognitionem incertitudinis imminentis mali requirere, & coniunctũ esse cum spe illud vitandi, & consulta

consultatione mediorum ad illud vitandum cum Aristotele admittimus; sed tamen timorem efficacem non putes in ratione timoris maiorem, atque quasi intentiorem esse. Minus enim timet, qui efficaciter timet, quia malum euitabile putat, quam qui timet inefficaciter, quia videt malum imminens esse ineuitabile, v.g. si inimicus nos gladio confossurus inermem, ac reuinctum adoritur, plus, ac vehementius timet, quâ si solutum, & armatum impeteret: at in primo casu timor inefficax erat in secundo efficax. Efficacia ergo non est in timoris vehementia, sed in mediorum appositione, ne sit malum, quod timetur ad quam requiritur cognitio euitabilitatis, quæ quidem minuit timori vehementiam, quæ adesset, si idem malum ineuitabile cognosceretur, Sicut boni sperati incertitudo, & contingentia minuit fiduciam, siue confidentiam spei, licet solertiores reddat, ad media apponenda plura: quare ratio vltima firma semper est. Prima autem non dicit non posse esse timorem mali futuri, sed non necessario connecti ex genere: cum ex genere opponantur: licet in specie possint coniungi, quia timor, qui est fuga mali imminentis, si accedat certitudo de eius futuritione in desperationem agit, si vero absit ea certitudo, absitque probabilitas euitabilitatis, vel non futuritionis, agit in spem illud vitandi, & consultationem de mediis illud euadendi, ex quo vltima ratio confici ad nostrum institutum facilè potest.

QVÆSTIO IV.

De Christi Domini tristitia.

NEst grauissima huius disputationis difficultas cum ob Isaiæ locum: tum maximè ob rationem, quæ Doctores in varias semitas egit.

CERTAMEN I.

Rei difficultas vtraque, & secundæ Doctorum aliquorum solutiones confutatæ.

1 TRistitiam in Christi anima, & rationali voluntate admittunt Patres ac Theologi omnes (si Caiet. Titesm. & Ianscn. citatos q. 3. cert. 1. num. 1. excipias) qui q. 3. cert. 1. dolorem, ac timorem in eadem admiserunt, eamque probant eadem Scripturæ testimonia, Patrumque, & Conciliorum argumenta eadem, & definitiones ex horti tristitia ab Euangelistis concordi historia notata contra eosdem Hæreticos petita: quare eis repetendis expendendisque hic abstinebimus. Sed est tamen contra hanc conclusionem difficilis locus Isaiæ 42. quoad tristitiam Christi de sua morte, & passione: vbi absolutè de Christo ait, *Non erit tristis.* quo nihil videtur clarius dici posse. Mitto explicationes plures maioris molminis, quam veritatis, & ingenuitatis: ac facilè, & genuinè respondeo *Tristem* ibidem significare, ac crucem, torumn, vultuque iracundo non fore; id quod Hebraica lectio satis eleganti Phrasi significauit. Habet enim *Non fumigauit*: id est iræ fumus nares illius non ascender, hispanè *No se le subira el humo alas narizes.* quod valdè sequenti textui consonat; sic enim pergit Isaias: *Neque turbulentus donec ponat in terra iudicium*: tunc siquidem præ ira in scelestos fumigabit, quæ sanè interpretatio eo magis nobis arrisit, quod ipsissima sit Hieronymi ad eum locum expositio verbis hisce. *Nullum terruit vultus tristitia, nec festinauit ad pœnam, qui iudicij veritatem vltimo tempore reseruauit.*

2 A ratione vero duplici ex capite tristitia in Christo pugnare videtur. Primum ex summi boni visione; iudicat enim illa ipsa Beatus, ac proinde iudicabat Christus necessariò satis boni sibi in illo esse, ne dum illud habet de bono alio, siue positiuo, siue negatiuo curet, tristitia autem oritur ex iudicio de quærendo, curandoque alio negatiuo bono, seu malo imminenti fugiendo. Quod quidem iudicium cum primo illo Pugnare videtur. Secundum cum è summi boni visione summa in voluntate delectatio oriatur nullus tristitiæ (præcipuè adeo, atque in Christo fuit vehementi) de obiecto tristi concipiendæ videtur locus remanere iuxta Aristotelis doctrinam 7. Ethicor. c. 14. & quotidianam experientiam. Cum enim nimium gaudemus de iis, de quibus alioqui tristaremur, minimè tristamur. Cuius ea ratio est: quia quando gaudij obiectum summum, imo & vehemens bonum est, ita fortiter ad gaudium rapit voluntatem, tristisque obiecti inferioris in sua linea vires ad tristitiam inducendam debilitat, vt eam nequeat inducere. Idcirco, vt alicuius leniamus, vel depellamus tristitiam, vehementia gaudij, atque oblectationis obiecta, & incitamenta ipsi proponere curamus; quæ sanè rationes vehementem Christi tristitiam Catholicè assertam plus satis impugnant.

3 Difficultate perculsus Melchior Canus 12. de locis c. 14. sub fin. vt tristitiam Christi vehementem Catholicè defenderet illi passionis tempore visionem beatam, ac Deo viso gaudium negauit: ita vtroque volente ad passionis redemptricis acerbitatem. Probat ex illo ad Hebr. 12. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Atque ex Ambros. 10. in Luc. c. *de dolore ac tristitia Christi* sic aiente: *Sequestrata delectatione diuinitatis eterne tædio meæ infirmitatis afficitur.* Ea vero in re singularis, nec sine temeritate, vt doctè ait Soar. Canus fuit: & componendæ difficultati commodo exiguo. Etenim toto passionis tempore visionem, & gaudium de Deo viso, neque in horto solum negare Christo cogetur contra Catholicos omnes Doctores. Secundo in Lazari suscitatione, ac denastatione Hierusalem prænuncitata, quibus in casibus ad lacrymas vsque Christus Dominus tristatus est. Ac demum cum toto vitæ mortalis tempore de Dei offensis ab hominibus eorumque ingratitudine, & perditione ad angorem tristaretur, oportet, vt illum de visione Dei, gaudioque de Deo viso continuo caruisse Canus fateatur. Pauli locus tantum à Cani sensu abest, vt illo exprimatur gaudium de Deo viso, & glorificationem redemptione habendam ad passionem, ac mortem subeundam motiua Christo, atque incitamenta fuisse. Ambrosius vero *Sequestratam*, dixit delectationem, idest sine vsu tristitiæ impediendæ, vt sequestratis euenit bonis, repositam non amissam.

4 Thomistæ alij 3. p. q. 46. art. 8. respondent vnius obiecti tristitiam qualemcumque cum qualicumque gaudio obiecti alterius minimè pugnare, quæ solutio videtur S. Th. ibi Albert. Min 3. d. 15. art. 4. Ricardi art. 4. q. 2. ad 2. ac ferè nostri Granad. tract. 13. d. 2. num. 10. Hæc autem solutio integro robore rationes, & difficultates propositas omnino relinquit: quare, & à reliquis Theologis merito reiicitur Gabr. in 3. d. 15. art. 2. q. vnic. art. 3. dub. 3. Almain. q. 1. dub. 3. fine Scot. q. vnic. §. *Ad primum principale.* & §. *ad secundum.* Dur. q. 3. num. 10. Argentina q. 1. art. 2. ad 1. Caiet. loco citato 3. p. Vasq. d. 73. cap. 3. num. 28. & Soar. supra dicunt pugnam gaudij, & tristitiæ de obiectis diuersis naturalem esse, non autem de potentia absoluta, vt ex rationibus datis patet: quare vtrumque simul componi potentia Dei absoluta potuisse, sicut & contraria coniungi simul eadem potentia possunt, licet ex natura rei inuicem sibi repugnent. Addit Soar. exemplum aliud de compossibilitate assensus, & dissensus circa obiecta diuersa. Sed cum hæc compossibilitas ex natura rei sit, plus probat, quam Soarius velit exemplum, atque illo ad Thomistarum solutionem, quam reprobat ipse relabitur. Cæterum solutio hæc secunda non satisfacit difficultati primæ de cõtradictione duplicis illius iudicij. Secundo incompossibilitas gaudij de summo bono, & tristitiæ de malo alio non est formalis; & contraria solum, siue actuum contrariè, & formaliter solum inter se pugnantium, cui Deus annuere, vel non proinde possit, provt velit, conseruando contrarium in

præsentia

præsentia alterius sed est etiam incompossibilitas antecedens, & in actu primo ex parte motiuorum actus vtriusque: quia nimirum obiectum triste in conspectu obiecti, seu boni summi, de quo vehemens concipitur gaudium mouere ad tristitiam nequit, quæ ratio in Vasq. sententia 1. p. d. 4. c. 2. de incompossibilitate actus fidei cum clara obiecti visione ob defectum virtutis motiuæ ad hominem contra ipsum conuincit: sed & ex natura rei contra omnes.

5 Sic argumentor inuariato obiecto tristi coram summo bono clarè viso nequit variari, essevè fortior vis eius motiua: at potentia absoluta non variatur obiectum triste: ergo nequit esse potentior vis motiua eius coram summo bono clarè viso potentia absoluta, quam ordinaria. Dices vim motiuam non esse in obiecto nudo, ac secundum se, sed vt repræsentato, posse autem à Deo ita repræsentari potentia absoluta, vt magis, ac fortius mouere possit, quam si ordinario modo repræsentaretur. Impugnant Recentiores Complutenses: quia sic repræsentatum naturaliter moueret ac sine miraculo. Sed quid inde; si ea repræsentatio supernaturalis est? Melius impugnatur primo: quia tota vis motiua obiecti stat in claritate cognitionis, quare repræsentatur voluntati; atqui Christo repræsentabantur mors, & reliqua obiecta tristia summa claritate, & tamen per vos naturaliter, & potentia ordinaria non habebant vim motiuam ad tristitiam coram Deo summo bono clarè viso: ergo neque cum potentia absoluta per supernaturalem cognitionem repræsentarentur; quia supernaturalitas non facit clarius obiectum triste penetrari, quam cum perfecta visione, & intuitione videtur: imò non apparet quomodo supernaturali cognitione obiectum purè naturale, vt mors; & passio Christi repræsentari potentia absoluta illi possent, nisi cognitione fidei, qua minus longè clarè, quam intuitiuè repræsentaretur. Secundo nulla possibilis cognitio obiecti tristis est carior, nobilior, perfectior, imo nequè æquè perfecta, ac visio beata Christi, ergo cum hæc habeat, ac proponat, vt obiectum Deum summum bonum magis de se motiuum, ac cæteris paribus debilitatiuum vis motiuæ obiecti tristis, neque potentia absoluta poterit hoc ad tristitiam mouere: Tertio denique quantumuis obiectum triste diuinitùs repræsenteretur fortiter, ac vehementer, nequit iudicium illud necessarium ad tristitiam. *Negatio mortis mihi curanda est.* Consistere cum illo visionis beatæ. *Nihil vlterius boni, siue positiui, siue negatiui curandum est*, vt ratione prima dubitandi à nobis proponebatur num. 2.

CERTAMEN II.

Aliorum solutiones reiicio.

1 BErnal. d. 41. sect. 2. num. 26. ait in obiecto tristi, etiam coram summo bono viso, & gaudio summo, aut vehementi ex eius visione concepto, vim motiuam ad tristitiam esse, si attenderetur, non mouere autem de facto, quia præ gaudio vehementi, vel non attenditur, vel parum, ac proinde parui fuit. Cum autem in Christo, ac Beatis perfecta adsit malorum, siue obiectorum tristium cognitio tristari de eis naturaliter ipsos posse: imo fore tristandos, nisi Deus miraculosè virtuti motiuæ obiectorum tristiũ abnueret: annuit vero illi cum Christus tristabatur. Solutio hæc aduersatur Theologis omnibus, qui negationem tristitiæ in Beatis naturalem esse docent in Christo vero miraculosam. Aduersatur Ambrosio recitato cert. 1. num. 3. atque Aristoteli citato numer. 2. Aduersatur rationi. Nam quantumuis obiectum triste attendatur, & cognoscatur perfectissimè reputatur, atque est exiguum malum comparatione vehementioris boni, ac multo magis comparatione summi boni clarè visi, ac possessi à Christo, & Beatis: quare non poterit naturaliter, imo neque supernaturaliter illos mouere ad tristitiam: cum semper infinitus excessus summi boni in sua permaneat, atque ex alia parte excessus ex parte cognitionis repræsentantis obiectum triste in Beatis non sit, sed etiam inferioritas respectu visionis beatæ, ac respectu visionis Christi nequeat esse in repræsentatione obiecti tristis excessus, sed necessariò debeat esse inferioritas

2 Lugo d. 22. sect. 3. num. 36. respondet argumenta conuincere simul natura, vel prius natura adsint Christo visio Dei, & gaudium beatificum, secus autem si prius natura proponatur obiectum triste. Tunc enim non impeditur pro illo priori vis motiua ipsius ad tristitiam visione, & gaudio summi boni, quod pro illo priori naturæ non est, sed pro posteriori ad tristitiam conceptam, licet simul tempore cum illis adsit, quia posterius natura ad illas donantur; sicque datas Christo in horto, ac toto passionis tempore visionem Dei, ac beatam delectationem posterius natura, quam cognitionem passionis mortis, cæterorumque obiectorum tristium, conceptamque de illis tristitiam. Solutionem impugnat Bernal. vbi proximè num. 22. pluribus inefficacibus argumentis: quippè quæ ei innituntur principio, quod eadem reipsa visione Deus, ac Deo viso gaudium, atque obiecta tristia, siue absolutè futura, siue existentia vila à Christo fuere: respectu autem sui ipsius nihil esse potest prius, aut posterius natura. Sed negat facilè principium Lugo nam pro priori naturæ obiecta tristia per scientiam per se, vel per accidens infusam proposita docet. Melius impugnatur ad hominem, quia negat d. 27. sect. 2. visionem Dei datam Christo dependenter ab eius actionibus, quia in vnione est ius adæquatum ad visionem beatam, nequeest aliud expectandum.

3 Dices non expectandum, vt meritum, non autem, vt conditionem arbitrariam Dei, ex fine tristitiæ humanitatis, quæ alias nequit defendi; sed ostendam alio modo defendi tristitiam humanitatis cert. 3. ac statim hoc modo non posse defendi. Vnde constat secundo fine vllo fundamento in scriptura, aut ratione Theologica poni visionem dependenter à tristitia tanquam à conditione. Tertio: si tristitia, vt de facto in Christo fuit honesta, ac meritoria expectata pro priori naturæ est à Deo ad visionem Christo donatam, cur non, vt meritum ipsius? Siquidem duplici motiuo adæquato dari non repugnat, glorioſiusque Christo erit meritis partam etiam habere? impugnatur secundo solutio: quia vt id in initio passionis admittatur, ast non pro reliquo Passionis tempore cum visio permanens, imo natura sua, imo, vt plures volunt essentialiter perpetua sit: quare, vt duret dependentiam à tristitia non exigit; imo essentia respuit sua. Impugnatur tertio: quia non solum toto passionis tempore, sed cum verbis deuastationem prædixit, ac Lazari resurrectionem parauit, quibus in casibus tristatum Christum in Euangelio legimus: imo toto vitæ tempore, quo de hominum saltem peccatis tristatus est, posterius natura tristitia daram visionem Dei, & gaudium beatum Christo tenetur asserere. Quarto denique: quia iudicia videntis summum bonum, & aliud necessarium ad tristitiam concipiendam de obiecto tristi pugnant contradictoriè vt arguebatur, ergo nequeunt simul tempore, licet pro signis naturæ diuersis consistere, multoque minus vnius contradictorij existentia pendere ab existentia simultanea alterius.

4 Acutius reliquis viderunt Albert. in 3. d. 15. art. 4. S. Bonau. d. 16. a. 2. q. 2. ad 2. quorum rationem refert Gabr. d. 15. q. vnic. art. 3. sequunturque Vvadingo, & recentiores Complutenses. Aiunt ergo componi posse gaudium, & tristitiam, cum tristitia se habet vt obiectum materiale gaudij quemadmodum pœnitens de peccatis dolens gaudet de ipso peccatorum dolore. Verum doctrina hæc vt benè vidit Vasq. d. 73. c. 3. num. 27. non euacuat difficultatem, quæ non stat in eo, quod tristitia de aliquo obiecto gaudij materia esse possit, sed quomodo cum visione Dei, gaudioque summo de illo obiectum directum tristitiæ illius quæ materia gaudij alterius futura est mouere ad illam possit ob rationes in contrarium adductas: in quibus, si nulla adest maior difficultas, quam in eo, quod tristitia materia gaudij sit, sine miraculo in Christo

Christo, ac Beatis tristitia admittetur contra Theologos omnes, contra Aristotelem, & contra Ambrosium, vt numero 1. contra Bernalis solutionem arguebam. Vvadingo, & ex ipso Complutenses Recentiores aiunt si Deus visus velit videntem, deque eo ipso gaudentem tristari de malo proprio, vt voluit Christum tristari, gaudium de Deo viso inclinare gaudentem, vt de suo malo tristetur, ac Deo placeat tristando: vnde gaudium de Deo viso non impedit tristitiam Beati, sed imperat potius, ac imperatiuè ponit. Proponitur enim, vt noui gaudij materia, & appetibilis in Dei obsequium, atque, vt Deo viso placens: quo in casu licet Dei voluntate illa posita naturalis sit in Beato tristitia, ast absolutè supernaturalis, & miraculosa tristitia illa est: quia voluntas illa Dei contra exigentiam status beatifici, ac visionis Dei habetur. Ecce obiecto tristi additur motiuum appetibilitatis ob Dei voluntatem de tristitia Beati, & Christi: tolliturque iudiciorum illorum repugnantia: siquidem iudicium illud videntium summum bonum est de non curando bono alio extra Deum, eiusque voluntatem, intra quam iam tristitia de malo proprio est.

5 Vero quidem hæc proximiora, sed necdum vera sunt: gaudium quippè nullius alterius affectus actiuum est quare neque imperatiuus tristitiæ esse potest. Totum enim gaudium circa bonum possessum est quo fruimur, solumque mouere sui experientia, vt obiectum, poterit voluntatem, vt diutius bono illo frui velit, atque ea auersetur, quibus priuari boni illius possessione, & fruitione posse nouerimus, quæ præter quamquod non dicunt imperij, & efficaciæ motionem in gaudio respectu alterius affectus, sed solum obiectiuam motionem in gaudio beatifico, & certitudine perpetuitatis eius, quam habent Christus, & Beati locum non habent. Secundo: quia cum Christus ratione vnionis hypostaticæ, summè moraliter perfectus sit, atque proinde determinatus ex parte antecedentis siue prædeterminatus ad opera consilij etiam, ac se omnino conformandum voluntati diuinæ non solum efficaci, si hæc eiusque notitia ex parte antecedentis Christo Domino adsit, vt tristetur in Christi tristitia, libertas honestas, & meritum æquè difficulter, atque in operibus præceptis defendetur: imo ab his Recentioribus nec difficulter defendetur, vt constat ex impugnationibus quas de præceptorum operum merito disputantes contra ipsos dedimus. Quod argumentum efficacius adhuc impugnat modum alium Recentiorum componendæ tristitiæ Christi cum gaudio beatifico ipsius: quia nimirum eodem realiter gaudio, & de Deo, & de obiecto Deo placenti, nempè tristitia Christi, Christus gauderet; ac proinde neque gaudio de Deo identicè comitante gaudium de tristitia impediri hæc posset antecedenter, neque vlla iudiciorum illorum repugnantia posset apparere. Sed certè tristitiæ libertas euertitur, & reliquæ difficultates non magis hac via, quam proximo modo emolliuntur, vt consideranti signa naturæ ante tristitiam conceptam patebit: quin Deo viso quo pacto à voluntate Christi aliquid vlterius ad gaudium de Deo, ad quod impos rapitur, expecterur non satis capitur nisi miraculosam concursus diuini suspensionem ad gaudium, quousque adsit tristitia Christi, de qua simul identicè Christus congaudeat sine fundamento admittamus.

CERTAMEN III.

Solida difficultatum contra tristitiam Christi solutio, atque eius propugnatio.

1 DIco primo de obiectis Deo inuisis, peccatis nempè aliorum naturaliter sine vllo miraculo tristatus verè Christus fuit. Est conclusio expressa Petri Vvadingo, disputatione sexta, dubio secundo, conclusione secunda. Cuius ratio facilis, & firma. Nam quo gradu aliquem amamus eo etiam de ipsius malo, vel obiecto iniucundo ipsi naturalissimè tristamur: atqui Christus Deum ex eius visione vehementissimè amabat: ergo naturalissimè de hominum peccatis, Deo nimirum iniucundis, illiusque offensis vehementissimè tristabatur. Ecce Dei bonitas summa, quæ gaudium summum è sui concupiscentia in humanitate Christi excitabat, atque obiecta tristia ad mouendam illam ex concupiscentia ad tristitiam debilitabat, ad tristitiam de Dei visi, & amati offensis ex Charitate æque fortiter impellebat, quo & cessat difficultas de inferioritate motiui ad tristandum de Dei offensis ex Charitate, atque ad gaudendum de Deo ex concupiscentia adest: quare neque oppositum motiuum huius gaudij motiuo illius tristitiæ, cum hæc ex concupiscentia non sit, sed & omnis illa iudiciorum repugnantia quiescit. Etenim iudicium illud videntium Deum: *Nihil mihi vltra boni, siue positiui, siue negatiui curandum est.* Ex concupiscentia curandum intelligitur: neque aduersatur proinde huic iudicio ad tristitiam ex Charitate concipiendam necessario. *Curandum mihi est de bonis Dei amati, siue positiuis, siue negatiuis ad gaudium, ac de malis ad tristitiam.* Displicet vero in Vvadingo, cui adeo expeditè solutionis substantia debetur. Quod numero 10. eam ex indentitate Charitatis & gaudij de Deo viso, quam falsò docuit Valentia 1. 2. disputatione 1. punto 4. velit pendere, cum etsi verum illud principium esset pendere ab illo solutionis doctrina nunquam posset, vt patet.

Sed neque id solum in eo displicet: sed etiam quod tristitiam in sola malt præsentis displicentia, sine animi dolore, & anxietate quod auertere illud non possit tristans constituat, atque esse proprie in Beatis admittat, quod est singulare, ne temerarium dicam, contra Theologos omnes contra illud Apocalypsis *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Contra illius status fœlicitatem supremam, in quo si tristitia propria admittatur, & admitti timor debeat: Cum sit in Beatis vehemens desiderium, licet sine dolore, & anxietate, ne ab vllo offendatur Deus. Displicet tertio, quod eam anxietatem, & dolorem, quem tristitiæ negauit, vt malè Beatis tristitiam de Dei offensis propriam affigeret, ab eis peius depellat. Ait enim ibidem ex visione Dei iudicant esse bonum conformare se cum Dei voluntate permissiua peccati. Contra: quia ea conformitas non tollit detestationem peccati, atque auersionem, & fugam voluntatis ab illo, licet tollat à permissiua voluntate fugam; auersionem, eiusque detestationem: imò nec per se tollit de peccatis tristitiam: cur ergo tollit in Beatis de illis peccatis Dei offensis dolorem, & anxietatem? Secundo in Christo perfectius iudicium de bonitate conformitatis cum Dei voluntate permissiua adfuit, perfectiorque quam in Beatis cum illa conformitas, & tamen per te, & per Patres ac Theologos omnes fuit de Dei offensis dolor, & anxietas: ergo non obstante eo iudicio, & conformitate Beatorum erit dolor, & anxietas nisi aliunde impediatur de offensis Dei. Respondet n. 11. ex munere redemptoris tollendi, atque impediendi hominum peccata, nasci in Christo desiderium efficax illa auertendi, ac de non impeditis, sed existentibus dolorem, & anxietatem, quod auerti nequirent. Sed contra, quia ex munere Redemptoris non incumbebat Christo de peccatis admissis tristari, atque anxiari, & affligi, sed vel eos vitare, vel admissa abolere suis meritis. Secundo cum in huius doctrina, & obligatione conformandi se cum voluntate diuina permissiua peccati impediatur in Beatis anxietas, & afflictio de peccatis admissis, atque ea obligatio, & conformitas ex munere Redemptoris in Christo non ceſſet, non poterit ex eo munere in huius doctrina de admissis hominum peccatis magis, quam Beati anxiari.

3 Obiicies contra Christi tristitiam de hominum peccatis, atque in Deum offensis ex diuina Charitate, quia tristitia ex charitate alterius solum de iis, quæ mala, & damna ipsius revera sunt, esse potest: atqui aliorum peccata revera dãna, & mala Dei non sunt per nos: ergo nequibat

negnibat esse in Christo tristitia de illis ex Dei Charitate. Secundo tristitia solum est de malo à patiente ineuitabili: ideo enim de malis quæ voluntariè incurrimus non tristamur: atqui peccata omnia euitabilia à Deo erant. ergo Christus de eis ex Charitate Dei tristari non poterat. Ad primum nego maiorem: satis enim est, quod obiectum inuisum, ingratumque amico sit, vt de illo ex eius amore tristemur. Ad secundum nego etiam maiorem, nam de malis voluntariis amicorum ab ipsisque euitabilibus tristamur sæpè instabis saltem de malis proximi, quæ vitare illi potuimus, nostraque voluntate, induximus ex illius amore tristari non possumus: atqui Christus potuit vitare voluntate, & oratione sua sua efficaci peccata omnia, quæ ad sui existentiam, & incarnationem supposita pro priori naturæ non sunt: cum totum salutis nostræ negotium plenè fuerit à Deo Christi Saluatoris voluntati commissum: ergo de admissis Dei offensis non potuit ex illius Charitate Christus tristari. Argumentum in Vvadingo doctrina, qui ideo Deum de peccatis nostris sibi infensis, siue offensis tristari non posse ait, quia ea vitare potuit intentum concludit. Respondeo tamen distinguendo maiorem. si adsit mali inducti voluntarietas in non euitante, siue permittente, permitto maiorem (licet falsa absolutè sit: siquidem de malis, quæ voluntariè in alios induximus, & in nobis siue physicis, siue moralibus sæpè tristamur) si desit in permittente siue non euitante voluntarietas mali inducti, nego maiorem: at in Deo, & Christo necessario defuit peccatorum nostrorum voluntarietas, etiam cum illa in nobis permittunt, nec vitant cum possent: tunc enim etiam inuoluntaria illis, inuisaque sunt vt latè ostendimus controu. de peccatis.

4 Oppones contra assertum tristitiæ Christi de aliorum peccatis ex Charitate Dei connaturalitatem Ambrosij locum obiectum à nobis contra Bernalem cert. 2. numero 1. & recitatum certamine 1. numero 3. Si enim Christus Deum videns, deque eo gaudens naturalissimè vt diximus de aliorum peccatis tristatus ex Dei Charitate fuit, nulla fuit gaudij de diuinitate visa in illo sequestratio, vt contra Bernalem arguebamus. Respondetur tamen Ambrosium locutum de tristitia Christi, quæ nostræ infirmitatis est: nempè de malo physico proprio, scilicet de sua passione, & morte: atque hanc miraculosa gaudij sequestratione Ambrosium, & Theologos factam conceptamque in Christo merito affirmare, immeritoque negare Bernalem: quem proinde eorum omnium authoritate confutauimus; non autem de tristitia ex Dei Charitate de aliorum peccatis à nobis asserta. Respondetur secundo etiam hanc sensu alio à nobis non negato miraculosam gaudij de Deo viso sequestratione effectam fuisse. visione quippè Dei gaudioque beatifico status perfectus consummatæ beatitudinis debebatur: cum quo tristitia adhuc de Dei offensis est impossibilis vt de Beatis dicebamus. Hic autem status gaudio beatifico de Deo viso debitus denegatus Christo miraculosè fuit, ac proinde sequestrato gaudio datus est tristitiæ Christi locus naturali quidem, vt diximus ea sequestratione, & denegatione status beatitudinis consummatæ: non secus, ac naturales ipsi corporeæ passiones, & dolores fuere.

5 Dico secundo de malo physico proprio siue positiuo passionis, & tormentorum, siue negatiuo mortis fuæ tristatus Christus fuit. Primo: quia ex Dei charitate inclinata Christi voluntas fuit, non prædeterminata ad prosequenda obiecta quæuis honesta, etiam, quæ Deus nec præcipiebat, nec consulebat ipsi, sed quæ ipse nouerat post factum Deo grata fore, quia honesta erant, atque moraliter bona: sed tristitia à Christo concipienda de suis doloribus, tormentis, ac morte grata Deo; & honesta erat futura: ergo ad illam ex Dei Charitate voluntas Christi inclinabat. Secundo de eisdem è sui complacentia Christus tristari poterat tristatusque de facto fuit: nam visio beata, gaudiumque beatificum nullius virturis operisvè honesti exercitium impedit: atqui tristitia illa adhuc ex concupiscentia honesta, virtutisque exercitium in Christo erat: ergo visione gaudioque beato non impediebatur non secus atque quatenus Deo grata concipienda ex Charitate non impediebatur Erat autem huius tristitiæ exercitium miraculosum, quatenus visio Dei gaudiumque beatum exigebant à Deo, vt ostium omne tristitiæ occluderet. Atq; hoc pacto Alberti, ac Bonau. sententiam explicandâ, ac sine vllo incõmodo defendendâ reor. Nam iudiciũ illud de non curando alio præter quam Deum obiecta solum excludit, quæ honesta, Deoque grata non sint, quare non honestam tristitiam, neque summum bonum visum, & possessum de quo Christus gaudebat vllum honestum mortiuum debilitat, vt mouere Christi voluntatem valeret, cum consummatæ beatitudinis aberat status.

DISPVTATIO III.

De Gratia habituali humanitatis Christi.

QVATVOR circa gratiam habitualem humanitatis Christi inquiri possunt. Primum an fuerit? Secundum, an fuerit infinita? Tertium, an saltem quam maxima absolutè esse potuit? Quartum de tempore, & causa, quibus fuit effecta.

QVÆSTIO I.

Fueritnè in Christi humanitate habitualis Gratia.

HABITVALIS gratia qualitas est, qua Sancti formaliter, ac permanenter, atque amicitiæ Dei obiecta constituimur. Plus autem nobis de aliquorum censuris refellendis, quam de re ipsa in quæstione præsenti agendum est.

CERTAMEN I.

Nihil pro gratia habituali humanitatis ex Scriptura, Patribus, aut fide est firmum.

1 PAludan. in 3. d. 13. q. 2. opin. 4. concl. 1. Richard. art. 8. §. *Occurrit hic.* Durand. d. 12. quæst. 2. num. 5. Capreol. q. vnic. art. 3. init. & Recentiores nonnulli asserunt humanitatem hypostaticè vnitam à Deoque assumptam potuisse in puris naturalibus permanere: id quod vt sonat defendi iam minimè potest, cum certum ex Patribus sit vnione hypostatica humanitatem substantialiter sanctificari. Si autem benignius ea propositio accipiatur, vt solum significet sine gratia habituali, atque alis donis creatis humanitatem vnitam posse consistere certa omnino propositio est, & quæ à sano Theologo negari nequeat. In quæst. autem præsenti de facto ex vetustioribus Theologi nonnulli apud Palud. citatum, nec minus ab eis dissentientem, asseruere in humanitate Christi gratiam habitualem non fuisse; reliqui vero Theologi fuisse affirmarunt, ita DD. proximè citati, & Durand. d. etiam 13. q. 1. num. 8. S. Bonau. a. 1. q. 1. atque omnes in eadem distinctione veruſtiores, Aluarez, & Thomistæ alij 3. p. q. 7. artic. 1. cum S. Thom. Nazar. controuers. 2. Vasq. disputatione 41. Soar. disput. 18. vterque Hurtado Vvadingo disp. 5. dub. 1. Lugo disp. 16. sect. 5. Bernal. disp. 30. sect. 1. qui omnes esse omnium Theologorum sententiam affirmant; & quidem verè si innominatos vetustiores illos apud Paludanum excipias, & nos sanè, vt decet omnibus assentimur: quia neque ab authoritate Patrum, neque à ratione quidquam videmus, quod tot, tantorumque virorum iudicio eximat probabilitatem, & fidem; sed quia nonnulli Theologi grauibus censuris oppositam sententiam fugilant, ita nos affirmantem sequemur, vt negantem aduersam à censuris liberam cum honore deseramus.

2 Soarez citatus sect. 2. §. *Dico secundo.* Affirmatiuam fidei dogma esse asseruit: quare, & negantem, & hæresis, & erroris insimulat. De cuius censuræ rigore malè reliquos coætaneos, & posteros Theologos merito audit. Primo enim, etsi sanctitate alia, quam Deitatis humanitatem Christi sanctam formaliter doceret fides in ipsius, atque aliorum Theologorum principiis non statim talem per habitum gratiæ fore certa consequentia inferretur, vt inde affirmatiua nostra conclusio ad fidem, & eius dogma vtcumque pertinere monstraretur. Etenim in Soarij principiis sola Dei acceptatione extrinseca sine gratia habituali aliaue forma intrinsecè inhærente potest quis absoluta saltem potentia, sanctus, iustus, Deoque gratus constitui: ergo licet alio modo, quam substantialiter per vnionem sanctam Deoque gratam humanitatem fides doceret in Soarij principiis non inferetur id per gratiam habitualem: cum in eius doctrina aliter, quam per illam, aut formam intrinsecè inhærentem sancta aliter, quam per vnionem, Deoque grata humanitas esse posset. Secundo licet in Vasq. & aliorum principiis aduersis, vt quis sanctificetur, gratusque reddatur forma intrinsecè inhærente sit opus in eorundem tamen imo communibus iam principiis per actum Charitatis, qui forma sanctificans est, potuit humanitas Christi sine habitu gratiæ (qui in Suaristica Vasquiana Schola diuersus ab habitu Charitatis physicè est) formaliter sanctificari: neque in illa habitu gratiæ opus erat, vt physicè permanenter sancta foret, cum à Charitatis actu à conceptionis initio necdum cessarit Christi humanitas, nec fit per æternitatem cessatura.

3 Sed enim nulla alia, quam gratia vnionis humanitatem Christi sanctam ex Scriptura, & Patribus poterit aliquis ostendere: vt ex locis, quæ sono tenus videntur Soarij intento fauere singulatim ostendam, Ioann. 1. de verbo incarnato, siue de humanitate vnita dicitur: *Plenum gratiæ, & veritatis.* Id autem nemo Patrum de gratia habituali interpretatur, sed de gratia vnionis Beda ibi Fulgent. capite 2. de fide ad Petr. August. 13. de Trinitate capite 19. Cyrillus, & alij infra recitandi. vt taceam Chrysost. hom. 11. in Ioann. & Euthymium de gratia miraculorum eum locum intellexisse. Sicut, & id Luc. 2. *& gratia Dei erat in illo:* Intellexit Euthymius, & Beda, quem tamen de gratia vnionis solum interpretantur, & hi, & reliqui. August. autem tract. 3. in Ioan. plenitudinem illam gratiæ ad impertienda gratiæ auxilia quibus lex per Moisem data seruaretur intelligit iuxta id Ioann. 3. *Lex per Moysem data est; gratia, & veritas per Iesum Christum.* Illud item Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei.* De sanctitate vnionis, & substantiali propria Filij Dei intelligitur. Nec aliud ex eo loco sanctitatis genus intelligit Bernard. hom. 4. super *Missus est.* 1. his verbis: *Singulariter sanctum fuit quidquid Virgo concepit, & per Spiritus sanctificationem, & per verbi assumptionem.* Solum enim eandem sanctitatem vnionis à causa formali assumptionis, & ab efficiente per apropriationem commendat, sicut, & Euangelista commendauerat illis verbis *Spiritus sanctus superueniet in te, &c. ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, &c.* illud psalm. 44. *Vnxit te Deus.* Omnes de vnctione sanctitatis, per Deitatem interpretantur Isai. 11. *Requiescat super eum Spiritus Domini.* Satis per circumsessionem, & immanentiam Spiritus Sancti. Tertio per potestatem miraculorum, quæ Spiritus sancti oppropriatiuè sunt: sicut Luc. 11. *se eiicere dæmonia* Christus aiebat, *in digito Dei.* idest in Spiritu sancto iuxta Athanas. sermone 2. contra Arrian. & 1. de incarnatione Christi Cyrill. & Ambros. vbique. Denique Ioann. 10. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* De Verbi missi sanctificatione per communicationem Deitatis à Patre æterna generatione intelligunt Beda, & August. tractatu 48. in Ioann. Euthym. qui de humanitate dictum putat tantumdem valere, atque *elegit*, ait. Addit Theophilactus, *vt pro nobis sacrificaretur*: quæ autem de eo destinabantur, & sacrificabantur sanctificari in Scriptura dicuntur iuxta id Ioann. 27. *Ego pro eis sanctifico me ipsum.* Hilar. 7. de Trinitate, post med. vnionis sanctificationem intelligit. Porrò eos omnes sensus approbat Pseudo. Cyrill. 7. super Ioann. capite 12.

4 Nihil item pro affirmatiua in Patribus est. Illa enim verba August. 15. de Trinit. cap. 26. *Iesum non solum dedisse Spiritum, vt Deum, sed accepisse vt hominem: & propterea plenum fuisse gratia, quia vnxit eum Deus dono gratiæ.* De dono gratiæ, siue sanctitatis increatæ aptius intelligitur, vt ipse de vnctione humanitatis sæpè cum Patribus pluribus datis controuersia antecedenti explicar. Quæ autem annectit; *Quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia.* Nihil magis euincunt. Significatur enim donum gratiæ habitualis nostræ, & sanctitatis in nobis vnctione visibili, non autem donum sanctitatis humanitatis Christi; licet, quia genericè, vel quasi cum hoc donum gratiæ nostræ conuenit relatiuo *Quod* potuit secundum genus referri donum sanctitatis substantialis Christi, cum de dono sanctitatis nostræ agebatur. Eundem explicatum & sensum habet Athanasius sermone 2. contra Arrian. post med. ad verba data psal. 44. dicens mirum non esse Christum qua hominem accepisse Spiritum, eoque inunctum esse, quem dat: atque Spiritus gratiam susceptisse, vt nos illam ex eius plenitudine reciperemus. Nomina enim illa relatiua *quem*, & *illam*, referunt genus vtriusque, non autem gratiam, siue sanctitatem humanitatis Christi, quæ vnionis, & substantialis fuit, solaque esse potuit principium meriti gratiæ omnium nostri: vt asseruit hic Athanasius, cum in nostra, & communi Vasquez, & plurium sententia è gratiæ habitualis augmẽto dignitas meriti non augescat, imo in eiusdem, atque aliorum doctrina gratia habitualis non sit principium merendi aliis quomodo intelligendus est Theodoretus similem sententiam scribens ad ea canticor. verba psalmo quadragesimo-quarto, ait: *Meminerit secundum formam serui, qua minor est Patre, & ab Spiritu sancto, & à se ipso sanctificatum esse.* & Dionysius de cælesti Hierarchia capite sexto, in interpret. Seraphin. iuxta versionem Perionij, ait eorum ordo. *Iesum pro diuina, & quæ exprimi non potest benignitate, & à Patre, & à se ipso, & à Spiritu sancto sanctificatum cum cerneret.* Sed hæc actiuam sanctificationem per vnionis productionem à tota Trinitate significant. Aſt dices omissum à Perionio *humano more* ante sanctificatum, quod Ambrosius legit. Sed vox à Perionio omissa erat ἀνθρωποπρεπῶς ἀφθέντων id est *decens*, vt legitimè vertatur, vt hominem decebat. Nec si versio Ambrosij teneatur vrget locus. Est enim sensus hominum qui non à se, sed à trinitate sanctificantur in morem: non autem gratia hominibus consueta. Denique Ambrosius idem lib. de Spiritu sancto, capite vndecimo, sic recitatus à Lugo: *Quem natum de Spiritu sancto confitemini, quia negare non potestis, renasci negatis?* Per eius sanctificationem, *Magna inscientia est vt quod singulare est hominum confiteamini, quod commune est hominum denegetis.* Sed regeneratio per sanctitatem vnionis commune quid cum hominum regeneratione per sanctitatem gratiæ habituali procul dubio habet.

CERTAMEN II.

Negatiua sententia non temeraria, sed Patribus conformior.

1 EX his porrò satis claret nihil pro affirmatiua in Scriptura,& Patribus esse,vt fidei dogma, neque per somnium possit concernere,sed vt hoc clarius constet ostēdam breui Patres pro negatiua gratiæ habitualis,sanctitatisque creatæ in Christo potius stare sententia. Cyrillus epist, ad solitar.vitam exercentes relata t.1.Concil. Ephes. cap.1.mala fide ab affirmantibus recitatus iuxta accuratam eius Concilij versionem nostri Peltani suppositiuis verbis refectis sic habet : *Quod si quispiam eum quem sacra Virgo peperit solum, ideest in propria subsistentem hypostasi vnctum,& sanctificatum arbitretur:atque ob id Christum appellatum contendat,eiusmodi in medium prodeat, nobisque exponat; solanè illa vnctio sat est,vt vnctus cum Deo qui est super omnia, æqualis gloriæ, parisque potentiæ esse censeatur ? quod si id satis esse concedat:& nos quoque illam sacram vnctionem affectus non neget (quemadmodum id negare non valet) Deo quadam tenus esse pares.* Vbi vnctionem affectiuam, ac non substantialem per vnionem Nestorionam censet, atque ex illa Christum non posse dici vnctum imo neque in naturam mutationis, & peccati incapacem cadere posse contendit in eodem contextu contra Nestorianos; indeque concludit non fuisse vnctum, siue Christum nisi vnio hypostatica vnguētum Deitatis humanitati contulerit,in eandem sententiam 1. in Ioann. c. 17. ad id *Plenum gratiæ* inter plura alia hæc habet : *Non mensura datur ei,vt cæteris, nec de foris accedit:sed in perfecto perfecta subsistantialiter ineſt à Patre naturaliter habita.* Ideſt per naturæ verbo ipsi humanitati vnito à Patre communicatæ sanctitatem. Clarius Origen.2.Periarch. c.6.ait : *Vngi animam Christi oleo lætitiæ,& Spiritu S. repleri, non quod gratia Spiritus S. sicut Prophetis, ei data est : sed quod ipsius verbi substantialis ei inerat plenitudo.* Dyonis. Alex epist.contra Paul.Samosat. latina per nostrum Franciſc. Turrian. ait, Christi sanctitatem reliquorum hominum sanctitati,etiam Baptistæ longè antecellere, *quia in Ioanne erat opus, in Iesu vero natura.*ac infra. *Non enim sortitus est vnctionem externam,*Iesus,*sicut nos sortiti sumus.* Naz.orat. 36. 4. de Theol. num. 93. *Christus vero propter diuinitatem, (ea enim humanitas vnctio est) non propter operationem, vt in aliis Christus,sanctificatus, sed totius vngueti præsentia.* Consonat Basil.in data verba Psalm. 44. Damasc.3.de fide c. 22. *non ipsa* Christi anima, *gratiam more nostro percipiens : quin potius ob personalem vnionem,tum humanarum, tum diuinarum rerum, quæ vnius Christi facta erant, gratiam, & sapientiam, ac denique omnium bonorum cumulum mundo fontis instar effundens.*

2 Abundè hæc ad sensum etiam, ostendunt sententiam negantem Christo gratiam habitualem, similemque nostræ sanctitatem,non contra,sed potius à Patrum sententia esse,vt expresè docuit Vvadingo d.5.dub.1. §.*Dico secundo.* Ex quo facilè suadetur, neque illam à Theologis pluribus temerariam iure censeri. Id autem vt apertius constet sciendum est ad opinionis temeritatem requiri, vt ferè omnium Authorum in aliqua facultate doctiorum iudicio firmo repugnet. Dixi *Doctiorum Authorum.* Neque enim Sapientes, & Authores censendi in facultatibus sunt,quicunque,& cuderunt,& citantur:cum ij magnam, proh dolor,partem Amanuenses, & Transcriptores potius quam sapientes Scriptores, Authoresque sint. Dixi item *Iudicio firmo* : Ad quod requiritur, vt illud non vt probabile solum ab eis tradatur. Etenim si probabiliter solum ab eis ab eis asseratur,iam oppositum probabile reputant. Qnando vero ab eis probabiliter tradatur, etsi ipsi probabiliter solum se docere non exprimant ex eorum rationibus, & fundamentis, quibus in sententiam suam aguntur, pensandum, indicandumque erit.Etenim si ratio,ac fundamentum solum probabile sit,qui poterit certa conclusio reputari:cum de principiis,& conclusionibus inde deductis Aristoteles dixerit:*Propter quod vnum quodque tale, & illud magis.* Ex quibus duplici ex capite probo opinionem negantem humanitati Christi gratiam habitualem temerariam non esse. Etenim sapientissimi in hac materia Doctores non Scholastici,quantumuis docti, sed Patres Ecclesiæ habendi sunt, quorum scientiis docti quique Scholastici debent adhærere, atque è superiori illorum sapientia sapere : atqui sententia negans nulli Patrum aduersa est,vt vidimus cert.1. num.4.quin potius eorum Sententiis longè est,quam affirmatiua conformior vt vidimus proximè num. 1. ergo nequit esse temeraria. Etenim paucorum Patrum authoritas,quibus plures,imo vnus ex Patribus, aut Scriptura non aduersatur Scholasticorum Authoritati præponderat : pro negante vero adest authoritas Patrum plurium.

3 Alterum caput est : quia nemo Scolasticorum tanquam certam affirmatiuam sententiam docuit,sed solum, vt probabilem. Etenim illam docuerunt è sola terminorum apprehensione,sed fundamentis adhibitis ab authoritate quidem Scripturæ, & Patrum satis leuibus,vt vidimus : à ratione vero non satis, imò nec æquè firmis, atque opinionis negantis fundamenta sint. id quod fic ostendo. Etenim gratia habitualis nulli rei in Christi humanitate inseruit : ergo non est admittenda. Antecedens probo : Etenim,vt constituatur humanitas iusta, ac sancta,atque amicitiæ Dei obiectum permanenter,sicut nobis inseruit,esset omnino otiosa,ne dicam indecens.Cum infinitè perfectius sancta,iusta, atque obiectum amicitiæ nobilissimæ Dei per vnionem, & sanctitatem Deitatis permanenter humanitas Christi constituatur:nulli autem alteri effectui inseruire posse videtur, vt ex assignatorum ab aduersariis impugnatione patebit.S.Bonau. Dur.Alu. Nazar, & alij Thomistæ citati, & Vvad. d.5.dub. 3.n. 20. ad meritum præmij supernaturalis in operibus Christi, aiunt gratiam habitualem inseruire. Contra : quia si fructus hic sit, vt opera dignificentur, atque eorum valor eleuetur ad præmium supernaturale : cum hæc dignificatio, & elevatio eo præcisè fiat, quod operans iustus, Deique amicus sit, si gratia habitualis ad constituendam sanctam humanitatem operantem non inseruit, vt vidimus,neque ad meritum præmij supernaturalis eo sensu seruiet. Secundo, nemo iam Scholasticorum opera humanitatis ab alio, quam sanctitate vnionis dignificari in Christo admittit. Ideirco Vvad. ait inseruire ad meritum præmij supernaturalis, quatenus ad elicienda connaturaliter, nec solo auxilio extrinseco opera supernaturalia quæ sola præmium supernaturale merentur, inseruiat. Contra:quia opera honesta naturalia secundum substantiam ex dignitate operantis præmium supernaturale merentur, vt hic sæpè monui, & controu. de merito fusius ostendi. Contra secundo : quia si demus habitum gratiæ cum habitu Charitatis identificari : non erit principium connaturale, imo nec absolutè actus supernaturalis spei, gaudij de Deo viso, neque fidei : ergo fine eo esset in Christo actus, & meritum præmij supernaturalis, sed neque in Christo habitus gratiæ cum habitu Charitatis identificatus admitti debet, vt ostendam infra contra Vvadingo.

4 Vasquez disp. 41. cap. 1. Soarez disputatione 18 sectione 2.§.*Vltimo tandem.* Eandem videntur solutionem. Vvadingo voce tenus dedisse : cum tamen ipsi habitum gratiæ, & charitatis diuersos esse absolutè fateantur nullius operationis supernaturalis connaturale principium proximum esse in Christo habitum gratiæ voluere, sed solum radicale : quia habitualis gratia hominem Deū per participationem constituit, atque essentialiter in ordine supernaturali cum iure operationum supernaturalium, ac proinde habitus supernaturales ad illas necessarios exigit, quasi essentia passiones, quare, vt habitus supernaturales , quasi connaturaliter essent , ad operationes supernaturales connaturaliter eliciendas necessarium habitum gratiæ arbitrantur in Christo : quam rationem vulgatam satis apud Theologos video. Sed contra:quia habitum gratiæ esse essentiam, & habitus reliquos supernaturales passiones incertum, imò difficile est,vt benè Lorca.Primo:quia Cathecumenum per annum,imò, vt pluribus antiquis Ecclesiæ Patribus

tribus contingit,per multos annos credentem ante baptismum,& gratiæ infusionem per auxilium extrinsecum credidisse fatendum erit:cum passiones,siue habitus supernaturales ante essentiam infundendi non sint. Secundo : infertur per quoduis læthale,habitus omnes supernaturales fidei etiam, & spei connaturaliter perire : cum essentia,cuius passiones sunt,nempè habitus gratiæ proculdubio pereat.Tertio cum perfectius sanctificetur, constituaturque in ordine supernaturali, & diuino humanitas Christi per sanctitatem substantialem vnionis, ac Deitatis perfectius principium,& radix erit supernaturalium habituum,iusque strictius ad illos humanitati Christi conferet:ergo ad id gratia habitualis humanitati Christi non inseruiet. Dices posse esse radicem, & principium remotum, non proximum habituum supernaturalium : passiones quippè nequeunt habere duplex principium proximum : alioqui accidentia communia, non passiones essent,vt lux,quæ solis , atque ignis accidens est. Contra quia habitus supernaturales passiones gratiæ strictè non sunt, sed quatenus solum ab ea exiguntur,quod non tollit, vt ab alio exigantur : passiones quippè in gradu determinato exiguntur ; habitus autem supernaturales non exiguntur à gratia in gradu determinato. Secundo sint passiones, & in gradu determinato gratiæ, poterunt esse passiones vnionis hypostaticæ in gradu valdè intensiori , & simul cum aliis omnibus donis supernaturalibus , quæ etiam exigit vnio, quin idemmet adæquatè sumptum sit passio vtriusque : in quo solum esset implicatio. Inadæquatè enim temperamentum primarum qualitatum idem est in omnibus mixtis , & tamen vniuscuiusque temperamentum passio ipsius vulgò censetur à Philosophis.

5 Lugo d.16.sect. 5. num. 96. ait inseruire gratiam habitualem humanitati,vt sit prima mensura gradus, in quo supernaturales habitus (vt potè passiones, quæ non nisi in gradu determinato esse debent) ipsi donentur, quin Dei arbitrio remittatur determinatio,quæ à creaturæ exigentia potest prouenire,iuxta philosophiam bonam : quod si instes determinationem graduum gratiæ, quæ mensura intensionis habituum supernaturalium sit, à solo Dei arbitrio pendere fatetur Lugo, sed disparitatem assignat : quia exigentia, vnionis quæ sola gratiam antecedit infinita est;quare nequit esse determinatè mensura:ac proinde gratiæ determinatio à solo Deo esse debet:ast, ne aliorum habituum determinatio, qui natura sua gratia posteriores sunt,minus philosophicè in Deum refundatur, ponendam gratiam determinatam esse;in primis solutio supponit habitus supernaturales passiones esse gratiæ habitualis,quod iam impugnauimus.Secundo exigentia vnionis est habituum supernaturalium in summo,quod potest humanitas recipere:vel ergo gratia habitualis data est in summo, quod potest humanitas habere, vel infra summum si infra : parcè Deus, atque auarè cum humanitate sibi vnita se gessit ; si in summo. Ergo non suo arbitrio puro, sed ad mensuram exigentiæ vnionis:ergo,cum in summo etiam exigat vnio reliquos supernaturales habitus, si eos daret Deus ob eiusmodi exigentiam solam,in summo, vt dedit, non puro Dei arbitrio dati dicerentur,neque exigentia gratiæ in summo alia esset,alteriusvè mensuræ,cum adesset. Demum Vvadingo.§.*Dico tertio.* Bernal.sect.1.n.8. aiunt habitum gratiæ, & charitatis identificari : ac proinde humanitatem Christi habitu gratiæ constitui principium connaturale charitatis, & dilectionis Dei :atque ex eo principio de vtriusque habitus identitate rationem solidam conclusionis affirmatiuæ faretur Vvadingo. Sed quid habeat soliditatis ratio,& conclusio , quæ ex identitate vtriusque habitus negara à Primoribus Theologis.S. Th. Vasquio , Soario , & assecl:s vnicè pendet:secundo:identificetur habitus gratiæ cum habitu Charitatis in nobis:ast prædicatum constituendi iustum,& sanctum, neque est formalitas constituendi principium connaturale dilectionis,quæ est formalitas habitus Charitatis , neque est essentia sua exactiuum identitatis cum ea formalitate : quare omnium sententia possibilis est habitus gratiæ realiter diuersus ab habitu Charitatis:ergo habitus Charitatis Christo datus fuit ex diuersis ab habitu gratiæ, non ex identificatis cum illo.Patet : quia si ea formalitas iustificandi,& constituendi sanctum,quæ est propria, & formalis habitus gratiæ,vt inutilis , & otiosa in Christi humanitate locum non habet iuxta dicta n.3.sub initium, non minus otiosa erit,si detur illi identificata cum alio ; quam seorsim ab illo.

6 Porro si hæc omnia attentè legantur nullum reor temeritatis in negante opinione scrupulum remanere alicui posse, plurimusque suspicor magis negantem ab Scholasticis non admodum recentibus censuratam,quam affirmantem arrituram ob firmiora Patrum, & rationis fundamenta. Sed tamen , quia neque hæc ita negantem euincunt,vt probabilitatem excedant,licet videantur inducere maiorem,à communi ferè omnium Scholasticorum sententia affirmatiua non recedimus,à quibus,vt recedamus aliquando vrgentioribus argumentis opus est. Ratio autem qua,& in eam inducimur,& aduersariorum rationi satisfacimus est, quam , non contemnendam solum,iudicat citatus Lugo num. 58. nempè gratiam habitualem,licet necessaria non sit,vt humanitatem, quæ altiori longè ordine sancta infinita est sanctam absolutè constituat,neque,vt magis sanctam reddat : ast non forè otiosam,quia sanctam in alio genere constituit,inferiori quidem,sed,qui ab altioris generis sanctitate non impedatur:quemadmodum , nec scientia clara per accidens infusa naturalium obiectorum perfectior experimentalem aliquorum ex illis acquisitam scientiam impedit nostræ similem, & obscuram. Ad Patrum testimonia recitata num.1. dicito eos agere contra Nestorianos : solumque velle expectatam non fuisse virtutis exercitationem, & habitualem gratiam , vt Christus absolutè vnctus esset,ac diceretur , siue magis sanctus de alia vero sanctitate gratiæ habitualis non curasse , quia nec sua tunc , nec Ecclesiæ de ea definire referebat Idque solum voluere verbis illis *non de foris accedit, nec externe sanctificatur,* aut *sortitus est vnctionem externam.*

QVÆSTIO II.

Num gratia habitualis Christi fuerit intensiuè infinita?

AM ad gratiæ humanitatis Christi intensionem examinandam facimus gradum.

CERTAMEN I.

Negatiua vera conclusio malè à nonnullis probatur.

1 INfinitam intensionem gratiæ habitualis Christi docuit,tenuitque olim tota Parisiensium Schola Paludani tempore , vt ipse refert loco citando. Docuere item Maior.in 3.d.13 q.3.(reputatque probabile Almain. q.3)Maldonatus noster.c.2. Lucæ versu.40. Petrus Hurtado.d.13.Physicor.sect.3.d.48.de Incarnat.sect.2.Bernal. d.30.sect.3.§. 2. init. Negatiuam autem sententiam nostram,& veram tradunt.S.Th.3.p.q.7 art.11.q.20 de verit.a. 3. & in 3.d.13.vbi Scotus §. *Ad primam quæstionem,* & §. *Ad argumenta istarum quæstionum.* Albert. q. 1. a. 7. Almain. quæst. 1. Durand. ibi num. 10.Palud. a. 1. & 4. concl. 2.S. Bonau.a.1.q.2.Ricard ibidem,Capreol. q. 1. a. 1.reliquique,& Thomistæ, & Scotistæ. Vasq. d. 46. c. 2. Soar.d.22.sect.1.§. *Dico ergo primo.*Lugo.d.16.sect 6.num. 104.§.*Contraria sententia.*Vvadingo,d.5.dub.6.§.*Dico primo.* Probat hic:quia,etsi possibilis sit gratiæ intensio infinita, omnia,quæ de facto creata sunt , determinato pondere numero, & mensura creata creduntur,nisi oppositum ex

scriptura, & Patribus, qui hac de re tacent omnino, aut ex ratione constiterit: atqui ratio vnica ad rem præsentem solum esse potest infinita dignitas humanitatis ab vnione prouenies, ob quam in summa perfectione possibili, quæ statui, & muneribus Christi non obesset. Dandæ perfectiones videbantur: quare in infinita intentione, si ea possibilis sit; atqui odoratus, & visus, reliquæque perfectiones corporeæ, licèt in summo muneribus, & statui Christi non obessent, datæ in summo non sunt: cum vultures maiorem Christo odoratum, & aquilæ visum perspicatiorem habuerint: ergo ea ratio non probat gratiam Christo datam in intentione infinita possibili. Quare, licet animæ dotes, vt scientia virtutes: & dona, quæ muneribus iudicis Redemptoris, & Magistri inseruiunt in gradu excellentiori, quam reliquis data Christo fuerint, non autem in summo possibili. Ast vero si ea ratio non probat: quare ipse gratiam habitualem, quæ eis muneribus non inseruit, ac perfectissimum corporis temperamentum minus fortasse patiendo idoneum (plura enim aggrestiores pati possunt) pluraque alia Christo donata, ea solum ratione probat. Illud De odoratu, & viso nō in summo nil valet. Etenim adeos sensus in summo, organorum dispositio formæ, & temperamenti requiritur perfectioni corporis humani disconueniens: quare, & Christi naturam perfectissimam humanam dedeceret.

2 Reliqui proinde ab impossibilitate intensionis infinitæ gratiæ conclusionem vnicæ pendere merito putant. Sed malè eam probant impossibilitatem. Soarius, quia gradus gratiæ sunt ætherogenei, & subordinati: ac proinde si possibiles infiniti forent causarum subordinatarum processus infinitus esset possibilis. Ostendi controu. 1. de generat. d. 1. gradus gratiæ esse homogeneos. Nec refert gradus gratiæ subordinati gradibus luminis gloriæ, ac proinde infinitos gratiæ gradus inferre infinitos luminis, qui repugnant ob rationem datam, cum ætherogenei sint: siquidem gradus superior non solum intensius idem, sed aliud etiam videri facit, quod non videbatur remisso. Sed gradus luminis gloriæ homogeneos, non ætherogeneos esse ibidem monstraui: ratio autem Soarij falsum prorsus assumit; nam lumen gloriæ soli Deo videndo inseruit formaliter. Probat secundo Soarius impossibilitatem graduum infinitorum: quia essent etiam gradus luminis infiniti possibiles: ergo licet homogenei, infinitam Dei cognitionem, & visionem inferrent: ergo, & Dei comprehensionem à creatura. Negatur consequentia prima ob rationem dandam in simili cert. 2. item, ea permissa, negata est à nobis consequentia secunda contr. de attributis vbi prolixam, & inutilem quæstionem de comprehensione Dei per otium tamen profligauimus.

3 Probat Vasq. num. 7. impossibilitatem eiusmodi ex quo plures: quia posita ea infinita intensione in homine posset hic bonis operibus moralibus, & supernaturalibus crescere in amicitia Dei, iustiorque, ac Deo gratior constitui? ergo, & plus gratiæ, siue maiorem gratiam habere: ergo posita illa, quam infinitam dicebas, infinita non est: Patet: quia infinito nil potest maius esse. Secundo quia vltimus gradus, cui vniretur adueniens in infinita intensiuè gratia esse non posset. Sed tamen, si vim haberet consequentia, distingui posset antecedens: posset crescere in amicitia Dei, iustiorque, ac Deo gratior moraliter concedo antecedens; habitualiter physicè nego: obest enim per se augmento gratiæ habitualis præsuppositæ ipsius infinitudo. Sed non vrget consequentia. Posset enim dari gradus gratiæ speciei perfectioris, qui, licet non vniretur intensiuè gratiæ infinitæ præsuppositæ, vniretur tamen subiecto denuo merenti: vel potest dari infinita gratia speciei perfectioris loco imperfectioris præexistentis. Secundo negat illam eandem consequentiam penultimam Vvadingo à num. 60. a. 64. scilicet gradu nouo addito maiorem esse gratiam, quam erat infinita præsuppositа: quia additione eius perfectionis, quæ in alio formaliter, vel eminenter continetur, maius quid non resultat. Ea enim de causa mundus totus, qui eminenter in Deo continetur simul cum Deo maius quid non efficit, quam Deus solus: nec gratia habitualis Christi sanctiorem illum, quam sanctitate vnioni sola esset, constituit. Cum ergo in infinito graduum quæuis vnitas, quiuisque eorum numerus contineatur nullius additione maius quid gratiæ resultat. Sed, licet in ratione numeri, & mensuræ formaliter intentum probo, & quia in pluralitate infinita quiuis numerus cōtineatur; materialiter tamen non probat non esse gratiam maiorem. Nam quatuor gradus additi non magis continentur formaliter, aut eminenter in infinito præsuppositо, quam tertius in duobus.

4 Respondeo ergo secundo: adhuc ex gradibus speciei eiusdem posse dari infinito maius, non in ratione numeri, & mensuræ formaliter, quæ infinitati repugnant, sed materialiter, & entitatiuè, si gradus qualitatis homogenei sint, vt in gratia contingit. Nam de ratione infiniti creati non est, quod nihil præterea illius generis produci, darivè possit, sed quod ad extremum nulla acceptione, & assignatione, adhuc rationis, peruenire queat. Posset igitur Deus gradus nouos gratiæ producere, & aliis intermediis infinitę gratiæ intensiuè vnire, maiusque entitatiuè, & in se qualitatis constituere quibus satisfactum est rationi duplici, quo vltimam Vasquij consequentiam. probabimus. Denique in re præsenti friget totum Vasquij argumentum. Nam Christo, imò nec Beatis, ob virtutum exercitium plus gratiæ habitualis non dari fatetur ipse cum Theologis reliquis, fereque dogmaticum est: quare, licet in puris viatoribus hominibus vim haberet argumentum, in Christo haberet nullam.

CERTAMEN II.

Neglecta hactenus. S. Th. ratio, atque huius conclusionis vnicæ illustratur.

1 VNica ergo impossibilitatis intentionis gratiæ infinitæ, ex qua conclusio illam in Christo negans vnicè pendet, data a. S. Th. fuit, licet non debito honore fuerit à plerisque Theologis accepta nimirum ex incapacitate animæ Christi Domini, quæ relatè etiam ad absolutam Dei potentiam intelligi debet, cum gratiam animus non nisi potentia obedientiali à Deo patiatur. Sic igitur eam rationem illustro ex his, quæ controu. de infinito pro impossibilitate infiniti intensione docebam. Habitus gratiæ est qualitas natura sua educibilis ex animo rationali, vel Angelo (vt cum omnibus ostendebamus controu. de gratia contra Scotum, qui docuit esse creabilem) ergo implicat gratia intensiuè infinita. Probo consequentiam. Repugnante eductiuo passiuè repugnat educibile, quod dicit essentialiter physicam potentiam eductiuam in passo, ex quo est educibile: sicut repugnante actiuo repugnat factibile: atqui repugnat anima (Et idem est de Angelo) eductiua passiuè infinitæ intentionis gratiæ: ergo repugnat infinita intensio gratiæ educibilis: ergo absolutè repugnat gratia intensiuè infinita, siue infinitè intensa: esset enim educibilis, vt supponimus contra Scotum; & non esset educibilis: quæ apertè contradictoriè repugnant. Minor est S. Th. proximè, nec probatu difficilis. Etenim potentia eductiua passiuè non est ita intelligenda, vt nihil de suo ineducibilis existentiam conferat, sed solum quasi aduentitium quid omnino à virtute actiua prouenies excipiant quin potius concursum causæ eductiuæ passiuę materialem à solo Deo suppleri posse communiter docent Philosophi, atque inde inferunt nullum agens creatum posse adhuc diutiùs creare.

2 Hinc probatur minor potentia eductiua passiuè est virtus intrinseca concursiua in suo genere ad effectum educibilem: atqui nulla anima (nec Angelus) potest habere virtutem intrinsecam concursiuam ad infinitam intensiuè gratiam: ergo repugnat anima (& Angelus) eductiua passiuè infinitæ intensionis gratiæ. Minor

Syllogismi

Syllogismi proximi suadetur: implicat potentiam, & virtutem finitam concursiuam in quouis genere concurrere ad effectum infinitum; atqui potentia, & virtus eductiua passiuè animæ, (& Angeli) est virtus concursiua finita ergo implicat concurrere animam ad infinitam intensionem gratiæ. Respondet in simili Vvadingo potentiam eductiuam passiuè animæ respectu gratiæ esse non naturalem, sed obedientialem; ac proinde non è naturali, & intrinseca animæ virtute, sed è Dei illam eleuantis voluntate mensurandam esse. Ne plura hic de obedientiali hac potentia intempestè euoluamus. Id certum est: licet Dei voluntate, tamen intrinseca virtute, entitatis creaturæ ipsius ad effectus obedientiales sibi concurrere; nec à solo Deo, eiusque voluntate illos prouenire: atqui virtus intrinseca creaturæ cuiuluis finita, ac limitata est: ergo nequit vllo genere concursus, adhuc passiuo, concurrere ad effectum infinitum: etenim infinitum nequit vllo causæ genere finito contineri: vt de se patet. Nec satis est Dei infinita virtute, & voluntate iuuari: nam quamcumuis exiguum concursum conferat de suo ad gradus, vel partes effectus obedientiales edendos, si virtute sua concurrat, vt debet, quæ est ad centum suas eminno partes agendo, ac Deus fortius agendo loco illius nonagintanouem partibus concursus creaturam leuet concurrere ad milliaria aliquot partium effectus poterit, sed ad partes finitas vltra illas vero vsque ad infinitatem solus Deus agere poterit: quare partes illæ infinitæ, quæ excedant, effectus, obedientialis, potentiæ non erunt, factibiles sed à creatura adhuc obedientialiter: ergo nec in casu nostro gratiæ partes, quam essentia sua qualitatem educibilem supponimus contra Scotum ex controu. de gratia, vbi id fusè cum reliquis Scholasticis docuimus.

3 Dubitatur insuper an gratia hæc animæ Christi sit infinita secundum quid? Res quidem momenti exigui, in qua communiter affirmatur cum S. Th. hic, & q. 20. de verit. vanequę nullo fructu hæc infinitas gratiæ explicatur. Sed præcipuè, quia vnionem, & dignitatem infinitam humanitatis supponit, è cuius contortio, vt infinitè gratiam Deo humanitatem constituat gratia habitualis habeat, vt explicat Soar. §. *Sed in hoc considerandum*. non secus atque opera ex simili contortio infinitatem meriti tribuant. Sed contra: quia meriti infinitas operibus Christi abiudicata infinitas est, non secundum quid: quare ex ea paritate gratia infinita non secundum quid, sed simpliciter infinita concinceretur. Secundo dignitas, & sanctitas operantis est forma efficiens moraliter, & in æstimatione operis laudabilitatem, & meritum: quare nil mirum si ei in æstimatione morali tribuat infinitatem: ast gratiæ nequit esse forma physica, nec moralis cum gratia habitualis morale quid non sit in se quare in nullo genere poterit secundum se, & in se à dignitate humanitatis accipere infinitatem. Tertio licet eam acciperet non posset illam humanitati quasi retrogradè communicare, atque illam infinitè gratam Deo constituere: cum potius ipsa infinitatem ab humanitate, cui vnitur ipsa, præhabitam trahat. Solum ergo infinita secundum quid dici potest, quatenus infinitam dignitatem humanitatis, cuius titulo datur supponit, non autem in se recipit, aut eidem humanitati impertitur.

QVÆSTIO III.

Habuerit ne Christus gratiam maximam possibilem.

LIQVA hic supponenda, examinanda alia: quæ tamen satis clarè suis certaminibus singulatim præstabimus.

CERTAMEN I.

Christus gratia habituali plenus ex suppositione solum fuit.

1 PRima conclusio sit: Christum gratia habituali plenum fuisse certum non est. Conclusio hæc in aperto est ex dictis q. 1. vbi ostendimus gratiam habitualem Christi solum probabiliter, non autem certo asseri posse: vnde fit non maiori certitudine gratiæ eius plenitudinem in Christo affirmari valere: quare reprehendendus hic etiam est Soar. quia d. 22. sect. 2. hanc gratiæ Christi plenitudinem fidei dogma esse asserit testimoniis scripturæ, & Patrum, non solum, quæ afferri, sed quæ pro sua conclusione inducere etiam posset fecimus satis citata. q. 1. cert. 1. & 2. illud solum memorabimus Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*, vt cum Vasq. d. 41. c. 2. & Soario, §. *Secundum ex ipso* in hæresim huiusce sæculi incubatorem Erasmum, ac nimis credulum Caietanum animaduertamus illud *plenum*, Vulgatæ nostræ retinendum esse, vt verbo, de quo ibi egerat Ioannes, concordet; non autem legi posse, *plenus*, vt hi voluere; ita vt concordet cum Baptista, qui statim dicitur de Christo testimonium perhibuisse hac textus constructione. *Vidimus gloriam eius, gloriam, quasi vnigeniti à Patre Plenus gratiæ, & veritatis Ioannes testimonium perhibet de ipso.*

2 Ea vero lectio omnibus Patribus aduersa, temeraria, ac non nisi hæretici, aut multum candidi, ne dicam simplicis, animi est, & aqua correctu ipso retrahi Caietanus posset, si attenderet, Erasmus, si vellet. Subdit enim Euangelista Baptistæ testimonium de ea plenitudine gratiæ, & sanctitatis incarnati verbi, quam de illo nimirum asserebat *Ioannes* testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens. *Hic erat quem dixi: qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat, & de plenitudine eius nos omnes accepimus*, &c. Sed quam futili malitia Erasmus Caietanum in eam temeritatem egit? Ait enim ille πλήρης, quæ vox in Græco est, masculini generis esse, quare, & masculine *plenus* cum Ioanne concordans verti debet, non neutre. An ignorabat satis in lingua Græca versatus Grammaticus, atque homo in omnibus versutus, Græcam vocem substantiuam, quæ latinæ nostræ *Verbum* respondet, in illa lingua masculini generis esse: nempè λόγος cui non nisi mascula terminatione concordare adiectiuum linguæ eiusdem in bona grammatica posset? cum ergo *Verbum* in latina nostra substantiuum substantiuo masculino Græcæ linguæ respondens neutrum sit, & adiectiuum latinum, vt ipsi bona grammatica concorder, in neutra terminatione poni debuit.

3 Secunda conclusio ex suppositione gratiæ habituālis Christi certo ex discursu colligitur; non autem ex fide (cum nullum exstet scripturæ Patrum, vel Conciliorum ea de re testimonium) plenitudo ipsius in Christo. Siue enim plenitudo significet abundantiam, vt vulgo, imò in scriptura etiam (vt Luc. 1. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*. ac rursus. *Repleta est Spiritu sancto Elisabeth*. & c. 4. *Repleti sunt in Synagoga ira hæc audientes*, ac sæpius alibi) siue tantam habuisse gratiam, quantam ipsius dignitas, & officia exigebant, negari nequit, quin gratiæ plenitudo fuerit Christo concessa: cum de lege ordinaria aliis ad munera, in quibus à Deo constituuntur, & danda sit, & data legatur. Vnde facilè constat quo plenitudinis excessu præ aliis omnibus eximiè etiam sanctis illam Christus habuerit, cum, & muneribus ipsi iniunctis, atque infinitæ humanitatis Deificatæ dignitati longè debeatur gratia maior.

CERTAMEN II.

Circa magnitudinem gratiæ Christi opiniones, & conclusio prima.

1 CRristum Dominum habuisse maximam gratiam, non solum sibi, sed, & absolutè possibilem docet Scotus in 3.d.13.q.1.§. *Ad primam quæstionem dico.* quem sui omnes sectantur Marsil. q. 10.a.1.p.3.concl.1. Dur. q. 1. & in 1.d.17.q.9. Caiet.4.p.q.7.a.9.10.11.& 12.& q. 10. a.4.& 2.2.q.24.a.7.Driedo de captiuit.& redempt.Gener hum.c.2.p.3.a.6.Maldonat.in 2. Lucæ versu 40.Lorca. d. 43.Bernal.d. 30.sect.4.§. 2. referens pro eadem sententia Carthusianum, & Ægydium apud Vasquez, & Soarium, à quibus,ne nominantur quidem in eam autem opinionem propendet Paludan. in 3. d. 13. q. 1. Contra vero Okam.in 1.d.17.q.8.concl.r.& in 3.d.13.q.7.Capr.q vnic. a.3.ad 3.Aureoli,& in 1.d.17.q.2.a.2. ad. 2. Scoti docent Christum non habuisse maximam gratiam sibi adhuc possibilem,ne dum maximam absolutè possibilem. Eumque esse.S.Th.sensum locis citandis contendit, vt, dum ait, exhaustam esse, completamque capacitatem animæ Christi gratia, quam habuit, loquatur de capacitate animæ non absoluta,& obedientiali,sed naturali solum: ne sibi contradicat.q.29.de verit.a.3.ad.3.dicenti expleri non posse capacitatem animæ Christi respectu gratiæ, si obedientialem dixerit aliis locis, hanc interpretationem. S. Th. & sententiam sequntur Thomistæ reliqui præter Caietanum,& Paludanum, & Vasquez, d. 47. cap. 3. & 4. Soar. d.22.sect.2.vers. fin. §. *Dicendum est igitur.* Lugo. d. 16.sect.6. num. 111. ac cæteris fusius Vvadingo.d. 5.dub.7.

2 Prima conclusio secundæ huic sententiæ aduersa : Christus habuit maximam gratiam sibi possibilem. Est expressa S.Th.3.p.q.7. a. 11.& a.12.ad 2. vbi ait gratiam Christi pertigisse summam sui mensuram:non pertigisset autem, si in Christo posset esse maior, adhuc absoluta Dei potentia,& secundum potentiam obedientialem,loco autem opposito à Capreolo non loquitur de capacitate physica animæ,sed morali dignitatis, quæ infinita ex Deitate vnita est,& quæ finita gratia nequeat expleri. Idem docent Gabriël.in 3.d.13.q.vn.a.1. notat. 3. & a. 2. init. & in 1.d.17. q. 8.a.2.conclus.3. & 4. Gregor. q. 6. concl.3. & si minus attendentes naturæ gratiæ essentia sua educibili, extra subiectum augeri infinitè posse illam arbitrentur.S.Bonau.p.2.a.1.q 4.Ricard. a. 2. q. 4. & rursus Bonau.in 3.d.13.p.2. a.1.q.2. vbi & Ricard. q. 2. ad 1. licet hi animam Christi ratione vnionis hypostaticæ capaciorem gratiæ omni creatura possibili esse admittant:id quod,si de physica passiua capacitate intelligatur,nec solum de morali dignitatis,erit in primam sententiam abire,quam loco primo reiiciunt. Conclusioni eidem consentiunt ex parte Almain.in.3.d. 13. q. 1. atque apud ipsum Petrus Alliacens, dum aiunt gratiam Christi in ratione gratiæ fuisse maximam sibi possibilem : quia,qua talis est principium actiuum dilectionis Dei, in quo genere finitum esse nequit principium infinitum: aut in ratione qualitatis potuisse esse infinitè maiorem: quia,vt sic respicit subiectum, siue animam Christi solum,vt passibilem: passibilitatem autem infinitæ qualitatis in creatura esse posse.Sed peccant in distinctione.Primo:quia eadem est ratio principij concurrui passiuè,atque actiui quominus principium,& ens finitum nequeat ad infinitum concurrere, vt q.2.cert.2. monstrabam. Secundo:quia gratia re ipsa secundum totam suam entitatem educibilis est.Tertio:quia sunt educibilitas, & eductio,potentia,& concursus realis, qui nequeunt esse ad vnum prædicatum,ac non ad aliud entitatis eiusdem, adhuc præcisiuè.Quarto:ex hac ratione constat prædicatum qualitatis non posse intendi,quin intendatur prædicatum gratiæ ipsi identificatum : quare vtrumque, vel neutrum fore infinitè intensibile.

3 Probatur conclusio ex probato principio.q. 2. de termino intensionis gratiæ Christi necessario commensurato capacitati subiecti.Ex quo sic arguo.Animæ Christi debetur ratione vnionis hypostaticæ gratiæ secundum totam intensionem illam,quæ ipsi possibilis est.Atqui posito termino intensionis possibilis à nobis probato est summum, & maximum intensionis gratiæ possibilis animæ Christi:ergo hoc deberur animæ Christi : ergo & datum de facto illi fuit. Probatur hæc consequentia ex repetito sæpè principio: nempè summum perfectionis possibilis ipsi in quouis genere datum de facto humanitati Christi fuisse,vbi:nulla eius perfectionis cum Christi muneribus Redemptoris &c.pugna adsit:quæ in casu nostro adest nulla qui sanè discursus æquè probat de potentia ordinaria, atque de potentia absoluta,vel respectu potentiæ obedientialis, ac naturalis : imo in gratiæ productione, si respectu animæ secundum se sumptæ,ac nudæ loquamur,potentia naturalis adhuc passiua non est,sed solum obedientialis : cum potentia naturalis adhuc passiua respectu effectus supernaturalis, (cuiusmodi gratia est) esse non possit, neque item potentia ordinaria Dei habet locum:cum potentia ordinaria Dei in iis solum,in quibus exigentiæ aliarum causarum,& rerum se se Deus accommodat, inueniatur; non autem in iis,in quibus sine vlla exigentia aliarum rerum pro suo arbitrio ab eiusmodi exigentia soluto operatur : at vero, cum in anima nuda sola sit capacitas passiua, non autem exigentia gratiæ respectu ipsius secundum se sumptæ, nequit non Deus potentia soluta, siue absoluta operari : quare potentia ordinaria, siue ordinata operari non potest,Si autem adiuncta alia ex parte animæ considerentur,attendantur à Deo ad operandum poterit esse potentia ordinaria Dei in operanda gratia. Sed vt appareat quam falsò à Capreolo, Thomistisque eius assecl is, & à nostris Vasq.Soar.Lugo,& Vvadingo asseratur,gratiam maximam animæ Christo datam potentia absoluta, non ordinaria.

4 Addendum est maximam gratiam animæ Christi possibilem potentia ordinaria, siue ordinata Dei datam illi fuisse,nec nisi potentia absoluta dari illi minorem maxima potuisse. Probatur facilè ex dictis de potentia ordinaria,siue ordinata Dei,atque absoluta. Etenim, si ea Deus potentia ordinaria, & ordinata producit rerum exigentiæ præsuppositæ ad decretum producendi attendendo,ac se se accommodando:cum ad gratiæ,quam maximè productionem in anima Christi exigentiæ vnionis hypostaticæ, quæ de tota illa gratia est, præsuppositæ attendat,se seque accommodet potentia ordinaria,& ordinata,quam maximam gratiam in anima Christi produxisse dicendus Deus erit:eum autem ea potentia absoluta, siue soluta agere,seu non agere dicatur,quæ mero suo arbitratu à rerum exigentia soluto agit,vel non agit, quidquid gratiæ summæ, & quam maximæ animæ Christi possibili denegaret,potentia absoluta, seu soluta ab exigentia animæ iure,& titulo vnionis, quæ ad maximam sibi possibilem est, denegaret. Dices potentiam ordinariam Dei esse,qua regulariter, & frequenter operatur; non operatur autem frequenter gratiam quam maximam. Sed malè potentiam ordinariam, & regularem Dei cum frequenti confundis,nam regularis,& ordinariæ potentiæ definitio non est,quæ non excedit in effectu mensuram frequentem aliorum,sed exigentiam, quæ ad effectus in illis est:licet mensura effectuum frequentium gratiæ summum gratiæ non pertinges à potentia ordinaria sit,quia frequenter,& in reliquis non est summæ gratiæ exigentia,sicut est in Christi anima:quare, sicut in illis gratia minor summa à potentia ordinaria Dei prouenit, quia eorum exigentiæ in eius collatione Deus attendit,se seque accommodat,ita in summæ Christo datæ potentia ordinaria operatur Deus,quia exigentiæ ipsius attendit,atque gratiæ collationem commensurat.Instat Vvadingo ad dignitatem capitis, & fontis gratiæ,satis esse si maiorem gratiam,quam membra, in quæ illam influit,habeat, quin ad summam perringat : quare minorem summa potentia ordinaria Christum habiturum. Sed tamen, si hoc solum attendendum esset tota habitualis gratia superflueret:cum ex gratia vnionis satis,superque caput,& fons gratiæ aliorum constitueretur.Attendenda igitur est dignitas vnionis, ac non repugnantia gratiæ in eo gradu summo cum Christi muneribus,vt dicebamus.

CERTAMEN III.

Summam gratiam absolutè possibilem Christus non habuit.

1 HAbet præfixa conclusio Patronos Doctores omnes secundæ sententiæ recitatos certamine 2. n.1.aduersarios vero Doctores omnes allegatos pro prima cum Scoto,cuius ratio in oppositum est:quia; quamtumuis imperfecta Christi anima constituatur,atque aliis rationalibus creaturis imperfectione excedatur,tamen in gratiæ capacitate imperfectior rationalis creatura à perfectissima excedi nequit : quare nulla esse potest gratiæ capacior,quam Christi anima:ac proinde, si hæc habuit gratiam in summo quod potuit:ergo maximam gratiam absolutè possibilem habuit.Eandem æqualitatem capacitatis gratiæ in omnibus creaturis rationalibus fatetur Soar.sect.2.citata.§.*His ergo* post med.quia hæc capacitas obedientialis cum sit,commensuranda non est entitati,& perfectioni subiecti,sed voluntati.Dei,quæ eadem respectu omnium esse potest.Cæterum cum q.2.ostenderimus capacitatem gratiæ creaturæ rationalis esse potentiam influxiuam passiuè dubium non est quin à Deo possit produci vna creatura rationalis potentior passiuè,quam alia respectu gratiæ:quare,& gratiæ capacior.Vt mittam modo ex fundamento Soarij inferri potentiam obedientialem creaturæ fore infinitam iuxta potentiæ,& voluntatis diuinæ mensuram : quare effectus limitationem, exempli causa gratiæ,aliunde probandam satis difficile, vt vidimus.q.2.cert.1.

2 Idcirco Gabriël,& Ricard.citatis locis cert. 2.n. 2. qui cum Scoto pro aduersa stant conclusione admissa inequalitate physicę capacitatis gratiæ in creaturis rationalibus aiunt in Christi anima, licèt physicæ capacitatis minoris,tamen ratione vnionis hypostaticæ maiorem gratiæ capacitatem fuisse,quam in creaturis rationalibus puris esse possit : quare cum tota hæc capacitas animæ Christi fuerit expleta maximam gratiam absolutè possibilem habuisse dicendum erit.Sed enim, licet vnionis dignitas ius det humanitati, atque exigentiam ad gratiam ampliorem,cum tamen ea dignitas gratiam non materializet,neque ad aliquid ipsius passiuè concurrat,sed totum passiuum concursum physicæ animi Christi capacitati, seu virtuti passiuæ relinquat, ad nihil amplius summo gratiæ ad quod nuda concurrere poterat passiuè,poterit concurrere hypostaticè vnita,ac Deitate dignificata : ac proinde,nec capacior esse ad gratiam recipiendâ ex vnione:siquidem capacitas gratiæ in rationali creatura est potentia productiua,siue eductiua passiuè gratiæ ipsius;secundo:si dignitas vnionis formaliter sit capacitas, siue ampliatio capacitatis animæ Christi ad gratiam recipiendam,cum ea infinita dignitas sit,infinitè ampliabitur capacitas animæ Christi ad gratiam:vnde non erit cur in horum sententia negetur Scoto infinita intensio gratiæ Christi quam merito Gabriël, & Ricardus negarunt;cum è sola incapacitate infinita,& limitatione capacitatis animæ Christi probari solidè possit gratiæ Christi limitatio, & terminus,vt vidimus.q.2. cert. 2.

3 Aliunde vero fundari posset maior capacitatis gratiæ in anima Christi,quam in reliquis rationalibus creaturis,etiam specie perfectioribus licet enim gratiæ capacitas sequatur prædicatum genericum rationalis creaturæ,potest maior capacitas ex prædicato individuali prouenire:cum maior speciei perfectio aliunde quam ex maiori, ac capacitate esse possit id quod ostendo in prædicato generico,& specifico.Plura enim,quę speciebus cõpetunt ex prædicato generico,quod sequentur,vel formaliter etiam cõstituunt,in specie perfectiori à Deo perfecta,atque in imperfectiori non sunt.Ecquis enim neget bruta ferè omnia perfectius sensibilia esse,quâ homo,qui tamen profectioris speciei sub genere animalis est?Experimur enim brutorum,pleraque acutius videre, subtilius audire,vehementiusque homine olfacere.Ergo capacitas gratiæ,quæ sequitur prædicatũ genericũ rationalis creaturæ poterit esse maior in rationali creatura speciei imperfectioris,quam sit in aliunde perfectiori secundũ speciem creatura alia rationali:quia ex prædicato alio inferiori ea maioritas potest prouenire:ergo, licet Angelus, aliæque plures rationales creaturæ perfectioris speciei, quam anima aliunde sint,potest hæc ex prædicato specifico,vel etiã individuali gratiæ capacior esse:quod si anima eiusmodi non repugnat, sed est planè possibilis eã in Christo Domino fuisse piè, ac theologicè fatẽdum nobis est:cum ad vnionem hypostaticam omnium perfectissimam animam selectam fuisse credere debeamus.

4 Cæterùm discursus hic noster,licèt aliis impugnatis speciosior fortasse videatur,aduersam conclusionem non euincit.In primis enim non probat specierum perfectiorum non posse dari individua aliqua etiam individuè perfectiora. Si autem dari ea non repugnet vnde nam ex perfectissima individuatione animæ Christi maxima eius capacitas gratiæ deducetur. Secundo discursus quo ea maxima capacitas animæ Christi deducebatur solidus non est.Etenim magis,siue perfectius sensitiua esse bruta hominibus nõ probatur ex eo,quod ad longius spacium videant,audiant,olfaciant, sed solum actu magis videre ex temperamento,& organo homini non apto,sed potius incongrua.Nam perfectius animal, perfectius etiam sensitiuum est : neque brutum inuenietur omni sensu præstantius homine,sed aliquo solum:sed esto verum haberet in brutis intentum quoad operationes, & gradus materiales,qui in homine à corpore, & temperamento absoluti non sunt,non statim inde ad potentias purè spirituales,qualis est capacitas gratiæ,teneret consequentia. Sed teneat:nulla anima tantæ perfectionis assignabilis est vltra quam Dei potentia nequeat producere perfectiorẽ, & gratiæ capaciorem : quare licet huius animæ Christi capacitas gratiæ fuerit expleta,ac proinde summam, & maximam sibi possibilem Christus habuerit, vt q. 3.docuimus, non tamen summam, & maximam absolutè possibilem.

QVÆSTIO IV.

De tempore; & causis gratiæ Christi vbi de eius augmento.

CAVSARVM gratiæ nomine efficientem causam, siue physicam,siue moralem:idest actiuam, vel exactiuam, intelligimus. Nam de causa materiali, & finali productionis gratiæ nil, est disputatione dignum.

CERTAMEN I.

Tempus, & efficiens gratiæ huius statuitur.

1 DIco primo.Ab instanti conceptionis summam illam habitualem gratiam sibi possibilem Christus habuit in hanc conclusionem Theol.omnes conspirant. Ratio à priori,& communis,etiam,& facilis,& data sæpè in simili à nobis:est quia gratia, cæteraque creata dona à Deo humanitati collata conferenda fuere titulo vnionis hypostaticæ, ac, si placet meriti infiniti operum

humanitatis, vt à Deitate dignificatorum: sed ab instanti conceptionis adfuit vnio hypostatica, & meritum infinitum operum humanitatis plurium, vt à Deitate dignificatorum: ergo ab instanti conceptionis data Christo fuit summa gratia habitualis: ne Deus durus esset remunerator, cum sine aliquo fine, & fructu, qui non apparet, ornamentum hoc vnitæ sibi beneque meritæ humanitati differret. Confirmatur: quia nihil gratiæ ob exercitium virtutum deinceps futurum dandum à Deo humanitati erat, datumvè postea fuit: ergo nec aliquid gratiæ referuatum à Deo fuit ex instanti primo, vt vlteriori tempore humanitati Christi conferretur: ergo maxima gratia humanitati possibilis ab instanti conceptionis, data humanitati Christi à Deo fuit.

2 Dico secundo efficiens morale, siue exactiuum solum gratiæ habitualis Christi fuere vnio hypostatica, & opera meritoria Christi instanti conceptionis sic censent Doctores omnes de vnione hypostatica, si pauculos excipias, qui docent gratiam, habitualem præcessisse natura, vt dispositionem humanitatis ad vnionem hypostaticam: cum quo non stat dari gratiam ob vnionis exigentiam: imò neque ob opera, vt vnione, ad quam gratia præcesserat, dignificata. Eos tamen Doctores supra impugnauimus. De meritoriis operibus causam gratiæ Christi fuisse communis opinio est, à qua tamen discessere ij omnes, qui quæst. 1. certam. 2. gratiam habitualem ad dignitatem, & meritum operum Christi necessariam arbitrabantur, iisque super Lugo, & Bernal. impugnandi. d. sequenti. Cæterum de vnionis titulo constat ex ratione, quam dedimus pro conclusione prima, ad ea enim omnia dona, quæ Christo Domino collata à Deo sunt, plus satis dignitatis in ipsa est: quare nisi aliquod ex eis probetur pro priori naturæ ad vnionem fuisse humanitati collatum, quod non habuit gratia habitualis, datum de facto vnionis hypostaticæ titulo tenendum omnino est. Atque eadem sanè ratio de merito Christi, eiusque infinito valore respectu eorum omnium, quæ ipsum natura non præcedunt, quare, & respectu gratiæ habitualis, æquè conclusionem euincit.

3 De causa efficienti physica, siue actiua conueniunt omnes fuisse Deum an vero is efficiens totale fuerit? negasse referuntur falsò Medina, aliique Thomistæ: quasi asseruerint gratiam Christi non à solo Deo actiuè proueniisse, sed etiam ab vnione hypostatica: cum tamen illi solum dixerint esse vnionis hypostaticæ passionem, sicut reliquos habitus supernaturales passiones gratiæ vocant, quin physicè actiuè ab illa prouenire defendant: imò in sua opinione de productione passionum non ab essentia, sed à generante ne somniare quidem possunt, quod eis in præsenti imponitur. Id tamen docuerunt Nobiles Philosophi apud Vincentium de gratia Christi. quæst. 2. a. 2. consequentiusque asserent Deum non fuisse efficiens totale physicum gratiæ humanitatis Christi Soar. & Granados, qui 1. 2. controuers. de grat. trat. 4. d. 18. sect. 5. numero 44. & de Incarnat. tract. 6. d. 3. cum Soario docet humanitatem Christi fuisse physicum instrumentum generale omnium effectuum supernaturalium etiam gratiæ in aliis: quare citius dicenda foret, fuisse etiam gratiæ in se ipsa productæ. Id ipsum alia via potuit docere idem Granados ex sua doctrina. 1. p. quæst. 12. d. 5. & 7. vbi cum aliis Recentioribus concursum specialem personis Trinitatis ad sui visionem concedit insuper Franciscus Abræ de Rachonis. p. 3. tract. 1. quæst. 1. & Vvadingo. d. 4. dub. 4. paragrapho tertio, ex notatis num. 54. qui verbi specialem concursum Physicum in hypostaticam vnionem tribuunt, similem illi in gratiam habitualem humanitatis possent non maiori incommodo tribuere. Denique non est cur Bernal. Granados. Soarius, & alij recusent virginem fuisse physicum, instrumentum ad gratiam filij producendam: cum respectu vnionis hypostaticæ id muneris obiisse fateantur, apud Bernal. disputatione 10. sect. tertia, vt supra refellebamus.

4 Dico tertio: solus Deus concursu communi Trinitati fuit efficiens physicum gratiæ Christi. Est omnium Theologorum contra relatos, à Vincentio, & Granados. Ratio est: quia nec humanitas, nec B. Virgo potuit influere in gratiam habitualem nisi potentia obedientiali actiua in nostris principiis Chymerica: neque ea admissa locum haberet de facto, cum Deus causa principalis gratiæ sit, quare non sine miraculo superfluo iuuaretur creaturæ influxu obedientiali in eius productione quod ipsum de vnionis concursu dictum puta. Præterquam quod vnionis natura, & essentia est actu nectere extrema, non autem aliquid producere, seu alicuius, nedum gratiæ, actiuum principium esse quæ rationes potiores illis sunt, quas dedit Vasq. quod scilicet, si ab vnione gratia physicè profluereat naturaliter, & in gradu determinato profluetet, quæ sine absurdo aduersarij admittent quin in gradu determinato, & summo humanitati possibili gratiam datam de facto. q. proxima ostendebamus. Atinquit Granados gratiam esse passionem vnionis. Sed quid inde cum passio moralis, non physica ipsius sit. Imo neque vnionis est passio propriè adhuc moralis, sed dignitatis, quæ formaliter, seu tanquam à forma humanitati à Deitate prouenit. Denique concursum specialem verbi in gratiam, aliquidvè creatum, tori Trinitati: non communem improbabilem esse satis ostendimus locis citatis.

CERTAMEN II.

Gratia Christi decursu temporis nec maior fuit, neque esse potuit.

1 Conclusio de facto omnium Theologorum est; de possibili vero eorum, qui maximam, vel sibi, vel etiam absolutè possibilem, vel tandem infinitam gratiam habuisse Christum docuere. Sed tamen communis à Deo conclusio communibus argumentis non satis consistet. Probant aliqui ex pluribus Patrum testimoniis, quæ nec de gratia habituali sunt, nec si de ea essent physico augmento gratiæ obessent, vt statim. Videbimus. Ratio solida conclusionis ex impossibilitate augmenti gratiæ in Christo petenda est. Etenim si augeri, maiorque esse potuit cur illud augmentum ob virtutes denuo temporis decursu à Christo exercitas non donatur? eius enim augmenti collatio nullo scripturæ, aut Patrum testimonio impugnatur, nec fini incarnationis, vllivè Christi Domini muneri aduersa est quo circa Vasquij, & Soar. consequentiam laudatam à Bernale d. 30. sect. 4. §. 2. initio, quam assequi nequeo, laudare non possum; potius autem in consequentiam miror, quod admissa possibilitate augmenti gratiæ supra eam, quam ab instanti conceptionis Christus habuit collatum de facto illud decursu temporis negent. Probat Scotus malè impugnatus à Bernale proximè n. 52. quia gratia habet terminum intensionis, quem gratia primi instantis pertigit. Impugnat Bernal. negato assumpto, quod tamen certum esse ostendimus. Sed tamen malè probatur ab Scoto vidimus, q. 2. & 3. Probat Iorca ex dissimilitudine graduum gratiæ à nobis impugnata. q. 2. cer. 1. n. 2. ex controu. 1. de generat. d. 2. malè autem eam impugnat Bernal. quia terminum intensio gratiæ non habet, quod graduum dissimilitudine admissa est improbabile, vt citato n. 2. videbamus.

2 Maldonatus apud eundem Bernal. num. 53. probat: quia intensio gratiæ Christo datæ in conceptione fuit infinita, vt ipse. q. 2. aiebat: infinito autem augmentum repugnat. Extremum hoc certum reputat Vasq. ex eoque probat Christi gratiam infinitam non esse, quia augmenti vlterioris est capax. Sed tamen, licet quod infinito additur maius formaliter non faciat, sicuti neque quod illi detrahitur redda: ipsum formaliter minus, quia maius, & minus formaliter sumpta sunt entis limitati, & mensurabilis affectiones, negari nequit quin entitatiuè aliquid infinito addi, detrahivè possit, vt suprà docebamus contra Vvadingo nostrum. Secundo: principium illud de infinitate intensionis gratiæ Christi disiectum satis à nobis fuit. q. 2. citata Probat Bernal: quia non repugnat totam intensionem possibilem gratiæ: etiam infinitam simul, semelque à Deo produci: sicque factum in gratia humanitatis esse ait in primo huius instanti: cum quo pugnat dari sequenti tempore vlteriorem gratiæ intensionem. Minorem probat: quia in primo instanti erat in humanitate infinita vnionis dignitas, addereque poterat meriti etiam infinitas, Sed contra primo: quia admissa in humanitate Christi infinitæ intensiuè gratiæ capacitate nequit tota gratiæ intensio possibilis poni in Christo, quin ponatur tota gratiæ intensio absolutè possibilis, si ergo tota hæc posita in Christi humanitate fuit in primo instanti incarnationis nihil gratiæ potuit Christus hominibus promereri per opera morte consummata: cum nihil gratiæ restaret. Contra secundo: quia omnipotentiæ virtus nullo, quantumuis magno siue intensiuè, siue extensiuè, effectu producto exhauritur, effætavè manet ad maius aliquid producendum, nisi maius illud repugnet: atqui admissa possibilitate infinitæ intensiuè gratiæ, & capacitate humanitatis ad illam non est vnde repugnent plura, & plura infinita gratiæ, siue ex se, siue ex capacitate humanitatis: ergo quouis infinito gratiæ producto à Deo in humanitate Christi in primo sui instanti manet in Dei potentia virtus ad vlteriorem intensiuè gratiam ponendam in humanitate: quare admissa possibilitate infinitæ intensionis gratiæ in humanitate à Bernale est implicatorium antecedens: æquè atque in eorum opinione, qui negantes gratiæ infinitam Cathegorematicè intensionem, infinitam sincathegorematicè admittunt: cum quo pugnat tantam intensiuè produci, vt nequeat produci vlterior. Denique possibilitas infinitæ intensionis gratiæ humanitatis Christi, quam hæc ratio supponit est, prorsus falsa, vt constat ex q. 2.

3 Vnica ergo, & solida communis huius conclusionis ratio est ex dictis q. 3. cert. 2. & 3. atque ex q. 2. Etenim ex eis constat Christi humanitatem determinatæ, ac limitatæ, non autem in determinatæ, atque infinitæ, gratiæ capacem esse: item habuisse de facto titulo vnionis, & meriti infiniti, quæ in primo quidem conceptionis instanti existere, summum gratiæ ipsi possibile: idque connaturali prouidentia, vt non nisi miraculosè habere potuerit gratiæ minus. Cum hoc autem apertè pugnat de cursu temporis, & meritorum succedentium habuisse, imo habere potuisse gratiam maiorem. Dices, licet intensiua perfectione nequeat dari maior gratia humanitati Christi, ast potest dari maior, siue melior secundum speciem: ergo, & eo modo poterit humanitas Christi in gratia crescere. In primis dato toto nihil contra conclusionem euincitur. Secundo antecedens dubium, ac fortasse falsum est, vt constat ex dictis controu. de gratia formaliter iustificante. Nulla quippè gratia habitualis dari posse videtur, quæ magis peccato adhuc veniali opponatur nec magis, aut melius filium Dei adoptiuum constituat, quam gratia habitualis nostra. Et si autem cum his prædicatis alia possint in eandem physicam entitatem aliquam confluere cum ad gratiæ lineam non spectent non inde fiet illam esse in ratione gratiæ meliorem, maiorem, aut perfectiorem. Sed de his citata controu. Data igitur ratio vnica, vt dixi, pro conclusione nostra est: imo, & vnicum absolutè illius fundamentum. Etenim Patrum testimonia quæ à pluribus ad rem hanc statuendam inducuntur extra rem esse aduertimus n. 1. id quod nunc figillatim ostendimus.

4 Dionys. Alex. epist. contra Paul. Sam. apud Hophoth. nostri Tutriani sic. habet: *Homo maioribus gratiis à Deo bona voluntate eius honoratur, quando magis in studio virtutis ei probatur in Christo Iesu nihil horum spectatum est. Non fuit in eo propter prudentiam studium laboris, ac propter temperantiam ciborum abstinentia, vt pote, qui modum humanum superaret.* Naz. orat. 51. quæ est epist. 1. ad Cledon.

num. 9. contra Photinum, Theodorum, & Nestorium, (qui Christum hominem purum, soloque affectu Deo coniunctum, in dieisque magis sanctificatum ex operibus docebant) sic scribit: *Si quis eum ex operibus perfectum fuisse, aut post baptismum, vel resurrectionem in filium adoptatum dixerit, quemadmodum, quos Græci adscriptitios Heroes iis, ducunt anathema sit. Neque enim id, quod initium habet, aut proficiscatur perficitur, Deus est* (sicut Christus per vnionem) *Tumetsi hæc de eo idcirco dicantur, quod paulatim se se patefecerit.* & orat. 20. num. 65. iisdem hæreticis obiectantibus id Luc. 2. *& Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Ita respondet: *Proficiebat enim,* inquit Lucas, *vt ætate, etiam sapientia, & gratia; non quod hæc in illo incrementum caperent* (*quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius esse posset?*) *sed quod hæc paulatim detegerentur, atque elucerent.* Sic vertit Synonime ad versionem communem Bernal. confessar. Damascen. latinus per Billium. 3. de fide c. 22. his verbis: *qui autem eum progressus in sapientia, & gratia proinde fecisse aiunt, ac si earum incrementum acciperet, non à primo illo carnis ortu factam esse vnionem asserunt.* Eo etiam sensu Lucæ locum intelligunt Euthym. id Athanas. orat. 4. contra Arrian. Hieronym. in id Isai. 7. *vt sciat puer reprobare malum.* atque in id Hieremi. 3. *Mulier circumdabit virum.* Bernard. hom 2. in *Missus est.* circa medium. Cæsari. dialog. 1. post opera Nazianzeni. Vigilius. 3. & 5. contra Eutychet. c. 5. Biblioth. gaudent. respons. ad Paul. Diacon. in id Ioan. 14. *Pater maior me est.* t. 3. Biblioth. Beda hom. 1. in Euang. Dominicæ. 1. post Epiph. circa fin. t. 7. Hugo Victor. de incarnat. verbi. c. 6. Cyril. Alex. 10. Thes. c. 7. & 1. in Ioa. c. 17. de quo loco plura diximus d. 1. q. 4.

5 Sed tamen recitati Patres longè aliud contra præfatos Nestorianos hæreticos contendunt. Primo enim contendunt præcipuè vnionem physicam humanitatis ad verbum factam initio, neque vnquam Christum purum hominem fuisse sicut ex profectu, & augmento in gratia, & sanctitate Christi à Luca asserta probare hæretici conabantur, quibus respondent non potuisse gratiam, & sanctitatem augeri, in eo, qui vnione physica ad diuinam personam, & Deus erat, & infinita, ac substantiali Deitatis sanctitate sanctificabatur, quæ, cum eminenter contineat omnem sanctitatem creatam, quantumuis hæc augeretur non redderet sanctiorem, magisvè sanctum hominem Christum, eiusvè humanitatem. Nec refert quod obiicit Bernal. sect. 4. §. 1. num. 43. versu *Cæterùm* eodem modo negari à Patribus augmentum sanctitatis, atque sapientiæ in homine Christo. Loquuntur autem de augmento sapientiæ creatæ, ergo, & de augmento sanctitatis creatæ, & vrgeri instantia hæc posset, quia sapientia increata non sapit formaliter humanitas; quare ex eminentiali continentia cuiusuis scientiæ creatæ in increata negarent negare augmentum scientiæ humanitatis Patres præfati, sed solum, quia scientiæ creatæ additionem negent; ergo dem etiam volunt de sanctitate, & gratia creata. Respondetur tamen ad vrgentiorem hanc instantiæ cõfirmationem eodem argumento, eodemque sensu tandè vtrumque negari à Patribus. Nam licet ex vnione ad Deum humanitas non sapiat sapientia increata, ait sapit sapientia creata, infusa nouiori quâ experimentalis, & in qua hæc eminenter continetur: quare merito eodem, vel simili discursu negant per scientiam experimentalem reddi humanitatem Christi sapientiorem, licet hanc denuo accidere humanitati admittant, quare licèt admitterent sanctitatis creatæ nouum ad humanitatem accessum, augeri tamen negarent ob rationem similem continentiæ eminentialis in sanctitate infinita substantiali Deitatis, qua humanitatem sanctificari docent. Verumque autem refunditur in vnionem humanitatis ad Deum ratione cuius proximè humanitas sanctificatur, & remotè fit sapiens scientia perfectissima infusa nobiliori, quam experimentalis, cum scientia illa infusa titulo vnionis humanitati donetur, quare ab his, qui augmentum sapientiæ, & sanctitatis in homine Christo admittant negari vnionem hypostaticam merito aiebat

Damascenus. Nazianzenus vero negari ab eisdem Christum esse Deum asseruit.

6 Contendunt secundo Patres iidem testimoniis recitatis virtutes humanitatis Christi, siue inclinationes ad omnigenum bonum, & honestatem, atque à malo omni auersionem non fuisse labore, studio; & exercitio diuturno humanitati Christi paratas, sed vnione ipsius ad Deum statim simul, semelque habitas. Hoc expresse sonant verba Dionysij Alexandrini: neque obscurius verba Nazianzeni, & Damasceni, vt legenti patebit, quod autem inclinatio hæc ad bonum, firmaque ad illud adhæsio, atque auersio à malo sanctitatis nomine censeatur constat aperte: quia inde vnum alio homine sanctiorem vulgo dicimus, & perfectiorem, quod ad virtutum opera promptiorem, & contra vitia firmiorem iudicemus. Denique quod Patres non negent gratiam, & sanctitatem, quam initio, atque ab instanti conceptionis humanitas Christi habuit, decursu temporis augeri, vel ex eo liquet: quod Patres gratiam, siue sanctitatem creatam in humanitate Christi, vt non negauerint, saltem nusquam recognouerint, vt ostendimus. quæst. 1. quare neque statim datam totam, neque paulatim decursu temporis auctam negare, neque asserere potuerunt. Stet ergo fixum ex Patribus, nihil pro conclusione præsenti firmum esse posse.

DISPVTATIO IV.

De virtutibus, & donis spiritus sancti humanitati Christi datis.

IN Theologicas, & Morales vulgò diuiduntur virtutes. Atque morales rursus in per se acquisitas, & naturales, & per se infusas, ac supernaturales: atque ex his quidem non solum pia affectio ad credendum, & religio, siue adoratio, & si quæ aliæ motiuum supernaturale essentia, genereque, vt aiunt, suo concernunt numerantur à nonnullis, sed, & morales etiam, vt temperantia, fortitudo, & similes, quæ è suo genere nihil concernunt tale, & quoad Theologicas virtutes constat ex d. 2. q. 5. cert. 2. actum fidei in Christo fuisse: quare, & habitum fidei in eius humanitate esse admittendum. De actu igitur, habituque spei, & charitatis, piaque effectionis ad credendum dubitari solum in præsenti poterit. Insuper de habitibus reliquarum virtutum, quas summa perfectione exercuisse Christum citra dubium est. Denique de donis, & gratiis spiritus sancti.

QVÆSTIO I.

De virtutibus Theologicis animæ Christi, de que piæ affectionis virtute.

DE virtute spei, & charitatis procedit, vt dixi, quæstio, quibus virtutem piæ affectionis ad credendum coniunxi, quia ad vlterius virtutis Theologicæ, nimirum fidei, actus necessaria videtur.

CERTAMEN I.

Circa spem suæ gloriæ conclusiones.

1 CVm harum virtutum munus sit potentiam complere ad actus earum eliciendos non aliunde melius eiusmodi habitus probabuntur in Christo, quam ex eiusmodi actuum decentia, ex qua in Christo hi fuisse satis probantur. Cum enim eiusmodi actus non nisi ex suis habitibus connaturaliter haberi à Christo queant, atque connaturaliter haberi illos, si habeantur, oporteat asserere, eorum habitus in Christo fuisse tenendum proculdubio erit. Animaduertendum tamen hic erit cum Vvadingo. d. 5. dub. 4. ac ferè omnibus Recentioribus politioribus opus non esse omnes virtutis vnius actus ab aliquo exerceri, vt habitus ipsius in ipso fuisse asseratur; sed satis esse, vt aliqui, vel aliquis earum actus ab illo exerceatur, vt habitus in eo fuisse probetur. Id quod probatur facilè. Primo: quia à nullo iusto, in quo habitum spei esse citra dubium est, omnes spei actus eliciuntur. Secundo à priori quia quicumque actus virtutis supernaturalis, vt connaturaliter eliciatur (quomodo in communi, & connaturali prouidentia elici debet) habitum debet supponere, qui vt connaturaliter, ac non miraculosè existat in subiecto esse debet, cum accidens essentia sua sit.

2 Dicendum igitur primo est, fuit in humanitate Christi actus spei. Est ferè omnium Doctorũ, quos proinde sigilatim non recenseo. Probatur facilè quia fui, vt minimum, corporis gloria erat bonum futurum, vt tale cognitum à Christo, arduumque, quia ab alio obtinendum, nempè à Deo: ergo erat obiectum proprium spei, quodque sperari honestissimè à Christo potuit; ac proinde fuit ab illo speratum Sed dices arduitatem non in eo sitam esse, quod ab alio solum futurum bonum sit, sed quod sit contingenter futurum, atque, vt tale cognoscatur: gloriam autem sui corporis Christo contingenté non esse, neque vt contingentem sibi cognitam, sed, vt certam. In primis solutio hæc animabus purgatorij actum spei circa suam gloriam aperrè contra omnes, non adeo nuperos, siue nuperrimos, nescio quos Theologos prorsus denegat, dum particulá illam contra omnes nullo commodo, rationeve probabiliori sic explicat. Contra secundo: quia bonum illud gloriæ corporis contingẽter est futurum à Deo: cum ita futurum sit à Deo, vt absolutè potuerit non esse: siquidem antecedenti potestate donum illud, sicut, & reliqua collata humanitati, potuerit Deus posita etiam hypostathica vnione, ac meritis Christi; absolutè denegare. Contra tertio: quia contingentia futuritionis, quam excludit ipsius certitudo, potius minuit, & hebetat obiectum spei, vt à desiderio strictè, ac presse sumpto distinctæ: atqui nihil, quod hebetat, minuitve obiectum actus, atque eius vires motiuas ad actum potest esse de essentia, obiecti motiui actus, vt patet: ergo contingentia, siue incertitudo boni futuri, nequit esse de essentia obiecti motiui spei.

3 Maior probatur: quia motiuum spei, vt à desiderio presse dicto distinctæ est bonum cognitum non solum, vt absens, siue non existens, & possibile præcessiuè (sic enim est obiectum motiuum desiderij, vt ab spe, & desiderio presse dicto abstrahit, estque illis commune) sed futurum: ergo quod minuit cognitam boni futuritionem minuit obiectum motiuum spei: atqui futuritionis contingentia, & incertitudo minuit futuritionem cognitam boni, eiusque vires motiuas actum spei, vt à desiderio presse dicto distinctæ: ergo minuit obiectum motiuum proprium spei, vt à desiderio presse dicto distinctæ. Contra tertio: quia incertitudo, & contingentia futuritionis boni ex parte obiecti ponit non futuritionem boni, quæ opposita est futuritioni boni, ac proinde contradictorium futuritionis boni, quod est motiuum spei: at contradictorium motiui ad actum, nequit esse motiuum actus, siue essentialiter ad illum requiri: ergo nec contingentia futuritionis potest requiri ad actum spei. Contra quarto: quia contingentia futuritionis inducit ad timorẽ, estque motiuum ipsius: ergo nequit esse motiuum spei; alioqui idé esset actuum ex genere suo oppositorum motiuum, essentque proinde actus è genere suo oppositi essentia sua connexi: quod implicat, vt in simili, de timore agens dicebam d. 2. q. 3. cert. 2. n. 4. & 5. Nec instabuntur arg. hæc in arduitate, seu difficultatè boni sperati, in quocumque hæc ponatur, quæ retrahit ab spe voluntatem, ac timorem etiam inducit. Nam etsi arduitatem in obiecto spei contineri dixerimus, nõ tamen, vt difficultatem dicit boni retrahentem ab sperando, sed vt dicit bonum ab alio fore, vt cõmuniter à Doctoribus explicatur, in quo nulla est difficultas: cum possit esse ad bonum facilis alius: quin à duro, & difficili nemo bona sperat, quid autẽ de arduitate sic etiam intellecta censeamus contr. de spe diximus.

4 Dico secundo. Circa gloriam essentialem animæ habuit Christus actum spei. Conclusio hæc est contra Scotistas plures, & contra nostrum Vasq. d. 43. & asseclas non paucos. Eam tamen docent cum pluribus Lugo d. 16. sect. 7. Vvadingo d. 5. dub. 4. citatur. Soar. 3. p. q. 7. a. 4. Sed tamen de spei actu negat ibi expresse. Licet de habitu spei affirmet ob rationem infra dandam concluſ. sequenti. Probatur autem concusio hæc: quia, licèt actus spei proprius nequeat esse dare possessa, & præsenti, sed de re possidenda, & futura gloria essentialis animæ crastina, siue diei sequentis futura erat, ac possidenda à Christo: ergo poterat ferri in eam Christus actu proprio spei. Dices gloriam essentialem animæ esse visionem Dei essentialiter veram, suæque perpetuitatis repræsentatiuam: quare, & in sui initio erat continuationis suæ possessio: ac proinde non poterat cognosci tunc, vt futura. Contra primo: quia in nostra, & plurium Scotistarum veriori sententia gloria essentialis animæ non in visione, sed in fruitione consistit, quare perpetuitas essentialis ex essentiali vera suæ perpetuitatis repræsentatione, quæ in visione est, illi non adest. Contra secundo: quia, licet visio beata sit, essentialiter nequit se repræsentare, vt opus erat ad suam perpetuitatem repræsentandam. Id enim solum est proprium cognitionis diuinæ è suo genere infinitæ, vt sæpè monstrauí controuersiis de anima, ac de scientia Dei ex repugnantia prioritatis realis cognitionis respectu sui ipsius. Tertio: æternitas visionis, quæ ipsa visione repræsentaretur non poterat esse indiuisibilis, & tota simul, quæ est æternitas propria Dei, sed diuisibilis, constansque partibus durationis creatæ, licet infinitis: quare licet ex essentiali veritate visionis non posset non esse, quod contingentiæ non essendi, & durandi per æternitatem opponitur; ast non est initio sui suam durationem æternam, siue æternitatem possideri nullamque eius partem esse futuram.

5 Dices secundo in beatitudine, siue gloria essentiali crastina non esse futuritionem gloriæ: Nam futuritio rei cuiusuis duo dicit, & non esse nunc, & esse duratione sequenti: gloria autem essentialis animæ Christi, licet habeat existentiam duratione sequenti, tamen in primo instanti non habuit non esse, sed potius esse, & existentiam: quare tunc non erat futura, neque, vt talis, cognoſci à Christo poterat, neque sperari propriè: cum proprius spei actus circa bonum futurum esse debeat. Nec refert negationem boni cũ illud speratur, quam dicit futuritio, ne partialiter quidem amari à voluntate cum bonum futurum amatur, siue speratur propriè; quia pluta, quæ non amantur in se possunt esse ratio saltem partialis amandi, aliquid, siue conditio, vt aliquid ametur, vt patet in affectu pœnitentiæ, qui nequit esse nisi de peccatis, quæ non amantur. Sed contra tamen est: quia futuritio non dicit negationem existentiæ nunc sensu adhuc proprio, sed existentiam in duratione sequenti, alioqui nulla voce propria significaretur rei existentis duratio sequens. Nam solum significatur verbo temporis futuri, quod propriè significat futuritionem: ergo si rei futuritio dicit non solum durationem rei sequentem, sed præsentem negationem illius non significatur, imo nec significari propriè poterit rei existentis duratio sequens. Neque in sensu proprio, & stricto vera erit nunc hæc propositio. S. Petrus videbit Deum per æternitatem, sed eius potius contradictoria, quæ est erronea.

6 Futuritio ergo, licèt in essentialiter successiuis, vt tempus, & duratio dicat negationem existentiæ pro nunc, eam solum dicit ratione materiæ non formæ futuritionis; quatenus tempus, siue duratio crastina essentia sua nequit esse hodierna: ast in rebus permanentibus, cum vtraque duratione esse, durareque possint earum negationem hodiernam futuritio non dicit. Sed instabis res adhuc permanens præterita formaliter, vt præterita dicit negationem existentiæ duratione præsentis; ergo res futura adhuc permanens, vt futura formaliter, dicet negationem suæ existentiæ duratione præsenti. Sed contra; quia præteritum, vt præteritum formaliter dicit, rem præteriisse. at vero futurum solum dicit rem fore, in quo non inuoluitur negatio existentiæ ipsius duratione præsenti, nisi addatur futuritioni puritas futuritionis, qua res purè futura sit, tunc enim dicit negationem eiusmodi, atque per omnia æquiparatur rei præteritæ formaliter, vt præteritæ. Secundo præterium etiam dicitur etiam de re, quæ adhuc existit licet non sub plura præteritione. Nam de S. Petro verè dicitur vidisse Deum, atque habuisse gloriam die, quo fuit Romæ martyrio coronatus. Ratio est: quia, cum propria, & primaria præteritio temporis sit, ac ratione illius rebus permanentibus competat sicut, & futuritio, ex ea solum, quod tempus designatum per verbum sit propriè futurum, vel præteritum, nec actu præsens, res permanens satis propriè, secundario, quo solummodo potest, dicitur præterita, vel futura, licèt actu existat. Demum, quidquid de proprietate futuritionis rerum permanentium sit, etsi dicat negationem existentiæ earum tempore præsenti actum spei non dicere ex parte obiecti futuritionem, vt eam negationem continet non solum, vt motiuum, sed neque, vt conditionem; aut materiam necessariam, rei sperandæ constat; quia gratiam, ac beneficium Principis, quo nunc fruimur, quodque habemus sperare possumus deinceps fore continuandum; timereque, ac desperare secus à Principe esse deinceps agendum.

CERTAMEN II.

De spe Christi conclusiones reliquæ.

1 SVper Christi spe de gloria boniſque reliquis aliorum inter Vasquistas, & Soaristas lis est non exigua: negantibus primis actum spei Christi circa illa; asserentibus vero secundis quocirca ne de nomine decertetur. Dicendum est tertio, circa bona aliorum; siue gloriam, siue quidpiam aliud potuit esse actus spei absolutè in Christo: imo, & fuit de facto. In hac conclusione absolutè prolata non est inter Vasquistas, & Soaristas diſſidium, vt constabit ex conclusionis probatione. Ratio conclusionis est: quia, licet actus spei sit necessario, & essentialiter actus concupiscentiæ, ac non amicitiæ, circa bona aliorum potest esse in Christo actus concupiscentiæ: ergo potest esse in Christo actus spei. Probatur consequentia: quia in aliorum bonis est iudicium futuritionis à Deo in Christo, & in pluribus negatio existentiæ: ergo si possit esse absolutè affectus concupiscentiæ circa illa in Christo negari nequit posse absolute esse in ipso actum proprium spei circa illa: cum nihil ab vllo Doctore requisitum ad actum proprium spei in eiusmodi bonis deficiat. Probatur Antecedens: quia aliorum bona, puta redemptio, salus, & gloria de se conductiua sunt ad gloriam accidentalem animæ Christi, ficut, & aliorum Beatorum, atque ad nominis sui exaltationem; ergo, vt sic conducentia, poterunt amari à Christo futura: at vt

sic amarentur ex affectu concupiscentiæ: ergo circa bona aliorum potest esse absolutè in Christo actus proprius concupiscentiæ. Probatur secundo antecedens idem: quia ratione vnionis moralis in idem mysticum corpus, cuius Christus est caput, & coniunctionis affectiuæ Charitatis, quæ propria aliorum bona facit, sua reputabat aliorum bona futura Christus: ergo ea, vt propria, & sua poterat actu voluntatis prosequi ex concupiscentia: ergo, & ea sperare propriè: quæ spes actualis, cum honesta sit neganda à Christo non est.

2 Dicendum est quarto: circa bona aliorum, vt aliorum etiam, nec solum, vt Christo commoda, & propria, fuit in Christo actus spei. Est conclusio Soarij, & assectatorum contra Vasquez, & suos: eius probatio ex eo vnicè pendet, quod actus spei è suo genere essentialiter concupiscentiæ non sit, vt aduersarij contendunt. Id autem suadetur: quia bonum alterius eiusdem rationis est respectu alterius, ac respectu nostri, atque æquè futurum, & vt tale cognitum, atque sic cognitum vt bonum, æquè motiuum, atque bonum eiusdem rationis cognitum futurum respectu nostri: ergo poterit mouere ad actum spei. Dices actum ex complacentia alterius esse formaliter amicitiæ, qui essentialiter diuersus est ab actu concupiscentiæ respectu boni proprij. Neque id nego, aut dubito. Sed non contendo actum spei, ex complacentia alterius in respectu ad bonum, *cui* forè eiusdem rationis cum actu spei ex concupiscentia elicitum. Sed vtrumque actum in respectu ad bonum, *qui*, siue, quod speratur, & mouet affectum voluntatis, vt bonum amatum prorsus conuenire: quare ex eo quod moueat, vt futurum & si placet à Deo futurum, vel ab alio abstrahi ab eo, & ab affectu, quo bonum futurum ab alio, siue à Deo, sibi quisque, vel Christus prosequitur, conceptum communem spei, sicut abstrahitur conceptus communis desiderij ab affectu, quo nobis, & quo aliis bona desideramus, quod est valdè diuersum, nec solutione quassatur. Etenim affectus desiderij, quo bona aliis desideramus essentialiter etiam est affectus amicitiæ, habetque respectum ad bonum, *qui* complacentiæ, qui essentialiter repugnat affectui desiderij, quo nobis bona eiusdem rationis prosequimur ex nostri concupiscentia: & tamen affectus ille circa bona aliorum, quæ vt aliorum, ex amicitia, & complacentia alterius, est possibilia, est propriè desiderium ex eo præcisè, quod bono eiusdem rationis cum nostro moueatur, & in illud secundum rationem eandem feratur: ergo ob easdem rationes dabitur circa aliorum bona, actus spei proprius.

3 Dices secundo: non posse dari actum spei ex complacentia alterius, siue non ex concupiscentia, qui solus affectus esse potest circa bona aliorum, vt aliorum: quia totum motiuum, in eo affectu est, bonitas personæ amatæ ex cuius complacentia eiusmodi bona ipsi euenire desideramus: ideo enim ea ipsi volumus, & optamus, quia in eo complacemus ob eius bonitatem, ob quam formalissimè illum amamus, atque in eo complacemus: quare non est obiectum motiuum formale, vt illi ea optemus idem, atque nobis: siquidem nobis ex concupiscentia ea optamus formaliter, quia bona, non autem ex complacentia in nostra bonitate, siue ob nostram bonitatem. Sed contra est: quia, licet bona alterius, & aliena futura, vt aliena non nisi ex complacentia in eius bonitate ipsi optare possimus ast ea optamus formaliter quia illi bona æquè, ac nobis, quia nobis bona: ergo ex hac parte idem habemus, motiuum formale, vt alteri optemus bona futura, atque, vt optemus nobis, licet, cum alteri, quia ipsius bona sunt ea optamus alter sit respectus ad bonitatem personæ in qua complacemus, & ex cuius complacentia bona præfata ipsi optamus: qui respectus complacentiæ respectu nostri opus non est, cum ea nobis volumus, atque in hoc solum monstratur differentia spei, quę sit beneuolentia simul, ab spe, quæ sit sola spes concupiscentiæ, vt nuper dicebamus, quod autem moueamur ad optanda alteri bona futura ob eorum bonitatem respectu illius, sicut ad optanda nobis mouemur ob eorum bonitatem respectu nostri probatur facilè: quia, licèt ea ipsi non optaremus nisi quia complacemus in eius bonitate, ac proinde non nisi ex complacentia ipsius; ast posita ea complacentia ea ipsi non optaremus nisi, quia ipsius bona sunt, & ob eiusmodi bonitatem, quam in illis, quæ ipsi optamus, recognoscimus, vt patet: ergo eiusmodi bonitas est etiam motiuum, vt ea bona futura ipsi optemus, æquè, ac bonitas respectu nostri, vt similia nobis ex concupiscentia appetamus. Solum que est discrimen, quod complacentia personæ alterius loco naturalis inclinationis respectu nostri supponenda sit, vt ea bona alterius, vt alterius ipsi velimus, vltimum autem determinatiuum, seu motiuum affectus circa bona alterius futura est eorum bonitas respectu ipsius æquè atque bonitas similium bonorum respectu nostri est motiuum formale affectus, quo ea nobis concupiscimus.

4 Probatur vlterius idem antecedens: quia cum bona aliorum, vt aliorum nondum habita desideramus, æquè, ac cum nobis ea concupiscimus: quin de hoc dissidium inter Scholasticos fuerit nunquam, essevè possit, & tamen ea illis, vt illorum desiderare non possumus nisi ex complacentia ipsorum: ergo hoc respectu non obstante in eo desiderio est respectus ad motiuum bonitatis eorum, quæ ipsis desideramus æquè, atque cum desiderio, quo nobis similia concupiscimus respectus est ad eorum bonitatem respectu nostri. Infero secundo: ergo possumus ea bona aliorum, vt aliorum sperare ex complacentiæ, & Charitatis affectu, æquè atque similia nobis ex concupiscentia, si adsint cætera ad spem provt à desiderio stricto requisita: nempè cognitio de eorum futuritione præuia, & arduitas si placet hanc etiam ad spem requiri. Hinc probatur vltimo conclusio: quia cum bona cognita, vt futura, & ardua, siue ab alio futura, vt talia ipsi ex eius complacentia optamus ea ipsi desideramus desiderio, stricto, quod nequit moueri, vt tale est, à boni absentis futuritione, & arduitate cognita, sed solum à cognitione possibilitatis: ergo ea illi desideramus spei actu propriè dicto. Patet consequentia: quia desiderium in communi adæquatè diuiditur in desiderium strictum & spem propriam, tanquam in suas species, vel assigna aliam desiderij speciem ad quam desiderium eiusmodi pertineat. Secundo quia sunt omnia requisita ad actum spei, nempè moti à boni arduì, & futuri.

5 Dices: actus quo Christus propriè speraret bona aliorum, vt aliorum esset, vt fatemur ex complacentia alterius pone esse ex complacentia Dei, vt planè potest nisi actus spei essentia sua sit actus concupiscentiæ: ergo idem actus esset spei, & Charitatis, quod æquè videtur impossibile, atque eandem entitatem esse hominem, & leonem. Respondetur primo negando consequentiam. Æstimo enim actum complacentiæ ex quo alteri bona desideramus esse causam eiusmodi desiderij ad eum ferè modum quo intentio est causa electionis, siue actus imperans imperati duobus exceptis. Primum quod non oporteat bonitatem personæ actu desiderij, siue spei de eius bonis amari, quia bonitas eorum non est formaliter respectiua bonitatis personæ, sicut est bonitas medij electi respectiua formaliter bonitatis finis, ac proinde eam formaliter electione amandam necessario censent plures. Secundum, quod posita complacentia personæ non cogitur voluntas ad speranda ipsi bona, sicut cogitur ab actu imperante ad imperatum, nisi fortè valdè vehemens complacentia, & amor personæ sit. Respondeo secundo admissa consequentia in qua nullum est absurdum, quod scilicet voluntas ob duplex motiuum, quorum vnumquodque actum vnius speciei posset terminare, atque à voluntate sollicitare tertium aliud simul eliciat speciei nimirum alterius. Imo vero iuxtam vulgatam sententiam actus spei ex complacentia alterius, & Charitatis vnius speciei est sicut actus, quo nobis speramus ex concupiscentia nostri, licet ab habitu Charitatis eliciatur, ex quo, & desiderare, & sperare Theologicè possumus alteri bona, quia amare est velle alicui bona, habitus autem spei datur ad similes actus ex nostri concupiscentia habendos, quia ad naturalem nostri complacentiam habitus supernaturalis non adest, ex quo nobis supernaturalia, spe supernaturali sperare possimus solumque

solúmque inclinat ad sperandum bona nostra ex concupiscentia nostri, ex qua nobis sperare non possumus habitu Charitatis, illud de homine, & leone non est ad rem.

6 Dicendum est quinto: in Christo fuit habitus spei. Hoc concluditur ex conclusionibus hactenus datis, vt constat ex ratione facta à nobis cert. 2. num. 1. vt enim tot actus connaturaliter eliciantur ab habitu spei, supernaturali debent prouenire, non ab auxilio extrinseco: vt autem eiusmodi habitus connaturaliter sint, cum sint accidentia debent esse in subiecto: nempè in anima Christi Domini, & quamuis nullum spei proprié actum humanitas exerceret, tamen habitu spei admittendus in illa foret. Probatur: quia esset circa eiusmodi bona, vt possessa gaudium Christi, vt à Deo obtenta, atque ob eandem formalitatem, quod proinde supernaturale, & Theologicum esset: ergo ponendus esset, vt connaturaliter eliceretur habitus Theologicus supernaturalis, qui non potest non esse spei, nisi quartus alius habitus supernaturalis, & Theologicus hactenus inauditus admittatur. Secundò, quia eiusdem facultatis, & potentiæ est gaudere de bono possesso, & desiderare, seu sperare possidendum. At obiicit Vasq. illud ad Roman. 8. *quod videt quis*, id est possidet, *quid sperat*: ergo gaudium de bono possesso non spectat ad virtutem, seu habitum spei. Nego consequentiam. Nam præter actum, à quo præcipue virtus, & habitus hic denominatur, habet actus alios. Probatur secundo conclusio: nam licet non esset actus spei circa eiusmodi obiecta, esset tamen in Christo desiderium proprium strictum Theologicum, & supernaturale circa gloriam omnium, quod nemo Catholicus negare posset, etiam, vt ardua, vt à Deo, quod quidem ob easdem rationes non nisi ab habitu spei Theologico esse posset, vt connaturaliter eliceretur. Obiicies ex Vasq. ergo dispiscentia, vel nolitione, siue desiderio non habendi gloriam in perpetuum, vtporè oppositis actibus ad illis ad spei virtutem pertinentis admitteretur habitus, seu virtus spei. Admisit male consequentiam Bernal. Non enim quouis actu opposito cuius actui virtutis spei habitus spei admittitur, sed solo actu dispensationis. Cum enim non ex natura rei, sed meritoriè expellatur eo solum expelli dicendum est, quo expelli decreuisse Deum nobis constiterit. Solo autem actu disputationis expelli nobis constat.

CERTAMEN III.

De habitibus Charitatis, & piæ affectionis.

1 HAbuisse actum, ac proinde habitum Charitatis Christi humanitatem est à nullo etiam hæretico, negatum. De actu Charitatis est de fide: de habitu vero est fidei proximum, cuius oppositum error contra fidem sit, vel saltem temerarium. Non quidem, quia ex Tridentino habitus Charitatis gratiæ indiuiduus comes sit, cum ostenderimus probabiliter, ac fine vllo grauioris censuræ periculo gratiam posse humanitati Christi denegari, sed quia actus Charitatis à quocumque eliciatur connaturaliter, vt diximus in simili de actu spei, eliciendus est, nisi aliunde constet, secus à Deo fuisse dispositum extraordinaria prouidentia. Non est autem vnde probabiliter constet ita à Deo fuisse dispositum, vt Christus prouidentia extraordinaria auxilij extrinseci Dei, non autem connaturaliter actus Charitatis eliceret: ergo non nisi temerè habitus Charitatis Christo denegabitur. Confirmatur: quia bona consequentia certitudinis physicæ, licet metaphysicè potentia Dei possit esse mala, nisi ex reuelatione oppositum constet non nisi temerè negabitur: præcipuè si eam Doctores omnes admittant, vt in præsenti casu euenit. Denique habitus charitatis, siue ex natura rei, siue ex Dei lege comitatur individuè habitum gratiæ, seu iustitiæ; & sanctitatis eo præcisè, quod formalis sanctitas, ac iustitia animæ sit: siue ergo anima Christi sancta constituatur per gratiam, siue per Deitatem, aliudvè diuinum media vnione hypostatica, eiusmodi sanctitatem, & iustitiam comitari naturaliter debuit habitus Charitatis.

2 De habitu piæ affectionis ad credendum maius est inter Scholasticos dissidium, an Christo adfuerit; quia maior est de eius actibus in Christo addubitandi occasio etenim pia affectio ad credendum eo solum data est, vt intellectus noster, qui obscura reuelationis propositione determinari ad credendum nequit atque de se qua talis potentia libera non est, determinetur eiusmodi affectione pia ad fidem concipiendam: ex quo fit, vt cum reuelationis, authoritatisque diuinæ euidentia adsit eiusmodi pia affectio ad credendum otietur: ea siquidem euidentia posita ponitur intellectus determinatiuum ad fidem, non secus ac posita euidentia præmissarum, qua extremorum connexio euidens sit, intellectus satis ad assensum conclusionis determinatur. Neque satis est, si dicas: euidentiam reuelationis, & authoritatis diuinæ, non reddere veritatem rei reuelatæ in se claram intrinsecè, siue per intrinseca principia, sed extrinsecè solum, & in alio: nimirum in reuelatione, & authoritate reuelantis. Etenim non minus necessariò connectit extremá veritatis reuelatæ authoritas, & reuelatio infallibilis euidenter ipsorum connexioni assistens, quam connexio ipsa euidenter nota, cum fortius motiuum infallibiliusque medium ad eiusmodi connexionem, & identitatem extremorum conuincendam sit. cum ergo in Christo dubio procul euidentia reuelationis authoritátisque diuinæ adfuerit satis adfuit, quo ipsius intellectus ad fidem concipiendam, atque eliciendam circa reuelata determinaretur: quare actus piæ affectionis, ac proinde, & habitus ille videtur prorsus denegandus.

3 Dicendum nihilominus est in Christo fuisse piæ affectionis habitum supernaturalem. Probat benè Bernal. quia in Christo Domino fuit desiderium de fide aliorum, siue ex eorum complacétia, & Charitate, siue ex Charitate Dei, qui quidem supernaturalis est, æquè, atque ille, quo efficaciter vellet suam fidem ob supernaturalem eius honestatem, & motiuum: item, & ob honestatem, quam in ea pia affectione, siue desiderio de aliorum fide cognoscebat, ergo & debuit habere habitú supernaturalem ex quo eiusmodi desiderium connaturaliter eliceretur: atqui hic habitus alius, quam piæ affectionis esse non poterat: tum quia alius inauditus est; tum quia idem habet motiuum. Secundo probo: quia in Christo fuit gaudium de fide, quam, vt supra diximus, habuit: ergo hic actus gaudij, supernaturalis cum sit, habitum supernaturalem supposuit: at hic non potuit non esse habitus piæ affectionis ad fidem: tum ob rationes proximè datas: tum quia eiusdem facultatis est desiderium, seu voluntas agendi, & gaudium de re possessa, & peracta, vt dicebamus cert. 2. num. 6. Tertio probo: quia Christus non solum se determinabat quoad speciem actus, sicut creata reliqua agentia, sed etiam quoad individuum, ad quod reliqua creata determinantur à Deo controu. 6. d. 1. q. 2. cert. 2. n. 5. quia indiuiduationem suorum actuum non percallent, sicut Christus: ergo vt actum hunc fidei eliceret Christus, potius, quam alium hunc in individuo, debebat velle volútate, & imperio despotico suæ voluntatis ad intellectum quoad individuú indeterminatum; & de se indeterminabilem, & supernaturali quidem: cun in actum supernaturalem secundum se totum ferretur, ac proinde ab habitu piæ affectionis supernaturali oriri debuit.

4 Et hæ quidem probationes faciliores. Ea sunt, quam adhibet Soar. ex quo alij, qui actum fidei in Christi humanitate negant, imo cum rerum visione iudicant impossibilem; quia inquiunt potuit Christus honestissimè habere piam affectionem credendi, & obediendi fidei absolutam ex parte actus: conditionatam vero ex parte obiecti, si nimirum occasio ipsi, & oportunitas daretur credendi. Hoc autem argumentum æquè probat in Angelis dari habitus per se infusos castitatis, & abstinentiæ, seu temperantiæ in cibo, & potu, vt benè arguit Lugo

num.117. (si habitus per se infusi admittantur) maleque negant Salas 1.2.t.2.tract.11. num. 20. referens Medinam & alios, etenim neque impossibilis est ex clara visione Christo fides, atque ex natura sua exercitium incontinentiæ, & temperantiæ in cibo, & potu, imo, & temperantiæ, & continentiæ Angelis è sua natura, & tamen affectum absolutum ad fidem ex parte obiecti conditionatum potest Christus habere: ergo, & Angeli affectum temperantiæ, & continentiæ conditionatum ex parte etiam obiecti habere poterunt, etsi absolutè omnino ii actus sint ipsis impossibiles. Patet item, quia conditio nihil ponit ineſſe, neque impossibilitate, quare non repugnat obiectum illud conditionatum cum impossibilitate virtutum moralium per se infusarum, imo, & virtutum habitualium moralium acquisitarum, quam statim ostendemus. ex dictis autem cuiuis patebit quid de habitu ad iudicium prænium ad piam affectionem Christi dicendum sit.

QVÆSTIO II.

De virtutibus moralibus humanitatis Christi.

DE moralibus virtutibus animæ Christi quoad actus & quoad habitus singulatim disputandum est: tum quia in aliquarum actibus speciales difficultates occurrunt: tum quia posito virtutis moralis actu non statim habitus connincentur, vt videbimus, qua in re virtutes morales à Theologicis, & supernaturalibus valdè discordant.

CERTAMEN I.

Christi humanitas actus virtutum moralium, etiam pœnitentiæ quoad substantiam exercuit, secus moralium virtutum supernaturalium.

1 DIco primo: Humanitas Christi nullum actum virtutis moralis supernaturalis exercuit. conclusio est contra Valq. Soar. Vvad. Lugo Bernal. & alios; Eam tamen tradit Lorca; cuius tamen rationi non fido. Est autem huiusmodi: quia omnium virtutum actus ex ex motiuo Charitatis exercuit: quare non ex motiuo virtutis moralis supernaturalis: ergo nullum habuit actum virtutis moralis supernaturalis: Sed hæc ratio virtutum moralium naturalium etiam actus omnes à Christo abolet mala planè Theologia, vt videbimus conclusione 2. quare omnino est reiicienda. Melius ergo probatur, quia vt controuersia de actibus humanis, atque hic supra docuimus, circa obiectum formale naturale purè nequit esse actus supernaturalis quoad substantiam: at obiecta formalia virtutum moralium sunt purè naturalia: ergo nullus actus supernaturalis potest circa illa versari: at, vt actus virtutis moralis sit in Christo debet versari circa obiecta formalia ipsius: ergo nullus actus virtutis moralis Christi fuit supernaturalis, & confirmatur: quia vel obiectum actus moralis supernaturalis manet purè naturalis, sicut obiectum actus moralis naturalis, vel non? Si primum ex nullo prædicato opus habebit actus principio supernaturali; si secundum non erit actus virtutis purè moralis, cum huius formale obiectum purè naturale sit.

2 Dico secundo; in Christo fuerunt actus naturales plurium, fereque omnium virtutum moralium. Dixi fere omnium, quia de pœnitentia est specialis difficultas. Est omnium Doctorum conclusio, excepto Lorca, qui, negans actus honestos Christi fuisse ex motiuo inferiorum Charitate Dei virtutum, nullum actum virtutis moralis admisit. Probatur facilè, quia virtutum moralium prædictarum actus nullam inuoluunt imperfectionē aut indecentiam, quam ne in Deum quidem eos exercentem, nedum in humanitatem elicientem illos deuoluant, habentque suam quisque bonitatem, & perfectionem: ergo sunt in Christo admittendi. Consequentia est certa, sæpéque in hac materia probata. Antecedens est probatum controu. de voluntate Dei, vbi exercitium virtutum moralium in Deo esse monstrauimus. Rursumque ferè ex terminis notum. Quod autem perfectior sit actus Charitatis non probat in reliquis virtutibus imperfectionem positiuam, vel priuatiuam: maximè cum Charitati non opponantur, quare neq; perfectione Charitatis eas exercentem priuent: cum eius & ipsarum actus possint simul exerceri: quod quidem perfectius est, quam solum actum Charitatis elicere: maximè si ex Charitate imperentur. Ac tandem, si eo, quod actus virtutis Charitatis perfectior actibus virtutum moralium sit imperfectionem hos humanitate Christi indignam contineredicendum sit. Negentur etiam Christo actus virtutum reliquarum supernaturalium, quia actibus Charitatis sunt dubio procul imperfectiores.

3 Dico tertio, contra Vasq. Actus virtutis pœnitentiæ, fuit in Christo. Ita Soar. Vvadingo, Lugo, & Bernal. Probatur primo: quia ex eisdem omnino motiuis, quo nos detestamur peccatum admissum potest honestissimè Christus detestari peccatum, quod videt conditionatè admittendum à sua humanitate si non esset hypostaticè vnita, atque sola cogitatione, & auxilio sufficienti in hac, vel illa occasione præueniretur: ergo illud potest detestari ex motiuo pœnitentiæ eodem, quo nos admissa detestamur: actus autem ille non potest non esse pœnitentiæ. Probatur secundo conclusio: quia ex eodem motiuo ex quo est dolor de peccato admisso est gaudium de non admisso, vt patet: nam ex eodem motiuo, ex quo dolorem de iniustitia alteri illata si eam ipsi inferrem ex eodem gaudeo à me ipsi illatam non esse: atqui in Christo fuit gaudium de non admisso à se peccato, siue denegatione peccati necessaria, ideſt de impossibilitate peccati, quam eius habebat humanitas: ergo fuit ex eisdem omnino motiuis ex quibus esset dolor de admissis, ex hypothesi impossibili, si à sua humanitate admitterentur, ergo gaudium hoc fuit in Christo pœnitentiæ virtutis quoad substantiam, licet eius non esset quoad denominationem, ad quam supponitur necessario admissum peccatum saltem conditionatè. Patet, quia omnis affectus voluntatis ex motiuo eodem ad eandem virtutem spectat. Confirmatur; quia ex eodem motiuo, ex eademque virtute gaudet peccator de peccati expulsione ex quibus de admisso dolebat. Sicut ex eisdem motiuis, & virtute desiderat bonum absens, ex quibus gaudet de possesso.

4 Disputant hic plures de intensione, qua cum harum virtutum, atque supernaturalium aliarum actus de quibus q.11. diximus, Christi humanitas exercuerit, ac de intensione, in qua supernaturales habitus assertos. q. eadem habuerit, tum absolutè, tum relatè, & comparatiuè ad actus, & habitus similes hominum, & Angelorum; quod ipsum de habitibus virtutum moralium (si in Christi humanitate admittantur) potest disputari, debetque ex eisdem principiis definiri; qua in re iuxta principia à nobis data disputatione tertia, dicendum breuiter est non fuisse intentionis infinitæ, vt de gratia habituali ostendebamus q.2.cert.2. insuper non fuisse summæ intentionis possibilis absolutè, sed summæ solum humanitati Christi possibilis multoque maioris, quam in singulis, & omnibus Angelis, & hominibus etiam coniunctim exiterint, vt ex dictis q.3. satis clarer.

CERT.

CERTAMEN II.

De habitibus virtutum moralium humanitatis Christi.

1 DIco primo: nullus habitus propriæ virtutis moralis supernaturalis fuit in humanitate. Est conclusio Lorcæ malè vt vidimus ab illo probata, & contra Soar. Vasq. Vvadingo, Lugo, & Bernal. Ratio sit, quam contra actus virtutum moralium supernaturales efformabamus num. 1. cert. 1. quia neque habitus neque actus supernaturalis potest dari circa obiectum formale, siue ob motiuum purè naturale: at obiecta formalia, siue motiua purè moralium virtutum purè naturalia sunt: ergo nequit dari habitus supernaturalis virtutum purè, ac propriè moralium. Secundo probatur, quia habitus supernaturales non sunt assignabiles, nisi ad actus sup. atqui actus omnes virtutum verè, ac propriè moralium. naturales sunt non supernaturales: ergo non sunt assignabiles habitus sup. virtutum verè, ac propriè moralium. Confirmatur: quia inde solum euincuntur habitus supernaturales in potentiis, quod actus supernaturales in eis deprehendantur. At dices negatio supernaturalitatis actus solum excludit necessitatem habitus supernaturalis in potentia, non autem eius possibilitatem: ergo eiusmodi habitus poterunt esse in Christo. Respondetur in principiis, siue virtutibus actiuis idem prorsus esse non exigentiam effectus, atque virtutis actiuæ impossibilitatem ad ad illum producendum iuxta dicta de causa adæquata in physicis.

2 Dico secundo: Nullus fuit in Christo habitus ex parte voluntatis naturalis adhuc virtutis moralis. Est etiam Lorcæ opinio contra ferè eosdem. Probatio nostra prima sit: quia naturalem nullum habitum ex parte voluntatis admittimus, vt constat ex controuersia de habitibus, sed solum viuidiores cogitationes & species, docetque Lugo disputatione 16. sectione 7. & disputatione 17. ergo nullus fuit in voluntate Christi. Secunda ratio: quia habitus naturalis ac non per se infusus, in quocunque ster, supponit difficultatem potentiæ de se ad eius virtutis actus eliciendos, at in Christi voluntate summe prompta ad cuiusvis virtutis exercitium nulla ad vllum virtutis actum poterat esse difficultas: ergo neque habitus vllus ad illam exercendam, qui essentia sua eiusmodi difficultatem supponit. Confirmatur primo: quia ideo in Deo habitus eiusmodi virtutum negamus, licet earum actus, & exercitium ipsi concedamus, quia ad nullius virtutis exercitium difficultatem ad habitus inducendos essentialiter præsuppositam habere Deus potest, cuius virtus, & voluntas de se, naturaque sua summè ad eiusmodi exercitium expedita, & prona est. Confirmatur secundo expresso testimonio Dionysij Alex. apud Hoplothecam nostri Francisci Turriani recitato disputatione 3. quæstione 4. certamine 2. numero 4. init. quod, & hic repetendum est. *Homo maioribus gratiis à Deo bona voluntate eius honoratur, quando magis ei placet, & magis in studio virtutis probatur. In Christo Iesu nihil horum spectatum est; non fuit in eo propter prudentiam studium laboris, nec propter temperantiam ciborum abstinentia, vipotè, qui modum humanum superaret.*

3 Oppones primo: habitus nostræ voluntatis nihil amplius sunt in nostra sententia, quam viuidæ quædam species, & cogitationes, honestatis, iucunditatisque, quæ virtutis exercitium comitatur, siue illæ experientia ipsa eiusmodi exercitij capterentur, cum habitus acquiruntur, siue à Deo immitrantur, cum per accidens infunduntur: atqui eiusmodi viuidas claras, ac perfectissimas species, & cogitationes Christus habuit ab initio conceptionis à Deo infusas: ergo habuit Christus virtutum moralium habitus. Respondeo primum, nos, & aliquos, qui maiorem expeditionem ad operandum voluntati ex cogitationibus expressioribus solum aduenire defendimus, negare habitus esse ex parte voluntatis communiter asserios, & de quibus in præsenti pro Christi voluntate concedendis; vel negandis disputatur: quare maioris suppositum esse negandum. Respondeo secundo distinguendo maiorem eandem. Nihil amplius sunt, quam viuidæ illæ cogitationes, quoad directum entitatis habitus concedo maiorem, quoad formale, & essentialiter connotatum, & præsupositum nego maiorem. Cum enim habitus essentia sua sint formæ facilitantes potentiam, & potentia, quæ nullam habent in actibus exercendis difficultatem de se se, sed potius facilitatem, expeditionem, ac promptitudinem de se summam implicet per aliquid superadditum, ipsique superueniens aliquatenus adhuc facilitati: implicat respectu illius entitatem, quæ respectu alterius habitus foret, habitum formaliter esse. Hinc distinguo minorem. Habuit Christus eiusmodi cogitationes cum difficultate suæ voluntatis de se ad virtutum moralium exercitium: nego minorem; cum summa voluntatis promptitudine, nego minorem, & inde consequentiam.

4 Atque, vt argumenti huius debilitatem perspicias, ac simul solutionis nostræ soliditatē animaduerte humanam voluntatē Christi ex vnione hypostatica voluntatis ad Deitatem determinatam ad bonum quoad speciem permansisse (quod ipsum est esse antecedenter impeccabilem, ex controu. 4. d.5. q.2.) itavt quantumuis minima cogitatione honestatis operis præcepti, & malitiæ oppositæ, ac vehementissima iucunditatis in transgressione futuræ non posset non adhuc antecedenter præceptum transgredi, & idem est de operibus consilij diuini formaliter, ad quæ prædeterminatam humanitatem Christi vi vnionis fuisse docuimus d.eadem q. 5. cert. 1. num. 4. Ad eum igitur modum, licet ad reliqua opera, & exercitia virtutum moralium, nec præcepti nec consilij diuini antecedenter voluntas Christi determinata non fuerit, ita tamen Deitatis participatione physica per vnionem ad totius honestatis exercitium expedita reddita fuit, vt licet cogitationes illæ viuidæ abessent æqua promptitudine per hebetiores, & languidiores cogitationes se se in virtutibus exerceret. Non secus ac Deus natura, & essentia sua, ita ad honestum quoduis exercendum promptus; atque expeditus censendus est, vt ad id perfectione suæ scientiæ opus non habeat, sed satis ad id haberet infinitè imperfectiori, si hæc, & non infinitè perfecta illa, ac necessario sua ipsi adesset.

5 Oppones secundo difficultatem, & horrorem mortis, & passionis suæ, etiam præceptæ, apud hortum Gethsemani ab Euangelistis memoratum verumque timorem ipsius à nobis assertum: ergo his horror, & difficultas habitu potuit auferri. Plus probat obiectio quam intendat, nempè Christum in Dei præceptis exequendis minus, quam par esset, aliquando promptitudinis habuisse. Deinde in adulta etiam, ac virili ætate, & difficultatem habuisse, & habitum ad eam abolendam ipsi à Deo infusum per accidens, vel ab ipso acquisitum esse. Contra Dionys. Alex. proximè recitatum, & Patres reliquos: imo contra aduersarios etiam, quorum nemo habitus ab eis assertos in voluntate humana Christi adulta ætate inditos ipsi ait, sed cunctos à conceptione ipsa infusos fuisse omnes aiunt. At tamen nihil certè probat oppositio: horror quippè ille tædium, & quæ fuit voluntatis humanæ Christi in obeunda morte iusta difficultas, etsi ficta non fuit, fuit tamen affectata: à Christi enim consilio, ac deliberata voluntate prouenit; qua vt amplius pateretur, ac nobis passionis suæ acerbitatem commendaret, lætiores cogitationes omnino abiecit, tristioribus vero habenas laxauit: quare statim atque, vt aliter se cum cogitationibus gereret, Angeli rogatu, & precibus obtentum, ab eo fuit, hilaris hostibus obuiauit, ac se se passioni mortique commisit, ac insuper timuit, quia voluit, fuitque timor ille, ac si qua difficultas proximè voluntaria, ac libera, vt docebamus ex Patribus pluribus d. 2. q. 3. cert. 1. non ex natura voluntatis.

QVÆ

QVÆSTIO III.

De donis gratiisque gratis datis Spiritus S. Christi humanitati collatis.

SPIRITVS sancti dona sunt septem, vt pueri è Cathechismo quotidiè recitare solent, gratiæ vero gratis datæ nouem vulgò numerantur. De donis igitur primo; Secundò de gratiis datis singulatim etiam statuendum nobis erit.

CERTAMEN I.

Habuit Christi humanitas septem Spiritus sancti dona.

1 COnclusio præfixa de fide est: vtpotè expressa Isai. c. 11. Ibi enim septem hæc Spiritus S. dona singulatim numerata, à Propheta futura in Christo prædicuntur his verbis: *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ, & intellectus, consilij, & fortitudinis; Spiritus scientiæ, & pietatis, & repleuit eum Spiritus timoris Domini.* Probatur insuper ratione, quia omnia hæc, & singula dona gratiæ, & perfectiones sunt, nullam imperfectionem; aut indecentiam cum dignitate, aut muneribus humanitatis Christi pugnantem continentes; ergo fuerunt ea omnia; singula dona in Christi humanitate. Consequentia est legitima, sæpeque in simili à nobis probata. Minor probatur sola eorum donorum explicatione, & quidem è septem his donis quatuor ad intellectum perinent, tria vero ad voluntatem: quæ ad intellectum hæc sunt *Spiritus sapientiæ, Spiritus scientiæ, Spiritus intellectus, Spiritus Concilij*; quæ vero ad voluntatem *Spiritus fortitudinis, Spiritus pietatis, Spiritus timoris Dei.* Et quidem de dono timoris Dei propriè accepto maius aliquid difficultatis apparet, vt decenter in Christi humanitate fuerit: quare de eo separatim, nec adeo breuiter probanda erit minor; de sex vero reliquis donis facile probatur.

2 Etenim dona hæc generatim loquendo vehementiores quidam Spiritus S. impulsus ad extraordinaria quædam virtutum opera, ad quæ licet liberè, ac meritoriè iusti ea operentur, agi potius quam agere merito videantur. *Spiritus sapientiæ*, conuenientias, & dignitatem mysteriorum diuinorum, vt credantur per altissimas causas, & æternas eorum rationes assequitur. *Spiritus scientiæ* eadem per minus eleuatas causas, ordinariis tamen, & frequentibus superiores agnoscit. *Spiritus intellectus*; eadem ex profunda, atque extraordinaria Scripturarum intelligentia illustrat. *Spiritus consilij*; extraordinario Dei instinctu statuit, quid hic, & nunc agere oporteat, agendumque sit. *Spiritus fortitudinis*; ex peculiari etiam Dei motione grauissima pericula despicit, impauidéque aggreditur. Duorum horum donorum Spiritus S. extremorum, nempè *Spiritus consilij*, & *Spiritus fortitudinis*, sancta Apolonia illustre, ac mirandum Ecclesiæ exemplum fuit: iudicans Dei instinctu gratum ipsi fore se tortorum crudelitatem præoccupando insperatum rogum vltro conijcere, totque minacibus flammis contemptis ex eo consilio, & Dei peculiari, & extraordinaria motione fortitudinis Spiritu se in illum conijctans. *Spiritus pietatis* ad singularia, & extraordinaria reuerentiæ, & cultus Dei opera, & parentum ob Deum impellit.

3 Ex hac igitur breui horum sex donorum Spiritu S. dilucidaque explicatione vulgari facile constat; Primo, nullam in eis imperfectionem humanitate Christi indignam, quare neque indecentiam vllam Christi conueniri, quod solum minor discursus facti, vt dona hæc in Christo fuisse conuincerentur, probanda continebat. Constat secundo vlterior conclusionis nostræ quoad sex dona ista ex scriptura probatio. Sæpè enim diuina mysteria conuenientissima Dei bonitati per altissimas rationes, & causas monstrabat, nonnumquam per paulo inferiores, audientibus tamen tunc accommodatiores: frequenter ex profunda scripturarum intelligentia, & penetratione illustrauit: tum cum Pharisæis disputans, tum discipulos duos Emaus euntes comitans, tum alias, ac denique dum omnibus sensum Scripturarum aperuit. Spiritus concilij, & fortitudinis in horto emicuit dum hostibus passioni, & morti vltroneus occurrit; in templo insuper dum mensis cathedrisque eorum subuersis, flagellis male acceptos eo eiecit negotiatores: quo in loco, atque in crucis sacrificio Spiritum pietatis suum mirificis exemplis demõstrauit, cum vitam in Dei obsequium, & sacrificium profudit, ac discipulo Matrem, suumque Patri Spiritum commendauit.

CERTAMEN II.

De dono Timoris.

1 DE dono timoris Dei in Christo fuisse definitum est contra Abailardum ab Innocentio. 11. inter omnes enim Abilardi articulos ad se à Bernardo, & aliis Episcopis missos, atque damnatos testatur ipse apud Bernardum epist. 194. alterum huiusmodi esse: *Non fuisse in Christo timorem castum*; quem errorem referunt etiam Sanderus 7. de visibili Monarch. hereſi 146. Alphonſ. de Castro aduerſ. hæreſ. verbo *Christus* hæreſi 9. sed tamen veritas hæc difficultatem patitur non exiguam. Etenim timor est fuga imminentis mali, v. g. peccati filialis quidem ob Dei reuerentiam ne eo Parenti Deo displiceamus, seruilis vero ne à Deo ob illud puniamur: vterque autem humanitati Christi etiam antecedenter impeccabili videtur impossibilis quo enim pacto imminentem Dei displicentiam, vel supplicium timeret humanitas ob peccatum, quod sibi humanitas ipsa iudicabat certo esse impossibile, si vt ita de illo, siue ob illud displicentia Dei, siue supplicio timeret, non solum possibile sibi, sed imminens etiam peccatum æstimare deberet? S. Th. q. 7. a. 6. Vasq. Soar. reliquique interpretes ibi propterea docent timorem Christi qua hominis non fuisse propriè Dei timorem ob peccatum quod nusquam sibi possibile, nedum futurum, & imminens poterat cogitare, sed impropriè solum Dei timorem extitisse: quatenus solum dicit fugam, & auersionem voluntatis à peccato ob Dei reuerentiam, quo pacto iusti, ac religiosi Dei cultores, Deum timentes, ac timorati dicuntur psalm. 21. n. 24. psalm. 118. n. 79. Ionæ 1. n. 9. Lucæ 2. n. 25. de Simeone.

2 Sed obiicit Bernal. frustra definiendum ab Innocentio contra Abailardum timorem Dei in humanitate Christi in sensu, in quo neque ab Abailardo, neque ab vllo nisi amentissimo homine negari poterat. sed parum vrget. Nam errores non nisi à vesanis, & amentissimis hominibus asseruntur. De facto autem Abailardum non negasse timorem in eo sensu nullatenus ostendit Bernal. nisi ex impossibilitate negandi in eo sensu, quam non probabit vnquam. Est' siquidem negatio timoris Dei in eo sensu assertu possibilis ab humana ignorantia. Melius sanè eiusmodi doctrinam impugno: quia admisso timorem Dei proprium eum solum esse, quo peccatum fugimus imminens ob imminentem Dei displicentiam, imminentem ob peccatum, ac proinde eiusmodi timorem Dei in humanitate Christi esse minimè potuisse, nedum de facto fuisse, vt hi DD. admittunt, Abailardus negans timorem Dei in humanitate Christi in sensu proprio verè, ac rectè negabat: quare damnari ab Innocentio eius negatiua propositio absolutè non poterat, atque oppoſita

oppoſita absolutè definiri nulla quippè propositio absolutè vera in sensu proprio damari absolutè potest, eiusque oppoſita absolutè definiri, eo quod hæc in sensu improprio vera sit, illa vero in sensu improprio falsa: quin errandi occasio aperta Ecclesiæ præbeatur.

3 Sed responderipotest ex Vasq. d. 44. c. 2. num. 5. §. *Vera igitur sententia.* Affectum reuerentiæ circa maiestatem Dei potentem mala infligere, vocari etiam timorem reuerentialem. Est quippè quædam retractio creaturæ ad se ipsam præ admiratione immensæ maiestatis diuinæ quam dubio procul habuit humanitas Christi, fuitque timor castus, seu reuerentialis, quem negabat Abailardus. Quod autem affectus iste sit ex dono timoris docent S. Th. q. 7. art. 6. ad 1. & 2. 2. q. 19. a. 11. atque comment. in id psalm. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* Magist. in 3. d. 34. cap. vlt. vbi S. Bonau. a. 2. q. 3. Gabr. q. vnic. art. 3. dub. 2. interpretes S. Thom. ad citatatum articulum 6. Alex. p. 2. q. 118. m. 3. art. 6. & q. 175. m. 1. atque hoc sensu admittitur in Angelis ac Beatis à Dyonys, 12. de cælesti Hierarch. post med. à Gregor. 17. moral. c. 15. ad id Iob 26. *Columnæ cæli contremiscunt.* Eoque sensu, timor Domini sanctus æternùm in Beatis dicitur duraturus datis verbis ex psalm. 18. & Matth. 9. miraculi à Christo patrati spectatores dicuntur. *Videntes autem timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Duos igitur actus proprios doni timoris assignat Vasq. ex S. Th. & Doctoribus citatis cùm num. 6. tùm num. 8. alterum reuerentiæ maiestatis Dei potentis mala infligere, quem, & religionis, & humilitatis etiam esse posse cum Alexandro ait; alterum fugæ mali, siue culpæ, siue pœnæ, aut physici damni à Deo infligendi, & hunc respectu culpæ neque in Beatis, neque in Christo esse posse ait, ob rationem dubitandi, nec de huius negatione damnatum Abailardum, sed de negatione actus primi, quem etiam à Durando negatum censet.

4 Censeo cum Vasq. quoad censuræ, & damnationis materiam contra Abailardum. Sed tamen adhuc contendo respectu mali culpæ, & pœnæ à Deo possibilis fuisse actum timoris, & fugæ, nec solum illum primarium reuerentiæ, hactenus explicatum. Primò: quia, vt doctè obseruat noster Vuadingo d. 5. dub. 4. num. 27. versu. *Dico primo.* De essentia timoris quatenus fuga mali est non est anxietas, & horror imminentis mali, licet frequenter in nobis ex eiusmodi imminentia excitetur in appetitu sensitiuo, & inde per sympatiam in voluntate. Sed solum est auersio mali culpæ ob reuerentiam excellentiæ diuinæ, & supremum dominium, & potestatem Dei ad inferendum mala creaturis ob culpam: licet nec culpa, nec pœna futura iudicentur. Sed dices timorem contrarium esse spei, quæ non est nisi de bono futuro. Verum non ita requirit futuritionem mali cognitam, sicut spes boni futuritionem. Timemus enim malum conditionatè solum futurum, & quod ne futurum quidem cognoscimus, sed dubitanter solum, præcipuè si malum magnũ sit. Pulchrè ad rem hanc Seneca. *Fulmina*, inquit, *paucorum periculo cadunt omnium metu. Non enim quid fecerit sed quid facturus sit cogitatur in eo qui omnia potest.* Vbi è sola potestatis, & arbitrij supremi Dei, vt in nos fulminet, id enim significat. *Quid facturus sit qui omnia potest.* Timorem, ac metum in nobis concipi docet. Suadent exempla quotidiana filius, qui durè flagellantem mancipium videt, quin ipsi imminеat flagellum propriè Patrem timet. Ad quem modum iustos, ac sanctos ex diro Dei iudicio postremo aduersum sceleratos, quod sibi non imminere scient, timore concutiendos Patres aiunt.

5 Denique licet non nisi malum imminens; atque, vt tale cognitum mouere ad timorem possit, timoris actus de peccatis, & malis physicis concedi in Christo debet: tum quia offensas hominum contra Deum quem tam ardenter amabat ex Dei Chaitate cum certo futuras cognosceret timebat: nec non ex sui ipsius concupiscentia, cum amor Dei offensas illas proprias ipsi, qua homini etiam fecisset, quare, & vt suas timebat. Secundo: quia cum omnium hominum caput esset mala culpæ membris imminentia sua etiam iure reputabat, sibique moraliter imminentia timebat. Tertio quia sua etiam titulo Charitatis ad dolorem effecerat. Quarto: quia sua etiam ad satisfactionem numerabat. Quinto quia, vt aliorum erant ex Charitate timebat, sicut, & aliorum bona, & & salutem, vt aliorum erant, ex charitate, & beneuolentia sperabat, vt contra Vasq. & asseclas docebamus q. 1. & sanè ex hoc peccatorum alienorum timore actuali, siue ex charitate, siue ex concupiscentia, siue ex vtraque concepto, vsque ad sanguinis decurrentis profluuium ab Euangelistis narratum timuisse, atque exhorruisse humanitatem Christi in horto authores sunt Patres plures, quos de eo timore agentes memorauimus. Ac tandem de malis penè physicis etiam timuisse ad tædium, & panorem vsque vidimus ibidem. Ea vero mala quatenus peccatorum, pro quibus satisfaciebat, pœna erant timore reuerentiali, qui doni timoris casti Dei actus esset apertè timuit: erant quippè eiusmodi mala affectus displicentiæ Dei de peccatis, atque indignabundæ, vt sic loquar, & iratæ maiestatis Dei.

6 An vero quatenus mala physica, atque Dei physica potentia manabant affectu timoris, Dei dono, Christi humanitas illa fuerit auersata difficilius examinata est. Etenim sub ea consideratione, quatenus à Dei potentia, & beneplacito diuino erant auersari Christi voluntas non poterat, sed prosequi potius, & optare, vt de facto prosequuta, atque amplexata fuit: quatenus vero mala physica, & creata fuere ex naturali affectu concupiscentiæ, licet deliberato, & honesto, vt diximus, ea Christus pertimuisse videtur: ergo illa secundum eam considerationem non timuit ex dono timoris. Nihilominus censeo ea etiam ex dono timoris Dei, & casto pertimuisse Christi humanitatem; licet enim mala physica creata ex naturali concupiscentia, ac non ex dono timoris secundum se sumpta timeamus; ast Christus non ea sub hac solum consideratione pertimuit, sed quatenus Dei potentem maiestatem concernebant, quam simul reuerebatur eodem actu, qui fuga mali, & reuerentia diuinæ maiestatis infligentis simul erat. Vterque autem respectus Siue affectus proprius est doni timoris Dei, vt benè obseruarunt S. Th. Alexander, & Vasq. ex quo vero habitu eiusmodi actus promanarint, an ex speciali doni timoris dubitari hic poterat. Censeo Cum Alexandro illam retractionem voluntatis creatę ad se consideratione Diuinæ maiestatis, & potentiæ humilitatis, ac religionis affectum esse: Fugam vero mali, siue culpæ, siue pœnæ cum respectu ad Dei displicentiam de peccato esse Charitatis, quando ex Dei, vel proximorum complacentia sunt: quatenus vero concernit malum physicum Dei potentiam quam simul reueremur esse religionis, vel humilitatis: quare ex nullo speciali habitu timoris procedere nisi quando prouenit ex charitate, sed ex religione humilitate, vel similibus esse, vt benè Vasq. supra num. 7. & Alexander. Cum autem nos habitus pro naturalibus purè virtutibus non agnoscamus ad timoris affectus naturales nullum doni timoris habitum recognoscimus.

CERTAMEN III.

De gratiis gratis datis humanitatis Christi.

1 GRatias Spiritus S. quas gratis datas vocamus nouem esse diximus in quæstionis explicatione. Omnes autem ad aliorum vtilitatem tendunt, atque 1. Corinth. 12. enumerantur, pleraque earum sunt donorum Spiritus Sancti, quasi effectus, vt ex earum explicatione constabit. Primo loco recensentur ab Apostolo, *Sermo Sapientiæ*, id est facilitas ad explicanda mysteria, & veritates fidei per causas altissimas, & superiores conuenientias. *Sermo scientiæ*, facilitas ad eadem per inferiores rationes audientium captui accommodatas explicanda. *Fides*, id est vel fiducia necessaria ad miracula pătranda iuxta Chrysost. vel animositas impauida ad fidem prædicandam

prædicandam iuxta Ambros. vel eximia rerum fidei penetratio ipsius promulgatori necessaria vt volunt alij: *Gratia sanitatum.* Id est donum sanandi ægros. *Operatio virtutum.* Id est donum patrandi miracula alia. *Genera linguarum*; id est donum loquendi pluribus variisque linguis. *Interpretatio sermonum*; nempè donum interpretandi sacras Scripturas. *Discretio Spirituum*; id est, donum discernendi, & iudicandi aliorum Spiritus, siue motiones internas. Ac demum *Prophetia*; idest: donum absentię tempore, vel duratione, atque recondita quæque manifestandi. De hac gratia seorsim agemus. De octo vero præcedentibus fuisse in anima Christi constat, quia sunt perfectiones, & gratiæ humanitatem Christi, eiusque munera inprimis docentes, vt patet, quare illi sunt concedendæ, vt sæpè arguebamus in aliis.

2 Probatur secundo ex Euangelio, ex quo apertè earum omnium gratiarum vsus in Christi humanitate elucet. Ecqua enim Euangelij pars est, in qua mysteria fidei per altissimas causas, ac per rationes audientium captui accommodatiores, licet inferiores, Christus non explicuerit. Recolite Christi parabolas, quid de eius fiducia, impauidaque animositate in prædicando, atque docendo, ac rerum fidei penetratione dicam? Cum horum omnium passim in Euangelio illustrissima ipsius exempla occurrant. Quid de gratia sanitatum, quam tot deploratæ salutis ægri sanitati ab illo restituti prædicarunt? Quid de operatione virtutum, siue gratia patrandi omnigena miracula, quam dæmones vel inuiti, sæpè confessi sunt, fuereque elementa omnia testata, nisi quod Ioannes c. vltimo sui Euangelij scripsit: totum nimirum orbem eis singulatim referèdis carthâ fore perexiguam. de generibus linguarum earumque vsu nihil est firmum ex Euangelio. Solum autem est certum eiusmodi gratiam habuisse cum eam discipulis suis fuerit impertitus, æqueque fuerit humanitatem ipsius decens, atque gratiæ reliquæ, licet non necessaria, quia Iudæis solum prædicauit: quanquam dubitandum minimè sit pro diuersitate Prouinciarum Iudeæ, in quibus prædicauit nonnullam esse linguarum diuersitatem, atque in vnaquaque iuxta eius proprietatem prædicasse. Item cum gentilibus alloqueretur, aut scriberet, vt ad Regem Abagarum eorum lingua, & caractheribus vsum esse. De excellentia interpretationis obuia sunt Christi cum discipulis, & Scribis, ac Pharisæis, vel disputantis, vel loquentis testimonia perampla: sicut, & de Spirituum discretione.

3 Prophetiam Abulensis in 11. numer. quæstione sexagesima-quarta humanitati Christi denegauit absolutè. Primo: quia Deus Propheta non est: & homo Christus est Deus futilis ratio Deus substatiuè de se Propheta non est: ast Deus adiectiuè sumptus per communicationem idiomatum Propheta dici potest, sicut plura alia quæ ipsi secundum se repugnant. Secundo: quia Ioannes pluſquam Propheta dictus à Christo fuit gratia propheriæ: ergo citius neganda est Christo, qua homini, Ioanne longè excellentiori. Respondetur non negari Ioanni à Christo Prophetiam, sed eius in ea præ cæteris Prophetis, qui Christum non viderunt excellentiam declarari; quare prophetia Christo, homini longè excellentior concedenda erit. Tertio: quia obscuritas cognitionis quæ Christi humanitatem dedecet, est de ratione prophetiæ, quæ eius obscuritatis defectu non est in Beatis, quos obscura rerum cognitio non decet. Negatur facilè antecedens. Beatis autem prophetia non adest non quidem defectu obscuritatis eius, sed status viæ, qui Christo non defuit, estque ad prophetiam necessario requisitus.

4 Idcirco Doctores reliqui prophetiæ donum Christo qua homini concedunt, atque Abulensis sententiam temeritatis merito notant. Probatur communis conclusio ex Euangelio in quo extant exempla plurima, quibus futura Christus, qua homo, prædixit, abscódita, & occulta aperuit, secreta cordium propalauit: ob quæ frequenter Propheta nominatus est ab Hebræis Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis*: à Cananæa Ioan. 4. *Domine, vt video Propheta es tu*: à Discipulis Luc. 24. *De Iesu Nazareno, qui vir fuit Propheta*: à se ipso Lucæ 4. *Non est Propheta sine honore nisi in Patria sua*: Lucæ 13. *Non capit Prophetam perire, nisi in Hierusalem.* Denique, & ab Spiritu sancto, sic fuerat multis retro sæculis compellatus, Deuteron. decimooctauo, *Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris: tanquam me ipsum audietis.* Quæ verba in sensu improprio prolata intelligi à sano Theologo nequeunt. Idcirco Augustt. tract. 15. in Ioann. ad verba data ex Ioann. 4. ac 6. contra Faustum c. 18. Ambros. in psalm. 118. ad ea verba; *Particeps ego sum.* Cyrill. Alex. 8. contra Iulianum. S. Isidorus 7. originum, c. De Filio Dei. Hier. in id Hierem. 1. *Prophetam de ingentibus dedite*, Christum qua hominem Prophetam fuisse docent.

5 Disputant hic nonnulli de gratia auxiliante, an in Christo qua homine, fuerit? Negant excitantem nonnulli: alij vero adiuuantem, & cooperantem in illo: quia visio Clara Dei, ex eaque ortus amor satis in Christo fuere ad quamcumque virtutem exercendam: præcipuè cum adsit pro obiectis aliarum virtutum à Charitate proponendis scientiæ per se, & per accidens infusæ animæ Christi Domini. Sed nescio, quid omnino his cognitionibus, vt gratiæ auxiliantes, & sint, & nominentur, deficiat: atque, vt voluntatis Christi liberam, & honestam operationem præueniunt excitantes, vt ad opera virtutum sollicitant, adiuuantes, ac tandem, vt cum voluntate suo modo operantur, cooperantes formaliter sint, ac propriissimè compellentur. sin ostendant negantes quid aliud sanctæ aliæ cogitationes habeant, vnde formaliter, & rigidè sic dicantur? sed de hoc satis, quod solum quæstionibus de nomine, quas odi pessimè, locum facere potest.

CONTRO

CONTROVERSIA SEXTA.

DE MERITO, ET SATISFACTIONE Christi Domini.

CHRISTI Domini operibus Meritum adfuisse certum omnino est: tum quia Trident. Conc. sess. 6. cap. 7. Christum Dominum causâ meritoriam nostræ iustificationis appellat; tum quia eius operibus honestas, laudabilitas, personæque dignitas, ac viæ status, cum suis operibus ad nostram redemptionẽ, sui corporis gloriam, pluráque alia à Deo obtinenda tetẽderit, proculdubio adfuere. Quòd si ad meritũ Dei præterea de præmio promissio requiratur, nec id Christi operibus defuit, dicente Isaia cap. 58. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Venit ergo disputandum meriti subiectum, magnitudo, tempus, & modus; Secundò, quid cum sibi, tum aliis fuerit de facto promeritus. Tertiò denique de Christi Domini satisfactione.

DISPVTATIO I.

De meriti Christi magnitudine, subiecto, tempore, & modo.

QVÆSTIO I.

An merita Christi infinita fuerint?

MERITORVM Christi Domini magnitudinem præsens quæstio vestigat: quare, vnde eius valoris meritiui magnitudo proueniat, nequit non indagare.

CERTAMEN I.

Merita Christi de sese infiniti valoris esse certum est, contra nonnullos Thomistas, & Scoticos.

1 DVrandus in 3. d. 20. q. 2. & in 4. d. 15. q. 1. n. 7. & Ioan Medina c. de pœn. tract. 3. q. 1. asseruere Merita Christi, etiam posita Dei acceptatione, infinita non esse: ita etiam de Christi Meritis secundum se sumptis, ac secluſa Dei acceptatione censebant, licet à Dei acceptatione infinita esse posse docerent, Scot. in 3. 19. q. vn. §. *Initia quæstione.* Cauellius ibi in Scholiis, Gabr. a. 1. in notabili, & a. 2. conclus. 15. Almain. q. 1. notabil. 3. (Licet Faber d. 45. solo nomine Scotũ à commnui discessisse defendat) consentiunt Caluinus 2. institutionum c. 17. teste Canitio, 1. de corrupтela Verbi Dei, §. *Proferamus*: Srancarum lib. 1. de Trin. & Mediatore, in refutatione prioris Epistolæ Tigurinorum. Ab his sanè non magno interuallo distare videntur, qui meritis vniuersam Dei de præmio conferendo promissione dignitatem accessuram arbitrantur: contra quos latè Controuersia de Merito, nec omnino segniter disputauimus. Porrò in horum, & proxima Scotistarum doctrina vix, & ne vix quidem, infinitus meritorum Christi valor potest, me iudice, defendi: quare vtrosque cum Durando, & Medina minus piè infinitatem Meritis Christi absolutè denegaturos reor; Etenim nec meritorum Christi acceptatio ad infinitum præmium, nec eis infiniti absolutè præmij fuit facta promissio: ergo si ex alterutro sit Meritorum Christi valor, dignitas & magnitudo taxanda, absolutè infinita esse non potest.

2 Nostram ergo communem, veram & tutiorem conclusionem de infinitate absolutè Meritorũ Christi de sese docent, D. Th. 3. p. q. 1. à 2. ad 1. vbi Caietanus, reliqui Interpretes, & noster Valentia, item. q. 7. à 11. ad 2. q. 46. ab q. 48. a. 2. ac tota q. 49. quodl. 2. ad 2. Alex. q. 17. m. 5. a. 2. S. Bonau. in 3. d. 13. a. 1. q. 2. Ricar. a 1. q. 2. Capreolus cum S. Th. d. 10. q. vnica. a. 1. concl. 2. vbi Paludanus, & Ricardus qui & q. 4. Ferra. 4. contra Gent. c. 55. Sot. 3. de Natura & Gratia. c. 6. & in 4. dist. 1. q. 3. a. 5. Iacob. Bill. in Scholiis ad vitam Nazianzeni num. 127. Vega. 7. supr. Trid. c. 89. & 19. Driedo de captiuitate. q. 5. Vasq. d. 6. c. 2. Suarez d. 4. sect. 4. Ragusa d. 11. & 12. Lugo d. 6. sect. 1. num. 11. Granad. controu. 1. tract. 14. d. 6. Vuadingo. d. 2. dubio 2. Bernal. d. 55. sect. 1. & quod caput est, eam tradunt Anselmus 1. *Cur Deus homo.* c. 14. & 19. Basil. in 1. d. Psalmi 48. *Pater non redimit.* Ambros. præfat. in Psalm. 53. Naz. orat. 42. fin. Gregor. M. 7. Moral. c. 1. de Christo illud Iobi intelligens, *Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quæ patior in statera: quasi arena maris hæc grauior apparere.* Vbi constanter docent quodvis Christi meritorium opus guttulæque sanguinis effusionem superabundãter mundos plures redemptorum, id quod reliqui etiam Patres docent in 1. d. Pas. 129. *copiosa apud eum redemptio* 1. Cor. 6. *empti enim estis pretio magno.* 1. Petri 1. *Pretioso sanguine.* 1. Ioan 2. *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Clem. Pap. 6. in Extrauag. de pœnit. & remissionib. mox recitanda, Cyril. lAlex. Epist. poster. ad Regin. vbi ait. *Pretium non fuisset satis magnũ, si Christus purus homo fuisset, ipsi Deo incarnato vniuersa creatura cõparata, modicum est.* Nec video, qua consequentia, ab his, qui necessitatem Incarnationis, ad satisfactionem pro nostris peccatis quovis modo defendunt, negari hæc conclusio possit. Nisi enim in operibus, ac meritis Christi proportio de se fit ad infinitum præmium & satisfactionem, æquè ad illud acceptari possent puri hominis opera, vt video intrepidè ab Scotistis nonnullis concedi.

3 Ex quibus argumentor primò. Id cuius moralis valor omnibus quibusque aliis & aliis æquialet, valoris infiniti est: at quodvis minimum Christi opus v. g. effusio guttulæ sanguinis æquialet in valore morali omnibus quibusque aliis, & aliis demeritis; vt ex Scriptura, & Patribus nuper vidimus: ergo est valoris

infiniti. Maior est certa. Etenim, si eius valoris pecunia esset, quæ rebus omnibus aliis & aliis, quantumvis in valore excresceret, compensandis, valeret, infiniti valoris absolutè foret, vt patet. Ratio à priori, quia valor, qui detractione quavis finita & hauriri nequit, infinitus absolutè est, iuxta infiniti Aristotelicam & vulgatam definitionem, *cuius partes accipienti semper restant aliæ accipiendæ*. Conclusionis huius ratione hanc dedit Clem. Pap. Extrauag. citat. dicens: *Thesaurum meritorum suorum à Christo Ecclesiæ relictum minui non posse, quia merita Christi sunt infinita*. Respondet Scotistæ, infinitatem hanc è diuina acceptatione, non de esse venire; sed ostendimus ex acceptatione non posse infinitatem habere. Dicis secundò: finitam perfectionem Angeli æquialere; imò excedere infinitis perfectionibus specierum inter ipsum, & muscam possibilium, quin inde infinitas perfectionis arguatur in Angelo: ergo nec in merito Christi arguetur infinitas, licèt excedat in valore morali omnium peccatorum maiorum, & maiorum demerita. Negatur consequentia. Nam excessus perfectionis Angeli non est per continentiam tantundem perfectionis specierum infinitarum imperfectiorum, & additionem perfectionis super illam: sicut est valor meritorius operum Christi respectu valoris demeritiui peccatorum.

4 Tertiò: Probatur à priori: Valor meritorum operum crescit ex dignitate, & sanctitate operantis: è dignitate inquam saltem ex genere, siue secundum statum: ita nimirum, vt, quo gradu dignitas & status operantis ex genere suo maior sit, eo maior sit operis meritum: atqui dignitas humanitatis atque hominis Christi operantis, ex genere & statu suo est infinita: ergo meritiuus valor operum Christi est infinitus. Maior est certa: nec incertior Minor ex controuersia 4. d. 1. & 4. vbi ostendimus Christum, qua hominem etiã, esse Filium Dei naturalem, sanctúmque infinitè sanctitate Deitatis: verámque autem infinitam ex genere ac secundum statum dignitatem & sanctitatem continet. Hoc argumentum insinuant Dionys. 2. de Diuinis nominibus, & epist. 4 ad Caium, *Christi operationes Dei viriles appellans*. Damasc. 3. de fide, c. 15. & 19. *Deitate perfusas*, Theodorus. Ancirau. t. 6. Concil. Ephesin. c. 10. hom. de Natiuitate, & appendice. 5. eius Concilij. c. 2. hom. alia de eodem. Leo Magnus Epist. 10. dicens *vnam naturam operari cum consortio alterius* Nab. orat. 36. 4. de Theolog. 2 de fil. approbatus ab Agathone Papa, & Synod. 6. art. 4. Epist. 1. aiens *in Saluatore velle totum esse deificatum*; quæ obiici contra hanc rationem possent, cómodiùs diluétur postquã id, à quo hæc valoris infinitas meritis proueniat, enucleatiùs statuerimus.

CERTAMEN II.

Aliorum, de principio infinitè dignificante opera Christi, opiniones confutatæ.

1 VNde verò Christi operibus infinitus valor accedat, nonnulla apud Soar. proximè §. *Quoniam verò*. Dionysij, Leonis, & Nazianzeni verbis decepti inde prouenire aiunt, quod è voluntatis diuinæ, & humanæ actibus vna operatio Dei virilis, atque infiniti valoris confletur: sicut, quia in nobis ex anima & corpore vna persona conflatur, corporis operatio eundem valorem cum actu, & ab actu animæ habet. In quem sensum illud Athanasij trahunt; *Sicut anima, & caro vnus est homo; sic Deus & homo vnus est Christus*. Contra primò; doctrina hæc affinis videtur errori ponenti vnam operationem in Christo, contra quem 6. Synod. & Agatho Pap. duas operationes in Christo, æquè atque duas naturas, quas consequuntur incõfusas definiere. Secũdò diuina & humana operatio non cõparantur, vt natura, & suppositum, nec, vt actus, & potentia. Tertiò: Cùm operatio hæc immanens esse debeat, nequit vna esse, ni eidem insit principio. Vnde Euthychiana naturarum confusio inducitur, vt bene Damascenus, in simili. 3. de Fide c. 19. & ex ipso S. Th. proximè arguunt. Quartò: Vnitas personæ non sufficit, ad vnitatem physicam vtriusque operationis, vt patet in actu appetitus & voluntatis in duplici accidenti eiusdem subiecti, & in duabus Christi naturis, quæ inter se vnum physicè non componunt. Nec sufficit ad vnitatem moralem, nisi vtriusque actus eadem sit libertas, vt constat in actibus corporis & animæ, quos in exemplum afferunt Aduersarij: Quare nisi admissa naturarum & voluntatum Eutychiana confusione nequit eorum sententia sustineri.

2 Dices in actu intentionis & electionis diuersam libertatem esse, & in actu imperato, & imperante voluntatis eiusdem; & tamen vnam moraliter operationem constituere. Sed quoties diuersa libertas est, diuersus moraliter actus est, vt patet in electione furti ob fornicationem. Secundò: Non sic se habent intentio, & electio, sicut actus voluntatis diuinæ, & humanæ, quæ à diuersis volũtatibus & libertatibus sũt, ne humanæ via ad meritum occluda tur dum eam merito ad infinitatem aperimus. Dices actus ministri, & procuratoris iidem moraliter sunt domini & clienris, licèt physicè sint á diuersis volũtatibus & libertatibus, cæterùm licèt libertas clientis, qua procuratorem suo nomine agere voluit, diuersa sit à libertate actionis procuratoriæ; at in actione procuratoria, quæ moraliter eadem vtriusque est, non est clientis diuersa libertas à libertate procuratoris; similiter vna censetur actio domini & ministri, quoties è domini mandato, & voluntate hic se gerit; imò, res tunc quidem est moraliter absolutè vna, quia in ministro diuersa est libertas: vnde vterque, de actione praua punibilis, de honesta est laudabilis. Ratio est: quia præceptum superioris in exequenti motiuum solùm est sufficiens, vt si malum sit, effectus & actio exequentis tanquam causæ morali domino, sicut, & malè suader hominibus aliis, imputetur, non autem vt subditi exequentis operatio, eadem domini habeatur, maximè vt ex præcipientis dignitate in morali æstimatione censeatur; alioquin cùm Dei præcepta exequimur, obsequia nostra infiniti valoris habenda forent, & meriti.

3 Vuadingo. d. 8. dubio. 1. §. 2. num. 16 asserit infinitatem valoris operationum humanitatis vnitæ venire ex eo, quod Verbi moraliter sunt, esse autem moraliter illius non solùm ex vnione, sed ex voluntate formali, vel interpretatiua Verbi, vt sibi imputétur, qua moraliter influit in humanitatis operationes. Probat ex Cyrillo, Exegesi ad Valerianum dicente: *Quia Verbum propria carnis perpessiones, quasi proprias in se transtulit sibique vendicauit, eius mortem omnium vitæ præponderasse asserimus*. Addit num. 17. post medium, voluntatem vniendi sibi humanitatem esse interpretatiuam Verbi, vt sibi eius operationes imputentur, ac proinde non posse esse vnitum humanitati, quin ipsi imputentur. Contra, ergo voluntas vnionis satis est, vt ipsi imputentur, quin alia formalis vel interpretatiua expectanda sit contra ea, quæ aiebas, num 16. Contra secundò: quia voluntas interpreratiua, per expressam de oppositio desinit esse interpretatiua: ergo posita voluntate expressa Verbi, vt sibi non imputentur opera humanitatis, voluntas vnionis erit interpretatiua, dariue vnio poterit, quin illius opera Verbi sint moraliter, ac quin Verbum moraliter influat in ipsa, atque inde habeant infinitum valorem, contra id quod secundo asserit loco. Respondet: Voluntatem hanc expressam pugnare cum voluntate vniendi humanitatem contradictoriè, æstimo magis secum pugnare Vvadingo. Etenim voluntas hæc non pugnat contradictoriè formaliter cum voluntate vnionis; alioquin hæc voluntas expressa Verbi, vt sibi imputentur opera humanitatis erit non interpretatiua solùm, vt ipsa asserit, nam expressa interpretatiuæ solùm voluntati de oppositio non contradicit formaliter, imò neque illatiuè. Etenim si in conceptu vnionis precisè non includitur imputabilitas realis formalis operationum humanitatis Verbo, vt hìc docet, & sonat volũtas solùm interpretatiua, quæ in vnione est: ergo vnio, eiúsque voluntas precisè realiter formaliter consistere poterunt sine imputabilitate, ac imputatione, quin vnioni ac eius voluntati contradicant.

4 Tertiò aliqui apud Ioan. §. *atque ex his alij*, ab vnione operum ad Verbum promanare aiunt: sicut de valore sanguinis effusi Eugenius docebat. Verùm si de immediata vnione operationum humanitatis ad Verbum loquantur, rem pluribus impossibilem supponunt ad veritatem certam de infinito valore operum Christi tuendam. Secundò non repugnat accidentia vniri hypostaticè: vnde vnita de facto norunt? ita vnitas esse humanitatis operationes dicunt ex infinitate valoris earum. Contra: quia ad dignificationem operum immediata eorum vnione ad personam vel formam dignificantem opus monet, vt bene S. Th. 1. p. q. 25. 2. 6. ad 4. Et patet in gratia habituali nostra opera dignificante. Secundò: Cùm plures operationes Christi transeuntes fuerint, plura assumpsisset Verbũ, etiã vt quod quæstatim dimiserit contra Theologicum, fortasse etiã dogmaticum axioma; si de mediata vnione loquantur rem non explicant. Quartò: alij refutati ab Scoto in 3. d. 19. à Capreolo d. 18. ad 5. Scoti, aiunt, cùm actiones suppositorum, etiam influxiuè, sint, actiones humanas Christi infinitas à Verbi personalitate, etiã actiuè fluere; indéque valoris infinitatem trahere. Primò tamen specialem influxum ad operationes ad extra periculosè Verbo foli tribuunt. Secundò: operationibus finitis & creatis tribuunt physicam, & entitatiuam infinitatem. Tertiò: cùm opera etiam nostra à tribus personis infinitis actiuè fluant, cur eam infinitatem actiuam ab his non habent, atque inde etiam valoris meritiui infinitatem? Vnio enim ad actiuum influxum nil præstat. Quartò: nulla forma dignificans dignificat opera actiuo influxu in illa, illóve opus ad dignificandum habet: ergo nec Verbi personalitas. Quintò: actiuus influxus suppositalitatis in actiones naturæ semper exulauit: atque in nostra sententia de subsistentia est impossibilis.

5 Denique Suar. §. *Dicendum igitur est*. Vuadingo d. 2. dub. 3. aliíquo plures, licèt influxum actiuum personalitatibus, cùm ferè omnibus negent, asserunt tamen esse conditiones physicas ad operandum: quia operans *vt quod* non est natura sola, sed completa in esse suppositi, & personæ, iuxta Aristotelicum axioma: *Actiones sunt suppositorum*: quæ cum diuina in Christo sit, infinitè dignæ operationes euadunt. Physicæ adhuc auditor pessimè oderam doctrinam hanc de conditionali præcedentia actiua personalitatis ad operationes naturæ. Ad rem autem præsentem inutilem prorsus iudico. Vt enim proximè dicebam ratio principij actiui opera non dignificat, etiam, cùm in ea physicè influit: ergò multò minus, cùm solùm est conditio se tenens ex parte principij influxiui. Secundò vt in simili nuper arguebam in hac doctrina tres personalitates diuinæ se tenent vt conditiones ad nostras operationes, quatenus à Deo sunt; & tamen non sunt infinitè dignæ. Tertiò: forma dignificans iustorum opera, nempe gratia habitualis, solá sui assistentia, atque inhærentia principio operanti ea dignificat, quia ex parte principij se teneat ad elicientiam: ergo ad eleuationem & dignificationem operum humanitatis impertinenter se habet, quod personalitas se habeat, vt conditio ex parte principij actiui se tenens ad illas eliciendas.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

CERTAMEN III.

Nostri Vazquez sententia probata & propugnata.

1 VEra igitur sententia est nostri Vazquez d. 24. & satis communis inde infinitatem valoris opera humanitatis trahere, licèt in se finita sint, quod media vnione hypostatica, tam deitate, quàm persona Verbi, vt diximus, infinitè sanctificatur, ac deificatur humanitas, ac Dei filia constituitur, ex quo infinitæ dignitatis, tam ipsa, quam ipsius operationes redduntur. Probatur primo: Eatenus opera humanitatis Christi dignificantur, quatenus deificantur, sunt Dei viriles, atque humana natura operatur in consortio alterius, iuxta Damasc. Dynois. Leonem M. Nazianzen. Agathonem, & alios Patres datos Cert. 1. At quatenus Deitati, & personæ toti Filij adiuncta est humanitas operans, ea omnia habent eius operationes, Deus motiuum complacentiæ, ex quo omnia possit donare, & remittere, vt aiebat Cyrillus proximè, non autem quatenus vnitur personalitati præcisè, & formaliter (quæ deitas Deus, & Filius filiatio formalis adæquatè non est) vel quatenus influit in operationes humanitatis, estve conditio ad eas eliciendas: ergo quatenus humanitas operans deitati ac personæ Verbi vnita est, eius operationes dignificantur infinitè, non quatenus vnitur personalitati, vel hæc influit. Probatur secundò. Quia, eatenus eleuantur nostra opera ad valorem præmij supernaturalis condignum, quatenus adest sanctitas & filiatio adoptiua Dei in operante: ergo eatenus dignificabuntur & eleuabũtur opera humanitatis Christi, quatenus adest illis sanctitas, & filiatio Dei naturalis, per vnionem scilicet ad Deitatem, & personam totam Filij. Tertiò probatur: Eodem modo attendi debet dignitas humanitatis Christi ad æstimationem moralem & dignificationem operum eius, quo attenditur dignitas operantis temporalis ad valorem temporalem & moralem operum respectu præmij temporalis, & apud Deum dignitas iusti: sed in his non attenditur, nisi sanctitas, vel dignitas excellentiæ, v. g. quod sit Comes, Dux, vel filius Regis, non autem personalitas physica: ergo nec in eleuatione operum humanitatis Christi personalitas physica, sed id, quo formaliter sancta, ac filia Dei naturalis illa constituitur, attenditur.

2 Dices ergo si humanitas non personalitati formaliter & proximè sed deitati vniretur, ac in propria persona maneret, eius opera æquè dignificarentur infinitè, atque modo, cum tunc infinitè sancta, æquéque deificata maneret humanitas, æquéque digna per vnionem ad deitatem. Respondetur implicare in terminis conditionalem, quia in vulgari sententia de modo superaddito personalitatis propriæ iudicatur impossibilis vnio immediata ad deitatem, & vnio duarum naturarum: in nostra verò implicat humanitas producta dependenter ab vnione ad aliud; quin propria personalitas pereat: quod si vnio esset, quin humanitas existeret dependenter abilla, certam veráque existimamus illationem. Dices secundò: etsi Deus, eiúsque bonitas infinitatè habeant, tamen eius visio, & amor infinitatem in nobis non habent: ergo nec opera humanitatis eam habebunt à deitate, licet infinita sit: nego consequentiam, nam obiecta actus specificant solùm extrinsecè, non afficiunt formaliter, sicut dignitas operantis; quare, vt sæpe docuimus, ex augmento perfectionis obiecti, non augescit actus proportione Arithmetica, seu tantum quantum crescit obiecti perfectio, sed Geometrica. Ast à forma, & dignitate, qua formaliter actus afficiuntur, cuiusmodi est dignitas operantis, tantum crescunt actus in valore,

quanta est forma, seu dignitas. Sed hinc insurges: ergo, si maior, intentiórque adsit, maior dignitas ad præmium maius erit in opere æquè, imò minus perfecto, siue indiuiduè, siuè intensiuè, specificè etiam. Patet: quia si quatenus dignitas se communicat operanti & operi, dignificat ipsum, quo magis se communicat, magnis dignificabit, in opere æquè perfecto. Admittunt consequentiam Suar. §. *Ad primum*, & lib. 12. de Gratia c. 22. Valentiat. 2. d. 7. q. 6. pun. 3. Enriquez de fine hom. c. 20. §. 1. referens Almainum, Cordubam, & Victoriam, Moncæum, Pennam, & alios, Granad tract. 11. de Gratia d. 2. sect. 2. cum aliis, Gabr. in 2. d. 29. q. vni. a. 1. notab. 3. & a. 2 concl. 4. Salm. t. 3. tract. 33. pag. 277. Lugo d. 5. sect. 7. nec dissentire videtur Sanctus Lh. citata d. 29. q. 1. a. 4. Sed non video quomodo in minus perfecto opere negari consecutio possit, admissa in æquè perfecto, in quo admittendam non esse monstrabam contra. de Gratia, & contra. de Alteratione. Recentiores Complutenses negant etiam consequentiam in opere minus perfecto: quia inquiunt, ex dignitate operantis operum valor geometricè sumitur non arithmeticè: quare ex maiori perfectione actus magis augebitur meritum, quam ex maiori dignitate operantis. Sed quid ad secundam obiectionem contra infinitatem meriti Christi dicent? qui hac solutione succumbunt.

3 Respondeo cum Vazq. proximè, & aliis, explicatius tamen ipsis: Negando vniuersam consequentiam. Vt enim contra. 2. d. 3. dicebamus, subiecti dignitas non destruit valorem operis, sed intrinsecum eleuat, vt magnum, siuè absolutè præmium non sit, quod illa sublata præmium foret absolutè. Quocirca opus intrinseci valoris, meritorij præmij, vt vnum naturalis, cum gratia eleuatur præmium, vt vnum solum meretur, sed supernaturale, quantumvis gratia, & dignitas operantis crescat. Quod autem intrinsecum valorem meritorium habet præmij, vt duo, tantundem solùm è supernaturali præmio meretur, quantumvis gratia minuatur, quia non extrahit operantem siue maior, siue minor gratia sit ab ordine amici, & Filij Dei adoptiui, respectu cuius præmiaturi, & filij præmiandi quidquid naturalis ordinis est, nil ad præmium habetur, vt exemplis facinoris à milite priuato, vel à Duce, & Dinasta peracti citato loco declarabam. Valor igitur solùm intrinsecus operis attenditur ad præmij quantitatem, dignitas operantis ad qualitatem: vnde hac crescente præmij quantitas non crescit. Qua in re nostri Lugo inconsequentiam nota: qui in nostrum principium de eleuatione operam per gratiam operantis incidit. Adeò etiam obest consequentiæ aliquarum opinionum, quasi notionale præiudicium; vt quia Castellanis opinio de augmento meriti ex augmento gratiæ solùm iam diu obrepsit, etiam principio ad oppositum aduenuento, vir ingeniosus contra illam minimè discurrerit. Sed inde obiicies fortius. Ergo, cùm valor intrinsecus operum Christi finitus sit, quantitas præmij respondens finita erit, licèt quantitas præmij ex dignitate infinita operantis altioris longè ordinis esse debeat. Nego consequentiam. Nam, cum dignitas operantis adeò est excellens, vt infinita simpliciter, facit, vt creata omnia, etiam supernaturalia, quæ sola secundum se in præmium dari possunt, exiguum quid sint, ac fortasse minus quam naturalis ordinis respectu operantis amici, & filij solùm adoptiui Dei: vnde trahitur à dignitate operantis infinita absolutè quantitas præmij ad qualitatem, quia infinitate dignitatis ex genere suo absorbetur præmij quantitatiua magnitudo; atque insuper, cùm non possit esse in præmio qualitas æqualis infinitæ absolutè dignitate operantis ex quantitate defectus qualitatis suppletur. Instabis: Ergo etiam maior intensiuè dignitas gratiæ in operante suppleri poterit quantitate, & magnitudine præmij, gratia nimirum ampliori vt obiiciebatur. Nego consequentiam: quia non est defectus æqualitatis in qualitate præmij, supernaturalis, quod, quantumvis minimum, magnum è genere suo respectu amici, & filij adoptiui cuiusvis est.

4 Instas, non meretur opus Christi omne præmium possibile: ergo non est infinitum simpliciter in genere meriti. Antecedens probo: quia vniones hypostaticæ plures sunt possibiles: Ast vna ex illis in præmium data, expletur meritiuus valor operis Christi: ergo non meretur Christus reliquas. Minor suadetur. Data quavis alia vnione, datur effectus simpliciter infinitus, redderetur enim humanitas, cui daretur, infinitè sancta absolutè, & simpliciter, æquè, atque ipse Christus merens: ergo daretur in illa præmiū infinitum simpliciter, Sed præmio infinito simpliciter adæquatur meritū infinitum simpliciter: ergo vna hypostatica vnione data in præmiū operis Christi eius meritū expletur. Respondet Albertin. t. 1. corol. 18. ex principio 1. philosophico. p. 11. 4. Bernal. supra num. 16. argumentum obtinere in indiuisibili actus meritorij Christi, non autem in actu diuisibili eius: siquidem indiuisibile quodvis provt dignificatum deitate vnionem aliam hypostaticam meretur: ac proinde omnes eius partes, & indiuisibilia, vtpote infinita, vniones omnes possibiles merentur. Cæterùm, cùm continuum quodvis indiuisibilibus finitis componat Bernal. atque vniones hypostaticæ plures, & plures sint in infinitum possibiles, si argumentum hoc indiuisibili actus meritorij Christi non mereri Christum omnes vniones possibiles euincit, id ipsum de toto actu conuincit; censeo ergo cum Vazq. d. 6. c. 3. Soar. sect. 4. Regula d. 18. Moncæo d. 8. c. 18. Petro Hurtado d. 36. sect. 1. Lugo d. 6. sect. 1. num. 20. adhuc de indiuisibili actus meritorij Christi argumentum non tenere. Primò quia non datur im præmiū deitas secundum se, qua redditur infinitè sancta, & digna humanitas; non enim illa est in præmiantis potestate & dominio, sed vnio: quare hæc datur in præmium, non illa: sicut, cùm datur in præmium Deus visus Beatis, non datur Deus secundum se, sed eius visio, quæ sola est in potestate & dominio Dei præmiantis. Sed alioquin daretur meritum infinitum purè creatum, vel Deus visus non esset præmium condignum, sed infinitè excedens merita iustorum. Ecce ergo inæqualitatem vnionis in præmium datæ etiam aspectu indiuisibilis meritorij actus cuiusvis Christi. Dignificatur enim deitate secundum se, ac simpliciter infinitè; non autem præmiatur deitate secundum se, sed eius vnione, quæ finitum quid absolutè, & simpliciter est.

5 Hinc constat solutio ad similem aliorum obiectionem, nempe actu alio meritorio Christi in præmium alterius dato æquari prorsus huius alterius meritum, ac proinde reliqua mereri non posse, quare non esse infinitè meritiuum. Etenim, quod infinitatem in actu alio meritorio dato in præmium ponit, est deitas secundum se, quæ dari in præmium nequit. Constat item Christum, qui tot, & sibi, & nobis à Deo donari est promeritus, non meruisse actum increatum Dei; tum quia hic secundum se in potestate, & Dominio Dei non est, vt dari in præmium possit: tum quia nobis, & humanitati Christi secundum se bonus formaliter non est ac materia præmij, sed ratione extrinseci boni, quod per illud nobis donatur, alioqui & iustus sibi complura adeò donari mereatur actum increatum Dei, scilicet simpliciter infinitum præmium, merito finito condignè mereatur, quod repugnat. Denique argumentum non tenet. Quia, etsi vnione daretur effectus simpliciter infinitus in præmium, & quod æquaret meritum operis Christi, inde potius conuinceretur hoc esse infinitum: siquidem, quod non nisi infinito simpliciter æquari potest, simpliciter infinitum est, non finitum: quare neganda esset consequentia prima: cum de ratione meriti simpliciter infiniti non sit omne præmium, seu plura præmia vltra simpliciter infinitum excedere, sed solùm omne præmium simpliciter finitum, æquare. Sed inquies, adhuc non potest meritum Christi esse hoc modo simpliciter infinitum, quia omnes actus Christi simul sumpti plus mouent Deum ad præmiandum quam singuli seorsim sumpti, ergo singuli seorsim sumpti non sunt simpliciter infiniti in ratione meriti: distinguo antecedens, plus mouent Deum extensiuè concedo, plus intensiuè, nego, quia singuli mouent ratione totius dignitatis quæ est in persona intimè sancta & grata Deo. Ad infinitum autem simpliciter in ratione meriti sufficit vt non possit excogitari aliud intensiuè maius atque perfectius, licet possit dari aliud extensiuè perfectius: sicut linea infinita est simpliciter infinita in ratione lineæ, quando non potest dari aut cogitari alia longior, licet dari & cogitari possint plures aliæ lineæ illi similes in longitudine infinita.

Certamen IV.

Obiectiones reliquas Expedio.

1 Arguit præterea in hunc modum Scotus contra hanc infinitatem: Tantum est Christi meritum quanta est bonitas moralis actionum Christi, cum valor meritiuus sit proprietas consequens huiusmodi bonitatem; Atqui hæc bonitas in actibus Christi fuit finita, cum ipsi actus fuerint finiti & à potentiis finitis humanæ naturæ Christi processerint, ergo. Confir. primo, quia Verbum non communicat actibus humanitatis dignitatem physicam increatam quam in se habet, ergo communicat tantum moralem, atque adeò limitatam & minùs perfectam. Confir. 2. quia si Christi meritum esset simpliciter infinitum æque esset gratum Deo ac ipsum velle increatum ipsius: Atqui absurdum est consequens, ergo & antecedens. Respondeo distinguendo minorem Atqui hæc bonitas fuit finita ex parte humanitatis operantis, concedo, ex parte personæ verbi dignificantis, nego. Duplex enim bonitas moralis in actibus Christi distingui potest, vna essentialis seu entitatiua ipsi actui quæ petitur à principio finito, nempe ab humanitate Christi circa obiectiuam honestatem operante, & hæc finita est: altera personalis & aduentitia quæ petitur ex ipsa dignitate personæ verbi sese communicantis huiusmodi actibus propter coniunctionem quam habet cum ipsa humanitate operante, & hæc bonitas infinita est. Ad primam confirmationem distinguo antecedens: Verbum non communicat physicè illis actibus dignitatem physicam quam habet, concedo: Non communicat illam moraliter, nego: deinde negatur consequentia; quia tanta est moraliter dignitas in actibus Christi quanta est in ipso Verbo; cum sine limitatione dignificet humanitatem Christi omnésque illius actus. Ad secundam confirmationem nego sequelam, quia meritum Christi non est infinitè gratum ac placens Deo nisi in genere valoris moralis & propter coniunctionem cum persona Verbi infinitè acceptâ & gratâ. Velle autem increatum ipsius Verbi propter se & in genere valoris physici acceptum est Deo: quod tamen non impedit quin actus Christi prout includens in concreto personam verbi, quæ per modum obsequij submittebatur Deo, tantum placeat Deo quantum ipsi placet ipsum velle increatum Verbi.

2 Sed instabis: Actus procedens à principio infinitè digno & laudabili non potest habere rationem meriti simpliciter infiniti, de cuius essentia est dignificare & laudabilius reddere ipsum principium operans, alioquin Deus ipse per suum actum increatum posset mereri: Atqui actus Christi procedunt à principio infinitè digno & laudabili: ergo non possunt habere rationem meriti simpliciter infiniti. Respondetur negando maiorem. Et prima quidem illius pars quæ pertinet ad dignificationem principij operantis veraest quando illud principium est vndequaque infinitè dignum & perfectum, qualis est Deus, qui propter suam summam in omni genere dignitatem & perfectionem non potest per suum actum increatum dignificari, atque adeò nec mereri; falsa verò est eadem Maior quando principium operans capax est illius dignificationis licet aliunde ex coniunctione cum aliquo infinitè digno atque perfecto, illius opera infinitè dignificentur, vt accidit humanitati Christi, cuius opera infinitè à Verbo sibi vnito dignificata sunt. Secunda verò pars de laudabilitate non ideò vera est, sed quia laudabilitas, provt idem est quod meritiuus valor, in Deo locum non habet: cum non habeat à quo præmietur nec præmij materiam, cum nihili sua ad fœlicitatem referant creata omnia, licet habeat laudabilitatem gratitudinis. Vtrumque autem Christi humanitati operanti adest, & Deus præmians & præmij materia: quare magis laudabilis est meritoriè & gratitudinaliter à nobis quoad motionem ob opus perfectius quam ob imperfectius, licet laudabilitate subiectiua, quasi intensiua, magis laudabilis non sit, cum enim hæc nil aliud quàm sanctitas illius sit, in qua, vt aiebat Dyonis. Alex. epist. contra Paul. Samosaten. labore & industria operum, sicut nos homo Christus non crescit, vtpote infinita sanctitate Dei sanctus nequit esse & operibus subiectiuè laudabilior.

Sed adhuc permissa Maiori illa, etiam, vt sonat, Minor est falsa: quare nec tenet consequentia. Etenim, licet opera humanitatis Christi sint subiecti infinitè sancti, non tamen à principio infinitè sancto: cum nec sint à Deitate, aut persona Verbi actiuè, quæ in Christo infinitæ sunt, sed ab humanitate, quæ finitum quid est. Aduerte tamen illud de laudabilitate, non tam infinitatem meriti Christi, quàm meritum Christi absolutè impugnare. Instabit tamen contra infinitatem: coniunctum ex infinito & finito infinitum absolutè non est: atqui meritum Christi est coniunctum ex simpliciter infinito (nempe Deitate, & persona Verbi) & simpliciter ex finito (nempe opere humanitatis:) ergo simpliciter infinitum non est. Maior absolutè est falsa: nam partes quantitatis, aut qualitatis infinitæ, finitæ magnitudinis intensiuè & extensiuè sunt sine infinitatis præiudicio; Sed distinguo: ex infinito denominante, & finito denominato, non est *Denominatiuè* infinitum, nego Maiorem, *substantiuè*, *& entitatiuè*, transeat: Et similiter Minorem & nego consequentiam. Sed dices: Si subiectum limitatum est, quo pacto Denominationem Denominantis adhuc infiniti non limitat? Quia limitatio Denominationem, vel illimitatio à forma sumitur non à subiecto: Vnde Sanctus Petrus æque sanè gratus Deo est atque Angelus, qui æqualem habeat gratiam. Sed instas: ergo æque gratus erit Deo, actus Christi atque actus Dei; nego consequentiam: quia non æque participatur vnione Deitas ab humano actu Christi atque ab actu Dei attributum sanctitatis: non enim per identitatem, sed per vnionem vt supra diximus. Obiiciunt sibi Lugo & Recentiores. Ponamus alium esse Christum, & Iesum precari ægro salutem; alium verò Christum ne sanetur, tunc neuter quod precatur mereretur, cum æqualia sint merita vtriusque, quia infinita; & tamen quod vterque precatur finitum est & possibile: ergo neutrius meritum est simpliciter infinitum. Nego Minorem; vterque enim meretur, quod precatur, licet ratione æqualitatis meriti & contradictionis præmij non obtineat, quod autem infinito infinitum æquetur vtriusque arguit non destruit infinitatem, vt Cert. 3. num. 5. docebam.

4 Duo tandem obiicienda sunt, quæ non tam meriti infinitatem quam meritum absolutè in Christi operibus impugnent. Primum ex Guillielmo de Rubion in 3. d. 18. Humanitas Christi titulo ipso vnionis

independenter, & pro priori ad opera digna est, cui omnia donentur, iúsque habeat ad illa. Ad Hebræos 1. *quem constituit hæredem vniuersorum* nam secundum Deitatem non est constitutus hæres, sed natus. Sed id quod iuris nostri est independenter ab operibus, nequit esse præmium operum: ergo nil est in tota possibilitate, quod possit esse præmium operum Christi; At facto impossibili præmio operis impossibile est meritum illius: ergo meritum operibus Christi est impossibile. Respondeo ius illud vnionis non esse eo coactiuum, & cui Deus sine indecenpentia nequeat renuere; sed precarium, cuiusmodi ius non aufert à rebus ad quas est, rationem materiæ præmij, vt non semel diximus, ac sæpiùs dicemus. Secundum argumentum sit. Humanitas Christi habuit præscientiam à sui conceptione actuum suorum, & negotiorum oppositorum: sed cum hac præscientia nequit stare eorum libertas: ergo nec meritum, quod sine libertate stare nequit. Negatur tamen facile Minor. qui eiusmodi præscientia posterior natura est vsu libertatis. Dices, ex prescientia certa amoris mei erga Petrum nequit cogitatio inducens ad odium Petri mouere voluntatem meam: consequenter & in actu secundo fateor, antecedenter & in actu primo negos; solùm ergo impeditur ex præscientia actus mei futuri potestas antecedens ad sperandum actum oppositum, non autem ad actum ipsum.

QVÆSTIO II.

An in Christi amore erga Deum Meritum fuerit?

SIngulatim iam actiones Christi, quibus meritum adfuit, examinamus. De eis autem loquimur quæ de facto fuerunt. Nam ex suppositionibus variis possibilibus (nempe, quod præfinitæ essent à Deo, & similibus pluribus) disputare, non tam est augere scientiam, quàm omnes confundere: citiúsque memoria summitatum moralium vitio ornaretur quàm ornaretur intellectus. Cùm enim generalis doctrina propriis sedibus à nobis tradita sit, singularia illa pro hac vel illa combinatione & hypothesi definire non authoris quem agimus, sed ingenij cuiusuis negotium est. Et quidem de actibus liberis virtutum moralium meritorios absolutè iniustis negauit secundum se Suarius d. 29. sect. 2. ast in Christo meritorios asseruit §. *dico denique*, cui prorsus assentitus est Bernard. d. 55. Sed cum virtutes morales iusti defectu dignitatis à merito non deficiant per hosce, sed quia secundum se non ordinantur ad vitam æternam, nisi respectus adiungatur iste, quamtumuis dignitas operantis infinita in Christo sit, meritum eis non aderit. Quare consequentiùs Petrus Hurt. 2.2. d. 146. de char. §. 32. & d. 63. de incarn. §. 45. negauit etiam in Christo virtutibus moralibus meritum; Sed ij omnes in principio peccant: nempe virtutibus moralibus secundum se meritum non adesse, cuius oppositum affatim à nobis ostensum est, *controu. de merito.* ex quo loco supponendum potius hic, quàm disputandum est. Restant virtutum Theologalium actus, de quibus merito dubium esse non potest, si amorem erga Deum excipias, de quo in præsenti. Licet an spei & fidei actus in Christo fuerint possit disputari, & insuper de operibus præceptis de quibus q. 3. agemus.

CERTAMEN I.

Meritum amoris Dei in Christo malè ab aliquibus defenditur.

1 VAzquez d. 64. c. 3. Aluar. d. 45. Gaspar. Hurt. d. 14. dif. 1. cum aliis amori Dei in Christo etiam regulato per scientiam infusam, meritum prorsus negant; quia, licet hæc liberam voluntatem ad Dei amorem relinquat, ex adiunctione tamen visionis beatæ exterminatur cogitúrque voluntas ad illum, sicut posita physica prædeterminatione cogeretur. Idcirco libertas in actu primo dicit negationem principij cuiusvis determinantis & necessario connexi antecedenter cum actu. Hoc argumento ducti, in eandem sententiam venerunt Ferrara 3. contra gentes c. 62. §. ad id *quod vltimo* Caiet. 3. p. q. 11. a. 1. licet autem amore regulato per visionem beatam Christum meruisse, negent, at regulato per scientiam infusam promeritum fuisse aiunt. Suar. d. 39. sect. 2. Granad. tract. 14. d. 1. num. 8. Valentia q. 19. punct. 2. Lugo d. 27. sect. 1. num. 2. Bernard. d. 55. sect. 2. num. 14. facto verò argumento respondent duplici actu amoris Christi altero à visione, ad quem rapiatur, altero âscientia infusa libero; sed inprimis scientiæ diuersitas non arguit amoris diuersitatem in sententia Suar. & est clarum: cum idem actus elicitus per scientiam infusam scientia beata elici possit; secundo: repugnat naturaliter (in quo solum ordine potest esse libera determinatio voluntatis à se) scientiam infusam adstante beata mouere voluntatem; sicut adstante visione atque euidentia obiecti mouere testimonium de illo: qua solùm de causa pugnant assensus fidei & scientiæ & visionis, vt aliqui volunt, adhuc supernaturaliter. Tertio: bonitas Dei clarè visa rapit, teste Bornal num. 29. voluntatem ad amandum Deum quantum potest: ergo ad amandum to to amore quem tunc potest, siue intenso actu siue pluribus: quare tunc ad alium actum ex scientia infusa exhausta prorsus & impos voluntas maneret. Dices rapi ad amorem totum quem potest cum habitu qui limitatæ virtutis est; ast sine habitu posse voluntatem cum scientia infusa actum alium amoris edere. Contra: quia si non adest auxilium extrinsecum loco habitus nil potest voluntas ad actum supernaturalem amoris Dei; si autem adest ad totum rapitur à visione.

Amori autem regulato per scientiam beatam in Christo meritum adscribunt plures, diuersis tamen fundamentis. Altisiodorens. 3. sum. tract. 1. c. 6. Gabr. in 3. d. 18. q. vnica, concluf. 2. Capreol. ibi Almain. q. 1. notat. 5. referens OKamum, Maior q. 2. quibus fauet Scot. §. *in ista q.* quia licet sine libertate à volente prodeat amor Christi, vel à solo Deo infundatur merito ipsius non obesse aiunt; sed aperta contradictione, vt Controu. de merito monstrabam. Alij apud Enrriquez de fin. hom. c. 6. §. vlt. litera K, & apud Vincentum de gratia Christi q. 5. a. 3. dub. 1. aiebant per potestatem miraculorum potuisse in Christo suspendi amorem visione Dei adstante: quare libere ab ea prodire. Mala solutio, quæ miracula querit. Secundò: quidnam potentiæ miraculorum cum motione voluntatis? maximè vt suspendatur amor summi boni visi clare, in quo nulla apparet ratio malitiæ Monzeus Noster d. 9. c. 11. quia non cogitur voluntas adperfectissimum siue intensiuè, siue indiuidualiter amorem à Dei visione: quare in eius pro alio imperfectiori appositione libera est. Contra tamen: quia vt nuper dicebam ad amorem, quàmmaximum & perfectissimum potest, rapitur à visione voluntas. Scotus fine §. citat Med. 3. p. q. 19. a. 3. Valent.. supra Salas 1. 2. 11. tract. 2. d. 7. sec. 1. num. 6. Petrus Hur. d. 4. sect. 2. d. 63. sect. 1. subsect. 3. Luop. d. 27. sect. 1. & Complutenses. Recent.

cent. libertatem Christi in amore beato defendunt. quia eo ferebatur non solum in Deum eiúsque intrinseca bona, sed & in extrinseca Dei bona ex complacentia ipsius, & in proximos propter Deum: ad huiusmodi autem amorem non cogebatur à visione beata, siue hæc omnia eadem visione repræsententur, siue cognitione alia: quod parui ad libertatem vel identitatem actus refert: quidquid contendant alij; nec refert quod obiicit Soarez §. *dico secundo* eundem actum fore liberum & necessarium; liber enim absolutè actus est, quoties ad illum, secundum totam indiuiduam entitatem voluntas in actum primò determinata non est: est siquidem determinatio actiua quæ ad formalitates præcisas non est, sed ad res in indiuiduo: quæ solummodo poni possunt, vt inferiùs explicabo.

Meliùs impugnat Vazquez. c. 2. num. 7. quia tota honestas actus, quo alicui bona extrinseca volumus, est honestas amicitiæ desumpta ex bonitate personæ ob quam illum amamus: quare in omnibus actibus amoris Dei eadem erit honestas, siue ipsum solum bonaque intrinseca ex eius complacentia ipsi velimus, siue extrinseca etiam bona ex eadem complacentia ipsi amemus. Nec refert ob materiæ difficultatem bonive extrinseci magnitudinem perfectiorem actum requiri, v. g. ad obeundam mortem ob hominum salutem ex Dei complacentia, quam ad actum temperantiæ. Cum enim semper intra eandem honestatem amicitiæ, & amoris Dei sit, atque ad totam perfectionem, & intensionem amoris voluntas Christi Dei visione rapiatur, vt isti admittunt Doctores, nequit esse quoad honestatem & laudabilitatem, in qua solum fundari meritum potest, vlla libertas, licet ad physicam huius actus præ illo æque perfecto moraliter positionem physica libertas esse possit: quæ satis per eosdem non est ad fandandam laudem, & meritum, atque ad gratitudinem & remunerationem vllam obtinendam, sicut vnius scuti debitor quod hoc præ alio offerat Creditori nil ex illo laudis, gratitudinis, aut remunerationis promeretur. Sed domus hunc actum amoris, quatenus bona Dei extrinseca attingit, liberè aliquid honestatis habere, ac proinde libertatem circa honestatem exerceri, saltem quatenus attingit bonitatem Dei præcisè, nil præstat dignum laude remuneratoria, licet physicè sit liber: ergo quatenus amor Dei præcisé non est meritorius, consequentia est certa. Antecedens probo; quatenus attingit bonitatem Dei non prestat aliquid melius alio actu apponendo circa Dei bonitatem solam, nisi hic circa extrinseca apponeretur etiam: ast, licet ponatur aliquid æquiualoris cum alio necessario apponendo, nisi illud apponeretur, in eo quod valorem æquat, nil ponitur dignum laude remuneratoria vt scutorum exemplo conuinci aduersarij putant: ergo actu amoris, quo extrinseca etiam amauit Christus, appositio, quatenus Dei bonitatem attingebat, nil posuit dignum laude remuneratoria.

4 Negant Recentiores suppositum antecedentis primi. Cùm enim actus ille in Dei bonitatem & extrinseca bona tanquam in obiectum formale & materiale feratur, implicat in vnum ferri, quin in aliud: quare antecedens implicationem supponit, dum ait: actus quatenus tendit in bonitatem Dei præcisè atque apertè est de subiecto non supponente. Contra: quia licet implicet hunc actum physice ferri in Dei bonitatem, ac non in extrinseca bona; Ast non implicat huius actus tendentiam referri per intellectum in Dei bonitatem, quin referatur ad bona extrinseca, maximè in horum Recentiorum doctrina, quin eum actum ab vtroque specificari in ratione honestatis arbitrantur, quod intelligi nequit, nisi vtriusque influxu obiectiuo: quare sicut idem influxus à Deo physice, & creatura indiuisibiliter prouenies referri nihilominus ad alterum principium mente potest, quin ad aliud: imo relatè ad creaturam turpis, vitiosus, ac vituperabilis esse, relatè verò ad Deum honestus & laudabilis: ita etiam actus amoris referri optimè poterit ad Dei bonitatem, quæ alterum principium obiectivum est, quin referatur per intellectum ad bona creata & extrinseca, quæ sunt eiusdem actus principium obiectivum alterum. Secundo licet actus concipi nequeat tendens in obiectum materiale, quin in formale, Ast in formale quin in materiale tendens intelligi optimè potest: Ast Dei bonitas est obiectum formale huius actus, quo Deo, extrinseca, etiam ex ipsius complacentia Christus voluit: ergo rectè potest actus concipi tendens in Dei bonitatem, quin concipiatur in extrinseca tendens; licet non è contra in hæc extrinseca quæ materiale obiectum sunt, tendere, quin in Dei bonitatem concipi queat: Confirmatur in electione, in qua respectum ad finem à respectu ad media mente discernimus, quæ diuidimus, siue formali siue obiectiua præcisione iuxta opiniones varias; Confirmatur secundo: in respectu ad finem, *qui*, & finem *cui*, qui est casus noster, quos philosophi omnes mente discernunt.

5 Tertio: non dubitant aduersari, quin tanta laude remuneratoria dignus non sit, qui hunc elicit actum, cum alium circa Dei bonitatem necessariò elicere debeat, atqui ille, qui ad nullum actum adhuc sub disiunctione ponendum coactus hunc poneret; ergo datur locus comparandi huius actus honestatem, eiusque laudabilitatem cum laudabilitate, & honestate minimi ex his, quorum aliquis necessario erat apponendus, nisi hic appositus esset, vt secundùm id, quo superat, laudem habere remuneratoriam conuincatur, non secundùm id, quo æqualis est: id quod hoc exemplo confirmo. Pone Ioannem debere Petro adamantem vnum valoris tanti, qui æqualis valoris alio solnendus necessario erat nisi alio solueret, qui ob qualitates meliores illum valore excederet, in quo diuidi æqualis valor ab excessu nequit. Si hoc pretiosiori soluat merebitur ne gratitudinem ob id, quo equat debiti valorem, an ob id, quo illum excessit? certè ob excessum: ergo cum Christus necessariò ex visione debeat Dei bonitatem amare quantum possit, cum ponit actum quo etiam extrinseca Deo amat, in hoc solùm laudem, & gratitudinem meretur non autè in illo quo æquat actum debitum, qui in Dei bonitatem solùm tenderet: æquat autem, quatenus tendit in Dei bonitatem: ergo, quà talis, non est meritorius. Et sane posse duplicem hanc tendentiam actus circa materiale & formale obiectum intellectu & æstimatione in Recentiorum principiis disiungi (cum doceant merita Christi pro motiuo incarnationis esse potuisse, secus pro incarnatione, quæ decreti illius erat materiale obiectum) certissimum est.

CERTAMEN II.

Amore Dei Christus de facto fuit promeritus.

1 DIco primo amore regulato per infusam scientiam Christus potuit mereri. Est contra Vasquez, & cum ipso citatos cert. 1. num. 1. Probatur. Potest dari Christo visio beata pro posteriori naturæ ad actum amoris regulatum ex scientia infusa, quia ob eum saltem, tanquam conditionem donetur, si renuas tanquam meritum: atqui tunc visione cogeret voluntatem ad amorem illum, ergo libere prorsus, & meritorie eliceretur. Minor probatur: quia in eo casu visio non se teneret ex parte actus primi, licet posset aliàs; atqui non se tenent ex parte actus primi ad actum, & nequeunt indifferentiam voluntatis, ad illum abolere, ac proinde cogere ad illum voluntatem: ergo in eo casu visione cogeret voluntatem ad amorem: Minor est certa, & probatur rursus; sicut enim

enim ea, quæ possunt de se ad actum secundum libertatis spectare, si dentur tamen independenter ab vsu libertatis & ante illum libertatem in actu primo impediunt (vt patet in gratia datâ ante & independenter ab vsu libertatis ad peccatum quæ impedit per omnes libertatem in actu primo ad peccatum) ita ea quæ de se ad actum primum libertatis spectare possunt, si dentur de facto dependenter ab vsu libertatis, siue à libertate in actu secundo, nequeunt libertati in actu primo officere.

Dices maiorem implicare: Nam principium determinans in actu primo, nequit assistere voluntati, quin se teneat ex parte actus primi ac libertatem impediat, vt patet in physica prædeterminatione, & in Deitate; quæ quia in actu primo impedit libertatem ad peccandum ac determinat ad non peccandum, nequit assistere, quin determinet, ac impediat libertatem, seque ex parte actus primi teneat: quare cum visio beata determinatiua amoris sit, nequit non se ex parte actus primi tenere ad illum: cum quo implicat dari dependenter & posteriùs natura ad amorem. Negatur tamen assumptum exemplum primum; negant etiam Recentiores, quia physicam prædeterminationem dari in præmium operis ad quod prædeterminat posse autumant. Sed malè: quia ea est concursus præuius diuinus necessario requisitus à causa ad opus edendum: ac proinde repugnat esse posteriorem natura ipsa. Ex quo patet disparitas ad nostrum casum de visione, quæ necessarium, aut essentiale amoris Dei principium non est, quare neque assumptum vniuersim probat: sed de essentialiter requisitis determinatis principiis ad actum.

2 Secundum exemplum difficile etiam est contra eosdem Recentiores, qui vel casu, vel aliàs in modum nostrum primum antecedentis impeccabilitatis inciderunt. Respondeo tamen, eo etiam admisso, negando consequentiam. Etenim, vt bene Anselmus, duplex impedimentorum liberæ potentiæ in actu primo genus est: alterum impedientium influxiuè respectu alterius extremi ad quem potentia libera est: alterum impedientium purè impeditiuè, detinendo solùm sui assistentiâ potentiam ne in actum prodeat, quin influant in oppositum: huiusmodi sunt compedes & vincula, quæ in præsentiam in loco, in quo detinent ligatum incompossibilem eum, alia minimè influunt, & tamen detinent, ne aliam ligatus acquirat, sola sui assistentia; quare implicat huius generis impedimenta adesse quin ex parte actus primi potentiam impediant; ast quæ influxiuè impediunt quoties locum ad influxum in extremum oppositum non habent, solâ sui assistentia non impediunt: non habent autem locum, quoties post vsum potentiæ liberæ circa vnum extremum donantur: quare nisi principia essentialiter, ac necessariò requisita ex parte actus primi, & potentiæ ad operationem sint, dari dependenter ab vsu libertatis possunt, atque eam in actu primo non lædere. Hinc, cum Deitas libertatem voluntatis in actu primo ad peccandum non influxiuè impediat, sed impeditiuè solùm, tenendo voluntatem ne in peccatum eat, solâ sui existentia libertatem voluntatis in actu primo lædit: quare implicat aliquando assistere, & in actu primo libertatem non impedire, necnon se tenere quandocúmque assistit ex parte actus primi: seu, quod idem est, dari dependenter ab vsu libertatis ad peccandum, & non peccandum, seu dependenter à negatione libera peccati; At verò cum visio Dei impediat libertatem ad amorem Dei influxiuè intentionaliter mouendo, seu rapiendo ad amorem, nec sit principium essentialiter requisitum ad illum (siquidem amor idem scientiâ infusâ causari posset) suâ assistentia in eodem instanti non impedit libertatem in actu primo ad amorem; quare potest dari dependenter ab amore libero, ex scientia infusâ pro priori naturæ habito, nec libertatem in actu primo ad amorem lædere.

3 Porro hæc ratio conclusionem probat, etsi visionem beatam ex parte actus primi ad amorem positam libertatem ad illum abolere, totamque meriti rationem ab illo tollere, admittamus, quod falsum esse infra paulo ostendemus, ex quo conclusio hæc ampliùs confirmabitur; Nihilominùs dico secundo: amore regulato per scientiam infusam solùm Christus de facto promeritus non fuit; videatur fortasse conclusio hæc malè cum prima cohærere. Etenim, licet de facto visionem beatam dependenter ab amore regulato per scientiam infusam datam non fuisse probabilius sit, tamen cum visio beata libertatem ad amorem, vt nunc dicebamus, non impediat, nil videatur obesse, quominus Christus amore regulato per scientiam infusam solùm mereretur: atque ita sanè foret, si amor in Christo regulatus per scientiam infusam foret. Sed tamen eum amorem in Christo non fuisse credimus: quare ex suppositi inconstantia conclusionem affirmatiuam falsam iudicamus. Non autem fuisse in Christo amorem sola scientiâ infusâ regulatum, probo ex dictis contra Soarium cert. 1. Etenim visio beata, licet libertatem in indiuiduo in Christo relinqueret, ast, vt amaret quantum voluntas posset hoc vel illo actu, omnino rapiebat: quare nil ampliùs virtutis in voluntate, vt ex scientia infusa amaret, relinquebat. Secundo: nec ex parte scientiæ infusæ motio seu virtus motiua intentionalis ad Dei amorem erat adstante visione Dei, quæ sua efficacitate motiua inferior est, & languidiorem motionem scientiæ infusæ absorbebat prorsus: vt testimonij motiuum astante visione vel euidentia obiecti, omnino eneruatur.

4 Dico tertiò amore beato Christus meruit de facto etiam provt à visione Dei, extra aliorum rationes reieci cert. 1. Nostra sit, quia visione beata Christi Domini voluntas, licet cogatur ad totum amorem Dei, siue ad amandum Deum quantum potest, non tamen ad hunc in indiuiduo amorem. Etenim alium amorem perfectionis, & intensionis æque loco illius ponere potuit: ergo in huius indiuidui amoris positione habuit Christus physicam libertatem, atque honestè se, imò perfectissimè se gessit in eius electia: ergo & meritoriè. Probo hanc consequentiam Quia ob meritum operantis nil aliud præter operis honestatem, & libertatem operantis requiritur, vt Controu. de merito ostendebamus: & quamuis pactum, Deique promissio, ac libera ordinatio operantis in præmium requirantur, hæc amori Christi beato non deessent. Dices præterea requiri laudabilitatem remuneratoriam, quæ non est nisi exhibeatur ab operante actus maioris honestatis, & perfectionis illo, ad quem cogitur, quémque ponere aliàs debet: vt patet, inquiunt, in soluente scuto vno, cum altero posset, factum, quod debebat. In eius enim præiudicium æqualis solutione nil laudis gratificatoriæ apud creditorem meretur: licet libere hoc scuto soluat, cum posset alio: ergo nec apud Deum aliquid laudis remuneratoriæ meretur Christus, licet liberè physicè actum Deo exhibeat, non maioris honestatis, & obsequij, quàm alius, quem non posset non elicere Deóque exhibere si illum non præstaret. Vrgetur: quia honestas actus non desumitur ab indiuiduatione, sed ex tendentia ad obiectum honestum: atqui quoad tendentiam in Dei bonitatem, perfectissimè etiam, libera Dei voluntas non est: ergo nec quoad honestatem, licet libera sit quoad physicum indiuiduationis. Confirmatur vlteriùs; quia effectuum atque actionum creatarum indiuiduatio ad Deum spectat, vt physicis est notum: ergo huius præ illius amoris positione, nec Christi libertas exercetur, nec eius honestas, vel laudabilitas inuenitur.

5 Fateor Confirmationes hasce non solùm contra meritum amoris beati sed & contra honestatem militare.

tare. Verùm nec ipsæ, nec Exemplum quidquam contra alterutrum præstat, vtque ab vltimo ordiar, Nego in Christi actibus determinationem indiuiduationis à Deo prouenire, sicut in nobis. Etenim, cum Christo suorum actuum omnium in indiuiduo notitia perfectissima adesset, hunc præ illo suæ voluntatis arbitrio liberè eliciebat in indiuiduo, æque, quoad speciem; nos, à Deo, quoad indiuiduationem, quia eorum in indiuiduo notitiam non habemus, determinamur. Atque hac fortasse de causa præter illam status non vis sed quietis vulgatam rationem in beatis amor meritorius non est, quia indiuiduj huius præ illo amoris positio ab ipsis liberè non est, quia actus suos in indiuiduo possibiles non calent, vt à se ipsis ad hunc ponendum, cum possent alium, liberè non determinentur, sed à Deo. Ad primam confirmationem dicito: aliud esse vnde honestas actus obiectiue sumatur; aliud an totus actus sit honestus, & liber. Totus actus tendit in obiectum, totúsque honestus esset & liber eo ipso quòd indiuiduum physice circa obiectum honestum est; quin imo ratio specifica libera non est, nisi quatenus liberum est indiuiduum, in quo reipsa identicè clauditur. Cum enim libertas in actu primo, à qua formaliter adæquatè liber actus secundus est, sit potestas, seu potentia Physica agendi alterutrum extremum, si sit contrarietatis libertas, vel agendi, & non agendi, si sit contradictionis, nilque fieri, quoad speciem præcisè possit, sed solùm in indiuiduo, cum actiones precisiuæ esse nequeant: nullo alio modo species libera esse potest, nisi quatenus indiuiduum, in quo est, liberum est. Quare melius dicetur determinatio ex visione beata quoad aliquod indiuiduum Vagè quam quoad speciem amoris, vt supra explicabam: nam quo ad speciem nequit esse determinatio, cum est libertas quoad indiuidua omnia distributiuè.

6 Iam ad Exemplum illud soluentis scuto vno, cum posset alio, quo conuinci contra nos intentum æstimabant Complutenses Recentiores, nullo negotio respondetur. Admisso enim exemplo in humanis, nego consequentiam in æque honesto opere cum illo, qui inexhibendus alias foret, nisi hic libere exhiberetur. Ratio disparitatis in aperto est; homines quippe ea solum æstimant, quæ in suam commoditatem, atque vtilitatem cedunt: vnde in pecunia, qua soluitur, solum æstimant valorem quo ditescunt, quare cum idem potius in scuto hoc quam illo sit, quo debitum æque solueretur, huius præ illius electionem parui, vel potius nihili faciunt. At verò Deus, qui summæ suæ independentis omnino felicitatis iure, nullam è nostris operibus vtilitatem captat, licet æquos honestate actus liberos æque æstimet, quin alterum alteri æstimatione præferre possit, in quouis eorum liberè elicito complacet, quemuísque laude dignum iudicat, & præmio; quo circa vt mei ingenij tarditatem, vt decet, planè profitear, admissâ actus eliciti in indiuiduo libertate atque honestate ex obiecto (vt in amore Christi beato admitti necessario debet) quo pacto negari ipsius meritum possit, non satis capio. Scio in actu appositio ex æqualibus maiorem æstimationem moralem defendi, quia eius appositio melior gratiórque Deo est sui omissione præcisè sumptâ, cui ex actus alterius æqualis necessariâ appositione, si ipsa appositi huius adesset omissio, æstimatio moralis non accederet, ac proinde æstimabilius absolutè gratiúsque Deo est, hunc actum, qui de facto apponitur, apponi quàm omitti, imò & quam alium actum ex eâ omissione huius apponi; Quia cùm necessariò ex illa apponeretur, physicâ etiam necessitate, neque honestè, neque laudabiliter apponeretur. Quare, etsi omisso hoc actu appositio, alius Deo exhiberetur ex obiecto honestatis æqualis, non tamen moraliter honestus, ac proinde neque honestatis æqualis, quia non libere sed necessario apponeretur. Quod ipsum inueniretur in alio actu, si apponeretur ex libertate contradictionis ad ipsum & sui omissionem, ac non ex præsuppositâ omissione actus æqualis alterius, sed, vt dixi, ex sola libertate physica quasi contrarietatis inter actus ipsos æquales sine hac consideratione saluatur sufficienter alterutrius honestas formalis moralis, quare & alterutrius meritum apud Deum.

7 Dices rursus sicut de ratione meriti est liberum esse, ita de ratione præmij esse alias indebitum: atqui esse indebitum alias in indiuiduo, cum debetur ex indiuiduis æqualibus, hoc vel illud satis ad præmium operis non est: (nec enim laborem mercenarij, aut opificis præmiabis ex eo quod aureum aliàs ipsi debitum hoc potius quam illo aureo soluas) ergo nec liberum esse in indiuiduo, cum ad aliquod ex omnino æqualibus præstandum adest necessitas, satis ad meritum operis erit. Respondere nonnulli dicuntur Deum, qui lucrum ex operibus nostris, seu commodum vt præmiet illa non quærit, sicut in præmio creaturæ animum solum respicere operantis; qui is in apponente hoc indiuiduum opus est vt illud apponeret, etsi ad aliud æquale apponendum necessitatus non esset. Malè. Etenim vel determinatus ad aliquod ex æqualibus præstandum necessitatus est ad illud eo animo apponendum, quia is animus cum quouis ex illis indiuiduis identificatur, aut cuiusuis appositionem comitari necessario debet, vel non est ad eum animum etiam necessitatus. Si non est necessitatus, in animo erit meritum, non in æqualis operis indiuidui appositione: si est necessitatus ad eum animum vel æqualem, recurrit in eo etiam animo argumentum quo minus meritorium esse possit. Suspicor hanc animi solutionem ab aduersariis eo animo supponi, vt facile impugnarent: cum facilior alia suo argumento statim occurrat, nempe, ad præmium commodum creaturæ requiri: quare quod nullam de nouo affert materiam præmij nouo merito non esse; ad meritum autem nullum Dei præmiatur commodum ex opere nostro quæri posse, sed solam operis honestatem, quæ libertate operis honesti in indiuiduo seruatur.

Dices iterum; ideo eliciens actum indifferentem non meretur, quia non magis placet Deo actus ille, quàm eius omissio alias necessariò apponenda; Atqui indiuiduis hic actus appositus non magis placet Deo, quam actus æqualis alias necessario apponendus: ergo hunc præ alio in nostro casu eliciens non meretur. Sed negatur Maior, possétque negari suppositum; actus enim indifferens non solum non magis placet, sed neque placet in ordine morali, cum bonitatem moralem, seu honestatem non habeat. Achillem aduersariorum argumentum exarmabimus oportuniùs, q. 3. cert. 4. n. 4. & 5.

QVÆSTIO III.

An in præceptis Christo operibus libertas ac meritum fuerit.

QVOCIMVS supra Christum qua hominem inter alia, obeundæ præceptum habuisse contra Victoriam, Lorcam, & alios; docuimus item cum omnibus Christum, quâ hominem etiam esse antecedenter impeccabilem: cum autem instante præcepto negatio acceptationis mortis peccatum esset, ad quod antecedenti impeccabilitate erat impeditus, fit, vt eiusmodi acceptatio fuerit Christo, quâ homini, necessaria antecedenter, eiúsque omissio impossibilis: quare nulla in acceptatione libertas, meritum nullum. Hæc difficultatis summa, cui succumbentes Doctores citati præceptum mortis obeundæ negarunt. Ei verò complanandæ nemo est, qui non

suam operam non magnopere pretio nauarit, quorum & nos laborem certè, fors & fortunam imitabimur.

CERTAMEN I.

Aliquorum fuga præoccupatur.

1 Difficultate perculsi, licèt dissimulatiùs, æque tamen, atque Lorca, fugerunt Lugo d.26.sect.8. Vuadingo d.9.dub.2.§.2.Bernol.d.52.sect.5. Admittētes enim præceptum de acceptandâ à Christo oblatâ à Iudæis morte; ast eiusmodi præceptum aiunt dispensabile fuisse, sicut & humana sunt, & fere omnia diuina: vt absque Dei mutabilitate dispensationi sit locus: quare vel formaliter vel implicitè conditionatū ex parte obiecti, sicut dispensabilia reliqua, fuit: nimirum, nisi Christus dispensationem relaxationémque petierit. Quo fit, vt pro nullo instanti absolutum prorsus præceptum, & obligatio fuerit, quousque negatio petitionis Christi de dispensatione & relaxatione præcepti fuerit: cum autem petitio hæc libera pro quouis instanti Christo fuerit, & liberum Christo fuit pro instanti quouis & præceptum & obligationem abolere atque à negatione acceptationis malitiam diuidere, liberéque sine vlla antecedentis suæ impeccabilitatis repugnantia accepta re: eam vero præcepti huius ex parte obiecti conditionem probant ex illo Matthæi 26. *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum.* Posito autem absoluto ex omni parte præcepto de obeundâ, siue acceptandâ à Christo morte, neque hic rogare licitè patrem, nec impetrare posset Angelos, qui ipsius passionem impedirent. Sed certè locus nil probat, vt vidimus contr.4. d.2.q.3. cert.2. num.5. solùm esse orationem, & impetrationem impedimenti per Angelos ne passio & mors à Iudæis offerretur inferretúrque, non autem, vt iam oblatâ præceptum, quod de acceptatione mortis iam oblatæ fuit, relaxaret.

2 Sed age iam rem totam impugnemus, quia omissio libera petendi dispensationem seu relaxationem præcepti à Deo, vel debet intelligi pro priori naturæ ad mortis acceptationem, vel secus? Si non debet intelligi: ergo nec intelligitur pro illo priori præceptum eiúsque obligatio, quæ quousque conditio omissionis, seu negationis petendæ relaxationis posita sit, absolutè non sunt: Ergo acceptatio mortis ex præcepto absolutè non erit, vt aiebat Lorca, ad quem licet occultè ac dissimulato, transfugit tamen. Si autem omissio illa petendi relaxationem intelligi pro priori naturæ ad acceptationem debeat (vt verè debet cum remoueat præceptum absolutum & necessitatem in actu primo mortis acceptandæ ei oppositæ petitio) iam erit pro priori naturæ purificata conditio præcepti: quare, & præceptum, & obligatio absolutè, cum quo, & impeccabilitate Christi, ex parte antecedentis, sit acceptationis negatio, quæ peccatum est, Christo homini impossibilis, atque acceptio, nec libera, nec meritoria. Quod & est contra Paulum ad Heb. 10. & contra suppositionem quæ hac doctrinâ saluari tentatur: Quare nescio quo pacto non minus absurdum iudicet Lugo. Respet Vuadingo, seruari adhuc libertatem: sicut non semper aboletur ex intentione præsuppositæ electionis liberta. Ita n.87. Verum, si loquatur de intensione inefficaci, paritas non est; nec si loquatur de efficaci, & medium vnicum non sit, si autem de efficaci, & vnici medij electione, tenet quidem paritas: sed & argumentum de necessitate atque libertatis abolitione ab electione illa: vt Philosophis, & Theologis omnibus est in confesso.

3 Addit Lugo vt hanc fugiat difficultatem diuisionem temporis, pro quo acceptatio mortis præcepta fuit, quod præceptum in nullo instanti vrgebat. Bene: sed pone præceptum absolutum etiam ex parte obiecti ac non sub conditione negationis petitionis de relaxatione: atque eodem modo per temporis diuisionem respondebis: quare hæc non est difficultatis contra modum primum solutio, sed modus alius componendi libertatem acceptationis cum Christi impeccabilitate antecedenti, & absoluto præcepto; & sanè licet modus hic secundus bene, altiúsque hactenus penetratus difficultati satisfaciat, non tamen vt à Lugo penetretur. Obiicit enim sibi, vel præceptum vrget pro vltimo instanti durationis, vel non; si non vrget, frustra recurritur ad temporis diuisibilitatem, vt saluetur acceptationis libertas, cum in vnico instanti non vrgeat præceptum, & saluetur: si vrget, ergo pro eo est impossibilis acceptationis negatio: ergo & præceptum de acceptatione meritoria, vtpote de re pro eo instanti impossibili non est pro illo possibile, sed pro antecedenti immediato, in quo instauratur idem argumentum, & sic in anterioribus & anterioribus omnibus. Refugit primo ad chaos partium proportionalium temporis. Mala solutio, quæ tenebras amat à nemine intellectas atque in tenebris suis, pro continuo præcipuè successiuo, clarè à nobis confutatas.

Respondet secundo pro vltimo instanti præceptum esse sub conditione quod Christus relaxationem non petat. Malum. Ecce solutiones circulares. Etenim cum in hoc præcepto vrgetur, recurrit ad temporis diuisibilitatem, dum in hac versatur, ad suum illud præceptum: sed argumento illo nescio cur prematur; est enim purus paralogysmus probans nullum potuisse operis alicuius meritorij præceptum imponi. Cuius solutio facilis est, præceptum de se non esse de merito impossibili de se, sed ex suppositione, quod non fuerit in instanti vltimo opus exercitum: quod ita fuerit non iubetur.

4 Secundo alij præcepti obligationem conditionatam fuisse aiebant, sub conditione acceptationis præcepti Christi, quæ in ipsa obseruatione consisteret: atque ita argumentum contra se à Lugo factum vitarunt ex parte, qua ex præsuppositione naturæ acceptationis, vt ex præcepto operaretur abolendam in acceptanda morte libertatem & meritum ostendebamus num.2. sed tamen, & ad Lorcam migrant aperrè vocántque præceptum, quod vix absolutè consilium est, cum enim obligatio præcepti, vel ipsummet præceptum sit passiuè sumptum, vel illud indiuè & necessario comitetur, licet, vt tale sit, requiratur in humano præcepto subditorum acceptatio, eo solum modo, quo obligatio est, & præceptum erit: quare, si ante acceptationem Christi obligatio eius absolute non erat, in quocumque ponatur acceptatio, nec erat absolute præceptum, sed vix consilium. Patet: nam, cum acceptatio præcepti esset ipsa acceptatio mortis præcepta, esset præceptum hoc *accepta mortem, si acceptauerit*: quod ne consilium quidem est. Ecquis autem non rideat Principem ita præcipientem: *Nemo cædat ligna, si non cesserit*? Ex quibus infertur Christum Dominum non ex obedientia, & præcepta mortem acceptasse contra communem sensum Theologorum: tum quia ad id opus est, vt præceptum ponatur pro motiuo, adsitque ante rei præceptæ executionem absolutè, quo in casu nostro tolleretur in acceptanda morte libertas: tum quia in præcepto hoc Christus non se confirmabat præcipienti superiori, sed Deus potiùs se voluntati inferioris humanitatis. Denique licet humana præcepta de se conditionata sint sub conditione acceptationis subditorum, qua posita, absoluta sunt, quia, vt docet Iustinianus instituta de iure natur. gent. & ciuili populus in Principem eam potestatem ferendi leges contulerit; ad populo proficua, secus habent præcepta diuina, quæ vt absoluta sint

& obligent, acceptationem creaturarum non expectant naturâ suâ, sed solùm quando ita Deus vult præcipere: de quo, vt asseratur euenisse, constare debet; non constat autem id de præcepto mortis acceptādæ à Christo: quare hæc absque vllo fundamento sunt dicta.

5 Recentiores Complutenses respondent præceptum hoc positum fuisse post acceptationem præuisam Christi de morte oblata; non secus atque certus ex reuelatione de ieiunio crastino Confessarius potest illud in pœnitentiam tibi iniungere: quo in casu obligatio præcepti posterius naturâ, libera acceptatione esset: quare nec huius libertati, nec merito obesset: & tamen præcepto satisfieret: sicut, & præcepto confessarij in subdito. Ac sicut, qui Diei festi ignarus, ac proinde ante obligationem, sacrum audiret, præcepto satisfaceret, nec, si postea sciret Diem festum esse, aliud sacrum audire teneretur. Sed hoc difficultatem fugit de libertate acceptationis instante præcepto in Christo antecedenter impeccabili: nunquam enim præceptum instaret. Secundo inutile ad rem præsentem est. Siquidem, & si ita potuisse præceptum disponi admitteremus, tamen, cum sic dispositio præceptæ rei executio ex obedientia formali non esset, Christus autem ex formali obedientia mortem acceptauerit, & passionem (vt constat ex illo *non sicut ego volo, sed sicut tu, non mea voluntas, sed tua fiat*, docentque communiter Theologi:) non ita fuisse dispositum in Christo acceptandæ mortis præceptum fatendum est; sed potiùs ante acceptationem absolutam mortis impositum ex parte obiecti voluntati Christi ob erasse, vt ob illud ex obedientia formaliter mortem acceptare posset, vt acceptauit?

6 Tertiò Demum: cum præceptum natura sua actiuum, directiuum, & coactiuum sit, vt aliquid fiat, vel non fiat à subdito, nequit de iis, quæ facta omnino supponantur, ferri, nec hæc obedientiæ materiales adhuc esse, quæ præceptum non supponant. Ecquis enim non videat iubentem aliquid factum fuisse priùs vel tempore vel natura? Respondent Recentiores pro posteriori præcepto, posse Christum iterum acceptare mortem, atque externum actum ab vtráque acceptatione venire: à prima quæ obseruatio esset, liberè quidem, quia propriori ad præceptum, à secunda verò, quæ suppositā obseruatione libera etiam esset ex obedientia formali & meritoria. Contra quia, vt dicebam, nequit esse præceptum de factis priùs, nec hæc eius adhuc materialis obseruatio, quæ præceptum naturâ suâ supponunt: licet semel posito præcepto de posterius natura faciendis, si ex eius vel circunstantiæ ignoratione præcepta res fiat sine obligatione formali, licet non sine obiectiua sit eius materialis obseruatio in eo casu, quod de auditione Sacri asserebatur. Nec enim opus est, vt præceptum impleatur & seruetur, quod ita obligatio pro tempore obseruationis instet, vt eius omissio peccatum sit, vt patet in audiente Sacrum primo festinante, si autem acceptatione prima præceptum obseruatum non fuit, in secunda libertas non erit, cum in eius negatione sit peccatum, ad quod humanitas Christi ob impeccabilitatem est antecedenter impedita. Exemplum alterū de pœnitentia è re non est. Nam semel depositio ieiunio alias præuiso futuro, & releuato in pœnitentiam potest præceptum illud, siue sententia confessarij de satisfactione pro reatu reliquo pœnæ peccati in illud influere; quod aliter habet in præcepto de actione prius natura facta, nec ex illo facienda à Christo, ne tollatur libertas. Teneret exemplum pœnitentiæ, si liceret imponi à confessario opus ieiunij hesternum, in quod pœnitentiæ hodiernæ iniunctio influere non potest, atque illo etiā posset pœnitētia iniuncta satisfacere. Hoc autē dicere nemo ausit, licet ex tua hac doctrina facile deducatur id quod nec leuis eius impugnatio est, nec exiguum falsitatis argumentum.

CERTAMEN II.

Aliorum solutiones directæ confutantur.

1 Hactenus impugnati, ex absoluti præcepti vel eius præcedentiæ ad mortis acceptationem negatione, hypothesim quæstionis & veram quidem, non difficultatem soluebant: iam quia admisso absoluto præcepto, & eius ad acceptationem præcedentiâ difficultati directè respondent, referendi sunt, & qui non satisfecerint, refellendi; Thomistæ nonnulli cum Albarez de incarnatione d.46. num.18. ad solutiones pro libertate cum physica sua prædeterminatione seruanda de sensu composito, & diuisio præcepti, vel vnionis recurrunt; sed hoc satis reiectum est à nobis, variis in locis physicorum de anima, de scientia, de voluntate, de prædestinatione, de auxiliis. Secundo alia ad principia extrinseca quæ libertatem lædere nequeant. Sed hic extra chorum, cum vnio, posita materia peccati, à præcepto intrinseca sui existentia reddat omissionem acceptationis mortis humanitati impossibilem, & quamuis extrinseca principia sint, posse determinatione sua, & connexione cum altero extrema libertatem abolere ostendimus sæpè controuersiis, de scientia, voluntate, prædestinatione atque hic controu.2. q.3. Tertiò Thomistæ alij memorati, q.3.cert.2. ad potestatem miraculorum Christi possent recurrere, qua ea determinatio rei præceptæ derineretur: sed quid hæc ad peccandum humanitatem expediret, vt faceret antecedenter peccabilem? Etenim impedimentum in genere causæ formalis ab vnione ponitur, quare, ne adeo quidem, nedum à potestate creata, auferri potest nisi vnione sublata.

2 Quartò Thomistæ alij apud Suar. d.37. sect.3. Moncæum d.9. c.6. aiebant, in omissione ipsa rei præceptæ peccatum non adesse, sed solùm in actu reflexo, quo velimus omittere, seu non obseruare præceptum: Vnde cum acceptationis præceptæ Christi de morte sua negatio peccatum non sit, adhuc posito præcepto nec cum antecedenti ipsius impeccabilitate pugnabit: eritque proinde ipsi antecedenter possibilis: quare, & acceptatio mortis libera, ergo meritoria.

Contra primo: quia, si omissio rei præceptæ peccatum in se non sit, sed in actu reflexo, à quo causatur, nullum esset peccatum certum omissionis: cum non constet certo, an id pura omissione præstet, an actu positiuo; nec quisquam ob purām omissionem posset puniri: quandoquidem ob incertam culpam certa pœna imponi iustè nequit; secundo: omissio rei præceptæ sæpe non causatur ab actu reflexo, quo nolimus non exequi & obseruare præceptum, sed à volitione rei de se aliàs honestæ, vel, si turpis, non in eo genere, in quo obseruatio præcepti, aduersatur: ergo nunquam, vel rarò peccabitur contra præceptum.

Quod si dicas volitionem rei cuiusque cum obseruatione præcepti incompossibilis peccatum esse, inde contra te infertur in ipsa omissione esse malitiam & culpam, cum volitio aliàs honesta nequeat ex obiecto malitiam trahere, sed solùm ex omissione quam causat: quod fieri non posset, nisi omissio ipsa mala esset. Etenim causæ rei de se non malæ, sed solùm indifferentis malitia inde non accrescit. Ratio à priori, quia quidquid directè opponitur, legitimo præcepto, maximè diuino, directè, & in se peccatum est: atqui omissio operis præcepti, directè opponitur præcepto, atqui in casu nostro omissio acceptationis mortis in Christo præcepto diuino: ergo & peccatum esset, si adesset.

3 Quintò Molina 1.p.q.14. d.18. nu.4.§. *argumentum nos cogit.* Soar. supra solutione 4. & Recentiores alij respondent præceptum debere à Deo imponi

nonniſi poſt ſcientiam auxiliorum efficacium conditionatam, ne humanitas vnita peccandi periculo exponatur ob idque teneri Deum præcepto poſito ad eadanda, quibus nouit humanitatem Chriſti fore mortem acceptaturam quæ auxilia neceſſitatem antecedentem acceptationis non inducunt, ſed conſequentem ſolùm, vt patet. In primis doctrina hæc locum non habet in præceptis naturalibus, quæ à Deo neceſſario imponuntur, Chriſtóque quà homini impoſita pro eo ipſo ſigno ſunt, quo homo extitit. Secundò, vel his poſitis auxiliis & horum debito & exigentia, Chriſtus manet antecedenter peccabilis, vel antecedenter impeccabilis; ſi manet antecedenter peccabilis, vt ij aſſerunt, deſtruitur caſus diſputationis: atqui ratione exigentiæ & auxiliorum gloria impeccabilitatis ipſi peribit: ſi autem manet antecedenter impeccabilis, manet quidem caſus diſputationis, ſed & integra difficultas: erit enim ipſi acceptationis mortis omiſſio antecedenter impoſſibilis, neceſſariáque antecedenter acceptatio; quare nec libera nec meritoria. Denique iuxta hunc philoſophandi modum non magis impeccabilis Chriſtus erit, quàm confirmati in gratia, vt ſic confirmati: licèt de ſe nec confirmari exigant nec dari certo neceſſario ipſis auxilia debeant. Poſſet Molina rurſus reſpondere, quod pro impeccabilitate Chriſti, qua beatus eſt cum libertate operis præcepti componenda reſpondit: quodque ex ipſo, & Bruitz cum beatis omnibus commune *controuerſia de Beatitudine* refellemus. Nempè: Deum poſſe cohibere influxum vnionis in obſeruatione præcepti: quare, & hanc obſeruationem poſſe non eſſe: ac proinde liberam acceptationem mortis eſſe poſſe: ſed in primis falſo aſſumitur vnionem determinare ad non peccandum influxiuè, at influendo in obſeruationem præcepti: cum oſtenderimus ſuprà vnionem ſua formali aſſiſtentia, & coniunctione phyſica Deitatis ac perſonæ diuinæ per illam impedire antecedenter peccata humanitatis vnitæ redderéque illam antecedenter impeccabilem ſeu determinatam ad non peccandum ſine vllo influxu, quare manente vnione non poſſe adhuc diuinitus impedimentum hoc peccandi auferri; contrà ſecundò: quia iam faciunt Doctores iſti humanitatem Chriſti potentia abſoluta antecedenter peccabilem: quod Chriſti humanitati inglorium eſt atque ob rationem proximam falſum. Tertiò eligant, an decreto Dei de cohibendo vnionis influxu ad præcepti obſeruationem relinquatur humanitas Chriſti impeccabilis antecedenter necne? ſi non relinquitur, deſtruitur quæſtionis ſuppoſitum, & admittitur humanitas vnita antecedenter peccabilis: ſi relinquitur, negatio acceptandi mortem eſt humanitati antecedenter impoſſibilis, & acceptatio neceſſaria, non libera & meritoria, vt contenditur difficultate propoſitâ.

5 Sextò alij plures ex referendis pro ſequentibus modis ad introeuſionem acceptationis mortis recurrunt, quæ præcepta à Deo non fuit, ſed vltra abſolutam acceptationem præceptam à Chriſto Domino exhibita: Quare & ſine peccato potuerit omitti ac proinde eius omiſſio cum antecedenti impeccabilitate humanitatis ſtare potuit: id quod ſatis fuit, vt patet, vt liberè à Chriſti voluntate mortis acceptationis intentio ac meritoriè exhiberetur. Atque hic ſanè componendæ difficultatis modus aptior multo hactenus enumeratis, confutatiſque eſt, tum quia difficultatem non fugit, tum quia ſtatum quæſtionis non deſtruit, tum quia humanitati Chriſti antecedentis ſuæ impeccabilitatis gloriam adſeruat. Diſplicet tamen primo: quia in mortis acceptatione ſecundum ſubſtantiam, nec meritum nec libertatem tuetur, cùm hic & nunc præceptam, ac neceſſariam antecedenter fuiſſe fateatur, ſed ſolùm in gradu aliquo intenſiori. v.g. in gradu ſecundo, ſi præcepta fuit in gradu primo intenſionis, vel vno. Cùm tamen in tota ſubſtantia acceptationis ſaluari poſſit & meritum & libertas, vt ſtatim videbimus; ſecundo: cum gradus huius individuæ acceptationis primus, vel eſſentialiter, vel per accidens ſupponatur naturà ad ſecundum, (vtad intenſiuam continuationem oportet iuxta varias opiniones de eſſentiali vel ſolum accidentali graduum ſubordinatione) Quare mors acceptata prius à Chriſto abſolutè per primum gradum acceptationis ante liberam acceptationem per gradum ſecundum: ergo in morte, vt abſolutè acceptata à Chriſto, meritum & libertas non eſt: non libertas & præmium in primo gradu præcepto, quo mors abſolute ponitur, nuſquam eſt, ſed poſt illum. Tertio ſatisfactio præcepti in primo gradu intenſionis perficitur, quin vlterior intenſio opus ſit ad ſatisfactionem; ergo vlterior intenſio huius acceptationis ex obedientia non eſt formaliter, nec ex præcepto: quemadmodum audire ſecundum Sacrum in die feſto poſt primum auditum, nec ex obedientia, nec ex pacto eſt, ſed ex conſilio. Cum ergo in ſola intenſione acceptationis mortis fit libertas & meritum redemptionis conſummatæ, fiet, vt morte ex merito obedientiæ Chriſtus non conſummauerit redemptionem contra communem Theologorum, &, quod præcipuum eſt, Pauli ſententiam *factus obediens vſque ad mortem.* Denique vrgentius: quia, vt dicebamus ſupra, vnione hypoſtatica non ſolùm determinatur humanitas ad obſeruationem præceptionis ex parte antecedentis, ſed etiam ad conſiliorum obſeruationem, intenſio autem illa acceptationis ex conſilio eſt, quare in illa reſtat eadem difficultas componenda.

6 Septimò: alij, apud Lugo, reſpondent duplicem acceptationem mortis in Chriſto fuiſſe: quarum alterâ impleretur præceptum illíque ſatisfieret; alterâ verò ſupererogatoriè à Chriſto liberéque exhiberetur, & meritoriè, atque adeò æſtimabiliter. Non ſecus ac ſi quis ſcutum alteri debens, non vnum ſolùm, ſed duo ei daret, altero quidem debitum ſoluet, altero quidem creditorem ad gratitudinem vel compenſationem obligabit. Solutionem hanc adeò frigidè impugnat Lugo, vt eius impugnationes referre, refelléque ſuperſtui & inutilis laboris fuerit; ſic ergo ſolutionem refello ex proximè dictis. Nam in primis, vt altera acceptatio libera ſit meritoria, debet altera ſupponi exhibita, quâ præcepto ſatisfiat: ea autem mors, quatenus à Chriſto eſt, abſolutè ſupponetur; vnde morte vt acceptata abſolute à Chriſto, non conſummabit meritoriè Chriſtus redemptionem, ſed vt ſecundo, acceptata. Siquidem mors Chriſti non niſi poſt ſecundam eius acceptationem fuit: cum ſecunda, quæ vitam neceſſario ſupponit (maximè, cum ea ſolùm meritoria eſſe in horum ſententia queat) poſt mortem abſolutam eſſe nequeat. Secundo non ex obedientia formaliter, ſed ex conſilio morte meritoria redemptionem conſummabit, vt nuper dicebam. Tertio cum ipſa acceptatio ſecunda ſupererogationis intra conſilium ſit, eadem difficultas, quæ hac ſolutione complanabatur, attollitur aliunde, vt nunc expendebam. Etenim non ſolùm ad præcepti, ſed ad conſilij cuiuſvis obſeruationem humanitas Chriſti determinata antecedenter ex hypoſtatica vnione fuit. Vt ergo preſſius, ſubtiliúſque, nec metus ſpecie, difficultas non fugiatur ſed euacuetur, vnico indiuiduo actu eodem, quo mors à Chriſto Domino acceptata fuit ſecundum totam intenſionem quam habuit de facto, & præcepto de acceptanda morte tali factum fuiſſe, & tamen illo non obſtante impeccabilitate humanitatis antecedente, libere ac meritoriè redemptionem noſtram morte ſic ex parte Chriſti poſita ex obedientia fuiſſe conſummatam, oſtendendum erit.

CERTA

CERTAMEN III.

Duplex componendæ difficultatis modus antiquus inſtauratur.

1 S. Th. in 3.d.18. q.1.a.2. q.19.de veritat. a.6. ad 1. 3. p.q.18.a.4.ad 3.Alex.3. parte q.26.num.2.a.2. Sotus de nat.& grat. c.7. Vaſquez d.74.c.5.Valent.d.1. q.9.punct.2.§.*magis igitur*. Scar.ſect.4. verſu *Tertio de actibus*. Leſſius de præd.Chriſti ſect.3. Becan. cap. 13. q.2.Monceus d.9.Marac. d.44 Gaſpar Hurtad.d.14.diff. 3.num.15.Granad.tract.13.d.3.ſect.3.docent mortis acceptationem hanc Chriſti, & præceptum impleſſe, & liberè ac meritoriè præſtitam duplici ex cap. fuiſſe. Primò, quia eius motiuum, v. g. obedientiæ, aut charitatis præceptum non fuit, ex quo fuit elicita. Secundò, quia præſtita à Chriſto fuit ante vltimum inſtans temporis, pro quo erat præcepta: Quare, & libera, & pro quo ſine impeccabilitatis & obedientiæ repugnantia libera erat miſſio. Hanc tamen ſolutionem innominatus Thomiſta apud Bernal ſupra ſect.4.num.38. impiam appellat. Impius ſanè ipſe qui debitam B. Thomæ, tot tantíſque Doctoribus reuerentiam, neglexit. In ſolutione ex capite motiui poſita; illud ſolum non placet: quod aliqui vt teneat, requirunt: Nempe, vt motiuum, ex quo præſtita acceptatio à Chriſto fuerit, nobilius, quàm ex quo præcipiebatur extiterit. Putant enim non eſſe materiam gratitudinis, ſeu præmij opus, quod melius ac honeſtius non ſit, quam id, quod ex præcepto, & impeccabilitate antecedenti Chriſti Deo erat neceſſario exhibendum, cuius tamen oppoſitum oſtendemus hic concl.1.in illo etiam de diuiſibili duratione, pro qua opus præcipitur: diſplicet: quia, licet in inſtantibus ante vltimum temporis, pro quo præcipitur actus, libertas ſaluetur; pro vltimo inſtanti, ſi in antecedétibus actus præſtitus non fuerit, non ſaluatur: pro quo libertatem ſaluare, laudabilius, & fortè opportunius foret, illud autem eſt obſeruandum: mortem ſecundum ſubſtantiam adeo præceptam ei fuiſſe. Fuit enim mors, non à ſeipſo ſibimet infligenda, ſed ab inimicis, quorum actiones ipſius non erant: quare nec ipſi præcipi poterant: Vnde fit mortem ſecundum ſubſtantiam, nec meritum Chriſti fuiſſe, nec redemptionis meritiuæ meritiuum complementum; ſed conditionem ſolum, vt pretium, ſiue præmium redemptionis obtineret: iuxta illud Iſai.53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam: videbit ſemen longæuum.* Præceptum ergo ſolum fuit, *accepta, & tolera mortem à Iudæis oblatam*: ex qua interna acceptatione, & tolerantia totam libertatem, honeſtatem & meritum mors habuit Chriſti ſecundum ſe non præcepta directè, ſed in illis ſolum internis actionibus. Sicut contra, quando externi actus præcipiuntur directè, interni indirectè ſolum præcipiuntur: quatenus ſine eis externi eſſe non poſſunt.

2 Dico ergo primò. Ex eo ſolum, quod actus indeterminatè hic vel ille, in indiuiduo, vel in ſpecie, licet honeſtatis æqualis ſpecificæ aut indiuidualis necdum maioris præceptus fuerit; cuiuſuis determinati exhibitione liberè ſe & meritoriè Chriſtus geſſit in toto illo exhibendo. Ita citati Moncæ. c. 20. Merac & Gaſpar. Hurt. quo ad ſolam indiuiduationem. Probo: Præcepto hoc vel illo actu determinati ſecundum ſe totum omiſſio culpabilis non eſt: ergo, nec pugnat cum antecedenti impeccabilitate: ergo eius poſitio ſecundum ſe totam libera eſt: ergo actus hic acceptationis mortis ex obedientia ſecundùm ſe totum eſt meritorius. Patet: ſecundum ſe totum liber eſt: inſuper ſecundum ſe totum eſt honeſtus: ergo ſecundum ſe totum eſt meritorius. Dices primo, ſpeciem acceptationis huius ex obedientia eſſe determinatam ex parte actus primi: ac proinde, hunc actum ſecundum ſpeciem non eſſe liberum, ſed ſolum ſecundum indiuiduationem: inprimis, ſi præcepta ſpecies non ſit, vim non habet impugnatio. Secundo: nec, ſi actus ſpeciei eiuſdem ſint; nam actiua determinatio nequit eſſe ad ſpeciem actus ſecundum ſe, ſed quatenus in indiuiduo hoc, vel illo: nec aliter ferri poteſt in ſpeciem præceptum naturâ ſuâ actiuum, & directiuum, vt ſupra dicebam: etenim actio ad quam tendit actiuum, & directiuum, quà tale, præciſiua non eſt. Dices ſecundo ſubſtantiam huius actus non poſſe non alia actu apponi, niſi hoc apponeretur. Negatur facile: nam reipſa ſubſtantia & ſpecies huius actus non eſt magis eadem cum ſubſtantia, & ſpecie actus alterius, quam indiuiduatio cum indiuiduatione illus: ſecundo: apponeretur quidem ſubſtantia alterius, ſed libere, ſicut huius appoſita fuit. Dices tertio: acceptationem hanc mortis ex obedientia liberam quidem, & honeſtam eſſe, non autem dignam gratitudine diuina: quare nec liberam remuneratione, ſeu meritoriè. Ecquid enim dignum gratitudine, aut gratificatione præſtat, qui non potens non vnum tibi ſcutum ſoluere hoc potiùs quàm illud præſtat? in primis, ſi ſpeciei nobilioris ex motiuo non præcepto eliciatur acceptatio hæc, diſparet obiectio; ſecundo: vt dicebam q. 2. cert. 4. num.5 diſparitas ex ſcuti debito & electione huius potius quàm illius libera non autem gratificatoria, ad noſtrum caſum eſt aperta: Nam homines, ex commodo, vtilitate, & beneficio, res metimur: quare exceſſum ſolum, non æqualitatem ſolum ſoluti, cum debito attendimus ad gratitudinem; Deus autem, cum ex noſtris virtutibus commodum non capiat ſuum, vt gratas & gratificandas, habet, ſolum ſpectat operum noſtrorum liberam honeſtatem: quare eadem eſt libertas honeſta noſtrarum actionum atque meritoria apud Deum.

Subtilius, vrgentiúſque Dices: Præceptum de duplici opere, ſeu actione diſiunctim ad humanitatem, antecedenter impeccabilem æquiualet duplici præfinitioni de actione duplici diſiunctim: hæc autem tollit libertatem: ergo, & præceptum ad humanitatem antecedenter impeccabilem de duplici actione diſiunctim tolit libertatem. Minor probatur. Præfinitio de duplici actione diſiunctim æquiualet duplici præfinitioni conditionatæ, præfinio alterum, ſi hic non ponatur, & hunc, ſi non ponatur alter: atqui duplex hæc præfinitio, tollit libertatem vtriuſque actus, nam poſita negatione vnius, nequit non eſſe alter actus: ergo & in caſu noſtro. Reſpondetur negando duplicem hanc præfinitionem conditionatam tollere vtriuſque actus libertatem. Ad rationem ſubiunctam diſtinguo. Poſita negatione alterius actus propriori naturæ alter neceſſarius eſt, fateor; non poſita pro priori naturæ, ſed pro poſteriori ad alterum, nego alterum neceſſarium eſſe. Dupliciter enim poteſt ſe gerere voluntas, poſita duplici illa præfinitione conditionata, vel æquiualente præfinitione de duplici opere diſiunctim, ſeu præcepto ſimili ad humanitatem impeccabilem antecedenter: vel apponendo negationem alterius actus, prius natura, quam de alterius appoſitione deliberet: quod idem eſt, ac de vnius appoſitione libertate contradictionis deliberare prius natura, quam de alterius appoſitione libertate contradictionis, atque illius negationem præeligere: ſicque dubio procul tollitur libertas ponendæ negationis alterius actus pro eo inſtanti: quia poſita præfinitione dicta, aut præcepto, eſt negatio illa impoſſibilis, atque actus alter neceſſarius. Poteſt autem contra, natura prius apponi actus ex deliberatione illa ſatisfieri quæ præfinitioni, ſeu præcepto: tuncque libere apponitur: quia non fieret contra præfinitionem, quæ non niſi ſuppoſita alterius negatione vrgebat, nec contra antecedentem impeccabilitatem poſito præcepto, quod negatione actus pro ille priori non violaretur. Tertio poteſt apponi actus vnus alteriúſque omiſſio quaſi ex libertate contrarietatis, non cõtradictionis: quo etiam in caſu libertas omiſſionis implexa conſiderari debet cum libertate actus alterius, & huius omiſſio cum illius actus liber-

tate, quare & libertas vtriusque actus inter seſe; & tunc quidem posterius natura necessario poneretur alterius omissio, vel saltem non prius, quod satis est ad libertatem tuendam in hoc actu, qui ponitur. Sicut euenit in libertate contrarietatis à qua si ponatur odium eademmet libertate amoris negatio apponitur, liberáque est, proinde apponenti illud atque imputabilis, si præceptum amoris vrgeat, licet posito odio liber ad amorem non sit, quia libertate contrarietatis illius posuit negationem.

Porro, quæ hactenus, intelligenda sunt de quouis præcepto, de opere disiuncto, siue positiuum, siue naturale sit; si autem præceptum esset negatiuum dicendum est, si esset negatiuum generale, v. g. non mentiendi posita impeccabilitate antecedenti, non posset libertas saluari pro eo instanti, in quo vrgeret, siue vnum instans, siue tempus totum esset: solúmque esse potest in actu, quo amaretur poneretúrque omissio, meritum, & libertas ratione motiui, vt patet. Nam omissio, seu negatio quæuis directè & in se præcepta necessaria antecedenter esset, non libera; si autem præciperetur disiunctim huius vel alterius actus negatio solum, eadem ratione seruaretur libertas, ac quando præceptum est opus disiunctim hoc, vel illud. Id quod ea ratione solùm defendendum est, quam assignauimus num. 2. & 3. Nam alij aliter defendunt, quos bene impugnat Lorca cit. num. 34. Neque magis fidendum est rationibus Moncæi, d. 9. citata c. 10. quas refellit etiam Lugo cit. sect. 8. num. 112. qui huic conclusioni aduersantur.

Dices actuum nostrorum indiuiduàtio ad Deum spectat: ergo tota nostra libertas & determinatio vltra speciem non est: totáque in huius præillis indiuidui appositione libertas Dei est, non humanitatis: Quare in huius præ illius appositione, si eiusdem speciei, & virtutis indiuidua sint, nequit humanitatis libertas & meritum consistere, & hoc etiam disieci, q. 2. cert. 4. Christi enim humánitas suorum actuum indiuiduatione nouerat optimè, quare, & quoad indiuiduationem se determinabat æquè atque nos quoad speciem.

5 Dico tertio præcepto actu in indiuiduo ad humanitatem antecedenter impeccabilem ex sola temporis, pro quo præcipitur, diuisibilitate, libertas & meritum adfuit. Habet Patronos datos. Probo, quia acceptatio illa indiuidua honesta est ex obiecto, & pro primo instanti, vel parte durationis præcepto præscriptæ, vt fiat, potuit omitti sine culpa, ac proinde sine oppositione & pugna cum antecedenti impeccabilitate humanitatis: ergo actus ille liberè pro primo instanti, vel prima parte durationis, & honestè præstatur ab humanitate: ergo meritoriè. Dices elicere hunc actum in hoc loco potius, quam in illo (cum in alterutro præceptum liceret) in hoc instanti non faceret actum hunc præceptum liberum secundum se, & meritorium, sed solùm secundùm circunstantiam: ergo licere hoc tempore potius, quam illo sequenti non facit hunc actum liberum secundum subsistantiam suam & meritoriũ, sed secundum circunstantiam. Nego consequentiam, quia duratio intimiùs expectat ad esse rei, locatio autem extimiùs: quia fortasse à re durante non differt, quo ad intrinsecum, sicut differt locatio à locato: vt, idcirco esse enunciari sine duratione nequeat: possit autem sine loco & præsentia. Insuper, quia esse absolutè siue essentialiter, siue accidentaliter in loco, v. g. album esse hic, contradicit non esse album pro duratione hac alibi; non tamen non esse album heri vel cras, vt physicis est notum. Instabis posito decreto Incarnationis secundum subsistantiam, qui accelerationẽ sunt promeriti, non meruerunt subsistantiam incarnationis per nos, sed circumstantiam: quia posito eo decreto anteriori sola circunstantia temporis libera est: arqui posito præcepto sola circunstantia durationis libera est: ergo in ea sola meritum esse potest, non in subsistantia huius actus præcepti.

Nego minorem, quia nulla libertas Christi meriturí supponitur exercita circa hunc actum, nec eius positio ex præcepto: quare secundum subsistantiam poni, vel non poni in hoc instanti liberum integrúmque humanitati Christi est, ast in casu maioris decreta à Deo præmiaturo subsistantia incarnationis independenter à meritis, Dei libertas independenter ab hisce circa subsistantiam incarnationis supponitur exercita: quare nequit dependenter ab illis circa subsistantiam exercerí; quod si exercita non esset teneret paritas, nec vllus mereretur circunstantiam temporis, quin & subsistantiam incarnationis.

CERTAMEN IV.

Pro vrgentiori casu meditatio nostra peculiaris fundatur.

1 PRæfatos modos cõponendi libertatem meritúmque operũ Christi præceptorum cum antecedente ipsius impeccabilitate, licet non adeo fundatos, atque ab impugnationibus successorum recentium propugnatos, dederunt nobis Theologi antiquiores, quos supra memorauimus. Ij vero omnes in vrgentiori casu solutionem diu, multúmque desideratam desperarunt. Nempe, pro casu, quo hæc numero acceptatio mortis, vel alius quiuis indiuiduus actus pro duratione diuisibili (puta duorum instantium) præcepta fuerit, atque in principio liberè, vt potuit, Christus omiserit, an via aliqua sit, qua in secundo, & vltimo instanti præscriptæ illius durationis à præcepto in eius operis exhibitione libertas humanitatis Christi seruari potuerit? Hìc autem, & motiui, & indiuiduationis libertas, cessant: cum his numero actus præcipiatur. Temporis etiam diuisibilitas: cum pro instanti primo, pro quo ex temporis præscripti diuisibilitate omittere potuit sine culpa ac sine oppositione cum antecedenti humanitatis impeccabilitate, ac proinde liberè, ac meritoriè eũ actum præstare omiserit: ac proinde in vltimo instanti videtur æquè peccaturus, ac si idem actus pro vnico instanti præceptus omitteretur Didacus Ruiz disp. 9. de prouidentia, sect. 12. à num. 16. ait eum actum solum posse esse liberum & meritorium denominatiuè ab actu amoris Dei super omnia, elicito in instanti antecedenti durationis, qui esset explicitus, vel virtualis adimplendi præceptum in instanti sequenti. Sed præterquam, quod hoc non est liberum & meritorium esse in se illum actum in vltimo instanti elicitum, nequit liber hic amor influere in actum præceptum, nec illum denominare pro secundo seu vltimo instanti elicitum, nisi idem amor in instanti perseueret illo: pro illo autem, licet liber ipse sit in se, non tamen provt actus præcepti virtualis, vel expressa volitio est: nam erit actus volitus necessarius pro illo, aliundéque ita ponendus, vt non poni nequeat. Tertio hic modus libertatis æquè cadit in actum pro vnico instanti præceptum, atque pro plnribus disiunctim: cum tamen longè alia sit nostri cuius ratio, vt statim iam ostendam.

2 Existimo ergo actum eundem pro hoc, vel illo instanti disiunctum præceptum, humanitati Christi antecedẽter impeccabili posse in vltimo instanti liberè & meritoriè exerceri atque in primo omitti. Probatur, quia sicut actus contrarij naturá suâ incompossibiles sunt simul; ita ex præcepto de opere disiunctim, & impeccabilitate antecedenti humanitatis negatio huius actionis pro instanti, seu in instanti duplici est in humanitate incompossibilis: quare, sicut libertatem contrarietatis actuum contrariorum propter eorum incompossibilitatem implexam esse dicebamus

dicebamus, vt nequeat quis liber esse libertate contrarietatis circa vnum extremum, quin eademmet libertate liber sit circa oppositum alterum; vnde libertate, qua ponitur vnum, & alterius negatio ponitur: ita etiam negatio actus huius pro duplici instanti, ex præcepto illius pro alterutro, & impeccabilitate antecedenti in vtroque incompossibilis, implexa, eadémque est: vt negatio actus pro alterutro pendeat à positione illius pro altero. Quare negatio pro primo pendeat à positione actus pro secundo, & vltimo; & negatio actus pro vltimo pendeat à positione actus pro primo; vt ea libertate contrarietatis, vel quasi contrarietatis ponatur negatio in instanti altero, licet posita ex libertate contradictionis ad negationem, & actus negatione in primo instanti posita nequeat non esse actus in vltimo, ac proinde & actus aboleatur libertas & meritũ. Cum ergo sic fore Christus nosset: ita in primo instanti durationis pro opere exhibendo præscriptæ omisit, vt ex libertate quasi contrarietatis, ac dependenter à positione actus, pro instanti secundo, & vltimo prius natura, licet posterius duratione posito, omiserit. Sicut prior vnionis in tempore existentia pendere ab operibus eadem vnione dignificatis posterius tempore exhibitis sine vlla repugnantia potest.

3 Hinc obiectiones euanescunt: Licet enim, cum aduenit vltimum instans, transactum fuerit primum cum duplici cogitatione, & inducente, & retrahente ab actu quæ satis ad libertatem contradictionis inter hæc foret; est cum negatione actus temporariè solum transactum supponitur, non autem naturâ, & causalitate, cum ea negatio libertate quasi contrarietatis apponitur. Sicut ad negationem odij libertate contradictionis apponendum, satis est, duplex cogitatio, & inducens, & retrahens ab odio: vt autem libertate contrarietatis apponatur, opus est vt cogitatio inducens ad amorem præcedat, huiúsque positio pro naturæ priori, vt odij negatio sit; Dices. ergo in nullo instanti est libertas adæquata: quia in vtraque adæquatè stat: quare in nullo instanti erit absoluté libertas, dum eam in vtroque seruari contendimus. Distinguo consequens, in neutro distributiuè sumpto fateor; in neutro coniunctim nego. Sicut enim nequit esse libertas contrarietatis ad amorem, quin sit ad odium etiam libertas; licet ex libertate contradictionis seorsim vnumquodque poni posset vel omitti: ita in nostro casu, cum præcepto de actu hoc disiunctim hoc, vel illo tempore, negatio in vtroque esse nequeat, pugnétque quasi contrariè in vnico instanti cum seipsa in alio, ex libertate contrarietatis, seu quasi contrarietatis, non nisi implexè cum libertate alterius apponi poterit; licet possit ex libertate contradictionis apponi libertate destructa actus pro instanti sequenti.

4 Denique oppones contra hanc, & contra aliquas conclusiones: æqua libertas requiritur ad culpam, & demeritum; atque ad virtutem requiratur; sed physica libertas ad omissionem duplicem disiunctim non est satis ad culpam, & demeritum; ergo physica libertas ad duplicem actum disiunctim, vel eundem tempore disiuncto ponendum, quæ solum fuit humanitati Christi posito præcepto, sufficiet ad virtutem, & meritum actus positi. Minor probatur in rustico iudicante erroneè æquè se teneri præcepto audiendi sacrum, & custodiendi gregem simul: quo in casu physicè libera omissione alterutrius non peccaret, quia ad vtrumque præstandum non est libertas. Respondetur distinguendo minorem. Manente malitia, seu prohibitione in vtroque extremo simul, negatur minor; non manente malitia, seu prohibitione in vtroque simul, sed in alterutro, concedo minorem eam. Id quod solum probat rustici exemplum. Nam defectu potentiæ, & libertatis rustici ad vtrumque præstandum, quæ solum manet ad alterutrum ex incompossibilibus, non est obligatio ad vtrumque, etsi ita ille putet: neque ad non omittendum alterum: quare alterutrius exhibitione non peccat: solúmque peccabit, si amittat vtrumque simul. In casu verò nostro necessitas ponendi hunc, vel illum actum, hoc vel illo tempore relinquit materiam huius actus honestam: qua re seruata, vt seruatur, in eius positione physica libertas & honesta, ac meritoriè ponetur: Vnde neganda est consequentia. Et quidem, licet æstimaret rusticus ille, alterum extremum magis obligare, & tamen erroneè iudicaret minus obligans non esse omittendum, quia ignoraret minus debere cedere maiori, neutrius omissione peccaret: quia ad alterum solum erat obligatio, ac non erat ad vtrumque physica potentia, seu libertas. Constat ergo inde, non autem ex æqualitate extremorum alterius omissione rusticum non peccare: quare nec nostris conclusionibus eum casum aduersari.

5 Hac eadem solutione disiectum est simile argumentum, quod ex hypothesi Ripalda, ac Recentiores ab eisdem conclusionibus opponunt. Etenim, si quis prædeterminatus esset ad duplicem actũ odij Dei, neutrius, inquiunt, seorsim elicientia peccaret, (licet peccaturum malè admittat Granados 1. 2. controu. 2. de actib. hum. tract. 2. d. 7. sect. 2.) vt communiter Doctores admittunt; nec demereretur: & tamen obiectum dissonum rationi est, & in huius præ illius odij æqualis elicientia physica libertas: ergo nec determinatus antecedenter ad vnum è duobus actibus honestis de se ac omnino æqualibus, licet liber physicè sit ad alterutrius elicientiam non merebitur. Cæterum Ripalda d. 14. sect. 3. huic indiuiduo actui honesto æquali cum omisso, v. g. amoris Dei honestatem, & bonitatem moralem concedit, & actui elicito odij malitiam moralem, meritum autem, & demeritum illis negat: quem & posteri Recentiores imitantur. Quod ego non satis capio, nec cum eorum doctrina cohæret. Etenim, si malitia moralis in illo odio indiuiduo est, & peccatum in eo erit, quod merito in Granados execrantur. Item nil amplius ad operis meritum, quàm moralis honestas, seu honesti operis libera effectio, atque ad demeritum, quàm malitia moralis, seu mali ex obiecto operis libera effectio requiritur. Sed eorum inconsequentiis omissis; Respondetur facilè, ex solutione proximè data ad obiectionem perplexitatis rusticis prædeterminatione, ac necessitate duplicis actus æque boni disiunctam, & libertate in alteri eius positione, non perire hoc posito bonitatem, atque bonitatem moralem, quare nec demeritum; perire autem prædeterminatione ad alterutrum actui indiuiduo posito libertate physica malitiam, quæ non est, cum omitti non potest vterque: cum necessitate enim apponendi alterum nequit stare alterutrius apponendi prohibitio ex parte legis, adhuc naturalis; quare neque in sic prædeterminato vtrumque admittendi obligatio, cui solùm opponeretur alterius positio, sed solum est prohibitio non apponendi vtrumque, cui non opponitur alterutrius positio, sed vtriusque. Neque tamen inde infertur posse Deum efficaciter intendere actum odij Dei hunc vel illum subdisiunctione adhuc cum necessitate alterutrius ab homine eliciendum: quia licet tunc peccati hominis sic prædeterminatio, quod non esset, author Deus non foret, ast obiectum de se malum, ac dissolutum de se velle ac intendere Deus nequit. Verum in casu hoc aduerte, quod si quis actum odij alterum ex libertate contradictionis ad ipsum, eiúsque omissionem eliceret, ac non ex præsupposita natura omissione actus alterius peccaret, quia propriori naturæ ad alterius omissionem potest alterum liberè omittere, & debet.

QVÆSTIO IV.

Quonam meriti genere Christus Dominus fuerit promeritus?

NOSTRA ætate natam quæstionem tractamus, quæ tamen multa in paruo tempore creuerit propriámque sedem habeat controuersia de merito. Est enim, an in Christo Domino fuerint merita à meritis remunerandis (quæ solum merita apud antiquos cognita sunt) diuersa? nempe merita per modum pretij & solutionis siue in spe. Quæ licet de omnibus iustorum operibus inquiri ac disputari possent, tamen quia vt difficultates de merito Christi respectu antiquorum Patrum, Progenitorum, crucifigentium (de quibus d. sequenti) complanarentur, fuere solum excogitara, ne nostram deinceps disputationem per quæstiones singulas replicata impediant, hic opportunè atque anticipato eam cogitationem examinandam reiiciendámque censuimus, ne per difficultates singulas disputationis sequentis, in quibus plures solutiones Doctorum refellendæ sunt, vel plures, vel longiùs quàm par esset, vel denique in spe solum futurarum controu. de merito impugnationum, sed semel in aliqua quæstione ex instituto repellerentur.

CERTAMEN I.

Opinionis huius inuentor, sequaces, & explicatio quæ hactenus fuit.

1 VT memoratas difficultas eneruaret illud ingeniorum miraculum. Magister meus Didacus Daza manuscripto *De prædest. d. de eius effectibus*, §. 3. merita hæc in spe, seu per modum pretij, & solutionis dictauit. Eo autem vita iam functo recentiores Complutenses quatuor post annis Kalendâ, & historia quadam, cuius ipsi solum testes sunt, adhibitâ, vti suum adinuentum venditârunt. Aiunt enim tribus ante dictatam à Daza annis, cum generalibus Thesibus sub ipsius præsidio habendis eiusmodi merita tueri ipsi Toleti vellent, ferè inauditos repulsos ab ipso fuisse, tanquam quid inauditum & paradoxum afferrétia ac postea tanquam propriam cogitationem fuisse eadem merita à Daza nostro dictata. Sed verò miraculi instar est, meum Daza vix à se præ impatientia audiri tam singularem Thesim adeo noluisse, vt eius fundamenta omnia, difficultatúmque solutiones ita adhibuerit, vt Recentioribus, (scilicet tam profundæ cogitationis parentibus) nil, præter transcribendi laborem, reliquerit. Accedit, quod in Scholasticis Dazæ disputationibus nil singulare, quod ingenij sui partus non fuerit, de reliquo inuenietur; quod non ita in Recentium horum scriptis est constans; sed ne his quidem magnis coniecturis est opus. Totam enim materiam de prædestinatione, me scribente, ex schedulis nauigation peru a nâ fædatis, ac proinde ante illam scriptis (quo tempore vix Recentiores philosophiam audiebant) Magister Daza dictauit. Sed demus Recentiorem historiæ veritatem (nec enim mentitos ausim suspicari.) Repulit fortè, ne sua singularis cogitatio, quam, & dictare in proximo, & suo, vt par erat, nomine cudere dudum in animo erat, anticipato vulgaretur. Itaque, vt demus Recentiores ex meo Daza cogitationem huiusmodi non habuisse: illud tamen vltra dubium est, Daza multis primùm annis in eam incidisse eámque fundasse.

2 Cæterùm merita hæc ita explicant Doctores isti: vt, quia Deus prænouit conditionatè fore, si gratiam patribus, virgini, ac reliquis progenitoribus Christi conferret, vt Christus gratiarum actionem pro eius collatione perfolueret, eius spe, desiderio pretióque allectus gratiam illis contulerit, cum qua ratione scientiæ conditionatè præsuppositæ, ita gratiarũ actio Christi connexa erat, vt implicaret illâ positâ hanc non apponi. Inde merita hæc à meritis Semipelagianis secernunt, quòd hi merita, seu potius demerita conditionata ponebant, quæ nunquam forent; ac proinde ridentur ad Augustino, quòd plures reprobatos assererent ob merita, quæ haberent, si viuerent: quod secus in meritis hisce euenit, ob rationem dictam. Secundò Semipelagiana merita ex propriis viribus assignabantur; hæc autem ex gratia Dei per Christum probant frequentibus exemplis emptionis, & venditionis, in quibus alter ex contrahentibus pretium sæpe donat spe equi, vel rei alterius obtinendæ: sæpe rem in spe pretij acquirendi. Secundo probant celebri illo, ac peruetusto Alexandri Alensis exemplo, armorum & equi donatorum militi anticipato in præmium facinoris illis ipsis, equo & armis, patrandi. Cuius occasione loco citato Daza meus totam istam cogitationem his rationibus fundatam, & solutionibus impugnationum, quas in discursu quæstionis adducam notabóque, auctam & munitam dedit. Aduertunt autem meritorum istorum bonitatem, licet conditionatè solum præuideatur ad præmij collationem non mouere vt conditionatè solum futuram, sed vt futuram absolutè: mouent enim ad præmij donationem anticipatam, quatenus intenduntur, desiderantur, & sperantur: intenduntur autem, ac sperantur non vt conditione existentia, quo modo supponuntur, & ante desiderium & spem habentur, sed, vt absolutè existentia, quo modo non supponuntur.

3 Recentiores alij Murciani, nec ignobiles, quibus etiam merita hæc in spe, siue per modum pretij, & solutionis placuerunt, quorumque disput. *de ordine decretorum*, & d. sequenti, præsentique q. mentio frequens, voces hasce meritorum in spe, siue per modum pretij & solutionem minùs proprias existimarunt. Primo, quia horum meritorum motio per modum finis non est, vt statim ex Patribus, & Conciliis ostendemus, sed ex motiuo compensandi præmium anticipatum merita illa, quæ sub huius conditione visa sunt conditionatè futura: quare verificatur absolutè dari præmium: quia merita erunt, nec solum, vt merita sint, quo significatur solum modus proprius causandi causæ finalis distinctus à modo causandi meritorum explicito particulâ, *quia*, id quod, nec meum latuit Dazam, ne in ea opinione cogantur admittere Christi merita fuisse causam finalẽ gratiæ antiquorum Patrum; sed potius propriè meritoriam. Dicitur autem, inquiunt, meritum huiusmodi per modum pretij & solutionis, quatenus supponit præmium prius naturâ collatum, quemadmodum solutionem, pro qua fit, prius acceptam: præmiúmque anticipatum in spe conferri dicitur, quatenus confertur prius natura, quàm meritum absolutè adsit: ac proinde medium materialiter ad meritum est; non autem, quia hoc sperari intendíque opus sit cum præmium confertur, vel ex intentione soluendi præmium anticipatum à merente opponi merita debeant, cum ab eo exhibentur.

4 Traxit cogitatio hæc ferè alios omnes nostræ huius Toletanæ Prouinciæ Recentiores, siue componendarum difficultatum grauissimarum in re præsenti commodo, siue Dazæ mei authoritate & Recentiorum Complutensium exemplo. Ex antiquis verò in ea etiam fuisse referuntur plures; atque in primis Vasquez pluribus in locis, 1. 2. d. 223. c. 3. num. 44. 1. p. à 85. c. 6. num. 38. d. 94. c. 3. num. 21. & 24. 3. p. pluribus locis citandis dum de merito Christi respectu gratiæ antiquorum Patrum, & pro genitorum

torum sequenti d. agemus. Ait enim collatam eis fuisse in spe meritorum Christi nondum existentium, sed ntelligendus genuine est de meritis nondum existentibus tempore, non naturâ, & causalitate: spes enim tiudicium futuritionis in tempore requirit; neque opus est, vt ad id, quod speratur, causalitate præcedat: nam his locis longe aliam doctrinam de merito gratiæ pro antiquis Patribus persequitur, vt d. sequenti videbimus: idcirco Daza Vazquezij discipulus Vasquianæque mentis oraculum illum pro sua hac meditatione non refert: citantur Ægydius Koninc. 22. d. 8. de merito dub. 7. à num. 115. Raguſa de incarn. d. 43. sect. 4. versu *secundus modus* Suar. d. 10. *sect. 4. §. sed quæres.* Sed ij etiam de præcedentia temporaria præmij ad meritum ac de spe & solutione posteriori tempore solum loquuntur. Citari melius possunt Albar. d. 10. *sect. 4. §. sed quæres* vbi ait: gratiam Patribus datam tanquam medium ad finem meritorum Christi, & Vuadingo d. 10. *dub. 4. à num. 31.* illud tamen mireris referri pro hac sententia Didacum Ruiz d. 57. *de prad. sect. 7. num. 24.* cum ipse tota fere d. 18. *de provid.* præsertim *sect. 5.* multis, & ab authoritate, & ab ratione merita hæc à meo Daza, dum nauigationis peruanæ opportunitatem Beticæ expectaret, audita confutarit.

CERTAMEN II.

Merita hæc Patribus, & Conciliis videntur aduersari, ac semipelagianismum redolére.

1 LIcet sola magni mei Magistri Dazæ authoritas sæpè me frangat, eius tamen auditor etiam merita hæc perosus semper fui: eadem etiam refellunt Ruiz citatus Alarcon tract. 4. 1. parte d. c. sed his plus iusto dicteriis, rationibus, quam par esset, minus. Lugo Cardin. d. 27. sect. 3. num. 35. Quiedo 1. 2. tract. 9. de merito controu. 1. punct. 4. Ripalda t. 2. de ente supernat. d. 86. censens n. 61. reiicienda ab scholis eiusmodi merita fore: errorémque semipelagianum merita hæc conditionata continere docet ipse d. 72. cum Herize 1. p. d. 7. n. 74. d. 22. c. 7. n. 62. d. 23. c. 4. n. 38. Ruitz insuper d. 15. de prouid. sect. 2. num. 2. ex quo Quiedo n. 74. qui duo eum etiam fuisse, errorem Arrianorum notarunt ab Athanasio orat. 1. contra Arrian. propè med. & orat. 2. col. 4. satis firmis testimoniis aiũt. Sed quid de censuris, ac Recentiorum cum semipelagianis conuenientia, aut disconuenientia inferius constabit. Prima nostra impugnatio esto: quod cum difficultates memoratæ, pro quibus emoliendis excogitata hæc merita sunt, meritis absolutis ac remunerandis, hactenus à Patribus & Scholasticis notis, bene, faciléque componantur, sine vllo fructu inaudita hæc merita in scholas inuehuntur. Secunda ex S. Th. 3. p. q. 2. art. 11. & q. 29. de verit. a. 6. negante meritum esse causam præmij in genere causæ finalis; cum tamen hæc merita in spe, & per modum pretij & solutionis illud in genere causæ finalis causent. Respondent Recentiones ex Raguſa supra num. 28. meliúsque possent ex Vuadingo num. 34. S. Th. loqui de meritis remunerandis, & ordinariis. Sed contra: quia, vt eam propositionem probet, assumit aliam vniuersalem: nempè, merita causare præmium in genere causæ efficientis. Vnde infert non causare illa in genere causæ finalis: quia, si ita etiam causarent, præmium esse deberet medium, ac proinde principium actiuum, seu efficiens meritorum: vnde mutua causalitas in eodem genere, inter præmium, & merita implicatoriè admitteretur. Loquitur ergo vniuersim S. Th. indéque probat principium meriti non posse cadere sub meritum, quod vniuersim verum est per aduersarios. Ostendemus autem infra cum his meritis minimè constare. Sed inquiunt, secundo loco dicere S. Th. non posse quem mereri præmium, quod prius tempore accepit, contra nos. Sed hanc illationem solum facit in humanis S. Th. & bene quidem, ex vniuersali illo principio, quod motio meriti in genere causæ finalis esse nequeat. Nam, vt aliter moueret hominem præmiaturum, oporteret, vt adesset meriti absolutè præuisi visio, quæ homini præmiaturo humano modo, ac secluſa Dei reuelatione nunquam aderit.

2 Venio ad vrgentiora, & arguo secundo Patrum discursu ex illo Roman. 8. *vocauit nos vocatione sua sancta, vt essemus sancti.* ad Ephes. 1. *elegit nos in ipso, vt essemus sancti*; ex quibus locis Hier. ad Ephes. 1. S. Aug. de corrept. & gratia: c. 9. de præd. sanct. 1. c. 18. fin. de dono perseuerantiæ c. 13, & 14. epist. 1. 7. 10. ad Simpli q. 2. Arausican. 1. Canone 28. Arausic. 2. can. 2. aliique Augustini discipuli, necnon Patres alij ex illo ad Timoth. 1. *misericordiam consecutus sum, vt sim fidelis*, iuxta Arausicani lectionem, quos omnes magno numero recitat Ruiz citatus sect. 5. Sic arguunt, *ergo non, quia futuri eramus sancti*: ergo *non quia futurus eram fidelis*: ideſt, ergo non ex meritis nostris: atqui, iuxta hanc doctrinam admissam, mala esset Patrum & Conciliorum consequentia; ergo doctrina mala, & contra Patres, & Concilia est; subsumptum probo: quia si motio finis posset esse motio meritiua, potius inferretur ex eo, quod electi ac prædestinati fuerimus, vt essemus sancti, quod ob ea sancta opera conditionatè futura infallibiliter, quorum spe, & intentione, vt essent, prædestinati fuimus, & electi, ac prædestinati fuerimus. Rem contra Recentiores Complutenses euincit argumento hoc fatentur Murciani Recentiores: quia illi meritis hisce motionem finis in genere causæ finalis explicitam per particulam, *vt* à Patribus, & Conciliis planè admittunt; non autem contra ipsos, qui eis meritis motionem finis non concedunt sed solum compensationi. Sed contra: quia in eis operibus conditionatè solùm præuisis cum motione sua est compatibilis motio finis, vt patet, & admittis, licet ea meritoria non sit: ergo malè infertur ex eo quod sancta nostra opera mouerint Deum ad electionem tanquam finis, *vt essemus Sancti* per illa, non fuisse in eis emptionem meritoriam, siue *quia futuri eramus Sancti* cum vtraque motio in eis operibus simul esse potuerit. Secundo nescio quid addat compensationis finis, si merita in statu conditionato solum cognita, in quo, vt finis mouent, possunt esse compensandi motiuum: excluditur enim consequentia Patrum ex locis illis Scripturæ æquè, ac si finis compensationis abesset, cum enim finis obtinendi merita illa conditionata simul cum fine ea compensandi intendi à Deo possit ex eo, quod vt finis intendantur, non excludetur motio eorum meritiua, quam Patres illa sua consequentia excludunt: maléque ab eis excluderetur, si in meritis conditionatis esse pro eo statu posset.

3 Dices motionem hanc in spe non esse in ordinaria prouidentia adhuc ordinis gratiæ, in qua arguunt Patres, tenétque consequentia. Nam ordinariè non mouent merita nisi absolutè præhabita, & accepta: quare non erit in spe, quæ de præhabitis, & acceptis esse non potest; secus in extraordinaria prouidentia gratiæ: cuiusmodi data fuit gratia Progenitoribus Christi prius natura, quam Christus existeret. Contra primo; quia sic nil contra hæreticos Patres euincerent, qui dum eis meritis, siue ordinaria, siue extraordinaria prouidentia electos homines haberent, triumphabant: riderentque Patrum argumenta ad cachinnos: nec enim per ordinariam prouidentiam electos nos defendebant, sed absolutè. Patres verò ex eo, quod electi absolutè fuissemus, vt essemus sancti,

absolutè non quia sue ob merita sanctitatis intenræ, vt finis, electos intulerunt. Contra secundo: quia posita absoluta possibilitate intrinseca motionis meritoriæ in operibus pro eo statu, pro quo mouere finaliter possunt, liberum Deo erit moueri illis pro eo statu cognitis, quin aliquid contra rei alicuius exigentiam fiat, sed potius iuxta illam: ergo sine extraordinaria prouidentia ordinis gratiæ moueretur Deus ad electionem nostri in spe, siue ob finem obtinendorum eorum operum, siue ob compensationis præmij anticipati finem; siue ob vtrumque. Nam in humanis (vt eorum exemplis contra ipsos vtar) sæpe contingit rem dari anticipato ex fine obtinendæ pecuniæ, & rei datæ compensationé, si diuersus finis sit, vel seorsim, vel simul: quare suis ipsis exemplis, & probationibus, ne hac vtantur solutione, tenentur. Nam illis apertè constat motionem eiusmodi naturalissimam, frequentissimamque ac quotidianam esse: maximè, exemplo illo Alexandri de equo, & armis spe facinorum illis patrandorum, quod in præmio, & meritis versatur.

4 Vt autem quanti res ista Theologorum & Ecclesiæ referat, ac vim impugnationis primæ contra solutionem proximam datæ recognoscas, sententiam hanc Semipelagianismi speciem (ne dicam errorem) contra quem Patres argumento præfato vtebantur, continere, ostendamus. Etenim Pelagiani cautam prædestinationis, ac reprobationis totam ex parte reprobi, & prædestinati per opera viribus naturæ absque gratia ab ipsis elicita ponebant. Semipelagiani verò non totam causam; sed initium aliquod pereximum, ansámque tenuissimam ab illis dari aiebant. Vtrumque errorem validè impugnárunt Patres, & Concilia citata pluribus Pauli testimoniis, ex quibus nullum opus, quouis gradu ad vitam æternam conducens elici sine gratia posse concludebant: quare non posse homines vocationem primam promereri, quia iam gratia non esset gratia. Secundo experientia populorum, nationúmque æque vitiosarum, atque idolatrarum, quarum alia ad fidem vocabatur trahebatúrque, alia in suis vitiis atque idololatriis derelicta. Tertio exemplo Iacob, & Esau, quo Paulus ad misericordiæ gratiæque Diuinæ in electione prædestinati præ reprobo commendationem vtens aiebat ad Rom. 9. *Antequam quidquam boni, aut mali egissent, Iacob dilexit, Esau autem odio habuit*: atque hunc electi, & prædestinati typum infanti duplici, quorum alter ante rationis vsum reprobabatur ac morte præmatura damnabatur, alter vero in ipso rationis ingressu vocabatur, atque eligebatur, quin aliqua eorum opera præcessissent; magna hæreticorum vexatione applicabant. Hæretici vero, vt se hoc argumento parulorum in Iacob, & Esau figuratorum, atque exemplo idololatrarum liberarent, ad merita, & demerita, quæ visa conditionatè sunt, si viuerent aut vocarentur, recurrerunt. Hæcque fuit ultima eius erroris doctrina.

5 Cum autem duo membra error iste postremus contineret: alterum de infante reprobo ob demerita, quæ visa conditionatè sunt, si viueret, magno membrum hoc & robore & risu Patres, ob demerita, & Concilia impugnabant: Quod hæretici infantes reprobatos, punitósque fuisse quæ nec fuerant nec futura vsquam erant, fateri cogerentur: vt arguebat primus Aug. c. 9. de dono perseuer. ante medium. c. 10 ac sæpiùs. Hucusque Doctores, quos impugnauimus, Pelagianismum esse non negant à Patribus, & Conciliis irrisum, & damnatum; membrum autem alterum, quod ob merita sub conditione præuisa, si vocarentur, atque eligerentur quæ de facto erat futura, non esse à Patribus, & Conciliis improbatum, nec damnatum, nisi quatenus viribus naturæ futura dicebantur à Pelagianis; vel Semipelagianis. Sed eos rogo contra quorum doctrinam arguant Aug. & Concilia, & Patres ex tribus illis locis Pauli, vt effectus sanctitatis vt sim fidelis: ergo non quia futuri eramus sancti? nonne contra merita hæc conditionata, & in spe à Pelagianis inuenta? legatur Augustinus, reliquique Patres, & Concilia, & constabit apertè eos contra merita; quæ sub conditione visa erant futura, intendebátúrque futura, & absolutè futura erant, in sanctis, qui tales fuerunt, argumentum efformari: nempè in meritis Sanctorum, & electorum, qui fuerunt, futuríque sunt. Secundo: quidnam hic de merito ex viribus naturæ improbatur argumento isto? solùm ergo impugnantur hic à Patribus, quia habeant motionem finis, mouerique meritoriè dicantur, quin præuideantur absolutè futura: licet aliunde, si ex viribus naturæ fore dicerentur, reiicienda etiam forent: Nam sic etiam non esse ex gratia primam vocationem Pelagianè inferretur: cùm esset ob merita ex ea vocatione futura.

CERTAMEN III.

Merita hæc etiam non absolutè futura præmiari absolutè possent, ac cum Semipelaginis demeritis rideri ab Augustino.

1 Doctores isti nil minùs, quàm propositum absurdum timent. Cum enim dicant affectum illum collatiuum præmij regi necessario debere scientiâ conditionatâ meritorum sub eius præmij conditione, posito præmio aiunt implicare non esse absolutè meritum. In primis hâc solutione vti non possunt Murciani Recentiores, qui ex scientia simplicis intelligentiæ moueri posse Deum aiunt vt præmium in spe donet: quare, & præmium sine merito absolutè poterit consistere, præmiaríque merita nunquam futura; sed inquiunt donatione præmij ex ea scientia simul præfiniri merita; sed contra; quia ex præfinitione de se connexa, vt hi admittunt, cum re præfinita, ac regulata solùm per scientiam simplicis intelligentiæ tolli operum libertatem, ac proinde meritum constat ex dictis controu. 3. d. de ordine decretorum, vbi præfinitione, etiam regulata per scientiam conditionatam, aboleri operum libertatem ostendimus: nedum, si per scientiam simplicis intelligentiæ reguletur: quo in casu isti adhuc Recentiores tolli libertatem operum fatentur: quare in horum Doctrinâ præmium sine operibus non erit; aſt sine meritis non solum esse poterit; verùm in præmio dato ex scientia simplicis intelligentiæ, & operum præfinitione nusquam cum meritis esse poterit.

2 Verùm contra reliquos sententiæ huius Patronos argumentor sic. Tota motio ex parte meritorum in spe ad præmij in spe, siue illorum, siue compensationis per illa obtinendæ collationem & compensationem, atque collatio ipsa eiusmodi præmij est absolutè pro priori naturæ ad futuritionem absolutam meritorum; alioqui si hæc ad motionem & collationem expectanda sit, merita non in spe, sed remuneranda atque absoluta erunt: ergo motio, & collatio hæc præmij de se non repugnat cum negatione absoluta meritorum, quam nec includit, nec ex parte sua requirit: ergo nec repugnabit dari ex scientia simplicis intelligentiæ præmium ex natura horum meritorum. Patet: Nam, si repugnaret, non ex scientia conditionata, eorum præmium dari ex natura meritorum in spe, ideo esset, quia naturâ suâ, ac de se motio intentionalis meritorum, præmiique ob illa collatio antecedens connexa esset cum absoluta futuritione eorum merito nequiret de se esse sine illis. Tum sic non repugnat ex natura horum meritorum dari præmium absolutè ex scientia simplicis intelligentiæ: atqui, si sic dentur non est vnde inferatur, absoluta futuritio meritorum posito præmio absolutè, nisi recurratur ad præfinitionem eorundem quæ ipsorum auferat libertatem.

3 Dices: Licet secundum se ita dari præmium in spe, & ex desiderio meritorum siue compensationis queat; aſt relatè ad Deum non posse dari, nisi collatio præmij

præmij per scientiam mediam reguletur: vt scilicet cordate præmiet nec præmiet, quod nunquam erit: Sicut, licet auxilia congrua de se non petant ex scientia media donari, tamen, ne Deus cæco modo ea donet, sed cordatè, nonnisi ex scientia conditionata donantur. Sed contra: quia, licet præmium ex intentione meritorum, vel compensationis per illa inefficaci, (vt potest in doctrina aduersariorum, debétque vt seruetur libertas, & meritum) detur regulatum per scientiam simplicis intelligentiæ, ac proinde nec ratione scientiæ præsuppositæ connectatur cum meritis & compensatione, nil minus prudens præstabit Deus: Etenim, si præmium ex modo mouendi meritorum antecedenter ad horum existentiam non connectitur natura sua cum illis, nil, quod eorum naturam vel Dei prouidentiam præmiatiuam dedeceat præstabit Deus, etsi præmium non connexum aliunde, nec ex scientia media connexum cum meritis ponat. Est autem indecentia absolutè; quia merita non mouent nisi absolutè præuisa ac de se: proinde præmij collatio, & ad illud meritoria motio connexa sunt existentiæ meritorum, quam essentialiter supponunt; ea autem cõnexione intrinseca motionis meritorum nonnisi, vt existentium, ad absolutam præmij donationem sublata, vt ab his Doctoribus aufertur, nil indecens præstabitur à Deo. Illud de auxiliis potius probat intentum: nam non repugnare, quod ex scientia simplicis intelligentiæ absolutè donentur certissimum est, licet non prouidè in linea prædestinationis, sed in lineis aliis. Denique ea cõnexio ratione scientiæ mediæ præmij cum meritis absolutè tota est meritis per accidens in hac doctrina; cum tamen è conceptu præmij omnium sententia, iudicio, & sola etiam apprehensione sit connexio per se, vt mox dicemus. In exemplis soluentis anticipato equum, vel illum dantis in præmium boni vsus, posse, & hunc sine vsu bono, & illum sine equo soluto ex natura rei, atque absolutè manere, quotidianis exemplis comprobatur.

4 Sed esto: nequeat dari præmium ob merita in spe, siue ipsorum siue compensationis, nisi per scientiam mediam reguletur præmij collatio. Tamen adhuc in difficultatibus, pro quibus excogitata ea merita sunt, gratiæ nimirum collatæ Christi progenitoribus, & similibus in spe meritorum Christi, connexionem non habebit gratiæ eius collatio in præmium meritorum Christi in spe cum meritis ipsis. Imò in nullo gratiæ præmio collato in spe, quod non sit immediatum meriti principium, v. g. auxilium proximum ad consensum: hoc autem auxilium dari posse in præmium operis ipso eliciendi instanter ac merito negant ferè omnes huius sententiæ Patroni, vt certam. 4. videbimus. Assumptum probo: nam ex præfata motione meritorum in spe, siue ipsorum, siue compensationis per illa, datum in præmium remotum est quid: v. g. existentia Deiparæ, & tam ipsi, quàm aliis retro vsque ad Abraham, & fortasse Adam progenitoribus sanctis gratiæ auxilium, vt Christi progenitores esse mererentur: sic autem datis existentia Deiparæ, & auxiliis ex scientia illa conditionata potuerunt reliquæ intermediæ conditiones vsque ad merita Christi, quæ plures profecto sunt, non apponi à Deo: quo in casu salua scientiæ cõditionatæ veritate non esset gratia illa progenitorum data in eorum meritorum præmium connexa cum absoluta eorum existentia: quare, & sine illi absolutè præmium esset.

5 Dices non posse non inter media apponi: quia apponitur præmium remotum ex intentione efficaci meritorum Christi. Contra: ergo tota connexio præmij cum meritis non stat ratione scientiæ suppositæ solius: imo tolle scientiam: siquidem ex ea intentione efficaci, ex qua datur præmium illud connexio cum meritis erit. Contra secundo: quia ea posita tolletur libertas operum Christi, & Progenitorum præmiúmque sine meritis necessario erit. Contra tertio: quia

præcipuus huius sententiæ Patronus, & author Dazæ intentiones efficaces actuum liberorum iudicat impossibiles: quare & præmium in spe meritorum, ex intentione inefficaci eorum conferri docet: reliqui verò ita conferri absolutè posse inficiari nequeunt, nisi vt non fateantur se facilè conuictos. Etenim, nec merita absoluta diuinam voluntatem ad præmium adhuc cogunt, nedum conditionata ad eam voluntatem efficacem. Secundò ex scientia conditionata, & inefficaci intentione gratiæ plura remota auxilia solum reprobis dari certissimum est: cur ergo non, & plura, vel aliqua media remota ex intentione inefficaci meritorum Christi, aut compensationis per illa, quin cætera intermedia donentur? Dices tandem simul decerni, licet ex intentione inefficaci, gratiam Patrum & reliqua vsque ad auxilia data Christo, ad merendum. Contra, quia id non constat, nisi gratis ita fieri debere asseratur; imo contra argumentum factum in reprobis. Secundo plura ex intermediis aliqua motiua pro posteriori naturæ ad gratiam illam in præmium collatam apponenda expectant: quare decreto illo simul decerni nequeunt, sed aliis posterius natura liberè à Deo habendis. Rideat ergo Augustinus cum Pelagianis paruulorum reprobo rum demeritis conditionatis & merita hæc in spe: quandoquidem, sicut illorum punitio absolutè sine delicto, ita & horum præmium absolutè sine merito esse potest.

CERTAMEN IV.

Absurda contra hanc opinionem nonnulla.

1 Sit aliud ab absurdo argumentum, quod non vsam solum à Daza meo solutionem extorquebat. Meritum sub conditione sui principij conditionatè præuisum potest meritoriè mouere, vt detur in præmium sic præuisi meriti ipsius principium: atqui bonum opus meritorium præuisum est conditionatè fore sub conditione auxilij, quo proximè & immediatè elicitur: ergo poterit mouere meritoriè, vt detur in ipsius præmium proximum auxilium; Distinguunt maiorem, *sui principij remoti* concedunt; *proximi*, & immediati negant. Sed rationem desidero distinctionis; nam motio æqua ad vtrumque est; atque ex alia parte firmior est connexio præmij absolutè dati cum existentia absoluta meritorum ratione scientiæ conditionatæ, quam supponi volunt ad præmij collationem in spe meritorum: quare in his solum, non in remotis, risus cum demeritis Pelagianis abest periculum. Respondet primo Daza auxilium ab opere sub conditione futuro, à quo efficax est, crescere in ratione beneficij: quare opus illud sub conditione futurum nequit esse auxilij efficacis solutio, quin id quo crescit beneficium sit eius solutio, quod implicat. Transcripsere solutionem Recentiores. Sed contra primo: quia solutio hæc confundit statum motionis meritorum cum statu compensationis præmij. Motio quidem ad præmium est in statu conditionato meriti, quo statu auget beneficium ac præmiũ, mouétque, vt quod è sui futuritione conditionata maius beneficium est, sui etiam spe donetur: Compensat verò in statu absoluto, iñ quo quidem non auget beneficium: quare nulla in eo est implicatio. Quin principia etiam remota à futuritione conditionata nostri boni vsus, seu commodi, crescunt in ratione gratiæ, & beneficij: & tamen in spe meritorum dari in præmium possunt, quod statu absoluto compensent.

2 Secundò arma, & equus, principium proximum sunt facinoris strenui, atque ex futuritione illius sub eis patrãdi crescunt in ratione beneficij, & tamen absolutè præstita compensant. Et sanè nemo dubitat nos respondendo vocationi illi, in quocunque genere sit,

satisfacere. Contra denique, quia ex eo præcisè quod auxilium hoc detur ob sic præuisa merita illo elicienda, auxilium illud non datur ex voluntate gratuita & liberali, sed ex gratitudine, seu voluntate remuneratoria: quare non erit gratia, nedum gratia maior: quare vnde crescit in ratione gratiæ non compensabitur; quod enim gratia non est, in ratione gratiæ augmentum capere nequit. Confirmatur ex eiusdem Dazæ doctrina. Ipse enim contra solutionem Alexandri ad exempla sua de equo & vinea, statuit rationem gratiæ à donatione auxilij aboleri, quoties meritorum intuitu donatur, vt potest, patétque in donatione auxilij secundi dati intuitu boni vsus auxilij primi: & res quidem est per se nota, & Patrum authoritate firmata, qui contra Pelagium, & Semipelagianos arguebant, primam vocationem, & electionem gratiam non esse, si quorumcumque meritorum intuitu donetur. Illud obiter notarim contra Complutenses Recentiores, vti eos hac solutione non posse. Cum enim metu iusto Pelagianismi, vel semi, merito docuerint motionem meritorum in spe non esse in statu conditionato, sed absoluto, pro quo intenduntur, nec motio eorum, nec compensatio erit à meritis in statu, quo auxilium in ratione gratiæ & beneficij adaugent. Verum malè in hac doctrina rationem & statum, ob quam voluntas ad spem, seu desiderium, ac intentionem concipiendam mouetur, cum eo qui in ea desideratur, in ipsa confudit.

3 Respondet secundo Daza annuentibus Recentioribus: repugnare auxilium dari in sui operis præmium, quia hominem præuenit ad illud, prout est etiam ab homine, vnde, & opus ipsum donum Dei est. Quare ad debitum potiùs quàm absolutionem, & compensationem debiti spectat. Sed contra, quia ratio doni & beneficij Dei in nostro opere imbibita, non ita ab illo rationem meriti, quæ ex bono nostræ libertatis vsu prouenit, respectu Dei creditoris ac remuneratoris abcleuit, vtnil eo apud ipsum ipso suo dono promereri possimus: cum plura operibus ex gratia sua promereamur, vt fides docet: Idcirco respondet tandem longè inferius meritum esse auxilij effectum in genere causæ efficientis: quare non posse illud mereri, quia cum meritum in genere causæ efficientis causa sit præmij quod ob illud datur, in eodem genere efficientis esset causa auxilij quod mereretur & cuius effectus in eodem genere est: quod repugnat omnium sententiæ: Solutio quidem difficultatis, cur auxilium nequeat cadere sub meritum operis ex illo secuti absolutè vera ac solida est; in doctrina verò Dazæ, quam impugnamus, prorsus est inanis. Merita enim hæc per modum pretij & solutionis non causant in genere causæ efficientis, sed finalis, vt quid intentum ac desideratum, non vt quid præsuppositum: quare ad existentiam præmij meritorum ab illo causatorum existentia quæ ab eius existentia causatur nec supponitur nec præuidetur, sed solum sub conditione: quare mutua præcedentia absolutè meriti & præmij in hac doctrina non euincitur, licet ob meritum, quod causat, in præmium detur auxilium. In qua solùm præcedentia mutua stat mutuæ causalitatis adhuc in diuerso genere, nedum in eodem, repugnantia aperta: denique in principio remoto eadem repugnantia intercedit, & tamen dari in pretium operis, cuius proprium est, hæc sententia admittit.

4 Ob hæc Murciani Recentiores admittunt plane consequentiam: nempe auxilium posse absolutè dari in præmium meriti in spe, quod ex ipso elicitur: & quidem consequentia meliori, quàm Theologiaca. Nemo enim ex antiquis ausus est fateri principium proximum operis sub ipsius meritum posse venire: quin Alexander ipse exempli, & argumenti armorum, equi, & vineæ, (cui præsertim hæc tota meritorum in spe moles inclinata recumbit) adinuentor, ne id, quod ij plane admittunt, concludat (nempe principium proximum meriti sub ipsum cadere posse) suam adhibet solutionem, quem reliqui Scholastici imitantur, vt videbimus *cert. 7.* idem etiam & sententiæ quam impugnamus Recentiores Patroni præstitere. Quò autem, antiquorum solutiones & Recentiorum difficiliores, leuioréque sunt, consequentis à Murcianis admissi absurditatem magis produnt: debitamque axiomati illi *principium meriti nequit cadere sub meritum* reuerentiam: quam, vt tanti viri tenerent, à consequentiâ & fere ratione sua defecerunt. Cum autem meritis solum remunerandis admissis facilis sit, & solutio det argumenti Alexandri, & ratio huius proloquij reuerendi; admissis autem meritis etiam hisce in spe, & per modum pretij & solutionis certa sit contra proloquium illud confecutio, vel eo solùm merita eiusmodi releganda forent. Fateor Granado nostrum frontem contra axioma hoc perfricuisse, primum visum esset 1.2.contr.8. tract.12.d.4. à num.10. equo, & armis Alexandri fatigatum. Si autem attentè legatur de meritis, tempore potiùs, quàm causalitate, & natura suo principio posterioribus loqui inuenietur, licet quandoque naturæ nomine æquiuocè loquatur.

5 Ad Murcianorum doctrinam redeuntes, vt rigidas plurium contra ipsam censuras examinemus, quid ipsi doceant perspicuè atque dilucidè statuendum est. Aiunt igitur auxilium ob bonum nostrum ipsius vsum, seu ob opus ipsum à nobis elicitum prouè à nostra libertate est, in præmium posse nobis à Deo conferri. Hoc duplici ex capite videtur Pelagianismus. Primum: quod illud, *pro vt à nobis*, videtur gratiam excludere, ac per consequens ex meritis naturæ id fieri posse. Secundum: quod æquè inferatur ex Patribus, auxilium & vocationem illam non fore gratiam, quæ tamen gratia est ex Paulo. Vtrumque autem Pelagianum videtur. Viderunt Recentiores hoc secundum: respondérúntque argumentum Patrum procedere contra Pelagianos, qui de facto in spe meritorum, & compensationis per illa primam vocationem & auxilium datum nobis à Deo aiebant: cum tamen Paulus de facto gratiam esse doceret: quod cum donatione ob merita stare non poterat. An verò de possibili ob ea donari, ac non esse gratia illud auxilium posset, quod solum ab eis asseritur Recentioribus, non curarunt Patres: nec Paulus dixit illam vocationem necessariò esse gratiam, vt non posset absolutè non esse gratia, sed de facto vt à Deo donatur: in qua prouidentia, quæ de facto est, nec aliquid boni sine gratia præstari à nobis potest. Primum non viderunt, sed tamen respondere possent in bono vsu gratiæ nostro, seu opere bono, prout à nobis est, meritum negari non posse à Catholicis; Pelagianos verò solum erasse in eo, quod ad bonum nostrum vsum gratiam de facto non supponebant.

6 Hæc pro ista Doctrina. Ego vero, licet nunquam nouitatis prætextu difficilem me præbeam veritati, semper autem ad aliorum censuras veniam difficilis; didici enim frequentibus experimentis sæpe à purè scholasticis tanquam Patrum doctrinam, & axiomata proinde Theologica circumferri, quæ vel non dicta, vel saltim non eo sensu, quo in scholis vsurpantur, dicta à Patribus sint, (cuius rei exempla in hoc opere dedimus non pauca) tamen doctrinam hanc singularitatis, temeritatis, minorísque petatis non dari posse non dubito. Etenim contra Theologos omnes ratione & doctrina Patrum fundatos (verisimilius saltem quàm Recentiores isti) sine vlla alia ratione, quàm vt meritis per modum pretij, & solutionis per tot absurda alia ac contra meriti naturam, & communem hominum apprehensionem (vt mox ostendam) inductis consequentiam seruent, axioma illud reiiciunt: quod non singulare ac temerarium esse non potest, minùs autem pium est afferere impossibilitatem

possibilitatem præstandi à nobis aliquid quocumque gradu ad vitam æternam conducens sine gratia de facto, solum esse ex prouidentia Dei, quæ de facto est. Tum quia plus pauculum ostendet Deus gratiæ in nos, quàm duritiæ, cum id quod ex meritis possit, nolit ex meritis donare, licet donet aliunde, tum etiam, quia accepta impossibilitate donationis auxilij gratiæ in præmium operis ipso eliciti, ac proinde, quod ex natura rei nil ad gloriam conducens operari sine gratia possimus, Dei erga nos beneficentia commendatior est ac sententia Pauli, Patrúmque argumenta contra Pelagianos à ratione firmiora. Illud insuper, quod Recentiores aiebant de merito operum, prout à nobis, licet ex necessaria auxilij gratiæ suppositione, de facto imperceptibile est. Nam etiam, prout à nobis, bonum opus à gratia est, nilque proinde in eo bonitatis ac meriti est, quod Dei donú per gratiam non sit. Quare Augustinus passim, reliquíque Patres cum bona opera, ac merita à Deo poscebant, aiebant, vt daret ipsis, quod in ipsis præmiaret. His igitur censuris subiacere hanc doctrinam censeo per se; per principium autem ex quo infertur nempe merita per modum pretij, & solutionis, absurdis iam notatis quæ etiam præsenti absurdo tanguntur.

CERTAMEN V.

Absurda cætera, quæ, quia malè à Doctoribus huius sententiæ soluuntur, eam censentur confutare.

1 NOn absimile proximo absurdum subiecit Daza, scilicet ex sua hac sententia inferri etiam principium dignificans meritum posse sub ipsum meritum cadere. Negat consequentiam ille: quia id, quod datur in spe meritorum tanquam pretij, nequit illis valorem dare: alioqui, si valorem dat, cum pretium ad quod datur præmium, sit operum seu meritorum valor, cum datur in præmium operum dabitur in præmium sui ipsius. Transcripserunt hanc etiam solutionem Recentiores Complutenses. Sed adhuc instabam contra meum Magistrum Dazam: quia in opere secundum se valor & meritum est, licet non condignum respectu gratiæ alteriúsve dignificantis principij, sed congruum tamen: ergo in spe illius poterit dari principium dignificans pro priori naturæ, sicut pro posteriori naturæ dari posse ob merita secundum se spectata, & congrua solum humanitatis Christi vnionem hypostaticam pro eodem instanti durationis aiebant suo loco plures Recentiores Murciani, qui contra illud axioma *principium meriti nequit cadere sub meritum* semel, vt vidimus, pudorem soluerunt; intentum argumenti facilè admittunt, nec si absurdum ex huius sententiæ principiis inferri diffitentur; ego vero inferri ex illis nego. Vel enim sermo est de merito operum, vt à principio dignificante eleuatorum, & sic solutio magistri mei est certa & adæquata, nec ab hac Doctrina pendet difficultas; siue enim admittantur merita per modum pretij & solutionis, siue non, eadem ratio reddi debet, quominus merita dignificata nequeant principium dignificans promereri merito remunerando. Secundo de omni modo possibili meriti operum in instanti, quo est principium dignificans, tenet solutio: cum constet ex dictis *disput. 1. de causa meritoria incarnationis*, in quocumque instanti adsit principium dignificans, non posse non dignificare opera pro quouis signo: iuxta Vasquez, vt valor operum secundum se nudè mouere nequeat. Sed esto possit secundú se mouere, vt abstrahens à dignitate operantis, an tunc dignitas hæc operantis, meriti illius operum secundum se sumptorum esset dignificans, seu alio modo principium? minimè: ergo licet concedatur, non est opus concedere principium meriti sub meritum cadere. Ac demum eadem est difficultas an meritis remunerandis principium dignificans opera sub meritum intrinsecum, ac non eleuatum ipsorum venire queat: quare difficultas hæc ex sententia ista de meritis per modum pretij, & solutionis, non augescit.

2 Aliud absurdum suæ sententiæ obiiciebat Daza in hunc modum. Merita nondum absolutè præuisa & existentia, sed solum conditionatè possunt pro priori naturæ ad eorum absolutam existentiam præmiari absolutè: ergo & demerita nondum absolutè existentia, sed solum conditionatè præuisa, poterunt absolutè pro priori naturæ puniri: quod & absurdissimum. Respondebat ille negando consequentiam & paritatem: Nam merita bona Deóque grata sunt: quare desiderari, sperari intendique à Deo possunt ac proinde mouere in eo statu, cuius cognitio satis sit, vt desiderentur, vt ex eorum spe & intentione præmium apponatur ab ipso; ast vero delicta, ac demerita grata Deo esse nequeunt, sed necessariò ingrata & execranda: Quare intendi desiderarique à Deo nequeunt, nec finis motionem habere vt ex statu, in quo bona, ad sui spem, & delicta Deum solicitent: vnde nec in spe eorum, quæ Deo repugnat, pœna ab ipso infligi; Hanc etiam solutionem Recentiores Complutenses transcripserunt, respuunt tamen illam Murciani: quia Deus ob merita per modum pretij & solutionis non dat præmium in spe & intentione, seu desiderio meritorum, sed ex affectu compensationis per merita illa: quare, licet peccata sibi odibilia intendere nequeat, ipsáve vt finem ipsum mouere vt conditionatè præuisa, mouere tamen cum in eo statu possunt, vt illâ sic præuisâ absolutâ pœnâ anticipato compensetur.

3 Sed hic alius est modus compensationis intentæ ex parte meritorum, ob quæ datur præmium: Nam in meritis datur ex fine, vt præmium meritis compensetur à merituris pro posteriori naturæ, hic autem, vt Deus compenset pœnâ delicta pro posteriori naturæ futura. Quòd si finem compensationis in præmio anticipato ob merita etiam intelligit ex parte Dei ponendæ, paritas vrget, quæ in alio modo euanescit: Nam non minùs repugnat Deum velle peccata, quàm quod per illa peccator anticipatam compenset præmij seu pœnæ donationem; atqui alia incurrit incommoda quæ cert. 6. dum rationibus à priori agam, apparebunt. Respódet igitur, nos omnes in eadem difficultate esse: cum ratio assignanda sit, cur præmium temporariè anticipari possit meritis tunc futuris, non autem possint delicta futura præmio præueniri Et respondet denique rationem esse, quia quousque sit de facto meritum vel demeritum, non est obligatio & dignitas ad pœnam, nec ius & obligatio ad præmium: ac proinde contra iustitiam esse anticipato punire, siue tempore, siue naturâ. Contra, ergo & anticipato præmiare contra iustitiam, vel saltim præter illam erit; in tua hâc doctrina: quare anticipatum præmium non præmium sed libertas erit, sed pro omnibus respondeo ex diuersitate subiecti, in quo sunt ius & obligatio in præmiando & puniendo prouenire, vt anticipato tempore, atque in horum sententia etiam natura, sine iniustitia delinquens puniri nequeat, possit autem sine illa iustus, ac bene meritus præmiari. Nam ad pœnam ius est in iudice, obligatio vero seu reatus in delinquente; contra verò ad præmium ius est in benemerito, obligatio verò in præmiante: itaque in causa supplicij reus est debitor, creditor verò iudex; in causa verò præmij contra, iudex seu Princeps debitor quodammodo est; creditor autem, qui meretur. Cùm autem debitor, si velit anticipato soluere sine iniustitia, imò cum laude possit, creditor autem anticipato nequeat, nisi iniustè, & iniquè debitum exigere, fit; vt præmians cum laude præmium anticipare possit, iudex autem,

non nisi improbè supplicium.

5 Hæc autem de præmio & merito, ac delicto & supplicio, vt huius anticipatio ex huius solùm arbitrio sine iniustitia fieri possit, illius verò anticipatio è sola pura præmiantis voluntate, de merito, ac demerito infinito intelligenduin non est. Quare censeo contra Murcianos Recentiores merito Christi infinito anticipatam solutionem debitam suo modo fuisse, non minùs, quàm solutio præmij à tempore quo merebatur debita fuerit. Cùm enim meritum hoc, quia simpliciter infinitum, ad omnia præmia possibilia se extenderet, ad anticipationem præmij, quæ æstimabilis etiam, ac proinde materia etiam præmij est, se debet extendere: quod ipsum in malitia Mortalis, si infinita sit, argumentum euincit: nempè, ex iustitia posse Deum pœnam mortalis futuri anticipare, quod est absurdum, ex quo infinitas malitiæ & offensæ mortalis non leuiter quassatur.

CERTAMEN VI.

Rationibus à priori eadem sententia confutatur.

1 IMpugnantur primò à priori. Quia de ratione Motionis meritoriæ, provt præmium ac voluntatem præmiandi antecedit, est absoluta existentia meritorum: atqui merita in statu conditionato non habent absolutam existentiam: ergo nec motionem meritoriam. Maior probatur primò, ex communi & generali omnium Philosophorum, Theologorum, & Patrum iudicio, in eo distinguentium duplicem motionem intentionalem meritoriam, & finalem, quod hæc moueant ante absolutam existentiam, quia moueant vt sint, atque ad desiderium sui, quod nondum habitorum est, sed vt habeantur; illa vero quia sunt; sin assigna mihi rationem, qua generatim motio intentionalis finis à motione intentionali meritorum distinguatur, nullámque aliam inuenies præter hanc, quam omnes hactenus homines assignarunt, expresserúntque Patres verbis illis, *vt essemus sancti, ergo non quia futuri eramus sancti.* Confirmatur: quæcumque motio explicatur à philosophis, per *quia*, quod opponitur, *vt*, & *propter* dicit causæ existentiam: at meritorum motio explicatur per *quia* oppositum *vt* & *propter* à Patribus, ergo dicit meritorum existentiam. Secundo probatur Maior: quia motio meritorum non est per modum allicientiæ & pellicatus voluntatis ad ipsa, sed per modum exigentiæ à voluntate præmiantis, vt tendat in aliud, quod præstet ab eâque exigatur: non secus, atque causæ naturales & physicæ exigunt à Deo, non vt voluntas eius in ipsas tendat, sed in effectum, & concursum præstandum, quem exigunt; atqui quouisque res, quæ per exigentiam mouent, absolutè sint, nec eorum exigentia est, nec motio, (alioqui posset Deus decernere concursum, aut effectum ob conditionatam causæ, vel dispositionum futuritionem tantùm, idque omnino iuxta connaturalem, ac debitam causis prouidentiam) ergo motio meritoria operum non est ante eorum absolutam existentiam.

2 Impugnantur secundò. Quia actio præmiatiua est compensatiua & quasi gratificatoria, & quasi redditiua obsequij ex essentia & natura sua: ergo eo gradu solùm, quo in rebus, & in se meritum fuerit, eo solum gradu compensatio, gratificatio & redditio esse poterunt: ergo si obsequium non est absolute in rebus & in se, nec actio præmiatiua, sed compensatio esse absolutè poterit. Prima consequentia probatur, quia compensatio, gratificatio, & redditio, connotant supponúntque essentialiter, quod reddendum est: quare eo solùm gradu, quo acceptum cognoscitur & præsupponitur, esse potest redditio obsequij. Confirmatur: quia compensatio & gratificatio essentialiter supponit titulum, aut ius aliquod in gratificando: atqui in merito sub conditione nondum posita, nullum ius est aut titulus ad gratificationem: ergo nequit esse gratificatio: ergo solùm sub conditione meritorum. Denique compensatio & gratitudo debitum supponit: debitum autem ex merito conditionato non est, sed ex absoluto; Ecquis enim compensationem petat, aut gratificationem ad id quod non est, nec absolutè erit, sed foret si talis poneretur conditio? aut non vt amens rideretur? Dices hoc probare nec tempore anticipari præmium posse, quia antequam merita existant, ius in merente non est, nec obligatio in præmiante. Respondetur respectu Dei cuius æternitati omnia præsentia sunt, suo quæque tempore, quique ex æternitate ante omnia tempora compensationem gratificationemque decreturus est, nil referre, temporariam meriti ad præmium posteriòritatem: maxime in meritis infinitis Christi Domini, quæ, vt dicebamus, ipsam anticipationem merebantur; non æque respectu hominum, si absolute futura sunt merita, & ita præuideantur. Quia cum meritoria motio, intentionalis sit, non physica, ac proinde non secundum se physicè moueant sed vt applicata per cognitionem, satis est vt nunc moueant, licet posterius futura absolutè sint, quòd nunc futura absolutè cognoscantur; quæ autem solùm conditionate futura cognoscuntur, non cognoscuntur subesse absolutè, quare, nec cum titulo aut iure absoluto ex parte sui, nec cum obligatione ex parte præmiantis.

3 Denique generatim probatur Maior: quia existentiam absolutam meriti requiri ad motionem compensatiuam & remuneratoriam, statutum hactenus in Philosophia, ac Theologiâ fuit. Recentiores isti aiunt non requiri; oportet autem vt ij, qui reliquis aduersantur, suadeant, imo non exsibilentur rationem adducere aliquam ad probandum intentum, atque conuellendum principium in scholis statutum, ea autem non afferatur à priori, nec ab absurdo nec ab exemplo, vt statim exemplorum, quos afferunt solutione, & difficultatum de merito Christi respectu gratiæ Progenitorum complanatione suo loco constabit. Ergo vt summum defendetur: ast tenere sententiam contra statutam, fixamque doctrinam quia non conuinceris, magnum doctrinæ piaculum, & totius disciplinæ subuersio est. Insuper iucurrunt aduersarij absurda illa, quæ quatuor totis certaminibus expendimus, patiuntur rationes nuper à priori efformatas: quare opinio hæc ab scholis eliminanda merito erit: maiorique iure iuxta modos, quibus defenditur. Etenim qui finem voluntatis præmiandi, anticipato in spe meritorú merita ipsa præstituunt, voluntatem illam non remuneratoriam, & gratificatoriam, sed lucrosam, ac mercenariam in Deo ponunt: qui verè finem eius voluntatis compensationem meritorum præuisorum conditionatè esse aiunt, apertiùs in illud absurdum incurrunt, quòd possit esse præmium absolutè sine merito. Si enim satis tituli in meritis sub conditione solum futuris est ad compensationem faciendam, vt cordatè ac non ridiculè Deus præmiet, opus non est, vt merita postea absolutè existant.

4 Atque, vt adinuenti, huius inutilitas palam omnibus fiat, ostendam facilè his meritis admissis non magis gratiam progenitorum Christi ex huius meritis esse, quàm Christum eiúsque merita ex meritis Progenitorum Christi congruis. Etenim Deus vidit eorum omnium gratiarum actionem futuram ob incarnationem si incarnatio poneretur: ergo potuit æque incarnationem in spe gratiarum actionis Progenitorum ob illam futuræ, siue ex affectu eam ipsis compensandi decernere, atque potuit decernere auxilia gratiæ Progenitoribus in spe gratiarum actionis Christi, siue, vt hanc compensaret. Nec satis est, quod nonnulli respondent, esse radicem gratiarum actionis Progenitorum, siue ipsam actionem gratiarum in radice: quare gratiarum actionem Progenitorum nihilo magis incarnationis, quam sui ipsius pretium esse posse quod incarnatione compensetur anticipato vel cuius spe incarnatio decernatur. Sed vinea illa sua sic respondentibus non vuas, sed labruscas faciet: armáque, & equus solutionem expugnabunt. Nam, & vinea fructus in radice est, & facinora in radice arma sunt & equus, quæ tamen per hosce in præmium fructus & vsus donantur item Progenitura aliorum, ac Maternitas Mariæ radix est gratiarum actionis Christi, cuius spe, & in cuius compensationem donatur. Dices consequentiam de possibili absurdam non esse; negandam tamen de facto ne detur mutua causalitas inter merita progenitorum, & merita Christi in eodem genere, quia hæc ex Patribus, & Theologis fuere causa gratiæ auxiliantis, & meritorum Progenitorum Christi de facto. Fateor mutuam hanc causalitatem generis eiusdem absurdam, & repugnantem: cum autem aduersarij eiusmodi in meritis Christum causam de facto gratiæ auxiliantis Progenitorum fuisse defendant, quæ etiam de facto in Progenitoribus respectu existentiæ Christi fuisse negare nequeunt, nec mutuam causalitatem negare possunt. Accedit: quod iidem Recentiores principia non requisita essentialiter ad meritum sub illud cadere posse docent: atqui nec merita Christi principia essentialiter requisita ad gratiam auxiliantem, & merita Progenitorum Christi non sunt, neque hæc ad incarnationis existentiam & merita Christi vt patet: ergo hæc mutuo se causare in horum sententia & possunt, & debent.

CERTAMEN VII.

A fundamentis eadem opinio subuertitur.

1 EX his soluta manent exempla, quibus merita hæc in spe, & per modú pretij, & solutionis suadebantur ex contractu emptionis, & venditionis, in quo nulla est voluntas remuneratoria, & gratificatoria qualis esse debet voluntas præmiandi; qui enim anticipato soluit equum, equum amat non compensationem: si autem illam etiam amat ex contractu supponit acceptam moraliter: non secus ac cum vltro, citroque & res, & pretium simul datur: in rigore autem ille tantum soluit debitum, qui postremo tradit, siue rem, siue æs: solum autem satisfacit iuri contractus, qui dat primo, sed ius hoc iam absolute supponitur existens: nemo autem ex iustitia potest dare pretium primo ob rem de qua non contraxit; licet sciat obiter rem tradendam, si pretium tantum donet, vt patet. Alterum exemplum de equo, armis, & vinea multum negotij scholasticis hucusque facessiuit, vt disparitatem inter illud, & principium meriti, ac meritum ipsum, quominus cadere principium meriti sub illud nequeat, sicut dari equus, & arma ob facinora ipsis patranda, & vinea ob pretium ex eius fructu capiendum. Alexand. 3. p. q. 69. a. 2. in prima vocatione assignat disparitatè ad 5. quia gratia est prima vocatio, ac proinde sub meritum cadere nequit; in aliis verò principiis admittit ac plane succumbit, sed neque in prima vocatione satisfacit, nam argumentum contendit dari posse in sui operis præmium, sicut reliqua principia: ac proinde gratiam non fore. Atque vrgentius ex aliis vocationibus, quas in suorum operum præmium dari posse admittunt impugnatur: cum eodem modo hæc, atque prima ad sua quæque opera comparantur: licet, quia reliquæ primum opus supponunt, quod non causant, sub eius meritum cadere possint; sub suum autem quæque, æqua difficultate nec minori quam vocatio prima.

2 S. Th. in 2. d. 27. q. 1. a. 4. ait iniustitia commutatiua solutionem pretij, posse esse effectum rei, quæ ipsa soluitur, ast iniustitia distributiua, in qua datur præmium, non posse conferre ante merita præuisa absolutè non solum huius, sed aliorum. Contra: quia si præmia Deo deficerent, possent expectari merita aliorum, vt huic daretur, quod alij non deesset, iuxta debitam cuique proportionem: ast non deficiunt: imo vocatio, quæ huic danda in præmium sui operis, alij dari nequit, cum sit actus vitalis huic necessario affixus: ergo huic poterit dari nulla habita ratione aliorum ex iustitia distributiua. Sed habeatur necessario aliorum ratio, aliis etiam possent donari in præmium boni vsus sub conditione futuri auxilia, vel negari ob malum vsum sub conditione futurum ex qualitate iustitiæ distributiuæ. Denique auxilium in præmium operis tanquam meriti solum congrui donandum solum esset: quare non ex iustitia distributiua. Respondet secundo 1. 2. q. 114. a. 5. ad 3. iuxta expositionem Vasquez 1. p. d. q. 1. c. 6. bonum vsum equi, & armorum totum equitis esse, ipsiusque haberi; ast bonum vsum gratiæ, huius etiam esse: quare illa ob equitis facinora illis patranda dari possunt; secus ob bonum vsum hominis auxilium. Contra: quia pretium vineæ fructus illius præcipuè est, eoque soluitur. Secundo: licet bonus vsus auxilij ipsi etiam tribuatur, ast hominis meritum, & laudabilis ipsi est; alioquin non solum auxilium, sed nec quid aliud posset à Deo promereri: ergo, licet physice bonus ille vsus sit ab auxilio, sicut facinus, quod militis meritum est, ab equo, poterit dari ob bonum hominis vsum. Respondet tertio q. 29. de verit. ab equum & arma posse dari militi cum onere, vt eis vtatur: sicque posse dari in præmium, pretiúmque boni vsus, non secus; gratiæ vero auxilium non datur cum eo onere. Approbat hanc solutionem Durandus in 2. d. 5. q. 3. num. 8. sed quis vetat, cum eo etiam onere dari à Deo auxilium? Secundo: licet neutrum cum eo onere donetur, datur tamen spe, & desiderio boni: ergo ob illum, tanquam meritum per modum pretij, & solutionis, vt isti & Alexander obiiciebant.

3 Herize d. 28. de prædest. ex Vasquez supra, ac ex vtroque Bernal de incarn. d. 17. sect. 2. num. 35. respondent: nec cum datur equus cum onere pugnandi ipsum sub pugnæ meritum cadere, sed esse contractum innominatum *Do vt facias* contra: quia in omni contractu eum, qui primo dat soluere, quod nondum accepit, in spe rei tradendæ sibi sub conditione solutionis suæ contendunt aduersarij, licet nondum absolute futura fuerit præuisa: ac proinde equo, & auxilio præmiari per modum pretij, & solutionis bonum eorum vsum, si ex eo affectu donare Deus, dominúsque equi voluerint. Respondet secundo Herize disparitatem esse: quia Deo bonus noster vsus vtilis non est, sicut donanti equum & arma bonus militis vsus: quid ergo dabit Deus auxilium, quod boni vsus principium est, vt illum soluat, cum vsus bonus hominis nil Dei interfit? Peior reliquis solutio. Etenim, si solutio solum supra rem soluenti commodam, solúmque ob vtile aliquid præmianti præmium dari posset, etiam post factum boni vsus nostri nil Deus in præmium nobis posset conferre, satis ergo ad præmium est, quod bonus vsus gratus præmianti sit, quare nulla est disparitas. Respondet tertio Herize exemplis hisce non probari principium meriti cadere sub meritum posse vt meritum, sed, vt pretium: quod solum attenditur à donante vineam, vel equum, non autem, quo de vinea, vel equo illud paretur. Sed contra: quia hoc solum contendunt aduersarij ob meritum, vt pretium, siue rem intentatam, atque in spe illius posse dari equum, & auxilium, anticipato, pro priori naturæ præmio, & solutione. Respondet quarto, longa huius argumenti explicatione dari posse vtrumque in spe boni vsus anticipato vt aduersarij contendunt, non

autem

autem ostendit cur præmium anticipatum non sint, cum sic donantur.

5 Respondet tandem Daza equi vsum & vineæ fructum non esse causam adhuc finalem, vineæ & equi ipsius: sicut esse oportet bonum vsum auxilij, cum hoc in spe illius produceretur & donaretur tanquam *pretij*. Bene; ergo nec remota principia v. g. existentia Virginis, gratiáque Progenitorum Christi, vt tales esse mererentur potuisse cadere sub merita Christi, quæ causa finalis eius gratiæ fuerunt eo argumento & exemplis equi, & vineæ conuincitur, vt contendunt aduersarij. Secundo: quod meritum boni vsus auxilij sit causa finalis ipsius non obest, quominus auxilium ex spe & intentione boni vsus tanquam præmium anticipatum donetur per modum pretij & solutionis, vel obsit gratiæ Progenitorum Christi, vt illorum spe ipsa Progenitoribus Christi donetur vt anticipata solutio, & præmium eorum. Denique quod fructus vineæ eiúsque pretium, quo ipsa soluitur, huius qui emit sit, vt illo soluat pendet à dominio vineæ translato ab anticipato donatore in spe pretij obtinendi ex fructibus vineæ, ac similiter in equo & armis: in quo paritas ad auxilium, & bonum eius vsum aperta est. Nam proprietas fructuum soluentis pendet, quasi effectiue, à donante dominium, & hæc donatio & dominium pendet tanquam à fine à fructu & pretio, siue bono equi vsu in quorum spe equus, & arma, ac vinea data sunt: sicut bonus vsus auxilij, quasi actiuè, ab auxilio pendet: auxilium vero ipsum à bono vsu tanquam à fine intento, cuius spe donatur.

6 Sed vero, & eruditi, & quiescere hunc equum tot cursibus ab scholasticis omnibus quadringentos totos annos agitatum æquum tandem erit; vel potius tanquam iam nunc sessoribus omnibus suis infaustum enerauatum ad pratum remitti. Nec minus opportunum vineam in spei scholasticæ ludibrium atque tanti sudoris inutilis materiam plantatam eradicari. Respondeo ergo ex dictis hactenus negotio facili: ad equum ob bonum eius vsum, & vineam ob fructus pretium donari posse pro naturæ priori atque eodem prorsus modo ob bonum vsum ipsius donari posse auxilium: nec inter hæc disparitatis vmbram quæri, nedum inueniri vnquam posse, nisi ab his, qui nodum, vt aiunt, in scyrgo quærant: vt idcirco tam improbo labore scholastici laborarint, quin difficultatem vicerint. Sed neutrobique, quod anticipato datur pro naturæ priori siue ad bonum vsum equi, vel auxilij, siue ad pretium fructúmque vineæ dari in eius pretij solutionem, boníue vsus præmium: quia solutio & præmium absolutum natura, & essentia sua debitum, seu ius ad illa absolutum supponunt, quod pro priori naturæ sui principij absolute esse cognoscíque repugnat: quare & pro illa priori præmium & solutionem esse posse: dantur ergo ea omnia in spe boni vsus, & & pretij, ex eorúmque intentione: quare ob illa, vt finem non ob debitum, & meritum: quare nec in solutionem & præmium. Hac ipsa doctrina miles ille arma deponat, & suras, etsi Decurio sit, soluaturque somno. Ipsi enim cum arma illa donata sunt non ex affectu soluendi boni vsus illorum, illumve præmiandi sunt data: nulla enim in spe futuri sub conditione meriti, est absoluta solutio: quia hæc nostra omnium ad hæc merita in spe exigenda fundamentorum anticipata solutio est.

QVÆSTIO V.

Quonam tempore designatis actibus, & meritis Christus promeritus fuerit.

DVo in Christo ad rem hanc tempora distinguenda sunt: ante mortem & Resurrectionem, vnum post mortem; & resurrectionem alterum. Ac demum videndum an ex omnibus actibus honestis, quos tempore promerendi exercuit vnum totale meritum, an plura, pro actuum pluralitate numerentur?

CERTAMEN I.

De vitæ tempore, ad mortem vsque exclusiuè, conclusiones.

1 COnclusio prima est: *in ipso conceptionis instanti promeritus est Christus*, est contra Alentem, Albertum, Bonau. Holcot. Capreo. & Durandum, apud Vasquez d.75.c.1. sed tamen est reliquorum antiquorum Theologorum, quos referunt secuntúrque Vasquez ibi.c.2.Soar.d.39 sec.3.Lugo d.27.sect.4.communem,& fere omnium Theologorum appellans; Bernard.d.55.sec.6.§.1.vterque Hurt.Beccan. Raguſa recétioresque reliqui ad vnum siue Typis siue Manuscriptis de hac re disputarunt. Probatur ex Paulo ad Hebr. 10. vbi ex Psal.39. à n 5.E Christi in omine mundum ingredientis & persona ait, *hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi; holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Superius, inquit Paulus, dicens, *quia hostias, & holocautomata & oblationes pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi; quæ secundum legem offeruntur: tunc dixi ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam: aufert primum, vt sequens statuat: in qua voluntate sanctificati sumus per oblation. &c.* Licet autè volútas hæc, in qua sanctificati dicimur Dei volentis, & Christi in ipso mundi ingressu obsequentis, intelligi possit ac Patres plures de Dei explicent voluntate; non ita vero, vt alium intellectum de Christi voluntate excludant, ac negent: iamque vulgo à Theologis intelligitur de voluntate Christi acceptantis in conceptionis suæ initio Dei præceptum de vita passibili, ac morte ad hominum reparationem. Secundo in ipso mundi ingressu, seu suæ conceptionis instanti voluntas Christi Dei voluntati obsequentis asseritur à Paulo illis verbis, *tunc dixi ecce venio*: laudabilis, & honesta: ergo meritoria.

2 Respondet Vasquez qui huic testomonio conclusionem cedere non auder, per ingressum Christi in mundum non curare Paulum aut Patres an instantanee sit, necne? quin idem Paulus ibi.cap.1. num. 6. a i *& cum iterum*(alio scripturæ loco) *introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* cum non inde, nec aliunde constet in ipso introductionis in mundum seu conceptionis Christi instanti, propositum illum à Deo angelis omnibus fuisse vt adoraretur: ergo ingressus, siue introductio Christi in mundú in phrasi Pauli instátanee nó capitur. Verum retenta vtrobique vulgata latina quid dubij est, Angelis omnibus Christum in primo conceptionis suæ instanti propositum à Deo fuisse vt adoraretur? Cum id humanitatis dignitas, vbi primum Deo vnita hypostatice fuit suopte exigeret iure, vt à creaturis omnibus adoraretur. Secundo Græca lectio valæ vtriusque loci intelligentiá quoad presens institutú discrimi-

nat. Nostro enim loco pro *ingrediens* habet εἰσαγόμενος, id est, *ingressurus*, vixdum ingressus, quia tum primum concipiebatur; loco autem oppositi pro *introduxit*, εἰσαγάγη: id est introduxisset. Tertio cum ingredi illud primum instans significare propriè ac rigidè possit; Sicque acceptam conclusionem Theologicam contineat, quam negare fere temerarium iam esset, cur non ita accipiendum sit? Quartò; sic eam vsurpat S. Th. & scholastici communiter vt fine numeri primi referebamus.

3 Probatur à ratione. Quia, vbi est perfecta deliberatio ad honestum, actusque exercitium circa illud, est libertas, & meritum: atque in instanti conceptionis adfuit Christo perfecta deliberatio circa honestum, atque exercitium actus circa illud: ergo pro instanti conceptionis fuit Christo libertas & meritum. Maior est certa: minor haud obscurior. Quia in instanti conceptionis adfuit Christo perfecta boni & mali cognitio per sciétiá infusá, quin ad alterutrú perfectè cognoscendum indagatione, proprio vero labore egeret, quo in alterutrius cognitione crescceret, eiusque notitiam meditationis, ac discursus diuturnitate proueheret: adfuit insuper ex parte voluntatis summa eademque, quæ postea futura erat, ad bonum prosequendum promptitudo. Nec enim decursu temporis in scientia, aut virtute profecit, vt dogmaticum est: atqui in primo stat perfecta deliberatio in conceptionis instanti circa honestum, in secundo exercitium actus circa illud: ergo in instanti conceptionis adfuit Christo, & perfecta circa honestum deliberatio, & actus exercitium circa illud. Minor probatur: nam ex perfecta cognitione vtriusque extremi in instanti antecedenti vel subsecuto ad instans determinationis voluntatis non est determinatio ex perfecta deliberatione pro instanti determinationis, sed ex cognitione pro eo instanti, in quo est determinatio. Licet enim præcesserit in instanti antecedenti atque in sequenti restituatur, si tamen absit in instanti determinationis, perfecta deliberatio non erit. In nobis quidem tempus ad perfectam deliberationem requiritur: tum, quia phantasia non statim perfectè inseruire intellectui potest, qui pro hoc statu dependenter à phantasmate necessariò operatur: tum, quia etiam cum perfectè inseruire potest, intellectus nonnisi discursu atque industria in perfectam rerum notitiam deuenit: tum denique, quia rebellem difficilémque ad bonum voluntatem, non illico à malo, in quod vergit, ad bonum deducere possumus. Quæ omnia in Christi voluntate ac scientia secùs euenerunt.

4 Sit secunda conclusio. *Reliquo vitæ tempore ad mortem vsque exclusiuè Christus meruit.* Est Theologorum omnium, cuique proinde quoad infantiæ tempus temerè aduersatur Durand. in 3.d.28.q.2. Si autem fundamenta, quæ ab ipso, & aliis afferuntur, vt meritum pro instanti conceptionis negarent, perpendantur, pro tempore infantiæ etiam probant: Quare consequétiùs quàm illi in hac parte loquitur Durádus: sed tamen, cum hoc adeò sit absurdum, non leuiter exinde conclusio negatiua pro instanti conceptionis impugnatur. Probatur concl. ex Isai. 8. vbi de Christo *Antequam puer sciat vocare Patrem suum & matrem suam* (scientia experimentali) *diuidet spolia Samariæ.* ideest, de diabolo triumphabit meritis suis, vt aiunt Cyril. Alex. Hyer. Haymo. ibi Aug. Serm.4. Epiph. Imperfectus apud Chrysostom. hom.2. in Math. Tertul. aduersus Iudæ. c.9. de resurrect. carnis. c.2. & 3. contra Marcion. c. 13. & 14. Iustin. dialo. cum Triph. Epiphan anchorat. fol. 6. Ambros. in psal. 118. concione 21. de incarn. domini. Sacram. c. 2. & in Luc. c. 1. fin. fulgent. 1. ad Trasim. c. 8. Probatur secundo ex Aug. serm. 11. de temp. fine, Bernard. serm. 1. de circumciso domini: post init. Serm. 2. post. med. Ambros. 2 in Luc. c. de Natiuit. saluator. Med. & aliis innumeris Patribus, qui infantibus Christi actionibus remedium, ac redemptionem nostram adscribunt: hæc autem nonnisi actionibus Christi meritoriis adscribitur. Tertiò probatur ratione à priori quam pro instanti conceptionis efformauimus num. 2. ex perfecta deliberatione, quæ ratione scientiæ infusæ animæ Christi independenter à sensibus, & conuersione ad phantasmata, quæ sic posita vlteriùs voluntas se ad phantasma conuertere, vt ea vtatur, opus est abet: tota enim conuersio ad phantasma intellectus solius est, solúmque, vt intelligat: quare in ea scientia, & cognitione, quæ independenter ab illis infunditur, nec intellectus ipse ad phantasma conuertitur. Quare, etsi in infante Christo sensus & phantasia perfecta non sint, potest esse, & scientia de bono & malo perfecta, eiusque in voluntate perfectus vsus: quo Durandi contra vtramque, & aliorum contra conclusionem primam erutum fundamentum est.

5. Tertia conclusio, *quivis actus Christi adæquatum meritum fuit ab aliis diuersum*, est communis Theologor. S. Th. q. 34. a. 3. ad 3. Alex. 3. p. q. 117. in 2. a. 2. &, 3. Magistri in 3. d. 18. c. 2. Bonau. 2. 1. q. 2. fine Corporis. Durandi ad vltimum Palud. a. 2. p. 3. Gabr. q. vn. a. 2. concl. 6. Maior. conclu. 1. q. 2. & ad 12. Almain. q. 1. conclu. 5. & 6. ac dub. 3. Vasquez d. 75. c. 4. Soarij ac reliquorum Ratio: quia quiuis actus Christi physicè totaliter ab alio diuersus est atque moraliter honestus, & laudabilis, independenter ab alio: ergo fuit adæquatum meritum ab aliis diuersum. Dubitarunt solùm de hac conclusione Recentiores: quia oblatio sui in mortem vnica continuatio à sua conceptione ad mortem vsque fuit: ac proinde & in ea meritum vnicum, vt Paulus insinuat, sed nonne alios actus misericordiæ, religionis, &c. Christus exercuit? Dices tam illam oblationem sui in mortem, quam opera reliqua Christi à continua in Deum Charitate fuisse imperata. Sed quid inde, licet sine fundamento admittatur? etsi enim actus imperati imperantis bonitatem participent contra Vasq. 1. 2. d. 53. c. 4. ast propriam bonitatem ac meritum non necessariò amittunt in Christo, qui in huius præ illius electione liber permanebat. Dices Tertio Christum ex Paulo ad Hæb. 10. *vna oblatione consummasse sanctificatos: atque vnam pro peccatis obtulisse hostiam.* Atque Christus ipse spiraturus dixit, *Consummatum est*, nempe Redemptionis nostræ negotium vltima vitæ oblatione, siue eiusdem oblationis continuæ in mortem extrema duratione: ergo ità merita Christi cogitare debemus, vt ex omnibus vnum redemptionis adæquatum meritum coagmentatum sit, cui vltima vitæ suæ oblatione in mortem imponeretur fastigium. Verùm respondetur consummatam redemptionem mortis oblatione, non quia hæc quasi meritorum inadæquationem compleret, sed quia, licet singula eius opera meritum adæquatum essent, vt erant, morte tanquam conditione, non tanquam complente meritum consummabantur, vt Deum non ex merito quidem sed ex promissione tenerent: quia dixerat, *si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum.*

6 Scio Recentiores alios, etsi in meritis redemptionis vnum adæquatum meritum oblatione consummatum ob ea loca putent; ast plura alia afferre meritorum Christi exempla quæ aiunt, meritis, consummatione & oblatione non eguisse: vox laudatoria Patris Christi humilitati in Iordanis baptismate, cum Spiritus sancti columbæ specie descensu, donata: atque iterum vox similis in Thabor. ac Ioannis 12. 28. ob illam Christi orationem: *Pater clarifica filium tuum*: vox illa, *& clarificaui, & iterum clarificabo*, pluráque alia miracula, Lazari resurrectio ob seruentem Christi orationem: quæ merita mortis & oblationis meritum non expectasse, vt ea obtinerent, extra dubium reputant. Sed certè, cum hæc omnia ad hominum institutionem fidémque Christi eis ingenerandam præstita fuerint, atque à Christo perita, ea esse merita redemptionis, atque in eorum opinione cum reliquis eius ordinis meritis ad vnum totale redemptionis meritum obla-

tionis sui in mortem à Christo consummatam constitisse dicendum ipsis est. Aduerterim tamen in Soarij sententia requirente ad meritum Dei promissionem, ægre meritum Christi nisi in oblatione sui in mortem, cui solùm redemptionis hominum promissio facta est, posse defendi. Nec magis facile in Vasquez doctrina; tum quia meritorum Christi applicationem formalem pro nobis requirit, cum tamen semel tantùm oblata merita à Christo per mortem consummanda ex Paulo constet: tum precipuè, quia ipse Vasquez constanter vbique duas eiusdem effectus totales causas etiam finales, nedum meritorias, esse posse negat. Quare hic merita singula Christi inadæquatè solum redemptionem nostram causasse de facto, atque ex omnibus meritum redemptionis adæquatum cõflatũ esse, tenetur asserere.

CERTAMEN II.

A mortis tempore inclusiuè nil suis actibus promeruit Christus.

1 ORigen. teste Nicephoro 7. hist. c. 27. errauit asserens *Dominum Iesum Christum in futuro sæculo pro Dæmonibus, quemadmodum pro hominibus in hoc, crucifixum iri*, de quo expressis verbis damnatur in Concilio Constantien. can. 7. ex decem contra eius errores. Refertur hic etiam error inter reliquos Origenis à Hieronymo, & à Theophil. Alex. à quo duabus Epistolis confutatur t. 1. Biblioth. multis, sed præcipuè ex æternitate. Hoc igitur errore amandato. Dico primò: In mortis instanti nil Christus meruit. Patet; quia in eo instanti Christus absolutè non fuit; sed quod absolutè non est, nequit operari pro durationeque non est: ergo nec mereri: quia meritum nonnisi propriis honestis operibus esse potest.

Dicet Caiet. 1. p. q. 63. art. 6. animam Christi in eo instanti sustinuisse voluntariè à corpore diuisionem. Sed quid? nunquid anima Christus est? Secundo probat ratio contra Caiet. Christum toto triduo mortis meruisse. Tertiò nil adhuc de animâ probat; quia in mortis etiam instanti, extra viam, quæ conditio necessaria ad meritum est, anima Christi erat.

Dices secundo Morti Christi attribui nostram redemptionem, cuius non nisi meritoriè Christus causa fuit. Sed dedimus solutionem iam, attribui morti vt acceptatæ, ac secundum se, non nisi vt conditioni ad præmium redemptionis donandum.

Dices tertiò, mortem sanctorum Martyrum, dici pretiosam; ergo in genere mors erit valorosa: ergo potiùs mors Christi pretiosa erit; Nego primam consequentiam. Dicitur enim pretiosa, tum quia meritoriè à Martyribus acceptata: tum quia vitæ discriminibus ante acta merita liberat: Tum quia merita claudit & terminat, atque ad præmium certò destinat.

Dico secundo in triduo mortis nec quousque cœlos conscendit non meruit Christus. Prima ratio: quia extra viæ statum fuit, quam vrgebimus pro tertia conclusione. Secundo: quia tam merita pro nobis, quàm respectu sui morte consummata sunt; pro nobis quidem, nostráque reparatione consummata Christi merita dicuntur locis Pauli datis ex 10. ad Hæbr. *vnam pro peccatis offerens hostiam*, respectu vero sui, Lucæ 24. *nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* & Philip. 2. *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. vt idcirco de meritis suis, siue respectu sui, siue nostri, iam iam moribundus dixisse videatur *Consummatum est.* Tertio conclusionem simul, semélque videtur Christus expressisse Ioann. 9. dum dixit. *Me oportet operari opera eius qui misit me; donec dies est; venit nox,* (mortis nempe) *in quâ nemo potest operari.* Scio Patres plures docere è vulnere lateris Christi mortui Sacramenta fluxisse, sed verò non meritorio fluxu intelligendi sunt, sed representatiuo, quatenus scilicet in sanguine Eucharistia, in aqua Baptismus repræsentabatur ita August. 2. de symbolo ad Cathe. 2. cum cap. 6. Leo epist. 4. cap. 6. Alger. 1. de sacram. corp. & sangui. Christi, Chrysostom. homil. 84. Euthym. & Theophylact. ad 19. Ioann. Damasc. 4. de fid. cap. 10. Cyrill. Alexand. 12. in Ioann. cap. 39. Nissen. lib. Testimon. contra Iudæos cap. penult. Tertul. de Baptism. cap. 16. Quòd si omnia Sacramenta fluxisse contendas representatiuè, explicuit optimè Sotus in 4. d. 1. q. 3. vt latus instar fontis se gesserit è cuius vulnere Sacramenta omnia profluere apparerent.

3 Dico tertio: *Christum non meretur in cœlo.* Est omnium conclusio, sed non omnium fundamento defendenda. Vasquez recurrit ad defectum applicationis operum illorum pro nobis. Sed vndénam eum applicationis defectum probabit? quin vero similius est Christum, & Beatos nostri amantissimos merita quæ haberent, nobis applicare. Secundò: cum ad meritorum Christi applicationem gratiarum actio Christi sufficiat, vt in merito ipsius respectu Patrum antiquorum Vasquez ipse docet, Christúsque in cœlo pro collatis in nos gratiis gratias agat, applicatio sufficiens erit. Tertiò: applicatio formalis meritorum Christi, vt nobis mereatur, necessaria non est, vt d. sequenti constabit. Quartò, si sit necessaria, & deficiat, nobis non proderunt ea merita, sed erunt tamen. Quintò: respectu sui ipsius, cui naturâ suâ, & essentiâ merita applicata sunt, in doctrina Vasquez, vt repugnet ab operante exapplicari, atque ad alium transferri, ni aliud meritis desit, nequit applicatio deesse; solida ergo probatio communis, licet nec satis fundata communiter, sic habet. Ad meritum quoduis requiritur status viatoris; atqui Christus in cœlo statum viatoris non habet: ergo nec meritum. Minor & consequentia sunt notissimæ. Maior apud Theologos omnes stat, ac firma, sed cuius ratio vel fundamentum desiderabitur. Nec re datur solum, cum per se nota minimè sit. Nonnulli statum viatoris ad meritum non ex rei natura, sed ex Dei lege requirunt euulgatâ Testimonio illo ex Ioann. 9. recitato ad numer. 2. sed ibi solùm dicitur à mortis tempore meritum esse non posse; no nautem an id è Dei lege, an ex rei natura proueniat. Secundo, vt bene Vasquez 1. 2. d. 6. incredibile est opera Beatorum ex se naturáque fluxa Dei amicissimi lege tot præmiis priuari, nilque vltra eam mereri, contra verò Dei eiusdem inimicissimi lege damnatorum digna de se opera demereri nihil.

4 Sed verò solidam rationem, cur ex rei natura ad meritum status viæ requiratur assignare hoc opus hic labor est: & sane quoad essentiale præmium non adeò est assignatu difficile, cum quiescendum tandem homini in aliqua felicitate sit; si autem continuo in cœlo mererentur, nunquam per æternitatem præmium adæquatè consequatur siue in se, siue in aliis in quibus illud recepturus merens sit. Si autem ex natura rei certus statuendus sit dies iudicij ad merita demeritáque determinata naturæ rationalis, eiusque opera diiudicanda, certum est eius resignationis ius ex natura etiam rei penes Deum præmiaturum, supremúmque naturæ rationalis Iudicem fore. Eâ igitur rationalis naturæ exigentiâ iure suo vtens Deus attentáque duplicis rationalis naturæ, Angelicæ videlicet, & humanæ constantiâ, vel fragilitate maiori Angelicæ breuius, humanæ longius vitæ totius spatium præfixit. Secundò: ratio quietis, quæ in vita beata ex natura rei requiritur negotiationem, & solicitudinem atque anxietatem meriti adhuc pro aliis excludit, vt puræ fruitioni locus detur: ac proinde beatitudo cum merito ex rei natura pugnat. Tertio: quia meriti, ac demeriti locus non est, nec alterei esse potest.

actum secundum consecutionis præmij respiciant? Aut in alterutro est indecentia, quam isti inueniebant numero nostro tertio, quod scilicet, perpetuò amicis ex lege merè arbitraria Dei, siue meritum in operibus, siue consecutio præmij in meritis auferatur.

5 Ratio ergo facilis ex ipsa meritorum natura dabitur pro meritis omnibus, siue respectu præmij essentialis, siue respectu essentialis, tam sui respectu, quàm aliorum, si quæ data supra respectu præmij essentialis proprij ex Vasquez, siue ad reliqua merita, siue respectu sui, siue aliorum explicatiùs non nihil extendatur vt benè extensa explicatáque fuit à nostro Lugo d. 27. sect. 4. num. 55. De ratione enim rationalis naturæ liberæ ad benè vel malè operandum est potentia ad præmium merendum, tum in se tum in aliis, vel demerendum à Deo: ad hoc autem requiritur ex natura rei, vt sit spatium aliquod determinatum, intra quod mereatur rationalis natura; ne æternùm negotiatio & labor perduret, nunquámque per æternitatem præmium adæquatè consequatur siue in se, siue in aliis in quibus illud recepturus merens sit. Si autem ex natura rei certus statuendus sit dies iudicij ad merita demeritáque determinata naturæ rationalis, eiusque opera diiudicanda, certum est eius resignationis ius ex natura etiam rei penes Deum præmiaturum, supremúmque naturæ rationalis Iudicem fore. Eâ igitur rationalis naturæ exigentiâ iure suo vtens Deus attentáque duplicis rationalis naturæ, Angelicæ videlicet, & humanæ constantiâ, vel fragilitate maiori Angelicæ breuius, humanæ longius vitæ totius spatium præfixit. Secundò: ratio quietis, quæ in vita beata ex natura rei requiritur negotiationem, & solicitudinem atque anxietatem meriti adhuc pro aliis excludit, vt puræ fruitioni locus detur: ac proinde beatitudo cum merito ex rei natura pugnat. Tertio: quia meriti, ac demeriti locus non est, nec alterei esse potest.

CERTAMEN III.

Obiectionis de oratione Christi in cœlis solutio.

1 SEd pro merito Christi & Beatorum obiicies. Siquidem pro nobis in cœlo, & orant, & impetrant propriè: ergo nobis merentur. Antecedens est certum de beatis: cum Ecclesia singulo quoque Litaniarum verbo respondeat responderéque nos doceat *Ora pro nobis, Orate pro nobis.* De Christo Domino docent Suar. disp. 45. sec. 2. Bernal. d. 59. sec. 2. §. 2. & alij ex 8. ad Rom. *qui est ad dexteram Dei qui etiam interpellat pro nobis.* Ad Hæbr. 7. *semper viuens ad interpellandum pro nobis.* 1. Ioann. 2. *Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum*, quæ loca de propria Christi pro nobis oratione, ac deprecatione intelligere videntur Cyprian. epist. 8. seu lib. 4. epist. 4. August. præfat. in Psal. 85. Ambros. in locum ad Roman. 8. & lib. de Isai, & anima. c. 8. post medium, Bern. sermone de Natiuit. Virg. Iustin. Martyr. q. 105. ad Ortodox. Orig. homil. 7. super Leuit. Vasquez verò tam in Christo, quam in beatis tenere consequentiam putat, si de oratione propria admittatur antecedens, quem Discipuli imitantur, ac proinde negant absolutè antecedens; certam autem esse consequentiam putat ex August. epist. 105. dicente. *Sed, nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat*; quibus docet impetrationem sine merito esse non posse.

2 Quòd autẽ Christus in cœlo nõ oret propriè, sed ea loca intelligi debeãt de oratione impropria, quæ solùm sit tacita quædã suorum meritorũ repræsẽtatio vulnerúmque ostensio, quâ pro nobis interpellat, docẽt Rap. 9. de diuin. officiis c. 3. Naz. orat. 36. num. 53. & 54. Beda in locum Ioann. Chrysostom. homil. 15. in 13. ad Rom. Theophylact. ad loca data Pauli Concil. Francford. col. 16. Greg. M. 22. Moral. c. 3. alias 18. Anselm. in locum ad Rom. 8. ad quem etiam Sedul. Hyeronym. Primas. Innocent. III. serm. de conuers. Pauli, Nicolaus Cabasilla ep. liturgiæ c. 44. t. 4. Bibliot. Iimeon Thessalonic. de mysteriis Ecclesiæ c. 44. apud Turrian. Clemens Rom. 8. constitutione Apostol. Ex Theologis verò Alex. 4. p. q. 26. m. 3. a. 4. §. 1. ad 4. S. Th. 3. p. q. 57. a. 6. Gabriel. Lect. 51. in can. Miss. Cardinal Cusanus 1. de concordant. fidei c. 3. Spencæus de Christo mediatore c. 8. apud quem Amazarus de officio Miss. c. 36. Adelmanus contra Berengarium, Bartholomæus Medina atque alij Thomistæ 3. p. q. citata & q. 21. a. 1. qui omnes vocem omnem Christi ad Patrem vt pro nobis ipsum interpellet, aut impetret, prorsus ab eo excludunt, soláque humanitatis ostensione totum hoc peragi fatentur. Vasquez verò d. 82. c. 2. & Lugo d. 27. sect. 4. num. 63. licet orationem propriam in ea interpellatione Christi pro nobis impetrationem inficientur, tamen prorsus mutam esse negant.

3 Duobus hisce in eo conuenit mecum quod orationem propriam Christi in cœlo esse omnino negent, vt tot Patres & Doctores statuunt, atque vt bene Vazquez, Ecclesia tota, quæ, cum Sanctos reliquos, vt pro nobis orent, præcetur, nusquam tamen Christum, vt pro nobis oret, expostulat: quia nimirum oratio Christum in cœlis minimè deceat, deceat verò Sanctos; quam rationem frigidè impugnat Bernal. Probat secundò à priori Vazquez hanc orationis Christi in cœlis indecentiam, si propriè vsurpetur oratio: quia oratio propriè supponit imperfectionem defectus plenitudinis potestatis in eo, qui orat; Christo autem, etiam quà homini, data post mortem & resurrectionem dicitur *omnis potestas in cœlo & in terra.* Math. 28. at inquit Bernal. ante mortem, & resurrectionem etiam data dicitur Christo omnis potestas Ioann. 13. *sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* ergo, & dum viueret oratio propria Christum exinde dedeceret; cum tamen constet oppositum. Nam c. 17. n. 59. & 15. ac sæpiùs in Euangelio orauit. Quare oratio defectum plenitudinis potestatis vel non supponit, vel non eius quæ integrè ac plenè Christo Domino adfuit, sed supremæ ac prorsus diuinæ, quæ humanitati Christi nec adfuit, nec adesse debuit, aut potuit; Sed tamen parùm vrget ratio hæc. Nam ante mortem non habuit Christus plenitudinem potestatis erga omnia gratiæ dona absolutè, sed solùm sub conditione mortis: quâ, vt primum consummata merita sunt, absolutam ex Dei promissione potestatem obtinuit circa illa: quare & de illis Deum orare opus non habuit.

4 An verò interpellatio illa solâ nudáque humanitatis ac vulnerum siue cicatricum & meritorum manifestatione peragatur, vt muta ea atque interpretatiua prorsus sit? An adiunctam habeat quandam voluntati Christi, qua homini, significationem ad Deum, vt hæc, vel illa dona gratiæ his, vel illis conferat hominibus de facto, dubitari potest. Primum volunt Doctores reliqui à Vazquez; ipse verò vult secundum. Arbitror primum sufficere, nec improbari secundum posse. Licet enim, vt nobis ex Christi meritis morte consummatis gratiæ donentur quævis de facto à Deo speciali applicatione formali eorum ad nos Christi humana voluntate, opus non sit, vt d. sequenti constabit; ast ita ex speciali fauore nonnullis sua merita applicuisse, ac pro eis dum viueret Deum orasse multis Euangelij locis constat. Pro multísque in cœlo interpellasse variis constat exemplis: nec est cur ita erga alios factum negemus, iis præsertim, qui post eius resurrectionem, & ascensionem fuerunt. Cùm enim ex promissione Dei per mortem, omnem dispensandarum gratiarum potestatem iusque habuerit, eius voluntatis insinuationem expectari, vt de facto donentur, congruum videtur; sed quidquid de hoc sit

illud certum fixúmque maneat, Christi in cœlis interpellationem orationem propriè non esse: Quare negandum esse obiectionis antecedens.

5 Cæterum cum certum sit beatos in cœlo orare, & nobis impetrare, vt constat ex num. 5. quid dicendum de consequentia erit? Etenim eos non mereri in cœlo æque certum est ex dictis cert.2. num.5. quare miror Vazquez nostrum tam certam ex oratione, & impetratione ad merita consequentiam reputasse. Etenim, vel oratio, & impetratio sanctorum pro nobis in cœlo neganda est contra data fundamenta, Ecclesiam, & historias Ecclesiasticas, in quibus, & B. Virgo oratione atque vberum ostentione, à filio, pluréfque sanctos deprecationibus plura dona gratiæ devotis sui hominibus impetrasse narrantur, vel meritum illis in cœlo erit concedendum saltem respectu præmij ab aliis recipiendi; satius ergo erit negare consequentiam, quam in alterutrum absurdum incidere. Nec consequentiæ certitudo fundamentum in Augustino habet: licet enim asserat si fides impetret remissionem peccatorum, hanc sine merito non fieri, bene infert ratione materiæ ex fidei impetratione, meritum: quia bona opera, ex quibus fides est, non impetrant nisi meritoriè; malè autem inferret ex impetratione præcisè. Nam oratio secluso omni merito ex sola præcantis dignitate impetrat petita: vt de Christo suóque gradu de sanctis beatísque dicatur, *exaudiri à Deo pro sua reuerentia.*

DISPVTATIO II.

De his, quæ sibi, & aliis Christus de facto est promeritus.

QVATVTIS hactenus actibus tempore, valore, & modo meritorum Christi Domini, quidnam eis meritis, siue sibi, siue aliis, Angelis scilicet, & hominibus in statu, vel innocentiæ, vel lapsus fuerit promeritus, examinandum est: qua in re eadem regula est in quæstione de facto, atque de possibili: quidquid enim gratiæ, cum humanitati, tum aliis rationalibus creaturis præstitum à Deo fuit, nisi repugnet sub merita Christi venire, Christi meritis obuenisse, cum ob eorum infinitatem, tum ob Christi Domini gloriam, fatendum est.

QVÆSTIO I.

Quidnam sibi Christus promeruerit?

QVM plura sint in Christi humanitate bona præstita à Deo, v.g. corporis, gloria, nominis exaltatio, materiæ & formæ reunio, in resurrectione, actus meritorij ipsi, provt à Deo sunt, vnio hypostatica, gloria animæ, scientia infusa, gratia habitualis, cæteráque dona à nobis suprà assignata, honorariæ dignitates Dominij, imperij, Sacerdotij &c. De his omnibus statuendum in hac quæstione erit.

CERTAMEN I.

Affirmatiua quæstionis decisio De facilioribus.

1 DIco primo corporis sui gloriam Christus meruit, ita omnes Theologi; cum Magistro in 3. d.18.& S.Th.3. p.q.19.a.3. Vazquez d.78. c.1. Soar. d. 4. sect.3. Lugo d.27. sect.2. Vuadingo d.10. dubio 5. Bernal. d.55. sect.3. §.2. vterque Hurtado ac reliqui Thomistæ, Scotistæ, Vazquiani, & Soaristæ. Probatur primò: quia est contra Caluinum 2. inst. c.17. §.vlt. Secundò: quia nulla in eo repugnantia absurditásve apparenter adhuc cogitatur. Tertiò: quia est in Scriptura satis expressum Lucæ 24. *nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* vbi illud *ita* causam gloriæ in passione ponit: quæ, vt minimum, gloria corporis intelligi debet. Ad Philipp. 2. *factus obediens vsque ad mortem, mortē autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum* (vt ait August. ad id Psalmi 109. *De torrente in via bibet propterea exaltabit caput*) *à mortuis in resurrectionis gloriam* Ad Hæbr. 2. *Iesum, propter passionem suam, gloria & honore coronatum.* Hinc planum est: & gloriæ corporis affeclas dotes sibi fuisse promeritum; agilitatem, claritatem, atque impassibilitatem, siue earum expedimenta. Denique corporis sui in cœlum cum ingenti pompa & maiestate ascensum, & ingressum: ideo Angeli Esai 63. rogabant *quis est iste, qui venit, de Edom, tinctis vestibus, &c.* & Psal.23. *attollite portas Principes vestras & introibit Rex gloriæ*: aiebant Triumphi illius stipatores Angeli. Quibus alij quasi rogantes accinebant, *quis est iste Rex gloriæ?* audiebant verò ab stipatoribus; *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

2 Dico secundò, meruit sui nominis exaltationem. Est omnium Patrum, & Theologorum conclusio. Probatur primò: quia est contra Caluinum supra. Secundò: quia nil continet, vel repugnantiæ vel absurdi. Tertiò: quia adhuc est expressior in Scriptura verbis datis ad Hæbr.2. atque post recitata ex 2. Philipp. immediate dicitur: *& dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur*: scilicet propter humanitatis humilitatem vsque ad mortem Crucis ex obedientia, tanquam meritoriam causam, vt omnes Patres interpretantur, Ambros. ibi Chrysost. hom.7. in eam Epist. Basil.4.contra Eunom.ad eum locum Aug. tract.104. in Ioann. & in Psal.109. & 2. contra Matrim. c.5.lib.3. c.2. Cyril.3. Thesau. c.2. & 11. in Ioann. c.17. Adde Apocal.5. *Dignus est agnus, qui occisus est accipere virtutem, & Diuinitatem, sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*; illud autem, *qui*, tantundem valet ibi ac *quoniam*: sicut paulo ante eius loco positum fuit, *quoniam occisus est*: est autem gloria, honor, & benedictio idem atque confessio illius cum laude, & adoratione ab Angelis, & hominibus: quæ est planè nominis exaltatio iuxta dicta ex 2. ad Philip. *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur.* Hanc conclusionem de fide censeo; eiúsque oppositum errorem. Primam verò ita certam; vt opposita temeraria prorsus sit, erroríque proxima.

3 Dico tertio: meruit sibi Christus iudiciariam in homines potestatem cum priuatim, tum publicè cum maiestate exercendam ita S. Th.3. p.q.59. a.3. Vazquez citatus, c.2. num.10. cum aliis. Probant ex Ioan. 5. *dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Ex quo id etiam probarunt Vigilius Pa.5.contra Euth.Cyril.2. in Ioann. c.144. Aug. serm. vlt. de Verbis Domini, licet non adeo clarè postremi, Chrysost. hom.38. in Ioann. vt omne etiam apparens præsidium erroris Pauli Samosateni de puro homine Christo auferret, aliter eum locum exponere. Probatur secundò: quia nil in eo est repugnantiæ, vel absurdi. Probat tertio bene

bene Vazquez: quia licet iudiciaria hæc potestas vnionis iure Christo competat quà homini, æque, imo verò magis, ei competit iure redemptionis, vt veniens cum seruis, quos redemit quibúsque bona sua fuit impertitus ponat rationem, vt sæpè variis parabolis Christus Dominus in Euangelio expressit: quamobrem, licet Angelorum Dominus sit, non est adeò constans, eum illos, quoad essentiale præmium, vindicaturum esse; quia nec adeò constans est an illis illam pro eo priori, exquo suam gloriam meruerunt, meritis suis Christus obtinuerit, de quo q.2.

4 Dico quartò. Meruit sibi Christus reliquas humanitatis honorarias dignitates, Dominij, Regni Sacerdotiíque enumeratas, quas habiturus concluditur Christus, quod *de torrente* (passionis suæ iuxta Patres) *in via bibet propterea exaltauit caput*; ac de regno & Dominio quidem ex Psal.2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos &c.* vt explicat August. lib. de vnit. Ecclesiæ c.7. & 8. Ratio autem est, quia licet dignitas fundamentalis, imò & formalis in actu primo, nondum proximè ad earum vsum expedito, ad hæc omnia vnio hypostatica sit, quâ humanitas & creatis cæteris præcellit, éstque vncta oleo Deitatis, vbi primum vnita intelligitur, ast vnita esse physicè potuit, quin eas dignitates haberet in actu primo proximo ad vsum expedito earum, qui quidem ex Dei voluntate pendet insuper, vt communicetur, atque è Christi hominis voluntate vt acceptetur in qua meritum adfuit: quare, licet vnionem siue vnctionem ipsam physicè promereri non potuerit, (de quo inferiùs dicemus) ast eas dignitates quoad actus primi expeditionem ad earum vsum potuit promereri. Capitis etiam dignitas cum duo dicat, & præcellentiam respectu membrorum & virtutem influxiuam in ipsa, ad hanc verò virtutem influxiuam in actu primo proximo ad eius vsum expeditam vlterius, & Dei & hominis Christi voluntas, & constituens eiusmodi hominem in reliquorum caput & acceptatas, necessaria etiam fuit, licet ad præcellentiam solùm decretum Dei de vnione hypostatica sit satis quæ fortasse sub Christi merita cadere nequit, quare absolutè dignitatem capitis meruit, vt bene Sotus in 4. d.47.q.1. a.2.quia quousque vltimo ad earum vsum expeditæ sunt, perinde sunt, ac si non essent dignitates enumeratæ.

5 Dico quintò reunionem materiæ & formæ in resurrectione, reliquóque primò meritorios actus, quatenus à Deo sunt, promeritus de facto fuit. Prima pars probata fuit ex 2. ad Philipp. illis verbis *propter quod, Deus exaltauit illum*, & illis Psal. 109. *propterea exaltauit caput*: iuxta Augustini explicationem datam num.1. medio. Secunda pars est Soarij supra, & Bernalis num.64. *licet contra* Vazquez num.13. Granad. tract.14. d.2. sect.2. n.18. Ratio est facilis: Quia primo actui vel actibus primi instantis Christi Domini adfuerunt omnia, quæ necessaria sunt, vt promereantur à Deo actus reliquos meituros, provt à Deo sunt, siue auxilia efficacia ad illos: ergo reliquos actus, provt sunt à Deo donáque Dei, primo actu vel primis actibus fuit promeritus. Obiicit Granad. primus actus Christi fuit valoris infiniti: ergo adæquat in ratione præmij infinitum valorem meritorium actus cuiusvis: ergo vnus actus nequit promereri plures alios actus Christi, provt à Deo sunt: imò, ne vnius quidem hominis, ne dum omnium reparationem, cum hoc præmium aliquid sit supra actum promeritum qui adæquatum ad amussim præmium actus promerentis erat. Si enim aliquid vlterius condignè mereretur, præmio illius actus non adæquaretur, sed excederet. Respondetur negando primam consequentiam. Nam vt infiniti valoris est, non est præmium sed solùm vt à Deo est, est autem à Deo ratione collationis auxilij efficacis, quod quidem finiti valoris est.

6 Dico sextò, meruit sibi scientiam infusam, saltem ferè omnem. Est contra Suar.d.39. Bernalem proximè num.63. ac Petrum Hurtado: est autem nostri Vazquez conclusio vbi proximè, & aliorum. Ratio ipsius est: quia, vt dicebamus ex ipso concl.3. num.3. meruit sibi iudiciariam potestatem: ad hanc verò exercendam necessaria est subditorum, & actionum eorum omnis, vel plenisscientia: ergo & plenisscientiam infusam meruit sibi. Debilis ratio: Quia per scientiam earum rerum in Verbo (quæ beata scientia est in aduersariorum sententia) potuit dirigi Christus, ac regi ad exercitium rectum iudiciariæ illius potestatis: quare plenisscientia infusa necessaria ad potestatis illius exercitium non fuit. Sed esto fuerit scientia ad iudiciariæ potestatis exercitium necessaria, non tenet adhuc consequentia. Nec enim omnia quæ necessaria ad rectum potestatis vsum inueniuntur, sub eius qui eam meruit potestatem merita cadere necesse est. Patet id quidem in potentiis, intellectiua, & volitiua, quas, licèt ab anima distinctas atque vsu potestatis iudiciariæ necessarias, fuisse promeritum Christum, qui eiusmodi potestatem fuerat promeritus, Vasquez non concedit. Patet in ipsa anima & existentia Christi, quam nusquam meruit, licet ad eum vsum maximè necessariam.

Dices: hæc supponuntur ad scientiam infusam. Sed hoc verum de potentia volitiua non est, si ab animo distinguatur.

Instabis: supponuntur necessario ad quodvis meritum, ac proinde sub meritum cadere non possunt. Sed contra; quia sicut ea ex naturâ suâ; ita plenisscientia infusa potest dari independenter à meritis, soloque titulo vnionis, quo in casu, quantumvis necessaria ad iudicandum esset, non posset tamen sub merita venire; solum ergo ex eius necessitate ad vsum iudiciariæ potestatis non probatur firmiter conclusio.

7 Probatur ergo conclusio. Quia actu Charitatis Dei regulato per scientiam visionis, liberóque, vt diximus in Christo, potuit scientiam infusam promereri & omnem quidem, nisi obstaret, quòd visionem beatam per actum regulatum per cognitionem aliquam infusam fuerit Christus promeritus, vt dicemus, qui proinde necessariò debet ad visionem beatam meritúmque illâ regulatum supponi. Ideò ergo, & ne conclusionem hanc ab ea opinione de libertate actus Charitatis sine visionis Dei præiudicio dependentem reddam, Probo secundo: quia actu meritorio misericordiæ regulato per scientiam infusam, de illo obiecto potuit Christus scientiam infusam ac speciem, vel species aliorum obiectorum omnium, quæ ad illum actum non præcedebant naturâ, promereri.

Opponit Bernal: quivis actus scientiæ & virtutis in Christo supponit habitum infusum, si supernaturalis est, vt possit connaturaliter fieri; si naturalis, vt eliciatur expeditè & decenter ab humanitate. Verùm assumit falsum in antecedenti, inhæsio enim habitus supernaturalis non requiritur, vt actus connaturaliter eliciatur à potentia, quæ æquè connaturaliter cum auxilio extrinseco, vel habitu assistente operaretur; sed, vt habitus ipse connaturaliter existat, quia accidens est: quare, licet actus vnus scientiæ infusæ cum auxilio extrinseco habeatur, vt per illum regulentur actus meritorius scientiæ infusæ siue supernaturalis speciei vniuersalis (si in ea scientia habitualis consistat) connaturaliter eliceretur: ad actum verò naturalem, siue scientiæ siue voluntatis habitus non dari ab speciebus diuersos. probabam controuersia de anima. Denique, vt Christo Domino aliquid ex his, quæ de facto habuit datum de facto in præmium negemus, non est satis quod connaturaliter dari nequeat, sed quod dari in præmium absolutè non possit, quomodocunque iis, quæ de facto fuerunt Dei prouidentia, disponatur.

8 Dico septimo *meruit sibi habitualem gratiam, quamcúmque habuit* ita Rubion in 3. d.18. q.1. ar.2.

Basol. 2.3. Maior. q.2. Antisiodor. apud Carthusianum, q.1. reputátque probabile Soar. d.40. sect.1. est tamen contra Lugo, & Bernal. supra Granad. citata sect.2. num.16.& alios ab ipso citatos num.1. S.Thom.dubia mens. Nam q.19. a.3. videtur negare ob rationem iam ex ipso dandam q.34. art.3. docet Christum non habuisse suam accidentalem sanctificationem, sicut pueri, sed ob proprium actum, & meritum. Probatur: quia in eo nulla est repugnantia, nullum absurdum: ergo meruit de facto quamcumque habuit gratiam habitualem.

Opponunt aduersarij ex S. Th. quia non posset habere illa pro instanti, quo eam mereretur, sicut nec gloriam corporis habuit, dum illam merebatur, est autem indecens humanitatem Christi aliquandiu tanto dono carere. Negatur facilè antecedens, quod paritas gloriæ corporis non probat. Nec enim ideò non adfuit Christo, dum eam merebatur, quia præmium quod non dignificat meritum, (vt gratia in Christo non dignificabat) nequeat dari cum illud meremur, sed quia opportuit, vt passione humanitatis redimeremur.

Obiicit Granad. vnio est prior merito Christi:ergo & gratia habitualis, vnionis passio, prior etiam erit. Permitto esse passionem physicam:& nego consequentiam. Obiectat Bernal. habitus gratiæ idem est cum habitu Charitatis:ergo præcedit infusus actum Charitatis, vt connaturaliter eliciatur: ergo & omne meritum. Nego primam consequentiam iuxta dicta n.7. eâ insuper datâ nego secundam, quæ nullatenus infertur ex illa.

9 Hanc verò, & reliquas conclusiones datas impugnat Caluinus. Christus sibi aliquid meruit: ergo non nobis solùm natus datúsque est, iuxta Isaiæ, & Zachar. 9. Nec est cur tantopere Dei erga nos in incarnatione & passione charitas commendetur Ioann.3. & Roman.8. cum suæ humanitatis negotium illis ageretur; Respondetur nostri solum causâ & fine Deum incarnatum esse,passúmque Christum; licet ex incarnatione, & passione ea sint commoda humanitati parata, non intensa, saltim primario, idque quin aliquid meriti à nostra reparatione ad ea consequenda diuerteret.

Obiicit secundò. Quod debitum aliunde est præmium esse nequit: hæc autem omnia debita humanitati sunt titulo vnionis præsuppositæ: ergo nequeunt esse præmium meritorum Christi.Distinguo maiorem, debitum aliundè titulo iustitiæ, transeat: titulo dignitatis solùm, nego maiorem. Titulus autem vnionis ad ea omnia dignitatis est solùm, non iustitiæ. Vnde nego consequentiam.

Dices tandem.Titulo vnionis darentur ea omnia humanitati de facto, etsi merita abessent: ergo non sunt data ob merita; alioqui eis deficientibus non darentur de facto. Nec hic habet locum doctrina de duplici motiuo ac titulo adæquato ea conferendi; cum enim titulus vnionis natura præcedat titulum meritorum, si ille adæquatus sit, pro priori naturæ ad titulum meritorum, erunt ea omnia à Deo humanitati collata, ab eáque præhabita: quod autem præhabitum est materia præmij pro posteriori esse non potest. Meliùs negabis antecedens:quia ea conferendi adæquatum motiuum merita &vnio fuerunt Deo, quare illis deficientibus ex vi præsentis decreti, quod plane non fuisset ea non darentur, solúmque dari ex alio possent, quod vnionis titulum pro adæquato motiuo haberet. Sed nescio an meliùs? Nam licet vnio sit motiuum adæquatum, expectari à Deo potuit aliud adæquatum posterius natura futurum, & tunc demum ob vnumquodque eorum adæquata ea omnia humanitati donare.

CERTAMEN II.

De essentiali gloria animæ Christi, siue visione beata.

1 Essentialem animæ gloriam siue beatam visionem sub Christi merita cadere non posse docent S. Th. q. 19. ar. 3. vbi Caiet. & Thomistæ S. Bonau. in 3. d. 18. a. 2. Richar. ibi. q. 1. Gabr. q. 1. vni. ar. 2. concl. 3. a. 3. dub. 2. Almain. q. 1. concl. 3. Palud. q. 2. ar. 3. p. 2. Marsil. q. 1. 2. ar. 1. concl. 3. Scotus q. vn.c.§. *Hæc visio* eum suis Durandus q.3. num. 6. Sotus in 4. d. 21. q. a.2. post primam conclus.Henricus quod 1. 6.q. 6. Alex. 3. p.q. 14. m. 3.4. 1. ad 2. & 3. Canus 12. de locis. c. 1. 4. Driedo de captiuit. & redemp. gener. hum. tract. 2. c. 2. p. 3. concluſ. 4. Vasq. d. 7. 8. a. cap. 2. vbi omnes Doctores antiquos præter citandos pro sententia 2. refert. Granad. tract. 14. d. 2. sect. 2. Ratio. S. Bonau. quia visio Dei fuit dispositio Humanitatis ad vnionem. Inane & contraomnes, qui visionem humanitati, titulo vnionis, datam fatentur. Henriquez, quia ex intima præsentia Dei per vnionem oritur necessario, & ineuitabiliter tanquam passio visio Dei: nequit autem passio sub meritum cadere, nisi quatenus id, cuius passio est, potest sub meritum venire:cui rationi,& Canus insistit. Contra:nam etsi passio sit physica, non ita necessario conferenda est, vt nequeat meriti motiuum etiam spectari. Secundò: intima Dei præsentia per vnionem satis non est, vt sine lumine gloriæ possit videri, nedum videatur necessariò Deus: sicuti nec satis ex intima Dei presentia per immensitatem. Respondet Canus prius vnitum esse menti, seu intellectui Verbum per vnionem, quam substantiæ animæ, vel humanitatis. Sed in primis vnio physica solum fuit, non intentionalis, quæ nil amplius præstat, imo admittit accidens prius naturâ hypostaticè assumptum, quàm substantiam animi, & humanitatis, cum tamen assumi hypostaticè accidens communiùs negetur. Si autem vnio eiusmodi intentionalis fuit ad mentem, deserit Henrici rationem Canus, & migrat ad S. Bonauenturæ rationem iam impugnatam; atque insuper cum visionem, seu vnionem intentionalem naturæ præcedere ad vnionem hypostaticam asserat, merito erga vnionem hypostaticam det locum, dum illud erga visionem excludere conatur.

2 Vasquez c.3. probat; quia status beatitudinis, seu visionis ineptus est ad hanc promerendam. Contra: quia vel visio secundùm se precisè rationem meriti excludit, vel solùm quatenus excludit statum viatoris sit secúdum,licet in hac vita meritum visionis Christi, sicut, & aliorum quæ de fide nobis meruit, & quæ sibi ex Vasquez sententia, nisi aliud obsit, quia non excludit ab illo statum viatoris; primum cum fide de merito Christi pro nobis in hac vita, in qua semper visionem habuit beatam, constare nequit. Respondet Vasquez visionem necessariò præcedere bona opera omnia Beatorum: ac proinde sub illorum meritum cadere non posse. Nam de charitate constat, cum sit illius principium, ac de aliis, ad quæ ex charitate efficaciùs aguntur Beati:quare ea omnia fructus beatitudinis sunt. Sed hæc inprimis non solutio, sed alia Ratio est, quam ipse affert ex S. Th. Scoto. Gabr. Almain. Paludano, & Durando. Contra secundo: quia, vt dixi d. 1.q.2.cert. 1. num.1.& à fine numeri 3. visio ex sola sui existentia non infert priuatiuè necessariò in Dei adhuc amorem, nedum in aliarum virtutum affectus,potest enim Dei amor ex alia scientia quàm sit beata prouenire, eoque mereri Christus visionem.Item cognitio, quam de suis actibus elicitis Christus in eodem instanti habuit, in eos non influit, & quidem Vasquez ipse c. 3. num 16. §. vlt. fatetur naturali rerum cursu influere necessariò debere visionem in amorem, & bona opera beatorum; diuinà verò potentiâ posse aliter contingere: ergo & absolutè poterit visio sub meritum operum eorum venire contra tuam sententiam.

Tandem arguit ab absurdo: quia si per actum simul tempore existentem potuit Christus visionem beatam mereri: ergo & per actum tempore subsecutum ad visionem.Sed absurdum non percipio in consequentia. Probat Scotus: quia amor Dei, quem visio causat, est amor finis,qui prior est amore mediorum,cuiusmodi sunt effectus reliquarum virtutum. Sed id fortasse verum haberet, si visio & amor non præuenirentur, vt posse contendimus, affectu alicuius virtutis, sub cuius meritum visio caderet. Denique probant alij: Scientia infusa, ex qua Christus meritorie tunc operaretur oriri deberet, vel saltim supponere lumen gloriæ, tanquam quid perfectius: quare, & visionem. Sed oporteret assumptum probari, quod est valde difficilè.

3 Ob hoc fortasse Albertus in 3.d.18.a.4. Guilielm. de Rubion q.a.1. Valent.3. p.d.1.q.18.a.3.punct.3.§. *& quidem*, Soar. d.40.sect.2. Raguza d.6.§.1. Lugo d.27. sect.2.num.10. Vuadingo. d.10.dub.5.9. *dico secundo & dico tertiò*, docent Christum, potuisse quidem visionem beatam promereri; aſt non fuisse de facto promeritum. Sed enim admissa possibilitate merendi, visionem meruisse de facto negari nusquam potest: cum id Christo gloriosius sit, nec valor eius infinitis meritis possit deesse: quare dicendum nobis est de facto Christum visionem beatam meruisse. Ita docuerunt iam pridem Antisiodor. lib.3.tract.1.c.7. init. Maior. in 3.d.18.q.2. Basol.q.1.a.3.Ioann. Mairon. d.17.q.1. Bernal. d.55. sect.3. & Recentiores Complutenses probabile reputant,Albertus Rubion, & Soarius sic de hac sententia concludens sect.illa.2. *vnde, qui illis temeritatis notam inurunt, temere sine dubio loquuntur.* Dedi Rationem conclusionis quia nec ex visionis natura, neque ex his, quæ de facto fuerunt, repugnat dari Christo ob merita visionem beatam, estque gloriosius quæcumque dona, cum ipsi, tum aliis, donata sunt, atque intuitu meritorum suorum donari potuerunt; ita esse collata. Antecedens partim probatum solutione argumentorum pro sententia 1. partim aliarum solutione, quas subijciemus. Sed hic Bernalis inconsequentiâ non omittam. Negabat enim meruisse Christum habitus quosuis, siue naturales, siue supernaturales: quia ante omne meritum, & scientiæ actum supponi debet sufficienter instructus, & omnino expeditus ad operandum; atqui visio maximè expetit beatum ad omnem virtutis actum, magisque, quam habitus quiuis, vt patet,probátque Vasquez citatus:ergo visio in tuis principiis supponi debet ad quemuis actum meritorium, nec sub vllum meritum Christi cadere poterit. Secundo ait num. 74. visionem, vt potè passionem primariam vnionis, fuisse actum primum elicitum ab humanitate; tamen in statu miraculosæ existentiæ humanitatis Christi sine Matre præuisos esse alios actus priores, ob quos visio daretur. Sed cum in eo etiam statu adesset vnio hypostatica habens pro passione primaria visionem beatam per te, non minus quam in alio statu in eo etiam actus primus humanitatis esset visio, æque atque in statu alio: quare sub nullius actus meritum cadere posset.

4 Opponit Lugo: exigentia vnionis ad visionem de se adæquata est, & naturalis: ergo independenter à meritis:ergo si visio donetur dependenter à meritis, donatur contra exigentiam naturalem, ac non sine miraculo, quod interfuisse constare deberet, vt data visio ob merita diceretur: non constat autem de eiusmodi miraculo. Bona æquiuocatio est in consequentia secunda. Exigentia vnionis naturalis atque à meritis independens est, non autem, vt detur visio independenter à meritis: quare, cum sic datur visio, contra exigentiam vnionis non sit, nec adest miraculum. Meliùs probo intercessionem necessariam miraculi in donatione visionis ob merita: quia posita exigentia adæquata visionis pro hoc instanti durationis, si non detur statim, sed pro sequenti, erit in suspensione miraculum: ergo posita exigentia vnionis ad visionem pro immediate sequenti signo naturæ ad vnionem, si suspendatur eius donatio ad posterius naturâ, nempe post merita, erit in ea suspensione ac dilatione miraculum. Respondetur negando consequentiam, quia, quod exigit vnio absolutè est, quod detur visio in instanti durationis, quo ipsa est, non autem in instanti, aut signo naturæ, in quo ipsa est, nec in immediato, siue vt non expectetur alius titulus posterius natura vnione, ob quam datur: cum autem sic detur non datur mediatè ob exigentiam vnionis, sed immediatè, quia in linea alterius exigentiæ meritiuæ titulus ille est, non in linea exigentiæ meritoriæ, quia gloriosius Christo est titulo etiam suorum meritorum visionem, essentialémque beatitudinem habere, quam solo titulo naturalis exigentiæ vnionis: sicut de gloria corporis,vnionis titulo satis debitâ in aduersariorum sententia, aiebat Christus, *nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Instat tandem Lugo:visio beata debita est, titulo naturali vnionis præsupposito naturâ ad titulum meritorum: sed quod debitum aliunde præsuponitur materia præmij non est (nil enim commodi affert merenti habere in præmium quod aliunde erat habiturus, & si non mereretur) ergo visio non est materia præmij in Christo. Multis se tricis implicant vt huic argumento respondeant Recentiores Complutenses: cum tamen infirmum sit, & à Caluino obiectum, à nobisque dissolutum sit negotio facili;pro conclusionibus datis cert.1. quas, licet dogmaticas de gloria Corporis, & exaltationis sui nominis merito Christi, æque impugnat. Nego Minorem de debito dignitatis: quia, cum eo titulo non teneatur Deus necessario dare, quod debetur, si merita accedunt, & impetrant, totam rei vtilitatam afferunt merenti. Secundo: quia gloriosius iucundiusque est rem iudustria partam habere, quàm sine illa, vt Christus nuper aiebat.

5 Huc distuli reijciendam doctrinam Petri Hurtado qui.d.163. sect.1. subsect.3. triplicis visionis beatæ in Christo distinctione præmissa, docet primam, quæ Deum solum representat sub Christi merita non venisse, secundam vero, quæ creata præterea (præter peccatum, & ex illo pendentia) primamque visionem, & amorem ex ea elicitum & inde ortum amorem proponat: & tertiam, quæ insuper secundam visionem, & amorem ex ea elicitum ostendat meruisse vnam, vel alteram saltem, licet non rigidè, & absolutè, sed secundùm quid, pro primo incarnationis scilicet instanti. Mitto paradoxon triplicis visionis Dei. Nunc autem, quod huius quæstionis est, sic impugno. Omnes actus eliciti antecedenter ad secundam & tertiam visionem necessarij sunt per te, nullatenusque liberi; ergo nequeunt esse meritorij secundæ aut tertiæ visionis. Secundo: admisso merito Christi respectu alterius ex his visionis pro primo instanti, non est cur & pro reliquis non admittatur. Tertio: licet pro solo primo instanti Christus mereretur alterutram absolutè eam mereri dicendus foret, sicuti, qui meretur gratiam,licet non mereatur eius conseruationem,absolutè eam mereri dicitur. Quarto: falsò supponit,non meruisse Christum visionem illam Dei primam cum nulla in eo repugnantia absurditasve, nec ex rei natura, nec ex iis, quæ de facto fuerunt, intercedat, vt patet ex dictis; sed vnus adhuc scrupulus hæret. Tota ratio, ex qua ea omnia data Christo probantur à Theologis est dignitas vnionis:ergo vnio adæquatè mouet vt dentur. Patet: nam, si adæquatè non mouet, vt data probentur, aliud, cum quo integratur adæquatum motiuum, quod de facto fuit aduocandum a Theologis esset, vt bene probaretur fuisse de facto data.

Respondetur

Respondetur dignitatem vnionis petere adæquatè ea omnia conferri humanitati non vtcumque, sed modo decentissimo humanitati; modus autem decentissimus humanitati ea recipiendi est, ea recipere ob merita; quare hæc etiam expectari dignitas vnionis exigit. Bene ergo inferunt Theologi ex vnione ea omnia donari humanitati, licet non omnes modum donationis quo decentiùs ab humanitate recipiantur, à Deóque donentur, intulerint: qui perfectissimus & glorioſissimus humanitati esse debet, atque æque fore ex dignitate vnionis infertur. Adæquatè ergo mouet suo loco & signo vnio; quin aliud, quod suo gradu moueret, licet vt de facto donarentur, aliud natura posterius exegit intercedere: quare ex vnione rectè inferunt Theologi ea omnia data, possuntque inferre ex meritis data: quæ solutio instantiam nostram quam num. 4. probabamus in suspensione donandi visionem, quo vsque merita adessent, fore miraculum, clariùs debilitat.

CERTAMEN III.

De merito vnionis hypostaticæ.

1 Dico primo: Non meruit Christus nec potuit mereri suam vnionem hypostaticam adæquatè secundum totam eius durationem. Est omnium. Ratio communis Vasquianorum est, quia, vt secundum totam durationem mereretur Christus, deberet in aliquo instanti principium se ipso dignificans meritum cadere sub meritum dignificatum ab ipso, vel dari mutua causalitas & præcedentia in eodem genere vnionis pro vno instanti ad vnionem pro alio, & vnio pro primo supponeretur dignificans opera meritoria suæ existentiæ pro secundo, & vnio pro secundo supponeretur dignificans meritum pro secundo ad sui existentiam pro primo, quod repugnat. Nec minus repugnat vnionem pro eodem instanti dignificare merita ad sui existentiam pro illo, vt patet, quod autem hoc necessarium sit, vt vnio secundum totam suam durationem cadat sub meritum, patet. Nam saltim vnius instantis vnio non potest cadere sub merita operum elicitorum pro instantibus aliis, vt dicebam: ergo, vt cadat sub merita, debet cadere sub merita instantis illius, in quo ipsa est, ac non ex meritis aliorum instantium: ergo sub merita illius instantis dignificata à se ipsa. Probo consequentiam, quia vt supra ex Vasquez ostendebamus, implicat existere formam dignificantem in subiecto operante atque illa non dignificare: quia solâ sui assistentiâ, siue inexistentiâ in illo dignificat opera: quare, si vnio hypostatica realiter in illo instanti est, implicat non dignificare opera humanitatis vbi primùm in suo signo fuerint: quòd autem ob merita dignificata in eodem instanti ab ipsa vnione dari vnionem repugnet, apertum est. Nam merita dignificata, vt coniuncta cum vnione, naturâ præcederent præmium in eo instanti collatum, scilicet vnionem: quare vnio esset prior & posterior naturâ se ipsâ, quod implicat.

2 Dices ex nostra doctrina cert. 2. num. 4. fine. Res habita titulo meritorum & industriæ propriæ iucundior glorioſiórque est, quam si aliunde haberetur, ac proinde materia præmij esse potest: ergo vnio eadem habita independenter à meritis pro priori vt dignificet opera pro hoc instanti, dari poterit in præmium pro posteriori meritorum, vt iucundiùs, & glorioſiùs dependenter ab industria, & meritis humanitatis habeatur.

Dices esse repugnantiam, quòd in eodem instanti detur dependenter & independenter à meritis. Præcluſi crassam hanc repugnantiam in physicis, docens eundem terminum posse simul in eodem instanti creari independenter à subiecto, & educi dependenter à subiecto, dicens, negandum esse terminum absolutè non dependere in hoc instanti, nisi addatur vi creationis, quod non contradicit dependentiæ in eodem instanti, quam habet vi eductionis.

Dices secundò, repugnare, quia idem esset causa sui ipsius, séque ipsa prius, & posterius. Firma adhuc & indubitata erat hæc repugnantia in scholis; Sed adeò nil est humano discursui indubium, vt eam Recentiores nostri Valentini non negârint. Aiunt enim non magis repugnare rem esse priorem naturâ se ipsa per actiones diuersas, quàm esse se ipsâ priorem & posteriorem per diuersas præsentias: quare non repugnare, vt idem seipsum reproducat, licet primo producere repugnet: quod addunt vt hâc doctrina mysterium Trinitatis non euertatur. Cæterùm exemplo localis antecedentiæ eiusdem ad seipsum per præsentias diuersas omnibus noto egregiè decepti sunt, vt contra omnes repugnantiam productionis rei à se ipsa negarent. Prioritas enim localis non est rei in se, sed in loco, seu presentia: quare ex diuersitate & prioritate vnius præsentiæ, & loci, in quo per illam est respectu alterius, quâ sit in loco posteriori, potest esse localiter idem & posterius & prius; ast prioritas, & posterioritas in causalitate actiua, licet sine actione non sit, est tamen rei secundum se suámque entitatem, & existentiam intrinsecam, quâ nil se ipso realiter præcedere potest, quin sit in se prius quanquam sit in se, quod ex terminis repugnat ipsis. Secundo de conceptu agentis & causæ physicæ actiuæ est continentia effectus: implicat autem aliquid se ipsum continere; ergo & esse causam actiuam physicè sui ipsius. Tertio: de conceptu effectus est egredi à sua causa secundùm suam entitatem: at implicat idem à se ipso egredi; ergo & esse sui ipsius effectum. Quartò quod sit ab aliquo recipit esse actu, quod solum habebat in potentia, antequam fieret ab illo: ergo nequit præsupponere suum esse actuale ex parte suæ causæ, vt supponere debet, vt fieri à se ipso queat. Quintò denique: de conceptu actionis est esse viam ab agente in effectum, vt exemplo viæ ab Athenis ad Thebas docuit sæpe Aristoteles: via autem nequit esse nisi inter extrema diuersa, vt patet: ergo actio nequit esse eiusdem ad se ipsum.

3 Verùm licet hæc bene habeant de causa actiua physica: de causâ verò actiua intentionali, siue exactiua, cuiusmodi sunt merita, non ita planè repugnantiam euincunt, quominus idem actiuè se ipsum causare queat. Etenim eiusmodi causa effectum suum non continet, sed ab alio, in cuius virtute continetur, ipsum egredi expoſcit, & quasi deprecatur, à quo insuper effectus egreditur in cuius potentia est, insuper inter quem & effectum via esse potest, seu actio, quia re ipsa sunt extrema diuersa: quare repugnantiæ assignatæ, quæ in causis actiuis physicis per influxum, in exactiuis seu actiuis intentionalibus videntur cessare: quare, cum merita præmium non actiuè physicè sed exactiuè solum causent, non apparet repugnantia cur idem sui ipsius meritû in instanti eodem esse nequeat: imò vero probari facile videtur in rebus permanentibus naturâ suâ. Etenim hæc, cum primum sunt in hoc instanti, exigunt suam existentiam in instanti sequenti suámque entitatem, nec solum durationem; imò verò duratio à re durante nihilo instatis probabili opinione discriminatur: ergo potest causa exactiua aliqua suam existentiam & entitatem pro eodem instanti exigere. Probatur consequentia: quia tota repugnantia in causa exactiua, quominus sui ipsius existentiam, & entitatem in hoc eodem instanti exigat, in quo iam est, videtur esse, quòd eadem essentia & existentia prius naturâ sit, quam se ipsa. Hæc autem repugnantia adest cum suam existentiam & entitatem exigit pro instanti sequenti; eadem quippe entitas naturâ præcedit existens ad se ipsam suámque existentiam: Nec refert

præcedentia in tempore, vt emolliatur repugnantia hæc præcedentiæ sui ipsius in causalitate & natura: ergo, si est causa actiua intentionalis siue exactiua sui ipsius pro instanti sequenti, illud in quo est, poterit esse exactiua sui ipsius pro instanti in quo est.

Redarguit d. 8. sect. 6. à num. 69. Lugo discursum hunc nostrum in quem alij, ignaris nobis, videntur incidisse. Filius genitus in hac duratione potest Patrem mortuum in alia generari: & tamen non licet inferre: ergo & in hac, qua gignitur ab ipso, illum generare poterit: ergo, nec nostra valet consequentia: exigit suam entitatem pro alio instanti: ergo & pro hoc poterit exigere. Sed certè actione diuersa nulla est repugnantia, quod filius in eodem instanti, quo gignitur Patrem producat, si potentia generatiua, & reliqua adesse in eodem instanti possent; Pone casum in igne producto, & producente, & admittam consequentiam, nemóque negabit de potentia absoluta, nisi qui neget aliquid posse simul duplici totali actione pendere. Ratio est: quia prioritas non est in entitate causæ, & effectus nudis, sed, vt coniunctis cum actione, & dependentia, quæ vbi distinctæ inter diuersos ponuntur, non infertur idem, vt realiter prius, esse realiter seipso posterius. Si ergo æqua vtrobique ratio sit, potiùs confirmatur hac tua impugnatione discursus factus, quàm improbetur.

Impugnatur rursus: quia, si valet in causa exactiua, discursus valebit & in actiuè physica, quod renuimus. Nam viuens causat physicè in alimento dispositiones, mediis quibus diutiùs duret in sequenti duratione, physicéque causetur: ergo, & quibus physicè causetur in hac duratione poterit causare. Plura tamen supponit probanda, & quòd viuens causet physicè dispositiones in alimento, & quòd hæc in instanti sequenti physicè causent viuens. Nam dispositiones in alimentum viuentis à dispositionibus inducuntur, & inductæ viuens exactiuè solùm, non influxiuè, conseruant.

4 Sed verò, licet his discursus noster non quassetur, ac proinde nobis aliquando placeret, tamen quia ex illo firmum, statum, torque sæculis apud Patres, & Theologos sanctum axioma solidæ philosophiæ innixum euertit, nempe, *principium meriti non posse cadere sub meritum*, reiiciendus hic erit, negandúmque viuens, & causam actiuam intentionalem, siue exactiuam se ipsam causare in eodem instanti posse, licet posset in diuerso, vt omnes fatentur. Ratio autem disparitatis est: quia ad exigentiam siue actiuitatem intentionalem requiritur existentia rei exigentis in eodem instanti, in quo exigit: si autem requiritur existentia rei in hoc instanti, vt exigat in illo suam existentiam, pro illo non poterit exigere: nil enim exigit ab alio quod habitum iam præsupponit: cum autem eadem res existens in hoc instanti, sui existentiam in alio sequenti nec habeat nec supponere debeat, vt pro illo existere exigat, poterit suam existentiam pro sequenti exigere; insuper prioritas & posterioritas respectu vnius & eiusdem rei, in eodem instanti contradicit, secùs in diuersis, vt paret. Licet autem actio è causa exactiua physicè non fluat, sed ab eo, à quo effectus exactus obtinendus est, tamen ante eam actionem existentia exigentis absoluta præcedit realiter cognita, vt moueat operaturum. Nec refert, licet præsupponatur per vnam actionem posse rursus fieri à Deo per aliam: ergo, & esse seipsa posterior exactiuè res eadem. Distinguo, per actionem quam exigat, præcedátque naturâ res eadem, nego antecedens, quia illa opus non habet; quæ ex solo Dei arbitrio pendeat, fateor: & nego consequentiam. Ad obiectionem ergo ex nostra doctrina desumptam constat ex impossibilitate data materiam præmij meritorum vnione dignificatorum ipsam vnionem esse non posse. Deinde: licet ea repugnantia non esset ex eo quod supponatur præhabita ex parte merentis, materia præmij secundùm suam entitatem esse nequit; quod enim meum iam erat possessiuè, materia præmij non est, secùs quod meum est iure dignitatis solùm. Negaríque potest absolutè; tunc enim secundùm se donari poterit ob merita, iucundiúsque ob illa iam eueniet, vt dicebamus. Hactenus propugnata ratio communis est, in Vazquiana doctrina, pro qua diu steteramus pro conclusione prima, quàm hic statuebamus eámque, etsi alienam latiùs persecuti sumus, atque contra aliorum solutiones obfirmauimus, vt doctrinas alias vtiles contra aliquas inutiles & paradoxas Recentiorum datis solutionibus contentas statueremus; ea verò communis probatio Vazquianorum imbellis prorsus est. Vt enim controuers. 3. d. 3. q. 2. cert. 2. n. 6. & 7. ostendebamus, vnio hypostatica eo ipso quod in præmium operis detur, eodem instanti temporis, quo illud ab humanitate pro priori naturæ eliciebatur, etsi operi & operanti in duratione coëxistat, illud non dignificaret, ob ibidem datas rationes: quare, etsi operibus humanitatis pro priori naturæ ad vnionem hypostaticam in primo instanti vnionis illius elicitis in præmium vnio hypostatica instantis illius primi donaretur, opera illa non dignificaret: nec opus proinde esset, vt principium dignificans meritum sub idem meritum caderet, quod dignificabat, vt argumento facto contendebatur. Solidè ergo conclusio nostra negatiua de facto & de possibili probanda est ex dictis controu. 3. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 5. & 6. & cert. 2. vbi meritum animæ pro priori naturæ vnitæ hypostaticè, atque operantis respectu vnionis hypostaticè corporis de facto negaui, datis probationibus n. 3. non paucis. Negatiuam verò conclusionem de possibili adhuc multis nec leuibus argumentis propriis ostendimus controuersiâ, & disputatione eadem q. 2. cert. 3. per totum: quibus nunc otiosè repetendis iure supersedeo. Cæterùm cuiusnam durationis vnio sub merita, vel animæ seorsim operantis vel humanitatis pro naturæ priori ad vnionem de facto non venerit; quandoquidem tota sua duratione venire sub merita humanitatis non potuit? Respondeo cum Theologis omnibus esse vnionem instantis primi, vt probant Pauli, & Augustini testimonia data q. 1. & 2. proximè citatis suadétque ratio. Illius enim durationis vnio sine meritis dotianda connaturali prouidentia fuit, ad quam nulla merita duratione præcesserunt, non autem durationis illius, quæ merita tempore præsupposuit.

5 Dico secundò per opera dignificanda ab vnione in primo instanti meruit Christus vnionis continuationem: siue conseruationem pro sequentibus. Est contra Vasquez d. 18. c. 3. num. 14. §. *At quæret aliquis.* Granad. tract. 14. d. 2. sect. 2. num. 8. Lugo d. 21. sect. 2. n. 20. Est autem Conclusio Soarij d. 10. sect. 4. §. *hæc responsio.* Ratio ex dictis prona; quia vnio secundi instantis non supponitur ad dignificanda opera humanitatis elicita pro primo, etiam in aduersariorum doctrina: ergo nulla est repugnantia vt opera primi dignificata ab vnione eam promereantur pro secundo & reliquis. Ex alia verò parte Christi humanitati glorioſius est promeruisse & obtinuisse ex meritis, quàm non obtinuisse ex illis: ergo de facto continuationem seu conseruationem vnionis promerita est per opera primi instantis.

Dices: existentia vnionis pro primo instanti eadem est atque eius existentia pro secundo: nec aliud est mereri conseruationem, quam mereri existentiam vnionis pro sequenti duratione: ergo, si dignificat opera pro primo ad seipsam pro secundo, dignificat ad seipsam: quod implicat. Confirmatur: quia tota dignificatio operum ab vnione est, quin duratio antecedens dignificet. Dices idem pro hoc instanti posse esse causam sui ipsius pro sequenti. Contra tamen: quia ignis nunc existens poterit in seipsum agere in instanti sequenti. Contra secundo: quia agens ad influxum & ad actionem requirit simultaneam existentiam cum

effectu; alioqui ab agente, qui immediatè fuit, & nunc non est, poterit esse effectus, & in illum actio: nimirum modus sine re cuius est modus. Sed,licet hæc contra causationem actiuam per physicum influxum sui ipsorum ex vno instanti in aliud concludant, secus contra principia exactiua, quæ sui existentiam pro sequenti duratione exigunt in antecedenti, vt de rebus natura sua permanentibus in confesso apud omnes est. Merita autem ex causis exactiuis respectu præmij sunt, non ex influxuis, vt patet: quare vnio merita significare poterit in hoc instanti ad seipsam obtinendam tanquam præmium in instanti sequenti.

7 Obiicit Lugo titulum esse adæquatum conseruationis in prima vnionis productione:ergo non est conseruata ob merita. Nego consequentiam, vt in titulo æquato vnionis similiter respectu gloriæ corporis, quam ipse cum cæteris Theologis datam nihilominus ob merita fatentur. Obiicit secundò: vnione sanctificatur humanitas per Deitatem, quam illi affert pro instanti secundo: ergo, si ex meritis est vnio in secundo instanti, ex meritis sanctificabitur pro illo contra Dyonis. Alex. Basil. August. & alios negantes Christum propria exercitatione, & labore fuisse sanctificatum, sed sola natura. Nego consequentiam. Quia sanctificatum significat fieri sanctum, quod de primo instanti, non de conseruatione illius intelligitur. Secundò ea admissa non est contra Patres, qui valdè extra rem inducuntur: cum solùm velint Christum infinitè, & substantialiter sanctum esse à natura Diuina, nec solùm sanctitate accidentali, quæ in nobis exercitio & labore paratur sæpè, & semper augetur.

Obiicies difficiliùs:Christus in primo instanti præfinitus est primo decreto passibilis ex fine nostræ redemptionis consummandæ per mortem: ergo præfinita est duratio & conseruatio vnionis vsque ad mortem seu toto vitæ tempore illo decreto; atqui decretum illud fuit à meritis independens: ergo decretum conseruationis vnionis toto vitæ tempore fuit independens à meritis. Soar. & Recentiores Complutenses, qui finem redemptionis per merita morte consummata obtinendæ efficaciter eo decreto intentum aiunt, confutamus d. de causa final.incarnationis, q.3. Nos autem, qui eum finem decreto incarnationis efficaciter intentum negamus, eâ obiectione minimè tangimur.

8 Dico vltimò. Si vnio materiæ & formæ vnita etiam hypostaticè Verbo fuit, Christus revnionem eius in resurrectione de facto meritus est. Ita Suar. & Granad. vbi proximè; dissensuri tamen videntur Vasquez & Lugo.Primus; quia non minùs ad huius,quàm ad conseruationem vnionis in vita meritum obest status beatificus Christi. Secundus ne sanctificatus aliquando sit Christus ex operibus. Vtrumque satis confutauimus. Conclusio eâdem ratione probatur, quâ præcedens quæ quidem clarior hic est, cùm nihil sit, quod eam exigat revnionem vnionis.

Dices: anima,vtpote pars,exigit natura sua revniri; distinguo; exigit revniri ad hanc determinatè materiam, transeat: ast suæ vnionis revnionem ad Verbum non exigit.

Dices secundò Christi vitam, quia Verbi ac suppositi diuini, exigere, vt sit perpetua, vtáque Verbi, quòd fieri nequit, nisi tota humanitas, quare & vnio materiæ, & animæ rursus reviatur: ergo aliquid fuit, quod eam vnionis revnionem exigeret. Respondetur vitam humanitatis, dum erat, exigere perpetuitatem ac non mori, nec vnionem materiæ, & formæ deficere, eiusque vnionem ad Verbum; ast communis salutis commodo vnionem materiæ, & formæ, eiusque vnionem ad Verbum contra perpetuitatis exigentiam periisse. Tunc autem nil superfuisse, quod vnionis revnionem ad Verbum exposceret præter merita hominis Christi: qui cum in Dei obsequium, bonique publici reparationem oppeteret, in hominem Deum restitui obsequiis meritisque tantis exigebat. Et quidem, licet aliquid præterea esset, quod vnionis revnionem præter merita exposceret, nil veritati conclusionis huius officeret.

QVÆSTIO II.

Quidnam Angelis Christus fuerit promeritus?

DE Angelis, siue bonis, siue malis, déque omnibus gratiis à Deo in ipsos collatis, quæstio procedit.

CERTAMEN I.

Certa quædam, & circa primam gratiam aliorum iudicia.

1 STatuendum primo est Christum Angelis reliqua dona præter primam gratiam, siue habitualem, siue auxiliantem meritis suis obtinuisse: cuiusmodi sunt illuminationes & gaudium de conuersione peccatorum.De illuminationibus docuit Dyonisius Areopagita 7. de Cœlest. Hyerarch. ex quo Theodoret. in id ad Hæbr. 2. *vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* S.Thom. q.29. de verit. art.4. ad 5. omnésque Patres, ac Theologi, item ex illo ad Ephes. 1. *proposuit Deus instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso*: vbi Anselm. renouatos Angelos in Christo docet incarnationis reuelatione, & illuminatione: & quidem, cum ex Christi meritis Angeli nobis in custodiam fuerint destinati ex eisdem etiam ad nostri gubernationem, & pedagogiam illuminari citra dubium est. De gaudio etiam ex conuersione & iustificatione peccatorum constat: quia, cum in eo iustificationem ex Christi meritis supponant, non est vnde meritis Christi illud non debeant: idque colligunt ex 1. ad Ephes. Anselm. & Theodoret. & S. Thom. vbi August. cap. 62. & 63. Enchiridij, tum ob charitatem Angelorum erga iustificatos, tum ob suarum sedium reparationem, tum ob reconciliationem cum peccatoribus, quibuscum ante conuersionem & iustificationem inimicitias gerebant. Quo sensu verba data ex 1. ad Colos. interpretantur August. citato cap.63. & 64. Chrysost. hom.3. in eam Epistol. Theophilat. Theodoret. Beda reliquique interpretes idcirco Alex.3.p.q.12.m.2. a.3. §.5. Durand. in 3. d.13. q.2.n.7. Palud. q.1.a.3. ac cæteri Theologi prisci ibi S.Thom.3.p.q.7.8.59.& cum eo Recentiores hæc dona illuminationis, & gaudij Angelorum de peccatorum conuersione meritis Christi adscribunt.

2 Circa primam Angelorum gratiam refertur error Origenis docentis homil.1. in Ieuit. à med. & 2. circa med. atque hom.9. in Lucam,gratiam, quâ à peccato mundarentur, seu iustificationis, ac remissionis peccatorum per Christi merita, passionem, ac mortem obtinuisse:eo quòd dicat sanguinem Christi, non Hierosolymis solùm,sed & in cœlis effusum fuisse, ibique fructum spiritualem obtinuisse. Hunc fuisse Origenis errorem afferunt Sixtus Senes. 5. Bibliot. annot. 11.7. Valentia noster citandus,Prateo l.elencho hæres.verbo *Origenistæ*,Sandex de visibili Monarch. hæres. 46. Verùm quod ex eis locis refertur non hæresim hanc, sed bonum sensum continet, vel conclusionis primæ, vel Catholicarum sententiarum sequentium. Siquidem ea omnia

omnia spiritualis fructus sunt. Accedit quod citata homil.2.in Leuit.fructum spiritualem in cœlis ex sanguine Christi obtentum non fuisse remissionis peccatorum expresè docet his verbis. *In cœlis, quidem non pro peccato, sed pro munere oblatus est; in terris autem (vbi ab Adam vsque ad Moysem regnauit peccatum) oblatus sit pro peccato, & hoc est passum esse extra castra Angelorum.* Quæ Iacob vidit Genes. 32. sed enim licet eis loci errorem hunc non docuerit,alibi tamen docuisse constat ex Hieron.in id ad Ephes. 1. *& omnia subiecit.* & ad cap.2. *qui fecit vtraq; vnum.* vbi docet: *Angelos, & astra Christo subiecta fuisse, quia eius Cruce purgata à peccatis fuerint: quia coram Deo munda non sint.* Postea vero apologia ad Rufinum ait: multa se in eius epistolæ commentariis transcripsisse ex origine potiùs, quàm sensisse: inter quæ, & hic error plane fuit. Nam t.1.in Ioann.ad illa verba *in principio erat Verbum* docet Origenes Christi meritum non fuisse tantùm pro peccatis hominum, sed astrorum: id est Angelorum (quibus animari astra putabat) quæ in conspectu Dei munda non sunt;quæ eadem erant Hieronymi verba.

3 Secunda Catholicorum sententia est: Christum Angelis omnibus primam gratiam fuisse promeritum. Hanc singularitatis tanquam ab authoribus prorsus destitutam Tertiæ Sententiæ Doctores notarunt, sed immeritò. Eam enim docuerunt olim Albert. in 3. d. 13. ar.2. Ruard. art. 2. & clarius art. 8. Galatin. 3. de arcan. Catholicæ veritatis cap. 4. Ioann. Arboreus 3. Theosophiæ q. 2. art. 11. Suar. d. 42. sect. 1. Valentia d.1. q.9. pun. 3. §. *Nunc quod ad istam tertiam sententiam*, vbi communem Theologorum, qui Christum ante præuisum peccatum præfinitum docent esse affirmat, (& merito,si consequenter Theologizentur) & §. *in littera igitur* ac q.7.art.9.& 11. Viguerius de institutionibus Theologicis cap. 2. §. 1. Catharinus de prædest. Christi & lapsu Augelorum Cornel. à Lapide in 1.ad Ephes. Salmeron t. 13. d. 48. in epist. ad Rom. Iacob. Val. in psalm. 102. verficulo 20. Naclantus ad Ephes. 1. & in medula sacr. Scripturæ 3. mundi ætate Meschior Flauius lib.de Christi regno Adam Tamer. 3. p.q.8. art.1.& q.1.9.art.4. Granad.controuers. 1.tract. 14. d.3.à num.4. est demum expressa sententia S.Th.in id Ioann.1. *de plenitudine eius nos omnes accepimus.* vbi sic retractat quod docuerat in 3. d. 13. q.2. art. 2. *quia*, inquit, *plenitudo gratiæ, quæ est in Christo est causa omnium gratiarum: quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis* & 3.p.q.7.art.9. docet: Christo datam esse plenitudinem gratiæ, tanquam vniuersali principio habentium gratiam, vt illam in omnes transmittat, sicut igni calor, vt huius principio vniuersali. In habentibus autem gratiam Angeli clauduntur respectu quorum & hominum intendit ibi probare esse in Christo plenitudinem gratiæ principiatiuè: quod autem art.11. dicat gratiam datam Christo *tanquam vniuersali principio gratificationis in humana natura*, non significat esse principium vniuersale faciendi gratam humanam naturam seu homines (licet adhuc sic intellectis verbis Angeli paulo ante inclusi non excluderentur, vt bene Caietanus) sed humanitatem suam, nec solum Deitatem esse subiectum, in quo est gratia vniuersalis principij, gratisfaciendi omnes, siue homines siue Angelos, vt duobus retro articulis dixerat, nam alio sensu *non in humana natura, sed pro humana natura vel in,circa, aut erga humanam naturam* dicere deberet, vt bonâ grammaticâ loqueretur. Deinde, cum hoc apposuerit S. Th. vt deinceps inde concluderet Christum esse caput hominum & Angelorum, malè limitaret rationem principij vniuersalis gratificationis respectu hominum: cum ex ea limitatione potiùs inferatur non esse angelorum caput.At in-

quiunt, negat 3.p.q. art.6. corp. & ad 1. Christum hominem esse iudicem Angelorum quoad essentialem gloriam: ergo, quia in eis non influxit meritoriè gratiam, cui gloria essentialis respondet. Nego consequentiam, nam eam rationem ibi non affert.

4 Aluarez d.40. negat vniuersim Christum angelis primam gratiam, imò & gratiam promeruisse. Refert pro hac opinione S Th.& Thomist.Vidimus autem quâ fide.Eundem sectantur Vasquez d. 49. cap. 2. Sesius de prædest. Christi sect.1. Lugo d.27.sect.3. num.25. Vuadingo d. 10. dub. 6. §. *dico primo* Bernal. d. 55. sect. 5. num. 102.communiorem appellantes atque oppositam pene singularem.Sed ex datis pro oppositâ Doctoribus constat,Doctores hosce in vtraque censura fuisse deceptos. Congerunt pro hac sua sententia plura Scripturæ testimonia; sed ad rem hanc nimis leuia, vt certamine sequenti ostendam,plura etiam Patrum non efficaciora. Vrgentiora sunt ex Bern.serm.4.sanctæ hebdom.dicente. *Passio Domini data est homini quia alteri dari non potuit. Numquid Angelo? sed ille non indiguit: nunquid Diabolo? sed ille non resurgit*; sed non vrget.Loquitur enim de iis quibus ex primaria intentione data passio fuit quorumque indigenti fuit expectata, vt daretur: quæ in bonis angelis defuit, in malis subleuata non fuit. Nec vrgentiùs serm. 22.in canticis air, *qui fuit Angelis redemptio secundùm diuinitatem illos præseruando factum esse nobis redemptionem cum factus est homo.* Quibus similia habent Grego. M. homil. in Ezechiel & Cyrill. 1. ad Reginas. Sed non opponitur præseruationi Angelicæ à Deo,quod ea per Christi merita fecerit: quod,licet non exprimitur ibi, non negatur.Tacetur autem,quia ex primaria Dei intentione homo Christus redemptio præseruatiua Angelorum factus non est. Id autem non tollit ob eius merita fuisse præseruatiuè redemptos Angelos sicut nec quod plura sibi homo Christus promeritus fuerit, licet ex primaria intentione vt eas sibi obtineret, non fuerit Verbum incarnatum; reliqua Testimonia leuioris adhuc armaturæ sunt.

5 Quarta demùm sententia inter has duas Catholicas media esse posset:Angelis bonis gratiam etiam primam Christum fuisse promeritum, secus dæmonibus.Ratio satis vero similis est; quia horum culpa gratiáque, vt vitaretur Adæ peccatum naturâ præcessit, quare & Christi ac meritorum eius absolutam existentiam, quæ nonnisi posteriùs natura Adæ peccato fuit: ergo dæmonum gratia sub ea absoluta merita venire non potuit. Antecedentis pars prima, quæ sola nunc probationem desiderat,probatur facilè;quiaDæmones iam peccatores malis suggestionibus & colloquiis externis ac sensibilibus, Euam primùm, móxque Adamum in præcepti transgressionem induxerunt, vt ex Scriptura constat, Genesis 3. quare, & Dæmonum culpâ, & suasionibus & Adæ delicto natura præinit. At vero Angelorum gratia etiam prima, nullatenus ad peccatum Adæ videtur præcessisse: quare,nec ad Christi eiusque meritorum absolutam existentiam: quare ex illis fuisse datam minimè repugnat; imò verò Christo gloriosum valde est: ergo erit Christi meritis concedendum.

CERTAMEN II.

Angelis primorum Parentum custodibus, ac pauculis eorum tentatoribus Dæmonibus primam gratiam Christus non meruit, at meruit Angelis cunctis essentialem etiam gloriam.

1 DIco primò. Angelis Adæ atque Euæ custodibus non meruit Christus primam gratiam. Supponit conclusio Adamum atque Euam habuisse in statu

innocentiæ custodes Angelos, quod non adeò explorarum Patribus est Quin oppositum videtur ratus Missen. De vitâ Moys. post init. expressis verbis, quæ sic habent. *Verus sermo ad nos vsque descendit: quod creditur postquam in peccatum natura nostra prolapsa est, non omnino à clementiâ neglectam, sed Angelorum aliquem in adminiculum cuique constitutum.* Rationem insuper præter authoritatem continent hæc verba. Cum enim in statu innocentiæ natura tot esset scientiæ ac virtutum gratiæque donis ornata, vt appetitus rationi obediret ad nutum, fomésque non adesset peccati, vel, minimum, adesset ligatus, vt externas Diaboli & obiectorum tentationes vincerentur, satis in primis illis hominibus videbatur interioris esse præsidij: Quare externo Angelorum custodum præsidio non videbantur egere. Verùm. S. Th. 1. p. q. 113. a. 4. ad 2. & 2. 2. q. 165. a. 1. Custodes Angelos protoparentibus nostris, etiam in statu innocentiæ datos à Deo, videtur docere: consentit Suar. 6. de Angelis, quos sectantur plures, videturque probabilius; quia in præcepti illius obseruatione, vel transgressione totius humani generis causa agebatur: quare rei magnitudo illud etiam custodis Angeli adminiculum petebat; maximè cum dæmoni seducendi hominis facta à Deo esset potestas, cuius fraudibus, ac suggestionibus æque viuidum consiliatorem, atque Pedagogum hominibus illis adiungi oportebat.

2 Hoc igitur posito conclusionem docent Aluarez, Vasquez & reliqui pro tertia sententia citati, docereque debent, quotquot asserunt Christum nonnisi post præuisum absolutè peccatum fuisse decretum: vt ex ratione conclusionis constabit, quam miror nostrum Vasquez aliúmve ex affeclis non attigisse. Est autem huiusmodi: Christi, ac meritorum eius absoluta existentia fuit posteriùs naturâ absoluto peccato Adæ, vt probauimus supra: ergo fuit posterius natura bonis suasionibus Angelorum Custodum Euæ atque Adami: quæ dubio procul eorum transgressionem & peccatum naturâ antecesserunt: ergo fuit etiam posterius natura obseruatione præcepti Angelis illis Custodibus, atque alijs omnibus impositi. Patet: quia, vt Angeli in custodes hominum eligerentur, eorum obseruatio præuisa est: ne malesidis & viatoribus, de séque sollicitis Angelis aliorum cura, & gubernatio, mandaretur: ergo, & Christi, & meritorum eius existentia. Posterius natura fuit gratia prima Angelorum custodum Adæ & Euæ quæ obseruationē præcepti Angelici natura præcessit; ergo nequit prima hæc gratia cadere sub absoluta merita Christi, seu remuneranda, quæ sola vera merita esse ostendimus, quin principium meriti cadat sub meritum, sitque, & meritum, & præmium, & prius, & posterius natura vicissim, ac proinde & eorum quodvis se ipsum implicatoriè natura & causalitate præcedat. Quot autem fuerint Angeli primorum Parentum Custodes, vt quot Angelis primam gratiam Christus non promeruerit determinatè statuatur, res coniecturalis prorsus est. Illud ea in re videtur certius paucis fuisse, atque, vt reor quatuor, ad summum: fortasse solus Michael, qui cælestis exercitus tenet principatum. Nam adeò scientia, gratia, aliisque donis supernaturalibus ornatos homines duos tanti principis cura custodiret satis; Maximè cum solus Lucifer eos instigasse ad malum, & tentasse videatur, vt mox dicam, cum quo manus conserere, & vincere etiam solius Michaëlis negotium est. Quod, si primos illos homines non ex animi dotibus, sed ex Regiâ, & Monarchica dignitate metiaris, duos cuique Angelos destinari custodes satis supérque fuerit.

3 Dico secundo Dæmonibus primorum Parentum tentatoribus, Christus gratiam primam, quam solùm habuerunt, promeritus non fuit. Habet, haberéque debet conclusio hæc eosdem Patronos, eadémque ratione probatur. Nam instigatio primorum parentum ad malum & transgressionem à Dæmone præstita, prior natura fuit peccato eorum, quod naturâ Christum eiusque merita antecessit; posterior autem natura dæmonum tentatorum transgressione: quare & posterior gratia prima Dæmonibus data ne transgrederentur, sed obedirent: ergo gratia prima dæmonum tentatorum Euæ & Adæ multis retrò naturæ instantibus merita Christi præcessit, ac proinde sub ea venire nequiuit. Quot autem dæmones primos Parentes tentârunt definitu est difficile. Supicor solum Luciferum fuisse eorum tentatorem, vt proinde totus præuaricationis princeps habeatur. sed,

Dices: licet progenitores Christi naturâ ipsi præcesserint, pluriúmque ex illis merita, vt tales esse mererentur, quare & gratia ad ea merita elicienda ad Christum supponatur, tamen illa gratia ex meritis absolutis fuit, vt dicemus, ratione duplicis actionis totalis quibus extitit Christus: ergo, licet gratia prima horum Angelorum, ac dæmonum naturâ præcesserit, eádem ratione potuit esse ex meritis Christi absolutis. Nego consequentiam: quia hæc ita Christum antecessit, vt antecesserit Adæ peccatum, ante quod nusquam Christus decretus est, quare nec existens ipse nec eius absoluta merita potuerunt præuideri vt ob illa conferretur. At,

Dices: licet primo gratiæ auxilio probent in utrisque, ast de gratia habituali, reliquisque dotibus in quibus Angeli omnes creati sunt, non probare: cum non sint principia transgressionis, vel obedientiæ. Respondeo ea omnia præsupposita absolutè fuisse ad obedientiam, & transgressionem Angelorum vt obiecta, quæ vt conseruarent nec amitterent, ad obediendum inducebant, ac retrahebant à delicto.

4 Dico: tertio meruit Christus de facto Angelis omnibus essentialem gloriam. Conclusionem hanc tradunt Doctores secundæ sententiæ, atque ex Doctoribus sententiæ 3. Bernard. citata sect. 5. §. 3. num. 123. probat: quia licet essentialis Angelorum gloria primo producta fuerit ad exigentiam gratiæ, quæ non fuit ex meritis Christi acproinde independenter ab illis; ast secundo producta fuerit actione alia totali ex meritis Christi; hæc tamen ratio & parum habet consequentiæ in huius doctrinâ: quia eodem modo primam Angelorum gratiam independenter à meritis Christi primo productam potuisset Deus rursus actione alia totali dependenter ab illis simul producere: cum ipsius doctrina non inde repugnet, quod Angelorum gratia fuerit ante absolutum Adæ peccatum, pro quo signo, nec Christus, nec eius merita potuerit absolutè præuisa præcedere: secundo: cum actione primâ gloria essentialis ab Angelis habeatur independenter à meritis, materia præmij esse non potest, vt q. 1. docebamus in simili. Ratio ergo solida pro Angelis non Custodibus primorum Parentum est quia eis, vt: cert. sequenti ostendam, primam etiam gratiam, quare & præcepti obseruationem, quatenus à Deo est, Christus meruit. Et quamuis eam non meruisset, vt Custodibus non meruisse docuimus, merita Christi expectata sunt, vt gloria essentialis ipsi daretur: sicut ad plurimum quæ iure vnionis Christo debebantur, collationem, merita Christi expectata fuisse docuimus.

CERTAMEN III.

Angelis ac dæmonibus reliquis primam gratiam Christus meruit.

1 DE Angelis reliquis à custodibus Protoparentum est conclusio Doctorum secundæ sententiæ, & quæ in Patribus momenti habet multum, Cyr. Alex. 5. in Isai. ad d. 54. c. *Lætare sterilis*, vbi sic habet. *Omnem iustificationem spiritualem, tam in Angelis, quàm in hominibus insitā fuisse per Christū*, ergo in bonis Angelis omnis iustificatio fuit per Christum, seu iustitia, qua iusti, sanctique fuerunt, imò & in malis quam habuerunt ante delictum, exceptis solum quorum gratia & iustificatio naturâ merita præcessit: & hom. 1. in Leuit. Med. *non solùm pro terrestribus, sed etiam pro cœlestibus oblatus est bonus Iesus*; & infrà: *Si ergo duo intelliguntur velamina, quæ velut Pontifex ingressus est Iesus, consequenter & sacrificium duplex est intelligendum, per quem, & terrestria saluauit, & cœlestia.* Respondet Vasquez Angelos gratia ornatos saluatósque per Christum dici, quatenus erat Deus. Sed contra, quia, vt Deus, nec Pontifex est, nec hostia aut sacrificium, nec hæc offert. Respondet Vuadingo loqui de nescio quibus Sacerdotibus, quos in cœlo esse aiebat, vt locum Pauli explicaret ad Colos. 1. nec satis percipiebat. Sed solutio iniuria Cyrillo est, quem hallucinari super Pauli loco fatetur, repugnátque textui, qui de Iesu expresse loquitur: qui, vt summus Sacerdos, & Pontifex duplicem templi cortinam, penitissima eius, id est Sancta Sanctorum penetrauit. Duplex autem sacrificium oblatum ab eo fuit, quoad effectum scilicet, salutis, & iustificationis cœlestium & terrestrium, vt ait Cyrillus. Vel si mauis, quia vnica sui in mortem oblati hostiâ hominum redemptionem peregit, incruentâ vero suarum virtutum hostiâ Angelis meruit iustitiam. Etenim respectu sui, & aliorum non redimendorum propriè à seruitute contractu peccati non opus fuisse, vt merita morte consummarentur, probabile est docétque Lugo.

2 Probatur rursus æque Illustri testimonio Gregorij M. in id 2. Reg. *non est alius extra te*, vbi habet: *Subauditur Sanctus, quia nullus hominum, nec Angelorum, sanctus est nisi per Christum*; infra: *& quia vnigenitus Dei Deus est, extra eum non est aliquis: quia nemo electorum nisi in ipso est, quod sic refertur ad diuinitatem eius, vt nequaquam intellectum humanitatis euacuet.* Respondent Vasquez Vuadingo, & alij omnes aduersarij. Primam illam propositionem, quæ de Angelis, & hominibus est, loco inferiori probare diuisim vnamquamque; quia Deus est de Angelis: de hominibus verò, quos proximè electorum nomine significarat, etiam, quia homo Christus est: qua solum parte meritoriè operatur. Sed contra cum Suario, quia electorum nomina, quos omnes, quia Deus est, electos in Christo ait Gregorius, angeli continentur boni: ergo cum hæc eadem electio omnium electorum (in quibus sunt & Angeli) quæ in Christo, quia Deus fuisse asseritur, dicitur etiam in Christo fuisse secundum humanitatem etiam Angelorum electionem, & gratiam, qua electi sunt, primam humanitati, eiúsque meritis ad scribit Gregorius; fortius verò quam diluerit Vasquez obiicit sibi Cyrillum Alex. 9. de ador. ante med. ad id Ioann. *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, in hæc scribentem: *Christi enim particeps est vniuersa visibilis, atque inuisibilis creatura Angelique & Archangeli, & quæ his superiora sunt, ipsique adeo Cherubin non alia ratione sancti sunt præterquam per solum Christum in Spiritu Sancto.* Nisi autem meritoriè hæc intelligantur, sed effectiuè, & quâ Christus Deus est, pater in sanctificatione creaturarum inuisibilium cuiusmodi sunt Angeli, omittendus non esset. Secundo cum eodem modo sine vlla diuersitate loquatur, hominéque per Christi merita in Spiritu Sancto sint sanctificati, idem etiam de Angelis intelligi syncerius est.

At inquies loca ista de omnibus Angelis sunt; nos autem de custodibus & Angelis malis tentatoribus intelligi nolumus: ergo contra nos etiam pugnat. Respondetur iuxta regulam interpretandi scripturâ, & Patres, maximè in propositionibus vniuersalissimis, vt istæ sunt, locum esse paucorum exceptioni, vbi ratio Theologica suadet; præsertim, cum hæc in aliis eorundem Patrum testimoniis fundatur, vt in præsenti de custodum, & tentatorum exceptione, quia Christum nonnisi post præuisum peccatum fuisse decretum, testimoniis horum etiam Patrum innititur.

3 Dico secundò dæmonibus reliquis à tentatoribus Adæ & Euæ, primam gratiam promeritus Christus est. Hanc in terminis conclusionem nemo docuit, quem viderint, nisi Angelorum nomine dæmones, Doctores secundæ sententiæ comprehendant, pro eo statu, pro quo in gratia creati sunt, antequam propria malitia dæmones fierent. Probatur tamen iisdem Patrum testimoniis, quibus conclusio prima. Nam, & Dæmones in gratia, & iustitia creati sunt, atque gratiæ auxilia, quibus præceptum seruarent, à Deo acceperunt. Ratione vero vtraque conclusio probatur; quia in Angelis, ac Dæmonibus reliquis à custodibus, & tentatoribus primorum Parentum gratia, prima etiam, suppositā non fuit pro priori naturæ ad Adæ peccatum: quare nec ad absolutam Christi, ac meritorum eius existentiam: ergo potuit sub ea merita cadere: cum autem id fit adeò Christo gloriosum, ita de facto euenisse fatendum est.

Sed supereſt difficilis obiectio. Cum enim pro statu viæ Angelorum designatum non fuerit ad deliberandum circa præcepti ipsis impositi obseruantiam vnum solum instans, sed duratio diuisibilis, vt doctè probat Suar. 5. de Angel. c. 12. à 11. ex quo Lugo, vbi proxime num. 28. ac Bernal. num. 110. imo fuisse totum integrum diem primum creationis acutè meditatur Hugo Victorinus: qui primò deliquerunt, vel obseruarunt ante diem elapsum, reliquos in suas partes trahere conati sunt: boni quidem transgressores monentes vt resipiscerent; malis verò obseruātes vt deficerent instigantibus. Quocirca, & bonorum constantia, siue in bono perseuerantia tentatorum dæmonum Adæ, atque Euæ malitiam & peccatum pro priori naturæ suppositā: quare & primam eorum gratiam; malorum autem obstinatio Custodum Angelorum, imo & reliquorum obseruantiam gratiámque proinde primam: atqui tam perseuerantia custodum, quàm obstinatio tentatorum suppositā prius natura est, vt illi in custodes primorum Parentum deputarentur: hi verò illis tentandis incumberent: ergo iuxta discursum nostrum, omnium Angelorum, ac dæmonum prima gratia ad Adæ peccatum, ac proinde ad Christum, eiúsque merita absolutè pro priori naturæ præcessit.

4 De desertoribus dicent Thomistæ locum non fuisse, vt ad bonum ex malo deliberato traherentur: quia natura sua immutabiles sunt à malo deliberato in bonum: cum tamen à bono in malum sint mutabiles. Quanta verò Angelorum naturæ iniuria ea dicantur, viderint omnes, cum ea in re deterioris naturæ, ac voluntatis, quàm homines essent: quanto item diuinæ omnipotentiæ dedecore, cui deesse auxilia, quibus peccator Angelus resipiscere, atque ad meliorem frugem reuocari queat, fateri necesse est. Quid ergo aliis asserentibus non repugnare voluntatem creatam, cui nullum auxilium efficax adesse possit, tantopere ob gannunt Thomistæ? cum id ipsum in tot Angelorum voluntatibus admittant. Sed Maior adhuc est Thomistarum incōsequentia. Cum enim auxilia efficacia sint prædeterminationes, siue præmotiones physicæ, posito quouis auxilio efficaci in Angelo desertore, vellet nollet, resipiscere in eorum sententia deberet, ob hæc igitur, & quia difficultatem in Angelis bonis non euacuat, abstinendum ea solutione erit: Vt ergo respondeam, aduerto tempus designatum fuisse Angelis ad deliberandum, quo effectum, vt licet vnius diei esset, vbi primum deliberato obedierunt bonis, status viatorium finierit, meritique, & demeriti, factáque fuerit transgressio præcepti impossibilis; malis verò vbi primū obsequi deliberato noluerunt, positiuè, (nec enim omissione peccarunt,) vt vltimum temporis instans ex-

pectandum esset, sed voluntate contraria conscendendi cœlum atque super astra sedem exaltandi, affectatione nimirum æqualitatis cum Deo, siue secùdùm se, siue incarnato conditionatè præuiso,) viæ statusque cessauit: qui neutris cessasset, si diutiùs tépore statuto deliberassent, quin obedirent, vel exobedirent. Atque hinc patet cur mali resipiscere nequierint, licet aliàs natura sua possent. Cur item bonis perseuerantia in bono, & gratia prima dubia deinceps non fuerit: imò nec proximè ex meritis Christi, nisi quatenus obedientiæ opus, quatenus à Deo erat, primáque gratia, & quæ in obedientiæ præmium data est, ex eius meritis fuit. Quocirca Lugo & Bernalis huius rei rationes infirmæ prorsus. Animaduerto secundò, tardiorem, vel promptiorem Angelorum aliquorum præ aliis deliberationem ex maiori, vel minori intellectus & naturæ aliorum præ aliis perfectione prouenisse: sicut in hominibus vsu venit, vt iisdem rationibus auctores citiùs tangantur, tardiùs hebetiores: ac proinde in deliberando morosiores illis sunt. Tertiò animaduerto ex minori hac naturali & intellectuali perfectione aliorum Angelorum prouenire etiam, vt à perfectioribus illuminentur, doceantur, eísque ab illis possit suaderi; quin contra ipsi perfectioribus suadere quidquam, eósve docere, atque illuminare valeant. Hæc omnia breui supposui ex controuersia de Angelis, vbi fusiùs à nobis fundata sunt: quanquam & de se satis vero similia.

5 Ex his autem patet ad difficultatem nostram solutio. Nam si à Michaële alij plures Angeli custodes Parotoparentibus designandi sunt, pluréque Lucifero tentatores adstiterint, ij è prioribus fuerint, qui & citiùs reliquis propterea deliberárunt, nec priùs in bonum aut malum ab aliis imperfectioribus potuerunt suasionibus agi, postea verò trahi à deliberato. Quare reliquorum culpa, vel obedientia ad eorum, siue obseruationem, siue transgressionem suppositæ non fuit. De culpa verò malorum, & obedientia bonorum, qui tardiùs præ minori perfectione deliberárunt, negari nequit, quin ad eas, & Michaëlis, & Luciferi, qui prius deliberárunt, obedientia, & delictum præcesserit: quare, & eorum gratia prima; altero præ Dei & proximorum Charitate; altero præ obstinata superbia Dei proximorúmque odio, conantibus in suas partes trahere imperfectiores. Sed tamen id non euincit, quòd imperfectiorum obedientia, atque exobedientia Adæ peccatum pro naturæ priori antei erit, post quod, non autem post Angelorum peccata, Christus præfinitus est: Quare horum peccata, & bonorum obedientia solùm poterant pro priori naturæ ad Christum supponi, quatenus ad Custodum, & tentatorum Protoparentum obedientiam, vel transgressionem suasionibus, vel tentationibus supponerentur. Quod minimè factum, imò nec fieri potuisse ostendimus. Sed,

Dices post aliquorum hominum peccata originalia præuisa venit Christus: ast licet ad ea non supponantur Angeli Custodis dati contrahendi consilium & gubernatio, nec demonis tentatio; ast ad Parentum honestum, vel turpem concubitum supponunturaliorum Angelorum, ac dæmonum Parentibus datorum bonæ malæque suasiones, quæ in vtrisque supponunt & peccatum & primam gratiam: ergo nec his eam Christus promeruit. Respondeo nullius originale, qui conceptus est, ex merito vel delicto Parentum, suppositum fuisse, ad aduentum Christi, vt suo loco docebam.

Instas': Angeli custodes Pilati, vxorísque eius, Iudæorum, & crucifigentium, corúmque omnium dæmones tentatores pro priori naturæ ad merita Christi morte consummata gratiam receperunt ad peccatum, vel obedientiam, quæ ad ea munera obeunda natura præcessit per nos: ergo, nec hi eam receperunt ex meritis Christi. Friget obiectio in opinione probabili, quam supra ex Lugo memorauí, respectu Angelorum, & sui ipsius, merita Christi non debuisse morte consummari, vt præmium obtinerent. Sed esto, debuerint etiam morte consummari: eadem est difficultas, ac de merito Christi respectu gratiæ crucifigentibus datæ, eadem solutione diluenda q.vltima.

6 Dices tandem: Christus meruit Angelis primam gratiam, ne caderent: ergo eos redemit æque propriè ac B. Virginem dicitur redemisse: quia ne caderet, siue in culpâ, siue in eius debitũ, eam præseruauit. Consequens autem est contra Augustinum cap. 61. Enchiridij & contra Theologos omnes: ergo & antecedens. Sed nescio an adeò absurda sit locutio. Absurditas quippe eius non stat in eo, quòd ex meritis Christi Angeli sint dicendi redempti præseruatiuè, sed quod sint præseruatiuè redempti siue id ex meritis Christi, siue non ex meritis ipsius; vt ex ratione subiicienda, quâ Aug. & Theologi nituntur, constabit. Quòd redempti eâ præseruatione absolutè dici possent, videtur Bernardo verbis datis cert. 1. num. 4. post medium ex serm. 22. in Cant. *qui fuit Angelis redemptio secundum diuinitatem illos præseruando*, &c. licet respectu hominum nonnisi ex destinatione ad peccatum aliqualis redemptio fuerit; Sed ne hic hæreamus, nego consequentiam. Etenim redemptio vbi ait Augustinus epist. 157. ex Zosimo Papa iterata emptio est, quare redemptio à peccato necessariò supponit redemptum præcessisse aliqualiter mancipatum peccato, isíque aliquale ad seruitutem peccati passum illum esse, priusquam redimeretur: quia ergo B. Virgo mancipata erat debito peccati Originalis, imò & seruituti peccati sub conditione, quòd non eligeretur in matrem Dei, debitúmque primo ac deinde seruitus peccati imminebat, cum ex meritis Christi electa in matrem Dei fuit, propriè fuit redempta. Ast Angeli pro priori naturæ ad obseruationem mancipati peccato non erant: cum in eorum voluntate esset vel transgredi, vel obedire: quare licet gratiâ præuenirentur ex meritis Christi, ne peccarent, ac proinde à peccato præseruarentur, non tamen redimebantur.

Instas: sub conditione negationis auxilij efficacis peccarent; sicut B. Virgo sub negatione electionis in matrem, contraheret debitum, & originale: ergo æque atque illa destinati peccato erant. Nego consequentiam. Nec enim quidquid sub conditione aliquâ futurum est, ex iure aliquo futurum est, sed sæpe ex libertate, & arbitrio: vt in presenti, quod secus eugnit in debito & originali Diuiparæ.

7 Opponit Vasq. pro solis hominibus mortuum fuisse Christũ ex communi Patrum, & Theologorum: ergo nil meruit Angelis. Nego consequentiam. Nam merita pro Angelis non oportuit morte consummari sicut, nec, vt sibi mereretur. Secundo oportuerit pro solis hominibus ex primaria intentione mortuus dicetur, non absolutè, cum sibi etiam morte consummauerit merita. At instabis à merito Christi exclusos Angelos in parabola Christi de oue quæsita relictis 99. in deserto: id est omnibus Angelorum horis in cœlo, iuxta Ambr. 7. in Lucam c. de oue centesima Greg. M. hom. 34. in Euang. Beda in cap. 15. Lucæ ad ea verba *quis ex vobis homo*. Anselm. in id Math. 18. *quid vobis videtur*, Theophyl. vtrobique, vbi ouem vnam, quam, vt errantem reduceret illas reliquit, naturam humanam lapsam interpretantur: Cæterùm cum in Vasquez sententia plura Angelis sit promeritus Christus, vel intelligenda parabola de assumptione naturæ humanæ præ Angelica: vel de primaria intentione, & fine incarnationis & aduentus sui: quod est textui conformius. Obmurmurantibus enim pharisæis quod familiariùs cum peccatoribus, & Publicanis, quàm cum ipsis, in sua æstimatione iustis, ageret Christus, parabolá illa respondit, ac sententiam adhibuit: *non est opus valentibus medico, sed male habentibus* concluditque: *non veni vocare iustos, sed*

peccatores. Licet autem ea aduentus sui primaria fuerit intentio, & finis, non inde infertur, quod Angelis, sicut & iustis iam hominibus nil fuerit promeritus, vt patet.

Denique opponit Vasquez Paul. ad Hæb. 2. vbi sic probat decuisse Deum vt Christus passione, & ærumnis, nec solùm carne nostri similis factus nos sanctificaret, *qui sanctificat, & qui sanctificatur ex uno*, Adam, *omnes*, vt Claudus Guissialæus, Adamus, & Caietanus, imò & sequentia verba probant. *Propter quam causam non confunditur*, Christus, *sanctificans fratres eos*, sanctificatos, *vocare dicens: nunciabo nomen tuum fratribus meis: & iterum: ecce ergo, & pueri mei, quos dedisti mihi Deus: quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*. Ex quibus sic arguitur primò. Omnes sanctificati per Christum sanctificantem debent esse ex vno, Adamo, sicut & ipse. Item sunt pueri, & fratres Christi, quorum carni, & sanguini etiam, quoad passiones, & ærumnas ipse communicauit; vtrumque autem Angelis defuit: ergo non sunt sanctificati per Christum sanctificantem. Respondet Soar, ex quo reliqui, Paulum loqui de sanctificatis peccato contracto (sine imminenter aliqualiter ne Virgo excludatur) id est sanctificati per sanctificationem remissiuam peccati, seu iuris aliqualis ad illud: quomodo Angeli per primam gratiam sancti non sunt, cum antea non peccassent. Sed instat Vasquez in eo, & præcedenti capite Apostolum excellentiam Christi, respectu Angelorum etiam, expendisse: quare hanc excellentiam sanctificandi eos, nequaquam omissurum, si fuissent peripsum sanctificari. Verum cum hoc. c. teste Vasquez ipso, intenderit Apostolus ignominiosum Deo & Christo non fuisse, sed gloriosum per passionem homines, quos præcipuè intendit, redimere, vt initio Capitis proposuit: non non erat cur de Angelorum sanctificatione per Christum ageret: Vnde suum hoc argumentum confirmare non poterat.

QVÆSTIO III.

Quid Adamo, reliquisque hominibus Christus fuit promeritus?

NOn est quæstio de Adamo ante lapsum. Etenim cum ante eius lapsum Christus absolutè non extiterit, sed posterius naturâ illo, primam eius gratiam, cæteráque status innocentiæ dona, non magis potuit Adamo promereri, quàm eius custodibus Angelis demonibúsque tentatoribus dicebamus q. 2. cert. 2. Sed nec est quæstio de omnibus singulatim gratiis, quas Adamo post lapsum, cæterisque hominibus promeritus Christus est, id etenim minutim disputantes iusto amplius volumine expleremus; vniuersalius ergo hoc inquirimus an omnem gratiam, quoquomodo ad salutem vitámque æternam conducentem eis fuerit Christus promeritus.

CERTAMEN I.

Omnem lapsi Adami hominúmque gratiam saluti æternæ quoquomodo proficuam Christi meritis deberi, fides Catholica est.

1 FRanciscus Somnius. 2. demonstrat. Religion. Christianæ tract. 3. c. 19. docuit Christi merita non nisi fidelibus iustificatis applicari: id quod in sensu benigniori omnia dona gratiæ, quæ nobis ante iustificationem conferuntur, eámque præcedunt ex meritis Christi esse apertè negat. Docuerunt id ipsum Capreolus in 3. d. 28. q. vn. a. 3. ad argumentum Scoti contra quartam conclusionem Sonzin. ibi conclu. 3. Driedo de captiuitate, & redempt. generis humani tract. 2. c. 2. p. 3. ar. 4. ar. 4. ad 1. obiectionem tract. 4. c. 2. p. 8. m. 3. Adamus ad vltima verba ad Philip. c. atq. ad illa 2 Petri. 1. *iniustitia Dei* & ad Rom. 3. *vbi est gloria tua?* Duos autem doctores hos in hanc sententiam impulere primum: quod applicatione meritorum Christi peccata nobis remitti censeant, non, quia nos formaliter iustificent, sintque iustitia formalis nostra, sed; quia nobis quoad efficaciam applicata gratiam iustificantem, & peccatorum remissionem inducunt. Quare pro nullo priori applicari nobis possunt quin statim iustificent. Secundum, vt ostendant, quare merita Christi æque omnibus ad peccatorum remissionem non applicentur, nec æque omnes illum fructum recipiant. Quia nimirum ex gratia pura Dei priori necessario ad iustificationem, seu, quod idem est, ad applicationem meritorum Christi, non æque disponuntur, quocirca diuersum valde hoc est ab eo errore; alias confutando, qui docet nos ex viribus naturæ ad Dei gratiam & iustificationem, siue positiuè, siue negatiuè disponi. Admittit enim nos ex gratia Dei naturæ prorsus indebita ad iustificationem, siue applicationem meritorum Christi disponi. Solumque negat eam gratiam ex meritis Christi nobis à Deo donari, vt disponamur.

2 Catholica tamen veritas est, non solùm nostram iustificationem & salutem, sed remotissimas quasque dispositiones ad ipsam proficuas Christi meritis deberi. Ita docet S. Th. 3. p. q. 7. a. q. 10. 11. & totâ q. 8 vbi Christum vniuersale principium totius nostræ gratiæ asseruit & ar. 3. ad 2. fidem etiam mortuam à Christi influxu docet prouenire, sequuntur Præceptorem Recentiores Thomistæ & antiqui duobus nuper citatis exceptis. Idem insinuat Scotus in 3. d. 19. q. vn. cum quo Scotistæ. Clariùs docet S. Bonau. d. 19. ar. 1. q. 2. asserens omnia, quæ nobis non debebantur Christum Dominum nobis meruisse. Fusiùs adhuc Vega toto libro. 4. super Trid. & lib. 15. c. 9. ac 10. Hosius in confess. fidei c. 41. & 43. Lindanus. 3. Panopliæ. c. 36. Vasquez d. 77. c. 2. Soar. d. 41. sec. 2. Gran. tract. 4. d. 5. num. 2. Vuadingo d. 10. dub. 7. Bernal. 55. tect 4. §. 2. Et quidem de gratia habituali, siue formali sanctitate nos iustificante, ac remittente peccata præsertim mortalia, nec Doctores primæ sententiæ, nec vllus Catholicus, imò, nec Pelagius ipse negat. Est quippe sæpiùs expressum à Paulo ad Rom. 5. *sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*, ac infra, *ita, & per vnius obeditionem iusti constituuntur multi*: Ad Col. 2. *vos cum mortui essetis vsque ad expolians principatus* Ad Ephes. 1. num. 7. *In quo*, Christo, *habemus redemptionem, per sanguinem ipsius remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius*. Repetit Ad Col. 1. ac. 1, ad Thim. 2. totisq. ferè epistolis citatis ad Rom. 3. *iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*: ad Hæb. 9. *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. 1. Ioann. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*: Quoad meriti sufficientiam, & superabundantiam Apocal. 1. dicitur, *lauisse nos à peccatis nostris in sanguine suo*; & quoad efficaciam de Sanctis etiam *lauisse; & dealbasse stolas suas in sanguine agni*. Definita insuper hæc veritas est Conciliis omnibus, Mileuitano, Arausicano 1. Trid. sess. 6. c. 7.

3 Insuper de gratiæ augmento ex meritis Christi esse

eſſe definitur in Trid.c.16. traditúrque à Paulo ad Epheſ.4. *veritatem facientes in charitate creſcatis in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus*, vbi de aliis donis, & gratiis datis, quas vocamus, ait *vnicuique noſtrum vita eſt gratia ſecundùm menſuram plenitudinis Chriſti*. Ac inferiùs eas gratias enumerans ait: *ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas* &c. Adquæ eleganter Hieronymus *Sciamus illas eſſe manubias hominibus diſtributas, quas victor Chriſtus emeruit*: Demum meruiſſe omnibus gratiam quoad ſufficientiam, conſequentibus autem quoad efficaciam, docuit etiam Paulus ad Rom. 5. dicens: *Per quem Ieſum Chriſtum habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Et infra: *in vita regnabimus per vnum Ieſum Chriſtum.* inferiùs: *ita & gratia regnet per iuſtitiam æternam per Ieſum Chriſtum*; Rurſus: *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*, & c.6. ait vitam æternam *eſſe gratiam in Chriſto Ieſu.* c. 8. rationem reddit, quòd gratia, quam nobis Chriſtus promeruit, filios nos conſtituit, iuſque dat nobis ad gloriam paternam ſcilicet hæreditatem his verbis, *ſi filij, & hæredes, hæredes quidem Dei.* ad Tit. 3. *iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Ratio Theologica eſt: quia in Chriſto meritum infinitum eſt, quod ne æquatur quidem, nedum excedatur, ab omnibus gratiis, & gloriis cunctis hominibus datis dandiſque, ergo etiam ea omnia poſſunt eſſe horum meritorum præmium; ergo & de facto fuerunt: cum id Chriſto Domino ſit glorioſius, Deúmque valde decens.

4 Sed, quia nunc ſingula perſequi, nec poſſumus nec debemus, probatur vniuerſim cóclusio de omni gratia, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, quouis modo, proximè, vel remotè ad iuſtificationem, vitámque æternam proficua, ex 1. ad Epheſ. *Benedixit nos Deus omni benedictione in cæleſtibus in Chriſto in quo ſorte* (id eſt non ex noſtris meritis, ait Auguſtinus de dono perſeu.) *vocati ſumus.* Ad quæ Ambroſius. *Omne donum gratiæ Dei in Chriſto eſt & ſi quis ſpreto Chriſto benedici ſe à Deo putat, errare ſe ſciat.* 2. ad Thim. 1. *vocauit nos vocatione ſua ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu.* vbi egregiè Anſel. Ad Epheſ.2. *creari nos in operibus bonis in Chriſto Ieſu* dicitur. Vbi ad rem noſtram luculenter Chryſoſtomus cap.4. *vnicuique noſtrum datur gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Ad Philipp.5. *gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ad quæ Chryſoſt. Chriſtum gratiarum omnium fontem appellat. Demum cap.2. *vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm vt in eum credatis, ſed, vt etiam pro illo patiamini*, quod ad rem hanc inducunt, & explicant Petrus Diacon. de incarnat. & gratia Chriſti c.6. Anſelm. & Auguſt. tract. 3. in Ioann. c.2. de prædeſt. ſanct. Theophyl. ad eum locum Proſper, & Aruſican. 2. can. 25. ſed loco præpoſitionis *pro* Chriſto, legunt *à* Chriſto: quia in Græco eſt præpoſitio ὑπὲρ quæ ſæpe loco præpoſitionis ἀπὸ, ideſt, à ponitur. Sed melius ad intentum *pro* retinebitur, maiori quippè emphaſi, & claritate oſtenditur nobis hæc ex meritis Chriſti donari, cum nos pro eo recipere à Deo, eúmque nobis pro illo donare dicitur. Sic cum aliquis præmium recipit titulo meritorum alterius, v.g. Patris, qui in eo præmiatur, ſiue illius loco, ſiue pro illo recipere dicitur; ſcio Chryſoſt. hom.4. in eam Epiſtolam aliter eum locum, nec incongruè, interpretari; aliter etiam, nec adeo congruè Ambroſium, & Hieronymum: communior tamen Patrum expoſitio eſt, quam ad rem hanc dedimus: noſtráque hac explicatione illius præpoſitionis, *pro* ex adeo vulgari phraſi clarior deinceps, planior fors & plenior erit.

5 Definita hæc veritas eſt ab Arauſicano proximè, & Canonibus 5.6.7.19.22. & 24. à Mileuitano can.3. ab Innocentio 1. in reſcripto ad idem Concil. quæ eſt Epiſt.26. eiuſdem & 93. inter Auguſtini Epiſtolas à Cæleſtino 1. Epiſt.1. ad Epiſcop. Galliæ c.16. licet autem gratiam iuſtificationis eam appellent non ſolùm iuſtitiam formalem, ſed potiùs quæcumque ad iuſtificationem, quouis modo, conducunt, planè intelligi contra Pelagium, & Semipelagianos, qui principia iuſtificationis remota eſſe ex gratia per Chriſtum negabant, doctè ac fusè probat Vaſquez 1.2.1.2. d.185. c.1. item Mileuitanum Can.4. de omni bono opere, quod ad iuſtificationem, & vitam æternam conducit, nec ſolùm de iuſtificatione formali; ita ſcribit, *nec per Chriſtum adiuuari non ſolùm, vt ſciamus quid agere debeamus, ſed etiam, vt illud opere exequamur.* Patres item eius Concilij Epiſt. ad Innocentium quæ eſt 95. inter Epiſt. Auguſtini ſubdolam Pelagij gratiam doni creationis ad obſeruationem præceptorum & tentationes vincendas execrantur: ac gratiam per Chriſtum eſſe debere clamant his verbis: *nec per legem iuſtitiæ, nec per naturæ poſſibilitatem ſed ex fide & dono Dei per Ieſum Chriſtum.* Auguſt. Epiſt.105. *non omnino iſtam gratiam commendat Apoſtolus, quâ creati ſumus, ſed, quâ iuſtificati ſumus: iſta eſt enim gratia, per Ieſum Chriſtum.* Ac ſæpiùs infra, & tract. 3. in Ioann. etſi de fide quæ iuſtificationem antecedit loquatur, tamen de omni bono opere, per quod ad fidem diſponamur, loquitur etiam contra Pelagium. Proſper ad excerpta Genuenſium reſponſ. ad tria priora dubia habet *omnem facultatem cogitandi, quæ ad Deum pertinent & credendi, in primo Parente nos amiſiſſe, atque per Chriſtum recuperaſſe.* ad capitula Gallor. reſponſ. ad 8. ait: *gratiam Chriſti ad ſingulos actus nobis donari, non ſolùm, vt cognoſcamus quid agere debeamus, ſed etiam, vt illud faciamus.* Ambroſ. 5. de fide c.6. de fide verſ. fin. ad id Ioann. 14. nemo venit ad Patrem niſi per me; addit: *cum in via ſum, Chriſti ſum: cum peruenero Patris ſum, ſed vbique per Chriſtum.* Petrus Diacon. de incarnatione, & gratia Chriſti ad Fulgent. c.6. à quo de gratia Chriſti diſputat, ſic ſcribit: *vt ergo falſa libertas noſtra fieret Chriſtiana libertas, eadem libertas liberatore Chriſto indiguit, quâ poſſet per eius gratiam ab occupationibus humanis auerſa, ea cogitare & deſiderare quæ pertinent ad vitam æternam. Sine hac igitur gratia, poteſt cogitare & deſiderare humana, non autem poteſt cogitare aut velle, ſeu deſiderare diuina.*

Oſtendit deinceps fidem eſſe ex gratia Chriſti. Reſcripſit Fulgentius lib. de eodem argumento, c.12. init. *Sic humano generi gratuitam gratiam diuina bonitas contulit, per quam in hominibus non ſolùm Propaginis obligatione contracta deleretur omnis iniquitas; quia etiam cogitationis ſanctæ amiſſa pridem in homine primo per hominem ſecundum reciperetur facultas.* Similia habet Bernardus de gratia, & lib. arbitrio circa medium, & ſerm.12. de incarn. *Origo fontium, & fluminum omnium mare eſt, virtutum, & ſcientiarum dominus Ieſus Chriſtus.* Poſt pauca: *quidquid virtutis, quidquid ſapientiæ habere confidis Dei virtuti, & Dei ſapientiæ, reputa Chriſto.*

Denique Trid. ſeſſ.6. c.5. *declaratur præterea ipſius iuſtificationis exordium, in adultis à Deo per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe; hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Loquuntur autem Paulus, Concilia

cilia, & Patres de Chriſto, non qua gratiam efficit, ſed qua illam nobis meretur, vt homo.

CERTAMEN II.

Eiuſdem veritatis Rationes Theologicæ, & obiectionum ſolutiones.

1 RAtio Theologica preſſa à Bern. Fulgentio, & Proſpero proximè eſto. Chriſtus ea nobis cuncta meruit, quæ ſibi & nobis perdidit Adamus, vt hi Patres aiebant ac Chriſtus Math. 18. & Lucæ 19. *venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.* & Paulus ad Rom. 5. Atqui Adamus ſibi, ac nobis perdidit, non ſolùm iuſtitiam formalem, ſed quidquid quouis modo ad illam, atque æternam ſalutem conducit: ergo id totum nobis meruit Chriſtus Minor ſuadetur ex Patribus datis, qui nos per Adæ peccatum fide, omníque ſancta cogitatione ad bene operandum atque vitæ æternæ conducenter priuatos ac deſtitutos nuper aſſerebant; tum quia certum eſt nos per Originale, quod ex illo contraximus, omni gratia, aut dono ſupernaturali, ſiue quoad ſubſtantiam, ſiue quoad modum ad Dei gratiam æternámque ſalutem conducente dignè expoliatos fuiſſe, vt pote Dei inimicos, atque iræ filios; imo verò cum gratia ac cætera dona noſtro capiti Adamo data fuerint, in nos transfundenda ſi obediret, ipſi verò, & nobis auferenda, ſi delinqueret: eis omnibus dignè priuaremur ob eius ſolam tranſgreſſionem, quin noſtrorum Originalium ratio haberetur: vt docent Patres iam citandi. Confirmatur; quia ideo tum perdidit peccato ſuo nobis Adamus quod ſibi: perdidit autem ſibi non ſolùm iuſtitiam formalem, ſed reliqua dona ſupernaturalia & fidem ſuâ præuaricatione, vt docent S. Ign. M. epiſt. ad Trallianos, Epiphan. hæreſi 38. & 40. ſub fin. œcumen. Haymon. S. Th. & gloſſa in id 1. Corinth. 2. & *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta eſt*, ad quem etiam locum Ambroſ. Theoph. & Chryſ. hom. 8. Hyeron. contra Iouinianum, licet Deo de morte obeunda ſi comederet non credediſſe, ſiue (vt ſic loquar) diſcredidiſſe à dæmone ſeductum immediatè Adamum, iuxta quatuor primos, vel mediatè per mulierem ſentiant hi omnes: ac proinde eo etiam titulo fidem ſibi perdidiſſe.

2 Alia ratio Theologica ſit, quam ſæpe contra Pelagianum, & aſſeclas inſtruxit Auguſtinus. Nam, ſi iuſtificatio formalis non ſit ex gratia Dei ob merita Chriſti, ſed ob meritum fidei, vel operis tandem alterius honeſti, ex auxilio vel motu aliquo debito naturæ elicitû, iuſtificatio, ſalus, ac vita æterna noſtra non erit ex gratia Dei per Chriſtum contra Paulum, & Scripturas expreſsè docentes oppoſitum. Patet aſſumptum. Nam merito illius boni operis debetur fides: fidei autem merito debebitur eadem proportione iuſtificatio formalis: iuſtificationi formali, ſeu, quod idem eſt, gratiæ habituali, gloria & vita æterna: ergo niſi ad illud opus honeſtum auxilium gratiæ ex meritis Chriſti neceſſariò præcedat nec formalis iuſtificatio, nec vita æterna erunt gratia ex meritis Chriſti. Quare, niſi, quæ remotiſſimè etiam, ad iuſtificationem virámque æternam conducunt, meritis Chriſti debeamus, omnis gratia per Chriſtum in nobis euacuatur; quod ſi non deberi fidem de condigno honeſto cuiuis operi, nec fidei iuſtificationem aſſeras, adhuc vim argumenti non eneruas. Nam quouis reſpectu ad meritum quoduis noſtrum remunerandum nequit eſſe voluntas Dei reſpectu noſtri liberalis, & gratuita, vt ad rationem gratiæ, & beneficij nobis collati eſſe oportebat. Tertia ratio Theologica ſit. Quia id totum meruit nobis Chriſtus, quod per ipſum à Deo poſtulamus; atqui poſtulamus à Deo per Chriſtum ea omnia, quæ in concluſione noſtra propoſuimus: ergo ea omnia meruit Chriſtus.

Dices: naturalia plura à Deo poſtulamus per Chriſtum, vt ſalutem, ſerenitatem, pluuiam, quæ dubio procul Chriſtus nobis non meruit: ergo falſum aſſumitur in maiori. Reſpondetur facilè, ea omnia peti à nobis, & Eccleſia ſolùm per Chriſtum, adeóque ob eius merita donari, quatenus ad vitam æternam conducunt, vt ex Eccleſiæ orationibus conſtat.

Quarta demùm Theologica ratio eſt, quia hæc omnia ſunt apta materia præmij meritorum Chriſti, nec illorum valorem excedentia: ergo ex meritis Chriſti nobis donantur. Aduerte tamen nos hic definire nolle auxilia, & iuuamina quæuis ad quoduis bonum opus morale eſſe naturæ indebita, ac gratiam per Chriſtum conducentem de ſe ad vitam æternam; eius enim definitio alterius eſt loci; ſed ex ſuppoſitione quòd conducant iuxta ſatis probabilem probatámque ſententiam ſub merita Chriſti venire debere.

3 Obiicies. In Dei voluntatem refunditur, quòd gratia nobis à Deo præparetur atque accedamus ad Chriſtum, vt conſtat ex 1. ad Epheſ. ad Rom. 8. & fine epiſt. ad Hæbr. & Ioann. 6. Reſpondetur ibi non negari illam Dei voluntatem habere pro motiuo merita Chriſti, licet non dicatur: ſicut nec dicitur finis quem ea voluntas habet: Locis autem à nobis datis dicuntur merita Chriſti eſſe eius voluntatis Dei motiuum.

Inſtas primò. Gratia quæuis pugnat cum merito & voluntate remuneratoria: Ergo gratia Dei nobis collata pugnat cum merito Chriſti, & voluntate ea remunerandi, cùm nobis confertur. Diſtinguo antecedens: cum merito, & voluntate remuneratoria *illius cui gratia fit* concedo antecedens; cum merito, & voluntate remuneratoria *alterius*, ſubdiſtingno, ad *cuius meritum gratia remuneratoris ſupponatur*, Nego eam antecedentis partem: ad *cuius meritum non ſupponatur gratia remuneratoris, concedo*; & nego conſequentiam: quia ad merita Chriſti ſupponitur, & gratia vnionis facta humanitati à Deo pro inſtanti primo, & primum auxilium, vt q.1. docebamus, altera, vt dignificet opera: altera, vt opus eliciatur. Reſpondeo ſecundò, gratiam per Chriſtum ea omnia dici, ſed non ita eſſe omnino ac purè abſoluréque gratiam, vt merita excludat prorſus, ſed noſtra ſolùm, non Chriſti, cum per Chriſtum dicatur.

Inſtas ſecundo ex Aug. 5. de prædeſt. ſanct. aiente: *homo quiſque eâ gratiâ fit Chriſtianus quâ homo ille ab initio factus eſt Chriſtus*, atqui factus eſt homo ille Chriſtus gratiâ excludente merita alterius; ergo & nos Chriſtiani ac fideles ſumus gratia excludente etiam merita alterius, ſcilicet merita etiam Chriſti: Reſpondeo primo cum Vaſq. comparationem, & ſimilitudinem non debere tenere in omnibus; ſed in eo, quod hic factus ſit Chriſtus homo ille independenter à meritis ſuis, ſicut & nos Chriſtiani independenter à meritis noſtris. Secundò, & fortaſſe ex penitiori Auguſtini mente, velle Auguſtinum in ipſa gratia vnionis, qua factus eſt homo ille Chriſtus, negotium noſtrum agi, vt nos fieremus Chriſtiani: quia fiebat is per illam, per cuius merita faciendi eramus Chriſtiani; alioqui, non illa gratia, qua factus eſt Chriſtus, Chriſtiani facti diceremur, ſed ſimili: ſic, cum aliquis Tyrannus rebellis proſternitur bello, dicitur legitimus Rex & naturalis Rex factus illo prælio, quia ſine eo, quod in illo peractum eſt Rex eſſe non poterat; cuius rei exemplum adeſt inter alia aptiſſimum 2. Reg. 19. num. 22. cùm, mortuo Abſalone rebelle, eiuſque exercitu ſuperato, dixit Dauid, *an ignoro hodie me factum eſſe Regem ſuper Iſraël.*

4 Inſtabis tertiò. Iuſtus ſuis operibus de facto meretur gratiam, eius augmentum & gloriam, remiſſionem venialis ac temporalis pœnæ: ergo omnia iuſtis Chriſtus non meruit. Nego conſequentiam: quia ad illa omnia efficacia auxilia illis eſt promeritus, ratione quo-

rum ea omnia etiam illis promeritus est, nobiliùs vtiliúsque & sibi, & nobis, quàm si aliter mereretur. Etenim nobis vtilius, nobiliúsque est ea omnia habere, nostrâ etiam industriâ parta quæsitáque, quàm sine illa; quare & Christo gloriosius fuit, sic amicorum commoda suis meritis parare, vt eorum laudem non excluderet. Nec dubito, ea quæ actionem Dei diuersam præter nostra opera expectant, vt à Deo donentur, donari etiam immediatè ob Christi merita simul atque ob merita nostra. Cùm enim Deus plura duplici titulo de se adæquato, donare possit, vt vidimus, sitque hic modus præmiandi merita nostra simul cum meritis Christi in nobis præmiati Christo gloriosior, non est, cur ita fieri negetur; iam verò, quæ Doctores sententiæ nostræ conclusioni aduersæ per inuiam erroneámque illam viam agebant, inania prorsus erant; constat enim ad primum ad plura alia, quæ iustificatio formalis non est, sed illam præcedunt merita Christi hominibus à Deo in executione ac de facto, applicari: quare applicationem omnem meritorum Christi non esse formaliter, nec inductione necessaria, iustificatiuam. Secundum ad rem præsentem caret difficultate. Nam applicatio meritorum Christi quoad efficaciam in adultis, quoad primam gratiam fit ex liberâ Dei voluntate ex ipsis meritis Christi: quæ licet Deum non cogant, ita de facto mouent, vt non daretur adultis ea prima gratia, si merita Christi deficerent: eâ autem positâ adulti iam se ad fidem, & iustificationem disponere valent, atque meritorum Christi pro suo arbitrio & vsu libero, gratiæ magis ac magis applicare. In infantibus verò Baptizatis iustificatis, ex meritis Christi eadem ratione philosophandum est: ac de prima adultorum vocatione. An verò Christus specialiter merita sua applicarit pro eis, qui vocantur de facto ad fidem, iustificantur, & glorificantur, huius loci non est, sed quæstionis sequentis, & controuersiæ de prædestinatione: vbi causa prædestinationis vt est vnius præ alio electio, solerter & inquirimus, & examinamus.

Tandem inquies: Si merita Christi deessent, daretur vocatio & auxilium: ergo non dantur ob merita Christi. Antecedens admittit Vega in Trid. c.7. Vasquez solùm quoad auxilia sufficientia ex vi præsentis decreti. Ego quoad gratiam omnem nego. An verò ex alio decreto darentur, diuinitatis negotium est, cùm ex mero Dei arbitrio pendeat: grauiores difficultates ex antiquis Patribus, & Progenitoribus Christi diluam in sequentibus.

QVÆSTIO IV.

Quo pacto Christus antecessoribus durationem hominibus gratiam fuerit promeritus?

ADEST summæ in materia hac difficultati difficultas affinis, quæ vulgo de merito Christi absoluto respectu antiquorum Patrum inscribitur; vbi Patrum nemine, non Christi progenitores, in quibus maior est difficultas q.5. componenda, sed ipsum temporariè solum antecedentes homines intelliguntur.

CERTAMEN I.

Difficultatum hac in re leuiorum propositio ac enodatio.

1 GRatiam omnem antecessorum tempore hominum meritis absolutis subsecuti Christi deberi, certum ex conclusione quæstionis præcedentis est: Russúsque suadetur ex 3. ad Rom. vbi habetur: *quem*, Christum, *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione*, tolerantia *Dei*: Ad Ephes.1. *in dispensatione plenitudinis temporis instaurare omnia in Christo* omnium autem nomine etiam anteacta continentur. Imò de eis propriùs dicitur instauratio Apocal.13. *Agnus occisus ab origine mundi*, dicitur Christus ob meritiuum influxum mortis Christi occisi in antecedentium hominum gratiam, vt Patres omnes commentantur. Eandem veritatem tradunt Patres omnes, qui Christum non nisi in anteacti peccati Adæ, & reliquorum hominum Remedium venturum esse supponentes, Adamum & reliquos à mundi exordio homines ex meritis Christi à peccatis fuisse liberatos aiunt. Sic etiam docent Hieronym. in 4. ad Gal. init. M. Gregor. hom. 17. in Ezechiel. ad id *Osanna filio Dauid.* Adde Aug. Epist.120. & cum eo Patres reliquos, asserentes veteris testamenti Sanctos ad nouum pertinuisse, non ratione legis, & sacrificiorum, ac rituum, sed gratiæ, quæ illis ex Christo noui Testamenti authore data est, vt bene Vasquez 1.2.d.183. Accedit idem August. Epist. 49. ad secundam quæstionem, ac sæpiùs, & 1. de peccato, meritis, ac remissione, cap. 11. vbi scribit *Regnum mortis sola in quolibet homine destruit gratia saluatoris, quæ operata est in antiquis Sanctis: quicumque antequam in carne Christus veniret, ad eius tamen adiuuantem gratiam, non ad legem liberam, quæ iubere tantùm, non adiuuare poterat, pertinebant.* Definitur tandem in Trid. sess.6. decreto de peccato originali, cuius remedium in solo Christo dicitur extitisse, & c.2. venisse Christum ad redimendos eos etiam omnes qui sub lege & Gentilismo erant, nec de hac veritate, ex hæreticis adhuc vllus dubitauit.

2 Inde tamen, prima emergit difficultas in hunc modum. Antiquis remissa sunt ex meritis Christi peccata gratiæque donatæ: ergo priùs tempore quam Christus veniret, deuictus eiectúsque mundo Diabolus est: hoc autem est falsum: quia ante Christi non solùm aduentum, sed mortem deuictus Diabolus, mundóque eiectus non fuit; Etenim Ioann.12. aiebat Christus. *Nunc princeps huius mundi eicietur foras.* [cum moriar.] Et 2. ad Colos. de Christo in cruce obeunte dicitur: *delens, quod aduersus nos erat Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans in semetipso*: siue autem Chirographum decreti sit de mortalitate temporali, & æterna animæ in transgressionis pœnam decreta, siue obligatio obseruandi legem Moysis, quorum alterum esse volunt Chrys. Theoph. & decumen. ibi: siue reatus pœnæ legis ad quem homines destinabantur per illam (vtpotè obligantem solùm, non iuuantem illos ad sui obseruantiam) quo reatu; & destinatione Christus gratia sua, qua obseruari poterat lex, homines liberauit, vt volunt Adamus, & interpretes Recentiores: tamen constat ante mortis Christi tempus deletum non fuisse eiusmodi Chirographum decreti: Similiter nec ante illud Diabolici principatus & potestates expoliatæ sunt potestate & principatu, quem in homines habebant: nec traduxerat eos confidenter palam deuictos, & catenatos spectandos circunducens, triumphans virtute propria, non alterius opitulantis virtute. Ideò Aug. serm.197. de temp. Dæmones ante Christi aduentum, & mortem rabido solutóque Cani ad dilacerandos, inuadendósque homines comparabat; postea verò rabido Cani, sed ligato; qua comparatione vsi etiam Patres alij fuere non pauci. Respondet Vasquez mundo tum primum eiectum Diabolum: quia, & templis idolorum, in quibus colebatur, eiectus deinceps fuit, templis ipsis subuersis: déque eo superato palam actus est triumphus: cùm dato publicè pretio libertatis detentas apud inferos Patrum animas confidenter eripuit: ac de inferno ouans cum captiuis redemptis cælos tunc primum apertos ascendit palam, ac penetrauit. De comparatione canis, ac dæmonis ante Christi mortem soluti, docet intelligendum esse de antecedentia, & posteritate naturæ, non temporis.

3 Mergit etiam inde difficultas secunda, quia, cum præmium esse debeat quod præhabitum non est, quomodo gratiæ tot ante sæculis præhabitæ à Patribus meritum esse potest? Confirmatur: quia, quod datur in præmium prefertim condignum datur vt merces aliquo modo debita; nemo autem debere aliquo modo potest titulo rei nondum à se acceptæ temporariè, sed postea recipiendæ; imò qui priùs tempore dat, obligat, non soluit, soluit autem qui dat posteriùs: atqui merita Christi nondum accepta erant à Deo: ergo nondum dabatur gratia antecessorum duratione hominum: ac proinde nec poterat dari, vt merces debita, ac præmium ob merita illa. Confirmatur à simili de pœna: quæ quia delicti merces est, nequit dari anticipato tempore ad illud. Nec refert merita Deum mouere secundum suam existentiam cognitam, fuisse autem à Deo cognita sua æternitate futura pro sua duratione, quare & à mundi exordiis ipsum mouere potuisse, vt illa collatione gratiæ exinde in hominibus præmiaret. Nam cum delicta etiam existentia pro sua duratione ex æternitate præuideantur à Deo moueántque ad supplicium, vt à iudice cognita, à mundi etiam exordio puniri à Deo possent: imo quiuis à iudice certo de furto eius futuro vapulare ante delictum debitè ac iustè posset.

Respondetur ex Doctrina à nobis data cum Lugo d.27. sect.3. num.43. ea omnia argumenta locum habere in merito, de meritóque finito, quod cum determinatam mercedem respiciat, quouis tempore illam recipiat, sufficienter præmiatur, nec ante physicam sui existentiam illam petit, ipsiúe debetur: vnde anticipatio solutionis, non ex purè debito, adhuc gratitudinis est, sed necessariò in præmij anticipatione anticipantis liberalitas intercedit: supplicium autem anticipari nequit delicto finito ob rationem egregiam ibi à nobis datam, at verò in merito Christi infinito: quódque rebus omnibus in præmium datis non exhauritur, & adamussim exequatur, locum non habent: cum ipsam anticipationem præmij non solùm à mundi exordio, sed ex æternitate etiamsi fuisset, esseuè posset, de condigno mereatur.

CERTAMEN II.

Vltima, eáque grauior difficultas eleuatur.

1 VRgentiùs contra merita Christi respectu gratiæ antiquorum Patrum, siue duratione antecessorum arguitur. Quia his non potuit dari gratia ob merita Christi, nisi, vt ab eo pro ipsis applicata: ergo vel applicata fuere illis ab eo per orationem, vel per gratiarum actionem: nec enim aliter ab eo applicari ipsis potuerunt; At neutro modo applicari potuerunt à Christo pro antecessoribus duratione hominibus: ergo nec gratia illis conferri ob merita Christi. Antecedens proximum probo. Cum enim oratio nequeat esse prorè iam citra dubium obtenta, teste Vasquez 1.p.d.94.c.3. p.3. Soar. d.72. sect. 1. quia oratio natura sua est ad obtinendum aliquid ab eo, ad quem oramus: quare de iam præhabitis, & obtentis esse non potest pro gratia antiquis hominibus tot antea sæculis, & data, obtenta & orare Deum Christus non potuit, vt eis ob sua merita daretur. sed,

Dices cum Valent. 2.2.d.6.q.2. punct., 8. & Lugo proximè à num.37. orari ab Ecclesia Deum pro defunctorum animabus, non quidem damnatis, *libera eas de ore Leonis, ne absorbeat eas tartarus*: quare pro liberis iam, cum oratur, ab statu damnationis, ergo pro iam datis temporariè potest esse oratio. Secundò: quia cum iam omnia à Deo ex æternitate decreta sint, & id, quod à Deo petimus, si conferendum est, sit æternitate integra ante nostram orationem à Deo decretum: nec potest, quod ab æterno decretum non est, decerni temporariè cum oramus, ob Dei immutabilitatem: ergo vel oramus Deum pro æternitate tota anteacta, vel pro impossibili. Sed contra: quia ex hac doctrina fieri posse nos petere à Deo Beatorum qui in cœlis sunt gloriam ac beatitudinem. Duo ergo requiruntur, vt de antehabitis orare Deum possimus. Primum, vt dependenter à nostris orationibus decretum fuerit: qua ex parte non repugnaret Christum pro gratia ab antiquis Patribus receptâ orasse. Secundò: vt certus orans non sit anteacto tempore receptum esse id pro quo orat: quâ ex parte pro animabus defunctorum orare Ecclesia potest, non autem pro S. Petri gloria (quanquam pro animarum defunctorum æterna salute Ecclesiam orare non definiam nunc absolutè, an solùm pro earum à pœnis Purgatorij redemptione, si ibi fuerint.) Ex hac etiam parte nequit Christus orare pro gratiâ anteceſſoribus collatâ, quia eam iam receperam multo antea tempore certus est: ergo applicare non potuit Christus sua merita per orationem, vt gratia antecessoribus durationem donaretur. Sed nec ea applicare potuit ipsis per gratiarum actionem: quia hæc naturâ suâ supponit beneficium, & voluntatem donantis: ergo gratiarum actio Christi supponit naturâ decretum Dei, conferendi gratiam antecessoribus: ergo nequit mouere Deum, vt eam ipsis conferat. Probo consequentiam; quia nequit mouere ad decretum illud, quin ad illud naturâ supponatur: quare & ad se ipsum, cum sit essentiâ suâ gratiarum actio posterior naturâ decreto.

2 Hoc porro argumentum Vasquez quia nos, & Soaristas, ac ferè reliquos Theologos multos vexauit annos, dum primum illud antecedens de necessitate applicationis meritorum operantis merentisque, vt aliis mereantur, atque hi mercedem illorum titulo præmiúmque recipiant, certa adeo atque inuiolabili lege verum reputant, vt in Christo etiam eiúsque pro nobis meritis, exceptionem admittere non possint. Hinc, vt difficultati propositæ respondeant, eas omnes solutiones tentant, quas pro merito Christi respectu gratiæ ipsius progenitoribus datæ, vt tales fierent, confutabimus q.5. quare eis nunc referentis, refellendisque abstinebimus merito. Nos autem falsum antecedens illud iudicamus tum in Christo, tum in aliis pluribus; quare cessat omnino atque euanescit propositi argumenti difficultas; Quod autem merita Christi, vt aliis proficiant ad præmium, ac mercedem illorum titulo recipiendam speciali Christi applicatione pro illis non egeant, docuere Salazar de concep. c.24.§. 12. num. 105. Lugo d.27. sect.3. cuius rationem assignauimus nos à priori, & ab exemplis pluribus controu. de necessitate incarn. Etenim ex eo, quod operans sit aliis moraliter coniunctus, atque vnum cum illis, vt caput cum membris, pater cum Filio, vxor cum marito, imo frater cum fratre, vt alter illorum ob alterius merita præmietur, atque in eo bene meritus mercedem præmiúmque suorum meritorum recipiat, benemeriti applicatione speciali opus non est, vt quotidie experimus. Etenim ob filiorum facinora belli sine vlla applicatione

obeuntium præmiari Patres, & contra ob Parentum anteacta merita præmiari filios, ac ob res egregiè gestas à marito & fratre mercedem recipere à Principe fratrem, & vxorem videmus quotidiè, quin applicatio eorum vlla intercedat. Ratio à priori est; quia vnionis illius siue moralis vnitatis iure, merita illorum præfatis aliis natura sua applicata sunt eo ipso, quod operantes præmio vel non egeant, vel vti non possint. Hinc suapte natura iustorum iustificationes, quibus ipsi non egent, sine vlla illorum applicatione Thesauro Ecclesiæ deputantur, vt fratribus fidelibus prosint iuxta communis Ecclesiæ Patris voluntatem: cum ergo Christus, & caput, & frater noster fieri sit dignatus, præmissque nobis conferendis non egeat, meritáque non pro his modo, sed pro infinitis aliis recipiendis supersint, vt illis in hominibus præmietur, nulla speciali applicatione suorum meritorum pro illis opus habuit.

3 Dices primò; Christus orauit Deum pro pluribus, vt illis gratiæ dona præstarentur: ergo quia sine suorum meritorum speciali applicatione gratiam illis eam obtinere non poterat; alioquin superflua ipsius oratio foret, vt eis id obtineret, quod sine illâ reciperent. Antecedens obstat ex Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*; & pro Apostolis, ac Discipulis Ioann. 17. *non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi*: ac rursus: *non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Nego consequentiam: quæ, si aliquid probaret, probaret etiam Christum, vt sibi mereretur aliquid, speciali etiam suorum meritorum applicatione indiguisse, cum Patrem orauerit: *Pater clarifica filium tuum*; pluráque alia. Licèt ergo necessaria non fuerit ad meritorum applicationem, vt hæc aliis prodesse possint, in illisque præmiari: certitudini tamen impetrationis, quæ positis meritis non esse possit, atque specialis erga Petrum & Discipulos sui amoris ostensioni potuit oratio inseruire.

Dices secundò; Christus meritis suis fuit causa prædestinationis Sanctorum, vt est electio eorum præ reprobis: atqui nequit esse causa eius, vt talis, nisi pro antiquis Sanctis specialiter sua applicet merita, secus autem pro antiquis reprobis; ergo in illis tota instauratur difficultas. De maiori maior lis est inter Vasquianos, & Suaristas, his obstinatò negantibus; sed ea adhuc admissa, negatur minor iuxta dicta controu. de prædest. d. de eius causis.

QVÆSTIO V.

Quomodo Christus gratiam, quæ de facto ipsius existentiam naturâ præcessit, Progenitoribus fuerit promeritus?

ECce summam controuersiæ huius priorúmque difficultatem sæpiùs tactam húcque remissam, vt semel expedita simul plures conclusiones complanet. Diximus enim Christum Virginis Maternitatem, siue electionem eius in Matrem, ac proinde ab Originali immunitatem meritis suis obtinuisse: quæ, imo & Christi existentia illis omnibus naturâ & causalitate posteriora sunt. Quare, & illa natura sequi, ac simul anteire aperta implicatione videntur. Diximus etiam cùm B. Virginem, tum alios plures Christi Progenitores meritis suis ex gratia ac merito Christi profectis ipsum, suo quemque gradu procreare meruisse; in quo mutua eadem prioritas posterioritásque naturæ implicatorie videtur admitti. Hæc igitur omnia simul, semelque ex eodem principio emolienda hic sunt.

CERTAMEN I.

Aliorum solutiones reiectæ.

1 NOnnulli solâ illâ difficultate de B. Virginis existentiâ ex meritis Christi, quem physico influxu antecessit, tanquam palpabiliori tanguntur; eam verò componi facile putant, si matribus; ac proinde Virgini actiuum influxum denegent vniuersim: solúmque illis materialem in eos concursum relinquant, qui in diuerso genere est à concursu meritorum Christi: quia inter causas generis diuersi mutuam præcedentiam minimè pugnare credunt. Ita Gaspar. Hurt. d. 6. disc. 9. cui præiuit Vasquez d. 23. num. 25. Attamen principium illud de concursu materiali solùm matrum in prolem, & falsum in philosophia est, & gloriæ Virginis derogat non parùm. Secundò causas, quæ ad causandum absolutam sui existentiam requirunt, mutuò causare æquè in diuerso genere repugnat atque in eodem; quia, vt minimùm, conditiones sunt se ex parte causæ alterius generis tenentes, vt illa suum concursum in suo genere præstet, effectúmque edat: quare & esse debent antequam sint. Licèt autem Matris concursus in prolem materialis sit, materiam scilicet ex semine in aliis, è sanguine in Virgine, à se dispositam proli ministrando, vt sic ista à principio coniuncto sit, at verò ad eiusmodi concursum existentia matris supponitur: quare, & ad fœtum illo concursu ab ipsa edendum: ergo, licet materialis concursus Virginis fuerit, nequiuit existentiam Christi ac meritorum eius præcedere, quæ in genere efficientis supponit. Tertiò: saltim in eodem genere debent dispositiones illæ præcedere: nam actiuè à Beata Virgine causantur; si ergo in eodem genere præcedunt, nulla est solutio, nec ipsarum vnio in materia prolis, quæ absolutè præhabita supponitur, materia præmij meritorum Christi posteriorum, in illo eodem genere esse poterit. Quartò: cum esse matrem dicat fœtum fouere ac nutrire, quæ in genere efficientis sunt, in reliquis à primo conceptionis instantibus Christi existentia actiuè à Virgine pendebat: ergo nec in eis, nec reliquo vitæ tempore, pro quo eius conseruatio à conseruatione in ventre matris actiua pependit, Virgini meruit: Quare, vt meriturus postea, non meruit matri electionem talem, quæ ipsam præseruatiuè redemit; ergo Virginis redemptio non fuit meritis Christi morte consummatis: cum tamen redemptionis omnis gratiam omnem ex meritis Christi morte consummatis fuisse, dogma Catholicum sit; Quintò, quia causæ physicæ cuiusuis generis nonnisi dependenter à Dei decreto, & operatione, siue cooperatione, quam exigunt, suos effectus edere possunt: ergo in genere exigentiæ & moralis motionis Dei, causæ, cuiusuis generis sint, suos effectus antecedunt: ergo, etsi aliàs diuersi generis causæ mutuò se causent, in eodem genere tamen exigentiæ & moralis motionis Dei se causabunt, quod iudicant isti impossibile. Sextò argumentum hoc maiorem vim habet in casu nostro: nam genus, in quo merita Christi causant præmium, est causæ actiuæ, non physicæ, sed intentionalis, atque exigentiæ & intentionalis motionis Dei, quo solùm genere, in communi opinione, causarum dispositiones inductæ à B. Virgine in materia fuæ prolis prolem ipsam, scilicet Christum. Septimò. Solutio hæc, licet difficultati de existentia, & electione Virginis è filij meritis satisfaceret; ast difficultati de merito Virginis, & reliquorum Progenitorum, vt suo quisque gradu Christum procrearet, idque ex meritis Christi, minimè satisfaceret: cum huius, & illorum merita in eodem genere sint, in quo per hosce nequeant causæ sese mutuò causare ac natura præcedere.

2 Generalius alij, non meliùs, respondent apud Vasquez

Vasquez 16. num. 67. Deiparam & Progenitores reliquos de congruo solùm Christum procreare meruisse: hoc autem genus meriti non præferri suapte natura ad præmium, illúdve causare, sed ex Dei voluntate, vel operantis, quare nec natura illud præcedere; cum autem gratia per Christum data Progenitoribus, vt ipsum procreare mererentur, de congruo ad hoc meritum supponatur, non ad Dei ordinationem, quæ absolutam meriti existentiam potuit natura præcedere, fit, vt, nec remotè supponatur ad se ipsum, quò erat assignata repugnantia. Contra primò; quia meritum Deiparæ erga suam maternitatem condignum fuisse verius est. Contra secundò; quia licet de merito condigno censeant plures de se, naturáque sua in præmium non referri, sed ex Dei pacto, & promissione; ast de merito congruo nemo hactenus somniauit. Cum enim inter hoc & præmium non sit proportionis æqualitas, non est, præter intrinsecam actus sic meritiui honestatem, Dei ordinatio, vel promissio ad meritum congruum, vt præmium respiciat; non tamen ita requiritur vt tota ratio meriti sit, quin in eo actus honestas, & laudabilitas ingrediatur: ergo hæc saltim inadæquata pars meriti, & sine qua meritum esse non potest ad Christi propagationem, antecessit in progenitoribus eam de congruo merentibus, ergo & antecessit Christum eiúsque merita, ob quæ gratia illis data fuit vt mererentur, ac proinde merita progenitorum, & merita Christi mutuò alia aliis, natura & causalitate præcesserunt.

3 Audiui alios respondentes auxilia gratiæ ad actus meritorios, & honestos non præcedere formaliter, sed materialiter solùm. Etenim actus honestus & meritorius tale esse habent non ratione cogitationum & auxiliorum, seu quatenus ab eis sunt, sed ratione determinationis voluntatis se determinantis benèque illis vtentis, cum malè vti posset, seu non vti benè: in quam voluntaris determinationem actiuè auxilia gratiæ non influunt. Nullum autem inconueniens reputant, si materiale principium meriti sub ipsum meritum cadat, existimantes esse solùm materialem præcedentiam, non formalem. Solutio peior. Etenim licet auxilia sanctæque cogitationes physicè actiuè in actum non influant meritorium, tamen sunt conditiones se necessariò ex parte actus primi voluntatis tenentes ad illos actus, vt nec diuinitùs possit eis ablatis illos elicere voluntas; ergo præcedunt illos, licet non vt principia actiua, ast vt quid se ex parte principij actiui tenens, nec solùm materialiter sed formaliter. Contrà secundò: quia actus honestus ac meritorius, quà talis, non solùm procedit à potentia physica actus secundùm physicam actus entitatem, sed à potentia, quâ indifferens in actu primo ad actum, eiúsque omissionem: atqui potentia voluntatis indifferens formaliter constituitur per cogitationem sanctam auxiliúmque gratiæ, & per cogitationem oppositam: ergo cogitatio sancta gratiæque auxilium, licet non influant actiuè, nec sint principia physica entitatis actus honesti, sunt tamen principia per se actus honesti, quà honestus & meritorius est. Contrà Tertio: quia ob duo hæc adeò per se est principium actus honesti ac meritorij sancta cogitatio, aut gratiæ auxilium, vt cùm illud donat Deus, ratione illius censeatur Deus ipsum opus honestum ac meritorium donare. Contra quartò, quia, licèt esset solùm materiale principium, si tamen reuera præcedit, vt verè præcedit, eius existentia physica ad existentiam absolutam actus meritorij, quod præcedit ad meritum Christi, quæ supponit, est eadem formaliter prioritas, & posterioritas physica inter illam, & merita Christi; eadémque physica repugnantia, quæ ex physica, non ex formali Methaphysica præcedentia desumitur mutua. Mitto solutiones alias subtiliores confutatas satis à Vasquez cap. 5. & 6. vt ad celebriores alias pergam.

5 Soarius d. 16. sect. 4. Granad. controu. 1. d. 7. n. 11. pluréque alij, ordinis intentionis, & executionis inter efficaces Dei voluntates distinctione præmissâ, aiunt merita Christi ordine intentionis præuisa mouisse Deum, vt gratia progenitoribus, atque ipsa existentia Virgini donaretur in executione, vt eius ex ipsis propagationem mererentur, eorum verò meritis in executione præuisis Deum motum fuisse, vt ex eis Christum in executione procrearet, in quo nulla est repugnantia, sed quod frequenter vsu venit, vt quæ priora ordine intentionis sunt, ordine executionis sint posteriora, & è contra. Impugnant Lugo, & Recentiores: quia nequit esse materia præmij, id quod ineuitabiliter supponitur existens ad merita, aut connectitur necessariò cum illo, independenter à meritis: Quare nec vnionem hypostaticam posse esse præmium meritorum Virginis, nec merita ipsa Christi. Sed argumentum pura æquiuocatio est. Etenim, nec vnionem, nec merita Christi præmium esse meritorum Virginis aut Progenitorum, docet Soarius, sed gratiam executiuè eis datam meritorum Christi præmium esse; ast meritorum Virginis propagationem Christi ex ipsa, quæ cum meritis Christi eiúsve vnione in intentione præuisis necessariam connexionem non habent, nec ante Virginis merita præuisa in executione, præuisa ea propagatio in intentione siue executione fuit. Prima ergo impugnatio est: quia ex ea efficaci intentione aboletur libertas meritorum Christi. Secundò: quia ex sola efficaci intentione non videntur merita Christi absolutè existentia in se: ergo nec possunt mouere meritoriè, iuxta à nobis dicta & doctrinam Soarij & Granados, qui solùm admittunt merita remuneranda. Probatur antecedens: merita per solam intentionem efficacem Dei solùm habent esse efficaciter desiderata, & determinationem in causa necessariò illatiuam existentiæ ipsorum per decretum executiuum, quod intentio efficax inducet; non autem habent per illam solam existentiam absolutam in se, & extra causas: alioquin, vel existent in se, & extra causas sine vllâ executione & causalitate, quod ex terminis implicat, vel decretum intensiuum se solo executiuum, erit contra horum suppositionem. Ex quo rursus fiet vt in eodem executionis ordine merita Christi gratiam, & merita Progenitorum, naturâ præcedant & sequantur, quod hac solutione fugiebant.

5 Tertia impugnatio. Quia esto habeant illa opera in intentione, siue sola intentione efficaci, existentiam absolutam sine executione: nequeunt tamen habere existentiam meritoriam: ergo, nec Deum meritoriè mouere, vt præuisa absolutè existentia, ad collationem gratiæ Progenitoribus. Antecedens probo. Nam in illa existentia nullum est exercitium voluntatis Christi, nulla est operatio eius: ergo nulla est laudabilitas Christi, in ea existentia actus illius in intentione. Patet: nam, licet efficaciter Deus, siue quiuis alius intendens opera meritoria alterius laudabilis sit, non tamen alter, cuius opera meritoria intenduntur, quousque illa operetur: quisque enim de sua operatione, & bono vsu suæ libertatis laudabilis est, non autem de bono vsu alius: ergo nulla est in operibus Christi, provt existentibus præcisè in intentione ante omne eius exercitium, operationem, & executionem, laudabilitas Christi: ergo nullum est in eis, sic existentibus, meritum Christi; ergo, vt sic solùm existentia præcisè opera Christi nequeunt mouere meritoriè Deum, vt gratiam Christi Progenitoribus in eorum, & Christi præmium donet. Secunda consequentia est. S. Th. 1. 2. q. 21. a. 2. & 3. efficacitérque probata à Vasquez ibi d. 77. c. 3. d. 213. c. 5. ex illa verò currit inoffensè consequentia vltima.

Quartò arguitur acriter ad hominem contra Soar. Ait enim vnionem hypostaticam non posse cadere sub meritum operis, quod ab humanitate eliceretur pro priori naturæ ad illam, quia existentia naturæ

connexa necessariò est cum subsistentia hâc vel illâ, quare materia præmij non est: sed existentia Christi. & meritorum eius in intentione efficaci connexa necessariò est cum hac vel illa executione sui; ergo hæc executio nequit esse præmium meritorum Virginis, aut Progenitorum. Illud tandem mireris ob existentiam meritorum Christi in intentione, concedere Soarium posse in executione mereri vnionem ipsam, quâ dignificabantur: contra quod arguit Bernal. sect. 2. num. 49. inconsequentiæ Soarium, sicut nos proximè. Mireris ampliùs; hâc possibilitate admissa, negat ita contigisse de facto, cum tamen quid Christi merita potuerint mereri, promerita de facto fuisse bona consequentia Christo, quæ gloria sit. Magno igitur iure merita hæc Christi in intentione impugnantur à Vasquez d. 21. c. 7. d. 22. c. 3. à num. 24. è Lugo d. 8. sect. 2. num. 10. à Bernal. disp. 17. sect. 1. §. 3. vbi, & displicuisse etiam Albarezio, Lorcæ, & Becano testatur.

CERTAMEN II.

Solutiones ex præcedentiâ accidentariâ meritorum Christi, ad Progenitorum gratiam; & econtra refelluntur.

1 REcentiores alij apud Lugo d. 8. sect. 3. num. 18. respondent Christum potuisse à Deo decerni, vt hac vel illa subsistentiâ diuinâ, hac, vel illa vnione hypostaticâ: sícque potuisse mereri gratiam Progenitoribus suique propagationem hac determinata vnione ad hanc personalitatem Verbi: quandoquidem cum hac vel illâ vnione ad quamlibet ex personalitatibus æque Christi opera infinitè à Deitate dignificarentur. Sed contra. Quia decretum illud, vel est intentium, (& sic recidit opinio hæc in impugnationes contra Soarium factas) vel est executiuum, & implicat executiuè decerni aliquid sub disiunctione æque ac sub disiunctione fieri de facto. Rerum disiunctio in modo nostro concipiendi, & significandi esse potest; secùs in modo exequendi, & operandi. Contra secundò: quia ad valorem huncce operum Christi, intrat vnio hæc humanitatis cum Deitate, non secus atque vnio, iuxta vulgarem sententiam, ex qua est essentia compositi, non solùm hæc materia, & hæc anima, sed & hæc vnio determinata in singulari ad hunc hominem necessaria ita est, vt eâ mutatâ implicet hunc numero hominem permanere: ergo ad meritum hoc, ob quod de facto gratia data Progenitoribus est, quódque Christi fuit, in singulari præcessit, non quidem vnio disiunctim ad hanc vel illam personam diuinam, sed vnio hæc determinata ad hanc personam Verbi determinatam in quâ argumentum integrum est. Contra tertiò: non sit vnio de essentiâ compositi, ac proinde, & hæc merita Christi potuerint esse sine hac vnione singulari: saltem Christus non potuit esse sine Verbi personalitate, sicut, nec hic homo sine hâc anima. Quartò: vnio hæc singularis humanitatis Christi ad Verbi personalitatem de facto præcessit, vt conditio ad merita Christi quæ fuerunt, nullâque alia præcessit de facto, licet alia posset alias præcedere: ergo de facto præcessit ad gratiam progenitorum quam suppositum de facto: ergo de facto, quod fuit gratiæ illius causa, fuit causatum ad illa. Quod enim gratia posset esse effectus vnionis alterius, solum probat tunc non fore mutuam causalitatem, non autem nunc de facto non esse. Contra quintò: Quia operationes meritoriæ humanitatis Christi adeò necessariò sunt huius humanitatis, vt nec diuinitùs possint esse alterius humanitatis, vtpote operationes actúsque vitales: atqui Progenitores Christi gratiâ ab his operibus Christi profectâ meruerunt hanc causare humanitatem: ergo gratia hæc progenitorum fuit causa principij essentialis meritorum Christi à quibus causata fuit.

2 Vt has difficultates componerem recentissimus Theologiæ auditor in eam incidi mentem in quam duobus post annis Magister meus Didacus de Alarcon incidit dum tractatum de prædestin. quem cum aliis posteà cudit, è cathedra dictarer. Nempè, principia remota meriti sub meritum cadere posse: ac proinde cum Christi merita remota principia gratiæ ac meritorum Progenitorum sint, à quibus remotè etiam causantur, se mutuò causare sine vlla repugnantia posse. Ratio eadem etiam occurrit vtrique. Quia nimirum vt Christi merita & existant, & Deum moueant, vt gratiam progenitoribus donet, nil conducit, quòd humanitas ab iis vel illis progenitoribus sit: quare, addebat ille, æque per accidens se habent merita, & influxus progenitorum, etiam Diuiparæ, in humanitatem atque musica, & galerus in ædificatore ad domum construendam: cæterùm Alarcon minùs nobis consequenter ad hoc principium discurrit. Asserit enim progenitores Christi non potuisse mereri adhuc de congruo incarnationem, quæ tamen principium proximum gratiæ progenitorum & meritorum eorum non sit; nec hæc causa proxima incarnationis. Secundò ait, Christum non potuisse mereri decretum incarnationis, quod tamen causa proxima meritorum Christi non est, sed remota.

Tertiò iuxta hoc principium actio productiua humanitatis non supponitur per se ad Christum merita, sed sola existentia humanitatis vnitæ hypostaticæ, à qua physicè & elicitur opus meritorium & dignificatur: sita asserit Alarcon. Pergo inde contra ipsum. Ergo potuit Christus mereri incarnationis decretum. Probo hanc consequentiam: per te libertas decreti incarnationis constituitur actione incarnationis seu terminata ad vnionem hypostaticam (sic enim constituis decreta libera Dei per actiones eorum, quæ illis decernuntur) ergo ante actionem productiuam vnionis hypostaticæ, siue incarnationis in facto esse non est liberum decretum Dei de incarnatione in facto esse, sed ipsa formaliter constituitur: ergo quod potest hanc actionem mereri, potest mereri liberam determinationem Dei de incarnatione in facto esse: atqui eam actionem potest suis operibus promereri Christus, eum remotè solùm, non proximè immediatè præcedant opera meritoria Christi, ac proinde per se ad illa non supponantur, sed merè per accidens, sicut musica ad ædificandum: ergo & potest Christus mereri decretum liberum Dei de incarnatione in facto esse; denique ipsam incarnationis substantiam poterit promereri; nullo enim alio modo termini positionem mereri ab aliquo possumus, in cuius potestate est, quàm merendo liberam determinationem ipsius de illo ponendo.

Dicit Alarcon implicare existentiam incarnationis, siue vnionis hypostaticæ, quæ præuidenda est, vt principium proximum, adhoc vt merita absolutè existentia præuideantur, quin aliqua actio, vagè saltem præsupponatur: Quare libertas Dei solùm erit ad hanc actionem, vel illam, non vniuersim ad omnem actionem. Contra primò: quia non minùs implicat physicè existentia effectus ab actione vagè quàm metaphysicè à nullâ: Siquidem physicè existentia actionis vagè & non determinatè singularis est impossibilis. Secundò decretum Dei erga substantiam & existentiam effectus nequit actione vagè, seu vagâ constituisdemùm cum actio illa vaga ad substantiam vnionis, & incarnationis necessaria omnino sit, nec liberè ponatur, nil est, in huius sententia, libertatem decreti per libertatem actionis constituente, quo decreti circa incarnationis substantiam constituatur libertas.

3 Hæc ab inconsequentiâ contra Alarconem venio ad doctrinæ, quondam etiam nostræ substantiam, quæ priùs, quàm ipse in eam incideret, contra aduenas nostri lenocinia nobis ipsis displicebat & in primis causam remotam adeo per accidens se habere atque musica seu galerus artificis respectu ædificij ab ipso constructi. Quod specialiter addebat Alarcon, nullatenus potest sustineri. Etenim alio modo se habent Patres artificis respectu ædificij, atque eius musica, vel galerus: quandoquidem illis deficientibus, & artifex, & ædificium, ex vi præsentis dispositionis non esset, esset autem etsi deficeret musica & galerus: ergo per se suo gradu requiritur causa remota, præsupponiturque ad effectum, ac non per accidens, sicut musica & galerus edificatoris. Confirmatur: quia Aristoteles causas per accidens à causis per se distinguens in proximo principio vtramque defignauit, vt in musica, & architectura, seu arte domificatrice ædificatoris. Secundò causa remota verè causa est, causa per accidens absolutè ac verè causa non est, vt patet in exemplo dato, ergo causa remota non est causa per accidens. Tertio pone causam remotam, quæ sit causa per se, & essentialiter requisita ad causam proximam, ita vt implicet causam proximam esse sine illa, & vide an audeas illam dicere causam per accidens, ac cadere posse sub meritum effectus remoti? tuncenim non magis posset effectus sine illa, quàm sine proximâ esse. Licet autem in causis non essentialiter requisitis possit effectus esse sine causa remota absolutè, etiam potest esse sine causa proxima non essentialiter requisita ad effectum: & tamen cum de facto ab hac causa proxima causatur, hæc causa proxima causa per se est effectus illius, illáque posterior per te: ergo, & causa remota, etsi non essentialiter requisita, dum de facto remotè causat, per se est causa effectus, ac præcedens natura in sui existentia, atque effectus in sui existentia verè est ipsa posterior de facto, ergo si effectus potest suam remotam causam causare, quæ de facto causatur etiam non essentialem remotam causaret causam à qua causatur, ac de facto verè & re ipsa esset illa prior natura, & posterior, quod repugnat, & magis quàm respectu causæ proximæ, imò & prior se ipso re ipsa foret. Quidquid enim prius est priori, in quauis serie aut linea, siue loci, siue durationis, siue causalitatis, prius est omni eo, quod est illo priori posterius.

Dixi autem maiorem esse repugnantiam in prioritate effectus respectu causæ remotæ, quàm proximæ, quia, vt sit causa remota prior effectus, pluribus retro gradibus prior debet existere quàm existat, vt illam causet: eóque pluribus, & pluribus, quò causa remotior & remotior est. Nec refert hanc prioritatem, & posterioritatem mutuam non repugnare, quia est ratione diuersarum actionum, vt constat ex physicis & ex dictis q. 1. & sanè hoc admisso, etiam poterit causare, essèque prior natura effectus suo proximo principio imo & seipsum causare poterit, vt q. 11. recentiores confutati docebant.

4 Arguo 2. causa proxima effectus præcedit ac præuidetur necessariò existens à Deo ante effectum, quia videnda est existentia effectus absoluta, quæ nequit esse sine actione determinata singulari, qua extrà causas ponatur effectus, quæque esse nequit sine causa proxima determinata, cuius est actio, & modus essentia sua affixus & connexus cum illa; ergo debet etiam præcedere natura, & in præuisione Dei actio singularis determinata productiua causæ proximæ, & causa remota, cuius modus essentia sua connexus actio illa singularis est, & sic de aliis actionibus, & causis remotioribus vsque ad vltimum. Probo consequentiam, quia æquè essentialiter supponit existentia causæ proximæ singularem actionem determinatam, & hæc causæ remotæ immediatæ existentiam, atque effectus actionem determinatam singularem, & hæc existentiam causæ proximæ: sed ob hanc essentialem præsuppositionem præcedere, præuideríque debet existentia absoluta causæ proximæ per te: ergo, & remotæ. Confirmatur, quia, si ad præcedentiam, & præuisionem existentiæ absolutæ causæ proximæ satis est supponi actionem, & causam ipsius aliquam vagè ad præuisionem, ac præcedentiam effectus respectu causæ, quam per te est causaturus, satis erit supponi actionem, & causam proximam aliquam vagè: ac proinde in tua doctrina non solùm causa remota, sed & proxima poterit causari à suo effectu. Denique Doctor hic magnam in toto suo discursu æquiuocationem fuit passus, solùm attendens ad principia essentialia, & sine quibus non poterat esse effectus, vt prioritatem concederet illis solùm, non necessariis autem negaret. Cum tamen æque hæc cum de facto causæ sunt, præcedant, atque illa, sintque effectibus suis siue proximè, siue remotè priores: quare in præcedentiâ, & prioritate æqualia sunt, non autem in necessitate præcedendi, vnde rursus causæ remotæ æque, atque proximæ materia præmij esse non possunt operis meritorij quod causant, quia præhabitæ supponuntur.

CERTAMEN III.

Recentiorum Murcianorum pro eadem solutione de remoto principio meditationes alias reiicio?

1 MVrciani Recentiores censentin causis physicis, quæ nimirùm sua pura existentia physica causant, non posse sine implicatione causam remotam etiam à suo effectu causari: quia vtriusque physica existentia secundum se erit alterutra; imò & se ipsa prior & posterior; fast, in causis intentionalibus non repugnare effectum esse causam causæ suæ; quia cum causa intentionalis, etiam quæ causat secundùm absoluta sui existentiam, non causet secundùm illam physicè nudéque secundùm se sumptam, sed, vt apprehensam, & cognitam, id quod supponitur, dum causat est existentia non physicè sumpta, sed cognita, & apprehensa, accidentariè saltem à sua existentiâ physica differens: quæ, cum à suo effectu causetur, non causabitur idem, quod supponebatur ad illud, nec idem secundùm idem erit alio prius, & posterius, in quo erat repugnantia. Probant à simili, quia Pater in diuinis generat Filium per ipsius cognitionem intuitiuam, ac proinde existentia Filij cognita supponitur, estque intentionale principium suæ physicæ existentiæ. Rursus, si Deus reuelet Petro & Ioanni amorem alterius erga alterum, poterunt ob sic cognitum amorem alterius se mutuò amare: ac proinde amor vterque se mutuò causabit. Denique exempla equi, & armorum ad hanc etiam doctrinam inducunt; sed cõtra est primò, quia ratio formalis mouendi in causis intentionalibus, quorum absoluta existentia cognoscenda est, vt causent, (vt in causa meritoria) non est cognitio existentiæ, siue existentia vt apprehensa, sed existentia causæ physicæ, licèt cognitionem, tanquam applicationem sui ad voluntatem, vt mouere illam possit, requirat: sicut quod mouet intentionaliter supponitúrque ad amorem finis, non est bonitatis cognitio, sed bonitas finis, licet, vt possit mouere, opus habeat cognitione: ad eum item modum quo, licet tota agendi ratio sit, in agente tamen sine appropinquatione ad passum agere nequit. Vocantur autem intentionales causæ, non quia secundùm esse intentionale, non autem physicum, causent; sed quia esse ipsarum physicum nequit mouere voluntatem & causare, nisi cognoscatur: Ex quo apparet æquiuocatio, quæ Recentiores hosce decipit. Nec satis est aliquando in re non esse bonitatem, quæ apprehenditur, & mouere: id enim non est mouere bonitatem apprehensam, vt apprehensam, sed rei malè apprehensam: Quare in eo qui decipi nequit, vt Deus, & in intuitiua visione, quæ in rem non per species alienas, sed per ipsarum rerum, vt in casu nostro, positionem est, ipsa vera & realis physica rerum bonitas absoluta;

absoluta; ac meritoria moluet ad præmium.

Contra secundò: quia existentia eius, quod mouet media suæ physicæ absolutè existentiæ visione prior natura est ipsa visione, per quam mouet: atqui effectus meritorius mouet media suæ physicæ absolutiè cognitione: ergo existentia physica absoluta effectus meritorij prior est visione, per quam mouet. Atqui visio prior est præmio, quod datur ob effectum meritorum, siue meritum causatum per te: ergo à fortiori existentia physica meriti, siue effectus meritorij, prior est præmio, quod ob ipsum datur: ergo causa meriti, siue effectus sui meritorij nequit esse præmium causatum ab illo, quin existentia ipsa physica absoluta meriti prior natura sit, quàm sua causa, qua est posterior. Vnde ratio illa primæ, quam à priori vocabant Recentiores prorsus euanescit. Licet enim in causis, quarum existentia mouet vt cognita non præcedat natura sola physica existentia earum, sed & earum visio, siue cognitio; ast ipsa etiam, existentia physica in se præcedit suos effectus: ex eo autem, quod aliud etiam præcedat, non vitatur repugnantia mutuæ prioritatis. Maior prima constans est in philosophia: nempe obiectum, quod rationis figmentum non est, atque non per alienas species repræsentatur, natura sui cognitione prius est, id quod ex argumento Recentiorum secundo constat, sed productione Filij diuini è sui ipsius cognitione; qui enim ita censent omnes asserunt eum esse obiectum per se quarto modo requisitum è quatuor enumeratis ab Aristotele suæ cognitionis, & processionis: in quo quarto modo requisitorum dependentia eorum ad quæ requiruntur, clauditur expresse; quare, qui sic censent prioritatem Filij respectu cognitionis sui, quæ procedit, ac proinde respectu sui etiam planè admittunt: saluarique repugnantiam aiunt, quia in alio genere prior est sua processione ab eo, in quo est illa posterior. Respondent Recentiores duplex esse genus: prioris secundùm naturam, alterum causalitatis, & influxus notissimum; alterum independentiæ non mutuæ, vt in termino, qui essentia sua independens est ab actione, cum tamen actio essentia sua independens à termino non sit, à quo essentialiter dependet. Cum tamen vtrumque prioris genus in extremis duobus inuenitur, atque opponitur prioritas naturæ, quæ est influxus, & causalitatis, ac fortior alia secunda, prævalet impeditque secundam independentiæ non mutuæ, vt patet in actione, & termino, qui absolutè posterior actione quà producitur est, nullatenúsque absolutè prior, sicut esset, nisi prioritas naturæ secundi generis, nempe independentiæ non mutuæ, pugnaret, vinceretúrque à prioritate fortiori respectu ipsius termini, causalitatis, & influxus actionis, quà producitur. Hoc ipsum euenire aiunt in principio essentia sua connexo cum suo termino, siue effectu, vt in Patre æterno connexo essentia sua cum Filio, qui licet ratione connexionis illius sine Filio esse nequeat, tamen prior absolutè ipso est, nullatenúsque posterior, quia eius prioritas, respectu Filij, est prioritas fortior, nempe influxus, seu quasi causalitatis. Ad eum modum, licet scientia, quæ sui obiecti purè speculatiua est, sit ipso posterior; ast, quæ ipsius practica & actiua est, simpliciter est atque absolutè prior, nulláque ratione illo natura posterior: licet ab illo pendeat dependentia à posteriori, sicut actio à termino, sine quo esse nequit ratione essentialis connexionis quam cum ipso habet.

3 Cæterùm Doctrina hæc petit manifestè principium, & est falsa, & insufficiens. Primum probo. Scientia de se, secluſa ratione influxus in suum obiectum, est posterior natura ipso: ergo, vt ex hac Doctrina probetur visionem meritorum non esse posteriorem meritis absolutè, quæ ipsius obiecta sunt, debet supponi esse illis priorem originariè siue influxiuè: quod nullatenus probatur vt sic extinguatur prioritas obiectiua meritorum, siue impediatur à fortiori influxiua visionis. Supponitur ergo de quo disputatur.

Secundò Doctrina solutionis falsa omnino est duplici ex capite. Primò: quia prioritas fortior vnius extremi non abolet sola sui positione, quin alterius extremi prioris alias prioritate debiliori causalitate quà prior formaliter est respectu illius, prioritatem respectu eiusdem; alioquin, cum causa efficiens fortior sit, quàm causa materialis, poterit efficiens causare materiam à quà educitur, quin hæc sit ipso prior natura: quare forma ignis vel caloris poterit sine vlla repugnantia prioritatis, & posterioritatis causare materiam actiuè, à quà passiuè causatur: quod est impossibile. Cum ergo causalitas, siue influxus obiecti in visionem non impediatur ab influxu illius in obiectum (imo nec impediri possit obiectis, quoties in se terminant sui visionem, de quibus nunc, scilicet meritis Christi respectu visionis diuinæ ad quam solùm terminatiuè per extrinsecam sui positionem concurrere possunt) fiet, vt nec in illo impediri possit prioritas obiectiua existentiæ obiecti seu meriti intuitiuè visi ob influxu visionis in ipsum: quare & merita erunt priora natura visione Dei intuitiua illorum, etsi ab illa influxiuè causarentur: ac proinde dabitur implicatoria mutua prioritas inter existentias absolutas meritorum, & visionis, ac inter scientiam quâ Filius à Patre procedit, & Filium diuinum: quod etiam in actione, & causâ necessariò causante, cuiusmodi est Pater æternus respectu Filij, inueniretur. Etenim influxu actionis in terminum, & Patris in Filium non aufertur necessaria connexio eorum cum termino, ac filio, in quâ stat prioritas horum respectu actionis, & Patris, in tuâ doctrina.

Dices omnem prioritatem dicere negationem dependentiæ mutuæ inter extrema: quia dicit independere, quod est prius ab extremo, quod ab ipso dependet, ac proinde est ipso posterius: quare in actione, & causa, seu principio necessario operante non posse esse prioritatem illam independentiæ mutuæ. Contra Primo: ergo malè assignatur à te exemplum prioritatis dependentiæ, & connexionis non mutuæ in termino respectu actionis, quâ producitur, cum inter hæc mutua sit dependentia. Contra Secundo: quia ideo prioritas inter extrema dicit negationem mutuæ dependentiæ in existendo, quia inter quæ datur, dabitur mutua prioritas, & posterioritas naturæ in existendo implicatoriè contra te. Hinc constat falsam esse doctrinam hanc ex altero capite. Etenim actio, & principium necessariò producens, licet sine termino esse nequeant, nullatenus cum ipsis connectuntur tanquam cum aliquo naturæ priori, sed posteriori, cui vnumquodque ex illis necessariò & ineuitabiliter præcedit natura, nequítque non præcedere: quæ necessitas cum ex priori signo naturæ illis adsit, nequit dependere à termino quod pro illo signo implicat esse. Distingue ergo; in causa seu principio de se necessitato ad agendum atque in actione si vis etiam connexionem cum termino tanquam cum posteriori, à dependentia, & posterioritate respectu illius, & non patieris illos paralogysmos.

4 Denique doctrina hæc est prorsus ad rem presentem insufficiens. Nam connexio scientiæ, seu visionis cum ab obiecto non est, cum illo, tanquam cum termino, sicut actionis, seu principij necessariò producétis cum suis terminis. Secundo est insufficiens, quia licet demus meritum quod est visionis obiectum, non esse prius natura visione, ast vtrumque prius est decreto, quo ob meritum sic præuisum absolutum decernitur à Deo, causatúrque principium, siue proximum, siue remotum meriti ipsius: ergo & est prius suo principio, quo est posterius aliunde: ac proinde datur mutua prioritas inter meritum absolutum & eius principium: ac tandem vtrumque se ipso prius est, quod refugis.

Dices

Dices præsupponi, ac mouere meritum præuisum ordine intentionis ad ponendum suum principium ordine executionis. Sed hoc est recidere in sententiam Soarij atque hanc deferere: recurrentque impugnationes contra illum datæ cert. 1. Deinde cum mutua est causalitas inter meritum, & eius principium, cur alterum intensiue, vel executiuè potiùs, quàm alterum præcedat? quare vel nullum, vel vtrúmque ordine vtroque duplici repugnantia alteri præiuit.

Dices præuisum esse ordine executionis; ast decreto, & actione vagè sumptis. Impugnatum est hoc cert. 2. nil enim potest existere in executione, & absolutè sine decreto, & actione singulari: ac proinde, & præuideri in præuisione debet, & actiuitas hæc determinatè præcedere: quare visio decreti, & actionis, quâ ponatur principium meriti, non poterit precedere ad meritum, ac simul ad illam Deus ex meritis moueri sine mutuâ repugnanti prioritate, & posterioritate vtriusque.

Dices tandem reipsa non nisi decreto, & actione determinata existere absolutè meriti principium; ast earum præuisionem disparatè se habere ad meritum eiusque motionem respectu voluntatis diuinæ; etenim æque motionis, & valoris est meritū, quocúmq; decreto, vel actione ponatur: quare huius decreti & actionis in singulari præuisio in ordine ad motionem non præsupponi, caderéque proinde posse hæc in singulari, atque principium hoc determinatum sub meritum: atque hoc Deum mouere ad ea omnia in singulari. Sed contra Primò: quia æque impertinenter se habent ad vim causatiuam atque existentiam physicam suorum effectuum in causa proxima causæ illarum determinatæ: â quauis enim alia ponerentur, eodem modo actiuæ exactiuæque suorum effectuum forent: ergo & agere, physicè & exigere possunt suas causas siue proximas, siue remotas. Contra secundo: quia, licet visio causæ & actionis qua ponitur meritum réque ipsa illud antecedit, non augeat ponátve in merito vim motiuam ac valorem, tamen nequit non à Deo pro naturæ priori, in quo est videri: cum nequeat Deus non videre quæ sunt vbi primùm sunt.

Dices nec id negari à te, quod scilicet videatur causa, & actio determinata hæc à Deo pro suo signo priori naturæ: ac simul videatur esse natura priorem; ast visionem ipsam non esse priorem merito, nec iuuare vt hæc moueat Deum, ad conferendum in præmium ipsius principium. Sed contra: quia visio causæ mouet Deum ad ponendum ex parte sua effectum ipsius, sicut à causa quauis exigitur: ergo visio principij cuiusuis effectus, ac proinde meriti mouet, éstque prius natura positione effectus, ac proinde meriti, quatenus est ex parte Dei: quare cuiusuis causæ visio suo gradu prior natura est merito, iuuátque vt illud sit nec se habeat disparatè.

5 Sed esto: eæ omnes repugnantiæ cessarent: nec videatur principium meriti pro signo naturæ priori, ad meritum ipsum: saltem reipsa prius natura præbebatur principium meriti progenitorum ad merita Christi, & vniuersim principium quodvis ad meritum: ergo nequit esse materia præmij, vt sæpiùs docui. Aduersariorum fundamenta disieci omnia præter illud de amore mutuo Ioannis & Petri se mutuo intentionaliter causantibus ex reuelatione, quod in specie nondum attigimus; generatim verò disiectum etiam est: negandum enim est vtrúmque posse amare, ex reuelatione, amoris ab altero præhabiti: sed alterum amorem ex reuelatis fore ab alterius amore independens, ne sit vterque prius natura, quàm sit. Ad exemplum de equo, & armis diximus d. antecedenti q. vltimâ, constátque ex ibi dictis extrarem hanc esse. Sed,

Instas; Deus nouit, si Ioanni reueletur amor absolutus Petri erga ipsum, amabit ob id Petrum; ex hac autem scientia poterit sine erroris periculo reuelare Petro amorem Ioannis erga ipsum, ac Petrus ex hac reuelatione amare Ioannem, qui ex huius reuelatione amoris Petrum amabit absolutè, vt conditionatè fuerat præuisum. Respondetur ex præuisione solùm conditionatâ amoris Ioannis, non posse reuelari Petro Ioannis amorem: cum enim liber hic futurus sit, antecedenter non esse absolutè potest; quare reuelatio Dei esset antecedenter fallibilis, quod implicat. Secundò: vel amor Petri reuelatus, præuisúsque conditionatè, fuit ita præuisus absolutus ab amore Ioannis absoluto, & reuelando, vel ab illo dependens. Si absolutus ille, non ponitur absolutè; si dependens, nequit absolutè reuelari esséque ante amorem absolutum Ioannis, sed necessariò post ipsum.

Denique opponunt Recentiores: quod est posterius tempore mouere potest ad conferendum præmium: ergo, & quod est posterius naturâ. Reieci sæpè hanc consequentiam. Est enim: quod habet absolutum esse futurum potest mouere: ergo, quod solùm habet esse conditionatum, (quod solùm habere, vt summum, potest effectus pro priori, seu antea prius natura suæ causæ) potest mouere.

CERTAMEN IV.

Herize, atque Lugo solutiones confutantur.

1 Lugo d. 8. sect. 2. à num. 85. Bernal. d. 17. sect. 3. §. 1. num. 54. fusiùs d. 18. sect. 2. §. 1. dicunt Christum longitimo illo deserti ieiunio, atque in horti tristitia, & agonia miraculosè à Deo solùm fuisse conseruatum, cùm causæ naturales mortem eius potiùs quam vitam exigerent, eam verò conseruatiuam, si tempus expectetur, actionem natura temporariam eius conceptionem præcessisse; sub eáque existentem Christum progenitoribus gratiam promeruisse, vt eum procreare suo quisque gradu mereretur: sícque ex meritis eorum ex ipsis progenitis, nutritus, conseruatus atque in præfata tempora seruatus est, quin merita Virginis, aliorúmve progenitorum Christi existentiam, quo tempore gratiam illis meruit, ac proinde meritorum eius natura præcederet. Quòd autem Deus in horto primo naturæ ordine decretus fuerit probat Bernal. quia secundus Adam, scilicet Christus, in statu virili ad modum primi, fuit primo decretus: id quod ex eleganti Patrum (præcipuè Nazianzeni orat. 1. col. 10.) comparatione inter Adamum, eiúsque lapsum, & Christum ipsiúsque reparationem floridiùs suadet quàm fortiùs, rethoricè, non Theologicè.

Contra Primò: quia nullo fundamento Christum retrorsum, (vt de Remigibus dici solet) viuere hi Doctores cogunt. Secundò: quia primam mortis acceptationem à Christo in horto exhibitam docent, contra Paulum ad Rom. 10. Patrésque, & interpretes ad eius Verba, *ideò ingrediens Christus in mundum dixit*, vsque ad *ecce venio*: quæ de mortis acceptatione à Christo in primo instanti conceptionis exhibita intelligunt omnes. Contra tertio: quia gratia progenitoribus, etiam Virgini, data per Christum fuit, gratiâ redemptionis, præseruatiuè in Virgine; ergo fuit ob merita Christi, morte consummata. Antecedens dogmaticum est, nec minùs certa apud omnes consequentia, ex illo ad Hæbr. 10. *vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos*: atqui mors merita illa consummans, vt oblata patratáque à Phariſæis ac Iudæis reliquis, pependit ab inuidia eorum ex Euangelio: hæc autem à miraculis, & prædicatione in anteacta Christi vita ab ipso factis, vt ex Euangelio ipso constat; vita autem eius temporis suppoſuit naturâ per vos conseruationem eo vsque, nutritionem pueri eiúsque

conceptionem, ex Virgine proximè, atque ex aliis progenitoribus remotè: ergo hæc solutio, & implicat, & integram relinquit difficultatem.

Herice d.29. de præd. c.4. num.44. docet Christum primo decretum esse independenter à Virgine, & Progenitoribus pro primo conceptionis instanti, sicque promeruit eis gratiam, vt eius Progenitores esse mererentur, taléſque essent pro naturæ posteriori: quin existentiam, vt positam vi primi illius decreti, qua illis meruit, eorum merita præcederent, sed existentiam, provt per secundum decretum ab eorum meritis dependens positam; addit autem, vtriúsque decreti, & positionis vnicam esse actionem totalem, sed, cum ipse de decreti constitutione per actiones extrinsecas agens, doceat non solùm è diuersitate principij sed & modi actiones diuersificari, actio, quâ primum decretum natura anterius de existentia Christi à solo Deo, independenter à meritis & Virgine constituendum pro priori naturæ est, diuersa realiter esse debet ab actione, quâ posterius naturâ constituendum est ex meritis, & influxu Virginis in existentiam Christi; alioqui nec diuersificantur actiones ex motiuo, & principio, nec potest non actionum ordo naturæ, & consequenter, decretorum etiam confundi: quandoquidem actio reipsa pendens à meritis pro priori decreti independentis à meritis esse debeat, vt illud constituat. Vnde rursus fiet pro nullo signo Christum existere independenter à meritis Progenitorum. Etenim existere nequit nisi per executionem, siue actionem aliquam realem, & de facto per hanc: hæc autem actio realis, quæ pro signo prioris decreti ipsum constituit, est re ipsa ex meritis Virginis, & Progenitorum: ergo pro signo etiam existentiæ Christi ex priori decreto extitit Christus ex meritis Virginis, & Progenitorum; ergo nequiuit sic existens vi prioris decreti mereri gratiam progenitoribus, vt ipsum procreare mererentur, quin mutua prioritas, & posterioritas naturæ inter gratiam Progenitorum, & merita Christi implicatorie intercedat; quare doctrinam solutionis huius integram relinquit difficultatem, quam tentabat componere.

3 Respondet, Primam actionem primi decreti constitutiuam, & existentiæ pro primo signo executiuam cum Deo identificari, eſséque solùm virtualiter transeuntem. Contra primò Ergo non identificatur cum actione secundi decreti de existentia Christi dependenter ex meritis Progenitorum. Patet. Nam hæc est etiam formaliter realiter transiens, nec solùm virtualiter transiens, sicut prima: at virtualiter transiens solùm non formaliter, nequit siue contradictione re ipsa identificari cum transeunte etiam formaliter: ergo deseris hanc solutionem primam, duplicémque actionem totalem circa existentiam Christi admittis cum recentioribus relatis ac refutatis à te num.41. Ita sanè est: ipséque fatetur, dum actionem illam solum virtualiter transeuntem primam appellat, quæ non nisi alterius secundæ respectu primæ esse potest. Contra secundò: quia iam in physicis contou.1. satis reieci doctrinam hanc paradoxam de identificatione productionis ad extra cum Deo. Contra tertiò: quia faciliùs plausibiliúsque doctrina hæc ad virtualem defectibilitatem decreti liberi Dei admitti possit quàm ad virtualem transitum productionis ad extra identificatæ cum Deo: cur ergo hâc admissâ illam tanto pere oderit Herize, prorsus non apparet. Quartò existentia Christi secundùm se indifferens est, vt ex hoc, vel illo motiuo, & fine, independenter à causis secundis producatur, quare, & diuerso decreto à Deo quod nunc de facto ponitur: inquiro ergo, per quod illud differret? an per actionem identificatam cum Deo, & solùm virtualiter transeuntem? ergo sine vllo extrinseco, & creato per solùm Deo intrinseca decreta Dei libera constituuntur per te, & contra te; an per extrinsecam actionem? ergo & decretum, quod nunc est per similem aliam constituetur: cum eadem esse debeat vtriúsque ratio.

3 Adhæc num.45. ait: decretum conseruationis Christi vnicum esse, quod, & dependenter à causis secundis, earúmque exigentia, cum aderant, & independenter ab illis, cum aberant, vt in horti agoniâ, conseruaretur. Contra primo: ergo, & vnico solùm decreto dependenter à causis secundis, & independenter ab illis potuit primo produci; secundò: cum actus voluntatis se ipsis, ac essentiâ sua obiecta & motiua respiciant, implicat deficiente exigentiâ causarum secundarum idem decretum esse, quin illam respiciat, si illam aliquando respexit. Tertiò: decretum illud nequit esse dependens, & independens simul à causis secundis sine contradictione, siue concipi dependenter ac independenter ab illis. Quartò: cùm Christus gratiam omnem Virgini non solùm operibus à se in conceptionis instanti elicitis, sed reliquo conseruationis suæ tempore fuerit promeritus, si conseruatio Christi fuit dependenter à causis secundis, ac proinde à conceptione ex Virgine, quomodo vitatur mutua prioritas inter merita Christi, & gratiam ob illa Virginis datam, vt eius Mater effici mererétur? Sed, nec si solis operibus elicitis in primo instanti conceptionis gratiam illi meruisse Christum admittamus, difficultatem vitabit Herize. Cum enim gratia eiusmodi tam Virgini, quàm Progenitoribus aliis collata gratia redemptionis fuerit, non nisi ob ea merita, vt consummata per mortem Christi fuit: Cum autem hæc fuerit illata ex inuidia Pharisæorum è Christi miraculis, dum conseruabatur decreto dependenter à causis secundis, ac proinde à conceptione prima ex Virgine: ergo non euaditur mutua prioritas inter merita Christi & gratiam Progenitorum, quâ tales esse fuerunt promeriti.

Nec refert, tam decretum, quàm actionem conseruatiuam, provt independenter à causis secundis, formaliter supponi ad existentiam Christi gratiam Progenitoribus merentis. Etenim, cum ad absolutam Christi existentiam decretum, & actio illa, vt re ipsa sunt, realitérque accepta naturâ necessariò præcedant, nequeántque realiter esse, ac præcedere secundùm vnam formalitatem sui, sine alia, quæ ipsi re ipsa identificatur, ne res sine seipsa sit, solutio est implicatoria.

CERTAMEN V.

Nostra eáque solida arduæ huius difficultatis compositio.

1 Asfero Christum Dominum duplici decreto adæquato de eius prima existentia primò conceptum, in quo cum nostro Hærice conuenio; duplici etiam adæquatâ actione, in quo ab eo discordo, consentio tamen recentioribus ab ipso citatis num. illo 41. addo toto vitæ tempore vsque ad mortem decreto illo independenti à causis secundis, quod naturæ præiuit decretum de eius existentia dependenter à causis secundis, Christum fuisse conseruatum duplicique item actione totali. Hoc, vti reor, Recentiores iidem non abnuerent, si in eas difficultates incidissent, quas contra Lugo impugnatione tertiâ, & contra Herice num.4. ab impugnatione 4. dedimus. Est igitur conclusio nostra. Toto vitæ tempore præter decretum, & actionem progenitoribus & causis naturalibus ortam, decreto & actione alia totali independenter, atque antecedenter naturæ ordine extitisse Christum: ex eius autem sic existentis operibus ac meritis gratiam Progenitoribus collatam, vt per actionem secundam, suo quisque gradu, illum progignerent, ac deinceps in illa linea naturaliam cautarum seruaretur: quâ in re nulla

nulla mutua prioritas inter Christi merita, gratiámve progenitorum intercedit, vt patet. Probatur primò: quia, vt commune iam est, ac fere in philosophia certum, idem effectus à duplici causa extrinseca totali siue actiua physica, siue intentionali, siue finali duplicique totali actione causali potest: ergo & Christus duplici decreto & actione totali potuit causari: atqui hac solùm via saluari potest sine repugnantia mutuæ prioritatis inter merita Christi, & gratiam Progenitoribus datam, vt tales esse mererentur, quòd Christus meritis suis absolutis (quæ solùm merita esse d. antecedenti probauimus) gratiam obtinuerit à Deo, atque illi ex ea gratia esse Christi progenitores fuerint promeriti; ergo ita de facto contigisse dicendum est. Subsumptum patet ex impugnationibus datis tota hac quæstione opinionum hactenùs ad hanc difficultatem componendam excogitatarum.

2 Probatur secundò conclusio vbi adest causa adæquata mortis viuentis, eius vita miraculosè atque independenter à causis secundis existit: Sed toto vitæ tempore adfuit Christo causa adæquata mortis: ergo eius vita toto vitæ tempore extitit miraculosè, à Deo independenter à causis secundis. Maior est perspicua; minor probatur facilè. Quia à principio conceptionis suæ adfuit Christo longe perfectior omnium peccatorum mundi, atque malitiæ, seu offensæ eorum in Deum cognitio: longè item maior amor erga Deum gloriæque Dei zelus, quàm in alio ex hominibus, imò in omnibus simul hominibus fuerit: iusuper Christus delicatiori, solutúque faciliori corporis temperamento, quàm cæteri homines, vtpote perfectiori, constabat: atqui tanta malitiæ aliquorum peccatorum suorum scilicet tantùm, cognitio, támque fragrans Dei amor in aliquibus hominibus fuit, vt præ dolore, licet robustiores, naturaliter obierint: ergo delicatior Deique zelo, & amore fragrantior Christi humanitas, non aliquorum, sed omnium peccatorum & offensarum Dei malitiam viuidius semper intuitus naturaliter per momenta singula deficeret, ni Deus miraculosè atque à causis secundis independenter ipsius seruaret vitâ. Confirmatur: quia mali leuioris, quàm peccatum sit, leuiúsque, atque imperfectius cogniti, horrore, pauore, atque tristitia naturaliter vita functos plures homines robustos legimus: ergo mali, quod in peccatis est, perfectiùs longe à Christo cogniti horrore atque tristitia naturaliter Christus Dominus obiter.

3 Sed rursus illa minor, cui totum discursus nostri pondus incumbit, imò tota eius probatio ex Scriptura fundatur. Vbi tantus in Christo de peccatis hominum dolor, toto vitæ tempore fuisse dicitur, quantus ad eius internecionem satis superque foret. Sic sæpe ex Christi persona Dauid aiebat Psalm.118. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* atque alibi: *vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt*, id est tantum de eorum peccatis dolorem concepi, quantus ad defectionem, & tabefactionem sufficeret. Rursus: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi cecidérunt super me.* Denique probo ex illo supremæ noctis ad Discipulos colloquio, in horto Gethsemani habito *tristis est anima mea vsque ad mortem*: id est adeò mihi magna tristitia adest, quæ me ad mortem perducere satis esset. Euthym. *ac si dicat, sicut in morte.* Eam verò tristitiam, cordisque dolorem non tam mortis proximæ horror, quàm nostrorum delictorum consideratio in Christi humanitatem inducebat: vt Patres, commentatores, & contemplatiui super eo loco meditantur: atqui hæc eadem toto vitæ tempore ipsi adfuit: ergo & toto vitæ tempore adfuit Christo tristitia, ac dolor de hominum peccatis quæ ipsum interimeret, ni à Deo miraculosè seruaretur: licèt tunc solum nobis fecerit palàm, quod semper interius patiebatur: integram ponderationem satis emphaticè nobis textus græcus dedit vbi pro *tristis* legitur ἀδημονῶ id est *cum tristitia*: ac si dicat: toto vitæ tempore, quo præsens vita mea vltro, citroque cingitur, tristitia circundor: quia tam meum anteactum tempus, quàm vsque ad mortem futurum, totum, totum in tristitia, atque dolore de peccatis hominum fuit. Pro discursus nostri coronide audiatur noster Salmeron tom.10. tract.11. §. *capit ergo tristari*, vbi magnitudinem huius doloris ac tristitiæ Christi de hominum peccatis, cum quoad intensionem, tum quoad extensionem perpendens, in hæc Christum Dominum alloquitur. *Intensa quidem tristitia ob grauitatem doloris valentis in te absorbere vitam, & deducere ad mortem, ob delicatissimam corporis temperaturam, quia spiritus tristis exsiccat ossa, & quidam dicuntur præ dolore peccati crepuisse. Extensa verò, quia, sicut perpetuò vsque ad horam mortis passus es in corpore, ita perpetuò contristatus es in anima.* Quid illustrius? his autem verbis non solùm tanta doctoris tanti authoritas pro nobis est, sed & venerabilis illóque sæculo omnium sapientissimi Iacobi Lainez secundi nostri generalis Præpositi, cuius chartis, magnam partem, opus Salmeronis desumptum narratur; ergo & Lainez scribentis & Salmeronis subscribentis authoritate noster discursus honoratur, ne nouitatis, & (vt sic loquar) gratuitatis deinceps arguatur.

4 Obiicit Lugo. Vt Virgo sit mater Christi supponitur materia quæ ipsius fuerit, coniunctio fœtus ad ipsam per vmbilicum, quæ omnia supponunt merita Virginis eiúsque existentiam, sed quid ad nos? an actione maternitatis à Deo Christum independenter à causis secundis decretum & factum asserimus? materia quidem Virginis fuit, sed quatenus actioni ipsius Dei inseruiuit, nil in illa à Virgine est factum; sed quatenus generatione suaChristi humanitas extitit primo instanti: ergo tandem, licèt remotè, existentia humanitatis fuit causa sui ipsius: quandoquidem ex eius meritis gratiáque illis obtenta humanitas à Virgine producta est. Respondetur: quoties non datur existentia eadem præhabita in præmium, primóque aliunde habetur, *non esse inconueniens meritoriè remotè ad se ipsam præcedere*, vt per posteriorem actionem etiam existat: vt constat ex impugnationibus, quas dedimus contra asserentes causas intentionales posse se ipsas causare: quæ eatenus solùm probant, intelligendæque sunt, quatenus inter primò productas existentias ordine naturæ versari posse dicuntur; vel in præmium primo producta existentia datur. In casu autem nostro ipsa existentia Christi, prius natura producta à Deo non datur in præmium Virgini, sed maternitas, siue generatio, & coniunctio moralis cum filio: quomodo non præcessit natura Virginis generationem, nec ab eâ præbebatur, quod secus habet in principio meriti præhabito à merente.

Instant ergo: Virgo non dat primò esse ordine naturæ; sicut reliquæ matres filiis: ac proinde non est mater Christi, æquè, atque aliæ suorum filiorum. Impugnatio hæc æque tangit Lugo, & Herize, ex quo sumitur. Respondetur tamen facilè negando consequentis extremam partem: quia ad maternitatem strictissimam solùm requiritur quod influxu suo det fœtui primum esse in duratione, respectu cuius per accidens se habet, quod aliunde siue prius, siue posterius natura esse ab alio recipiat; Instat adhuc Bernal non esse assignabilem dependentiam actionis vnius ab alia simultanea: quare nec actionis Virginis ab actione Dei, erga Christi existentiam: quare nec esse assignabilem prioritatem huius respectu illius. Sed ratio à nobis assignata iam est.

Sed vrgentiùs dices: in instanti nullo, in quo concepta à Christo tristitia, & dolor de peccatis fuit, potuisse Christum mori præ illa, sine contradictione, licet vnico Christus decreto, & actione existeret. Ad eam

quippe concipiendâ supponebatur in priori naturæ pro illo instâti existere: quare ex illo signo impossibilis erat pro illo instanti negatio existentiæ, licèt pro sequenti sit defecturus: ergo ne deficiat in primo instanti conceptionis, opus non est vt decreto Dei miraculoso existat ne pereat. Respondetur pro instanti conceptionis permanere saltem rationem primam. Secundo permanere etiam secundam quia posita actione illâ miraculosa in primo instanti, exigit sui & termini conseruationem pro secundo, pro quo vtriusque non esse vi tristitiæ antecedentis in primo futura alias erat. Quare connaturaliùs intra miraculosam prouidentiam conseruatur Christus, contra exigentiam tristitiæ primi instantis, in secundo posita miraculosa productione in primo independenter à causis secundis. Deinde, cum à Deo decerneretur Christus ex scientia conditionata doloris ac tristitiæ in primo illo instanti futuræ, oportuit antecedenter etiam eiusmodi decreto & actione independenti à causis secundis, eius existentiam anticipato præueniri, mortémque impediri gradu ad ipsam existentiam anteriori.

5 Ex Patribus, oppones Bernardum hom.4. super *Missus est* ita, vt cœlesti nuntio assentiat, adhortantem Virginem. *Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat non immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum filiorum Adam totius generis tui*; ergo omnis gratia filiorum Adam dependet ex consensu, merito, & maternitate Virginis ac proinde è sua & progenitorum, vt tales esse mererentur. Respondet bene Lugo pro se & pro nobis, loqui Aug. non de omni gratia filiorum Adam distributiuè, sed collectiuè; quæ non esset, nisi dependenter de maternitate ex vi præsentis decreti, licèt progenitorum gratia, vt tales esse mererentur independenter fuerit, ac foret à maternitate.

Secundò obijcies ex Aug. de prædest. sanctorum cap. 15. dicente *quod eius bonum* Christi, *quælecumque præcessit? quid petiuit vt ad hanc ineffabilem excellentiam vnionis hypostaticæ perueniret? nonne faciente ac suscipiente Verbo, ipse homo, ex quo esse cœpit, filius Dei vnicus esse cœpit*, postmodum autem, ex eo quod eadem gratia, qua Christus natus est filius Dei, renascantur filij Dei Christiani, infert contra Pelagianos nullis eorum meritis tales Christianos fieri; quem discursum, & sententiam repetit de dono perseuerantiæ c.24. ergo existentiam humanitatis & vnionis nulla eius merita præcesserunt. Præcedent autem, si ex meritis Christi gratia progenitoribus donaretur, vt tales fierent ipsúmque procrearent. Respondeo argumentum hoc non nostram conclusionem; sed suppositionem eius, quòd scilicet ex Christi gratia progenitores eius tales fieri sint promeriti, scilicet Theologos fere omnes impugnare. Respondetur distinguendo consequens, nulla humanitatis meritæ præcesserunt vnionem, vt præmium quod mererentur, fateor; quia in instanti etiam primo, vnio extitit ante meritum eius, ac præmij materia esse non potuit, sequebatur q.1. d.3. num.5. de quo solùm loquitur Augustinus, vt ex eius verbis, & instituto patet; ast posse præcedere, vt merita gratiæ progenitorum, vt ipsam causarent, Christúmque progignerent, fatendum omnibus est.

QVÆSTIO VI.

De merito Christi, respectu gratiæ datæ crucifigentibus & aliis, ne in Christi mortem confluerent.

Postrema hæc, sed inter primas rei huius difficultas est, quæque in totidem fere semitas, ac præcedens, doctores egerit. Est autem huiusmodi. Christus omnis redemptionis gratiam hominibus, nonnisi morte consummatis meritis à Deo obtinuit, atqui auxilia data accusatoribus, calumniatoribus, testibus, iudicibus, proditori, crucifigentibus hominibus, ne mortem quoquo ex iis modo, peragerent, gratia redemptionis per Christum fuit: ergo ea ipsis obtinuit Christus per sua merita vt morte consummata: ergo ea auxilia Christi mortem pro priori naturæ supponebant. Ex aliâ verò parte ad illam pro naturæ priori supponebantur, vt quid à tanto scelere retrahens; ergo datur mutua prioritas realis naturæ inter absolutè futura auxilia, & mortem absolutam Christi, si numeratis hominibus ex meritis Christi huiusmodi auxilia donata asseramus.

CERTAMEN I.

Aliorum solutiones reuinciuntur, & eneruantur.

1 HVic difficultati occurrunt Doctores iuxta opiniones q. 5. à nobis impugnatas. Quidam eiusmodi auxilia non esse principia per se requisita, adhuc impeditiua, mortis inferendæ Christo, cum ex aliis posset liberè inferri: quare & possent sub merita Christi morte consummata venire. Confutaui solutionem cert.2. Alij esse principia remota, ac proinde posse cadere sub merita morte, quam præcedunt, consummata. Refelli, & hoc ibi. Recentiores Murciani posse causari à morte, quia hæc conditio solùm moralis ad ea auxilia est, & id reieci cert.3. Soaristæ possent recurrere ad ordinem intentionis, & executionis, impugnatum cert.1. quæ præterea locum hic minus habent quia ex intentione mortis Christi nequit Deus moueri ad ponenda auxilia, quibus mors ex parte actus primi impediatur: quemadmodum nemo nisi vesanus ex finis intentione efficaci, media ad oppositum apponere potest.

Dices intentam fuisse efficaciter à Deo, vt liberè ab hominibus patrandam: ad quod auxilia retrahentia homines ab illa perpetranda media necessaria sunt. Absurdior solutio. Cædes enim Christi, vt liberè patrata ab hominibus, peccatum est, quod ne inefficaciter quidem à Deo potest intendi. Vasquez d. 13. num. 24. & Luis Tornes aiunt auxilia illa data illis fuisse ob merita Christi, non consummata per mortem, sed per tolerantiam opprobriorum, quæ decursu passionis fuerunt in Christum iactata. Sed solutio hæc difficultatis meru frontem contra receptam à reliquis Theologis sententiam (de consummatione meritorum Christi per eius mortem respectu gratiæ datæ hominibus cunctis, quæ redemptionis est) perfricuit: nec difficultatem sustulit, sed aliò transtulit. Etenim tolerantia meritoria opprobriorum non est nisi liberè ab illis hominibus iactatorum: aliter enim opprobria non sunt: Vt autem liberè iactarentur in Christum, gratia ab eis retrahens æque atque crucifigentibus ac cædentibus ex Christi meritis conuitiatoribus adfuit.

2 Audiui alios respondentes machinantibus, & perpetrantibus Christi cædem, vt illa abstinerent, datum esse solum minimum cogitationis, quod debitum naturæ rationali est, ac proinde non gratiam, nec ex meritis Christi datam; quare difficultatem cessare, quia falsum supponit. Hæc etiam solutio contra communem Theologorum soluit pudorem: docérque, quod, adhuc admisso minimum cogitationis sanctæ gratiam non esse, & tamen illo vitari posse antecedenter mortale in omnibus sacrilegum illud facinus perpetrarunt defendi non posset. Etenim Pilati intensam, vividámque, ac perfectam peccati, quod in tradendo Christum voluntati Iudæorum, damnandóque illum cruce, & morte

morte committebat, habuisse, nec solum cogitationem minimam ac remissam, certum ex Euangelio est. Tertio: incertum est minimum intensiuè cogitationis sanctæ, sicut & cuiusvis alterius dari posse, imo in horum opinione certum dari non posse. Etenim continuum ex infinitis partibus proportionalibus respondentes componebant; in ea autem opinione nil aliquotum, siue determinatum, (quod solum produci à Deo potest) quantumuis duri minimũ siue intensiuè, siue extensiuè produci valet, quominus & remissius produci non possit: ergo nulla à Deo remissa cogitatio dari potuit hominibus illis, quæ minima omnium possibilium sit: ac proinde, quæ non fuerit gratia per Christum, indebitáque naturæ rationali eorum. Quartò sit minimum cogitationis sanctæ retrahentis à peccato, possibile: an id naturæ rationali creationis iure debeatur, an sit naturæ indebitum, gratiáque Dei peccato deperdita ac per Christi merita, & redemptionem hominibus cunctis, quare, & machinantibus ac perpetrantibus Christi necem restituta? adhuc sub iudice lis est.

3 Gaspar Hurt. d.14.dif.14.§. *& ob similem rationem* respondet Christi tolerantiam, & mortem, quibus eius merita ad omnem redemptionis gratiam consummata sunt, non supposuisse auxilia gratiæ eam molientibus, & exequentibus data, quia mors secundùm se eiúsque acceptatio, & tolerantia à cogitatione eam illis dissuadente, & potiùs impediente, quàm expediente, minimè pendebat; si autem mors secundùm se, eiúsque acceptatio, & tolerantia, quibus, vt sic, merita Christi ad omnem redemptionis gratiam consummata fuere, auxilia gratiæ illis hominibus data non supponebant, sine vlla repugnantia mutuæ prioritatis naturæ dari illis auxilia eiusmodi potuerunt, datáque vt, communis sententia fert, ex meritis Christi de facto sunt. Cæterùm quæ actiuitatem virtutémque in actu primo impediunt, se etiam ex parte actus primi tenere debent, ac pro illo signo naturæ adsunt, ad illúdque expectant: quia contrarij vires imminuunt, atque in actu primo debilitant. Cum ergo sancta cogitatio, seu gratiæ auxilia àpatrandâ Christi morte homines illos retraherent, cogitationem oppositam eosdem in tantum facinus inducentem in actu primo impedirent, ne eos præcipites in illud ageret, ex parte actus primi supponenda pro priori naturæ ad mortem atque eius physicam tolerantiam sunt.

Contra secundò: non præcedant auxilia mortem physicam, eiúsque in Christo tolerantiam, qua, vt sic, merita redemptoria Christi consummentur: ast mors physicè pro priori naturæ reali ea gratiæ auxilia antecessit: ergo non fuere data eiusmodi auxilia retrahentia homines illos à morte Christi patranda, vt scilicet facinus immane vitarent; Patet consequentia: nam mors pro priori naturæ executa, & vt talis, præuisa est impossibilis vitatu; ergo ex ea sic præuisa non magis, vt vitaretur dari auxilia possent, quàm dari possunt, vt fiat aliquid chymericum, & impossibile, ast ad impossibile patrandum nequeunt dari auxilia: ergo nec molientibus, & exequentibus mortem dari potuerunt auxilia, nisi pro priori naturæ ad eorum physicam molitionem, & executionem donarentur.

4 Hoc argumento coram imperitus Hurtado aiebat Christum Deúmque in morte ipsius appetiisse non molientium & exequentium actiones, quas, vt pote iniquas & pessimas in genere moris vterque oderat pessimè; sed solùm Christi passionem, & tolerantiam, quæ bona, honesta, ac valdè meritoria erat, eáque, vt à Christo tolerata merita ipsius consummata fuisse redemptoriè, gratiámque molientibus & patrantibus ipsam fuisse promeritum. Sed contra; quia ante physicam mortem, quâ sublatâ physicè merita consummata non essent, physica perditorum illorum hominum actio naturâ præcessit, non quidem à Deo intenta (quod ad prioritatem, in qua est difficultas, refert parùm) sed permissa. Secundò non potuit tolerantia mortis Christi eiúsque passio esse pro priori naturæ ad meritorum eius pro gratia redemptionis consummationem, quin, & actio per agentium mortem pro naturæ priori ad eius consummationem supponeretur, cum occidere, & occidi, interficere, & interfici, re ipsa, imò & formaliter idem sint, solúmque voce differant tenùs: ac proinde actio, & passio grammaticaliter solùm diuisæ sint. Si ergo, & occidentium actio, & mors ipsa in facto esse exercita siue executa, præcedit præuidetúrque ante auxiliorum retrahentium collationem, quomodo, vt eius patratores eam non patrent, pro posteriori dabuntur, quin dentur ad impossibile, vt secundo loco arguebam.

Tertiò efficaciùs argumentor ab absurdo; quia, si cogitationes, siue auxilia homines illos à morte patranda retrahentia data illis non sunt, sed pro posteriori naturæ ad eorum patrationem, ac mortem executam toleratámque: cum illis ipsis auxiliis eorum libertas ad eam patrandam mortem pro priori naturæ constitui deberet, vt libera ipsis ac peccaminosa eiusmodi patratio foret: fiet sane, nec mortem Christi molientes, patrantes, & exequentes in eius patratione liberè fuisse operatos, quare nec in ea peccasse: quod est erroneum, dicente Christo, maius peccatum habuisse, qui ipsum & Pharisæis, & Pilato tradidit: vbi eos omnes eâ in re declarat peccatores fuisse: Iudam autem iniquissimum.

CERTAMEN II.

Nostra eáque solidior proposita difficultatis satisfactio.

1 SOlidiùs ergo & veriùs difficultas proposita à nobis expeditur. Dicimus enim duplici decreto, causáque adæquata mortis suæ occisum esse Christum: altero quidem independenti à patrantibus eius mortem, quâ viâ occisus consummauit merita respectu gratiæ redemptionis dandæ crucifigentibus, vt à morte patranda abstinerent: altero verò dependenter à voluntate, & actione crucifigentium mortémque Christi patrantium. Morte igitur independenter ab hominum illorum actionibus causata, consummata Christi merita sunt, sícque præuisa illis auxilia gratiæ, quibus à tanto scelere retraherentur, à Deo obtinuerunt: quibus ipsi abutêtes liberè ac sceleste pro naturæ posteriori causas mortis eiusdem adæquatas adhibuerunt: quin inter mortem Christi, & gratiæ auxilia mutua esset prioritas, sicut de gratiâ progenitoribus datâ per Christi merita vt existentis decreto, & actione totali independenter à causis secundis philosophabamur. Ratio ex his quæ de facto fuerunt omnibus perspicua est. Etenim vt quæst. proximâ cert.5. a num.2. docebamus; is humanitati Christi dolor fuit de hominum peccatis, Deique offensis, eáque toto vitæ tempore tristitia, quæ ad eius interitionem latis supérque foret, ni miraculosè, & à causis secundis independenter à Deo conseruaretur, vt existeret. Huius ergo doloris exigentiæ atque acceptationi, & oblationi fui in mortem pro hominibus à Christo semper, sed in horto palam factæ illis verbis, *non sicut ego volo, sed sicut tu* ac rursus *non mea voluntas, sed tua fiat*, annuens Deus, decreuit Christum tali tempore mori suspensione concursus, quo miraculosè ab ipso contra doloris & tristitiæ impetum tandiu seruauerat, sícque præuisâ morte, & consummatione meritorum, exinde gratiæ auxilia sufficientia, Iudæis, Pilato, carnificibúsque distribuit, quibus possent à morte patranda detineri, si vellent; quibus tamen acceptis causas totales mortis

Pro illo eodem tempore futuræ ipsi applicuerunt, ac per summum scelus Christum necârunt.

2 Obiicies ergo: deficiente passione, & crucifixione à Iudæis, iudice, & tortoribus factâ Christus de facto obiisset. Patet; quia pro naturæ priori, vt eis donarentur auxilia mors supponitur aliunde facta absolutè: Confirmatur: quidquid à duplici causa totali fit, alterâ sublatâ absolutè perseuerare debet de facto; alioqui si alterâ deficiente deficit effectus, neutra causa totalis est. Respondetur distinguendo consequens, vi causalitatis, & influxus si prima causa maneret, sublatâ aliâ, concedo consequentiam; absolutè, nego consequentiam: quia aliunde potest esse connexio duplicis illius causalitatis totalis, vt alterâ positâ nequeat non esse & alia; & sublata altera, nequeat non & alia auferri; Nouit itaque Deus ac decreuit si ad exigentiam tristitiæ ac doloris Christi, eiúsque acceptationis anxiæque oblationis sui in mortem eam decerne, quam vt consummatiuam redemptionis, ac meritorum eius exopto, videóque executam, dabo auxilia gratiæ proditori, accusatori, iudici, & tortoribus, vt ab eius morte suo quisque gradu abstineant: vidit mortuum absolutè ex vi primi decreti, exindéque necessitate consequenti ea omnia auxilia data illis sunt, mórsque ab ipsis secundò causata, logica impossibilitate ea omnia non euenienti, ac mortis secundò ab eis non causandæ. Ast inquies: vt quid auxilia dabantur vt mortem vitarent, quam absolutè auxilia supponebant? Respondeo: non, vt absolutè vitarent mortem, sed ne ad eam concurrerent poneréntque re ipsa secundò; vt ipsi autem putabant primo.

3 Oppones secundò: mors Christi absolutè supponitur futura vi anterioris decreti, ante auxilia illis hominibus data, eorúmque actiones: ergo Iudæi, Pilatus, & crucifigentes non occiderunt Christum; quod est apertè contra Scripturam. Patet consequentia. Nam occisio essentiâ suâ supponit viuum eum, qui ipsa occiditur, non mortuum: atqui per nos actiones omnes parrantium, atque exequentium Christi mortem supposuerunt naturâ Christum mortuum, non viuum: ergo non fuerunt propriè occisiones Christi: ergo, qui eas exhibuerunt, non occiderunt Christum. Nego primam consequentiam ad cuius probationem distinguo maiorem: supponit naturâ viuum ac non mortuum occidendum, nego maiorem; tempore supponit, concedo maiorem. Et admissâ minori, nego consequentiam. Ratio est prona quia ad mortem solùm supponitur vita tanquam terminus à quo, quasi mutationis à vita ad mortem, qui terminus mutationis nusquam nisi tempore præcedit; Sin ostendant, quo causæ genere vita in viuentis mortem influere debeat? aut quomodo mors ad viuentis generationem (cuius eadem est ratio) concurrat.

At inquies, Christi oblatio in mortem supponebat malitiam ac determinationem Iudæorum de eius occisione ac proinde & auxilia data, ne eum occidere decernerent: ergo non citatur mutua prioritas cum hæc oblatio decretum primum de morte Christi antecesserit per nos. Antecedens videtur apertum apud Euangelium Ioannis. *sciens Iesus quia venit hora eius.* Atque illis etiam verbis: *desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Nego antecedens. Licèt enim eam scientiam absolutam de sua passione, & morte, nec solùm tunc, sed ab initio conceptionis suæ Christus haberet, rectéque asserat Ioannes; at se ex illa scientia Patri in mortem obtulisse, nec Ioannes dicet, nec est admittendum, sed solùm ex scientia conditionata mortis à Patre decernendæ si se offerret. Esto: cum se à Iudæis vltrò occidendum occurrit seséque obtulit, ex scientia determinationis eorum sese obtulerit; sed eâ ratione ipsorum auxilia, ne mortem patrarent, non præcessit.

Denique instabis, dolorem, & tristitiam quæ primum illud decretum anteiére, fuisse de peccatis omnibus futuris, inter quæ erant crucifigentium; vnde mutua prioritas infertur, quam vitare conamur. Sed respondeo fuisse de omnibus aliis, non de crucifigentium, mortémque patrantium, licet eorum etiam dolorem, & tristitiam haberet: ast cum in dolore aliorum satis ad mortem esset, eorum solùm dolor attentus ad decernendam suspensionem conuersus fuit.

DISPVTATIO III.

De Christi Domini satisfactione.

BLONGAM alij hac de re disputationem texunt, quia, vt paucula controuersia de satisfactione huc remissa tradant, alia omnia repetenda hic sunt, Nos verò, qui nil ibi, quod ad satisfactionem spectet omisimus sed rem totam absoluimus, breui præsentem disputationem expediemus duabus nempè breuiculis quæstionibus. Prima erit, quonam Christus Dominus satisfecerit? secunda ex qua virtute fecerit pro omnibus satis.

QVÆSTIO I.

Quonam Christus pro omnibus satisfecerit?

DE duobus quæstio esse potest, an vtroque, vel altero Christus pro omnibus satisfecerit: nempè de meritoriis ipsius operibus déque reipsa oblata, puta, vitâ Deo à Christo oblata, per mortem, sanguine per verbera, ac similibus.

CETARMEN I.

Meritis suis Christus dominus pro omnibus satisfecit superabundanter, at nostra à Deo opera non excluſit.

2 Dico primò: Christus suis meritoriis operibus pro omnibus superabundanter satisfecit. Est Patrum omnium communis conclusio Catholicis omnibus, imò & hæreticis indubitata, sæpissimè in Scriptura, tum nouâ, tum veteri expressa, Paulo præsertim tertio quoque Verbo inculcata. Idcirco testimoniis Scripturæ, & Patrum recitandis, doctoribúsque Theologis recensendis, vti superfluo labore, abstinebo: cum vno verbo referri pro ea omnes possint. Ratio Theologica ad manum cuique est. Cum enim disp. 1. q. 1. ostenderimus quodvis Christi meritum infinitum simpliciter esse: atque de ratione meriti infiniti simpliciter sit præmium omne possibile mereri: insuper omnium peccatorum remissio, tam quoad culpam, quàm quoad offensam (etsi hæc à culpa & malitia diuersa esse admittatur) & quoad omnia merita ex illis contracta, sit præmium possibile respectu Christi Domini, qui, vtpote nostri omnium caput, eorum remissione potest in omnibus præmiari: ergo vnico solùm actu meritorio eam nobis cunctis remissionem, non solùm condignè, vt nulla ipsi à Deo fieret gratuita liberalis donatio, sed superabundanter: siquidem, nec omnes possibiles remissiones datæ de facto sunt, nec si darentur illius vnici actus meritum æquarent, nedum excederent. Quòd si vnico actus superabun-

superabundanter etiam, pro omnibus satisfecit ob cuiusque meritiuum valorem infinitum, quid de satisfactione per infinitos penè actus meritorios ab instanti conceptionis ad vitæ vltimum continuò nocte diéque, in somno, ac vigilia ab ipso elicito dicemus? temperamento sanè opus est, ne tanta exhibita meritiua satisfactione, otio nos ac somno solui posse cum hæreticis credamus.

2 Dico secundò. Meritiua Christi satisfactio merita & studia nostra honesta non excludit; est Catholicorum omnium conclusio contra proximi & præsentis sæculi nouatores, Lutheranos, Caluinistas, & alios, qui redemptionem Christi peccandi copiam sibi esse impiè volunt, ac perditæ suæ vitæ thesseram credunt, & clamant. Probatur conclusio ex Vasquez d. 4. Soar. d. 4. sect. 5. §. *ex his ergo, quæ in genere*: quia satisfactio meritoria Christi seipsa extinctiua formaliter debiti ac peccatorum nostrorum non est, imò nec esse potest: ergo non est necessariò eorum satisfactiua, nisi Deum cogat exactiuè, aut actiuè, vt remittat. Probo consequentiam; quod enim formalis satisfactio non est, potest cum debito & peccato consistere: ergo nisi aliunde, exactiuè videlicet, aut actiuè Deum cogat, vt remittat, debitum peccati peccatúmque in ipsum absolutè cum illo consistere poterit. Si autem potest absolutè consistere, ac proinde nostrum studium atque opus locum etiam habere potest, posita Christi redemptione, vt à peccatis de facto, eorúmque debitis liberemur, gloriosius Deo Christóque ita nos meritis suis redimere ac pro peccatis nostris satisfacere, vt studio nostrísque bonis operibus locus daretur, quàm vt nostrum studium bonáque opera prorsus excluderentur ad consequendum, omnem redemptionis illius fructum. Erenim primo modo ea solùm nobis ex meritis Christi donarentur, quibus nos propria industria, & laudabilitate accedente honestè viueremus salutémque, & gloriam assequeremur: ac proinde primo redemptionis genere Christus honestæ ac sanctæ reipublicæ author suis meritis extiterit; secundo autem redimendi modo, qui nostra opera excluderet, perditorum hominum, ac flagitiosorum author fuisset; siquidem redemptionis securitas delinquendi faceret hominibus facultatè, vt proh dolor in hæreticis, qui ita opinantur, experimur. At quis dubitet Deo gloriosius esse ac Christo, proborum hominum authorem esse, quàm perditorum: nobis item sanctos ex Christi meritis esse, proprióque simul merito ac labore pio beatos quàm perditos, ac prauos felices.

3 In antecedenti primo, ex quo discursus noster pendet fundando Vasquez & Soar. strenuè laborarunt. Etenim, vt ex aliqua actione formaliter tollatur denominatio, seu moralis effectus fundatus in alia, debet inter vtramque formalis oppositio intercedere, vt mille, imò omnibus exemplis in materia ablationis formalis denominationis, seu effectus moralis fundati in actione aliqua per aliam, manifestum est: atqui meritoria Christi operatio formaliter non opponitur actioni nostræ peccaminosæ, in qua fundatur denominatio atque effectus moralis peccati, & debiti ex illo contracti: ergo meritoria operatione Christi non tollitur formaliter peccatum, eiúsque debitum: quare, nec est formalis nostrorum peccatorum, atque ex eis ortorum debitorum satisfactio. Patet consequentia hæc; quia solum quod formaliter tollit peccatum eiúsque debita, est eorum formalis satisfactio, vnde infertur, nec esse posse formalem satisfactionem pro nostris peccatis merita Christi secundum se precisè: quia formalis effectus formæ, ex intrinseco & essentiâ formæ prouenit ineuitabiliter. Quare, quod semel positum formalem effectum non præstat, secundum se præstare illud non valet. Minor primi syllogismi probatur. Nam oppositio formalis solum est inter formas respectu eiusdem subiecti: atqui subiectum actionis meritoriæ Christi Christus est, meæ, verò actionis peccaminosæ ego, & sic in aliis hominibus, qui omnes diuersi reipsa à Christo sumus: ergo inter actionem meritoriam Christi & actionem nostram peccaminosam, non est oppositio formalis. Confirmo; quia dignitas & præmium ex opere meritorio solùm prouenit subiecto operanti, quamuis alter mercedem recipiat pro operante, non tamen laudabilis ob eius actionem est, sed solùm vsufructuarius eorum, quæ alterius laudabilitati, ac merito à quo se abdicare nequit, debentur. Ergo tota dignitas meritoria Christi, respectu gratiæ remissionis peccatorum, ac gloriæ ita in Christo est, vt in homines nec transferatur, nec transferri possit: etiam dum eius titulo gratiæ auxilia à Deo recipiunt: ergo indignitas peccatorum nostrorum stare potest in nobis, stante dignitate meritoria suorum operum in Christo: ergo non opponuntur formaliter.

4 Quòd autem nec actiuè, nec exactiuè inducat necessariò meritum & redemptio Christi remissionem nostrorum peccatorum ac debitorum, quæ ab illa contraximus, Probatur facilè. Primò ab absurdo: quia, si ita res esset, infernus pro hominibus puniendis negandus foret afferendúmque neminem ob sua peccata, inferno damnandum: imò nec temporalibus pœnis multandum, sine Dei crudelitate ac duritie voluntariâ. Quid enim boni, & æqui in aliqua hominum punitione esset pro peccatis, pro quibus satisfactionem necessariam, quámque nequeat non admittere, recipit. Secundò probatur: quia oblata solutione, seu valore (in quouis genere sit) personæ offensæ, seu iudici ab alio pro reo, seu offendente, etsi valor ab alio oblatus, longe sit maior illo, quem reus, vel offendens debet exhibere: integrum iudicis vel personæ offensæ est, illud pro reo vel offendente in solutionem, seu satisfactionem admittere vel secùs, quin vel reo, vel offerenti iniuria fiat: ergo, licet meritorius Christi valor, quo pro nobis satisfecit, longè maior sit malitia, & demerito ac debito omnium hominum peccatorum, & etiam possibilium, vt verè infinitè maior est Deo iudici, &, si placet, etiam specialiter à nobis offenso per delicta nostra, integrum erit illa pro delictis mundi in nostri omnium satisfactionem acceptare vel non acceptare absque vllâ nobis vel Christo exhibenti iniuria arrogata: eo precisè quod sit alterius ac non delinquentium ipsorum solutio, & satisfactio: ergo merita Christi nec sunt se ipsis formalis satisfactio, & remissio nostrorum delictorum, nec eam necessariò inferunt. Quare eis positis liberè atque cum honestate summa potest Deus nostrorum delictorum offensas, ac debita remittere absolutè, vel non remittere: quare & sic velle eas remittere & aboleri, vt nostra industria bonúsque vsus gratiæ intercedat. Id quod nescio, quâ ad suos errores consequentiâ præfati hæretici negent: cum ad eorum omnium remissionem fidem in Christum, quam sufficere docent, requirant: quæ, nisi ipsorum sit, bona honestáque fides hominum est. Eam autem fidem sufficere, qui alter eorum error est, impugnauimus satis controu. de gratia iustificante. Legat, qui volet ea de re, Maldonatum nostrum sæpe doctissimis commentariis in Euangelia disputantem, præsertim ad illa Math. verba *Videns Iesus fidem eorum ait paralytico: remittuntur tibi peccata tua.* Vbi, quàm extra rem hoc, & alia Euangelij testimonia pro suo errore ab hæreticis inducantur, doctè, & subtiliter demonstrat.

5 At dices. Nequit Deus remittere peccatum Petri ob merita iusti alterius, quia maior est indignitas Petri visque meritiua delicti, quam vis meritiua operis meritorij: atqui maior est excessus dignitatis Christi, valorisque meritiui suorum operum pro nobis satisfacientium, respectu indignitatis delinquentium hominum valorisque demeritorij peccatorum: ergo hoc posito non poterit Deus peccata & debita detinere ac non remittere, teneréve à gratiæ & gloriæ donatione, ac remissione peccatorum, & debitorum ex illis. Probatur

batur consequentia ac simul confirmatur hæc ratio à priori quia posito contrario debiliori in conspectu fortioris, nequit non fortiori effectus decerni victoriáque à Deo addici: ergo posito infinities fortiori, maioríque valore, & exigentia meritiua, & satisfactoria operum Christi, nequit non contra minorem debiliorémque exigentiam demeritiuam peccatorum etiam omnium prævalere, & remitti à Deo peccata, eorúmque debita omnia.

Recentiores Complutenses ex Lorca d.8.num.25.&, vt putant, ex Anselmo.2.*cur Deus homo* c. 19. aiunt respectu eorum, quibus efficaciter merita sua Christus applicuit, tenere consequentiam, sed quatenus ex valore meritiuo est, cum aliis sufficiens applicatio Christi non desit, in omnibus, æque, vel negandum vel admittendum videtur. Admisso igitur antecedenti negant secundò ijdem consequentiam; ea tamen doctrina qua subiungendis ab ipsis instantiis locum potius quàm solutioni faciant. Respondemus nos primò negando antecedens; tum quia iustum posse de condigno gratiam peccatori mereri ostendimus contr.2.d.q. tum etiam, quia licet solum posset mereri illam de congruo peccatori, ast sæpe hoc solùm merito posito contra peccatoris indignitatem prævaluit, vt ipsi gratia ob iusti alterius merita daretur, vt Saulo ob Stephani merita fatentur Patres, & Scolastici. Ratio est: quia merita, vel demerita nulla ita Deum cogunt, vt quod exigunt negare vel concedere integrum ipsi non sit, ac cui velit exigentiæ maiori, vel minori annuere supremi sui erga creata omnia iure. Vnde constat falsum esse confirmationis à priori antecedens; licet enim regulato decreto ex sola exigentia creata verum sit, ast cum posset illam Deus honestissimè, ac sine creaturarum iniuria negligere, est absolutè falsum.

CERTAMEN II.

Re etiam oblata, Christus pro omnium peccatis satisfecit.

1 Est conclusio expressa nostri Vuadingo d.4.dub. 10.num.134. in eámque inclinat Soar.d.15.sect. 6. §. *sed responderi possit.* Licet autem non sit a Deo communis Theologis cæteris, eam tamen amplectimur, quia videtur Scripturæ, & Patribus conformior. Probatur 1. ex 1.Petri.1. *Non corruptibilibus auro, & argento sed pretioso sanguine agni immaculati redempti estis*: ad Ephes. 1. *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* At inquit Vasquez d. 36.c.6. hæc de sanguine non secundùm se sumpto, sed, vt meritoriè effuso, esse intelligenda, vt videtur innuere August. 13.de Trinitate dicens: *sanguis ille quoniam eius erat, qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum.* Ac Leo. Pap. serm. 12. de Pasch. c. 13. *effusio sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium, tam dines ad pretium*, sed certè nil in his est, quod meriti valorem ad valoris redemptorij vim in sanguine à Christo necessarium sonet; quin, dum dignitatem, & sanctitatem fundentis ex vnione hypostatica memorant sanguinis ipsius, hypostaticè etiam vniti valorem redemptorium potiùs declarant. Secundò illius hæc verba sonarent: non tamen aliunde valorem sanguini, quam ex merito, negant: quare argumentum ex his patribus negatiuum solùm esset: videlicet valde infirmum. Maximè, cum Augustinus infrà citandus in sanguine ipso effuso valorem redemptorium recognoscat. Tertiò: in primo Petri testimonio valori auri, & argenti, qui independens est à merito soluentis, ac redimentis, sanguinis Christi redemptorius valor comparatur, & præfertur. Secundo verò testimonio Pauli per sanguinem Christi redemptionem haberi nulla meritorum eius monitione facta dicitur. Consonat idem Paulus sibi dicens, tam ibi quàm ad Colloss. 2. & ad Rom.3. *Redemptos nos esse per fidem in sanguine ipsius.* Adde Lucæ 22. *hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis effundetur*, quibus similia reliqui Euangelistæ tuncà Christo dicta retulerunt. Item 1. Ioann.1. *sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato.* Apocal. 7.de beatis dicitur *lauerunt ac dealbauerunt stolas suas in sanguine agni.* Si autem in sanguine ipso non esset valor satisfactorius, ac remissorius peccatorum, sed solùm in merito offerentis, minùs propriè sanguine ipso mundari, ac lauare, & dealbare stolas suas dicerentur iusti: ergo in ipso sanguine valor ille inesse censendus est, vt propriè accipiantur ea testimonia: maximè, cum propriè huic acceptioni nec Scriptura, nec Patres, nec firma vlla Theologica ratio aduersetur, sed potiùs faueant, vt iam ostendo.

2 Audiatur ex Patribus primo loco Augustinus serm. 128. de tempore, sic pro nostra conclusione locutus: *Pretium vitæ nostræ sanguis est Domini, & totius vitæ incolumitas sempiterna. Pecuniæ illæ totius mundi copiosa possessio est.* Quid clarius? valorē in sanguine sicut in pecunia independenter à merito offerentis recognoscit: sicut, & Leo extremis verbis illis à Vasquio oppositis, *tam dines ad pretium.* Sed, luculentiùs adhuc ad illa verba Psal.65.*Terribilis est super omnes Deos* in eandem sententiam scribit. *Queritis quid emerit? videte quid dederit, & inuenire quid emerit. Sanguis Christi pretium est: tanti quid valet? quid nisi totus orbis? quid nisi omnes gentes?* consonat Cyril. Alex. lib. de fide ad Regi. & Clemens 6. in extrauagan. *vnigenitus*, de penitent. & remissionibus qui nulla facta mentione meriti offerentis in sanguine Christi, imo in quanis eius minima guttula superabundans etiam redemptionis nostræ pretium recognoscunt.

Accedit quod Theologi illius ætatis famosiores coram Pio. II. disputantes contra Durandum & alios, qui negabant sanguinem Christi vnitum hypostaticè Verbo fuisse, vnitum fuisse probabant, quia ex citatis Scripturæ locis in illo fuit nostræ redemptionis pretium: atqui, si solùm actione meriti offerentis tantùm; & non in sanguine ipso, valorem recognoscerent, malè inde inferrent vnionem eius hypostaticam cum Verbo: nam, etsi offerretur aliquid non vnitum hypostaticè v.g.eleemosynam in illo ratione meriti offerentis pretium redemptionis esset; ergo consent in ipso sanguine esse, asserique ab Scriptura, & Patribus, pretium redemptionis nostræ, quod nisi ex dignitate vnionis hypostaticæ sanguini inesse non poterat: ac proinde bene ex pretio redemptionis nostræ in sanguine contento vnionem hypostaticam sanguinis Christi intulerunt. Ea verò disputatione, & argumento contra Durandum, & sequaces audita, Pius secundus eorum doctrinam damnauit, vt testis ocularis est Syluester in rosa aurea tract. 13. q.31. referúntque Dominicus de Dominicis quæstionibus Euangel. in Paschate & lib. de sanguine Christi, ac Director inquisitorum 2.p.q.10. Cum autem conclusio nostra, eius argumenti fuerit antecedens, probata etiam Pio. 2.fuit.

3 Denique audiendus est Paulus ad Hæbr. 9. non solùm conclusionem, sed & rationem eius prioris his verbis perstringés. *Si enim sanguis hyrci, atque Taurorum &c. quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram.* ac si diceret: si ex Dei pacto sanguis hyrcorum independenter à merito offerentis vim habebat, valorémque ad emendationem carnis, quanto magis vi vnionis hypostaticæ cum Deo, sanguis Christi vim habebit, & valorem emundandi conscientias nostras à peccatis independenter à merito Christi offerentis, & effundentis. Vbi non solùm argumentum à paritate continetur, sed à priori: quia ex vi vnionis hypostaticæ aduenit sanguini Christi à Deitate

Deitate valor infinitus, immensáque æstimabilitas, quæque totius mundi redemptionem æstimatione rationabili superet: non secus ac ob dignitatē operantis Christi ipsius operibus infinitus accrescit valor: ergo opus non habet sanguis Christi merito offerentis, & effundentis, vt sit superabundans pretium redemptionis; sicut, nec merita Christi alio egent: ergo re etiam oblata Christus nos redemit atque pro omnibus superabundanter satisfecit. Probatur secundo à pari: quia in Sacrificio Missæ independenter à merito offerentis, siue principalis Christi, qui nunc, cum offertur, nil meretur, siue sacerdotis, qui nil sæpe, parumue meretur infinitus est valor ex parte rei oblatæ: quia eo incruenter immolatur caro, sanguis, vtraque Christi ratione vnionis hypostaticæ infinitè digna: ergo, cum hæc eadem cruentè à Christo offerebantur, infinitus in eorum oblatione ex parte rei oblatæ atque independenter à merito offerentis inerat ad redemptionem, & satisfactionem, valor.

4 Opponit Vasquez: ergo Christus effusis lacrymis ex parte rei oblatæ æque nos redemit: cum tamen Scriptura, & Patres omnes sanguine Christi nos redemptos clament, nusquam verò iis edemptos dicant. Respondetur, atriùs obiectione hac impeti obiectantem. Etenim valor meritorius æquè est in effusione lacrymarum Christi atque in sanguinis ipsius effusione: quare de redemptione, & satisfactione meritoria eodem modo de vtriusque effusione loqui deberent: ergo obiectio hæc probat potiùs in sanguinis Christi effusione, ex parte rei oblatæ esse redemptionem, & satisfactionem, non autem in lachrymarum, effusione, quia humor ille aqueus lachrymationi inseruiens, vel vnitus hypostaticè non fuit (vt verius puto, nequod semel assumptum est, fuerit aliquando dimissum) vel vbi primum est effusus vnitus non permansit: in his autem, quæ oblatione ipsa non pereunt, vt valor, & pretium ex parte rei oblatæ adsit oportet, vt post oblationem perseueret; non perseuerauit autem, in lachrymis oblatis, & effusis, cum vnio ipsa effusione earum cessarit. In his autem quæ oblatione ipsa pereunt, vt vita, sicut non requiritur, vt existant cum offeruntur, sed, quod in eius, cui offeruntur, obsequium pereant, opus non est, vt valor, & pretiositas eorum, quæ sine ipsis esse non potest, perseueret: sed quod totum à Deo antea pretiosum in eius voluptatem profundatur.

5 Acutiùs obiecit sibi Vuadingo. ergo cum Deipara puerum præsentauit in Templo, ex parte rei oblatæ mundum redemit, & pro omnibus satisfecit: cùm puer oblatus ob hypostaticam vnionem infiniti valoris esset. Respondet autem optimè, vt aliquis re oblata satisfaciat non esse satis rem oblatam æquare, imò excedere satisfactionem, sed esse ex rebus sui Domini; Deipara autem in puerum oblatum Dominum non habuit vnquam, quin potiùs semper sub eius dominio fuit. Patet id quidem exemplo. Etsi enim alius dicat debitori: solue ex mea pecunia tuo creditori, ni pecuniæ dominium in ipsum transferat, sed is alterius pecunia ex eius voluntate, & iussu soluerit, non ipse sed alius, cuius pecunia est, soluit, & satisfacit. Sic Deipara è pueri voluntate & iussu filium Templo & Deo offerens, etiam pro sui, & aliorum hominum redemptione, & satisfactione non illa, sed puer ipse re oblata nos cunc redemisse, ac pro omnibus satisfecisse dicendus est.

At dices; quidnam Deo datur, offerturve, de quo denuò complaceat, & quod non habeat, effusione sanguinis Christi, si actionem meritoriam deducas qua gratum denuo obiectum exhibeatur? cuique debeat suo modo gratitudinem? Sed rogabo quidnam Deo, quod non habeat, nouáue materia iucunditatis gratitudinisque Deo sit, offeratúrue in Missæ sacrificio? nam Christus incruentè oblatus, mortísque eius merita iam habebat; repetitione igitur oblationis eorum, quæ semel habuit, hic complacet: ibi vero oblatione prima.

QVÆSTIO II.

Ex qua virtute Christus satisfecerit.

Vplicem satisfactionem Christi pro nobis asseruimus proximè, & per merita, & per rem oblatam, de vtráque ergo inquiritur ex qua virtute fuerit?

CERTAMEN I.

Re oblata ex nulla virtute Christus satisfecit formaliter, secus materialiter.

1 Diximus Re oblata Christum Dominum satisfecisse quod tamen ita intelligendum non est, vt satisfactio hæc liberam rei illius, scilicet sanguinis, ac vitæ profusæ à Christo exhibitionem excludat. Etenim satisfactio non solùm dicit rei, quâ satis fit, valorem, debito æqualem, sed eius, qui eā satisfacit, spontaneam, liberámque creditori exhibitionem. Vt enim supra aduertebamus, cum ab inuito & nolenti Prætor tantundem pecuniæ extorquet, quantum satis est ad compensandum creditori, idque creditori tradidit in compensationem, debitor non satisfacit, licet, ex eius pecunia satisfactum fuerit per Prætorem ac proinde, & debitum extinctum. Vt ergo Christus, re etiam oblata vitæ ac sanguinis effusione pro nobis satisfecerit, opus est vt spontaneè, ac liberè vitam, & sanguinem suum Deo obtulerit, atque in ipsius obsequium effuderit. Cum autē infinitam eius sanctitatem deceret, nil liberè, nisi laudabiliter, & honestè, ac meritoriè in ipso exerceri, in ea Sanguinis vitæque suæ oblatione ex virtute fuisse, ac non sine merito operarum citra dubium est. Hinc videtur Christum, re etiam oblata, non nisi ex virtute aliqua satisfeciſse: ac proinde, ex quâ demum, re etiam oblata, Deo pro nobis omnibus satisfecerit, inquirendum merito esse.

Dico primò tamen. Re oblata ex nulla virtute Christus formaliter satisfecit. Nullos habet conclusio, siue aduersarios, siue Patronos: quia satisfactio hæc Christi per rem oblatam non adeò minutè explorata à Theologis, etiam pauculis, eius assertoribus fuit. Ratio est ex ipsa conclusione & satisfactione Christi, re etiam oblatá, satis proclivis; siquidem, vt re oblata fiat satisfactio debet esse in ipsa quantum satis sit, vt debito, pro quo satis fit, fiat satis, quin, vt ipsa fiat debito satis, aduocanda sit virtus, ac valor meritorius actionis, qua res ipsa debito æqualis exhibetur à satisfaciente: imò, quin aduocari possit aut debeat. Etenim, si aduocari debeat res oblata, adæquata compensatio debiti illius non est, aut poterit non esse: quod implicat cum suppositione, quòd seipsa, nimirum res oblata, æqua compensatio sit. Hinc, qui debet centum eo præcisè, quod sponte ac liberè centum creditori appendit, re appensa, & oblata satisfacit, ex quocumque fine appendat, vel indifferenti, vel turpi, vel honesto. Quin quotidie videmus debitorem creditori soluere, non ex iustitiæ amore, sed inanis gloriæ, vel inimicitiæ gratia, vt eum postmodum liberius insectetur, quin eo à perfecta solutione satisfactionéque debiti per rem exhibitam solutio decidat. Quod si ex beneuolentia creditoris soluat, aut ex misericordia, vt eius necessitatem subleuet, adiungetur meritum cum satisfactione, siue actione satisfactiua soluentis, per accidens tamen ad satisfactionem pecuniariam, eo quod in hanc minimè ingrediatur. Cum

ergo in re per Christum oblata secundùm se superabundans redemptionis pretium esse statuerimus, licet in libera eius actione ad satisfactionem ab ipso faciendam necessaria & honestas, & meritum, finisque virtutis adsit; ast satisfactionem non ingreditur illam, nec quia ex fine honesto est effusio sanguinis, ac vitæ, quæ secundùm se satisfacere formaliter possunt.

3 Dico secundò: Satisfactio Christi, etiam re oblata, materialiter fuit ex fine aliquo honesto, ac proinde honesta, & meritoria. Hoc solùm probat difficultas proposita num. 1. fine, & explicata sub finem numeri 2. Etenim, cum ad Christi satisfactionem non solùm per meritum, sed per rem etiam oblatam, libera Christi oblatio effusióque vitæ, & sanguinis requiratur nuliáque libera Christi actio quæ non sit ex fine honesto laudabilis, & meritoria esse possit, sine infinitæ suæ sanctitatis præiudicio: fit, vt actio satisfactoria Christi, etiam per rem oblatam necessariò sit ex honesto fine: quare, & coniuncta honestati, & merito Christi, licet res oblata, & actio formaliter ad illam requisita satisfactio non sint, sed materialiter solùm merito, & honestati, ex probo fine desumptis coniunctæ.

Sed tamen quis fuerit eius satisfactionis materialiter honestæ finis non satis inter doctores conuenit. Tot enim opiniones erunt, quot statim de satisfactione meritoriâ agentes referemus. Quòd autem satisfactio hæc ex iustitiæ, vel quasi iustitiæ fine fuerit, videtur vrgentius, quàm de satisfactione meritiua, suaderi. Nam, si Christus re oblata, tanquam pecunia, & pretio dato satisfacit honestè, non ex alio fine honesto quàm satisfaciendi, videtur egisse, Deíque placandi, & hominum liberandorum fine, & amore. In hoc autem difficultates de oratione, & gratitudine ad satisfaciendum pro anteactis hominibus videntur recrudescere, Nec enim re vtcumque creditori exhibitâ, fine applicatione speciali, ad hoc, vel illud debitum pro illis satisfacit: v.g. do centum aureos creditori Petri, qui debet viginti, & Ioannis, qui debet triginta: nisi ex illis, quos do, totidem pro Petri debito applicem, vt satisfaciam pro illo, totidémque pro Ioanne, nec satisfactio est nec debitum extinguo: ergo similiter in nostro casu.

4 Dico tamen tertiò: Vt satisfactio Christi re etiam oblata sit, opus non est vt fiat fine satisfaciendi Deo pro hominibus, nec speciali applicatione. Primum patet ex dictis num. 2. med. Nam satisfactio ex quocumque fine fiat, debitum extinguit æque, atque perfecta est satisfactio. Sed, nec applicatione speciali opus fuit in nostro casu; quia, sicut de meritis dicebamus Christi, nobis nimirum iure vnionis siue vnitatis moralis; quam Christus cum hominibus, vtpote eorum frater, & caput, habuit, eius merita seipsis ad præmium illorum recipiendum esse applicata, ita etiam, quidquid valoris satisfactorij & redemptiui in ipso est, vbi in Dei obsequium expenditur, nobis ad satisfactionem satis applicitum est, vt Deus ob illud debita cuncta hominibus remittere possit, ac gratiam, & gloriam bene illâ vtentibus impertiri. Quare ex quocumque fine honesto sanguinem vitámque profunderet, pro nobis fecisset satis. Nihilominùs applicatio non defuit, non tamen orationis, aut gratiarum actionis, sed solius finis satisfaciendi pro hominibus, eósque redimendi, non attendendo anteactorum præteritionem & aliorum futuritionem, dum sanguinem vitámque effudit. Ex quo Christi affectu, & rei exhibitione pro priori naturæ præuiso cunctis suo cuique tempore, gratiam Deus pro posteriori naturæ largitur, peccata remittit, gloriam donat, quin Christus pro antiquis orare, gratiásve agere teneatur.

CERTAMEN II.

Statuitur ex quâ virtute Christus meritoriè satisfecerit.

1 VSitatior, familiariórque Doctoribus est difficultas præsens, ex qua nimirum virtute Christus meritoriè satisfecerit? in qua longa satis est inter Vasquianos, & Soaristas disputatio: an ex virtute iustitiæ, afferentibus hisce, illis verò negantibus: quibus, & nos consensimus controu. 2. d.c. Sunt, qui putent pro antiquis gratiarum actione, ac proinde ex gratitudine, satisfeciſſe meritoriè, pro posteris verò oratione: quare, & ex virtute religionis; quem modum satisfaciendi, etiam pro antiquis locum habere putat Cardinalis Lugo ac proinde pro omnibus ex eadem satisfeciſſe virtute. Extremum hoc, imò & duo prima difficeri d. anteced. q. 4. ostendendo, vt merita Christi hominibus præsint. speciali applicatione ipsius opus non fuisse, sed ratione vnitatis moralis Christi capitis cum reliquis hominibus, suis videlicet fratribus, & membris, satis illis esse Christi merita applicata, vt eorum mercedem possint à Deo obtinere. Ex quo principio, & difficultas, & opiniones istæ generatim à fundamento eruuntur. Speciatim verò contra Lugo ostendi orationem pro re certò accepta esse non posse: quare, nec pro gratia, quæ certo data antiquis Patribus supponebatur videbatúrque à Christo. Applicationem pro hominibus futuris per orationem in Vasquianis, & Lugo reprehendi; quòd Christum pro omnibus futuris post ipsum hominibus orasse non satis constet, quæ hic perstrinxisse fuerit satis, vt inde ex religionis virtute Christum meritoriè pro omnibus satisfeciſſe non probari monstretur.

2 Ostendi etiam ibidem contra Vasquium, & asseclas non potuisse Christum anteactis hominibus gratiam ac peccatorum remissionem per gratiarum actionem mereri: vnde patet, nec ex gratitudine formali potuisse pro illis satisfacere, quin principium meriti sub meritum caderet, si ob meritum gratiarum actionis absolutè præuisum (quomodo, & Vasquez admittit, & solùm dari posset) gratia Antiquis data sit. Hic replicari possent solutiones ab aliis datæ pro merito Christi respectu gratiæ progenitorum, earúmque impugnationes: item solutio ex meritis per modum pretij, & solutionis. Sed hæc omnia, ita satis à nobis supra reiecta sunt, vt nouis impugnationibus non egeamus; solùm hic aduerterim doctrinam nostram, qua difficultatem de gratia progenitorum d. antecedenti componebam, de duplici actione totali existentiæ Christi, locum in merito & satisfactione Christi meritoria per gratiarum actionem pro gratia antiquorum Patrum non habere: quia per quamcumque actionem totalem Christus existens ad gratiarum actionem formalem supponatur, siue à causis naturalibus dependenter siue independenter, gratiarum actio supponere pro priori naturæ debet gratiam antiquis Patribus collatam, & executam. Quare, nisi arbitrariè, & sine fundamento actione secunda totali ob meritum gratiarum actionis gratiam antiquorum Patrum secundò productam asseras, mutuam inter hæc, & repugnantem prioritatem non effugies. Sed nec sic euacuabis difficultatem: quia quod semel præhabetur materia præmij non est.

3 Concludo igitur Christum meritoriè satisfeciſſe ex aliis omnibus virtutibus à gratitudine, quas perfectissimè suis actionibus ex proprio cuiusque motiuo exercuit, dum apud mortales vixit, vt supra satis à nobis ostensum est. Eis enim, & cunctis, & singulis infinito valore meritorio gratiam nobis, & remissionem peccatorum, non condignè solùm, sed supra condignum

condignum & superabundanter fuit promeritus: ac proinde, & meritoriè pro omnium peccatis satisfecit: qua in re neminem dissentientem vidi ex Recentioribus, imò nec ex antiquis, si Vasquium excipias, qui totus in gratiarum actione, & oratione est, nilque legi, quod conclusioni, vel leuiter, officiat solùm.

Obiici potest Christum id, in quod venit in mundum habere debuisse pro motiuo suarum actionum: cùm vt exactè opus suum, ac perfectè, peragereto: tum vt suam humanam voluntatem, nec solùm opera conformaret perfectissimè voluntati diuinæ, vt conformatum de humana testatus est sæpè: *in iis, quæ patris mei sunt oportet me esse.* Et iterum: *non veni, vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*: & pluries: At missus est, ac venit à Deo ex fine redemptionis, & satisfactionis pro hominibus: ergo is fuit ipsi omnium suarum actionum præstitutus finis ergo in nulla habuit pro fine aliarum virtutum specialeſ honestates: ergo nec vllam aliam intendit, siue exercuit præter ipsam, sed tanquam medium ad redemptionem, & satisfactionem intentam. Respondetur tamen: non posse ex fine redemptionis cæteras virtutes propter suam honestatem, vel quantum satis sit vt virtutes sint, à Christo Domino exerceri, cum in eis, vt talibus, sit meritum & satisfactio pro nobis. An verò ex affectu, & intentione eius finis imperatiuè, an verò motiuè solùm, difficultas est quæ ex aliis principiis pendet, quam hic examinare non expedit: cum satis ad obiectionem sit ex affectu redemptionis nostræ, cæterarum virtutum actus imperatos in Christo fuisse; quomodo vnaquæque propter ipsam exercebitur, etsi id ad virtutis cuiusque exercitium requiratur.

CONTROVERSIA SEPTIMA.

DE HONORARIIS CHRISTI, QVA hominis, dignitatibus.

IN honorariis Christi, quà hominis, dignitatibus numerantur hæc, Regnum, Dominiúmque in creata; Sacerdotium summum, siue spirituale regnum, Mediatoris officium, capitis dignitas, iudiciaria potestas, ac debita ipsi adoratio: quorum singula singulis exactè disputationibus absoluemus.

DISPVTATIO I.

De Regno, & Dominio hominis Christi, in creata reliqua.

CHristi regnum dominiúmque ex parte formæ ac dignitatis, multiplex considerari potest. Primò enim considerari potest Regnum ipsius diuinum quod ipsi, quà homo est, siue eius humanitati minimè conuenire, certum constánsque apud Theologos est. Licet enim Math. 28. num 18. etiam respectu humanitatis suæ dixerit, *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*: terminos potestatis suæ humanitatis datæ designat, non autem omnem potestatem, quæ in cœlo est, etiam diuinam, datam declarat. Imò solam spiritualis regni sui potestatem significasse concors Patrum sententia est. Ratio est ex dictis contr. 4. d. 2. perspicua; quia potestas, dignitásque Regia diuina est attributum diuinum commune methaphysicè consequens Deitatem Deúmque quà talem; nullum autem attributum diuinum commune suum effectum formalem, formalitatémve communicat humanitati, imò neque communicare potest, sed ei tantùm, qui reipsa Deitati identificatur. Quod secus habet in formalitatibus personalibus v.g. Paternitate, filiatione quæ humanitatẽ filiam denominatarque denominatiuè constituit.

At, inquies: humanitas est filia naturalis Dei: ergo iure filiationis naturalis Dei, quasi hæreditariè, competit ius ad Regiam potestatem Dei, bonáque omnia ipsius: vtarguebat adhuc ex filiatione nostrâ adoptiuâ paulus. *Si ergo filij, & hæredes, hæredes quidem Dei.* Sed Paulus bene infert supposita subiecti capacitate, nec ad omnia Dei ius hæreditarium concedit adoptiuis. Non est autem capacitas in humanitate Christi denominatiuè filia ad Regnum diuinum; quod indiuisibiliter est suprema potestas in creata omnia, atque in ipsammet humanitatem: respectu autem sui humanitas potestatem habere nequit; quare, nec diuinam, quæ essentialiter est potestas in illam. Solùm ergo disputari potest de Christi, quà hominis, Regno diuino, ac purè increato inferiori, seu, quod creatum absolutè est, licèt titulo vnionis habeatur. Hoc autem diuidi potest ex parte formæ in Regnum purè humanum, & humano superius; rursus humanum, ex parte materiæ, in particulare vnius vel plurium prouinciarum; & vniuersale totius orbis, saltim sublunaris. Primò igitur speciale Christi in Iudæos Regnum examinabimus. Secundò an habuerit regnum vniuersale humanis simile. Tertiò an humanis superius? Quartò de ipsius in creata Dominio.

QVÆSTIO I.

Habuerítne Christus homo speciale Iudæorum regnum, iúsve aliquod ad illud?

VOniam præcipuum hominis Christi ius ad Hæbreorum seu Iudæorum Regnum progenies ipsius ex Dauide iúsque ob illam hæreditarium esse posset Christi ex Dauide; generatio examinanda hic rigidè erit. Equidem Christum ex Dauid generatum constat ex vtráque Math. & Lucæ genealogia cap. 1. Romanorum 1. n. 3. & cap. 2. ad Thim. 2. num. 8. Id autem rursus ex vtroque parente reputatiuo nempe, Ioseph, & naturali, scilicet Maria, constat. Cùm enim Ioseph Dauid filius linea masculà fuerit, vt dicitur Math. & Lucæ 1. in genealogia: & rursus apud Math. num. 20. & Lucam num. 26. & cap. 2. num. 4. atque ex

Hæbreorum lege, de primogenitorum nuptiis, nonnisi fœminæ de sua tribu, & familia iungi matrimonio potuerit: manifestum est Mariam ipsi matrimonio adiunctam è tribu Iuda atque Dauidis familia extitisse. At verò, quá linea & loco? an per masculos an per fœminas primogenitas vt inde ius hæreditarium Regni Iudæorum Christo statuatur homini, vel negetur? Puræ diuinationis negotium Maldonado nostro visum est. Nobis autem examinandum in præsenti an ex Scriptura constet Christi Domini naturalis ex Dauide propagatio per Mariam, nec solùm putatiua per Ioseph: vt inde ad quæstionis decisionem maiori fundamento procedamus.

CERTAMEN I.

Naturalis Christi ex Dauide per Mariam propagatio constat ex Lucæ Genealogiâ.

NOster Vasquez t.2.3.p. d.127. cap. 4. doctissimúsque Maldonado ad Lucæ genealogiam docent non solùm à Math. sed à Lucâ Iosephi non Mariæ genealogiam describi, verùm à Mathæo naturales progenitores positos esse, à Luca verò legales. Quare nusquam ex Scriptura constare Christi ex Dauide per Mariam propagationem. Referunt pro hac opinione Patres plures quorum extitit dux antiquissimus Africanus epist. ad Aristidem relata ab Eusebio 1. hist. cap.6. & Nicephoro 1.hist. cap. 12. Subscripsere Nazian. carm. de Christi genealogia, Ambr.3. in Luc cap. 1. Aug. 2. q.Euangelicar.q.5. & 2.de consensu Euang. cap.2. & 3. Damasc.4. de fide c.15. longè ab initio S.Th.3. p.q.32. a.3. ad 2. Ait autem Africanus se eam expositionem duplicis genealogiæ Iosephi in quarum altera Matt. ait Ioseph Iacobi filium fuisse, in altera verò fuisse Heli filium Lucas testatur, vt à Luca legalis, à Matthæo naturalis Iosephi pater referatur, à coæuis cognatísque Christi secundùm carnem Iudæis acceptisse, quá Euangelij veritas declaratur. *Quumuis*, addit, *nullo certo testimonio sit confirmata, eam verò ipsi quoque probato* ideſt, examinate. Sed in primis Augustinus non magis tandem, quàm pro nostrâ tertiáque aliâ explicatione ad vtramque genealogiam conciliandam, pro hac steterit, vt infrà videbimus: imò in nostra tandem quieuisse probabilius est. Secundò: cum Patres omnes Africani iudicio ducantur, Africanus verò consanguineis Christi Iudeis in legali Iosephi genealogia componenda cõsentiat, siquid in eius compositione falsum deprehendamus, consanguineorum Christi authoritas siue ignorantiæ siue malitiæ nomine corruat necesse est; Quare, & tota, quæ huic innititur huius sententiæ fides. At verò Vasquez ipse, qui tantam huic Africano, & cognatorum Christi expositioni & genealogiæ fidem adhibendam contendit, apertum in eorum genealogiâ errorem recognoscit citato loco c.5. num.52. §. *Verùm enim verò*, quem notauerat prius Galatinus. Aieba nt enim illi, *Heli* Patrem legalem Iosephi fuisse filium *Melchi* ex *Esta* ac proinde *Melchi* fuisse auum legalem Iosephi: cum tamen nec proauus quidem, sed atauus, vt minimum, per Lucæ genealogiam esse possit: vt constat ex illis verbis Ioseph. *qui fuit Heli, qui fuit Nathat, qui fuit Leui qui fuit Melchi.*

2 Tertiò: quia, vt hæc expositio diuersitatem Euangelistarum in patre Iosephi narrando, vtcumque redigat ad concordiam, non tamen ea solum diuersitas in progenitoribus Iosephi recensendis apud vtramque genealogiam inter vtrumque Euangelistam adest: Quare concordia eâ expositione quæsita atque apparata est insufficiens. Etenim Iosephi genealogia ab Heli vsque ad Dauid texi non debuit nisi naturalis: sicut texitur à Dauid vsque ab Abraham, vt iam dicam; si autem naturalis texitur Iosephi genealogia ab Heli vsque ad Dauid, quomodo in progenitorum nominibus vtrique Euangelistæ non conuenit? An lineâ masculâ duplicatâ habuit Ioseph progenitores reliquos? an verò eos omnes habuit binomios? Quartò: cum à Dauid ad Abraham iidem progenitores numerentur ab vtroque, iique doctores asserant à Mathæo naturales Iosephi progenitores numerari, exinde etiam à Luca naturales etiam progenitores Iosephi numerari eisdem erit fatendum: æquiuoca verò genealogia est, in quâ eiusdem hominis, modò legales, modò naturales progenitores recensentur, quod vitium longè ab Euangelicâ genealogiâ abesse debuit. Scio responderi posse duplici huic impugnationi: cum per patrem legalem alicuius genealogia ordinatur, Parentis legalis naturales progenitores, non autem filij legalis, qui non sui sed legalis Parentis familiam protrahebat, numerandos esse: quare, cum Heli progenitores vsque ad Dauid diuersi à progenitoribus Iacob, Patris naturalis Iosephi essent; exinde verò ad Abraham iidem vsque ad Dauid diuersi ab Euangelistis numerantur; quia alter naturales Iosephi progenitores narrat, alter verò Patris legalis progenitores naturales, legales verò Ioseph. Cum autem vtraque linea Iosephi, & familiæ naturalis per Iacob & legalis per Heli ex Dauid, in quo iungebatur, procederet, inde ad Abraham vsque numerantur ab vtroque iidem; non quia naturales Iacob & Iosephi progenitores sint à Luca numerati, sed quia Heli progenitores etiam erant naturales, ac proinde Iosephi legales, quos solùm ipse numerare curabat. Hæc autem bene haberent, si alias Scriptura, & Hæbreorum vsu vel exemplo, alicuius saltem filij legalis genealogia per Patris legalis auos, atauósve fuisset contexta, cùm autem rei huius exemplum non sit, vt legalis genealogia alicuius vltra legalem patrem texatur, eam sic contexi ab Euangelista æquiuocationi & difficultatibus locum daret. Secundo: nullo fructu huiusmodi genealogia texeretur: maximè ad intentum Euangelistæ de declaranda propagine Christi ex Dauid, Iuda, & Abraham, cum, quantùm ad putatiuam propaginem Christi ex illis per Ioseph, & consanguinitatem Matris cum sponso, quare, & eam vniuersim ex eisdem fuisse propagatam, æque ex Mathæi genealogiâ sola monstratum fuisset: Quare, nisi aliud Lucas intenderet, frustra tam prolixa genealogia ab ipso texeretur.

3 Licèt autem hæc ita sint, non eo vsque duri sumus, vt nostris etiam vero similioribus opinionibus, despiciamus prorsus alienas. Sic ergo texenda legalis Iosephi genealogia erit ex Africano ab errore supradicto emendata cum Anselmo, Beda, Euthymio, Bonau. & Vasq. proximè num. 57. §. *eam igitur sententiam: vt Esta nupserit Nathan*, qui ex Dauid per Salomonem ducebat originem, eóque genuerit Iacob, patrem naturalem Iosephi, vt habetur apud Math. eo verò vita functo, *Esta nupserit* rursus *Nathan*, ex quo filium suscepit Heli legalem Iosephi patrem, ita vt *Heli*, & Iacob ex eadem *Esta* orti, fratres fuerint vterini; duxit autem Heli vxorem vitâque functus sine sumpta prole fuit, cuius vxorem accepit vterinus frater Iacob vt ex lege Deuteronomij 25. & defuncti hæreditatem adiret, nominque illius suscitaret.

At inquit Augustinus supra (ex quo Ossiander hæreticus insultanter hanc Euangelistarum concordiam impugnat) lex ait, fiscos legales primogenitos, nomine Patris legalis nuncupandos his verbis *Primogenitum ex ea filium nomine illius qui non susceptis liberis decesset appell abit, vt non deleatur nomen eius ex Israël* ergo, cum Iacob primogenitus ex vidua Heli fuerit Iosephi, iuxta hanc opinionem non Ioseph, sed Heli nominandus foret. Respondet tamen idem August. 2. Retract. c.12. nomen defuncti, *quod dictum est, ad hoc lex valere præcepit, vt eius filius diceretur, non ad hoc, quod ille vocaretur.* Cum enim naturalium adhuc Patrum

rum nomina filij portare non deberent, imò rarò apud Hebræos portarent, sed solùm familiæ & hæreditatis successionem, id solùm filiis legalibus necesse erat ex lege, non verò Patris legalis nomine compellari. Sic Booz ex Ruth. Vidua defuncti sine prole Mahasonis, vel Chelionis filium susceptum neutro appellauit nomine, imò nec suo sed *Oved* teste Matthæo.

Video tamen multa in hac opinione supponi, nullo fundamento firmo, vt eius author Africanus aiebat; tum, quia non constat an linea masculà fratrem habuerit Heli, ad cuius matrimonium eius vidua primo loco pertinebat: tum quia, debita Heli absque liberis; de Iacob fratris matrimonio cum eius vidua videtur diuinatio. Sed tamen cum opinio hæc Euangelistarum discordiam conciliet, atque ita accidisse potuerit, improbanda prosus à nobis non est, qui nostra hac quali quali Opella, totísque studiis nostris catholicæ veritati asstruendæ, tuendæque laboramus: sed quæcumque eam expedire posse in aliis viderimus, laudanda atque in pretio habenda nobis erunt, exemplo Patrum Naz. Damasc. Euthymij ac S. Thom. qui concordiæ Euangelicarum Genealogiarum amore, Africani Genealogiam, errorem in illa notatum minus aduertentes, obuiis vlnis exceperunt. Exemplo item Augustini supra, qui ex concordiæ zelo aliam opinionem excitauit: quod scilicet Heli pater adoptiuus Iosephi fuerit ab ipso in Filium adoptatus: eóque solùm, quod ita potuerit accidere, eóque Euangelistæ conueniant. Quá in re à nobis etiam laudatur.

4 Nihilominùs censeo verius: diuersitatem progenitorum Christi numeratorum à Luca absque vlla à Mathæo discordia esse; quia hic Iosephi patris putatiui Christi domini, ac proinde huius putatiuam ex Abrahamo, & Dauide progeniem, scripsit, vt omnes fatentur; Lucas verò naturalem Mariæ Matris veræ Christi Domini: quare & huius, etiam secundùm carnem, naturales progenitores recensuit. Hanc puto æque, ne plus dicam, atque primam fuisse Aug. opinionem supra: vbi eam cum duabus aliis indifferenter proposuit. Primæ autem æque huic suam opposuit obiectionem, vt proximè vidimus, dissoluitque citato loco Retract. Eam verò, quam huic opinioni opposuit, leuiorem quidem, diluit. q.4. in Deuteron. & 2. Retract. c.7. Pro hac etiam opinione sunt Seleucus apud Hieronym. tom. 9. lib. de ortu Virginis, quem ipse approbat Hieronymus. Item idem Hieron. manuscripto nondum excuso citato à Ioanne Annio citando, memorato à Vasquez c.3. num. 28. & à Driedone citando. Galatinus 7. de arcan. Cath. veritatis cap. 12. Driedo 3. de Dogmat. sacræ Scripturæ tract. 3. cap.5. p.4. Ioann. Annius lib. de Chronographia Philonis. Quo in opere, licet in temporum supputatione ex proprio cerebro nec bene componat, quoad res tamen è Philonis authoritate, & scriptis loqui credendus est. Iansen. 14. concor. Euang. Ioan. Lucidus de emend. temp. cap.9. ac lib.7. cap. 1. Gagneius, & Arias montanus in Lucæ locum. Ex Scholasticis, Canus. 11. de locis Soar.3. p. tom. 2. d.2. Petrus Hurtado d.81. de incarn. §. 35. Bernal. d.61. sect. 1. §.2. num.21. eandem verò sententiam Catholicam, ac defensabilem docent esse Canisius. 1. de Beat. Virg. cap. 3. atque eruditus, licet alias hæreticus, Erasmus annotationibus in 3. Lucæ. Ex aduersariis etiam Caietanus ad 3. Lucæ amplectendam fore ait, si constaret. Maldonatus Recentioribus valde multis placere, sibique placiturum, nisi persuasum haberet Euangelistas verum Iosephi genus describere voluisse; verùm nescio vnde illud potiùs, quàm sententiam istam persuasum Maldonatus habeat, vndéue Caietano magis constet opposita, cum, & ab authoritate, & à ratione maius in nostra, quàm in oppositâ momentum fuerit. Nam præter Patres, & Doctores, tum priscos, tum nouiores citatos, ita habuerunt Doctissimi vetustissimique Rabbini, Rabbi Haccados lib. Galeraycza, siue Reuelationum per Eliam habitarum in speluncа Responsione ad Antonium consul. Rom. de Patre Matris Messiæ Rabbi Accanas. Rabbi Melsumiæ Filius Epist. ad cognitionem generationis Messiæ.

5 A ratione verò plura, quàm aliis duabus, nostræ huic opinioni suppetunt fundamenta. Primò enim in hac opinione non minùs, quàm in aliis Euangelistarum discordia quiescit: quo vnico fundamento indultæ laudatæ duæ aliæ opiniones sunt. Secundò: nunquam in Scripturis, & Hebræis Historiis legalis Patris Genealogia vltra ipsum ad auos, atauósque deducta fuit, nedum vsque ad Adamum protracta: cum tamen illustrium fœminarum, licet longè Mariâ obscuriorum, Genealogias texere ex vsu Hebræis, & Scripturæ fuisse constet est Iudith. 8. Tertio: quia, licet id nusquam in vsu & exemplo fuisset, in Mariæ (quæ *nec similem visa est, nec habere sequentem*) & suorum Progenitorum Regum Ducum, Patriarcharum, Prophetarum, Dei tandem, quem Lucæ Genealogia pertingit, gloriam eximiam ipsius Genealogiam texi oporteret; vt & Mariæ ex adeò claris progenitoribus decus, & eorum è tali filiâ splendor in obscuro non esset. Quod argumentum amplius confirmatur, si ad Christi gloriam, qui eorum progenies, non nisi per Mariam fuit, deducatur. Quartò quia Genealogia exploratò Iosephi non ideo posita ab Euangelista Matthæo fuit, vt eius præcisè progenitores noscerentur, nec id fuit dictantis Spiritus Sancti finis: sed, vt per eius Genealogiam Mariæ sponsæ, quæ ex eadem tribu esse debebat, eiúsque Filij vniuersim ex Iuda, & Dauid Genealogia crederetur: vt in huius ortu prophetiæ de Messia adimpleræ deprehenderentur: id autem ex Genealogia Matthæi vniuersim constabat, fortiúsque quàm per Genealogiam patris Iosephi legalis: cum Matthæus naturalem, & strictiorem eius ex Abrahamo, Iuda, & Dauid propagationem recenseat: ergo superfluo, irritóque ad intentum labore eiusdem laxior impropriórque per parentem legalem propagatio à Luca texeretur. Quod autem is fuerit Genealogiæ Iosephi etiam Mattheo scribendi scopus, & Spiritui dictanti finis, Hieronymi, ac Patrum reliquorum concors sententia est. Atque ex ipso Genealogiæ eiusdem initio demonstratur sic enim orditur; *Liber generationis Iesu Christi, Filij Dauid, Filij Abraham:* ergo non Iosephi legalis, sed Mariæ naturalis, ac proinde Christi, posita à Luca fuit.

Quintò cùm is fuerit Iosephi etiam Genealogiæ scribendæ & Dei Euangelistæ finis, credendum non est naturalem Christi ex eisdem Abraham, Iuda, & Dauide veramque Genealogiam per Mariam à Deo & Euangelistis fuisse omissam: ex qua clariùs, faciliúsque Prophetiarum Messiæ propagatione ex illis adimpletio, vel oculis ipsis cerneretur. Sextò, & vrgentiùs, ni fallor: quia vxores ex lege, licet ex eadem Tribu accipi deberent, non tamen ex eadem familia; quare Iosephus posset vxorem absolutè ducere ex alia familia, quæ non esset Dauidis, esset tamen ex tribu Iuda: v.g. ex familia alterius Filij Iuaij, qui fuit, fratris Dauid: quare, vt Christus verus Filius Dauid iuxta Prophetias per Genealogiam ostenderetur certò, Mariæ, & proinde Christi Genealogiam naturalem secundùm carnem conscribi necesse fuit.

6 Vlteriùs difficultatum solutione statuenda hæc opinio est. At inquies: si Mariæ Genealogia naturalis à Luca exarata est, non autem legalis, vel adoptiua Iosephi, quorum Lucas num. 23. ait, *& ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur Filius Iosephi, qui fuit Heli.* vbi Filius Heli Iosephus dicitur, ac proinde eius Genealogia qualis qualis ea fit, non autem Mariæ refertur, quæ, nec quidem nominatur. Canus, Soar. & Petrus Hurtado negant Iosephum dici filium Heli. nam illum, *qui* Iesum referre aiunt: vt sensus sit: *qui Iesus fuit Heli:* sed tamen, cum relatiuum *qui* absolutè positum proximè antecedentem personam in bona grammaticâ, ac non æquiuocâ, referat: sicque in eadem Genealogia Lucæ pro superioribus progenitoribus repetitum videatur, immediatam personam antecedentem videtur repræsentare;

cum quo clarior est Historiæ, iuxta hanc expositionem, æquiuocatio, in qua idem relatiuum absolutè positum non nunquam mediatam, sæpe immediatas personas repræsentet. Concludunt aliqui in tota Genealogia Lucæ pronomen *qui* vbique Iesum referre etiam in illo, *qui fuit Adam, qui fuit Dei*; bona fortasse, aptáque Mysteriis concionatorum solutio, mala verò grammaticæ, vt dixi, ac Genealogiarum scribendarum vsui, imò, & Theologiæ. Etenim, si ita res habet, antecessores Christi non recensebuntur suis locis, & gradibus ab Euangelista, ac proinde Celsus apud Origenem 2. contra ipsum longè ab init. & Iulianus Apostata apud Cyrillum. 8. contra ipsum liberius Christum ex Iuda procreatum negabunt. Insultantérque hic initio huius libri octaui recitatus dicit, *qui enim Genealogiam narratis refertis in Iudam, quod, & ipsi non potuistis bene fingere.* Denique repugnat solutio hæc textui. Nam de pluribus immediatis progenitoribus constat referri eo pronomine *qui* ad suos vlteriores, altioréque immediatos. Id circo hanc expositionem docti quique interpretes cum stomacho reiiciunt Salmeron *durum*, Maldonatus *coactum* Vasquez, *valde coactum*, Bernal hæc omnia eam appellant. Illud igitur *qui* primum Iosephum, vt volunt obiectantes, referre statuendum, tanquam certum est; respondendúmque obiectioni cum Annio, & Driedone dictum Ioseph Heli Filium, quia Mariæ sponsæ naturalis, quare, & Iosephi ipsius socer erat. Socer autem generi pater vulgò & iure dicitur; quia matrimonio vnum & idem cum sponsa maritus fuit, iuxta illud genesis, *& erunt duo in carne vna.* Quare ex eodem, atque illa, patre censetur, cur autem ab Heli ad Iosephum linea Genealogiæ diuerterit, ac non naturalem filiam tetigerit, *mysterij plenum* negotium fuit: vt scilicet inde contagio propaginis ex Adamo Maria crederetur immunis, à qua Genealogiam ex Adamo, scilicet Originalis traducem decorè, ac soleter adeò diuina historia diuerterit: aliáque plura alibi, aliáque persequebar, quæ præsentis instituti non sunt.

Sed contra insurges. Nam Mariæ pater non Heli, sed Ioachim fuit. Respondent Annius, & Galatinus Heli Eliachim, & Ioachim eandem personam significare. Id quod probant: Primò ex Rabbi Herados supra sic de Matre Messiæ respondentes. *Parentem eius duplex habiturum nomen, vnum Eli alterum Ieboiachim, & Eli, quod est nomen derivatuum, ostendit eum ad sublimem gradum ascensurum. Ieboiachim verò, quod est nomen compositum, significat Deum in manu ipsius suscitaturum saluationem Israëlis maximam. Tribus autem Iudæ descendit ex domo Zerobabelis filij Saa lthiel: sicut scriptum est Zachar c.4. Quis tu mons magne coram Zerobabel: in planum deducet petram primariam. Hæc petra primaria mater Messiæ Regis*; Et Rabbi Hauanas supra, *erat quædam puella in Bethleem Iudæ nomine Maria, filia Ieboiachim Eli de genere Zorobabelis.* Et sane Eliachim & Ioachim synonimè ferè dici, eandémque personam significare constat ex Ioachim vetustiori, qui in transmigratione Babylonis indifferenter Eliachim nominabatur vtrum que ex Dei nomine *Eloah* alterum, *Iehoua*, aliud, componitur: atque C.H. scriptum Domini præparationem, cum K. verò Domini resurrectionem significat. Eli verò idem est nomen quod Eliachim, vt bene Iansenius citatus, licet breuitatis causa decurtatum ad vsum vulgarem, quemadmodum in lingua quâvis vsu fit, parte nominis, siue anteriori, siue posteri, qua & totum, & persona satis percipiatur, assumpta, & reliquo nominis omisso: vt Hispanè *Anton pro Antonio Bela* aut *Belilla* pro *Isabel*, aut *Isabelilla*. Ast instat Vasquez iuxta hæc etiam nomen patris Mariæ fuisse *Eli*: cum tamen nomen eius cuius Ioseph dicitur filius fit *Heli*, quod diuersum est, nec Ioachim nomini sinonymum: quare diuersam personam significans: Dicitur enim à Luca *Ioseph qui fuit Heli.* Respondetur tamen ex Ioanne Entenio in annotationibus ad Euthymium de locis, quibus Græcum ipsius exemplar ab aliis differt, Euthymium sine aspiratione, siue spiritu aspero legisse Πλει. Sed scribatur cum illo iuxta vulgatam, idem tamen nomen est. Vulgò enim loquentibus in omni lingua aspirationum, vel omittendarum, vel apponendarum exigua cura fuit, vt constat ex Euthymij lectione: atque ex nomine Iehoiachim, pro quo vulgò Ioachim non solùm aspiratione, sed altera etiam litera omissa, vsurpabatur. Et fortasse non ex incuria id Hebræis, sed ex religione etiam vtrumque vsu venit, ne eum hominem familiariter vulgaritérque vocitarent, alterum è Dei nominibus vel *Iehoua*, retenta, *E & H*, vel non addita ad *Eli* initiali aspiratione irreuerenter pronunciarent. Id quod maioris irreuerentiæ in *Eli* foret, cum sic etiam Dei nomen pro *Eloah* ab ipsis proferretur, vt constat ex Dei inuocatione à Christo Domino in Cruce facta Matth. 27. n. 46. *Eli, Eli*, &c.

CERTAMEN II.

Nullatenus Iudaicum Regnum Christo homini competebat.

1 ARmanacus 4. de quæstionibus Armenor. capite 15. Ioann. Bacchonin. 4. quæst. 1. prolog. art. 2. concl. 2. quæst. 11. art. 3. Abul. in cap. 21. Matth. quæst. 3. ad id *ecce Rex tuus* Bernardin. de Bustos cap. 12. Marialis serm. Azor. 2. institutionum moralium cap. 23. Petrus Morales ad cap. 1. Matth. præcipuè lib. 2. tract. 9. concl. 1. & pauculi regnum Iudæorum homini Christo competere asseruerunt, hæreditario quidem iure, per Mariam, vel per Ioseph.

Negant verò prosus Salmeron tom. 3. tract. 10. Vvaldens. tom. 1. Doctrinal. fidei lib. 2. c. 76. & 77. Burgens. in. 1. Matth. addit. 2. concl. 3. vbi oppositam vulgi tantùm opinionem appellat) & tamen pro ea à pluribus citatur) Sotus in 4. d. 25. quæst. 2. art. 1. & lib. de iust. & iure quæst. 4. Abmain. de potest. eccl. cap. 4. Vasquez tom. 1. 3. p. d. 87. cap. 1. num. 4. §. *Verùm hanc sententiam* Soar. tom. 1. d. 8. sect. 1. §. *dico secundo* Alfons. Mendoza q. vlt. quod l. num. 14. falsò à nonnullis pro oppositа relatus. Franciscus Mendoza in 1. Reg. cap. 2. num. 11. annot. 15. sect. 3. Petrus Hurtado d. 81. sect. 1. Bernal. d. 61. sect. 1. tota Maldonatus ad Matth. 27. num. 11. Adde plures alios Christo Domino negantes absolutè omnem regiam creatam potestatem, quos referemus quæst. 2. & 3. Probat de iure hæreditario Maldonatus his, & verbis, & oratione. *An autem ad illud ius regium perueniret, si Rex esse voluisset, meo quidem iudicio, non satis constat. Quia nescimus an ex Regum genere alius fuerit eo propinquior, ad quem regnum, si ad us hæreditarium reuocandum esset, pertineret.* Sed hoc solùm probat, nec affirmari posse, nec negari Christo homini ius hæreditarium regni Iudæorum; at verò, inquiunt, Soar. & Bernal, cùm ius regni hæreditario iure ad lineam Salomonis pertineret, ex qua Christus homo procreatus non fuerat, sed ex linea fratris eius *Nathan*, ad quam, nisi euersa funditus Salomonis linea, regnum Iudæ non pertinebat: non fuerat autem ea linea prorsus extincta: nam ex illa Ioseph erat; quare non poterat regnum Iudeæ iure hæreditario Mariæ naturalis Christi Matris esse. Sed argumentum hoc non est adeo ineuitabile, vt Bernal & Soarius existimant. Nam Deiparam in eorum, nostráque sententia ortam ex Zorobabele, & Salathiele, constat ex Luca: hos autem ortum ex Salomone ducere testatur Matthæus: quare alterum è duobus admittendum est: vel Salathielis in altera ex genealogiis lineam fœmineam ex Salomone censeri fœminæ nomine omisso: vel Nathan illum non fuisse Dauidis filium, sed nepotem vel pronepotem, cuius immediatus parens reticeatur. Nam linea masculа Salathiel non potuit è duobus oriri. Melius argues tam illustrem Salomonis familiam in adeo pauperem fœminam atque Mariam, non potuisse tanquam in suum caput desinere: vt opus erat ad ius proximum hæreditarium regni: nec, si ita esset, ad Mariæ humilitatem commendandam Euangelistæ reticuissent: quod ipsum De Iosepho dictum, putà cui, etsi ius illud suppeteret, non tamen hæreditario iure in illud succederet homo Christus, qui verus ipsius filius non erat, sed putatiuus. Somniantium enim est, quod aliqui dicunt, fuisse etiam Iosephi filium adoptatum Christum.

2 Probatur secundò; quia, etsi nemo esset ex stirpe Dauid & Salomonis Maria maior, & regno propinquior, at Dei voluntate, & sententia, ex qua, vel maximè ius filiorum Dauid, & Salomonis ad regnum illud pendebat, linea Iechoniæ, cuius nepos fuit Zorobabel, Mariæ progenitor, vt constat ex Lucæ 3. imo, & Iosephi, vt constat ex Matth. 1. regno Iudeæ, & iure etiam priuata est Ierem. 22. num. vlt. dicentis: *scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non proſperabitur: Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid.* ecce Regni priuationem, *& potestatem habeat vltra in Iuda*, licet ad tempus videatur limitasse Hieronym. vt locus prophetiæ Gabrielis Lucæ 1. 32. relinqueretur, *& dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*: tandem verò hanc Prophetiam de regno spirituali Christi, interpretatur, ne Ieremiæ aduersetur: & quia de temporali Iudaico in Christo impletum non fuit; facto vero etiam ipso constat, nullum Iechoniæ posterum regnum, iúsve illius, in Iudæos habuisse, & ex 1. Math. 14. regnum, iúsque ab ea linea ad Simeonis eiúsque genus translata sunt. *Donec surgeret Propheta fidelis*, quem, vtpote carnales, temporaliter regnaturum Iudæi putabant, prauè intelligentes Moysis Vaticinium Deut. 8. *Prophetam sicut me*, quo errore Christum in palmarum triumpho atque in Magorum aduentu Regem suum, Dauidísque successorem recognouerunt, & proclamarunt, licet sibi inconstanter, ac perfidè contradixerint cum Pilato reclamabant Ioann. 18. n. 15. *non habemus Regem nisi Cæsarem, & noli scribere Rex Iudæorum*, &c. Nec refert Athanasium serm. de sacra Deipara post medium ad id Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, &c.* dixisse: *accepit autem Christus, his verbis thronum Dauidis corporaliter ex ratione prosapiæ, quia pater illi Dauid fuit*, atque Epiphanium hæresi 29. contendere carnaliter impletum in Christo fuisse, vt sederet in sede Dauid, quia de eius stirpe erat. Etenim expresè de regno superiori, in quod Dauidicum fuerit commutatum, loquuntur, nec Dauidis in eo prosapiam, vt ius ad illud haberet, aduocant, sed, vt impleretur Prophetia, quod longe est diuersum, vt patet. Etenim nisi in posterо, Dauid prophetiæ minimè implerentur. Stet ergo iure hæreditario Christo homini, nec Iudæorum Regnum, nec ius ad illud contigisse.

3 Sed nec populi electione Regnum illud, iúsue ad illud obtinuit. Præparatio quidem semel, vt eum eligerent quinque millibus hominum panum piscíumque miraculo saturis adfuit, non electio: quæ etiam pauculis, etsi adesset, ius ad Regnum Iudeæ, ne dum regnum ipsum, non daret. Quòd autem in ducum, è Simeonis genere, electione dixerit populus à se fieri *donec surgeret Prophetа fidelis* Machab. 14. electio Messiæ in Regem non fuit cum veniret, sed suæ opinionis declaratio de futuro Messiæ Regno. Nec, si electio fuisset, ius daret regni ex tunc pro tempore aduentus Messiæ, nisi populus, qui tunc adesset, confirmaret; qui potiùs restitit dicens *non habemus Regem nisi Cæsarem* Populi autem huius in Palmis proclamatio, non electio, sed dati sibi à Deo, iuxta Oracula Regis plausus, & acclamatio. Deinde nec Dei electione ius, regnumve illud Christus habuit: Nam Gabrielis vaticinium Lucæ 1. & Dauidis Psal. 12. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* de Regno actuali, siue actu regnandi, quæ in Iudeos Christo defuerunt, sonant; ac de spirituali regno Christi à Patribus omnibus intelliguntur, vt verba immediatè sequentia Psalmi illius euincunt: *Prædicans præceptum eius.* Nec in Iudeos solùm, sed in gentes omnes cunctásque orbis nationes, vt constat ex num. 8. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: ac numer. 9. Reges omnes iubentur, spiritualem orbis totius Regem adorare, *& nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, num. 10. *Apprehendite disciplinam* siue, vt alia versio apud Lorinum nostrum, osculamini filium, id est, *adorate filium* hominem Christum, nam osculatio adoratio est. Sacerdotij verò titulo, qui solus reliquus est, regnum temporale Iudaicum, iusve ad illud non obtinuit homo Christus cum Sacerdotio temporale directum regnum adiunctum non sit, sed indirectum, solúmque directum spirituale vt d. 2. dicemus. Quod autem in Melchisedech, Christi Sacerdotis, vt videbimus, typo, regnum *saltem* directum temporale cum Sacerdotio adfuerit nil probat: nam similitudo in omnibus esse non debet in eodem genere: sed satis est Sacerdotio, & Regno illo imperfectiori, superius pure humanis & Sacerdotium, & regnum hominis Christi representari. Nec magis præstat, quod Ezechiel 21. ad Sedechiam vltimum, vt vult Hieronymus Israëlis Regem, & Ierem. 22. dicatur *tolle cydarim, tolle coronam, donec veniat, cuius est iudicium* quod quidem Christi hominis est. Ioann. 5. quasi corona, & regnum illud Christo restituendum; restituendum enim erat illud in melius perfectiúsque spirituale regnum mutatum, vt Hieronymus, aliique Patres ibi.

4 Oppones Christum rogatum à Pilato an Rex esset? temporalis scilicet Iudeorum intelligente, respondisse Math. 21. num. 21. Marci 15. numer. 2. Lucæ 23. numer. 3. *tu dicis* quod iuxta Hæbræam phrasim fuit concedere: ergo fassus est se Regem Iudæorum esse; nego consequentiam. Nam licita æquiuocatione illegitimo iudici, veréque subdito suo Pilato illuforiè respondit, ne negatione malignantis naturæ adhibita, omne prorsus regnum videretur negasse: ac proinde, & se Messiam Regem promissum videretur differi, fideíque de suo Messiatu necessario officere *sed atimque regnum suum non esse de hoc mundo explicuit Pilato*: quo hic, nec rebellasse in Cæsarem, nec causam damnationis in eo, esse fassus est illico. Similiter, non fictione, sed omissione, ac veritatis tunc necessaria dissimulatione rogantibus discipulis de temporalis regni Israël restitutione, quod nondum ipsi capiebant, respondit Christus Actor. 1. n. 6. *non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Sonant enim hæc verba restitutionem Regni, de quo rogabatur, ac tempus illius peragendæ in Patris potestate esse: licet satis statim explicuerit se de restitutione spiritualis regni Israël loqui subdens: *Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in omni Iudæa, Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Quid autem Iudæi, ac Pilatus ad eos loquens, atque in titulo crucis iubendo, atque constanter seruando senserint, nostra minoris adhuc refert; cum, & carnales homines fuerint, atque infideles. Quod si ad eam crucis inscriptionem Spiritus sanctus Pilatum impulit, inscium tamen impulit: vt rei ignarus spiritualis omnium Regis Messiæ Iudeis promissi aduentum tot linguis ad omnes nationes euulgaret.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An Christus homo regnum vniuersale humanum habuerit, iusve ad illud.

QOQVIMVR de regno vniuersali humano non ex parte subiecti, sic enim quodvis Christi regnum ipsius humanitati competens humanum est; sed ex parte formæ, vt initio disparationis diuidebamus. Nam de regno humanis ac creatis, superiori q.3. disputabitur.

CERTAMEN I.

Negatiua conclusio stabilitur.

1 S. Anton. 3. p. titulo 15. c.2. Almain. de potestat. Ecclesiæ cap.4. Turrecremata, 2. summ. cap.116. Durand. de iurisd. Eccles. q.3. Hostiensis, C. *quod superius* de voto Nauarrus c. *Noniter* de iudiciis regnum vniuersale humanum homini Christo adscribunt: id quod docuisse videtur S. Thom. op. 20. de Regimine Principis lib.3. c.13. vbi ait Christi Domini ortu regna omnia humana cessasse: quia solus ipse vniuersalis mundi Rex ab ortu ipso fuit, vt idcirco tunc *ab Augusto titulo Domini, & imperatoris, sublato, orbem totum describi*; Deus disposuerit, ac dictârit: vt nascenti imperatori, Regíque vniuersali totus orbis pariturus, exinde notaretur, atque Reges terræ inciperent esse Proreges. Sed tamen, licet opusculum hoc præfatione editionis Romanæ legitimum S.Th. venditetur, ac propterea maioribus characteribus fuerit excussum plura habet indocta, tantoque doctore indigna. Etenim vt doctè obseruauit Bernal citat sect.2. num.40. eodem ipso c.13. post initium huic suæ doctrinæ contradicit, author aperte: expendens namque illud primo Cor.15. num.26. *omnia subiecit sub pedibus eius* & Malach.1. num.11. *ab ortu solis vsque ad occasum* &c. docet *Dominium Christi à temporalibus non excludi eo modo, quo ad spiritualia, in quibus est, ordinantur.* Ob hæc aliáque Bellarminus noster opusculum illud non S. Th. sed potiùs pseudoThomæ habendum esse meritò iudicauit: quicumque verò eius opusculi author extitit, hanc sine dubio sententiam habuit, de humano vniuersali Christi hominis regno.

Nostram verò negatiuam conclusionem docent Driedo de dogmatibus sacræ Scripturæ tract. 2. c.10. p.2. fol.3. Francisc. Victoria Relect.5. de Eccles. potest. q.5. à num.16. & Relect.1. de indis à num.25. Bart. de Medina 3. p.q.59. a.4. Abbulen. in Math.21.q.3. VValdens.2 doctrin. fidei Antiquæ c.76. & 77. Ioannes Paris. tract. de potest. Regia, & Papali c.8. Scotus 4. de inst. q.4.a.1. & in 4.d.25.q.2.a.1. Salm. t.3. historiar. euang. tract.10. num.26. Canisius de Beat.Virgine,c.3. fin. Maldon. ad Math. c.7. num.11. Valent. 3. p.q.22. puncto 6. Bellarm. 5. de Roman. Pontifi. c.4. Perer 8. in Daniel circa finem Barrad. t.1. lib.7. cap.8. Viegas Apocalips. c.12. comm.3.sect.9. Castro in Hierem.c.22. num.16. Pineda lib.5. Præuis. Salomon. c.4.§.7. Bernal. d.61. sect.2. num.41. huc etiam aduocandi sunt decem alij nobiles lectores citandi q.3. cert.1. qui nobiscum in Christi humanitate superius solùm humanis regnum recognoscunt.

3 Probatur primò: quia humana omnia regna, siue vniuersalia, siue particularia de hoc mundo sunt; at Christi regnum de hoc mundo non est; dicente Christo Ioann.14. *Regnum meum non est de hoc mundo* ac rursus: *si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis.* Ergo Christi regnum de hoc mundo non erat. Nec solùm de regno in actu secundo, vt vult Vasquez c.2. n.12. loquitur Christus, sed in actu etiam primo, cum sine vlla limitatione regnum suum de hoc mundo esse diffitetur: ac proinde de regno, quod tale esse dicive absolutè potest, in signo, & actu quouis. Confirmatur: quia colloquium, & dubitatio Pilati cum Christo vincto, pauperrimóque homine, de regno in actu secundo esse non poterat, sed in actu primo, siue de iure, & potestate, quæ sub sordido (vt aiunt) pallio de illo poterant latere: de hoc igitur Regno suo negauit Christus de hoc mundo esse: id quod egregiè probauit Pilato, nam Rex etiam in actu primo non est adeo ministris ac defensoribus destitutus, vt ipse erat.

4 Probatur secundò: quia Regnum humanum in actu primo, siue ius, & potestas regnandi humano more, oritur vel ex electione, vel iure successionis, & hæreditario: & neutrum ex his Christo Domino adfuit: ergo nec adfuit regnum adhuc in actu primo. Minor suadetur: & de electione primum. Nam vel ea esset Dei, vel hominum electio; hominum autem electio Christi in Regem non adfuit; debebat enim esse omnium Prouinciarum regnorúmque suffragiis, quam ita habitam nemo, quantumuis demens ac mendax asserit adfuisse: Cum nec Regni Iudææ suffragium ad regnandum affuerit, sed potiùs, vt non regnaret, sed crucifigeretur, vt vidimus. Dixit Ioannes item cap.1. *in propria venit, & sui eum non receperunt* ad Regnum adhuc spirituale & humano superius; sed nec electio Christi à Deo facta inuenitur. Illud quippe ex Psal.2. *Ego autem constitutus sum ab eo Rex. Ecce postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ* de spirituali regno hominis Christi Patres omnes interpretantur: atque ita intelligi debere ex ipso Psalmi illius contextu apertè deduximus. Ius autem hæreditarium ad regnum vniuersale humanum non habuisse Christum haud magis est obscurum. Id enim ius hæreditarium, siue successionis ad regnum vniuersale humanum solùm ex Maria vnico verò Parente, Matréque ipsius secundùm carnem habere posset: in Maria verò, nec ad regnum Iudaicum ius fuisse, nedum ad omnia regna mundi, facile ostendimus proximè.

5 Tertiò demum probatur ab absurdo; quia duplex absoluta, atque inuicem independens nec subordinata potestas, eiusdem rationis circa rem eandem est prorsus implicatoria, atque repugnans: ergo ius regni vniuersale humanum, siue humana vniuersalis potestas Christi, ad omnia regna mundi incompossibilis est ac repugnans cum quauis & omni potestate humana, atque humano iure alio ad regnum aliquod patet: nam in iure, ac potestate humana vniuersali Christi, ad omnia regna mundi ac totum sublunarem orbem continetur potestas humana ad hoc & illud, & illud regnum, atque ad omnia singulatim: Quare ad quodcumque ius, & potestas alia humana foret, & foret duplex potestas absoluta inuicem independens nec subordinata circa illud ipsum regnum, ac circa rem eandem, quam implicatoriam diximus, ac planè impossibilem. Pergo inde; ergo ab ortu hominis Christi Reges omnes defecerunt esse tales, ac nisi è Christo in sui vicarios, & proreges fuerint creati, quare, & dependenter ab eius potestate gubernarint, rexerintque, fuerunt planè Tyranni, atqui nullum Christus in sui Vicarium, aut proregem creauit: ergo Tyrani fuerunt omnes. Hoc autem est absurdum, & planè contra Ecclesiæ sensum & Scripturam: ergo, regnum vniuersale humanum Christi ex quo infertur. Consequentia prima est perspicua, atque æque clara est secunda. Quod autem vtraque sit contra Ecclesiæ, & Scripturæ sensum, probatur ex hymno Epiphaniæ *Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia* atque ex Christi responsione

responsione ad tentatam contra ipsum calumniam Pharisæorum super Cesaris tributo. *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari* &c. ac ex Paulo sæpiùs. Minor autem subsumpta de se patet.

CERTAMEN II.

Obiectionum solutiones: vbi & homo Christus ab omni humano Vassallatu liber ostenditur.

1 SI quæ vniuersale Christi regnum in Scriptura sonare videntur ea non de humano, sed vel de spirituali cum Patribus & Doctoribus priscis intelligenda esse, vel de humanis superiori (de quo q.3.) interpretanda, notasse semel sufficiat (ne singula, cum omnia eadem vim, & solutionem habeant, proponamus, & diluamus) alias magna, & temporis, & carthæ factura foret. Obiicies ergo à ratione. Humanitas Christi habebat vnionem hypostaticam cum Verbo: atqui titulo vnionis hypostaticæ quidquid honoris, ac dignitatis infra Deum est, debebatur: ergo dignitas vniuersalis Regni humani, quod infra diuinam dignitatem procul dubio est, humanitati Christi debebatur. Certe hoc argumento si quid probat, probabis eum fuisse sui oppidi Prætorem, vel, vt Hispanè dicitur *Alcalde de Aldea*; distinguenda est minor: quidquid honoris, & dignitatis est infra Deum formaliter distributiuè debetur, nego minorem: eminenter, concedo minorem: id est in quauis lineâ dignitas suprema, in qua scilicet eius lineæ dignitates & honores illius lineæ, tanquam in excellentiori continentur: reliqua enim interiora formaliter sumpta dedecent humanitatem ad Dei vnionem euectam: quare in re præsenti regnum vniuersale creatum humanis omnibus excellentius debetur: quandoquidem titulus ille vnionis dignitatem Regiam exposcit, quæ humana regna, non solum materiæ magnitudine, sed formæ etiam nobilitate longè antecellat.

2 Oppones rursus. Homo Christus Regiam humanam potestatem, siue regnum absolutum non habuit: ergo fuit regi humano subiectus, & vassallus. Probatur consequentia: quisquis enim in Prouincia liberâ, suiue iuris, non est, vel Rex, vel Regi subiectus & vassallus est: at Christus homo non fuit in Prouincia liberâ, suiue iuris, sed in Prouincia Galileæ, quæ in Herodis Regis ditione, & sub Cæsaris imperio erat: ergo, nisi Christus illius regni Rex fuerit legitimus, Herodis & Cæsaris vassallum fuisse necesse est. Confirmatur ex Matth.17. vbi Christus per Petrum Cæsari tributum appendit, quod vassallatus, ac subiectionis alicui, tanquam humano Principi, signum est. Verùm obiectio hæc potiùs probat de regno Iudaico Christi, quam de regno vniuersali humano ipsius. Confirmatio, si quid probaret, probaret nullum humanum Regnum Christum habuisse, nec Iudaicum quidem, nedum vniuersale: Etenim facto illo videtur Cæsaris se vassallum, quare nullatenus absolutum Regem, declarasse præcipuè. Hac obiectione, & confirmatione mala conuicti Marsilius de Padua, siue Patauinus, & Ioannes Iandano docuerunt Christum, quà hominem, humanis Regibus subiectum, eorumque, quorum terris vixit, vassallum fuisse.

3 Hanc sententiam hæresis damnauit contra ipsos Ioan. Papa. 22. in extrauaganti relata lib. 4. summæ P.2. c.37. locus Matth. non vrget. Prius enim, quàm tributum soluere Cæsari pro se, & pro ipso Dominus Petrum iuberet, Petrum rogauit, an tributum à filiis exigendum esset, an solùm ab alienis? Petróque respondente ab alienis solùm, non à filiis, Dixit Christus: *ergo Filij liberi sunt: vt autem non scandalizemus*

eos, vade, &c. Quibus verbis ostendit se tributum Cæsari non debere, nec ilius esse vassallum, adhuc secundùm humanitatem: eiusque veritatis duplicem rationem à priori apertè indicauit. Prima est, quia filius naturalis Dei Regis Regum, ac Domini dominantium cùm esset, adhuc secundum humanitatem, multò à Regum tributo & vassallatu liberior erat, quàm eorum filij sint; secundò: quia eius filiationis naturalis iure, bonorum Dei hæres naturalis, ac particeps erat, quantùm ipsius bona, & dignitates à creata humanitate poterant participari: Quare, & ius supremi diuini imperij vniuersalis in summo ex creatis perfectionis gradu humanis omnibus longè excellentiori fuisse à sua humanitate participatum: ac proinde eam eminentiori Regno super Cæsarem, & Reges omnes humanos regnare; illísque esse superiorem, nec posse esse humano modo vassallum, & tributarium eorum. Vnde constat ad obiectionem primam negandam esse consequentiam: ad cuius probationem negatur maior: nam nec Deus humanam Regiam potestatem habet, nec tamen illi est subiectus.

QVÆSTIO III.

An homo Christus vniuersale aliud excellentius humano Regnum habuerit?

HE hac quæstione nil Doctores, sed soli Recentiores egerunt: quod notatum velim, vt eis veteribus, qui pro alterutra quæstionis huius resolutione, à suis Patronis numerantur, recensendis abstineam.

CERTAMEN I.

Communis, ac nostra affirmatiua sententia.

1 NOstra, & communis Doctorum sententia est; Christum, qua hominem, siue ipsius humanitatem Regiam vniuersalem potestatem creatam humanis Regnis, Angelicísque Principatibus excellentiorem in omnes Angelos & homines, scilicet in omnem rationalem creaturam, habere. Ita Vasq.d.87.c.2. Soar. d.48.sect.2. Mendoca in 1.Reg.c.2.n.10.ad notar 15.sect. 3 Salazar in id Prouerb.8. *per me Reges regnant.* Bernal. d.61. sect 3. num. 50. qui plurium ex nostris esse testatur, & sane ex Vasquez & Soar. tempore, quo nata ea quæstio fuit, solus noster Petrus Vuadingo, quem viderim, negauit d 11. dub.5. num.49. Sed tamen, licet adeo vulgaris sententia sit, non vulgaribus testimoniis probanda est. Primum esse solet ex 2. ad Hebr. vbi illud applicari videtur Christo: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; sed tamen hoc non de Christo intelligunt Dauid, nec Paulus, sed de homine, quem, licet naturi Angelis inferiorem, eum tamen præfecit, non Angelum, orbi, quem condidit. Indeque probat Christo homini, licet secundùm humanitatem Angelis inferiori orbem terræ futurum, idest spirituale Regnum, præ Angelis esse donatum: sicut illis verbis: *non enim Angelis, subiecit Deus orbem terræ futurum de quo loquimur*: vt paulò ante proposuerat. Posito enim exemplo illo hominis communis orbi terrarum præ Angelis præfecto, *cum* (Christum hominem) *qua modico, quam Angelis minorauns est propter passionem mortis, gloriâ, & honore coronauit, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Nisi enim de spirituali solùm regno Christi loquatur quorsum subdit. *Nunc autem nondum videmus omnia subiecta ei?* an alio, quamé spirituali regno subiecta aliqua Christo tunc eranti quando verò sunt reliqua politicæ Christi potestat subiicienda: nunquam sanè: cum tamen locus id sig-

nificet : alibique Paulus futurum asserat. 1. Corint. 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia.* Loquitur ergo de spirituali regno orbis, siue sæculi futuri.

2 Secundum Testimonium esse solet illud *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Sed nec id ex Patribus aliquis de alio, quàm spirituali regno interpretur: statim ergo Discipulos ire, ac Baptizare omnes gentes eásque docere spiritualem vitam iubet. Plura Patrum testimonia è Soar. ad rem istam inducta infirmat Vasquez c. 2. cum aliis, quæ afferri possent. Hæc speciosiora sunt Athanasij serm. in Euang. De sanctiss. Deipara & Damasc. 4. de fide c. 15. post medium, *vbi B. Virgo omnium domina, & hera dicitur, quia Mater Dei extitit* aliudque ex Bernardo 3. de considerat. cap. 1. init. vbi id numeror. 24. n. 17. *& erit omnis terra* (sic legit pro idumea) *possessio eius.* his interpretatur: *Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis & dono Patris.* Sed ibidem ait: *dispensatio tibi super illum,* (orbem terrarum) *credita est, non data possessio.* Quam dispensationem titulis illis datam ait. Dispensatio autem orbis terrarum spiritualis solùm potestas est, & quam suis vicariis Christus dedit, non Politica. Testimonia prima nihilo magis præstant: nam Dominium ad Regiam potestatem non spectat vt q. 4. videbimus. Insuper: quia iidem Patres solius regni spiritualis vsum, possessionem, & exercitium Christi homini concedunt: alterius verò regni ius & potestatem nec negant, nec asserunt, vt bene obseruauit Vasquez cap. 3. num. 26. §. *ex his omnibus* : quare regnum, & dominium, quod Mariæ concedunt titulo Maternitatis, spirituale, nec absolutum, solummodo est respectu creaturarum omnium; non politicum humanis superiùs: quod nec Scholasticis veteribus venisse in mentem in quæstionis præfatione notabamus.

3 Duobus igitur Apocalypsis testimoniis tantùm vero similius probari conclusio videtur nostro Vasquio cap. 2. num. 14. licet à nullo alio interprete in eum sensum explicentur. Alterum ex cap. 1. num. 5. vbi Christus, quâ homo, *Princeps Regum terræ* dicitur. Alterum ex cap. 19. num. 26. vbi dicitur Christus inscriptum habere in femore, & in vestimento (humanitatis scilicet, iuxta Patres, & interpretes) *Rex Regum & dominus dominantium*; quibus directa potestas, & iurisdictio realis in omnes Reges terræ, atque in dominantes omnes Christo homini tribuitur; Ast hæc non est ratione Regni spiritualis (cuius potestas in Reges directa non est, sed solùm indirecta, in ordine ad finem, & bonum spirituale) sed potestas regni politici, quod Christus habet: atque hoc nequit esse humanum, vt vidimus, quia nimis abiectum, dignitatémque Christi, quâ hominis etiam, dedecens: ergo est humano excellentius, ac dignitate superius.

4 Probatur 2. ratione, quàm secunda q. cert. 2. num. 3. attigimus, præstitque Bernardus, & Paulus expressius, quia humanitas Christi ratione filiationis naturalis Dei, quam habet, hæres est Dei Patris, iúsque habet, vt Deus ipsi communicet quidquid potestatis suæ communicabile illi absolutè est: atqui potestas, & superioritas respectu rationalium creaturarum communicabilis Christi humanitati est: ergo humanitas habet ius, & exigentiam dignitatis, vt ea ipsi communicetur à Deo; imò vnione ipsa communicatur in actu primo: ergo, & fuit ipsi communicata cum id Christo gloriosius sit, ac non repugnet, nec Redemptoris muneri aduersetur. Minor probatur. Nam potestas, & superioratus politicus in creaturas omnes rationales, etiam Reges, & Principes est, ad præscribendas eis omnibus, omnes leges politicæ gubernationis, eis imperandi, eorum controuersias dirimendi, & diiudicandi: in cuius potestatis communicatione nulla apparet repugnantia, nec cum Christi munere oppositio.

5 Probatur rursus ratione, quia humanitas Christi ex vnione hypostatica ad eam dignitatem euecta est, vt omni rationali creaturæ adeo excelleret; vt ad voluntatis nutum, quacumque eam agnoscceret dignitatem, mens omnibus parere teneretur, séque illi subiicere, sicuti & supremo creato cultu, siue latria, licet non summa, ipsum venerari: erat quippe ex vnionis natura, & dignitate Rex, non ex subditorum electione: sicut nonnullos abiectos natura, genióque suo, homunculos natura seruos appellat Arist. 1. Polit. cap. 8. Accedit titulus meritorum humanitatis vnitæ, quibus omne præmium augustum, nedum excedens, erat. Licet autem posset Deus hac obligatione parendi ad nutum humanitatis creaturas rationales liberare, vel aliam humanitatem assumere, sicque impedire humanitatis Christi regnum vniuersale: cum duplex eiusdem rationis potestas absoluta circa rem eandem, non minùs, quàm duplex Dominium in solidum circa idem repugnet; dono tamen Patris, nec creaturas rationales exobligantis, nec ita impedientis eam potestatem, obtinuit, vt Bernardus aiebat. Nec nobis diuinandum est in casu, quo Deus aliam humanitatem assumeret, an regnum vniuersale, quoad vsus expeditionem partiendum esset? an alteri solum concedendum? an neutri: cum nequeat vtrique: res enim puri consilij, & arbitrij Dei foret.

CERTAMEN II.

Obiecta soluta, & doctrinæ præfata consectaria.

1 OPpones Damascenum Orat. 2. de natiuitat. Virg. dicentem. *Non paruis in oculorum sensum cadentis ratione* siue (vt bene Vasquez ex Græco) *non secundum id, quod visibile est in Dauidis patris sui sollo sedere ostenditur, verum spiritualiter.* Sed certè Damascenus duplex regnum distinguit, humanum Dauidicum, & spirituale: hoc concedit, illud negat, quod secundùm visibilem apparatum est, non autem tertium nostrum, quod stat sine solio, & apparatu visibili in Christo, humano & visibili superiùs.

Ab absurdo argues. Habuit Christus Dominus eam potestatem, & regnum: ergo eam Vicariis Papis reliquit. Concedunt aliqui, Papæ relictam à Christo, in totum orbem Politicam potestatem, etiam in Reges directam; sed malè: sola enim spiritualis promissa Petro illis verbis fuit: *& tibi dabo claues regni cælorum.* data verò illis: *Pasce oues meas.*

Instabis: ergo nascente Christo regna humana cessarunt, vt pseudo Thomas aiebat. Sed neganda est consequentia. Cum enim superioris ordinis, & rationis alterius, atque humana regna, cum eis non pugnat, sicuti cum eis, eadem de causa, non pugnat regnum increatum & diuinum. Ideo Aug. tract. 115. in Ioann. ad illa verba: *regnum meum non est de hoc mundo*: Christum ait tacitè dixisse ad omnes Reges terræ *nolite timere: non impedio dominationem vestram.* Ecclesiaque ait *non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.* Licèt autem Regna humana politico Regno vniuersali Christi subiecta ac subordinata sint, non tamen Christi nomine Reges ea habent, sicuti eius vicarij: nec tales dicendi sunt: nunc præsertim, cùm eo nomine perfidi hæretici Anglicani Reges suos vicarios Christi, etiam in regno & potestate spirituali, erroneè clament.

2 Quarè obiicies contra rationes conclusionis. Tituli enim omnes huius regni Christo ab instanti incarnationis & ortus fuerunt, & tamen regnum hoc Christo ante mortem non adfuit, dicente Paulo ad Rom. 14. *in hoc mortuus est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur*: ergo rationes illæ intentum nostrum non probant. Concedunt minorem ob Pauli testimonium aliqui apud Soar. sect 2. §. *quæres*, sed malè ideo testimonio, quod planè de regno spirituali Christi est, probari admittunt. Neganda est igitur minoris tum, quia posita vnione, regnum hoc quasi metaphysica est illius passio; licet actualis subiectionis exercitium

tium possit per voluntatem Dei ex obligantis rationales aliquas, vel omnes creaturas impedire: tum quia licèt impediri regnum & potestas in se, nec solum in exercitio possit, vt credit Soarius ibidem, non erat cur regnum hoc impediretur humanitati Christi, dum iussit: cum ea potestas nec Christi ad nos exempla, doctrinam, & redemptionem impediret. Denique datâ gratis minori, consequentia non tenet. Vt enim sæpe docuimus posito adæquato titulo, imò titulis pluribus, vt Deus aliquid creaturis, imo & humanitati Christi concedat, potest Deus absolutè, vel negare, vel differre quousque titulus alius adueniat.

3 Obiectabis quintò: frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum, & exercitium: atqui regnum, & potestas hæc Christi nunquam reducitur, reducerúrve ad actum dicente Christo *regnum meum non est de hoc mundo*: ergo frustra adesset: ac proinde non adfuit Christo eiúsque humanitati. Minorem certam ex hoc testimonio putant plerique; maiorémque, vt dignitatem philosophicam sine vllo examine, ac distinctione venerantur; quidni consequentiam concedant? Minor mihi dubia est; certúmque eo testimonio minimè probari, quòd solùm est de regno mundano, siue humano, nec solùm de regno in actu secundo, sed in primo, vt supra vidimus: quare, si de regno humanis superiori intelligatur, vt ab his admittitur, sua & nostra conclusio de eo Christi regno in actu primo, ipso hoc testimonio improbatur. Sed nec maior, adeò indiscretè est admittenda; sed solùm frustraneam esse potentiam quæ reduci ad actum de se nequeat, vel cuius exercitium nunquam erit, quin per accidens impediatur. Item in potentia, quæ solum actiua est nullique rei alij inseruit; nam potentia, quæ per accidens vsu caret, de se frustranea non est, vnde, licet regni & potestatis huius exercitium nunquam sit futurum, eum id per accidens ex Dei, vel ipsius humanitatis libera voluntate proueniat, non erit ea potestas frustranea. Deinde: cum non solùm sit eius finis actus, sed honos humanitatis ipsius, non esset frustrà. Minor mihi dubia, vt dixi, est: nec probabitur nunquam eius potestatis vsum futurum: Quare vtroque pede claudicat argumentum.

4 Opponit tandem Vuadingo. Nemini datur potestas aliqua à Deo, cordatove alio, sine viribus ad vsum, nisi vbi abusus earum timetur; Atqui humanitati Christi datæ non sunt vires ad vsum potestatis v. g. astra mouendi ad nutum, atque Angelos, seu Dæmones, & homines inuitos trahendos, vt parerent, ac seruirent; quin fusis ad Patrem precibus ad sui præsidium Angelos se adducturum, si oporteret, Christus aiebat: & tamen non erat in humanitate Christi periculum abusus, & potestatis, & virium ad eius vsum datarum: ergo, nec data est ipsi regia illa potestas. Maior videtur constans: inde enim, quod homini datæ vires non sunt, admouenda pro nutu astra. Colligúnt doctores communiter apud Lessium 4. de iustitia, & iure c. 4. dub. 8. non esse illi datam potestatem seu dominium in astra. Respondetur distinguendo maiorem, quæ solùm vera est de potestate, quæ datur ad vsum, ad quem vires necessariæ præterea sunt: & de hac procedit argumentum Lessij; non autem de potestate, quæ non tam datur ad vsum, quàm ad honorem, vt in nostro casu contigisse videtur. Minor præterea est falsa: habuit enim Christus virtutem ad patranda miracula, vel omnipotentiam præparatam per Dei voluntatem, præstóque accursuram, vt humanæ voluntatis Christi iussa creaturæ rationales capesserent, ac statim exequerentur. Sed instat Vuadinga: miraculorum potestatem, & præparationem hanc omnipotentiæ supernaturalis absolutè esse: cum tamen facultas, & vires ad vsum huius potestatis debeant esse naturales: Nego extremum hoc: Cùm enim regia hæc potestas supernaturalis absolutè sit, vires ad eius vsum, quæ ipsi proportionari debent, naturales absolutè esse non debent, sed solùm eiusmodi potentiæ supernaturali connaturales: quare potius absolutè supernaturales.

QVÆSTIO IV.

De dominio humanitatis Christi.

QOTIDEM humanitatis Christi dominia, quot regna considerari hìc possunt. Primum diuinum, quod Christi humanitati non adfuisse certum nobis est ex dictis, præfatione huius disputationis: creatum verò, seu non purè diuinum Dominium creaturarum ad rem præsentem diuidi in humanum, atque humano superiùs debet, vt de vtroque seorsim disputetur.

CERTAMEN I.

Christi humanitas in creata omnia humano superiùs Dominium habuit.

1 CONclusioni aduersantur Vasquez d. 85. citata c. 6. num. 40. §. *Ego verò* Vadingo d. 11. dub. 5. §. *Dico primò* licèt à Vasquez fundamentis discorder. Eam verò tradunt Soar. d. 48. *sect.* 2. §. *Dico secundò* Francisc. Mendoza in 1. Reg. c. 2. num. 10. annot. 15. sect. 3. communémque esse testatur VVadingo §. 1. Ex veteribus plures pro alterâ parte recitantur, plures pro aliâ, sed immeritò: hoc enim dominij humano superioris genus, ne in mentem veteribus quidem venit, vt disputarent, nedum vt definirent. Solùm referri pro nobis possent, qui regnum humano superiùs humanitati Christi nobiscum concesserunt q. 3. cer. 1. n. 1. si Vasquium excipias, qui malè è regno ad dominium consequentiam tenere putauit.

Probatur conclusio ex Apocalypsi 19. num. 16. vbi Christus scriptum habere dicitur in femore, & vestimentis humanitatis: *Dominus Dominantium*: siue, vt Græca habet, *Dominorum* id quod de iis solùm quæ Dominium directum habent, dici consueuit: ast Christi humanitas non habuit Dominium directum humanum: ergo humano superius. Probatur secundò à ratione: quia humanitas ratione vnionis, indéque ortæ naturalis filiationis Dei dignitatis, & meriti infiniti, habet, non solùm vnum, sed plures adæquatos titulos ad excellentias omnes de facto obtinendas, quæ nec in se, nec cum humanitatis, & Christi officio repugnent, ipsámque de deceant: ac eâ denique ratione tantùm regnum humano superius illi Vasquius ipse deferebat: ast Dominium hoc excellentia, & dignitas decens humanitatem Christi est, neque cum Redemptoris munere pugnans æque atque regnum. Insuper, & est possibile, nec pugnans cum Dominio humano ordinis inferioris: sicut nec Dominium naturale diuinum, & regnum humano superius, quod in humanitate Christi q. 3. adstruebamus: ergo Dominium hoc inferius diuino, superius tamen humano, erit humanitati Christi concedendum.

2 Dices cum Vasquez Dominium adæquatè diuidi in Dominium excellentiæ, seu diuinum, & vtilitatis, quod est humanum, nec medium aliud esse excogitabile: cum autem humanitati diuinum non competat, nec humanum, seu vtilitatis, ne vel hominum Dominia cessent, vel detur duorum Dominium in solidum erga rem eandem, quod implicat, vt vidimus contr. 2. d. 1. negandum absolutè est humanitati Christi rerum creatarum Dominium: quod secus in regno habet. Cum enim hoc solùm dicat potestatem ad publicam, & politicam gubernationem, dari potest medium inter hu-

manum, & diuinum, nec in hæc duo adæquatè diuiditur. Contra, quia sublato incarnationis mysterio, ac proinde excellentibus adeò titulis humanitatis vnitæ regnum adæquatè diuideretur in excelsum, seu diuinum, & in humanum, quod tamen eis positis non ita adæquatè diuideretur per te: admittiturque medium quoddam regnum humano superius, quod titulis excellentissimis humanitatis vnitæ proportionetur: ergo eis etiam positis non diuiditur adæquatè Dominium in excellens, seu diuinum, & vtilitatis, seu humanum, sicuti diuideretur, si hi tituli deessent, atque ignorarentur: sed Dominium medium humano superius admittendum pro Christi humanitate est. Aſt inquit Vadingo dub.5. citato versùs finem, §. *Vasquez ex definitionibus*: Dominium esse *potestatem vtendi re, prout libet, sine iniuriâ alterius* id quod in humano Dominio integrè, ac perfectè inuenitur, quin appareat excogitarive possit aliud, quod Dominium illud humano superius humanitatis haberet, si admitteretur; quare, qui Dominium humanum denegant humanitati Christi, nequeunt humano superius eidem concedere, quin concedant Dominium, quod nec explicare, nec intelligere possint.

3 Verùm enimverò Dominium hoc humano superius humanitatis facilè videtur mihi explicari, nec solùm intelligi. Licet enim Dominium in eâ potestate vtendi re pro libito sine alterius iniuriâ sit positum, in humano tamen non tollit subordinationem ad Dominium superius, & voluntatem Dei illud erga res omnes habentis; si autem ratio & essentia Dominij patitur subordinationem, ac superioritatem, & inferioritatem, quidnam est intellectu, nedum explicatu, impossibile, imò difficile in eo, quod humanum bassum Dominium non solùm Dominio, ac voluntati diuinis, tanquam inferius cum superiori, subordinetur, sed etiam ob adeo excellentes titulos ab vnione hypostatica cum Deo in humanitatem Christi profectis, eidem humanitati, eiúsque voluntati subordinetur, vt absque iniuriâ humanorum Dominorum possit hæc de rebus omnibus creatis disponere, ad eum modum, licet non adeò supremè, ac potest Deus? Ecce Dominium diuino inferius, superius humano, quod humanitati Christi damus, facilè explicitum. Confirmatur, & explicatur ampliùs: quia, sicut è regia humanitatis eiusdem potestate eisdem titulis habita, ita subordinatas habet regias potestates humanitas ad ferendas leges politicas & ciuiles, dirimendásque lites, vt absque humanorum Regum iniuria contra eorum leges & iudicia, leges condere, ac diiudicare eorum subditos possit; sic ratione superioris huius Dominij humanitas Christi rebus omnibus, quæ sub hominum Dominium cadunt, pro suo libito contra eorum voluntates, sine iniuria tamen, iustáue illorum querelâ valeat vti, déque eis pro arbitrio suo disponere. Hoc ego Dominio vsum Christum Dominum reor, cum asellum hominis moniti solùm, *quia Dominus hu opus habet*, non rogati, afferri ad triumphum Discipulis præcepit. Item cum dæmones hòmines egressos, immonitis etiam Gerathesenis Dominis, in porcos, quos agerent præcipites intrare permisit. Nec enim opus est ad Dominium & voluntatem diuinam recurrere, sed ad humanam, ex quâ iubebat, & operabatur.

4 Probatur tertiò conclusio: quia in Maria ratione Maternitatis Dei dominium in res omnes mundi asseritur à Patribus passim; atqui Dominium hoc nequit esse humanum, siue eiusdem rationis cum humanis: ne, vel humana cessasse, vel rei eiusdem Dominium insolidum penes duos cogamur admittere: ergo Dominium vniuersale rerum omnium in Maria fuit humano superius: ergo citius admittendum in Christo est Dominium vniuersale superius humanis. Patet consequentia postrema. Quia propriùs, immediatiùs, strictiúsque personam, ac filiationem Christi humanitas attingit vnione, quàm Maria maternitate; quin, ideo hæc attingit Deum, eiúsque filium maternitate, quia physicè attingit generatione humanitatem vnitam. Maior primi syllogismi plurimorum Patrum est, quos recitant Canisius 1. de Beata Virg. cap. 1. Viegas in Apocalypsin cap. 12. com. 2. sect. 2. Barradas t. 1. in Euang. lib. 6. cap. 3. Salazar. t. 1. in prouerbia, cap. 8. num. 15. Petrus Moral. 2. in Math. tract. 9. §. 26. ex quibus hic vnum, vel alterum proferre sit satis Damasc. 4. de fide cap. 15. sic ex Athanas. serm. de Sanctissimâ Deipara scribit. *Sanè verè ac propriè Dei genitrix est Domina, atque omnium hera, vt quæ simul, & ancilla & mater summi illius opificis extiterit.* Rursus Athanas. serm. 1. de natiuitat. *quandoquidem Rex est, qui natus ex virgine, idémque & Dominus, & Deus: ea propter, & mater, quæ eum genuit, & Regina & Domina, & Deipara propriè & verè censetur.* Bernard. sermone in id Apocalips. 12. *signum magnum apparuit in cœlo* sic fatur: *eo quod Mater Dei est Regina cœlorum, & Domina mundi, iure esse probatur.* Quæ non solùm de regno spirituali, & Dominio indirecto Mariæ in creata, ob quod absolutè mundi Domina dici propriè non valeret, sed ratione Dominij directi, quod humano etiam superius habuit, idque probant rationes Patrum *quia Domini mater est.* Nempe directi creatorum Domini, Dominium directum ipsi matri competere.

5 Diffici obiter aduersariorum argumenta. Superest Ioan. Pap. 22. extrauagantibus *cum inter nonnullos, & quia quorundam* de Verborum significatione definiens Christum aliquarum rerum, paucarum nempe, Dominium habuisse: ergo non rerum omnium, quod asserimus. Mala consequentia. Nec enim ex eo, quod Petro currente reuelet Deus aliquem hominem currere, reuelat reliquos quiescere, ac non currere: Vel ex eo, quod de fide sit, Christum locutum fuisse cum Samaritana, de fide est neminem aliùm cum ipsa locutum. Sed contra vrgentiùs; quia Ioannes loquitur ibi de Dominio Christi bassо, quem sibi adesse in rebus, quibus vtebantur, negabant Franciscani: definitque hæreticum esse negare Christo Dominium illud, siue ius vtendi rebus, quibus est vsus, quia alioqui iniustè illis vteretur: atqui, si Dominium hoc humano superius haberet, nec vteretur iniustè, nec Dominium humanum bassum aliquarum rerum haberet, quod Ioan. Pap. habuisse definit: siquidem Dominia hæc, humano superius, & vniuersale, & humanum inferius rei ciuidem in eodem subiecto pugnant æque, atque regnum humano superius & inferius, puréque humanum pugnare docuimus. Vt huic instantiæ satisfiat, atque simul semélque nos hoc testimonio liberemus, tam pro hac, quàm pro conclusionibus certam. 2. statuendis, eius definitionis & argumenti occasio altiùs paululùm memoranda est. Ea verò fuit huiusmodi.

6 Franciscani nonnulli, vt suam Dominicanæ pauperatem insultanter præferrent, afferebant se ergà res; etiam quibus vtebantur, non solùm Dominium non habere, sed nec vsu iuris eis vti; sed solùm ex iure ad vsum eis vsu facti vti, dependenter ab alterius, penes quem Dominium, & ius vtendi erat, voluntate. Christi insuper exemplo se protegebant: quem illo modo rebus vsum, dum in mundo degebat, affirmarunt. Ioan-Pap. vel horum petulantia percitus, vel benuolentia in Dominicanos motus contra Franciscanos illos dupliciter egit: &, vt Doctor disputando (erat enim doctus aliàs vir) &, vt Pontifex definiendo. Definiuit ergo earum saltem rerum, quibus Christus vtebatur, ipsi generatim & absolutè Dominium fuisse; non autem hoc fuisse huius, vel illius generis, humani scilicet, vel humano superioris: quod satis fuit, vt de nomine, (vt reor) Franciscanos illos errantes, ac Christo Dominium vniuersim negantes, compesceret, ac ostenderet ius ad vsum idem prorsus, quod ius vtendi siue Dominium esse, sine quo, cuiuscumque generis sit, rerum vsus illicitus esset, etiam humanitati: Vnde, & Franciscanis rerum, quibus vtebantur, Dominium

Dominium humanum, quod solùm habere poterant, necessariò adesse, ne in earum vsu peccarent.

Constat ergo falsum esse instantiæ assumptum antecedens, nec Ioannem de dominio Christi bassо, siue humano locutum: cum eâ voce, quam vir Doctus satis callebat, abstinuerit; quòd si Dominium aliud superius nunquam cogitauerat, Spiritus sanctus abstinere fecit, vt definiret, ratióque subiuncta definitioni (si ea etiam definita sit, ac non ab illo, vt Doctore particulari adiuncta) consisteret. Sed eam definitam etiam esse non constat.

CERTAMEN II.

Nullius rei Dominium purè humanum seu bassum humanitas Christi habuit.

1 DOminium vniuersale humanum in res omnes mundi, quod bassum vocant Christi humanitatem non habuisse concors Doctorum sententia est: nec minùs conueniunt habuisse humanitatem Christi, humanum bassúmque Dominium rerum aliquarum, quibus fuit vsus, dum apud homines viueret. Ita Soar. supra, à quo nemo discordat. Consentiunt expressè Vadingo citato dubio. 5. vers. fin. §. *Dico secundò* Bernal. citatâ sect. 1. §. 1. num. 3. fin. hoc putant expressè definitum à Ioanne 22. citatis extrauagantibus: cuius oppositum nuper ostendebamus, dum definitionis illius, & occasionem, & sensum explicaremus cert. 1. num. 6. quin & primam conclusionem ex ea definitione deduci vulgò censent Doctores. Eo enim ipso, quod aliquarum fuisse definit, reliquarum Dominium humanum negatur humanitati, aiunt: quia & iuris axioma est *exceptio firmat regulam in contrarium.* Sed quàm malè ac distortè consequens inferatur, ostendi cer. 2. num. 5. etsi de Dominio humano, ac bassо aliquarum rerum intelligendum esset antecedens: quod ex definitionis memoratâ occasione & fine & ratione, apertè monstratur. Occasio enim erat Franciscanorum negantium se, sicut Christum, non habere ius vtendi, siue Dominium rerum, quibus vtebantur. Finis definitionis, tam eos, quàm Christum, habere Dominium rerum illarum, quibus vtebantur; ratio, quia aliàs earum vsus, etiam in Christo illicitus foret: ergo de his, quibus vsus Christus fuit, agitur in eâ definitione reliquis prætermissis, vtpote ad controuersiam, super qua definiebatur, impertinentibus: quare locum non habet regula iuris: quia exceptio non est aliquarum, dequibus controuersia esset. Citiùs ego putarem, ex Dominio bassо humanitatis erga res aliquas inferri eius Dominium bassum vniuersale erga omnes; si enim id genus Dominij vnitam hypostaticè humanitatem deceret, quò vniuersalius, decentius esset, atque illi propterea concedendum.

2 Dicendum igitur nobis est: nullum Dominium humanum, seu bassum humanitati Christi competere. Probatur primò: quia ad illud asserendum nullum est fundamentum. Secundò: quia humanitatem vnitam dedecet sicut, & Deum Dominium quoduis purè creatum, ac sicut humanitatē eandem dedecere humanum regnum docebamus q. 2. Tertio præcipuè quia id Dominij genus est humanitati Christi impossibile: Hoc probo quia Dominium inferius cum superiori circa rem eandem est incompossibile: atqui in Christo est Dominium superius vniuersale circa creata omnia, & singula; ergo humanum bassum inferius circa *reliqua* est incompossibile cum illo: ac proinde nequit humanitati Christi inesse. Maior probatur primò à paritate de regni humani & inferioris incompossibilitate cum regno superiori non purè humano, quam ostendebamus. q. 3. Secundò, quia ideo in Deo nequit esse Dominium creatum inferiùs, quia in eo est superius, scilicet increatum: nam alioqui creato aliquo temporariè, & extrinsecus affici, & denominari, ipsius immutabilitati non repugnat, vt esse creatorem. Tertiò; quia dignitas quælibet inferior respectu alicuius dicit essentialiter negationem dignitatis superioris, respectu eiusdem subiecti, cui inest; ergo & Dominium inferius dicit negationem superioris in subiecto, cui inest; ac proinde est incompossibile cum illo. Antecedens probo, in filiatione adoptiuâ, quæ essentialiter dicit negationem filiationis naturâlis, vt vidimus controu. 4. d. 1. Secundò in dignitate adorationis, quam afferre nata est gratia habitualis, scilicet Duliæ, eámque humanitati Christi, cui inest, non affert, quia adest etiam humanitati eidem dignitas adorationis Latriæ fere supremæ.

3 Probatur quarto vtriúsque Dominij incompossibilitas circa rem eandem: quia Dominium inferius dicit essentialiter subordinationem ad superius, atque Dominij inferioris dependentiam in vsu rei à voluntate Domini superioris, vt hoc renuente nequeat re vti absque huius iniuria: contra verò Dominium superius dicit negationem subordinationis ad inferius, atque superiorem Dominum vti re posse sine dependentia à voluntate Domini inferioris. Aſt hæc omnia dicunt necessariò diuersitatem voluntatum, qua Dominus superior possit velle vti re sua, nolente inferiore, vel qua inferior Dominus velle re eadem vti possit, nolente superiore, quæ in eadem humanitate nequeunt euenire. Item subordinatio necessariò dicit diuersitatem subordinati ab eo, cui subordinatur, quæ repugnat, eiusdem ad se ipsum: ob vtramque repugnantiam nequit idem sui ipsius superior esse: Confirmatur quia ob distinctionem necessariam subiectorum quam essentialiter dicit subordinatio potestatum, implicat eundemmet hominem esse proprietarium, & delegatum. v. g. puta Regem, & sui ipsius Proregem, Episcopum, & sui ipsius Vicarium, & Metropolitanum, & Suffraganeum. Licet autem possit delegatus in delegantis manibus potestatem delegatam renunciare, sicque se illa abdicare, non tamen eam in illum transfere, vt delegatus sui ipsius constituatur, delegatámue erga subditos, in quos proprietariam potestatem habet, deinceps fortiatur: licet possit respectu aliorum, in quos proprietariam potestatem non habet, delegatam ab alio proprietario recipere vt in alterius Regis Proregem, alterius sue Episcopi Vicarium, Rex, & Episcopus alius constitui.

4 Quintò: Probatur incompossibilitas à priori. Nullus quippe titulus Dominij purè humani, seu bassi adesse humanitati Christi potuit, posito Dominio illo, humanis superiori. Non quidem donationis: donari quippe alicui nequit, quod ipsius est, siue in id hæres instituì, aut ex iure hæreditario succedere: nemo enim rei suæ hæres constituitur, & sic de titulis aliis humani, seu bassi Dominij. Licèt ergo plura homini Christo à piis fœminis, virisque, ad victum, & vsum fuerint ministrata atque sic ministrantes, se illorum Dominio voluntariè abdicarint; aſt, nec Christus humanum eorum Dominium acquisiuit, nec eis ex illo, sed ex suo Dominio humanis superiori est vsus quemadmodum ex votis, donisque Deo oblatis, licet Ecclesia Dominium humanum, seu bassum adquirat, secus Deus, respectu cuius non peccatur contra iustitiam, sed solùm contra religionem, si votum non impleatur, vel donata auferantur; etsi respectu Ecclesiæ contra iustitiam peccetur. Denique, quoad vniuersale Dominium humanum speciale ab absurdo argumentum suppetit. Quod nimirum à Christo nato reliquorum hominum Dominia humana cessassent, ne implicatoriè Dominium in solidum humanum, eiusdemque rationis penes duos admittatur.

5 Dices Christum exemplo paupertatis religiosæ

præiuisse discipulis, ac Religiosis omnibus dicens Luc. 14. num. 33. *qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus* atque ad adolescentem Matth: 19. num. 31. *si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Vnde num. 27. Petrus *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: sed nisi rerum dominio se abdicasset non præiuisset exemplo Religiosis: ergo saltem, ex quo prædicare cæpit, se rerum Dominio abdicauit: ergo antea habuit Dominium humanum rerum. Patet. nam Dominio humanis superiori abdicare se non potuit, neque abdicauit, humano autem, quod antea non habuisset, abdicare se non posset. Sed vellem obiectantes sui memores esse. Etenim eis tantum rebus, quibus Christus vtebatur Dominium humanum habuisse illum volunt, ex definitione Ioannis secundi, ex eiúsque ratione aduersariorum modo intellecta: ne scilicet earum vsus esset licitus, & iniustus, nisi Dominium haberet tunc ipsarum: ergo earum rerum, quibus est vsus, Dominium non renunciauerat humanum, cum eis vtebatur, vsuque consumebat: at aliarum Dominium humanum non habuit per aduersarios, qui illarum solùm habuisse volunt, saltem non omnium: ergo nullum Dominium humanum renuntiauit. Quomodo ergo renuntiantibus discipulis, & religiosis rerum suarum Dominium præuit exemplo, vt illum etiam in paupertate sequerentur? respondeant etiam aduersarij. Si enim solùm humanum Dominium remittunt, hoc non renuntiauit, in eorum sententia; si aliud etiam admittunt humano superius, hoc non est renuntiabile, vt arguebatur.

6 Respondeo ergo pro omnibus de essentia paupertatis, etiam Religiosæ, subsistantiáque eius non esse abdicationem Dominij rerum, sed vsus earum independenter à voluntate Prælati, vt constat in nostris Scholaribus, aliisque, qui gradum fixum in Societate nondum habent: ij enim votis biennij emissis, quibus substantialiter, atque essentialiter religiosi constituuntur, sola abdicatione vsus independenter à voluntate Superioris iurata, promissáque à Deo: & tamen retinent bonorum Dominium. Huic autem paupertati, licet nec Dominio humano renunciarit Christus, quod non habuit, nec humanis superiori, cui non potuit, exemplo præstantissimo præiuit renuntians rerum vsui ex Domino illo independenter à perfectissima voluntate diuina. Licet autem in hominibus perfectior paupertatis gradus sit Dominio se etiam abdicare, quia firmiorem paupertatis statum, contra humanam instabilitatem, atque mutabilitatem de se adducit: ac proinde discipulos Christus, ne à perfectione bonorum amore regrederentur, vt Dominio etiam se abdicarent hortabatur; ast hac stabilitate status omissa, perinde est vsum Dominij rerum tuarum paupertatis amore impeditum voluntariè habere: cum autem mutabilitatis periculum in Christi voluntate humana non esset, non video quid amplioris perfectionis in ipso esset renuntiatio voluntaria Dominij humanis superioris rerum, etsi esse posset, atque constans illa sua renuntiatio vsus rerum independenter à voluntate perfectissima diuina. Qua verò ad exemplum præstandum attinet, si quantum potuit paupertatis præstitit, satis exempli dedit, vt nos præstemus quantum possimus; licet nobis Dominij etiam humani, quod ille non habuit, renuntiatio, materia vlterior sit. Sic etiam exemplo suo ad vincendas tentationes, etiam internas nos docuit, quas tamen ipse non habuit, ac proinde nec vicit: An verò renunciatio hæc Christi medio voto fuerit? negare videtur S.Th.22. q.84. a. 4. ad 3. quia alias in obseruatione voti liber Christus ratione antecedentis impeccabilitatis non esset. Sed cum hanc difficultatem in operibus præceptis emollierim non reuuam votum intercessisse cum Bernale d.62. sect. 1.

DISPVTATIO II.

De Sacerdotio Christi.

DE Sacerdotio Christi hæc videntur posse generatim inquiri. An Christus sit Sacerdos? secundo de huius Sacerdotij cum aliis similitudine, & qualitatibus. Tertiò de huius imagine in Sacerdotio Melchisedech. Quartò de huius Sacerdotij duratione. Quintò de eius actu nempè Sacrificio.

QVÆSTIO I.

An Christus propriè Sacerdos fuerit.

VM Sacerdotium, quaque ratione Christo Domino conueniat, quæstione præsenti examinandum est: vbi Sacerdotij Christi subiectum, & formam statuemus.

CERTAMEN I.

Christi Sacerdotium adstruitur.

1 NOn agimus de Sacerdotio laxè sumpto, quodque in Christianis, iustísque omnibus adest: iuxta 1. Petri 2. *vos autem genus electum, regale Sacerdotium*: & Apocal. 5. num. 10. *fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Ad eum nimirum modum, quo bona opera sacrificia dicuntur Psal. 50. num. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, Ad Hebræ. 3. num. 16. *Beneficientiæ autem, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Agimus enim de Sacerdotio propriè, & strictè dicto, dum an in Christo sit? disputamus. Sacerdotium igitur proprium in communi sic definiuit Medina 3. p. q. 22. a. 1. vt munera potius, quæ Sacerdotes veteris legis exercebant recensuerit omnia, atque eorum aliqua periphrasi sæpe sua definitione vitiosè repetierit. Toletus de instruct. Sacerd. c. 1. num. 1. sic Sacedotium, siue Sacerdotem definit. *vir cultui veri Dei authoritate diuina determinatis personis concessa firmiter deputatus.* Sed primo definitio hæc Sacerdoris, siue Sacerdotij in communi non est, primo: quia fœmina absolutè Sacerdos esse potest: vt constat ex Sacerdotibus gentium: vt propterea Sacerdos generis communis duorum à grammaticis habeatur; nec minùs esse posset apud fideles fœmina Sacerdos, vel Angelus, si Dei legem excludas. Secundò: quia ad verum Sacerdotium non est opus deputatione eius ad Dei cultum per diuinam authoritatem; satis enim esset, si à populo, cui erat Sacerdos futurus in Sacerdotem deputaretur. Deinde, nec legis Christianæ Sacerdos, qui solùm definiri intendebatur à Toleto exactè definitur; nam, & Laici religiosi authoritate diuina ad Dei cultum instituí, & deputari possunt, quin ad offerendum Sacrificium, atque in Sacerdotes deputentur.

2 Exactius igitur Vasquez d. 85. c. 2. Soar. infrà, atque ex eis Bernal. d. 60. sect. 1. §. num. 4. Sacerdotem, ac subinde Sacerdotium generatim definiere. *Rationalis creatura per publicam authoritatem ad offerendum Sacrificium constituta.* Desumitur definitio ex Paulo ad Hebræ. 5. illis verbis *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia*, &c. ac statim. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo,* (ciúsque authoritate publica) *tanquam Aaron.* Vbi, quia de veteris legis sacerdotibus agebat dixit ex hominibus, & ex publica Dei authoritate esse debere. c. autem 8. num. 3. generalius loquens aiebat. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur.* Quod autem authoritas, qua rationalis creatura ad offerendum sacrificium deputetur, publica esse debeat, nec sufficiat priuata, Probatur facile: quia Sacerdos est publicus populi totius Minister ad Deum, quem populo sacrificij oblatione placet, & conciliet: publicum autem ministerium, nisi publica authoritate, conferri nequit. Confirmatur, quia nec sacrificium, quia toti populo inseruire debet, priuata authoritate institui valet. Nec de hoc controuersia esse potest.

3 Dices Patresfamilias in lege veteri sacerdotes fuisse ad sacrificandum Deo Paschalem agnum, quin ad id muneris publica authoritate deputarentur. Sed vero extremum hoc falsum est: publica enim Dei authoritate deputatos illos ad agnum sacrificandum fuisse testantur Philo. Hebræ. 3. de vita Mosis, & lib. de decalogo Ioseph. 2. antiquitat. cap. 6. &, quod caput est, Scriptura 2. Paralip. cap. 3. num. 15. Maior esse posset difficultas de publica authoritate constituente creaturam rationalem ad sacrificandum, an sufficiat humana, vel esse etiam debeat diuina? Etenim ideo dicitur posse esse humanam, & publicam, quia instituitur, vt sacrificia offerat Deo pro hominibus populo, vt eis Deum conciliet, ac placet: ergo munus, in quod Sacerdos constituitur verumque extremum respicit, & hominum populum, & Deum, æqueque essentialiter verumque: ergo, sicut ex eo, quod hominum populi interfit, ac referat munus Sacerdotis, populi authoritate ad illud est deputandus Sacerdos: ita, quia Dei, cum quo de placatione, & propitiatione erga populum eo munere necessario agendum est cuiusque illud munus refert, authoritas debet intercedere, vt ad illud Sacerdos aliquis deputetur. Respondetur tamen munus Sacerdotis esse munus oratoris, & legati dona & preces ad Deum ab hominibus deferentis. Ex natura autem rei, qui rogat, orat, donáque mittit potest oratorem, atque internuntium allegare: quare populi deputatio satis erit: etsi Deus, quia populi Dominus, possit etiam se solo deputare etiam, cùm vellet, vel per se, vel per alium, cui suam authoritatem committat; vt in lege scripta, & gratiæ efficit.

4 Ex data definitione dubitari ab vllo cordato nequit, quin Christus Dominus strictè, ac propriè Sacerdos, & Pontifex fuerit. Licet enim Deus sit, quà homo vero, siue secundum humanitatem est etiam *rationalis creatura*: item Dei authoritate publica deputata, vt sacrificium ipsi cruentum sui corporis semel, ac semper incruentum in Eucharistia offerret, vt constabit ex q. 5. vbi vtrumque proprium Sacerdotium esse à Christo Domino, qua homine oblatum Deo ostendemus, pluráque ex Scriptura in huius conclusionis probationem inducemus, atque eam à nonnullis expediemus difficultatibus. Secundo conclusio hæc est adeo expressa in Scriptura, vt à nullo, quem viderim, hæretico etiam, in dubium vocetur Psalm. 109. numer. 5. *Tu es Sacerdos in æternum*, quæ verba, sicut, & reliqua Psalmi huius, Patres omnes de Christo, imò & ipse de se, interpretati sunt. Ad Hebræ. 3. num. 1. *Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum.* & toto cap. 7. quod de Sacerdotio Christi est, præcipuè n. 24. *His autem*, Christus, *eo, quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Id Dei iuramento datis Psalmi verbis notauit Paulus num. 20. item num. 26. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex Sanctus innocens, &c.* Denique c. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, &c.

5 Eandem conclusionem virtute definiuit, & supponit Concil. Alex. epist. ad Nestor. 10. inter epistolas Cyrilli Alex. anathematismo 10. in defensione anathematismor. contra Theodoretum, & Orientales. Postea verò Concil. Ephesinum epistolam præfatam, & anathematismos, & amplectens conclusionem expressè definit. Eam denique definiuit concil. Trident. sess. 22. can. 1. & 2. virtualiter, expressè vero, & formaliter cap. 1. vbi etiam ex professo probauit. Ex Patribus August. 4. de Trinit. cap. 14. sic scribit: *Quis ergo tam iustus, & sanctus Sacerdos, quàm vnicus filius Dei, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata*, &c. vt aiebat Paulus ad Hebræos 7. num. 26. S. Ignatius Mart. epist. 10. ad Smyrnens. Episcopum honorandum, vt imaginem Dei, & Christi *Dei quidem propter principatum, Christi vero propter Sacerdotium*, aiebat. Reliqua Patrum testimonia passim magno numero occurrunt: ex quibus plura decursu disputationis proferemus. Nunc autem dicta satis erunt, vt conclusionem prædictam tanquam dogma Catholicum in sacra Scriptura clarè expressum, in Conciliis definitum, atque à Sanctis Patribus expresse traditum, & teneamus, & veneremur.

CERTAMEN II.

Sola Christi humanitas est Sacerdotij ipsius subiectum.

1 ARrius apud Euseb. 10. demonstrat. Euang. cap. 1. & apud nostrum Turrianum in scholiis ad Clementem Rom. 8. constitut. Apostolicar. cap. 46. cum videret humanitatem Christi fuisse præfati Sacerdotij; sacrificium, docuit diuinitatem, siue Christum, quà Deum, vel potiùs, quà Verbum, quod Deum esse negabat, fuisse Sacerdotem: quia secundùm idem Sacerdos, & sacrificium esse non poterat. Ob eandem rationem Stanislaus Sarnicij apud Stancarum lib. de Trinit. & Mediatore & refutat prioris epistolæ Tigurinor. teste Bellarmino 1. de Christo cap. 2. in eundem incidit errorem, licet verbum Deum esse contra Arrianos cum Catholicis fateatur. Sed tamen inde nullo negotio falsitatis conuincitur. Etenim de ratione Sacerdotis est inferiorem esse eo ad quem Sacerdos instituitur, & quem suis sacrificij actibus colit, ac veneratur: atqui Christus, qua Deus Verbum, si hoc Deum esse admittas, siue secundum Deitatem Deo, ad quem Sacerdos institutus fuit Christus, quique actu eius Sacerdotij, nempe sacrificio colitur, inferior non est, sed æqualis, imo idem cum illo, nisi Arrianizetur: ergo sine hæresi Arriana, quam hic nouator exhorret, nósque difiecimus controu. de Trinit. disp. 2. nequit asseri verbum, seu Christum, quà Deum esse subiectum Sacerdotij, quo argumento reuincitur error alius Caluini, ac Ministror. Tigurinorum Bullingeri, & Petri Martyris epistolis ad Polonos, Simberi, & aliorum apud Bellarmin. proximè, Spencæi opusc. de Christo Mediatore cap. 5. asserentium Sacerdotis, & Mediatoris officium in vtramque naturam diuinam, & humanam Christi cadere. Nam, si actio sacrificandi dicatur partialiter diuisibiliter à Deitate prouenire, conuincitur eius inferioritas respectu Dei; sin vero partialiter indiuisibiliter, præterquam, quod vna dabitur operatio, & voluntas sacrificandi verique naturæ communis cum Apollinare, & Monothelitis, vel Euthychiana confusio naturarum in Christo, explicari nequit, quo pacto sacrificatiua illa actio, prout à Deitate sit actio sacrificandi sine Deitatis inferioritate.

2 Reliquum ergo est, vt Catholicè dicamus solam Christi humanitatem esse Sacerdotij subiectum: quare Christum, quatenus hominem tantum, non autem, quatenus Deum etiam, Sacerdotem esse. Ita Doctores omnes tam hic, quàm de subiecto Mediatoris, cuius munus in officio Sacerdotis includitur, agentes, vbi, & nos referemus. Hos referunt, & sequuntur Bellarm. proxime Vasquez d. 83. d. 3. num. 11. Soar. d. 46.

46. sect. 2. §. *dicendum secundò* Bernal. d. 60. sect. 2. n. 11. Probatur: quia in sola humanitate, non autem in Deitate, ac solùm quatenus homo non autem quatenus Deus Deo est Christus inferior, vt ei cultum per sacrificia possit exhibere. Accedunt Ambros. 3. de fide c. 5. dicens. *Sacerdotium tamen, & sacrificium humanæ conditionis officium est.* Augustin. 1. consensu Euangelistar. c. 3. *secundum hominem Christus Rex, & Sacerdos effectus est, vt esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus* Fulgentius de fide ad Petrum c. 2. *solus Sacerdos sacrificium, & templum, & hæc omnia Deus secundum rationem serui.* Vt videant hæretici, quàm non pugnet in humanitate eâdem Sacerdotium, & sacrificium. Accinit Cyrillus Alex. epist. ad Nestor. & in defens. Anathematismi 10. Hieronym. ad id Psalmi 109. num. 5. *iurauit Dominus.* An verò Sacerdotium humanitati toti primario competat, an solùm animæ, & eius ratione humanitati? dubitatur à nonnullis. Vasq. citatus extremum censet: quia ei competit primariò, & ratione sui Sacerdotium, cui competit vnctio (vnctione quippe in Sacerdotes destinantur, & constituuntur rationales creaturæ) atqui vnctio Deitatis, cum sit vnctio sanctitatis primario, & ratione sui soli competit animæ, atque ratione illius toti humanitati: ergo, & sic vtrique Sacerdotium competit. Sed tamen, cum Sacerdotij vnctio, & formaliter sanctificatio, & sanctitas formalis non sit, licet ab eadem Deitate, quæ vnguentum ad vtrumque est, formalitas proueniat, nil argumentum probat. Esse ab eadem Deitate prouenit formaliter Deificari, & tamen tota humanitas primariò, & per se, nec solùm ratione animæ deificatur, licet ratione sui ab eadem primariò non sanctificetur, sed ratione animæ.

3 Sed dicunt Recentiores nonnulli apud Bernal vbi proximè, Christum *quatenus est homo Deus* Sacerdotem bono, & Catholico sensu dici posse, quod videatur à Caluino, & sociis solùm contendi. Impugnat Bernal propositionem: quia *quatenus* denotat subiectum, atque id, quod in recto dicit Sacerdos: quare reddit ea propositio hæreticum sensum: nempè Deitatem esse partiale subiectum Sacerdotij in Christo. Frigida, & planè falsa impugnatio: quia particula *quatenus* denotare potest formam, imò frequentius, & vsitatius, cum specificatiuè sumitur, siue specificatur ratio, ob quam prædicatum competit subiecto, formam denotat, quare, & hic poterat formam denotare. Secundo: debeat denotare subiectum, seu rectum nominis: cum nomen hoc substantiuum sit, nempè Sacerdos, quod substantiuè vsitatiùs, & connaturaliùs significat atque vsurpatur, Sacerdotij formam in recto significabit: quæ est Deitas, vt videbimus cert. sequenti: quare ea ex parte falsa propositio non erit. In eo autem sensu esse erronea nequit: nam, licet humanitas dicatur pars formæ Sacerdotij, nullum continet errorem, licèt falsam contineat doctrinam: quia homo Deus non forma Sacerdotij in Christo, sed totus est Sacerdos, vt patet: quare in sensu specificatiuo, siue forma, siue subiectum Sacerdotij voce *quatenus* denoretur, reiicienda est, vt falsa, propositio Recentiorum; si autem sumatur illud *quatenus* reduplicatiuè vera erit propositio illa *quatenus homo Deus est Sacerdos Christus* Est enim eadem, atque hæc: *Christus, quatenus Christus, est Sacerdos.* Nam homo Deus idem, quod Christus est: At hic, nec sensus Caluini est, neque præsentis quæstionis de subiecto Sacerdotij Christi, vt patet.

4 Oppones pro hæresi Stanislai Sarnicij, & Arrij Cyrillum Hierosolim. Catechesi 10. apud Soarium in hæc scribentem de Christo: *habere Sacerdotium immutabile, quod, nec tempore capit, nec successorem alium habebit Sacerdotij.* Et Catechesi 11. init. *Non ex hominibus promotione aliqua in Sacerdotium ascendit, sed semper Sacerdotij dignitatem habuit.* Ergo Sacerdotium Christi initium temporis non habuit, sed semper extitit, fuitque æternum: atqui Sacerdotium æternum non fuit in humanitate Christi, quæ æterna non fuit, sed temporalis: ergo in sola Deitate fuit: ac proinde hæc fuit eius Sacerdotis subiectum. Respondetur primo ex Vasquio locum secundum esse prioris interpretationem, vt tantundem valeat *æternum* illud primi, atque illud *semper* secundi, nec significet æternam à parte antedurationem, si absolutè infinitam, sed solùm totam Christi durationem, vt sensus sit, nunquam non habuit Sacerdotium, ac semper, quandiu fuit nimirum, fuit Sacerdos: sic enim sæpè æternum vsurpatur vulgariter. Respondeo secundo: illud æternum, siue *quod nec tempore capit* ad Sacerdotium manifestè pertinere, quod refert, siue cuius est relatiuum *quod*, cuique concordat, non autem ad habere: quare, licet æternæ in Christo, temporalive eius humanitate non fuerit Sacerdotium æternum, verè æternum est, nec vt æternum Sacerdotium, siue Sacerdotis forma, quæ sola diuinitas est, fuerit, oportuit in aliquo esse subiecto: ac proinde malè ex illius æternitate infertur in Deitate tanquam in subiecto extitisse. Neganda igitur merito erit consequentia postrema.

Oppones pro Caluino illud 2. Corinth. 5. num. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* & Actor. 20. *quam*, Ecclesiam, *acquisiuit Deus sanguine suo.* Reconciliare autem nos sibi Deum, idque sanguinis sui effusione, quid aliud est, quàm Deum Sacerdotem esse, cuius officia sunt, & sanguinem rei sacrificatæ effundere sacrificando, & eo sacrificio populum Deo reconciliare. Id quod definitum videtur à Concil. Ephesin. can. 10. ex doctrina Cyrilli Alex. Epistola citata ad Nestor. & defens. Anathematismorum ad 10. Respondetur hæc omnia per idiomatum communicationem solum in Deo locum habere, & dici à Patribus, & Conciliis: quare nihil pro Caluinistis præstare. Id quod satis apertè recitata testimonia ostendunt: cum nullo alio sensu, sanguinem suum effudisse, suoque sanguine Ecclesiam acquisiuisse dici Deus possit. Instant nihilominus Caluinistæ: Renouare, & dare Spiritum, doceréque, vt Magistrum, sunt Sacerdotis officia, & Mediatoris ex August. c. 33. Enchiridij; hæc autem sunt propria etiam officia Dei teste etiam August. lib. de Magistro c. 11. iuxta id Psalmi 39. *qui docet hominem scientiam*: ergo munera Sacerdotis sunt etiam propria Dei: ac proinde Christus, quà Deus etiam, est Sacerdos. Respondetur: docere non esse officium proprium Sacerdotis, licet ei etiam competat reliqua vera physicè operari, vt operatur, præstátque Deus Dei esse proprium non Sacerdotis; meritorié, & impetratiuè proprium Sacerdotis esse, qui ea mediis orationibus & sacrificiis Deo oblatis populo à Deo obtinet, vt loco citato docet Augustinus: at Deus, quà talis nullatenus sic à Deo impetrat & obtinet, imò nec potest, sed solùm, quà homo factus in Christo fuit.

Opponunt Caluinistæ illud Ioan. 10. *Ego pono animam meam vt iterum sumam eam*: dum de sacrificio, quod, vt Sacerdos obtulit, Christus loquitur: atqui animam ponere, vt cum voluerit, resumat, Christi quà Dei, non, quà hominis est: ergo, quà Deus est, & dicitur à se ipso Sacerdos. Totum hoc friget, si dicas per idiomatum communicationem dictum. Sed ad literam rigidius ex August. tract. 47. in Ioan. positionem animæ, vel dicere separationem animæ, & resumptionem reuniones dicere: & sic non à verbo, à quo nunquam anima separata est fuisse, sed à sola carne: vel dicere mortem, & resurrectionem humanitatis: & sic mors actiuè ab hostibus fuit, non à Verbo vnito, neque ab humanitate. solum ergo mors dicitur à Christo esse, quatenus ab eo acceptata fuit, cum ab hostibus offerebatur, & quatenus se illis obtulit: & sic acceptatio humanitatis fuit propria, sicut & ad hostes processio ex humana voluntate: quo etiam pacto &

& humanæ voluntatis fuit vitæ atque animæ resumptio, quæ ex Dei virtute, nutui tamen humanæ illius voluntatis alligatæ. Illud igitur non personam ibi, sed humanitatem refert, licet grammaticaliter personam soleat referre sicuti & in sequentibus. *Nemo etiam tollit à me, sed ego pono eam à me ipso*, id est mea humana voluntate, non aliena hominis alterius, *& potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam*: ad humanæ meæ voluntatis nutum, cui virtus diuina alligata ad resurectionem meam peragendum est. Ac rursus. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*: vbi *me*, & *ego* humanitatem refert apertè, non Verbi personam, siquidem illa non autem Verbum ob eiusmodi voluntatem, humanam scilicet, deligitur. Neganda igitur est Caluiniani argumenti minor. Plura addunt Caluinistæ, quæ potiùs Mediatoris subiectum impugnant, commodius, vbi de eo agemus, diluenda. Illud autem Arrij, & Sarnicij argumentum cert. vlt. ex professo difficietur.

CERTAMEN III.

Sacerdotij Christi forma diuinitas fuit.

1 STancarus. lib. de Trinitate, & Mediatore, in refutat. Epistolæ Tigurinor teste Bellarm. t. 1. controuers. lib. 1. de Christo c. 2. in sola humanitate Mediatoris officium, quod fere cum Sacerdotio confunditur, adæquatè constituebat. Eam Stancariani omnes sequuntur asserentes solam nudam humanitatem opera Mediatoris propria, nostríque omnium iustificatiua elicuisse, vt referunt Lindanus Dialogo dubitantis c. 4. venerabilis noster Beatus Canisius. 1. de corrupt. tel. verb. Dei. §. *Ad Stancarianos.* Hic autem error in Nestorianismum, vel ex Nestorianismo cadere videtur: negata quippe vnione physica Dei ad humanitatem, solaque affectiua Nestoriana concessa, inferri solùm potest humanitatem, neque Deitate inungi, neque eius opera à Deitate, ac persona Verbi ad meritum dignificari. Ex eodem errore Nestoriani apud Cyrillum defens. Anathematismi. 10. aiebant Christum paulatim; & quasi per gradus ad Sacerdotium, & Apostolatum ascendisse: non secus atque homines alios veteris Testamenti, cum quibus simile rationisque eiusdem Sacerdotium, quare, & ex simili principio Christum habuisse putabant. Nec nimium ab horum delirio distare videtur vir alioqui pius, & Catholicus Vvaldens. t. 1. de Sacramentis. c. 116. num. 6. vbi ex falsâ quâdam Suidæ historia verbo *Iesus* docet Christum Sacerdotum suffragiis in gradu Lectoris inter Leuitas fuisse constitutum: tum quia vendentes eiecit de Templo: tum quia Isaiam in Synagoga interpretabatur. Sed primum non ex Leuitico gradu, sed ex Dominio, quod vt Deus in templum habebat, & zelo diuinæ gloriæ, quod, non solum, vt excellentissimus Propheta, sed, vt Filius naturalis Dei, quatenus homo habebat, effecit, vt notauit Ioannes, c 2. num. 17. alioqui, si, vt Leuita flagellis vendentes eiecisset Iudæos non rogarent ipsi num. 18. *quod signum ostendu nobis, quia hæc facis?* cum id è suo munere publico facere posset: Christúsque non ex potestate miraculosæ suæ resurectionis respondisset num. 19. Sed ex notissima illa Leuitica potestate. Quod autem Lector deputatus fuerit, malè eo argumento interpretationis Scripturæ in Synagoga probatur. Id enim muneris, non Lectorum, ac Leuitarum erat, sed docti & eruditi cuiusque, vt patet in Paulo, qui Beniaminici, non Leuitici generis, neque vnquam inter Leuitas numeratus, Sæpe tamen annuentibus cunctis Scripturam in Synagoga interpretabatur. Neque multo minùs displicet nostri Bernalis sententia. d. 80. sect. 1. §. 3. num. 19. vbi in humanitate Christi asserit fuisse Sacerdotium simile Sacerdotio legali Patrum familias Hæbræorum ad sacrificandum agnum Paschalem. Sed tamen eiusmodi potestas Christo è sola dignitate capitis potuit competere: nam purè politicus Pater familias non fuit, eiusmodi enim superioritas purè politica, & humana magis dedecebat humanitatem vnitam, quàm regia purè humana dignitas, & potestas: aut ex lege Sacerdotium eiusmodi solis Patribus familias competebat: ergo non competebat Christo.

2. Secundo: cum Sacerdotium Christi humanis omnibus, & dignitate, & potestate longe esset superius, & excellentius, vt Bernal ipse fatetur, erat id omne sacrificium, & actum Sacerdotale eiusceumque Sacerdotij: cum omnia eminentissimè Sacerdotis, eorúmque potestatem in se clauderet: ergo, & Sacrificium agni Paschalis in potestate, siue sub potestate Sacerdotis illius superioris, Sue supremi Christi continebatur: ergo, & ab eo Sacerdotio, eiusque potestate potuit Christus sacrificare Deo Paschalem agnum, quin ad legitimum sacrificium agni Paschalis Sacerdotium illud inutiliter, & indecenter Christo attribuamus. Denique, vt simul, & Sacerdotium purè humanum Nestorianorum, & Stancari, & hæc affinia Valdensis, & Bernal, &, si quæ alia similia, à Christo ablegentur, arguo sic. Sacerdotia eiusmodi purè humana temporalia sunt, & imperfecta, teste Augustino. q. 61. & 83. in Psalmum. 109. atque illo, quod habebat superiori ex vnione ad Deum longè inferiora: ergo Christum dedecebant: sicut de Regno humano adhuc vniuersali docebamus supra: quare, nisi negara vnione physica hypostatica humanitatis cum Nestorianis quos controu. 1. d. 2. impugnauimus, admitti non possunt. Secundò: nullum ex eiusmodi Sacerdotiis humanis constat ex Scriptura, traditione, aut Patribus: sed ex sola Nestoriana hæresi: ergo temerè, & periculosè admittetur de facto in Christo ertio: Patres omnes, qui de hac re egerunt, Tapertis verbis eiusmodi Sacerdotio Christi reclamant, & Cyrillus Hierosolymitanus pro errore Sarnicij obiectus cert. 2. num. 4. Patérque ipse Psalmo 109. num. 5. vbi post æternam Verbi incarnati generationem ait *Tu es Sacerdos in æternum* non temporaliter. Adde Sacerdotes legales, & non intrusos, linea paterna ex tribu Leuitarum futuros necessariò: Exodi 29. Leuitici. 8. Reg. 1. nec maternam Leuiticam lineam satis esse: alioqui, cum fœminæ Leuitici generis plures viris Iuda nupeissent Exodi. 6. & 4. Reg. 11. viri plures ex tribu Iuda Sacerdotes esse possent: id quod à Rege Ozia ex eo tribu linea paterna, licet Leuitico materno, graui pœna punitum est. 2. Paralip. 6. Christum autem paternam lineam veram non habuisse de fide est: putatiuam verò per Ioseph, & de tribu Iuda fuisse, ex fide & Euangelio constat, satisque erat omnibus tunc notum: imò nec linea maris mascula Leuiticus erat cum Deipara etiam ex tribu Iuda totam masculam lineam habuerit. Vel ergo intrusus Sacerdos purè humanus dicendus erit blasphemè, vel nullatenus purè humanus Sacerdos.

3 Vera igitur sententia docet formam Sacerdotij Christi totam esse Deitatem, vel personam diuinam, qua eius humanitas vnionis hypostaticæ interuentu inuncta est, ac delibuta. Ita expressè, vel supponunt, vel affirmant Theologi omnes antiquiores in 4. d. 4. & Interpretes cum S. Th. 3. p. q. 36. a. 5. dum afferunt Christi Sacerdotium non ponere in eius humanitatem qualitatem aliquam, sed solùm dignitatem conuenientem ipsi ratione vnionis hypostaticæ. Expressiùs Vasquez d. 58. c. 2. num. 11. Soar. d. 46. sect. 3. §. *dico primo* §. *vnde obiter.* §. *ex quibus.* Scio Bernalem dissentire, non solum, quoad Sacerdotium ad agni immolationem impugnatum, sed etiam, quoad vniuersale Christi Sacerdotium, quod non sola Deitate, & vnione constitui, sed vlteriori voluntate, & institutione diuina aiebat. d. 60. sect. 1. §. 3. num. 18. quo, licet quoad

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

amplitudinem legalibus ſacerdotiis ſuperius Chriſti Sacerdotium admiſit, quoad formam ipſius ad æqualitatem cum illis indecorè deiecit.

Probatur primò concluſio: quia humanitas Chriſti mediâ vnione hypoſtaticâ inuncta ac deliburata eſt per Deitatem, ſeu perſonam diuinam vnguento ſummè perfecto, atque infinito, vt vidimus controu. 4.d. 4.q.1.cert.1. ex Patribus pluribus: ergo media ſola vnione hypoſtatica inuncta eſt vnguento Deitatis quod ſuperiori, atque eminentiori modo contineat triplex illud vnguenti genus, cuius meminit Hieronym. in id Abacuc. 3. *in ſalutem cum Chriſto tuo*: nimirum, quo vel in Reges, vel Prophetas, vel Sacerdotes homines inungebantur. Confirmatur quia vnctione iſta Deitatis vnione hypoſtatica interueniente formaliſſimè inuncta humanitas fuit in Regem vniuerſalem, Chriſtúſque, quatenus homo, Rex vniuerſalis conſtitutus, vt d. 1. oſtendimus obſeruauítque luculenter Nyſſenus opuſc. de profeſſione Chriſtiana ante med. & opuſc. de perfecti hominis forma poſt initium: ergo eſt eadem vnctione formaliſſimè inunctus in Sacerdotem ſummum, & vniuerſalem, taliſque formaliſſimè conſtitutus fuit. Æque enim inunctio ad vtrámque dignitatem, & poteſtatem requiritur.

4 Hoc vnctionis humanitatis per Deitatem argumento vtuntur Patres ad rem hanc Cyrill. Alex. 2.de recta fide ad Reginas c. *de eo, quod Chriſtus ſanctificatus eſt*, & de Sacerdotio. §. *nullus accepit ſibi.* Vbi differentiam aſſumptionis Chriſti, & Aaron in Sacerdotes ita ſcribit: *Nam ille* Aaron *inungitur ad miniſterium & erat ſeruus, at ille tanquam filius*; inunctus, *vocatus ſe. cundum ordinem Melchiſedech miniſtrat Patri.* Ac ſtatim miniſterij diuerſitatem ex 7.ad Hebræ. ſic deſignat: *qui non ſecundùm legem carnalis mandati factus eſt*, legali vnctione, *ſed ſecundùm virtutem indiſſolubilis vitæ.* & 5.in Geneſ.longè à princip.aiebat: Chriſtum in Sacerdotem oleo lætitiæ, quod non reperitur in terris, conſtitutum fuiſſe: nempe diuinitatis oleo, vt dixit 4. in Ioan. cap. 29. Naz. orat. 40. in S. Baptiſma. Poſt init. ait nomine vnctionis, ſicuti, & aliis Baptiſma, & eius donatorem Chriſtum ſignificari, & appellari; *quia ſacer*, & *Regius. Huiuſmodi enim erant, qui vngebantur*: in Reges ſcilicet, & Sacerdotes: aſt vnctum fuiſſe Chriſtum vnguento ſolo Deitatis docuit ſæpe Naz. recitatus loco citato controuerſiæ, & diſputationis 4. Expreſſius adhuc ad rem iſtam eius interpretes Elias Cretenſ. in orat.1. Naz. expendens illud: *Ac dæmones quidem* ſcribit: *Chriſtus vocatus eſt propterea, quod humanitatem Deitate inunxerit: atque etiam, vt Rex & Sacerdos* nimirum huiuſmodi vnctione conſtitutus. Tandem Germanus Patriarcha Conſtantinop. Theoria rer. Eccleſiaſtic. poſt init. *vngi oleo baptizatos eſt inſtar olei, quo Reges, & Sacerdotes, & Prophetæ vngebantur: vt etiam Chriſtus vnctus eſt, tanquam Rex, & Sacerdos vnctione incarnationis*: quid ad præſens argumentum illuſtrius?

5 Secundo probatur eadem concluſio: quia propterea Chriſtus Sacerdos, & Pontifex natura dicitur, quia non electione, aut conſecratione ſuperaddita, ſed natura ipſa diuina, altera nimirum è duabus, quas intrinſecè, & eſſentialiter continet, quaque eius humanitas talis conſtituitur; Sacerdos, & Pontifex eſt. Ita loquitur Clem. Rom. 8. conſtitut. Apoſtol. cap. 46. *Primus igitur natura Pontifex vnigenitus Chriſtus, non ſibi honorem rapuit, ſed à Patre conſtitutus eſt.* Damaſc. orat. 2. de B. Mar. Natiuit. longè ab init. ait *Sacerdotij, & Regni dignitates non ſecundum carnalem legem Chriſtum habuiſſe, nec ratione humanitatis tanquam formæ, verum iuxta indelebilis vitæ potentiam dignitatem vtramque, hoc eſt, tum Sacerdotij, tum Regni ſuapte natura habere certo teſtimonio declararetur.* S. Ignatius Mart. epiſt. 10. ad Smyrnenſ. poſt med. ait. *qui aduerſus illud*, Sacerdotium, *fuerit non hominem ignominia afficit, ſed Deum, & Chriſtum Ieſum, qui natura ſolus eſt ſummus Sacerdos Patris.* Sicut ergo ſolus ex Sanctis dicitur natura ſanctus Chriſtus, quia altera ex naturis, quas eſſentialiter habet, formaliter ſanctificatur, nempe natura diuina, atque ideo etiam natura Chriſtus, & vnctus nominatur à Dionyſio Alex. epiſt. contr. Paul. Samoſat. & à Concilio Francfort epiſt. ad Epiſcop. Hiſpan. col. 7. ita, & dicitur natura Sacerdos, quia eadem natura diuina formaliter Sacerdos conſtituitur. At dices: ſi natura diuina Chriſtus Sacerdos conſtituitur formaliter, vt quid Chriſto Sacerdotium iuramento confirmat Pater Pſalm. 109. num. 5. *iurauit Dominus, & non penitebit eum: tu es Sacerdos.* Reſpondetur iuramentum non eſſe promiſſorium Sacerdotij, ſed perpetuitatis Sacerdotij, ſiue vnionis: qua Sacerdos conſtituebatur formaliter.

At inquit Bernal dici à Patribus hominem Chriſtum natura Sacerdotem, quia natura ſua humanitas vnita exigebat Sacerdotium, non, quia media vnione formaliter illud recipiebat per Deitatem. Contra primo: quia non ignorabant Patres naturalitatis, ſiue naturæ iure plures in lege naturali, & veteri Sacerdotes fuiſſe, & tamen non illos, ſed ſolum Chriſtum à natura Sacerdotem vocant: ergo, quia putant vnionem, & naturam diuinam non ſolum ius naturæ, ſeu naturale, ſed potius Sacerdotium ipſum humanitati Chriſti formaliter afferre. Contra ſecundo: quia eodem modo dicunt hominem Chriſtum natura ſanctum eſſe, & natura eſſe Sacerdotem: at per te ſanctus natura dicitur, quia naturâ ipſa Deitatis eſt formaliter ſanctitas humanitatis vnitæ, nec ſolum ius naturæ, ſiue naturale ad ſanctitatem: ergo, & deber dicere Sacerdotem natura ab iiſdem appellari Chriſtum: quia natura diuina, non ſolum habet ius naturæ, ſeu naturale Sacerdotium, ſed Sacerdos formaliter conſtituitur. Contra tertio: quia vnctio Deitatis æque conſtitutio Sacerdotij & Regni eſt atque ſanctificatio, vt ex Patribus vidimus, æqueque inde Patres probant, ac Theologi ex illis ſanctificari Deitate humanitatem, atque Sacerdotem, & Regem conſtitui Deitate: ergo in omnibus, vel in nullo talis redditur à Deitate formaliter. Contra quarto: quia Bernal fatetur Deitate conſtitui formaliter humanitatem, ſiue Chriſtum, quà hominem, Sacerdotem; at inquit conſtitui illa inadæquatè ſolum talem, atque Dei vlteriori voluntate, tanquam forma partiali: ergo Deitas, quam affert vnio hypoſtatica humanitati Chriſti non eſt ius ſolum ad Sacerdotium, ſed forma etiam, licet partialis: in qua valde aberrat præterea Bernal. Si enim forma Sacerdotij eſt vnde ea eius incomplectionis & partialitatis limitatio ſuadebitur in forma, quouis genere formalitatis infinita.

CERTAMEN IV.

Humanitas Chriſti, quæ Sacerdos, hoſtia, ſeu ſacrificium, templum, & altare fuit.

1 VIdendum hic eſt quomodo humanitas eadem non Sacerdos ſolum, ſed hoſtia etiam, & ſacrificium eſſe poſſit: id quod Arrio, & Staniſlao Sarnici ſupra videbatur impoſſibile. De hoc autem Catholicus nemo dubitauit. Certum enim de fide eſt ſolam humanitatem eſſe Sacerdotij ſubiectum, nullatenus autem Deitatem: æque item certum eandem ſolam, ac nullatenus Deitatem ſacrificium fuiſſe; ſola quippe humanitas mactata fuit: ergo certum eſt vtrumque fuiſſe, & Sacerdotem, & ſacrificium. Traditur expreſsè ad Epheſ.5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam.* Definitur à Concilio Alex. epiſt. contra Neſtor. 10. apud Cyrill. Anathematiſmo 2. recepta à Concilio Epheſino. Ex Naz carm. arcano 9. circa fin. *Mortaliſque Deus, & victima pura, Sacerdos*, quam ſententiam repetit orat. 31. ſub init. orat. 36. 4. de Theolog. circa fin. Elias Cretenſ. in orationem 1. ad id *idcirco Angeli.* M. Greger. in 1. Reg. 1. ad id *& aſcendebat vir ille ſtatuta diebus.* Hieronym. in id Mich. 1. *Audite populi omnes.* Vbi, templum etiam fuiſſe, ait. Altare etiam ſimul fuiſſe docent Epiphan. hæreſ. 55. Cyril. Alex. 9. de adorat. circa medium, cuius verba ſunt: *ipſe igitur eſt altare, ipſe thymianaus, & ſummus Pontifex, ipſe ſimiliter ſanguis purgationis peccatorum.* Et merito quidem templum, & altare dicitur: cum in Chriſti humanitate ſacrificium illud Deo oblatum, peractumque fuerit, atque pretioſo tantæ victimæ ſanguine fuerit aſperſa.

2 Emergit tamen inde difficultas; quia præcipuus Sacerdotij Chriſti actus ſui corporis mactatio, & ſacrificium eſſe debebat: qui tamen à ſe ipſo eſſe non poteſt: tum quia nullum Sacerdotium ad ipſius Sacerdotis mactationem ordinatur: tum quia eiuſmodi mactatio corporis Chriſti non potuit eſſe phyſice ab ipſa humanitate, quæ nequibat exiſtere, vt mactaret, dum mactabatur. Deinde quia eſſet ea mactatio ſui ſcelus peracta phyſice, imò & moraliter ſuaſionibus eiuſdem humanitatis ad carnifices exequentes illam: ergo, ſi mactatio humanitatis ſacrificium fuit, Sacerdos reſpectu ipſius non erit ipſa, ſed vel Deitas, vel tortores, & carnifices illud peragentes. Non ergo humanitas eadem ſacrificium ſimul, & Sacerdos fuit. Confirmatur ex 8.ad Hebræ. num.3. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur: vnde, & neceſſe eſt & hunc habere aliquid, quod offerat.* Nempe à ſe diſtinctum. Sed tamen falſo additur à ſe diſtinctum: licet in aliis Sacerdotibus à Chriſto, qui non ad ſui Sacerdotium, neque vt ſe mactent ſunt inſtituti, verum habeat: Chriſtus autem Sacerdos, vt ſe immolaret inſtitutus à Deo fuit iuxta illud Pſalmi *Sacrificium, & oblationem noluiſti, corpus autem*, eorum loco, *adaptaſti mihi*: de quo plura, dum infra de Sacerdotio agemus. Ad rationem reſpondet 3.Th. q.41.art.1.Vaſquez d.83. cap.5. num.37. Soar. d.46.ſect.1.§. *ſed circa hoc vltimum* Chriſtum cauſam ſuæ mortis fuiſſe non ſolùm, quia inuadentibus, atque occidentibus non reſtitit, neque illatam mortem fugit, quod, vt ſpontanea hoſtia eſſet ſatis foret ſed quatenus ſe vltro ad mortem, & ſacrificium obtulit Deo: cum ſtatutum eſſet ne moreretur ſi nollet, aut non vellet. Quod explicuit Iſaias c.54. *oblatus eſt, quia ipſe voluit* & Ioann. c.10. *Nemo tollit eam* vitam *à me: ſed Ego pono eam à me ipſo*: quare, & eius voluntas fuit cauſa ſuæ mortis ſecundùm ſubſtantiam in eamque moraliter influxit; licet non influxerit in eam, cauſave eius fuerit, prout à crucifigentibus: ſicque moraliter, vt Sacerdos vere ſui corporis hoſtiam mactauit, vt tunc ipſe aiebat Ioan. 17. *Pro eis ego ſanctifico me ipſum*: id eſt ſanctifico, atque in ſacrificium officio: vt Cyril. Chryſoſt. Rupert. & S. Thom. exponunt.

3 Atque hæc ſanè ſolutio communior, verior, nobiſque probatior illa, quam adhibet Petrus Hurtado d.80. ſect.2. §.22. de potentia obedientiali phyſica animæ Chriſti ad vnionem cum corpore conſeruandam contra tormentorum impetum: quam obedientialem potentiam in rebus omnibus odi peſſimè; eâque in præſenti admiſſa nihil magis præſtat ad difficultatem emolliendam. Eſt inſuper ſolutio melior ſolutione alia Bernalis d.60. ſect.2. §.1. n.36. fundata in optione facta Chriſto à Deo de vita ſua poſſibili, ac mortali, vel immortali, & impaſſibili in primo inſtanti incarnationis, in quo electione mortalis ſe ſacrificauit. Sed hæc ſolutio falſo nititur fundamento. Cum enim non niſi mortalem, & paſſibilem decretam primo humanitatem à Deo oſtenderimus ſupra, mortalitatis ſuæ electio libera & integra humanitati eſſe non potuit. Secundò valdè à longè actionem ſe ſacrificandi in humanitate Chriſti deducit. Aſt ex noſtra hac communi, & vera ſolutione obiicies. Martyres voluntaria ſuæ vitæ oblatione, atque in reſiſtentia mortis oblatæ ſe obtulerunt Deo: ergo, & ſe ſacrificarunt æque propriè, ac Chriſtus: ergo, & fuerunt propriè Sacerdos, & ſacrificium ſimul, ſicut Chriſtus, Reſpondent S. Thom. 22. q.85. a.5. Vaſquez proximè num.40. ſolut.1. Raguſa tract.2. de incarnat. d.19. ſacrificium propriè ex religionis affectu offerri debere; Martyres autem morti ſe obtuliſſe, atque illatam non recuſaſſe in fidei confirmationem, ex eiúſque, & Charitatis affectu, ne aliquid contra fidem Deique legem committerent: quare non fuiſſe oblationem ſuæ vitæ ſacrificium propriè: ac proinde, vel admiſſo abſolutè, vel cum diſtinctione motiui antecedenti negandam eſſe conſequentiam ptimam.

4 Sed contra: quia, vt ſapienter aiebat Bellarminus 1. de Miſſa c.2. de ratione ſacrificij proprij non eſt, quod fiat ex ſolo, & puro motiuo religionis, ita, vt ſi ſimul ex alio motiuo alterius virtutis mactetur, ſiue offeratur hoſtia, hoſtia & ſacrificium non ſit: atqui plures Martyres, licet ſe obtulerint ex motiuis præfatis, ſimul ſe obtulerunt, ſuamque vitam, quam martyrio effuderunt in Dei cultum, & ex motiuo religionis ſimul, vt ex S. Ignatio, atque aliis innumeris legitur: aut ſaltem potuerunt omnes, nec ita ſe obtuliſſe cum fundamento negabitur; ergo eorum oblatio fuit propriè ſacrificatiua, ac proinde, & eorum cæſſio propriè ſacrificium, vel propriè non fuiſſe in omnibus ſacrificium proprium ſine fundamento negabitur. Maior eſt certa. Nam Chriſti cæſſio ſacrificium propriè fuit: & tamen, non in Dei cultum, & ex religione ſolùm, ſed in hominum reparationem ſalutem, & ſatisfactionem, atque ex Dei hominumque charitate ſimul. Item Miſſæ oblatio in viuorum, & mortuorum ſatisfactionem pro peccatis ſacrificatiua eſt propriè; & Miſſa ſic oblata ſacrificium proprium. Caietanus ientaculo 3. ait ſacrificium proprium debere eſſe ſatisfactorium pro aliis, ſicut fuit mors Chriſti, non autem Martyrium. Impugnat autem ſolutionem Vaſquez num.29. §. *Poſterior differentia* validè ſatis: quia non omnia Sacerdotia debent eſſe ſacrificatoria, vt patet in pluribus, quæ inſtituta in lege veteri, factáque ſunt in gratiarum actionem. Secundò: quia mors Martyrum, pro aliis etiam, ſatisfactoria de congruo ſaltem eſſe potuit. Tertio: quia in ſatisfactionem ſui offerri propria ſacrificia poſſunt, reſpectu cuius ſatisfactoriæ de condigno erant Martyrum cæſſiones. Primum conſtat ex Sacrificio Miſſæ, quod propriè Sacrificium eſt quando in ſanctificationem pro ſe ipſo à Sacerdote offertur: atque de Sacerdotibus, & ſacrificiis veteribus legis aiebat Paulus 7. ad Hebræ. neceſſe habuiſſe *prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.*

5 Communis, & vera ſolutio prima ſit Vaſquez citato num.40. verſ.med. Soarij d.46.ſect.1. §.vlt.verſ. finem. Bernalis vbi proximè num.26. ad proprium Sacerdotium, & ſacrificium publica authoritate hominem & ſacrificium deputante opus eſſe, vt ſupra oſtendebamus cert.1. quæ, & Martyribus, vt propriè Sacerdotes eſſent, eorúm que oblationibus, & internecionibus, vt propria eſſent ſacrificia proculdubio defuit. Solidam hanc ſolutionem meritò vocat Bernal, immeritò verò ſolam: quare reſpondeo ſecundo cum Caietano, & Soarez citatis, Martyribus defuiſſe ſpecialem illum influxum, qui adfuit Chriſto: quia vitæ eorum phyſica deſtructio, & conſeruatio ab eorum voluntate non pendebat, ſed naturaliter, ac neceſſariò inflictis vulneribus mors illis obueniebat; pendebat autem ſuæ vitæ conſeruatio, & deſtructio à voluntate Chriſti, quo nolente nec tot vulneribus, neque mille aliis periret. Denique aduerte nullatenus eſſe concedendum Chriſtum ſe occidiſſe, quia id ſonat phyſicam, & violentam occiſionem ſui ipſius, vel ſaltem phyſicas cauſas ſuæ mortis, nempe carnifices in illam induxiſſe: quorum vtrumuis nefarium eſſet. Solùm ergo concedi debet moralis Chriſti influxus in ſubſtantiam

ſuæ mortis explicatus, non autem in illam quatenus à crucifigentibus, & hoſtibus erat, qui quidem honeſtiſſimus, Deóque gratiſſimus, perditiſque omnibus ſummè extitit proficuus.

QVÆSTIO II.

De qualitatibus Sacerdotij Chriſti, eiúſque ſimilitudine cum veteribus aliis.

SIMILITVDO propria in qualitate fundatur: idcirco de vtraque in ſacerdotioChriſti eadem quæſtione diſputamus.

CERTAMEN I.

Qualitates Sacerdotij Chriſti præcipuè Regia eius poteſtas Spiritualis.

1 PRæter ſacrificandi munus, Deíque cultum, quod præcipuum Sacerdotij eſt, plura alia ſacerdotium comitantur, pluraque, licet non omnia ab omnibus, quaſi muneris ſui conſectaria haberi, & peragi à Sacerdotibus conſueuerunt. Eiuſmodi ſunt orare pro populo, eúmque de rebus Spiritualibus, atque ad animæ ſalutem ſpectátibus docere, & exhortari, atque, vbi opus eſt, mandatis etiam, præceptíſque appoſitis ad Spiritualem finem dirigere, & gubernare: cauſas item in iis, quæ ad ſpirituale bonum ſpectant, diiudicare. Et quidem, cum ſacerdotium Chriſti creatis aliis immenſa perfectione excellat, nihil horum, quæ in inferioribus reperiuntur ipſi defeciſſe citra dubium eſt. Imò verò conſtat liquido ex Euangelio, quantum in eis Sacerdos Chriſtus reliquis Sacerdotibus exceſſerit: qui in *oratione Dei* non diebus ſolùm, ſed *& pernoctans* pro populo, ideſt hominum vniuerſitate, *erat*, proque cunctorum ſpirituali ſalute. Nunquam exhortationibus ad omnes generatim, ad ſingulóſve parcebat, prout cuiuſque ſtatus, & conditio, reíque exigebat magnitudo: ad acres vſque potentium reprehenſiones: populo autem docendo, quid præſtitit? imò verò quid vnquam omiſit? Obſtupuit Iudæa: gentilitas expauit: Chriſtiani populi religioſá venerationíſque plená admiratione tantam, támque inauditam, ac planè diuinam Euangeliorum doctrinam ſuſpiciunt.

2 Regiam autem ſpiritualem Sacerdotij Chriſti (quæ nobiliſſima eius muneris perfectio eſt (tanquam fidei dogma aſſerunt Theologi cum Magiſtro in 4. d.1.& S.Th. in 3.p.q.59.q.64.a.3.& 4. Eſt autem expreſſa Matth.28. illis verbis: *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*,.& Pſalmo. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, ac toto deinceps Pſalmo vſque ad penultimum verſum: quæ Patres conſtanter de ſpirituali Chriſti regno interpretantur: adeóque clara de ſe ſunt, vt interpetatione non egeant. De hoc item regno citra dubium, ac diſputationem verificantur iuratæ Dei promiſſiones Dauidi factæ. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*: ac per Lucam: *dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius.* Daniel.2.de Lapillo illo abſque manibus abſciſſo, qui in montem excreuit magnum, eiuſmodi fuit interpretatio: *in diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* c.7. de filio hominis Chriſto per viſionem monſtrato dicitur: *dedit ei poteſtatem, & regnum, & omnes populi tribus, & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpatur.* Ezechiel.21. *Auſer cydarim, tolle coronam* &c. *donec venerit, cuius eſt iudicium, & tradam ei*: ſcilicet, Filius Dei homo, *cuius amore iudicium dedit* Pater, *quia Filius hominis eſt.*

3 Ex vſu inſuper ipſo regia Sacerdotij Chriſti poteſtas demonſtratur: cuiuſmodi eſt Rempublicam Eccleſiæ fundare Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: Superiorum electio, *& tibi dabo claues regni cœlorum.* Petro, & ſucceſſoribus, & de aliis Miniſtris, *elegit duodecim ex ipſis, quos, & Apoſtolos nominauit*: poteſtatis donatio: *quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatũ & in cœlis; quodcunque ſolueris ſuper terrã erit ſolutũ & in cœlis.* Ac rurſus alibi: *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ad Epheſ. 4. *vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*: ac infra: *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos*, &c. 1.Corinth. 4. *ſic nos exiſtimet homo, vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* 2. Corinth. 13. *Hæc ſcribo abſens, vt non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.* Denique Sacramentorum inſtitutio. Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti.* & Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. cuius, aliorúmque Sacramentorum inſtitutorem eſſe Chriſtum definitur à Tridentino Concil. ſect.7.Ex quibus omnibus ſingularis, ac ſuprema Sacerdotij Chriſti poteſtas regia ſatis euincitur: & quæ nulli alteri adæquatè, & totaliter communicabilis ſit, ſed ad certam, pro eiuſdem voluntate, menſuram.

4 Reprehendendi meritò hic veniunt Lutherani negantes Chriſtum ex hac poteſtate quidquam præter fidem præcepiſſe: quia Euangelium libertatis lex dicitur à Paulo. Sed non attendunt veſani homines dictam libertatis legem, quia non ex timore, atque animo ſeruili, ſed ex filiorum amore mandata exequi debeamus, exquo iubentis Dei Filium habemus fratrem, & Spiritum gratiæ vberioris: non autem quia mandatis Dei antiquis non abrogatis, aliíſque à Chriſto latis non ſubiaceamus. Auguſt. 19. contra Fauſtum. c. 13. aiebat ſapienter: *nobis data eſſe Sacramenta, ſeu præcepta virtutis maiora, vtilitate meliora, factu faciliora, numero pauciora, tanquam iuſtitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis Dei.* Inſtabunt ex Ioann. 1. *lex data per Moyſem, gratia autem, & veritas per Chriſtum*: ergo ſolus Moyſes legiſlator fuit. Reſpondet Aug. lib. de ſpiritu, & littera; vtrumque à principaliori denominari, atque cenſeri: principalius autem, quod habuit Moyſes fuit legiſlatio; quod autem præcipuum Chriſto, fuit gratiæ donatio ad exequenda mandata: Secundò comparatione eorum, quæ Moyſes tam pauca præcepit Chriſtus, eaque ſolùm ad augendam in nobis gratiam, totque gratiæ auxiliis datis, vt præcepta etiam ipſa Chriſti gratiæ nomine meritò donentur, eiúſque propterea iugum ſuaue dicatur. Cæterum præcepit nonnulla, vt patet de Baptiſmo, & Sacramentis aliis, atque ex illis verbis Matth. vlt. *docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis* Ioan. 3. *Mandatum meum do vobis* c.14.*Si diligitis me mandata mea ſeruate* ac rurſus; *qui habet mandata mea, & ſeruat ea* cap.15. *ſi præcepta mea ſeruaueritis.* Iſai. 33. de Chriſto, Dominus legifer noſter. Ierem.31. *dabo legem meam in cordibus eorum.*

CERTAMEN II.

Sacerdotij Chriſti cum antiquis ſimilitudo expenditur.

1 LIcet Sacerdotium Chriſti non rationis eiuſdem, ſed longè aliis omnibus eminentioris, & excellentioris ſit, tum quia Deitate tanquam forma conſtituitur, vt vidimus q.1. cert.3. tum, quia nobilius ſanctitatis

ſanctitatis genus; tum quia ampliorís erat poteſtatis, tam, quia ad nobilius valde, & ſacrificium, & effectum erat (vt bene legalibus illud comparans expendebat Paulus ad Hebræ.7.8.& 9.) inde tamen infertur omnibus aliis, quorum perfectiones eminenter proinde continebat, à quibúſque adumbrabatur, ſimilem fore debere. Quoniam verò gentilium Sacerdotia impura, fœda, nec vera fuere, & à quibus Sacerdotium Chriſti adumbrari indecens foret, nullatenus cum illis ſimilitudinem habuiſſe Sacerdotium Chriſti, circa dubium ſit. Cum ſolus igitur veris Dei veri Sacerdotibus conferendum hic, quoad ſimilitudinem erit. Et quidem in lege veteri verum Sacerdotium, veróſque Dei Sacerdotes fuiſſe ab eo ſolum negari poterit, qui totum vetus teſtamentum audeat negare. De Sacerdotibus legis gratiæ ſimile Sacerdotium Sacerdotio Chriſti habere ex eo ſatis liquet: cum ſit in eis poteſtas offerendi idemmet ſacrificium corporis, & ſanguinis Chriſti incruentum, quod Chriſtus obtulit in cœna, & cruentum in cruce, atque inſuper conferendi veram ſanctitatem tanquam in Miniſtris, & inſtrumentis Chriſti. De legis naturæ Sacerdotibus dubium eſſe poteſt, non quidem in ſimilitudine aliqua cum Chriſto, ſed in ſuppoſito: an ſcilicet veri fuerint in lege naturæ Sacerdotes Dei? eo quippe ſuppoſito, cum eis Primogenituræ iure in Sacerdotium contingeret ſine vlla exteriori vnctione & ceremonia, Chriſti Sacerdotium Patris ac Mariæ Primogeniti ſola interna Deitatis vnctione in Dei Sacerdotem deputati referebant: in veteris verò legis Sacerdotibus ad cruentum ſacrificium, & ſanctificationem populi legalem deputatis, per vnctionem externam aperta Sacerdotis Chriſti per internam Deitatis vnctionem deputati in cruentum ſui corporis ſacrificium, verámque totius mundi per ſui ſanguinis effuſionem, & aiperſionem imago fuerunt.

2 Vnica ergo in re præſenti difficultas eſt de veritate, & exiſtentia ſacerdotum in lege naturæ. Etenim de eis, quos in lege naturæ ſacrificia Deo obtuliſſe ex Scriptura conſtat, ſacerdotes non fuiſſe, ſed id, vt particulares perſonas, ex peculiari deuotione, & cultu, non autem ex poteſtate, & authoritate Sacerdotali feciſſe, docere expreſsè videtur, etiam de Melchiſedech Anacletus Papa epiſt. 2. decretali his verbis: *quia, licet prius, Aarone* (à quo ait Sacerdotes Dei ſumpſiſſe principium) *aliqui legantur ſacrificium obtuliſſe, vt Melchiſedech, & Abraham: hi tamen ſponte ac voluntate, non tamen Sacerdotali authoritate hoc fecerunt.* Quo teſtimonio armati hæretici nonnulli de Melchiſedech etiam, verum Dei ſacerdotem fuiſſe negarunt apud Caſtrum aduerſ. hæreſ. verbo *miſſa* hæreſi 2. nominéque Sacerdotis ab Scriptura eum donari, quia Rex erat, Rexque, Regiæque perſonæ Sacerdotes in Scriptura appellari conſueſcant: vt patet de filiis Dauid 2. Regum 8. vbi Sacerdotes compellantur. Alij vero hæretici ex eo, quod dicatur Melchiſedech ad Hebræ.7. *ſine Patre, ſine Matre, ac ſine genealogia* fuiſſe, eum verum hominem fuiſſe negarunt: Cum nullus præter Adamum, qui Abraham tempore non viuebat homo ſine Patre, ac ſine Matre fuerit. Itaque aliqui Melchiſedech verum Angelum ſub hominis ſpecie fuiſſe aſſeruerunt, in quibus Origen. Dydimus, & alij apud Hieronym. t.3.epiſt. 126.Euagri. Aliqui verò, quia à Paulo additur Melchiſedech *neque initium, neque finem dierum habuiſſe*, non illum Angelum, ſed diuinam perſonam hominis ſpecie putarunt: Ita Hierax hæreticus apud Epiphan. hæreſ.67.atque alij apud Aug. de hæreſib. num. 34. vtra autem diuinarum perſonarum fuerit, non eis omnino conueniebat: aliis Patrem, qui à nullo originem trahit, aliis Filium, qui frequentiùs in ſcripturis, præcipuè Abrahamo, hominis ſpecie apparuit, ac qua Deus ſine Patre, quà homo ſine Matre extitit, aliis Spiritum ſanctum, qui aſſimilatus filio Dei in fornace Babylonico legitur, aſſerentibus.

3 Certum autem ex fide eſt Melchiſedech verum hominem fuiſſe. Etenim de eo Geneſ. 14. ſic dicitur. *Rex Salem* (poſtea Iebus, ac demum Ieruſalem) *& Sacerdos Dei altiſſimi, & exiuit obuiam Abrahæ, & obtulit panem, & vinum, & accepit decimas ab Abraham.* Quæ cum hiſtorialiter dicantur, verum illum humanum Regem, ſicut alios, quos ſacra hiſtoria narrat, non metaphoricum, & apparentem, ac proinde verum hominem probant. Præſertim cum id approbent Patres omnes, Hieronymus Epiphan. & Auguſt. citati, atque hic lib.etiam 16. de Ciuitate cap.22. Ambroſ.5. de fide ad Gratian. cap. 3. ac reliqui Patres iam citandi. Certum item de fide eſt Melchiſedech purum hominem fuiſſe: cum ſolus Chriſtus purus homo non fuerit per fidem. De ipſius genre ſiue genere, maior eſſe poteſt dubitatio. Irenæ. Hypolit. Euſeb. Cæſar. Emiſſen.& alij apud Hieron. proximè Cananæum illum credunt, licèt iuſtum. Hieronymus verò ipſe ibi, ac lib. de quæſtionibus, ſeu traditionibus Hebraicis in Geneſim de vita, & morte Prophetarum cap.5. Rupertus.5. de Trinit.& operibus eius in Geneſ.c.12.Abulenſ.Lippoman. Gloſſa, & Lyra in 14. Geneſ. docent fuiſſe Melchiſedech primogenitum Patriarchæ Noë alio nomine Sem, ab Scriptura nominatum, atque Primogenitorem Abraham: atque hanc eſſe Hebræorum traditionem aiunt. Cui ſententiæ tria videntur obſtare. Primum S. Ignatius epiſt. 9. ad Philadelphios aſſerens Melchiſedech virginem fuiſſe, cum quo pugnat fuiſſe illum Noë filium, Sem Abrahami Progenitorem. Secundum: S. Epiphan. aſſerens Sem Abrahami tempore mortuum iam fuiſſe, ac proinde, neque ipſi victori occurrere potuiſſe, ſicut Melchiſedech occurriſſe ab Scriptura narratur. Tertium: quod hac ratione Melchiſedech ſine Patre, ac ſine Matre planè non fuerit, cum oppoſitum aſſeratur à Paulo recitato. Cui ſimile aliud argumentum adiunge, quod initium, & finis dierum Sem ab Scriptura narretur; cum tamen ab eodem Paulo dies Melchiſedech, neque finem, neque initium habuiſſe dicantur.

4 Poſtremæ nihilominus ſententiæ huic Hieronymi, & aliorum de genere, & gente, ſiue genealogia Melchiſedech iubens acquieſco, cui tertium, & quartum argumentum non magis aduerſantur, quàm Hypoliti, atque Irenæi opinioni. Siquidem, etſi Cananæus eſſe admittatur, Patrem & Matrem, finémque dierum habuiſſe, & initium, extra dubium eſt: quare obiectio hæc veritatem Catholicam de vero, puróque homine Melchiſedech oppugnat, vt vidimus, non autem vnam potiùs, quàm alteram de eius genere ſententiam. Pro omnibus ergo, & veritate Catholicæ reſpondetur: Melchiſedech Regem Salem, ſub hoc ſpeciali, & indiuiduo nomine, ſub quo ſolùm Chriſti erat figura ex Pſalmo 109. & Paulo ad Hebræ. 7. Patrem, Matrem, initiúmque & finem dierum nunquam in Scriptura habere; licet, ſub alio nomine, nempè, idem ea omnia habuérint, ſub quo Chriſti typum expreſſum à Deo non gerebat. Sic vulgo, & bene reſpondetur. Dico tamen ſecundò: Paulum non negare abſolutè huic Melchiſedech perſonæ parentes abſolutè, ſed ſolùm ex tribu Leui; neque abſolutè negaiit initium, & finem dierum, ſed Sacerdotij ſucceſſionem narratam, vt ipſe ſucceſſiſſe alteri dicatur ab Scriptura, eique alium, ſicut alij legis Sacerdotes aliis ſucceſſiſſe dicuntur, vt inde probet Chriſti fuiſſe Typum, qui non ex genere Leuitico, nec ſucceſſione Sacerdos fuit, & cuius Sacerdotio nullus ſucceder, ſicuti nequit Sacerdotio Melchiſedech: quia æternus eſt Sacerdos in re ſine initio aut fine Sacerdotij, ſicut ille in hiſtoria: ſucceſſor autem mortuis, & perituris tantum eſt: quare, & Melchiſedech æternitatis huius Typo nemo refertur, Chriſto autem non erit. Lege totum c.7. ad Hebræ. Duo vero alia, quæ ſpeciatim noſtram hanc ſententiam impugnabant, momenti ſunt exigui. Etenim eruditiſſimum alioqui virum S. Epiphanum in morte

Sem ante Abrahæ tempus deceptum fuisse ex Scriptura conuincitur. Constat enim ex Genes. 11. Sem quingentis duobus annis diluuio superuixisse: constat item Abrahamum ducentis nonaginta duobus post diluuium annis ortum esse; atque vixisse centum septuaginta quinque, non ampliùs, annis liquet ex Genes. 25. quare, & constat ducentis decem annis ante obitum Sem Abrahamum natum, mortuum verò ante ipsius obitum annis triginta quinque. Nec aliter de sententia S. Ignatij opposita iudicium ferendum est. In tanta enim doctorum, & Patrum in re scripturariâ doctissimorum aduersante copiâ sanctum Ignatium deceptum potius cordatius credetur.

5 Certum tertiò ex fide est, eundem Melchisedech verum fuisse Dei Sacerdotem, tum quia Genes. 14. *sacerdos Dei Altissimi* commendatur: tum, quia Psalmo 109. Sacerdos absolutè dicitur, atque excellentissimi Sacerdotis Christi Typus illis verbis, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* tum, quia ex his verbis Paulus ad Hebræ. 6. num. 20. dixit, *Iesu secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.* & cap. 7. num. 1. *Hic enim Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei summi*, quæ omnia ad improprios sensus diuertere, nonnisi hæreticorum est. Maximè, cum Patres, atque interpretes omnes ea de vero Melchisedech Sacerdotio interpretentur, nec verum Christi, excellentissimúmque Sacerdotium aptè cum improprio Sacerdotio compararetur à Paulo, Psalmistâ, & Patribus omnibus. Igitur Melchisedech verum Dei Sacerdotium fuisse tenendum Catholicè est; licet non vnctione aliquâ, aut ceremoniâ, ritúve aliquo externo deputatum, atque in Sacerdotem institutum, quod solùm voluit Anacletus pro hæreticis obiectus, sed iure solo primogenituræ ex Noë, quam habuisse Melchisedech ostendebamus, docent Hieronym. Rupert. Abul. Lippoman. Lyra, & Glosia locis citatis afferentes Primogenitis ex populi consensu, & authoritate hæreditario iure in lege naturæ Sacerdotium contigisse. Et quidem negari in ea lege veros Dei Sacerdotes, non ab Anacleto doctissimo Pontificè, sed neque à mediocriter erudito, & litterato homine possunt. Cum enim Dei Ecclesia visibilis à mundi constitutione constans perpetuáque fuerit, ne sine visibili capite trunca esset, ac defectuosa, veros semper visibiles Dei Sacerdotes fuisse credendum citra dubium est: cum Ecclesiæ Dei caput sit Sacerdos: quare dum Anacletus Melchisedech cum reliquis legis naturæ à Sacerdotio excluisit, non quidem à vero Sacerdotio, sed cæremoniali excluisit. Denique interpretatio illa Sacerdotij pro regno futilis est: cum vtraque dignitas seorsim altera ab altera in Melchisedech numeretur ab Scriptura: atque ea vsurpatio impropria sit, semélque tantùm in Scriptura pro filiis Dauid vsurpata.

6 De Sacerdotij verò huius Melchisedech sacrificio lis adhuc cum hæreticis manet. Licet enim legis naturæ Sacerdotia nullum à Deo determinatum sacrificium haberent, ac plerumque sacrificium animalium cædibus, quibus Deum vitæ, mortisque creaturarum authorem, & Dominum populus profiteretur peragi credendum sit: at vero Melchisedech peculiari Dei illustratione, instinctu atque motione, panem & vinum Deo in sacrificium obtuliisse Catholicæ Ecclesiæ totius iudicium est. Idcirco eius, atque Eucharistiæ hostes Caluinus, Kemnitius, atque huius farinæ nouatores alij negant oblationem panis & vini Melchisedech verum sacrificium fuisse.

Probant primò; quia oblatio illa panis & vini à Melchisedech facta fuit Abrahamo victori, & vernaculis ex cæde Regum illorum festis ad epulas, & refectionem, vt refertur Genes. 14. & ad Hebræ. 7. non Deo in sacrificium, de quo tamen nulla eis locis mentio: quod argumentum ex loco Pauli maioris momenti videbitur considerantibus Paulum ibi exactè comparantem, & explicantem Sacerdotium Christi, eiúsque sacrificium cum Sacerdotio, & sacrificio Melchisedech sacrificij huius panis, & vini Melchisedech, ex quo maxima esset similitudo, nullam comparationem fecisse, neque illud sacrificium nominasse. Accedit Iosephus 1. antiquit c. 18. asserens pane illo, & vino Melchisedech Abrahamum, & exercitum conuiuio excepisse: quod ipsum indicant Chrysost. & Caiet. in Genesim.

Sed tamen argumenta hæc læuia satis sunt. Atque, vt ab authoritate Iosephi incipiam, panem conuiuij illum, & vinum ex sacrificio fuisse non negat: affirmant autem antiqui Rabini Samuel lib. de aduentu Messiæ c. 19. Rabbi Moyses, & alij apud Galatin. 10. de Arcan. Catholicæ verit. cap. 4. 5. & 6. Genebrard. in Chronographia ætate 3. pag. 13. Epiphan. hæres. 55. Clem. Alex. 4. stromat. circa fin. Ambros. de iis, qui initiantur c. 8. & 4. de Sacrament. cap. 3. & 1. de Abraham, c. 3. & 3. de fide c. 5. Hieronym. cit. epist. ad Euagr. citans Hyppolitum, Emissenum, Apollinarium, & Eustathium & d. 1. epist. ad Marcel. & epist. 122. & in 26. Matth. Traditur etiam in cap. *Accipite* de consecrat. d. 2. atque ab aliis Patribus citandis in sequentibus.

7 Illud autem de omissione Scripturæ falsum omnino est, vt enim doctè obseruauit Bellarminus verbum *Proferens* in Hebræo positum idem ipsum est, quod Iudicum 6. significat victimæ productionem ad immolationem, & sacrificandum. Secundò probatur prolationem illam significare productionem propriam rei, siue materiæ ad sacrificium ex causali in textu adhibita: sic enim habetur Genes. 14. *Proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei* ac si expresè dicat, protulit, quia erat Sacerdos Dei, quod nisi Sacerdos proferre non poterat: panem autem, & vinum non sacrificij, siue ad sacrificium, sed ad purum conuiuium, & refectionem laicus quiuis proferre posset: quare, & inepte eius prolationis causam Melchisedech Sacerdotium Scriptura assignaret: ergo, cum aptè reddatur, dicendum est ea protulisse ad sacrificium Dei in gratiarum actionem pro victoria Abraham; vt arguunt Patres communiter, non autem ad purum conuiuium. Respondent in Hebræo esse particulam, quæ respondet coniunctioni latinæ *&* quæ causalis non est, septuaginta verò in Græco potuisse dictionem Græcam, cui respondet latina *autem.* sed tamen Hebræa illa vox causalis etiam in ea lingua est, vt bene probat Sanctus Pagninus 1. institut c. 24. quare ritè, rectéque illam in causalem *enim* latinam vulgatius vertit. Item, vt quid, adhuc sine causali, ad panis, & vini communem productionem à Rege iam nominato Sacerdotij mentio orationem, at sensum interrumperet importunè? Respondent secundò: causali illa, mentionéque Sacerdotij Melchisedech rationem reddi non oblationis panis, & vini, sed benedictionis, quam subiungit textus. Sed contra primo: quia causalis *enim* in omni lingua prædictorum, non dicendorum causam, & rationem reddit: maximè, cum post finitam orationem ponitur, vt hic iuxta Hebræum, Græcum, & Chaldæum textum legitur, in quibus ante verbum *erat* finitur periodus, vt eruditè obseruat noster Vasquez d. 86. c. 3. fine: vt sensus sit Regem Sodomorum exisse obuiam Abrahamo; at verò Melchisedech non vacuis manibus, sed proferentem panem, & vinum *erat enim Sacerdos* &c. contra secundò: quia, vt suæ propagini Abrahamo Progenitor Melchisedech benediceret Sacerdotio opus non habebat, quare, neque eam causam, vt necessariam sacer textus apponeret. Tertiò: quia si sacrificij, & religionis causa abesset, tot spoliis & cibariis onustum ducem, & exercitum parnum victorem pane, & vino nimis angustè, & ieiunè Rex Melchisedech conuinasset. Denique celebris adeo Sacerdotij in Scriptura sacrificium nusquam ab ea memo

moratum quis credat? at, nisi huius prolationis, siue oblationis panis, & vini nulla alia est in scriptura mentio. Ad obiectionem de omissione Pauli dicam certamine sequenti. num. 3.

CERTAMEN III.

Imago Sacerdotij Christi, in Sacerdotio Melchisedech illustratur.

1 QVo autem Sacerdotium Christi Sacerdotio Melchisedech simile fuerit, aut secundùm huius ordinem, & formam futurum à Deo prænuntiaretur Psal. 109. satis minutè ostendit Paulus ad Hebræ. 7. vbi Sacerdotij Christi præ Aaronico, & legali excellentiam designat à num. 2. non à primo, vt volebat Bernal propter benedictionem Melchisedech ad Abrahamum ibi memoratam: tum quia benedictio communis erat Sacerdotio Aaronico cum Melchisedechico: tum quia textus ipse repugnat: siquidem num. 1. historiam occursus Melchisedech Abrahamo victori posuit breui, ac sub initium numeri 2. ostendere aggreditur, quo pacto secundùm ordinem Melchisedech Pontifex Aaronicis perfectior factus fuerit Christus vt probandum posuerat. c. 6. fine: quare sic ibi orditur: *Primum quidem, qui*, Melchisedech, *interpretatur Rex iustitiæ.* Qui non fuit Aaron, sed Christus, qui factus est iustitia, & sanctificatio nostra. secundò: *Deinde autem Rex Salem, quod est Rex pacis.* Cum Aaron, nec Rex fuerit, nec pacis, & amicitiæ cum Deo reconciliationem suis sacrificiis hominibus obtinuerit, sicut sacrificio suo Christus perfecit: ideo *Princeps pacis* ab Isaia prædicatus. Tertio: *sine Patre, sine Matre, sine Genealogia*: intellige in Scriptura memoratis, vel Leuitici generis, ob quam, vel iure hæreditario, vel electione, quæ non nisi ex Leuitico genere esse poterat, in Sacerdotium succederet, ipsiue succederetur: quod habuisse Christum, qui, quà Deus sine Matre, quà homo verò sine Patre fiat, ostenditur. num. 13. & 14. *in quo enim hæc dicuntur de alia tribu est, de qua nullus alteri præstolatus fuit. Manifestum est enim, quod ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Et in hoc quidem alia prærogatiua Sacerdotij Melchisedech ordine quarta continetur: nempe eius æternitas figurata: æterna enim, quæ sunt, successore sui opus non habent, sed quæ pereunt, vt ad rem hanc expendit Paulus. num. 23. *Plures facti sunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere*: quare de eo subiunxit num. 3. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens assimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum.* De quo immediatè ad verba ex num. 23. subdit. *Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium: vnde & saluare in perpetuum potest.*

2 Quinta excellentia: quod Abrahæ, atque eius semini contento in eius lumbis (excepto Christo Domino, cui, & B. Virgineni addo) qui non ex virili semine ortus ab Abraham fuit, neque benedictionis curatione egebat (vt aiunt S. Th. 3. p. q. 31. a. 8. & Scholastici reliqui ex Augustino. de Genes. ad litter. c. 20.) benedixit, ac proinde Aaroni, & Leuitis, ac Sacerdotibus cunctis: *sine vlla autem contradictione, quod minus est*, inquit Paulus, *à meliore benedicitur.* Sunt autem ex Christi sacerdotio gentes omnes benedictæ. Sexta excellentia: quod Melchisedech decimas ab Abrahamo receperit, vt Sacerdos ipso, eiusque posteris Aarone, & Leuitis, qui per Aaronem progenitorem decimati sunt, longè superior. Quod autem ab Abrahamo decimas receperit Melchisedech, licet in vulgata non satis exprimatur, expresserunt septuaginta ibi, & Iosephus. 1. antiquitat. c. 18. satisque ex vulgatæ contextu cum Melchisedech Aabrahamo benedixisse dicat, eiúsque sacerdotium, cuius officij est decimas accipere, non soluere, commendauerit. Septima excellentia Sacerdotij Melchisedech, & Christi: quod adeo populo decimali emineat: cum tamen Sacerdotes secundùm ordinem Aaron, id est Leuiticum fratres sint decimalis populi, habeánteque *decimas sumere à populo*, cuius pars sunt, id est *à fratribus suis: quamquam, & ipsi exierant de lumbis Abrahæ*: quare populo decimali non minus eminent; *cuius autem generatio non annumeratur in eis decimas sumpsit ab Abraham.* Octaua denique excellentia: quod multitudine Sacerdotum secundùm ordinem Aaronis, Sacrificiorúmque ad legalem illam sanctificationem singulorum, & omnium, insufficientia & imperfectio monstrabatur; contra verò vnitate sacrificij, & Sacerdotij Melchisedech, Sacerdotij & sacrificij Christi perfectio, & virtus: totum enim sanctificationis nobilioris nostræ negotium hoc *fecit semel seipsum offerendo* vnus Sacerdos Christus, qui *vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Qua de causa semel Genes. 14. sacrificium Melchisedech ab Scriptura memoratum aiebat Ambros. in 5. ad Hebræ.

3 Atque his quidem octo Sacerdotium Christi, & secundum ordinem, & similitudinem, non Aaron, sed Melchisedech: quare, & Aaronico perfectius, excellentiúsque longè fuisse, vt intendebat, probauit Hæbræis Paulus. Nonam verò, præcipuámque inter Sacerdotium Christi, & Melchisedech similitudinem ex vtriusque sacrificio in pane, & vino petitam consulto ibi omisit: tum quia in eo non eminebat Sacerdotium Melchisedech legalibus, & Aaronicis, in quibus similis erat oblatio, ac proinde sacerdotij præ Aaronico, & legali perfectio inde clarere non poterat: tum, quia Eucharisticum Sacrificium Hebræis, quibus scribebat tanto scandalo initio erat, vt eo semi audito ex Christo *litigarent Iudæi adinuicem dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suã dare ad manducandũ?* tum denique: quia, si huius Sacrificij panis, & vini Eucharistici mentionem faceret Iudæis ignaris de rei oblatæ identitate cum oblata, per sacrificium cruentum Corporis Christi, possent illum redarguere contra octauam excellentiam Sacerdotij, & sacrificij Christi: quod non vnica oblatione consummasset sanctificatos. Eam verò similitudinem nonam inter Sacerdotium Christi, & Melchisedech Patres omnes persequuntur. Theodoret. q. 36. in Genesim ait *Melchisedech dedisse Abrahæ panes, & vinum, prout moris erat Deo omnium talia offerre: animaduertebat eum, & in hoc typum patefieri.* Damasc. 4. de fide c. 14. *Mensam illam nostram adumbrasse* ait. Consonat Eusseb. 5. demonstrat. Euang. c. 2. & 3. Cæsar. Arelat. t. 5. Biblioth. hom. 5. de Paschate, Chrysost. hom. 25. in Genes. dicens: *illum panem, & vinum fuisse figuram Eucharistiæ.* Accinunt Eucher. ibi Cyprian. lib. 2. Epist. 3. ac serm. de Cœna Domini ait: *in oblatione Melchisedech figuratam esse incruentam Christi oblationem.* Augustin. 1. contr. aduers. leg. & Proph. c. 20. & 16. de Ciuit. c. 22. *ibi primum apparuisse sacrificium, quod à Christianis offertur.* Repetit lib.. & c. 17. & concione. 1. in Psalm. 33. ad id Psalmi. 109. *Tu es Sacerdos*, &c. ad quæ Cassiodor. ac vetustiores interpretes Remigius, & Theodoret. atque ad Hebræ. 5. num. 9. Primas. Theophylact. œcumen. Haymo, & Anselm. Isidorus. 7. Etymolog. c. 6. & lib. allegor. sub init. Concil. Aguisgran. Pepini tempore lib. 1. cap. 17. & 18. dicit *Melchisedech in eo facto typum gessisse Christi.* Trident. sess. 22. c. 1. *Christus Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum, sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.* Ecclesia canone Missæ: *quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Officio de Eucharistia: *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundùm*

secundùm ordinem Melchisedech panem, & vinum obtulit.

4 Obiicit primo Kemnitius: panis, & vini oblationem etiam fuisse legalium Sacerdotum: ergo specialis typus Sacerdotis Christi in eo non fuit Melchisedech. Respondetur ex Vasquez d. 86. cap. 4. §. *Melius tamen* distinguendo; panis & vini seorsim concedo; nam panis solius oblatio facta legitur Exodi. 29. Leuit. 7. 23. & 24. vini autem solùm numer. 28. simul autem panis, & vini, quomodo integrum Eucharistiæ Sacramentum ineuentum figuratur, nego antecedens. Cauendus autem nimius, vt sic loquar, quorundam Catholicismus, qui, vt Kemnitio se opponant, solam hanc oblationem panis & vini specialem Sacerdotij Melchisedech docent, reliqua verò cum Sacerdotibus legalibus fuisse communia, cuius oppositum ostendit Paulus, vt vidimus. 7. ád Hebræos.

Obiicies secundo: sacrificium ordinis Aaron erat cruentum: quare viuidior imago præcipui sacrificij cruenti Christi, quàm sacrificium panis, & vini Melchisedech, ergo potiùs dicetur Christus Sacerdos secundùm ordinem Aaron, quàm Melchisedech. Confirmatur: quia, cum Sacerdotium essentialiter respiciat sacrificium, maior similitudo in sacrificio necessariò arguit similitudinem maiorem in Sacerdotio. Respondetur dato antecedenti toto, negando consequentiam; quia, vt bene Vasquez, Suarez, & alij, ordo sacerdotij non sumitur ex viuidiori imagine sacrificij, imò, & Sacerdotij vnius respectu alterius: sicuti neque ordo legis; alioqui lex Euangelij secundùm legis veteris, à qua expressiùs figurabatur esset, non autem secundùm ordinem legis naturæ. Ordo igitur Sacerdotij non ex sacrificio solo, sed ex aliis omnibus desumitur, in quibus maiorem fuisse proportionem Sacerdotij Melchisedech, quàm Aaron, ad Sacerdotium Christi ostendebat Paulus, vt expendimus num. 1. & 2. Vnde patet ad confirmationem negandam esse illationem, neque enim ex similitudine maiori sacrificij, etiam præcipui, arguitur maior proportio inter Sacerdotia: Secundò nego eandem consequentiam: quia sacrificium cruentum non ita fuit proprium ordinis Aaron, vt non fuerit etiam omnibus sacerdotiis legis naturæ, imo, & Melchisedech: vt autem vnius, ac non alterius potiùs ordinis esse dicatur, non sunt attendenda vtrique communia, sed peculiaria: per communia enim vtriusque ordinis æquè esset. Cum autem præter sacrificium cruentum sacerdotio Melchisedech cum sacerdotio Aaron communi proprium, atque speciale adesset in Melchisedech, panis scilicet, vinique oblatio, per hoc magis proportionabatur sacrificio speciali Eucharistiæ, quam Sacerdotium Aaron, cui in sacrificio cruento concordabat.

Tertiò respondeo: negando postremam partem antecedentis. Cum enim sacrificium Melchisedech sacrificium Christi incruentum exactè repræsentaret, atque hoc sit sacrificij cruenti Christi Domini imago exactissima, nequit non idemmet sacrificium Melchisedech imago exacta incruenti sacrificij esse, quin exactè etiam cruentum sacrificium, cuius imago perfectissima incruentum est, repræsentet: sicut imago exacta imaginis perfectæ Cæsaris nequit non Cæsarem exactè repræsentare. Accedit quod, cum ex parte rei oblatæ, & ex parte offerentis principalis idem sit incruentum Christi sacrificium Eucharisticum cum cruento crucis, non poterat vnum quoad substantiam referre, quin referret & aliud. Quoad mactationem verò quæ fuit in sacrificio cruento physicè à Christo Sacerdote non fuit, sed solùm moraliter per voluntatem, qua mortem acceptauit oblatam, obuiámque hostibus interfecturis processit: quare physica mactatione animalium non adeo exactè Christi cruentum sacrificium eo modo, quo peractum ab ipso fuit repræsentabatur. Item, cum mactatio legalis Sacerdotij animalium esset, quæ res alterius generis erat, cruenti sacrificij humanitatis, atque sanguinis ipsius effundendi perfecta admodum repræsentatio non fuit, & quæ vini effusione, panisque oblatione à Melchisedech, quæ idem offerens, candémque rem oblatam sacrificio cruento exactissimè in incruento repræsentabat, non superaretur in repræsentatione cruenti. Ex quibus constat nihil in argumento hoc, quod alios vexauit, in variásque euasiones egit, firmum esse, quodve non claudicet solum, sed & in crus vtrumque non cadat. Postrema qualitas, & similitudo Sacerdotij Christi, & Melchisedech à Dauide, & Paulo memorata æternitas fuit. Eius tamen explicatio non adeo facilis negotij est, vt integram quæstionem non exposcat.

QVÆSTIO III.

De Æternitate Sacerdotij Christi.

VIdimus Sacerdotium Christi æternum prænunciatum fuisse Psalmo 109 num. 5. *Tu es Sacerdos in æternum.* Atque à Paulo ad Hebræ. 7. *Sempiternum habet Sacerdotium.* in eóque à Sacerdotio Melchisedech figuratum modo explicato quæst. 2. cert. 2. num. 4. & cert. 3. num. 1. Videndum autem hic est, quo sensu Sacerdotio Christi æternitas conueniat.

CERTAMEN I.

Æternitatem Sacerdotij Christi impropriè sumi perperam existimarunt nonnulli.

1 SOarez d. 46. sect. 4. fine Bernal. d. 60. sect. 3. §. 2. numer. 63. & 69. aliique Doctores, qui nostri Vasquez ætate contra hæreticos decertarunt, vt ipse refert d. citata docent illud *in æternum*, & *sempiternum* de Sacerdotio Christi dictum, non æternitatem, sed magnam quandam durationem, vsque in sæculorum finem significare, iuxta vulgarem phrasim, qua multum duratura æterna, perpetua, ac sempiterna vocamus. Sic census perpetuos, pluraque alia, & Latinè, & Hispanè vocamus: quæ etiam Scripturæ phrasis est, vt constat ex pluribus, vbi de veteri testamento, eius sacerdotibus, sacrificiis, ac cæremoniis magno solum tempore, nempe vsque ad legem Euangelicam duraturis dicitur *legitimum, sempiternum erit vobis.* Confirmat Soarez: quia illud *in æternum* Psalmi 109. in Hebræo legitur *in sæculum.* & Bernal. quia illud quod Paulus subiungit *vnde in perpetuum potest*, in textu græco pro *perpetuum* est dictio quæ respondet latinè *continuo* Hispanè *alia continua*, vt sensus, & propositio sit *continuo*, siue *a la continua*, *potest saluare.* Subditur autem *semper viuens ad interpellandum.* Vnde arguit Bernal Tamdiu est Sacerdotium Christi, quamdiu est Christus viuens ad interpellandum pro nobis: at post finem sæculi non viuet ad sic interpellandum pro nobis, cum nulla post finem mundi futura sit Christi pro nobis interpellatio, quidquid illa nunc sit: ergo quandiu duret mundus solùm durabit Sacerdotium Christi, non autem per æternitatem. Probat secundò: quia nequit esse Sacerdotium sine sacrificio, vt aiebat Paul. ad Hebræ. 7. num. 3. vnde num. 4 de Christo ait *si esset super terram* id est, non obiisset per sacrificium sui cruentum, ac in terra viueret, *nec esset Sacerdos*, ad quæ Chrysost. *quo modo? quia nec obtulit, nec Sacerdotio functus est*: atqui ad finem solum mundi vsque, non vltra durabit aliquod Sacerdotij Christi sacrificium, videlicet incruentum Eucharistiæ, postea verò nullum: ergo sacerdotium

cerdotium Christi cum mundo, & durabit, & deficiet.

2 Tertiò arguit authoritate Concilij Tridentini (expressa putat) sess. 22. c. 1. *quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ visibile relinqueret sacrificium quo cruentum illud repræsentaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & successoribus, vt offerrent præcipit*: ergo ex mente Concilij ea solùm ratione se Sacerdotem in æternum declarauit Christus, qua eius sacrificium æteruum est: at hoc solùm est æternum sumpta æternitate non propriè, & strictè, sed pro magna duratione quadam, nempè in sæculi finem, non vltra: ergo ea ratione se æternum Sacerdotem Christus declarauit. Quartò confirmat: quia æternitas dicta de Christi Sacerdotio est secundùm ordinem Melchisedech: ideſt, secundùm sacrificium Eucharistiæ ab illo adumbratum: ergo durabit solùm quandiu Eucharistiæ sacrificium.

Denique ex eo, quod æternitas præfata Sacerdotij Christi secundùm ordinem Melchisedech fuerit prænuntiata, atque æternitas Sacerdotij huius propria non fuerit, sed solum, quatenus successor ei ex genere Leuitico non fuerit, neque alicui ex eodem genere successerit, ac proinde nec initium habuerit dierum, nec finem temporis, quatenus in eo æterna est imitatus, vel alia quauis demum ratione, videtur æternitatem Sacerdotij Christi æternam propriè non fore: alioqui æternitas secundùm ordinem, siue ordinis Melchisedech minimè foret, sed alterius longe diuersi, vt patet. Atque hæc quidem sunt omnia, quæ pro sententia hac excogitari posse videntur: sed tamen nihil in eis firmitatis inuenio, vt æternitas Sacerdotio Christi attributa in Scriptura sensu improprio accipienda sit: cum sine vllo incommodo proprio capi, & explicari queat, atque in eo acceptum fuisse ab illa suadeat contextus, vt hic, & cert. 2 expendemus.

3 Hebræa illa Soarij lectio *in sæculum*, nihil præstat: nam *sæculum* significauit in Scriptura propriam æternitatem. Sic Christus dicitur *Pater futuri sæculi*, id est, *æternitatis futuræ*: quare vulgatæ versioni standum est. Nec magis lectio Græca *continuo*, posse saluare intulit Paulus ex sempiterno Christi Sacerdotio, atque hoc *ex eo, quod maneat in æternum* Christus, non autem ex interpellatione, in sæculi finem, quam potius ex Christi, & Sacerdotij æternitate deduxit, neque in Bernalis sententia durationem sacerdotij ex duratione interpellationis, quæ neque in eius sententia sacrificium propriè est, potuit deducere: cum duratio Sacerdotij per ipsum ex duratione sacrificij metienda deducendáque necessariò à posteriori sit: quare ex duratione interpellationis, quæ sacrificium non est, malè deduceretur. Illud autem principium de necessaria existentia Sacerdotij cum sacrificio, vt, cum hoc exercendum iam deinceps non sit, nequeat durare Sacerdotium, falsum omnino est. Quæuis enim potestas transacto suo exercitio perseuerat, licet essentialiter respectiua actus sit, ac proinde, vt primo sit, actus possibilitatem supponat, vt per physicas, & morales potentias discurrendo patebit. Neque enim oportet quamuis potentiam semper, & vbique ad actum reduci; sed satis est, vt quando oportet, & vbi oportet exerceatur: quod si producta ad vnius actus exercitium fuit, frustra producta minimè fuit: eo autem transacto, quidnam ipsius exiget destructionem? nisi multum ad hæresim damnatam à Trident. sess. 23. can. 1. accedatur: scilicet Sacerdotium esse purè ministerium. Confirmo: quia mancus, cæcúsque Sacerdos, vt deinceps celebrare non possit, Sacerdotium non amittit, sed verus Sacerdos perseuerat.

4 Neque verò aliud probat Pauli testimonium, etiam adiuncta Chrysostomi interpretatione in eo sensu distorto, quo vtrumque ab aduersariis inducitur. Concludebat enim Chrysostomus eo sensu *nec si esset* Christus *super terram*, fore Sacerdotem *quia nec obtulit, nec sacrificio functus est.* Ergo si foret super terram, ac iam obtulisset, functúsque de præterito sacrificio fuisset, esset Sacerdos, licet functurus deinceps sacrificio non esset: ergo contra te superuiueret futuritioni actus sacrificandi Sacerdotium. Sed verò sensus Pauli longè alius est, vt profundè penetrauit Vasquez d. 86. c. 1. num. 4. referens illud *si adhuc esset super terram* ad tabernaculum, quod finxit homo, Salomon, *nec esset Sacerdos* Christus, de quo immediatè dixerat. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis sanctorum minister, & tabernaculi veri, quòd finxit Deus*, qui in cælo posuit tabernaculum suum, *& non homo*, Salomon, qui posuit tabernaculum Dei in terra: in illud quippe Sancta Sanctorum, quod finxit Deus, vt Sacerdotem summum introisse Christum dixerat, c. 6. fine non per sanguinem animalium, sed in proprio sangine, vt dicit c. 9. Probat autem Christum non fore Sacerdotem tabernaculi Salomonici, etsi perduraret: *cum essent, qui offerent secundùm legem munera*, ac non ex Christi potestate communicata, *qui* legales Sacerdotes, *exemplari, & vmbræ deseruiunt cœlestium*, id est Sacerdotij Christi in Sancta Sanctorum tabernaculi cælorum, *quod finxit Deus* ad cuiusque imitationem tabernaculum hominis factum ostendit Paulus ex 24. Exodi n. 40. veri autem tabernaculi Sacerdotem vmbram sui Sacerdotij esse factum, & vmbratici tabernaculi Sacerdotē fieri decenter nequit. Quare, nec si hoc in terris esset, Christus esset ipsius Sacerdos. Anselmus ad eum locum illud *si esset super terram*, ad hostiam immolandam, quæ immediatè præcesserat in textu *necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat* retulit, &, nec tunc fore Christum Sacerdotem ait, quare non ex defectu Sacrificij, vt inferebat Bernal, sed ob Pauli rationes alias à nobis explanatas.

5 In testimonio Tridentini nihil est præsidij: sensus enim non est: duratione sacramenti, quod instituebat, declarari Sacerdotij Christi æternitatem, eiúsque sensum, sed institutione ipsa Sacramenti duraturi post immineptem iam iam Sacerdotis instituentis mortem, declarari Sacerdotis, & Sacerdotij æternitatem propriam: quia potestas, quæ nec morte intercipitur, sed viget, ea procul dubio æterna propriè est, non caduca, & temporaria, vt patet. Quarta ratio nullius est ponderis. Nam figuratum non oportet trahi ad eum ordinem rerum physicum, in quo figura, & imago sui est: Sacerdotium autem Melchisedech, licet temporarium, cum eius origo & successor in ordine, & origine legalium Sacerdotum non inueniatur, proinde, quasi de æternis in Scriptura agitur non assignato Patre, Matre, genealogiáque ipsius, neque temporis initio, vel fine; solùm ex eo ordine censenda sunt, in quo figurantur: figuratur autem æternam propriè fore. Nec satis est similitudo in sacrificio, vt ad ordinem Sacerdotij trahatur: nam in sacrificio sui cruento simile Sacerdotium Christi fuit Aaronico legali, ad cuius ordinem non trahitur. Cur autem dicatur *secundùm ordinem Melchisedech* ostendimus ex Paulo, q. 2. sed instat Bernal. iuramentum, quo Deus Psalmo 109. Sacerdotij huius æternitatem confirmauit, vt otiosum non sit, aliquid mysteriosum nec cognitu facilè designare nempè Eucharistiæ sacrificium tanquam æternitatis illius mensuram. Sed non satis mysteriosa cognitúque difficilis est æternitas ipsa propria Sacerdotij, eam plures hæretici negant, neque eo adhuc iuramento interposito Bernal recognoscit.

CERTAMEN II.

Propria Sacerdotij Christi æternitas est non solùm in effectu, sed in ipso.

1 S. Th. q.22.a.5.conclus. 2. docet æternitatem Sacerdotij Christi non in ipso, sed in effectu gratiæ, & gloriæ fore. Consentit Kemnitius suo nomine odiosam suspectamque Catholicis conclusionem reddens, quam sola ratione nostri Vasquez impugno; quia sic etiam legale, & Christianum Sacerdotium ratione gratiæ, & gloriæ, quam impetratiuè, siue ex opere operato contulerunt, æterna sunt, sicut Sacerdotium Christi, de quo in æternitate distingui à Legali aiebat Paulus. Nec refert Christianos Sacerdotes esse minùs principales, quàm Christus sit, qui Principalis Sacerdos noui testamenti est: nam quid dices de legalibus? deinde, licet Christianum Sacerdotium minùs principale sit, ast æternum æque erit, ac principalius Sacerdotium Christi. Soar. proximè, & Petrus Hurtado. d.80.sect.3.docent fore æternum Sacerdotium Christi, quia æterna sui cruenti sacrificij apud Patrem, vel præcando pro ipsius fructu ab hominibus precipiendo, vel de præcepto gratias agendo moraliter sacrificauit, vt his docet Gregorius.M. 1. Moral. c. 21. *sine intermissione pro nobis Redemptor immolat, quia sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem* (quidni etiam passionem?) *demonstrat.* Videtúrque idem docere Paulus ad Hebræ. 7. illis verbis, quæ post æternitatem Sacerdotij Subiunxit: *semper viuens ad interpellandum.* In primis hæc etiam sententia, vel eo displicere Catholicis Doctoribus deberet, quod Caluino, & Kemnitio placuerit apud Vasquez d. 85.c.1. num. 4.§. *verum, quia aliquis* circa med. Gregorius sacrificium, pro quauis petitione, laxè nimirum, vsurpauit: siquidem incarnatio, nedum eius commemoratio, sacrificium non fuit. Paulus non fauet, neque enim interpellario sacrificium est, aut nominatur à Paulo, nec quidquid sit, æterne durabit: cum post iudicij diem nihil gloriæ adhuc accidentalis sit nobis à Patre Christus petiturus. Item interpellatio non solùm non est sacrificium, sed neque actus proprius Sacerdotij, cum Monialibus etiam, ac Choristis, quos vocant, Religionum ex publica etiam deputatione competat. Quod etiam habet gratiarum actio simplex, ac non per sacrificium. Si ergo, vt sacerdotium duret per hoscе, necessarium est aliquod proprium ipsius exercitium, atque interpellationis actus tale non sit, neque æternum duraturus, neque gratiarum actio simplex sit Sacerdotij propria, quo pacto Sacerdotij Christi per hæc æternitas consistet. Denique similis commemoratio, siue precando, siue gratias agendo à legalibus, & Christianis Sacerdotibus æterne fieri Deo potest: quin inde eorũ Sacerdotia æternè dureunt.

2 Solidam ergo rationem æternitatis huius Christi Sacerdotij in se ipso dedit Vasquez d.85.c.2. ex dictis q.1. cert.3. cum enim Deitate ipsa, qua vnionis interuentu formaliter inungatur humanitas, Christúsque, siue substantialiter vnctus consurgat, & consistat ac tanquam forma Sacerdos Christus constituatur, implicat manere Christum, siue substantialiter vnctum, quin maneat Sacerdos, & Sacerdotium ipsius: atqui Christus manet in æternum: ergo, & eius Sacerdotium, atque ipse Sacerdos manet in æternum. Hanc formalissimam rationem dedit apertè nobis Paulus ad Hebræ. 7.dicens. *Plures facti sunt Sacerdotes secundùm legem idcirco, quod morte,* vltra quam in Sacerdotes deputati non erant, *prohiberentur permanere. Hic autem,* Christus, *eo quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium.* Vtique: quia non extrinseca lege, & deputatione, quæ tempus taxaret Sacerdotij, sed ipsa Deitate, qua Christus consistebat, ipsius Sacerdotium constabat: Quare sine Sacerdotio stare non poterat: id quod explicatiùs adhuc dixerat num. 16. *qui non secundùm legem carnalis mandati factus est* Sacerdos; sic enim sicut legales reliqui morte prohiberetur permanere, *sed secundùm virtutem indissolubilis vitæ.* Sic rationem Pauli intelligunt ad ea loca Ambros. Theophylact. & œcumenius. Cyril. Alex. lib. posteriori ed recta fide ad Regin. *de eo quod Christus sanctificatus est, & de Sacerdotio.§. Nullus accepit sibi.* Damasc. orat. 2. de B. Mar. Natiuit. longè ab init. Et Elias Cretens. recitati. q. 1. cert. 3.

3 Denique Chrysost. explicans c.7.ad Hebræ. ait: *duas ponit differentias: quia non habet finem, sicut legalis* Sacerdos, *Hoc autem facit ex persona Mediatoris Christi: secundùm virtutem inquit, vitæ insolubilis. Facit autem hæc ex iureiurando, quod iurauit, & ex re.* Ac infra: *facit autem hæc, & ex Pontifice: quomodo? quia vnus est. Non enim vnus esset immortalis. Sicut enim multi Sacerdotes sunt, quia mortales sunt: sic vnus, quia immortalis est.* Quæ verba habentur etiam in Ambrosio proximè citato. Ex hac Doctrina rectè inferebat Vasquez c. 3. num. 29. Christum Dominum Sacerdotem æque, ac nunc, in æternum fore, etsi non ex fine redimendi homines per cruentum sui Corporis sacrificium incarnatio fuisset effecta: ac proinde nunquam sacrificium vllum exercendum ab ipso foret. Eo enim à Sacerdotibus aliis discordat Christus Sacerdos, quod illi ex deputatione ad sacrificandum Sacerdotes constituuntur; Christus autem non ex deputatione, extrinsecove alio, sed ex intrinseco sibi: nempe Deitate, qua constituitur in se, Sacerdos euadit: ea quippe formaliter sit Christus, vnctus, & Sacerdos: quare ex quocumque fine Christus existat, & Sacerdos existet, vt videant Sodrius, Hurtado, Bernal, & reliqui Doctores, qui ad Sacerdotij durationem sacrificium peragendum in illa necessarium reputent, quantùm aberrent à vero: in nullo enim Sacerdotio id requiritur, sed satis est anteacto tempore fuisse peractum; in Sacerdotio verò per intrinsecam formam sufficit absoluta sacrificij possibilitas, licet nunquam exerceatur.

4 Cæterùm Doctores eiusmodi opinantes non satis miror. Etsi enim actus proprius à Sacerdote quouis in ea duratione exercendus necessario requireretur, in qua Sacerdotium verè perduraret, facilè eiusmodi actum inuenire in Christo per æternitatem possent. Etenim ingressus ille Christi in sancta sanctorum cœli propria authoritate & virtute, sessióque æterna illa ipsius in excelsis, actus proprius Sacerdotis summi Christi Domini est, quemque figuratè solus summus Sacerdos Legalis, & Aaronicus exercere poterat: Soli enim Sacerdoti summo veteris legis ad sancta sanctorum Legalis tabernaculi licebat, patebátque ingressus post mactationem, sacrificiúmque cruentum: eóque ingressum summi Sacerdotis Christi in sancta sanctorum tabernaculi non ab homine facti, sed à Deo, nempe cœli, post cruentum sui Corporis sacrificium adumbrauit. Hunc summi Sacerdotij Christi proprium actum notauit sæpe Paulus ad Hæbræos scribens. c.6.num.20. *Vsque ad interiora velaminis: vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus secundùm ordinem Melchisedech. Pontifex factus in æternum.* c.8.num:1. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod finxit Dominus, & non homo.* c.9.num. 11. relato modo, quo summus Sacerdos semel in anno non sine sanguine in sancta sanctorum, siue secundum tabernaculum ingrediebatur, subdit. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta.* Quid clarius?

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De Christi sacrificio, eiusque effectu.

Videndum est quotuplex sacrificium Christus obtulerit, quóque fructu, & effectu. Et quidem obtuliſſe in cœna incruentum sui corporis sacrificium definitum est à Tridentino sess.22.cap.1. verbis datis q.3.cert.1. num.2. fusèque à nobis contra huiusce sæculi nouatores probatum suo loco est controu.de Eucharistia, & de sacrificio Missæ, quare nil hic de eo erit dicendum: videat si volet lector curiosam, doctámque disputationem nostri Maldonati initio tomi in Ezechielem. Duo igitur sacrificia Christi examinanda supersunt cruenta, alterum sui corporis, alterum Paschalis agni.

CERTAMEN I.

Vtrumque, & sui corporis, & Paschalis agni sacrificium Christus obtulit.

1 De oblatione sacrificij cruenti sui corporis à Christo Domino, vt Sacerdote difficiliora discecimus q.1.cert.4. num.3. Nunc autem obiici potest: quia sacrificium in materia, loco, & tempore authoritate publica destinatis ad sacrificandum peragi debet, vt ritè, ratéque peragatur: atqui cum Christus fuit cæsus nondum lex vetus fuerat abrogata: quia nec nouum testamentum inductum, quo abrogaretur: ergo ratum sacrificium ex materia in lege veteri designata tempore, item, & loco destinato scilicet in templo Hierosolymitano peragi debebat, quæ omnia in Christi cæde defuerunt: ergo ea non fuit ratum sacrificium. Respondetur: tempus legis veteris ad sacrificium agni Paschalis, quod cruenti sacrificij Christi fuit vmbra, in hoc etiam fuisse seruatum, vt aduertunt Euangelistæ omnes in ipso historiæ passionis ingressa, clariúsque reliquis Ioannes cap. 13. num. 1. *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Locus autem, & materia in lege veteri designata non defuit. Neque enim sacrificiorum omnium materia in illa lege eadem erat: proprium autem corpus Christi designatum ad sacrificium erat ab Isaia. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum.* Clariúsque à Psalmista *sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi.* Locus autem sacrificij, seu holocausti pro peccato non templum, seu tabernaculum erat in illa lege, sed quiuis extra castra, seu ciuitatem: quare cum Christi sacrificium pro omnium peccatis mactaretur, non nisi extra ciuitatem erat offerendum, vt profundè obseruauit Paul.ad Hebræ.13. num.11. *quorum animalium infertur sanguis pro peccato horum corpora cremantur extra castra: ita & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est.* Ac tandem cum omnia illa sacrificia vmbræ huius forent pro legalibus, locum, & tempus, & materiam designabant, non autem pro sacrificio hoc, quod adumbrabant, pro quo templum, & altare idem, quod sacrificium, & materia fuit, corpus scilicet ipsum, vt citato cert. 4. vidimus.

2 Cruentum insuper hoc sacrificium sæpe fuit à Paulo commendatum tota epist. ad Hebræos, ex qua selectiora hæc cap.7. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel se ipsum offerendo Iesus Christus Dominus noster,* & c.9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit in sancta aeterna redemptione inuenta.* Leo Pap. 1. *Dicant quo sanguine sunt redempti, dicant quo sacrificio reconciliati? quis est, qui tradidit semet ipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis? aut, quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm, quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit?* Adrian. Pap.1. epistdecret.ad Hispan. Antist. *cum autem in altari crucis hostiam se pro nobis exhibuisset Deo, & Patri in odorem suauitatis.* Post pauca: *sacrificium, quod in altari crucis pro nobis obtulit Deo.* August.1.contr. aduersar. leg. & Prophetar. cap.13. *singulari, & vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est.*4 de Trinit. cap.14. *quid tam congruenter ab* (id est ex) *hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro? & quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis?* in quam sententiam sæpiùs scripsit, ac insuper Cyprianus reliquíque Patres. Tandem definita est hæc veritas à Concil.Alex.epist.ad Nestor. 10. apud Cyrillum Alex.anathematismo 10.recepta ab Ephesino 1.Definita etiam fuit à Tridentino sess 22.cap.1.

3 Secundò dicendum est Christum obtuliſſe sacrificium agni paschalis, seu *phase.* Quod, vt probetur, scire oportet: agni paschalis occisionem, verum, ac proprium sacrificium fuisse diuinitùs institutum, Iudaíque mandatum in gratiarum actionem, ac professionem propitiæ sibi potestatis diuinæ in cæde Primogenitorum Ægyptiorum, atque Hebræorum seruatione. Sæpè enim eiusmodi cessio agni immolatio dicitur Deuteron.16.num.2. Paralip.2. cap.30. num.15. Lesdræ 1.cap.6.num.20. Secundò scire oportet: huius sacrificij sacerdotem à Deo deputatum fuisse quemcumque Patremfamilias, siue caput familiæ Hebræorum, vt docet Philo 3. de vita Moysis his verbis: *Non, vt alias plebeij homines adducunt ad altare mactandas à Sacerdotibus; sed iubente lege tota gens sacrificat: dum pro se quisque mactat hostiam propriis manibus.* Consonat Iosephus 2. antiquitat.cap.6. Tertio locus ei sacrificio deputatus non fuit templum, sed quæuis domus Hierosolymitana, vt ex verbis Philonis datis, & ex Iosepho constat, atque ex 16. Deuteronom. num. 5. imò tam hæc, quàm præcedens obseruatio ex 2. Paralip.cap.30.num.15.vbi filij Israël immolasse Phasc dicuntur, ac distinctim, seu seorsim Sacerdotes, & Leuitæ *in domo Domini.* Accedunt rationes. Nam innumeris agnis eodem tempore occidendis, nec plura templa, nec multa Sacerdotum millia sufficerent. Deinde: quia, si templum locus deputatus esset agni sacrificio, & esui, nec rogassent Christum discipuli vbi paremus tibi comedere pascha, nec priuatam ipse domum elegisset, sed templum potiùs adiisse diceretur ab Euangelistis, ne Legem nondum abrogatam contempsisse videretur. Ex quibus satis liquet Christum familiæ discipulorum, imo, & Matris etiam caput, agni Paschalis sacrificium illius, quod ex sua carne peracturus statim erat, præludium non omisisse, sed perfecisse.

Ast dices: Sacerdotium ad immolandum Paschalem agnum capitibus familiarum deputatum à Deo fuit in veteri lege quingentis post circumcisionem annis: ergo, si Christus, qua caput familiæ suæ, propriè sacrificauit agnum Paschalem, fuit veteris legis Sacerdos. Non nimis refugere videtur consequentiam Bernal d.60.sect.2. §.2. num.52. solùm enim putat negatum Christo à Paulo ad Hebræ.7. Sacerdotium legale, quod esset munus, & dignitas specialis in populo, quodque solùm Leuiticam ad gentem pertinebat. Sed tamen melius, veriúsque neganda est consequentia. Nam. & Sacerdotia alia legalia, ac non Leuitica recipiebant successores, eo quod Sacerdotes etiam illi morte prohiberentur permanere, quod absolutè à Sacerdotio Christi Paulus prorsus ibi relegatum vo-

luit. Respondetur ergo Christum non ex iure legis Sacerdotem, sed ex vnione hypostatica, ex qua, vt diximus, summus, ac longe altioris ordinis reliquis purè creatis euasit, potestatem omnium Sacerdotum eminenter continuisse, potuisséque omnes actus omnium inferiorum Sacerdotum propriè obire iure, & potestate sui Sacerdotij supremi: non secus, atque ex suprema regia potestate, quam iure vnionis habere diximus poterat in omnibus regnis leges condere, præcipere, eáque politicè gubernare: ac proinde non sacrificasse ex iure legali capitis familiæ, quam humano modo verè non habuit, vt diximus, ac subinde, nec legale illud Sacerdotium. Sic Rex, licet in suis prouinciis ea omnia, quæ ipsius Proreges, se ipso perageret, non Proregis potestate, sed ex Regia ea agere diceretur.

CERTAMEN II.

Cruenti Sacrificij Christi effectus discutitur.

1 DE cruenti sacrificij Christi effectu solùm agitur. Cum enim ex parte rei oblatæ, & merito Christi offerentis æquale ipsi sacrificium incruentum Eucharistiæ sit, nihil hic speciatim de hoc examinandum erit: sicut neque de effectu sacrificij Paschalis agni, quod etiam ex parte offerentis Christi æquum habuit valorem, & effectum: ex parte verò rei oblatæ eundem, atque aliorum similia offerentium sacrificium. Nemo igitur Catholicorum est, teste Vasquez d.34.c.1. num.1. qui cruento huic sacrificio effectum infinitum placationis Dei de nostris peccatis mediâ gratiæ infusione neget: ac proinde totius mundi redemptioni non sufficisse solùm illud, sed & superabundasse, vt recitandus statim Paulus ajebat; licèt dubium inter illos sit, an valorem & effectum solo oblationis Christi merito habuerit? an re etiam oblata? Primum reputat Vasquez cum aliis recitatis controu. antecedenti d. vlt. q.2. nos autem secundum iudicamus cum VVadingo,& reliquis ibidem nominatis. Eâ verò de re nil præter ibi data addendum hic erit. Solùm ergo examinanda venit difficilis ratio Pauli ad Hebræ. 10. dum valorem istum sacrificij cruenti Christi Domini præ cruentis aliis commendans ait: illa quidem insufficientia fuisse ad sanctificandum: ac proinde quotidie repeti, sed semel tantùm fuisse ab ipso exhibitum, vt eius sufficientia, & superabundantia ad nostram sanctificationem consummatam monstraretur.

2 *Verba & discursus Pauli hæc: vmbram habens lex* [vetus] *futurorum bonorum*, [gratiæ], *non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere*, [sanctitate] *alioqui cessassent offerri, ideo quod nullam haberent vltrà conscientiam peccati cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum fit.* Clara professione insufficientiæ eorum ad perfectam cultorum sanctificationem, *impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata* subditque in argumentum idem, *& omnis quidem Sacerdos*, legis, *præsto est quotidie ministrans* ac proinde stans, *eásdem sæpè offerens hostias*, *quæ* nunquam possunt afferre peccata; *Hic autem*, Christus, *vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei*; ostendens absolutum semel sacrificium fuisse, *de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Sed tamen cum sacrificia vetera vmbra essent vnici sacrificij cruenti Christi, nisi peccata saltem impetratoriè, expiarent, licet ex meritis Christi, ineptè pro peccatis repeterentur. Si autem remittebant: ergo in annua eorum repetitione non fiebat commemoratio, nisi denuo admissorum. Ex quo humanæ infirmitatis, non autem insufficientiæ veterum sacrificiorum ad auferenda peccata argumentum potest desumi; alioqui & sacrificium cruentum Christi, post quod humana fragilitas sæpè in peccata relabitur, & incruentum Eucharistiæ, quod quotidie millies millium in Ecclesia repetitur, inefficacitatis eodem discursu arguentur: quibus præoccupata manet solutio S.Thom. q.22.a.3.ad 2.

3 Restat explicare, quibus cruenti huius sacrificij effectus profuerit? de quo solùm inquiro non de oratione, tum quia proprius, & specialis sacrificij actus non est: tum quia eius effectus, omnes etiam, Christum pertigisse ab omnibus Scholasticis, vel supponitur, vel asseritur, vt videre est in S. Thom. q.22. a. 4. & Thomistis apud Vasquez d.84. cap.2. num. 15. constátque ex Ioan.12. vbi Christus orabat *saluifica me ex hac hora, & clarifica nomen tuum in me* Filio, cui Pater, *& clarificaui, & iterum clarificabo.* Vnde ipse c.13. *Nunc clarificatus est filius hominis* & c.17. *venit hora clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te:* Ad Hebræ.5. recitatis verbis ex Psalmo 109. dicitur. *qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis exauditus est pro sua reuerentia.* Quo autem pacto exauditus pro sua reuerentia fuerit, obtinuerítque, explicuimus controu. proxima d. cert. Obseruat autem recte S. Th.Christum sibi orationis suæ effectum secundùm quid solum obtinuisse, nam primarium, primarióque omni sua oratione, qua Sacerdos erat, intentum, scilicet peccatorum remissionem, Deíque de his placandum, iustæ, ac prorsus impeccabili humanitati suæ obtinere non poterat. De effectu autem sacrificij iis omnibus hominibus, Angelísque obuenisse, quibus merita Christi iuxta dicta citata controu. certum omnino etiam est, licet Angelis, non quoad effectum remissionis peccatorum, sed ad reliqua.

qua. Tota ergo difficultas est an sacrificium cruentum Christi Domini, eiusque effectus ipsum Christum Dominum pertigerint.

5 S.Thomas in vtramque trahitur partem, in affirmatiuam à Thomistis, in negatiuam à Vasquez iure potiori. Bernal argumentorum nostri Vasquez pro negante conclusione inefficaciam dispiciens, necdum plene perspiciens, dubius in decisione hæsit. d.60. sect.2. §.2. num.54. & 55. Est autem Vasquez discursus huiusmodi, quia non potuit Christus sacrificium sui cruentum offerre pro se ipso, vt opus erat, vt sibi prodesset. Etenim non potuit pro se seipsum offerre in gratiarum actionem pro acceptis à Deo, & sic, nonnisi ex Dei præcepto, se posset mactare sine peccato: nullum autem Dei præceptum extitit, vt se in gratiarum actionem pro suis acceptis donis sacrificaret vel se ad dona sibi impetranda Deo sacrificaret cruentè: &, nec hoc fieri potuit: quia nequit sacrificium eiusmodi pro aliquo ad impetranda ipsi dona Deo offerri, quin, & pro ipsius peccatis expiandis, atque ad placandum ipsi Deum offensum offeratur, quod respectu Christi,eiúsque humanitatis sanctissimæ, & impeccabilis locum, nisi apud blasphemos nefarios, habere non potest. Probat assumptum hoc ex Concilio Alex. epist. ad Nestor.apud Cyrillum 50. anathematismo 10. approbata ab Ephesino 1.t.1.cap.14. sic scribente: *Si quis dixerit non pro nobis solum se ipsum obtulisse, sed simul etiam pro se ipso, ille impietatis crimen vitare nulla ratione potest. Constat enim nihil vnquam deliquisse, nec vllum vnquam peccatum designasse: qua igitur indigebat oblatione, cum peccatum* (*cuius hostia iure meritóque offerretur*) *nullum admisisset?* & in anathematismi eiusdem definitione: *Si quis Christum, etiam pro se ipso oblationem, & non magis pro nobis obtulisse dicit* (*non enim opus habuit oblatione, qui peccatum non nouit*) *anathema sit.* Si autem oblatio ad dona alia obtinenda alicui, sine eo, quod pro expiandis peccatis foret, esse posset, sine vlla impietate diceretur Christum pro se ipso oblationem sui ipsius obtulisse. Confirmatur; quia ideo videtur Christus dixisse Ioan.17. *Pro illis sanctifico me ipsum*, id est, *sacrificio.* Iuxta Chrysost. Theophylact. & Euthym. ibi ac Cyril.4.in Ioan.cap.12.

6 In affirmatiuam nihilominus partem cum Thomistis eo. Etenim pro se offerre se ipsum potuisse certum mihi est, neque oppositum leuiter adhuc argumenta proxima suadent. Etenim locus hic Ioannis non abest quominus pro aliis, quàm hominibus, se sacrificauerit Christus, vt patet in pluribus, imo fere omnibus Angelis, quibus ad dona gratiæ plura obtinenda sacrificium Christi profuit in Vasquez etiam sententia. Cur ergo non & sibi? Illud de gratiarum actione nil probat. Cum enim Dei præceptum se sacrificandi pro hominibus habuerit, se in gratiarum actionem pro donis sibi à Deo collatis potuit honestissimè sacrificare. Nam sui mactationem sibi ex Dei præcepto licitam, & honestam; quibusuis honestis aliis finibus adiunctis potuit honestare. Meliùs hoc probaretur repugnare: quia, si in gratiarum actionem pro donis à Deo acceptis sacrificium obtulisset, dona illa eius sacrificij effectus esse non possent: tum, quia mutua daretur causalitas inter illud absolutè præuisum, & dona etiam præuisa absolutè, vt supra expendebamus non semel: tum quia dona illa essent effectus liberalis voluntatis Dei gratuitò donantis, cum quo non stat ob munus siue sacrificium, & gratiarum actionem ipsam dari: sed hæc in Vasquez sententia, qui ob gratiarum actionem à Christo in huius sacrificij oblatione exhibitam dona antiquis Patribus data à Deo fatetur, nullam vim habent, licet absolutè satis efficaciter probent: quare, & nobis non eo modo se in gratiarum actionem pro donis sibi collatis Deo offerre potuisse, dicendum sit: sicuti neque in gratiarum actionem pro donis gratiæ collatæ antiquis Patribus se obtulisse, offerreve potuisse supra dicebamus. Potuit autem se se pro sibi impetrandis Dei donis, gloriæ corporis, nominísque exaltatione offerre, quinex eo fine pro remissione peccatorum, quæ habere non potuit,offerret: vnde enim vterque hic finis, & intentio necessario coniuncta & connexa sint. Ecce pro impetrandis donis pluribus Angelis, qui non peccarunt se Christus obtulit, quin pro remissione peccatorum ipsorum, aut pro Deo ipsis placando se offerret. Ecquis item Adamum in statu innocentiæ ad aliqua dona impetranda sacrificium Deo offerre potuisse neget? Testimonia illa loquuntur de primaria intentione oblationis illius sacrificij, quæ dubio procul pro remissione peccatorum fuit: eo enim sensu Nestorius, qui Christum purum hominem asserebat se pro se ipso, sicut pro cæteris hominibus obtulisse impiè blasphemabat, satísque indicat hanc Conciliorum mentem, & huius erroris occasio, & verba illa, *& non magis.*

7 Iam verò si pro se ipso sacrificium hoc offerre Christus præfato modo potuit, vt verè potuit, cur non de facto pro se obtulisse dicemus? Quia nullum est fundamentum ad id de facto asserendum admissa etiam possibilitate,inquit Vasquez,ex quo Bernal, qui idcirco in difficultatis decisione hæsit. Sed tamen ad id asserendum fundamenta sunt plura. Primum ex postremo testimonio Concil. Alex. & Ephesini oppositio à Vasquez *& non magis pro nobis obtulisse*: ergo pro se minus, id est, non primariò, & principaliter, sed secundariò: magis enim, si propriè accipiatur, vt accipi in definitionibus oportet, esse non potest, nisi respectu illius, quodminus ipso est. Secundum ex illo *si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum.* Isai.53. vbi ex sacrificio mortis suæ pendere Christi dignitatem Patris, & capitis, quoad filiorum, & membrorum applicationem, exprimitur. Verbo enim *ponendi animam* Sacerdotalis sui ipsius mactatio, qua à martyrio differt, explicatur,iuxta dicta q.1.ex illo Ioan. *ego pono animam meam nemo tollit eam à me.* Tertium: ex illo *oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, atque illo *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit ei nomen, quod est super omne nomen.* Corporis vtique, inquam,peracto sacrificio ingressus est. Quartum: quia gloriosius id Christo Domino fuit. Quintum: quia id in opinione Vasquez, & Bernal necessariò est fatendum: Cum non aliter gratias, & dona aliis Christus sacrificio hoc obtinuerit, quàm merito oblationis;non autem re ipsa oblata; eodémque merito sibi gloriam corporis, & reliqua fuerit per ipsos sibi promeritus: ergo per ipsos æque effectus sacrificij huius Christum, quoad dona sibi collata, atque reliquos pertigit.

DISPVTATIO III.

De Christo Domino Mediatore, ac Redemptore.

VTramque dignitatem Mediatoris, ac Redemptoris in vnam disputationem coëgimus, quia neutrius scholastica disputatio iuxta euaderet.

QVÆSTIO I.

De dignitate Mediatoris.

DE subiecto, & formâ Mediatoris agendum hic erit, sed priùs Mediatoris munera varia recensenda, explicanda, Christóque Domino applicanda sunt.

CERTAMEN I.

Mediatoris munia omnia Christus Dominus obiuit.

1 MEdiator, absolutè, ac generatim sumptus quicumque inter aliqua medius intercedit nominatur, vnde ad Galat. 3. dicitur: *Mediator autem vnius non est.* Diuiditur primo in Mediatorē physicum, & moralem. Physicus est quicumque physicè intercedit mediúsque interiacet. Hoc sensu, vt obseruarunt S. Bonau. in 3. d.19. a.vlt. Ricard. a.2. q.4. ad 3. Gabr. q.vn. a.3. dub. vlt. Vasquez d.83. cap.1. num.2. Christum Mediatorem Dei, & hominum appellarunt: Basil.4. contra Eunom. Nissenus orat. in id: *quando sibi subiecta sint omnia*, col.8. init. Epiphan. anchorato ante med. pag.344. Cyril.4. Thesa c.2. & lib.12. c.10. & 1. de Trinit. Tertullian. de resurrect. carn. c.51. contra Praxe. c.27. Hilar.9. de Trinit. post init. Fulgent. de fide ad Petr. cap.2. quatenus eius persona vtramque naturam physice coniunxit. Ad idem physici Mediatoris genus reduci debet, & aliud, quod Christo tribuunt Chrysost. hom.7. in id 1. ad Timoth. 2. *vnus Deus, vnus, & Mediator.* Theophylact. œcumen. & Theodoret. ibi, qui, & Dialogo *in confuso.* Vigilius Pa.5. contra Eurychet. t.5. Bibliot. est quippe physica mediatio, licet sub moralis mediationis contideratione, & imitationem ab illis explicetur: quatenus, scilicet, physica vnione Verbi persona naturam vtramque diuinam, & humanam ob huius generatim sumptæ peccata discordem physicè coniunxit, ad eum modum, quo moralis Mediator discordes, apprehensis eorum manibus, conciliat.

2 Moralis autem Mediator est, qui suo interuentu, & officio discordes componit, & conciliat. Id quod quatuor modis fieri apud homines consueuit (vt bene Vasquez proximè num.4.) pro quorum diuersitate moralis Mediator, siue mediatio in quatuor species diuidi solet. Primæ speciei est Mediator proxenetarius: qui proxenetæ in morem vnius è discordibus ad alium pacta, & conuentiones defert. Secundo modo est Mediator precarius: qui nimirum vnum pro alio precatur, pro quo, & apud illum interpellat. Tertio modo est Mediator arbitrarius: qui, scilicet, à discordibus, vel saltem à parte offensa, vel infensa arbiter ad eorum causam discernendam, & diiudicandam eligitur. Quartò modo Mediator moralis esse potest: qui parti offensæ de suo offert, exhibétque satisfactionem, siue in pœna, quam ab alia iure posset exigere, siue in debito quouis alio, vt cesset offensio, atque fiat reconciliatio. Quartam hanc Mediatoris speciem essentialiter à tertia indistinctā reputat Vasquez, & alij, ac proinde in tres solùm species strictas mediationis, seu Mediatoris, Mediatorem generatim sumptum distribuunt. Ego verò quartum hunc Mediatoris modum à tertio diuersum essentialiter reputo: quare neque sub tertio contineri. Primo: quia tertius ille modus arbitrarij iudicij in causa componenda est; quartus verò non dicit potestatem ex arbitrio, & quasi ex æquo, & bono componendi sed ex æquo soluendi, ac satisfaciendi importat. Secundo: quia in quarto hoc modo nulla iudiciaria potestas includitur adhuc in genere, sed purum fidei interioris officium: quæ non ex accidenti in causa solutionis, & satisfactionis, sed substantia, & essentia differunt.

3 His totis quatuor modis, & speciebus mediandi moraliter Christum Dominum mediatorem Dei, & hominum fuisse, nemo est qui ambigat Primo etenim modo Dei & hominum Mediator dicitur Christus ad Hebræos. 12. vbi hæc ipsius mediatio per similem Moysis mediationem Paulus explicuit. Etenim de sua mediatione sic fatur Moyses Deuteronom. 5. *Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo*, legis datæ in monte Sina: *vt annuntiarem vobis verba eius*: de eadémque Moysis mediatione Paulus ad Galat. 3. *data est lex per Angelos in manu Mediatoris.* Huius igitur mediationis adinstar longè perfectiorem Christi Domini mediationem tradidit Paulus citato loco ad Hebræ. 12. verbis hisce: *Non enim accessistis ad accessibilem ignem &c. sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, & iudicem omnium Deum &c. & testamenti noui Mediatorem Iesum.* Ad quæ Chrysost. hom.16. in epist. ad Hebræ. *quomodo Mediator factus est?* (Christus nempè) *sermones detulit, & attulit: ea, quæ à Patre mittebantur, perferens ad nos* quo sensu Malach.3. Angelus testamenti Christus fuit appellatus: atque à Tertulliano *sequester*, vt de se aiebat Moyses proximè, siue consiliorum & rationum partis vtriusque depositarius. Passim denique de suo hoc mediatoris officio Christus aiebat verba, & sermones, quæ ad homines habebat non ipsius, sed Patris esse.

4 Secundò autem modo Mediator precarius inter Deum, & homines Christus fuit: cum pro hominibus Deo offenso, ac ipsis infenso conciliandis noctes diésque assiduas ad Deum preces fuderit. Fuit item Mediator arbitrarius causam Dei offensi cum hominibus iudicando, vt testatur Ambros. in id 1. ad Timoth.2. *vnus, & mediator* eam, vt arbiter ex æquo, vt aiunt, & bono componens, non è iustitiæ rigore (& si ei locus inter Deum, & homines esse posset) cum hominibus seruando, ita vt homines Deo infenso adamussim, vt dicitur, satisfacerent, atque soluerent. Hoc autem munus, & potestatem è sola Dei offensi, & infensi hominibus, voluntate & electione habuit: ea quippe sola necessario expectanda fuit: cum tota hæc mediatio arbitraria in hominum beneficium, & commodum pararetur: quod sine accipientis voluntate quæri ipsi, pararíque potest. Quarto denique modo fuit Mediator satisfactorius Christus. Siquidem offenso, infensóque hominibus Deo, satisfactionem, vt omnibus compertum est, & obtulit, & exhibuit. Hac etiam ratione inter Deum, & homines Mediatorem fuisse Christum aiebat Chrysostomus hæc verbis ex ipso recitatis adnectens. *Addidit etiam morem in offensione quippe adiectens. Mori nos oportebat mortuus est pro nobis, & fecit nos dignos testamento.*

CERTAMEN II.

De subiecto Mediatoris in Christo Domino.

1 STanislaus Sarnicij apud Stancarum lib.de Trinit. & Mediatore asserit Mediatoris officium soli diuinitati conuenire, ac proinde eam solam esse mediatoris subiectum. Contra quem non admodum efficaciter arguit Vasquez ex inferioritate necessaria Mediatoris respectu alicuius ex extremis, quibus, siue, apud quos mediat, si vniuersaliter de omni specie Mediatoris loquatur. Etenim cum eodem modo extrema, inter quæ media respiciat: non est ratio, qua respectu vnius, potiùs, quam alterius inferior esse Mediator debeat: ergo respectu neutrius, vel vtriusque dicet inferioritatem: non dicit autem respectu vtriusque; alioqui hominum, & Dei Mediator Christus non esset: cum neque, quà homo, sit hominibus inferior: ergo respectu neutrius dicet inferioritatem Mediator moralis, adhuc quà talis. Secundo: Mediator internuntius inter discordes sibi æquales, imo, & sibi inferiores esse optimè potest v. g. inter discordes nobiles nobilis vir, &, fieri potest ipsis nobilior: raróque plebeium, nisi industria, & ingenio nobilibus aliis emineat, discordes nobiles in Mediatorem internuntium videas seligere. Tertio item modo Mediatoris moralis arbitri non arguitur ipsius respectu partium, vel alicuius ex ipsis inferioritas, vt patet, atque eisdem rationibus facile monstratur: sicuti neque in quarto, siue oblata, & exhibenda ab eiusmodi Mediatore satisfactio pro parte alterutra ex rigore iustitiæ, siue adæquate æqualis, aut æquiualens futura sit.

2 Sed nec secundo denique modo natura sua Mediator inferior esse debet, sed solum non superior parte, quam precatur, vt debitum, siue offensam remittat: imò superioris etiam dignitatis respectu ipsius esse optime potest. Quotidie enim videmus nobiles, imo dinastas inter plebeios, vel inferioris nobilitatis, & dignitatis homines discordes intercedere eos precando, vt offensionem remittant, ac sibi inuicem reconcilientur. Ratio est, quia ad omne, quod quis agere nullo iure debet cuiuspiam interuentu materia precum, & rogatus cuipiam esse potest: atqui nemo, non subditus omnino alterius, vllo iure tenetur eius interuentu offensam sibi illatam ab alio ipsi remittere: ergo eius remissio est materia precum, & rogatus respectu personæ cuiusuis interuenientis, qui Dominus absolutè offensi omnino non est, quantumuis ab illo dignitate excedatur, verum est ratione materiæ in casu nostro, Mediatorem non posse non esse inferiorem respectu alterius partis, scilicet Dei offensi, quia, vt iam dicam, Deus ipse nequit esse inter se, & homines Mediator, nihilque præter Deum potest ipsi esse æquale. Solidè ergo impugnandus est Stanislaus Sarnicij, quia de ratione Mediatoris, vt sic, est à partibus discordibus realis distinctio: quomodo enim inter aliqua realiter mediare concipi potest, quod ab vtroque extremo distinctum non est? atqui Deitas ab altero extremo discordi distincta non est: ergo nequit esse Mediator inter Deum, & hominem discordes. Minor patet: quia Deitas à Deo realiter non distinguitur: est autem Deus alterum ex extremis mediationis huius.

3 Caluinus duabus epistolis ad Polonos, ac Ministri Tigurini Bellingerus, & Petrus Martyr, duabus etiam epistolis ad eosdem Simberus contra Stancarum, atque hæretici alij apud Bellarminum t.1. controuers.lib.1.de Christo cap.3. & apud Spencæum opusc. de Christo Mediatore cap.5. aiunt: vtramque naturam in Christo Mediatoris munus obiisse: ac proinde vtramque esse Mediatoris subiectum. Id quod argumento inferioritatis Vasquiano nuper à nobis reiecto male impugnabitur: ac nostro de necessaria distinctione Mediatoris ab extremis componendis videbitur fortasse alicui segniter tangi: cum Christus totus à Deitate, siue Deo, quod alterum extemum est, realiter absolutè distinguitur non minus, quàm totum quoduis à parte sui distinguitur. Sed tamen argumentum nostrum intentum contra hunc errorem: euincit. Debet enim Mediator adæquare realiter à discordibus, quos componit, re ipsa distingui. Quocumque enim modo pars altera è discordibus consilio, arbitrio, precibusve cum altera agat, conciliationem ipsa se cum alia componit, non per Mediatorem, vt patet de se consideranti singularim, ac percurrenti genera illa quatuor mediandi inter discordes, siue tanquam internuntium, siue precando, siue arbitrando, siue satisfaciendo pro parte debitoris creditori. Constabit autem clarius; si huc aduocemus argumentum quo similem eorundem errorem de subiecto Sacerdotij Christi refellebamus. d.2. q.1. cert. 2. Etenim vel illa actio mediandi est vtriusque naturæ indiuisibiliter? & ecce Apollinaristicam confusionem operationum vtriusque naturæ in Christo, quæ forte Eutychianam naturarum confusionem supponat. Vel est duplex actio, altera à Deitate, altera ab humanitate prouenientis: & tunc luce meridiana clarius est, eam, quæ à Deitate prouenit non mediationem, sed conuentionem vnius cum alia fore.

4 Ast dices, Christus, quà homo Mediator inter hominem, & Deum est: quin obsit, quod homo sit altera pars ex discordibus componenda per Christum Mediatorem: ergo neque oberit, quod Deus altera pars per Christum Mediatorem sit, quominus Deitas etiam possit esse saltem partialis Mediator. Distinguo extremam partem antecedentis, *quod homo idem* metaphysice, seu logice secundum speciem sit pars componenda, nego suppositum eius partis: nam homo, siue humanitas Christi realiter non est homo siue humanitas componenda cum Deo, atque Deo discors, & infensa, sed Deo concordissima, sanctissima, charissima, vtpote Dei Patris naturalis filia, vt vidimus: & quæ proinde compositione cum Deo non egeat, sicut cæteri homines, & humanitates realiter ab illa diuersæ, Deoque aduersæ. Ex quibus omnibus efficacissimo argumento à sufficienti partium enumeratione concluditur, subiectum Mediatoris solam Christi humanitatem esse. Cum, nec sit sola Deitas, nec coniunctim sumpta cum humanitate: quare sola humanitas, quæ restat in Christo, quæ neque diuinitas, neque totus Christus est, Mediatoris Christi, quà talis, subiectum esse poterit.

CERTAMEN III.

De forma Mediatoris in Christo.

1 STancarus lib.de Trinit.& Mediat.refutatione epistolæ 1. Tigurinor. apud Bellarmin. proximè aiebat formam Mediatoris non esse Deitatem, personamve diuinam, quam iure vnionis Christus habuit, atque habet, sed Dei voluntatem Trinitati communem, in quo præcisè, me iudice, non nimis fidei aduersaretur nisi apud Lindanum dialogo 2. dubitant. cap. 4. classe 1. hæreticor. assereret cum suis sola natura humana, non attenta vnione Christum iustificatorem nostrum esse, & sanctificatorem: atque apud nostrum Canis.1. de corruptel. verbi Dei §. *Ad Stancarianos* Deitatem vnitam solum inseruisse humanitati Christi, vt eam in tormentis sua virtute sustentaret. Malè autem ex his nonnulli coniectant Stancarianos Nestorianos esse, neque enim negant humanitati vnionem physicam ad Verbum, ac Deitatem, sed de fructu, quem humanitas ex ea vnione percepit, siue de eius affectu in humanitatem deriuato aliter ac nos, & male quidem, sentiunt. Vasquez verò ex aduerso docet solam Deitatem esse in Christo formam mediatoris d. 33. cap. 3. existimat enim in Sacerdotio essentialiter Mediatoris officium contineri: quare implicare formaliter Deitate, quam humanitas vnione participat, Sacerdotem hominem Christum constitui, quin, & per ipsam formaliter Mediator constituatur: Sed enim, cum ipse c.1.2. & 3. fateatur non omnem Mediatorem, quà talem, formaliter Sacerdotem esse, & rectè quidem siquidem Mediator internuntius, & arbiter, scilicet primi, & tertij generis, Sacerdotes non esse possint, ergo ad hæc Mediatoris genera sola Deitate Christus formaliter Mediator Dei, & hominum nullatenus constituitur.

2 Dico ergo primò: Deitas communicata humanitati necessaria ipsi est ad officium Mediatoris in Christo. Est conclusio Catholica contra Stancarianos hæreticos, facilísque probatu. Etenim, si diuinitas & persona

Persona diuina abessent ad humanitate dignus Deo (qui alter ex discordibus, inter quos Mediator Christus est) internuntius, & Arbiter non esset neque ratione sui firmæ, & indubitatæ authoritatis apud Deum, & homines ad pactorum per illum inter ipsos statuendorum firmitatem, quæ periculosis hominibus securitatem faceret, item ratione sui ea scientia, & virtute, & sanctitate non polleret, quæ, vt Dei nomine cum hominibus de re tanta ageret, atque in causa Dei cum peccatoribus arbitrariam sententiam ferret. Precarius autem Mediator, vt fuit Christus, & qui exaudiretur à Deo pro sua reuerentia, ad omnium peccatorum remissionem, ac Dei cum tot peccatoribus reconciliationem, constat sine Deitatis, ac personæ diuinæ dignitate humanitati per vnionem communicata constitui minimè potuisse. De Mediatore satisfactorio facilius probatur conclusio: cum æquam tot peccatorum millibus innumeris satisfactionem Deo pro hominibus in horum cum ipso compositionem, ac reconciliationem amicam offerre, & exhibere, siue per modum meriti, & meritiuæ satisfactionis, siue per modum sacrificij, re etiam oblata Christus non posset qua homo nude sumptus, siue secundum humanitatem solam dignitate Deitatis, & personæ diuinæ priuatam.

3 Dico secundò: Deitas, seu persona diuina communicata humanitati præcisè, non est forma constitutiua Mediatoris in Christo, sed solùm conditio setenens ex parte humanitatis, vt Mediator inter Deum, & homines constituatur. Extrema conclusionis pars probata manet rationibus datis pro conclusione prima. Pars verò prior conclusionis huius secundæ suadetur. Posita enim vnione humanitatis ad Deitatem nisi accedat Dei saltem offensi voluntas, vt mediet inter ipsum, & homines, siue tanquam internuntius, siue tanquam arbiter, siue precariò, siue satisfactoriè Mediator inter ipsum, & homines non esset: atqui vnio potuit poni, quin ea esset Dei voluntas, vt aliquo ex eis modis inter ipsum, & homines mediaret homo Christus: ergo potuit esse vnio, quin humanitas esset talis Mediator: ergo ex vnione Deitatis, & personæ diuinæ præcisè non constituitur humanitas Christi, siue homo Christus Mediator: quare Deitas, & persona diuina vnita præcisè humanitati non est forma constitutiua Mediatoris in Christo. Maior discursus est certa, nisi quatenus doctrinam minoris aliquatenus in supposito ipsius tangitur. Hæc autem probatur: tum quia posita quantumuis præcellenti, & digna persona possunt discordes, illam in sui Mediatorem non admittere. Quare vitra dignitatem voluntas discordium necessaria est, vel saltem negatio voluntatis eorum, vt inter ipsos non mediet: ergo posita tota dignitate humanitatis per vnionem expectanda est vlterior voluntas Dei, vt medict, quæ potuit abesse posita quauis alia dignitate personæ creatæ potest similis voluntas discordium deficere id quod vlteriùs probatur conclusione sequenti.

4 Dico tertiò: forma Mediatoris Dei offensi voluntate, vt Christus mediaret inter ipsum, & homines, vel saltem non repugnantia voluntatis diuinæ, vt mediet, formaliter & vltimo constituitur. Probatur: quia nil est aliud quo constituatur: cum non constituatur nuda humanitas se ipsa, neque, vt ornata, & dignificata per naturam, & personam diuinam quæ esse eodem modo possent, etsi nulla esset discordia inter Deum, & homines, quo in casu ex intentione reconciliandi peccatores non poterat poni vnio, imo existentibus, vt de facto fuerunt, hominibus Deo discordibus & infensis potuit Deus Christum producere se vniendo humanitati non vt mediaret inter ipsum, & homines vllo ex modis præfatis, ipsiue eos reconciliaret: ergo Mediator fuit, quia ex fine reconciliationis & satisfactionis, facta vnio hypostatica humanitatis fuit, & Christus qua homo productus.

Dices: per nos Deitatem esse formam Sacerdotij Christi, ita, vt implicet vnitam esse humanitati, quin illam Sacerdotem formaliter constituat cum potestate ad omnem actum Sacerdotalem: atqui inter actus Sacerdotales est sacrificium ad reconciliandum hominibus peccatoribus Deum, & satisfaciendum pro eorum peccatis: ego ex præcisa vnione hypostatica habuit humanitas potestatem ad satisfaciendum Deo pro peccatis hominum, atque ad eos reconciliandum cum Deo offenso, & infenso: Hæc autem est potestas propria Mediatoris: ergo ex præcisâ vnione hypostatica euasit humanitas Christi, siue Christus, qua homo propriè, & formaliter Mediator.

5 Atque hinc rationes nostræ eneruari facilè videntur. Si enim vnione præcisa ea mediandi potestas formaliter humanitati communicatur, implicat dari voluntatem Dei de ponenda vnione hypostatica, quæ non sit voluntas constituendi illam Mediatricem inter ipsum, & homines, & cum potestate mediandi, sicut de Sacerdotio dicebamus: quo valde discrepat potestas, & munus Mediatoris inter homines discordes, quæ non à dignitate personæ desumitur, sed à discordium voluntate, ac non repugnantia. Fateor hæc vim habere, & probabilitatem, quapropter Mediatorem per satisfactionem, & fortasse preces censebam hactenus sola vnione constitui formaliter in Christo. Sed tamen Respondeo: proprium actum Sacerdotij solùm dicere ordinem ad sacrificium publicum, vt Dei cultus est, non vt est hominum cum Deo reconciliatio: siquidem tota formalitas Sacerdotij nullo existente peccatore, imo, & impossibili saluaretur: quatenus ergo ordinatur sacrificium ad reconciliandum Deum cum pectatoribus, & satisfaciendum Deo offenso siue infenso, non à potestate Sacerdotali formaliter prouenit, sed à voluntate Dei offensi, qui Sacerdotem in Mediatorem admittit, & vult in satisfactionem acceptare sacrificium, quod ipsi in cultum à Sacerdote, qua tali, offertur, vel saltem, qua in id offerri à Sacerdote non repugnat. Adfuit autem eiusmodi voluntas respectu Christi pro priori naturæ ad incarnationem: cum ex intentione ea, vt Christus pro hominum peccatis cruento sui Corporis sacrificio Deo satisfaceret, eósque secum reconciliaret decreta à Deo incarnatio fuerit vt vidimus controu. 3. q. 1.

QVÆSTIO II.

De Christo Redemptore.

REdemptionihil aliud est, quàm iterata emptio, Redemptor autem, qui iterato emit: quare in subiecto, siue obiecto, redimendo connotat captiuitatem, & seruitutem, ex qua iterum ematur, ac liberetur; in Redemptore verò pretium, quo illud amat, ac liberet. Oportet ergo in præsenti subiectum, & formam Redemptoris statuere: seruitutémque à qua homines redemerit explicare: subiecta redempta designare modum denique, quo eas redemerit definire.

CERTAMEN I.

Christi, qua Redemptoris dignitas forma, & subiectum.

1 REdemptoris dignitatem Christo Domino competere Catholica, & indubitata, ab hæreticis etiam, veritas est expressa sæpè in Scriptura: *empti enim estis pretio magno* aliisque locis datis controu. 6. d. 3. q. 1.

& ratione Theologica claret, siquidem ex infinita dignitate operantis Christi, & rei in sacrificium oblatæ infinitus erat, & meritorius, & sacrificij valor, & pretium ad plures millies homines redimendos. Quare ad alia examinanda pergamus. De subiecto Redemptoris dicit Stanislaus Sarnicij solam Deitatem esse in Christo Redemptoris subiectum, ac proinde solam esse Redemptorem, aut Redempticem. Falsò tamen: quia huius redemptionis pretium Deo soluendum fuit: nemo autem sibi soluere potest. Caluinus, & asseclæ citati q. 1. cert. 2. dicent vtramque naturam Christi diuinam, & humanam esse in Christo Redemptorem, quare, & eius dignitatis Redemptoriæ subiectum: impugnandi tamen sunt argumento effornato nuper contra Stanislaum Sarnicij: quia nemo sibi adhuc partialiter, potest soluere. Secundò ex confusione operationis diuinæ naturæ, & humanæ Apollinaristica, quæ fors naturarum Eutychianam supponat confusionem, vt citato loco argumentabamur.

2 Dicendum igitur est solam naturam humanam in Christo esse Redemptoriæ dignitatis subiectum, siue Redempticem, aut redemptorem primario, & per se; licet inde Redemptor dicatur suppositum, & persona diuina, quatenus de eo humana prædicantur. Probatur eodem argumento satis efficaci, quo in simili probauimus q. 1. cert. 2. solam humanitatem esse dignitatis mediatoriæ subiectum: scilicet, à sufficienti partium enumeratione. Etenim in Christo hæc considerari possunt. Vel natura humana solùm; vel natura & persona diuina seorsim, vel totum coniunctum ex duplici natura, & personalitate, seu persona Verbi; atqui totum coniunctum non est Redemptor, siue redemptoriæ dignitatis subiectum, vt contra Caluinum, & asseclas ostendebamus proximè: sed neque est Redemptor, aut Redemptoriæ dignitatis subiectum persona, & natura diuina seorsim sumpta, vt contra Stanislaum Sarcinij probatum proximè etiam à nobis fuit: ergo sola humanitas, siue Christus, quatenus homo, est Redemptor, siue redemptoriæ dignitatis subiectum. Neque hac in re ampliùs nobis immorandum fuerit.

3 Circa Redemptoris formam Stancarus citatus q. 1. cert. 3. num. 1. cum suis docet formam Redemptoris esse solam Dei voluntatem acceptandi opera humanitatis in redemptionem, quin Deitas aliquid ad redemptoriam dignitatem conferat humanitati, quæ ex Dei voluntate eodem modo Redemptrix sine vnione hypostatica foret, atque nunc est cum illa. Etenim, vt citato loco ex ipso referebamus, Deitatem personámque diuinam humanitati vnitæ eatenus solùm inseruire aiebat, quatenus solùm virtute sua illam confortabat, vt in tormentis, doloribúsque perferendis non deficeret, in quo, vt diximus, valdè aberrauit à vero. Quatenus autem ad rem præsentem attinet, impugnatur: quia, si tota dignitas, & valor meritiuus operum Christi ad homines redimendos è Dei voluntate acceptandi illa in redemptionem formaliter prouenire, seruorum hominum non esset ab homine Christo redemptio, sed potius eorum à Deo homini Christo facta donatio: ergo, nec Christus esset Redemptor. Antecedens probo: quia pretium totum, siue valor ad emptionem à Dei voluntate, qui illud acceptaturus erat formaliter proueniebat: ergo dabat homini Christo homines, quia volebat dare gratuita voluntate, non onerosa: cum nihil valoris & pretij reciperet, nisi, quod esse in Christi operibus voluit.

Dices à Principis voluntate prouenire monetæ valorem v.g. scuti, & tamen scutis plura ab illo emimus, quæ non donat gratuito, sed onerosè. Item, licet à Deitate opera Christi habeant valorem, & pretium redemptorium, eadem videtur esse difficultas. Sed hoc de dignificatione à Deitate valdè est diuersum: nam hæc eatenus dignificat opera quatenus dignificat operantem, non quatenus auget, aut immutat intrinsecum operum valorem moralem, aut laudabilitatem operum, vt explicabimus controu. 2. & 6. Illud de Principe non est ad rem. Neque enim à Principis prouenit voluntate monetæ valor, nisi meralli valori intrinseco proportionetur iuxta communem loci & populi æstimationem: quod si excedat, vt merè arbitraria ea voluntas sit, moneta illa à Principe nusquam emetur, sed illa etiam accepta gratuito donauit.

4 Vasquez ait sola Deitate tanquam forma constitui hominem Christum Redemptorem: quia ab ea sola prouenit condignus valor, & pretium non æquum solùm, sed superabundans, vtpote infinitum operibus Christi ad homines peccati & Diaboli seruos redimendos. Verùm hoc solùm probat Deitatem requiri ad potestatem redimendi: nemo enim redimere alium potest, quare neque esse redemptor, qui pretium non habeat: sed tamen satis non est pretium habere, efséque locupletem, vt Redemptor quis, & sit, & dicatur, vt patet. Potest enim quis valdè locuples esse, quin redemptor sit; atque in casu præsenti, nisi Deus vellet hominem Christum in hominum Redemptorem mittere, sed ex alio fine mitteret, atque incarnatinnem Verbi decerneret, vt planè potuit, Christus Redemptor non foret. Item cum finis hic efficaciter à Deo intentus non fuerit, adhuc post præuisum peccatum, vt vidimus controu. 3. d. 1. q. 3. cert. 2. potuit absolutè Christus munus Redemptoris non admittere: quo in casu, neque esset Redemptor. His ergo voluntatibus, diues alias meritis Christus, & necessario ex vnione hypostatica diues eius humanitas, quandocumque operetur, hominum Redemptor formaliter constitutus asserimus: præsupponendo autem ex parte humanitatis operantis dignitatem à Deitate, & persona diuina media vnione communicatam: ad eum modum, quo de forma constitutiua Mediatoris in Christo philosophabamur. quæst. 1 cert. 3.

CERTAMEN II.

A qua seruitute, & captiuitate nos redemerit Christus statuitur.

1 DVplex captiuitas, & seruitus sub duplici satis duro dominio ab Scriptura, Patribus, & Theologis recognoscitur in hominibus ob lethale quodvis, siue actuale, siue originale admissum. Altera sub peccato, sub Diabolo altera. Eorum autem in peccatores Dominium nihil aliud est, quàm infirmitas peccatorum, & virium gratiæ ad resistendum legi dæmonis, & peccati: quia veluti legati seruuli nihil nisi ex illa agere, in peccati pœnam possemus. Hinc seruitus horum Dominio in peccatoribus respondens erit debitum carendi auxiliis ad resistendum dæmoni, & carnis tentationibus, quod ob læthale peccatores incurrunt: siquidem auxiliis gratiæ agendum omnino erat, vt carnis, & dictaminum prauorum, quæ lex peccati ac dæmonis est, potestas absoluta, quæ in peccatores accedente Dei permissione viget, impediretur, ac superaretur. Ex quibus patet hoc peccati, ac Dæmonis in peccatores Dominium, atque in his respectu illorum seruitutem propriam non esse, quâ nimirum illi nolentibus, ac renuentibus peccatoribus vtantur, sed solùm metaphoricam, & imitatiuam, quâ eis absolutè volentibus contra id quod agere debebant ad alia peccata committenda miserè vtuntur. Ab vtraque igitur seruitute, & captiuitate Christus suis meritis, & morte peccatores liberauit, atque redemit, peccatumque & Cacodæmonem eo Dominio, & potestate in peccatores deturbauit: vt ipse passionem

ingressurus aiebat Ioann. 12. *Nunc Princeps huius mundi ejicietur foras.* Et ad Coloss. 1. num. 13. de Christo dicitur: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum*, & c. 2. *Expolians principatus, & potestates traduxit*, circumduxit, *& confidenter palam triumphans in semetipso*, meritis nempe, & cruento sui sacrificio Deo exhibitis, vt super nostris placaretur delictis, atque in debitorum omnium, quæ ob illa contraximus, satisfactionem.

2 Inde verò Bernald. 10. sect. 2. num. 14. contendit Christi redemptionem minùs propriam esse: quia in redemptione propria pretium libertatis illi à quo liberandus sub Dominio tenetur, cuiúsque seruus, & captiuus est solui debet: atqui Christus nostræ libertatis pretium non exhibuit Domino, sub cuius dominio eramus, captiuique tenebamur per peccatum, nempe Diabolo, sed alij, nempe Deo, vt diximus: ergo minùs propria fuit eius redemptio. Pressit difficultatem iam quidem Naz. or. 42. 2. de Pascha §. *Enimverò alienum non fuerit* his verbis: *Quod si redemptionis pretium, non alij vlli, quàm ei qui captiuos tenet persoluitur: cui tandem oblatum est? & quam ob causam? si prauo illi dæmoni, O grauem contumeliam!* Et Christi soluentis, & pretij sui meriti, & sacrificij. *Si autem Patri, quomodo id factum est? Neque enim ab ipso tenebamur.* Respondetur Dominium, & potestatem dæmonis in peccatores non esse iurisdictionis, sed carcerarij: cum enim nostra seruitus respectu illius ob peccatum, sit debitum carendi auxiliis gratiæ à Deo, ob illud potestas iurisdictionis penes Deum est, qui iure illis nos priuare in peccati pœnam potest, ac tentationes dæmonis permittere. Ex iure igitur hoc Deo in nos quæsito ob peccatum, carcere & vinculis nos Diabolus potestati suæ tenebat à Deo creditore traditos. Ast quis non videat creditori, non autem carcerario pretium pro debito liberando, & solutionem exhibendam esse? Vnde ad formam distinguendum est Dominium, & potestas iuris, seu iurisdictionis, & in hoc sensu vera est maior; de potestate verò non iurisdictionis, sed carcerarij est falsa.

3 Sed occurrit tamen hîc difficultas alia longè grauior. Etenim hæc hominum libertas à potestate, seruitute, & captiuitate Diaboli à Passionis tempore futura prædicta à Christo fuit, atque à Paulo ex tunc fuisse dicitur locis datis num. 1. quin ideo Diabolus eo tempore canis ligatus & reuinctus à Deo dicitur à Patribus, ante illud autem canis solutus: atqui certum omnino est Christum pro antecedentibus durante hominibus meritis suis gratiæ auxilia, quibus dæmonis instigationes, suggestiones, & tentationes superarent, ac proinde ipsius ad malum impellentis potestati resisterent, etiam cum Victoria, vt vidimus controu. 6. d. 2. (neque enim audiendus est Arias Montanus, qui nullatenus in veteri Testamento veram sanctitatem, & gratiam intrinsecam concessam fuisse à Deo aiebat) ergo alterum è duobus concedendum necessariò est, vel redemptionem, ac liberationem nostram per Christum à seruitute, & potestate Diaboli; huiúsque catenationem, & ligationem non stare in merito Christi auxiliorum gratiæ, quibus debebamus ob peccatum carere, siue debiti pœnalis huius satisfactione per Christum: vel ante tempus meriti, mortísque Christi homines à Dæmonis potestate, & seruitute liberatos, ac dæmonem ligatum fuisse contra data Scripturæ testimonia & locutiones Patrum. Respondit Vasquez d. 77. c. 6. illud ante mortem, & merita Christi, ac nonnisi ab eius morte liberatos à potestate, & seruitute Diaboli homines fuisse, Dæmonémque reuinctum intelligi debere de instantibus prioribus, & posterioribus naturæ non temporis. Nam & qui tempore anteceſſerunt Christo, hominibus non nisi posteriùs natura meritis & morte Christi auxilia gratiæ data sunt, quibus, & ipsi liberarentur à captiuitate, & potestate Diaboli, & hic maneret ligatus, qui priùs naturâ erat solutus.

4 Impugnat autem efficaciter solutionem Bernal: quia testimonia Scripturæ, & Patrum apertè loquuntur de instantibus prioris, & posterioris ad mortem, & merita Christi secundùm durationem, non autem secundùm signa naturæ. Audi Augustinum recitatum à Bernale proximè num. 17. in hæc verba: *Quare pugnare contra Allophylos non audebam?* (loquitur Saulis nomine) *quia Dauid, qui Christi typum gerebat, nondum venerat.* Venerat autem prioritate naturæ subdit. *Ante aduentum Christi solutus erat Diabolus, veniens Christus fecit de eo, quod in Euangelio scriptum est. Nemo potest intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem.* Matth. 12. 29. Secundò verba Christi Domini Ioan. 12. dicentis eiiciendum dæmonem, seu Principem huius mundi relatè ad tempus mortis suæ ante illud electum nullatenus fuisse, seu, quod idem est, quod ad nos attinet, ligatum, apertè conuincunt. Tertiò denique locutio Patrum, quòd Diabolus fuerit solutus, ac non ligatus debet verificari absolutè: vel ergo tempore antecedenti Christi aduentum, merita, & mortem, licet pro posteriori naturæ, fuit absolutè solutus, & non ligatus: vel fuit absolutè ligatus; Si primum dicas, nihil tuâ solutione præstitisti, debéſque aliâ viâ argumento satisfacere. si dicas absolutè fuisse etiam pro tempore antecedenti, licet posterius natura meritis & morte Christi, Diabolum ligatum: ergo absolutè pro nulla durationefuit solutus, seu non fuit ligatus, vt absolutè Patres loquuntur: siquidem prioritas, & posterioritas naturæ satis non est, vt pro vlla durationecontradictoria duo conueniant.

5 Respondendum igitur est aduentu Christi visibili meritis, ac morte, & deinceps Dæmonem, qui solutus anteacto tempore fuerat, ligatum manssisse, hominésque ab eius potestate, & seruitute liberatos, tum præsentia Christi visibili, quæ tunc fuit, tum inuisibili Eucharisticâ cum sæculo duraturâ: tum quia ex tunc tam vehementer nos tentare Diabolus non permittitur: tum denique quia ex tunc auxilia gratiæ data hominibus sunt & generaliùs, & vberiùs, sicut Sol præsens intensius, & largius lucem diffundit, quàm aduentans. Etenim ante illud tempus auxilia congrua ad fidem dabantur raris tot mundi partibus præter Iudaicum breuem populum, in infidelitate relictis, tunc etiam, cum Christi erat aduentus propinquior, ac misericordia profusior: ad iustitiam autem, & sanctitatem rariùs adhuc efficacia auxilia dabantur hominibus, belluarum in morem vitam sub dæmonis potestate & lege peccati agentibus; à tempore verò aduentus, mortísque Christi, tot adsunt gratiæ perennes fontes, quot Sacramenta: ramque sunt ad fidem auxilia gratiæ, etiam efficacia, vulgaria, vt ostendunt tot nationes ad fidem cum effectu vocatæ, neque ad sanctitatem, & iustitiam perfectionémque omnem sunt gratiæ auxilia multò rariora, vt ostendunt tot viri, fœminæque vitæ integritate, & sanctimonia in Ecclesia insignes: vt homines non tam ex dæmonis, & peccati lege & potestate in actu primo in peccata agantur, quàm sponte in illa ire videntur, cum ierint, atque cum perseuerauerint, perseuerent.

CERTAMEN III.

Quinam redempti à Christo Domino fuerint?

1 CVm Christi Domini redemptio adeò copiosa, & fuerit, & à Psalmista prædicetur, vtpote meritis, & sacrificio infiniti valoris peracta: dubium non est, quin omnes redemptionis capaces ex parte saltem actus primi pertigerit. Sunt autem extra controuersiam

controuersiam capaces redemptionis, quotquot peccatum, siue actuale, siue originale contraxerunt: ij enim omnes miseram peccati subiere seruitutem, ac sub dæmonis ditione, & potestate tenebantur. Cum autem Christus Dominus non solùm peccatum, eiusque seruitutem non admittere, adhuc secundum humanitatem, vllo pacto potuerit: qui ex vi vnionis, à qua in sui existentia dependebat, euaserat, antecedenter etiam impeccabilis, redemptione sua nullatenus fuisse redemptum ac proinde redemptionis obiectum, vel subiectum non fuisse citra dubium est. Sed inde grauis difficultas emergit circa B. Virginem. Licet enim non ita peccati incapax, atque Christi humanitas fuerit; at nullum actuale veniale peccatum, nedum mortale, insuper neque originale admisisse fere dogmaticum est: quare neque vllam peccati seruitutem incurrisse; imò neque originalis peccati debito obnoxiam fuisse sup. cum multis defendebamus: quare, neque redimi à Christo potuisse consectarium videtur. Siquidem, vt in præfatione quæstionis monebamus, redemptio necessariò dicit in redimendis seruitutem, & captiuitatem, à qua redimantur.

2 Ob hæc docti plures apud Salazor de concept. c. 24. §. 9. & apud Bernal. d. 50. sect. 3. num. 34. nullatenus Deiparam à Christo fuisse redemptam asserunt, à quorum sententia non multùm Bernal abhorret: licet oppositam absolutè sequatur. Cuius tamen infirmam satis tationem de suo dedit num. 36. & cui soli fiderit. Nempe: quia accepit à Christo gratiam ex se redemptiuam, si peccati seruitus adesset: quemadmodum, qui de remissis peccatis, etiam venialibus confitetur, absolui dicitur, quia gratiam de se remissiuam, & absolutiuam eorum confessione sacramentali suscepit. Confirmat exemplis aliis Baptismi, & Extremæ vnctionis collatæ aliunde iustificatis, à venialibus etiam. Sed inde verò Christus à se ipso dici posset redemptus: cum sibi etiam gratiam habitualem de se à seruitute peccati, si adesset, fuerit promeritus: quod enim impeccabilis antecedenter ipsius humanitas sit, non tollit gratiam de se esse seruitutis peccati, si adesset, redemptiuam: nec conditionalis *si adesset* requirit seruitutis pro vllo signo naturæ possibilitatem, vt patet: Contra secundo: quia Deipara etiam cum debitum originalis peccati, & seruitutis non incurrerit, est etiam antecedenter ex parte actus primi proximi impeccabilis originaliter: & tamen, quia recipit gratiam per Christum de se redemptiuam, & liberatiuam ab originali, eiúsque seruitute, si adesset, per te redempta fuit à Christo ab originali: ergo, & Christus, licet antecedenter impeccabilis, quia gratiam ex propriis meritis de se redemptiuam, & liberatiuam à peccato eiusque seruitute, si adesset, recepit, à se ipso redemptus dici per te debet. Denique cùm impeccabilitas hæc antecedens ex vnione hypostatica humanitati obueniat, potuerítque Christus, meritis secundi instantis gratiam & vnionem hypostaticam sibi mereri pro primo nil solutio præstat.

3 Solidior ergo longè communis Patrum & Theologorum ratio est, pro redemptione B. Virginis à Christo filio, eiúsque meritis, quam leui satis argumento Bernal loco citato detrectauit. Nempe: meritis, & morte Christi Deiparam esse præseruatiuè redemptam non solùm euitando illius in originale, sed & in originalis debitum incursionem: quæ amicissima, perfectissima, ac nobilissima liberatio ac redemptio à peccato eiusque seruitute est; sicut amicissima ac nobilissima curatio est medicinæ, quæ non solùm ægritudinem, causásque illius proximas, verùm & remotas auertit. Id quod respectu sui ipsius Christus non præstitit: cum ad omne ipsius redemptorium meritum vnio hypostatica natura præcesserit, quæ peccatum humanitatis, eiúsque seruiturem fecit antecedenter impossibilem. Ad rationem dubitandi dicito redemptionem vt sic, concernere peccati seruitutem non autem

contractam, sed vel contractam, vel alias contrahendam: quod B. Virgini eueniret, nisi in Matrem meritis filij eligeretur, ex qua electione peccato originali eiúsque debito occlusum ostium fuit. Exempla Bernalis in suæ rationis confirmationem ex re non sunt, sicuti neque ratio.

4 De Angelis, quasi compertum traditur à Bernale num. 27. vniuersim redemptos à Christo minimè fuisse. Sed mihi tamen non adeo compertum est: Etenim monstraui controu. 6. pluribus bonis, malísque Angelis gratiam primam promeritum fuisse Christum, ne peccarent: quare boni plures præseruatiuè, sicut de B. Virgine nuper docebamus fuere redempti à Christo absolutè & quoad effectum; mali item plures, quoad sufficientiam in satisfactione Christi. Eodem prorsus modo loquendum putat Bernal de B. Virgine, ac de redemptione, ego vero nullatenus Christum pro B. Virgine satisfeciſſe reor, licet eam redemerit: quia satisfactio & solutio vbi debitum non fuit, esse nullatenus potuit: neque vllum ex Patribus, aut Theologis alium audio dicentem Christum pro sua Matre satisfeciſſe, sicut eam redemisse à Patribus, & Scholasticis pluribus audio: Neque aliter quoad satisfactionem de Angelis omnibus loquendum censeo. De Mediatore inter Virginem Deiparam, & Deum per Christum intercessisse non multum grauarer. Mediatio enim non solum inter discordes est, sed inter aliquos, ne discordent, sæpe contingit, ac proinde Christum meritis, ac morte sua inter Matrem; & Patrem Deum mediasse faciliùs feram.

DISPVTATIO IV.

De dignitate capitis in Christo Domino.

ALlegorica, & metaphorica tota hæc disputatio est: Siquidem tota è corporis humani, cuius adinstar Ecclesia considerator, analogia desumitur. Tria verò in illa examinanda sunt. Primum: an Ecclesiæ caput tantummodo sit? an simul membrum eius absolutè dici queat? Secundum: ratione cuius sit Ecclesiæ caput? Tertium an omnium hominum, & Angelorum caput existat?

QVÆSTIO I.

An sola capitis ratio Christo Domino conueniat.

VAstio præsens supponit Christum Ecclesiæ caput esse: inquiritque an solius capitis, non autem alterius membri ratio respectu Ecclesiæ illi conueniat. Vt autem nihil gratis supponamus, dignitas capitalis Christi firmiter statuenda primum est.

CERTAMEN I.

Capitalis dignitas Christi Catholicè adstruitur.

1 DE capitali Christi dignitate nemo hæreticus adhuc, hactenus dubitauit. Traditur expresè à

Paulo ad Ephes. 1. illis verbis : *ipsum*, Christum, *dedit*, Deus, *caput* super *omnem Ecclesiam*. Eandem repetit sententiam c. 4. & 5. & ad Colos. 1. ex quibus locis idem docent Patres, & interpretes omnes, atque Scholastici Antisiodorens. 3. sum. tract. 1. cap. 4. q. 6. Alex. 3. p. q. 12. m. 2. art. 1. S. Thom. q. 8. art. 1. ac fæpius S. Bonau. in 3. d. 13. art. 2. q. 3. Ricard. q. 2. Palud. q. 1. art. 3. Gabr. q. vn. art. 3. dub. 2. Turrecremata 1. sum. de Ecclesia à cap. 45. Driedo de captiuit. & redempt. gen. hum. tract. 2. c. 2. p. 3. art. 5. proposit. 4. Vasquez d. 48. cap. 1. Soar. 25. sect. 1. aliique omnes, quorum plures de cursu disputationis recitabimus. Ratio Theologica S. Th art. 1. corp. est perspicua; quia caput in corpore præcipua, prima, cæteris que eminentior pars eius est, & quæ in reliqua membra virtute suâ influat: atqui Christus in Ecclesia præcipua, primáque, atque longe eminentior cæteris pars est, vtpote Deo cum gratia habituali, tum vnione propinquissimus, è cuius dignitate in Ecclesiæ militantis membra gratiam, in triumphantis verò partes omnes gloriam influit: ergo Christus est Ecclesiæ caput. Secunda ratio à S. Thoma omissa, quia suo præcipuo instituto de meritis Christi respectu Ecclesiæ non inseruiebat, ex summo Christi Sacerdotio, atque imperio præcellenti, eorúmque dignitatibus petenda est.

2 Intempestiuè hic à nonnullis oblonga disputatione examinatur: an influxus gratiæ in militantis Ecclesiæ, & gloriæ in triumphantis membra à Christo Domino præstitus physicus etiam, nec solum meritiuus sit? Id quod importunum hîc, valdéque indignum longa quæstione prorsus est. Cum enim in Christo Domino naturæ sint duæ, diuina scilicet, & humana: si de Christo secundùm naturam diuinam, siue, qua Deus est, loquamur, dubium non est quin physice gratiam in Ecclesiæ membra, & gloriam omnem influat. Si autem de Christo, qua homo est, siue secundum humanitatem, etiam Deitate delibutam, atque, vt sic loquar, informatam agamus, cum ex eiusmodi vnione seu informatione Deitatis nihil potentiæ actiuæ diuinæ, siue omnipotentiæ humanitati communicetur, non magis influet, influeréve poterit physicè in gratiam, & gloriam, prout vnita Deo, siue Deitati, quam posset ex vnita: quare tota quæstionis, quoad hanc partem, resolutio pendebit ex alia quæstione generali de potentia obedientiali actiua creaturarum ad effectus quosuis pro Dei nutu physicæ producendos, quam semel per otium in physicis vniuersim à creaturis relegauimus, ne ea de re pro singulis quæstionibus disputantes inutili repetitione, non auditorum tantùm, sed, & cartharum, ac typorum patientiam oneraremus.

3 Catholico huic dogmati de capitali Christi dignitate opposuit S. Thom. loco citato. Primum: quod Christus, in quantum homo, non influat, donetve nobis Spiritum sanctum. Huic apprimè respondit: Christum, quà hominem, non donare, influereve Spiritum sanctum, authoritatiuè, siue, vt eius authorem; sed meritiuè solum & instrumentaliter. Nimirum merendo Ecclesiæ membris dona gratiæ, quibus specialiter in eis adest Spiritus sanctus: atque insuper, vt Dei organum, quod voce, sonóque doctrinæ suæ ad Dei, ac Spiritus sancti gratiam nos aduocauit; sicut, imo multo magis, quam Ecclesiæ Doctores reliqui ad Spiritus sancti gratiam nos reuocent: quod ministerij moralem quamdam gratiæ efficientiam ibi appellat. Secundum erat huiusmodi: quia capitis non datur caput, vt oculis patet: atqui Christi datur caput nempe Deus, dicente Paulo ad Corinth. 1. c. 11. *caput Christi Deus*. ergo non est Christus caput. Concedit in physicis maiorem; negat autem in moralibus, & politicis. Exempla in moralibus, & politicis sunt obuia plura. Paterfamilias est caput domus, & familiæ, atque habet caput Rectorem Reipublicæ: atque hic, licet Reipublicæ caput sit, habet caput suum nempe Prouinciæ totius Præfectum, siue Proregem: qui vlterius habet caput, Regem scilicet.

4 Tertium argumentum apponit: quia caput est particulare membrum corporis, atque influentiam recipit à corde: membro scilicet, corporis eiusdem particulari: atqui Christus nec particulare Ecclesiæ membrum est, neque à particulari alio Ecclesiæ membro, seu corde illius, quodcumque illud sit, influentiam recipit; sed potiùs ab eo reliqua Ecclesiæ membra influentiam recipiunt, tanquam ab vniuersali principio influxiuo donorum gratiæ: ergo Christus non est Ecclesiæ caput: Respondetur mysticum & morale caput non debere assimilari in omnibus, & per omnia capiti corporis physici, vt supra ad argumentum primum diebamus: quare, neque in eo, quod influxum recipiat ab vllo alio corporis moralis membro, quod instar cordis se habeat, vt paret in aliis moralibus, & politicis capitibus Reipublicæ, quæ opus non habent, vt illius capita sint, influxu alicuius membri Reipublicæ in ipsa. Illud de particularitate membri, quam habet caput in corpore physico tangit difficultatem cert. 2. examinandam, an scilicet Christus Ecclesiæ membrum absolutè dici possit. Nunc dicito in essendo particularitatem membri capitis in corpore physico Christum in Ecclesia imitari: cùm non sit omnia, imo, neque aliud Ecclesiæ membrum, vt iam dicam, licet influendo sit vniuersale principium.

CERTAMEN II.

Christus solus non est aliud Ecclesiæ membrum, neque absolutè illius membrum dici potest.

1 DIco primo: Christus solus non est aliud Ecclesiæ membrum. Etsi enim vniuersalem in cunctæ Ecclesiæ membra influxú habeat, quod proprium videtur esse cordis in corpore viuentis, ast eminentia respectu cæterorum membrorum, quæ in Christo manifestè est, non competit cordi, sed capiti, à quo etiam respectu reliquorum membrorum vniuersalis influxus sine inferioritate locali respectu illorum, quæ in corde cernitur. Addit S. Th. ad 3. secluſa, seu non considerata inferioritate Spiritum sanctum posse oportuniùs cor Ecclesiæ dici, quia inuisibiliter in omnia Ecclesiæ membra vniuersaliter influit. Dixi solum Christum esse caput, ac non aliud Ecclesiæ membrum, iuxta S. Th. ad 6. quia, licet summus Pontifex totius Ecclesiæ militantis caput sit, non autem triumphantis, in qua membrum solum est. Neque militantis est caput quoad interiorem gubernationem per influxum gratiæ, imo quoad exteriorem adhuc gubernationem sicut Christus, cuius solùm nomine, & vice habet potestatem eiusmodi, ac proinde in tota militante hominum Ecclesia caput absolutè non est: cum in tota hominum Ecclesia, militante adhuc, caput Christus sit, ac respectu ipsius summus etiam Pontifex sit membrum.

2 An verò, quia caput corporis physici membrum absolutè est ac dicitur, Christus Ecclesiæ, cuius est caput, absolutè ac sine addito vllo membrum dici possit? Maiori quàm par esset, contentione à Theologis disputatur. Antisiodor. & Turrecremata cap. 47. num. 3. S. Th. in 4. d. 49. q. 4. art. 2. ad 4. atque in id. 1. Cor. 12. *vos estis corpus Christi, & membra de membro* aiunt posse dici membrum Ecclesiæ, prout suum caput includit: cum sic acceptæ pars Christus manifestè sit. Ex quo infert Antisiodor. posse etiam absolutè dici Christum membrum Christi iuxta regulam Ticonij probatam Augustino 3. de doctrina Christiana cap. 31. vt nimirum, ea omnia, quæ Ecclesiæ tribuuntur, tribui Christo possint, & contra, quæ Christo Ecclesiæ: ideo enim teste Augustino in Psalmum 30. Christus sponsus, & sponsa etiam dicitur: *quia sunt duo in carne vna*. Verùm regula hæc intelligi in his debet, quæ in

in suo conceptu, & modo significandi distinctionem non important, vti membrum ab eo, cuius membrum est, importat distinctionem: quare Ticonij regula ad hanc Antisiodorensis locutionem inferuire minimè potest: quoad præcipuum autem, de quo est quæstio præsens.

3 Dico secundò: Christus Ecclesiæ, etiam prout caput suum includit, scilicet Christum, membrum absolutè dici nec debet, nec potest. Ita S. Th. in 3. d. 13. q. 2. a. 1. ad vltimum. Marsil. q. 10. Alex 3. p. q. 12. m. 2. a. 1. Vasquez proximè num. 5. §. *Mihi videtur*. Soarez etiam proximè sect. 1. §. *Alius autem*. Probatur primò conclusio: quia, vt bene Vasquez, membrum absolutè dictum ex communi modo significandi inferiora alia membra corporis significare videtur: quare de Christo Domino, qui non inferius Ecclesiæ membrum est, sed potiùs superius, & præcipuum ipsius membrum, nempè, caput, absolutè ac sine vllo addito, quòd eius in corpore Ecclesiæ superioritatem, & eminentiam significet, membrum dici non debet. Probatur secundò: quia membrum absolutè, ac sine vllo addito dictum dicit participationem virtutis à toto corpore, & membris aliis: id quod physico etiam capiti corporis contingit, vt cert. 1. num. 4. dicebamus à corde recipere: Item, qua recipit ab aliis membris alimentum, neque sine illis conseruari vsquam potest: quæ omnia Christum dedecent: ergo, licet caput physicum physici corporis membrum absolutè dici possit, Christus tamen Ecclesiæ membrum absolutè, nec dici potest, nec debet.

4 Obiicies illud 1. Corinth. 12. *vos estis corpus Christi, & membra de membro* id est de Christo: ergo Christus membrum absolutè à Paulo dicitur. Negatur illud *de membro* idem esse, ac de Christo. Contendit enim ibi Paulus, ne Corinthij diuisi inter se Schismatibus essent: sicuti neque membrum corporis ab alio, de quo membrum est, id est, cuius commembrum est, diuidi vult, sed potiùs connexum ipsi esse, membrúmque ad inuicem esse illius, siue cum illo amat: non alia de causa, nisi, quia vnius corporis membra ad inuicem sunt, sicut sunt fideles, vt explicant S. Th. Gagneius, Claudius, Guillaldus, Ambros. Hieronym. Vasquez à num. 5. Soar. §. *Nec Paulus*. Anselmus illud *de membro* refert ad Paulum, ac si dicat *de me*, qui sum membrum corporis Ecclesiæ, cui tanquam Rectori, gubernatorique vestro adhæretis in Christo. Quam etiam expositionem probat S. Thom. denique Chrysost. Theophylact. œcumen. Theodoret. Gagneius, & Claudius ex Græcis codicibus legunt: *& membra ex parte*: id est, non omnes vos membra estis corporis Christi, sed qui ex vobis sunt fideles: siue, vt Soarius interpretatur, estis totum Christi, siue Ecclesiæ corpus, sed pars solùm, quia plurimum refert ab aliis partibus non diuidi, ac seiungi, vt conseruetur.

QVÆSTIO II.

De forma, & subiecto capitis in Christo.

DVO hic, & difficilia examinamus, & quæ de se clarent, quin quæstionis titulus opus explicatione habeat.

CERTAMEN I.

Capitalis dignitatis Christi forma statuitur.

1 CIrca formam, qua Christus Ecclesiæ caput constituatur, sententiam primam sine authore recitauit Soar. sect. 2. §. *dubitant verò* vt scilicet forma, qua in esse capitis Christus constituatur, neque gratia vnionis, neque gratia habitualis sit, sed tertia alia forma, nescio quæ, ab vtraque diuersa. Id quod, quia sine authore, nec certa aliqua designatione dictum statim reiecit ipse. Secundam sententiam recitat, in eámque ipse propendet §. *inter has opiniones* post med. ac censet esse S. Th. & aliorum, quos pro sententia 3. referemus, mentem; vt forma capitis in Christo ex vtraque gratia, & vnionis, & habituali consletur: quia nimirum gratia vnionis in esse personali, & excellentiori cæteris Ecclesiæ membris constituatur, gratia verò habituali constituatur principium proximum influxiuum ad aliorum sanctificationem, quia per illam vltimo disponatur, ac perficiatur humanitas Christi ad eiusmodi influxum. Verùm sententia hæc authore, & fundamento rationis æque caret, ac præcedens. Cum enim gratia quæuis non alio modo ad meritiuum influxum conferat, quàm dignificando formaliter operantem: dignificet autem per sui formalem inexistentiam in operante: nequit gratia vnionis iuuari à gratia habituali, vt formaliter magis, vel proximiùs dignificet, & influxiuam reddat humanitatem in aliorum sanctitatem, & gratiæ dona: effectus enim formalis, qui non præstatur à forma secundùm se, non potest idemmet præstari ab eadem ratione alterius formæ, nisi effectus sit complexus, & diuisibilis, parsque ab vna, & pars ab alia formaliter tribuatur: quod hic euenit, vt iam ostendo.

2 Etenim ex hypostatica vnione humanitas formaliter, & absolutè dignificatur suo modo infinito, quin ad hoc iuuetur à gratia habituali; hac enim sublata humanitas esset vi vnionis infinitè sancta, Deo grata, & digna, vtpote in naturalem Dei filiationem formaliter per illam euecta, vt infinitè honestis suis operibus mereretur, ac proinde, & aliis Ecclesiæ membris gratiæ dona meritiuè influeret: ergo nec proximè, neque vllo modo à gratia habituali disponitur ad merendum aliis humanitas vnita, sed sola vnione principium proximum influendi in Ecclesiæ membra constituitur. Confirmatur; quia, vt supra docebamus humanitas vnita hypostaticè non redditur magis sancta, gratiórve Deo per accessum gratiæ habitualis, quàm per solam vnionem esset, si gratia non adfuisset: ergo gratiæ accessu non magis dignificantur merita ipsius. Confirmatur secundo: quia dignificatio humanitatis per vnionem est eminentioris ordinis, & è suo genere infinita: quare accessu dignitatis inferioris, quæ in gratia habituali esse potest, atque in illa dignitate vnionis eminenter continetur, nequit augescere. Concludo igitur non magis conferre humanitati vnitæ gratiam habitualem ad influxum in Ecclesiæ membra, quàm ad eminentiam humanitatis super illa; quod si admittatur, (quod falsum esse supra ostendimus contro. 6.) à gratia habituali dignificari merita humanitatis, vt ab hac sententia admittitur: cum ea sit longè maior in humanitate Christi, quàm in tota Ecclesia reliqua, per eam etiam toti Ecclesiæ eminebit singulis & omnibus Ecclesiæ membris Christi humanitas: quare neque ad eminentiam capitinecessariam humanitati præstandam vnione hypostatica egebit humanitas.

3 Ob hanc fortasse rationem priscorum ferè omnium Theologorum sententia fuit teste Vasquez vbi proximè c. 4. num. 17. & Soar. §. *secundus modus*, gra-

tiam, siue formam qua Christus Ecclesiæ caput constituitur esse gratiam solam habitualem, quæ gratia, quatenus humanitatem sanctificat, dicatur, capitis autem gratia, quatenus & aliis eminentiorem membris, & principium influendi sanctitatem, & dona gratiæ in illa humanitatem reddit. Ita censent. S. Th. 3.p.q.8.a.5. vbi Caietanus, & omnes Dominicani commentatores. Alexand q. 11. membr. 3. Corp. & ad vltim. S. Bonau. in 3. d.13. a.2.q. 2. Richard. a. 3.q.2. Gabr. q.vn.a.3. fine. Almain.q.vn sub finem. Palud.q.1. 2. 4. Concil.3. Durand.q. 2.num. 9. Maril. q.10.a.1.ad 3. dubium, licet autem Marsil. Richard. Bonau. & Alexand. gratiam, qua Christus caput Ecclesiæ constituitur gratiam vnionis appellent, non ideo est, quia ipsam gratiam vnionis formam constitutiuam capitis in Christo putent, sed quia gratiam habitualem, quam modo explicato gratiam & formam constitutiuam capitis esse docuerunt, dispositionem in Christi humanitate ad vnionem hypostaticam esse docebant. Id quod controu. 2. distecimus: quoad præsentem verò sententiam attinet impugnatur: quia valor meritiuus operum Christi infinitus est principium influxiuum in omnia Ecclesiæ membra: est enim valor, & virtus influxiua meritoriæ inexhauribilis per præmia, & dona gratiæ, quæ cunctis, & aliis & aliis hominibus eorum titulo conferri à Deo possent: vt controu.6.d.1.q.1. ex Patribus docebamus eiusmodi valor, & dignitas tribui operibus Christi à gratia habituali nequit: tum quia infinita absolutè non est, vt ostendi controu.5.d.3. q.2.cert.2.tum etiam quia, etsi infinita foret non magis dignificaret opera, neque ad præmium maius, quàm dignificaret remissa gratia, vt ostendimus controu.6.q.1.cert.3.cum.3. Aliam impugnationem subdo statim in conclusionis nostræ probatione.

4 Dicendum igitur est: formam, siue gratiam capitis in Christo fuisse gratiam vnionis solam. Ita docuit Vasquez vbi proximè §. *verum cum Prima.* Probabat ille: quia per gratiam vnionis nobilissimè, atque infinitè eminet cæteris Ecclesiæ membris, vt decet eorum caput: insuper, & habet virtutem influxiuam omnium donorum gratiæ in omnia Ecclesiæ membra meritoriè per solam vnionem: quæ quidem certa sunt ex controu. 6.d. 1.q.1. cert. 3. quoniam autem illa particula *solam* excluditur gratia à principio influxiuo meritoriè in Ecclesiæ membra; probat hoc Vasquez: quia gratia habitualis nequit dignificare opera ad merendum aliis. Leuis probatio. Ostendimus enim controu. 2. ex gratia habituali sola dignificari posse opera iusti ad merendum aliis dona gratiæ. Secundo non dignificentur opera per gratiam habitualem ad merendum aliis dona gratiæ de condigno; aut iustum mereri posse aliis dona gratiæ de congruo nulli Doctori Theologo dubium est, & fortasse nemini Catholico esse potest: cum Patres dicant Ecclesiam non habituram Paulum, nisi pro lapidantibus, & iuuantibus hostibus orasset Stephanus: atqui meritum congruum absolutè influxiuum moraliter & meritoriè est in dona gratiæ quæ ob illud donatur. Melius probatur ex impugnatione sententiæ proximæ data num. 3. Secundò: quia gratia habitualis non dignificat naturam humanam Christi ad meritum in vnionis hypostaticæ præsentia, sicuti non constituit filiam adoptiuam neque magis sanctam, gratamve constituit absolutè, vt docebamus. d. 5. neque magis dignam, quæ præmietur, si operatur: quia vnione dignitas, & sanctitas simpliciter, & ex genere infinita offertur humanitati, in qua quidquid perfectionis, sanctitatis, & dignitatis gratiæ habitualis perfectiori, & eminentiori modo formaliter continetur, vt loco citato docebamus: quare gratiæ accessu humanitatis sanctitas dignitásque non crescit.

CERTAMEN II.

De Capitalis dignitatis Christi Domini subiecto.

1 NOn agimus de capitali Christi dignitate, qua Deus, & Verbum. Hanc enim ij solùm negare possunt Christo, qui vel Verbum creaturam cum Ario blasphemarunt, vel Christum purum hominem negata hypostatica vnione humanitatis ad Verbum cum Nestorio insanè crediderunt, vel cum Eutyche te vi vnionis vtramque naturam in tertiam quandam per confusionem abiisse delirarunt. Qui enim Catholicè credunt Christum verum Deum esse, ex ea parte creatis omnibus infinitè eminere, atque in creata omnia cùm per naturalia, tum per supernaturalia gratiæ beneficia physicè influere nequeunt dubitare: ac proinde Christum, qua Deum caput esse non Ecclesiæ solùm, sed & creaturarum omnium asserent certo. Agimus ergo de capitali Christi dignitate purè diuina inferiori, in Ecclesiam Dei, de qua hactenus egimus, & quæ Christum respectu Dei inferiorem, atque capitalis illius diuinæ membrum relinquat, vt aiebat Paulus recitatus. 1. Corinth. 11. *caput Christi Deus*, quæ item licet Deitate tanquam forma constituatur, non tamen per eius identitatem, sed per vnionem. In hac autem quæstione duo dubitari, quoad præsens, poterant. Alterum an Deitas, vel sola, vel in consortio humanitatis sit eius dignitatis subiectum? quo circa Stanislaus Sarnicij, & Caluinus consectariè ad sua deliria de subiecto Sacerdotis, Mediatoris, & Redemptoris suis locis confutata possent effutire. Alterum an posito, quod sola humanitas sit eius dignitatis subiectum tota tota secundum animam, & corpus, nec solùm secundum animam tale subiectum sit?

2. Circa primum dico primò. Christus secundum humanitatem solam est Ecclesiæ caput, atque eius capitalis dignitatis subiectum. Probatur primò ex 1. ad Ephes. vbi Paulus de eo, quem à mortuis suscitatum, atque ad Dei dexteram sedere (quæ omnia secundùm humanitatem, non secundum diuinitatem Christo obuenere) dixerat, subdit *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam* item. 1. Corinth. 11. *Christi*, quem Ecclesiæ caput esse dixit, subiungit *caput esse Deum*: at Christi secundum Deitatem caput Deus non est, cum ei, quatenus Deus, nec emineat, neque influxum vllum gratiæ præstare Deus possit: ergo cum de Christo capite Ecclesiæ, subiecto Deo capiti loquitur Paulus, loquitur de Christo secundùm humanitatem solam. Accedunt pro hac conclusione Patres: Chrysost. Hieronym. Ambros. Theophylact. Theodoret. in id ad Ephes. 4. *qui est caput Christus.* Ad Ephes. 5. *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Hilar. 8. de Trinit. sub. fin. in id Ad Colosſ. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ* sic habet: *ob dispensationem corporis nostri ipse est caput.* August. 1. de Trinit. c. 12. ait: *esse caput secundum formam serui.* Consonat Præfatione ad. 2. enarrat. Psalmi. 29. & Psalmo 139. serm. 50. de verbis Dom. Epist. 50. & 57. Basil. lib. de Spiritu. S. c. 5. Aratione non satis firmiter probat conclusionem. Soar. sect. 1. §. *dico primo* post med. nisi explicetur iuxta rationem pro conclusione secunda dandam

3 Dico secundo: Christus est Ecclesiæ caput secundum humanitatem totam, neque solùm secundum animam, sed, & secundum corpus simul. Probatur conclusio: quia Christus integrè, & adæquatè sumptus, vt homo, nec solùm secundum animam, sed etiam secundum corpus simul ex vnione hypostatica suæ totius humanitatis ad Verbum excellit singulis, & omnibus Ecclesiæ membris: insuper non solum secundum animam, sed secundùm corpus etiam, & carnem

nem, eiúsque opera, & passiones ex vnione hypostatica dignificatas toti Ecclesiæ gratiæ dona fuit Christus promeritus, atque opus nostræ redemptionis consummauit: ergo non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus omnibus Ecclesiæ membris, & eminet, & influit: ergo illius est caput, etiam secundum corpus, nec solùm secundum animam, ac proinde secundum humanitatem totam Christus Dominus, quare tota Christi humanitas est capitalis huius dignitatis subiectum: quandoquidem duo tantum illa habere debet, quòd respectu alicuius corporis capitalem dignitatem habet, & eminentiam, & influxum. Confirmatur, quoad influxum meritiuum, de quo maior esse dubitatio posset: quia hominis cuiusque merita non sunt animæ solius, sed cum consortio corporis, quod proinde particeps præmij esse debet. Denique Christi caro etiam in Eucharistia fidelibus communicantibus gratiam influit.

QVÆSTIO III.

An totius adæquatè Ecclesiæ caput Christus existat.

ECclesiam vsurpare possumus pro congregatione hominum: & hanc, vel hominum militantium in hac vita, quorum congregationem militantem Ecclesiam nominamus, vel hominum in cœlis triumphantium, & regnantium cum Deo, quam congregationem vocamus triumphantem Ecclesiam: vel eam vsurpare possumus pro congregatione omnium hominum status vtriusque & viatorum, & Beatorum. Vel tandem Ecclesiam totam possumus accipere pro congregatione non solum omnium hominum status vtriusque, sed Angelorum etiam tam viatorum, quàm Beatorum.

CERTAMEN I.

Ecclesiæ totius hominum Christus est caput.

1 COnclusionem hanc de fide esse probant testimonia ex Scriptura, & Patribus data supra. q.1. cert.1. quibus adde Augustinum c.56. Enchiridij aientem Christum esse caput Ecclesiæ, quæ est in hominibus. Chrysost. hom.1.ad Ephes.1.sub fin. Theophylact. dicentes Christum secundum carnem esse hominum caput. Est autem de fide sumpta Ecclesia pro hominum omnium fidelium congregatione, pro quibus intentum euincit, siue in cœlis triumphent, siue non, sed causa felicitatis suæ summæ in infernum ceciderint. Ratio Theologica à nobis data q.1. cert.1. num.2. cum & eis omnibus Christus emineat, & gratiæ dona in ipsos influxerit meritiuè. Addunt Theologi omnes cum S.Th. art.2. ita esse caput hominum præfatorum Christum, vt non secundum animas solum, sed & secundum corpora sit caput: id quod, licet de fide non sit, verissimum tamen, ac certissimum est. Etenim ex eo solum quod dona gratiæ supernaturalia in hominum animas influeret meritorie ipsorum caput absolute foret: at in corpora etiam meritoriè influit: quia illa per gratiæ auxilia, motusque primo primos sensitiui appetitus in bonum & honestum arma iustitiæ in sanctificationem, atque virtutis consummationem meritis suis reddit, dum homines militant, atque gloriæ dotes comparat dum triumphant.

2 An vero eorum omnium pro omni tempore caput extiterit? v.g. Adami pro tempore status innocentiæ adhuc sub Theologo iudicelis est. Pro affirmatiua parte accerrime pugnauit Soar. d. 23. sect.1. §. *secundo dubitari potest*, & quotquot, cum Scoto, Marsilio, Gabriele, Maiore, & Molina docent Christum ante absolute præuisum Adæ peccatum præfinitum absolutè esse: vnde eorum aliqui venturum, etsi Adamus non peccaret, affirmant, consensuri videntur: eos verò recensuimus controu. 3.d.1.q.2. & 3. Nos autem cum Christum nonnisi post peccatum Adami absolute præuisum, quo innocentiæ status in eo periit, præfinitum ibidem docuerimus, nec aliquid ipsum meritis per modum pretij & solutionis, siue in spe, sed solum absolute existentibus, & remunerandis fuisse hominibus promeritum ostenderimus controu. 6.d.1.q.4. à certamine 2. pro negativa sententia stare debemus. Cùm enim dona gratiæ auxiliantis, imò & reliqua illius status Adamo ante absolutam existentiam peccati, ac proinde Christi, fuerint à Deo concessa, nec nisi existente Christo merita ipsius absoluta esse pro vllo naturæ signo, mouere Deum possint, ea ex Christi meritiuo influxu prouenire non poterant. Sed dices: licet hoc de auxilio gratiæ ad non transgrediendum præceptum vera sint, aſt non de gratia habituali, aliisque donis Adamo innocenti concessis: quia hæc peccatum natura non præcesserunt, quare neque Christum, eiusque merita absoluta: ergo quoad ea habuit Christus influxum meritiuum: siquidem potuit, decentiúsque Christo est. Sed tamen nego non præcessisse omnia dona status illius natura peccatum Adæ: nam, vt obiecta, & bona per peccatum amittenda proposita ipsi per auxilia sanctarum cogitationum fuere, ne laberetur.

3 Dubitari secundo potest: an non solum fidelium omnium hominum, sed, & infidelium caput Christus extiterit? licet, nec fide, nec circuncisione, nec baptismate Ecclesiæ membra fuerint, eamuè fuerint ingressi. Affirmat S.Th. art.3. ex quo & Vasquez in eum articulum, & Soarez ibidem, & d.23.sect.1.§ *& ex hac conclusione*, licet an tacite, vel expressè S. Th. asserat decertent. His, & ego Doctoribus assentior. Licet enim non adeo vnita membra Christo infidcles sint, neque sint Ecclesiæ fidelium actualia membra: nequeátque caput physicum in membra non vnita sibi, & aliis membris influere; aſt Christus Dominus morale caput tantæ virtutis influxiuæ meritorie est, vt in membra sibi non adeo vnita possit meritoriè influere: id quod certissimum est: cum certum sit infideles, & paganos ad fidem, & Sacramenta per merita Christi vocatos semper fuisse, etiam tunc, cum in paganismo, atque infidelitate versabantur, atque eorum plures vocationi per Christum non respondisse. Similiter est certum eriam infantibus in vtero decedentibus & remedio ad salutem prouisum à Deo ex meritis Christi fuisse: ac proinde in infideles capitis Christi meritiuum influxum extensum esse. Nec paritas corporis physici obest: Siquidem neque hoc in membra mortua influere potest: cum tamen Christus morale hominum caput in membra mortua Ecclesiæ, scilicet peccatores, meritis suis influat dona gratiæ continuò, vt resipiscant. Dixi autem infideles, licet Ecclesiæ membra actualia non sint, Christo nondeò vnitos esse, ac fideles: quia aliquatenus Christo vnitos reor è Christi, & Dei beneuolo affectu eos Ecclesiæ fidelium sibique & Deo per dona gratiæ coniungendi.

4 Denique de damnatis ob solum originale (idémque est de dæmonibus) S.Th. a.3. ac Theologi reliqui docent Christum, qua hominem, eorum caput non esse: quia nihil in eis est donorum gratiæ, quæ ob Christi merita à Deo donetur: neque est beneuolus affectus eos sibi, & Deo coniungendi, sicut erat dum viuerent. Licet autem adultis sic damnatis cum solis venialibus pœna sensus citra condignum infligatur, atque infantibus dona plura naturalis ordinis, atque illustrationes etiam aliquot, vt volunt nonnulli, concessurus sit, nequaquam id ex meritis Christi fore communiter asseritur: quæ tota fidei Charitati, sanctitati, gloriæ,

gloriæ, aliísque ad hæc conducentibus, à quibus pro eo statu longè positi damnati, imò sepositi manent, impensa fuere: quæ ratio de damnatis omnibus etiam ob mortalia actualia æquè probat. Quamquam non minus grauarer dicentem ea omnia beneficia siue positiua, siue priuatiua damnatorum meritis Christi deberi. Licet enim è salutis hominum solùm fine venerit Christus, alia tamen plura, quæ eò non conducunt ex infinitate meritorum potuit obtinere, eo solùm, quod hominum saluti non opponantur: idque gloriosius fortasse Christo videatur.

CERTAMEN II.

Christus secundùm humanitatem etiam plurium Angelorum est caput.

1 CHristum, quà Deum, siue secundùm Deitatem Angelorum omnium caput esse dogma Catholicum est. At verò secundùm humanitatem esse etiam aliquorum Angelorum caput negauit Antisiodorens. 3. sum. tract. 1. cap. 4. q. 2. S. Bonau. in 3. d. 13. a. 2. ad 3. Gabr. q. vn. a. 3. dub. 2. Sotus in 4. d. 49. q. 4. a. 2. fine. Driedo de captiuit. & redempt. genet. humani tract. 2. c. 2. p. 3. a. 5. post quartam propositionem. Proqua sententia stare videtur Chrysost. hom. 1. in id ad Ephes. 1. *Ad diffensationem plenitudinis* dicens: *Vnum nobis posuit caput Christum secundum carnem: omnibus inquam, & Angelis, & hominibus. Hoc est aliorum dederat Angelis Principatum, & aliorum hominibus. His quidem, quod secundum carnem illis verò Verbum Deum.* Consonat Theophylact. in id ad Ephes. 1. *vt consummentur omnia in Christo* atque vterque Theodoreto in id ad Coloss. 2. *qui est caput omnis principatus & potestatis*: in hæc scribenti: *est nostrum caput, quod attinet ad humanitatem; Angelis autem, & Archangelis præest, ac imperat, quod attinet ad diuinam naturam.* Respondet Soarillis verbis *secundùm diuinam naturam* designari formam capitalis dignitatis Christi respectu Angelorum, non subiectum. Sed contra: quia eo modo secundùm Deitatem tanquam forma, & nostrum caput est: quid ergo designatur distinctionis mediata illa Patrum antithesi? Melius, veriúsque responderet subiectum denotari, sed Patres id quod clarius erat asseruisse, obscurius autem & difficilius omisisse potiùs, quàm negasse.

2 Dicendum nobis est: Christum etiam secundùm humanitatem Angelorum caput esse. Indicat satis S. Th. 3. p. q. citata a. 2. ad 2. vbi Caiet. & reliqui Domicicam interpretes docent. Alexand. q. 13. m. 2. a. 1. Ricard. in 3. d. 13. a. 2. q. 3. Palud. q. 1. a. 3. Durand. q. 2. Vazquez vbi proximè c. 3. §. *Ego tamen* Soar. proximè §. *dico secundò* atque reliqui Theologi præter citatos pro sententia aduersa. Probatur ex 1. ad Ephes. fin. vbi de Christo suscitato à mortis constitutum fuisse super omnem Principatum, & potestatem, virtutem, & denominationem ait, ac *dauisse caput super omnem Ecclesiam.* Nempè non solùm hominum, sed ex eis, & Principatibus, & potestatibus Angelicis super quas constitutus immediatè dicebatur, vt exponunt Hieronymus ibi Gregor. M. hom. 7. in Ezechiel. Iam verò Christum suscitatum à mortuis secundùm humanitatem, non autem secundùm diuinitatem dubitat nemo: ergo secundùm humanitatem Angelorum caput dicitur à Paulo Christus. Probatur secundò, ex 2. Ad Coloss. *estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatus, & potestatis*: id est, Angelorum iuxta Patres & interpretes omnes; atqui repleti sumus in Christo, vt homine gratiis & donis, quæ nobis meruit: ergo illud, *qui* Christum: vt hominem refert, dum caput Angelorum prædicatur. Probatur tertio ex Augustino, & Hilario in id Psalmi 139. *caput circuitus eorum.* Huius verba sunt: *vt in omnibus sanctis caput Christus est, ita omnibus iniquis caput diabolus est*: Atqui Angeli boni intra omnes Sanctos absolutè comprehenduntur: ergo omnium iniquorum etiam hominum caput diabolus est: ergo & Christus etiam iustorum, iuxta Hilarium & Augustinum.

3 Quartò August. idem concione 3. in Psalm. 36. *caput nostrum Christus est. Corpus capitis illius nos sumus. Nunquid soli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos omnes, qui ab initio sæculi fuerunt iusti adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum: vt illa vna ciuitas fiat sub vno Rege, & vna illa prouincia sub vno imperatore.* Similibus verbis conclusionem, & rationem eandem dedit nobis Theophanes. Nisi Episcopus apud Turrianum infra: qua non solùm probetur Conclusio, sed aduersariorum ratio ex diuersitate naturæ corporeæ humanæ ab spirituali Angelica. Angeli & homines in vnam rempublicam moralem spiritualem coalescere possunt, de factóque coalescunt: ergo non obstante eadem diuersitate naturæ humanitatis Christi ab Angelica poterit Christus secundùm humanitatem totius illius reipublicæ spiritualis moralis, etiam quoad Angelos, esse caput. Naturalis quippe Angelicæ naturæ excellentia præ humanitate infinita dignitate vnionis infinitè excedit à Christi humanitate. Antecedens non solùm de possibili, sed, & de facto dogmaticum est: traditur enim ab Hilario, Hieronymo, Theophane, & August. proximè, & c. 56. Euchiridij, & collat. 3. contra Donatum atque à Concilio Niceno Canone recitato Turriano 2. de dogmat. caracter. vbi id fusè, atque eruditè probat.

4 Probatur secundò ratione Theologicà à priori: quia humanitas Christi ratione vnionis hypostaticæ Angelis omnibus longè dignitate antecellit, vt patet: atque insuper in Angelos beatos meritis suis plura dona influit: primò illustrationes plures iuxta Dionysium 7. de cælesti Hierarch. & Theologos omnes. Secundò gloriam accidentalem de peccatorum pœnitentia, & sanctorum omnium gloria, de quo dubitari à nemine potest. Tertiò: & gloriam me iudice essentialem: quia eorum pluribus prima gratiæ auxilia, ne laberentur, sed obsequio mererentur gloriam, promeritus fuit Christus, vt docebamus controu. 6. d. 2. q. 2. cert. 3. ac proinde eis non aliter, ac nobis gloriam meruit. Sed & illis quibus eam gratiam non meruit, meruit tamen essentialem gloriam, vt docebamus citata q. d. 2. quia, licet præstita obedientia Deo ex illa gratia non Christi gloriam essentialem condignum habuerint titulum ad illam, merita Christi expectata etiam sunt, vt conferretur ad Christi, ac meritorum eius honorem. Quarto: quia teste Paulo *omnes sunt administratorij Spiritus, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*: quare, & eis, vt ministris in nostrum commodum inspirat meritis suis Christus, eique illi parent: déque ministerio suo sunt ab illo tanquam capite, & Principe suo iudicandi, vt docet S. Th. 3. p. q. 56. a. 6. si ergo Christi humanitas Angelis beatis & eminet, & influit, tot modis, ac imperat, quid illi ad morale caput Angelorum beatorum desit non video.

5 Dico vltimò: etiam viatorum Angelorum plurium siue ex Beatis, siue ex damnatis Christus secundùm humanitatem extitit caput. Angelorum beatorum quandiu viatores extiterunt dedimus nuper probationem: quia, vt ex controu. 6. d. 2. q. 2. cert. 3. referebamus prima gratiæ auxilia, ne laberentur, sed Dei præceptum seruarent, ex meritis Christi data à Deo sunt: quod ipsum de gratia habituali, reliquísque donis, in quibus à Deo creati fuere censendum est iuxta ibi dicta: ergo Christus meritiuè in eos ea gratiæ dona cuncta, de quibus dubium esse posset, influxit. De damnaris autem dæmoniis quandiu etiam viatores fuere eadem ratione probatur: quia eorum pluribus, imò fere omnibus, gratiam primam cùm

cum auxiliantem, tum habitualem fuit promeritus, vt eodem loco ostendebamus.

Dixi pluribus, non Angelis omnibus; quia eorum aliquibus, tam bonis quàm malis in statu viatorum auxilia gratiæ, & quæ alia eorum obseruationi, aut transgressioni natura præcesserunt promereri illis Christus non potuit. Nempe, Protoparentum tentatoribus dæmoniis, eorúmque custodibus Angelis, vt loco citato fusius ostendimus: Si autem reliquis Christi humanitas donagratiæ meruit: ac Beatis omnibus essentialem, & accidentalem gloriam, cùm Angelis omnibus vnionis dignitate emineat, Christum secundum humanitatem viatoribus fere omnibus, Beatis verò omnibus caput extitisse compertum est.

CERTAMEN III.

Quomodo Christus, quà homo cæterarum creaturarum caput existat.

1 GAlatinus 7. de arcan. Catholicæ veritat. à cap. 2. Catherinus lib. de eximia Christi prædestinat. docent Christum, qua hominem, reliquarum etiam omnium creaturarum esse caput: quia in earum omnium effectionem influat, & conseruationem. In quam sententiam confirmandam Rabbinos, nescio quos, quasi Dei consiliarios inducunt: qui aiebant Deum in odium peccati Protoparentum nostrorum præuisi decreuisse non creare mundum; quem tamen postmodum ne Christo, eiúsque sanctissima Matre careret eorum meritis motum mundum totum, & quæcunque in illo facta à Deo sunt creare decreuisse dicebant. His Recentiores nonnulli apud Vasquez, vbi proximè cap. 2. addidere Christum in creaturas ipsum antecedentes duratione meritorie solum influxisse: in subsequentes vero omnes physico etiam influxu instrumentali, vel per se, vel per Angelorum ministerium. Communis ratio est, quia id sine incommodo vllo meritis Christi tribui potest. Maxime cum visibilis saltem, rerum vniuersitas ab Angelo Christi humanitate, & virtute, & dignitate, & virtute inferiori, & pendeat, & gubernetur.

2 Verum, vt in hac opinione Deo indignam in decretis suis inconstantiam, & mutationem omittam, sic opinantes inani quadam, atque impia fortasse pietate ducuntur. Atque in primis ille Rabbinorum discursus crassus est, & somniantium similis historia. Ratio vero contra receptam hactenus à tota Theologia, & Ecclesia Augustinianam doctrinam de gratia creationis, & gratia per Christum, siue Christi. Has enim vbique magno studio Augustinus inter sese distinguit: vt constat ex epist. 90. epist. 95. epist. 105. vbi ex professo probat gratiam creationis, siue bona hominis naturalia nullatenus gratiam per Christum esse: circa medium que epistolæ ait. *Meruit nobis Christus, vt iustè essemus, non, vt homines, vel liberi essemus.* Vnde, & illud vulgare, ac tritum Theologis omnibus proloquium manauit. *Christum mortuum esse non vt mortuè conderentur, sed vt viui iustificarentur.* Illud autem quod citati Recentiores addebant Christum in creata omnia mundi, quæ ipsius existentiam fuere durationè subsecuta, non meritoriè solum, quod nuper impugnabamus, sed physico etiam concursu physice influxisse, & paradoxum est, & doctrinam nunquam nobis probatam, vel probandam de potentia obedientiali actiua creaturarum supponit.

3 Dicendum igitur est cum Vasquez proximè, Soarez sect. 1. §. *solum ergo* Christum quodammodo reliquarum creaturarum caput esse, quatenus eas ordinat ad hominum salutem, atque ex eius incarnatione creata vniuersa dignitatem quandam, & nobilitatem recipiunt: ac denique quatenus post vniuersale iudicium omnia per Christum instaurabuntur, atque à seruitute corruptionis per ipsum liberata nouum quendam splendorem habebunt, vt prædixit Paul. ad Roman. 8. *expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat quoniam & ipsa liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Idcirco Theodoretus, & Oecumen. in id ad Hebræ 2. *vt pro omnibus gustaret mortem* creatis omnibus proficuam fuisse mortem Christi dixerunt. Cæterùm earum rerum officiis eiusmodi Christus, Dominus potiùs, quàm caput ostenditur. Hæ quippe non sunt magis Christi membra, quàm sit Domini, aut Patrisfamilias, aut Regis membrum suppellex: licet eam quandoque ornent, atque in suorum membrorum vsus impendant.

R. P. Christoph. de Ortega de Deo vno & Trino.

DISPVTATIO V.

De iudiciaria Christi dignitate, & potestate.

HAc de re comuniter disputatur à Theologis in vita Christi & à S. Th. q. 59. verum potestatis, & dignitatis huius consideratio, ac secundum quam naturam Christo Domino competat, atque, ad quos diiudicandos extendatur controuersiæ huius propriissima semper nobis visa est, licet de die, loco & modo in vniuersali iudicio seruandis exacta; siue disputatio, siue historia in eum locum merito videatur remittenda.

QVÆSTIO I.

An Christo homini competat iudiciaria dignitas, & potestas?

ARia in hac quæstione supponenda potiùs, quàm disputanda. Primum: Christo, quà Deus est, iudiciariam potestatem, eámque supremam competere. In quem sensum illud Ioan. 5. *Potestatem dedit ei*, Filio, *iudicium facere, quia filius hominis est.* Intelligunt Chrysost. hom. 38. Ioan. circà med. Theophylact. & Euthym. causalis quippe illa aptum sensum non reddit, inquiunt, nisi adiungatur sequentibus puncto immediatè ante adhibito, vt legatur. *Quia filius hominis est nolite mirari in eo:* qui etiam Deus est, vt deinceps offendit. Secundum: iudiciariam hanc diuinam potestatem appropriatiuè Christo competere: quia vt acutè S. Th. quæst. 59. art. 1. corp. quia Christus Verbum est, cui appropriatiuè competit sapientia, ac proinde iudiciaria potestas, quæ sapientiæ est; licet potestatem, & rectitudinem necessario supponat. Tertium: diuinam hanc iudiciariam potestatem, & dignitatem Christo homini per communicationem idiomatum conuenire. Id quod citato loco à Christo asseri censuit Cyrillus 2. in Ioan. cap. 144. Disputatur ergo an humanitas Christi iudiciariam potestatem diuinà inferiorem ad prauas honestásque creaturarum rationalium actiones iudicandas habeat?

CERTAMEN I.

Affirmatiua conclusio dogmatica est.

1 IVdiciariam hanc potestatem humanitati Christi denegârunt erroneè quotquot vel animi immortalitatem: vel diuinam negarunt prouidentiam, quotquot item creati arbitrij libertatem sunt inficiati, ac Deum malorum operum authorem fecere. Ii verò sunt Gnostici, Borboriani, Manichæi, alijque similes hæretici belluini teste Pilastrio, Prateolo, & Castro sub eorum nominibus. Eadem potestatem humanitati Christi negasse refertur Scotus in 4.d.48. q. 1. immeritò tamen: solùm enim ei negat iudiciariam potestatem diuinam, vt ex ratione, & contextu patet. Nec magis fauent huic errori Chrysost. Theophylacti & Euthym. proximè, neque Athanas. serm. 4. contra Arrian. Tertullian. contra Praxeam. c. 16. Ambros. 2. de fide c. 4. Cyril. Alex. 2. in Ioan. c. 140. exegesi de incarnat. ad Valerian. & lib. 2. ad Reginas. c. *quod Christus sit verus Deus, etiamsi filius hominis appelletur.* S. Th. q. 59. a. 1. referens August. c. 31. de vera religione locum Ioannis. 5. de iudiciaria potestate diuinitatis Christi, non humanitatis interpretantes: quia de diuina suprema potestate, & increata loquuntur, nec de inferiori, licet vniuersali, iudiciaria humanitatis agebant, vt ex ratione data à tribus primis constat: clariúsque ex facili contextu capitis ob quem in eam interpretationem omnes eunt. Concepto enim, inquiunt, à Iudæis odio in Christum, quòd se Deo æquaret, suam apertiùs diuinitatem prædicat ostenditque ex eo, quod à Patre eadem operandi, quæ Pater, & eius potentiam eandem receperit, atque potestatem omnes iudicandi acceperit ab ipso, *vt omnes*, inquit, *honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Æqualitas autem honoris cum Patre ex potestate operandi, & iudicandi, nisi eadem cum Patris potestate, & purè diuina, quæ humanitati Christi non conuenit, malè probaretur, ostenderetúrque à Christo, inquiunt Patres citati. Quare, & hanc solùm eo loci contineri aiunt, & humanitati negant, non autem hanc, de qua in præsenti disquirimus.

2 Catholicam ergo affirmatiuam sententiam nostram docent Theologi omnes vetustiores in 4.d.48. vbi, & S. Th. & 3.p.q.59.a.2. vbi Theologi nouiores eius interpretes Dominicani, & nostri Vasquez & Soar.d.52.sect.1.& quamuis citati Patres loco illo Ioannis. 5. iudiciariam potestatem humanitatis Christi non contineri, sed solùm Deitatis, siue Christi, quâ Deus est, iudicauerint; Augustinus tamen. 1. de Trinit. c. 13. & tract. 21. in Ioan. Hieronym. ad illud Isai. 27. *Mittam in Sion lapidem probatum, & ponam iudicium in pondere*: fusiúsque in id Psalmi. 74. *cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Cyprian. 2. contra Iudæ. c. 28. & lib. 3. ad Quirin. c. 33. contra censent iudiciariam potestatem humanitatis Christi, non autem Deitatis eo loci contineri, & merito. Sic enim textus habet: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*: atqui Pater iudicio, seu iudiciariâ potestate diuina iudicat iudicauítque omnes: ergo iudicium siue iudiciaria potestas, quam sibi datam à Patre Christus ait, non suæ Deitatis potestas communis sibi cum Patre, sed peculiaris, ac propria suæ humanitatis est, vt arguit Augustinus loco citato de Trinit.

Dices appropriatiuè iudicium propriè diuinum Filio diuino competere, vt dicebamus in quæstionis præfatione. Sed contra: quia communia quæcumque alicui ex personis appropriantur, negari de aliis absolutè nequeunt, vt patet in sapientia, quæ de Patre, & Spiritu negari absolutè nequeunt, licet Filio approprietur, & in dilectione appropriata Spiritui Sancto, quæ tamen negari nequit Patri & Filio.

Dices secundo: subintelligi particulam *solus*: vt Pater solus neminem iudicare dicatur. Sed commentitiæ huius additionis nullum in textu fundamentum est: imò sic, nec Filius solus omne iudicium habere dici posset: cum sine Patre, & spiritu S. iudicare diuino modo nequeat.

3 Id ipsum ex contextu facilè probatur. Etenim Iudæis calumniantibus, quòd paralyticum in Sabbato curasset, respondet nihil in eo mali commisisse vtique vt hominem, quia Dei filius etiam erat, ac proinde, qui nihil nisi è Dei Patris imitatione. *Non potest filius à se facere quidquam, nisi, quod viderit Patrem facientem*: ast filius Deus, quà talis non ex visione, & imitatione actionum paternarum operatur quæ Pater, sed ex consortio eadem operatur: ergo Christus de se, vt homo, est etiam filius Dei per vnionem, loquitur. Confirmatur ex ratione, quæ probat se videre opera Patris, quæ imitetur. *Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæcumque facit.* Christo autem filio, qua Deus scientiam suorum operum Pater ex dilectione non communicat, sed naturali generatione. Loquitur autem de scientia practica: subdit enim: *& maiora iis demonstrabit.* In quibus enumerat potestatem suæ vtique humanitatis suscitandi mortuos. *Sicut Pater suscitat mortuos, sic, & filius.* Vt ex potestate hac suæ humanitatis ad iudicium eiusdem potestatem iudiciariam suadeat: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*: cuius nomine venit, *qui misit illum.* Pergit. *Nolite mirari hoc: quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei.* Est enim potestas suscitandi mortuos sensibilior, ac proinde mirabilior, licet non maior potestate iudiciaria. *Sicut Pater habet vitam*, aliorum, *in semetipso* virtute, & potestate, vt vitâ eos suscitando donet, *sic dedit, & filio*, qua homini teste Cyrillo, *vitam*, aliorum, *habere.* potestate, & virtute *in semetipso*: *sicut* autem, *& sic*, proportionem dicunt, non æqualitatem potestatis: *& potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Ei scilicet, qua homini vt censet probatque August. 20. deciuit. c. 6. tract. 19. & 22. in Ioan. & locis supra citatis. Beda ibi. Rupert. 5. in Ioan. Tertul. contra Praxeam: *quia filius hominis* legunt, *qua filius hominis* eius potestatis clarius designantes subiectum, quod vulgata obscurius. Consentiunt Latini reliqui Patres, & Scholastici omnes in 4. d. 4. 8. & cum S. Th. 3. p. q. 59. a. 2. vbi Vasquez & Soar. qui & d. 52. sect. 1. §. *Primò ergo certum est.* Satisque Hieronym. Isai. 50. explicans de Christo illa *sicut audio sic iudico*, quibus Christus, vt de se, qua homine, locutus crederetur. Concluserat num. 30. *sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est: quia non quæro voluntatem meam*, mei, qua hominis, *sed eius, qui misit me*, quæ solum, vt homo sum, quóque modo de me sum locutus, mea non est.

4 Probatur secundò ex Actorum. 10. vbi Petrus enumeratis omnibus mysteriis Christi, hominis, nimirum passionis & resurrectionis potestatem iudiciariam vt humanitatis eiusdem ostenderet sic proposuit: *Præcepit nobis prædicare populo, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Illud autem *constitutus à Deo* operationem Dei à dextra, quæ circa ipsum, qua hominem solùm esse potuit, apertè significat. Probatur tertiò, & clarius ex Actor 17. vbi sic Paulus de Christo Domino: *in quo iudicaturus est*, Deus, *orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Probatur quartò ex Matthæo c. 13. vbi de postremo vniuersali iudicio ait. *Tunc mittet filius hominis Angelos suos. c. 16. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera sua*, eúmque filij hominis aduentum iudiciorum describit. c. 24. & 25.

Probatur

Probatur quintò ex Lucæ 12. *qua hora non putatis filius hominis venit.* Vtique per iudicia particularia atque, vt semel plura, quæ ex Euangelio induci possent perstringam, quoties de Christi iudicio agitur ab Euangelistis nonnisi filius hominis appellatur, clara concordíque Euangelistarum contestatione iudiciariam hanc potestatem Christo, quà filius hominis, siue qua homo est, conuenire. Sextò denique probatur ex Danielis 5. vbi ita vniuersale iudicium describitur: *Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit &c. & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem honorem, & regnum.* Ad quæ Rupert. c. 13. in Daniel ait. *Manifestè describitur esse iudicium diuinum: non tamen esse dictum qualem per manum, vel personam sit agitandum. Non enim iudicabit per semetipsum ille antiquus dierum: sed, vt ipse Dominus dixit omne iudicium dedit filio* diuersum nempè à iudicio Filij, quà Deus est: hoc enim, & Pater, qui antiquus dierum appellatur, certo iudicabit.

CERTAMEN II.

Rationibus Theologicis, & obiectionum solutione eadem veritas stabilitur.

1 PRobatur primò ratione. Iudiciaria hæc humanitatis Christi potestas, quia hæc humanitatis Christi dignitas, & potestas illi non repugnat, eámque maximè decet, debita insuper ipsi est, & vnionis hypostaticæ iure, & suorum meritorum titulo: ergo fuit Christi humanitati concessa: sicut de aliis dignitatibus humanitatis arguebamus. Probatur secundò; quia Regiæ & Sacerdotalis dignitatis purè creatæ est iudicare de rectè factis vel secus subditorum, legúmque, & Dei, & suarum obseruatores præmiare, transgressores punire: ergo, & eminentioris vtriúsque dignitatis, & regalis, & Sacerdotalis humanitatis Christi erit de subditorum omnium suorum benè, vel malè factis iudicare, obseruantes præmiare, & transgredientes punire. Imò in humanitate Christi prior est, quàm in Regibus, & sacerdotibus purè creatis ad hanc potestatem iudiciariam ratio, vt diuinarum etiam legum transgressiones, vel obseruantias diiudicare, præmióque, vel pœna compensare debeat. Cum enim gratiæ omnis ad earum obseruationem meritis suis author, Dominúsque, quà homo sit, de bono, vel malo vsu gratiæ suæ quemque iudicare, debitáque mercede afficere ad eum in primis, qua hominem, spectabit: quam sanè rationem sæpè in Euangelio suo Christus Dominus variis parabolis, ac similitudinibus expressit: hominis, viri nobilis ac Regis, minas, talenta, & alia seruis suis ad negotiationem impertientium, ac postea rationem negotiationis cum illis ponentium, industrios præmiantium, desides & socordes punientium.

2 Succedant pro hac veritate plures non inefficaces congruentiæ. Prima sit S.Th. loco citato: quia oportuit ad suauem iudicij, cum hominibus præfertim, habendi prouidentiam, vt per hominem iudicarentur. Sit secunda ex Augustino t. 9. tract. 13. in Ioan. ante med. quia mediâ corporum resurrectione per Christi humanitatem facta, homines ad iudicium finale vocantur: ac proinde, & sunt ab ipso iudicandi: nam vocatio authoritatiua, dignáque homine Christo, ac non seruilis, qualis erit Angelorum iudicij denuntiatorum, à sola iudiciaria potestate esse potest. Tertia sit ex eodem Augustino t. 4. tract. de vera religione c. 31. à med. quia æquum est, vt iudicandi omnes iudicem suum videant: atqui Christus, quà Deus videri ab hominibus iudicandis nequit: mali siquidem, ac reprobi homines Deum videre non poterunt: ergo Chri-

stus, qua homo iudex constituendus fuit. Sit quarta, & vltima nostra: vt nimirum Deus suam causam cum malis, ac probis hominibus in eorum damnatione ampliùs, apertiúsque iustificaret: cum ea sententia in reprobos feratur ab homine, non solùm ipsis affini, sed adeo antehac amatore, vt in humanitate illa, qua eos condemnat, tot tantáque proeorum salute opprobria, tormenta, crucem denique plagas, & mortem pro eorum salute pertulerit. Atque hanc quidem, forta sse nostrarum amore, non iudicamus inefficaciorem.

3 Contra hanc Catholicam veritatem obiicitur primò. Iudiciariæ potestatis est, debitam malis ac bonis mercedem conferre: atqui præmium bonis conferre non est Christi, qua homo, sed qua Deus est: ergo, nec iudiciaria potestas est Christi, quà homo est, sed qua Deus. Minor, quæ sola probatione opus habet, suadetur: quia iustos, seu bonos præmiare est eos beare: atqui humanitas Christi non potest, sed sola diuinitas: ergo humanitas Christi non potest bonos præmiare siue eis mercedem conferre. Distinguo maiorem *conferre mercedem physicè, & executiuè* nego maiorem; *conferre iudicando*, quid cuique præmij, vel supplicij debeatur; *ac præcipiendo*, vt infligatur supplicium, vel præmium donetur, concedo maiorem. Id quod in omni humano iudicio & potestate clarer. In quo iudices, & Principes, nec præmium, nec pœnam iudicatis physicè infligunt, sed ministri alij. Et distinguo minorem *non confert* physicè executiuè mercedem, fateor maiorem, in quo solo sensu probatur; *non confert iudicatiuè*, seu præceptiuè nego minorem, & nego consequentiam. Quæ quidem solutio planior, facilióque est ea, quam huic obiectioni dedit S. Thomas; cuius vim, & profunditatem me non assequi fateor ingenuè.

4 Obiicit secundo S. Thomas: iudiciaria potestate in homines occulta cordium iudicanda sunt: ergo eius tantum erit iudiciaria potestas, cuius fuerit occultorum cordis scientia: atque hæc propria est Deitatis, non humanitatis Christi: ergo, nec humanitatis Christi erit iudiciaria potestas. Subsumptum probatur ex Psalmista dicente *scrutans corda, & renes Deus.* Et Hierem. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud?* Ego *Dominus scrutans corda, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam* Respondet bene S. Th. distinguendo subsumptum. Cognitio secretorum cordis solùm conuenit Deo *de se, ac per se* concedo antecedens; absolutè nego. Eam quippè Deus potest communicare, communicauítque de facto plurium sectetorum cordis scientiam sanctis pluribus tam in lege veteri, quam in noua Euangelica: Christo autem, qua homini, omnium etiam secretorum perfectissimam cognitionem dedit. Vnde Apostolus: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus,* Iesus in secundo aduentu, *qui, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Ad Rom. 2. *in die cum iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum.*

5 Obiicies tertiò: quia ad Deum, & supremum iudicem spectat præmia iustis, & pœnam malis taxare pro meritorum quantitate: ergo ante quodvis iudicium humanum Christi, iam est sententia à Deo lata: solúmque relinquitur humanitati Christi illius promulgatio, quæ non est sententia, aut iudicium proprium. Ergo humanitas Christi iudicare nequit. Nego consequentiam primam. Nam iudicium illud primum Dei non est sententia quousque voluntas efficax accedat inferendi pœnam, vel conferendi præmium. Etenim de malis operibus viuentium, quia absolutè non iudicantur, eiusmodi iudicium adest diuinum, & tamen quia voluntas efficax absoluté eos præmiandi vel puniendi abest, absolutè non iudicantur. Circa præmium autem, vel pœnam æternam, ad quam absolutum iudicium, de quo loquimur in præsenti, est in Deo primum iudicium; & voluntas taxans eiusmodi præmium

decedentibus in gratia, & pœnam hanc decedentibus in peccato vniuersim: at hæc non sunt sententia, sed lex, & regula, cui iudex omnium hominum in particulari in ferendo iudicio se conformabit: non secus,ac iudices humani in puniendis hominibus se legibus Principum, & populorum conformant, cum sententiam in reos ferunt, quin ob id ex iudiciaria potestate non se gerere censeantur. Humanitas ergo Christi de singulis hominibus sententiam iuxta Dei legem generalem feret ex iudiciaria sua potestate, cui Deus è suprema sua potestate omnino subscribet: sicut Princeps suis legibus conformes iudicium suorum sententias confirmat.

QVÆSTIO II.

De subditis eiusmodi iudiciariæ potestatis humanitatis Christi.

VInctos homines iudiciariæ huius potestatis humanitatis Christi subditos esse ea omnia probant testimonia, quæ hactenus eam de humanitate Christi potestatem probarunt: atque insuper Paulus 2. Corinth.15. & ad Rom.14. expressit dicens: *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt vnusquisque referat propria corporis prout gessit*: quare de solis Angelis controuersia esse potest, sintne à Christo ex hac iudiciaria humanitatis potestate iudicandi?

CERTAMEN I.

Aliorum opiniones.

1 ANgelos iudicio vniuersali adstitutos, vt Christi stipatores satellites, & iudicis ministros, dubium non est. An vero adstituri sint, vt iudicandi? Origen.hom.13. in Lucam, & 20. ac 24. in numer. asserit: quia de operibus, quæ in Beatitudine gesserunt iudicandos à Christo homine censet erroneè. Quin locum habeat benigna S.Th. interpretatio 1.p.q. 113. art.4. ipse autem 3.p.q. 59. art.6.affirmat iudicandos. Primo indirectè, ratione eorum, quæ per ipsos in commendatis hominibus aguntur:quorum dispensatio ex meritis Christi est. Secundo, quatenus ex præmio commendatorum sibi hominum gaudium bonis Angelis accrescet; ex pœna autem condemnatorum malis Angelis augescet pœna iudicio illo, atque æternè in infernum ab eo die recludentur, vnde Marci 1. apud Iesum Dæmones conquerebantur: *venisti ante tempus perdere nos*. Sed hæc omnia, inquit, solo Dei iudicio directè de eorum meritis, vel demeritis habito fient, non ex iudicio Christi hominis: cùm eis ad bene operandum gratia, non è Christi meritis, sed ex Dei voluntate sola fuerit collata. Sequuntur S.Th. eius interpretes Dominicani ibi, atque alij Dominicani in 4. d.47. vbi & S.Th.cum pluribus ex antiquis q. 1. art.3. quæstiuncula 4.Valentia t.4. d.11.q.4. punct.2.Vasquez d.49. cap.2. num. 10. §. *Hanc igitur sententiam* versus finem.

2 Contra verò Angelos omnes de suis operibus, meritísque, ac demeritis iudicandos à Christi humanitate fore: præmiúmque, vel pœnam, etiam essentialem, ipsius sententia reportaturos docent S. Bonau. in 4.d.47.art.1. q.4. Ricard. q.6. Soar.3.p.t.2.d.57. sect.9. §. *secundò dicendum est* probarique potest authoritate Iustini Mart. dialogo cum Triphone recitati, & laudati ab Irenæo.5.contra hæres. cap.33. ab Euseb. Cæsar. 4.histor. cap.17.alias 18. à Nicephoro lib.4. cap.6. qui omnes ideo aiunt Dæmones nondum igne inferni puniri, nec puniendos, quousque iudicio vniuersali à Christo habendo damnentur. Addit Oecumen. non solùm eo vsque ignem inferni non passuros, sed ignoraturos etiam sibi esse paratum, vt deinceps torqueantur. Sed duo hæc etsi à tantis Patribus addita, asserenda ac defendenda minimè sunt: neque eis admissis conclusio, quoad essentiale præmium, & pœnam probatur: quia igneus dæmonum cruciatus ad accidentalem pœnam, non ad essentialem, spectat: vt in damnatis omnibus contingit, quorum essentialis pœna in priuatione visionis Dei consistit. Secundò, neque pœna sensus, siue cruciatuum valori demeritiuo peccati Angelici in omnibus Angelis videtur sub iudiciariam Christi potestatem cadere posse.

3 Tertia sententia esse potest: quoad pœnam & præmium essentiale plures Angelos, ac dæmones iudicandos à Christi humanitate fore, non autem omnes, siue Dæmones, siue Angelos. Ratio est facilis ex dictis controu.6.d.3.q.3.& controu.7.d.4.q.3. cert.2.num.4.Etenim præter Angelos primorum Parentum custodes, ac eorundem parentum tentatores dæmones, reliquis siue bonis siue prauis Angelis omnia dona gratiæ etiam auxiliantis, ne laberentur,Christus fuit promeritus: ergo Christus de bono, vel malo eorum vsu transgrediendo, vel obseruando eos iudicabit. Consequentia est legitima probatáque satis q. 1. cert.2.submed. atque admissa ab aduersariis Vasquez, & Soar.pro sententia 1. citatis. Etenim ad gratiæ Dominum & authorem iudicium de bono ejus vsu spectat, vt mille parabolis Christus Dominus Scribis & Pharisæis, ac Discipulis suis docuit in Euangelio. In his autem omnibus opinionibus, nostrísque conclusionibus subiiciendis aduertendum est de iudicio vniuersali esse intelligendas. Cum enim Christus Dominus damnationis, vel saluationis Angelorum tempore nondum existeret, neque eis damnandis, vel præmandis sententia sua interfuisse certum est: nemo enim nondum existens actus iudicandi exercere vllatenus potest: quare neque sententiam valet proferre.

CERTAMEN II.

Nostræ sententiæ conclusiones.

1 DIco primò: Christus quà homo Angelos omnes iudicauit vniuersali iudicio saltem quoad præmium, & pœnam accidentalem. Est conclusio omnium Patrum, & Theologorum, pro secunda sententia. Probatur 1. ex 1.Corinth.6. *Nescitis, quia, & Angelos iudicabimus*, eo nimirum modo, quo Apostoli cum Christo in vniuersali iudico iudicari dicuntur. Neque solum iudicio indirecto, quo hominum, vel Angelis commendatorum, vel à demonibus tentatorum iudicandi sunt, sed directo quoad præmium, vel pœnam saltem accidentalem eorum. Etenim eodem modo iudicandos à se, & perfectis viris Angelos, atque mundum docent, vt bene Ambrosius ibi: atqui mundus directe iudicandus à Christo, & ab Apostolis iudicio illo vniuersali est: ergo & Angeli ita etiam sunt iudicandi. Confirmatur: quia iudicium solum indirectum alicuius, absolutè & propriè iudicium illius, siue de illo non est: ergo, cùm absolutè dicitur Angelos iudicandos esse, directè iudicandos esse dicitur. Probatur secundò ex Clemente Roman 7. constit. cap. 33.& Lactantio Firmiano lib.7. cap.26. dicentibus venturum Christum in throno regni sui ad condemnandum diabolum mundi deceptorem: atqui cuiusuis condemnati proprium, directúmque de eo iudicium importat, vt patet: ergo directo iudicio mali Angeli, quare & boni iudicandi à Christo sunt.

2 Probatur tertiò conclusio ex 2.Petri.2. vbi dicitur: *si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari.* Vtique iudicandos, & puniendos, vt exponunt Augustinus 11.de ciuitat. Dei. c. 33. & lib. 21.c.23.& lib.de natura boni.c. 33. cui sententiæ accinit S. Andreas Apostolus apud Abdiam Babylonic. lib. 3. Confirmatur: quia, licet ex hoc loco malè intulerint Iustinus Martyr, Irenæ. & reliqui Patres citati cert. 1. num. 2. Dæmones vsque ad diem iudicij igne inferni cruciandos non fore: ast bene reseruari in iudicium vniuersali Christi cruciendos intelligunt, siue, vt crucientur: ast iudicium de alicuius cruciatibus directum est: ergo iudicio vniuersali Dæmones à Christo iudicabuntur. Dixi bene construi, & intelligi ab eis Patribus Petri locum, vt in diem iudicij reseruandi Dæmones dicantur cruciandi, siue, vt crucientur. Licet enim statim, atque peccarunt, priuato iudicio iudicati à Deo fuerint, atque in gehennam ignis immissi, sicut homines in peccato ante Christum morientes, non tamen iudicio vniuersali, quo, & cum his iudicabuntur à Christo, perpetuóque in Inferno recludentur, & carcerabuntur, ne in hunc prodeant mundum. Sicut Apocal. 12. & 20. Diabolus, qui seducebat eos dicitur: *missus est in stagnum ignis, & sulphuris vbi, & Bestia, & Pseudo Propheta cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum*: atqui homines, Christi etiam antecessores, dum iudicio illo vniuersali de suis cruciatibus æternis sententiam audient, directè iudicabuntur, licet longè antea iudicio priuato fuerint à Deo damnati: ergo, & Dæmones directè tunc iudicabuntur.

3 Dico secundo: Angeli omnes quod præmium, & pœnam suarum actionum essentialem iudicio illo vniuersali à Christi Domini humanitate iudicabuntur. Habet eosdem Patronos. De eorum pluribus constat ex peculiari ratione data ex nostris principiis pro tertia sententia cert. 1. num. 3. quia exceptis custodibus, & tentatoribus Protoparentum nostrorum, Angelis omnibus gratiam, primam etiam auxiliantem, ne laberentur Christus fuit, quà homo, promeritus: ergo iudicium de eius bono vel malo vsu ad ipsum spectat. Probatur secundo: quia nequit iudicium pœnæ cruciatuum ob prauam actionem alicuius ad aliquem spectare, quin de tota eius malitia iudicium ferendum sit: ac proinde de toto demerito, & pœna ipsi debita, cuius precipua pars est pœna essentialis: atqui iudicium pœna cruciatuum ob transgressionem malorum Angelorum ad Christi humanitatem spectat: ergo, & iudicium pœnæ essentialis illorum: ergo, & præmij essentialis, & accidentalis bonorum: tum quia indecens Christum hominem esset de solis malis Angelis iudicare posse: tum quia ad bonorũ honorem pertinet publico illo vniuersalis iudicij plausu, & laude præmiari. Probatur tertiò: quia vniuersalis iudiciaria potestas, etiam in Angelos humanitati Christi est possibilis, atque ipsam maximè decet: ergo ei fuit de facto concessa. Probatur quartò: quia ex Angelis, & hominibus vna moralis, & spiritualis Respublica coalescit: ergo oportet, vt tota sub vno, vtrorumque, quoad præmium, & pœnam, Christo qui omnium Princeps, & Rex est, iudice sit.

4 Duo opponi hæc possunt. Primum: quia iudiciis particularibus Angelorum Christus iudex non est: cum ante ipsum fuerint peracta, & absoluta: iudicium autem vniuersale iudicium proprium non sit, sed particularium propalatio, & euulgatio, quæ iudiciariæ potestatis actus non est. Sed obiectio hæc multum probat, scilicet vniuersale iudicium non esse proprium actum iudiciariæ potestatis hominis Christi, quod est erroneum, contra expressa Scripturæ testimonia, quæ saltem omnium hominum, etiam antecessorum Christi iudicium proprium vniuersale habendum, quorum iam à Deo priuata habita fuere, manifestè statuunt. Qua de re q.3. cert.1. secundùm: quod Christus solùm dicatur iudicaturus viuos, & mortuos, scilicet homines non autem Angelos. Sed nunquid in viuis Angelis intelligi nequeunt? Secundò, licet non intelligantur, solùm euincitur ibi expressum non esse iudicium futurum à Christo de Angelis: ast alibi citatis testimoniis continetur, atque illo Ioan.5. *omne iudicium dedit filio.* Denique dices: de eis solùm posse Christum iudicare, quorum gratiæ author fuit: ast non fuit gratiæ omnium Angelorum per nos. Respondetur posse quidem de eis eo titulo, sed de eis, & reliquis obrationes datas.

QVÆSTIO III.

De actibus iudiciariæ potestatis humanitatis Christi.

DVO sunt vniuersim iudiciariæ potestatis creatæ actus: Alter discussionis causæ per testes, qui in Dei, atque humanitatis Christi iudiciis locum non habet. Suo enim modo vterque nostrarum actionum intuitionem habet, eáque omnes iudicandis instantaneè in memoriam reuocabit, vt propterea Malach.3. dicatur *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis* iuxta Theodoret. & Hieronym. ibi, atque Augustinus 2. de ciuit. c.26. licèt, vt prauis nihil in eo iudicio occultum fore suadeat iudicis exacti in causæ discussione ad instar se gesturum Deus dicat Ioel.3. Isai.43. ac Christus Matth.25. quare diuisio iudicij Dei, & Christi, in discussionem, & sententiam tradita ab Ambros. serm.20. in Psalm.118.vers.2. Hilar. enarrat. in Psal.1. Basilij hom. in eundem Psal. ad id *Non resurgent impij in iudicio*, & Gregor. M.26. moral.c.20. impropria est. Cum discussio solùm metaphoricè Deo, atque homini Christo conueniat. Alter actus iudiciariæ potestatis est ferre de causa discussa sententiam, qui propriè, & Deo, & Christi humanitati potest competere. Diuiditur autem hic actus communiter in actum iudicij particularis, statim, ac iudicandi statum viatorum, merendíque, ac demerendi egrediuntur, atque iudicij vniuersalis ad mundi finem habendi, & de vtroque examinare oportet, an actus propriè iudiciariæ potestatis humanitatis Christi sit. Sed prius vtrumque iudicium statuendum est.

CERTAMEN I.

Iudicium vniuersale statuitur.

1 VNiuersale iudicium futurum à Christo Domino esse ea omnia suadent, quæ pro potestate iudiciaria hominis Christi, siue in Angelos, siue in homines ex Scriptura, & Patribus protulimus, nec locum dubitationi reliquit Catholicis Christus Dominus in Euangelio: vbi ipsius iudicij à se habendi formam rigorem, & reliqua præter diem adeò minutè, non semel designauit, vt non tam futuri prænuntium, quam præteriti exactissima historia, quæ rem ipsam oculis præsentem faciat proposuisse videatur. Quod autem vniuersale illud iudicium, & proprium iudicium sit, & actus proprius iudiciariæ potestatis, docent Patres, & Theologi omnes ad vnum: atque est planè dogmaticum sæpiúsque in Euangelio expressum, iisdemque Scripturæ testimonis expresse traditum. Etenim iudicium propriè actus proprius iudiciariæ potestatis est: atqui vniuersale iudicium propriè eis locis traditur expresse ab Scriptura: ergo traditur expresse ab Scriptura actus proprius iudiciariæ potesta-

tis in illo. *Minor* probatur primo: quia iudicium vniuerſale traditur expreſsè ab Scriptura ſine vlla limitatione, vel adiuncto, ex quo impropriè eam vocem accipi denoteturitem nullibi aliàs in Scriptura eſt aliquid ex quo impropriè vſurpandum eam vocem locis illis ſuadeatur: deinde nullum ex propria eius vocis acceptione abſurdum in Theologia infertur:ergo propriè eſt accipienda:ergo propriè eſt in eis locis traditum, & intelligendum iudicium. Probatur ſecundò: quia in eo iudicio expreſsè dicitur Chriſtus ſententiam prolaturus in cauſis omnium: atqui hic eſt actus proprius iudiciariæ poteſtatis.

2 Sed tamen grauis contra hanc Catholicam veritatem ſeſe attollit difficultas ex veritate alia Catholica de iudiciis particularibus. Vt enim cert.2. monſtrabimus, ſtatim, ac vita homines functi ſunt, eorum animæ, ſiue à Deo, ſiue à Chriſto, ex quo hic reuixit, de prauis ac bonis operibus in corpore geſtis iudicantur: atque vtrorumque mercedem gloriæ, vel inferni tormenta quiſque ex ea ſententia ſubit: ergo in vniuerſale iudicium integrum ius dicendi ſententiam de eiſdem cauſis non ſeruatur: imò nihil in eo iuriſdictionis exercebitur. Probo conſequentiam: quia prolata ſententia particularis, nec reuocari à Chriſto poteſt, nec confirmari: præcipuè, quæ à Deo de animabus hominum anteceſſorum Chriſti prolata eſt: à quo ſupremo iudice non eſt ad hominem Chriſtum, qua talem, inferioris poteſtatis, & dignitatis iudicem prouocatio, ſiue appellatio, quæ firmius iudicium, & ſententiam Dei reddat. Quæ actiones ſolùm videntur à iudiciaria poteſtate Chriſti poſſe procedere: imò neque ſententiæ illius particularis intimatio, ſiue denuntiatio ad animas iudicatas reſtat facienda: cum in iudiciis particularibus poſt hominis obitum habitis vel habendis, cuique animarum ſententia à iudice Deo vel Chriſto iudice intimetur, eamque vnaquæque audiat, ita vt deinceps de ſua ſorte anxia, dubiaue eſſe non poſſit: ergo in illud iudicium vniuerſale ſola euulgatio ſententiæ illius in vnamquamque latæ priuatim facienda reſtat; ſorſque vniuſcuiuſque bona vel mala propalanda: atqui euulgationis huius actus poteſtatis iudiciariæ non eſt, ſed Scribæ potius, vel præconis: ergo vniuerſale illud iudicium non eſt actus proprius iudiciariæ poteſtatis, ſiue proprium iudicium, ſed ſolùm iudicium, quoad apparentiam.

3 Neque ſatis eſt, ſi dicas euulgationem illam ſententiæ particularis nomine alterius factam non eſſe actum poteſtatis iudiciariæ, ſed ſcribæ, vel præconis; ſecus autem ſi nomine proprio fiat, & imperatiuè, nec ſolùm recitatiuè, vt facienda à Chriſto dicitur illis verbis *ite maledicti in æternum* &c. & *venite benedicti Patris mei* &c. etenim, cum erga anteceſſores homines Chriſtus Dominus, qua homo, ſententias particulares non tulerit, aut protulerit eas nomine proprio, &, quaſi ex ſua poteſtate, non niſi quoad ſpeciem poterit euulgare. Reſponderi tamen facilè his poteſt in iudiciis priuatis hominem totum, nec ſententiam audire, neque in ipſum Dei ſententiam ferri, ſed ſolùm in animam, quæ dubio procul homo non eſt, ſed pars eius fuit, eritque in reſurrectione, ac deinceps per æternitatem. Etenim, cùm in mortis inſtanti, in quo primo homines non ſunt, & iudicentur homines priuatim, & particularis Dei feratur ſententia, non homines iudicantur, audiuntque ſententiam, ſed animæ, quæ quia in hominis republica caput princeps, & moderatrix corporis fuit, ſtatim, ac gubernatione decedit, merito, licet anticipato ad iudicium, & ſententiam in totum hominem ferendam, audit, incipitque pœnas luere. Si ergo ſola anima iudiciis priuatis iudicatur, poſt reſurrectionem verò totus homo ex anima & corpore conſtans, quod antehac iudicatum non fuerat, ſententiámque non audierat, aliquid profectò iudiciariæ poteſtatis Chriſto homini exercendum in vniuerſali iudicio erga homines relinquitur: ac proinde iudicium illud, non pura euulgatio ſententiæ alterius iudicis, ciúſque nomine faciendæ, ſed vera, ac ſtricta ſententia humanitatis Chriſti proprio nomine, authoritate, & poteſtate facta cenſenda eſt.

4 Sed verò in Angelis, quos propriè vniuerſali iudicio iudicandos, vtpote iudiciariæ poteſtatis Chriſti ſubditos à nobis deſignatos,recrudeſcit difficultas. De eis enim ipſis omnino iam priuatim iudicatis nõ apparet,quo pacto ſententia quæ propriè ſententia ſit, ferri poſtea vniuerſali iudicio ab humanitate Chriſti,dicive proprio nomine quean:ac aliquid præter euulgationem ſententiæ alienæ,ſcilicet Dei,ciúſque nomine,quæ actus proprius iudiciariæ poteſtatis non ſit, contineat. Cui tamen difficultati tripliciter occurri poſſe videtur. Primò: ſi ſententia illa Dei tantum ſit lata in Angelos (& idem de animabus anteceſſorum Chriſti dici poteſt) vſque ad tempus iudicij vniuerſalis, quo à Chriſto ſimilis pœnæ, vel præmij per æternitatem duraturi ſententia feratur: quam poſterius natura Deus, vtpote ſupremus omnium iudex confirmat. Id quod videtur ſatis indicare locus Petri datus q.2.cert.2.num. 2. *rudentibus, inferni detractos in terrarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari.* Secundò: ſi dicatur ex libero Dei decreto huius priuati Dei iudicij confirmationem Chriſto homini eſſe reſeruatam,cum omne Dei iudicium datum à Patre eſt. Tertiò: ſi dicatur anteactum hoc priuatum Dei iudicium non niſi poſterius natura ex præuiſo Chriſti hominis, qua talis vniuerſali iudicio, & ſententia habitum adeò fuiſſe: atque in viuerſalis illius confirmationem. Denique dici planius poteſt in priuato iudicio licet pœna, vel præmium operis taxata ſatis fuerit; at reipublicæ creaturarum rationalium, & publicæ vindictæ non eſſe ſatisfactum: quare ſimilem ſententiam proferendam à Chriſto eſſe cum eis ſolemnitatibus, quæ priuatis ſententiis defuerunt: aſt vindicta, & ſatisfactio publica actus proprius iudiciariæ poteſtatis planè eſt.

CERTAMEN II.

Iudicia particularia ſtatuuntur.

1 DIcendum eſt contra Lactantium Firmian.animas corpore ſolutas, ſtatúque viæ egreſſas, Angelóſque omnes ſtatim priuatim iudicari, atque adeo,vel Chriſto homine ſententiam de ſuis operibus audire, præmiúmque, vel pœnam eorum recipere quin dubiæ, ac ſuſpenſæ de ſua ſorte, vſque ad iudicium vniuerſale relinquantur, vt malè ætebat Lactantius 7.inſtitut.c.21.& fortaſſe Ambroſ. 2. de Cain, & Abel. c. 2. & de bono mortis. c.10. atque vetuſti. Concluſio hæc eſt de fide,licet expreſsè in Scriptura nõ habeatur.Illud enim ad Hebræ.9. *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium.* Ex verbis ipſis ſatis de iudicio vniuerſali poſt omnium fere hominum mortem explicaretur cum Oecumenio. Sed tamen, cum reliqui Patres de iudicio particulari poſt cuiuſcúmque hominis obitum eum locum interpretentur: eam concluſionem eo loci contineri dubitari à viro Catholico nequit. Accedit concors Patrum de ea veritate ſententia. Damaſcen. orat. de defunctis. *Aiunt viri diuinitus illuſtrati, quod cum exhalamus ſpiritum, quaſi in libra humanæ opera probantur.* Eandem ſupponunt Aug. de cura pro mortuis agenda c. 12. & M. Gregor. 4. dialogor. c. 36.&38. probantes reuelationes de animarum aliquarum iudiciis ſtatim poſt hominum obitum. Quæ de re in ſanctorum aliorum vitis extant exempla quam plurima.

2 Hanc ipſam veritatem late docent, & probant Auguſtinus idem 20. de ciuit. cap.1. & 2. de anima, & eius

eius Orig.cap.4. vbi habet. *Illud rectiſſimè, & ſalubriter creditur: iudicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oporteat iam redditis corporibus iudicari.* Tertullian.lib. de anima cap.vlt.Probatur ſecundo: quia Patres animarum eorum, qui ante Chriſti mortem obierunt concordes ſtatus tam loco, quam mercede pro factis in vita diſtinxerunt. Dionyſ.6. de Eccleſ. Hierarch. Aug. in Enchirid. cap. 108. & 109. lib. 13. de ciuit. cap. 10 tract.49. in Ioan.S.Ignatius Mart. epiſt.ad Roman.Ambroſ.lib.7.epiſt.59. lib.10.epiſt. vlt. Irenæ.lib.2. c.652. & 63. at, niſi præuio earum iudicio, finitiſque earum cauſis,ea de animarũ loco,& ſtatu diſtinctio non oportebat. Id quod ex hiſtoria epulonis diuitis, & Lazari Lucæ 10.indubitatum cenſet Ireneus, & Auguſtin. citato loco de anima verbis hiſce: *quis aduerſus Euangelium tanta obſtinatione mentis obſurduit, vt in illo paupere, qui poſt mortem delatus eſt in ſinum Abrahæ, & in illo diuite, cuius infernus cruciatus exponitur iſta non audiat, vel audita non credat?* Quid clarius?

3 Probatur tertio ex Eccleſ.11. *facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique iuxta vias ſuas, & in fine hominis denudatio operum illius.* Quibus, & iudicium, & retributio vniuſcuiuſque, ſtatim, ac moritur, continetur.Quarto: quia iuxta diuerſitatem ſtatuum, in quibus homines decedunt,triplex animarum ſtatus & locus deputatus ab Eccleſia Catholica tota recognoſcitur: & eorum, qui in gratia ſine vllo debito pœnali decedunt, gloria, & cœlum ſtatuitur iuxta ad Corinth.5. *Scimus, quia, ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, æternam in cælo.* Vnde ad Philip.1. num.23. *cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto* aiebat: ſtatim nimirum poſt diſſolutionem mortis, alias enim deſiderabilius, melíúſque eſſet non mori ſtatim, ſed mereri: eorum autem animis, qui in peccato, infernum, & cruciatus eſſe docet Eccleſia: eorum demum, qui in gratia, ſed non cum plena pro delictis pœnali ſatisfactione Purgatorium animis eſſe ait,quas & ſecuras, certáſque de ſua beatitudine credit, licet non de cruciatuum ſuorum duratione determinatâ. Quod ſolum fortaſſe voluit Ambroſ. dum animas incertas de ſuo ſtatu docuit, vſque ad vniuerſale iudicium ex locis Eſdræ 4. cap.5. & 6. vbi id ſolum de animabus Purgatorij aſſeritur: at omnium harum animarum quoad præmium, vel pœnam ſuámque ſortem certitudo, ſpes, ac deſperatio nonniſi ſententia à iudice audita, haberi poteſt, præterquam decedentium animis cum ſolo originali, qui fortaſſe ſententiam non audient, certíque aliunde à Deo fient de ſui ſtatus, quem ſibi connaturalem iudicabunt perpetuitate.

4 Ratione eadem veritas probatur: quia viæ ſtatũ finito,in hominibus per mortem, vnicuique, ſiue Angelis, ſiue homini, merendi ac demerendi tempus finitur: ac proinde & vniuſcuiuſque cauſa eſt concluſa: ergo ex natura rei ſtatim erit iudicium de cuiuſque actionibus, meritíſque à Deo, vel eo, cui per Deum incumbit, habendum, ferendáque ſententia: atqui, vt contra rei naturam differatur nulla eſt ratio; ſed plures potiùs, vt iuxta rei naturam ſtatim feratur ſententia: atque in animas decedentium in mortali cur ſtatim ferri ſententia ante iudicium vniuerſale debeat oſtendimus cert.1. num.3. ſub med.Decedentium vero in gratia animis non eſſe differendum iudicium ſuadet primo, quia æquum non eſt, vt finito certamine adeo difficili, in quo ſtrenuè adeo animæ ſe geſſerunt,æquales tandiu cum peccatoribus in ſtatu formidinis, dubitationis, & anxietate de ſua ſorte relinquantur.Maximè cum eis oriunda neceſſario afflictio neque ipſis ad ſalutem, neque Deo ad gloriam inſeruire queat; quin prolixa adeo præmij dilatio Deum difficilem, & moroſum remuneratorem argueret, non ſine aliquali iuſtitiæ, nedum facillimæ ſuæ miſericordiæ iactura.

5 Ex his liquidò apparet tempus priuatorum horum iudiciorum eſſe primum inſtans, quo primo Angeli, & homines viatores eſſe deſierunt: quod in hominibus,vt diximus, eſt primum mortis inſtans, in quo & iudicium, ſiue ſententiam audiunt animæ, & præmium reportant: quare iudicia, quæ aliquo poſt mortem tempore facta referuntur in nonnullis viſionibus ab Aug. de cura pro mortuis & Gregor. M. 4. dialogor. cap.3. & in vita S. Brunonis, & Sancti Ioannis Elemoſinarij apud Leontium. Atque ea, quæ à Cyrillo de exitu animæ, Leontio, & concionatoribus dicuntur decedentium animas ſeparatas aliquandiu à dæmonibus accuſari, ab Angelis defendi, atque de cauſæ exitu incertas hærere horrore plenas, vere quidem quoad ſubſtantiam, non quoad modum indicij, quod ſine vlla diſcuſſione, atque inſtantanèe fit, dicuntur: appoſitè quidem, vt tremendi illius iudicij metus hominibus ingeneretur. Alia item iudicia priuata, quæ à ſanctis viris viſa leguntur apud Gregor.4. dialogor.cap.8. Bedam.5. hiſt.Anglic.Ioan.Climac.gradu 7.Scalæ Paradiſi cum cauſæ diſcuſſione exactiſſima, atque ſententia moribundi necdum tamen mortui rei, ad ſpeciem ſolum iudicia fuere ex fine incutiendi hominibus iudicij horrorem, atque vt viuentibus iudicij diuini rigor, ac dilatæ pœnitentiæ metus incutiatur: cum enim ante mortem nullius cauſa finita, concluſáque ſit, non poterat vera ſententia ferri. Permittebat igitur Deus dæmonibus, in durorum peccatorum aliquot pœnam, vt ea omnia ipſis repræſentarent, atque illos eiuſmodi repræſentationibus in deſperationem ſalutis vrgerent, agerentque.Iudiciorum priuatorum, quæ à Deo ante Chriſti mortem habita ſunt nulla eſt difficultas. Sed de his ſolum, quæ à Chriſti humanitate ſunt habita, vel habenda. Diſcutietur autem commodiùs cert.3:

6 Sciendum denique eſt iudicia alia diuina particularia eſſe præter ea, quæ in inſtanti egreſſionis ab ſtatu viatorum creaturis rationalibus vſu venit: quæ quidem occulta Dei iudicia dicuntur, atque hominibus adhuc viuentibus accidunt ſæpè. Dicuntur autem occulta, & ſecreta Dei iudicia, quia reis non denuntiantur à Deo iudicãte;ſed de Dei in ipſos ſententia, & iudicio inſcij homines pœnas luunt: quod in iudiciis priuatis poſt viæ,ſeu vitæ finem à Deo habitis nuſquam contingit, in quibus ſemper ſententia ſic iudicatis denuntiatur. Sunt autem ea priuata, & ſecreta Dei iudicia, in quibus Deus ob venialia etiam peccata ſpecialibus & efficacibus auxiliis, aliiſque gratiæ ſuæ donis homines priuat; vel ob bonum gratiæ vſum vberioribus cumulat gratiæ ſuæ donis. Sic ſæpe Scriptura ait Deum homines deſerere, excæcare, atque obdurare ob peccata;contra vero virtutis ſtudioſis, & in ſanctitatis exercitio induſtriis viris opem ferre,ampliorãque gratiæ dona conferre. Vbi autem præmium ob merita, ac pœna ob demerita à Deo confertur: iudicium abeſſe non poteſt:Quare Auguſt.20.de ciuit.cap.1.ac reliquíque Patres ſub priuato iudicio duplex iudicium diſtinguntaliud poſt hominis vitam, aliud viuente homine iudicato, quod & occultum appellant, vt dicebamus.

CERTAMEN III.

Iudicia particularia plura, non tamen omnia ſunt à Chriſti humanitate.

1 DIco primò. Plura iudicia priuata directa de operibus, eorúmque mercede rationalium creaturarum ab humanitate Chriſti non fuere. Probatur concluſio: quia ante Chriſti aduentum Angeli omnes, atque homines plures iudicati ſunt: quo tempore à Chriſto nondum exiſtenti iudicari priuato illo iudicio non potuerunt: quare illud à ſolo Deo pe-

ractum fuisse certum est. Id quod tam de iudicio priuato, cum primum illi viatores esse desierunt habito: quàm de iudicio alio priuato, quod occultum nominatur; habetúrque de iis, qui adhuc viatores existunt, intelligendum est: cum æque de verisque iudiciis ratio facta probat, vt consideranti patebit. Verùm quoad accidentale præmium, vel supplicium post Christi aduentum, & præcipuè ipsius mortem (v. g. gaudij de pœnitentibus peccatoribus, & denuo saluatis in Beatis omnibus, pœnæque de accessu nouo comdemnatorum in damnatis) de eis etiam, qui antecesserunt habitum iudicium ab humanitate Christi fuit. Id enim Christo, cui omne iudicium traditum à Patre fuit, & Beatis gloriosius est, atque damnatis acerbius: nec ratio assignata pro præcipua conclusione quidquam contra hoc præstat: cum iam Christus, iudiciariáque eius potestas existerent.

2 Dico secundò: priuata omnium hominum, qui post Christi mortem iudicati sunt, iudicia non occulta à Christi humanitate fuerunt. Non est adeo communis conclusio, neque adeo in Scriptura expressa. Eam tamen docent Soarez 3.p.t.2.d.52.sect.2.§. *Tertio omisso* atque à reliquis Theologis prætermissa potiùs fuit, quàm negata. Probatur ex illo Ioan. 5. *omne iudicium dedit filio* similibúsque supra datis: quæ cum de iudiciis, etiam his priuatis non occultis, quæ sub omni iudicio continentur, intelligi sine vllo incommodo possint, Christóque gloriosum, vt homines intelligant Christi misericordia saluandos, vel iudicio damnandos se fore, in ipsiusque reuerentia, & timore viuant, gratúmque etiam quà hominem fatagant habere. Quam sanè rationem Christus Dominus eo loco subiunxit dicens: *vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ad hanc etim conclusionem faciunt prima, tertia, & quarta congruentia datæ q.1. cert.2. num.2.quæ in iudicio priuato non occulto, in quo animæ è vita decedentium sententiam super anteactis suis opeibus audiunt, eandem habent energiam sicut & duæ rationes datæ ibidem num. 1.

3 At dices: si omnes animæ à Christi humanitate iudicantur: ergo, vel Christus ad hominis decedentis locum aduentat; vel animæ ad Christum deferendæ sunt, vt sententiam audiant: atqui neutrum fieri potest: ergo non iudicantur priuato eo iudicio animæ omnes morientium post Christum. Minor probatur; & primò, quòd Christus ad morientium loca non veniat (licet id videatur docere Innocent. 3.2. de contempu mundi. c.43. Euuodphus Carthus. t.3. c.46.) Tot enim hominibus morientibus per instantia singula oporteret Christum in perpetuo esse motu,pluribúsque præsentiis circunscriptiuisreplicaris: atque indicens est iudicem tantum ad iudicandos reos venire, ac non potiùs hos ad ipsius tribunal deferri. Sed neque id fieri potest (vt putare videntur August. de vanitate sæculi. c.1.Bernad.c.2. meditat. Hugo Victor. 1. de anima.c.2. Chrysost. hom. 14. in Matth. &46. ad populum) Etenim ad cœlum vbi Christus est ad dexteram Dei sedens, quò nihil coinquinatum ingredi potest,nequeunt iudicandæ perditorum animæ deferri. Item neque è loco corporum eo mutari instantaneè possunt, vt oportet, vt ibi in primò mortis instanti iudicentur. Respondetur facilè neutro opus esse, vt animæ à Christi humanitate iudicentur, sed satis esse si eleuentur intellectualiter ad sententiam audiendam: id quod Patres primi aduentum Christi ad animas, secundi aduentum animarum ad Christi tribunal apellarunt, vt bene Soar. §. *quocirca.*

Dico tertiò. Iudicia priuata occulta habita cum viuentibus hominibus post Christi mortem à Christi,vel anima,vel humanitate post resurrectionem fuere. Ita Soar. §. citato *Tertio omisso* vers. fin de Christi humanitate post resurectionem. Probatur ex Actor. 16. vbi Paulum, & socios volentes ire Euangelizatum Bityniam: *non permisit eos Spiritus Iesu*: in pœnam, haud dubio, incredulitatis, & duritiei prouinciæ illius. Probatur secundò: quia, cum iudicia hæc occulta circa dona gratiæ, vel suspendenda in peccati pœnam, vel vberiùs donanda in præmium virtutis tota versentur, ad Christum hominem omnis in homines gratiæ fontem, caput, & authorem spectare in primis videntur. Pro hac etiam conclusione faciunt rationes Theologicæ, & prima, ac vltima congruentia datæ. q.5.cert.2.num. 5. & 2.Hæc sanè omnia, quæ de tota Christi humanitate iudicia hæc occulta suaserunt post resurectionem, de ipsius anima in triduo mortis eandem conclusionem suadent. Æquè enim gloriosum vtríque est, æquéque debitum atque æque respectu vtriúsque est possibile.

5 Dico quartò: humanitas Christi, adhuc ante mortem, iudicia hæc occulta hominum præmiatiua exercuit, non autem punitiua eorum, licèt bene poterit punitiua Dæmonum. Triplicem partem habet conclusio. Prima de iudiciis præmiatiuis hominum. Probatur: quia ab instanti incarnationis iudiciariam potestatem ad ea etiam iudicia occulta habuit: atque iudicia hominum præmiatiua non opponebantur, sed conducebant eorum saluti, ad quam hominibus impertiendam ex fine incarnationis, suóque munere Redemptoris Christus homo venit, vixítque, quandiu vixit: ergo ea exercuit quandiu vixit. Secunda pars negatiua de iudiciis occultis punitiuis hominum probatur ex Ioan. 12. *si quis audierit verba mea, & non custodierit ea ego non iudico eum.* Ac rursus. *Non veni, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum.* & c.3. *Non misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed, vt saluetur mundus per ipsum.* In quibus continetur ratio à priori: quia ea iudicia occulta punitiua. Occulta, cum sint de gratiæ denegatione, muneri Redemptoris opponuntur: à quo, quandiu vixit, nusquam, vel leuissimo actu defecit. Tertia pars affirmatiua de iudicio punitiuo dæmonum constat: quia iudiciaria potestas munere Redemptoris illorum, quod nusquam habuit, ab eo exercitio non impediebatur: quare eis optata plura denegauit, atque ab hominum oppressorum possessione nolentes eiecit, aliásque sæpe compescuit. Quod totum ex iudicaria etiam humanitis potestate factum reor.

DISPVTATIO VI.

De adoratione, & cultu debito humanitati Christi.

MVLTA hic Doctores præter rem examinant, quæ disputationem onerent potiùs quàm honorent. Eiusmodi sunt de natura, & diuisione adorationis. Ad quam virtutem adoratio spectet? Quibusnam actibus exhibeatur? internis etiam & insensibilibus, an sensibilibus solùm, & externis? similiáque plura controu. de religione à nobis examinanda d. de adoratione in vniuersim sumpta. Inde tamen pauca, in quibus nulla Doctoribus controuersia est supponenda, quam disputanda nobis in præsentiarum erunt. Adoratio igitur sic generatim definitur: *Honor alicui exhibitus in significationem excellentiæ ipsius respectu honorantis.* Vbi *honor exhibitus* genus est. Vnde August. contra serm. Arrianor. c.23. aiebat: *Honorat omnis qui adorat: non verò adorat omnis, qui honorat.* Quoniam verò excellentiæ, quas præ nobis in aliis recognoscimus, atque honore exhibito recognoscere significamus, diuersæ, etiam de supernaturalibus

naturalibus loquendo (de quibus solùm in præsenti) sunt: pro earum diuersitate diuersas adorationis species diuidimus. Etenim excellentia perfectionis alia est purè increata, & diuina, pro qua adorationem *Latriæ* assignamus: alia purè creata, vt est in Sanctis, & iustis ferè omnibus, ad quam adoratio terminatur: alia, quæ licet purè diuina, & increata non sit, ast Deum concernit, vt Dei Maternitas, ob quam Deiparam adoratione *hyperduliæ* veneramur. Quânam ergo adoratione ex enumeratis Christi humanitas, siue Christus, quà homo, non autem, quà Deus, vel per idiomatum communicationem, adorandus sit, præsens disputatio disquirit, & primò quidem an adoratione *Latriæ.* Quâ in re quid in Ecclesia sit hactenus definitum examinandum prius erit. Deinde autem quid scholasticè similius sit verò. Tertiò an humanitati Christi adoratio duliæ possit exhiberi?

QVÆSTIO I.

Definitane hactenus fuerit adoratio latriæ humanitati Christi exhibenda.

HOC seorsim examinare placuit, tum ob varias doctorum ea de re sententias,tum, vt explorato, quid de fide sit, securiùs, ac liberiùs discursus Theologici circa rem ipsam adorationis humanitati Christi, siue Christo, quâ homini debitæ, procedant.

CERTAMEN I.

Doctorum placita, & historiæ fundamenta ponuntur.

1 VAsquez d.95. c.2. à num.6. definitum putat à Conciliis Alexandrino, & Ephesino I. locis recitandis, humanitatem Christi adoratione *Latriæ* adorandam esse. Huic subscripsere Asseclæ plures, & Bernal. d.69. sect.1. §.1. contra verò nusquam siue ibi, siue alibi definitum esse,docent Gabr. in 3. d.9.q.1. a.2. concl. 3. & 4. & in Can. lect. 3. & 4. Soar. d.53. sect.1. §.*ex hoc principio.* Lugo d.34. num.27. VVadingo.d.12. dub.4. num.34. in eadémque procul dubio sententiá fuere, plerique Theologi, tàm ex antiquis, quàm ex Recentioribus, qui Latriæ cultum humanitati Christi deferendum negarunt, quos infra recitabimus q.2. solùm reprehendendi hic videntur Soar. §. *dico ergo primo,* & VVadingo num.35. quod affirmatiuam partem de mente Patrum, aliud contra Nestorium definientium, esse fateantur: cum quo non stat non esse definitam. Licet enim occasione erroris vnius, aliquid Concilia, & Patres definire possunt,definisséque dicendum est,quoties propositionum, quas definiunt,eum etiam sensum, & Patrum in eis mentem constiterit: quare, si in eis definitionibus sensus, & mens Patrum esse deprehenditur, affirmare humanitatem Christi adorandam esse adoratione Latriæ, affirmatiua pars definita dicenda est. Secundò, quo ausu VVadingo docet absolutè contra recognitam à se Patrum mentem humanitatem Christi non esse adorandam adoratione *Latriæ*; sed, vt res solidè, & exactè tractetur, ad Concilia & Patres veniatur.

2 Nestorius itaque, licet in vnitate personæ Christi fese Patribus opponeret, tamen in adoratione hominis Christi censuit eâdem adoratione, quâ Verbum esse adorandum, licet non eadem indiuidua; sed specie solùm eadem: quin ex hac vnitate, & æqualitate adorationis, & dignitatis vtriusque personæ Christi vnionem moralem hominis, & Verbi, quod in humanitate, seu homine Christi inhabitat, statuebat, vt physicam Catholicam negaret. Constat hæc Nestorij, & suorum sententia ex Cyrillo Alex. in defensione anathematismorũ contra oppositiones Orientalium ad anathematismum 8. in huius, & aliorum expositione. Ex concilio Rom. sub Martino Pap.c.4.& 5. ex Ephesino Concilio can. 8. quocirca Cyrillus non tam de qualitate adorationis, quàm de vnitate personæ, & contra pluralitatem personarum in Christo cum Nestorio decertauit. Quoniam verò Eutyches ex vnitate personæ Christi Catholica vnitatem etiam naturæ per conuersionem vnius in aliam, vel commixtionem, & conflationem vtriusque in tertiam aliam hæreticè docebat,quo verbi naturam mutatam, atque imminutam deteriorísque dignitatis, & perfectionis inferioris videbatur asserere,ita de vnitate personæ Christi etiam quoad adorationem indiuiduè eandem egit Cyrillus, atque cum illo Concilia citata, vt in Eutycherem labi non viderentur.

3 Tria igitur contra vtrumque errorem statuuntur. Primum vnam personam adorari,atque vnica adoratione *Latriæ*, non autem duas, duabúsque Latriæ adorationibus, vt volebat Nestorius. Secundum: contra Eutychetem adorari Verbum etiam, vt vnitum humanitati adoratione *Latriæ*, neque ex vnione, quasi perfectio ipsi aliqua periret, aut decresceret, esse inferiori cultu adorandum. Tertium, Nestorij doctrinam de æqualitate adorationis personæ humanæ, & personæ Verbi, si diuersæ essent iuxta illius errorem, nequaquam posse consistere. Prima duo habentur epist. contra Nestorium 10. Cyrilli Alex. recepta à Concilio Ephesino his verbis: *cauemus etiam hoc modo loqui de Christo: propter eum qui induit, indutum veneror, & propter inuisibilem visibilem adoro*; (quia duo significantur) *sed vnus idémque Christus Iesus, vnigenitúsque Dei filius animo concipitur, qui vna adoratione cum propriè carne adoratur.* Similia habet anathematismus 8. Cyrilli, qui est Canon.8. Concilij Ephesini. 1. *si quis audet dicere hominem assumptum adorari cum Deo Verbo oportere, vt alterum cum altero (Nam qui dicit, cum, manifestè effendit alterum cum altero adorari) & non magis vna adoratione honorificari Emmanuelem, & vnam ei gloriscationem adaptat propter hoc,quod Verbum factum est caro* quasi inde decerioris dignitatis Verbum sit, *talis anathema sit*, atque in eius Anathematismi defensione contra Orientales post multa aiebat Cyrillus: *igitur factus est anathematismus contra eos, qui medis omnibus diuidunt Emmanuelem in hominem propriè, & in Verbum Dei propriè: quem nobis vnum & eundem Theologorum sermo prædicauit.* Neque in his latum discrepat vnguem Concilium Alex. à quo primum Canones, & anathematismi citata Epist. contenti probati ad Verbum sunt. Similia plura habet Cyrillus ibidem, & in defens. anathemat.3. atque Epist. ac Euopt. contra Theodoretum.

4 Cæterùm opponebant Orientales malè reprehendi Nestorium à Cyrillo in defensione 8. anathematismi de particula *cum* quasi supposita in Christo necessario diuidar: quandoquidem ipse in ea, defensione longè dixisset *Verbum vtpote vnus existens filius, cum sua carne adorandum.* Respondet autem ille ibi, & scholiis de incarnat. c.26. particulam *cum* absolutè distinctionem personarum Nestorianam in Christo significare: nemo enim cœnare, ambulare, viuere secum dicitur; ex adiunctis verò corrigi posse, vt non eam significet, sed solùm partium suppositi eiusdem diuersitatem, vt ab ipso fuit præstitum per particulas *cum carne suâ.* Etenim illud *suâ* partem suppositi, & personæ vnius, quæ Christus est, apertè demonstrat. Inde etiam Cyrillus verbis citatis anathematismi 8. inconsequentiam Nestorij obiter carpit de æqualitate adorationis personæ humanæ diuersæ à diuina in Christo, quam nequit facere inhabitatio diuinæ in illa

per gratiam, & affectum, sicut in Elia, & Moyse, adhuc per idiomatum communicationem, ad quam inhabitatio Dei per affectum, & gratiam in homine satis non est: vt longius Nestorianos eâ de re persecutus ostendit latè Cyrillus idem in scholiis de incarnatione cap.27. quare multo misùs sufficere ostendit, vt persona humana diuersa à Persona Verbi ratione eius inhabitationis æquali adoratione cum Verbo adoretur, vt volebat Nestorius. Ex quibus patet Cyrillum, & Concilia contra Nestorium contendere vnam tantùm personam esse in Christo, quæ adoretur adoratione *latriæ*, idque necessarium prorsus esse, vt ea adoratio hominem adhuc per idiomatum communicationem pertingat; ac denique vnione ad humanitatem eam personæ Verbi, quæ vna in Christo est, adorationem non impediri; quare de humanitatis ipsius adoratione latriæ nihil Cyrillus, & Concilia egerunt, nedum statuerunt, sed solum de adoratione personæ Christi.

5 Et hanc quidem interpretationem illustriorem reddunt testimonia duo quæ potissima pro aduersariis iudicabantur ex 5. Synodo gener.collat.8.can.9.qui sic habet: *si quis in duabus naturis*, suppositio diuersis, *adorari dicit Christum*, sicut Nestorius, *ex quo duas*, adorationes, *introducunt separatim Deo verbo, & separatim homini: vel si quis adinter emptionem, vel confusionem Deitatis, & humanitatis*, Eutychianam, *vnam naturam, siue substantiam eorum, quæ conuenerunt introducens, sic Christum adorat; sed non vna adoratione*, qua seorsim & secundum se, *Deum Verbum incarnatum*, quasi incarnatione deterioratum, *cum propria*, non confusa, *ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesia traditum est*: non autem ex tunc traditum est carnem Christi adoratione esse adorandam (quod adhuc est sub lite) sed vnam solam personam Verbi in Christo cum carne, nec confusa, nec conuersa cum Deitate esse adorandam adoratione latriæ, ipsi secundùm se debitæ, *talis anathema sit*. Secundum ex Athanas. Alexandrino, quem sic recitat Cyrillus de fide ad Regin. col.4. & defensione anathematismi 8. *Confitemur esse illum*, Christum, *filium Dei, & Deum secundùm Spiritum, filium hominis secundùm carnem; non duas naturas* suppositio diuersas, *vnum filium: alteram quæ adoretur, alteram, quæ non adoretur; sed vnam naturam Dei Verbi*, id est vnam diuinam personam, *incarnatam adorandam cum carne sua vna adoratione*, qua secundùm se adoranda esset: cum per carnem deterioris conditionis non fuerit effecta.

CERTAMEN II.

Oppositionibus occurritur.

1 EX germanâ hâc Conciliorum, & Patrum explicatione aduersariorum fundamenta facilè subruent. Constat enim aliquid ampliùs definitum ab eis fuisse præter vnitatem personæ contra Nestorium, vt contendit Vasquez num.11. contra Soarez, non autem adorationem latriæ humanitati Christi deberi: in quo non discordaret Nestorius, vt dicebamus cert.1. num.1. sed in eo, quod vna adoratio indiuidua vnius personæ solum in Christo esset. Deinde contra eundem contenditur à Cyrillo, & Conciliis, non posse suppositum humanum, siue personam à diuina diuersam in Christo adorari æquali adoratione, ac diuina; ac proinde non posse in eius sententiâ, vnâ adoratione cum carne Verbum adorari, cum sint suppositia diuersa. Tertio contra Eutychetem statuitur Verbum ob assumptam carnem nequaquam deterioris conditionis, & dignitatis effectum fuisse, ac proinde adoratione eadem, quâ secundùm se Deitas, & persona diuina adorandæ sunt, nempe latriæ, adorandas esse cum carne in Christo vnitæ sunt. Id quod expressiùs adhuc docuit Athanas. orat.5. contra Arrian. sub init. *Nec istiusmodi corpus seorsim discriminatum à Verbo adorationem prosequimur: neque Verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus. Sed cum sciamus, vt dictum est, Verbum carnem esse factum, illud iam in carne situm Deum agnoscimus.* Quid clarius? vnde respondetur facile omnibus Patrum testimoniis de adoratione Verbi cum carne sua, vna adoratione.

2 Sed instat Vasquez non renuentibus Soario, & Vvadingo proximè: saltem indirectam adorationem latriæ humanitatem attingere vnitam de mente Patrum esse: quia Cyrillus immediatè ad sententiam recitatam cert.1.num.4. initio eius rationem sic reddit: *quemadmodum scilicet hominis anima cum suo corpore honoratur.* Atqui animi corpus saltem indirectè eadem adoratione, atque animus: ergo, & caro saltem indirectè eadem Verbi vniti adoratione adoratur. Fateor me adorationem istam indirectam nunquam potuisse percipere: etsi enim ratione Verbi vniti, ac non ratione sui humanitati conueniat, ipsa tamen obiectum, quod adoratum esse debet, & directum ea adoratione, quæ ipsi ob eiusmodi vnionem debeatur, quæcumque illa sit. Respondeo ergo adhuc sub iudice esse an corpus eâdem adoratione, qua anima calendum sit, etiam cum ei est vnitum, vt bene Vvadingo num.34. §. *Probatur secundo.* & vero similiorem esse negatiuam partem, vt ex probatione pro nostra sententia danda q.2. patebit.

Instant ex Epiphanio in Ancorato fol.3. *coadoratur autem cum ipso Rege etiam purpura quam gestat; vbi autem Rex hanc exuit, & in locum reposuit non amplius vestis purpura adoratur.* Eodem exemplo ad rem hanc vsus fuit August. serm.58. de verbis Domini *velut, si quis vestrum, aut purpuram, aut Diadema regale iacens inueniat, numquid conabitur ea adorare? cum verò ea Rex fuerit indutus periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege adorare*, idest coadorare, *quis contempserit.* Respondetur hæc minus vrgere: nam purpuram Regis secundùm entitatem ratione coniunctionis cum Rege non esse æqualis dignitatis cum Rege certissimum est: quatenus autem Regem, cuius insigne est, cum eam Rex induit, non magis adoratur secundum entitatem, quam imago Regis, quæ secundum id, quod est, non adoratur, sed secundum id, quod repræsentat.

3 Secundo, nisi verba horum Patrum decurtata legantur, nil adhuc apparentis præsidij afferent aduersariis. Sic enim immediatè Athanas. cum sibi obiecisset; si saluator corporatus, seu verbum incarnatum adoraturi *ergo adoras creaturam, ipsum corpus*: respondit: *ingens est vesania eorum, qui talia dicunt. Nam Rex purpura indutus ab omnibus adoratur. Numquid ergo purpura adoratur, aut Rex? manifestum est, quòd Rex*: non purpura. Vnde illa coadoratio purpuræ non secundum se intelligenda est, sed vel imaginis Regis ad instar, cuius insigne purpura est, vel sumpta carne, & humanitate pro supposito Verbi ac non secundum se præcisè, sed pro hoc homine, vt reipsa est idem, qui Deus, quin adorationi obsit caro vnita. Audi Augustinum immediatè ad verba obiecta loquentem: *ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à diuinitate suscepta, atque Deitati vnita est: vt non alium, atque alium, sed vnum eundémque Deum & hominem Dei filium confitear*: quatenus eadem persona, quæ filius Dei sine carne fuit, incarnata perseuerat, estque homo, atque adoratur cum homo adoratur. *Denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus, vel Paulus*, id est, si non idem sit Deus, qui homo, *illi ego nunquam credo, nec seruio.* Neque alius est sensus Augustini in Psalm.93. ad id *adorate scabellum pedum eius*: *Nemo carnem Christi manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est quomodo adoretur scabellum pedum Domini: & non solum non peccetur adorando, sed etiam peccetur non adorando.* Quia idem est Deus, qui homo, & scabellum pedum ipsius secundùm humanitatem est, & Athanasij

thanasij de incarnat Verbi. fol.2. *quia increati corpus factum est, ideo eius corpus dicitur, cuius factum est: ac proinde illi sacra offertis, adhibetisque vestram adorationem*, quam diuinam esse subdit: quia ita illius est, vt sit ipsa increata persona, cuius est.

4 Similia de coadoratione purpuræ cum Rege, consúque eodem habet Damascenus pro nostra sententia recitandus q.2. sed,

Instabis exemplo à contrario de timore tangendi ferrum ignitum, cui comparauerat humanitatem Christi cum Deitate Damascenus: vnde ait eadem adoratione cum illa esse adorandam, sicut eodem timore timetur, fugitúrque ferrum ignitum *quod timeo tangere propter ignem coniunctum, atque simul fugio ferrum, & ignem.* Verùm ferri substantia non timetur, sed ignis inclusus, licet, quia in ferro est, externè fugiatur.

Instas secundò ex Chrysostomo hom.5. super Epist. ad Hebr. dicentem. *Reuera magnum, & admirabile, & stupore plenum est carnem nostram sursum sedere, & adorari ab Angelis, & Archangelis.* Sed hic non dicitur adorari latria, sed alia, quæ ad superiorem Angelica dignitatem humanitatis Christi pertineat.

Instabis tamen à Leone 1. ser.1. de Ascensione satis dici debere esse latriæ verbis illis. *Nec vllis sublimitatibus modum*, terminum iustum, *sua prouectionis habituræ*, humanitas, *nisi æterni Patris recepta confessu illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in Filio.* Respondetur sermonem esse de locali sessione, non de adoratione: de gloria verò Dei, cui dicitur sociari, solùm intelligitur sociari materialiter: quia opus non est, vt humanitas absit, vt Deus, cui vnitur adoretur.

Denique dices Trident. sess.13. cap.5. dicere indubitatum in Ecclesia semper fuisse latriam vero Deo debitam Eucharistiæ deberi, quia continet Deum, quem procul dubio continet humanitas. Sed inquiro an inde liceat inferre species Sacramentales; quæ Deum continent secundùm se adorari *latria* deberi? an solum, vt signa, & imagines Christi contenti? extremú hoc Catholice dices: idémque probabis de humanitate; quod sine hoc argumẽto supra nos dedimus.

QVÆSTIO II.

Possitne Christi humanitas adorari adoratione latriæ.

INtegram discursui Theologico reliquit quæstio prima præsentis questionis materiam. Videndum igitur est an humanitas ratione Deitatis vnitæ eo vsque dignitatis excrescat, vt latriæ adorationem mereatur. Neque enim audiendus est Vvicleffus, apud Vvaldensem. 1. doctrinal. fidei a 3.c.99. asserens humanitatem, à Verbo etiam dimissam, latria, vtpote Redemptorem adorandam esse; in quo, & errat, & implicat: cum à sola Deitate vnita possit esse Redemptor.

CERTAMEN I.

Negatiua sententia stabilitur.

1 LAtriæ adorationem perfectam, Deóque propriâ humanitati Christi deberi docent S.Th. q.25. a.1.& 2.vbi Caietanus, & commentatores. Mag. in 3.d.9. Albert. a.9. §. Bonau. a.1.q.1. Ricard. a.2.q.1. Scotus. q.1. §. *de tertio articulo.* Durand. q.2.num.7. Argent. a.1.fine. Capreol. q.1.a.1. concl.1. Almain. q.1. Maior. q.1. concl. 4. Marsil. q.8. a.2. concl.1. & 2. Vvaldenp.t.3. de Sacramentalib.c.119. Vasquez Soarez, Vvadingo, & Bernal citati q.1. Ex quibus nemo præter Vvadingo §. *dico secundo* directam adorationem latriæ humanitati Christi concedit, sed solùm indirectam, seu coadorationem, quatenus est pars Christi, & suppositi diuini directè adoratio. Quocirca Soar. §. *Secundò oportet* immerito Durandum vitandæ singularitatis reprehendit, quia dixit humanitatem *latriâ* per accidens adorari: cum motum partis ratione totius quod mouetur, motum per accidens Aristoteles appellauerit.5.5.physicor.c.1.quod ipsum de motu intentionali per adorationem siue adorationis dicendum est. Nostram verò negatiuam conclusionem docent Rabbanus sic recitatus ab Alexandro: *Non enim adoramus eam*, humanitatem, *omnino in terram prostrati, nec sacrificamus, sicut Deo, quod nos ex nihilo creauerit, sed quod per ipsum redempti sumus: ideóque dicitur latria communi quadam significatione* (licet ratio hæc satis firma non sit) Alexand. 3.p.q.30.m.2.&4.p.q.2.m.3.a.1.ad vlt. Gabr. in 3.d.q.q.1.a.2.concl.3.& 4.& in cauon. Lect.50.dub.de hac re. Argentina supra a.9. sub finem oppositam Sententiam retractans. Corduba. lib.1.5. dub.3.

2 Probatur testimonio Epiphanij in Ancorato recitato à nobis.q.1.cert.2.vbi cum dixisset coadorari purpuram cum Rege, quare, & carnem cum Verbo objicit sibi: *ergo adoras creaturam ipsum corpus.* Respondet autem: *ingens est vesania eorum, qui talia dicunt. Nam Rex purpura indutus ab hominibus adoratur. Numquid ergo purpura adoratur, aut Rex? Manifestum est quod Rex* non purpura: siue ad rem nostram Verbum carne vestitum adoratur non caro.

Probatur secundò simili testimonio Damasceni.1. de imaginibus versus med. vbi eidem obiectioni respondet. *Non materiam, sed materiæ authorem adoro, qui propter me materia factus est, & in materia voluit habitare, vt per materiam mihi salutem præberet; materiam verò, per quam mihi salus parta est colere non desinam; non tamen, vt Deum.* Et pag.2. dixerat. *Adoro simul cum Rege & Deo corporis purpuram: non tamen indumentum, neque, vt indumentum, neque, vt quartam personam, absit? sed vt, quæ declarata sit Deus, effectáque id, quod vnxit sine mutatione.* Quem locum nescio, qua fronte aduersarij nostræ huic conclusioni opponunt. Etenim in primis corporis purpuram, siue humanitatem, quá Verbum Deus indutus est, negatá se adorari latria, etiam vt indumentum Verbi per vnionem est. Deinde ait ea solùm ratione à se adorari, quatenus declarata effectáque est Deus, qui vnxit: hac autem ratione non humanitas, quæ Deus nec declarata per vnionem fuit, sed homo, siue persona, quæ eadem Deus est: ergo persona, siue habens humanitatem solùm adoranda latriâ dicitur à Damasceno) quæ diuina, ac Deus est, humanitas autem non ita adoranda à Damasceno prædicatur.

3 Vt autem res hæc firmis Theologicis rationibus fundetur, ac simul cunctis paralogismis rationum aduersantium, occurratur animo aduertendum est, quod, in caput etiam suum, obseruauit Vvadingo §. *Nota sublimiorem* eo præstantius excellentiam quamuis & perfectionem ab aliquo participari, quo ipsi arctiùs, intimiúsque coniuncta est. Vnde, quæ physicâ vnione ei iunguntur excellentiora, dignoriáque euadunt iis, quæ localiter solum eidem excellentiæ iunguntur: quare excellentiori amplioríque cultu digna est humanitas Christi Deo physicè vnita, quàm vestes, & ex vestibus inconsutilis tunica dignior. Et ratio est aperta: quia, quo intimiùs forma subiecto iungitur, eo magis sese illi communicat, & ab eo participatur.

Obseruandum inde secundo venit: diuinam excellentiam, & perfectionem nobilius, præstantius, longéque magis participari à Deitate siue à Deo, quàm ab humanitate Christi. Nam licet ab hac per vnionem

physicam habeatur, ac participetur: à Deo tamen, vel Deitate habetur per coniunctionem, vt sic loquar, seu posse ssionem identitatis, qua non solum physice vnum quid compositione constituitur, sed physicè etiam vnum atque idem fit, vt non tam excellentiam habeat diuinam quàm ipsa excellentia diuina sit. Ex quo fit humanitatem esse excellentem diuinè adiectiuè solum, sicut paries est albus adiectiuè, siue habens propriè albedinem; ast Deitatem, vel Deum esse excellentem diuinè subsiantiuè, atque absolutè Deum, quod nusquam habet humanitas, licet eandem habeat Deitatem vnione communicatam.

4 Ex his probatur conclusio: quia cultus latriæ perfectæ solum deferri potest, ac debetur summe perfectæ entitati, non autem entitati perfectæ minùs summè: atqui humanitas Christi, quantumuis vnita Deitati, & excellentiæ diuinæ, non euadit summe perfecta, siue æque perfecta, ac Deus summe perfectus: ergo non debetur, deferriue potest adoratio latriæ. Consequentia est legitima. Maior per se nota: siquidem entitati summè perfectæ adoratio aliqua summa, nempe latriæ, debetur: quæ minùs perfectis entibus reliquis sit improportionata, & excedens: alioqui summè perfectæ entitati non esset æqualis. Minor probata abundè est num. 3. Arguo secundo, quia adoratio latriæ perfectæ excogitata est, & adinuenta ad venerandum Deum, qua Deus formaliter est: ergo est propria Dei, vt Deus est: ergo implicat adorationem latriæ competere alicui, quod realiter formaliter Deus non sit: atqui humanitas Christi, quantumuis verbo vnita, Deus realiter formaliter non est: ergo implicat competere humanitati etiam hypostaticè vnitæ, adorationem latriæ. Hoc argumentum sub his terminis, licet non adeò efformatum continent verba data num. 2. ex Damasceno, & Epiphanio. Confirmatur: quia cultus latriæ est proprius primæ causæ, authoris, ac primi principij, & finis nostri: atqui humanitas vnita talis non est: ergo non potest esse illius cultus latriæ. Mille aliis modis efformari sub aliis terminis hoc argumentum potest, quod tribus hisce instruximus.

5 Soar. §. *Neque contra hanc conclusionem* respondet his rationibus directam adorationem latriæ humanitatis Christi apertissimè impugnari; secùs autem coadorationem eius cum toto Christo, cuius pars est, vel cum Verbo, cui est humanitas vnita, siue adorationem indirectam partis ratione totius, vel suppositi, quod adoratur directè: sicut anima mouetur indirectè, & per accidens impressione impulsus ad corpus directe & per se mouendum ratione vnionis animæ ad ipsum; licet per se, & directe anima eiusmodi impressione non moueatur. Sed contra: quia, licet indirecta ea motio in physicis motibus inueniatur, at verò in motibus intentionalibus, cuiusmodi est adoratio, quæ voluntatis affectum includit, ea solum attingi possunt, in quibus formale motiuum recognoscitur: ergo 2 vt humanitas adorationæ latriæ attingatur, debet in ea eius motiuum recognosci: tunc autem non indirectè, sed directè adoranda esset humanitas: quod fieri non posse conuincitur per te: quia non est summè excellens, adhuc per vnionem, humanitas, neque Deus, neque prima causa. Respondere possis ex Vvadingo §. *vestes vero*. latriam Verbo vnito exhibitam ferri in humanitatem sibi vnitam confusè. Hoc quidem verius dicitur; adeo enim confusè fertur in illam, vt neque intellectu dispici, percipiue queat, nedum explicari, nisi modo, quo vestes Christi adorari ibidem ait: quatenus eis denudari Christus, vt adoretur non debet: at hoc non est vestes simul adorari latria cum Verbo, aut Christo, sed eam adorationem Verbo non impedire, vt supra docebamus.

CERTAMEN II.

Eiusdem veritatis vlterior probatio consistit, communis aliæ mutat, & corollaria quædam statuuntur.

1 PRobari vlteriùs solet nostra conclusio à pari: quia, licet humanitas Christi habeat per vnionem Deitatem & sanctitatem substantialem diuinam, sitque sancta adiectiuè diuinè, quia tamen est sancta diuinè subsiantiuè, neque Deus, quare neque amabilis æque atque Deus ipse, non potest amari amore super omnia creata, sicut Deus: cum supra ipsam humanitatem amabilis non sit: ergo licet eadem humanitas habeat per vnionem adiectiuè excellentiam diuinam, quia tamen eam subsiantiuè non habet, neque est Deus, non erit adorabilis super omnia, scilicet adoratione propria Dei, & summa, nempe latria.

Dices primò: amorem esse affectum purè internum, & præcisiuum, secus adorationem, quæ externo actu summissionis, qui præcisiuus non est, consummatur. Sed contra; quia adoratio actu interno summissionis potest consummari: quare, & esse purè internus, & præcisiuus actus potest. Secundo: quod actus externus summissionis, quo aliquando, vel semper adoratio consummatur, sit adoratio, habet ex affectu interno summittendi se ob excellentiam personæ adoratæ, tanquam ob formale motiuum: at hic affectus æque internus, & præcisiuus est, atque amor: ergo, si nequit amari humanitas super omnia, quia amor præcisiuus est motiuorum, atque in humanitate abest motiuum amoris super omnia, nequibit ex affectu illo interno æque præcisiuo adorari humanitas Christi: vel, si ex eo affectu potest adorari super omnia, ob sic habitam excellentiam diuinam, poterit & amari super omnia ob eodem modo habitam Deitatem & sanctitatem diuinam.

2 Dices secundò, amore super omnia velle nos Deo bona intrinsece possessa identicè, quæ ita velle humanitati non possumus, cum quæ nusquam identificantur; adoratione vero super omnia solum velle nos eum cultum aptare toti Christo, eiusque humanitati, quam includit: quod valde est diuersum. Sed contra: quia adoratio super omnia debet esse ob excellentiam diuinam intrinsecè, atque identice possessam: non secus, atque amor super omnia ob bonitatem intrinsecè possessam, atque identicè: ergo non magis exhiberi cultus, etiam externus eo affectu, & motiuo (ex quo vnitas adorationis desumenda necessario est) valebit, quàm amor. Respondet tertio Lugo: amorem super omnia ob bonitatem diuinam identicè esse debere, secus coadorationem, quæ potest esse ob excellentiam non intrinsecam identicè. Sed an aliquid discriminis assignatur inter coadorationem, & adorationem? si assignetur idem assignandam erit inter amare, & coamare: quare inferetur humanitatem Christi coamari ob bonitatem diuinam nõ intrinsecam identicè humanitati: si non assignetur, manet integrum argumentum. Bernal fatetur paritatem esse irrefragabilem; at verò negandum esse antecedens: quia amatur humanitas Christi amore Dei super omnia, id est eodem amore, quo amatur super omnia Deus, licet quatenus ipsam pertingit secundario ratione deitatis vnita super omnia creata non sit. Atque eodem modo adoratur secundario adoratione latriæ, qua Deus, cui vnitur principalius adoratur. Sed hoc non est adorari humanitatem adoratione latriæ super omnia creata, propriaque Dei formaliter, neque amari super omnia formaliter, sed solum latria, & amore super omnia materialiter sumptis: quia in eundem affectum adoratio, & amor superior, & inferior confluant, de quo non est quæstio præsens. Sed an latria, siue adoratione super omnia formaliter, qua tali adorari humanitas Christi

Christi possit? quod hæc solutio negat: quare dum negat antecedens totum argumentum, & oppositam suæ conclusionem nostram interam concedit.

3 Probant eandem conclusionem alij ex August. 10. de ciuit. c. 20. dicente: *cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat: tamen in forma serui sacrificium esse malit, quâ sumere: ne vel hac occasione quisque existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ.* Vnde arguunt; cuicumque deferri latria potest, potest & sacrificium offerri per Augustinum, & per rationẽ: quia sacrificium est protestatio supremi dominij vitæ mortisque omnium, quod nusquam habet Christi humanitas: ergo humanitati Christi nequit deferri latria. Respondeo primo: sacrificium offerri posse non solum ei, cui deferri latria potest: licet non ex adeo nobili affectu, atque illi cui potest deferri latria, vt iam dicam: quare malè ex eo medio probari conclusionem posse. Ex quo potiùs inferretur oppositum, si verum esset antecedens adiuncta particula *solum*. Secundo nego minorem: quam non probant verba Augustini. Tum, quia non loquitur de humanitate in abstracto, sed de homine in concreto, seu Verbo, quod fuit in forma serui, noluit autem, adorari ne homines, qui illud ibi latens non agnoscerent, creaturis puris sacrificare Christianorum exemplo discerent, atque ad idololatriam animum obfirmarent. Quæ mens Augustini textu ipso adeo claret, vt latioribus argumentis non egeat. Sed, etsi de humanitate ipsa abstractè loqueretur, potiùs probaret oppositum minoris. Cùm enim dicat ex libera voluntate Christi, humana vel diuina ad vitandam occasionem deceptionis & idololatriæ humanæ, non offerri humanitati sacrificium, supponit absolutè illi offerri potuisse. Sed, nec præstat ratio: quia humanitati, vt Redemptrici, vitæque spiritualis omnium, ac vitæ, mortisque æternæ arbitræ & iudici offerri sacrificium posset, licet non ex nobilissimo latriæ cultu & affectu Dei proprio, vt iam explicamus.

4 Cæterùm, licet latria propria, & perfecta deferri humanitati Christi nequeat, vt hactenus probauimus, potest tamen & debet deferri ipsi ob Deitatem, quam vnione habet, latria imperfecta, vel hyperdulia suprema, longe ac pene infinitè superans adorationes aliis omnibus creaturis debitas. Christi autem sanguini effuso, atque ex vnito hypostaticè, si quis est & perseuerat, minùs perfecta debebitur, ac vestibus, quo mediatius, & mediatius Christi carnem contingebant, minùs adhuc & minùs perfecta, quia minùs intimè à Verbo vnito dignitatem participabant. Cruci verò sanguine Christi tinctæ, qua tali, idem cultus debetur qui vestibus, aliisque eodem sanguine imbutis. Cùm autem Crux non solum Christi sanguine deliluta fuerit, sed iam pro humanitatis Christi Cruci affixæ imagine ab Ecclesia Christiana nascente fuerit recepta, eodem cultu, quo ipsa humanitas colenda est, siue potius Christi humanitas in illa; sicuti & Sancti omnes in suis imaginibus. Ipsa item Crux, qua imago est, colenda in se aliquo cultu & adoratione erit, inferiori tamen, quàm humanitas Christi in illa, quia quâ imago humanitatis Christi est, aliquatenus de prototypi dignitate participat, quæ omnia ex notatione 1. cert. 1. num. 2. facilè deducuntur fusiusque singulatim docemus de Religione agentes controu. de adoratione.

QVÆSTIO III.

Possitne Christi humanitas aliunde inferiori cultu adorari?

QVm vnionis hypostaticæ titulo plura supernaturalia dona gratiæ ipsámque hypostaticam vnionem &c. habeat, quæ excellentiæ diuersæ ab excellentia diuinitatis, & Verbi vniti sunt, dubitatur. An ob hæc, quæ inferiores excellentiæ sunt, cultu inferiori latria imperfecta, vtpote illis proportionato adorari Christi humanitas possit?

CERTAMEN I.

Aliorum placita proponuntur.

1 REs hæc longiori, quàm par sit concertatione disputatur à Vasquez & Soarez citandis, atque asseclis vtriusque. Vt tamen controuersiæ difficultas nuda perspici queat, & discursus in ipsam collimet, scire oportebit Vasquez & Soar. in eo conuenire, in quo cordatus nemo dissentiri possit. Nempè humanitati Christi sine vnione hypostatica consideratæ, si id fieri verè & rectè posset, cultum inferioris ordinis deberi, deferrique posse, vt de humanitate Christi *vane* considerata, id est sine Deitatis nucleo docebat Albertus, atque S. Th. 3. p. q. 25. a. 1. ad 1. ex Damasceno lib. 4. c. 3. his verbis *sic intellecta, vt separata à Dei Verbo deberetur sibi adoratio cultus*. Sed differt Vasquez à Soario, & Thomistis; quod hi dicunt id fieri posse verè & ritè per cognitionem præcisiuam humanitatis non cognita vnione ipsius hypostatica. Sed licet præcisiua cognitio humanitatis dari possit, tamen Vasquez benè ait non loqui Damascenum, S. Thomam, & Albertum de cognitione præcisiua: quia ex parte obiecti dicunt debere, vt *separatam* considerari, ac *vane* id est sine vnione: id quod nisi iudicio, & cognitione negatiua vnionis, quæ nec vera, nec licita est, fieri nequit: cum certum de fide sit humanitatem Christi vnitam esse. An verò iudicio & cognitione præcisiua solùm cognita humanitas sub aliis donis adorari dulia, vel hyperdulia possit? ad difficultatem præsentem spectat: quin Damascenus S. Thom. & Albertus de eo quidquam affirmatiuè statuerint, cùm solùm citatis locis loquantur de humanitate Christi ab vnione separata, siue in hypothesi separationis à Deitate.

2 Decertant secundò Vasquez & Soar. atque ex ipsis Recentiores, extra præsentis etiam difficultatis punctum, an humanitas, vt Deificata, siue ob Deitatem adorari queat, quin Deitas ipsa adoretur. Negat Vasquez. Asserit Soar. quem ea in re Vasquiani plures sectantur, in quibus est Gaspar. Hurtado d. de adorat. difficult. 11. consentit Bernal citandus num. 55. §. *dico secundo* ex notatis num. 52. §. *Tertio præmittendum*. Sed malè Vasquiani desertores probant à paritate gratiæ, quæ non adoratur, cùm eius subiectum, scilicet iustus, adoretur: cùm enim eâdem adoratione *latriæ*, quâ Deitas, adoranda est, humanitas ob Deitatem vnitam adoratur in eorum sententia, gratia autem adoratione *dulia*, quâ sancti ob illam adorantur, nequeat adorari, argumentum in eorum sententia à pari est sine paritate vlla: in hunc scilicet modum gratia incapax adorationis, qua ob illam adoratur subiectum, potest non adorari ea adoratione, qua subiectum, cum hoc ob illam adoratur: ergo Deitas capax adorationis, qua ob ipsam adoratur humanitas, poterit non adorari adoratione humanitatis, cùm hæc propter Deitatem adoratur. Ecquis consequentiam non videat, ac sine vlla esse paritate non videat? potest non adorari, quod non potest adorari: ergo potest non adorari, quod potest adorari. Nec fœliciùs probat Bernal num. illo 52. quia medium amatur propter finem, & tamen non est opus, amore medij amari bonitatem finis: ergo poterit adorari humanitas propter Deitatem vnitam, quin Deitas adoretur. Etenim motiuum formale electionis, siue amoris medij, bonitas finis non est: sed sola medij vtilitas ad finem præamatum ob suam bonitatem: quare ex eo, quod hæc amore medij amari non debeat

non infertur non debere adorari Deitatem, cum humanitas ob illam, tanquam ob rationem formalem adorationis adoratur. Imò si paritas teneret probaret, licet non eodem adorationis actu quo humanitas ob Deitatem adoratur, ast simul esse necessario adorandam Deitatem: quemadmodum amor electionis medij, nequit sine amore intentiuo finis consistere.

3 Sin autem nobis, extra rem cum reliquis, ferendum super hoc iudicium sit; censemus contra Vasquez posse humanitatem propter vnitam sibi Deitatem adorari, quia Deitas simul adoretur: Probatur: quia cognita excellentia Deitatis liberum physicè, imò sæpè etiam moraliter est, illam velle adorare, vel humanitatem ipsi vnitam propter illam: ergo possumus velle adorare, vt quod vel ipsam Deitatem, vel humanitatem solam, quin alteram adorare velimus, ob eiusmodi excellentiam Deitatis. Confirmatur: quia ex duobus obiectis materialibus ob eandem etiam rationem formalem vnum prosequi possumus, quin prosequamur aliud: atqui humanitas, & Deitas, siue Deus duo obiecta materialia adoranda sunt: ergo, licet eadem sit ratio formalis adorandi vtrumque, nempè excellentia diuina, poterimus alterum adoratione prosequi, nempè humanitatem, non profecto alio, scilicet Deitate, vel Deo per adorationem. Addo eâdem adoratione, qua humanitas ob Deitatem adoratur, non posse adorari Deitatem ipsam. Hoc non solùm est contra Vasquez sed etiam contra Soar. & Recentiores reliquos, qui, licet vnam sine alia adorari posse ob Deitatem doceant, tamen vtramque simul, & eadem adoratione adorari posse fatentur. Probatur autem facilè ex nostra doctrina: quia Deitas, ac Deus nequit adorari ob excellentiam Deitatis nisi adoratione latriæ perfectæ, & summa adoratione per omnes: atqui humanitas etiam ob Deitatem sibi vnitam nequit adorari adoratione latriæ perfectæ, vt ostendimus q. 2. ergo Deitas nequit adorari eadem adoratione, qua adoratur humanitas ob deitatem.

4 His igitur expeditis priùs, ne præsentis difficultatis decisionem confundant, circa proprium quæstionis huius punctum censent plures humanitatem ob alia dona supernaturalia, atque creatas excellentias posse adorari cultu inferiori eo, quo ob Deitatem vnitam adoretur. Ita docent Thomistæ loco citato 3. p. Palud. in 3. d. 9. q. 2. Scotus q. 1. §. *quantum ad istum articulum*, & ad 1. Durand. q. 3. Almain. q. 1. concl. 4. Gabr. q. 1. a. 2. & lect. 50. super Canon. Corduba lib. 1. q. 5. dub. 3. Henric. quodlib. 10. q. 6. Picus Mirandula. q. 5. Apologiæ. Canis. de B. Virgine c. 15. omniúmque pugnacissimè Soar. d. 54. sect. 3. §. *contraria sententia* cum assecl is, VVadingo d. 12. dub. 4. § *dico tertiò*. Bernal. d. 69. sect. 2. §. 1. num. 53. Ex aduerso verò, adhuc dona alia inferiora Deitate, quæcumque in Christo, siue gratia habitualis, siue vnio hypostatica, sint, non posse eius humanitatem inferiori cultu, quàm ob Deitatem vnitam ipsi debetur, adorari, plures alij docent. In his numera Damascenum, Albertum, & S. Th. n. 1. citatos, licet falso pro opposita citentur; Item S. Bonauenturam in 3. d. 9. a. 1. q. 1. Maior q. 1. ad 4. concl. quatenus asserunt humanitati existenti sine Deitate deberi hyperduliam; quare existenti, cum Deitate, seu non negata Deitate de ipsa deberi cultum superiorem, & Deitatis excellentiæ proportionatum planè supponunt. Expressiùs id docuerunt Catherin: Opusc. de adorat. imagin. col. 4. VValdens t. 3. c. 119. Claudius Sainctes de rebus Euchar. repetit. 9. c. 3. vers. med. Clichtouæ 2. de Euchar. c. 10. num. 5. & 6. Vasquez d. 96. c. 4. quem plures etiam sequuntur, tandémque in eandem sententiam venit Cardinalis de Lugo d. 35. n. 57.

CERTAMEN II.

Vasquij sententia verior probatur.

1 PLacuit nobis semper Vasqui nostri in re præsenti iudicium: cum quo & citatis censemus Christi humanitatem ob alia à Deitate dona inferiori cultu adorari non posse. Placuit etiam in primis probatio eiusdem, licet à paritate sit: quia continet, si penetretur rationem à priori illustrem. Sic autem habet, in cultu vrbano, & polytico non licet Principem inferiori aliquo titulo colere, vel honorare, v. g. compellare Regem *sennoria*, vel *excellentia* hispanè: quia habet dignitatem Regiam superiorem, cui debetur *Magestad*, licet comitis, ducisque inferiores Regia dignitatis habeat: quin, qui illis eum nominibus honoris causâ compellaret, non politicus adorator, sed inurbanus iniuriator haberetur, ac de impudentia puniretur: ergo, cum in humanitate Christi adsit titulus excellentissimus Deitatis, ea solùm adoratione, quam is exigit titulus, colenda necessario erit; nec poterit inferiori, quæ titulis aliis inferioribus respondeat adoratione coli. Respondetur vulgo negando consequentiam, & paritatem. Cùm enim homines animum venerantis non videant, credunt eum, qui politica adoratione titulis minus excellentibus, & inferioribus ipsos honorat, velle eis denegare superiorem titulum, quem habent: at verò cum Christi humanitas fidelis sui adoratoris animum videat, licet inferioribus titulis adoretur, superiorem Deitatis vnitæ sibi ab illo non negari, sed recognosci potiùs, tunc etiam videbit: quare non iniuriæ, sed obsequij loco reponet, cum ob inferiores titulos adoratur. Benè: sed vndenam tam constanti ac perpetua coniectura negari superiorem cultum ab eo, qui minorem solùm defert homines coniectantur: nisi ex ipsa adorationis vniuersim sumptæ natura discurrant? Licet enim colentis animum non videant, si alius esse possit in sic adorantibus politicè temere omnes homines ipsorum animum in deterius interpretantur; quod nonnisi temerè admitti potest.

2 Bernal proximè §. 2. num. 64. ait fundamentum constantis coniecturæ illius esse, quod amici deferre aliis soleant honoris, & cultus, non solùm, quod debeant, sed summum, quod possunt; quare ij qui minùs cultus & adorationis quàm possunt iis deferunt quos adorant ac venerantur, satis ostendunt se in illis superioris adorationis & cultus titulum non recognoscere. Sed contra: quia, si non ex natura adorationis cultus summus, qui in quemque cadere posset, exhiberetur, sed ex affectu amicitiæ, non inferretur eum qui alium ex inferiori & minori summo alium coleret superioris adorationis & cultus titulum non recognoscere sed in eo non se gerere ex perfecta amicitia, vel si mauis ex inimicitia etiam se gerere, licet superiorem titulum in adoratore cognoscat. Contra secundò: quia, etsi quis Regem esse metia fateatur, quem politicè adorat ob titulum comitis, vel Marchionis *Semoria* ipsum compellando imprudens iniuriator, non adorator habebitur: quo in casu, & similibus coniecturæ locus non est. Nulla igitur redditur Vasquiano argumento ratio disparitatis ab aduersariis. Sed quoniam bene arguentibus à pari rationem eandem vtrobique adesse incumbit probare, eam, licet breui, subiunxit Vasquez: quia adoratio natura sua solùm summa cuique possibilis potest, debétque exhiberi quoties adoratur. Cuius veritatis præter exemplum adorationis & cultus politici notati à Vasquez ea nobis ratio à priori sucurrit: quia adoratio natura & essentia sua est actus natura sua supremus honorandi alium, & recognoscendi quantum nobis adoratus excellat: ergo adoratione negamus nobis excellere in gradu superiori eo, quem adoratione ipsa reco

recognoscimus: ergo, si adoratio summa, quæ ipsi deferri potest, non fit, erit iniuria adorati, non autem adoratio, quæ summa ipsi delatu possibilis esse debet. Hinc in cultu & adoratione politica inferior quæque est negatio superioris v. g. *Mercea*, negatio est, vt hispano latino loquar, *sennoria*: *sennoria* est negatio *excellentiæ*: *excellentia serenitatis*: *serenitas*, *altitudinis*: *altitudo* denique est negatio *Maiestatis*.

3 Langueſcunt inde aduersariorum fundamenta: quia, etsi humanitas Christi donis omnibus supernaturalibus, & præcipuè vnione hypostatica formaliter, & secundum se spectata, creaturis singulis, & omnibus longè excellat: ast non eis summè bonis illis excellit, sed longè amplius Deitate, & persona diuina, quàm vnio ipsi affert: quare ex hac sola adorari, & potest, & debet.

Instant aduersarij. Non semper debemus adorare humanitatem ob Deitatem: nunc enim liberum mihi, & integrum est adorare, vel non adorare illam ob Deitatem: ergo, cum nihil adorationis debeam, si adoro ob gratiam habitualem, gratuitum aliquid & gratum humanitati Christi obsequium præstabo. Respondetur, non debere nos esse in continua actuali adoratione humanitatis Christi ob Deitatem, vt probatur: at, quotiescumque adoraturi sumus, debere illam ob summam excellentiam Deitatis adorare, vt nuper dicebamus: quia, licet nunc non debeamus absolutè adorare, si tamen, liberè etiam, adoraturi sumus, debemus ob Deitatem adorare: quare, si titulo inferiori adoremus, spontaneum quid illi præstabimus, non obsequij quidem, sed iniuriæ. Ecce: nec Regem adorare semper debemus: at, si nunc vt comitem, vel Marchionem adoremus, non tam liberam adorationem, quàm vltroneam iactabimus contumeliam. Instant denique. Potest Christi humanitas ob vnionem hypostaticam, & gratiam habitualem amari, & laudari: ergo, & adorari. Patet; quidquid enim motuum amoris est, laudibusque efferri potest, potest & adorationc. Negatur consequentia. quia adoratio non est ob quamcumque perfectionem, sed summa honoratio, ob summam excellentiam adorati præ adorante; amor autem, & laus ab æquali, imò & à superiori ad inferiorem esse optimè potest: vnde probatio consequentiæ euanescit.

4 Probat secundò, nec admodum segniter eandem sententiam Lugo ab absurdo. quia, si quis ob inferiores summas perfectiones adorari posset, posset quidem persona Verbi quatenus habens humanitatem, siue hic homo Christus adorari adoratione duliæ, vel hyperduliæ ob gratiam habitualem: quod est erroneum, cum sit persona diuina Filij. Negat assumptum Bernal: quia persona Verbi non sanctificatur gratia habituali, cuius non est capax, sed sola humanitas. Contra: quia, vt persona quæuis adoretur ob excellentiam sanctitatis, vel quamuis aliam, non est opus, vt personalitas, qua personatur immediatè gratiæ & sanctitatis capax sit, (vt, patet in personalitatibus citatis, in quocumque consistant: siquidem, nec rationales, neque bonitatis moralis sunt capaces.) Sed satis est, si capax vtriusque sit natura, immediatè, & ratione illius tota persona ex natura & personalitate conflata euadat, sitque, & dicatur absolutè sancta: at sic hæc persona Christi, siue hic homo Christus verè est absolutè, dicitúrque gratus, & sanctus habitualiter: ergo, ni aliud obstaret, posset adorari ob gratiam habitualem. Contra secundo: quia licet gratia habitualis non sanctificet personam Verbi: ast excellentia aliquomodo ipsam pertingens est ratione humanitatis assumptæ, quod satis est ad adorationem, atque submissionem in signum excellentiæ respectu nostri Verbo exhibendam. Confirmatur: quia humanitas Christi maternitate non sanctificatur, & tamen in horum sententia adorari à nobis potest ob illam: quia scilicet tantam, tamque excellentem habuit Matrem: ergo, & Verbum, quia tam sanctam habitualiter humanitatem, atque in gratia habituali, ac reliquis donis supernaturalibus excellentem habuit, poterit adorari: imò potius quam ob excellentiam maternitatis, quam vnità sibi humanitas habuit, cùm Verbum, immediato post gradu, pertingat. Confirmatur secundò: quia excellentissima entitas vnionis æque immediatè pertingit personam Verbi, atque humanitatem, quæ ob ipsam colu inferiori, quam ob Deitatem potest per hosce adorari.

5 Dupliciter respondeti videbitur his argumentis. Primò: omnes has excellentias formaliter eminenter contineri in excellentia Verbi, ac proinde ob eas adorari non posse. Vera doctrina, sed qua aduersarij vti nequeant: siquidem, & excellentiæ omnes creatæ humanitatis Christi formaliter eminenter etiam continentur in excellentia Deitatis, quam habet humanitas, quæ tamen ob illas cultu inferiori adorari per ipsos potest. Secundo dices: cum Verbi persona in hoc homine cogitatur non posse dari cognitionem præcisiuam excellentiæ diuinæ, quæ necessaria est, vt ob alia boria, & excellentias creatas humanitas adoretur: contra tamen, quia simultanea cognitio excellentiæ diuinæ liberos nos relinquit, vt ipsam, vel Deum ob illam adoremus, vt cum Soaristis, & Bernale ipso docebamus cert. 1. n. 2. & 3 Quare, licet simul cogitetur, poterit Verbum non adorari ob illam, sed ob excellentias creatas numeratas. Contra secundò: quia adoratio inferior in hac tententia aduersariorum, neque est negatio superioris adorationis, neque illam infert: quare simul poterit adoratio ob excellentiam diuinam, quæ necessario cogitatur, superior. & inferior ob creatas excellentias Verbo vnito deferri. Denique cognitionem præcisiuam dignitatis superioris adorandi, & repræsentatiuam inferioris satis non esse, vt ex inferiori titulo adoretur, facilè ostenditur ab oppositio contemptus, & prælationis respectu eiusdem: ad quæ satis non est illum considerare secundum inferiora. quæ habet, præscindendo à superioribus i alioqui considerato Rege Hispaniæ sub titulo comitatus alicuius paruuli præcisiue ab alijs, posset aliquis è suis dinastis se illi præferre, & iustus quiuis consideratæ humanitati Christi secundum se: quod est blasphemum. Ad adorationem ergo, quæ est natura sua recognitio maioris excellentiæ alienæ, & ad propriam prælationem, & contemptum alicuius præ nobis illi oppositos, qui sunt recognitio excellentiæ maioris propriæ integer status, & aliorum, & nostri, qui re ipsa est, cognosci debet, vt licitè, ac non vanè, vel quis adoretur, vel contemnatur, aut posthabeatur.

CONTRO

CONTROVERSIA OCTAVA.

DE MODIS RITE, RECTEQVE loquendi de incarnatione.

DIFFICVLTATES, quæ in modis loquendi de incarnatione occurrunt duabus disputationibus complectemur. Prima de idiomatum communicatione ager. Secunda de aliis propositionibus, quæ ex communicatione idiomatum non omnino pendent.

DISPVTATIO I.

De idiomatum communicatione.

IDIOMA Græcè idem quod Latinè proprietas, vel proprium valere vulgatum est: quare idiomatum communicatio tantumdem erit in Christo, atque proprietatum vtriusque naturæ communicatio vicissim. Propria autem naturæ cuiusque sunt primò essentialia ipsius: Secundò ipsius passiones, siue attributa: Tertiò quæ ita alteri naturæ contingunt, vt alteri secundum se contingere nequeant. Primo ergo idiomatum communicatio, & in quibus sit, Catholicè statuetur. Secundo quibus vocibus admittenda sit, definietur: concretis solùm, an etiam abstractis? Tertio rationem communicationis huius idiomatum theologicam rigido examine dabimus; deinceps de aliis veritatis huius consectariis difficultatibus disputabimus.

QVÆSTIO I.

An, & pesnes quæ sit idiomatum in Christo communicatio?

DIximus idiomatum communicationem esse proprietatum vtriusque naturæ Christi vnius ad alteram mutuam communicationem, atque inter naturæ propria alia essentialia, alia passiones, & attributa alia, alia demùm ipsi contingentia esse. Nunc ergo an in aliquo, an in his omnibus communicatio idiomatum vtriusque naturæ Christi sit? examinamus.

CERTAMEN I.

Negantes idiomatum communicationem explosi, atque ex parte vindicatus Durandus.

1 IDiomatum communicationem, quæ in prædicatione diuinorum de homine, & humanorum de Deo consistit, mere arbitrariam, & de puris vocibus eius disputationem sine vllo in mysterio incarnationis fundamento hæretici arbitrantur, qui circa incarnationem à vero aberrarunt: vt, scilicet, errorum suorum acrem impugnationem, scilicet, ipsam idiomatum communicationem liberiùs negarent. Nestoriani igitur realem vnionem humanitatis cum Verbo, & vtriusque naturæ in persona vnitatem abnuentes idiomatum communicationem, quæ sine illis esse non potest, obstinato negarunt. Ab his non abiere longè innominati Theologi apud S. Bonau. & Scotum in 3.d.7 art.1. q.1. asserentes *Deum non dici propriè hominem, sed habentem hominem.* Vbi Nestorianè videntur supposita in Christo diuidere, atque exinde idiomatum communicationem negare. Quòd si benignè *hæc* eis, non pro persona humana, sed pro natura (vt propriè potuit, iuxta dicta d. procem. & dicenda hic d. ..) ab ipsis vsurpari dicamus, adhuc infertur contra ipsos, non magis propriè dici apud ipsos *Deus est homo*, atque *Deus est humanitas*: quod est plane erroneum. His annumeratur, non sine graui censura, à pluribus Durandus: quod in 3. d.4. q. 2. n.9. dixerit propriè dici *Petrus est homo*, quàm *Deus est homo*: quia nec de Deo essentialiter, & in quid prædicatur, sicut de Petro, homo. In quarta vero ratione solum videtur concedere Deum proprie dici *humanus*, sed, quod idem est, adiectiuè, nec solum participaliter *humanatum*: id quod de supposito, de quo propriè dicitur *homo*, nequit propriè & verè dici iuxta Durandum ibi. vnde inquit ille Petrus, qui verè, & propriè dicitur *homo*, nequit verè, & propriè dici *humanus*: Quare videtur negare Deum, qui verè, & proprie dicitur humanus, verè, & propriè dici *hominem*: ac proinde, & communicationem idiomatum negare.

2 Ob hæc omnia grauioribus censuris à Theologis grauioribus Durandus accipitur à Vasquez d. 63. cap.2. à Soar.3.p.q.16.art.1. in commentario §. *Tertium dubium*. Sed tamen si illud *propriè* non in tota latitudine, provt omnem propriam acceptionem vocis *homo* comprehendit, sed provt dicit maximè propriam eius vocis acceptionem, vt in prima Durandi propositione continetur, nihil in his censura dignum reperio: imò nihil præter Soarij, & communem iam Theologorum doctrinam. Etenim, vt verè homo dicatur de Deo, vox homo, quæ concretum substantiale substantiuum est, debet sumi adiectiuè, vt dicemus q.3. cum communi Theologorum: atqui, licet iam ex reuelatione mysterij Trinitatis, & Incarnationis ea acceptio propria absolutè sit, negari nequit, quin acceptio substantiua eius vocis sit propior: quia nomina substantiua, substantialia præfertim, natura & institutione sua adinuenta sunt ad significandas naturas substantialiter per modum per se stantis, cum autem adiectiuè vsurpantur eas significant per modum alteri adiacentis: quere non secundum suæ institutionis primæuum significandi modum: ergo, cum adiectiuè vsurpantur & significant, non adeo propriè significant, ac quando accipiuntur substantiuè. Secundo: quia. ea est proprior vocis significatio, quam nomen absolutè prolatum significat, quàm ea, ad quam ex adiunctis aliis, quasi trahitur: atqui concreta substantiua substantialia

substantialia absolutè prolata significant substantiuè: adiectiuè autem solùm ex adiunctis, vt ostendebamus, d.12. de Trinit. q.1. cert. 3. ac rursus ostendemus hic q.3. ergo significatio substantiui concreti substantialis substantiua proprior est, quam significatio adiectiua: quare, de quo substantiuè verè prædicatur homo, pro priori significatione verè prædicatur quàm adiectiuè solùm, vt de Deo: quare in eo sensu nihil peccauit Durandus, dum proprius de Petro quàm de Deo hominem prædicari dixit.

3 In postremo autem, quo negauit hominem propriè non prædicari, de eo, de quo prædicatur *humanus* solum, vt de Deo prædicari dixit, si *propriè* in ea proprietate conereti substantialis substantiui intelligatur, nihil censura dignum docuit. Sed tamen in rebus à Deo grauibus, non ita loquamur, vt propositiones docta explicatione egeant, ne in dogmata offendant. Illud autem graui censura dignum in Durando est, vt benè obseruauit Soarez, quod eadem q.2. subiunxit. Nempe eum, qui credat mysterium incarnationis, vt re ipsa est, sine periculo posse communicationem idiomatum negare: quia, cum rem teneat, licet locutionem neget, non errabit in fide. Sed hoc est erroneum, & contra axioma Theologicum ex Hieronymo peritum: *ex verbis inordinate prolatis hæresis incurritur.* Ratio est prompta, quia, vt hæresis non incurratur, oportet, vt nullis verbis res fidei negetur. Secundò non solùm negando res fidei, sed veritates ex eis euidenter illatas, erratur contra fidem: atqui ex re incarnationis communicatio idiomatum euidenter infertur: ergo ea negata, licet res incarnationis credatur, errabitur contra fidem. Denique non solùm res incarnationis, sed ipsa idiomatum communicatio de fide est, vt statim dicemus: ergo, qui hanc negat, licet rem incarnationis teneat, non solùm contra fidem, sed in fide etiam errabit. Et sanè, si quiuis modus loquendi in mysteriis periculo vacat, vt quid Theologi omnes, atque Durandus ipse tot de communicatione idiomatum, aliisque loquendi modis in hoc mysterio, & mysterio de Trinitate, aliisque, quæ firmiter credunt, quæstiones exarant?

4 Dicendum est idiomatum communicationem esse de fide quoad essentialia. Ita antiquiores Theologi in 3.p.q.16.a.1.&2. Caiet. Cabrera, & reliqui interpretes. Vasquez d.63.c.3. Valent.t.4.d.1. q.16. pun. 1. Lugo d.16. sect.13. Vvadingo d.13. dub.1.§. *dico primo.* Bernal. d.45. sect.1.§.1. num. 11. sect.4. num.94. Ragusa, vterque Hurtado, & reliqui Scholastici, si Durandum excipias. Probatur omnibus scripturæ testimoniis, quibus contra 1.d.1. contra hæreticos ostendebamus Christum verum Deum, verúmque hominem esse, quæ hic ociosè repetenda non erunt. Id probat totum fere Ioannis Euangelium. c.1. *Verbum caro factum est*: id est, vt fit caro, seu homo. Ac sub Euangelij finem totum illud scriptum ait, *vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei.* Epist. 1. canon. concludit de Iesu Dei Filio. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Apostolico, & Niceno Symbolo Iesus *Deus de Deo* dicitur. Passimque Iesu Mater, Dei Mater vera à Patribus, & Conciliis appellatur: quod aliter esse nequit, nisi, quia homo ille Iesus, quem genuit, verus Deus, & sit, & appelletur. Legite Concilium Ephesinum ad dogma Maternitatis huius statuendum coactum. Vbi approbatur Epistola Concilij Alexandrini contra Nestor. quæ est apud Cyril. 10. in cuius Anathematismo habetur. *si qui Emmanuelem non confitetur secundùm veritatem Deum esse, ideóque B. Virginem esse Deiparam Anathema sit* Concil Lateran. sub Martino. 1. consultat. 7. can. 3. *si quis secundum sanctos Patres, non confitetur propriè, & secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque virginem, & immaculatam Mariam, &c. anathema sit.* Synodus 6. act. 11. in Epist. Sophronij. §. *Credo & de hac* docet B. Virginem *propriè, & veraciter Matrem Dei esse.* 7. Synod. gener. siue Concil. Constantinopol. sess. 8. can. 6. damnat asserentes Virginem *abusiuè* Matrem Dei appellari.

5 In eadem vera Dei Maternitate Virgini deferenda Patres omnes conueniunt, quos Propterea tædet referre. Notabò tamen cum nostro Vasquez eos, qui non solùm eam absolutè (quod satis ad institutum erat) Virgini tribuunt, sed cum addito *vere*, ac *propriè* B. Virginem Dei Matrem esse docuerunt. Athanas. serm. de sanctiss. Deipara sub fin. lib. de incarnat. Christi sub init. Elias Cretensis in Epistolam Nazianzeni ad Cledonium, quæ est oratio. 51. eiusdem Anathematismo. 11. Cyril. Alex. Epist. 1, quæ est ad Presbiteros, diaconos &c. vbi hanc esse Apostolorum doctrinam ait, sicque mirabundus scribit: *si namque Deus est Dominus noster Iesus Christus: quomodo Virgo, quæ illum peperit, Deipara non est.* Quibus planè notiorem fidelibus veritatem Catholicam esse faretur, quod homo Iesus Deus sit, quàm, quod B. Virgo sit Dei Mater, licet hoc ex illo euidenter deduci apertè etiam fateatur. Idem Cyrillus Epist. 10. quæ est ad Nestorium, recepta, vt sæpius diximus, à Concilio Alexandrino, & Ephesino. Damascenus eo vsque Dei Maternitatem in Virgine asseruit, vt eam *Deiparam*, non *Christiparam* dicendam docuerit. 3. defide. c. 12. licet reuera Christi Matrem agnosceret; quia Nestoriani *Christiparam* illam dicebant, ne *Deiparam* vocarent. Denique in B. Virginis Dei maternitatem asserendam, docendam, prædicandam, non solùm Patres, & Doctores omnes Catholici, sed & concionatores omnes constanter conspirarunt cum Scholasticis omnibus in 3.d.4.& 7. & 3.p.q.35.a.4. ac peculiaribus tractatibus ea de re, ac de incarnat. & vita Christi. Videantur nostri, B. Canisius de B. Virgine, Franciscus Turrian. lib. 3. de Themate eodem. Vt autem diximus, nisi verè sit, ac dicatur Deus, homo, quem Virgo genuit & peperit, nullatenus ipsa Dei genitrix, Mater ac Deipara dici poterit: quare veritas communicationis idiomatum in veritate Mariana Dei Maternitatis definita procul dubio est.

CERTAMEN II.

Communicatio idiomatum in Christo, etiam quoad reliqua prædicata de fide est.

1 DIcendum in præsentis q. secundo est: quoad attributalia etiam, & contingentia vtriusque naturæ Christi, communicationem idiomatum de fide esse. Ita Scholastici omnes ad citata loca Magistri, & S. Thomæ. Solus Bernal proximè sect. 4.§.2. num.102. versu *Prior assertio*, & num. 104. versu *Posterior assertio*, eam conclusionem limitat ad ea contingentia prædicata naturæ diuinæ, quæ, si de homine prædicentur, non denotent ipsum natura, vel durationem præxtitisse, antequam ea ipsi competerent; si enim eam denotent prioritatem, in illis communicationem idiomatum iudicat non futuram: vt in his patet *Deus est homo: factus est creatura*: quæ verè dicuntur; non tamen dicere licebit statim *Homo factus est Deus*: *factus est Creator.* Posset autem eodem iure limitare conclusionem ad ea etiam prædicata alterius naturæ, quæ non concernunt munus aliquod naturæ alterius, quod alteri, siue absolutè, siue de facto sit impossibile. v. g. *Deus sustentat humanitatem*; non tamen licet dicere: *homo sustentat Deitatem.* Item *homo incœpit esse.* Dici autem nequit: *Deus incœpit esse.* Verùm nemo non videat eas propositiones adductas in exemplum à Bernale, vt ostendat communicationem idiomatum non currere, ad idiomatum communicationem minimè pertinere. Siquidem in secundis non est idem prædicatum, atque in primis. Haberent autem idem prædicatum hoc modo, *Homo factus est homo, & creatura.* Atque in

nostris *homo sustentat humanitatem : Deus incapit esse.* Quæ accepto *homine*, & *Deo* adiectiuè, vt ad idiomatum communicationem opus est, æque sunt veræ tres priores ; quarta verò posterior de inceptione tam de homine, quam de Deo adiectiuè sumptis est falsa ; quare vniuersim sumpta conclusio defendenda Catholicis Doctoribus est.

2 Probatur conclusio Syllogismo expositorio, fundato in illo Dialectico principio per se noto, quidquid verè dicitur de prædicato, verè etiam dicitur de subiecto, de quo dicitur illud prædicatum : si ergo verè dicitur Deus de homine, & homo de Deo, de homine verè dicentur, quæcunque de Deo dicantur verè, & de Deo quæcunque dicantur de homine, v. g. *Deus est omnipotens, omniscius, æternus, immensus : hic homo*, Iesus, *est Deus* : ergo *hic homo est omnipotens, omniscius*, &c. item in prædictis diuinis personalibus *Verbum est filius, & imago Dei Patris, Spiritúque cum eo Spiritum sanctum : Hic homo est Verbum: ergo hic homo est filius, & imago Dei Patris.* Denique in contingentibus prædicatis; *Deus sustentat humanitatem, hic homo Deus est : ergo hic homo sustentat humanitatem.* Rursus *Hic homo est passus, mortuus, risibilis*, &c. *Deus est hic homo : Deus est passus, mortuus, risibilis*, &c. Sed hæc ratio solum probat contra fidem errare, qui communicationem idiomatum, quoad attributalia, & contingentia neget : Cum ex communicatione idiomatum, quoad essentialia, illam, quoad attributalia euidenti discursu deducat : quod satis non est, vt communicatio hæc, quoad attributalia, & contingentia de fide esse probetur, vt in conclusione erat propositum. Non enim quidquid ex propositionibus de fide euidenti discursu colligitur, de fide est, nisi in propositione de fide sub terminis eisdem tanquam particulare vniuersali contineatur, vt multis ostendebamus controu. de fide : quare, licet argumento præfacto veritas communicationis idiomatum, quoad attributalia, & contingentia euincatur : de fide esse aliunde probandum est.

3 Primo autem probatur ex Baruch.4. vbi de Deo Verbo Dei filio de se inuisibili dicitur : *Post hæc in terris visus est*, quod quà homo, siue secundùm naturam humanam contingit. Secundò : attributa Dei propria de Iesu homine prædicátur in scriptura. Æternitas quidem Ioan.9. *Prius quàm Abraham fieret ego sum.* Gloriæ dominium 1.Corinth. 2. *si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Vbi Iesus Dominus gloriæ, & Dominus gloriæ, qui Deus est, crucifixus dicitur : mutua nimirum prædicatorum alterius naturæ de altera prædicatione, Ioan.3.num.13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Quibus consonant illa ad Ephes.4, *qui descendit, ipse est qui ascendit.* Vbi ascensio in cœlum humanitatis propria de eo, qui descendit de cœlo per carnis assumptionem, quæ Dei propria est, prædicatur. Definitur eadem veritas à Concilio Alex. epistola ad Nestorium Cyrilli 10. anathematismo 4. atque ab Ephesino eam approbante, & canone 4. à Synodo 6. gener. act. 11.& 18. à Chalcedonensi act.1. vbi citatur Naz. à Lateranensi sub Martino 1. consultat.5.can.4.& 16.à Leone 11 epist.10: cap.4.& 5.epist.11. epist. 83. ab Agathone 1. epist. ad Anthimum à Concilio Francford. epist. ad Episcopos Hispan. circa med. atque ab vtroque Symbolo, & Apostolico, & Niceno : vbi Dei Filius passus, crucifixus, mortuus, sepultus, &c. dicitur.

4 Accinunt Patres omnes, August. 1. de Trinit. à cap.5. præcipuè 13. Ambros.2.de fide cap.4. Fulgent.3. ad Trasimund.à cap.12. de fide ad Petr. cap.2. Cyril.de recta fide ad Theodos. imper. & 12. Thesau. cap. 15. Naz. orat.51.52.& 42. (in quam Nizet. ad id *quæ quoniam*) 3. thesau.cap.26. & 33. Damascen.3. de fide c.4. dicens : *qua ratione* (communicationis idiomatum) *de Christo dicere nobis licet : hic Deus noster in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est ; & hic homo increatus est, & impassibilis, ac circunscriptionis omnino expers:* quæ ex ipso transcripsisse videtur Nizeras. 3. Thesau. cap.33. Denique celeberrimæ, ac frequentes apud Patres sunt propositiones plures de Christo prædicatorum, specie tenus sibi inuicem repugnantium & contradicentium. Cuiusmodi sunt; *est mortalis & immortalis : passibilis & impassibilis, creator, & creatura : temporalis & æternus.* Quarum nullam, monet rectè Vasquez, per oppositas contradictoriè explicari licere, vt malè vertebat interpres Damasceni, quia negatio malignantis naturæ. Non tamen est opus Catholicis, cum opposita prædicata de Christo enuntiantur naturas designare additis *secundum*, vel *quatenus*, licet clarius id esset indoctis : ac proinde bonum de eo consilium dederit.S.Th.q.16.art.8.ad 2.

At Dices. Prædicata propria partium sibi repugnantia nequeunt sine eiusmodi additis enuntiari de toto, v.g. de homine corporeo nequit dici esse incorporeum absolutè, ac sine addito, secundum animam: ergo nec de Christo. Nego consequentiam. Nam, neque partes prædicantur de toto, sicut naturæ de supposito communi : de toto autem prædicantur prædicata ipsius solùm, licet similia nonnulla ignobiliora prædicentur de parte ignobiliori ; non autem prædicantur prædicata totalia nobiliora, siue prædicatis partis nobilioris similia : quia bonum ex integra causa esse debet ; malum autem ex quocumque defectu.

QVÆSTIO II.

Possitne idiomatum communicatio abstractis nominibus exerceri ?

Concretis nominibus exerceri posse idiomatum communicationem citra dubium est : imò, & de fide, vt satis ostendunt Scripturæ Conciliorum, & Patrum citatorum testimonia : quare de abstractis solùm nominibus potest esse quæstio, an prædicationibus per idiomatum communicationem inseruire possint ?

CERTAMEN I.

Abstracta vnius naturæ de abstractis alterius nequeunt, per idiomatum adhuc communicationem prædicari.

1 Eutychiani naturarum confusionem admittentes; alteram de altera cum suis proprietatibus vicissim nominibus abstractis, per idiomatum communicationem enuntiari posse docuerunt, ad prædictum errorem consectariè, vt putabant. Sed in horum errore mutuam prædicationem vnius naturæ, ac suarum proprietatum de alia non posse consistere, quare neque communicationem idiomatum stare censerem. Etenim, cum alteram naturam in alteram conuersam vi vnionis hypostaticæ fateantur, nunquam vtraque simul extitit: quandoquidem, quæ conuersa per vnionem est, non solùm illa, in quam conuertitur non est, sed neque simul extitit vnquam cum illa. Quod si dicant ex eis aliqui, non esse alteram in alteram conuersam, sed mixtione vtriusque vtramque esse confusam. Contra est, quia substantiæ elementares in tertia mixta ex ipsis non perseuerant: quare, neque in Christo vtraque natura, quæ in tertiam mixtam abiit : ergo nulla ex eis in Christo erit altera : cum neutra in se sit in illo. Denique in hac Eutychiana confusione, vel conuersione, vel mixtione vna indiuidua solum natura est, ne duplex sit persona, siue diuina ea sit, siue humana, siue tertia : ergo non est altera, & altera natura, quæ in abstracto cum suis proprietatibus de altera in abstracto prædicatur : imo neque in concreto : quare Eutychiana hæresis non solum ad communicationem idiomatum nominibus abstractis non conducit, sed omnem potiùs idiomatum communicationem Catholicam nominibus concretis abolet prorsus.

2 Eandem idiomatum communicationem nominibus abstractis admisit Lutherus apud Vvadingo d.13. dub.2. §.1.num.5. vbi hæc Lutheri propositio refertur *Humanitas est Deus*, cuius rationem nullam adhibet : cum Eutychianam confusionem, vel conuersionem non admittat. Eam tamen exhibuisse videntur ipsius discipuli Brentius, & Smidelinus Vbiquistarum hæreticorum authores : qui, vt suam de reali præsentia Christi in Eucharistia, & vbique loci doctrinam statuerent, ferè ad Eutychianos migrarunt. Asseruere namque vi vnionis hypostaticè factam nescio quam naturæ vnius in aliam immeationem mutuam, qua, & natura diuina, eiusque proprietates, formaliter etiam, in humanam deriuent, & humana natura, eiusque proprietates traducantur, formaliter etiam, in diuinam : ac proinde humanitas fit verè, & formaliter *Deus, omniscia, immensa, vbique*, &c. & (licet è contra exemplum non adhibuerint, quod Vbiquismi sui parum referret) Deitas fit formaliter *homo, mortalis, passibilis*, &c. Verùm fundamentum hoc Vbiquistarum disiecimus satis controu.4.d.3. q.4.cert.2. & quidem, si Lutheri, & Discipulorum propositiones spectes, solùm videntur communicationem idiomatum per abstracta non vtrinque posita admittere, sed ex parte alterius tantùm extremi propositionis, prædicati nimirum, vel etiam subiecti : si autem discipulorum rationem de vnius naturæ immeatione formali in aliam, per abstracta etiam vtrinque posita, videntur communicationem idiomatum in Christo admissuri.

3 Dicendum contra hosce est : communicationem idiomatum per nomina abstracta vtrinque in propositione posita nusquam esse posse. Est conclusio Catholica à nullo Catholico Doctore negata, sed ab omnibus, qui præsentem quæstionem versarunt, admissa. Probatur primo efficaciter authoritate, licet negatiua : quia neque in Scriptura, Apostolica traditione, Conciliis, Patribus, Catholicis Doctoribus Theologis, expositiuis, aut Controuersistis vlla adhuc propositio extitit, vel extat, vel authoritas, qua, vel specie tenus altera natura Christi, eiusve proprietates abstractis nominibus, de altera, eiusve proprietatibus abstractis nominibus prædicentur : sin illam producito, si potes : ergo in re momenti tanti abstinendum est Catholicis omnibus à communicatione idiomatum per nomina vtrinque abstracta. Imò id esse impossibile probatur secundo ratione S.Th. dicentis : concretis nominibus fieri idiomatum communicationem : quia hæc sola possunt pro persona supponere, in quibus hæc continetur ratio. Ad veram prædicationem rectum subiecti, & prædicati debet re esse idem, sicut per copulam est & significatur : at solis nominibus concretis naturarum, non autem abstractis rectum prædicatum est idem cum recto significato subiecti : ergo solis nominibus concretis, non autem abstractis potest altera natura, de altera prædicari : ac proinde, & fieri vera, & recta communicatio idiomatum. Probatur minor: quia in Christo persona habens humanitatem eadem est habens Deitatem significatúsque in recto nominibus concretis Deus & homo adiectiuè sumptis, vt possunt, dicemúsque q.3.idem est : at verò humanitas, & diuinitas, earúmque proprietates abstractis nominibus significatæ non sunt in Christo idem secundum rectum significatum, vt pater. Tertio probant conclusionem hanc ea omnia, quæ iam pro secunda, contra quam aliquid est, & discursu, & ab authoritate saltem apparentis præsidij.

R.P.Christoph.de Ortega,de Deo vno & Trino.

CERTAMEN II.

Neque per abstractum ex parte alterius tantum extremi potest esse idiomatum communicatio.

1 Dicendum secundo est : idiomatum vtriusque naturæ Christi communicationem non posse fieri nominibus earum, vel proprietatum alterutrius abstractis adhuc ex parte vnius tantum extremi propositionum positis. Est etiam Catholicorum omnium conclusio : quam probant æqua efficacitate, ac præcedentem vtraque ratio, & à priori, & ab authoritate negatiua : licet contra hanc paucula quædam sint ; quoad speciem aduersantia testimonia, quibus statim faciemus satis. Probatur tertio expresso testimonio Nizeræ. 3. Thesau. cap.58. num.13, fine in hæc scribentis. *Verum aduertendum est, quamuis aliquando dicamus Deum hominem, & aliquando Deum ; diuinitatem tamen hominem, aut humanitatem Deum nos nunquam dicere.* Quid precor pro conclusione clarius dici, vel excogitari potuit illustrius ? Ratio autem fere eadem est atque pro conclusione 1. Etenim cum dicimus, *Deitas est homo* ; vel contra *humanitas est Deus* : vel vsurpatur concretum substantiuum quod ponitur ex parte alterius extremi substantiuè, vel adiectiuè : si substantiuè rectum illius significatum est natura v. g. humanitas cum homo adhibetur : quæ nullatenus est re ipsa Deitas : si vsurpatur adiectiuè v. g. Deus rectum significatum est persona diuina, quæ nullatenus est humanitas.

2 At dices *homo* adiectiuè sumptus in recto dicit personam Verbi, quæ Deitas re ipsa est : ergo potest sic sumptus homo dici Deus. Probatur consequentia hoc syllogismo expositorio : *Verbum est homo : Deitas est Verbum : ergo Deitas est homo, atque homo Deitas*, vel à negatione consequentis ad negationem antecedentis *Deitas non est homo : Verbum est Deitas : ergo Verbum non est homo.* Hoc argumento Fulgentius respondens 2. ad Ferrandum probabat hanc propositionem *Deitas est passa*, quia *Deitas est Deus.* Quam propositionem tradunt Sophronius, aliique Patres, & Concilia, quos recitauimus controu.1.d.1. dubimúsque d.2.ac demum Ecclesia canit, *Mors mortua nunc est in ligno, quando mortua vita*, id est Deitas, *fuit.* Respondeo negando consequentiam vtriusque syllogismi : quia variatur suppositio terminorum. Nam in maiori concreta vsurpantur adiectiuè, & formaliter, in minori substantiuè, & identicè : quare malè infertur, & impropriè in sensu pure identico, quæ debebat esse formalis. Ob similem defectum malè infertur : *Pater generat : Deitas est Pater : ergo Deitas generat.* Licet hic syllogismus alium habeat defectum maiorem notatum à nobis controu. de Trinit. In præsentibus autem syllogismis is defectus satis est : nam propositiones communicationis idiomatum formales esse debent, quatenus persona diuina sub formalitate, & munere habendi naturam significatur, quod non habet Deitas : quare, & illatio Fulgentij, & præfatæ locutiones minus propriæ sunt.

3 Instabis rursus : quia de Deitate dicitur assumpsisse humanitatem, vt Patres, & Concilia recitata controu. 1. d.1. passim loquuntur, Sophronius citata epist.Fulgentius ad 2.q.Ferrandi: quare hæc propositio *diuinitas assumpsit humanitatem* admittitur à S. Th. q.3. art.2. & à Magistro in 3.d.3. eorúmque interpretibus non paucis : quod quidem prædicatum concretum est, idémque valet, ac *est, vel fuit assumens humanitatem* ; quod primario dictum est de persona assumente, ac iure identitatis de Deitate in abstracto dicitur : ergo eodem iure identitatis communicatio idiomatum quandoque inter concreta & abstracta naturarum poterit fieri. Respondet Soar. illud *assumpsit* in ea propositione solum significare formaliter vnionem ; ratio-

ne cuius eiusdem suppositi est cum natura humana: atque eo sensu veram esse, atque à Theologis receptam, non autem significare assumptionem propriam Verbi, siue sustentationem suppositalem, quam Deitas non Præstat, sed persona: quare in eo sensu falsa esset propositio, neque ab vllo Theologo recipienda, quod si velis naturam diuinam, eiúsque proprietates in abstracto ex parte vnius exemi in abstracto poni ob rationes & locutiones Patrum datas, dummodo minùs proprias eas propositiones fatearis, non multum grauor; neque tamen inde humanam in abstracto poni posse deduces: cum eius nisi in hæreticis exemplum non sit, neque id rationes, & syllogismi oppositi, similésue alij conuincant.

QVÆSTIO III.

De ratione Theologica propriè, & veræ communicationis idiomatum per nomina concreta.

VAmuis vera & propria idiomatum per concreta nomina communicatio certa adeò & Catholica sit: Theologica tamen eius veritatis ratio adeo constans atque in aperto omnibus non est, vt exactum quæstionis huius examen non requirat.

CERTAMEN I.

Aliquorum rationes confutatæ.

1 LIcet Patres idiomatum per concreta nomina communicationem, eiúsque rationem tradiderit: quia tamen suam, quantum satis nostræ tarditati esset, mentem non aperuerunt, Scholasticos Doctores aliter, atque aliter opinari fecere. Fulg. 3 Ad Trasimund. c. 12. & 13. ait: *Hominem susceptum merito Deum appellari, quia susceptus est.* Damascen. 3. de fide c. 4. fine. *Atque hic communicationis modus est: vtraque videlicet natura proprietates suas cum altera communicante: Propterea, quod vnam, & eandem personam constituat.* Leo Pa. Epist. 83. ad Palestin. *Non interest, ex qua substantia nominetur: cum inseparabiliter manente vnitate personæ idem sit, & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum Patre Deitatem.* Hæc tamen, & similia rationem formalem Theologicam non satis explicant, sed solùm fundamentalem. Hæretici antiquiores, & Vbiquistæ, vel vtriusque naturæ confusionem Eutychianam, vel alterius naturæ in alteram formalem immeationem rationem communicationis idiomatum arbitrantur. Vtrosque autem impugnauimus affatim controu. 1. d. 1. atque hic. q. 2. Veteres Scholastici apud S. Bonau. in 3. d. 7. a. 1. q. 1. & apud Scot. q. 1. §. *Tertio videndum.* dixerunt huius propositionis *Deus est homo*, sensum esse *Deus est ille, qui est homo.* vel *suppositum, quod est homo.* Sed extremum propositionis, qua prima explicatur æquâ indiget explicatione: nempe illud, *qui est homo, & quod est homo*: quare, nec ratio, neque explicatio ab his Doctoribus pro idiomatum communicatione præstatur.

2 Solum ergo ex modo significandi nominum concretorum Theologica formalis ratio petenda ab Scholasticis omnibus iudicatur. Primo veteres alij apud S. Bonau. citato loco aiunt rationem esse quia significatum nominis in obliquo ponitur, vt eius propositionis *Deus est homo*, sit sensus: *Deus est habens hominem* impugnantur male communiter: quia non, quidquid habet aliquis prædicari de illo potest: neque enim dicitur quis esse manus, vel vestis, quas habet: verum si homo in explicatione positus vsurpetur pro natura humana, vt rigida Significatione vsurpari posse ostendemus. d. 2. vera, & communis sententia est; à nobis explicanda cert. 2. sin verò pro persona homo vsurpetur, fortius impugnari deberent: quia sic Deus hominem concretè, neque assumpsit, neque habet, sed est per fidem. Secundo: S. Bonau. veterésque alij apud Richard. in 3. d. 7. a. 1. q. 1. dicebant, ratione vnionis vtriusque naturæ in eodem supposito eas propositiones veras esse. Impugnantur malè à Ricardo eodem argumento, quo primi. Etenim nemo Catholicus rationem hanc potest respuere: siquidem vnio naturarum in supposito eodem in causa est cur mutuò altera de altera concretis nominibus prædicetur. Solum ergo impugnántur rectè, quia rationem proximam Scholasticam, quam inquirebant, non assignant, sed fundamentalem, & remotam, & quæ, nisi amplius explicetur, rem relinquit obscuram. Non enim quæcumque eidem supposito vniuntur inter se mutuo, omnibus modis prædicantur: quare explicare restat quo modo & ratione duplex hæc natura ratione vnionis in eodem supposito inuicem prædicari rectè queant.

3 Nec satis est quod pro hac opinione addit Vasquez d. 63. c. 4. num. 26. quia nimirum natura quæuis de supposito in quo est concretè prædicatur ritè ac rectè v. g. *Petrus est homo*: cum autem vtraque natura ratione vnionis in eodem supposito sit, ritè, ac rectè de eodem supposito prædicatur: quare, & vtraque concretè mutuo de se bene prædicabitur, vt sillogismo expositorio conuincitur: in quam tandem rationem & sententiam Vasquez iuit nonnullis notatis, quæ statim ex ipso referemus. Verùm, neque hæc explicatio rationem assignat proximam, quam inquirimus, rémue magis explicat, neque cum ipsius doctrina constat. Non quidem rem magis explicat: Nam cùm dicit naturam prædicari de supposito, in quo est concrete, vel intelligit naturam propriam, vel alienam. Propriam quidem nemo negat, idque solum probat exemplum illud *Petrus est homo*: de aliena verò, de qua sola est difficultas præsens, non probat, nisi ratio aliqua, ob quam natura propria de supposito, in quo est, ritè prædicetur, afferatur, quæ eadem inueniatur in natura aliena: Hanc enim inquirimus, atque addita explicatio non assignat. Quòd autem cum ipsius Doctrina non constet, neque exemplum rationem contineat ad prædicationes naturæ alienæ de supposito, quæ in communicatione idiomatum intercedunt, facile probabitur, & quoad Doctrinæ inconstantiam num. 4. & quoad secundum in præsenti. Ipse enim num. 25. ex notatis num. 23. docet concreta substantiua substantialia naturæ solum significare in recto naturam, nisi aliquid personale ex parte alterius extremi in propositione inueniatur: (ex quo malè contra ipsum infert Bernal hanc propositionem esse falsam: *homo est suppositum*: cum prædicatum eius personale sit) atqui in propositione, qua natura propria prædicatur de supposito. v. g. *Petrus est homo*: subiectum est terminus, seu nomen personale: ergo significabit in recto prædicatum suppositum: & in his *Deus est homo* significabit in recto vterque terminus naturam: ac proinde poterit esse falsa vtraque, licet alia sit vera: quæ falsa procul dubio foret, si homo significaret in recto naturam, vt iam iam euincam.

4 Vasquez igitur citato loco, atque ex illo Recentiores plures volunt concreta substantiua substantialia naturæ in propositionibus communicationis idiomatum significare solum in recto naturas, in obliquo verò personalitates, vel quia iuxta Vasquij Doctrinam in eis nullus terminus, vel Syncathegorema personale adest, vel quia eo solum pacto significare sunt apta, vt ex eis volunt nonnulli. Alij apud Bernal d. 45. sect. 2. §. 2. num. 23. docent eiusmodi concreta fixa, stáraque

stataque lege vtrumque in recto significare. Coniunxi verámque sententiam, quia eadem aperta impugnatione reijcitur. Etenim iuxta alterutram vera idiomatum communicatio in Christo funditus euertitur. Sic ostendo. Ad veram prædicationem requiritur identitas subiecti, & prædicati secundum rectum vtriusque significatum, cum quo copula *est*, quæ eiusmodi identitatem vtriusque significat, concordat, non cum obliquo significato: atqui in neutra harum opinionum rectum subiecti propositionum communicationis idiomatum potest esse idem cum recto prædicati: ergo propositiones communicationis idiomatum in neutra harum opinionum nequeunt esse veræ, sed sunt necessario falsæ: quare communicatio idiomatum funditus, vt assumebamus euertitur. Minor probatur: quia in hac propositione communicationis idiomatum *Deus est homo*, & similibus, iuxta alteram Vasquez sententiam, idem est, atque Deitas in, siue cum personalitate est humanitas cum personalitate, in altera verò Recentiorum, Deitas & personalitas est humanitas, & personalitas: ergo in altera rectum subiecti & prædicati cum quo in his propositionibus copula *est*, concordat, est humanitas, & Deitas, in altera verò Deitas, & personalitas, & humanitas, & personalitas: atqui neque Deitas idem quod humanitas, neque Deitas, & personalitas, idem quod humanitas, & personalitas esse possunt: ergo in neutra harum opinionum rectum subiecti propositionum communicationis idiomatum potest esse idem cum recto prædicati. Et quidem hoc argumento soluto, vel potius deglutito, nil est cur communicationem idiomatum per abstracta nomina tantopere Theologi exhorreamus.

5 Denique germana communicationis idiomatum proximáque & formalis ratio, quæ mihi à logico semper arrisit ea est: quod scilicet in eis propositionibus concreta, per quæ fiunt, in recto dicant personas, siue personalitates, in obliquo verò naturas, atque adiectiuè significent: ac proinde rectum prædicati, & subiecti sit in eis omnibus idem: ita, vt sic explicandi concreti eatum termini sint *Deus est homo: habens Deitatem, est habens humanitatem.* Sic docuere Ricard. in 3. d. 7. a. 1. q. 1. corp. & ad 1. & 2. Gabr. q. vn. a. 3. dub. 1. sub fin. Almain. q. 1. dubitatione post 7. concl. Soar. d. 35. sect. 1. §. *dico ergo tertio* circa med. satis clarè, licet Bernal curte illum, vel intelligat, vel referat, vt impugnet, Lugo d. 16. sect. 13. Vvadingo d. 13. dub. 1. num. 1. à medio, & dub. 2. num. 23. ac tandem Bernal vbi proximè: licet doctores hos impugnet n. 16. quasi afferant concreta substantiua substantialia naturæ semper ac de lege sua ita significare: id quod solus Lugo videtur solutione quadam insinuasse. Sic etiam docuit S. Th. 3. p. q. 39. a. 4. docens eiusmodi concreta supponi interdum pro suppositis, id quod docuerat q. 16. a. 7. & 10. quod autem eodem a. 7. ad 4. & a. 10. ad 2. dixerit concreta eiusmodi in his propositionibus ex parte subiecti supponi materialiter pro suppositis, ex parte verò prædicati formaliter pro naturis huic doctrinæ non aduersatur. Solùm enim vult non esse propositiones, & prædicationes hasce purè identificas, vt hanc *Petrus est Petrus.* Sic Thomistæ plures eum interpretantur, & sequuntur apud Vasqueznum. 21.

CERTAMEN II.

Sententia hæc suadetur, ac propugnatur.

1 PRobatur primo ex Damasceno 3. de fide c. 4. vbi hac de re agens dixit: *illud itaque aduertendum est, quod diuinitatis, atque humanitatis vox essentiam, seu naturas indicat; ac Dei, & hominis vocabulum, tum de natura vsurpatur: quemadmodum, cum dicimus: Deus est substantia capitum omnem fugiens: & vnus est Deus: tum etiam de personis, nimirum, de eo, quod specialius est, generalioris nomen suscipiente: vt cum Scriptura ait: Propterea vnxit te Deus Deus tuus*: subique memor cap. 11. eandem differentiam vocis abstractæ à concreta assignans ait: *At Dei vocabulum, & naturæ communitatem significat, & in vnaquaque personæ æque collocatur: quemadmodum, & homo. Deus enim is est, qui natura diuina præditus est, & homo, qui humana.* Eadem ferè habet Nizetas 3. Thesau. c. 16. Quibus testimoniis, postremo præsertim, non respondet Vasquez num. 24. §. *ad Damascenum.* Neque 1. p. t. 2. d. 157. c. 6. num. 33. §. *verùm contra hanc doctrinam.* Sed tamen, licet bene hæc, & ex Patribus dicantur, quare & ab authoritate satis sint supérque fundata, adhuc explicare oportet, quando adiectiuè, siue pro habente naturam, & supposito, vel personalitate in recto significent, atque in obliquo naturam substantiua concreta substantialia naturæ, quæ de se naturam potiùs in recto significant, vt q. 1. pro Durando, atque alias sæpe in hac materia, & controu. de Trinit. ostendebamus. Si enim id per generales regulas tradatur, eis ad præsentem materiam applicitis sententia hæc planior euadet, & illustrior.

2 Notandum igitur est concreta substantiua substantialis naturæ de se, suáque natura, & pro priori ac natiua significatione substantiuè & naturam in recto significare: quare ita significare cum absolutè, ac nudè proferantur; at verò sine vllo etiam syncathegoremate, vel signo personali ex adiuncto subiecto, vel prædicato, vel verbo posse adiectiuè vsurpari, atque personam, seu personalitatem in recto, & naturam in obliquo significare, vt ostendimus controu. de Trinit. d. 12. q. 1. cert. 3. Probatur ex dictis ibi, & in Logica: quemadmodum enim vox *homo* natura sua significat humanitatem, vel suppositum abstractè, & præcisè ab indiuiduis, ac proinde nude prolata, vel adiuncto etiam essentiali prædicato idem eodem modo significat, atque pro eodem supponitur; at verò ex adiuncto prædicato, aut verbo, quo exercitium aliquod primario, & per se indiuiduis competens, & ratione illorum naturæ, vel suppositi in communi, hominem non in abstracto significat, neque pro illo supponitur, sed pro indiuiduis, quæ significat iuxta prædicati aut verbi exigentiam, etiamsi nullum aliud signum intercedat: vnde ex verbo *currit* in hac propositione *homo currit* terminus *homo* non pro homine in communi, & præciso, sed pro indiuiduis determinatè supponitur; in hac verò *homo requiritur ad videndum* pro indiuiduis confusè: Sic etiam voces *homo*, & *Deus*, licet de se substantiuè significent, & naturam in recto, ac per modum per se stantis, cum absolutè proferuntur, aut ex adiunctis terminis, vel verbis sine vllo etiam syncathegoremate pro persona poterunt supponi, & adiectiuè vsurpari: cum ea etiam vsurpatio, & significatio propria sit, qua adiectiuè, & in recto personam significant iuxta Damascenum, imò, & aduersarios ipsos: cum Vasquez citato num. 23. §. *Mihi autem* asserat ex adiuncto Syncathegoremate personali propriè significare in recto personam, ac pro ea supponi defendat, vt in hac *Deus generat.*

3 Regula igitur generalis sit. Tunc ea nomina adiectiuè vsurpari; cum aliter Scripturæ, Patrum, & Conciliorum propositiones verificari nequeunt. Cum enim ad dignoscendum determinatum sensum, & significationem, in qua voces ambiguæ acceptionis, & sensus, cuiusmodi ea concreta sunt, attendenda in primis sit doctrina, pietas, veracitásque loquentis, iuxta vulgatam Theologorum regulam à nobis traditam d. 12. de Trinit. q. 1. cert. 3. num. 1. id potiori iure Patrum doctrinæ, veritati, ac veracitati, & Scripturæ in primis deferre debemus: vt eo sensu, & acceptatione propria loqui, & vsurpare voces credamus, quo vera loqui demonstretur: atque insuper Patres, ac Deum, nec falli, nec fallere liquidò appareat. Confirmatur: quia hac solùm ratione probare potest Vasquez

ex Syncathegoremate adiuncto vocem *Deus* supponi pro persona; atque adiectiuè vsurpari pro habente Deitatem. Probatur secundò eadem regula: quia hoc, quod est Deum esse hominem, nequit contingere concreto substantiuo substantiuè significanti, sicuti, neque homini abstracto, & præciso currere, sed solum significanti adiectiuè; ergo, sicut ibi ex adiunctione cursus *homo* supponitur pro individuis, non pro natura, vel homine præciso, quod de se significat, ita, vt ex adiunctione prædicati, quod, nisi acceptatione eius adiectiua, nequit subiecto euenire, ita & in nostro casu significabit adiectiuè. Iam verò, nisi acceptione adiectiua terminorum propositiones communicationis idiomatum veras esse non posse, neque prædicatum conuenire subiecto, probatum est: quia acceptione substantiua naturæ significantur in recto, quæ idem nequeunt esse, sicut enuntiantur per copulam est, quæ cum recto terminorum concordat, vt vidimus cert. 1. num 4. acceptione vero adiectiua idem est rectum significatum eorum, vt ostendimus num. 5. sub init.

4 Opponit Vasquez Fulgentium 3. ad Trasimund. cap. 12. & 13. vbi dicebat: *hominem susceptum merito appellari Deum*, quia susceptus est: at homo susceptus non est habens humanitatem, seu adiectiuè sumptus, sed substantiuè, siue dicens humanitatem in recto: humanitas enim susceptа est. Respondetur facilè Fulgentium non formalem, sed fundamentalem rationem solùm communicationis idiomatum eis verbis tradidisse, vt dicebamus cert. 1. num. 1. alioqui contra ipsum Vasquez obiectantem æque loquetur, imo contra Catholicos omnes. Nam homo susceptus à Deo non dicitur, nec dici Deus potest, secundum id formaliter, secundum quod susceptus est: sola quippe humanitas, siue homo secundum illam præcisè susceptus est: ast homo secundum humanitatem, siue sola humanitas in nulla Catholicorum sententia dicitur Deus, nec nisi falso dici potest; sed homo concretè sumptus, vt coniunctum ex humanitate, & subsistentia diuina, siue hanc cum subsistentia in recto dicat, siue solùm in recto, alteram dicat, alteram in obliquo: quo pacto accepto homine à Deo assumptum minimè fuisse, sed prout solam humanitatem significat, Catholicum & dogmaticum per Vasquez, & Doctores omnes est.

5 Obiicit secundo: quia ex Concilio Francford. *Christus* est nomen naturæ non personæ: atqui Christus dicitur Deus, & homo: ergo concretum huius naturæ de concreto alterius prædicatur: ergo altera natura in recto de altera, non suppositum. Nego hanc vltimam consequentiam, quæ nullatenus infertur ex prima: licet enim concreta naturarum sint, possunt tamen significare in recto personalitatem, siue personam, etiam in obijcientis Vasquez doctrina: sicut plura nomina à formis desumpta illas in obliquo & in recto subiecta significant, vt in adiectiuis omnibus euenit Albus &c. quod significat habens albedinem.

Instat Vasquez ex eodem Concilio. illud *Hic est filius meus dilectus* referri ad hominem, seu naturam humanam in Christo, non ad personam. Sed minùs vrget: nam prædicatum, quod hic contenditur filiationis humanitatis à Concilio, non est communicationis idiomatum, teste Vasquez ipso, quod concedebant Felix, & Elipandus, contra quos ibi Concilium, sed humanitatis ipsius etiam secundùm se, ac non in concreto significatæ, vt vidimus controu. 4. d. 1. quin, si sola idiomatum communicatio in ea propositione contineretur suppositum significaretur, atque adiectiuè homo significaret contra ipsum Vasquez ex ipsius doctrina citato n. 23. siquidem filius Dei Syncathegorema personale est, quod proinde concretum homo personam in recto, siue habentem humanitatem significare efficeret, iuxta regulam ipsius eo numero contentam.

CERTAMEN III.

Argumento à ratione fit satis.

1 Difficilius è ratione arguebat Vasquez 1. p d. 157. quia, si concreta substantiua naturæ adiectiuè significent, ac proinde Deus tantundem valeat, atque habens Deitatem sicut Pater est vnus habens Deitatem, & filius alius habens Deitatem, & Spiritus sanctus alius habens Deitatem, ita tres Dei admittendi contra fidem erunt. Quo argumento actum de hac opinione iudicat Bernal d. 45. sect. 2. §. 2. num. 16 fine, oblitus suam etiam tandem esse, vt dicebamus cert. 1. num. 5. medio. Quare, & eum æque ac nos impugnat. Nec segnius Vasquez ipsum: cum ex parte subiecti in propositionibus antecedentis sint syncathegoremata personalia v. g. *Pater est Deus, filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus*: ac proinde adiectiuè, & personas in recto tres, habentes Deitatem debeant in eius doctrina significare. Respondet Bernal num. 22. & 23. ex d. 24. sect. 2. §. 2. 3. & 4. concreta essentialia substantiua naturæ semper vsurpari substantiuè, dicereque in recto compositum, vel quasi ex natura, & personalitate. Etenim, & contradicit suæ doctrinæ de acceptione eorum nominum adiectiua in communicatione idiomatum, & est fortius ex ea doctrina argumentum. Etenim, si verum que dicit in recto, sicut Patris personalitas, & natura, quæ significantur nomine Deus, non est idem, atque Filij personalitas, & natura, vel Spiritus sancti personalitas, & natura, distinctus Deus Pater à Deo filio, & vterque à Deo Spiritu sancto conuincentur: quare, & tres dij substantiuè contra fidem. Si autem dicit in recto totum compositum personæ, & in obliquo naturam, idem infertur. Licet enim natura expressius dicatur nomine Deus: cum recta, quibus numeralia concordant tria sint, & tres dij non obstante naturæ singularitate dicentur.

2 Respondet Lugo, proximè subsistentiam, in recto quidem dici, sed confusè, naturam verò clarè & expressè: concreta vero penes expressi solùm multiplicationem, quæ in Deitate non est, multiplicari: quare non inferri tres esse Deos, ex eo, quod tres esse Deum dicantur. Impugnat bene Bernal: quia Deus adiectiuè, siue habentem Deitatem significans legibus adiectiuorum accidentalium stare debet, quæ in ea acceptione imitatur, atqui in his multiplicitas, vel vnitas non sumitur à forma accidentali clarius, expressiusque significata in obliquo, sed à subiecto, vt patet in albo, licet non clarè, sed confusè subiectum significetur: ergo, licet confusè dicatur, ac non expressè suppositum nomine Deus, Deitas autem clare ex illius multiplicitate, vel vnitate eius vnitas, vel multiplicitas sumenda est, non è naturæ vnitate, vel multiplicitate. Confirmatur: quia, licet ars expressè dicatur in hoc nomine artifex, & confusè artis suppositum & subiectum, licet artes plures etiam specie sint, si tamen hoc sit vnum, vnus artifex dicitur; sin vero suppositа, vel subiecta sint plura, licet ars eadem specie sit, imo, per impossibile, vna etiam indiuiduè, plures essent artifices. Rationem à priori dedimus contra ipsum Bernal proximè num. 1. fine: quia nomina numeralia eorum multiplicitatem designant in nominibus, quorum rectis significatis concordant: quare, si rectum eorum nominum significatum sit suppositum, pro eorum solum multiplicitate multiplicari dicentur, licet obliquum expressius significatum vnum, & singulariſſimum sit.

3 Respondetur ergo distinguendo consequens. Absolutè sunt tres dij nego consequentiam, quia absolutè, & secundum se positum nomen Deus significat substantiuè, cum addito personali v. g. *tres personæ sunt tres*

tres Dij. Concedo consequentiam: quia ex addito hoc, vel alio ex dictis supra, quo denotetur adiectiuè vsurpari, adiectiuè significat. Vnde scriptura, quæ Dei substantiuè dicti vnitatem" tantoperè commendat, Deum sæpè adiectiuè, & in plurali docuit pro personis, & habentibus Deitatem nomen illud vsurpans. Sic Genes. 20. *Postquam eduxit me Deus*, in Hebræa: *declinare me fecerunt Elohin*: id est *Dei* Genes. 35. *Apparuit ei Deus*: Hebræa. *Apparuerunt Elohin*: id est *Dei*: 2. Reg. 7. *iuit Deus, vt redimeret eam*: *iuerunt Elohin*: id est *Dij*. Quibus, similibúsque aliis locis nomen Deus pluraliter pro personis, & adiectiuè positum esse, vt mysterium Trinitatis insinuaretur, docent interpretes, & scholastici plures, & grauiores, quos dedi controu. de Trinit. d. 12. q. 1. cert. 3. n. 2. refertque Ruiz de Trinit. d. 77. sect. 5. n. 1. ex quibus aiunt *Elohin*, siue *Dei* nomen quoties cum vocibus numeri pluralis cõcordat, in Scriptura pro personis accipi, & significare adiectiuè, & merito: quia aliter verè sic concordare nequit, ac proinde iuxta regulam à nobis datam cert. 2. ita accipiendum necessario est. Ij verò sunt Abulens. tract. de Trinit. Caiet. Genes 1. Pererius d. 17. in Genes. Bellarmin. t. 1. lib. 2. de Christo c. 6. Vasquez 1. p. d. 108. c. 2. Magister in 1. d. 2. c. *Nunc verò*. Vbi S. Th. in expos. textus Carthus. q 8. S. Bonau. an reliqui veteres, & commentatores 1. p. q. 39. a. 3. ad 2. Alex. q. 50. m. 2. ad 2. 2ya, Burgens in 1. Genes. vbi Eugubinus, &c. 20.

4 Videat nunc Vasquez, quàm per se notum, atque exploratum in scholis sit: quod si tres personæ eandem humanitatem assumerent, eas omnes vnum hominem esse fore dicendum: cùm oppositum ex dictis certius adhuc concludatur. Etenim in vera enuntiatione *homo* nonnisi adiectiuè poterat vsurpari: cum substantiuè in eius sententia præsertim, adhuc identica propositione, falsò de singulis, atque omnibus personis enuntiaretur: quia dicit homo substantiuè acceptus humanitatem in recto, quæ idem esse nequit cum recto personarum assumentium: quod, sicut euenit in nomine Deus, quod substantiuè acceptum identica propositione de personis verè potest enuntiari: sicque Catholicè tres personæ vnus Deus dicuntur: quæ acceptio substantiua vulgatior cum sit, ne minus eruditi, reique scholasticæ ignari ad fidem offendant, extra scholas tres personas vnum Deum non plures fateri debemus.

At dices; ergo Deus de homine, atque homo de Deo non prædicantur, sicut Deus de personis, & homo de Petro, quæ de eis prædicantur vniuocè, & vt quid essentiale, & intrinsecum; cum tamen Deus, de homine, & homo de Deo, vt quid accidentale prædicentur, cùm adiectiuè sumantur: ergo prædicantur æquiuocè, vt canis de latrabili, & sydereo. Difficultas hæc est communis: etsi enim substantiuè vsurpetur Deus essentialiter de homine, aut homo de Deo prædicari nequit. Respondet Vasquez admisso antecedenti negando consequentiam: quia est nouus modus prædicationis non agnitus ab Aristotele mysterij huius ignaro.

Impugnat Bernal: quia solùm dicitur quomodo non prædicetur, non autem quomodo prædicetur. Sed, cum ipse in idem tandem recidat sect. 3. §. 3. n. 73. suæ etiam subiaceat impugnationi. Soar. q. 16. a. 1. §. *dicendum verò est primo*, contendit Deum de homine, & personis, ac hominem de verbo, seu Deo, & Petro vniuocè dici, sed nec rem probat, neque explicat difficultatem quæ in eo est, quod vniuoca æque iis, quibus vniuocè sunt, debeant conuenire.

Cæterùm cum æquiuoca sint, quorum ratio significata omnino diuersa est, vniuoca verò, quorum ratio est omnino eadem, quasi contradictoriè æquiuocis opposita; analoga, quorum ratio, nec omnino eadem est, nec omnino diuersa, quod vtrisque contra dicit, nomen Deus respectu personarum diuinarum, & hominis, aliquo ex his modis dici debet, atque homo de Deo, & Petro: quia non datur medium aliud: quare, licet Aristoteles has prædicationes in particulari communicationis idiomatum non agnouerit, in illis tamen modis generalibus non potuit non illas comprehendere. Respondeo igitur in iis prædicationibus, vt ea nomina accipiuntur, vniuocè dici Deum de homine, & tribus personis: quia adiectiuè accipitur pro personis, quas in recto significat, quibus proculdubio eodem conuenit modo. Similiter homo vniuocè de Petro, & Deo prædicatur: quia solùm eis conuenit de eisque dicitur, cum adiectiuè sumitur homo sub ratione habentis humanitatem, in qua conuenit Petrus, qui persona hominis est, & Verbum, quod humanitatem habet, & cum illa personam constituit, quæ homo est. Quod si homo secundum se, & absolutè, vt vtramque acceptionem continet accipiatur, æquiuocè dicetur, quia de Petro vniuocè, & substantiuè, atque essentialiter dici potest, ac de Deo solùm denominatiuè, & accidentaliter: quare rectum significatum, pro quo solum supponit nomen (nam obliqua solùm connotantur) omnino diuersum est in Petro, cum de eo substantiuè prædicatur homo, & in Deo cum de ipso adiectiuè homo prædicatur, vt rectè docuerunt Scotus in 3. d. 7. q. 1. & Almain. dub. 2. quos non satis penetratos multis in casum impugnat Bernal.

6 Et quidem, quæ hactenus diximus, in his propositionibus *homo est Deus*: & *Deus est homo*, verum omnino habere videntur; ast in aliis communicationis idiomatum, non ita planè videntur constare. Etenim, si in his *homo*, vel *hic homo mortuus*, *passus est*: & *Deus mortuus*, vel *passus est*, pro habente humanitatem, ac Deitatem, scilicet personalitatem in recto, seu, quod idem est, adiectiuè ea nomina sumantur, falsæ eiusmodi propositiones erunt: cum personalitas diuina, quæ vtroque nomine in recto significatur, cuique rectum prædicati concordat, & tribuitur, mortua non sit, neque mortalis. Cæterùm, & in his etiam doctrinæ traditæ veritas constat: habens enim humanitatem, & habens Deitatem est persona eadem, in qua duplex natura subsistit; atque vtriusque denominationes suscipit in recto posita, sicut quæuis alia persona susceptit denominationes suæ naturæ. Sed, etsi illud *habens* solam personalitatem in recto, dicat in eis propositionibus, æque atque in illis *Deus est homo*, atque *homo est Deus*, atque ea personalitas in se mortua non sit, vtpote immortalis, & indefectibilis; ast ratione naturæ mortalis, & defectibilis, quam sustentat, non minùs denominationes ipsius poterit subire, siue vna, siue altera natura exprimatur in obliquo; nam reipsa, & verè vtramque sustentat naturam.

QVÆSTIO IV.

Pro quo in propositionibus communicationis idiomatum supponantur homo, & Deus?

CONSTAT ex dictis non posse hæc nomina supponi in eis propositionibus pro natura. Solùm enim supponitur, nomen pro recto suo significato, non pro obliquo: at, cum in his propositionibus accipi substantiuè ea nomina nequeant, sed adiectiuè solùm, vt diximus, quomodo personam solam in recto significant, & in obliquo solùm naturam, nequeunt pro natura supponi. Id quod monitum velim, vt plures hâc de re Bernalis conclusiones mittamus, quibus rem hanc magis implicat, dum explicat sect. 3. §. 1. à num. 4. & §. 2. Solùm ergo est quæstio: an pro persona singulari supponantur suppositione singulari? an verò suppositione vel confusa, vel determinata pro

pro omnibus personis diuinis *Deus*, & humanis *homo*?

CERTAMEN I.

Supponuntur pro personis omnibus satis suppositione determinata Deus, & homo.

1 Est conclusio contra Soar. 3. p. q. 16. a. 1. §. *Primum dubium*, vbi ait Deum pro persona singulari Verbi supponi suppositione singulari, quod ipsum docere de termino *homo* consequenter debet: sicut docet Bernal. citato §. 1. num. 52. eam tamen tradunt Cardinal de Lugo d. 23. num. 28. & Vasquez 1. p. d. 157. cap. 4. licet hic non multa consequentia ad ea, quæ ex 3. p. retulimus: nempe hæc nomina dicere in recto naturas solum. Probatur: quia *Deus*, (& idem est *homo*) adiectiuè sumptus, est terminus communis nullam personam singularem designans, sicut Verbum, aut Petrus: atqui ex adiunctione copulæ *est*, & prædicati *homo* non eo vsque distrahitur à communitate, vt ad significandam personam singularem in particulari habentem de facto Deitatem, & humanitatem trahatur: nec tam parum distrahitur, vt significet, ac supponatur confuse pro hac, vel illa persona habente humanitatem, & Deitatem: ergo supponitur pro omnibus personis suppositione determinatâ. Minor probatur: quia id ad veritatem earum propositionum non est necessarium. Licet enim in aliquo singulari propositiones contingentes, cuiusmodi ista est, verificentur, non tamen pro eis solùm termini supponuntur, sed pro reliquis etiam determinata suppositione: vt patet in hac: *homo currit*: quæ in Petro. v. g. verificatur, & tamen determinatè pro omnibus hominibus supponitur. Secundo; quia propositiones contingentis prædicati distrahunt ad significandum terminum communem ea, quibus priuatio, & per se contâgere prædicata possunt quæ sunt indiuidua omnia determinata suppositione significatâ, non confusâ, nec singulari, vt in summulis monstrabamus, & d. 12. de Trinit. leuius attigimus.

2 Probatur tertiò: quia pro eis omnibus supponitur terminus communis, in quibus saluari absolutè potest veritas propositionis secundùm se consideratæ; saluari autem absolutè potest in alia persona. v. g. in Patre si hic incarnasset, vt absolutè potuit, non autem Filius: tunc enim, etsi in filio designato vera non esset, esset vera eadem propositio in Patre: quare, quoúsque omnibus designatis nullam incarnasse, esseque Deum conuinceretur, non cõuinceretur falsatitis propositio: ergo pro omnibus personis determinatè supponitur. Confirmatur quia hæc propositio *homo currit*, quæ vera est currente Petro, vera etiam esset non currente Petro sed Paulo, vel alio quouis indiuiduo: ergo pro omnibus supponitur homo determinatè: ac proinde omnes percurri possunt, ac debent, vt veritas ratione alicuius, siue in aliquo deprehendatur. v. g. *hic homo currit*, vel *hic homo currit*, vel *hic homo currit*. Ergo similiter hæc propositio *Deus est homo*, quæ de prædicato contingenti est, quauis persona diuina incarnata, licet Verbi persona non esset, sed Patris, vel Spiritus sancti vera esset; atque ad eius veritatem deprehendendam tres personæ percurri poterũt hoc modo ergo: *Hoc habens Deitatem*. v. g. Pater *est habens humanitatem*: vel *hoc habens Deitatem*, v. g. Spiritus Sanctus *est habens humanitatem*. quare pro personis omnibus determinate suppobitur Deus in hac propositione, sicut homo in illa.

3 Quartò, pone hanc propositionem *Deus est homo* proferri ante Verbi incarnationem: tunc quidem eadem esset suppositio terminorum (esto alia esset propositio indiuidua, quia diuersum tempus significabatur per copulam, ab illo, quod nunc significatur.) quia copula est, & tempus præcise non variant terminorum suppositiones, quando eadem sunt prædicatum & subiectum omnino, sine noui signi, aut alterius vocis affectione: atqui tunc supponeretur pro omnibus personis diuinis terminus Deus: ergo, & tunc. Consequentia est certa. Minorem probo: qui tunc diceret *Deus est homo*, non conuinceretur erroris designato Patre, & deprehenso eum habentem Deitatem non esse hominem, siue habentem humanitatem: neque etiam designato Filio, & deprehenso eum non esse hominem, siue habentem humanitatem: nisi designato etiam Spiritusancto id ipsum in illo recognosceretur: nempe hominem, siue habentem humanitatem non esse: ergo pro eis omnibus personis, siue habentibus Deitatem Deus ibi determinatè supponitur: alioqui eo descensu per omnes vtendum non esset, qui suppositionis determinatæ proprius est: neque proferenti pateret designata vna persona, quæ Deus non esset, ad alias recursus: nam ad eas solum, quas significat dum profert, pro quibusque terminus supponitur, recurrere licet ad veritatem propositionis assertæ examinandam. Decepit autem Soarium, & Bernalem, quod ratione vnius personæ singularis vera esse debeat.

4 Illud autem, quod suprà insinuauimus, probauimúsque late in summulis: prædicata contingentia (cuiusmodi est prædicatum propositionis huius *Deus est homo*) non facere supponi subiectum pro omnibus suppositione confusa, sed determinata. Videtur esse contra Vasquez & Lugo: sed tamen confusam, & indefinitam eam vocant, quia non est pro persona determinata in singulari, vt opposita sententia contendebat: id quod satis declararunt exemplis, quibus suam explicuerunt mentem, quæ suppositionis determinatæ, non autem confusæ, vel indefinitæ sunt. Aiunt enim supponi terminum *Deus*, sicut homo in hac: *homo est albus*: quo cessant Bernalis impugnationes contra ipsos, faciléque probatur à pari: quia veriusque prædicatum contingens est. Secundò à priori: quia, vt in summulis dicebam, prædicata, quæ speciei non ratione sui, & primariò competunt, sed secundariò, & ratione singularis, cui primariò conueniunt, extrahunt terminum communem specie ad designificandũ, & supponendum pro indiuiduis in gradu proximo ad singulare, cui primario competunt, & ratione cuius speciei conueniunt: atqui prædicata omnia contingentia (cuiusmodi est in re præsenti homo) competunt subiecto, v. g. Deus, ratione indiuidui singularis: ergo extrahunt terminum communem ad significandum & supponendum pro indiuiduis in gradu proximo ad singulare, ratione cuius competunt termino communi: atqui immediatus gradus ad singulare illud, est gradus significationis pro indiuiduis suppositione determinata quia indiuiduum determinatè significatũ immediatum est ad singulare: ergo prædicata contingentia (cuiusmodi est homo) supponere ficiunt terminum communem subiecti v.g. *Deus* suppositione determinata, non confusa.

CERTAMEN II.

Aliorum argumenta eleuantur.

1. Oppones primò. S. Th. 3. p. q. 16. a. 1. corp. fine asserentem ex 1. p. q. 39. a. 4. in his propositionibus Deum pro verbo, quæ singularis persona est, supponi. Respondetur nos etiam asserere supponi terminum *Deus* pro persona Verbi singulari, sed non pro illa solùm, sed, & pro aliis duabus, suppositione determinata; quod nusquam ibi S. Thomas negat. Allegat autem doctrinam primæ partis, non, vt sicut ibi

ibi supponi terminum *Deus* in hac, *Deus generat* (scilicet pro persona singulari Patris, cuius notionale prædicatum est generare) singulariter dicit, ita in hac *Deus est homo*: quod prædicatum notionale Filij non est, singulariter supponi docet pro Filio; sed vt probat nomen *Deus* supponi adiectiuè, & pro personis in recto posse. Eius verba sunt. *Nomen enim significans naturam communem in concreto potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi: sicut hoc nomen homo potest supponere pro quolibet homine singulari; ita hoc nomen* Deus *ex ipso modo suæ significationis potest supponere pro persona filij Dei.* Vbinam hic docet pro ea solum supponere? Subdit autem: *de quolibet autem supposito alicuius naturæ potest verè, & propriè prædicari natura in concreto, sicut de Sorte, & Platone propriè, & verè prædicatur homo: ergo persona filij Dei, pro qua supponit hoc nomen Deus, est suppositum naturæ humanæ verè, & propriè*, &c. Sed neque hic negat supponi profaliis; sed ostendit supponi pro eo, ratione cuius verificanda propositio in sensu proprio est, quod sui instituti erat. Plana hæc solutio à nostro Lugo data detortis intelligentiis, in casum impugnatur multis à Bernale.

2 Ab absurdo impugnat Soar. proximè. Propositiones de prædicato contingenti, & subiecto supponente determinata suppositione tam affirmatiua, quam negatiua possunt esse simul verè, v.g. *homo est albus, homo non est albus.* Et vniuersim subcontrariæ quænis in materia contingenti: quia ratione vnius singularis alterutra satis verificari potest: ergo poterit esse vera in re præsenti non solum *Deus est homo*, sed simul & hæc, *Deus non est homo*; quod est absurdum. Scholastice loquendo nego absurditatem, vt ipse etiam Bernal negat citato §. 1. num. 46. malè sensum, in quo admitti potest, physicum vocans: cum sit valde subtilis, metaphysicus, & Scholasticus: quare apud vulgus, qui acceptiones adiectiuas nominum substantiuorum naturæ non callent, admittenda negatiua non est: intelligent enim Deitatem in nullo supposito diuino vnitam humanitati hypostaticè fuisse, quod est hæreticum. Sensu autem metaphysico, & scholastico facilius eam admitterent, qui eam admittebant *Deus non generat*, licet vitandum ob scandalum moneant, vt Gregorius in 1. d. 5. q. vnica verific. *sed restat dubium.* Gabriel. q. 2. art. 2. concl. 2. Aureol. q. 1. apud Capreol. q. 2. num. 12. vbi Durand. Marsil. in 1. q. 8. art. 3. versu *ad secundam rationem principalem.*

3 Neque vero eandem esse huius propositionis, & illius *Deus non est homo* rationem, vt hac admissa, & illa Deus non generat admittenda sit, quam pauculi meticulosè admittunt. Cum enim generat, siue est generans terminum notionalem Patris solius, proprium contineat Deum singulariter supponi, vel supponere facit, vt bene obseruabat S. Th. 1. p. q. 39. art. 4. & Vasquez d. 157. aliíque communiter: quare negatiua erit falsa adhuc rigidè, & scholasticè loquendo. Secus *Deus non est homo*, in qua nihil notionale est, quod Deum singulariter supponere faciat, vt num. 1. notabam. Hoc sibi volebat recitatus Damascenus q. 3. cert. 3. num. 1. & 3. de fide cap. 4. init. dicens Deum dici de natura; cùm substantiuè accipitur, & de persona cum adiectiuè vsurpatur: quandoque etiam in singulari. *Nimirum*, inquit; *eo, quod specialius est*, nempe singularis persona, *generaliori nomen*, id est personæ diuinæ, seu habentis Deitatem, *suscipiente.* Quando vero id eueniat exemplo demonstrat: Vt cum Scriptura ait *propterea vnxit te Deus tuus: vides enim hic Patrem, & filium designari.* Filium pronomine *te*, Patrem *Deus Deus tuus*: qui propriissimè, vt repetitione nominis Deus Hebraicè significatur Filij Deus est, vt videat Bernal, quàm parùm, imò nihil, præsidij in hoc Damasceni testimonio pro sua, & Soarij sententia possit reperiri.

4 Subtilius opponi tertio posset. Licet habenti Dei-

tatem, nempe Verbo, contingens sit habere humanitatem, & ratione illius Deo adiectiuè vsurpato, siue habenti Deitatem: aft huic homini, siue huic habenti humanitatem, nempe eidem Verbo, quod illam habet, contingens non est habere Deitatem: ergo, licet in hac propositione *Deus est homo: Deus* supponatur determinatè, quia propositio est de prædicato contingenti, vt dicebamus; aft in hac *homo est Deus*: homo non supponetur determinatè: quia non est de prædicato contingenti. Respondetur eodem argumento probari posse in hac propositione *album est homo*: illud album non supponi suppositione determinata: quia huic habenti albedinem non est contingens esse hominem v.g. Petro, qui essentialiter homo est: & tamen per omnes determinata suppositione in ea propositione supponitur. Respondetur ergo contingentiam propositionis desumendam esse ex identitate recti significati subiecti, & prædicati, quæ per copulam est in his propositionibus asseritur. Ea autem identitas contingens est: nam licet Verbo contingens non sit esse Deum; aft contingens est esse hominem, & Deum, vt patet: quod ipsum dictum de albo in alia propositione puta.

QVÆSTIO V.

De earum propositionum qualitate.

Licet veritas, & certitudo propositionum qualitates sint: quia tamen de harum qualitate, & certitudine dictum satis est q. 1. aliæ solum qualitates earum examinandæ in præsenti sunt. An scilicet sint propositiones per se, an per accidens? in materia materiali, an contingenti? ad quod insuper prædicabile spectent.

CERTAMEN I.

Sunt propositiones per accidens, & in contingenti materia.

1 Ricard. in 3. d. 7. art. 1. q. 1. ad 3. Argentina q. vn. art. 4. ad 5. S. Th. q. 1. art. 1. & 4. & 3. p. q. 16. art. 1. ad 1. Caiet. & Dominicani interpretes ibi Ferrara 4. contra 9. c. 45. §. *Pro horum solutione* esse propositiones per se putant. Bernal d. 45. sect. 3. §. 4. num. 83. & 84. arbitraria quadam acceptione concretorum substantiuorum essentialium, & extra essentialium, totum hoc cuique arbitrarium reliquit. Ait enim accepto termino Deus, vt concretum essentiale esse per accidens, & in materia contingenti. *Deus est homo.* Is enim est sensus, *Constitutum essentialiter ex Deitate, & filiatione est terminans humanitatem*, quod contingens prorsus est; accepto verò, extra essentiale esse per se, & in materia naturali: reddit enim sensum: *habens Deitatem extra essentialem sibi est constitutum ex humanitate, & filiatione*: constitutio autem, cui extra essentialis, ac non essentialis Deitas in Christo sit essentialis homo est, siue esse constitutum ex humanitate, & filiatione. Sed vanè diuisio hæc concretorum, qua res potius præsens intricatur, quam expeditur inducta est: cum nomina concreta in adiectiua, & substantiua, atque horum quoduis in substantiuè, & adiectiuè accepta hactenus diuisa ab Scholasticis, & Gramaticis solummodo fuerit, vt ipse fatetur sect. 2. §. 2. num. 23. eisque diuisionibus clarius res præsens expeditur.

2 Insuper falso, & curte sua vtitur doctrina Bernal; falsò quidem: quia, si proferens non exprimat extra essentialiter, vel essentialiter à se sumi terminum

Deus in propositione *Deus est homo* qui eam audit, neutrum sensum poterit determinatè percipere. Secundò: quia ex hac doctrina fateri cogitur numer. 83. citato hanc propositionem *risibile est homo* esse de prædicato specifico, quod nemo somniauit. Curte autem, quia non explicat, qua ratione accipiendus sit terminus, seu prædicatum *homo* essentialiter, an extra essentialiter: cum Deus alterutro modo accipitur. Si autè essentialiter vterque accipiatur, erit sensus: *constitutum essentialiter ex Deitate, & filiatione est constitutum essentialiter ex filiatione, & humanitate*: quare non erit in materia contingenti, vt ipse aiebat, sed in remota, & impossibili, ac necessario falsa propositio. Sin verò vtrumque extra essentialiter accipiatur erit sensus: *constitutum, seu habens extraessentialiter Deitatem in Christo est habens extraessentialiter humanitatem, seu constitutum extra essentialiter ex ea, & filiatione*: quod in eius explicatione nec per se, nec in materia contingenti, & per accidens est, sed in materia remota, & impossibili, ac necessario falsum: nam constitutum extraessentialiter ex Deitate, & filiatione in Christo essentialiter est constitutum ex filiatione, & humanitate: quare non potest esse ex illis extraessentialiter constitutum. Acceptio autem concreti vnius essentialiter, & alterius extraessentialiter in propositione eadem magna æquiuocationis occasio est, atque indigna, quæ per regulam Theologicam tradatur. Denique repugnat regula hæc cum Bernalis doctrina sect. 2. §. 2. num. 23. vbi ait malè ab aliquibus Theologis concretâ substantiua harum propositionum essentialia vocari, cum extraessentialia sint, & accidentalia, atque, vt talia solum accipi debeant.

3 Dicendum est propositiones hasce esse propositiones per accidens, & in materia contingenti. Ita S. Bonau. in 3. d. 7. a. 1. q. 2. ad 4. Scot. q. 1. §. *quinto videndum*. Maior q. 2. §. *dubitatur* p. 2. Bassol. q. vn. §. *Quantum ad primum*. Lichet. q. 1. Almain. dub. 1. fine Paludan. a. 2. Durand. q. eadem ad 2. Capreol. ad argumenta Scoti contra secundam concl. Marsil. q. 6. ad 5. rationem Vasquez d. 68. c. 2. num. 4. Licet in acceptatione sua substantiua horum concretorum in materia remota esse eas propositiones, ac necessario falsas contra ipsum euicerimus supra q. 3. cert. 1. n. 4. Soar. d. 35. sect. 3. §. *contraria sententia*. Durandus, & Paludanus, licet asserant ea concreta pro naturis in recto significare: cum tamen in natura, etiam diuina, factam vnionem fateantur, vt vidimus controu. 1. nihil docent inconsequens. Probatur conclusio: quia eo propositiones istæ veræ sunt, quod concreta earum adiectiuè vsurpentur, significéntque *habens Deitatem est habens humanitatem*: atqui habenti Deitatem habere humanitatem non est per se, & in materia naturali, sed per accidens, & in materia contingenti: ergo eiusmodi propositiones per accidens sunt, & in materia contingenti. Obiici hic poterat, quod obiiciebamus, & diluimus q. 4. cert. 2. num. 4. cui etiam satisfiet, si dicatur terminum *homo* supponi pro tota hominum collectione, determinata suppositione, cui contingens est intra ipsam includi hominem ex humanitate, & personalitate diuina constantem, licet huic habere Deitatem non sit contingens, sed necessarium, & essentiale physicè.

4 Simili Scoti probationi respondet Caietanus: terminum *Deus* supponi pro persona Verbi singulariter, & quatenus habet humanitatem: cui, vt sic, nec contingit, nec per accidens est, sed omnino per se hominem esse. Multis mihi non satis firmis impugnat Vasquez solutionem. Sic autem ego: quia, vt q. 4. ostendimus, terminus Deus non supponit, vel supponitur singulariter pro persona Verbi, sed suppositione determinata pro omnibus personis diuinis disiunctiuè. Minus autem supponere Deus potest pro Verbo, vt habente humanitatem adhuc ratione prædicati *homo*: subiuncti: quia licet prædicata aliter, atque alias sæpè supponere subiecta faciant, vt diximus, id tamen est intra latitudinem concretorum in significato subiecti: atqui humanitas, adhuc indirectè, non continetur in significato subiecti *Deus* quouis modo accepti, vt patet.

Impugnat benè Vasquez num. 8. § *sed age*: quia, si prædicatum efficere potest, vt ipsum ex parte subiecti significetur à subiecto, nulla erit propositio in materia contingenti & per accidens: in hac enim *Petrus est albus* ex parte subiecti non significabitur Petrus nudus, sed, vt habens albedinem, quo pacto non contingenter, sed essentialiter, & per se albus est. Denique rectè ex hac Caietani doctrina infert admittendam necessariò ab ipso hanc propositionem hæreticam *Deus est homo, in quantum Deus*. Etenim, si *Deus* ex prædicato *homo* significat Verbum, seu Deum, vt habentem humanitatem, non potest magis negari esse quatenus Deum hominem, siue habentem humanitatem, quam album quatenus album esse album, siue habens albedinem.

5 Idem absurdum deducit Durandus quia ex Arist. 1. poster. c. 4. quidquid alicui conuenit per se, conuenit ipsi *secundùm quod ipsum*: quia conuenit ipsi, vt essentiale ipsius: ac proinde non magis esse sine eo potest, quàm sine se ipso: atqui Deo per se conuenit per se esse hominem: ergo conuenit Deo secundùm quod ipsum, siue in quantum Deus est. Ex eodem Aristotelis principio traditur ibidem aliud ab Arist. quod neque à Caietano negatur: nempè quidquid prædicatur per se de aliquo prædicari debere de omni contento sub illo: quia nequit non esse sine illis essentia eius, sub quo continentur. Vnde arguit Scotus: atqui esse hominem non prædicatur necessariò de omni contento sub Deo, seu habente Deitatem, scilicet de tribus personis diuinis: imò nec de duabus potest verè prædicari: ergo non prædicatur per se de Deo, seu habente Deitatem, sub quo tres personæ habentes Deitatem continentur. Præcluſi solutionem Caietani ad hoc Scoti argumentum. Monet autem oportunè Vasquez num. 5. § *verum antequam* ad mysteria fidei tuenda nouam logicam excogitare non licere, ne cum ipsis à doctis & Philosophis Ethnicis videamur. Ad reduplicatiuam Durandi respondet Caietanus *in quantum* ponere Deum quem afficit ex parte prædicati: est enim sensus *Deus in quantum est Deus*: posito autem termino Deus, vel quouis alio substantiuo concreto naturæ ex parte prædicati supponere non pro persona, seu adiectiuè, sed pro natura: quare addita reduplicatiua variatur termini *Deus* suppositio: quæ variata non currit Aristotelis axioma: quod intelligi propterea debet quando propositiones sunt veræ, & prædicata conueniunt subiectis concretis ratione formæ, seu naturæ, ac nequit esse variatio suppositionis eorum per additionem reduplicatiuæ, non verò quando sunt veræ ratione suppositi, ac variandæ suppositioni locus manet.

6 In primis limitatio regulæ vniuersalis Aristotelicæ commentitia est, & quæ ratione à nobis data explodiur. Secundo concreta substantiua naturæ posita ex parte prædicati supponi pro natura falsum est: & ex quo propositiones communicationis idiomatum *Deus est homo*: & *homo est Deus* falsæ necessario erunt: cum nequeat esse idem directum significatum subiecti, & prædicati. Tertiò per reduplicatiuam terminus non fit prædicatum sui ipsius, sed reduplicatur, seu specificatur secundum quid subsit prædicato subiectum. Quartò: quia reduplicatio cadit supra significationem, & suppositionem subiecti, quam reduplicat: quare nequit illam mutare, vel variare. Quintò Caietani regula admissa, inquit Vasquez, hæc est propositio per se *Verbum est homo*, & ratione cuius hæc *Deus est homo*: est propositio per se: atqui addita particula reduplicatiua non significabitur in recto natura, cuius concretum non est, sed personæ: ergo hæc erit vera *Verbum in quantum Verbum est homo*; quod est hæreticum.

Dices pro Caietano: illud *in quantum* denotare rationem formalem, ob quam sit homo, quod non est Verbum. Sed quid si non specificatiuè, sed reduplicatiuè accipiatur? secundo idem denotat terminus *per se*. nempe essentialiter conuenire prædicatum subiecto; & tamen à te admittitur in ea propositione. Tertio Verbo, quatenus per te ratione prædicati est sub duabus naturis, formaliter competit esse hominem, & Deum: ac proinde, sicut Christus inquantum Christus dici Deus & homo potest, ita, & Deus, ac Verbum. Denique non leuiter nostra conclusio probatur: quia nihil est, quod leuiter illam adhuc oppugnet præter S. Th. citati num. 1. authoritatem, qui tamen explicari potest, vt de propositionibus materialiter sumptis loqueretur, quo ostenderet Dei, & hominis physicam, & realem in substantiis & naturis vnum per se constituentibus, non accidentariam, & affectiuam duarum per se entitatum vnum per accidens Nestorianè constituentium vnionem in Christo fuisse; non autem de modo conueniendi, & dicendi prædicatum de subiecto: de quo & nos hic, & Aristoteles loco citato. Hæc sanè omnia eodem moda de hac propositione: *hic homo est Deus* intelligenda sunt.

CERTAMEN II.

Christus, Emanuel, Iesus, est Deus, vel est homo *sunt propositiones per se, vbi vtriusque designatur prædicabile.*

2 Scotus supra, quem sequitur Gabr. apud Soar. sect. 3 §. *vlterius verò*. Bassolis in 3. d. 7. q. 1. §. *quantum ad primum*. Paludan. q. 1. a. 3. docent has propositiones non esse per se: quia, licet prædicatum necessario conueniat subiecto, tamen ex parte subiecti eorum, quæ dicit, nempe naturas duas, non est connexio, siue vnio necessaria, & per se, vt opus erat ad propositionem per se; sed vnio per accidens, vt ait Scotus, vel contingens, vt loquitur Paludanus. Nostram verò conclusionem docent citati Doctores cert. 1. pro perfeitate propositionum omnium communicationis idiomatum; ex aliis verò Marsil. & Maior citati ibidem Soar. & Vasquez vbi proximè c. 3. §. *Mihi tamen*. Hic autem malè censet veras has propositiones esse, etsi prædictarum subiecta, accipiantur pro natura, vel naturis, quas proinde in recto significent. Erit enim ita accepto homine *Christus* propositionis *Christus est Deus*, vel *est homo* sensus iste: *Deitas, & humanitas cum personalitate est humanitas cum personalitate*, vel *est Deitas cum personalitate*: quod esset prædicari partem de toto: v. g. *homo est anima, vel est corpus*, quod est planè falsum. Secundo: cum liceat conuertere hanc *Christus est Deus*: in hanc *Deus est Christus*, si prima sit *Deitas, & humanitas cum personalitate est Deitas cum personalitate*, vt iuxta hanc Doctrinam Vasquianam est, in hanc poterit conuerti *Deitas cum personalitate est Deitas, & humanitas cum personalitate*: quæ est apertè falsa. Solùm ergo possunt ea nomina adiectiuè vsurpari in propositionibus præfatis.

2 Probatur conclusio: quia in hac propositione *Christus est homo*, & similibus, prædicatum est de essentia subiecti: quare, & illi per se, & ratione sui conueniens: atqui id solum requiritur ab Aristotele 1. Poster. c. 4. vt aliquid de aliquo per se formaliter, & propriè dicatur: ergo ea prædicatio & propositio est formaliter, & propriè perse. Secundo: quia, vt ex eodem Aristotele ibidem referebamus: quidquid de aliquo prædicatur secundùm quod ipsum, sicque ei conuenit, conuenit ei, ac de eo prædicatur propriè formaliter per se: atqui prædicatum eius propositionis, & similium conuenit Christo, de eoque prædicatur secundum quod ipsum: ergo conuenit illi, de eoque prædicatur propriè, & formaliter per se. Quod autem ad propositionem per se vlteriùs Scotus, & Paludanus requirebant, nempe, vt quidquid in subiecto propositionis per se est, necessario, & per se connexum sit, non per accidens, siue contingenter, commentitium planè est, & contra Aristotelem proximè, quodque facilè refellitur à Marsilio, & Maiore: quia omnium sententia *Petrus albus est albus, vel coloratus: seu album est album, vel coloratum*: sunt propositiones per se; & tamen Petrus, quoduisue aliud albedinis subiectum albedine non per se, & necessario, sed per accidens & contingenter, seu accidentariè prorsus connectitur, vt nemo non videat.

3 Circa prædicabile, ad quod spectent propositiones communicationis idiomatum, S. Bonau. Scot. & Bassolis citati propositiones primas *Deus est homo*, & similes ad sextum quoddam prædicabile quinque vulgaribus additum spectare censent. Consentiunt Fonseca. 5. met. c. 8. q. 7. & Conimbr. in proœmio Logicæ *assumptiuum* illud vocantes: inani quidem, & prædicabilis, & vocis adinuentu: cum eis propositionibus in quinque prædicabilibus suum non desit. Alij ad secundum prædicabile eas reuocant: quia speciem de individuo eis propositionis prædicari putant: quibus consentit Bernal. d. 45. sect. 3. §. 4. num. 84. Si ea nomina extra essentialiter accipiantur (licet aliis acceptionibus eorum ad alia prædicabilia pertinere censeat) quia sensus in ea acceptione est: *constitutum habens Deitatem sibi extra essentialem est homo, seu constitutum ex humanitate, & personalitate diuina*: quod idem est, atque *hic homo est homo*. Sed contra: quia, si homo accipiatur extra essentialiter, vt potest per te, sensus prædicati erit *est habens humanitatem sibi extra essentialem*: ergo non, vt speciem. Secundo: quia habens, quod est directum significatum concretorum eorum in eis propositionibus est personalitas diuina, cui metaphysicæ, & logicè Deitas extra essentialis est, & physicè etiam humanitas: item personalitatis significatæ nomine homo, quod pro omnibus personis hominum etiam supponitur, per accidens est diuinam de facto esse.

4 Dico primo eiusmodi propositiones ex quinto prædicabili sunt. Ita Vasquez c. 4. §. *Mihi verò*, & Soar proximè cum Marsil. Maiore. Almaino, Gabr. & reliquis, qui nobiscum eas propositiones, per accidens, & materiæ contingentis esse docuerunt. Probatur: quia accidens quintum prædicabile est, quod potest adesse & abesse à subiecto præter eius corruptionem, à Deo autem potest adesse, & abesse præter eius corruptionem esse hominem: ergo homo, esse hominem respectu Dei, quod est subiectum, est quintum prædicabile. Nec inferes inde: ergo vnio Dei ad humanitatem est accidentalis, si physice loquaris, nec solùm logicè. Sicut, licet homo de animali, & Petrus de homine, quoduisque inferiùs de suo superiori logicè accidentaliter, & prædicatione quinti prædicabilis dicatur; quia animali logicè contingit esse hominem, & homini contingit esse Petrum; non tamen inde infertur physicè accidentaliter ipsi coniungi. Sed nec, si illud inferretur, quidquam contra Patres inferretur, qui solum vnionem physicam Dei ad humanitatem contra Nestorium contenderunt, eámque naturalem, & substantialem appellarunt: denominatiuè solum fortasse ab extremis, quæ nectit, quæ quidem substantiæ sunt: sicut de modo vnionis compositi naturalis docebamus in physicis nihil esse, quod eum intrinsecè substantialem esse demonstret: imo neque efficaciter suadeat, sed denominatiuè ab extremis substantialibus.

5 Dico secundo: Hæ propositiones *Christus est homo*, & similes pertinent ad secundum prædicabile speciei. Ita Vasquez. Soar. & reliqui, qui eas propositiones per se esse docuere num. 1. Probatur facilè: quia

Christus dicit hoc singulare habens naturam diuinam, & humanam: ergo de eo prædicatur habens naturam diuinam, vel habens naturam humanam in communi, vt species de indiuiduo suo. Non aliter ac quando dicimus accepto termino adiectiuè *hic homo est homo*, neneque his amplius est immorandum cum adeò sint aperta.

DISPVTATIO II.

De Propositionibus nonnullis communicationis idiomatum in particulari.

DICTA hactenus ad communicationem idiomatum generatim consideratam spectant. Iam ad speciales aliquas propositiones, de quibus peculiaris poterat esse difficultas examinandas, progredimur.

QVÆSTIO I.

Liceátne idiomatum communicatio particulis reduplicatiuis?

PArticulæ reduplicatiuæ sunt *in quantum*, *quatenus*, *qua*, *vt*, *secundum quod*, & si quæ aliæ similes occurrunt. Quæstio igitur est an liceat dicere *hic homo*, aut *homo*, *aut Christus in quantum homo est Deus*, vel *Deus*, aut *Christus in quantum Deus*, *est homo*?

CERTAMEN I.

Reduplicatiuarum exacta acceptio.

1 SIc nonnulli reduplicatiuas particulas explicant: vt particulæ reduplicatiuæ tunc reduplicatiuè accipiantur, cum denotant rationem formalem, vel formam, ratione cuius prædicatum subiecto conueniat: specificatiuè vero cum materiale subiectum, siue materiale subiecti, cui conuenit prædicatum designant v.g. cum dicimus, *Petrus quatenus homo est rationalis*, reduplicatiue reduplicatiua *quatenus* vsurpatur: de albo vero *quatenus album* specificatiue, si idem Petrus sit album, de quo loquimur, poterit dici *esse rationale*. Videtur hæc acceptionum explicatio fundamentum habere in Alexandro 3.p.q.6.m.2.art.2.iuxta correctionem literæ mendosæ adhibitam à Vasquez d.69.cap.1.num.2.& in Marsilio in 3.q.8.art.3.circa fin. asserentibus hanc propositionem *Christus in quantum homo est Deus* veram esse accepta particula *in quantum*, vt denotat suppositum hominis Christi, quod quidem Deus est. Ea etiam acceptione reduplicatiuè illius veram eandem propositionem esse ait S.Thom. 3.p.q.16.art.11. eam tamen acceptionem, & sensum improprium esse docet ibidem. Sed, licet neque Doctores hi, neque ex antiquis alius hanc acceptionem vocis reduplicatiuæ pro subiecto, vel supposito specificatiuam dixerit, Recentiorum vulgarium Theologorum numerus eam reduplicationis specificatiuæ, & reduplicatiuæ explicationem pene fecit præscribere. Sed præscriptioni obsunt primo, quod inde inferatur album aliquod quatenus album specificatiuè dici posse rationale, vt vidimus. Secundo quia specificare, & specificatio, vtpote ab specie, quæ solam significat formam, deriuata, non materiam, sed rationem solùm formalem prædicandi poterunt significare.

2 Vasquez d.62. cap.2. §. *caterùm* d.69. cap.1.n.3. §. *Mihi tamen* omnium optimè acceptiones istas explicuit. Asserit primò tunc reduplicatiuas particulas reduplicatiuè accipi, cum supra totum subiectum cadunt, v.g. *homo quatenus homo*, id quod ipsa vox reduplicandi satis probat. Nihil enim reduplicatur nisi, quod secundùm se totum iterum plicatur & repetitur: si enim aliquid tantum ipsius reduplicatiua afficitur, cum id termino alio effici debeat, nullus terminus repetitur, aut replicatur: vt patet in his *Christus in quantum homo*, vel *in quantum Deus*. Tertiò: cum hæ voces solùm accipi possint specificatiuè, aut reduplicatiuè, & specificare sit aliquid speciale in termino significare, quod totius termini repetitione fieri nequit, cum totus terminus reduplicatiua afficitur reduplicatiuè eiusmodi copula necessario vsurpabitur. Displicet solùm §. *caterum* quod ait *homo secundùm humanitatem* reduplicatiuè sonare: cum in eius doctrina humanitas totum, quod homo etiam præcisè sumptus, non sit. Specificatiuè verò accipi reduplicatiuas ait, cum terminum afficiunt, quod aliquid subiecti est, & ratione cuius prædicatum concedendum vel negandum subiecto est in vera enuntiatione. Tunc enim specificant, denotant, & determinant aliquid, ratione cuius denegandum vel concedendum prædicatum subiecto sit. Vnde sic acceptas reduplicatiuas specificatiuè notas determinationis appellauit Caietanus v.g. Christus, *secundùm quod homo est rationalis*, *visibilis*, *passus*. Has reduplicatiuarum acceptationes reduplicatiuè, & specificatiuè sub eis vocibus & explicationibus tradidere Almainus in summulis de consequentiis agens. Antonius Sylueſter de reduplicatiuis; neque alia est explicatio OKami in 1.d.12.q.2. Gabrielis, & aliorum antiquorum ibi, quos sequitur VVadingo d.13. dub.4. §. *Notandum*: quasi aliter eas explicent: cum tamen neque ipse ab hac explicatione, vt volebat, tandem recesserit.

3 Obseruandum verò hic est cum Vasquez d.66. c.2. num.8. & d.69. num.3. sine contra nonnullos, discrimen inter reduplicatiuas reduplicatiuè acceptas, & acceptas specificatiuè: Primo enim modo semper sunt notæ perfectatis, solúmque addi possunt subiectis cum prædicatum per se illis conuenit: idem enim valent, ac *secundùm quod ipsum*, vt Aristoteles aiebat 1. Post.c.4. explicans modum dicendi per se à nobis relatum d.1. q.5.cert.1. à num.4. Secundò verò modo acceptæ reduplicatiuè specificatiuè non secundum se & semper sunt notæ perfeitatis, siue efficiunt propositionem per se: vt patet in hac *Christus secundùm quid*, *vel quatenus homo est passus*, quæ contingens proculdubio est. Ratio est facilis: quia, cum reduplicatiua specificatiuè accepta denotet causam, secundum quàm prædicatum conuenit subiecto, tam materialem, quam efficientem, nec solùm formalem, causæque materiales, & efficientes de se non necessario, sed contingenter plerumque operentur: propositiones, in quibus causæ materiales, aut efficientes prædicatorum reduplicatiuis specificatiuèacceptis in subiectis denotantur, contingentes plerumque, non autem per se, & necessariæ erunt. Reduplicatiua specificatiuè accepta rursus diuiditur in diminuentem, siue additum diminuens, & non diminuens. Diminuens est, cum partem subiecti designat, cui solùm prædicatum conuenit v.g. *Ethyops est albus secundum dentes*: & *Homo secundùm animam est spiritualis*. Non diminuens, quæ designat causam, siue rationem cur prædicatum subiecto absolutè conueniat, vt in exemplis hactenus datis claret.

4 Reduplicatiuarum propositiones sic generatim explicant

plicant OKamts, Gabr. & Sumulistæ vulgo, vt in quatuor propositiones resoluantur v.g. *Petrus, qua musicus canit*: in has, *omnis musicus canit*, *vel potest canere*. Secunda: *Petrus est musicus*. Tertia *Petrus canit*. Quarta: *Musica est causa canendi*. Ego verò explicationem hanc reduplicatiuarum generatim veram esse non iudico. Tum, quia propositiones reduplicatiuarum reduplicatiuè acceptarum non bene explicat, vt statim videbimus: tum, quia reduplicatiuarum specificatiuarum diminuentium explicatio mala est: tum denique; quia etiam non diminuentium est superflua explicatio. Atque, vt ab hoc ordiar vbinam illa propositio continetur; *omnis musicus canit*, *vel potest canere*, in illa *Petrus*, *qua musicus canit*? deinde in specificatiua diminuente non licet terminum quem afficit reduplicatiua prædicari de subiecto v.g. *Æthyops est albus secundum dentes*: *Æthyops est dentes*, sed solùm *habet dentes*: & ratio est, quia in his designatur terminus per reduplicatiuam, qui pars subiecti physica præcisè est, quæ, vt talis nequit prædicari de toto. Facilius ergo explico reduplicatiuas propriè, & strictè reduplicatiuas additione vocis per se, aut essentialiter: v.g. *homo*, *qua homo est rationalis* hoc pacto *homo per se*, aut *essentialiter est rationalis*, quæ particulæ physicè, vel metaphysicè sumi possunt. Reduplicatiuas verò specificatiuè acceptas non diminuentes per causalem vnam: v.g. *Petrus canit*, *quia musicus est*: seu, *& musica est causa illi canendi*; diminuentes verò prædicando adiectiuè prædicatum propositionis de parte, quam afficit reduplicatiua diminuens: v.g. *Æthiops habet dentes albos*.

CERTAMEN II.

De reduplicatiuis reduplicatiuè acceptis, Conclusiones.

1 DOctores citati cert.1.num.2.& Caiet.q.16.a.11. asserunt hanc propositionem; *Christus*, *vt homo est Deus*, veram esse. Addit S.Th. in sensu improprio accepto *homo* pro supposito: quod imitari deberet Caietanus, cum asserat concretum reduplicatiuâ affectum semper stare pro natura. Addito verò pronomine *hic* termino *homo*, propriam, veramque iidem asserunt contra Paludan. in 3.q.1.a.1. concluſ.2.& 3.Durand.d.10.q.1.& Vasquez d.99.c.1.n.3. §. *Mihi autem*, qui falsam prorsus eam propositionem asserunt, atque duo postremi, etsi addatur termino *homo* pronomen *hic*: quia putant, adhuc eo addito significare in recto naturam, pro eaque supponi ex vi adiunctæ reduplicatiuæ. Sed hoc nulla ratione probatur: quouis enim modo accepto, & significante termino *homo* potest reduplicatiua affici, vt patet: neque ratio alia afferri potest, nisi, quod hæc propositio posset esse vera *homo quatenus homo est Deus*, accepta reduplicatiua reduplicatiuè: quod tamen falsum est, vt videbimus statim Concl.1. vbi ostendimus, adhuc significante termino *homo* adiectiuè, falsam eam propositionem esse, si reduplicatiua, reduplicatiuè accipiatur. De hac propositione nemo ex instituto disputauit (licet falsam merito reputent omnes, inferántque contra Caietanum asserentem hanc propositionem *homo est Deus*, esse propositionem per se tanquam absurdam) quia nihil simile fuerat à Patribus assertum, neque reduplicatiua reduplicatiuè, sed specificatiuè solùm vsurpata.

2 Dico primò: non licet communicatio idiomatum inter concreta nuda *homo*, *Deus* per reduplicatiuas reduplicatiuè acceptas adhuc in attributalibus: v.g. *homo*, *quatenus homo*, *est Deus*, *vel immortalis*; aut *quatenus Deus*, *homo*, *vel risibilis est Deus*. Est ab omnibus Patribus, vel præsupposita conclusio, vel cursim asserta. Ratio est. Quia particula reduplicatiua, qua talis, restringit significatum termini ad id, quod nudè, & secundum se sumptum significat, quin extendi illud ad aliquid vlterius significandum permittat: atqui terminus *homo*, vel *Deus*, etiam adiectiuè vsurpati (si enim substantiuè vsurpetur apertè falsas eas propositiones ostenderunt) in sua stricta significatione sistendo nihil dicunt, quod alter sit: ergo eiusmodi propositiones erunt falsæ nec eis communicatio idiomatum licitè exercebitur. Minor probatur: quia homo nudè, ac præcisè secundum se etiam adiectiuè sumptus significat solum *habens humanitatem* præcisè, & in communi, in quo neque propria, neque aliena, & diuina subsistentia, sed quid abstrahens ab vtraque significatur, vt sic autem, neque metaphysicè, neque physicè Deus est. Item Deus adiectiuè nudè sumptus, & præcisè nullam in particulari indiuiduam singularem personam diuinam dicit, sed abstrahentem modo explicato contreu. de Trinit. tribúsque communem, qua ratione non habes humanitatem, nisi in aliqua singulari persona. Confirmatur: quia omnium sensu falsum est homo præcisus, & in communi, currit, licet plures currant: ergo, cum reduplicatiua, qua talis, relinquat Deum, & hominem in statu præcisionis, in quâ nequit habere alteruter vnionem, ratione cuius sit homo Deus, & è contra nequit dici sub reduplicatiua, qua tali, Deus homo, vel homo Deus. Vrgentius adhuc probabunt conclusionem hanc probationes, quas iam pro secunda subiicio.

3 Dico secundò: non licet communicatio idiomatum per particulas reduplicatiuas inter Deum, & hominem, adhuc in attributalibus, etsi adiungatur illis pronomen *hic* v.g. *hic homo est Deus immortalis*: aut *hic Deus est homo*, *risibilis*. Est conclusio Durandi, & & nostri Vasquez facilis probatu si terminis subſtantiuè accipiantur. Probo autem eam terminis adiectiuè acceptis, quo solum pacto apponi potest pronomen *hic* termino *Deus* non inepte. Probatur primo: quia hoc modo acceptus *hic homo* est *hic habens humanitatem* quatenus hic habés humanitatem reduplicatiuè nequit esse habens Deitatem: ergo nequit dici vere hic homo quatenus hic homo Deus. Probatur minor: quia reduplicatiua, qua talis restringit significatum termini, quē afficit: quare non magis potest esse hic habens humanitatē, qua talis, habens Deitatem, quàm possit esse idem ex parte obiecti habere humanitatem, atque habere Deitatem. Probatur secundo: quia propositiones de reduplicatiua, qua reduplicatiua, sunt propositiones per se, & essentiales, vt supra docebamus cert.1.num.3. ergo solum potest apponi reduplicatiua propositionibus de prædicato per se: atqui *hic Deus est homo*, vel *hic homo est Deus* non sunt propositiones per se, sed contingentes, & per accidens, vt ostendebamus d.1.q.5. cert.1. ergo nequit eis apponi reduplicatiua, quatenus reduplicatiua est.

CERTAMEN III.

De reduplicatiuis specificatiuè acceptis conclusiones.

1 DIco primo: nequit esse communicatio idiomatum per reduplicatiuas specificatiuè acceptas cadentes supra concretum naturæ diuersæ ab ea, quam denotat prædicatum, v.g. *Christus quatenus homo est Deus*, *immortalis*, &c. vel *quatenus Deus est homo risibilis*. Est conclusio reuera S.Th. Vasquez Durandi, Paludani contra Caietanum, vt vidimus cert.2.num.1. Ratio est prompta: quia sic accepta reduplicatiua denotat terminum ab ipsa effectum esse rationem & causam cur prædicatum conueniat subiecto: ast concretum diuersæ naturæ in communi, non est ratio cur prædicatum alterius naturæ conueniat subiecto: ergo reduplicatiua specificatiuè adiuncta concreto naturæ diuersæ à natu-

ta prædicati reddet falsam propositionem: ac proinde non licebit communicatio idiomatum per reduplicatiuas specificatiuè acceptas cadentes supra eiusmodi concretum. Minor probatur: quia hoc, quod est esse hominem in communi & præcisè, non est ratio, aut causa cur Deus sit, vel è contra, vt patet: posset enim esse homo, quin esset Deus, & Deus præcisè, & in communi, quin esset homo. Secundo: quia Deum esse hominem, & hominem esse Deum contingenter dicuntur: prædicata vero contingentia non conueniunt per se primariò, & ratione sui termino communi, sed indiuiduis, atque ratione horum communi termino: neque enim homo currit primariò, & ratione sui, sed Petrus, vel Ioannes, atque horum ratione homo.

2 Dico secundò: licet absolutè idiomatum communicatio per concreta eiusmodi, & reduplicatiuas specificatiue acceptas, si illi supra quod cadit, addatur pronomen *hic*, notare singularitatis v. g. *Christus in quantum hic homo est Deus.* Probatur: quia pronomen *hic* denotatur, significatúrque persona Verbi: atqui Verbi persona est causa cur homo adiectiuè sumptus sit Deus, & Deus adiectiuè sumptus sit homo: ergo addita ea particula *hic* concreto communi designatur causa, quæ verè talis est, cur Deus sit homo, & homo Deus, sicut particula reduplicatiua specificatiuè accepta denotatur: ac proinde vera erit propositio, licebitque talis idiomatum communicatio. Minor probatur: quia persona Verbi est causa quasi materialis habens sustentansque suppositaliter suo modo humanitatem, & deitatem, sicut suo modo humanitas sustentat subiectiue passiones in Christo: quare sicut Christus, quatenus homo, siue secundum humanitatem, aut, secundum quod homo, dicitur passus: quia ad id satis est denotari per reduplicatiuam specificatiuè acceptam causam materialem patiendi, siue passionis prædicatæ subiectum: ita, & dici poterit, qua *hic homo Deus*, quia denotatur Dei prædicati suppositum. Est autem aduertendum hanc propositionem, licet à S. Th. Alexandro, & aliis recitatis cert. 2. num. 1. assertam, apud vulgus indoctum, subtilitatúmque Theologicarum ignarum non esse nudè, ac sine explicatione proferendam.

3 Dico tertiò, *Christus quatenus homo est creatura temporalis, incapit, desitque esse; quatenus Deus est creator, immortalis, æternus* dici rite, ac rectè possunt. Ferè nihil hic de his propositionibus, cùm communicationis idiomatum non sint, licet sint reduplicatiuæ, nisi nimis scrupulosis Theologis pauculis suborta esset de eis religio. Sunt enim valde Patribus familiares August. epist. 57. ad Dardanum *quod ad Verbum attinet creator est, quod vero ad hominem creatura est Christus.* serm. 2. de natiuit. *Ex Matre sumpsit principium* quod idem est atque *qua homo incapit esse.* Ferè eadem cum primo testimonio habent Cyrill. 10. Thes. c. 4. Leo serm. 3. de Pentecost. Ambros. serm. 5. in Psalm. 103. ad id *deduc me in semitam* sic habet: *Non vereor, ne quis dicat: creatum ergo Christum asseris? Respondebo: ita creatum dico, quemadmodum factum legi. Hoc est factum ex muliere.* Vrgentibus plura Patrum testimonia dabimus quæstionibus sequentibus in solutione difficultatis statim proponendæ. A ratione verò faciliùs probatur conclusio: quia specificatiuis illis denotatur causa, quæ verè causa est, vt prædicata eiusmodi Christo, quod subiectum earum propositionum est, conueniat: ergo eiusmodi propositiones sunt omninò veræ.

4 Dices: propositiones de reduplicatiua in tres resoluuntur, quarum quauis falsa deprehensa propositio eiusmodi falsa erit: atqui altera è tribus, in quas singulæ propositæ resoluuntur, falsa est: ergo, & propositæ sunt falsæ. Minor probatur, quia *Christus, qua homo, est creatura* in has resoluitur: *Christus est homo: Christus est creatura. Christus, quia homo est creatura.* Illa vero *Christus, qua homo, incepit esse* in has: *Christus est homo: Christus incepit esse quia homo incapit esse:* atqui *Christus est creatura: Christus incapit esse* falsæ sũt, & quæ admitti nequeũt: ergo, & illæ propositiones falsæ erunt. Scio meticulosos Theologos minorem hanc absolutè fateri. Sed audient à Patribus duriores adeo propositiones, vt contentarum in minori horrorem excutiant. Et quidem, licet persona Verbi æterna sit: cùm humanitas, & vtriusque coniunctio sit temporalis, Christus, qui vtrumque dicit, si substantiuè vsurpetur non æternus, sed temporalis dicendus absolutè est: sicut, licet materia, quæ altera mei pars est, à mundi extiterit exordio, quia tamen neque anima, neque vtriusque vnio ex tunc extitit, ego ab initio mundi extitisse non dicor. Sin verò adiectiuè vsurpetur Christus pro persona habente naturam vtramque, sicut de diuina æternitate æternus, ita de humana temporalitate temporalis per idiomatum communicationem, atque incepisse dicetur, vt fusiùs in sequentibus dicemus.

5 Dico quartò: *Christus, qua homo, nos redemit, saluauit, satisfecit pro nobis*, verè dicuntur quocumque modo accipiatur Christus, nec solum cùm adiectiuè accipitur, vt vult Vvadingo d. 13. dub. 4. §. *dico primo*: si tamen tota persona diuina dicatur; secus si sola personalitas. Probatur pars affirmatiua: quia, si substantiuè accipiatur, & ponatur humana in recto, & in obliquo dicat personam diuinam, dicitur, quod ad operationes redemptorias, & satisfactorias principium est. Similiter, si accipiatur adiectiuè, dicátque personam in recto, & humanitatem in obliquo: ergo designatur causa redemptionis, & satisfactionis, quæ verè fuit, ac proinde dicuntur verè. Sin autem sola dicatur personalitas diuina, erunt falsæ propositiones, siue homo adiectiuè, siue substantiuè vsurpetur: quia personalitate non sanctificatur, aut dignificatur humanitas: quare non dicitur principium adæquatum redemptionis, quoad physicum, & morale, quod includit: atqui quoties vtrumque claudit prædicatum, sicut nonnisi ob vtrumque habetur, ita nonnisi ob vtrumque conuenire subiecto verè dicitur absolutè, vt bene Vvadingo proximè §. *Notandum secundò*: neque hæ propositiones admittendæ sunt; *Christus, qua Deus nos redemit, saluauit, pro nobis satisfecit*, siue adiectiuè, siue substantiuè Deus accipiatur, vt idem author ibidem obseruat. At verò prædicata moralia, quæ adæquatè à Deitate Christo obueniunt, cuiusmodi sunt prædicata dignitatum Christi capitis Sacerdotis, Regis, Redemptoris in actu primo de Christo, quà Deus est, dici optimè possunt specificatiuè: quia tunc denotatur ratio, ob quam prædicatum subiecto conuenit, quæ verè est ratio conueniendi.

6 Dico vltimò: Propositiones de reduplicatiua specificatiuè veræ sunt quoties reduplicatiua cadit supra subiectum adæquatum primarium denominationis prædicati passiuæ, vel supra aliquid, de quo, an eius denominationis subiectum per se sit, dubitari aliquis posset. Exempla primæ: *Christus, qua homo, passus, mortuus*, &c. *est*, quæ sunt veræ propositiones, & de fide. Secundæ partis exemplum esto: *Christus, quatenus homo, est filius naturalis Dei*: quæ, & est apud Patres propositio frequens, nostróque, & plurium iudicio de fide etiam. Ratio est prompta: quia de ratione reduplicatiuæ specificatiuè acceptæ tantum est denotare in termino, supra quem cadit, causam esse, cur prædicatum conueniat toti subiecto: atqui causa materialis primaria, & per se denominationis prædicati absoluta causa est, cur prædicatum conueniat subiecto toti: ergo rectè poterit reduplicatiua specificatiuè accepta designari: atqui in præsenti casu designatur causa materialis per se denominationis subiecti totius: ergo ritè poterit designari.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Dicine Christus, vel etiam Deus per communicationem idiomatum possit creatura?

IBERANDI fidem q. 1. cert. 2. num. 3. & 4. oppignoratam circa huius propositionis veritatem *Deus est creatura* & tempus adest, & locus.

CERTAMEN I.

Veritas eius propositionis adstruitur.

1 QVoniam quidem, quæ de Christo absolutè ratione alterius naturæ dicuntur, de concreto alterius absolutè per idiomatum communicationem dici possunt, ne cogantur admittere absolutè Deum dici creaturam posse, negant nonnulli absolutè Christum esse creaturam. In his videtur esse S. Th. 4. contra Gentes c. 48. vbi Ferrara, & in 3. d. 11. q. 1. a. 2. Ricard. q. 2. Argent. a. 2. & 3. Capreol. vn. a. 1. probatione conclusionis 1. 3 cor. q. 1. §. *cui istã opinio* Durand. q. 1. num. 11. Paludan. q. vn. opin. 3. Marsil. q. 9. a. 1. Canus de locis 12. c. 11. Nec dubium est, quin eæ voces in Arianismi odium negandas Catholicis, negatásque à Patribus nonnullis fuisse. Sed citati Doctores non ideo solùm, sed ob improprietatem eas negarunt. Verùm S. Th. 3. p. q. 16. a. 8. solúmne Arianismo detur occasio negauit, sicut, & subiectionem Deo q. 20. a. 1. ad 2. proprióque sensu admittendam esse vtramque *Christus*, & *Deus est creatura* docet Vasquez d. 65. c. 2. & 3. n. 18. §. *denique* cum S. Bonau. in 3. d. 11. a. 2. q. 1. corp. & ad 4. Gabr. q. vn. not. 3. a. 2. concl. 1. & 2. Caiet. 3. p. q. 16. a. 9. & 10. Soarez coment. a. 8. §. *Dico secundò*. VValdens. t. 1. lib. 2. doctrinal. fidei c. 42. circa fin. VVadingo d. 13. dubio 4. §. *Dico tertiò*. Idque probabile reputat Scotus quibus, & nos subscribimus.

2 Probatur ex frequenti vsu Patrum, qui Deum, & Verbum creaturam dicunt. Naz. orat. 38. de natiuit. *qui est fit, qui creatus non est creatur.* Repetit orat. 42. 2. in Pascha: ad quæ Nizetas ea ratione fieri ait: *qua propter hypostha sum idemtitatem, mutuique alterius natura in alteram transitus altera natura alteri proprietates suas communicat.* Concludit ferè statim: *Enimverò eum, qui est fieri, & eum, qui est increatus, creari, tametsi mirabile est, non tamen id secundùm mutationem* (Eutychiano transitu, & confusione) *accipiendum est, verùm secundum assumptionem.* Damasc. 3. de fide c. 4. & lib. 4. c. 5. & 19. Deum Verbum ob personalem vnionem dicit inter alia *creaturam*, Nyssen. hom. 13. in cant. ante med. *increatum dicimus Verbum, quod initio rerum existebat; creatum autem illum dicimus, qui caro factus est.* Cyrill. Alex. 10. Thes. c. 4. *cum ipse natura increatus sit, & omnium Dominus, & creator, creatura etiam factus primus inuenitur inter omnes homines.* Sophron. in sua epist. Synodo 6. act. 11. approbata act. 13. *Asserimus hunc ipsum creatum, & increatum.* Hilar. 12. de Trinit. negat Christum Arrianè esse creaturam, at idiomatum communicatione sic loquitur: *filius itaque suus est, qui est in homine, & ex homine factura:* (Ad Galat. 4. *factum ex muliere*) *neque tantum factura, sed etiam creatura:* Ad Ephes. 4. *qui secundùm Deum creatus est.*

3 Hieronym. magn. commentar. in epistolam ad Ephes. ad id: *ipsius enim factura sumus*, argumento à deteriori ad melius in eandem sententiam scribit. *Nos liberè proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem verum, & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota spei nostræ fiducia confitemur.* Scio hunc, & Cyrillum 5. Thes. alio etiam morali sensu explicare Verbi creationem, non autem proprium hunc sensum negando. August. de fide, & Symbolo c. 4. sub init. *Eadem sapientia, quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari*, serm. 12. de temp. sub. init. *Propter nos creatus est creator.* serm. 58. de verb. Dom. ad id Prouerb. 8. *Dominus creauit me.* Arrianis contendentibus inde Verbum esse creaturam respondet dictum: *quia propter vnionem vnicuique subsistentiæ propriæ vtrique aptanda sunt.* Fulgentius de fide ad Petrum c. 2 *quia autem creator est commune habens naturaliter cum Patre, & Spiritu sancto, quia autem creatus est formam serui, secundùm quam creatus est* &c. vbi priusquam reduplicatiua designaret, rationem cur creatus diceretur creatum; absolutè dixit. M. Gregor. 5. Moral. c. 25. *quia diuinitatis eius status capi ab humana mente non potuit, hunc se nobis ad nos veniens creatus natus mortuus &c. quasi transeundo monstrauit.*

4 Leo serm. 3. Pentec. *si enim homo ad imaginem Dei factus in sua honore natura mansisset, creator mundi creatura non fieret.* Vigil. Pa. 5. contra Eutychet. t. 5. Bibliot. docet Christum *creatum esse, & increatum.* Concil. Lateran. sub Martino 1. *conditum, & inconditum*, cum absolutè appellat. Quæ omnia plurâque alia, quæ recitat Soar. ad art. 8. quæstionis 16. adeò aperta pro nostra conclusione sunt, vt nullâ egeant ponderatione: quin, cum eorum plura Arrianorum temporibus fuerint prolata, quo tempore periculum in eis esse poterat, ostendunt nonnisi per summam proprietatem, Patres fuisse locutos. A ratione probatur: quia, vt Patres asserunt, eadem persona, quæ accepto adiectiuè nomine Deus, & Christus in recto significatur, habétque Deitatem increatam, & creatricem, habet humanitatem creatam, & creaturam; ergo non minùs propriè dicetur creatura, & creatus, quàm creator, & increatus, imò quàm reliqua, quæ ratione humanitatis, quam habet, per idiomatum communicationem absolutè dicitur: vlterius de quocumque propriè dicitur absolutè species aliqua, dicitur propriè absolutè genus: atqui creatura, vel ens creatum genus est respectu speciei hominis; ergo de quocumque propriè absolutè dicitur homo propriè absolutè dicetur creatum, & creatura. Atqui homo propriè absolutè dicitur de Christo, & Deo per idiomatum communicationem; ergo de eis propriè absolutè dicetur creatum, & creatura.

CERTAMEN II.

Difficultates conclusionis huius complanantur.

1 DIces primo à nonnullis Sophronio, Vigilio, & Martino 1. non dici Christum, & Deum creatum, & creaturam solum, sed simul increatum, inconditum, & creatorem. Sed quid de aliis dicent, qui vtrumque ex parte prædicati non coniunxere? Secundo neque ex parte prædicati coniungi ab eis vtrumque poterat absolutè, nisi seorsim vtrumque subiecto absolutè conueniret. Tertiò in apertum exemplum communicationis idiomatum, quam tradebant, vtrumque coniungebant, non quia alterum sine altero absolutè de eis prædicari non posset: sicut *corporeum*, & *incorporeum*, ad eiusdem communicationis exemplum simul de eisdem prædicabant, vt videre in horum testimoniis est; cum tamen alterum sine altero dici absolutè de Christo, & Deo per idiomatum communicationem proprie per aduersarios queat. Quartò: id ita, vt Arrianorum vel Nestorianorum erroribus cautum esset, non ob improprietatem dictum crede: quemadmodum & Patres aliquot absolutè creaturam Deum, & Christum quandoque negarunt. Basil. 2. contra Eunom.

Eunom. Ambros. 1. de fide cap. 6. & 7. & lib. 3. cap. 7. Cyrill. 10. Thes. cap. 4. Chrysost. hom. 3. ad Hebræ. in id cap. 1. *Dilexisti iustitiam* Ioannes Maxentius t. 5. Biblioth. dialogo 2. contra Nestorium cap. 18.

2 Multis hic Vasquez contendit nomen creaturæ, & creationis non pro quacumque re denuo producta, nouáque quauis productione vsurpari, sed pro stricta productione rei ex nihilo, quam Deus solus potest exercere, & circa materiam, & animam Christi continuata productione, & conseruatione exercuit, exercebítque: sed certe ea etiam composita, quæ forma constant educibili, eiusque eductione fiunt, à Deo creari dicuntur, vt cibus, & pleráque alia 1. ad Timot. 4. Sap. 5. & 16. & Genes. 1. cœlum, & terra creata dicuntur laxiori quidem nominis acceptione. Et quidem, cum vnio animæ, & materiæ Christi: ac proinde totum ex illis constans per se educi, ac non creari in Vasquez ipsius, & omnium sententia certum sit: nescioquo pacto per se rigidè ratione humanitatis totius, a qua, non autem ab eius partibus, denominationes, quæ per idiomatum communicationem Christo, ac Deo conueniunt desumantur propriè, & per se creatum, & creatura strictè, ac rigidè dici, in eius etiam sententia quear. At obiicit Vasquez, si creatum absolutè, & creator in actu, à quauis productione dici agens possit, ac non ab stricta solum creatione: ergo affectus omnes creati à suis agentibus creatis creati, atque illa creatores eorum dici absolutè poterunt. sed refert id quidem parui.

3 Vadingo d. 13. dub. 4. num. 55. §. *Dico tertio* circa med. non admodum refugit consequentiam: imo tacitus videtur admittere: id quod in sensu, & acceptione laxiori parum, nihilve videtur absurdi continere, si rationi stemus. Quid enim absurdi erit agentia laxiori acceptione creationis creare. Sed tamen, quia à nemine admissam vidi, nego consequentiam, tanquam absurdam. Neque enim cuiuis ex causis requisitis ad effectus productionem huius denominationes omnes attribui debent. Ecce ab eadem indiuisibili, etiam formaliter in mea sententia in actione eductiua, quæ ipsissima passio est, materia, & subiectum pati, efficiens vero principium agere dicitur: atque ab eadem indiuisibili visione animal videre dicitur non autem species, à quibus etiam effectiuè viso procedit. Cuius ratio est: quia denominationes plures præter formam, à qua sumuntur, vlteriusaliquid in subiecto denominato requirunt, & connotant, vt Symitas, & alia plura. In re igitur præsenti creandi adhuc laxe denominatio non solam productionem requirit, sed exparte agentis sic denominandi virtutem creatiuam, à qua actio eductiua, licet non formaliter, & per se, saltem materialiter oriatur, & fluat: cum autem potentia hæc creatiua in solo Deo sit, non in agentibus creatis, hæc nullatenus adhuc laxè creare, effectusve ab illis creati denominantur, sed à Deo, licet ab illis etiam eadem actione producantur.

QVÆSTIO III.

An *Deus*, & *Verbum incæpit esse* per idiomatum communicationem dici possit?

SVpponitur hanc propositionem *hic homo*, signato Christo, *Christus*, vel *Iesus*, aut *Emmanuel incæpit esse*, esse veram, ac proinde ratione personæ directæ significatæ à subiecto, quæ eadem est, ac Dei adiectiuè sumpti, videtur per propriam idiomatum, & formalem communicationem de Deo idem affirmari posse prædicatum: quare primæ illius propositionis sensus verus statuendus primo erit.

CERTAMEN I.

Veritas primæ propositionis, eiúsque sensus statuitur.

1 DE nomine *hic homo* adiectiuè significare, ac pro persona supponi constat, tum ex dictis, tum ex dicendis d. 3. q. 1. idémque est de nominibus, *Iesus*, & *Emmanuel*, quæ personalia dubio procul sunt, licet iuxta suam etymologiam alter *Deus nobiscum*; quare in recto Deum significet, alter Saluatorem, quare humanitatem in recto, & Deitatem, qua opera ad redemptionum valorem dignificanda erant, in obliquo. De nomine *Christus* Vasquez d. 69. cap. 2 num. 6. §. *de nomine*, varias apud Patres acceptiones esse docet. Atque apud Damascen. 3. de fide cap. 3. sub init. & Nizetam. 3. Thes. cap. 3. esse nomen personæ in recto cum duplici natura; apud eundem vero Damascen. 4. de fide cap. 6. Origenem in id Ioan. 1. *In principio erat Verbum* explicantem illa Psalm. 44. *Propterea vnxit te Deus* Athanas. orat. contra Arrian. post serm. 4. in ea verba *ex Deo Deus est Verbum* Paulinum Aquilien. lib. sacrosyllabo in Concilio Francford. ante med. pendentem contra Felicem, & Elipandum Petri confessionem Matth. 16. *Tues Christus filius Dei viui*, & Concilium Francford. §. *item in libro sapientiæ* ad ea 2. ad Titum, *& aduentum gloriæ magni Dei* Fulgentium 3. ad Trasimund. cap. 13. init. & 14. post med. & fin. esse nomen naturæ humanæ vnctæ Deitatis, & personæ diuinæ vnguento, quod connotet in obliquo. Sed tamen arbitror hos Patres nominis ethymologiam explicasse, non verò aliquam acceptionem tradidisse à prima: ac proinde Christum significare communi acceptione personam cumduplici natura, diuina, & humana.

2 Hanc igitur propositionem *hic homo incepit esse*, designato Christo falsam in sensu proprio docent S. Th. q. 16. a. 9. cum Caietano, & asseclis Capreol. in 3. d. 11. q. vn. a. 1. concl. 2. Ricard. a. 3. q. 1. Maior. q. 1. post med. Palud. d. 12. q. vn. a. 3. pun. 2. concl. 2. Soar. citata q. 16. a. 9. §. *Nihilominus*. Et Caietanus quidem refert à doctoribus Parisiensibus esse damnatam, & in appellationis gradu ab Alexandro Pa. 6. Sed huius damnationis nullum extat fundamentum firmum: Parisiensis verò, sicut aliis euenit, dum gallo impetu pontem Sequanæ negligit, in fluuio suffocata inde non transiit, quod ipsum de similibus *Christus Emmanuel incæpit esse*, docere iidem Scholastici videntur. Magist. in 3. d. 11. c. vlt. S. Bonau. a. 2. q. 2. Bassol. q. vn. a. 3. §. *Dico ergo*. Durand. q. 1. num. 7. sub distinctione docent. Si *hic homo* referatur ad personam diuinam falsas eas propositiones esse, secus, si ad naturam humanam, vel personam ex hac etiam constantem. Scotus in 3. d. 11. q. 3. Lichetus q. eadem Alexand. 3. p. q. 6. m. 1. §. 1. VVadingo d. 13. dub. 4. §. *Dico quinto*, vtramque propositionem in sensu proprio veram esse docuerunt. Consentit Vasquez proximè c. 4. idem de omnibus enumeratis docet: illa excepta *Emmanuel incæpit esse*. Sed ne eam quidem excipi voluit Bernal d. 46. sect. 2. §. 3. qui enumeratas omnes in sensu proprio veras omnino censet, cui & nos subscribimus conclusionibus subiiciendis.

3 Dico primo: *Christus incæpit esse* vera in sensu proprio absolutè est. Probatur: quia Christus substantiale, & substantiuum concretum est, quod si substantiuè, & pro naturis coniunctim in recto, & persona diuina in obliquo; vel sola humanitate in recto, & deitate, ac personalitate diuina in obliquo accipiatur, verum omnino est vtramque naturam, vel humanitatem cum dietate, ac personalitate diuina, ac proinde Christum, qui essentialiter ea omnia dicit, & claudit, incepisse esse in tempore, ante quod absolute non fuerat: cum ante illud pars ipsius essentialis, scilicet humanitas, humanitas, & vnio hypostatica absolutè nó fuerint: maximè, cum sic accepto *Christus* rectum, cui concordat incæpit, sic coniunctum ex vtraque natura, vel humanitas sola non sola Deitas, sed etsi adiectiuè, & pro persona *Christus* accipiatur (vt vulgare apud Patres est) atque in rem personam diuinam, cui concordet *incæpisse esse* significet: ast non illam secundùm se nudè, quo pacto æterna est, sed vt habentem humanitatem vnctam, & Deitatem vngentem, siue vnguentum, significat: ea verò ratio æterna non est, sed temporalis, & quæ incarnationis tempore cæpit: ergo tunc incæpisse esse habentem Deitatem de persona Verbi verè dicitur. Vnde bene Athanas. serm. de Epiphan. Cyrill. Alex. de recta fide ad Theodos. longe à med. de recta fide ad Regin. longè ab init. Damascen. 4. de fide c. 6. & de incarnat. & gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 10. à momento dumtaxat incarnationis Verbum, & fuisse, & dici Christum obseruarunt. Confirmatur argumento Scoti: quia, licet subiectum albedinis huius informationi præexiterit, tamen vt album, non existit, nisi eo tempore, quo albedine informatur: tunc que, vt album incæpit esse non antea: atqui Verbum nomine *Christus* adiectiuè sumpto non significat Verbum secundùm se, sed vt habens vtramque naturam humanam vnctam, & diuinam vngentem: ergo, ex quo tempore eas habuit, dici debet incæpisse, vt nomine Christus significatur. Vnde constat non inde inferri posse, ergo Verbũ quod est habens incæpit esse: nã variatur appellatio à formali ad materiale subiecti.

4 Dico secundò: *Hic homo*, *Iesus*, *Emmanuel incæpit esse*, verè in sensu proprio dicuntur. Probatur facilè ex dictis: quia, siue in recto dicant naturam, siue personam, eas tamen dicunt, vt coniunctas, & vnitas hypostaticè, quo pacto in tempore esse cæperunt. Licet autem *Emmanuel* iuxta vocis ethymon, *Deus nobiscum* significet, ac Deitas, quæ in recto dicitur æterna sit: at verò, vt nobiscum per vnionem ad humanitatem est, ab æterno non fuit, sed per incarnationis tempus esse cæpit. Præterquam quod, licet ea nominis huius ethymologia sit, tamen ad significandum hominem Christum, siue habentem humanitatem impositum est, vt docebamus num. 1. Denique conclusio tota, imo & præcedens confirmabitur amplius ex dicendis certam. sequenti.

Dices contra has conclusiones, Iesum, & Christum dici ab æterno absolutè fuisse ad Hæbr. *Iesus Christus heri, & hodie ipse, & in sæcula*. & Ioan. 1. *Hic est de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est*: ac rursus cap. 17. clarifica me, &c. *Claritate, quam habui, prius quam mundus esset*. Sed hæc per idiomatum communicationem dicta de homine Christo ratione Deitatis sunt: quæ non obsunt, quominus de eodem ratione humanitatis incæpisse esse absolutè dicantur.

CERTAMEN II.

Deus, Verbum, Dei filius incepit esse, verè in sensu proprio dicentur, sed cautè, ob scandalum.

1 REiiciunt propositiones istas Alex. Magister. S. Th. S. Bonau. Bassolis Ricard. Maior. Gabr. Scot. Lichet. Durand. Caiet. Capreol. Vasquez, & Soar. citati. Petrus Hurtado d. 71. Ratio communis diuersimodè efformata vnica est, quod vnumquodque per suum esse intrinsecum, quo absolutè in se est, incipit absolutè esse, non autem per extraneum, quo non absolutè, sed taliter est. Cum autem esse hominem, extraneum esse, sit Deo, & Verbo, & per quod intrinsecè in se non sint, intrinsecum autem, & per quod in se Deus, & Verbum est diuinum, sit & æternum, quod nusquam cæpit, licet esse homo cæperit Deus, quan-

do homo cæpit; Nusquam inde incæpisse esse absolutè Deus, & Verbum dicitur. Cæterum eas propositiones proprio aliquo sensu veras esse docet Vuadingo d. 13. dub. 4. num. 58. §. *Dico quinto*, & sequentibus; vbi indifferenter has, & illam *Christus incæpit esse* docet, & probat. Docet item speciatim, & in terminis Bernal d. 46. sect. 1. licet malè probet veras per idiomatum communicationem esse: qua de re toto cert. 3. idem, ni memoria cado, docuit Lorca non bona fide Scotum referens. Probare quis posset: quia esse hominis, substantiale cum sit, est esse simpliciter: ergo, qui illud esse denuo habet in tempore, sicut Deus, qui ex incarnatione habet esse homo, dicetur incipere esse absolutè, & simpliciter, est æquiuocatio præclusa per aduersariorum rationem. Solùm enim est quæstio an esse aduenienstam constituto Deo per suum esse proprium intrinsecum, possit illum denominare incipientem absolutè esse, siue aduenienssit substantiale, & simpliciter esse, vt contra esse accidentale diuiditur, siue non. Etenim esse dentatum esse substantiale dentium asserit, atque eo sensu esse simpliciter, & tamen nemo cum dentes illi nascuntur dicitur incipere absolutè, & simpliciter esse, vt bene Vuadingo.

2 Dicendum est cum Doctoribus secundæ sententiæ eas propositiones veras in sensu proprio esse. Probat bene VVadingo. Deus vero, & sensu proprio absolutè mortuus est, quia humanitas assumpta verè, ac propriè mortua est: ergo vero, & proprio sensu dicetur, Deus incæpit esse absolutè, quia humanitas assumpta incæpit absolutè esse. Probatur consequentia: quia mors non minùs dicit absolutum, non esse intrinsecum mortui à parte post, quàm incipere esse absolutum non esse intrinsecum à parte ante incipientis: atqui vtrumque æquè pugnat cum æternitate Dei, & Verbi secundum esse intrinsecum: ergo si ea repugnantia non obstante ratione humanitatis dici de eo absolutè potest non esse *à parte post*, ratione eiusdem dici de eo poterit absolutè non esse *à parte ante*.

Dices nomine mortis, quæ dicit separationem animæ à corpore satis innui non esse, quod per illam absolutè tribuitur Deo ratione humanitatis ipsi comperere: inceptionem autem non ita innuere humanitatem: ac proinde cum absolutè non esse *à parte ante*, per inceptionem absolutè prædicatur de Verbo, Arrianismum. sonare, ac de esse intrinseco Dei videtur intelligi. Contra primò: quia mors absolutè solùm dicit non esse viuentis, quod præuixit, quæ simplicis substantiæ viuentis esse potest: quare morte innuitur humanitas, quia Deo secundùm se non esse *à parte post* repugnat: cum autem ei etiam secundùm se repugnet non esse *à parte ante* humanitas, siue eius non esse, æquè Catholicis innuetur, compertúmque erit de non esse Dei intrinseco à parte ante non esse sermonem æquè, atque à parte post. Hæreticis autem, & gentilibus æquè sonabit Desitionem absolutè intrinseci esse Dei *Deus est mortuus* absolutè dictum, atque non esse intrinsecum Dei *Deus incæpit*: vt Patribus dicentibus Deus est mortuus, absolutè doctiores Ethnici sæpè obiiciebant.

3 Probatur secundò: quia in omnium sententia hæc propositio est vera in sensu proprio, *Deus*, aut *Verbum in quantum homo incæpit esse*, atque in terminis sæpè: æquiualenter verò passim apud Patres inuenitur: ergo, & hæc est in sensu proprio vera, *Deus*, aut *Verbum incæpit esse*. Probatur consequentia: quia prima illa propositio non est de reduplicatiua specificatiua diminuente, vt hæc *Æthyops est albus secundùm dentes*, sed de reduplicatiua specificatiua non diminuente, siue strictè specificatiua, vt fatetur Vasquez contra quem agimus, d. 67. c. 3. §. *Ratio verò* num. 11. versu *cæterum licet*: atqui propositio de reduplicatiua specificatiua strictè, siue non diminuente resoluitur in tres propositiones: alteram, qua de illius subiecto absolutè enuntietur prædicatum; alteram, qua terminus specificatus

de eodem ſubiecto prædicetur: alteram, qua dicatur terminum ſpecificatum eſſe cauſam, ob quam prædicatum conueniat ſubiecto, quod ſi ex tribus aliqua vera non ſit, neque propoſitio reduplicatiua ſpecificatiua ſtrictè vera erit: ergo hæc illarum trium abſolutarum in quas reſoluitur continet veritatem: ac proinde ex ſpecificatiua ſtrictè ad ſingulas, & omnes abſolutas illas valet conſequentia: atqui tres, in quas præſens reduplicatiua ſpecificatiua ſtrictè reſoluitur iuxta generalem præfatam regulam, hæ ſunt, *Deus incæpit eſſe; homo incæpit eſſe*; & *quia Deus eſt homo incæpit eſſe*: ergo ex reduplicatiua ſpecificatiua ſtrictè *Deus*, aut *Verbum in quantum homo incæpit eſſe*, quæ vera in ſenſu proprio eſt, tenet conſequentia ad hanc *Deus incæpit eſſe*, vt vera in ſenſu proprio ſit admittenda: quod ſi hanc falſam aſſeras in quouis proprio ſenſu, & illam de reduplicatiua ſpecificatiua ſtrictè, in qua continetur, falſam in omni ſenſu proprio fatearis neceſſe eſt.

4 Tertiò probatur concluſio: quod ſenſu proprio verè *recens eſſe, initium, & temporalitatem ſumere, & ſubire* dicitur, verè dicitur incæpiſſe eſſe: atqui Deus, & Verbum *recens eſſe, initium, & temporalitatem ſubire, ſumereque* à Patribus, ac proinde vero in ſenſu proprio dicitur: ergo verè etiam in ſenſu proprio *incæpiſſe eſſe* dicetur. Maior probatur: quia nullo vero ſenſu aliquid *recens, initium ſumere*, aut *temporalitatem ſubire* dicitur, quod ante illud tempus habuerat eſſe; ſed quod ante illud eſſe non habebat, quod tunc primum habere eis vocibus deſignatur: quod ipſum eſt incipere abſolutè eſſe: quare nequeunt ea de aliquo dici abſolutè, de quo eodem ſenſu incipere eſſe abſolutè dici nequeat. Minor ſuadetur ex Sophronio epiſt. ſæpè citata ſynodo 6. act. 11. ante med. dicente: *recentem hunc ipſum, & ſempiternum* appellari. Vbi licet de Chriſto loquatur, cum hunc ipſum dicit recentem, & ſempiternum; de verbo, & perſona diuina, quæ ſola eadem, & hic ipſe eſt, vtrumque habere in Chriſto poteſt, ſe loqui ſatis ſignificat: quin de Deo ſub Dei nomine dixerat antea, *intemporeus principium recepit temporale*. Nazianz. orat. 38. ſeu de Natiuit. *tempore vocans initium ſumit*. Nizetas ibi ad ea verba *clamet Ioannes* ait: *Deum principium ortus aſſumpſiſſe* Leo 1. ſerm. 3. de Pentecoſt. ſupra recitatus aiebat: *ſi primus homo &c. nec ſempiternus temporalitatem ſubiret*. Aug. ſerm. 2. de Natiuit. *qui in principio erat ex Matre ſumpſit principium*: ſerm. 12. *effector temporum temporalu effectus eſt*. Qui ſanè omnes Dionyſium de diuin. nominib. c. 1. verſ. med. ita loquentem imitantur: *temporiſque prorogationem accepit, qui æternus eſt*.

5 Reſpondet Vaſquez ſenſum illius propoſitionis *Deus eſt recens* (nil enim aliis reſpondet) eum eſſe, *Deus factus eſt aliquid, quod eſt recens*. Sed idem dicat de ſenſu huius *Deus incæpit eſſe*: id eſt *factus eſt quod incæpit eſſe*, atque eo ſenſu proprio admittat, vt contendimus, vtramque. Item, cum id totum Deus eſſe dicatur, quod factum eſt ſenſu proprio, admittat ſenſu proprio, & Deum recentem, & eſſe incipientem. At inquit Bernal. ſect. 2. §. 2. verſu *in alterotituli quæſito* ea à Patribus abſolutè non dici de Deo nudè, ſed vel deſignando naturas diuerſas, vel ponendo terminos implicatorios ad ſonum, vt ſtatim naturarum diuerſitas aduertatur, ratione quarum ipſi ea prædicata oppoſita conueniant. Sed contra: quia myſterij ignaris plus ſcandali in apertione contradictionis erit: ignaris verò ſatis repugnantiæ, nomine Deus cum inceptione, & initio temporis, & temporalitate oſtenditur, vt id ratione humanitatis aſſumptæ de Deo prædicari cognoſcant. Contra ſecundò: quia, licet ob diuerſitatem naturarum ea Patres de Deo oppoſita prædicent, aſt abſolutè prædicant, quin addant, cum alterum dicunt, ſecundum naturam diuinam, ſiue quatenus Deus eſt, quando verò alterum, ſecundum humanitatem, ſiue qua homo eſt: quod præſtare deberent, ſi ea à nobis non eſſe abſolutè de Deo proferenda docere voluiſſent. Contra tertiò: quia Patres deſignata naturarum diuerſitate æque, atque vniformiter prædicant de Deo alia ipſi ſecundum ſe repugnantia, quæ per omnes abſolutè de Deo prædicantur, atque hæc eſt *recens, temporalis, habens*, vel *ſumens initium*, vt videre eſt in Sophronio vbi proximè §. *credo*, & *de hac* initio, & ante med. aliiſque Patribus paſſim: ergo, & hæc abſolutè de Deo dici poſſunt, & ratio generalis pro omnibus eſt: quia, quæ per idiomatum communicationem de Deo dicuntur abſolutè, dicuntur verè, & propriè de illo: atque hæc prædicata, ſicut & alia, quæ ipſi ſecundum ſe repugnant, per idiomatum communicationem de Deo dicuntur, vt iam oſtendam: ergo verè, & propriè de eo abſolutè dicuntur. Sed tamen monitum Lectorem velim, ne apud myſterij huius ignaros, imò neque Scholaſticæ Theologiæ indoctos hanc propoſitionem *Deus incæpit eſſe*, & ſimiles à Patribus datas vſurpet, ne eis ſcandalum apponat, non adeò frequentibus, & vſitatis vulgo locutionibus.

CERTAMEN III.

Deus incœpit eſſe *per idiomatum communicationem enuntiatur.*

1 COnclusio hæc meo iudicio omnium eſt controuerſiæ huius difficillima: eſt tamen expreſſa Bernalis vbi proximè num. 34. & tota ſect. 1. & licet non adeò in terminis Vvadingo proximè num. 57. §. *Dico quartò* ſub med. Verbo *Sophronius*. Difficultas in eo ſtat: quia in propoſitionibus, quibus aliqua per idiomatum communicationem de Deo dicuntur verè, Deus pro perſona, ſiue perſonalitate ſupponitur, eamque in recto dicere debet, vt d. 1. q. 2. oſtendebamus: atqui perſona, ſiue perſonalitas diuina etiam, vt habens Deitatem eſſe in tempore incipere non poteſt, ſed prorſus ab æterno eſt. Ex alia verò parte clarè adeò Patres hanc propoſitionem: *Deus eſt mortuus*, in qua eadem eſt prorſus difficultas, veram per idiomatum communicationem eſſe docent, vt illam inter reliqua communicationis idiomatum exempla recenſeant, pro vtraque defendenda, vno eodémque labore inſudandum Scholaſticis erit. Bernal. ſect. 1. citata num. 7. verſu *Horum omnium ratio à priori*, ad ſua concreta extra eſſentialia recurrit, quibus per totam idiomatum communicationem non nimis fauſtè cucurrit. Ait ergo ſenſum eſſe *Habens extrà eſſentialiter Deitatem*, ſeu, quod idem eſt, *homo mortuus eſt, vel incæpit eſſe*. Concreta extra eſſentialiter accepta ad communicationem idiomatum imdagaui d. 1. q. 2. rurſuſque impugno: quia ſic non datur vera idiomatum communicatio, ſed illuſoria: quia diuina ſolùm de Deo, non de homine, qui extra eſſentialiter acceptus Deus eſt non homo, & humana de homine non de Deo, qui extra eſſentialiter acceptus homo eſt non Deus, prædicantur.

2 Sed ſpecialius in re præſenti arguo: quia iuxta hãc doctrinam, vt ſibi obiicit Bernal. §. *ſuboritur dubium*. Verbum *ſecunda perſona, vel filius æternus incæpit eſſe*, aut *mortuus eſt*, dici verè non poſſet: Nam *homo*, qui ſignificatur eis concretis extra eſſentialiter acceptis, claudit ſuppoſitalitatem in recto Verbi, & filij, ſeu ſecundæ perſonæ: quare de eo non poterit verificari habere extra eſſentialiter verbalitatem, filiationem, & ſecundam perſonalitatem: hoc autem partim eſt contra Patres expreſsè, & ex toto contra ipſum Bernalem. Reſpondet conſtitutiuum adæquatum Verbi, & filij, ac ſecundæ perſonæ non eſſe ſolam perſonalitatem, aut relationem, ſed eſſentiam, homini, ſiue habenti humanitatem, extraeſſentialem. Sed contra: quia ſola perſonalitas ſine eſſentia eſt conſtitutiuum perſonæ, & Verbi, licet enim eſſentia diuina eſſentialis cuique perſonæ ſit: aſt id quod commune eſt non appellatur perſonæ conſtitutiuum, ſed quod

quod ſpeciale eſt vnicuique, vt conſtat ex controu. de Trinit. d. de conſtitutione perſonarum. Imo, & in phyſicis materia quæ communis compoſitis eſt, nullius ratio conſtitutiua dicitur, ſed ſola forma. Sed quidquid de hoc ſit: vel perſonalitas ſecundæ perſonæ, ſiue verbalitas, ſeu ratio ſpecialis Verbi, formaliter differt ab eſſentia diuina, vel illam includit. Si primum cum homo ſolum dicat formaliter perſonalitatem, licet eſſentia extra eſſentialis ſit, aſt perſonalitas, quam in recto dicit non eſt extra eſſentialis ipſi. Si autem perſonalitas eſſentialiter in ſua formalitate claudit eſſentiam, homini, qui dicit in recto perſonalitatem, nequit eſſe extraeſſentialis eſſentia diuina, vt contendis.

3 Ratio ergo eius locutionis Patrum, *Deus eſt mortuus ſubiit initium, eſt recens*, ſeu *incæpit eſſe*: & difficultatis eis omnibus propoſitionibus communis deſumi ex eo poſſe videtur, quod perſonalitas de ſuo formali conceptu non claudit eſſe, ſiue exiſtentiam, ſed exiſtentia, & entitate eſſentiæ, cui identificatur iure identitatis ſit ens, & exiſtat: cùm autem æternitas, exiſtentiam, & entitatem, ſiue eſſe diuinum, vt attributum formaliter conſequantur, perſonalitas præcisè æternitatem minimè habebit formaliter: quare de duratione naturæ, cui formaliter, & præcisè ſumpta adiungitur, cuiúſque denominationes alias ſubit cenſeri poterit. Cum autem in hac propoſitione *Deus eſt mortuus, incæpit eſſe*, rectum ſolam dicat perſonalitatem præciſam, non dicit æternitatem: prædicatum autem illam remouet præciſiuè in audientium mente; ſolúmque illam ex humanitate, eiúſque duratione cenſet, non ex propria, & phyſica intrinſeca duratione æternitatis. Sed contra eſt: incæptionem, & deſitionem phyſicam dicere phyſicam negationem eſſendi rei, ſiue abſolutum phyſicum non eſſe illius à parte *ante*, vel à parte *poſt*, cui non ſatisfit eiuſmodi præciſionibus metaphyſicis. Deinde falſum eſt perſonalitatem, licet de ſuo conceptu formali, non dicat exiſtentiam, ſiue entitatem poſſe exiſtere, & eſſe, atque durare abſolutè exiſtentia, & duratione humanitatis, cui adiungitur per vnionem.

4 Solida ergo ratio eſt & planior, incæptionem & deſitionem rerum, quæ ante incarnationem dicebat abſolutam negationem intrinſeci ſolum, & eſſentialis eſſe earum poſt incarnationem, atque in idiomatum communicatione ex vſu Patrum extenſam eſſe, vt ſignificet etiam negationem abſolutam alterius eſſe non intrinſeci, & eſſentialis, cum quo tamen perſonalitas, de qua incæptio, vel deſitio enuntiantur, vnum ſuppoſitum, & perſonam conſtituat, vt ſic clarius contra Neſtorium vnitatem perſonæ in Chriſto docerent, & contra alios non eſſe phantaſticam, ſed veram, & ſubſtantialem humanitatem aſſumptam. Nec mirum, quod extenſæ à Patribus eæ voces ad eiuſmodi ſignificationem ſint: cum illud eſſe humanitatis aſſumptæ, & abſolutè ac ſimpliciter eſſe ſit, atque abſolutè vnum cum perſonalitate aliena, æquè atquecum propria conſtituat, ac proinde deeſſe alienæ, vt ſic loquar, naturæ, perinde atque de eſſe propriæ perſonalitas cenſeatur.

Dices ergo, poterit dici abſolutè: Deus ante incarnationem non fuit, vel non fuit ab æterno. Reſpondeo eodem modo argui ex illa propoſitione ab omnibus admiſſa, Deus eſt mortuus. Reſpondeo noſtras propoſitiones non licere per negatiuas haſce reſoluere: tum quia ex vſu Patribus, & Scholaſticis nunquam fuere, tum quia ob malignantem negationum naturam ſcandaloſiores ſunt, quam per nomina poſitiua incæptionis, quæ ipſo ſono ratione alicuius poſitiui eſſe extrinſeci Deo conuenire demonſtrant; quod negationibus non inſinuatur.

Obiicit Hurtado Deum per communicationem idiomatum non dici ens, ſiue exiſtere: ergo nec per illam dicetur incæpit eſſe. Non vrget: quia prædicata vtrique naturæ communia de neutra per communicationem idiomatum dicuntur: ſed quæ ita alteri conueniunt, vt alij non competant: eſſe autem, & exiſtere, commune vtrique prædicatum eſt; aſt incipere eſſe ita humanitati conuenit, vt Deitati non conueniat: quare hoc per communicationem idiomatum de concreto Deitatis dici poteſt, ſecus illud. Vide ſolutionem aliam difficultatis hic verſatæ à nobis datam d. 1. q. 3 cert. 3. n. 6.

DISPVTATIO III.

De reliquis modis loquendi in materia de Incarnatione.

ABSOLVIMVS hactenus difficultates omnes, quæ circa modos loquendi per communicationem idiomatum in præſenti materia de incarnatione poſſent occurrere. Iam de aliis loquendi modis, qui ad idiomatum communicationem non ſpectant, ſed ex aliis pendent principiis ſingulatim diſputandum erit.

QVÆSTIO I.

An verè, & propriè aſſumpſiſſe hominem dicatur Deus?

DIcutionis, modique ſolùm dicendi quæſtio hæc inter Catholicos eſt, quibus planè contra Eutychem, & Neſtorium conuenit Dei filium naturam humanam phyſica ad ſeipſum hypoſtathica vnione aſſumpſiſſe; ita. vt vtraque natura, & hominis, & Dei inconfuſa, neque altera in alteram conuerſa perſeueret; non autem aſſumpſiſſe humanam perſonam. Atque id quidem rite, rectéque hac propoſitione *Deus aſſumpſit humanitatem*, à Theologis explicatur. An verò itidem eadem Catholica veritas ſermonis, & ſenſus proprietate & rigore, præfixa etiam propoſitione *Deus aſſumpſit hominem*, verè prorſus, & citra erroris periculum explicetur? in quæſtionem vocatur.

CERTAMEN I.

Nonnulla pro diſputationis libertate, & expeditione prænotantur.

1 ADuertendum inprimis eſt quæſtionis huius (de modo loquendi, vt dixi, inter Catholicos) eò tandem litem totam deuolui: an ſcilicet, ea propoſitione perſonæ humanæ à filio Dei aſſumptio ſignificetur, licet phyſicæ vnionis (quam tamen negabat Neſtorium, qui ſolùm affectiuam Dei, & hominis vniones per excellentia gratiæ dona in Chriſto admittebat) Semineſtorianiſmus contra fidem Catholicam admitteretur, quatenus duplex eum Neſtorio perſona in Chriſto admittitur: Cum autem propoſitionum proprius ſenſus è propria vocum, quibus conſtat, ſignificatione omninò pendeat; in vocis *homo* ſignificatum proprium Theologicum examinandum ſtrahenda lis erit: an perſonam humanam? An naturam ſolum? an vtrumque ſignificer?

2 Aduertendum eſt ſecundò nos de hac propoſi-

tione nudè, ac secundùm se sumpta præsentem quæstionem exagitare: nullis in aliter sentientes dicteriis, aut irrisionibus, nullis item particulis additis, quibus à sensus sui proprietate decidat, aut legentibus decidere videatur, siue in alium sensum possit à malè animatis astu deflecti: id quod notatum maximè velim, vt malè de ea propositione censentium præcipuis obiectionibus, & terriculamentis occurram; liberúmque eius examen, & discussionem proponam. Aiunt enim, (& verè) iussu regij Senatus inquisitionis supremæ, commentarium Ludouici Viues totum capitis 17. lib. 9. de ciuitate Dei, iam pridem fuisse obliteratum: quod eam propositionem ibi à S. Augustino assertam defenderet: iussu item Toletani eiusdem inquisitionis tribunalis simili propositione à Doctore Ioanne Martinez Primario Theologiæ Complutensis Magistro professore, in suis libris de generatione assertæ additum fuisse *caute lege*, quasi non admodum tuti, sed obnoxij errori sensus.

3 Cæterum in Ludouico Viues satis ad eam sententiam peccati esset, vt non illud solùm, sed reliqua eius generis commentaria expungerentur. Animi scilicet elatio, quam id genus hominibus angustæ adeò, ac limitatæ facultatis compræhensio plerumque facit: qua è Calepino solo grauiorum facultatum melius aliis difficultates dirimerè præsumunt: id quod si legibus, ne ab ipsis vsquam tentaretur, cautum foret, Erasmus tot hæresum oua, quæ postmodum fouente, fauentéque Diabolo huiusce sæculi nouatores excluserunt, minimè posuisset. Præterea Viues, Vasquio cirando, nobisque ipsis testibus, sola Theologorum vniuersim, ac proinde Theologiæ Scholasticæ irrisione eam propositionem ibi tuebatur: quo, & illud, & pleraque similium irrisionum plena commentaria suspecta in fidè fecit: quæ, vt bonam omnem Theologiam Scholasticam progignit, ita ab ea solum viriliter defenditur, & conseruatur; quare meritò ea omnia abrasa ab eius commentariis sunt.

4 Ioannes verò Martinez lib. 1. de Gener. c. 5. q. 1. confect. 2. sub initio nudam eam propositionem non posuit, sed verbis hisce *verbum Dei, nedum humanitatem, sed hominem etiam assumpsisse*: quo aliquid aliud præter humanitatem assumptum à Verbo fuisse, ac proinde humanam personam eius æmuli clamarunt: licet ex contextu toto de vocibus illum, non de rebus assumptis, disputasse, docuisséque, perspicuum doctis, & sinceris omnibus fuerit. Sed tamen indoctis, & iis, qui cursim, ac sine contextus lectione, & penetratione in eum locum inciderent, ea nota præcauendum fuit, ne abberrarent. Ex quibus planè constat, nihil contra eam propositionem, quam hic examinamus actum hucusque à sancta Inquisitione fuisse, imo neque agi vsquam posse, quin, vt ait noster Vvadingo citandus, contra Ecclesiæ canones agatur.

5 Eius verò attentiori, distentioríque examini è debita Patribus (præcipuè Augustino magnæ Theologiæ Parenti) Conciliis, & Ecclesiæ toti i(vbi frequentissima est ejus propositionis vsurpatio) obseruantia pro virili incubui, quod eam ab aliquibus non solum reijci viderim, sed accipi malè: erroríque, & hæresis ab aliquo, damnari: deceptis illis quidem erroris nota, quam 1. p. q. 4. art. 3. in corp. non huic quidem propositioni, sed primæ, quam Magister in tertio. d. 6. refert, opinioni Angelicus Præceptor inussit: quæ res adeò religionis nostræ stomachum mouit, vt in negatiuæ contradictoriæ censuras pronus, imo præceps etiam calamus iret, ni sancti Doctoris, & aliorum, quos, vt Magistros suspecto, amore, & obseruantia teneretur: idcirco hoc nostro singulari, improbóque pro Patrum, & Conciliorum frequentissima locutione, labore contentus rei totius iudicium Doctoribus permitto.

CERTAMEN II.

Eius propositionis veritas in proprio Theologico sensu Augustini, & plurium Scholasticorum authoritate fulcitur.

1 NVllo proprio sensu Theologico eam propositionem *Deus assumpsit hominem*, veram esse arbitrantur S. Thomas 3. p. q. 4. art. 3. vbi Caietanus, & post ipsum Dominicani Thomistæ communiter; è nostra verò Iesuitica, & Thomistica Schola Valentia 3. p. d. 1. q. 4. p. 2. sub init. Vasquez 1. t. 3. p. d. 35. c. 2. 5oar. in eius art. explicatione. Lugo. d. 13. de incarnat. sect. 2. num. 15. Bernal. d. 26. de incarn. S. 2. §. *Dico primo*: qui omnes communem Theologorum esse fatentur; imo eorum aliqui teste Vasquez cap. 1. oppositam sententiam erroneam censent: nec defuit ex eis, qui post habita Patrum, ita frequentissimè loquentium, vt mox videbimus, reuerentia, hæreticam appellarit, vt dixi: fortè, quia tot Patres, & Concilia ita loquentes non viderat, neque satis in eis locutionibus intentum attenderat, vel saltem penetrauerat, neque oblatam ipsis ita loquendi occasionem expenderat. Cæterum, licet horum sententia communior Theologis sit, ei tamen opposita non sola magna Patrum, & Conciliorum authoritate, sed & Scholasticorum fundata, negari minimè post. Atque inprimis est expressa Magistri sent. in 3. d. 2. c. *assumpsit ergo*, ait, *audiendos non esse, qui eam propositionem negant*. Et c. *si autem quaritur*, ait, *verissimè, & absque vlla ambiguitate dicitur, quia ex quo Deus hominem assumpsit, totum assumpsit*: insuper d. 5. c. *præterea inquiri* versus med. Ex Concilio Toletano. 6. item. *nos autem* Circa med. & c. *hic à quibusdam*. Item. d. 6. c. *ne autem & isti* iuncto c. *in hac ergo sententia*, distinct. 7. in 6. siquidem distinctione rem indecisam reliquit.

2 Præter Magistrum in ea dist. 6. citantur ab aliis præsertim à nostro Vvadingo S. Th. eadem dist. q. 1. art. 2. vbi paululum fauet ad 1. & ad 4. & art. 3. ad 4. vbi ait *propriè, & simpliciter hominem esse vnitum Deo*. Et opusc. de exposit. Symboli Apost. §. 5. *qui conceptus est*. sub. init. vbi ait: *homo, cui coniunctum est verbum Dei* &c. Et sub med. *destruitur etiam error Nestorij, qui dixit filium Dei vnitum esse homini per inhabitationem, sed hoc est falsum, quia tunc non esset homo, sed in homine*. Richardus in 3. d. 6. a. 1. q. 2. Dyonis. Chartus. d. 5. q. 4. alios referens: insuper S. Thomas ad Anibald. d. 2. q. 2. Guilliem de Rub. d. 5. q. 1. & 2. vbi etiam Maiorem, Aureolum d. 23. refert Hugo Victorin. t. 3. tract. 1. sum. c. 15. Henricus. quod lib. 1. q. 2. Alens. 3. p. q. 6. m. 1. quos sequitur ipse Vvadingo d. 4. de incarn. strenuus quidem ille, & controuersiarum, & Theologiæ Scholasticæ scriptor, & professor. His adde Doctorem Ioannem Martinez primarium, vt dixi Theologiæ Complutensis professorem, & nostrum Ioannem Martinez de Ripalda summæ eruditionis, & dexteritatis Theologicæ ætate nostra virum, (vt docta, & subtilia eius scripta testantur) qui in eius propositionis defensionem decem circiter retro annos libellum doctum, ingeniosúmque & tanto, vt audio, authore dignum composuit, quem tamen videre non potui.

3 Et verò aliquorum ex citatis Doctorum authoritas sola (nedum omnium) nobis, & cordato cuiuis Theologo satis fore videbitur, vt omni apud Scholasticos, vel duriuscula nota immunem, verique, & proprij Theologici sensus eam propositionem æstimemus, quam tot Scholastici Doctores ex instituto examinantes veram, proprijque sensus iudicarunt. Præsertim nostri Vvadingo, & Ripalda insignes adeò (nemine dubitante) Theologi, qui omnibus aduersariorum fundamentis visis, atque perpensis eam nuperrimè tutati sunt. Sed me sanè iudice ad proprij, ac veri eius propositionis sensus confirmationem, eorum etiam authoritas

authoritas superfluit: video enim illam tot Patrum & Conciliorum Incarnationis fidem contra Nestorianos professentium testimoniis, totque indubitatis Theologicis principiis innixam, vt, etiam si reliqua abessent, contra dicere non auderem. Hoc verò certamine solius Augustini testimonia, nec omnia dabo; reliquorum Patrum in sequentibus; & primò, quæ ex ipso recitat Magister in 3. d. 6. à med. ex cap. 3. de gratia noui testamenti: *sicut non augetur numerus personarum, cum caro accedit animæ, vt sit vnus homo: sic non augetur numerus personarum, cum homo accedit Verbo* (seu quod idem est, assumitur à Verbo) *vt sit vnus Christus*: q. 73. ex lib. 83. quæstionum id ad Philip. 2. *& habitu inuentus vt homo* explicans, post aptiorem explicationem quartam ait; *In similitudinem hominum factus est; ipse susceptor verum hominem suscipiendo. Habitu inuentus est, vt homo: idest habendo* (siue suscipiendo) *hominem, inuentus est vt homo*: post pauca. *Habitu factus est homo, cum indutus est hominem, quem sibi vniens*, &c. ac statim ferè. *Non ergo oportet intelligi mutatum esse Verbum susceptione hominis: sicut nec membra veste mutantur induta: quamuis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copularet*. lib. 2. contra Maximin. cap. 11. *Visibilis in homine apparuit, quem de fœmina suscipere dignarus est*: atque illico subdit: *Nos Christum verum hominem suscepisse credimus*.

4 Hæc apud Magistrum ibi, & alia d. 2. eiusdem lib. sentent. insuper tract. super psalmos ad psal. 63. versu 2. *protegente eamem suam in ipso filio, & homine, quem gerebat*. Ex quo Ecclesia fer. 6. mai. hebd. lect. 4. matutin. & serm. 13. de tempore sub init. *ad hoc enim Deus hominem suscepit*: sub med. *Nec horruit Deus hominem induere*: tract. 28. in Ioan, *Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem*: Ex quo etiam Ecclesia feria 3. post Dom. passionis lect. 1. matut. de agone Christiano cap. 11. init. *Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem*: circa med. *non enim intelligunt, quid sit æternitas Dei, qua hominem assumpsit*; & infertus: *Itaque filius Dei hominem assumpsit*: post med. *nolite timere contumelias*, &c. *quia si nocerent homini, non ea pateretur homo, quem suscepit filius Dei*. cap. 18. inf. *Nec eos audiamus, qui non verum hominem suscepisse filium Dei*. Sic & versus finem; *Si ergo visibilia munda visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari, quanto magis inuisibilis, & incommutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberabit?* cap. 19. *Nec eos audiamus, qui Trinitatem quidem in vna æterna substantia confitentur, sed hominem ipsum, qui temporali dispensatione susceptus est audent*, &c. cap. 20. *Nec eos audiamus, qui sic dicunt ab illa æterna sapientia susceptum esse hominem, qui de Virgine natus est, quomodo alij homines*: & in eodem cap. repetit eam propositionem. De prædest. sanct. cap. 15. init. *Respondeatur quæso ille homo, vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus*: & med. *ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo susceptio singularis, vt filius Dei, & filius hominis propter susceptum hominem; & filius Dei propter susceptientem Deum veraciter, & propriè diceretur*.

5 Audiatur etiam ep. 66. fine. *Homo enim assumptus est à Deo*: item præfat. enarrat. 2. in psalm. 29. longè à princip. *forte putet quispiam vestrum fratres, quia homo ille susceptus à sapientia Dei*. infrà; *dixerunt hominem illum, quem suscepit Verbum, cum Verbum caro factum est, non habuisse mentem humanam*: libris autem de Ciuit. Dei adeo frequens ea propositio vel formalis, vel æquiualens apud Augustinum est, & ex pluribus pauca solum adnotare animus in præsentiarum sit, lib. 9. cap. 17. *Incontaminabilis Deus*, absit, *vt contaminationem timeret ex homine, quo inductus est* cap. 21. *vt hominem, quem gerebat ad nostræ imitationis temperaret exemplum* lib. 10. cap. 22. sub init. *In eiis ergo nomine vincitur, qui hominem assumpsit*, & longè à med. *Gratia Dei non potuit gratius commendari, quam, vt ipse vnicus Dei filius in se commutabiliter manens indueret hominem* lib. 13. de Trinit. cap. 18. *Poterat vtique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei, & hominum; sed melius iudicauit, vt de ipso, quod victum fuerat, genere assumeret hominem, per quem generis humani vinceret inimicum*, lib 1. serm. in monte c. 13. *sicut in ipso homine quem portabat dominus ostendit*: quem recitat Toletana Ecclesia in octaua S. Ildefonsi lect. 7. Denique sacris Baptismi aquis ablcendus, mediato illo cum Ambrosio cantico *Te Deum laudamus*; tum vt gratias Deo agerent, tum, vt fidem profiterentur, ait: *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis vterum*. Nec solide quis respondeat, illud *suscepturus* regere *vterum*, non *hominem*, at sensus sit *suscepturus vterum Virginis ad liberandum hominem, non horruisti*: tum quia vterus Deum suscepit propriè, non autem à Deo susceptus est: tum, quia earum vocum quæuis à Verbo vicino capaci regenda est, vt æquinocatio vitaretur, tunc cordatè vitanda: tum, quia ita regi Ecclesiæ consensus suadet: tum quia inde Augustinus toties ab ipso repetitam propositionem vsurpari cæpit, vt recitata testimonia suadent, pluráque alia à nobis recitanda, ni præ multitudine pigritiam calamo, tædiúmque animo generarent. Videatur idem Augustinus, t. 9. lib. de Symbolo ad Cathecum. 2. cap. 5. cap. 7. cap. 8. cap. 9. cap. 10. & cap. 12. & t. 3. lib. de fide, & symbolo cap. 4. quorum singulis non semel eandem propositionem vsurpat, atque vniuersim quoties de incarnationis mysterio disceptat.

CERTAMEN III.

Proprius, verúsque Theologicus sensus eiusdem propositionis aliorum Patrum testimoniis illustratur.

1 TAmetsi magni Patris, & Doctoris, & planè bonæ Theologiæ Parentis Augustini innumera penè hæc, & alia testimonia contra hæreticos Nestorianos ferio, & districtè disputantis, satis verum, propriúmque eius propositionis sensum absque vlla Nestorianismi (quam aduersarij metuunt) suspicione suadere videantur; aliorum tamen etiam, & contra Nestorianos pro incarnationis fide pugnantium (à quorum proinde errore proprietate sermonis debebant abscedere) & ita loquentium testimonia subiicienda hæc sunt. Vtque Nestorio vetustiorem Boëtium lib. de duabus naturis ita loquentem: *Homo à Deo fuit assumptus, & Deus homine vestitus*, & infra: *hominem saluauit, quem assumpsit*. Et Ambros. in recitato Cantico *Te Deum laudamus*; Augustino consentientem omittam. Leo Magnus epist. ad Iulian. audiendus inprimis erit. *Dei*, inquit, *verbum suscepit hominem*, ac rursus; *verus homo vnitus est* Deo. Et serm. 4. de Epiph. recitatus ab Ecclesia in eius festi Domin. lect. 5. fine, ita habet: *Credendam esse humanitatem Dei, qua nouissimis diebus vnitus est homini*: Et serm. 2. de Ascens. *propriè tamen illius temporis* (passionis) *actio ad demonstrandum suscepti hominis pertinuit veritatem*: ex quo Ecclesia fer. 6. infra octauam Ascens. lect. 4. S. Maximus hom. 2. de Pentec. circa med. *Prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem, quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad cælum*: ex quo Ecclesia fer. 3. oct. Ascens. lect. 5. consonat sibi Maximus hom. 1. de Epiphan.

2 Gelasius Cyzicenus lib. de duabus naturis, qui sub nomine Gelasij Pap. extat tom. 4. Biblioth. Patr. non admodum recentis, tribus sequentium Patrum testimoniis consentit; eisque inter alia duarum naturarum in eadem Christi persona veritatem contra Eutychianos, & Nestorianos confirmat. Eustachius Episc. Anthioc. contra Arrian. *Ipsa veritate totum hominem induens est Deus perfectè assumens*, & infra; *homo autem Deum ferens*. Eusebius Episc. Palestinens. *Ascendens in hominem quem assumpsit*: & rursus, *quando Verbum incarnatum eum qui ex semine Dauid est, assumpsit, atque Deificat*. Athan. Alexandrinus contra Arrianos; *Propter hominem Saluatoris nostri, quem propter nos indutus est* &c. & iterum: *ex Maria* &c. *hominem, quem assumpsit*. Repetit lib. 3. de assumptione hominis idemtidem Nazianzenus epist. 1. ad Cledomium recitatus à Synodo Chalcedonési inter

alia Patrum testimonia pro duabus Christi naturis ita habet: *& hominem assumptum pro nostra salute.*

3 Hilarius lib.11. de Trinit. *vnum tamen eundemque* (Christum) *non Dei defectione, sed hominis assumptione profitemur.* Fulgentius lib.3. ad Trasimundum c.12.& rursus c.13. *Hominem susceptum merito Deum dicimus, quia susceptus est.* S.Ildephonsus de Virginit. Mariæ c.6. Deum factum, essèque hominem, ait, *non diminutione Deitatis &c. sed assumptione carnis, & participatione hominis:* ex quo Ecclesia in descensione Virginis lect.7. & c.3. eiusdem lib. de Virginit. Mariæ: *Propter assumptionem hominis Dei administratrix est*: & inferius: *tanta gloria, & dignitatis est Virginis filius, vt sit in assumpto homine Deus.* Itidem S. Ignat. Martyr. eiúsque Paraphrastes loquuntur. Cyril. Alex.10. Thes. cap.4. sub init. *quando igitur natura ipse Deus homine assumpto frater factus est noster*; libris item apologeticis pro anathematismis Synodi Alexandrinæ aduersus obiectiones Orientalium, & Theodoreti ad Euoptium in defensione anathematismi 8. vt veram sæpe eandem propositionem supponit, ac defendit Damasc.3. fidei cap.20. *Hominem totum, atque omnia, quæ hominis natura fert suscepit* (Deus Verbum) *peccato duntaxat excepto.* S. Vigilius Mart. Episcop. Trident. lib.1. contra Eutychetem t.4. Biblioth. Patr. *Aduerte per singula suscepti hominis dispensationem*, &c. Glossa interlineal. ad id 2. Genes. *faciamus ei adiutorium simile sibi*: ait, *quia in homine suscepto Ecclesia copulata est Deo.* Petrus Chrysologus serm. 143. solita emphasi ait: *Ipse hominem mulieris resumpsit ex vtero.* Epiphan. in anchorato circa finem, & Rupert. in cap.1. Ioan. *totum hominem assumpsit.* S. Bernard. serm.2. Pentecost. de Christi cœlos ascendentis triumpho: *cœlis inuectus susceptum in vnitatem suæ personæ hominem*, &c.

4 Anselm. lib. de excellent. Virginis Mariæ: *ex qua hominem in suæ personæ vnitatem ineffabili fuerat operatione susceperus.* & lib. de incarnat. cap. 4. lit. *c. qui rectè suscipit eius incarnationem, credit eum non assumpsisse hominem in vnitatem naturæ; sed in vnitatem personæ*: & lit. *d. Cur autem Deus magis assumpsit hominem in vnitatem personæ filij, quàm in vnitate alicuius aliarum personarum*, &c. & Col.4. *quod si Pater in vnitatem suæ personæ hominem assumpsisset*, &c. & circa finem: *Si hominem erat assumpturus, venturus erat ad pugnandum contra Diabolum*: fine verò: *suscepit autem in vnitatem personæ hominem, vt dictum est.* Eandémque propositionem à Nestorianismo, quem in ea timere aliquis posset, instructa efficaciter obiectione, eiusque docta, & acuta solutione pro virili defendit toro cap.3. discursu Theologico, & verbis aureis, quæ cert.4. ex ipso recitabimus. Ait verò eo cap.5. post med. *eadem est Verbi, & assumpti hominis persona*, ac versus finem: *eandem habet cum assumpto homine proprietatum collectionem.* Quantum verò concors hæc, & frequens totPatrum loquutio fundamenti in Scriptura habeat, satis constat ex Paulo ad Hæbreos 3. vers.16. quem hactenus ad rem hanc nemo Theologorum expendit, vbi Dei in homines præ Angelis in mysterio hoc misericordiam, ita scribit. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*: vbi naturæ Angelicæ possibilem Deo vnioni hypostaticæ beneficio apprehensionem nomine concreto *Angeli* rectè explicari supponit, ac docet: Deinde ni periphrasi illa *semen Abrahæ* mysterium peractum explicaret, voce *hominem*, seu *homines*, quæ voci *Angeli* respondet, explicare deberet. Datis Patribus plures duobus militibus Patres alios adde, qui iam recitandis Conciliis adfuerunt, siquidem in Chalcedonensi eorum vni septingenti circiter interfuere.

CERTAMEN IV.

Firmiora adhuc Conciliorum pro eadem propositione fulcra.

1 TAm aperta sunt Conciliorum, & Pontificum contra Nestorium, eiúsque semina, & sectarios errores definientium, & fidem Catholicam profitentium pro ea propositione testimonia, vt mirum mihi fuerit, (an aliis etiam futurum deinceps sit?) in ea proprium, Theologicum sensum sapientes, & Catholicos Doctores aliquos negasse, sensúmque Nestorianum tenuisse. Audiamus Patres Concilij Toletani primi, ita fidem mysterij incarnationis confitentes in professi. fidei: *Credimus filium Dei ex vtero Virginis assumptisse hominem.* Deinde Concil. Tolet. 6. cap. 1. *Cum tota Trinitas operata sit formationem suscepti hominis*, &c. *soluere tamen filium accepit hominem in singularitatem personæ* Concilium Toler. 11. confess. fidei: *credimus personam filij verum hominem assumpsisse de Maria Virgine.* Concil. Francofurd. contra errorem Felicis, & Elipandi, vel Nestorianum, vel eius consectarium epist. ad Episc. Hilpaniæ confirmata ab Alexandro Papa: *Perfectum hominem assumpsit*: idémque Alexander alia sua ad eosdem epist. *hominem, quem assumpsit.* Concil. Romanum sub Felice Papa formula fidei Petro Patriarc. Antioch. missa, ait: quod *Verbum caro factum est assumpto homine.* Concil. Lateran. sub Martino Papa 1. cap. duabus Christi voluntatibus hæc Athanasij contra Apollinarem verba refert, & laudat. *Diuinitas ergo filij est, quæ ponit, & accipit animam hominis, quem induxit est; perfectum enim hominem assumpsit.* Atque ex eiusdem Athanasij symbolo à Conciliis, & Ecclesia tota iam pridem recepto ita Ecclesia Dominicis singulis ad primæ finem recitat, *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.* Vbi vnitus homini Deus æquè, atque animæ vnita sit caro cum Athanasio Ecclesia fatetur. Concil. Alexandrin. epist. ad Nestor 10. inter epistolas Cyrilli anathematismo 8. *Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum, & conglorificandum cum Deo Verbo vt alterum cum altero, & non magis vna adoratione colit Emmanuelem, & vnam illi glorificationem adaptat, secundum quod Verbum caro factum est, anathema sit*: vbi assumptus à Deo homo supponitur, ac proinde, & Deum hominem assumpsisse.

2 Adde idem Concil. epist. ad Clerum, & populum Constantinopol. 11. inter epist. Cyrilli, post medium; vbi ex sententia sua & antiquorum Patrum, Sacerdotũ, & Patriarcharum Constantinopolitanorum hæc scribit: *Prædicarunt autem apud vos non duos Christos, sed vnum eundem ipsum Deum Verbum, & hominem secundum carnem, & ex muliere, non tenui quadam coniunctione* (affectiua) *& tanquam sola dignitatum æqualitate* (vt Nestorius aiebat) sed physica vnione *coniunctum Deo hominem.* Habet autem Concilium hoc authoritatem Celestini Papæ, qui illud laudauit, probauítque, vt constat ex eius epist. ad Cyrill. eius Concilij præsidem præcipuum Nestorij impugnatorem, fideíque contra illum acerrimum propugnatorem: est autem ea epist. 12. inter epistolas Cyrilli. Habet insuper authoritatem Conciliorum Chalcedonensis, & Ephesini, à quibus epistola cum suis anathematismis recepta, & approbara est: Cum autem in Concilio Lateran. sub Martino 1. consult. 5. can. 7. quinque Concilia generalia (in quibus Lateranense ipsum, Chalcedonense, & Ephesinum numerantur) eorúmque dogmata ad apices vsque tenenda, credendáque esse definiatur, fieri profectò nequit, vt ea propositio Anathematismo illo 8. contenta, proprium, verum, & Theologicum sensum, in quo Catholicè admittenda sit, non contineat, Nestorianismo sanè, quem Patres, & Concilia recitata per illam propulsabant, oppositum: quocirca eorum Doctorum pietas, qui piè Patres, cum ità loquuntur, intelligendos, & interpretandos aiebant, cum laude quidem videtur

videtur reiicienda. Pia enim locutionis Patrum interpretatio in eas solum propositiones Patrum cadit, quæ aliud agentibus, vel semel, aut iterum vni, vel alteri ex Patribus exciderunt; non autem in eas, quæ à tot tantísque Patribus, & Conciliis serio, & districtè de fide mysterij alicuius contra hæreticos in materia earum propositionum aberrantes (vt in præsenti accidit) disputantibus, ac definientibus frequenter, & constanter vsurpantur. Tunc enim, vel proprio illos rigido, & Theologico sensu (vt hactenus contenditur) vel ignoranter, & imprudenter (quod impium planè est) locutos fateri necesse est.

3 Viderunt quidem dilemmatis huius difficultatem, qui improprium eius sensum absolutè docent. Idcirco aliquorum testimoniorum vrgentiorum legitimum sensum in aduersum alium detorquere conantur, cæterorum verò pondus pauculis aliis aduersis, nec satis (meo, & aliorum iudicio) firmis rependere. Atque inprimis illud ex Anathematismo 8. ita detorquent, vt illud *Anathema sit* supra initium eius anathematismi, *si quis audeat dicere assumptum hominem*, seorsim etiam cadat. Nec vident illud *assumptum hominem* esse propositionis damnatæ, scilicet, *coadorandum, & conglorificandum cum Deo Verbo, vt alterum cum altero*, nudum subiectum, quod ea damnatio supponit, ac proinde fatetur: videant id ex adiuncta falsem aduersatiua anathematis, *& non potius vna adoratione* &c. Opponunt insuper Felicis Papæ, Cyrilli Alex. & Ioannis Maxentij testimonia, quibus tamen nihil probari noster Vasquez (qui pro illis ea in re stat) apertè demonstrat, citato cap. 2. nosque statim clarius, si fieri potest, ostendemus. Nunc autem generatim respondeo. Primum (quod specialibus cuiusque solutionibus validè adstipulatur) miraculi instar fore præfatos Patres expressos eius propositionis, & Scriptis suis, & Conciliis, quibus adfuerunt, consenseruntque (fuit enim etiam Maxentius Concilij Francofortdiensis per recens obiectántem nostrum Bernalem præcipuus Pater) assertores, cum fidei huius mysterij serio, & ex instituto causa agebatur, eam sibimet contradicentes absolutè negasse. Secundò respondeo generatim eorum omnium testimonia trunca, & decurtata ab aduersariis opponi: quæ tamen si integrè recitentur, ei propositioni non obsunt, imò quandoque suffragantur.

4 Primum est Cyrilli lib. ad Euoptium pro anathematismis in defensione octaui. *Non* (inquit) *hominem assumptum esse dicimus à Deo Verbo.* Sed legantur sequentia, *& copulatum illi secundum habitudinem quandam, quæ extrinsecus intelligatur* Hunc ergo modum Nestorianum assumptionis extrinsecæ, & affectiuæ solùm, quæ à persona vna ad aliam est, negat, non autem physicæ vnionis, & coniunctionis in persona eadem, vt in Christo fuit, quaque, vt statim subdit, *hominem eum factum esse dicimus.* Subdit autem; *& ob hanc causam excidisse à pietate dogmatum eos, qui audent dicere assumptum hominem adorandum cum filio, & Deo vt alterum cum altero*: ecce assumptum hominé à Deo esse supponit in subiecto propositionis, quam damnat, quia de eo dicebatur *coadorandam cum Deo vt alterum cum altero*: quare, & hic locus, sicut anathemathismus pro ea propositione facit. Quod si eam negaret, non esset eius anathematismi defensio, sed impugnatio, & contradictio. Eundem explicatum apertum habet testimonium Felicis Papæ relatum à S. Thoma arg. sed contra citati a.3.1.p. receptumque, & recitatum à Synodo Calcedonensi act.1.c.8. *Ipse (Iesus Christus) est æternus Dei filius, & non homo à Deo susceptus*; sed pergant vlterius, *vt esset alter præter ipsum*: quod si vlterius adhuc progrediantur, assertam à Felice videbunt propositionem, quam impugnant. *Neque enim* (adnectit) *hominem assumpsit Dei filius, vt esset alter præter ipsum*: ergo admittit assumptum esse hominem à Dei filio, vt esset non alter, sed idem cum ipso: ex vulgata iuris regula, exceptio firmat regulam in contrarium. Sic, qui dicat alteri. *Non dedi tibi gladium meum, vt proximum interficeres*: hispanéve: *note dimi dinero para que lo Ingasses*: asserit suum gladium, & pecuniam, licet non ad eos fines, & effectus dedisse. Mitto alia, quæ ex Felice recitat Vasquez: ad huius siquidem interpretationis confirmationem videntur satis perspicua, quæ dedimus.

5 Ioannis Maxentij locus ex t.4. Bibliot. Patr. dialogo contra Nestorian. longè ante finem est. *Ego* (inquit Catholicus interlocutor) *à Deo susceptum hominem dicere non audeo; sed Deum sine diminutione diuinitatis factum hominem fateor: ne si susceptum à Deo hominem dixero, duas videar in filio Dei prædicare personas.* Mitto Ioannem Maxentium priuatum Doctorem esse, atque circa incarnationis veritatem Eutychyanæ hæresis ab aliquibus insimulatum, vt Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiast. obseruat, nosque ex aliis obseruauimus: eáque adhuc suspicione remota, eum, vt obiectantes volunt, præcipuum admittimus Concilij Francofortd. Doctorem extitisse: vbi vt vidimus ea propositio affirmatiua inter cæteras incarnationis dogmaticas posita est. Eligant obiectantes, an dialogus ille ante, vel post Concilium fuerit à Maxentio compositus? Si ante: metum eius propositionis ex tercentorum Patrum, qui ei Concilio adfuerunt, suffragio, & authoritate depositum, vt cum eis pro ea suffragium audaster, & sententiam ferret. Si verò conscriptus postea Dialogus fuit, quo pacto propositionem tot Patrum, & sua etiam sententia veram asserere timet? Legantur sequentia, vbi metus causam interlocutoris nomine aperuit; *quia*, inquit, *susceptor sanctorum atque fidelium Dominus dicitur*: hoc est; quia suscipere aliena supposita exemplis datis Deus dicitur: atque ideo Nestoriani, tunc iam eam propositionem astu hæretico à proprio sensu ad prauum suum, & erroneum detorquebant, vt infra idem Catholicus interlocutor ait testimonio à nobis contra vnicum, proprium eius propositionis sensum, obiiciendo: idcirco post verba proxima alia, quæ obiici hic solent, subdit: *melius ergo est susceptum à Deo naturam humanam, quàm susceptum à Deo hominem dicere*: Sed, si illud propriè melius est huius comparatione, & hoc vtique bonum est: sed certè *melius* dixit, non quidem sensus proprietate, sed astutia, & fraude Nestorianorum attenta.

CERTAMEN V.

Fundamenta, quæ vnicum verum Theologicum, imò dogmaticum eius propositionis sensum esse suadent, expenduntur.

1 HActenus eam propositionem veram, & propriam Theologicam esse, Patrum, & Conciliorum authoritate recitatis testimoniis & perpensis, fundatum est: iam verò, & profundiori earumdem, & aliarum authoritatum ponderatione, & rationibus Theologicis à priori, vnicum eius propositionis, & Theologicum sensum esse *Deus assumpsit humanitatem* præsentis certaminis, non opus quidem, vt dicitur, & labor, sed facile negotium lectori fortasse videatur. Fundamentum primum ex datis testimoniis, & occasione, qua ea Patres, & Concilia scripsere petendum est. Vt enim diximus cert.3. num.5. ea, cum Nestorius, eiúsque genimina ab eis ex instituto impugnabantur, fidemque mysterij incarnationis puram, expugnato eius errore, profitebantur, atque Catholicis profitendam proponebant, prolata, scriptáque sunt: ergo nullo proprio sui sensu eiusmodi propositio significabat personam; Sed proprio, & vnico significabat naturam. Probatur consequentia: etenim,

nim, si illum alium sensum, quo significaretur personæ humanæ assumptio proprium haberet, Nestorius, & sequaces, eam eo sensu retento admitterent, facilèque fideles decipi ab eis possent: quo neque horum sinceræ fidei à Patribus, Conciliis, & Spiritu sancto tunc eis assistente cautum, neque hæreticorum astui, & malitiæ præcautum satis foret: id quod sine Patrum, & Conciliorum iniuria, atque in Spiritum sanctum blasphemia admitti non potest.

2 Ad hæc, si proprius etiam is sensus propositionis illius esset, proposiram sibi à Concilio Alex. anathematismo 8. non respueret, vt respuit Nestorius, sed obuiis vlnis amplexaretur: quod, si ob adiuncta alia anathematismum non admittit, in eo saltem Catholicis cum eius dogmate conuenire clamaret, & reliqua anathematismi cum eo primo non constare (vt verè proprio illo sensu admisso non constarent) insultasset. Insuper Theodoretus adeò de Nestorianismo suspectus, vt in Concilio Calcedonensi primum inter Catholicos Patres fuerit admissus (teste Bellarmino de Scriptorib. Ecclesiast.) quique proinde Verba, & apices anathematismi 8. & reliquorum carpsit, vt constat ex lib. Cyrilli ad Euoptium æquiuoco sensu, imò Nestoriano (tunc fortè suo) locutos Cyrillum, & Alexandrinæ Synodi Patres minimè reticeret. Denique vnici huius propositionis sensus argumentum est apud Patres omnes, quod cap. 2. citato Vàsquez obseruat: à nemine scilicet antiquorum Patrum eiusmodi propositioni, adeò tunc frequenti, & vsitatæ in Ecclesia Dei fuisse reclamatum: esset autem proculdubio reclamatum, atque explicatio sensus proprij Catholici, quo ab alio proprio Nestoriano propositio illa secerneretur, ab aliquibus saltem Patribus petita, ne fidelem populum Nestoriano errori obnoxium relinquerent.

3 Secundum fundamentum est ab authoritate Augustini, quam me in ipso legisse recordor (licet memoria, vbi eius operum legerim, excideriť) ita loquentis. *Haereticum est negare Deum assumpsisse hominem*: cui simile est illud, quod ex Augustino eodem in expositione Symboli refert Magister in 3. d. 5. cap. vlt. med. *Si quis dixerit atque crediderit hominem* (Iesum Christum) *à filio Dei assumptum non fuisse, anathema sit*: Vbi illud *Iesum Christum* appositiuè dictum intelligendum est: ac si diceret hominem, qui Iesus Christus est, siue qui assumptione ipsa assumptus homo, & Iesus Christus factus est; alioqui Iesus Christus homo assumptus, vt assumptus iam, & vnitus in facto esse, & cum persona Verbi assumentis, siue vt *hic homo* terminus assumptus, siue assumptionis à verbo assumente non est, vt ex Anselmo infra recitando constabit: ex his autem locis ita ad institutum præsens arguitur. Propositio negatiua contradictoria propositionis affirmatiuæ, æquinocæ, ac duplicis proprij sensus, & alterius quidem erronei (vt admisso altero huius propositionis *Deus assumpsit hominem* sensu proprio *Deus assumpsit personam humanam* propositio affirmatiua erit) nequit absolutè, & sine sensus distinctione, & explicatione tanquam hæretica absolutè damnari: atqui *Deus non assumpsit hominem*, & contradictoria, & negatiua huius *Deus assumpsit hominem* est, & absolutè, & absque sensus distinctione vlla ab Augustino damnatur: ergo quia affirmatiua vnici solius sensus, & dogmatici est, scilicet *assumpsit humanitatem*, nec habet alium, scilicet *personam humanam assumpsit*.

4 Sed quoniam librum de expositione Symboli sub eo titulo in Augustino non inueni: ne fortè aliquis memoriæ nostræ, & Magistri relationi minus fidat, proposiriones ex Augustino recitatas certis aliis locis à me perfectis æquiualenter ab Augustino dictas audiat. Etenim serm. 13. de tempore sic exorditur: *Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, ita Euangelista apertissimè demonstrans ait; vt ostenderet eum ex Spiritu sancto, & Maria Virgine natum, propter haereticorum astutiam, qui negant Deum hominem suscepisse*; id autem solum hæreticorum proprium censetur, quod hæresis est, eosque hæreticos facit; quare, & Augustini tandem ea propositio censetur, qua hæreticum dicitur negare Deum assumpsisse hominem. Nec refert sermones illos de tempore non ab omnibus Augustinianos reputari; ij enim, & pauculi Doctores sunt, & de illorum sermonum legitima Augustiniana origine sine vllo fundamento addubitarunt: idcirco editione sua Louanienses ex corpore sermonum de tempore certo Augustinianorum, in inciculum alionum, quos cum fundamento Augustini non esse, post accuratum examen iudicarunt, nonreiecerunt: quò plures alios ex centonibus aliorum operum Augustini omnino compositos relegarunt: eo solum nomine, quod sub eo titulo, & contextu continuo scripti ab Augustino non fuere.

5 Et certè sermones 128. de tempore, qui in corpore eius operis (licet non addito in titulis Augustini nomine) a Louanienfibus editi fuere, diligentissimus, atque eruditissimus non solùm scriptorum Ecclesiasticorum, sed & operum cuiusque examinator, atque, vt sic dicam, cribrator Bellarminus noster legitimos esse Augustini fœtus ex Doctrinæ dignitate, & indiculo Possidij, & Bedæ commemoratione iudicauit obseruat. vlt. circa opera t. 10. 5. Augusť. decimus tertius autem sermo iste ex illis 128. est. Sed quid plura pro hac Augustini mente circa dogmaticam, certámque eius propositionis *Deus assumpsit hominem* absolutè dictæ fidei veritatem: quare, & vnicum proprium, & dogmaticum sensum, qui hoc cert. fundatur? t. 3. lib. de fide, & Symbolo c. 4. sub med. ita scribit: *Si quis tenuerit Catholicam fidem, vt totum hominem credat esse susceptum* (*ideſt corpus* &c. *satis contra illos* (hæreticos scilicet,) quos multis modis huic mysterio insidiari prædixerat) *munitus est*. Non esset autem ea propositio absolutè fides Catholica, si proprio aliquo sensu significaret assumptam esse personam: nec satis fide munitus ille esset contra errores omnes circa hoc mysterium, sed Nestoriano prorsus expositus.

CERTAMEN VI.

Pro eadem propositione efficax ratio Theologica.

1. TErtium fundamentum veri, vnici, proprij eius propositionis sensus prædicti, adeò frequentis eius apud Patres, & Concilia vsurpationis, & censuræ tam eius, quam contradictoriæ negatiuæ ab Augustino nuper datæ Theologicum est: quia vox *homo* se sola, ac de se se nullatenus significat personam, sed naturam: ergo *Deus assumpsit hominem* solum significat *Deus assumpsit humanitatem*: quæ est de fide propositio, eiusque contradictoria hæretica: antecedens tripliciter probari Theologicè potest; primo ex Patrum, & Conciliorum authoritate. Leontius Bizantinus hypothesi 27. apud Henricum Canisium t. 4. antiquæ lectionis: *communiter ab omnibus concessum est, nomen hominis significare naturam; Petri autem personam*. Damascen. 3. fidei ita cap. 4. inchoat: *quod aliud est essentia* (quæ Patrum, Conciliorum, & Theologorum phrasi idem atque natura est) *aliud hypostbasis sepenumero à nobis dictum est: quodque essentia communem speciem, ac personas eiusdem speciei complectentem significet, vt Deus, & homo*. Iustinianus Imperator edicto fidei approbato à Vigilio Papa, ita vniuersim de omni voce prædicatum commune substantiale, ac non indiuiduum, specialem, singularem & propriam subsistantiam significante tanquam dogma Patrum docet. *Omnes Patres constanter nos docent aliud esse naturam, siue substantiam, & aliud subsistentiam siue personam; & naturam quidem hoc quod est communesignificare, personâ verò hoc quod est speciale*. Denique Concil. Florentin. sess. 18. sub medium §. *diuina substantia*

sianti naturam, & essentiam a persona distingui docet, *vt communicabile ab incommunicabili, & vt commune à proprio*: quare vox *homo*, quæ speciei, & substantiæ communis tantummodo nomen est, non propriæ, & specialis, personam de se significare non poterit, sed solùm naturam.

2 Omnium præclarissimè Anselmus c. 5. de incarnat. non solùm id ipsum docuit antecedens, sed solida, subtiliáque fundamenta, tum eius propositionis asserendæ, tum etiam ab obiectionibus liberandæ solito sibi in aliis Theologicis rebus, & ingenij acumine, & profunditate aureis sententiis, & verbis posuit: quas quidem Doctores alij perfunctoriè, nec debita ponderatione videntur legisse; idcircò longius solito eum recitabo. Cum ergo à capitis initio objecisset ex hac propositione *Deus assumpsit hominem*, (quam cap. 4. sæpè asseruit, eratque eo cap. 5. non semel asserturus) inferri, & esse Deum assumentem, scilicet Verbum, quod persona est, & hominem ab ipso assumptum, qui persona itidem est: ac proinde ea propositione duas personas in Christo Nestoriane demonstrari; negata consecutione rationem his reddit. *Nam cùm profertur homo, natura tantum, quæ communis est omnibus hominibus significatur; Cum verò demonstratiuè dicimus hunc, vel illum hominem, vel proprio nomine Iesum personam designamus: quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis sit singulus, & ab aliis singulis distinguitur*. His sane antecedens posuit, & rationem eius Theologicam, quam secundo loco differemus.

3 Inferius verbis his consonans, & subtilia plurà è sapientiæ suæ Thesauro proferens, ait. *Cum ergo Verbum caro factum est, naturam assumpsit, quæ sola nomine hominis significatur: non aliam assumpsit personam: quoniam eandem habet* (Verbum) *cum assumpto homine* (vt iam assumpto, ac non solùm puro termino assumptionis, seu vnionis ad ipsum) *proprietatum collectionem. Non enim idem est homo*, (vt vnionis terminus) *& assumptus à verbo homo, ideſt Iesus: quoniam in nomine hominis, sicut dictum est sola intelligitur natura, in assumpto verò homine, vel in nomine Iesu, intelligitur cum natura, ideſt cum homine, collectio proprietatum, quæ est eadem eidem assumpto homini, & verbo. Quapropter non dicimus Verbum, & simpliciter hominem eandem esse personam: ne non magis dicamus illum hominem eandem esse personam cum verbo, quam quemlibet hominem? sed Verbum, & illum assumptum hominem; id est Iesum: sicut non credimus eundem hominem eandem simpliciter esse personam cum Deo, sed cum illa persona, quæ Verbum est, & Filius est: ne consiteri videamur ipsum hominem personam eandem esse, quæ Pater est, & Spiritus sanctus*. Quid ad rem præsentem illustrius?

4 Probatur secundò illud ipsum antecedens ex statu in Philosophia, & Theologia principio definitionis essentialis personæ, quæ ex Boetio lib. de duab. natur. non semel, & Anselmo c. 76. Monologij sic apud omnes habetur; *rationalis naturæ individua substantia, siue natura rationalis individua?* à qua quidem nullatenus Anselmus proximè, & alij discordant, qui per proprietatum cuique propriam collectionem personam definiunt: ex phrasi enim Porphyrij c. de specie indiuidui substantialis, quod persona est, descriptiuam definitionem tradunt. Tunc sic persona essentia sua, ita essentialiter indiuiduæ substantiæ, & naturæ rationalis rationem continet (quidquid sit de modo perfeitatis positiuo superaddito ad personam adæquatè constituendam) vt id, quod indiuidua substantia rationalis non sit, implicet esse personam: ergo, & implicat vocem, quæ indiuiduam substantiam rationalem non significet de se se, ac solam significare personam; atqui implicat vocem vllam genericam, seu specificam, atque vniuersim illam vocem communis prædicati, etiam substantialis (cuiusmodi vox *homo* est) de se se, ac se sola significare substantiam rationalem indiuiduam: ergo implicat eandem vocem de se, ac se sola significare personam, quare essentiam solam, seu (quod idem in re præsenti est) naturam poterit solummodo significare.

5 Tertia demum eiusdem antecedentis probatio ex priori alio Theologico, & philosophico principio petenda est; ex quo proximè positum immediatè deducitur: etenim de conceptu essentiali personæ, ac suppositi est esse substantiam per se omnino: licet ad id, vt nuper tetigi, supra indiuiduam substantiam modum perfeitatis positiuum aliqui requirant; alij verò sola negatione essendi in alio satis haberi putent, de quo alibi fusius disputaui. Atqui prædicatum commune substantiale (siue id genus, siue species sit) per se omnino non est, sed in alio: ergo neque est persona: ergo vox, quæ de se, ac se sola substantiam communem sine genericam siue specificam (vt vox homo) significat de se, ac se sola non significat personam, sed essentiam; seu naturam solùm, vt assumebatur in antecedenti. Minor proxima probatur, quia prædicatum substantiale commune (siue genus, siue species sit) pars metaphysica indiuidui substantialis est, ac proinde in illo, & in alio, quod metaphysicè componit, est; vnde non omnino, & absolutè per se. Hoc discursu Nestorianis contendentibus in Christo duas esse personas, quia duæ sunt in illo indiuiduæ rationales substantiæ, responderunt olim Rusticus Diacon. d. contra Acephalos t. 6. Bibliot. Patr. Athanas. in duce viæ. Maximus Epist. ad Georgium Theodor. Carisiens. Episcop. verbis hisce. *Nec satis est ad rationem hypostbasis esse naturam compositam cum proprietatibus; sed oportet non esse partem: quia igitur Corpus animatum assumptum est pars Christi, ideirco non est hypostasis*.

6 Nec satis est personam debere esse substantiam per se, ac non in alio physicè solùm, ita vt pars physica totius physici non sit, ac proinde in illo physicè sit, ac non physicè per se: vt in exemplo humanitatis indiuiduæ quidem ab his Patribus ostenditur, quæ, licet totum metaphysicum sit, quia tamen pars physica, & in alio physicè est, persona peripsos, & per veritatem non est: etenim quouis modo substantia pars sit, absolutè per se non est: cum autem præcisione accedente prædicatum commune ab indiuiduo, in quo est, vt eius pars diuidatur; pro eo statu, & præcisione per se absolutè esse non potest, ac proinde nequit esse persona. Confirmatur; quia per vos, etsi humanitas Christi indiuidua, & in alio, vt pars metaphysica non sit, quia tamen in alio ordine physico pars Christi est, ac proinde per se absolutè, & in omni ordine non est, persona non est: ergo etsi pars physica, & in alio physicè substantia communis non sit, si tamen pars metaphysica, & in alio, ac non per se in ordine metaphysico sit, absolutè, & per se, & persona non est. Tertio natura diuina pars metaphysica solum personæ cuiusuis in Trinitate est, quasi solum metaphysicè componit cum proprietate personali, cui in vnaquaque persona physicè identificatur, & tamen, quia in eo ordine pars cuiuscumque personæ est, atque in alio proinde absolutè per se, ac persona non est. Quarto demum rationem nostram, ac solutionis huius impugnationes iam olim dederunt Boëtius lib. de duab. natur. longè à princip. *ideo hypostbases Graci*, inquit ille, *individuas substantias vocarunt, quia cæteris* (substantiis scilicet communibus) *subsunt, & quibusdam quasi accidentibus suppositæ subiectaque sunt*: ac proinde illæ in his, ac non per se, sicut indiuiduæ substantiæ, metaphysicæ etiam sunt: & clarius adhuc, & illustrius Nicetas lib. 2. c. 25. *quæ individua Peripatetici vocare solent, ea Doctoribus Scholasticis placuit appellare hypostbases. Hypostases verò dicta sunt, quia in his generæ, & species, quæ circumscripta non sunt, quasi pedem figunt*. Iam verò si *homo* secundum se personam non significat, sed naturam, seu humanitatem, consequens, & certum videtur: tantùndem scilicet valere *Deus assumpsit hominem*, atque

assumpsit humanitatem, quod de fide est, eiusque contradictorium hæreticum.

CERTAMEN VII.

Enasionum, & obiectionum præclusione firmiora videntur præfata fundamenta perstare.

1 OPpones Damascen. citato c. 4. sub init. ita scribentem, *Illud itaque animaduertendum est, quod Diuinitatis, atque humanitatis vox essentias, seu naturas indicat: at Dei, & hominis vocabulum, tum de naturis vsurpatur; quemadmodum, cum dicimus, Deus est substantia captum nomen superans, & vnus est Deus: tum etiam de personis; nimirum, eo quòd specialius est generalioris nomen susciptente*: vbi eas voces secundum se, ac nudè sumptas substantias communes, ac non personas significantes esse faceatur, iuxta ea, quæ ex eius capitis initio retulimus cert. 4. num. 4. licet ex adiunctis aliis vocibus possint significare personas: Quod exempla ab ipso data demonstrant. Personas enim diuinas significat ibi non vox *Deus* solum; sed illud etiam pronomen *te*, & tuus simul cum illa: & Iobum non solum vox *homo*, sed illæ etiam *quidam & in terra Hus*: voce autem *homo* cum adiunctis nonnullis vocibus posse personam significare non negamus, sed eas posse de se, & nudè sumptam significare, quod & valdè diuersum est, & discursui illi Theologico sufficiens.

2 Negatiua potiùs cuius nullus apud Patres vsus est, inde videretur non sine explicatione sensus à Catholico proferenda, si duplicis illius significati proprij vox *homo* foret. Tum etiam ea æquiuocatione, & indifferentia proprij significati in ea voce admissa ex adiuncto Verbo *assumpsit*, satis ad significandam humanitatem determinaretur, vt ex dicendis num. 6. clarebit. Cæterum, vt dixi, eam æquiuocationem duplicis proprij significati in hac voce *homo*, aut *Deus* Damasceni verba non suadent. Solum enim ait eam vocem dici etiam de personis, *eo quod specialitas est generalioris nomen susciptente*: vbi eas voces secundum se, ac nudè sumptas substantias communes, ac non personas significantes esse faceatur, iuxta ea, quæ ex eius capitis initio retulimus cert. 4. num. 4. licet ex adiunctis aliis vocibus possint significare personas: Quod exempla ab ipso data demonstrant. Personas enim diuinas significat ibi non vox *Deus* solum; sed illud etiam pronomen *te*, & tuus simul cum illa: & Iobum non solum vox *homo*, sed illæ etiam *quidam & in terra Hus*: voce autem *homo* cum adiunctis nonnullis vocibus posse personam significare non negamus, sed eas posse de se, & nudè sumptam significare, quod & valdè diuersum est, & discursui illi Theologico sufficiens.

3 Aliud etiam ad ipsum inducitur Ioannis Maxentij testimonium ex citato Dialogo contra Nestorianos, qui post Verba ex ipso data sic per Catholicum interlocutorem ait: *Dei, & hominis nomen naturæ, & personis commune est*: & post pauca: *Homo sicut significat personam, significat naturam: Vnde nonnulli sancti Patres non quidem ad personam, sicut vos, sed ad naturam potius respicientes hominem assumptum à Deo Verbo dicere comprobantur*: si autem *communis* vox naturæ, & personæ *homo* est per Maxentium, & *sicut* significat naturam significat personam; de se, ac nude sumpta in eius sententia personam significat, sicut naturam sensu proprio, nec naturam solùm. Quousque Maxentij authoritas in his, quæ attinent ad errores Nestorij, & Eutych. perueniat, dixi cert. 3. num. 8. Sed certè, si textus longius recitaretur, constaret illud *sicut*, & illud *commune est* æqualitatem significandi de se verumque, & naturam, & personam in voce *homo* ex sententia Maxentij non esse; sed solum posse significare ea voce verumque: & nudè quidem naturam solùm; quippe, quæ, vt ex Patribus, & rationibus euicimus, substantiam communem, ac non indiuiduam de se significat, quæ persona esse non potest. Cum enim statim Nestorianus interlocutor Catholico consesurus in ea vocis *homo* acceptione placidè diceret, si ei naturæ, & personæ differentiam explicaret, ita Catholicus recitatis Patribus cert. 4. consonans, post aliqua ait. *Discernitur ergo persona à natura, quia persona vnam rem indiuiduam natura significat; natura verò communem cognoscitur declarare.* An his vocem, quæ communem, ac non indiuiduam substantiam de se significat, *vt homo*, naturam, non autem personam, de se significare cum reliquis Patribus non fatetur?

4 Oppones tertio vocem *homo* significare personam determinatè, nec indifferenter solùm. Primo: quia iuxta testimonium Damasceni citato c. 4. sub init. & c. 11. relatum à S. Thoma citato etiam a. 3. *homo est habens humanitatem*: habens autem humanitatem, non humanitas ipsa, vt patet, sed persona est. Tum etiam, quia etsi humanitatem solùm ea vox Patrum, & Conciliorum tempore significaret, iam ex consensu Theologorum eius vocis, quæ ad placitum semper fuit, significatio personam solum ex multo tempore significat. Quoad Damascenum attinet, ex dictis, & recitatis eius verbis num. 2. constat, voci *homo* secundum se sumptæ, ac de se nullatenus illum significationem personæ dedisse, sed naturæ solius significatum; personæ verò non illi tantum, sed illi, & adiunctis quibusdam aliis, quæ substantiæ indiuiduationem essentialiter in ratione personæ inclusam designarent: vt eorum coniunctum personam designet, nihilque eorum seorsim: tunc autem sic designata persona verum est hunc hominem esse habentem humanitatem; quia tunc *homo* adiectiuè sumitur, qui tamen secundum se, ac de se substantiuè solum potest vsurpari, idémque, atque humanitas significare iuxta latius à nobis dicta tomo de incarnat. controu. vlt d. de idiomatum communicatione.

5 Illud de consensu Theologorum ad significationis mutationem, quod non semel audiui, infirmum est: etenim non omnes Theologi in eam significati mutationem conuenerunt, vt constat ex duodecim Doctoribus, qui ei vocis *homo* acceptioni dissentiunt. Secundo, quia illi ipsi, qui hoc respondent, quotidie, dum matutinum recitant, aliam pro sola humanitate eius vocis acceptionem retinent, & vsurpant, ac nouæ illi significationi cum tota Ecclesia reclamant, cuius reclamationi aduersariorum Theologorum consensus nequit præualere. Tertiò consensus ille Theologorum per inaduertentiam principiorum Theologicorum apud ipsos etiam, & Theologos omnes ad vnum, est habitus: vt ex dictis cert. c. 5. num. 1. constat; qui proinde irritus debet haberi. Demum si ea Theologis detur facultas, vt ex libero eorum consensu propositionum, & vocum significatum, in quo Patres, & Concilia de fidei mysterio contra hæreticos disputantes, atque statuentes eas vsurparunt, in diuersum, atque aduersum etiam, vt hic euenit, mutent; nihil in fidei dogmatibus firmum, & stabile ab Ecclesia habebitur: siquidem mutata ex libero Theologorum consensu earum apud Patres acceptione, & significatione, & dogmata antiqua hæreses, & explosæ apud Patres, & Concilia hæreses dogmata fidei esse poterunt: sicque, nec de sua veritatis constantia dogmata fidei sibi blandiri, nec hæreses adeò de sua salute desperare debebunt: quippe, quæ vt a febribus

bribus homines, ab erroris malitia ad bonam, firmamque salutem tandem aliquando poterunt conualescere.

6 Oppones quartò: *homo* de se solum significat naturam humanam, seu humanitatem: ergo hæc propositio dogmatica *Deus factus est homo*, eadem cum hac Eutychiana est, *Deus est factus humanitas*: quare illa non dogmatica, & de fide, sed hæretica erit. Negatur consequentia, licet enim vox *homo* de se, ac se sola humanitatem solum significet ex adiunctis, & cum adiunctis quibusdam personam consignificare potest, vt diximus ex Damasceno, & Anselmo: ex eis autem adiunctis est illud *factus est*. Cum enim, vt vnum alterum propriè fiat, non autem conuertatur (quod diuersum quidem est proprietate sermonis) in illud, identitas vtriusque in aliquo necessaria sit: illud *factus est* personalitatem, in qua Deus, & homo idem sunt, designat; & personalitatem quidem, seu personam Verbi naturam humanam sustentantis: quam in simili propositione *Deus est homo* designari, & ideo ex parte vtriusque extremi subaudiri, acutè, & doctè obseruauit Anselmus verbis immediatis ad extrema, quæ ex cap. illo 5. de incarnat. recitabamus cert. 6. num. 2. Sic enim pergit: *Sed quoniam & Verbum est Deus, & ille assumptus homo est homo, verum est dicere, quia Deus, & homo eadem persona est; sed in nomine Dei subaudiendum est Verum, & in nomine hominis subaudiendus est filius Virginis*: Subauditur autem, quod, licet non exprimatur, sub significato, & sensu propositionis, & coniuncto illo orationis continetur. Instabis hinc: ergo ex adiuncto Verbo *assumpsit*, licet non se solo, significabitur persona humana in hac propositione *Deus assumpsit hominem*. Negatur consequentia facilius. Nam vera assumptio, & vnitio realis distinctionem assumentis à termino assumpto necessariò importat: quare implicat Verbum *assumpsit* adiunctum consignificare cum voce *homo* personam: quia nec diuinam, in qua assumens, & assumptus homo, vt assumptus adiectiuè, & in facto esse, idem sunt: cum dicat extremorum diuersitatem: neque humanam personam aliam, cum natura humana, quæ solum voce hominis secundum se significatur distincta à Verbo assumente sit: ac proinde aptus, & verus, ac proprius terminus assumptionis per Verbum significatæ.

7 Denique oppones: *Deus assumpsit hominem*: ergo *assumpsit hunc hominem, vel illum hominem*: consequentia videtur firma, quia verba, quæ prædicata contingentia subiecto important, faciunt terminum communem supponi suppositione determinata, vt patet in hac propositione *homo currit*: ex qua proinde licet ineuitabili consequentia sic per discursum inferre: ergo *hic homo currit*, vel *hic homo currit*, &c. Atque similiter in præsenti materia ex hac *Deus assumpsit humanitatem*, necessario descensu infertur: ergo *assumpsit hanc humanitatem*, vel *hanc humanitatem*: & ratio est; quia actiones istæ contingentes subiecto physicæ, & reales, ac nō intentionales, & præcisiuæ indiuiduis solum, ac non prædicatis communibus secundum se, sed ratione indiuiduorum conueniūt: vnde, & communes voces ad significandum indiuiduum aliquod hoc, vel illud, in quorum aliquo necessario debēt exerceri, à propria sua extrahūtur significatione, seu suppositione: vt latius in nostris Dialecticæ summulis docebamus. Consequentia verò illa, etsi nostris Vasquio, & Soario supra non dissonet magis, quàm antecedens, me tamen iudice, hæretica est: siquidem *hic homo*, & *ille homo* personas significant iuxta dogmata Patrum omnium recitata, & omnium Theologorum, nemine excepto doctrinam: de fide autem est Verbum nullam personam humanam assumpsisse contra Nestorium.

8 Idcirco facilè, & bene neganda est consequentia illa cum Anselmo ob variationem suppositionis vocis *homo* in consequenti, cum ex antecedenti *Deus assumpsit hominem* infertur: *ergo assumpsit hunc hominem*.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

Ex adiuncto enim pronomine relatiuo *hic*, & *ille*; quo nota singularitatis, & indiuiduationis ponitur, *homo*, qui de se naturam significabat solùm, quia non significabat indiuiduationem, cum illo consignificat personam: ac proinde non magis valet consequentia, quàm si ex parte posita in antecedenti, totum inferretur: in aliis verò exemplis adductis non variatur suppositio; quia in hac *homo currit* supponitur *homo* pro speciei indiuiduis, seu personis (philosophicis, de quibus statim, & ex quibus ad suppositā etiam Theologica ratione materiæ consecutio valet) suppositione determinata: in alia vero humanitas pro singularibus, & indiuiduis humanis naturis. Vnde ob rationem datam licet inferre: *ergo assumpsit hanc, vel illam humanitatem*; licet enim ex parte obiecti idem omnino ipsum *humanitas*, atque *homo* iuxta Patres, & principia Theologica significet; ast ex modo significandi illud, vt formam, & partem significat: atque eodem modo indiuiduam humanitatem cum pronomine demonstratiuo *hæc* ipsi adiuncto: quare neque eo adiuncto variatur suppositio, nec significatur indiuiduum per se, seu persona, sed forma, & pars singularis illius; vox autem *homo*, licet partem eandem significet; ast vt formam, & partem non significat: etsi totum, quod persona claudit, non importet: quare aptum est, cum aliud signum indiuiduationem significans, quæ ad rationem personæ, & substantiæ per se requiritur, eius significato accedit, cum illo personam signnificare.

9 Quoniam verò suppositi philosophici meminimus, eius à Theologico distinctio explicanda est. Cùm enim Philosophis, Trinitatis, & Incarnationis mysteria abscondita omnino fuerint, idem prorsus eis suppositum, quod indiuidua substantia, & natura significabant: quare *hic homo*, idem prorsus, quod *hæc humanitas* significabat: quia ex humanitate singulari, & aliquo alio, siue positiuo, siue negatiuo substantiale aliquod concretum constari posse ignorabant. Theologi autem, quibus ex Incarnationis, & Trinitatis mysterio aliquid aliud præter singularem naturam substantialem (siue positiuum illud, siue negatiuum sit) in supposito claudi, certum prorsus est; indiuidua adhuc natura, forma, & pars Theologici suppositi est, quæque *hunc hominem* (qui eis non solum humanitatem hanc, sed suppositum Theologicum illud sonat, quia illam singularem naturam, non, vt partem, & formam denominantem, sed concretè, atque aptè, vt ex adiuncta singularitatis nota totum, &, vt totum significat) constituat, ac denominet: quocirca humanitas apud Philosophos formam, & partem metaphysicam significabat, &, vt partem, non quidem suppositi Theologici, sed philosophici, id est *indiuiduæ naturæ substantialis*, à qua erat abstracta, & quam cum indiuiduatione componebat, quod vnicum naturæ substantialis concretum apud ipsos erat, & nomine hominis huius, æquè, atque huius humanitatis significabatur: apud Theologos autem cum vlterius concretum sit, nempe Theologici suppositi, siue personæ, idem ipsum quod suppositum philosophicum ipsis erat, alterutro nomine æquè eis significato, forma, seu pars suppositi Theologici est, eáque abstracto solum nomine significatur: concreto verò *hic homo* suppositum Theologicum tantummodo: vnde consequentia illa poterit distingui non incongruè, *ergo assumpsit hunc hominem*, philosophicè acceptum, fateor: Theologicè acceptum, nego: quod idem est, ac concedere, assumpsit hanc humanitatem, non autem suppositum, vt ex dictis patet.

10 Quod si instes, *homo*, quia concreta vox est apud Philosophos, & ex primæua institutione non naturam solùm præcisam significare, sicut humanitas, sed compositum, seu coniunctum aliquid ex ea, & alio, quod nequit non esse concretum ex illa, & differentia indiuiduali saltem significata confusè, vt nonnullis

videre placere. Nihil contra id, pro quo certauimus, euinces: neque enim suppositum, seu personam Theologicam significare obtinebitur. Sed certè mihi vox *homo*, vt dixi, nihil amplius, imo nec Patribus recitatis cert. 6. quam humanitas, scilicet naturam humanam ex parte obiecti sonat: est enim species vox, quæ à differentiis individuantibus præscindit, atque ab individuis abstrahitur; licet aliter ex parte modi significandi illam soner. Humanitas enim, & vox quæuis abstracta substantialis naturæ communis præcisionem ipsam mentis nostræ denotat, quæ ad obiectiuum significatum substantiæ obiectæ, & significatæ non spectat, sed ad modum nostrum concipiendi, & significandi: quem tamen vox concreta *homo* non concernit; quare apta est, vt adiuncta altera partis alterius, seu individuationis nota individuum substantiale totale, & totaliter, quare, & suppositum, & personam significet. Ex quibus omnibus, si iudicio fiderem meo non solùm veram in sensu proprio Theologico eam propositionem *Deus assumpsit hominem* concluderem, sed & dogmaticam: quare & eius contradictorium *Deus non assumpsit hominem* prorsus ab scholis Catholicis relegandum censerem. Sed vt initio huius quæstionis professus sum, eius propositionis procuratorem solum ago, non iudicem: totiúsque causæ iudicium Doctoribus integrum esse volo.

ANIMAD

QVÆSTIO II.

Quo sensu Christus quatenus hic homo prædestinatus sit filius Dei?

VIc quæstioni occasionem dedit Paulus ad Rom. 1. sic de Christo fatus. *Qui factus est ei ex semine Dauid, secundum carnem: qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex Resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.*

CERTAMEN I.

Eius loci explicatio, & quæstionis in sensibus facilioribus resolutio.

1 NOn vna est apud Patres loci huius explicatio. Nam Græci relati à Vasquez disput. 90. cap. 1. Ambrosius ad eum locum. Durand. in 3. d. 7. q. 3. ad 1. Paludanus ibi Toletus ad eum locum Vasquez ipse, & Bernal. d. 68. sect. 1. n. 11. fine, vocem *prædestinatus* pro *declaratus* vsurpant ὁρίζω enim idem est quod *definio* seu *declaro*. Sensusque est: Christum post Resurrectionem virtute sanctificandi; & remittendi peccata declaratum esse Filium Dei: cum post Resurrectionem euulgata fuerit ea virtus à Christo Ioan. 20. *Data est mihi omnis potestas*, &c. insuper virtute se, suosque suscitandi: quæ sane declaratio Deo ab æterno præconcepta fuerat. Patres verò Latini vulgo illud *prædestinatus* ad Dei decretum referunt: filiationem autem, ad quam prædestinatus dicitur, non de æterna explicant, eiusve communicatione humanitati facta, sed de Resurrectione Christi per Dei virtutem, quæ ab eodem Paulo generatio dicitur Actor. 13. Vbi ad Christi resurrectionem probandam inducit illud Psalmi 3. *Ego hodie genui te.* vt sensus sit: Christus prædestinatus fuit, vt primus Dei virtute resurgeret à mortuis, eorum videlicet primogenitus, sanctosque suos suscitaret ad immortalem filiorum Dei vitam. Mitto difficilem aliam Caietani explicationem. Cæterùm licet ita eius loci litera habeat, ipsius tamen occasione Theologi de præfixæ propositionis veritate in ordine ad Dei decretum, & filiatione naturali Dei æterna, siue secundùm se, siue humanitati Christi communicata vulgo disceptant.

Vox ergò *prædestinatus*; vel significare potest antecedens decretum de aliquo in ordine gratiæ. Et sic dubitari nequit quin Christus prædestinatus fuerit Filius; cum aliter decerni, esseve in rerum natura nequeat, nisi in supremo ordine gratiæ vnionis, & filiationis Dei naturalis eius humanitati communicato. Secundò potest significare rei alicuius præordinationem in finem aliquem gratiæ. Tertiò in finem gratiæ indebitum, & quidem vtroque hoc modo Christum quatenus hominem, hoc est secundum humanitatem, prædestinatum esse Filium Dei concors Theologorum sententia merito est: quia eius humanitas gratuitò, ac liberaliter præordinata à Deo fuit ad vnionis gratiam, & per illam ad filiationem Dei naturalem, siue, vt Dei filia denominatiuè esset; id quod Paulus præcitatus indicasse videtur; licet enim relatiuum *qui* videatur personam referre, si grammaticalis concordantia attendatur; sæpe tamen relatiuo masculino refertur in re præsenti natura, vt statim in Augustino videbimus, innuuntque verba antecedentia. Pauli ità in eo loco referre. *Factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*: de eo quippe secundum carnem videtur dictum, quod subdit: *qui prædestinatus est filius Dei.*

2 An verò homo absolute dictus prædestinatus

filius Dei dici possit, neque humanitas solum, ve Christus secundum humanitatem? lis est inter Theologos. Negat Vasquez disput. citata, si propria significatione homo vsurpetur, auditis etiam testimoniis Augustini recitandis; affirmat verò Petrus Mandingo d. 13. dub. 7. etiam in eius vocis *homo* significatione propria, cui assentior. Probatur 1. ex August. cap. 40. enchirid. scribente: *insinuat nobis gratiam, qua homo nullis præcedentibus meritis in ipso exord. o naturæ suæ, quo esse cæpit, verbo Dei copularetur: in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei.* Voce copularetur hominem significare naturam humanam ostendit, & 15. de præd. Sanctor. cap. 15. *qui vt hoc* (nempe Deus) *esset, quibus tandem suis, vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, qua in illo est comparauit? Respondeat quæso: ille homo, vt verbo in vnitate personæ assumptus filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit?* & rursus: *& illum ergo* (in vnionem, & filium Dei vt dixerat) *& nos prædestinauit: quia in illo, vt esset caput nostrum, & in nobis, vt corpus eius essemus non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præcinuit.* Vbi pronomen *ille* non demonstratiue, sed relatiuè vsurpatur, alioqui adiunctum voci *homo* suppositum significaret: ac deinde promiscue voce *homo* tanquam synonima humanæ naturæ vtitur. Ratio est quia *homo* secundùm se non significat individuum aliquod, sed commune, idque propriissime: quare non suppositum, quod non nisi individuum esse potest, sed naturam solùm significat: ast naturam prædestinatam esse gratuitò filiam Dei certissimum est: ergo, & hominem prædestinatum esse filium Dei debet esse indubitatum.

3 Sed dubium adhuc est: An sensu aliquo proprio dici possit de Christo. *Hic homo prædistinatus est filius Dei?* estque dubium in hac quæstione præcipuum. Potest autem *hic homo* accipi adiectiue, vel substantiue: vt significet, vel hanc humanitatem cum subsistentia aliqua, vel hanc subsistentiam cum humanitate, siue hoc habens humanitatem, vt sæpe monuimus, fusèque explicuimus d. 1. q. 1. Noster Petrus Vvadingo, vbi proximè docet sumpto *hic homo* adiectiuè veram esse eam propositionem, prædestinatus est filius Dei naturalis: quia denominationes naturæ eo modo, quo naturæ conueniunt, conueniunt etiam supposito, ac personæ, etiam extraneæ, siue alienæ subsistentiæ: vt patet in hac: *Deus est mortuus*, aliisque omnibus propositionibus per idiomatum communicationem veris: atqui esse prædestinatam filiam naturalem Dei, denominatiue conuenit in sensu proprio prædestinationis, secundo, & tertio modo explicato, humanitate: Ergò, & esse prædestinatam filiam, seu filium Dei naturalem denominatiue conueniet æquè propriè personæ Christi habenti humanitatem, licet Diuina sit, saltim per idiomatum communicationem: cæterùm subtilitas hæc multo ex capite nobis displicet: Primò quia, quæ de Deo per communicationem idiomatum dicuntur, ea solum sunt, quæ ipsi secundùm se, & essentialiter non conueniunt; ast esse filium Dei naturalem personæ Verbi conuenit essentialiter; ergò nequit per idiomatum communicationem dici filius Dei naturalis denominatiuè: quare neque prædestinatus esse potest vt sit filius Dei denominatiue: secundò prædestinatio proprie, & stricte dicit rei ordinationem adeò ad aliquem finem superiorem gratiæ, & gratuitò; atqui respectu personæ Diuinæ gratia non est hominem esse, & naturalem filium Dei denominatiue, quia homo est, tum ipsa intimius, & perfectius, nobiliusque filius Dei naturalis secundùm se fit: Quamobrem hanc propositionem, *filius Dei prædestinatus est, vt sit homo*: impropriam appellant Albert. in 3. d. 7. art. 6. S. Thom. 3. p. q. 25. art. 2. ad 3. Durand. in 3. d. 7. q. 3. n. 8. Vasquez d. 93. c. 3. n. 14.

4 Nihilominus Aluarez, & Thomistæ recentiores communiter alia via hunc hominem adiectiue acceptum seu pro persona, aut personalitate Diuina in recto posse dici prædestinatum filium Dei: ita, vt eius propositionis subiectum sit filius Dei, non tamen, vt filiationem naturalem naturæ humanæ communicat, sed solum, vt illam sustentat, seu, vt illam subsistere facit in supposito Diuino formaliter, qui filius naturalis Dei realiter est. Verùm modus hic ægriùs adhuc sustinebitur.

nebitur. Contra primo : quia ſi ex parte ſubiecti ſupponitur perſonalitas Filij Dei ſuſtentans humanitatem, neceſſariò ſupponitur vnio realis Verbi ad humanitatem; ergo ſupponitur ex parte ſubiecti prædeſtinationis vnio realis filiationis naturalis Dei, quæ eadem cum Verbi perſonalitate, in horum ſententia, vel ſaltim cum Verbo ipſo eſt : atqui vnione illa reali humanitas, ſiue Chriſtus, qua homo eſt filius naturalis Dei realiter formaliter: ergò ſupponitur ex parte ſubiecti Chriſtus, qua homo realiter filius naturalis Dei formaliter, ſiue talis conſtitutus, tanquam forma à filiatione Verbi realiter ſibi vnita. Maior probatur: quia vnio non præſcindit formalitates extremorum, quæ annectit : Quare implicat vnam extremi formalitatem vnire alteri extremo, quin vniat, & aliam ipſi identificatam. Minor eſt Thomiſtarum ſententia in primo ſenſu, atque quoad identitatem realem filiationis cum Verbo, quod ſatis ad conſequentiam eſt, certa, ac de fide. Pergo inde : nihil prædeſtinari poteſt ad id quod deſe habet, atque ante prædeſtinationis effectum ſupponitur reuera habere : atqui Chriſtus, qua hic homo ponitur, vt ſubiectum prædeſtinationis in filium naturalem Dei, realiter filius naturalis Dei, vt conſequentia legitima probauimus: ergò nequit prædeſtinari in filium naturalem Dei.

5 Confirmatur: quia ante decretum, quo in hoc ſubiecto *Filius Dei ſuſtentans humanitatem* (quod pro eius propoſitionis, & prædeſtinationis in Filium Dei ſubiecto, ponunt) ponendam Dei filiationem naturalem aiunt, eſt decretum de Vnione illa reali Verbi filij ad humanitatem ſine qua filius naturalis Dei, nequit vere eſſe ſuſtentans humanitatem : quod quidem præciſiuum non eſt, cum ſit actiuum, ac proinde nequit ponere actiue filium ſuſtentantem humanitatem quin ponat eum conſtituentem illam, ſiue hunc hominem filium : ergo ante decretum prædeſtinatiuum hominis huius Chriſti, qui ſubiectum prædeſtinationis in filium naturalem Dei eſt, adeſt decretum executiuum filiationis naturalis Dei in humanitate : quid ergò aget prædeſtinatio, quæ finem effectum in ſubiecto, quod prædeſtinat ad illam ſupponit, quin actum agat, euaſiones illas (non ſupponi ſcilicet Chriſtum, qua hominem, filium metaphyſice loquendo; ſed ſolum, qua ſuſtentatum in filio naturali Dei, qua ſubſiſtens formaliſſimè eſt, licet realiter, & identicè, qua filium ſupponat) argumentis factis præcluſimus. Nam decretum vnionis, & prædeſtinationis, cum actiua ſint vnionis realis, nequeantque, tam illa, quam vnio ipſa præſcindere formalitates, vt alterius vnionem ponant in humanitate, quin aliam ipſi identificatam in eadem ponant, ſicuti neque hæc vnam formalitatem annectere illi, quin annectat & aliam ipſi identificatam : nequit eſſe decretum illud, prius prædeſtinatione, decretum vniendi Filium Dei, qua perſona, & ſubſiſtens eſt, quin ſit decretum vniendi Verbum ipſum, qua filius eſt : cum reipſa idem realiter in Verbo eſſe ſubſiſtens ſit, & eſſe filium; nec magis poteſt vnio vnire humanitati Verbum, qua perſona, ſeu ſubſiſtens eſt, quin illud vniat, qua filium.

6 Explicatur ampliùs hæc ratio : quia non aliter decretum executiuum prædeſtinationis iſtius in horum & omnium ſententia ponat in hoc homine Chriſto filiationem naturalem Dei, quam ponendo vnionem realem Filij Dei ad humanitatem, quam ex parte ſubiecti prædeſtinationis, hi Doctores admittunt pro priori naturæ ad decretum prædeſtinationis poſitam : Secundò impugnatur ſolutio : quia humanitati vnitæ realiter ad Verbum, ſiue ſumatur in recto, ſiue in obliquo, nec gratia eſt, neque contingens aliquid filiatio diuina naturalis, quam habet, ſeu eſſe filium naturalem Dei : cum identicè identitatis arctiſſima, ac neceſſaria coniunctione cum vnione Verbi, vt ſuppoſitum, & perſona eſt ad humanitatem, quam ex parte ſubiecti prædeſtinationis huius fatentur Doctores iſti, coniuncta ineuitabiliter, etiam diuinitus ſit : atqui finis prædeſtinationis contingens, & gratia eſſe debet ſubiecto, quod ad illum prædeſtinatur, vt ex omnibus ſuppoſuimus : ergò ſubiectum prædeſtinationis, quod ab his Doctoribus aſſignatur, nequit prædeſtinari in Filium Dei : Atque his ſanè præcluditur alia eorumdem doctorum euaſio: quod ſcilicet filiatio naturalis Dei, ad quam prædeſtinatur ſubiectum illud, quæque in eo per prædeſtinationem hanc ponitur, ſit, non quidem communicatio Diuinæ naturæ, ſeu filiationis Verbi vniti ad humanitatem; ſed relatio quædam ex illius vnione proueniens; non ſecus, atque ex generatione prouenit genito relatio filiationis. Sed in primis (quidquid de ſimili ſit) relatio hæc neceſſariò non contingenter, & gratioſe ex vnione prouenit humanitati, & ex generatiua actione prouenit genito : ergò poſita vnione, ex parte ſubiecti, nequit hoc ad eam relationem, ſeu filiationem prædeſtinari : maximè, cum relatio illa ſine noua actione Dei per ſolam reſultantiam ex generatione in horum opinione proueniat : Secundò : relationes à fundamento, & termino diſtinctas, & ſuperadditas melior Philoſophia non agnoſcit. Tertio admiſſa filiatione naturali diuina alia ab ea, qua filius propria generatione in diuinis eſt, atque ex ſola coniunctione Deitatis reſultans, non erit cur Spiritus ſanctus filius naturalis Dei dici nequeat contra fidem, vt Latius controu. de Trinit. monſtrabam. Satius ergò his Thomiſtis foret ab Angelico Præceptore ſuis hiſce ſubtilitatibus non diſcedere.

CERTAMEN II.

Nullo proprio ſenſu dici poteſt: *hic homo prædeſtinatus eſt filius Dei.*

1 SVmpto hic homine adiectiuè probata, ſatis eſt concluſio noſtra contra Petrum VVadingo; ſumpto verò ſubſtantiuè hoc homine pro hac ſcilicet humanitate cum ſubſiſtentia aliqua vagè noſter Vaſquez d.90.cap.3. num.11. cenſet proprie dici poſſe. *Hic homo prædeſtinatus eſt Filius Dei*, ſiue *vt ſit Filius Dei*. Vt ſic enim non ſignificat ſubſiſtentiam diuinam, neque vnionem hypoſtaticam huius humanitatis ad illam; ſed hanc vel illam ſubſiſtentiam vagè : quare intelligi à Deo poteſt hic homo ſubſtantiuè ſumptus priuſquam intelligatur vnio hypoſtatica huius humanitatis ad Verbum ac Filium Dei : ac proinde prius quàm intelligatur Filius Dei naturalis denominatiuè : vndè, cum prædeſtinatio opus rationis ſit, potuit à Deo prædeſtinari hæc humanitas cum ſubſiſtentia vagè prænocta, vt media vnione hanc filij naturalis Dei haberet, eſſetque naturalis Dei filius. Neque ab ſimili modo philoſophatur de homine adiectiuè ſumpto vt *homo prædeſtinatus ſit Filius Dei* : quia homo, vt ſic, adiectiuè ſumptus non dicit hanc determinatè ſubſiſtentiam filij; ſed aliquam : quare locus eſt, vt prædeſtinatione, quæ ratione regulatur, ad hanc determinatè ſubſiſtentiam filij, ac proinde ad filiationem Dei naturalem ordinetur, veraque ſit in ſenſu proprio, ſumpto adiectiuè homine : *Homo prædeſtinatus eſt filius Dei*, ſecus *hic homo prædeſtinatus eſt filius Dei* ſumpto homine adiectiue : quia iam ex parte ſubiecti inuoluitur filij perſonalitas : conſentit re ipſa Vaſquez & Suarez d.50.ſect.2. licet vocibus non nihil diſcordent.

2 Ego verò re, vt voce ab vtroque diſcordo; & primo quidem vocem *homo* adiectiuè ſumi non poſſe conſtat, quia, vt ſic prolata non ſignificat perſonam, ſed naturam in communi ex communi Patrum Conciliorum, & rationis conſenſu : ſecundò non aſſequor tantorum Doctorum conſequentiam in eo, quod de hoc homine adiectiue ſumpto negant poſſe dici prædeſtinatum Filium Dei; ſiue, vt ſit Filius Dei; etenim ſicut hic homo ſubſtantiue ſumptus non dicit hanc perſonalitatem Filij Dei, ſed aliquam vagè, quare prius cognoſci, vt hic homo poteſt, quin cognoſcatur vt Filius Dei, ac proinde locus eſt vt decreto per hanc cognitionem priorem regulato ordinetur ad vnionem cum perſona determinata Filij Dei; ſicque Filius Dei hic homo ſubſtan

ſubſtantiuè ſumptus; ita etiam hic homo adiectiue ſumptus, licet dicat hanc filij perſonam, aſt non dicit hanc humanitatem Chriſti determinatam, ſed aliquam vagè : quare intelligi prius ratione poteſt hæc perſona, quam intelligatur vnita cum hac humanitate determinata : ergò prius quam hæc humanitas Chriſti intelligatur filia naturalis Dei, ſiue prius quam intelligatur hanc humanitatem filiam, ſiue hunc filium naturalem denominatiuè conſtituere : ergò & eſt locus, vt hæc perſona fidei decreto regulato per illam priorem cognitionem ordinetur, vt hunc numero filium naturalem denominatiuè conſtituat in eorum doctrina. Hæc ab inconſequentia.

3 Sed iam doctrina ipſa in ſe eſt multiplici ex capite repugnans. Primo. Quia prædeſtinatio Dei non eſt ſimplex complacentia Dei, ſed actiua eſſentia ſua: quare eſſentia ſua reſpicit actionem inter prædeſtinatum, & id ad quod prædeſtinatur: ergò intereà, inter quæ eſt impoſſibilis actio, eſt impoſſibilis prædeſtinatio Dei : atqui inter hanc humanitatem cum perſonalitate vaga, vel circa perſonalitatem vagam, ad perſonalitatem determinatè hanc in ea efficiendam eſt impoſſibilis actio : ergò & huius humanitatis cum perſonalitate vaga, vel perſonalitatis vagæ ad hanc perſonalitatem determinatam Filij Dei eſt impoſſibilis prædeſtinatio : ac proinde vtraque concluſio falſa, & de hoc homine ſubſtantiuè, & de homine vt ſic adiectiuè. Licet ergo ordinatio prædeſtinationis rei ad aliud ratione ducatur, & reguletur; quia tamen actiua eſt, tendenſque ad agendum aliquid circa ſubiectum prædeſtinatum ad illud, quod inter vnam formalitatem, & aliam fieri nequit, non ſufficit prioritas rationis inter prædeſtinatum & id, ad quod prædeſtinatur: ſed realis diſtinctio vnius ab alio ac prioritas realis prædeſtinati ad id, ad quod prædeſtinatur, neceſſaria eſt : quæ inter vagam, & determinatam perſonalitatem non intercedit. Confirmatur : quia indiuiduum vagum, & determinatum, ſpecificum & indiuiduum eius eadem actione poni neceſſariò debent: cum actio nequeat reipſa vnum prædicatum fine alio ponere : nempe indiuiduationem, quin ponat ſpeciem, vel contra.

4 Impugnatur ſecundò : quia prædicato ſpecifico hominis adiectiuè ſumpti, vel rationi communi & vagæ perſonalitatis, quam dicit in obliquo hic homo Chriſti ſubſtantiuè acceptus non poteſt fieri gratia à Deo, vt coniungatur cum homine adiectiuo Chriſti, aut cum hac ſingulari, & determinata Chriſti perſonalitate : ergò neque homo adiectiue ſumptus, neque hic homo ſubſtantiuè ſumptus proprie, adhuc iuxtà modum ſecundum prædeſtinari poteſt, vt hanc habeat perſonalitatem, qua ſit filius naturalis Dei. Probatur antecedens, in eo, quod aliter fieri à Deo nequit, non poteſt eſſe gratia, quod ita fiat; at fieri à Deo nequit, quod homo communis ſeu ſpecificus : qui in Chriſto eſt, vel perſonalitas ſub conceptu communi, aut vago, quæ in Chriſto eſt, non ſit identificata realiter cum hoc homine, aut cum hac perſonalitate qua filius naturalis Dei, homo vel humanitas Chriſti eſt : ergo in eo quod homo communis Chriſti, vel perſonalitas communis ipſius ſit hic homo filius naturalis Dei, vel hæc perſonalitas, qua hæc humanitas eſt filia naturalis Dei, nulla fieri poteſt gratia à Deo, vel homini ſpecifico Chriſti, vel humanitati ipſius, vt conceptæ cum aliqua perſonalitate vaga, vel ſub conceptu communi perſonalitatis. Minor eſt certa æque, atque maior. Nam prædicatum commune, & ſpecificum huius indiuidui, v. g. hominem Pauli, non poteſt Deus ponere in indiuiduo alio, v. g. in Petro, neque poteſt non ponere in Paulo : ſed quoties illud ponit in rerum natura debet ponere in Paulo, vel potius idem realiter cum Paulo.

5 Confirmatur : quia alias homo communis adiectiue, vel hic homo ſubſtantiue Pauli, & Angelus communis adiectiue, vel hic Angelus ſubſtantiue Michaëlis, poſſet prædeſtinari libere, & gratuitò vt alter eſſet Paulus, alter vero Michaël, quod eſt prorſus ridiculum, & fatuum. Nec refert, ſi dicas : ho-

minem communem adiectiue ſumptum, & hunc hominem ſubſtantiuè cognitos, vt poſſibiles, poſſe præfiniri libere à Deo, vt exiſtant in Chriſto. Sunt duo in hac propoſitione : poſſe libere præfiniri eorum exiſtentiam, & hoc eſt verum; & quod exiſtant in Chriſto, & in hoc homine & hac perſona : & hoc non eſt liberum à Deo vt demonſtraui. Itaque circa abſolutam exiſtentiam eſt libertas, ſed non qua ordinentur, vt ſint filius naturalis Dei, ſeu exiſtant identificata cum perſona Chriſti, à qua filius naturalis Dei ſunt : ac proinde prædeſtinabuntur primo illo modo prædeſtinationis improprio; non autem ſecundo proprio, & tertio propriſſimo, vt ſint filius naturalis Dei, in quo modo, & acceptione prædeſtinatio & quæſtio eſt præſens, & à Vaſquez, & Suarez Aſſeclisque aſſerebatur.

QVÆSTIO III.

Dicinè poſſit propriè *Verbum* ſeu Deus *humanus humanatus* hominifer, atque homo *Dominicus*, *Deifer*, *Diuinus*?

INumanatum participialiter, provt idem eſt, atque eſſe hominem factum, citra controuerſiam eſt eſſe humanatum Deum : eoque, vt minimum, ſenſu Deum humanatum dixit Damaſcenus 3. de fide cap. 2. quare de voce humanatus, quatenus ſolum nomen adiectiuum, idemque, quod humanus eſt, poteſt eſſe quæſtio; non autem, qua eſt participium verbi *humanor humanaris*.

CERTAMEN I.

Ritè Deus humanus, *atque* humanatus *nominaliter dicitur*, & homo diuinus.

1 ESt concluſio contra Vaſquez d. 63. cap. 2. eam etiamen docet Durand. in 3. d. 4. quæſt. 2. num. 9. Lugo d. 34. Bernal. d. 45. ſect. 2. §. 3. num. 32. Probatur: quia humanus, & humanatus nominaliter acceptum ſunt adiectiua ab humanitate denominata, idemque valent atque habens humanitatem, & Diuinus idem, atque habens diuinitatem : ergo idem valent atque homo, & Deus adiectiue ſumpti, atqui homo, & Deus inuicem dicuntur de ſe adiectiue ſumpti, neque aliter dici poſſunt de ſe vt d. 1. contra Vaſquez, & alios oſtendebamus : ergò & humanus ſeu humanatus nominaliter acceptus de Deo, & Diuinus de homine æqua proprietate dicetur. Confirmatur : quia nequit negari quin homo Ieſus habeat diuinitatem, & Deus Ieſus humanitatem : ergò, cum id ſolum ſignificent humanus, & humanatus nominaliter, atque Diuinus, negari nequit Deum eſſe humanum, & humanatum nominaliter atque hominem Diuinum. Probatur rurſus ex Dionyſio 4. de cæleſti Hierarchia p. 2. vbi iuxta receptam à S. Th. quæſt. 16. art. 3. & Schola Theologica verſionem antiquam Perionij ſic habet. *Non igitur cæleſtium Spirituum ordo diuinum Ieſum*; ergo homo Chriſti, ſeu Chriſtus *Diuinus* dicitur à Dionyſio, admittiturque à Schola tota, atque à ſancto Thoma diſcrimen aſſignatur, cur Diuinus homo dicatur, non Dominicus : quare, & Deus Chriſtus dicetur humanus,

seu humanatus nominaliter & adiectiue, cum eadem sit etiam per Vasquez ratio vtriusque. Igitur parui refert Ambrosium Camaldulensem vertisse *Deum seminam Ium* non *hominum*.

2 Negabis paritatem ex Bernale in simili d. 34. quia *humanus* sumitur ibi, vt adiectiuum metaphysicum diuinitatis, contrahens directum significatum personæ in communi, quæ in persona hominis Iesu est, ad singularem eius personam, quæ est diuina; at verò *humanus* est adiectiuum physicum ab humanitate sumptum. Quare non valeret à diuino ad humanum arguere: sicut non valet *Petrus est animal humanum*, quod adiectiuum metaphysicum est, tantundemque valet, atque rationale, à quo denominatur, licet ab humanitate sonotenus denominari denotetur: *ergo Petrus est humanus*, quia *humanus* hic est denominatiuum physicum ab humanitate physice, & totaliter accepta. Sed tamen diuinum, & humanum, cuiusvis ordinis denominatiua sint, à diuinitate, & humanitate sunt denominatiua, tantundemque valent, atque habens diuinitatem, vel humanitatem, vt sono vocum, & grammaticis legibus omnibus est notum. Id enim, quod expressius dicunt, est id, à quo denominatur, & à quo deriuant: dicant autem adiectiua quæuis expressius formam à qua denominantur, atque iisipsis vocibus *diuinus*, & *humanus*. Neque tamen ideo Petrus humanus non dicitur, quia humanus adiectiuum physicum sit; sed, quia homo substantiue est, neque adiectiue dici *homo* (quomodo idem est, atque humanus) debet in communi vsu loquendi: quia concreta substantiua naturarum, sine necessitate, adiectiue vsurpanda non sunt, sed substantiuè. Quod si pro libito adiectiuè sumptum hominem, vt potes, de Petro dicere velis, verè dices eademque veritate, & proprietate humanum dicere poteris.

3 Denique probatur conclusio, ac simul vnicum aduersariorum à ratione fundamentum eruitur. Quia, licet non sit in vsu frequenti prædicari naturas substantiales adiectiue, ac denominatiue de iis, quibus essentialiter conueniunt; id tamen est quando concretum quod ex parte subiecti ponitur substantialem naturam prædicandam significat, vt Petrus humanitatem, Deus diuinitatem: tunc enim, cum ex parte subiecti significetur, seipsam ex modo significandi videtur denominare natura, quæ denominatiuè de subiecto prædicatur. Quando autem concretum ex parte subiecti naturam denominatiuè prædicandam non significat, non videtur adhuc ex modo significandi seipsam denominare, cum de subiecto denominatiue prædicatur: ac proinde de eo rectè prædicari poterit; sic de Filio secunda Trinitatis persona ac Verbo Diuinum, quod diuinitatis denominatiuum est dicimus esse: quia licet de Verbi essentia diuinitas sit, ast eis nominibus, quibus ex parte subiecti ponitur Diuinitas non significatur: cum ergò in hac *Deus est humanus* & *humanatus*, & hac *homo est diuinus* subiectum Deus nullatenus significet humanitatem denominatiuè prædicatam; neque homo diuinitatem denominatiuè prædicandam de ipso: proprio & vsitato loquendi modo poterit alterutra natura de altero subiecto prædicari; & vere quidem cum rectum subiecti & prædicati adiectiuè sumptorum idem sit vt vidimus. Deus enim adiectiue sumptus dicet personam seu personalitatem habentem Deitatem siue diuinitatem, quæ eadem habens humanitatem, siue humana & humanata adiectiue est.

4 His etiam occurritur rationi, quam alio, quam Recentiores putant, à Durando efformatam nobis obtrudunt. Nempe de concreto substantiali substantiuo, de quo prædicatur concretum substantiuum substantiale, etiam alterius naturæ, non posse huius naturæ adiectiuum, seu denominatiuum prædicari: atqui de concreto substantiali substantiuo *Deus* prædicatur substantiuum concretum substantiale humanitatis, in mirum *homo*: ac de homine *Deus* per nos, & per omnes: ergo, nequibit de Deo prædicari denominatiuum humanitatis *humanus*, seu *humanatus* vel de homine denominatiuum diuinitatis. *Diuinus*. Respondetur facile antecedens esse falsum, iuxta doctrinam à nobis proximè datam. Quoties enim concretum alterius naturæ ex parte subiecti ponitur, non significatur natura altera concreti, quod prædicatur: ac proinde verè, ac propriè prædicari huius denominatiuum de eodem subiecto poterit. Ratioque est aperta. Nam tunc concreta substantiua subiecti, & prædicati adiectiuè sumuntur: quomodo idem, eodemque modo significant atque denominatiua earumdem naturarum: vt homo idem sit atque habens humanitatem, & Deus atque habens Deitatem quod ipsum eodem prorsus modo significant humanus, & humanatus nomen, atque Diuinus.

5 Ab authoritate opponit Vasquez citatus Concilium Francfort. epistol. ad Episcop. Hispaniæ ante medium dicens: in Christo vnam personam esse hominem & Deum, *non hominem Deique inter se aequalitatem*, siue humanum *Deum*. Secundò Patres plures negantes hominem, Christi, siue Christum appellari *Dominicum*: quod idem esse putat ac Diuinum, vt certam sequenti recitabimus. In primis decipitur Vasquez æstimans *Dominum* idem esse, ac dominicum: illud quippe dicit *habens humanitatem*, dominicum autem quod *domini est*; quare non est denominatiuum à dominio, sed à Domino, ad quem dicit relationem. Si autem vterque posse siue accipiatur, posse de homine Christo dici, ostendam certam sequenti; secundo *Deus* idem quod *diuinus* minime est: *humanus* autem adiectiue, seu humanus negatum à Concilio de Deo fuit Nestoriano sensu distinctionis suppositorum in Christo: quem horum hæreticorum abusus in eas voces induxit: & quem plane proprius earundem vocum sensus à nobis datus pro habente Deitatem, & habente humanitatem, in his adiectiuis humanus, siue humanatus, & diuinus prorsus excludit, & Catholicam doctrinam oppositam de vnitate personæ Christi confirmat: cum ideò Deum humanum, & hominem diuinum Christum dicimus, quia idem suppositum in ipso est, quod simul humanitatem habet, & deitatem. Illud potiùs videtur Nestorianismo propinquius: quod Deus humanus dici possit ab humanitate pro comitate, & benignitate accepta: cum hæc tota affectus sit; neque vnionem physicam dicat.

CERTAMEN II.

Rectè etiam dici inter Catholicos potest *homo dominicus* & *diuinus*, ac *Deus humanus* possessiuè.

1 HOminem Christum dominicum appellant Epiphanius in Anchorato longe à medio & hæresi 69. Didimus 3. de Spiritu S. colu. 4. tom. 6. Biblioth. Athanas. epist. ad Epictetum confess. fidei sub finem. August. quæst. 36. ex Octog. tribus post medium & quæst. 57. sub finem, lib. 2. de serm. domini in monte, cap 10. Chrysostomus tom. 3. homil. de Cruce Domini. At inquit Vasquez: Patres syncero animo locutos, maturiori verò consilio locutionem retractasse, sic enim ait August. 1. Retract. cap. 19. versus fin. *Non video vtrum recte dicatur homo dominicus, qui est Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: cum sit vtique dominus; dominicus autem homo, qui est in eius sancta familia potest dici, quia inter Christi fideles qui sunt à Christi familia, quis potest dici homo dominicus, vel domini: sicut Elisæus dicebatur, & cæteri Prophetæ viri Dei; & hoc quidem vt dicerem, apud quosdam legi tractatores Catholicos diuinorum eloquiorum, sed vbicumque hoc dixi, dixisse*

 Nazian. epist. 1. Ad Cledon, siue orat. 51. eum hortatur vt Apollinaristas arguat: *Ne homines*, inquit, *isti alios decipiant, verissimque ipsi decipiantur hominem dominicum (vt ipsi loquuntur) vel potius dominum nostrum, & Deum mentis expertem esse asserentes*: Ad quæ Elias Creten. *Per quam autem causa (tanquam non citrà errorem videlicet dominicus dictus sit: idque diuisionis specimen inducat) & hæc verba adiunxit; vt ipsi aiunt: & sanum correctionem hanc, vel, vt rectius loquamur, dominum ac Deum nostrum. Dominus enim in totum, ac Deus Christus est; non autem dominicus homo, vt Apollinaristæ nugabantur, tanquam alius, atque alius esset, nempe dominus, & conspicuus ille homo.*

2 Sed tamen solus ex recitatis Augustinus locutionem retractasse videtur; qui tamen subiunxit, *quamuis nonnulla possit ratione defendi*, quam dedit S. Thom. quæst. 16. art. 3. efficacissimam; licet improbabilis à Vasquez dicatur num. 7. §. *Hunc tamen* vers. fin. Non esse igitur dicendum ajebat Augustinus Nestoriano, & Apollinaristarum sensu, qui tunc vigebat: quorum tunc error fumigabat, tempore autem Nazianzeni ardebat, personas in Christo diuidens, vt de Nestorianis est notum. De Apollinaristis verò singulariter obseruat, ac refert Elias Cretensis ita delirasse, vt filium Dei non incarnasse in Virgine, sed cælestem carnem attulisse docerent, ac filium Virginis ab hoc diuersum, sed præ aliis hominibus conspicuum affirmarent: quem non dominum, & Deum, sed dominicum appellabant, vt recitatis verbis Elias supponit: & quidem, si Patres syncero animo loquentes impropriætatem locutionis ignorabant inscitiæ arguuntur; si sciebant impietatis notabuntur: quare satiùs erit eos propriè locutos fateri: vt autem ratio S. Thomæ teneatur, sciendum est: nomen *dominicus* (& idem est de nomine *diuinus* possessiuè accepto) relationem dicere eius, quod tale dicitur ad Dominum: idem enim valet atque *quod domini est*, vt Augustinus aiebat recitato loco retractationum, omnesque Theologi fatentur. An verò relatio hæc dominici ad dominum realis esse debeat, potest esse Scholasticis dissidium. Vasquez citatus num. 15. §. *Nihilominus* circa med. & Soar. ad art. 3. quæst. 16. citatæ manifestè supponunt debere esse realem. Ego verò censeo satis esse, si rationis sit. Sed, opposito etiam admisso, efficacissimè probat conclusionem S. Thom. quia vox homo significat humanitatem in recto de se naturaque sua, nisi ex adiuncto aliquo ad significandum adiectiue, atque personalitatem in recto extrahatur: imò in Vasquez sententia ita necessariò significat, vt de concretis omnibus substantiuis naturæ expresè docet ipse d. 1. recitatus: atqui humanitas reali relatione vnionis Domini est, & Dei possessiue: ergo dominica, & diuina possessiuè: ergo & homo substantiuè acceptus dominicus, & diuinus possessiue est, cum eius rectum significatum, cui concordat, & de quo dicitur, dominicus, & diuinus, sit humanitas.

3 Verùm & si *homo* adiectiuè, atque personalitate diuina in recto significata vsurpetur de homine Christi, seu potius qui Christus est, esse dominicum, & diuinum verificabitur etenim verbi personalitas, & persona Patris domini, & Dei possessiuè est: cum filius Patris possessiuè sit, ad eumque relatione feratur. Neque opus est, vt aliqui dominicus possessiuè, seu domini, ac Dei esse dicatur, vt relatione reali ad ipsum, tanquam ad dominum suum referatur; sed satis est si reali relatione alia ad eum, qui Dominus absolutè, licet respectu aliorum sit, referatur. Etenim, si Petrus seruorum aliquorum absolutè dominus puerulum filium habeat, seruosque roges illos, cuiusnam puerulus ille sit? Respondebunt rectè Domini; vel dominicus est; cum tamen puerulus ad Petrum Patrem, tanquam ad dominum suum, relatione reali seruitutis non referatur: quia refertur relatione alia, ratione cuius Petri, qui dominus absolutè, licet aliorum est, esse dicitur: ergò cum verbum, & persona, vel personalitas filij reali relatione referatur ad Patrem, qui Deus, & dominus absolutè, licet aliorum est, ratione cuius Patris Dei ac domini esse recte dicitur, do-

minicus, ac diuinus rectè, ritéque dicetur: ac proinde, & homo adiectiuè sumptus pro persona, quam vel personalitatem in recto dicet, verè ac propriè etiam *dominicus* ac *diuinus* possessiuè dicetur: vtraque sane ratio suo modo accommodata æquè probat Deum siue substantiuè siue adiectiuè vsurpatum rectè dici *humanum* possessiuè. Nam relationes siue vnionis siue filiationis, reciprocæ cum sint, possessiuè grammaticaliter æquè faciunt vnum extremum dici esse alterius, atque alterum illius.

4 Atque hæ quidem probationes supponunt cum aduersariis, vt aliquid alterius verè, ac propriè esse dicatur v. g. domini, ac Dei, vel dominicum, & diuinum possessiuè, realem relationem intercedere debere illius ad Deum, qui dominus, ac Deus est. Hoc autem prorsus reputo falsum: etenim quidquid dici Dei propriè, ac domini potest, dici eadem proprietate potest dominicum & diuinum possessiuè: sicut quod *mei* proprie dicitur esse meum possessiuè: atqui ea, quæ nullatenus dicere relationem realem ad Deitatem, ac Deum possunt, cuius modi sunt, quæ cum ipso identificantur, propriè dicuntur esse Dei, & domini: ergò & sine vlla relatione reali propriè dici poterunt dominica, & diuina. Minor patet, in misericordia, reliquisque personalitatibus, & attributis quæ Deiac diuina dicuntur. Ratio autem à priori est. Quia, cum nomina, res, & obiecta propriè significent, non, vt in se sunt, sed, vt à nobis concipiuntur, atque obiecta concipi distincta, vel præcisiuè, vel positiuè à nobis possunt, licet reipsa distincta non sint: Sine vlla impropriætate ità significari, atque vt relata per rationem poterunt. Ex quibus constat personalitatem Verbi, quæ rectum significatum hominis adiectiuè sumpti est, cuique concordant *dominicus*, & *diuinus* possessiuè, talem posse dici ex sola relatione rationis, & domini ac Dei, sicque independenter ab incarnatione appellari. Dices: ergo nequibit dici, nisi per rationem Dei, aut diuina possessiuè personalitas diuina. Sed hoc omnes sic loquentes tangit: Respondetur tamen ex parte rei obiectæ aliquid reale poni cum personalitas, & attributa Dei, & diuina dicuntur: nempe identitas eorum cum Deo, quæ strictissima possessio est: licet hæc non nisi ad modum relationis concipiatur. Sed tamen locutiones istæ, quamuis propriæ, apud indoctos, fideique periculosæ, nisi addendo aliquid, quo personæ identitas notetur, v.g. est Deus, & dominus, ac dominicus, & diuinus homo Christus vitandæ erunt.

CERTAMEN III.

Licet proprie dici Christus *homo Deifer* ac Deus *carnifer*, vel *hominifer*.

1 PRimam propositionem negasse videtur Damascen. 3. de fide, cap. 12. post medium dicens: *Vesanus Nestorius, qua audacia erat, eum qui ex Virgine natus est, θεοφόρον, hoc est Deiferum dicere non dubitauit; at nos absit θεοφόρον eum dicamus; vel cogitemus; sed Deum incarnatum* & Athanas. sermon. de sanctissima Deipara. *Nos igitur*, &c. *Asserimus non Deiferum esse hominem*: quare Vasquez cap 2. citato num. 9. relegandam eam locutionem docet. Tum, quia idem est Deifer, ac dominicus, quod abhorrebat. Tum, quia Deifer est sustentans Deum: Christus autem sustentans Deum, ne ab hæreticis quidem dicetur. Bene: ergo *Deifer* non est idem, quod *dominicus*: cum dominicus nullius sensu sustentans Deum significet. Contra secundò: quia Deifer nihil aliud est quam fecum ferens, vel trahens Deum: hoc autem non dicit Deum sustentare: quidquid enim coniunctum, connexumque

alteri est secum illud trahit, vt catenæ annulus annulum. Cum autem humanitas connexa, & vnita physicè deitati sit, ac personalitas ipsi per identitatem coniuncta, quouis modo *homo* in Christo accipiatur siue subsantiuè pro natura in recto, siue adiectiuè pro personalitate in recto Deifer de rigore sermonis dici optimè poterit. Porrò Damascenus, & Athanasius in sensu Nestoriano eiusmodi locutionem respuerunt: quatenus eis vocibus personas multiplicatas in Christo, non sine vocum abusu, denotabant: atque personam humanam Dei personam diuersam ferre asserebant: quare cordatè, tunc, ea locutione abstinebant, ne in sensu Nestorianis viderentur consentire.

2 Confirmatur ex Nazianzeno epist.2. ad Cledon. siue orat. 52. vbi integrum Apollinaristarum vestibulis præfixum titulum expungendum ait. *Adorandum esse non hominem Deiferum sed Deum carniferum.* Ergò vtramque partem tituli errorem Apollinaristarum iudicauit: ergò contradictorium primæ partis, nempè adorandum esse hominem Deiferum, Catholicum censuit. Respondet Vasquez: ideò primam partem iussam à Nazianzeno expungi: quia error idem Apollinaris de non assumptione totius hominis à Deo verbo continebatur, qui in secunda: Bene: ergò quod totus homo, siue tota humanitas in concreta Deifer sit approbatus à Damasceno; cum contradictorium, quod de toto homine, siue humanitate integra non dicatur, expungi iubet: nostram igitur approbat conclusionem, qui totum hominem Deiferum dicimus. Denique Basilius in Psalm.59. ait: calceamentum diuinitatis carnem, id est hominem esse *ferentem Deum*: cuius veritatis rationem subdit, quam nos dedimus proximè: *quia habet Deum in se substantialiter inhabitantem*: quibus etiam docet *ferre* non solum significare sustentare, sed secum habere, & afferre, vel trahere secum inseparabiliter aliud: quòd ratione vnionis hypostaticæ humanitas, siue homo in Christo habet.

3 Quod autem Christus *Deus hominifer* in sensu proprio dici possit, Patronum, & exemplum habet in Nazianzeno; qui loco proximè citato Apollinaristarum titulum illum sic correxit. *Rectiùs dicerent adorandam esse non carnem Deiferam, sed Deum hominiferum.* Consonat Athanasius vbi proximè *Deum carniferum* asserens: *quatenus Deus hominem gestat integrum absolutúmque.* Vbi, & erroris Apollinaris sua explicatione correctiuum apponit, & rationem à nobis datam num. 1. proponit: quod scilicet *ferre* non sustentare, sed secum gestare, siue gerere aliud propriè significet. Quæ ratio ad proprietatem, & veritatem huius propositionis probandam æque est firma, atque ad probandam propositionem præcedentem. Cæterùm, & si *ferre* aliud idem esset quod illud sustentare; non inde propositio hæc à veritate, & proprietate deficeret, cum enim *homo* vt sic non significet de rigore, & proprietate vocis personam, sed humanitatem, quàm propriè dicitur sustentans seu ferens sustentatiuè humanitatem Deus, tam propriè etiam ferens sustentatiuè siue sustentans hominem dici potest.

4 Denique *Deum carniferum* dici videtur Nazianzenus citatus, ac recitatus prohibere. Re autem vera non prohibuit, nisi accepta carne pro humanæ naturæ, seu hominis parte, & Apollinaristæ suo illo titulo erroneè profitebantur; sumpta verò carne pro toto homine, (vt Ioann. 1. per synecdochen accipitur, & *verbum caro factum est*, passimque à Patribus Conciliis, totaque Ecclesia vsurpatur Catholica) propria locutio est admissa expressè ab Athanasio proximè vbi præmittens se non more hæreticorum, sicuti neque Patres Nicænos loqui ait. *Nos igitur talia hæreticorum dogmata intellectúsque reprehendere, & corrigere desiderantes, per præsentem Euangelij interpretationem asserimus non Deiferum hominem esse Christum, sed carniferum Deum, quatenus Deus hominem gestat integrum, absolutúmque.* Sed quia hæreticorum malitia hæresis veneno has locutiones infecit, sicut, & ex præcedentibus plures atque ideò non sunt nimium apud Patres & Ecclesiam frequentes non nisi cautè, atque apud Doctos & Catholicos vsurpandæ.

QVÆSTIO IV.

An sicut *Deus* dicitur *factus est*, & *cæpit esse homo*, ita *homo factus est*, *cæpítque esse Deus*, dici queat?

SVPPONITVR rectè dici *Deus factus est*, & *cæpit esse homo*, quòd licet commune apud Scholasticos sit, tamen, quia propriè loquendo negauit S. Bonauentura, statuendum erit certamine 1.

CERTAMEN I.

Deus factus est, *cæpítque esse homo*, rectè ac propriè dicitur.

1 SAnctus Bonauentura in 3.d.7. art.1. quæst.2 singulariter negat Deum propriè loquendo factum esse hominem. Quia aliquid fieri aliud dicit mutationem eius, quod tale sit, ad illud quod anteà non erat: quæ propriè de Deo dici nequit. Vasquez id negat, quia Deum factum esse hominem fatetur; & tamen, ne extrinsecè quidem mutatum. Quia mutatio dicit actionem essendi aliter, quæ intrinsecum terminum in mutato denuo ponat fere omnium sententia. Verùm ex controuersiis Physicorum constat, neque actionem, mutationem, aut motum dicere: neque mutationem actionem essentialiter includere; sed solùm transitum, quo à negatione essendi tale anteà, & ab essendo post modum tale dicitur mutari subiectum: licet hoc sine actione, quæ hoc esse denuò ponat, nequeat contingere. Secundò cum substantialis conuersio, seu mutatio vnius substantiæ in aliam in sententia Vasquez non dicat actionem siue productinam, siue adductiuam corporis Christi sub panis speciebus, sed solum formalem panis præsentiam, siue existentiam sub illis, ac non esse illius sub illis ad præsentiam corporis Christi sub eisdem, nescio quare in mutatione vniuersim actionem productiuam, tanquam quid essentiale requirat, ne dum actionem productiuam termini intrinseci in mutato; siquidem mutatio extrinseca esse potest: quo pacto Deum in casu præsenti, aliisque pluribus mutari non repugnat.

2 Maior hic controuersia quam fractus Thomistis est: an Deus per idiomatum communicationem mutatus dici possit? Quibusque in casibus? Negant aliqui: quia mutari primario conuenit suppositio, quod diuinum, mutationisque incapax in homine Christo est. Sed assumptum firmius non est illo, *actiones sunt suppositorum*, quod eo sensu sæpè reiecimus. Item ea ratione non tam adeò remouetur mutatio per idiomatum communicationem, vt contenditur, quam homini cuius directum significatum, horum sententia, est persona diuina immutabilis. Affirmant alij: quia Deus per communicationem idiomatum dicitur ex Virgine genitus, ac mortuus, quorum vtrumvis mutationem includit; sed generationem, & interitum non includere mutationem monstrauimus in Physicis: atque in re præsenti constat: quia, si, qua generatus ex Virgine, Deus mutatus dicatur, conuersio, seu confusio naturarum Eutychiana sonabit. Item mutatio, quam dicere generatio potest de materia, quæ aliter se habens præexistit solum, non de toto, quod tunc primo est, cum generatur, dicenda erit. Regula ergo generalis esto mutationibus, quæ de toto homine dicuntur Deus per communicationem idiomatum dicetur.

3 Pro

3 Pro opinione S. Bonauenturæ argues secundò, Deus factus est homo, vel hic homo: hic homo est Deus: ergo Deus factus est Deus: quæ est propositio absurda. Respondet Scotus in his, quæ denotant incarnationem in fieri, vt illa *factus est homo* non esse idiomatum communicationem, quæ Incarnationem factam supponit; sed primo verbum *factus* incarnationem factam dicit: secundò *Deus generatur* ex Virgine per idiomatum communicationem fuit verum, dicítque Incarnationem in fieri. Tertiò non satisfacit ea doctrina syllogismo opposito. Idcircò alij respondent terminum *homo*, vel etiam *hic homo* esse terminum communem, ineptum proindè syllogismo expositorio: quia, si assumeretur natura humana, vt potest à personis tribus diuinis pro illis supponeretur. Contrà primò: quia, licet assumeretur humanitas à tribus personis *hic homo* singularem personam designat, pro eaque supponit, sicque designata, & pro ea supponente termino, non pro omnibus tribus, eadem vi efformatur syllogismus. Contrà secundò: quia de facto humanitas à tribus personis assumpta non est, sed à solo filio: Ergo de facto homo, vel hic homo non est terminus tribus personis communis; neque propterea syllogismo expositorio ineptus. Contrà tertiò: quia licet illis terminus communis foret ineptus communicationi idiomatum inter personalia inferendæ; non autem inter propria vtriusque naturæ, quibus non diuersæ personæ, sed eadem singularissima persona constituitur.

4 Respondetur in syllogismo illo esse fallaciam accidentis: quæ contingit, quando aliqua inter se accidentariè, & materialiter prædicantur, quia habent commune subiectum, seu significatum directum, vt in communicatione idiomatum contingit, atque commune hoc assumitur pro medio in præmissis, posteaque infertur in conclusione altera extremitas de altera formaliter, v.g. *video hunc venientem: hic venens est coruscus; ergò video coruscum*; cum tamen solum inferri deberet: ergò *video eum qui est coruscus*: atque in syllogismo nobis opposito: ergò *Deus est ille, qui factus est, vel incæpit esse Deus*: In eis autem, quæ inuicem essentialiter, & per se prædicantur, nequit eiusmodi fallacia euenire. At, inquies: eandem fallaciam accidentis esse in syllogismis, quibus idiomatum communicatio à Catholicis probatur v. g. *Deus est hic homo, hic homo mortuus est*; ergò *Deus mortuus est*: item: *ens homo est Deus: video corporaliter hunc hominem.* Ergo *video corporaliter hunc Deum*: sed negatur facile assumptum: quia in conclusione vtriusque syllogysmi prædicatum dicitur Catholicis materialiter solum: quomodo, si in syllogismo illo, quem in fallaciæ huius exemplum adduximus, colligatur, rectè etiam colligeretur: colligi autem formaliter denotatur ex verbo, & prædicato coruscí, quod colorem visionis, seu visus obiectum proprium, & per se formaliter visibile dicit.

5 Hæc porrò sunt, quæ contra propositionis illius, *Deus factus est, vel cæpit esse homo* veritatem in sensu proprio obiici posse videbantur; quæ, cum disiecta omninò, atque eneruata sunt, nihil est, quod ab eius propositionis veritate Catholica in sensu proprio acceptæ nos deterreat, quia plura adsunt Scripturæ, Patrum, & Conciliorum testimonia, quæ ad illam afferendam, tuendamque nos inducant; quæque singulatim recitare, imò verò, & citare otiosi inutilisque laboris esset; satis illud Ioan.1. fuerit: & *verbum caro factum est*, id est homo integer: & contrà Apollinaristas Ecclesia interpretatur tota; contrà quos proinde ex Nicæno symbolo quotidie canit: & *homo factus est*: quod idem prorsus est, atque *incæpit esse homo*: in quibus locutionibus proprie vsurpatis, licet vere requiratur mutatio à non esse hominem, antecedenti tempore vel duratione, ad esse hominem tunc, cum factus esse homo, vel incæpisse esse homo Deus dicitur; sed ea tamen Deo, cum extrinseca sit, nec repugnat, neque obsuit, cum antecedenter ad incarnationem, qua factus est, cæpitque esse homo, æterne quin homo esset, præcesserit Deus. Sed iam ad propositiones de quibus quæstio est præsens, veniamus: & quidem, licet de hac, *homo incæpit esse Deus*, nulla fere sit apud Scholasticos mentio, cum idem valeat, atque alia, *homo factus est Deus*, de qua omnes, & disputant, & statuunt: quidquid de hac dixerint de illa dictum ab illis putandum nobis erit.

CERTAMEN II.

Aliorum opiniones, atque ad nostram decisionem notata.

1 SCotus in 3.d.7.q.7. retractans, quæ docuerat quæst.2. veram eam propositionem in sensu proprio, & absolutè *homo factus est Deus*, docet: etsi factus rigore Scholastico accipiatur, & *homo* determinatè supponat pro hoc vel illo homine, ac proinde verificanda sit in aliquo singulari homine, vel, etsi homo pro singulari homine Christo supponat. Scotum omninò sequuntur Guillelm. de Rubeone quæst.1. Pitigianus, Cauell. atque Scotistæ omnes citatis Scoti locis. Refertur falsò pro sententia eadem Gabriel quæst. vnica art.2. post 5. conclusionem, vbi expressè docet oppositum, eandem propositionem rigore Scholastico veram esse defendit Lorca d.36. de Incarnat. num. 16. Si tamen non pro singularibus, sed pro specifico homine, qui in pluribus indiuiduis Incarnationi præcessit, supponat; impugnat Lugo; quia animal etiam, quod in pluribus brutis ante sextam diem creationis hominis præcesserat *factus homo diceretur*: Sed hoc non est doctrinæ huius impugnatio, sed exemplum. Bernal impugnat: quia cum prædicatum hoc factus est Deus de homine per communicationem idiomatum dicatur, atque prædicata communicationis idiomatum debeant dici mutuò de eodem: cum Deus factus homo in aliquo singulari dicatur, de eodem singulari homine dici debet factus est Deus. Sed meritò negaret Lorca has esse mutuas prædicationes communicationis idiomatum, facilius impugno; quia propositiones contingentes non verificantur de specie, nisi ratione alicuius indiuidui, cum speciei secundum se nihil accidat, sed in aliquo indiuiduo: hominis autem speciei in nullo indiuiduo quod Incarnationi præcessit accidit fieri esseuè hominem. Porrò S. Thomas in eandem ferè Lorcæ sententiam inclinauit; licet textum ipsius in hoc sensu, satis expeditum aliter Vasquez interpretetur: quasi in eo sensu non facile currat.

2 Igitur Sanctus Thomas 3. p. quæst. 16. art. 7. & in 3.d.7. quæst.2. art. 1. & 2. duplicem huius propositionis sensum *homo factus est Deus* ex tribus, quos ibi posuit in præsenti quæstione vtilem sic exponit Alterum, vt participium factus determinet compositionem, vt hic sensus sit, *factum est, vt homo sit Deus*, & hoc sensu veram iudicat propositionem; sensum autem non esse proprium ait: *aut forte intelligatur, secundum quod ly homo non habet personalem suppositionem, sed simplicem* id est non supponatur pro indiuiduis, in quorum aliquo designet factum, sed pro specie, vt sic, licet enim hic homo non sit *factus Deus, quia hoc suppositum, scilicet persona filij Dei ab æterno fuit Deus; tamen homo communiter loquendo non semper fuit Deus:* Contendit autem Vasquez disput. 64. c. 1. hunc sensum improprium habitum à Sancto Thoma fuisse etiam, cum simpliciter accipitur *homo*: ad quod totum inuertit contextum, qui aliàs facile currit, & doctrinam continet Patribus satis consonam, subdit S. Thom. *Tertio modo* (secundo ex tribus) *propriè mixte. Igitur, secundum quod hoc participium factus ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis*, & hoc sensu falsam esse propositionem ait: licet autem hoc modo propriè eam intelligi propositionem dicat, non tamen negat alio modo intelligi propriè accepto termino *homo* simpliciter: sic enim accepto non esse improprium sensum propositionis dixerat immediatè; sed solum eam acceptionem termini homo simpliciter, ac non personaliter, non esse

4 adeò

adeò propriam, atque acceptionem ipsius personaliter pro indiuiduis, cum verbum actionem sonat, quæ propriùs de Physica à Scholasticis intelligi solet.

3 Denique communior Scholasticorum hac in re sententia fuit quæ absolutè huiusmodi propositionem *homo factus est Deus* nullatenus esse veram asserit: ita censent sanctus Bonauentura in 3. d. 7. art. 1. quæstion. 2. & 3. Richard. quæstion. 3. & 4. Gabriel quæst. vnica art. 1. post 5. conclusionem. Paludan. quæst. 2. Marsil. quæst. 6. art. 3 dub. 8. Durand. quæst. 1. & 2. Caietanus cum suis 3. p. quæst. 16. art. 7. in cuius etiam Comment. Soarez. §. *Tertius sensus* Vasquez vbi proximè cap. 3. Lugo d. 23. sect. 4. num. 23. Bernal d. 45. sect. 4 §. 2. num. 104. Ne tamen, vel Patribus pluribus, vel tot Scholasticis antiquioribus debitum reuerentiæ obsequium negemus, duplex participij huius factus acceptio communis rigidè examinanda, atque statuenda est. Primo igitur participium *factus* physicam dicit actionem: atque id quidem rigidiori ac frequentiori apud scholasticos acceptione: sed sciendum, tamen est, in ea adhuc rigida acceptione non significare antecessionem durationis illius, quod tale fieri dicitur cum negatione essendi tale, sed solam actionem physicam alicuius esse accidentalis, siue extrà essentialis illi, quod tale fieri, seù factus esse dicitur: Hoc iam est, etiam apud Authores, qui eam propositionem *homo factus est Deus* falsam reputant, omninò constans, & certum: & ratio est clara: quia quidquid tale est, ac non sine actionis interuentu, tale fieri necessario dicitur de rigore Scholastico: atqui, quod tale (v. g. album) est à primo sui instanti, tale est non sine interiecta actione: Ergo rigide tale fieri dicitur, ac sequenti tempore factum esse tale dicetur, sed quod vbi primum est, factum, tale est, nunquam cum negatione essendi tale præcesit: ergò factum esse, vel fieri tale rigore Scholastico, prout fieri, vel factum esse actionem physicam dicit, nusquam dicit antecessionem eius, quod tale factum est, cum negatione essendi tale.

4 Addo neque significare antecessionem eius, quod tale factum dicitur, adhuc prioritate naturæ cum negatione essendi tale ad actionem, qua tale factum est. Hoc duplici ex capite euincemus contra aduersarios. Primò: Quia in priori naturæ ad productionem alicuius entitatis, seu esse id solùm præcedit, quod aliquomodo conducit ad illud esse producendum: at nullius entitatis, siue esse negatio conducit ad ipsius productionem: ergò nec subiectum cum ea negatione potest præcedere prioritate naturæ ad tale esse, quod factum esse dicitur. Secundò: quia nihil præcedit, est ve in priori naturæ ad aliud, quod in eo instanti, quo illud fit absolutè non est: atqui in instanti reali, quo aliquid primo est, sitque tale, simul non est, neque esse potest, in illo negatio essendi tale: ergò neque negatio præcedit, aut est in priori naturæ ad productionem talis esse. Alterum caput. quod; vt aliquid fieri, vel factum esse tale per physicam actionem propriè, ac rigidè dicatur opus non est, vt passiuè influat in actionem, vel effectum; atqui eo solummodo potest præcedere naturæ prioritate, quod tale factum esse dicitur: ergò non requiritur præcedentia prioritate naturæ eius quod tale factum esse dicitur ad illud tale esse quod dicitur factum: nedum præcedentia naturæ ipsius cum negatione talis esse quod factum dicitur: maior probatur: quia factum esse, & fieri passiuum verbi *facio fieri*; solum dicit actionem physicam agentis provt grammaticalis passio; at grammaticalis passio solum dicit actionem talis esse, & applicationem siue vnionem illius, quod ab illo esse tale denominatur, non autem physicam passionem eius, quod tale esse dicitur, in ipsum esse tale: eo enim præcisè, quo agens efficit actiuè tale, illud formaliter tale fit. Item, si Deus sua virtute suppleret concursum materialem subiecti in albedinem, sola productione actiua sine vlla passiua diceretur illud facere album de rigore sermonis: atque illud diceretur album fieri, siue factum esse album; sed licet respectu vnionis formæ, seù illius esse talis, requisitæ ad id, quod tale fieri factumuè esse dicitur, aliquam prioritatem naturæ admitteremus, in humanitate vnita respectu vnionis hypostaticæ inueniretur, quæ satis foret, vt Deus factus esset.

5 Notandùm secundò est: participium *factus est talis* de sermonis proprietate, & rigore vocis actionem grammaticalem solum significare Probo: quia verba actiua de se actionem physicam de rigore sermonis non dicunt; sed solum grammaticalem: vt in æquiualentibus verbi facio, cuius participium *factus*, imò & in *fio* quod passiuum est respondens actiuo *facio* claret. Quia paries sola vnione coloris & albedinis dicitur albescere, albificari, ac fieri albus; quin albedinis productio eam intret verbalem denominationem, sed sola coloris inductio in parietem, quæ sola præcisè vnione fit: atque in re præsenti Deus dicitur factus homo ex præcisa vnione ad humanitatem, quin aliqua actio circa Deum denotetur, imò neque circa humanitatem, si enim alias productæ humanitati præexistenti vni retur, solum, fieri, factusque homo eadem proprietate diceretur. Inde fit actionem istam grammaticalem significatam, quæ realem, & physicam non dicit, sed pure modi nostri concipiendi est, interéaque reipsa idem sunt, cadere concipi, & significari, cum proprietate posse: dummodo præcisiuè ex parte obiecti diuersæ reales formalitates, inter quæ actio grammaticalis cadere in mentem possit, concipiatur. Fit secundò posse inueniri in prædicatis communibus præcisis, & immediatè secundum se consideratis; nec solùm ratione indiuiduorum, in quibus sunt, quod in actione physica reali euenire nequit: quæ nequit per se immediatè speciem attingere, sed ratione indiuidui alicuius, in quo contineatur.

CERTAMEN III.

Homo factus est Deus, proprio, nec vno tantùm sensu est vera propositio.

1 HVius propositionis veritatem in sensu proprio defendunt sanctus Thomas, Scotus, Pi.igian. Cauell. Guillelm. Rubeon. Lorca, noster Petrus VVadingo d. 13. dub. 5. §. *Do primo* & deinceps, licet non omnes in eodem sensu conueniant. Sed tamen Patres adeò in ea propositione conuenerunt, dum attentè contra hæreticos scriberent, vt miror eos impropriè locutos ab aliquibus Scholasticis expresse, tacitè verò à pluribus asseri: dum eam propositionem impropriam esse absolutè defendunt. Augustin. de Trinit. 13. sub init. *Tanta enim erat illa suscepti, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.* de prædestinat. Sanctor. cap. 15. *Dominum gloriæ in quantum homo factus est Dei filius, prædestinatum dicimus*, atque ante medium, *ea gratia fit ab initio fidei sua homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus.* Fulgent. de Incarnat. c. 10. *Verbum dignatum est caro fieri, vt caro posset Verbi, hoc est Dei nomine nuncupari.* Damascen. 3. de fide cap. 11. *Verbum caro factum est, & caro Verbum, Deus homo & homo Deus.* nempè factus est, & infrà: *eodem modo dictum est, quod Deus homo factus sit, & homo Deus*: cuius verba nec sententiam solùm transcripsit Nicetas 3. Thesa. cap. 38. num. 13. idem Damasc. 4. de fide cap. 19. *Ob personalem vnionem caro Deificata, ac Deus facta esse, diuinitatisque cum verbo socia dicitur.* Nazianz. orat. 31. 2. de Theolog. num. 8 6. *Inferior hic homo Deus effectus est, postquam cum Deo coaluit*: & orat. 51. siue epist. 1. ad Cledon. anathematismo. 2. *Deo facto homine, & facto homine Deo*, vt rectè vertit Leontius 1. in Nestorium tandemque valet communis versio, quæ sic habet. *Deo humanato, homine deificato*, quam transcripsit Niceras 3. Thesa. c. 29. num. 13. quare male aliter vertebat Billius. item Orat. de Natiuit. recitat. à Damasceno 3. de fide cap. 17. *Audacter dicam: quod, & id, quod vnxit homo factum sit, & id, quod est vnctum, Deus.* Niceras 3. Thesau. cap. 38. *Assumptus homo factus est Deus.* Richard. Victor. 1. de Emmanuele c. 20. & 21. *Homo factus est verus Deus* eadem habent Hugo Victorin. 2. de Sacram. cap. 6. aliique Patres, quos etiam recensere longum esset cum ad Patrum consensum monstrandum testimonia data sufficiant.

2 Dico

2 Dico ergò primò: iuxtà secundam acceptionem propriam verbi *facio* & participij *factus* est vera propositio. Probatur primò conclusio: quia actione grammaticali, quæ solùm dicit denominationem, estque non realis, sed modi nostri concipiendi pura denominatio fundata in coniunctione vnius cum alio, cadereque potest in prædicata specifica secundum se, nec solum ratione indiuiduorum, homo præcisus, omnibusque hominibus communis, qua talis, rectè dicitur, ac propriè factus esse Deus, siue, vt loquitur Sanctus Thom. *factum esse, vt homo sit Deus*, si homo simpliciter accipiatur: quem sensum vocat impropriùm: quia actio grammaticalis propria actio non est: non autem quia non sit propria Verbi significatio. Atque hic sane est sensus Patrum, qui contrà Nestorium illis propositionibus contendebant, ex incarnatione hominem Deum esse, ac dici, atque Deum hominem sumpto nimirùm adiectiuè homine & Deo vt diximus: sic autem adiectiue, simpliciterque supponente, accepto *homo* & participio *factus* de actione grammaticali intellecto, licet importaretur eo participio negatio essendi tale antecedenti tempore ex parte hominis, qui Deus factus dicitur esse, vera esset propositio, quia *homo* simpliciter acceptus toto ante incarnationem tempore Deus non fuit, vt aiebat Nazianz. verbis recitatis ex orat. 31. *in quem hic homo Deus effectus est postequam cum Deo coaluit.* ac Leo serm. de Natiuit. *Agnosce ô homo dignitatem tuam, & deiformis consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire*: Vetus autem vilitas non huius hominis, qui Christus est, quique factus est diuinæ naturæ consors reipsa ac Deus, sed hominis in communi cui soli eidem & vtilitas vetus, & Deum postea esse conuenit, manifeste est.

3 Eadem acceptione propria grammaticalis actionis in participio *factus*, & adiectiuè vsurpatis terminis homo, & Deus vera est propositio in sensu proprio, licet *homo* supponatur pro indiuiduis suppositione determinata, vel etiam addatur ipsi nota singularitatis per pronomen *hic*, scilicet *hic homo factus est Deus*. Probatur, quia verum est aliquam personam humanam, & hanc determinate esse grammaticaliter factam Deum, seù quòd idem est Deum esse ac dominari à deitate, licet secum identificata: cum ad denominationem metaphysicam opus non sit formam seu naturam, à qua denominatio prouenit, à personalitate, quæ denominatur, vt subiectum, atque in recto significatur distingui realiter; sed satis sit formaliter distingui, vt paret notabamusque certam. 2. n. 5. post medium. Sed hic tamen aduertendum est supponente personaliter homine, seù pro indiuiduis determinatè, vel addita singularitatis nota non esse ad mittendum significari, vel denotari per participium *factus* negationem tempore ante acto illius esse, quod terminus factus esse dicitur ex parte ipsius termini: si enim ea negatio denotaretur falsa esset propositio: cum nemo indiuiduus homo, qui aliquando non fuerit Deus, postea Deus fuerit, atque singularis homo qui Deus fuit, nunquam extiterit quin fuerit Deus; oppositum videntur sonare verba proximè recitata ex Nazianz. *inferior hic homo*, &c. sed pronomen, *hic* non designat ibi indiuiduum, sed speciem, vt constat ex dictis n. 2. atque ex toto verborum contextu. Nec magis obest personalitati Diuinæ essentialem physice esse denominationem Dei: vt autem aliquid esse tale dicatur, debere esse talem denominationem extrà essentialem; Debet enim esse extra essentialis denominatio in eo genere, in quo denominatio est: cum autem denominatio hæc metaphysica sit, non est opus extra essentialem physicè, siue vltra metaphysicam esse. Sed postrema hæc subtiliora, quam solida sunt.

4 Dico secundò: sumpto etiam participio factus, prout denotat actionem physicam si *homo* subsantiuè accipiatur, provt idem est quod humanitas cum subsistentia, seu personalitate vera est propositio *homo factus est Deus*, vel etiam *hic homo factus est Deus*. Ratio est prompta: quia actio physica circa humanitatem fuit, vt Deus homo fieret, atque esset: item denominatio extra essentialis est homini esse Deum: quod autem humanitas hæc non præcesserit duratione non vnita, siue sine eo, quod Deus esset, ac denominaretur ipsius coniunctum, non denotatur de rigore sermonis per participium *factus*, vt docebamus cert. 2. num. 3. ergò quidquid requiritur, vt proprie humanitas cum personalitate diuina, siue homo subsantiuè acceptus dicatur factus Deus per physicam actionem adest: Confirmatur: quia eo vnum quodque fieri tale dicitur, quo ipsi acquiritur denominatio essendi tale: atqui actione productiua vnionis hypostaticæ humanitati vnitæ acquiritur denominatio Dei: ergo ea dicetur proprie fieri Deus. Neque obest: humanitatem in recto non dici, ac denominari Deum; id enim opus non est: siquidem actio physica, non affert formaliter denominationes coniuncto, quod facit, siue non est coniuncti denominatio, sicut grammaticalis actio; sed affert, ponitque in illo denominationis fundamentum, quod cum Scholastici inueniunt, termini seu coniuncti acceptiones disponunt modo, quo oportet ad denominationes verè enuntiandas. Hæc conclusio tacite est S. Thom. Caietani, & suorum: qui eo solum negant hanc propositionem *homo factus Deus* accepto *factus* provt physicam sonat actionem, quia *homo* personaliter siue adiectiuè vsurpatur: est item Damasceni verbis datis ex 4. de fide cap. 19. *Carnem Deum factam, deinde tactisque eius verbo sociam*: nam personalitas verbi, quæ in recto significatur sumpto adiectiuè *homo* non est facta socia deitatis; sed idem potius cum illa, & Fulgentij recitati num. 1. & fere est nostri VVadingo proximè circà num. 70.

5 Dico tertio: Si *homo* subsantiue vsurpetur, & *factus* in secunda acceptione provt dicit solam actionem grammaticalem, vel homo accipiatur adiectiue, & factus primo modo provt actionem physicam dicit falsa prorsus est ea propositio *homo*, vel *hic homo factus est Deus* Primam conclusionis partem probo: quia id solum grammaticaliter factum tale dicitur, quod tale denominatur formaliter: siquidem actio grammaticalis formalis denominatio est, nihilque aliud, ast homo subsantiuè acceptus non denominatur Deus: ergo nec factus est Deus, provt factus dicit actionem grammaticalem. Minor probatur: quia homo subsantiue acceptus est humanitas cum personalitate: ast humanitas cum personalitate non est Deitas cum personalitate, vel personalitas cum deitate siue habens deitatem: ergo non denominatur Deus. Secunda pars conclusionis est Theologorum communis sententia S. Thom. Caietani, & reliquorum, quos dedimus certam. 2. num. 3. Acceptio enim *homo* adiectiue, & pro persona, seu personalitate in recto, & factus provt actionem physicam sonat, qua rectum eius nominis homo Deus fiat, falsa omninò propositio est, cum personalitas Diuina, quæ physicè essentialiter Deus est, per actionem physicam fieri Deus nequeat, quod si homo in communi, & præcisè secundùm se accipiatur sensus impropriùs est: cum nulla actio physica circa speciem versetur secundùm se consideratam: quare nec de illa verificari possit, nisi ratione alicuius singularis, in quo contineatur; quod hic non nisi persona, aut personalitas verbi est, cui fieri actione physica Deum repugnat, vt nunc dicebamus.

6 Ex dictis constat, sumpto *homo* subsantiue in sensu proprio falsam esse hanc propositionem, *homo capit esse Deus*; veram autem sumpto *homo* adiectiuè, & pro personalitate, siue persona in recto: clarioremque longè, quam illa *homo factus est Deus* sumpto *homo* adiectiuè, & factus provt sonat actionem grammaticalem. Quia in hoc quod est *capit esse Deus* clarius significatur sola denominatio, qua habens humanitatem esse habens deitatem dicatur, vt verè dicitur, quin vlla fit actionis physicæ vmbra: ac proinde claret etiam de termino *homo* subsantiue accepto, de quo, vt sic, Deum esse dici nequit, non posse dici cæpisse esse Deum, cum, vt sic, Deus nunquam esse dicatur: verbum autem *capit esse Deus* non denotat præcessisse hominem anteà, quin esset Deus, vt Origenes delirabat; sed fuisse tempus anteà in quo hic homo non esset Deus: quod verum certumque est eo, quod ante acto toto ante incarnationem tempore hic homo absolute non fuerit: quidquid enim non est, quamdiu

non

non est, implicat esse tale: puta album aut calidum: quare certissima est hæc propositio. *Antichristus non est albus*, si modo proferatur.

QVÆSTIO V. & Vltima.

De reliquis loquendi modis per nomina alius, totus; & numeralia, *atque per particulas exclusiuas.*

EXtra hic coniunximus quorum tamen pleraque non tam similem difficultatem continet quam eamdem.

CERTAMEN I.

Non alius, & alius, nec plures, *Christus dici absolutè potest.*

1 PRimum apud Catholicos præscripsit, estque planè de fide, ac certum insuper à ratione. Quia, qui vnus omninò est, alius, & alius, aut plures esse nequit: at Christus omnino vnus est, ergo nequit esse alius, & alius, aut plures. Minor est expressa 1.ad Thimot. 2. *Vnus mediator Dei, & hominum homo Christus* IESVS. Definita contra Nestor. in Symbolo Athanas. *Non duo tamen, sed vnus est Christus.* Rursus: *sicut anima, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus*: in Symbolo Niceno: *& in vnum Dominum* IESVM *Christum*: Euthychian. Papa. *Vtrinque vnus existens, dum ipse ex vnitate idipsum naturis naturæ vtriusque res eadem est.* Leo Papa epistol. 95. alias 97. ad Leonem Augustum cap. 1. damnat eum, qui dixerit: Christum *esse alterum, & alterum, & non vnum Christum in Verbo Dei, & carne*, & cap. 2. *Cum ergò vnus Iesus Christus, & veræ Deitatis, veraque humanitatis in ipso vna prorsus eademque persona*: inferiùs: *inseparabiliter vnus, atque idem est, & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum carne deitatem.* Augustin. Enchirid. & tract. 78 in Ioannem. *Iterúmque simul*, scilicet *Deus & homo non duo sed vnus Christus.* Fulgent. de Incarnat. cap. 11. ante med. *Non est alter Deus alter homo & idem vnus est Christus Deus, & homo*: ideoque rectè dici Actor. 2. Baptisma dari in nomine Christi, quod dandum præscribitur Matth. 28. in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti: *quia omnino vnus est Filius, & Christus, Deus homo*: Similia habet Petrus Diacon. de Incarnat. cap. 3.

2 Cyrillus Alexandrinus de fide ad Theodos. *licet mens in eo intelligat duas naturas; hæc tamen contemplatio vtriusque in vnitatem concursum non excludit. Vnus itaque ad numerum est Christus* sapiúsque id repetit ibidem. Athanas. epist. ad Epictet. damnat eos qui dicunt, *non esse eundem Christum Deum, & hominem.* Hilar. 9. de Trinit. *cum non alius sit Filius hominis, alius filius Dei.* Ambros. 2. de fide cap. 4. ante medium, *seruemus discretionem duinitatis, & carnis. Vnus in vtraque loquitur Dei filius: quia in eodem vtraque natura est.* Concil. Ephesin. Can. 2. & 3. damnat eos *qui Christum in duos diuidunt*: idem præstat Concilium Alexandrinum epist. ad Nestorium 20. Cyrilli approbata ab Ephesino, & Calcedonensi, Anathematismo 2. & 3. & 9. Calcedonen. Concili. act. 4. definit circa med. *quod Christus sit vnus, & idem filius Dei, & homo.* Concil. 5. Constant. Collat. 8. can. 1. definit *Christum esse vnum.* can. 3. damnat eum qui dixerit, *alium esse Dei Verbum, alium Christum, qui passus est* Sexta Synod. General. definit, Christum *non esse alium, & alium, neque alium in alio.* Concil. Lateran. sub Martino 1. Consult. 5. Statuit, *Christum esse vnum, & eundem*, quibus adde Anselmum de incarnat Verbi cap. 5. Damascen. 3. de fide cap. 5. 7. & 11. Nicet. 3. Thesau. c. 35. idem ipsum docentes, ac tandem plura Patrum testimonia, quæ dabimus pro Conclusione certaminis secundi, quæ vtramque continent; scilicet, & hanc & illam Conclusionem. Quorum omnium ratio est: quia vnus, alius, & numeralia masculæ terminationis absolutè dicta denotant suppositum, quod in Christo vnicum est: vt bene Nouatianus apud Tertullianum de Trinit. cap. 22. Nazianzen. Orat. 51. seù epist. 1. ad Cledon. Damascen. 3. de fide c. 5. & 7. Nizetas, & Anselmus vbi proximè: id quod non ex solo Patrum Ecclesiæ, & Theolog. vsu habent (vt volunt Durand. in 1. d. quæst. 1. post med. & Soar. 3. de Trinit. cap. 3. num. 5.) sed ex ipsa natiua eorum nominum proprietate, vt docebamus Controu. de Trinit. d. 14. quæst. 3.

3 Probatur secundò: Christum non posse absolutè dici duos, vel plures, sed vnum. Quia numerus, & pluralitas absolute dicta, dicit totalem diuersitatem, ac distinctionem, at in Christo totalis distinctio, & diuersitas non est, cum sit in eo vnitas & conuenientia in persona, quæ eadem in ipso est: ergò in Christo nequit esse absolutè pluralitas, vel numerus. Maior est certa abundeque à nobis probata controu. de Trinit. disp. 14. citata, & ex qua ibi cum Patribus pluribus numerum & pluralitatem absolute dicta à Trinitate relegauimus. Probatur id ipsum tertiò: quia vt bene obseruauit Ruiz d. 77. de Trinit. sect. 7. num. 1. vnum, & multa primario de quantitate continua, & discreta dicta sunt: atqui in quantitate vnio non identificatorum, sed vnitorum tantum, excludit pluralitatem, & numerum absolutè, & simpliciter dicente Arist. 5. Metaphys. text. 18. *dicitur multitudo, quod est diuisibile potestate in non continua*: ecquis enim corpus pluribus vnitis partibus constans multa, & plura absolutè dicat? ergo in aliis omnibus, quæ secundario numerus, & pluralitas absolute dicenda sunt, oberit vnio, quo minus de eis plura, aut numerus esse absolute dicantur: hæc autem est in Christo: ergò duo, vel plures dici absolute Christus nequit.

4 Inquires: An saltem Christus duo, vel plures absolutè, filij dici queat? etenim cum filij nomen substantiuum sit, atque filiationem proinde in recto natura sua dicere debeat, pro filiationum pluralitate, videtur absolute multiplicandum, iuxta à nobis dicta Controu. de Trinitate d. 14. at in Christo filiatio est duplex, & respectu virginis qua homo, siue secundùm humanitatem: & Dei Patris respectu, qua Deus est: ergò plures filij, ac duo filij, aliusque, & alius filius dici absolute Christus poterit. Oppositum tamen dogma Theologicum est: nempe absolute vnum filium dici solummodò Christum posse id quod non satis probatur à nonnullis ex Marci 12. *vnum habens filium charissimum.* Ibi enim de filiatione respectu Dei solùm agitur, quæ vnica solum in Christo est: firmius probatur ex Augustino contra Felicianum cap. 11. aiente: *in Mediatore aliud Dei, & aliud hominis filius, sed idem tamen, & non alius Dei, & hominis filius.* Nazian. orat. 51. seu epist. 1. ad Cledon. anathematizat dicentes: *Christum esse duos filios.* Hilar. 9. de Trinit. ait: *non esse alium filium hominis, alium filium Dei.* Nec vrget ratio opposita: Nomen enim filij est concretum substantiuum accidentale; sicut artifex, quare re, & significato adiectiuum, idem enim valet, ac genitus: quare non ex forma seu filiatione, sed ex subiecto, vel supposito multiplicandum absolutè est, iuxtà dicta ibi, vnde petebatur obiectio.

* * *

CERTA

CERTAMEN II.

Christus absolutè est *vnum*, & *aliud* tamen, & *aliud.*

1 DVrand. in 3. d. 6. 9. 1. num. 13. ait Christum neque vnum, neque plura absolute dici posse: quia neutrum adiectiuum cum substantiuo concordare potest. Sed aduertere debebat, non ex solo genere sed numero etiam, diuersis nominibus *vnum* in scriptura prædicari. *Ego, & Pater vnum sumus* Ioan. 10. Et rursus: *& hi tres vnum sunt*, idque bona grammatica, nam adiectiua in neutra terminatione posita substantiue ponuntur, & conferuantur ex substantiuorum more. Negari igitur nequit, quin Christus sit vnum, cum ratione vnionis compositum quid, & indiuisum sit, sicut homo ex anima, & corpore constans ratione vnionis vnum quid est. Alij apud Durandum ibi num. 10. Asserunt Christum dici etiam posse plura, ac duo absolutè, & aliud, & aliud: probant Patrum testimoniis, quæ mox explicabimus, & ratione: quia nomina diuersitatis, & pluralitatis in neutra terminatione denotant naturarum pluralitatem, quæ in Christo procul dubio est, sicut in masculina diuersitatem suppositorum. Contrà verò Scotus in 3. dist. 6. quæst. 2. in Comment. art. 1. & quæst. 17. S. Bonauentura art. 1. quæst. 1. Soar. 3. p. quæst. 17. art. 1. in Comment. §. in hac re Bernal. disput. 47. sect. 2. num. 28. versu 4. *Contrà*, censent, neque absolute plura, neque aliud, & aliud absolutè dici posse, quibus præiuit S. Thom. loco citato ex 3. p. cæterùm quæst. 2. art. 3. ad 1. docet duo, vel plura absolutè dici Christum minimè posse, secus aliud, & aliud, sequuntur Paludanus, & Richard. in 3. d. 6. art. 2. VVaden. 1. doctrinali. fid. c. 21. Vasquez d. 70. cap. 2. & 3. Ruiz de Trinit. d. 77. sect. 6. num. 8. d. 39. sect. 5.

2 Dico primo: Christus aliud, & aliud absolutè dicitur. Probatur ex Nazian. orat. 51. citata colum. 2. *Aliud, atque aliud sunt, ex quibus Saluator, non tamen aliud, atque alius, abs!* Ambo enim hæc connexione vnum sunt, *ex quibus componitur: Deo nimirum humanitatem, atque homine diuinitatem suscipiente, ac si dicat*: aliud dico Deum, & aliud hominem in Christo, non abstracte, naturas accepras: ac subdit. Porrò *aliud isto contra quam in Trinitate res habet: illic enim alius, atque alius, ne personas confundamus, nempe de eodem Deo dicimus; hic autem aliud, atque aliud de Christo, ne confundamus naturas* consonat Concil. Ephesin. tom. 2. Actor. cap. septimo sub finem. *Non est alius & alius; sed aliud & aliud; licet in Sacra Triados mysterio consideritum reperiatur; ibi enim est alius, & alius, ne hypostases confundantur.* Leo Mag. Serm. 1. de Resurrectione fine ait: *Verbum non hoc esse quod carnem* epist. 10. cap. 4. *quamuis in Christo Dei, & hominis vna persona sit: aliud tamen est, vnde contumelia in vtroque communis, aliud vnde*, &c. refert autem Deum, & hominem concretè, quibus dixerat communem vtramque esse personam: verba etiam hinc mutuatus est Agatho Pa. in sua epist. apud 6. Synodum Act. 4. atque ex vtroque eadem Synodo Act. 17. in confess. fid. circa fin. cum autem hæc ex Leone recitata in Concil. Calced. act. 2. sub fin. durius nonnullis sonarent. Theodoret. Episcop. Cyri ex Cyrillo similia protulit: quibus recitatis Senatus & iudices amplissimi dixerunt. *Post hæc omnia adhuc quis dubitat*, eisque Episcopi responderunt. *Nemo dubitat.* Athan. epist. ad Epict. Pag. penult. *vt enim filius secundùm Patres consubstantialis Patri non est idem qui Pater, sed filius consubstantialis respectu Patris, ita quoque corpus consubstantiale verbo non est idem quod verbum, sed aliud respectu verbi.*

3 Cyrillus Scholiis de Incarnatione cap. 26. sub finem: *ipse est hoc, & illud secundùm aliud & aliud.* Augustin. contra Felicianum cap. 11. fine. *In mediatore Dei, & hominum aliud Dei filius aliud hominis fuit, vnus tamen ex vtroque Christus Dominus fuit. Aliud* inquam *pro discretione substantiæ, non alius pro vnitate personæ.* Repetit sententiam ibi: & cap. 35. enchirid. *Minor est factus, & manfit æqualis: vtrimque vnus, sicut dictum est; sed est aliud propter verbum, aliud propter hominem.* Anselm. de Incarnat. Verbi cap. 5. ante med. *Non est alius Deus, & alius homo: quamuis aliud sit Deus, aliud homo. Sed idem ipse est Deus & qui homo*: Orig. lib. 7. in c. 9. ad Rom. ait: *Christum aliud secundùm carnem esse; aliud secundùm Spiritum*; vbi carnem pro homine, & Spiritum vsurpat pro Deo: vide plura testimonia, à nobis data controu. de Trinit. d. 14. quæst. 3. quibus adde non pauca, quæ recitabimus statim pro sequentibus Conclusionibus, & obiiciemus contra secundam. Ratio est, quam num. 1. pro secunda sententia plurefque ex recitatis Patribus insinuarunt, nosque fusius ostendimus citato loco de Trinit. quia adiectiua diuersitatis in neutra terminatione substantiue vsurpata significant naturarum diuersitatem, quæ in Christo negari Catholicè nequit: idque non solum ex Patrum, & Ecclesiæ vsu, sed è sua natiua significationis proprietate, vt citato loco contra Durandum, & Soarium affatim ostendebamus.

4 Dico secundò: Christus duo, vel plura dici absolute nequit, eosdem habet Patronos ac prima Doctores postremæ sententiæ. Adde etiam Doctores sententiæ penultimæ, & Alexand. 3. p. quæst. 6. num. 2. art. 1. Gabriel in 3. d. 6. quæst. 2. art. 2. concluf. 3. & 4. art. 3. dub. 2. Almain. quæst. 2. concluf. 3. & 4. Maior quæst. 1. conclusione 3. Marsil. quæst. 6. art. 3. concluf. 1. & 2. & vulgo Recentiores. Videtur definita in Concil. Alexand. epist. ad Nestorium 10. Cyrilli approbata ab Ephesino in Confess. fidei ante med. his verbis. *Nec Deum aut Dominum Christi verbum Dei Patris asserimus: ne iterum manifestius in duo diuidamus vnum Christum.* Neutrè quidem duo, & in textu Græco habetur, ex quo *iterùm* idest alia via, ac Nestorius *manifestius* clarius Christum diuiderent, quia duplex natura in continua, & ex vnita necessario admittenda in Christo foret vt *duo* neutre Christus absolute foret. Probatur ratione primo: quia implicat id quod absolutè vnum est, esse absolutè duo, vel plura: atqui Christus absolutè vnum neutre, & substantiuè est, vt ostendimus n. 1. satis, licet curfim: ergo implicat Christum esse absolutè plura, vel duo. Probatur secundò: & simul confirmatur ratio præcedens. Quia absoluta pluralitas, & numerus excludit omnem vnitatem, & coniunctionem siue continuationem physicam vnionis ab his, quibus absolute conueniunt: in naturis vero duabus, vt reipsa in Christo sunt, ac sub Christi nomine significantur, & est physica vnio, & vnitas personæ: ergo, vt in Christo sunt, seu vt Christus eas habet, nequit duo, vel plura dici. Recole dicta cert. 1. num. 3. At inquies: Si aliud, & aliud Christus est absolutè, & absolute erit hoc, & illud, ergò non vnum: ergò plura vel duo, quæ nihil aliud sunt, quam hoc, & illud. Totaliter diuisum nego; non totaliter diuisum sicut significat aliud, & aliud neutre, sicut alius, & alius masculine, fateor: & nego consequentiam primam, cui secunda innixa corruet.

5 Obiicies: vtrumque idem est quod duo: ergò vtrumque absolutè idem est quod duo absolutè: atqui Christus est absolutè vtrumque: ergò & absolutè est duo. Minor est Augustini cap. 35. Enchyrid. dicentis: *vtrumque vnus, sicut dictum est* & Eutichian. Leone Mag. antiquioris Papæ epist. 2. *& cum sint vtraque suis gesta naturis, vnum tamen Iesum Christum eum memento esse qui vtrumque est.* Sophronij in sua epistol. apud Synod. 6. act. 11. ante med. Scribentis: *Christum esse vnum, & duo hoc ipsum agnoscibile. Vnum quidem secundùm subsistentiam, atque personam; duo verò secundùm ipsas naturas.* Negatur antecedens absolutè: nam vtrumque extrema coniunctim significat de rigore sermonis, quo eorum vnitas, siue coniunctio denotatur, quam duo absolutè dictum prorsus excludit. Vnde euanescit consequentia prima, sed ea permissa nego subsumptum. Nam Augustinus, & Eutichian. de Christo non dixerunt esse absolutè vtrumque, sed cum

cum correctiuo vnitatis adhibito, vt eorum verbis patet. Sic etiam, Licet in Trinitate numerus absolute locum non habeat, dicitur à Patribus Deus esse *vnum tria*: quo etiam correctiuo absolutæ dualitatis Sophronius recitatus fuit vsus. Obiicitur leuiùs Arist. 7. Metaphys. cap. 6. dicens: hominem album non esse vnum absolutè sed plura: ergò potiori iure Christus ob duas naturas subsistantiales, quas habet. Sed Aristot. refertur falsò: solum enim dixit: in iis, quæ secundùm accidens dicuntur, vt homo albus, non esse idem esse hominem, & esse album: quod solùm probat, aliud esse hominem esse, & aliud esse album, vnde non infertur nisi diuersitas humanitatis ab albedine, quæ non excludat vnitatem subiecti, siue suppositi concreti vtriusque, ratione cuius duo absolutè homo, & albus dici nequeant.

CERTAMEN III.

Quomodo *totus* &, exclusiuæ particulæ *Christo*, vel *concreto naturæ alterutrius* applicari possint?

1 Circa nomen *totus, tota, totum*, sunt quædam Damasceni propositiones non prorsus reticendæ lib. 3. de fide cap. 7. hanc admittit: *Totus Christus est homo, & totus Christus est Deus*, quarum sensum esse ipse ait: Christum perfectum esse hominem & Deum, id quod magis expressit hac propositione, quam etiam ibi admittit. *Christus est totus homo, & Christus est totus Deus*: quare prima propositione Catholicis abstinendum est, quia planior eius, & proximior sensus est: Christum totaliter, & ad æquate sumptum esse hominem, & totaliter, & adæquatè sumptum esse Deum, quorum vtrumuis est falsum. Æquiualet enim his exclusiuis tantùm *est homo* vel *tantum est Deus* à nobis, & Catholicis meritò reiiciendis. Scio nomen totus idem significare quod perfectus. Suspicorque Damascenum illud perfectus in prima propositione non ad prædicata; sed ad subiectum *Christus* applicuisse, vt sensus sit *totus* seu *perfectus Christus est homo, & perfectus Christus est Deus*. Quæ verè & propriè dicuntur; sed tamen cum alius sensus vulgatior sit, non erit sine correctiuo explicationis proferenda propositio: idem autem Damascenus citato cap. post med. iussit Catholicos neutra eius nominis terminatione in his, similibusque propositionibus abstinere verbis, & ratione sequenti. *Totus igitur est Deus perfectus; sed non totum Deus. Nam non solum Deus, sed & homo, & totus homo perfectus, non totum autem homo. Non solum enim homo, sed & Deus; nam totum est naturæ representatiuum: totus autem hypostaseos: quemadmodum aliud naturæ est, aliud hypostaseos.*

2 Exclusiuæ *solum, tantum*, & similes possunt applicari in propositionibus præcedentibus, vel ex parte subiecti, vel ex parte prædicati, & adhuc alterutro modo multipliciter. Potest enim poni Christus pro subiecto, & altera natura in concreto pro prædicato, atque exclusiua applicari subiecto Christus hoc pacto: *Christus tantùm est homo*, vel *Christus tantum est Deus*, atque vtraque est falsa: cum præter Christum plures homines sint, & Pater, ac Spiritus præter Christum sint Deus; potest item applicari prædicato. v. g. *Christus est tantùm homo*; vel *est tantum Deus*: æquè tamen falsò, est quippe sensus, nihil aliud est quam homo, vel Deus contrà fidem. Rectè enim Augustin. in serm 30. de verbis Apostoli aiebat: *qui Iesum Christum plusquam hominem non nouerunt, Iesum Christum vtique non nouerunt; si enim tantum modo homo est, & nihil amplius non est ipse Iesus Christus.* Potest rursus contra poni ex parte subiecti concretum alterutrius naturæ, & Christus ex parte prædicati: ac tunc etiam applicari exclusiua subiecto *homo tantùm est Christus*, vel *Deus tantum est Christus*; sed non maiori veritate: nam homo, & Deus simul, ac non alteruter tantum Christus est; vel potest applicari prædicato, *homo est Christus tantùm*, vel *Deus est Christus tantum*, & tunc etiam sunt falsæ; nam hoc etiam habens humanitatem, vel deitatem (quomodo accipi debent, ac non substantiuè, vt veræ esse possint) aliquid aliud est præter Christum: quare eiusmodi exclusiuis prorsus abstinendum erit.

3 Duo videbuntur hanc disputationem lecturis examinanda desiderari. Primum: an Christus dicendus absolute sit duarum naturarum? an saltim cum addito *simul*? secundum: an dici possit Christus ex triplici substantia compositus? an triplex substantia simul? sed harum quæstionum examen hic esset superuacuum: cum de eis statuerimus controu. 1. disp. 1., quare hic earum examini iure supersedimus: sicut & toti huic operi, cui (ad gloriam vtinam vnius incarnati Filij, & vtriusque Parentis Dei Patris, atque intemeratæ Virginis) quantum per ingenioli nostri vires fas fuit, multum, diuque insudauimus.

ANIMADVER.

ANIMADVERTENTIA

Eorum, quæ aliis siue Philosophicis, siue Theologicis controuersiis inseruire possunt.

Loca notabilia numeris & paginis indicantur.

PRO LOGICIS.

CONCRETA substantiua omnia ex sua primæua, & propria significatione solam formam seu naturam in recto dicunt. num. 1. pag. 241
Concreta adiectiua in recto dicunt solùm suppositum, vel subiectum. 5. 244
Concreta adiectiua substantiuè, & substantiua adiectiuè, propria quidem; sed non primæua significatione vsurpari possunt. 7. ibid.
Tunc autem adiectiua in recto solam formam, vel naturam dicent; substantiua verò solum suppositum vel subiectum. ibid.
Concreta adiectiua aliquot subiectum denominationis primarium, & secundarium habent. 6. ibid.
Cuiusmodi concreta adiectiua è sola subiecti primarij multiplicatione multiplicantur. ibid.
Concreta omnia è sola directi sui significati pluralitate, & multiplicatione pluraliter enunciari possunt, atque ex eius vnitate singulariter: vnde substantiua omnia substantiuè accepta ex sola pluralitate formæ, vel naturæ, adiectiua è sola subiecti, vel suppositi pluralitate, si adiectiuè sumantur, multiplicari possunt. 2. 253. & 8 68. & 1. 135
Regulæ dignoscendi quando concreta adiectiua substantiuè ac substantiua adiectiuè vsurpentur præsertim in diuinis. 1. & seq. 244.
Differentia altera repugnante generi cum prædicatum repugnare non debet. 4. 54
Differentiæ non destruunt genus, sed perficiunt. ibid.
Differentiæ immediatè oppositæ nequeunt alteræ essentialiter, altera accidentaliter genus contrahere. 4. 85
Præcisiones obiectiuæ fulciuntur. 1. 160
Prædicamenta non ex rebus, sed ex modis concipiendi, & prædicandi multiplicantur. 3. 224
Numerus præter vnitates numerationem siue sensibilem, siue insensibilem addit. 4. 262
In ratione numeri, qui ex vnitatibus rationis, ab eo, qui ex vnitatibus realibus constat, nihilo differt. 6. ibid.
Syllogistica forma etiam in diuinis tenet. 3. 73
Initiitur omnis illi tandem principio, quæ sunt eandem vni tertio. 4. 74
Reduplicatiuæ particulæ quandoque non denotant formam termini affecti. 1. & seq. 152
Terminus quomodolibet communis syllogismo expositorio est ineptus. 1. 143

PRO METAPHYSICIS.

Succedunt logicis proximè quæ metaphysicis possunt inseruire: quia iam abusus obtinuit, vt prædicamentorum occasione in logicis metaphysica omnia tradantur.
Bonitas absoluta stat in totalitate essendi relatiua in perficiendo seu bonicando eum, cuius bonitas est. 1. 136
Absoluta absolutè talis entibus in sua linea partialibus non competit. 3. ibid.
Secus absoluta secundum quid talis. 4. ibid.
Bonitas absoluta absolutè talis non dicitur ad conuertentiam cum ente, neque illud transcendit formaliter, secus secundum quid talis. 4. ibid.
Bonitas relatiua alia simpliciter simplex, alia non simpliciter simplex. 5. ibid.
Non simpliciter simplex aliquod esse siue essentiale, siue accidentale debet ei tribuere, cuius bonitas est. ibid.
Simpliciter simplex melior debet esse ipsa, quàm non ipsa non quidem parti, sed toti. 6. 137
Ens contra chimæricum & rationis, reale metaphysicum aliud adiectiuum. *Præfatione.* 127
Substantiuum cui per se & ratione sui competit existentia, non ratione alterius, cui identificetur. ibid.
Adiectiuum, cui non per se, & ratione sui; sed alterius cui identificetur existentia competit. ibid.
Ens substantiuum differentias non transcendit. ibid & 3. 132.
Entium necessariorum etiam siue possibiliter, siue existenter maior vnius quàm alterius necessitas etiam intrinseca esse potest. 2. 128
Hypostasis significata plura. d. procem. 3. 2
Cur tandem pro suppositо? ibid. ac deinceps
Hypostasis pro persona vsurpator primus Hosius Cordubensis. 4. ibid.
Eam vsurpationem reiecerunt Patres aliquot initio, quam iure tandem recepernnt. ibid.
Semel tantum à solo Damasceno ex Patribus irrationali suppositо vox accommodata Hypostasis. 1. 3
Pro rationali suppositо cur semper à Patribus vsurpata. ibid.
Persona non significat irrationalia suppositа, vt errauit Laurentius valla. ibid.
Nihil commune quomodolibet persona est. 4
Personæ ratio, essentia, ac definitio. 3. ibid.
Stat in totali singularitate, ac incommunicabilitate. 5 ibid.
Præter rationalem naturam quam essentialiter connotat independentiam in sui existentia ab vnione ad aliud inclusam in totalitate essendi, quam formaliter dicit ratio suppositi, importat ratio personæ formaliter in dependentiam in operando ab alio tamquam curatore, vt operationum suarum regimen penes alium, cuius authoritate operetur, non sit. 6. 11
Persona quo sensu res iuris dicatur à Paschasio & Concilio Francofortd. ibid.
Personalitas & subsistentia à natura quauis & iam spirituali distinguitur. 8. ibid.
Subsistentia idem quod hypostasis. 3. 2
Non addit supra naturam nostrum solum concipiendi modum. 1. 4
Nec solam propriam cuique accidentium collectionem. 2. ibid.
Nec modum existentiæ à natura diuersum, vel medium inter vtrumque. 3. ibid.
Nec præcisè negationem vnionis ad aliud. 4. ibid.
Nec modum perfectitatis positiuum superadditum. 1. & seq. 5
Nec modum sustentaculi. 1. & seq. 6
Nec vnionis negationem identificatam actioni independenti ab alio. 1. & seq. 7
Dicit naturæ individuæ totalitatem, quæ stat in independentia in sui existentia ab vnione ad aliud: quia ratio partis in eiusmodi independentia consistit. 1. & seq 9
Subsistentia pro materiali quandoque diuisibilis, quandoque indiuisibilis. 1. 14
Pro formali semper est diuisibilis in creatis, secus in Deo. 4 ibid.
Partes substantiæ subsistentiam aut personalitatem non habent: quare neque in homine sola anima, neque in brutis sola materia subsistentiam habet. 1. 13
Nec anima separata subsistentiam habet. 4. ibid.
Subsistentia necessaria est naturæ diuinæ, secus creatæ. 1. 15
Maneret, etsi produceretur natura dependenter ab vnione ad accidens. ibid.

Animaduertentia.

Quod non maneret tunc absurdum non est. 2.ibid.
Implicat propria subsistentia non aliena. 3.ibid.
Non pugnant inter se plures alienæ. 1.16
Aliena subsistentia creata nequit naturam suppositare. 2.ibid.
Natura creata potest sine vlla subsistentia esse. ibid.
Subsistentia naturæ de se totalis solus Deus est causa, naturæ non de se totalis; etiam creata agentia. 3.ibid.
Eadem actio, quæ naturam, & subsistentiam in ea ponit, & & conseruat, siue propriam, siue alienam. ibid.
Suppositum, indiuidua ac prima substantia quoad positiuum intrinsecum nihilo differunt d.procæm. 4.16
Suppositorum actiones dicuntur, non quia principium aut conditio ad illas eliciendas subsistentia, ac suppositalitas sit de Trin. 4.2
Veritas entis realis malè explicatur per ordinem ad iudicium verum. 5.134
Stat in positiua soliditate essendi, siue in essendo non apparenter. 4.135
Relationes prædicamentales Patris, & Filij, vel producentis,& producti realiter formaliter in generatione, seu productione adæquatè consistunt; vel si malit,in aggregato ex illa,agente, & termino, 1.150
Relationis aut relatiui constitutiua essentialia non oportet relatiua esse. 2.28.& 6.167

PRO PHYSICIS.

Accidentia physicè instrumentaliter substantiæ productionem attingunt. 6.80
Actio à passione nec formaliter quidem differt. 1.104
Actionem & passionem ex parte termini se habere, vero similius de creatis loquendo videtur. 3.ibid.
Actionis conceptus & ratio non dicit realem eius à termino vel à producente distinctionem, sed horum solum inter se se. 4.107
Animalia nonnulla sexu maris & fœminæ carent ac sine coitu generant. 3.82
Causæ desinitio & essentia explicata. 1.55
Est causa & prior effectu cuius existentiæ essentialiter connectitur. 4.54
Nonnisi ob effectus indigentiam ad huius effectionem admittenda. 4.56
Partialis causa non solum producit prædicatum specialiter respondens in effectu; sed omnia illius prædicata. ibid.
Esse quod causa qua talis debet in effectu producere, opus non est vt sit substantiale. & constituens aliud; sed satis est accidentale sit, & alium constituens. 2.53
Creatio cum termino identificatur. 5.75
Adhuc instrumentaliter creaturæ repugnat. 6.210
Creatio quandoque destinationem rei ad munus aliquod significat. 5.57
Generationis definitioni origo viuentis à viuente addendum non est, cognoscente. 1.82
Generatio à virtute nutritiua prouehit. ibid.
Strictè dicta arboribus conuenit. ibid.
Strictæ generationis similitudo in natura non æqua in omnibus filiis requiritur; sed perfectior & maior in perfectioribus, in imperfectioribus minor. 3.ibid.& 5.95
Generationi muli non deest similitudo requisita cum principio generante. 3.82
Filium ea intentione generari, vt repræsentet producentem non est necesse. 4.83
Materia prima absque omni forma conseruari naturaliter nequit, eiusque solida ratio. 3.16
Potentiæ physicæ ratio non excludit eius cum effectu connexionem. 4.169
Potentiæ particulares & creatæ repugnante termino repugnarent. 2.60
Non omne principium causa est, vt falso Aristoteli à nonnullis tribuitur. 4.52
Prioritas naturæ non est à qua non valet subsistendi consequentia. 8.55
Relatio transcendentalis creaturæ ad Deum non infert illam in causa creata ad suos effectus. 6.25
Maximè ad effectus supernaturales. 7.ibid.
Vnio formæ nequit eius actioni, aut eductioni identificari realiter. 3.8

PRO ANIMASTICIS.

Amor assimilatiuus amantis cum amato. 5.85 & 11.87
Animi rationalis coniunctio cum materia connaturalior ipsi, quam separationis status. 4.14
Nulla cognitio creata sui ipsius cognitio esse potest. 2.119
Cognitio relationis intuitiua ac visiua potest esse non viso termino; imò neque abstractiuè cognito. 2.24
Etsi videri non viso termino non possit relatiuum in hoc terminum, aut ex hoc videri primo est impossibile. 2.ibid.
Cognitio etiam intuitiua potest præscindere formalitates rei eiusdem, atque vnam non visa alia videre. 2.29.& 4.122
Locutio non dicit loquentis productionem actiuam per intellectum, passiuam verò dici. 3.180
Cognitio prius terminatur ad obiectum aliud, quàm ad Verbum cognoscendum: quare non omnia in hoc necessariò repræsentat. 1 & 2.119
Operatio vitalis est productio termini immanentis viuenti extra complementum eius in esse substantiali & operatiuo extrinsecus improducibilis. 1.97
Actiua nequit abstrahere à respectu ad subiectum idem cum agente, & passiua ad agens idem cum subiecto. 3.ibid.
Motiua actuum internorum non mouent nisi cognita, quin tamen cognitio formale motiuum sit. 4.22
Practicum & speculatiuum accidentales differentiæ scientiarum. 6.102
Voluntas in incognitum ferri nequit, nec intellectus incognito assentiri, vel dissentiri. 6.23
Species propriæ vnius formalitatis rei eiusdem sine alia dari optimè queunt. 3.29
Voluntas impelli physicè ad fieri actus nequit neque intellectus ad assensum, vel dissensum, sed solùm motione obiectiua, & intentionali. ibid.
Verbi ratio duplicem dicit respectum, & ad obiecta, quorum essentialiter est obiectiua representatio, & ad dicentem. 1.179.
Visionis claritate maiori præcisè non repræsentantur obiecta plura. 1.26

Pro Controuersia de essentia & attributis.

Attributa diuina se mutuò non transcendunt. 3.122.
Attributis diuinis formaliter metaphysicè essentialis est ratio diuini, nec solum physicè, & materialiter seu identicè, ibid.
Dei essentiam intellectione speciatim constitui fundamentum, in S.Thoma, Patribus, aut ratione non habet. 2.88
Constituitur solo prædicato entis à se. 3.ibid.
Triplex modus excogitabilis constituendi metaphysicè essentiam diuinis. 8 ibid.
Essentia æquè immediatè & proximè est radix attributorum omnium, etiam voluntatis & amoris, atque intellectus, & intellectionis. 7.ibid.
Quia ens à se Deus est indiuisibiliter infinitè per denegationem termini etiam extrinseci de conceptu suo est. 2.68
Omnipotentia connexa cum possibilibus non est. 2.123

Pro Controuersia de scientia Dei.

Sola Dei scientia seipsam potest repræsentare. 3.184

Pro Controuersia de Beatitudine, & visione Dei.

Visionem Dei ex parte obiecti posse præscindere. 2.29.4.122
Nulli etiam Beatæ creaturæ omnium possibilium cognitio, seu visio conceditur. 3.27

Pro Controuersia de fide diuina.

Fidei diuinæ actus nec supernaturalis, nec diuinæ fidei quoad intrinsecum, & connexum cum diuina reuelatione, nonnullis forta se non omnino irrationale videbitur. 4.22
Oppositum probabilius ac mihi certum. 7.23
Habitus fidei non subditur libertati voluntatis, vt ob reuelationem solum existimatam actum fidei efficiat. ibid.
Habitus fidei & idem est de aliis supernaturalibus, nequeunt concurrere ad actum naturalem ob motiuum supernaturale. ibid.

Pro Controuersia de Incarnatione.

Vnionis hypostaticæ termini formales, & per se explicantur cum in modalium, tum in nostra sententia. 3.& 4.26
Christus absolutè duo vel plures dici nequit, nec duo vel plura nisi addendo aliquid, quo personæ vnitas denotetur. 5.254
In Christo est aliud, & aliud, non alius, & alius 1. & seq. 254

OBSERVATIO

Propositionum, quæ meritò, vel immeritò censuris Theologicis notantur in tractatu de Incarnatione.

QVÆ MERITO.

NEGARE naturæ irrationali possibilitatem vnionis hypostaticæ cum Deo periculosum. n.3.p.270
Christus est diuinitas hæretica propositio Eutychiis, Hustarum. 4.292
Assumptas esse à Verbo partes etiam organicas humanitatis qui negant, in dogma Catholicum peccant.q. 3. præf.302
Negare sanguinem intra corpus Christi existentem assumptum à Verbo fuisse, sicut partes cæteræ, hæreticum. 1.303
Sanguinem effusum priduo mortis vnitum mansisse verbo, qui negant, in fidem errant. 4.304
Probabiliter eadem censura ferretur de humoribus reliquis, & & spiritibus sanguini admixtis, quamdiu durarunt. 5.ibid
Vnionem humanitatis ad naturam, vel subsistentiam communem æquè per se primo factam esse, atque ad Verbum, temerarium, atque Triado passianismo expositum. 2.305
Deitatem esse in Christo non solum per immensitatem, sed saltem per concomitantiam, qui negant in fidem errant. 3.308
Hominem de Christo non prædicari in quid, sed in quale hæresis est. 2.310
Neque Christo passibilitatem, siue admissa, siue non, vera eius humanitate hæresis. 1.316
Summa pulchritudo corpori Christi temerè negabitur. 3.317.
Pœnam sensus aliquando in inferno absolutè cessaturam temerarium, & erroneum est. 1.353
Negare humanitati Christi filiationem naturalem Dei esse hæreticum, satis probabiliter suadetur. 1.& seq.438
De Concilij Francfordiensis authoritate dubitare, temerarium esset. 3.432
Filiatio Dei media inter naturalem, & adoptiuam singularis, & fere temeraria. 5.439
Similitudinem creaturæ rationalis ad Deum sufficere ad filiationem Dei naturalem periculosum in fide. 1 ibid.
Periculosè infertur ex illo Mathæi, *Hiceſt filius meus* humanitatem esse totius Trinitatis filium. 5.442
Christum secundum humanitatem adoptiuum Dei filium esse, non sine fidei iniuria dici, probabilissimè ostendetur. 1. & seq. 447.
Doctorum censuræ in aduersam doctrinam. 4.446
Nec minori censura Dei seruus dicetur tota. 1.461
Christus se ipso, ac Spiritu sancto minor sine addito dictus in sensu stricto errorem potest continere. 2.455
Qui docent, humanitatem Christi æquè amabilem, esse, & sanctam, ac Deum damnantur in Concilio Bassilienſi cum Augustino de Roma. 4.483
Idem in Eutychianismum coguntur. 2.484
Negare voluntatem humanam Christi conformem omnino voluntati Dei præcipientis, aut consulentis erroneum est. 1.500
Negare humanitati Christi tentationes externas hæresis est. 1.& seq. 502. & 1.505
Negare eidem futurorum notitiam temerarium, non erroneum est. 5.509
Negare item illi scientiam per se infusam. 4.512
Qui negant humanæ Christi voluntati timorem, & dolorem temerarij. 1.530
Temerè asseruit Canus Christum passionis tempore visione beata corruisse. 3.533
Donum timoris hæreticè Christo negabitur, 1.534
Christum in futuro sæculo pro dæmoniis crucifixum iri Origenis error. 1.582
Negare Melchisedech veram humanitatem, verumque sacerdotium hæresis est. 3.& 5.361. & 362.
Negare Deitatis, seu personæ diuinæ communicationem necessariam humanitati fuisse ad mediatoris officium Caluini error. 2.641
Negari posse idiomatum communicationem ab his, qui rem mysterij fideliter tenent, temerarium, periculosum, & erroneum est. 2.668
Negare absolutè quoad essentialia idiomatum communicationem hæreticum est. 4.ibid
Idiomatum communicatio nominibus abstractis inconsequenter ab Eutychianis admissa, à Lutero & Vbiquistis recepta. 1.& 2.668.& 669

QVÆ IMMERITO.

VNus de, *vel ex Trinitate passus* absolutè nullam meretur censuram. 4.290
Christus est duæ naturæ, vel vtraque natura simul immeritò censura afficitur à nonnullis. ibid.
In Christo sunt tres subſtantiæ censuram non meretur licet propriùs sunt duæ subſtantiæ dicatur. 5.ibid.
Vnionem factam esse in Deitate, etiam in se, non secundum se præcisè sumpta, sed vt identificata cum Verbi personalitate nullam meretur censuram. 1.306
Qui negant Christo compositionem nullam merentur censuram. 4.315
Humanitatem Christi de congruo fuisse promeritam incarnationem à censura est immune. 4.415
Non erat contra fidem asserens humanitatem Christi actibus diuinis non solis amare, & intelligere. 4.457
Theologis, qui docent humanitatem Christi æque, amabilem, & sanctam, ac Deum formali Eutychianismo liberantur. 2.484
Qui negant humanitati Christi gratiam habitualem nec hæresim, nec errorem incurrunt. 2.537. imò nec temeritatem. 538.
Nec de fide, nec certum est Christum plenum esse gratia habituali. 1.541
Neque ex gratiæ eius suppositione in Christo eius plenitudo ex fide, sed ex discursu colligitur. 3.ibid.
Christum Angelis primam gratiam fuisse promeritum, nec singularitatis subiacet notæ. 4.591
Negare humanitati Christi adorationem latriæ supremæ nullam meretur censuram, nec Conciliis, aut Patribus aduersatur. 1.659
Proprius dici hominem de Petro, quam de Deo per idiomatum communicationem, proprium, Theologicum, & Catholicum sensum habere potest. 1.667
Deus assumpsit hominem nullam meretur censuram. 1.& seq 640.

INDEX

Rerum notabilium in hoc Volumine contentarum in duas partes diuiſus propter diuiſionem tractatuum, ſit itaque,

PRIMA PARS.

Prior numerus marginalem numerum, & poſterior paginam denotat.

A

Accidens.

ACCIDENS nonnumquam ſignificat gratiam. num. 3. pag. 2.
Accidens nequit eſſe conſtitutiuum ſubſtantiæ. 2.4

Actio Agens.

Actio poſitiua quantitatis ſeparatæ à ſubiecto non requiritur vt ſeparata exiſtat, ſed vt exiſtat in ſe. 5.2
Omnis actio terminatur ad aliquid productum. 4.20.
Actionis vitalitas duo includit. 1.97
Terminus actionis vitalis debet eſſe perfectiuus viuentis. 1.98
Omne naturale agens præſertim vniuerſum aſſimilat ſibi effectum in virtute & forma per quam operatur. 5.111
De agente determinato & connexo contermino. 5.167

Actus.

In actibus intellectus & voluntatis præciſis & ſecundum ſe ſumptis prioritas & poſterioritas realis originis fundari non poteſt. 5.50
Sine actibus intellectus & voluntatis diuinæ non poſſunt eſſe diuinæ proceſſiones.

Adiectiua.

Adiectiua quando ſubſtantiuè ſumuntur. 3.245
Quæ concreta ſingulariter, quæ pluraliter in diuinis enuntientur. q.4.252
Concreta adiectiua adiectiuè accepta quomodo ſingulariter vel pluraliter enuntientur. 1.253
Concreta ſubſtantiua ſubſtantiuè accepta, quomodo ſingulariter vel pluraliter enuntientur. 2.ibid.

Æqualitas.

Æqualitas ſubſtituentis cum ſubſtituto imperfecto ſubſtituentis imperfectionem conuincit. 2.12

Æternitas.

Æternitas eſt duratio interminabilis vitæ tota ſimul, perfectáque poſſeſſio. 4.130
Æternitas eſt in Patre, ſpecies in imagine, virtus in munere. 1.194

Amor.

In diuinis triplex eſt amoris perfectio. 7.41
Ignis apud prophanos & Chriſtianos eſt Symbolum amoris. 1.78
Amori diuino formalitas increati & diuini per ſe & formaliſſime competit. 3.85
Amor ex genere ſuo communicatiuus eſt omnium bonorum. ibid. 6
Amor ex genere ſuo eſt vnio inter amantem & amatum. ibid.
Amori diuino patris & filij competit eſſe productionem & productionem per vnionem amoris perfectiſſimas in genere productionis & vnionis. 8.86
Diuinus amor ex ſpecie ſua amoris habet prædicatum aſſimilandi. 11.87
Amor & cognitio eſſentialis ſpeculatiuus eſt. 2.214

Attributum.

De Attributis negatiuis in diuinis. 1.& ſeq.143

B

Bonitas.

BOnitas Soli Deo abſolutè competit. 4.63
Bonitas abſoluta illa eſt, qua verum quoque inſe bonum intrinſecè eſt, nulla habita comparatione ad aliud, quod bonum ſeu perfectum phyſicè, vel metaphyſicè conſtituat. 1.136
Bonitas relatiua eſt alterius perfectiua ſeu beneficatiua eſt. ibid.
Bonitas primaria ſiue in eſſendo dicti totalitatem. ibid.3
Bonitas appropriatur Spiritui ſancto. 3.193

C

Cauſa.

CAuſa eſt quæ influit eſſe in aliud. 7.54
Partes præexiſtentes in viuente ſunt cauſæ partium viuentis acquiſitarum per nutritionem. 8.55
Pater eſt realis cauſa filij & Spiritus Sancti. 1.123

Chriſtus.

Chriſtus Deus & Dominus abſolutè & ſingulariter appellatur. 2.61
Chriſtus Dominus quâ homo patrem adoraſſe dicitur quoties ipſum oraſſe refertur. 5.64
Chriſtus patris filius paternam effigiem accuratè ſeruare ſolet. 4.95

Circumineſſio.

Circumineſſionem in immanenti productione & proceſſione perſonarum conſtituta. 2.205
Circumineſſio formaliter æqua in perſonis eſt, neque in vlla diſſimilis. 3.ibid.
Circumineſſio dicit perſonarum circuitionem in exiſtendo, quæ per proceſſiones formaliter non datur. 3.206
Circumineſſio eſt immanentia termini vitaliter producti. 6. ibidem
Circumineſſio non eſt identitas extremorum inter ſe. 2.207
Circumineſſio primariò perſe ac ratione ſui totis perſonis conuenit. 3.ibid.

Concordia.

Concordia quæ eſt inter perſonas diuinas. 6.49

Concretum.

Concreta nomina ſubſtantiua alia, alia verò adiectiua ſunt. 1.242
Concreta ſubſtantiua ſubſtantialia, è ſua primæua, propriaque ſignificatione naturam, ſeu formam in recto ſignificant. 1.243
Concreta ſubſtantiua ſubſtantialiáque ab Eccleſiæ exordio & Euangelij promulgatione quid ſignificent. ibid.3
Concreta ſubſtantiua non ſubſtantialia formam in recto propriè non ſignificant. 4.244
Concreta nomina adiectiua quæcunque ſint, è qua primæua propriáque ſignificatione ſignificant ſubiectum vel naturam. ibid.5

Creatura.

Nulla creatura futura eſt obiectum per ſe quarto modo proceſſionis Verbi. 1.124

Connexio.

Connexio realis reſpicit terminum realem. 3.14

Conſtitutio.

Conſtiturio rei in eſſe ſibi proptio diuiditur ab omni alio in quo reipſa non eſt tale eſſe. 3.174
Conſtitutio quomodo fit in diuinis. 4.ibid.

D

Deitas.

DEitatis fontalis origo & principium pater eſt. 1.182

Dependentia.

Dependentia à ſubiecto formaliter eſt cauſalitas & paſſio præcedens exiſtentiam naturæ ſubſtantialis. 4 6
Dependentia rigoroſa præter productionem dicit auxilium alienum & extraneum termino producto. 4.51

Deus.

Soli Deo conuenit æternitas. 1.64
Deus ſolus eſt de ſe patrator miraculorum. 2.ibid.
Propria Dei poteſtas eſt iuſtificare homines & augere gratiam. 5.65
Dei filius ſua characteriſtica proprietate Verbum eſt. 4.77
Internum dicere Dei non eſt ſenſibilis prolatio & locutio externa, ſed interna & intellectualis ſignificatio & repræſentatio. ibid.
In Deo eſt potentia & vis generandi. 2.107
Implicat aliquid eſſe in Deo, quod non ſit formaliter & in ſe perfectio. 3.140
Ex Dei ſimplicitate reali infertur indiſtinctio & identitas realis omnium quæ ſunt in eo. 5.155
Dicere Dei eſt aliquid reſpectiuum tenens ſe ex parte dicentis Patris eiúſque proprium. 3.180

Diſtinctio.

Nominibus Differentiæ ac differentis rectè explicatur ac propriè Diſtinctio & pluralitas perſonarum in diuinis. 3.258
In diuinis non eſt Diſtinctio niſi obuiet relationis oppoſitio. 1.28.
Diſtinctio trium perſonarum ex nouo teſtamento firmius ſtatuitur. 86.& ſeq.
Magnitudo Diſtinctionis perſonarum taxatur. 48
Diſtinctionis eſſentia Realis eſt vt vnum non poſſit eſſe ſine alio. 5.161
Pluralitatis ac Diſtinctionis nomen adeo in diuinis receptum eſt, eorumque concreta vt contrarium ſentiendi locus non ſit niſi dogma de Trinitate euertere tentetur. 1.257

Diuerſitas.

Diuerſitas & diuerſus de diuinis perſonis abſolutè non dicitur. 4.259

Diuinitas.

Diuinitas filij ex veteri & nouo Teſtamento probatur. 1.60
Filij Diuinitas à Patris Deitate adæquatè diſtincta non eſt. 1. 66.

Diuiſio.

Diuiſionis, ſeparationis, diſtantiæque nomina de diuinis perſonis enunciari nequeunt. 3.259

Donum.

Donum vbi proximè relatiuum eſt ad recipientem nec ſolùm ad donatorem. 3.191
Donum non dicit realem relationem ad recipientem. 4.ibid.

E

Ens.

ENtis acceptio duplex. 1.127
Ens ſeu eſſentia dicitur ab eſſe ſeu exiſtere. 1.131
Ratio Entis diuini eſt eſſe à ſe. 2.132

Error.

Errores Gilberti atque Durandi de perſonalitatum & eſſentiæ diuinæ diſtinctione. 1.& ſeq.153

Eſſentia.

Eſſentia diuina eſt terminus ineptus ſyllogiſmo expoſitorio. 2.74.
Eſſentia diuina tripliciter conſtitui poteſt. 3.88
Eſſentia eſt principium quo principale & remotum. 11.91
Eſſentia eſt principium *quod* virtuale proceſſionum actiuarum. 7.108
In ſola eſſentia datur prædicatum entis ſubſtantiui. 118
In diuinis eſt vnica Eſſentia. 1.135

Exceſſus.

Exceſſus ſubſtituentis perfectionem ipſius commendat. 2.12

Exitus.

Duplex Exitus cogitari poteſt inter realiter diſtincta 6.44

F

Fides.

FIdes eſt ſperandarum rerum ſubſtantia ſeu hypoſtaſis 3.2
Fides eſt neceſſaria hominibus inſciis. 1.18

Filius.

Vt Filij parentibus ſimiles ſint natura ipſa exigit. 5.95

Florere.

Florere proprius floridum eſſe ſiue habere Flores ſignificat. 5.226

Forma.

Forma ſubſtantialis complet materiam ad eſſe naturæ. num. 4 26.

G

Generatio.

VErbum ſuſtentauit Generationem carnis. 1.7
Generatio temporalis Chriſti qua hominis non eſt ſolius patris, ſed filij etiam & Spiritus ſancti. 5.44
Generatio formaliter prouenit à viuentibus ſecundum virtutem nutritiuam. 1.82
Generatio latitudinem perfectionis eſſentialis admittit ac proinde ſimilitudinis in natura. 3.83
Generatio in eo conſiſtit vt ex gignentis Eſſentia proles eiuſdem cum gignente ſubſtantiæ producatur. 11.93
Generatio actiua à paſſiua realiter diſtinguitur. 4.105
Generatio eſt ſpiratione realiter prior ſiue actiuè ſiue paſſiuè. 2.224

H

Humanitas.

HVmanitas Chriſti ſuæ ad Verbum vnioni minimè præexitit. 2.8
Humanitas Verbo vnita licet ſingularis manſerit non manſit perſona. 4.10
Verbum vnitum Humanitati Chriſti Rationem perſonæ non amittit. 5.ibid.
Humanitas eſt omnium hominum communis. 5.148

I

Imago

IMago eſt alicuius repræſentatio expreſſa. 1.183
Imago dicitur ab imitando. 3.184

R.P. Chriſoſt. de Ortega de Trino & Incarn.

Index Rerum & Verborum.

Imago dicitur ab imitando. 3.184
Imago purè realis artificialis ab exemplaris cognitione pendet. 4.ibid.
Imago artificialis duo habet. ibid.
Imago realis naturalis solùm inuenitur in filijs respectu parentum, qua talibus. ibid.
De ratione imaginis naturalis in diuinis. 1.185
Vna Imago inuisibilis est Trinitatis. 3.186

Imitatio.

Imitatio est ordo ad exemplar. 3.184

Immortalitas.

Immortalitatis Definitio. 2.143

Impassibilitas.

Impassibilitatis definitio. 3.143

Individuatio.

Omnimoda individuatio & singularias omnimodam dicit proprietatem. 5.11

Influxus.

Influxus pecialis personalis non benè sonat in Theologia. 5.8

Inimicus.

Victi & compediti Inimici voluntatem non habent ciuilem, sed solum victoris, Ducis, ac Principis. 5.72

Innascibilitas.

Innascibilitas vera est proprietas patris. 178
Innascibilitas patris formaliter sonat carentiam principij suæ personalitatis & communicationis essentiæ ab alio. 1.179
Innascibilitatem veteres plures in fontali plenitudine patris locabant. 4.180
Innascibilitatis positiuæ patris definitio. 2.181
Innascibilitas diuersa formalitas est à potetia generatiua. 5.203

Intellectio.

Respicit duplex principium inadæquatum ex genere suo. 14.78
Intellectio est formaliter repræsentatio & similitudo intentionalis intelligentis cum obiecto intellecto. 4.89
Intellectio in creatis immediatius oritur à substantia rationali quam volitio. 8.90

Intelligere.

Intelligere significat actionem cum ordine ad obiecta. 6.226

L

Libertas.

DE Libertate diuinarum processionum. 98
Libertas consistit in potentia reali operandi, vel non operandi realiter. 1.ibid.

Lingua.

Lingua verba similia mentalibus facit non autem similiter ac mens. 6.212

M

Missio.

MIssionem diuinarum personarum aliquo saltem sensu acceptam negare nemo ausus est. 1.228
Missio diuinarum personarum propria absolutè & simpliciter est, non metaphorica. 4.228
Missio personarum in sola æterna processione consistit. 1.229
Missio in æterna processione & extrinseca manifestatione per donum. 2.229
Nemo quod suum non est aliquo mittit. 3.230
Nulla creatura rationalis est terminus *cui* missionis personarum aliquo modo ex enumeratis supernaturalibus. 3.241

Modus.

Duplex est modus termini communis & inadæquatè identificati cum alio. 1.74
Nullus modus vitalitatis operationum intelligi in Deo potest nisi operationum per intellectum & voluntatem. 3.76

N

Natura.

Natura duplex rationalis in Christo. 2.1
Natura duplex an in Christo inconfusa perseueraret. 1.1

Negatio.

Negatio nequit destrui & consumi ab alio cum sit ipsa negatio destructa sic. 1.12
Indignum est verbo negationis substitui. 2.ibid.

Notio.

Omnis Notio proprietas formalissimè est. 1.200
Notionis & proprietatis formalitas rationis est. ibid.
Quinarius notionum numerus. 1.201
Nulla formalitas diuina pluribus communis potest esse notio 4.202

Numerus.

Ternario numero omnia primùm & quidquid perfectum est continetur. 8.41

O

Obiectum.

DE ratione visionis obiecti non est vt omnes formalitates ipsi identificatæ videantur, sed potius vnam formalitatem obiecti videri sine alia posse. 2.29
Obiectum formale beatitudinis diuinæ personalitates non claudit. 4.ibid.
Obiectum formale beatitudinis summum bonum est. ibid.
Aliud est Obiecta per se requiri ad perfectionem essentialis cognitionis: aliud requiri ad rationem productionis quæ in ipsa est. 6.104
Obiecta & termini diuinarum processionum. 119

Omnipotentia.

Omnipotentia est virtus actiua creatorum si non implicent in se. 6.26
Omnipotentia diuina absoluta est à creaturis. 2.123
Omnipotentia attributum essentiale est 2.214

Operatio.

Operationes ad extra appropriantur, creatio Patri, reparatio filio, rerumque perfectio Spiritui sancto. 1.195

P

Passio.

PAssio est actus vsus ad hoc, non autem actus ad hoc, in alium. 3.107
Duplex passio. 3.175

Pater.

Pater æternus ex fide maior est Verbo ipsiusque Caput. n.1 441.
De fide est Patrem æternum esse principium spirans. 5.47

Perfectio.

Perfectio simpliciter simplex in Deo est. 2.137
Perfectio infinita diuina incapax est perfectionis extrinsecæ creatæ. 3.139

Persona.

Persona est rationalis naturæ individua substantia. 3.3
Persona non dicitur nisi de individua rationali natura. ibid.
Persona Verbi destruit suo modo & consumitur persona humana Christi. 2.12
Personæ producentes non causant propriè neque procedentes causantur. 52
An Personarum identitas in natura euidenti alicui rationis principio contradicat. 73.& seq.
Persona procedens & producta non pertinet ad complementum in esse substantiali & operatiua viuentis producentis. 1.97
Persona quæuis habet bonitatem absolutam primariam, imò & relatiuam simpliciter simplicem. 1.138
Nulla persona in diuinis habet perfectionem absolutam secundariam, & extrinsecam in ordine vllo. 3.139
Tres Personæ non sunt tres bonitates absolutæ sed vna & insectilis solùm. 1.ibid.
Persona diuina quæuis simpliciter infinita est. 4.142
De Personarum constitutione ac distinctione. 164.& seq.

Personarum

Personarum diuinarum nomina metaphoricè. 196
Personarum circumincessio. 204
Persona quæuis, cæteris omnipentia & operatione est æqualis. 208.
Persona quæuis cuiuis ex aliis personaliter æqualis est. 216
Personæ singulæ non sunt partes summi boni, quod Trinitas est. 1218
Nulla Persona potest esse realiter prior origine. num. 1. 222.
Personæ plures sunt in Trinitate. 259
In ternario personarum quidquid est, triplex vnitas realis est. 3.262
Personarum numerus quicunque fiat, realis est. 6.262

Personalitas.

Personalitates sunt quasi individuantes differentiæ vnius. n.5 11.
Personalitas & persona humana consumpta & destructa est à persona Verbi in Christo. 1.12
Ratio principij, in personis diuinis non stat in sola formalitate Personalitatis Patris. 4.27
Personalitates diuinæ formalem ex possibilibus distinctionem habent. 3.48
Personalitates res esse, vel modos certum non est. 4.74
Quomodo Personalitas ingrediatur, vel non potentiæ notionalis constitutionem. 1.113
Personalitas & essentia in recto notionalem potentiam ex æquo constituunt. 6.114
Vnaquæque personalitas suo ordine & signo cognoscitur. 3.121
Personalitates sunt termini formales diuinarum processionum. 1.127
Personalitas in diuinis est modus existentiæ. 6.129
Personalitas præcisè non est primaria bonitas absoluta & stricta. 1.138
Personalitas præcisa non est bonitas absoluta etiam secundum quid. 2.ibid.
Personalitas præcisa non est perfectio relatiua. 3.ibid.
Personalitates sunt tres infinitates secundum quid, non autem simpliciter. 1.142
Personalitas patris non originatur aut procedit. 2.155
Personalitatum ab essentia distinctio. 1.156
Personalitates & essentia quomodo differant. 161

Potentia.

Quid sit formaliter Potentia physica notionalis. 2.110
Quomodo Potentia physica notionalis sola personalitate producentis constituitur. 1.ibid.
Potentia notionalis duo ex parte actus primi includit, naturam scilicet & personalitates producentium. 4.112
Potentiæ notionalis nomen quid dicat in recto & quid in obliquo. 7.114
Potentia notionalis duplex est in diuinis. 3.115
Potentia generatiua & spiratiua malè in tribus personis diuinis asseritur. 117
Potentia notionalis communis tribus personis non est. 118
Potentia appropriatur Patri æterno. 1.192

Prædicatum.

Constantia & necessitas cuiusuis prædicati creati minor est quam constantia & necessitas cuiusuis prædicati & formalitatis diuinæ. 3.49
Posse operari & non operari est prædicatum differentiale causæ necessariæ. 4.54
In Deo sufficientem virtutem esse ad agendum non solum prædicatum entis, sed omnia etiam differentialia prædicata effectus. 4.56
Si animal contrahat Prædicatum rationalis, animal rationale constituit. 9.86
Prædicatum potentiæ actiuæ diuersum formaliter est à prædicato necessitatis & determinationis operandi. 3.109

Principium.

Principium spirituum absolutè dictum vnicum in diuinis est. 1.115.

Prioritas.

De conceptu propriæ causæ est prioritas in natura. 2.53
Realis Prioritas vnius respectu alterius potest esse loco, durationc, natura, origine. 221

Processio.

Processio diuina identificata cum patre vel paternitate non procedit vt quod. 1.6
Processio filij à patre in diuinis statuitur. 1.43

Missio essentialiter inuoluit processionem personæ missæ à mittente. 2.ibid.
Dationis passiuæ nomine processio personæ datæ à persona dante continetur. 3.ibid.
Processio Spiritus sancti à filio stabilitur 1.47
Duæ tantum processiones sunt in diuinis. 5.48
Processio Realiter & secundum se totam sumpta est communicatio & influxus. 2.55
Filij Processio per solùm intellectum est. 76.& seq.
Processiones diuinæ immediatè solùm per intellectum & voluntatem esse, non per naturam quæ illas formaliter præcedat. 2. ibid.
Processio verbi fit per intellectionem & Spiritus sancti per amorem. 4.79
Processio filij Dei stricta est generatio. 81
Processio est actuale exercitium procedentis & producentis. 2.101.
Processiones actiuæ à passiuis distinguuntur. 1.104
Processiones actiuas cum passiuis & cum personis producentibus identificari probabile est, oppositum tamen probabilius. 105.
Quid sit terminus formalis diuinarum Processionum. 126
Processio æterna actiuè sumpta essentialiter requiritur. 1.219
Processio non intrat formaliter missionem generatim. 4.230
Processio non potest esse missio moralis & legationis. 3.232

Productio.

Productio passiua personalitate Verbi continetur, actiua verò patris personalitate. 4.8
Patris æterni generatiua Productio est sola personalitas. 2.98

Proprietas.

Proprietas Patris est quod sit ingenitus. 2.104

R

Ratio.

RAtio patris actualis in actuali vnione ad aliud consistere creditur. 3.10

Repetitio.

Ex trina Repetitione nominis Dei frequenti in veteri testamento patres trinitatem personarum colligunt. 8.45

Relatio.

Relationes prædicamentales re ipsa dantur in Deo. 1.150
Relationes reales transcendentales in Deo. 2.ibid.
Relationis duplex est genus in diuinis sicut in creatis. 4.151
Relationes siue transcendentales quatuor numerari debent. 2.ib.
Relationum transcendentalium distinctio. n.3.ibid.
In diuinis Relatio quà diuina non affert distinctionem. 6.175
In diuinis Relatio non distinguit realiter personas. 3.175
Relationes æqualitatis, & similitudinis personarum reales ac positiuæ sunt. 1.220
Relatio qualitatis ad qualitatem & quantitatis ad quantitatem. 3.221

S

Sapere.

SApere & intelligere in diuinis non sumitur notionaliter sed essentialiter. 5.102
Sapere & intelligere pater Filium atque vterque Spiritum sanctum diligere benè dicentur. 4.227

Sapientia.

Dei filius est personaliter & notionaliter Sapientia genita. 5.77
Sapientia filio appropriatur. 2.193

Similitudo.

Tantumdem valere Similitudinem ad patrem atque Imaginem patris esse. 5.85
Similitudo & imago quævis essentialiter dicit distinctionem à prototypo. 7.86
Similitudo inter personas diuinas. 3.220
Similitudo & æqualitas non est vnius ad alterum secundum sui partem, sed secundum se totum. 6.ibid.

Index Rerum

Singularitas.

Singularitas naturæ diuinæ secundum se communitatem omnem non excludit. 5.11

Spiritus Sanctus.

De fide est Spiritum sanctum mitti, dari & accipere à patre & filio. 1.46
Spiritus sancti diuinitas monstratur, 1. & seq. 63
Spiritus sanctus nusquam vel inter adorantes numeratur vel inuitatur adorandum. 3.64
Non minor est in Spiritu sancto secretorum cordis, etiam diuini, futurorumque cognitio. 4.65
Spiritus sancti processio per voluntatem immediatè & proximè probatur. 1.78
Spiritus sanctus sua caracteristica proprietate amor est & affectiuus impulsus notionalis. ibid.
Spiritus sanctus nec genitus est nec eius processio generatio de fide est. 1. & 2.81
Spiritus sanctus est essentia & sapientia & virtus patris & filij. 10.90
Spiritus sanctus non est filius quia à duobus vel mediatè à patre vel patri principali germanitate coniunctus non est. 1.94
Spiritus sanctus à Patre & Filio tanquam ab vnico principio & per vnicam spirationem procedit. 3.104
Spiritui S. deficit conditio ad generationem & spirationem. 2. 112.
Spiritus sancti ratio propria. 1.186
Spiritus sanctus notionaliter est amor. 1.188
Spiritus sanctus est donum personale. 189
Spiritus sanctus solus notionaliter amor productus in diuinis. 3.190
Spiritus sanctus Dei digitus dicitur. 3.196
In Spiritu sancto est formalitas improductiua ad intra. 1. 203
Spiritus sanctus secundum se mittitur. 3.228

Subsistentia.

Duæ subsistentiæ in Christo non manserunt, sed vnica tantùm. 3.1.
Subsistentia veram, nec apparentem solum rei existentiam denotat. n.3. ibid.
Subsistentia supra indiuiduam naturam addit substantialem modum perfeitatis. 1.5
Partes substantialis indiuidui subsistentiam non habent. 13
Subsistentia ac personalitas idem sunt quod totalitas indiuiduæ naturæ. 3.14
Subsistentia pro materiali quandoque diuisibilis est pro formali semper. 1. ibid.
Subsistentia non adest necessario cuiuis substantiæ creatæ singulari secus diuinæ. 1.15
Subsistentia diuina est singularitas vltima naturæ quasi physicè communis ipsique identificata. ibid.
Subsistentia propria ita pugnat cum aliena vt, neque diuinitus in eadem substantia singulari componi possint. 3. ibid.
Subsistentia dicit formaliter negationem dependentiæ ab vnione ad aliud. ibid.
Subsistentiæ alienæ inter seſe minimè pugnant. 1.16
Subsistentia communis physicè personis præter personales & proprias absque fundamento assignatur in diuinis. 1.147
Subsistentia, hypostasis & persona idem est atque indiuiduum singularissimum substantiæ rationalis aut irrationalis. 5. 148.
Subsistentia in diuinis neque logicè, neque analogicè communis. 1.149

Substantia.

Substantia vna & natura, tres verò hypostases, suppositа & personæ in Trinitate. 4.2
Substantia indiuidua per vnionem ad aliam indiuiduam substantiam destruit nequit. 2.3
In Deo homine gemina substantia, sed non gemina persona est. ibid.
Substantia substantiam consumere non potest. ibid.
Substantia diuina differt à persona. 4. ibid.
In substantiis immaterialibus suppositum cum essentia est idem. 1.9
Substantia ex hoc dicitur subsistere in quantum non est in alio. ibid.
Duæ indiuiduæ substantiæ possunt produci à Deo dependenter ab vnione inter se viciſſim. 2.15
Substàtiæ de se totalis subsistentiam solus Deus causat improprièe efficienter negatiuæ. 3.16
Patris Substantia est principium per quod generat pater, quodque per generationem filio tradit. 4.111
Rationalis naturæ indiuidua Substantia. 4.145

Supplere.

Supplere est defectum alicuius replere ac vice alicuius pòni. 2.12.

Suppositum.

Aliud est Suppositum, aliud natura suppositi. 1.98

T

Terminus.

Terminus à quo siue persona mittens solum esse potest persona producens respectu productæ. 1.239
Spiritus sanctus non potest esse Terminus *à quo* missionis filij. ibid. n.3

Thomistæ.

Thomistæ Verbum filium esse eiúsque processionem generationem aiunt. 1.84

Totum.

Totum substantiale nihil aliud est quam materia & forma simul. 1.141
Omne totum est maius sua parte. 6.220

Trinitas.

Trinitas demonstrari non potest ab intellectu creato ex naturali & abstractiua effectuum omnium cognitione. 2.18
Trinitas personarum virtus actiua non est. 4.19
Vires naturales intellectus aduitæ lumine fidei possunt Trinitatem demonstrare. 1.21
Ex visione trium vnionum ad tres personas diuinas inferri potest Trinitas. 1.26
Mysterium Trinitatis generatim loquendo quatuor vt minimum, conceptus inuoluit, tres positiuos, negatiuum alterum. 2. ibid.
Non solùm ex visione vnionis Verbi, sed vnionis etiam trium personarum aliisque naturalibus principiis nequit intellectus creatus demonstrare Trinitatem. 1.27
Ex lumine gloriæ specie impressa Dei gratia habituali clarè etiam visis Trinitas demonstrari non potest. 6.30
Primus Trinitatis conceptus personarum Trinitas est, seu trium Personarum distinctio, quam solis naturæ viribus hominum mentes exhorrent. 32
Instructa errorum contra personarum Trinitatem acies proponitur. 1. & seq. ibid.
Trinitas personarum ex vetere testamento probatur. 1.33
Hæreses circa Trinitatem recensentur. 42
Errores de vltimo conceptu Trinitatis nempè identitate personarum in natura. 58. & seq.
Tot in Trinitate veritates, quot personæ. 1.134
In Trinitate vnica solum & non multiplex inuisibilitas. n.5 142
Totius Trinitatis principium, origo ac fons. 4.182

V

Valentinus.

Valentini error Dei Verbi filiatione, siue generatione. 7.68.

Verbum.

Verbum diuinum vi processionis procedit simile patri non solum intentionaliter sed realiter per realem naturæ identitatem. 2.84
Verbum per se quarto modo cognitione essentiæ communi m & Patris solum procedere, non autem cognitione sui, nec ue Spiritus sancti. 5.121
Verbum non procedit per se quarto modo è possibilium cognitione. 123
Verbum est filij Dei nomen & proprium. 177
Verbum est imago, idæa & exemplar faciendorum. 5.214

Veritas.

Veritas entitatis solùm dicit esse positiuum & solidum entitatis. 5.135
Quorum est diuersa definitio, diuersa est Veritas obiectiua. 1.160

Vnio.

Vnionem physicam Verbi ad humanitatem assumptam negabat Nestorius. 1.1
Vnionem physicam Verbi ad humilitatem in Christo fuisse sine naturarum confusione contendebant Patres. 2. ibid.
Vnio duarum naturarum iudicatur impossibilis. 2.6
Vnio identitatis affectiua respectu personæ productæ per amorem contradictionem implicat. 7.86

Vnitas.

Ad dignitatem & perfectionem Dei spectat vnitas in natura 5.41.
Vtrum multiplicetur vnitas in Trinitate. 141
Multi asserunt vnitatem transcendentalem pro personarum numero non multiplicari in Trinitate, sed vnicam solum esse. n.1
Vnitas Triplex in Trinitate realis. ibid.
Vnitas quæ numeri principium est, Patrem Trinitatis principium imitatur. 3.132

Visio.

Visio Dei præcisè non est medium intellectui creato ad Trinitatem inferendam. 1.29
Visio Dei, qua Dei non fertur in Trinitatem personarum identificatarum cum Deo. ibid.
Visio beata qua beatà non est medium aptum Trinitati demonstrandæ. 4.30

Z

Zumel.

Zvmel probabile putat ex visione gratiæ habitualis, remotè saltem, mysterij Trinitatis existentiam demonstrari. 1.29

& Verborum.

A

Abdicatio.

Abdicatio à Dominio supremo Deo est impassibilis. 1.139

Abominatio.

Abominatio desolationis Daniel. 9. Matth. 24. Marci 13. & Lucæ 21. fuit exercitus Titi. 4.285

Accidens.

Accidens assumi potest ad vnionem hypostaticam. 2.269

Actio.

Actiones ex fine agentis liberi non variantur. 1.308

Actus.

Actus intellectus certitudinem quandoque in sensum deriuat. 2.532
Actus liberi videri nequeunt visione beata, quæ ad ipsos conducat. 6.509
Actum, & habitum affectionis præhabuit Christus. 3.548
Actus increatus Dei nobis bonus est ratione extrinsecè solùm. 5.560

Adrianus.

Adriani epistolæ auctoritas statuitur. 3.435

Adoratio.

Adorationis definitio. 658
Adoratio latriæ sumimæ, seu perfectæ humanitati Christi non deferenda. 661
Adoratio Latriæ imperfectæ deferenda ipsi est. 4.662
Adoratio deferri humanitati Christi potest ob Deitatem, quin hæc eadem adoretur simul. 3.664
Adoratio inferior nequit vllo titulo humanitati Christi deferri. 1. ibid.

Angelus.

Angeli custodes primis parentibus adfuêre. 1.591

Anima.

Anima Christi visionem beatam habuit à conceptionis suæ instanti. 1.507
Nemo Patrum huic veritati aduersus. 2. ibid.
Vidit in Verbo omnia possibilia. 2.508
Vidit item omnia existentia, quæ eandem scientiam non supponunt. ibid.
Improbatur Vasquez, quòd Patribus abscribat admisisse in anima Christi ignorantiam diei iudicij. 4.509
Genuina solutio ad Euangelij loca, quibus eiusmodi ignorantia asseri videtur. 4. ibid. & 6 528
Anima Christi videt in Verbo infinita existentia Syncathegorematicè; non cathegorematicè. 1.510
Ea tamen videt virtute finita. 4.511
Anima Christi habuit scientiam per se infusam. 1.512
Vidit ea scientia supernaturalia omnia existentia præter aliquos suos actus. 1.513
Nihil tamen naturale per illam. n.2. ibid.
Videt obiecta, conditionatè existentia, ac merè possibilia. 6.514
Qua ratione rerum negationes videat. ibid.
Non videt ea scientia Deum. 1. ibid.
Vidit omnia obiecta eius scientiæ vnico actu præter ipsam scientiam. 3.519
Imò huius scientiæ, & beatæ idem actus fuit in anima Christi, ni meritum visionis beatæ hac scientia regulatum admittatur. ibid.
Anima Christi hac scientia per se infusa non discurrit. n.6 520.
Anima Christi habuit scientiam per accidens infusam obiectorum naturalium. 1. ibid.
Eius obiectum latius Angelico, sicuti & species Angelicis vniuersaliores. 2. ibid.
Eam ab initio conceptionis habuit. ibid.
Anima Christi scientiam per accidens infusam obscuram non habuit. 2.522
Si habuisset, à primo instanti habuisset. 3. ibid.
Habuit anima Christi scientiam propriis experimentis partam 1.524.
Ad hanc scientiam error sensuum in humanitate Christi transire non potuit. 5.525
Eam disciplina comparate nequiuit, 1. ibid.
Anima Christi potuit habere ignorantiam priuatiuam. 1.526
Non tamen habuit. 4.527
Non potuit habere errorem physicum adhuc de potentia absoluta, & antecedenti. 1.528
Solida huius ratio. 4. ibid.

Assumptio.

Assumptionem carnis per animam, & animæ per mentem, quo sensu dixerunt Patres explicatur. 5.301. & 6.302
Assumptæ fuêre à Verbo partes humanitatis non solum essentiales, sed etiam integrantes organicæ. 302
Quod semel assumpsit nunquam dimisit, verum etiam de partibus humanitatis, quæ perierunt. 3.301. & 2.305
Id autem de eadem moraliter, non autem physicè humanitate verificari satis. 3. ibid.
Assumptus fuit in se à Verbo sanguis totus corpori inclusus. 1.303
Item reliqui humores sanguine admixti & vitales Spiritus. 5.304

PARS SECVNDA.

A

Abdicatio.

Abdicatio à Dominio supremo Deo est impassibilis. 1.139

Abominatio.

Abominatio desolationis Daniel. 9. Matth. 24. Marci 13. & Lucæ 21. fuit exercitus Titi. 4.285

Accidens.

Accidens assumi potest ad vnionem hypostaticam. 2.269

Actio.

Actiones ex fine agentis liberi non variantur. 1.308

Actus.

Actus intellectus certitudinem quandoque in sensum deriuat. 2.532
Actus liberi videri nequeunt visione beata, quæ ad ipsos conducat. 6.509
Actum, & habitum affectionis præhabuit Christus. 3.548
Actus increatus Dei nobis bonus est ratione extrinsecè solùm. 5.560

Adrianus.

Adriani epistolæ auctoritas statuitur. 3.435

Adoratio.

Adorationis definitio. 658
Adoratio latriæ sumimæ, seu perfectæ humanitati Christi non deferenda. 661
Adoratio Latriæ imperfectæ deferenda ipsi est. 4.662
Adoratio deferri humanitati Christi potest ob Deitatem, quin hæc eadem adoretur simul. 3.664
Adoratio inferior nequit vllo titulo humanitati Christi deferri. 1. ibid.

Angelus.

Angeli custodes primis parentibus adfuêre. 1.591

Anima.

Anima Christi visionem beatam habuit à conceptionis suæ instanti. 1.507
Nemo Patrum huic veritati aduersus. 2. ibid.
Vidit in Verbo omnia possibilia. 2.508
Vidit item omnia existentia, quæ eandem scientiam non supponunt. ibid.
Improbatur Vasquez, quòd Patribus abscribat admisisse in anima Christi ignorantiam diei iudicij. 4.509
Genuina solutio ad Euangelij loca, quibus eiusmodi ignorantia asseri videtur. 4. ibid. & 6 528
Anima Christi videt in Verbo infinita existentia Syncathegorematicè; non cathegorematicè. 1.510
Ea tamen videt virtute finita. 4.511
Anima Christi habuit scientiam per se infusam. 1.512
Vidit ea scientia supernaturalia omnia existentia præter aliquos suos actus. 1.513
Nihil tamen naturale per illam. n.2. ibid.
Videt obiecta, conditionatè existentia, ac merè possibilia. 6.514
Qua ratione rerum negationes videat. ibid.
Non videt ea scientia Deum. 1. ibid.
Vidit omnia obiecta eius scientiæ vnico actu præter ipsam scientiam. 3.519
Imò huius scientiæ, & beatæ idem actus fuit in anima Christi, ni meritum visionis beatæ hac scientia regulatum admittatur. ibid.
Anima Christi hac scientia per se infusa non discurrit. n.6 520.
Anima Christi habuit scientiam per accidens infusam obiectorum naturalium. 1. ibid.
Eius obiectum latius Angelico, sicuti & species Angelicis vniuersaliores. 2. ibid.
Eam ab initio conceptionis habuit. ibid.
Anima Christi scientiam per accidens infusam obscuram non habuit. 2.522
Si habuisset, à primo instanti habuisset. 3. ibid.
Habuit anima Christi scientiam propriis experimentis partam 1.524.
Ad hanc scientiam error sensuum in humanitate Christi transire non potuit. 5.525
Eam disciplina comparate nequiuit, 1. ibid.
Anima Christi potuit habere ignorantiam priuatiuam. 1.526
Non tamen habuit. 4.527
Non potuit habere errorem physicum adhuc de potentia absoluta, & antecedenti. 1.528
Solida huius ratio. 4. ibid.

Assumptio.

Assumptionem carnis per animam, & animæ per mentem, quo sensu dixerunt Patres explicatur. 5.301. & 6.302
Assumptæ fuêre à Verbo partes humanitatis non solum essentiales, sed etiam integrantes organicæ. 302
Quod semel assumpsit nunquam dimisit, verum etiam de partibus humanitatis, quæ perierunt. 3.301. & 2.305
Id autem de eadem moraliter, non autem physicè humanitate verificari satis. 3. ibid.
Assumptus fuit in se à Verbo sanguis totus corpori inclusus. 1.303
Item reliqui humores sanguine admixti & vitales Spiritus. 5.304

Index Rerum & Verborum.

Item capilli, vngueſque aſſumpti hypoſthaticè in ſe à Verbo fuêre. 1. ibid.
De his autem rigore metaphyſico ſaluari poteſt, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. 2.305

Attributum.

Attributa diuina ſolum denominant ſubrectum metaphyſicum cui identificantur. 3.476

C

Charitas.

CHaritatis actus, & habitus adfuit Chriſto. 1.549

Chriſtus.

Chriſti cadauer corruptibile non fuit. 5.321.
In Chriſto compoſitio adeſt vera. 4.294
Eius corruptio naturalis in ſe eſſe potuit, in cauſa verò ſupernaturalis, & miraculoſa. 6.321
Chriſtus redemptor, qua talis noſtrum beneficium, & gratia eſt. 1.369
Chriſtus Adamo non peccante, non veniret ex vi præſentis decreti. 393
Chriſtus nec inadæquate promeritus eſt vnionem hypoſthaticam. 416
Deficientibus aliquorum originalibus non veniret Chriſtus. 394
Chriſtus, qua homo adiectiue ſeruus Dei eſſe nequit, ſumptus formaliter, & præcisè adhuc. 449
Chriſtus, qua homo, vel ſecundum humanitatem minor eſt Deo, ac perſonis Trinitatis omnibus. 1.454
Sine exceptiua, & abſolutè dici nequit minor aliqua ex perſonis Trinitatis. 2.455
Chriſtus neque cum addito Dei Vaſſalus dici poteſt. 4.463
Chriſtus ſecundum humanitatem Deo, & Trinitatis perſonis ita eſt ſubditus, vt eius præceptis debeat obedire. ibid.
Simpliciter, & abſolute dici poteſt Chriſtus ſubiectus Deo Patri, ac ſpiritui; filio autem ſolum cum addito ſecundum humanitatem; quod duplicandum eſt, ex parte prædicati nimirum, & ſubiecti, cum ſui ipſius ſubditus, aut ſibi ſubiectus dicatur. 3.456
Chriſtus omnia naturalia præcepta habuit, qua homo 1.457.
Non tamen præceptum naturale obeundæ pro hominibus mortis aliter etiam non redimendis. 2. ibid.
Habuit tamen de obeunda morte pro hominibus præceptum poſitiuum diuinum. ibid.
De quibus actionibus externis Chriſtus præcepta habuerit. 2.460.
De quibus externis non habuerit, 4. ibid.
De nullo actu interno in indiuiduo cum motiuo, & circumſtantiis omnibus habuit Chriſtus præceptum. 3. ibid.
Chriſtus duplici decreto, & cauſa adæquata productus, conſeruatusque ſemper fuit. 1.606
Duplici etiam cauſa adæquata interiit. 1.609
Chriſtus proprie & ſtricte Sacerdos. 4.625.
Eius ſacerdotij ſubiectum ſola humanitas. 1. ibid.
Forma ſola fuit diuinitas. 3.627
Præcipua eius qualitas regia ſpiritualis poteſtas 1.625
Nulla illi ſimilitudo cum gentium ſacerdotio. 1. ibid.
Secus cum ſacerdotio ſacerdotum legis gratiæ. ibid.
Chriſti ſacerdotium æternum. 634
Non ſolum in effectu, ſed in ipſo. 636
Sacrificium ſui incruentum obtulit Chriſtus. 1. ibid.
Item ſacrificium Agni Paſchalis. 3 ibid.
Sacrificium cruentum Chriſti infinitum effectum, & valorem re etiam oblata habuit. 1.638
Eius effectus Chriſtum ipſum attigit. 6.639
Chriſtus quatuor modis mediator moralis Dei & hominum 3.640.
Sola humanitas mediatoris in Chriſto ſubiectum. 2.641
Deitas neceſſaria ad officium mediatoris. 2
Vt conditio ſolum, non vt forma. 3.642
Forma in voluntate Dei ſaltem non repugnantis, vt mediet inter ipſum, & homines ſtat. 4.ibid.
Chriſti mediatio per ſacrificium actus ſacerdotij non fuit 5. ibid.
Chriſtus Eccleſiæ vtriuſque caput. 1.645
Phyſice, qua Deus, meritoriè qua homo in vtriuſque membra gratiam, & gloriam influit. 2.646
A nullo vtriuſque membro influxum recipit. 4. ibid.
Ita eſt caput, vt aliud membrum non ſit. 1. ibid.
Nec Eccleſiæ membrum abſolute dici poteſt. 3.647
Capitis forma ſola vnionis gratia. 4 ibid.
Secundum totam humanitatem eſt caput. 3.648
Totius Eccleſiæ hominum eſt caput. 1.649
Non autem Adami pro ſtatu innocentiæ. 2.ibid.
Fuit autem infidelium. 3. ibid.
Et damnatorum. 4. ibid.
Angelorum caput qua Deus. 1.650. & qua homo. 2.ibid.
Viatorum plurium, Angelorum etiam malorum. 5 ibid.
Et quodammodo creaturarum omnium. 3 651

Comprehenſio.

Comprehenſio non eſſet viſio beata Deum omniaque poſſibilia attingens. 1.508

Complere, conſummare.

Complere, conſummare, ſignare, & ſigillare indifferenter perficere, vel deſtruere ſignificant. 6.276

D

Deitas.

DEitas in Chriſto non ſolum per immenſitatem, ſed ſaltem per concomitantiam etiam eſt. 3.291
Deitas pars in Chriſto non eſt, ſicut & eius humanitas. 5.293.
Deitas propriam perſonam in Chriſto non amiſit, ſicut eius amittit humanitas. ibid.

Deus.

Deus non eſt homo æquè vera eſt, ac affirmatiua ad vulgus tamen omittenda. 2.675
Deus non generat non infertur ex illa. 3. ibid.
Deus aſſumpſit hominem nulla cenſura digum 687

Debitum.

Debiti ſubiectiui, & obiectiui diſtinctio. 367
Debito obiectiuo ablato ſubiectiuum perſeuerat. 4.368
Debitum originalis ſine originali eſſe poteſt. 1.403

Decretum.

Decretorum Dei ſigna naturæ de potentia ordinaria ſigni rerum decretarum aptantur. 2.382
Non fuit decretum incarnationis ex efficaci intentione reparationis à peccato ante huius præuiſionem. 388
Neque ex intentione efficaci reparationis per merita Chriſti. 389.
Potuit eſſe decretum incarnationis ex intentione reparationis efficaci conditionata per merita Chriſti, ſi extiterint. 1.392.
Sed neque ex intentione reparationis ab actualibus efficaci conditionata potuit eſſe incarnationis decretum. 2.ibid.
Si conditio non ſint ipſa merita ex efficaci intentione conditionata reparationis, per illa non potuit eſſe incarnationis decretum 3.ibid.
Excipe caſu, quo merita Chriſti ante purificationem conditionis poſſent exerceri. 4. ibid.
Decretum abſolutum Chriſti fuit poſterius natura abſoluta exiſtentia Adami, peccatique huius. 1.398
Fuit plurium hominum, & originalium exiſtentia prius natura. 3.ibid.
Fuit abſolutè omnibus actualibus præter primorum parentum peccata prius natura. 4. ibid.
Fuit poſterius natura reliquorum ab enumeratis hominibus & originalium exiſtentia. 5.399

Donum.

Dona ſeptè ſpiritus ſancti Chriſti humanitati adfuere. 1.552

De dono timoris ſpecialis probatio ab authoritate. 2.ibid.
Specialiter probatur de dono Prophetiæ. 3.555

Dæmon.

Dæmonum aliquorum peccatum Adæ tranſgreſſo natura præceſſit. 5.590
Dæmon quo ſenſu ante Chriſtum ſolutus, & poſt Chriſtum ligatus fuerit. 5.644

Dominium.

Dominium in ſolidum rei eiuſdem penes duos ſimul, & pro inſtanti vno, repugnat. 2.343
Dominium humano ſuperius in creata omnia Chriſti competebat humanitati. 1.621
Dominium pure humanum, ſeu baſſum nullius rei habuit. 623
Dominium Dæmonis, & poteſtas in peccatores non eſt iuriſdictionis, ſed carcerarij. 2.644
Ab eo dominio Dæmonis redemptionis pretium, ab eiuſque ſeruitute non ipſi, ſed Deo ſoluendum. ibid.

Donatio.

Donatio rei actus proprius dominij eſt non ſolius rationalis facultatis. 4.343
Vide *Pœna*, *Satisfactio*, *Meritum.*

E

Electio.

ELectio duplex mediorum altera extrinſeca proponitur & confutatur. 2.386

Elipandus.

Elipandi, & Felicis error formalis Neſtorianiſmus non fuit, ſed filiatio Chriſti, qua hominis adoptiua. 431
Et ſeruitus Chriſti, qua hominis propria reſpectu Dei. 449.

Emmanuel.

Emmanuel, Chriſtus, Ieſus eſt Deus, vel homo ſunt propoſitiones per ſe. 2.677
Et ſunt ex ſecundo prædicabili. 5.ibid.
Emmanuel, Chriſtus, Ieſus hic homo incæpit eſſe, veræ, ac propriæ propoſitiones ſunt. 3. & 4. 681. & 683

Ens.

Ens naturale poteſt à principio actiuo ſupernaturali per ſe pendere. 2.513

Euthyches.

Euthyches antiquorum errorem de vnitate naturæ diuinæ in Chriſto fouit. 1.289
Euthychis errori, Azephali, & Theopaſchitæ acceſſerunt. 2.ibid.

F

Fides.

FIdem eiuſque actum potuit Chriſti humanitas habere. 1.522
Imo & de facto habuit. 1.523

Filiatio.

Filiationi naturali Dei ſimilitudo, quæ & in creatura, etiam rationali ſatis non eſt. 1.439
Non prouenit ſimilitudo filiationi Dei naturali neceſſaria præciſè ex vnione hypoſthatica. ibid.
Licet à nobis veroſimilius olim explicabatur oppoſitum. 2. ibid.
Alius modus explicandi filiationem naturalem Dei, in humanitate reiicitur Chriſti. 3. ibid

Filiationis naturalis Dei in humanitate, ſiue in Chriſto, qua homine male redditur ratio & iure hæreditario ad bona paterna Dei. 4.440
Nec melius ex participatione diuinæ naturæ. 5. ibid.
Bene autem redditur, quia vi vnionis habet filiationem Dei naturalem. ibid.
Filiatio eiuſmodi naturalis Chriſti, qua hominis ſolam reſpicit primam perſonam, vt eius Patrem. 1.442
Filiatio naturalis Dei non competit Chriſto, qua homini formaliter, & præcisè ſumpto. 4.442
Nec quatenus hic homo eſt formaliter, & præciſè ſumpta voce homo ſubſtantiuè. 5.ibid.
Etiam ſi arbitrio diſputandum verbi perſonalitas ſignificetur. 1.444
Hæc concluſio in aliorum principiis difficillima. ibid.
In noſtris autem facillima. 4.445
Filiatio naturalis Dei non competit Chriſto, qua hic homo eſt etiam adiectiuè formaliter, & præcisè. 5.445
Filiatio adoptiua Dei non competit vllatenus Chriſto, qua homini, ſiue ſecundum humanitatem. ibid.
Filiatio adoptiua cum naturali incompoſſibilis. 2.447
Quonam filiatio adoptiua naturalem imitetur. 4.ibid.

Finis.

Finis Incarnationis fuit omnium peccatorum remedium 1.382.
Reparatio ab actualibus mortalibus intra finem Incarnationis fuit. 2. ibid.
Item reparatio à venialibus. 3 385
Peccatorum, ſiue omnium, ſiue ſingulorum reparatio finis intrinſecè adæquatus Incarnationis fuit. ibid.
Omnium collectiue ſumptorum reparatio Incarnationis finis extrinſecè etiam adæquatus extitit. ibid.

Fomes.

Fomes peccati eſt appetitus, & affectus erga bonum delectabile, & diſſonum rationi deordinatus per doneg ſonem donorum ſupernaturalium, quibus antecedenter impedirentur. 3.503.
Fomes extinguitur eiuſmodi donorum poſitione. 5. ibid.
Fomes ligatur, cum ſtante deordinatione impediuntur habitualiter motus inordinati, ne ſaltem ad ſolicitandam voluntatem ad ſimiles progrediantur. ibid.
Ligatur fomes decreto non concurrendi cum appetitu ad eiuſmodi motus. 2.504
Simili etiam decreto non concurrendi ad ſimiles motus cum voluntate. 3.ibid.
Non ligatur auxilio efficaci ab his motibus retrahente. ibid.
Fomes peccati quo ſenſu confirmatis in gratia ligatus dici quodammodo queat. ibid.
Fomes extinguitur remotione habituali ſenſationis internæ de delectabili rationi diſſono. 4.ibid.
Item impedimento virtutis motiuæ ſenſationis internæ erga eiuſmodi bonum. 5.ibid.
Eo impedimento extinctus fuit fomes in Adamo Innocente. ibid.
Fomes peccati in Chriſti humanitate extinctus fuit omnino 1.504
Nec vius cum vnione hypoſtatica eſſe potuit. 3. ibid.

Francofordienſis.

Francofordienſis Concilij authoritas ſtabilitur. 1.435

G

Gratia.

GRatia non dignificat opera, quatenus ſemen eſt iuſque ad gloriam, ſed quatenus auget formaliter dignitatem operantis. 8.373
Gratiæ, & viſionis Dei priuatio nullatenus eſt mortalis pœna 6.371
Gratia habitualis Chriſti humanitati adfuit. 1.536
Non tamen infinitè intenſa. 1.539
Ratio optima ex S. Th. pro impoſſibilitate infinitæ intenſionis gratiæ huius. 1.540
Fuit ſecundum quid infinita. 3.541
Summa item ipſi poſſibilis. 2.542
Nec

Index Rerum & Verborum.

Nec potuit esse minor de potentia ordinaria. 4.ibid.
Non fuit summa absolutè possibilis. 1.543
Gratia dicta adfuit à conceptionis Christi instanti. 1.ibid.
Eius gratiæ efficiens morale vnio hypostathica, & primi instantis merita. 2.544
Physicum, Deus concursu communi Trinitati. 3.ibid.
Gratia habitualis in Christo decursu temporis non creuit. 1.ibid.
Gratiæ gratis datæ nouem enumeratæ, & explicatæ Christi humanitati adfuere. 1.555
Gratia item auxilians, tum excitans, tum adiuuans, tum cooperans. 5.556

H

Habitus.

HAbitus per se infusi ad actus naturalium virtutum abiiciendi, & si cognitio supernaturalis ad illos detur. 4.515.
Habitus supernaturalis, & per se infusus non concurrit ex parte Principij ad actum scientiæ per se infusæ Christi, si ab specie differat. 3.517

Hebdomada.

Hebdomadæ Danielis 9.4.& seq. explicantur. 276
Septenarium annorum lunarium numerum continebant. 4.283
Earum initium ab anno 20. Artaxerxis Longimani Xerxis filio sextoque Persarum Rege in Babylonia capiendum. 3.282
Hebdomadarum sexaginta nouem terminus est Christus in Iordane baptizatus. 4.284
Dimidium hebdomadæ septuagesimæ, quo Christus cædendus prædicitur, fuit eius hebdomadæ annus quartus. ibid.

Humanitas.

Hilarius à suspicione erroris de impassibilitate humanitatis Christi vindicatus. 2.318
Humanitas vbique non est; sicut verbum, cui vnitur. 8.314
Humanitas Christi fuit mortalis naturaliter. 1.319
Mortalitatis illius causæ recensentur. 3.320
Humanitas Christi perfectissimum habuit temperamentum. 1.322
Habuit perfectiones reliquas illi consequentes. ibid.
Summam habuit pulchritudinem. 3 ibid.
Habuit dotes omnes beatificas redemptioni pœnali non aduersas, ac fortasse qualitatem physicam gratiæ vniuersalis curationum. 3.323
Non fuit promerita de congruo incarnationem. 1.415
Sed nec eam potuit de congruo adhuc promereri per opera prius naturâ vnione. 1.422
Nec potest intelligi prius natura cum gratia, quam necessitata ad vnionem hypostaticam. 4.ibid.
Hic homo accipi, & substantiuè, & adiectiue in Christo potest, atque vt reipsa est, vel ex præcisa formalitate significata. 1. & seq.444
Reipsa est, etiam filius naturalis Dei est, non adoptiuus. 5. ibid.
Humanitas Christi non existit per existentiam verbi. 1.461
Adhuc in S. Tho. sententia. 2.462
Neque in Thomistarum principiis. 4.& seq. 464
Humanitas Christi non intellexit, & amauit solis actibus diuinis. 470
Honorius à Monotheliſmo liberatus. 467
Neque non solis actibus diuinis humanitas amauit, & intellexit. 470
Imo actibus diuinis amare, & intelligere humanitatem repugnat. 472
Humanitas Christi nec denominatiue est Deus, vel omnipotens. 1.476
Neque sancta, impeccabilis filia, vel filius Dei naturalis dicitur ab illis formalitatibus diuinis, quibus sanctus, impeccabilis dicitur Deus, ac secunda persona filius. 4.& 5.476 & 477
Neque constituitur persona à personalitate diuina diuinè. 4. ibid.
Humanitas Christi sanctificatur vi vnionis hypostathicæ. 477
Non tamen ipsa vnione tanquam forma. 2.482
Nec sanctitatis attributo, aut personalitate sanctificatur. 1. ibid.
Sanctificatur Deitate, ac tota persona diuina tanquam formis. 2 480.
Eis infinitè sancta redditur. 1.483
Non tamen æquè sancta & amabilis ac Deus. 2.ibid.
Non peccauit, nec potuit peccare saltem impossibilitate consequenti. 1.485
Non omnia, quæ Christi, humanitatem attigerunt venerabilia sunt, nec omnia, quibus posset verbum hypostathicè vniri. 1.486
Humanitas Christi est etiam antecedenter impeccabilis ex vnione Deitatis non solum formaliter, sed & antecedenter pugnante cum peccato. 1.491
Item & materialiter adhuc est impeccabilis. 6 509
Item quia eius peccatum imputandum esset verbo. 5.492
Humanitati Christi omnis perfectio possibilis, nec muneri suæ redemptionis aduersa de facto concedenda. 1.507
Hominem proprius dici de Petro. 2.667
Homo eadem acceptione de Deo, ac Petro dictus vniuocè dicetur; ast, si substantiuè de Petro æquiuocè dicetur 5.673
Humanitas Christi mitata verè non fuit. 1.529
Nec potuit verè mitari. 1.530
Nec potuit ridere. 4.ibid.

I

Idioma.

IDiomatum communicatio quid. 666
Non negatur à Durando. 1.ibid.
Est de fide quoad prædicata essentialia naturarum. 4.ibid.
Atque etiam quoad non essentialia prædicata. 2.668
Nequit abstractis vtrinque positis exerceri. 3.669
Neque ex parte alterius solum extremi. 1. ibid.
Est autem vera nominibus vtrinque concretis. 670
Eius ratio, quia concreta eiusmodi prædicatione eandem personalitatem in recto significant. 2ibid& 5.671
Idiomatum communicatione propositiones non sunt perse, sed per accidens, & in materia contingenti. 3.675
Idiomatum communicatione acceptio essentialiter, vel extraessentialiter inutilis, falsa, singularis, & inconsequens est. 2. ibid.
Propositiones communicationis idiomatum spectant ad quintum prædicabile. 4.677
Non licet idiomatum communicatio reduplicatiuis reduplicatiuè acceptis adhuc inter concreta nulla. 2.679
Neque addito adhuc pronomine *hic* alterutri termino. 3. ibid.
Nec reduplicatiuis specificatiuè acceptis cadentibus supra concretum naturæ diuersæ à denotata per prædicatum. 1. ibid.
Licebit addito ei supra quod cadit specificans reduplicatiua pro nomine *hic*. 2.680
Idiomatum communicatione Deus est creatura. 681
Idiomatum communicatione dicitur verè Deus, verbum incæpisse, atque esse recens, initium sumere. 4.685
Sed cautè apud indoctos dicatur. 5.684
Idiomatum communicatio in communibus vtrique naturæ prædicatis non est. 4.685
Ad idiomatum communicationem inter naturas satis non est vnio naturarum in tertio. 4.475
Idiomatum communicatione dicuntur de Deo aliquæ denominationes suppositi, quæ diuino repugnant. 2.486

Incarnatio.

Incarnationis filij præ personis aliis congruentiæ. 2.308
Incarnationis possibilitatem negarunt hæretici plures. 1.267
Ad incarnationem ex permissione peccati non tenebatur Deus. 4.325
Neque ex intentione reparandi hominem lapsum. 1. ibid.
Neque ex intentione reparandi illum per æqualem satisfactionem. 2.326
Incarnationis necessitas non adstruitur ab Anselmo vt communiter putatur. 3.ibid.
Incarnatio necessaria non fuit ad satisfactionem iustitiæ rigore pro mortali, quia eo Deus non læditur, 3.332
Item

Item quia non exhiberetur ab offensore. 1.333
Item quia esset ex bonis creditoris. 3.ibid.
Item quia non esset ad alterum iure. 7.335
Item quia debitum seipsa non extinguebat independenter à voluntate creditoris. 6.ibid.
Incarnatio necessaria non fuit ad satisfactionem è rigore iustitiæ vindicatiuæ. 1.336
Neque ad satisfactionem ex iustitia positiua. 1.339
Etsi mortalis offensa, aut malitia infinita sit, incarnatio ad satisfactionem pro illa non fuit necessaria. 1.354.1.355. & 1.356
Multominus si finitæ sint. 1.358
Neque ad satisfactionem pro toto debito obiectiuo mortalis incarnatio fuit necessaria. 1.359
Incarnatio necessaria non fuit ad satisfactionem pro venialibus. 1.380
Necessitati incarnationis ad satisfactionem pro peccato, siue physicæ, siue metaphysicæ Patres nullatenus suffragantur. 4. 376.
Vide *Satisfactio, Mortale.*

Iudiciaria potestas.

Iudiciaria potestas Christi, non solùm qua Dei, sed qua hominis est in creaturas rationales. 2.652
Rationes eius veritatis. 653
Iudiciariæ potestatis huius omnes homines subditi sunt. 654.
Iudicandi hac potestate sunt saltem indirectè Angeli. num.1 ibid.
Imò & directè quo ad præmium, & pœnam essentialem, & accidentalem. 1.& seq.ibid.& 655

Iudicium.

Iudicium Dei nonnisi impropriè in iudicium discussionis, & sententiæ diuiditur. ibid.
Iudicium vniuersale à Christo, qua homine erit. 1.ibid.
Iudicium particulare subeunt animæ statim ac à corpore abscedunt. 2.656
Iudicij vniuersalis veritas cum veritate iudicij particularis componitur. 3 ibid.
Iudicia particularia occulta statuuntur. 6.657
Iudicia particularia plura à Christo, qua homine non fuere. 1.ibid.
Omnia post Christi mortem habita ab eius vel anima, vel humanitate fuere. 2.658
Etiam occulta priuata. 4.ibid.
Iudicia priuata præmiatiua hominum habita à Christo, qua homine sunt; non autem punitiua ante eius mortem, nisi dæmonum. 5.ibid.

Iustitia.

Iustitiæ definitio; & diuisio. 327

Iustus.

Iustus potest absolutè alteri auxilium gratiæ promereri de congruo. 2.372
Secus autem sibi reparationem post lapsum. 9.376

L

Lullius.

LVllius malè necessitatem incarnationis ex voluntate creandi mundum Deo apponebat. 1.324

M

Maria.

MAria Dei Mater ex fide. 4.667
Mariana Dei maternitas specialiter à gratiæ difficultate vindicatur. 5.299
Maria Virgo immunis ab originali, eiusque debito. 350
Meruit Dei maternitatem de congruo saltem. 377
Meruit etiam de condigno. 378

Medium.

Medij remoti amor non cogit ad amorem proximi sine quo vtile non est, ad finem etiam efficaciter intentum. 387
Æquè amanda, vel non amanda sunt media proximiora, si remotiora amentur, siue ex efficaci, siue ex inefficaci intentione finis. 1.388
Medium cognitionis prius natura cognosci debet eo, ad quod medium est. 1.514
Medium nullum mouere potest ad cognoscendum Deum clarè visum. 3.ibid.

Mediator.

Mediatoris in physicum, & moralem diuisio, & vtriusque definitio. 1.& 2.641
Mediator Moralis inferior altero, inter quos mediat esse non debet. 1.640
Mediatoris moralis quatuor modi. 2.ibid.
Mediasse Christum inter deum, & Virginem non admodum renuendum. 4.645

Melchisedech.

Melchisedech de fide verus Dei Sacerdos. 2 & 3.638

Messia.

Messiam venisse contra Iudæos non euincitur ex Baruch 3. *Post hæc in terris.* Isai.35. *Deus ipse veniet*; & *ecce Virgo concipiet.* nec lapide absciso sine manibus Daniel 2 275.

Meritum.

Meritum operum valor à satisfactiuo differt. 7.378

Meritum.

Quomodo ad meritum præmij supernaturalis nostra opera eleuentur. 7.373
Meritorum in spe, siue per modum pretij, & solutionis Magister meus Didacus Daza inuentor. 3.370.& 557
Meritum circumstantiarum incarnationis Christi progenitoribus adfuit. 428
Meritum Christi infinitum ex sanctitate vnionis hypostathicæ necessario venit. 1.478
Merita Christi sunt absolutè infinita. 2.557
Id habent ab vnione hypostathica ad personam diuinam, ac Deitatem. 1.559
Meritum Christi esse potuit in amore regulato per scientiam infusam. 1.563
Non tamen fuit de facto in illo. 3.564
Fuit tamen in eius amore per scientiam beatam regulato. 4.ibid.
Meritum adfuit in acceptatione mortis eo solùm, quod hæc in individuo præcepta non fuerint. 1.569
Meritum acceptationis eius malè cum impeccabilitate Christi antecedente à multis componitur. 566.& 567
Meritum eiusmodi è sola etiam temporis diuisibilitate, pro quo huius etiam individuæ acceptationis impositum præceptum fuit, satis saluatur. 5.570
Imò & si ante vltimum instans præcessisset acceptationis omissio, Meritum saluaretur. ibid.
Meritum operum Christi à conceptionis suæ instanti cæpit. 1.580
Durauit eum eius vita. 4.581
Cessauit ab instanti mortis inclusiuè. 1.582
Non adest Christo in cœlo. 3.ibid.
Meritum adæquatum cuiuis actui Christi honesto adest. 5.581
Meruit sibi Christus sui corporis gloriam. 1.584
Sui nominis exaltationem. 2.ibid.
Iudiciariam potestatem, & reliquas honorarias dignitates. 3. ibid.& 4.585
Reuisionem materiæ, & formæ suæ in resurrectione. 5. ibid.
Ferè omnem infusam scientiam. 6.ibid.
Totam suam gratiam habitualem. 7.ibid.
Suam etiam visionem beatam. 3.587
Secus vnionem hypostathicam secundum totam eius durationem. 1.588
Meruit vnionis continuationem. 6.589

Index Rerum

Et reuniones hypostaticam vnionis materiæ & formæ in resurrectione. 8.590
Meruit Angelis dona omnia præter primam gratiam. 1.ibid.
Aliquibus primam etiam gratiam meruit. 4.591
Non quidem primorum parentum custodibus. 1.ibid.
Neque eorum tentatoribus Dæmoniis. 3.592
Angelis omnibus meruit essentialem gloriam. 4.ibid.
Angelis ac Dæmonibus cæteris à custodibus, ac tentatoribus primam meruit gratiam. 1.ibid.
Meruit hominibus iustificationem, eiúsque dispositionem omnem, etiam remotissimam. 2.597
Etiam hominibus ipsam anteactis. 1.598
Merita Christi applicatione orationis, aut actionis gratiarum, vt nobis prosint non egent. 2.599
Quomodo progenitoribus gratiam meruerit singulariter defenditur. 601
Quomodo etiam crucifigentibus singulariter. 6.608
Merita Christi absoluta solum fuere non in spe, nec per modum pretij & solutionis. 572

Monothelitæ.

Monothelitarum error de volitione, & intellectione humanitatis Christi solis actibus diuinis. 1.467

Monothelismus.

Monothelismus confutatus. 469

Mortalis.

Mortale Dei iniuria, & læsio in bonis non est. 8.336
Mortalis malitia, & offensa finita est. 1.347
Si Mortalis malitia, & offensa infinita sit Christi satisfactio superabundans pro illo non erit. 1.354
Imo erit insufficiens. 1.355
Si ea infinitate posita satisfactio Christi æqualis foret, incarnatio ad satisfactionem necessaria non esset. 1.356

N

Natura.

NAtura etiam irrationalis potest assumi ad vnionem hypostaticam. 267
Natura rationalis creata assumi potest ad hypostaticam vnionem. 2.268
Plures naturæ si assumerentur à persona diuina esset inter illas etiam mutua idiomatum communicatio. 7.269
Natura quæuis irrationalis sine respectu ad rationalem assumi potest ad hypostaticam vnionem. 3.268
Natura in supposito proprio existens nequit ad vnionem hypostaticam assumi. 6.269
Natura creata etiam vnita alteri assumi potest ad vnionem hypostaticam cum tribus etiam personis diuinis. 5.268
Naturæ plures ab vna persona assumi hypostaticè queunt. 7.269
Naturæ ad naturam assumptio per vnionem eo modo repugnat, vel secus quo assumptio ad suppositum alienum, imò minus ad suppositum creatum. 8.ibid.
Naturæ partes physicæ per se assumi possunt ad hypostaticam vnionem. 2.ibid.
Imò ad vnionem cum Natura diuina, vel creata. 5.270
Naturæ solius diuinæ vnitas in Christo error Eutychete antiquior fuit. 1.289

O

Originale.

ORiginalis debitum sine originali esse potest. num.1 403.
Pactum ad Originalis contractionem de transfundenda gratia in posteros, non fuit sub conditione obseruationis præcepti vniuersim, sed absolutum pro eis, pro quibus limitatum statim non fuit. 2.ibid.
Ad Originale opus fuit collatione voluntatum nostrarum in Adamo pro priori naturæ ad præcepti obseruationem, vel transgressionem. 3.ibid
Potuerunt tamen aliquorum voluntates quoad obseruationem constitui absolutè in signo illo, quin ita pro transgressione absolutè constituerentur. 4.404
Potuerunt etiam conditionatè constitui sub conditione obseruationis, vel transgressionis præcepti, aut alicuius naturæ posterioris. 5.ibid.
Ab Originali, eiúsque debito immunis Maria ab authoritate fundatur. 405
Sunt pro ea immunitate Bernard. & S. Tho. 407
Loca S. Tho. pro contraria opinione sunt vitiata. 7.410
Plura absurda parturiret Originale in Maria. 411
Maria exclusa à pacto ex meritis Christi absolutis singulariter ostenditur. 7.414

Orare.

Non Orat propriè Christus in cælo. 2.583

P

Passio.

PAssiones pœnales liberè assumpsit verbum adhuc ex affectu efficaci satisfaciendi pro homine; non tamen illarum, ex humanitatis patientis vnione. 1.318
Passiones pœnales, quo sensu naturales, & irreprehensibiles dicantur à Patribus. 2.ibid.
Non fuerunt Christo violentæ, vt voluntario opponitur, 3.ibid. & 4.319
Fuerunt voluntariæ, non in se, sed materialiter. 5.ibid.

Pœna.

Pœnæ æternitas ob mortale ex iustitia vindicatiua naturali, nec solum legali, specialiter probatur. 1.352
Pœna nulla per æternitatem damnatis cessat. 2.353
Pœna æterna in mortalis remissione perit, non mutatur in temporalem. 3.ibid.
Pœnarum meritoria dignitas mortalis æquari potest multitudine venialium, secus formalis dignitas. 4.ibid.
Discrimen dignitatis formalis pœnarum mortalis, ab eius dignitate meritoria siue valorosa. 351.& 5.365
Pœnarum meritoria dignitas mortalis illo perseuerante potest deficere. 4.ibid.

Præfinitio.

Præfinitio quæuis actus liberi, etiam regulata per scientiam mediam non admittenda. 7.310
Vide *Decretum incarnationis.*

Præputium.

Præputij pars abscissa, addita fuit Christo resurgenti. 4.305

Paupertas.

Paupertatis religiosa essentia non est abdicatio Dominij; sed vsus rerum independenter à voluntate Prælati. 6.624

Phantasma.

Phantasma scientiæ per se infusæ Christi principium non est, non tamen quia Christus comprehensor est. 1.516

Persona.

Personæ tres sunt tres Dij, vero sensu apud doctos dicetur, non ad vulgus. 3.672
Si eandem assumant humanitatem, non vnus, sed tres homines dicentur. 4.673

Peccatum.

Deficiente Peccato Christus non veniret. 1.393

Potestas.

Politicam Potestatem suam in reges directam vicariis suis Christus non reliquit. 1.620

Potentia.

& Verborum.

Potentia.

Potentia obedientialis generalis, si admittatur est subiectio creaturarum Deo. 5.554
Principium supernaturale se ex parte potentiæ tenens nequit adhuc materialiter concurrere ad actum naturalem. ibid.

R

Regnum.

REgnum iudaicum iure hæreditario non competebat Christo. 1.616
Nec populi electione. 3.617
Neque electione Dei. ibid.
Regnum vniuersale humanum Christo non competebat, nec ius ad illud. 4.618
Fuit tamen vniuersale spirituale, & humanis superius regnum Christo. 1.619

Redemptio, Redemptor.

Redemptor noster Christus. 1.642
Redemptoriæ dignitatis subiectum sola humanitas. 2.643
Forma Deitas, Deique voluntas simul. 3.ibid.
Redemptor sui Christus non fuit. 1.645
Fuit tamen Matris propriè redemptor, licet nec debitum seruitutis incurrerit. 3.ibid.
Plurium etiam Angelorum redemptor fuit, quoad efficaciam, sed dæmonum quoad sufficientiam. 4.ibid.
Reduplicatiua licet dicere *Christus qua homo & creatura temporalis incepit, desitque, nos redemit pro nobis satisfecit*: & veræ sunt, siue Christus adiectiuè pro persona, siue substantiuè pro natura vnita sumatur. 3.680
Sed si pro sola personalitate *homo* accipiatur adiectiuè non licet dicere, qua homo nos redemit. 5.ibid.
Nec licet dicere Christus, qua Deus nos redemit. ibid.
Redemptorium pretium & valorem an opera Christi habeant à Deitate. 3.643
Potuit Christus munus Redemptoris non admittere. num.4. ibid.
Bernald. contendit Redemptionem Christi minùs propriam esse. 2.644
Quinam Redempti à Christo Domino fuerint. ibid.
Capaces Redemptionis, quotquot peccatum, siue actuale, siue originale contraxerunt. 1.644.& seq.
Redemptio necessario dicit in redimendis seruitutem & captiuitatem à qua redimantur. 1.645
Patrum Theologorum de Redemptione B. Virginis à Christo filio ratio. 3.ibid.
Christus Redemptor in se formaliter nostrum beneficium, gratiáque. 1.369

Remedium.

Actualis Adæ ac nostrorum omnium originalium remedium fuit Deo Incarnationis finis. 1.382

Reparatio.

Reparatio nostri omnium ab omnibus mortalibus actualibus intra finem incarnationis decernenda fuit. 2.382
De intentione Reparationis per merita Christi ante & post præuisum peccatum. 388.& 389

S

Sacerdos.

SAcerdos est rationalis creatura per publicam authoritatem ad offerendum sacrificium constituta. 2.624
Sacrificio agni Dei authoritate Patres familias deputati Sacerdotes erant. 3.625
Sacerdotes veri fuere in veteri lege. 1.630

Sacrificium.

Sacrificium, & hostia sola humanitas in Christo fuit, templum item, & altare. 1.628

Sanguis.

Sanguis in nutrimentalem, & perfectum non nutrimentalem in ordine ad eius à verbo assumptionem distinctio inanis. n.1 302
Effusio Sanguinis iusti, potens ad priuilegium; diues ad pretium. 1 602
Sanguinis Christi redemptorius valor. ibid.
De vi Sanguinis Christi & valore emundandi conscientias nostras à peccatis. 3.ibid.
Sanguis intra corpus Christi existens assumptus in se & immediatè à verbo fuit. 1.304
Sanguis in triduo, & horto effusus verbo vnitus mansit. 4 .ibid.
Sanguis totus effusus resumptus fuit à Christo resurgente. 3. 305.

Satisfactio.

Satisfactionis è rigore iustitiæ conditiones. 327
Supponit læsionem in bonis vtilibus ad esse vel ad bene esse. 1.ibid.
Nequit esse ex bonis datis à creditore sciente illis ipsis sibi satisfaciendum. 3.328
Id malè ab aliquibus limitatur. 4.ibid.
Nec melius ampliatur ab aliis. 5.ibid.
Debet esse voluntaria, & æquinalentis redditio. 6.329
Acceptatione, aut pacto creditoris non eget, vt sit satisfactio. ibid.
Debet à debitore exhiberi in quouis genere sit. 7.ibid.
Hæc omnia continentur in vulgari eius definitione *Redditio voluntaria æquivalentis ex aliâs indebiti; Creditori.* 2 327.
Adde *quocumque titulo indebitis,* 9 330
Satisfactionis pro mortali à pura creatura impossibilitas à nostro Lugo data impugnatur. 3 357
Nec ea impossibilitas probatur, quia malitia mortalis nullo venialium cumulo possit æquari. 4 359
Nec quia conditio multis aliis titulis Deo sit debita. 1.362
Nec quia minus bona, quam malum sit peccatum. 1.364
Nec quia per mortales seruitus contrahatur. 7.367
Pro ea satisfactionis impossibilitate Ripalda malè Anselmum interpretatur. 6.ibid.
Pura creatura potest satisfacere pro mortali ipso. ibid. totis duabus quæstionibus.
Satisfactio pro toto debito obiectiuo mortalis à pura creatura est possibilis. 1.375
Satisfactio pro debito pœnali mortalis alieni, aliter quam per modum meriti esse potest. 7.371
Sactisfactionis impossibilitas pro toto debito obiectiuo mortalis à pura creatura, licet non satis fiuma malè à pluribus impugnatur. 1.367
Malè audiunt apud reliquos Doctores Scotus, & Gabriel asserentes purum hominem absque gratia Dei posse pro venialibus condigne satisfacere. 1.377
Male à nonnullis ex verbis *Dimitte nobis debita nostra,* & ex illis 1. Ioan.c.1. *si confiteamur peccata nostra* infertur impossibilitas satisfactionis à puro homine pro venialibus. 2. & 3.ibid.
Nec solum potest purus homo ex gratia pro veniali satisfacere, sed satisfacit sæpe. 1.378
Soarij ratio pro ea possibilitate nutat. 3.ibid.
Vazquij ratio etiam impugnata præstat. 1 & seq.379
Satisfactio pro pœna alterius, aliter quam meritiua esse potest. 7.371
Satisfactio Christi meritiua nostra merita, & industriam non excludit. 2.611
Satisfecit Christus pro nobis superabundanter. 1.610
Satisfactio Christi non formalis, sed exactiua est pro nobis satisfactio. ibid.
Re etiam oblata fuit pro nobis satisfactio. 612
Satisfactio re oblata ex nulla virtute formaliter fuit. 2.613
Fuit ex virtute materialiter. 3.614
Nec tamen fuit opus vt ex determinata virtute materialiter adhuc satisfaceret. 4.ibid.
Obtulit tamen ex fine satisfaciendi re oblata. ibid.
Sactisfactio meritiua Christi ex gratitudine pro antecessoribus esse non potuit, etiam posita duplici causa, & actione totali productiua, & conseruatiua ipsius. 3.614
Fuit tamen ex omnibus aliis virtutibus. 4.613
Nullo sensu Christus pro Matre satisfecit. 4.645

BIBLIOTECA

Index Rerum

Sanctitas.

Sanctitas suppositi creati nullatenus sanctificaret humanitatem ipsi vnitam, nec dignificaret eius opera ad præmium supernaturale. 2.& 3.482
Sanctitas moralis vltra formam iustificantem dicit propensionem, & adhæsionem diuinis præceptis,& conciliis exequendis. 1.498

Sciemia.

Scientia aliqua à visione beata diuersa per seque infusa, in Christi humanitate non fuit. 1.512
Supernaturalia omnia in obiectis Scientiæ huius per se infusæ contineri secundum omnes eorum status certum est. 1.513
Nihil naturale futurum absolutè, seu existens in quauis temporis differentia est obiectum Scientiæ per se infusæ animæ Christi. 2.ibid.
Deus nullatenus est obiectum Scientiæ per se infusæ Christi. 1.& seq.514
Phantasma non est Scientiæ per se infusæ Christi principium. 1.516
Species supernaturalis requiritur ad Scientiam per se infusam de obiecto absenti. 1.517
Scientiæ per se infusæ species vnica & simplicissima fuit pro obiectis omnibus. 3.519
De Scientia infusa per accidens humanitas Christi. 520
Scientiam nullam disciplina & doctrina creata paratam Christus Dominus habuit. 1.525
Quæ Scientia Christi impediri possunt in intellectu ipsius siue voluntate. 526
Scientia conditionata non connectitur physicè, & antecedenter sed solùm logicè, & consequenter cum futuro absoluto, cui natura præcedit, etiam posita, & purificata conditione. 5.391
Scientia Christi de actibus liberis, cum suis, tum alienis eorum libertati non obest. 1.388

Seruitus.

Seruitus quid sit. 1.449
Seruitus in vxorem Domini, aut filium cadere nequit. 2.452
Seruitus respectu Dei conuenit Mariæ matri. ibid.
Seruitus peccatoris peccato, ac Dæmoni non stricta, sed imitatiua est. 1.643
Stat in debito carendi auxiliis. ibid.
Ab vtraque seruitute nos redemit Christus. ibid.

Species.

Species proprias possibilitatis rerum non habemus. 1.515
Species vnica omnium naturalium obiectorum supernaturalis solum quoad modum est. 4.ibid.
Species supernaturalis requiritur ad scientiam per se infusam de obiecto absenti. 1.516
Imò & de obiecto præsenti ad scientiam per se infusam requiritur. 2.ibid
Species animæ Christi Angelicis sunt vniuersaliores. 1.518
Fuit vnica & simplex pro obiectis omnibus. 3.519
Eius vsus in Christo fuit liber. 1.ibid.
Species hæc eadem erat Christo impressa Dei species. 4.ibid.

Spes.

A nullo iusto, in quo habitum Spei esse citra dubium est, omnes Spei actus eliciuntur. 1.546
Motiuum Spei, vt desiderio presse dicto distinctæ, est bonum cognitum non solùm vt absens, siue non existens & possibile præcessiuè, sed futurum. 3.ibid.
Spei actus fuit in Christo. 2.ibid.
Etiam circa gloriam essentialem. 4.ibid.
Item circa bona aliorum. 1.547
Etiam quatenus aliis bona, nec solum sibi. 2.648
Spei etiam habitus in Christo fuit. 6 549

Spiritus sanctus.

Christus in quantum homo non influit, neque donat Spiritum sanctum. 3.646

Subsistentia.

Subsistentia communis à Trinitate reiicitur. 2.305
Subsistentia communis non absolutè sed solùm vt inclusa in Filio fuit vnita. 3.306

Substantia

Substantiæ partes, imò & accidentia ad vnionem cum persona, vel natura diuina, aut creata assumi possunt. 269

Supernaturale.

Vt aliquid sit Supernaturale satis est aliquam eius formalitatem supernaturalem esse. 5.514

Sybilla.

Sybillarum authoritas, aque oracula pro incarnationis mysterio. 270.& seq.

T

Temperamentum.

TEmperamentum perfectissimum habuit corpus Christi. 1.322

Tentatio.

Tentationes externas habuit humanitas Christi. 1.505
Non habuit tentationes internas. ibid.
Nec eas habere potuit. 4.506

Timor.

Timor, seu fuga mortis indeliberata, nec fuit, nec decenter Christo tribuetur. 3.532
Fuit tamen inefficax. ibid.
Timoris affectus humanæ rationali Christi voluntati negatus. 1.530
Cognitio de incertitudine futuritionis imminentis mali minuit Timoris proprij obiectum. 4.532
Timor, & dolor voluntatis humanæ Christi passiones dici possunt. 4.531
Timor inefficax solùm spem vitandi malum prærequirit. 4.532

Trinitas.

Theopaschitæ totam Trinitatem, vel aliam quartam personam incarnasse, passamque esse effutiebant. 2.289
Eis non accessere Ioannes Maxentius cum monachis Scythis. 3 ibid.

Tristitia.

Tristitia vera de obiectis Deo inuisis voluntati humanæ Christi naturalis fuit. 1.535
Tristitia de malo proprio naturalis etiam fuit voluntati eidem 3.536
Tristitiam in Christi anima & rationali voluntate admittunt Patres. 1.533

V

Vbiquista.

VBiquistarum error & fundamenta. 473
Confutatur eorumdem error. 474

Veniale.

Veniale habet demeritum congruum auxiliorum. 3.381

Verbum.

Verbum effusum dici nequit, licet vnitus ipsi sanguis effusus dicatur. 3.305
Verbum humanitatem passibilem assumpsit. 2.316
Verbum nequit permittere humanitati, vt se occidat. 5.519

Virtus.

Actus Virtutis supernaturalis vt connaturaliter eliciatur, habitum debet supponere. 1.546
Virtutes morales supernaturales,neque inactu, neque in habitu in

& Verborum.

in Christo admittendæ. 1.550.& 1.551
Fuerunt autem in actu naturales virtutes morales. 2.550
Etiam Virtus pœnitentiæ in actu. 3.ibid.
Nullius Virtutis actus in Christo infinitè intensus fuit. n.4 ibid.
Virtutes morales habitu in Christo non iuuabantur, neque illum habebant. 2.551

Vnio.

Vnio humanitatis ad Deitatem, vel subsistentia communem per se facta non fuit, sicut ad Verbum. 2.305
Vnio hypostatica non est actio Deo identificata. 1.308
Neque actio productiua humanitatis dependenter à Verbo. ibid.
Est diuersa ab humanitatis productione. 1.310
Est substantialis modus. 2.ibid
Est transcendentaliter relatiua. 3.ibid.
Partibus altera spirituali, & aliis corporeis constans. ibid.
Motu locali non variatur, sicuti neque eius productio. ibid.
Est supernaturalis, & gratuita. ibid.
Reliquis Dei gratiis, creatisque donis maior. 6.312
Et creatis cæteris vnionibus arctior. 4.311
Vnio generatim sumpta. Vide *indicem pro physicè.*
Vnionis hypostaticæ ad corpus meritum condignum potuit adesse animæ prius natura vnitæ hypostaticæ. 412
Vnionem hypostaticam non potuerunt ordinaria providentia mereri. 1.423
In alia potuerunt vnionem mereri de congruo, & fortasse de condigno. 425
Vnioni hypostaticæ nulla præcessit dispositio. 429.& seq.
Vnionis efficiens Deus solo concursu tribus personis communi fuit. 430
Vnio hypostatica peccato inamissibilis est. 1.493
Inamissibilitatis huius solidæ rationes. 1.494
Vnio hypostatica pugnat contradictoriè cum peccato originali, & habituali. 1.495
Eius pugnæ solidæ ratio. 3.497
Non pugnat cum reatu valoroso pœnæ anteacti peccati, secus cum reatu dignitatis formalis. 6.ibid.
Pugnat cum habitibus vitiosis, quos, si præextitissent destrueret. 7.ibid.
Prædeterminant humanitatem ad opera concilij formaliter,& in actu secundo talia. 4.496.& 499
Secus ad ea materialiter, & in actu primo sumpta. 1.499
Impotentia vitandi omnia venialia non est antecedens, sed consequens. 3.498

Voluntas.

Voluntas humana Christi conformis fuit voluntati Dei non solum præcipientis, sed & consulentis. 1.500
Imò ne antecedenter quidem potuit ei aduersari. 2.ibid.
Voluntas efficax humana Christi nulla effectu caruit. 1.501
Voluntas humana Christi latendi inefficax solum fuit. n.4 502
Voluntas humana Christi verum timorem habuit, & dolorem. 1.530
In voluntate humana Christi probantur affectus. 3.531
An affectus voluntatis Christi, passiones animi stricte ac propriè dici possint. 4.ibid.

FINIS.

Approbantibus sententiam de immultiplicabilitate entis, siue existentiæ in Trinitate relatis contro. de Trinit. d. Sex. q. 1. cert. 1. n. 2. adde Reuerendiss. P. Fr. Petrum de Ouiedo, Ordinis Sancti Bernardi, Generalem meritiss. primar. Theologiæ professorem emeritum, & academiæ Salmantinæ Magistrum Decanum.

Approbantibus primàriam constitutionem methaphysicam personarum per proprietates methaphysicè absolutas, & solum fundamentaliter relatiuas, datis disputat. 9. de Trinit. q. 1. cert. 1. n. 7. adde ex Salmantinis Theologis, & Ordine Sancti Bernardi citatum proximè. Fr. Petrum de Ouiedo. Magistr. Fr. Antonium de San Pedro professorem Theologum emeritum, & Logicæ magnæ proprietarium. Magistr. Fr. Franciscum de Rois, emeritum etiam Theologum, & Vespertinæ Cathedræ Theologicæ in academia proprietarium. Magistr. Fr. Michaelem de Fuentes Cathedræ Sancti Thomæ Moderatorem. Magistr. Fr. Ildefonsum Herbas sui Collegij primàrium Theologum professorem. Ex Ordine Benedicti no Magistrum Fr. Placidum Puga post varias Pincien sis Academiæ Cathedras in suo Collegio professorem primarium. Magistr. Fr. Maurum de Somoza Scoti Cathedraticum, & Suppremæ Inquisitionis censorem. Magistr. Fr. Gregorium de Quintanilla sacræ linguæ perpetuum Magistrum. Magistr. Fr. Antonium del Castillo, Philosophiæ in Academia Moderatorem, & in suo Collegio Theologicæ Scholæ Regentem. Magistr. Fr. Philippum Bahamonde in eodem Collegio Theologiæ professorem, & in Academia Philosophiæ lectorem. Ex Ordine Sanctissimæ Trinitatis Reuerendissimum Fr. Iosephum Romero eius Academiæ Magistrum, & primarium Theologiæ professorem, Fr. Ioannem Benegas primarium Lectorem. Ex Ordine Ss. Mariæ de Mercede Fr. Ioannem Baptistam de Candandeo, professorem emeritum eius Academiæ Magistrum, & physicæ professorem. Magistr. Fr. Ferdinandum de Carauajal primarium Theologiæ in suo Collegio Lectorem. Magistr. Fr. Iosephum Gonçalez in suo Collegio, studiorum, & in Academia, Cathedræ Theologiæ moralis Regentem. Magistr. Fr. Ildephonsum del Alamo Vespertinum in suo Collegio Theologiæ professorem. Illustris. D. Fr. Martinum de Montaluo, eius Academiæ Magistrum, & Vespertinæ Cathedræ Moderatorem, Episcopum de la Paz, & Suppremæ Inquisitionis censorem. Ex nostris adde etiam P. Andream Mendo, olim professorem Theologum, & Suppremæ Inquisitionis censorem. Ex Complutensibus Theologis Illustris. Dom. D. Michael Ferrer Episcopum Tuicensem. Doctorem D. Ioannem Zafrilla, primarium Cathedræ S. Thomæ Regentem. Doct. D. Didacum Ros, primarium Cathedræ Scoti Magistrum. Doct. D. Iosephum Ruiz de Miranda Cathedræ Vespertinæ Moderatorem, Doct. Fr. Martinum de Villanueua, Lectorem in suo Ordine emeritum, & moralis Philosophiæ in Academia professorem, Doctores D. Didacum Guerrero, & D. Franciscum Campuzano, Cathedrarum Theologiæ apud Academiam Moderatores, Magistrum Fr. Franciscum de Mendoza in suo Mercenario Ordine professorem Theologum emeritum, & Philosophiæ moralis in Academia, Doctorem D. Petrum Gurupei.

Reliqui indices Typographorum incuria periere.